9
19 F
18

9-4-d-25

Digitized by Google

9

Digitized by Google

ANNALES
ECCLESIASTICI

AUCTORE

CÆSARE BARONIO

SORANO,

EX CONGREGATIONE ORATORII,

S.R.E. PRESBYTERO CARDINALI

Tit.SS.Nerei,& Achillei,& S.Apoſtolicæ Sedis

BIBLIOTHECARIO.

TOMUS DUODECIMUS.



TICINI, M.D.C.XLI.

Ex Typographia Hæredum Bartoli.

Ad usum P. Nicolai Augustini à S. Monica Ord. Discalc. S. Aug.

Digitized by Google

Digitized by Google

Sanctiſs. ac Beatiſs. Patri & D.N.

PAVLO QVINTO
PONTIFICI MAXIMO.

CÆSAR BARONIUS S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI Tit. SS. Martyrum Nerei & Achillei, Apoſtolicæ Sedis Bibliothecarius, ſempiternam felicitatem.

EN tamdem, Beatiſſime Pater, duodecimum Tomum Annalium Eccleſiaſticorum, quem tibi Principi Sacerdotum, ceu tertias ac noviſſimas frugum noſtrarum primitias ex lege repræſento. Neque enim mihi fas fuit in hoc longo & laborioſo duodecim voluminum, totidemque non menſium, ſed ſæculorum magni anni curriculo, non (*a*) ter in conſpectu Domini, coram ejus Sacerdote, nec manibus vacuis apparere. Primùm itaque Xyſto V. prædeceſſori tuo binos Tomos, primitiva operis noſtri, velut recentium ſpicarum (*b*) manipulum ineuntis ſacri anni auſpiciis conſecrandum obtulimus. Deinde Clementi VIII. in medio ſtadii curſu, cùm per Eccleſiaſticæ hiſtoriæ campos ſegetem uberrimam per ſummos laborum actus divino favente aura colligeremus, alte-

a *Exod.* 23.

b *Levit.* 23.

a Exod. 23. rius oblationis, quæ (*a*) poſt meſſem præcipiebatur, haud immemores, non duos tantum codices, ſed quinque, hoc eſt, pro duobus primitiarum panibus qui-nos dedicavimus. Reſtabant, quas Sanctitati Tuæ nunc exhibeo, poſtremæ omnium fructuum primitiæ, (*b*) in exitu anni ſolvendæ, quando cunctæ conduntur. Nam ut collectos jam & conditos in hoc volumine ſtudiorum noſtrorum fructus augurer, nec ultra laborum ſpem intendam, facit ætas annis gravis, & afflicta ac pene proſtrata valetudo, quæ velocem tabernaculi mei depoſitionem non vana preſagitione denuntiat. Suſcipe igitur, ſumme Sacerdos, quam jure tibi vindices *univerſarum* frugum noſtrarum non (*c*) ſexageſimam, ut olim, aut quadrageſimam, ſed duodecimam partem: Tomum, inquam, duodecimum Annalium noſtrorum. Qui ſi lentius fortaſsè, ac longiore quam alii ſolebant intervallo, in lucem exire videatur, tarditatis veniam non injuſta, opinor, multiplicium morarum excuſatione promeretur, tum quia nos inter ſcribendum non ſemel nec mediocriter remorata eſt illa, quam dixi, gravior ætas, & fœcunda morborum ſenectus:

b Exod. 23. & 34.

c Ezech. 45.

que

quę tot uno partu & tanta incommoda nobis effudit, ut veram expertus ſim (a) Gregorii noſtri querelam fuiſſe, cùm diceret: a Nazianz. carm. in morbum.

——— *jam premor ipſe ſenecta,*
Quæ gravior Siculis dicitur eſſe jugis.

tùm quia opere perfecto, cùm ad editionem accingeremur, ſuborta repentè quę Apoſtolicam Sedem inceſſeret, emergentium fluctuum tempeſtate, alio nos tantiſper, ut in eadem poſitos navi, curę cogitationesque traxerunt: tùm denique quòd Appendicem de more aggreſſis, dum ex racemorũ ubertate opulentior ultrò vindemia conſurgit, prolixiore aliquanto ſed non injucundo, ut ſperamus, nec inutili actuario, latiùs excurrendum & comperendinandum fuit. Ita factum, ut volumen in ipſis propemodum electionis tuę ſolemnibus abſolutum, Tibique jam inde, quod perorando teſtati ſumus, oppigneratum, vix nunc demùm evoluto biennii ſpatio exſolvere, fidemque nexam liberare licuerit. Sed hoc nobis, Beatiſſime Pater, ex hac ipſa cunctatione oblatum eſt commodi; quòd qui tum quando ad ſummi Pontificatus apicem evectus es, ſi promiſſum munus ſtatim

obtu-

obtuliſſemus præter ſpem & vota nihil habebamus, nunc poſtquam in hoc biennii tui decurſu ſpes noſtras firmavit eventus, & votis facta ſucceſſerunt, eſt quòd Deo immortali ſummas gratias agamus; qui maximas & ſingulares iſtas virtutes tuas, quæ Te jam olim hominum judicio, & præſenſione Apoſtolico throno deſtinabant, atque in eodem poſteà divina prorſus & admiranda vocatione collocarunt, ex ſuprema Eccleſiæ ſpecula ſplendidiſſimis facibus emicare, orbique univerſo irradiare videamus. Et locus erat profectò, ut de his paulò fuſiùs aliqua, liberiùsque diceremus; niſi nos non tam quęſitę aſſentationis ſuſpicio, quę in veris ſinceriſque laudibus ſui ſecura eſt, quàm immenſæ, quę cęteras laudes tuas ornat modeſtię, pudoriſque tui ratio prohiberet. Harum igitur omnium, ſed indulgentiſſimę in primis lenitatis, benignitatiſque tuę fiducia, quaſi blando arridentis patris vultu, illectus, ſecurior ad pedes tuos adrepit tenellus hic ultimus fœtus noſter; & qua poteſt voce rogat, uti ſe, ac ſecum reliquam majorum natu fratrum familiam, parentis ſolatio brevi carituram, in tutelam tuam recipias, ope

adju-

adjuves, auctoritate & patrocinio tueare. Omnes Te patronum advocant: omnes tibi commendo: ſed hunc minimum præcipuè, qui lucem nunc primùm aſpicit, nomini tuo mancipatum, numero atque ordine Beniamin noſtrum, effœto patri ut in ſenectute genitum, ita non ſine dolore natum. Qui ut (a) dextræ filius juxta nomen evadat, ſanctiſſimæ dexteræ tuæ benedictionem ſupplex implorat; ſed eximiam, ſed ſingularem, & quæ in parentem ipſum redundet: Cujus ſcilicet beneficio ad illius dexteram, cujus vices in terris geris, inter lucis filios aliquando cenſeatur. Ita & Tu Beatiſſime Pater, Pauli Apoſtoli, (b) de tribu Beniamin, Deo gratiſſima, ut nomen, ſic robur & ſpiritum ſortiare. Ita Te parvulus hic noſter inter fauſta inaugurationis tuæ exordia formatus, inter lætas jam expertæ moderationis gratulationes editus perpetuis feliciſſimi & pacatiſſimi Pontificatus ſucceſſibus gaudentem diutiſſimè proſequatur. Roma, nono Kalend. Junii. M. DCVII.

a Geneſ. 35.

b Philip. 3.

AU-

AUCTORIS AD LECTOREM

SUPREMA CONTESTATIO.

IN vitæ hujus limine conſtitutus, & futuram morti jam propior recogitans, oro te atque obteſtor, Chriſtiane Lector, quicumque cum Romana Catholica Eccleſia communicas, ſi quem umquam ex his Annalibus noſtris ad tuam, aliorumve ædificationem fructum capies, primùm ut Deo Opt. Max. bonorum omnium largitori acceptum feras: deinde hanc mihi vigiliarum, lucubrationumque, quas tua cauſa tot annos libens pertuli, gratiam reponas, ut animæ meæ, cùm ex hac vita exceſſero, benè precari, ac opem ferre ne graveris, tum cœteris ſuffragiis, quæ defunctis impertiri in Eccleſia mos eſt, tum maximè ſacroſancti & ſalutaris Miſſæ ſacrificii oblatione. Hanc à te, inquam, vicem peto. Tibi verò tribuat Deus, ut piè ſemper vivas, & ſupernis benedictionibus repleare.

Appendices ex additionibus, elucidationibus, & correctionibus ad Annalium Eccleſiaſticorum Tomos V. VI VII. VIII. IX. X. XI. & XII. pertinentes in præſenti Editione fuere ſuis locis, & paragraphis appoſitæ. Quod in aliis Editionibus non invenies.

ANNA-

Digitized by Google

ANNALES ECCLESIASTICI.

I. POST alios editos Annaliũ Tomos, ecce Duodecimũ, Deo favente, ad Eccleſiam inferre paramus, id conantes, ut ſimul omnes divinorum operũ indices perſtent velut inſcriptæ columnæ, quæ tùm veritatis firmitate conſtantes, quaſſatam jugiter ictibus perſecutorum Sanctam Eccleſiam ſervent illæſam, tùm inſcriptione vocales prædicent ubique terrarum in ejus regimine gloriam ſummi Dei, haud oblivioni tradendam, ſed mille titulis illuſtrandam; atque Angelorum & hominum linguis perpetuò celebrandam. Ita namque divino illo erudimur exemplo, cùm poſt tranſmiſſas magno miraculo cum ſacra ſarcina ſicco veſtigio Jordanis undas; in perrennem memoriam ſupernæ potentiæ, Deus duodecim lapides è profundo fluminis alveo tolli, & in Galgalis elevatos, perpetuæ memoriæ ſuæ gloriæ conſecrari præcepit, dicens: (a) *Tollane de medio Jordanis alveo, ubi ſteterunt pedes ſacerdotum, duodecim duriſſimos lapides, quos ponetis in loco caſtrorum, in ſignum videlicèt, quod defecerint aquæ Jordanis ante Arcam fœderis.*]

Præfatio auctoris cum imploratione divini auxilii.

a Joſue 4.

II. At quod ſemel tunc accidit, cùm ad inferendam in Terram promiſſionis, Joſue duce, humeris ſacerdotalibus Arcam, obicea ponerentur aquæ Jordanis; cohibitæ ipſæ Dei nutu, deorſum fluere deſinentes, ſurſum intumeſcentes, converſæ retrorſum, liberum tranſeuntibus exiccatum alveum reliquere: in ſancta Eccleſia, cujus typum Arca illa gerebat, frequentiùs actitatum oſtenditur, dum adhùc ipſa peregrinans, JESU CHRISTO prævio, perducitur in Terram viventium, non naſus tantùm turgentis amnis vortices ſuperans, ſed quæcumque ad mergendam eam è portis inferi dirus ille draco (b) flumina vomuit. Quotquot enim Eccleſię perſecutiones numeras ſuperatas, tot dixeris fluvios magno impetu rapidos eſſe divina potentia areſactos, atque ſecurè tranſmiſſos, ſive cùm à Gentilibus, ſive cùm ab hæreticis, ſchiſmaticiſque, alliſve perſecutoribus ſancta Eccleſia jugiter exagitata, victrix ſemper emergens, de ipſis omnibus glorioſiſſimè triumphavit. Quæ cuncta cùm omnes hactenùs editi Annalium Tomi copiosè atque manifeſtè demonſtrent: meritò quot ipſos numeras Tomos, tot lapides dixeris de antiqnitatis abyſſis erutos, & in memoriam ſempiternam divinæ gloriæ, in Galgalis (quod interpretatur Acervus acervi) alterum ſuper alterum, aucto cumulo ſublimes in Eccleſia collocatos.

b Apoc. 12.

III. Ut autem, quod in reliquis jam editis Tomis, id ipſum in hoc Duodecimo, quem præ manibus habemus, æquè feliciter præſtare poſſimus; conſuetum præſidium illud nobis tutum, indeficiens atque præſentaneum ſumma fiducia imploramus, ipſam videlicèt patronam noſtram ſanctiſſimam Virginem Dei genitricem Mariam, ut quæ Dei Verbum è profunda divinitatis abyſſo ſuſceptum, & in alvo conceptum, tamquàm (c) lapidem vivum, ſummum, angularem, electum in domo Dei, ſuper (d) montem poſita, in vertice montium Angelis & hominibus adorandum, in ſalutem credentium exaltavit; ipſa nobis ſubveniat in imo alveo laborantibus ad erigendum duodecimum lapidem illum, multiplicibus ſæculi hujus victoriarum titulis exarandum, in laudem honorem & gloriam ſempiternam CHRISTI JESU, qui pro Eccleſia ſua jugiter pugnat, vincit ſemper, atque triumphat in ſæcula. Amen.

c 1. Petr. 2.

d Iſai. 2.

JESU CHRISTI ANNUS 1100.	PASCHALIS PAP. II. ANNUS 1.	HENRICI IMP. III. 17. ALEXII COMN. IMP. 20.

I. MILLESIMUS centeſimus Chriſti Redemptoris incipit annus octava Indictione, idemque primus Paſchalis Romani Pontificis, inchoatus tamen menſe Auguſti anni ſuperioris, cujus electionem hic deſcribendam diſtulimus, ut novo Tomo cum novo Pontifice incipiente, hic unà ſimul Lector inveniat, quæ facta noſcuntur anno ſuperiori; nec ſint ipſi ea petenda ab eo quem abſolvimus, præcedenti Annalium Tomo, ſed hic habeat etiam electionem ejus, cujus hic primum annum incipimus numerare. Mortuo igitur, ut dictum eſt, anno ſuperiori Urbano Papa, ſummus dolor Orthodoxos omnes obtinuit, eò quòd ejus obitu videretur, ſecundùm illud (c) Hieremiæ lamentum, murus ſeu antemurale pariter diſſipatus. Ita quidem, cùm qui adversùs ſchiſmaticum Imperatorem jugiter perſeveraſſet infractus, & Antipapæ reſtitiſſet invictus; quique etiam adversùs infideles, Chri-

c Thren. 2.

A ſtianæ religionis hoſtes bella moviſſet, viciſſet, & loca ſancta ab impiorum manibus vendicaſſet, fuit ex hac vita, Deo vocante, ſubductus: Occidentali atque Orientali ſimul orbi dolorem haud mediocrem reliquit. Contrà verò deſertores Catholicæ unitatis, ſchiſmatis ſectatores vehementer ſunt tanti Pontificis obitu gratulati: potiſſimùm verò ipſe ſchiſmaticus Antipapa Guibertus, exultans, ac inſultans pariter, quòd tres ipſo vivente atque in Petri Cathedra conſidente (ut vanè gloriabatur) Deo vindice eſſent extincti Pontifices, Gregorius Septimus, Victor Tertius, atque Urbanus ſecundus, B neſciens infelix jam ſuæ domus pulſantem oſtium aſtare mortem ancipiti gladio formidandam, ut duplici feriens acie, & præſentem vitam auferat & futuram. Hoc ſiquidem anno eo contigit ex hac vita ad inferos morte repentina perduci, ut ſuo loco dicendum erit inferiùs.

II. Ubi igitur ſacer Senatus licèt mœrens ac triſtis Urbano Pontifici perſolviſſet extrema, ad ſucceſſoris electionem comitia ex more frequentat diebus quatuordecim. Una omnium illa erat precibus declarata ſententia, ut eo calamitoſo Eccleſiæ tempore, nemo quod ſuum eſſet quæreret, C ſed quæ JESU CHRISTI, utque conſuleretur lugenti Eccleſiæ viduatæ paſtore: ad hoc preces Fidelium adhibentur & piorum omnium vota conſpirant. Nulla eos turbat diſſenſio, nulla diſcordia dividit, vel ſchiſma diſſolvit, quos charitas in ſancta unitate conjunxit, & pax ſancto fœdere ſtrinxit. Sic igitur die decimoquarto ab Urbani Papæ obitu, hoc eſt, duodecima menſis Auguſti, ſubrogatur in locum ipſius Rainerius, ſive Raginerius, presbyter Cardinalis tituli Sancti Clementis, Abbas verò monaſterii ſanctorum Laurentii & Stephani extra muros, nominatuſque D eſt Paſchalis Secundus, de quo illæ prædictiones à Dodechino hujus temporis ſcriptore narrantur: Cuidam Religioſo revelata eſt mors Urbani. Cui interroganti, quis poſt eum futurus eſſet Pontifex: reſpondit is qui apparuit, * Richerius Abbas. Rurſùm illo interrogante, quàmdiù vivere deberet: Reſpice, ait, ad ſuppedaneum lectuli tui. Cùmque reſpexiſſet, vidit jacentem ſchedulam parvulam, ex una parte piloſam, ex alia puram, paucis litteris taliter inſcriptam: TERNI TER QUATERNI TERNIQUE, qui ſimul ſunt decem & octo.] Ita apud Dodechinum, ſignantem numerum decem & octo annorum, quos explevit. Sed quòd decimumnonum inchoaverit, in Anonymo Vaticano ejuſdem quoque temporis ſcriptore in nunc modum: QTATER QVATERNI TERNIQVE, utpotè quòd pervenerit ad annum decimumnonum ſui Pōtificatus. Sedit enim annos decem & octo, menſes quinque, dies quatuor. Pergit verò Dodechinus: Rursùm autem illo ſciſcitāte, cur prædicta ſchedula partim piloſa, partim pura eſſet? reſpondit: Tempus Papatus

Paſchalis II. Papæ electio.

* Rainerius.

A ejus partim placidum, partim turbulentum erit, quod verùm fuit.] Hucuſque ipſe.

III. Primordia Paſchalis. Antequam autem ulteriùs de Paſchalis electione agamus, hæc, quæ ejus vitæ primordiis tunc temporis ſcripta reperiuntur hic deſcribenda putamus. Idem qui ſuprà citatus Anonymus habet, fuiſſe Paſchalem natione Tuſcum, patria Bledanum, patre Creſcentio, & matre Alſatia natum, eumque amore vitæ religioſæ celebre ſanctitate Cluniacenſe monaſterium petiiſſe, ibique ſub ſancto Hugone Abbate monaſticam vitam excoluiſſe. Quem cùm mitti contigerit Romam ob negotia B monaſterii, tempore Gregorii Papæ Septimi, ab eodem Pontifice retentum, creatum presbyterum Cardinalem tituli ſancti Clementis: poſtea verò Abbatem monaſterii (ut dictum eſt) electum fuiſſe. Hæc ſummatim ex Anonymo Vaticano. Ex quo etiam, quomodò idem promotus fuerit in Romanum Pontificem, hæc his verbis habentur.

IV. Solemnis memoriæ domno Urbano Papa magnanimo defuncto, Eccleſia, quæ erat in Urbe, paſtorem ſibi dari expetiit. Ob hoc Patres Cardinales Epiſcopi, presbyteri, diaconis, primores Urbis, C Primiſcriniarii, & Scribæ regionarii in Eccleſia ſancti Clementis conveniunt. Hic dum de multis agitur, ſubitò eum eligendum commodiùs placuit. Quod compertum Rainerio ipſi diſplicuit, volenſque vitare fugit, latuitque. Sed non diu potuit inviſus humano latere conſilio, quem in multorum ſalutem divini numinis gratia revelare diſpoſuit. Invenitur, trahitur in conventum, convenitur de fuga, redarguitur à Patribus. Fugere me (inquit ille) magis oportuit, Patres, quàm inæqualis ſarcinæ pondus immoderata nimis præſumptione ſuſcipere: nec decebat me ſa D cerdotem illius honoris cingulo accingi, cujus oneris vinculo involutus ſuccumberem. Non ſic (ajunt Patres) non ſic facias oportet; ſed illic tua ſe debet cohibere intentio, quò divini intuitus cognoveris te dirigere ſapientiam. Ecce te in paſtorem ſibi dari expetit populus Urbis, elegit Clerus, te collaudant Patres, dominique; in te ſolo quievit totius Eccleſiæ examinatio. Divinitùs iſta proveniunt, divinitùs hic congregati, in nomine Domini te ad Pontificatus apicem & eligimus, & confirmamus.

V. Prænūtiata de Pontificatu Paſchalis. Sed licèt eo renitente, ſic à Primiſcri E niariis, & ſcribis regionariis, mutato nomine, ibi acclamatum eſt, reſponſumque, PASCHALEM PAPAM SANCTUS PETRUS ELEGIT. His aliiſque laudibus ſolemniter peractis, chlamyde coccinea induitur à Patribus, & tiara capiti ejus impoſita, comitante turba, cum cantico Lateranum vectus equo, ante eam porticum, qua ducitur ab auſtrali plaga ad baſilicam Salvatoris, quam Conſtantinianam dicunt, adducitur, equo deſcendit, locaturque in Sede, quæ ibidem eſt. Deinde in Patriarchale aſcendentes palatium, ad

dictas

Digitized by Google

A duas curules devenit. Hic baltheo ſuccingitur cum ſeptem exinde pendentibus clavibus, ex quo ſciat, ſeptẽ (a) ſigillis ſeptiformem Spiritus ſancti gratiam cunctarum Eccleſiarum, quibus ſimul, Deo auctore, præeſt, regimini in claudendo, aperiendoque tanta ratione providere debere, quantò ſolertius id quod intenditur, operatur. Eſt locatus in utriſque curulibus, ſedibus ſcilicèt eburneis: data eſt ei ferula in manu. Per cætera palatii loca, Romanis Pontificibus * deſtituta, ſolus jam dominus, vel ſedens, vel tranſiens, electionis modum implevit.

a *Apoc.* 5. 6

* al. reſtituta.

VI. Conſecratio Paſchalis Papæ.

B Die altera menſis ſexti, Auguſti videlicèt decimaquarta, conſecrandus in Pontificem, conſecraturi Pontificem pontifices, cum frequentia populi plebiſque baſilicam beati Petri adeunt, quorum nomina ſunt, Oddo Oſtienſis, Mauritius Portuenſis, Gualterius Albanenſis, Bono, alias Boſo, Lavicanus, Milo Præneſtinus, Otto Nepeſinus: & inter Miſſarum ſolemnia, loco, & termino, quem decuit, manum ipſi imponunt. Primus in conſecratione Oddo Oſtienſis, qui ad hoc utitur pallio, & benedixit, & linivit eum chriſmate. Catholicè igitur à Catholicis & orthodoxis Epiſcopis in Pontificem C conſecratus, tranſlato in ſe pallio, expletiſque iis, quæ reſtabant, Miſſarum ſolemnibus, eum plenitudine laudum, cum ingenti applauſu populi plebiſque, cum alacritate Patrum ac devotione, domnus Paſchalis Papa Secundus coronatus in Urbem rediit, convaluitque Eccleſia, dum hæc Romæ agerentur.] Et inferiùs: Robur autem ex ſucceſſu ejus in his quæ Dei ſunt, hominumque, multiplicabatur, & creſcebat devotione ſolemni, ſpe melioris gratiæ certi, cuncta proſpera, cuncta ſalubria in Urbe inveniebantur, quies pro D tumultu, pax pro bello, pro ſeditione concordia gentes indiſſociabili connectebantur, omnes gaudebant, & cælitus eum adveniſſe clamabant, & meritò dominari debere dicebant, qui ſtatum Urbis mutare, mores componere, & in copiam egeſtatem mutare cognoverit. Is multorum hominum ſaluti publicè privatimque providere cœpit, omnibus erat amabilis, ab omnibus diligebatur, ut toto affectu in ejus Pontificio quiſque tantum ſibi applauderet, quanta familiaritate in ejus ſacerdotio fuerat conjunctus. Inſtabant cauſæ, & multiplicabantur, denſioribus turmis E hinc inde plebs populuſque ad eum confluere cœpit, ad aurem loqui, nova afferre nunc certa, certiora nunc nuntiare. Providendum ſibi nunc, quiſque commodiùs cœpit ei intimare.] Hæc auctor idcircò ingerit copioſè, quòd vivente adhùc Guiberto Antipapa, & ob eum in factiones olim Urbe conſciſſa, pro miraculo duceretur, ut in electionem ipſius omnes ſimul in Urbe, nemine adverſante, conſenſerint. At quæ poſt hæc ſecuta ſint, anno præſenti ſuo loco dicturi ſumus.

II. Ubi igitur Apoſtolicum thronum Paſchalis Papa conſcendit, Catholicos Prin- A cipes litteris ex more de ſua electione reddidit certiores, eoſque in fide perſtare Eccleſiæ Romanæ commonuit, in primis verò admirabilem illam fœminam, quam ob confuſionem tyrannicæ ſuperbiæ poſuit Deus obicem in ipſo Italiæ ingreſſu, Mathildem dico, litteris frequentavit, hortatus eam, & ut filiam Apoſtolica benedictione munivit. Domnizo enim in vita ipſius hæc de his habet, dum de Paſchalis Papæ promotione agit;

Paſchalis Papa Litteræ ad Mathildẽ.

Dogmate pro Chriſti certanel porrò Mathildi
Signatos apiers benedicentes ſibi mittens,
Illos ut mores teneat monet anteriores,
B *Quos docuere Patres ipſã vehementer amãtes.*]

Quod præſtitit ipſa quidem, uſque ad obitum in fide perſtans.

VIII. At ſicut ipſe ad Catholicos Principes litteras dedit: ita vice verſa ab illis accepit, & inter alias quidem extant à Godefredo Duce poſt Hieroſolymam captam, quas Encyclicas eſſe voluit ad omnes Occidentales, quibus eos permoveret ad exhibendum auxilium Dei exercitui, in terra aliena peregrinanti. Scatent litteræ mendis, ſed ut nobile antiquitatis monimentum Annalibus dignas duximus, quas ex Vuillelmo Tyrio, quantum fas fuit, mendis purgavimus. Sic enim ſe habent:

C Paſchali Papæ Romanæ Eccleſiæ, & omnibus Epiſcopis, & univerſis Chriſtianæ Fidei cultoribus Piſanus Archiepiſcopus Apoſtolicæ Sedis Legatus, & Godefredus Dux, gratia Dei Eccleſiæ ſancti Sepulchri nunc Aduocatus, & Regimundus Comes ſancti Ægidii, & vniuerſus Dei exercitus, qui eſt in terra Iſrael, ſalutem.] Quòd autem hìc in titulo Piſanus Archiepiſcopus non ſe nominat Hieroſolymæ Patriarcham, ſatis apparet, hanc ipſam epiſtolam ſuperiori hoc anno datam, non ſequenti: ſiquidem in fine anni ſuperioris D liquet eumdem fuiſſe electum Patriarcham, ſuperiùs dictum eſt. Sed ipſam audi epiſtolam, immò compendium rerum geſtarum Occidentalium in Oriente:

Litteræ ab exercitu terræ ſanctæ.

IX. Multiplicate preces & orationes cum jucunditate, * quomodo Deus magnificavit ſuam miſericordiam, complendo in nobis ea quæ antiquis temporibus promiſerat. Etenim cum capta (b) Nicæa cunctus exercitus indè diſceſſiſſet, pluſquàm trecenta millia armatorum ibi fuerunt. Et licèt tanta multitudo eſſet, quæ univerſam Romaniam occupare; atque epotare flumina omnia, compaſcere omnes ſegetes una die E poſſet; tamen cum plenitudine tanta conduxit nos Dominus, ut de ariete * minimi vix duodecim acciperentur. Præterea etſi Principes, & Reges Sarracenorum contra nos ſurrexerunt; tamen Deo volente, facilè victi & conculcati ſunt. Ob quæ quidem feliciter acta, quia quidam intumuerant, oppoſuit nobis Dominus (c) Antiochiam, humanis viribus inexpugnabilem; ibique per novem menſes nos detinuit, atque in obſidione extrà ita nos humiliavit, ut in toto exercitu noſtro vix boni centum equi reperirentur. Tandem aperuit nobis Dominus copiam ſuæ bene-

* quoniam.

b *Vuill. Tyr. l.* 3. *c.* 13. 14

* nummi.

c *Idem l.* 4. *c.* 9. 10. *l.* 5. *c.* 22.

dictionis, & nunc etiam induxit in civitatem, & turres, & omnia eorum poteſtati noſtræ tribuit. Cùm hæc quaſi viribus noſtris acquiſita teneremus: tanta multitudine Sarracenorum obſeſſi ſumus, ut de tanta civitate nullus egredi auderet. Præterea fames (a) ita invaluerat, ut vix ab humanis dapibus aliquis abſtinuerit. Lõgũ eſt enarrare miſerias, quæ in civitate fuerunt.

a Idem l. 6. c. 5. 6. 7.

X. Sacra Lancea revelatur.

Reſpiciens autem Dominus populum, quem ita diu flagellaverat, benignè conſolatus eſt nos. Itaq; primo quaſi pro ſatisfactione tribulationis lanceam ſuam, à nemine inventam à tempore Apoſtolorum, pignus victoriæ nobis contulit; deinde corda hominum adeò animavit, ut illis, quibus ægritudo, vel fames ambulandi vires negaverat, arma ſumendi, & viriliter contra hoſtes dimicandi virtutem infunderet. ... Denique cùm triumphantibus hoſtibus, fame ac tædio deficeret exercitus Antiochię, & maximè propter (b) diſcordias Principum, in Syriam profecti, Varram & Marram urbes Sarracenorum expugnavimus, & caſtella regionis obtinuimus.

b Vvillel. Tyr. l. 7. c. 8. 9. 10. 11. 12.

XI. Cùmq; ibi moram facere diſpoſuiſſemus: tanta fames (c) in exercitu fuit, ut corpora Sarracenorum jam fœtentium, à populo Chriſtiano ibi comeſta ſint. Deinde cùm interiora * Iſpaniæ ingrederemur, largiſſimam, & miſericordem, & victorioſiſſimam manum omnipotentis Dei Patris nobiſcum habuimus. Etenim cives, & caſtellani regionis, per quam procedebamus, ad nos cum multis donariis legationes præmittebant, parati ſervire nobis, & oppida ſua dedere. Sed quia exercitus noſter non multus erat, & in Hieruſalem unanimiter venire feſtinabat: acceptis ſecuritatibus, tributarias eas fecimus, quippè quòd de multis civitatibus, in una de illis, quæ ex minimis eſt, plures homines haberentur, quàm in noſtro exercitu eſſent. Cùmque auditum eſſet Antiochiæ & Rhoes, quæ manus Domini nobiſcum eſſet, plures de exercitu, qui ibi manſerant, conſecuti ſunt nos apud Tyrum. Hinc itaque Deo cooperante uſque ad Hieruſalem pervenimus. Cùmque in obſidione multùm exercitus laboraret, maximè propter inopiam aquæ: habito conſilio, Epiſcopi & Principes circumeundam eſſe civitatem nudis (d) pedibus, prædicaverunt, ut ille, qui pro nobis humiliter ingreſſus eſt, per ſe judicium de his hoſtibus faciendo nobis eam aperiret.

c Idem l. 2. c. 21. 22. Lyſaniæ.

d Idem l. 1. c. 11.

XII. Placatus itaque Dominus hac humilitate, (e) octavo die poſt humiliationem, cum ſuis hoſtibus civitatem nobis tribuit, eò videlicèt die, quo primitiva Eccleſia inde abjecta fuit, cùm feſtum diſperſionis Apoſtolorum celebraretur. In porticu Salomonis & in templo ejus (f) noſtri equitabant in ſanguine Sarracenorum uſque ad equorum genua. Deinde cùm ordinatum eſſet, qui civitatem retinere deberent, cùm alii amore patriæ, & pietate parentum ſuorum redire voluiſſent: nuntiatum eſt nobis, Regem (g) Babyloniæ Aſcalonam veniſſe cum innumerabili multitudine militum, ducturum Francos, qui Hieroſolymis erant, in captivitatem, & expugnaturum Antiochiã. Sed aliud Deus de nobis ſtatuerat. Itaque deſcendimus obviam illis, relictis ſarcinis & infirmis Hieruſalem cum præſidio. Cùmque exercitus noſter & hoſtium ſe conſpexiſſent, genibus flexis adjutorem Deum invocavimus, ut qui in aliis neceſſitatibus legem Chriſtianam confirmaverat, in præſenti bello, confractis viribus Sarracenorum & diaboli, regnum Chriſti & Eccleſiæ à mari uſque ad mare uſquequaque dilataret. Hìc Dominus affuit, & tantas tribuit vires, ut in hoſtem currere, * ut videntem fontem aquæ vivæ ſitientem cervum ſegnem judicarent: miro videlicet modo, cùm in noſtro exercitu non ultra quinque millia equitũ, & centum quinquaginta millia peditum fuiſſent, & in exercitu hoſtium centum millia equitum, & quadringenta millia peditum eſſe potuiſſent. Tunc mirabilis in ſervis ſuis Dominus apparuit, cùm antequàm confligeremus, pro ſolo aſpectu noſtro hanc multitudinem in fugam vertit, & omnia eorum arma diripuit, ut ſi deinceps vellent repugnare, non citò haberent arma. Spolia inaudita, theſaurum Regis Babylonis obtinuimus: ceciderunt ibi Maurorum ultrà centum millia gladio. Timor autem eorum tãtus erat, ut in porta civitatis ad duo millia ſuffocati ſint. De his verò qui in mari interierunt, non eſt numerus, ſpineta etiam ex ipſis occiderunt: pugnabat certè pro nobis Deus. Pridie quàm bellum fieret, multa millia camelorum, & boum, & ovium cepit exercitus. Principum juſſu populus hæc diviſit. Ad pugnam progredientes multæ turmæ horum animalium comitabantur miraculosè, & ſtabant cum ſtantibus, & currebant cum currentibus. Nubes ab æſtu ſolis defenderunt nos, & refrigerabant.

e Idem l. 8. c. 18.

f Idem l. 8. c. 18.

g Idem l. 9. c. 10. 11. 12. 13.

XIII. Celebrata itaq; victoria, reverſus eſt exercitus Hieruſalẽ, relicto ibi Godefredo Duce. Comes S. Ægidii, & Robertus Comes Northmannię, & Robertus Comes Flandrię Laodiciam reverſi ſunt: ibi claſſem Piſanorum, & Boamundi invenerunt. Cùmq; Archiepiſcopus Piſanus Boamundum, & dominos noſtros cõcordare feciſſet; regredi Hieruſalem pro Deo & fratribus ſuis Regimundus diſpoſuit. Ad hanc igitur tàm admirabilem fratrum noſtrorum fortitudinis devotionem, ad tàm glorioſam omnipotentis Dei retributionem, ad tàm exoptabilem omniũ peccatorum noſtrorum per Dei gratiã remiſſionẽ, & Catholicę Chriſti Eccleſię & ipſius Latinæ, invitamus vos ad exultationem, & omnes Epiſcopos, & bonæ vitæ clericos & monachos, & omnes laicos, ut ille nos ad dexteram Dei conſidere faciat, qui vivit & regnat per ſecula. Rogamus & obſecramus vos per Dominũ IESUM, qui nobiſcũ ſemper fuit, & collaboravit, & ex omnibus tribulationibus nos eripuit, ut fratrũ ſitis memores veſtrorum, qui ad vos revertuntur, benè faciendo eis, & ſolvendo debita eorum, ut vobis Deus benefaciat, & vos abſolvat ab omnibus peccatis, & in omnibus, quæ vel nos vel illi apud Dominum meruimus, partem vobis concedat.] Hactenùs epiſtola Hieroſolymis militantium,

quæ

A quæ in Occidentali orbe ubique vulgata, omnium fermè incendit animos Hieroſolymam adeundi, & ſubſidio eſſe fratribus. Sicque nova expeditio jam (*a*) cœpta eſt procurari in Gallia, & in Italia claſſis Januenſium præparatur ad opus.

a Vrſtl. l. 10 c. 12. 13. 14

XIV. Ubì innotuit trans Alpes, Paſchalem Papam Urbano defuncto ſubrogatum eſſe, inter alios Ivo Carnotenſis Epiſcopus ad eum litteras dedit de benè diſponendà Eccleſia Gallicana; quæ ſic ſe habent: (*b*)

b Ivo ep. 33

Paſchali ſummo Pontifici Ivo humilis Eccleſiæ Carnotenſis miniſter debitã obedientiam cum fideli orationum obſequio.

Ivonis ad Paſch. Pap. Litteræ.

B Paternitatem veſtram Apoſtolici culminis gradum aſcendiſſe, & in locum beatæ memoriæ Papæ Urbani ſucceſſiſſe, noſtra parvitas gratulatur, & ſummæ providentię gratias inde referens, ut de bonis principiis meliores exitus proveniant, pro modulo ſuo Dominum quotidianis orationibus deprecatur. Credimus enim religionem veſtram zelum Dei hactenùs habuiſſe, & decorem domus Dei non fictè dilexiſſe Unde poſtquàm paternitatem veſtram vicem Apoſtolici gradus accepiſſe cognovimus, ſummum deſiderium noſtrum fuit, ut per propriam perſonam adiremus præſentiam C veſtram, ni nos retinuiſſet periculum moleſtiæ corporalis, quod in eundo facilè incurremus, de nobis vera fatendo, vel periculum lapſus animæ, quod nobis imminet, vera negando.] Nimirùm ſi diceret, ut erat, ſe Romam pergere ad Paſchalem, ab illis retineretur, qui faverent ejus inimico Imperatori & Antipapæ; ſin verò negaret, ſe ut erat, inhærere Paſchali, peccatum incurreret haud leve. Quod exaggerat, ita pergens: Sic enim Petrus Chriſtum negaſſe dicitur, non quòd negaret Chriſtum eſſe Chriſtum, ſed quia negavit, Chriſti ſe eſſe diſcipulum. Mitto interim itaque vobis D fratrem iſtum præſentium portitorem, quem rogo, ut vice mea familiarem habeatis, & in his quæ ſalubriter & utiliter reverentiæ veſtræ ſuggeret, tamquàm me ipſum audiatis.] Hæc Ivo ad Paſchalem, qui rurſùs ad eumdem de legatione mittẽda in Gallias litteras dedit his verbis: (*c*)

c Idem Ep. 53.

XV. Quoniam apud nos quotidiè videmus Eccleſiam ruentem, & nullam, aut penè nullam manum erigentem, & pro domo Iſraël murum ponentem: charitas Chriſti urget nos, ut dolorem cordis noſtri, quo pro morte & morbis ovium Chriſti cruciamur, Paternitati veſtræ revelemus. Intereſt enim E capitis, membrorum imbecillitatibus providere, & pro valetudinum quantitate vel qualitate congrua remedia procurare. Cùm enim à latere veſtro mittitis ad nos Cardinales veſtros, tamquàm filios uterinos, quia in tranſitu apud nos non tantùm poſſunt curanda curare, ſed nec curanda proſpicere: inde eſt, quòd multi Præpoſitorum facta gladio linguæ ferire cupientes, dicunt, Sedem Apoſtolicam non ſubditorum quærere ſanitatem, ſed ſuam aut lateralium ſuorum quærere commoditatem. Unde ego, & quidam corregionales noſtri hoc

De Legatione mittenda in Gallias à Paſchale Pap.

A murmur non æquanimiter accipientes, utpotè Romanę Eccleſiæ filii unanimes: ſcribere decrevimus Sanctitati veſtræ, ut alicui Tranſalpino legationem Sedis Apoſtolicæ injungatis, qui & viciniùs ſurrepentia mala cognoſcat, & ea vel per ſe, vel per relationem ad Sedem Apoſtolicam maturiùs curare prævaleat. Cui ſollicitudini nullum magis cognovimus idoneum, quàm dominum Lugdunenſem Archiepiſcopum, qui & in eodem officio jam diu miniſtravit, & ut experimento cognovimus, tàm Romanæ Eccleſiæ, quàm tranſalpinis Eccleſiis venerabiliter profuit.] Poſt hæc B pluribus ſe excuſat, cur præſens ipſam ſanctam Apoſtolicam Sedem non viſitarit, nempè ob pericula, indigentiam, & debilem corporis valetudinem. Certè quidem quæ ad pericula ſpectant, ita ab hoſtibus vias obſeſſas hoc tempore, Domnizo ſcribit de Henrico Imperatore perduelle Romanæ Eccleſiæ:

Atq; viam Domini Petri faciebat hic hoſtis
Cuſtodire, viros ſpoliare jubẽs peregrinos.]

XVI. Paſchalis verò ita ut vidiſti, ſuper ſolium Apoſtolicum exaltatus, ſuper univerſalem Eccleſiam figens obtutus, cùm undique illatas per ſchiſmaticos clades infelici C ſpectaculo contemplaretur; ad curandas illas quas intuliſset, atque in dies magis inferret peſtilens Antipapa, monitu ſuorum firmat animum. Quænam iſti ingererent, addẽtes currenti calcaria, ita in vita ipſius refert ejuſdem temporis ſcriptor Anonymus: Turpe tibi meritò videri debere dicebãt, hæreſiarcham Guibertum, ab Eccleſia toties in capite damnatum, à glorioſæ memoriæ domino Gregorio, Urbano magnanimo, & Victore religioſo prædeceſſoribus tuis miræ virtutis Pontificibus diu acriterque divexatum in Urbe, ſuburbiiſque: in eum etiam aliquid pernicioſum ma- D chinari: atque pati eum non poſſe, omnes clamabant. Et Patres: Si pecuniæ, inquiũt, deſunt; auro, argentoque ſubveniemus. Dum hujus diſpoſitionis acriter ageretur negotium, Legati Rogerii Comitis in Urbem veniunt, Curiam intrant, ex more ex parte Comitis officioſiſſimè Papam ſalutant, & reſalutant; atque inclinati ad pedes ejus poſuerunt auri uncias mille. Id tàm devotè ſuſceptum eſt, quàm opportunè mandatum. His auxiliis ad expugnandum prædictum hæreſiarcham deſuper collatis, audaciam adeptus dominus Pontifex: operari, inquit, jam Dei gratia magis, E quàm conſiliari tempus eſt.] Hæc de ſtudio Paſchalis ad expellendum fugandumque longè longius à Romana Eccleſia Antipapam. Fervens ſtudio cœtus Orthodoxorum ſic feram illam beſtiam aſſiduo venatu eſt inſectatus, ut de loco ad locum fugere cogeretur, donec infelix cum fuga diem clauſit extremum hoc anno, ſive ſequenti, ut eſt diverſa diverſorum Scriptorum aſſertio. Hujus namque temporis Germani ſcriptores. Dodechinus, Sigebertus, & Urſpergenſis hoc anno eum defunctum affirmant; Itali verò anno

Guiberti Antipapæ interitus.

ſequenti ponunt, ut Domnizo, atque Petrus diaconus in Chronico Caſſinate, iidemque ipſi hujus quoque temporis auctores, & quidem integræ fidei. Domnizo enim in vita Mathildis hæc habet de tempore obitus Guiberti Antipapæ neſandiſſimi:

Hic per viginti tres annos denique Chriſti
Eccleſiam niſu toto turbarat iniquus.
Poſt annos binos Urbanus erat quod ab iſto
Sæclo portatus, cœlique choro ſociatur:
Iſte dolore gravi tactus Guibertus inante
Mortuus eſt, ſecum portans anathema per ævum.
Propterea cœli populus, pariterque fidelis,
Exultentque boni, periit quia perditionis
Filius. Ut ſurgat ſimilis non det Deus umquam.]

Iſta Domnizo hic poſuit uti dignum perditiſſimo homine Epitaphium. Sed quomodò ad poſtremum ſepulchro quoque caruit, projectis oſſibus ejus in aquas inferiùs ſuo loco dicturi ſumus.

XVII. Porrò quod ſpectat ad numerum vigintitrium annorum, quem ponit, non referendus eſt iſte ad tempus integrum quo ſedit pſeudopapa, quod contigiſſe vidimus anno Redemptoris milleſimo octogeſimo; ſed ex quo idem peſſimus omnium hominum facto ſchiſmate, à Gregorio Papa deſcivit. Sic igitur exitiale monſtrum, fax, lueſque Fidelium, cujus opus & ſtudium non niſi ſuadere, vel urgere Chriſtianos adorare beſtiam, ab Eccleſia vera recedere, & in latronum ſpeluncam cum ſchiſmaticis convenire, periit infelix mœrore conſumptus, diſperationis dentibus devoratus. Quòd enim in Urbani Papæ obitu ſuam omnem fiduciam collocaſſet, cùm vidiſſet, eo defuncto, nihilominùs res Catholicorum in Paſchale ſucceſſore magis magiſque vireſcere: exiccatus eſt ipſe dolore, triſtitiaque conſumptus, & triſtem animam diabolo extorquente, deceſſit tandem, relinquens poſt ſe ſibi à cunctis Fidelibus maledictionem cum dira execratione atque blaſphemiis, in eum inferri jugiter conſuetis.

XVIII. Quod autem nequaquàm unà cum Antipapæ obitu extinctum eſt ſchiſma, vivente adhùc qui fovetet illud Henrico Imperatore: haud mediocres labores ſuperfuere Paſchali: Etenim Henrici opera tres poſt Guibertum ſunt ſubrogati ſibi invicem ſuccedentes pſeudopontifices, Albertus, Theodoricus, & Maginulphus, areſcentibus ſuo ipſorum ortu maledictionis palmitibus infelicibus, de quibus dicendum inferiùs. At verò Paſchalis Papa, cujus munus Apoſtolicum in eo erat, ut evelleret atque plantaret, deſtrueret pariter & ædificaret, in his erat totus, ut Romanam Eccleſiam in ſplendorem priſtinum reſtitueret, atque ea quæ direpta noviſſet, eadem è tyrannorum manibus vendicaret: quænam autem iſta fuerint, ita idem qui ſuprà auctor vitæ Paſchalis narrat: Eodem tempore dominus Papa civitatem Caſtellanam per ſuos aggreſſus, locum natura ſatis munitum miro Dei auxilio virtuteque obtinuit: parum poſt obtinuit & Beneventum. His diebus Petrus de Columna Cavas oppidum de jure beati Petri invaſerat; ſed dum aliena contumaciter retinere nititur, turpiter amiſit propria. Egreſſus Urbe dominus Papa Cavas recepit, Columna, & Zagarolum oppida juris illius ſapienter expugnata, atque potenter ſunt capta.] Hæc ipſe, qui inferiùs, eumdem Petrum Abbatem fuiſſe Farſenſem, eumdemque Romanæ Eccleſiæ perduellem, oſtendit. Hic primùm occurrit mentio nobiliſſimæ familiæ Columnenſium; optaſſem honeſtioris tituli occaſione. Addit auctor, ab eodem Paſchale perdomitam Corſorum familiam, inſuper Stephanum, atque filium cepiſſe, qui invadentes monaſterium ſancti Pauli, illud in munitionem converterant, illicque recepta ſceleratorum manu, haud mediocre faceſſebant Urbi negotium, loco capto, eumdem Stephanum juſſit Pontifex in exilium duci. Hi primi fuere Paſchalis Papæ labores, qui eum haud leviter fatigarunt.

Perdomuit Paſch. Pap. Tyrannos.

XIX. His acceſſerunt externa mala, quæ ipſum valdè moleſtia affecerunt; illa verò omnium maxima, quæ Regum ſuat inobedientia parta, quæ licèt ab Urbano Papa medicamento pœnitentiæ jam ante ſublata fuiſſent; tamen iterùm, cùm ex cicatrice malè obducta recrudeſceret multa ſanie apoſtema tumeſcens, ferro chirurgi potiùs, quàm unguenti lenitate curandum fuit. Debet Lector hic meminiſſe, Philippum Francorum Regem ob legitimam uxorem ejectam, atque pellicem ſubintroductam, fuiſſe in Claramontenſi Concilio ab Urbano Pontifice excommunicatum, pœnitentem verò poſteà abſolutum, ſed rurſùs ad vomitum redeuntem, rurſus ab Urbano ſubjectum interdicto. Qui ne audivit, Urbanum ipſum eſſe defunctum, perinde atque cum ipſo ſacræ leges pariter eſſent extinctæ, fregit vincula, quibus tenebatur aſtrictus, idque ſumma injuria violatæ cenſuræ Eccleſiaſticæ. His auditis Paſchalis Papa vindex legum exurgens, decernit legationem in Gallias, per quam in Regem Concilium indiceretur, cui Rex ipſe ad dicendam cauſam reus aſſiſteret. Credita eſt legatio tanti ponderis duobus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, Joanni ac Benedicto; quorum alter, nempè Joannes, cùm de his ſcriberet ad Ivonem Epiſcopum Carnotenſem, nimirùm de loco, & tempore congregandi Concilii, hanc ad redditas litteras accepit ab Ivone reſponſionem: (a)

Legatio in Gallias decernitur cōtra Philippum regem.

a Ivo epiſt. 134.

XX. Joanni presbytero Cardinali Romanæ Eccleſiæ Legato, Ivo humilis Carnotenſium Eccleſiæ miniſter legatione fungi in Chriſto.

„Litteras tuæ benevolentiæ indices nuper accepi, quibus aliqua conſtantiæ tuæ opera parvitati meæ notificaſti. In quibus hoc egregiè laudabile intellexi, quòd te à

com-

Digitized by Google

Ivonis Episc. Carnot. ad Ioã. leg. Epiſt. de Concil. celebrãdo.

A communione Regis abſtinuiſti: quoniam in hoc & famæ tuæ, & legationi tibi commiſſæ ſanè conſuluiſti: licèt quidam Belgicæ provinciæ Epiſcopi in Pentecoſte contra interdictum bonæ memoriæ Papæ Urbani coronam ipſi Regi impoſuerint, tamquàm mortuo præcone, juſtitiam mortuam eſſe crediderint. Quòd autem Pictavis, aut intra provinciam Aquitanicam Concilium celebrare diſponis, omninò laudo. Quòd ſi intra provinciam Belgicam, vel Celticam Concilium celebraretur, multa premi ſilentio oporteret, quæ ventilata ſcandalum generarent, & totum penè fructum Concilii aliqua exæſtuatione præfocarent; preſſa verò ſilentio, tamquàm verbo Dei alligato, legationis tuæ auctoritati plurimùm derogarent. De termino verò habendi Concilii, quem quarto Kalendas Auguſti deſignaſti, facilè occaſionem quærent Epiſcopi partium noſtrarum, dicturi, non eſſe congruum ſpacium ad peragendam viam, & præparandum viaticum. Non enim poterunt multi Epiſcoporum ad locum pervenire Concilii, niſi per multos circuitus, & per acquiſitos undecumque conductus. Si ergò videtur prudentiæ tuæ, convenientior videretur mihi terminus in capite Autumni: quoniam & annus erit fertilior, & unuſquiſque invitatus, indulto ſibi congruo ſpacio, ad eundum paratior. Si autem præter ſpem evenerint hæc omnia: cùm Deus invicem nos loqui conceſſerit, & de termino, & de loco habendi Concilii, & de multis aliis cum prudentia tua tractabo; quia multa prætereo, quæ non ſine ratione interim chartæ commendare diſſimulo. Mitto itaque tibi cum brevigerulo tuo curſorem iſtum, per quem mihi remandes & de tempore & de loco colloquii noſtri, & de conſtitutione habendi Concilii. Vale.]

XXI.

Convenit tandem, ut Pictavis Concilium cogeretur, Legatis Sedis Apoſtolicæ rem agentibus: de quibus ita in fragmentis Francorum hiſtoriæ: (a) Urbano obeunte, ſucceſſor ipſius Paſchalis in Gallias miſit duos de ſuis Cardinalibus probabiles viros, Joannem, & Benedictum &c.] Cùm autem Epiſcopi ibi collecti contra Philippum, eſſent ejus litteris inde pellendi; quid mirandum Deo agente tunc acciderit, accipe ex Annalibus Aquitaniæ, à Joanne Boucheto conſcriptis, in quibus hæc habentur: Cùm innotuiſſet Regi, cogendum eſſe Concilium, ſcripſiſſe illum Guillelmo Duci Aquitaniæ cognato ſuo Pictavis agenti, petiiſſeque, ne talem ſibi ſineret injuriam in urbe ſua inferri. Tùm Guillelmus Legatis denuntiavit, ut de urbe excederent. Qui cùm ſpacium deliberandi ac reſpondendi unum diem poſtulaſſent, & impetraſſent: nocte, quæ interjecta fuit, viſus eſt aſtare Legato S. Hilarius & hortari, ne minis Guillelmi Ducis territus, ab incœpto deſiſteret: non enim paſſurum Deum, ut ea res ei fraudi eſſet, aut malè ſuccederet. Quam viſionem cùm poſtridiè Guillelmo recitaſſet

a Fragm. hiſt. Franc. poſt Helgald. pag. 93.

S. Hilarius Monet legatum ſtare Propoſito.

A Legatus: permiſit ille, ut pro arbitrio cuncta perficeret. Itaque mox habita quæſtione de Regis adulterio & cenſuris Apoſtolicis Rex admonitus eſt, ut Bertradam à ſe ablegaret: quod & fecit.] Hæc ibi. Sed hæc de pœnitentia Regis & obedientia exhibita decreto Concilii, poſteà contigere. Interim autem (ut citata ſuprà fragmenta Francorum hiſtoriæ habent) renitentem Regem ipſum & refragantem penitùs Apoſtolicæ juſſioni per Legatos ſignificatæ, reſiſtentemque Concilii Pictavenſis decreto, liquet fuiſſe anathemate condemnatum. B De eadem in Regem excommunicatione meminit idem qui ſuprà Ivo in epiſtola ad Rudolphum Rhemenſem Archiepiſcopum, paucis his rem geſtam perſtringens: (b) Propter quam accuſationem & patrati inceſtus comprobationem excommunicatus eſt Rex Philippus à domno Papa Urbano in Claramontenſi Concilio. Et cùm poſt factum divortium prædictus Rex eſſet reverſus ad prædictæ mulieris conſortium, excommunicatus eſt in Pictavenſi Concilio à Cardinalibus Joanne & Benedicto.] Hæc Ivo ſuperioribus conſentientia, idemque alia occaſione meminit ejuſdem Concilii Pictavenſis. (c)

b Ivo epiſt. 212.

Excõmunicatur iterũ in Concil. Pict. Rex Frãc.

c Idem ep. 137.

XXII. Canones Concilii Pictavẽſis.

C De canonibus autem in dicto Concilio conſtitutis hæc referat nobis Vaticanus codex: Decrevit ſancta Synodus, ut nullus Epiſcopus, Abbas, presbyter, vel quælibet perſona de Clero accipiat de manu Regis, vel Comitis, vel cujuſlibet laicæ perſonæ donum Epiſcopatus, vel Abbatiæ, vel Eccleſiæ, vel reliquarum rerum Eccleſiaſticarum: ſed Epiſcopi à ſuo Metropolitano, Abbates, presbyteri, & cæteræ inferiores perſonæ à proprio Epiſcopo. Si verò laici decretis canonicis reſiſtentes Eccleſias violenter retinere præſumpſerint, D ipſi excommunicentur. In Eccleſiis verò illis nullum divinum officium fiat, nullus oret, lumen non ponatur, mortuus non ſepeliatur; tantùm baptiſmi gratia ibi non negetur, infirmis remedio pœnitentiæ, & communionis ſubveniatur.

Item, ut nemo Epiſcopatum, Abbatiam, Archidiaconatum, Archipresbyteratum, Præbendam, vel alios Eccleſiaſticos honores, vel Prælationes in duabus Eccleſiis exerceat, niſi in una tantùm, & neutram horum quiſquam per pecuniam acquirat, & quidquid tali modo acquiſiſſe comprobantur, omni remota occaſione, deponantur. E

Item, ut nullus de Clero, ſive de populo Eccleſiaſtica bona jure conſanguinitatis requirat ſibi habenda.

Item, ut nullus Epiſcopus pro ſacris ordinibus, vel pro Eccleſiarum benedictionibus, vel quibuſlibet aliis benedictionibus munus accipiat.

Ut nullus Abbas, vel monachus, vel quilibet alius pœnitentias injungat, niſi quibus proprius Epiſcopus hanc curam dederit.

Ut Abbas, monachi, Canonici, Eccleſias quas numquam habuerunt, non emant, vel

aliquo

aliquo modo ſibi vendicent, niſi conſentiente Epiſcopo, in cujus fuerint diœceſi. In illis verò, quas hactenùs abſque calumnia habuerunt, redditus, beneficiaque obtineant. Presbyter autem de cura animarum, & de Chriſtianitatis miniſterio Epiſcopo reſpondeat.

Ut Abbates, Decani, qui presbyteri non ſunt, presbyteri fiant, aut prælationes amittant:

Qui Archidiaconatus tenent, diaconi fiant, qui presbyteratus, presbyteri fiant; aut honores amittant. Quòd ſi aliqui, juſta cauſa prohibente, presbyteri, aut diaconi eſſe non poſſunt, prælationes amittant.

a *Cap. 3. de ætate & qualit.*

Ut filii (*a*) presbyterorum, & cæteri in fornicatione nati ad ſacros ordines non promoveantur, niſi aut monachi fiant, aut in congregatione canonica regulariter viventes, prælationes verò nullatenus habeant: ſed neque ſervi, niſi à dominis ſuis libertate donentur.

Ut nullus presbyter, diaconus, vel ſubdiaconus concubinam habeat, ſed nec aliam fœminam, unde magna ſuſpicio habeatur in una domo ſecum teneat. Et quicumque hujuſmodi ſacerdotis concubinarii, ſive per pecuniam ordinati Miſſam ſcientes audierint: excommunicationi ſubjacere debeant.

XXIII. Clerici arma portantes, vel uſurarii, excommunicentur.] Hucuſque canones Concilii Pictavenſis.

Occaſione autem ſanciti ibi canonis adversùs clericos concubinarios, hìc opportunè deſcribenda putamus, quæ adversùs ejus contemptorem in eadem provincia, immò in eadem diœceſi Pictavenſi contigiſſe planè miranda narrantur ab integerrimo ſcriptore Petro Venerabili Abbate Cluniacenſe, hujus temporis auctore fideliſſimo: Ait enim: (*b*)

b *Petr. Venerab. lib. 1 mirac. c. 25*

XXIV. Apud caſtrum Liziniacum, quod in Pictavenſi pago ſitum eſt, nuper quidam presbyter erat, qui ſacerdotalis ordinis ſuper cæleſtem dignitatem miſerrimæ vitæ converſatione deturpans, non ad animarum quibus præerat, curam, ſed ad carnis ſuæ voluptatem explendam ſacro miniſterio utebatur. Qui juxta (*c*) Prophetam lac gregis ſui comedens, & ejus ſe lanis operiens, abſque ulla ſpe æternorum mercedibus mercenarii avidiſſimè paſcebatur. Mundiſſimam atque omnia mundantem Chriſti carnem & ſanguinem in altaris ſacramento frequenter officio, non devotione ſumebat, nec ab immundis tamen carnis operibus ſeſe cohibebat. Cùmque ut ſus immunda multo tempore in cæno luxoriæ verſaretur, & ſui ipſius fœtoribus delectaretur: territus conſcientiæ malo (ſicut aliquando & mali ad horam compunguntur) familiaritatem quorundam bonorum virorum expetiit; & Abbati Bonævallis, ac Fratribus ejuſdem monaſterii ſe in amicitiam ſpecietenùs copulavit. Qui longo tempore eum de vitæ emendatione commonentes, & ut ſæculo renuntiaret, aſſiduè exhortantes, nihil ab eo impetrare præter inanem ſpem aliquando potuerunt. Nam libenter, quæ dicebant, audire ſe fingens, & ſemper eos de converſione ſuſpendens, de ſocietate Sanctorum illotum gloriabatur, nec admonitione vel exemplis eorum à malis retrahebatur. In his atque aliis perditæ atque perdendæ vitæ ſuæ actibus perdurans, & obſtinatione impia iram ſibi in die iræ theſaurizans, in morbum incidit, quo poſt aliquot dies ingraveſcente, ad extrema pervenit. Adierat eum viſitationis gratia Prior jam dicti monaſterii, atque eum eo per aliquantum diei ſpacium ipſo quoque rogante, permanſerat.

c *Ezech. 34*

De Presbytero fornicario admiranda, & metuenda.

Et ecce nocte ſuperveniente, cùm cunctis diſcedentibus ſolus lecto ejus aſſideret, clamare terribiliter æger ille ad Priorem cœpit: Succurre, ait, ſuccurre, ecce duo ſuper omnem feritatem expaveſcendi leones in me impetum faciunt, hiante ore ac rictu feroci per fruſta diſcerpturi me totum conſumere volunt. Deprecare citò Dominum, ut ab his eripiar, antequàm morſibus eorum conſumar. Dicebat hæc, & tremebat, ac velut devoraturos fugiens, timore defecto corpori vires addente, retrò cedebat. Prior verò vocis illius ac geſtus terrore turbatus, non ſine multo & ipſe timore erat; ad preces tamen, ipſa neceſſitate impellente converſus, pro miſero illo, ut poterat, Dominum exorabat. Quo orante, mutata voce æger, benè, inquit, benè, receſſerunt crudeles beſtiæ, & per orationes tuas jam ultrà nuſquam apparent. Et quia uſque ad ultimum ſpiritum ſemper compos ſui extitit (nec ut quidam morientium ſolent, vel in modico ſenſu imminutus fuit) converſùs ad Priorem, loqui cum eo de quibuslibet veluti ſaniſſimus cœpit. Cùmque tàm de his, quàm de aliis multa inter ſe verba conferrent, horæ ferè unius ſpacio elapſo, rursùm inclamare longè terribilius quàm primo exorſus eſt: En inquit, en ignis de cœlo, ut torrens inundans deſcendit, & ſuper hunc lectum meum veniens, jamjam me in favillam uſque comburet. Feſtina, adjuva, ora; ſi fortè & ab hac morte eripi valeam. Et hæc dicens, manibus & brachiis opertoria ſublevabat, eſque velut aliquid juvare poſſent, inviſibilibus ignibus turbatus opponebat: ſed nequidquam; non enim corporalia tegmina à ſpiritualibus incendiis tegere poterant, quem cœleſti vindictæ impia opera exponebant. Prior adaucto timore, denuò ad orationem convertitur, & quantum in tali caſu poſſibile erat, Domini miſericordiam deprecatur: Illo, ut ſupra, orationi inſtante, poſt paululum patiens gratulationis vocibus preces ejus interrupit, dicens: Quieſce, jam ab igne tutus ſum: nam dum ſuper me (ut dixi) cum impetu deſcenderet, interpoſitus eſt linteus, uſque ad quem ignis pervenit, ſed eum tranſire non potuit. Jam & ab iſto periculo ereptus, oro ne à me diſcedas, quouſ-

A quouſque quis iſtorum finis futurus ſit, agnoſcas. Tum Prior, qui tàm timore quàm hoſpitandi neceſſitate recedere volebat, ſubſtitit, & ab oratione ſurgens, rurſùm ei aſſedit. Cùmque eum tantis terroribus anxium conſolaretur, & uterque ad invicem (ut priùs) colloqueretur; ſubitò ægrotus ad inviſibilia raptus obmutuit. Prior raptum eum ab humanis intelligens, rei exitum præſtolabatur.

XXV. Cùm ecce poſt multum noctis ſpacium homo ad ſe rediit, & miſerabiliter ingemiſcens ait: Ha, ha; ad judicium æternum raptus ſum, Et heu miſer, æterna morte damnatus ſum. B Traditus ſum horrendis tortoribus, igne inextinguibili cum diabolo, & angelis ejus perpetuò cruciandus. Ecce, ecce ignita ſartago plena bullienti adipe, quam coram me tormentorum miniſtri detulerunt, eamque ad me frigendum undique ſuccenderunt.] Qui enim carnis voluptatibus, ſuccendente libidinis igne carnis concupiſcentiam, Deum offenderat; juſtè ei ſuccenſa igne adipe cruciandum fore, per viſum oſtenſum eſt.] Pergit verò. Et cùm Prior orationi, ſicut jam bis fecerat, tertiò quoque incubuiſſet, ille ait: ceſſa, ceſſa pro me orare: nec pro illo ultra fatigeris, pro quo C nullatenus exaudieris. Priore verò dicente: Frater redi ad cor, & miſericordiam dum adhùc vivis, à Deo require: ille adjecit: Putas ait, me, ut inſanum loqui? Non inſanio, ſed ſana mente, quæ dixi confirmo. Et cucullam Prioris manu tenens eum interrogavit: Nonnè hoc quod manu teneo, cuculla tua eſt? Quo reſpondente, eſt: adjunxit: Sicut hæc veſtis cuculla eſt, & ſicut hoc quod ſubſtratum mihi eſt, palea eſt: ſic & hoc quod coràm cerno, ignita ſartago eſt. Et dum hæc loqueretur, gutta inviſibilis ignis de illa quam dicebat ſartagine exiens, in manum D ejus, Priore vidente, cecidit. Et, mirabile dictu, cutem & carnem uſque ad intima oſſis conſumpſit. Tum ille acri cum gemitu: En, inquit, indubia rei probatio: nam ſicut iſta quam vides, de ſartagine prolapſa gutta carnis partem conſumpſit: ſic confeſtim totum me ignea vorago conſumet. Priore ad iſta ſtupente, iterùm dixit: Ecce ſartaginem iſtam miniſtri infernales propiùs afferunt, ut me in illam injiciant, jamnamque manus adaptant. Et poſt modicum: Ecce linteum in quo jaceo, undique concutientes accipiunt, & me in ignitam ſartaginem, æter- E nam frixuram projiciunt. Hoc velut ultimum Vale mox ut Priori atque his, qui ad hoc horrendum ſpectaculum convenerant, dixit, ſubtracta voce, ac reflexa cervice, puniendum ſpiritum condemnatis ſpiritibus tradidit. Tantus verò terror omnes invaſit, ut illicò univerſi aufugerent, neque aliqui in domo, ubi cadaver mortis remanſerat, remanere auderent. Facto mane miſerum cadaver ſepulturæ mandatum eſt.

XXVI. Poſt aliquot autem dies, cùm ad uni- A verſos circa poſitos hæc tàm terribilis fama perveniſſet, rei veritatem probare volentes, tumulum aperuerunt atque foſſam illam, quam in manu adhùc viventis preſbyteri gutta prænuntia damnationis fecerat, in mortui cadavere invenerunt.] Hæc Petrus & alia de tanti miraculi horrendo viſu, & divina vindicta: de qua per Prophetam: (a) Pluet ſuper peccatores laqueos: ignis & ſulphur & ſpiritus procellarum, pars calicis eorum.] — a Pſal. 10 — Quæ omnia (inquit Petrus) ſecundùm quod beatus Gregorius dicit, nullo modo propter ſe infelix presbyter vidit, cui B nihil viſio iſta profuit; ſed quanta cautela ſacerdotale officium adminiſtrandum, quàm reverenter divina myſteria tractanda, ſuperna per eum diſpoſitio demonſtravit.] Tunc temporis potiſſimum, cùm in ſacrorum miniſtrorum impudicitiis ejuſmodi Nicolaitarum hæreſis nominata magnoperè invaluiſſet. Ad quam excidendam cùm minimè ſatis eſſet Apoſtolicæ cenſuræ gladius, toties ſanctis Patribus in eoſdem delinquentes ſacros canones innovantibus: placuit divinæ miſericordiæ ad correctionem multorum, eo modo tantam vindictam ita multipliciter C teſtatam, reddere Fidelibus manifeſtam.] Hæc dicta ſunt occaſione Concilii Pictavenſis, hoc anno per Legatos Apoſtolicos habiti.

XXVII. Sed ad reliquas legationes, hoc anno à Paſchali Pontifice ad diverſas provincias miſſas convertamus orationem. Qui anno ſuperiori litteras acceperat de felici progreſſu Chriſtiani exercitus in Palæſtina Paſchalis Papa, decernit legationem in Orientem: Legatus verò eligitur Cardinalis Epiſcopus Portuenſis, cui has litteras dedit, quas etiam accepimus ex ſcripto codice Antonii Auguſtini.

XXVIII. Legatio à Paſchali Papa Miſſa in orientem.

D Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus, ſive filiis, Epiſcopis, clericis, proceribus, militibus; & omni populo militiæ Chriſtianæ in Aſia triumphantis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Quod per Prophetam populo ſuo Dominus pollicetur, impletum in vobis cognoſcimus; (b) Inhabitabo, inquit, in eis, & inambulabo eum eis, quia per fidem in veſtris pectoribus habitat, & per operationem ita inambulat, ut patenter in vobis inimicos ſuos expugnaſſe videatur. — b Levit. 16 & 2. Cor. 6. — E Renovavit enim Dominus antiqua miracula, (c) ut in uno mille, & in duobus decem millia perſequeretur, — c Deut. 23 — & his Eccleſiæ annis, ſacerdotalium (d) precum tubis inimicarum urbium mœnia aperiret. — d Joſue 6. — Illud verò quanti gaudii, quàm potentis miraculi æſtimatis, quod ſacroſancti lateris ſanguine cruentam lanceam, & vivificæ crucis partem veſtris oculis revelavit, veſtris tractandam manibus obtulit? Quantas ſuper his Redemptori noſtro gratias debeamus, nec humanus animus opinatur, nec lingua prævalet enarrare. Videmus enim Chri-

ſtianæ

ſtianæ Fidei hoſtes , Chriſtiani populi oppreſſores per divinam miſericordiam manu veſtra partim contritos , partim è diù poſſeſſis regionibus effugatos: videmus Orientalem Eccleſiam poſt longa captivitatis tempora , magna ex parte ad antiquam libertatis gloriam rediiſſe . Dicendum igitur ore , dicendum corde: (*a*) Gloria in altiſſimis Deo , & in terra pax hominibus bonæ voluntatis . Orationi etiam & vigiliis inſiſtendum, ut quod cœpit , adimpleat, & manus veſtras , quas hoſtium ſuorum ſanguine conſecravit, immaculatas uſque ad finem, affluentes firma pietate, cuſtodiat.

a Luc. 2.

XXIX.

Quapropter agite, filii in Chriſto deſideratiſſimi, rememoramini, quanta pro amore Domini reliqueritis, quanta pro fratrum ſalute & ereptione pericula ſubieritis: patriam, domos , parentes poſthabuiſtis , voſmetipſos exilio addixiſtis , morti oppoſuiſtis ; curate nunc ad meliora ſemper tendere , pacem eum omnibus conſervate, ut poſſitis ad æternam pacem Domini miſericordia pervenire. Plurima vobis ſignificare per chartam & atramentum ſuperſedemus , quorum ex Apoſtolicæ Sedis gremio chariſſimum fratrem Mauritium Portuenſem Epiſcopum deſtinamus , ut qui per beati Petri Vicarium , ſanctæ in Chriſto memoriæ prædeceſſorem noſtrum Urbanum tanti peregrinationem itineris aſſumpſiſtis , beati Petri ſolatiis ſemper abundetis , & quem fundamentum tanti operis habuiſtis , ipſum quoque ad finem caput in fide & obedientia teneatis . Vices etiam noſtras eidem fratri Mauritio & Epiſcopo commiſimus , ut eum in omnibus reverenter excipere , audire , & per ipſum nobis , immò beato Petro obſequi debeatis. Cui nimirùm in præceptis dedimus , ut Eccleſiæ , quam per vos Dominus liberavit , ſeu liberaturus eſt, ordinationi vigilanter immineat , ſi quæ minus canonicis regulis apta repererit , corrigat, & in eiſdem cum veſtro auxilio plantanda plantet , ædificanda ædificet . Hortamur itaque , hortanteſque præcipimus , ut ei tamquàm perſonam noſtram præferenti, in omnibus obedire curetis. Omnipotens Dominus & velle & poſſe in vobis tribuat , ut quæ eo auctore facienda cognoſcitis , ipſo adjuvante impleatis . Ipſe vos ab omnibus peccatis abſolvat , & exilio veſtro patriam æternam tribuat . Dat. Romæ quarto Nonas Maii, Indictionis octavæ , per manum Joannis diaconi.] Hæc ad militantes in Oriente Occidentales Fideles Paſchalis Papa .

XXX. Obitus Godefredi regis Hieroſolymitani.

Haud multum temporis poſt hæc effluxit , cùm Godefredus Dux, ſive (ut vult Tyrius) Rex Hieruſalem ex hac vita migrat , nempè hoc eodem anno , XV. Kal. Auguſti , vir quidem præter peritiam ac fortitudinem militarem pietate inſignis , ut qui jam , quò ab impio Imperatore , cui militabat , ſe divelleret , profectionem eam ſanctam inſtituit , in qua eum Deus multiplici gratia eſt conſolatus , ut omnes qui ſtylo proſecuti ſunt res Orientales , affirmant . Eidem verò eſt ſubrogatus Balduinus Principum omnium conſenſu. Hæc pluribus Vuillelmus Tyrius, (*b*) qui & obortas mox diſſenſiones inter ipſum Balduinum , & Patriarcham Hieroſolymorum enarrat . Peſſimo enim Arnulpho illo , de quo ſuperiùs , inſtigante, poſt obitum Godefredi multa eſt paſſus Daibertus Patriarcha à Balduino, ſibi uſurpante jura Hieroſolymorum Eccleſiæ , quarum cauſa contentionum tunc idem Daibertus Antiochiæ Principem Boamundum interpellavit, ut protector accederet pro conſervatione jurium Hieroſolymitanæ Eccleſiæ, ad quem & has litteras dedit, quibus de cunctis quæ geſta eſſent , ipſum reddit certiorem: (*c*)

b Vuillel. Tyr. l. 9 c. ult. & l. 10. c. 1.

c Vuillel. Tyr. lib. 10. c. 4.

XXXI. Epiſtola Patriarchæ Hieroſol. ad Boamundum Principem Antioch.

Scis fili chariſſime, quoniam me ignorantem, & invitum , bonæ tamen ac ſanctæ intentionis affectu, in eam , quæ omnium Eccleſiarum ſingularis eſt mater & Gentium domina, rectorem & Patriarcham elegeris, electumque communi tàm Cleri , ac plebis , quàm Principum aſſenſu in hujus ſummæ dignitatis ſedem licèt indignum, Dei præeunte gratia, locaveris. In quo ego culmine conſtitutus, quanta pericula, quot labores, quot perſecutiones ſuſtineam, injuriis offenſus mille, meus cognoſcit animus, & ipſe cognoſcit omnium inſpector Chriſtus. Vix enim Dux Godefredus , dum adhùc viveret , non tàm propriæ voluntatis arbitrio, quàm malorum perſuaſione ſeductus, ea reliquit Eccleſiæ tenenda, quæ Turcarum temporibus qui tunc fuerat Patriarcha , tenuerat , & ſancta Eccleſia cùm ampliùs honorari , & exaltari debuerat : tunc majora deſolationis, & confuſionis ſuæ opprobria ſuſtinuit . Reſipuit ille tamen , & per miſericordiam Dei ab impietatis deſiſtens propoſito, in die Purificationis Beatæ Mariæ Virginis de Joppe quartam partem Eccleſiæ ſancti Sepulchri dedit , & poſt in die Paſchalis ſolemnitatis jam ultrà ſuperbè ſapere, aut in ſæculari pompa confidere reſpuens, divino nutu compunctus , cuncta quæ juris erant Eccleſiæ, liberè reddidit, & homo Sancti Sepulchri ac noſter effectus, fideliter ſe Deo & * . . . amodò militaturum ſpopondit. Reddidit itaque noſtræ poteſtati Turrim David cum tota Hieroſolymitana urbe, ejuſque pertinentiis , & quod in Joppe ipſe tenebat: ſic tamen , ut ob rerum temporalium inſufficientiam , noſtra conceſſione ipſe hæc tàm diù teneret, donec illum Deus in captione Babylonis, aut aliarum urbium amplificaſſet . Si autem abſque hærede maſculo moreretur, hæc omnia abſque ulla contradictione Eccleſiæ redderentur . Hæc omnia cùm in præſentia totius Cleri & populi , in die ſolemni Paſchæ ante ſacroſanctum Sepulchrum confirmaſſet; & in lecto ægritudinis, de qua mortuus eſt, coram multis & probatis teſtibus ipſe conſtituit .

* Nobis .

XXXII. Turbæ cõcitatæ in Eccleſia Hieroſolymitana .

Quo defuncto , Comes Garnerius ut hoſtis contra Eccleſiam Dei inſurgens, fidem, & pactum juſtitiæ nihili pendens, Turrim

David

David contra nos munivit, & Legatis ſuis ad Balduinum directis, mandat, uti Eccleſiam Dei direpturus, reſque ejus violenter occupaturus quantocyùs veniat. Unde judicio Dei percuſſus, quarto poſt obitum Ducis die obiit. Hoc autem ipſo mortuo, viri ignobiles ac de plebe adhùc eamdem Turrim cum tota urbe occupantes tenent, adventum Balduini ad ruinam Eccleſiæ, & totius Chriſtianitatis interitum præſtolantes. At ego, qui ſolius Dei clementiæ, tuæque dilectioni, fili chariſſime, ſum relictus, miſeriis omnibus, calumniis inſidiantium mihi malignorum circumventus, tibi ſoli, quia in te ſolo poſt Deum confido, & ſpei meæ anchoram in tuæ dilectionis ſoliditate figo: tibi, inquam, ſoli quas patior ærumnas, immò quas Eccleſia patitur, voce flebili, & anxia pietate, & cogitatione refero.

XXXIII. Tu autem, ſi quid pietatis habes, & niſi paternæ gloriæ vis eſſe degener filius, qui tyrannica crudelitate clauſum ab impia manu dominum Apoſtolicum Gregorium de Urbe Roma eripuit, unde memorabile ſæculis omnibus nomen meruit: omni occaſione remota, feſtina venire, & terræ, regnique tui cura in militibus tuis prudentioribus ſapienter diſpoſita, ſanctæ Eccleſiæ miſerabiliter laboranti miſericorditer ſuccurre. Et certè ſcis ipſe, quoniam auxilium tuum conſiliumque promiſeris, & debitorem ſanctæ Eccleſiæ, ac mihi ſponte tua feceris. Scribe igitur ad Balduinum litteras, interdicens ei, ne ſine licentia noſtra, & legatione, (cùm ille tecum in Patriarcham, & Rectorem Eccleſiæ Hieroſolymitanæ me elegerit) ſanctam Eccleſiam devaſtaturus, & res ejus occupaturus ullo modo veniat, monſtrans ei, quoniam ignorabile eſt, tot vos pro eadem Eccleſia labores ſuſtinuiſſe, totque pericula, ut illa libera fieret, non ut nunc vilis & abjecta ſervire cogatur illis, quibus dominari & præeſſe jure materno debet. Quòd ſi ille juſtitiæ reſiſtens, rationabilibus acquieſcere noluerit: per eam, quam beato Petro debes obedientiam, conteſtor, ut quibuſcumque modis vales, aut etiam ſi neceſſe ſit, armis adventum ejus impedias. Quidquid autem ſuper iis quæ mando, tu facturus ſis: galea tua ad me ſub feſtinatione miſſa, per hunc eumdem, quem ad te mitto nuntium, mihi, chariſſime, manifeſta.] Hucuſque Patriarcha Hieroſolymorum ad Principem Antiochiæ Boamundum. Sed hanc epiſtolam minimè ad eum perveniſſe, idem auctor exiſtimat, eò quòd inter hæc idem Princeps eodem menſe, quo obiit Godefredus, dum invaſurus pergeret Meſopotamiam, interceptus inſidiis, ab hoſtibus captus eſt. Quomodò autem dolo adverſariorum Hieroſolymis idem Patriarcha pulſus, Romam ad Paſchalem Pontificem venerit, ſuo loco dicturi ſumus.

XXXIV. Malè poſita fundamenta regni Hieroſol.

En quàm malè meritus de acceptis à Deo beneficiis Balduinus, ſui Principatus auſpicatur exordia, ut iram offenſi numinis in ſe converteret, ita mala jacens ſui regiminis fundamenta, non niſi cum labore, & dolore regnavit. Ut nihil ſibi ipſis Principes infeliciùs conſulant quàm eccleſiaſtica jura deprimere, & ſic ſibi omnia vendicare, qui enim laceſſit Eccleſiam, ſibi quidem Deum adverſarium conſtituere & ultorem, innumera docent exempla. Cæterùm quibus rationibus tanta ſibi vendicaret pro ea Eccleſia Patriarcha, pluribus idem Vuillelmus oſtendit, quem tu conſulas. Porrò ipſum, qui illi præerat Eccleſiæ Daibertus, conſtantiſſimi animi fuiſſe Antiſtitem, omnibus numeris abſolutum ad ſedem illam regendam, cùm Scriptorum omnium hujus temporis, tùm teſtificatione Ivonis Epiſcopi Carnotenſis, ad eum poſt creationem ipſius ſcribentis, epiſtolam, ſatis apparet, cujus hoc eſt exordium: (a) Quia divina miſeratio ſollicitudinem veſtram illi Eccleſiæ præeſſe voluit, de qua Verbum Dei proceſſit: gaudemus, tùm propter familiarem, qua vos amplectimur, charitatem; tùm propter utilitatem, quam populo Dei collaturam ſperamus veſtram ſollicitudinem, &c.]

a *Ivo ep.* 39

XXXV. S. Anſelmus redit in Angliã.

Eodem anno mortuo Vuillelmo Anglorum Rege perturbatore Eccleſiaſticæ libertatis, cujus cauſa ſanctus Anſelmus (ut vidiſti) extorris ab Eccleſia ſua Cantuarienſi in Gallia exul degebat: eidem redeundi facultas ab ejus ſucceſſore Henrico data eſt. Sed ad breve tempus pace retenta, rursùm eadem novo turbine ſub Rege novo exagitatur Eccleſia: cujus occaſione opus fuit Paſchali Papæ decernere legationes in Angliam. Sed cùm hæc ad plures annos ſint propagata, quid annis ſingulis geſtum ſit, ex more dicemus. Jam triennium explebatur ſancti Anſelmi extra ſuam Eccleſiam in Galliis exilii, cùm Deus ultor tandem exurgens, in Regem perſecutorem vindictam exercuit. Cujus quidem iræ Dei complura oſtenſa ſunt anteà documenta, ſignis pluribus manifeſtiſſimè declarata; quæ recitant ejuſdem temporis rerum Anglorum hiſtorici, qui hæc ſpectarent oculis: Edinerus in primis in rebus geſtis Anſelmi, & Vuillelmus Malmesburienſis monaſterii Bibliothecarius: quos tu, ſi ſcire cupis, pro arbitrio conſulas; nobis ſatis, ſi quæ viri ſanctiſſimi, Hugonis ſcilicèt, magni nominis ejuſdem temporis Cluniacenſis Abbatis teſtificatione recitat Edinerus, referamus: (b)

b *Edin. in Anſel. l.* 2.

XXXVI. De obitu Vuillelmi Angliæ Regis.

Hinc exilii noſtri anno tertio, qui, quò è Roma Lugdunum, venimus, erat ſecundus, venit Anſelmus Marciniacum, locuturus domino Abbati Cluniacenſi Hugoni, & ſanctimonialibus. Ubi cum ante ipſum Abbatem conſediſſemus, & de his, quæ inter Anſelmum & Regem eouſque verſabantur, verba (ut fit) nonnulla hinc inde proferrentur: intulit idem venerabilis Abbas ſub teſtimonio veritatis, proximè præterita nocte eumdem Regem ante thronum Dei accuſatum, judicatum, ſententiam tùm damnationis in eum promulgatum. Ex quibus verbis admirati non modicè ſumus. Sed perpendentes & vi-

ventis

ventis ſanctitatem & reverentiam ejus, ſi- A
dem his quæ dicebantur, nullatenùs ha-
bere nequivimus.] Facta ſunt iſta ultima
Julii; ipſis verò Kalendis Auguſti, cùm
S. Anſelmus Lugdunum reverſus eſſet, alia
ſunt divinitùs oſtenſa de ipſius interitu
Regis, quem jam pluribus deterritum an-
te prodigiis, in venatione dum eſſet, ſa-
gitta in cervum emiſſa ejus præcordia ſub-
jens interfecit die ſequenti, nempè ſecun-
da menſis Auguſti.

XXXVII. Hæc tu, Lector, obiter nequaquàm
velim prætereas, ſed ſapienter attendas
ſecundùm illam Domini ſententiam, cla-
a *Luc.* 24. des Hieroſolymorum lugentis: (*a*) Si B
in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid
Digna cō- fiet?] ſi tali meruit ſententia condamna-
ſideratio. ri Catholicus Princeps, ob unius dumta-
xat Epiſcopi extorris injuriam: qua le-
nam judicium ſunt habituri, qui Fidei
Catholicæ perduelles, Anglicanos Catho-
licos omnes Epiſcopos ſive ferro, ſive exi-
lio conſumpſerunt, & alias injurias nefan-
das ipſis Eccleſiis intulerunt? Non patitur
Deus inultum umquam remanere pecca-
tum, quod non diluit pœnitentia, qui
ad tempus puniendа reſervat: nam ipſe:
b *Deut.* 32 (*b*) Nonnè hæc condita ſunt apud me,
& ſignata in theſauris meis? mea eſt ul- C
tio, ut reddam illis in tempore. Sed ſic
ulciſcitur ſæpè minora peccata, ut ex his
timere diſcant, qui maxima perpetra-
runt. Cujus rei gratia caſum turris Siloe
c *Luc.* 13 nuntiantibus (*c*) poſuit eum in exem-
plum futuri Judicii magni Dei.

XXXVIII. Sublato igitur è medio Rege perſecuto-
Renova- re, ejus germanus Henricus regnū capeſ-
tur con- ſit; qui ſtatim S. Anſelmum ad ſuam Eccle-
troverſia ſiam in Angliam revocavit, quem & ſu-
in Eccle- ſcepit honorificè redeuntem. Sed quod pax
ſia Angli- diuturna eſſe non poſſit, ubi juſtitia pro-
cana. cul abeſt, quam ad pacem conſervandam
oportuit ſemper eſſe præſentem, juxta Da- D
d *Pſal.* 84 vidicum illud: (*d*) Juſtitia & pax ſe oſ-
culatæ ſunt:] Quæ hanc concordiam in-
terceperint, ſic accipe ab Edinero: Ubi
S. Anſelmus Saresberiam ad Regem venit,
& ei quid de Eccleſiarum inveſtituris in
Romano Concilio ſtatutū acceperit, plano
ſermone innotuit: turbatus eſt Rex, ac ve-
hementiſſimè indoluit, nec nutum ejus in
aliquo, ſicut Nuntii dixerant, expectare
voluit.] Hæc tantùm paucis agens Edine-
rus in vita Anſelmi, eò quòd iſta omnia in
alio commentario ſeorſum ſcriberet, ex
quo iſta qui eum præ manibus habuit, idem
qui ſuprà Vvillelmus enarrat: Verumta- E
men cùm Rex more anteceſſorum ſuorum
ab Archiepiſcopo Anſelmo hominium in-
terrogaret, & ille pro excommunicatione
Romæ facta differret: miſſi ſunt Romam
ab utraque parte Nuntii. Jubetur Anſel-
mus Regi intereà hominium facere, vel
abſolutis morarum nexibus, regno exce-
dere. Quin potiùs, reſpondit ille, in-
ſpiciantur Apoſtolicæ litteræ, & quod
tenor earum continet, fiat. Redierant
enim jam Roma Nuntii, & caſſo labore
ſemitam triverant, quòd Paſchalis Papa
ſententiam anteceſſoris invicto robore tue-
batur. Quid ad me de litteris Apoſtolici,
ait Rex, jura regni mei nolo amittere.
Procedente in contentionem ſermone,
aſſeruit Anſelmus, terram ſe non exitu-
rum, ſed ad ſuam iturum Eccleſiam, con-
ſideraturum, quid ſibi, vel ſuis expedi-
ret, ſcilicèt. Ita tunc diſceſſum. Sed po-
ſterioribus diebus molliores ex parte Re-
gis virum convenere litteræ, ut pacato
animo Curiæ ſuam præſentiam exhiberet;
futurum, ut habito inter ſe colloquio,
omnis ſopiretur controverſia. Non negat
ille adventum, ſi fortè Deus inſtinctu ſuo
regalem contigiſſet animum. Rursùs igi-
tur communi edicto Legati mittuntur Ro-
mam, &c.] Quid verò per eos actum ſit,
ſuo loco, ſervato temporis ordine, di-
cturi ſumus. Per biennium in his labora-
tum eſſe, idem qui ſuprà Edinerus affir-
mat: adeò ut poſterior iſta legatio non
niſi ſequenti anno potuerit contigiſſe. Sic
igitur vides Regis inconſtantiam, modò
Anſelmum ab exilio revocantis, modò exi-
lium comminantis: conſtantiam verò vi-
ri ſanctiſſimi admirare, qua fregit impe-
tum Regis, & eo invito ſuam Eccleſiam
adeuntis, & in ea pariter commorantis.
Cùm autem iſta in Anglia agerentur, Ivo
Epiſcopus Carnotenſis fulgor Eccleſiæ
Gallicanæ, apud Reges ob egregios vitæ
mores & doctrinam incomparabilem ma-
gnæ æſtimationis ad eumdem Angliæ Re-
gem litteras dedit, quibus in primis eum
hortatus eſt ad exhibendam Criſti ſacerdo-
tibus reverentiam: quas dignas exiſtima-
mus Annalibus, ut debeant hìc deſcribi; *e Ivo Epiſt.* 51.
ſic enim ſe habent: (*e*)

Henrico excellenti Anglorum Regi Ivo XXXIX.
humilis Carnotēſis Eccleſię miniſter, in eo
vivere & regnare, per quem Reges regnāt.

Quoniam paterni regni ſolium conſcen- *Ivonis*
dere vos fecit divina diſpenſatio, pro gra- Epiſt. ad
tia vobis collata divinam interpellamus Henricum
clementiam, quatenùs paternos mores, Regem
paternam vos faciat imitari honorificen- Anglorum
tiam, ut in nullo veſtra ſublimitas ab eo-
rum nobilitate degeneret, & in nullo ab
eorum frugalitate declinet. Et quia res
omnes non aliter benè adminiſtrantur,
niſi cùm regnum & ſacerdotium in unum
convenerint ſtudium: Celſitudinem ve-
ſtram obſecrando monemus, quatenùs in
regno vobis commiſſo verbum Dei curre-
re permittatis, & regnum terrenum cœ-
leſti regno, quod Eccleſiæ commiſſum eſt,
ſubditum eſſe debere, ſemper cogitetis.
Sicut enim ſenſus animalis ſubditus de-
bet eſſe rationi; ita poteſtas terrena ſub-
dita eſſe debet Eccleſiaſtico regimini. Et
quantum valet corpus, niſi regatur ab ani-
ma, tantum valet terrena poteſtas, niſi
informetur & regatur Eccleſiaſtica diſci-
plina. Et ſicut pacatum eſt regnum corpo-
ris, cùm jam non reſiſtit caro ſpiritui; ſic
in pace poſſidetur regnum mundi, cùm
jam reſiſtere non molitur regno Dei. Hoc
cogitando, ſervum ſervorum Dei vos eſſe
intelligite, non dominum: protectorem,
non

Digitized by Google

non poſſeſſorem: unam debere eſſe de cedris Libani, quas plantavit Dominus, in qua nidificent paſſeres, ideſt, ſub cujus tutela quietè fructificent, & converſentur Chriſti pauperes, quorum orationes pro ſtatu regni veſtri & incolumitate veſtra quantò quietiores, tantò * ſaniores, quantò ſaniores, tantò conſtat eſſe efficaciores. Hoc enim faciendo, & regnum terrenum quietè, Deo cooperante, poſſidebitis, & ad regnum æternum ejuſdem miſeratione pervenietis.] Hucuſque Ivonis ad novum Regem epiſtola, digna planè, quæ Regibus omnibus legenda jugiter ingeratur, his noſtris præſertim temporibus, quibus execranda Politicorum hæreſis velata jure regnandi, Regum penetralibus interdum ſe immittat, ubi & honeſto ſub nomine deliteſcat.

* ſanctiores

XL. Sed finem imponamus jam rebus geſtis anni hujus Paſchalis Papæ, qui ad regimen Germanicarum Eccleſiarum, quas Henricus ſchiſmaticus Imperator perſecutione vexabat, legationem Apoſtolicam credidit Gebehardo Conſtantienſi Epiſcopo, Apoſtolico planè viro, qui præ cœteris ſtetit pro muro domui Iſrael perditiſſimis hiſce temporibus: ut niſi Deus tale ſemen illis Eccleſiis reliquiſſet, penitùs fortaſsè interiiſſent: de quo iſta hoc anno Bertholdus: Dominus Paſchalis Papa Nativitatem Domini Romæ cum magna pace celebravit, & per litteras ſuas venerabili Gebehardo Conſtantienſi Epiſcopo in Teutonicis partibus Apoſtolicas vices commendavit, quas ab anteceſſoribus multis annis obtinuit.] Hæc Bertholdus; qui & hic ſcribendi finem fecit, fortè præventus morte: qui ex vitæ integritate, & Catholico nomine ſummam ſibi gloriam comparavit inter Chronographos hujus temporis: cui ut veritatis ſtudioſiſſimo benè precamur. Sed quod poſt hæc in manus noſtras pervenit accipe privilegium, quod hoc anno Paſchalis Papa conceſſit ſancti Alberici Abbatis monaſterio nuper fundato in territorio Cabilonenſi, ubi prima plantatio coaluit Ordinis Ciſtercienſis, de quo dictum Tomo ſuperiori ante biennium. Litteræ Apoſtolicæ Paſchalis ſic ſe habent:

Legatio à Paſch. Pap. Gebehardo Conſtant. Epiſcopo credita.

XLI. Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili filio Alberico novi monaſterii Abbati, quod in Cabilonenſi parochia ſitum eſt, ejuſque ſucceſſoribus regulariter ſubſtituendis in perpetuum.

Deſiderium quod ad religioſum propoſitum, & animarum ſalutem pertinere monſtratur (auctore Deo) ſine aliqua dilatione eſt complendum. Unde nos, ò filii in Domino dilectiſſimi, citra difficultatem omnem veſtrarum precum petitionem admittimus: quia religioni veſtræ paterno congratulamur affectu. Locum igitur illum, quem inhabitandum pro quiete monaſtica elegiſtis, ab omnium mortalium moleſtiis tutum ac liberum fore ſancimus, & Abbatiam illic perpetuò haberi, ac ſub Apoſtolicæ Sedis tutela ſpecialiter protegi, quamdiù vos, ac ſucceſſores veſtri in ea quam hodiè obſervatis, diſciplinæ ac frugalitatis obſervantia permanſeritis, ſalva Cabilonenſis Eccleſiæ canonica reverentia. Præſentis itaque decreti pagina interdicimus, ne cuiquam omninò perſonæ liceat ſtatum veſtræ converſationis immutare: neque veſtri (quod novum dicitur) cœnobii monachos ſine regulari commendatione ſuſcipere, neque congregationem veſtram aſtutiis quibuslibet aut violentiis perturbare. Eam ſanè controverſiæ deciſionem, quam inter vos, & Moliſmenſis Eccleſiæ monachos frater noſter Lugdunenſis Epiſcopus, tunc Apoſtolicæ Sedis Vicarius, cum provinciæ ſuæ Epiſcopis aliiſque religioſis viris ex præcepto prædeceſſoris noſtri Apoſtolicæ memoriæ Urbani II. perpetravit, nos tamquàm rationabilem ac laudabilem confirmamus. Vos igitur filii in Chriſto dilectiſſimi ac deſideratiſſimi, meminiſſe debetis; quia pars veſtri ſæculares latitudines, para ipſa etiam monaſterii laxioris minus auſteras anguſtias reliquiſtis. Ut ergò hac ſemper gratia digniores cenſeamini, Dei ſemper timorem & amorem in veſtris cordibus habere ſatagite, ut quantò à ſæcularibus tumultibus liberiores eſtis & deliciis, tantò ampliùs placere Deo totius mentis & animæ virtutibus anheletis. Sanè ſi quis in craſtinum Archiepiſcopus aut Epiſcopus, Imperator, aut Rex, Comes aut Vicecomes, judex aut Eccleſiaſtica quævis, ſæculariſve perſona, hanc noſtræ Conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temerè venire tentaverit, ſecundò, tertiòve commonita ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei & Domini noſtri JESU CHRISTI aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctia autem eidem loco juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri JESU CHRISTI, quatenùs & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Ego Paſchalis Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi. Datum Trojæ per manum Joannis S.R.E. diaconi Cardinalis quartodecimo Kalen. Maii, Indictione octava, Incarnationis Dominicæ anno milleſimo centeſimo. Pontificatus autem domni Paſchalis Secundi Papæ * ſecundo.

Privilegiũ Ciſtercienſium Monachorum.

* primo

I. Legationes ad Paſchalē Pap. ex Anglia.

SEquitur annus Redemptoris centeſimus primus ſupra milleſimum, Indictione nona, quo ad Paſchalem Papam tàm ab Henrico Anglorum Rege, quàm à S. Anſelmo Cantuarienſi Archiepiſcopo, inter ſe ob inveſtituras Eccleſiarum concertantibus, legationes miſſæ ſunt. Res geſtæ unà cum epiſtolis ultrò citroque miſſis ſeorſum ab Edinero, iſthæc omnia contuente, deſcriptæ fuerunt, ut ipſe teſtatur in præfatione ad vitam ejuſdem Anſelmi. Sed cùm liber ille exciderit, pauca quædam, quæ ex illo deſcripſit Vvillelmus Malmesburienſis Bibliothecarius, hic recitanda erunt, quæ B ſic ſe habent: (*a*) Rursùs igitur communi edicto mittuntur Legati Romam, qui tàm dura præcepta tentent vel lenire, vel reſcindere, *de inveſtituris ſcilicèt à Rege non exhibendis*: Ex parte Antiſtitis *Anſelmi videlicèt*, Balduinus, & Alexander monachi; ex parte Regis, Girardus Archiepiſcopus Eboracenſis, Herebertus Noruvicenſis, Robertus Ceſtrenſis Epiſcopi ſunt miſſi. Sed priores *hos Epiſcopos* familiaris quoque cauſa urgebat, Girardum pro adeptione pallii, Herebertum pro reſciſſione privilegii Abbatiæ S. Edmundi, quod Balduinus Abbas illi cœnobio C per Alexandrum Papam multis laboribus acquiſierat. Id erat, ut Abbas illius loci nec Epiſcopo Noruvicenſi, in cujus parochia eſſe cognoſcitur, nec ulli alii, niſi Primati Angliæ ſubiiciatur. Hoc Herebertus depellere intendens, & pergens, qua infortunio ſocios relinquens, & devia ſecutus, prædonum manum incurrit, ſed quadraginta marchis datis, ſervitutem exuit, libertatem viæ recepit: primò per omne quod dicitur ſanctum, jurare compulſus Guidoni (id nomen viro raptorum magiſtro) nihil ſe Romæ acturum, D quod ad domini ſui Anſelmi Archiepiſcopi ſpectaret incommodum. Adeò enim increbuerat S. Anſelmi ubique nomen, ut etiam latronibus eſſet in honore & defenſione, exhibentibus ſe ſponte vindicibus ejus jurium contra Regem Anglorum apud Romanum Pontificem: Sed pergit auctor: Datis ergò nummis raptim ſocios proſequebatur liberiore otio, quia leviore marſupio.

a Vvillel. Malmeſbur. de geſt. pōtific. Angl. lib. 1.

II. Paſchalis Pap. recuſat concedere Regi Anglorum inveſtituras.

Conjuncti corripiunt viam, Papæque obtutibus præſentati, quidquid poterant, promiſſis & muneribus agunt, ut Regis voluntatem effectui mancipare poſſint; ſed nequidquam. Stat ille inflexibilis, nolens (ut E dicebat) ſtatuta ſanctorum Patrum enervare pro voluntate unius hominis. Nihil ergò iſte labor profecit ad aliud, niſi ut lites conſererentur in regno, Legatis inter ſe diſſidentibus: nam Rex epiſtolam ab Epiſcopis ſibi allatam, quòd ſuæ voluntati refrāgari viderat, occulendam putavit. Cęterùm A nuda verba foras extulit, quibus illi pro Epiſcopali veritate aſſerebant, Apoſtolicum Regis inveſtituras æquanimiter ferre, ſi cętera boni Principis officia exequeretur. Ideò autem noluiſſe litteris hæc * videre, ne accepta occaſione cęteri Principes in eum inclamarent. Contrà, monachi palàm clamitabant, Apoſtolicis præceptis fraudem innecti conquerentes: ſiquidem & epiſtola, quam Anſelmo attulerant, vulgo jam lectitabatur, in qua non ſolùm inveſtituras non concedere, ſed etiam ſtatuta Urbani pertinaciter probabatur Paſchalis urgere, ſervandaque monere. Strepebat igitur omnis B aula murmure, non debere attendi monachis, qui libenter fucis veritatem obſcurent, dummodò Archiepiſcopo placeant: Epiſcopalem gradum & ſermonem magni eſſe ponderis, monachos jus in ſæcularium rerum teſtimonio perdidiſſe. At iſtud (inquit Balduinus) ſæculare negotium non eſt. Tum proceres: Probum & prudentem te ſcimus virum, nec de illis eſſe, quæ maxima turba ordinem veſtrum malè vivendo infamat: ſed tamen & humana & divina exigit ratio, ut magis tribus Epiſcopis, quàm duorum monachorum credatur teſtimonio. Diu C ergò fluctuavit Anſelmi ſententia, quò vergeret, quod & adverſa fronte teſtimonium Epiſcoporum refellere, videbatur ſuperbum; porrò epiſtolæ, quæ ſigillum Apoſtolicum prætendebat, non credere, ſtultum. Confirmato animo reſpondit, ad certitudinem facti cognoſcendam miſſurum ſe Romam: interim illis, qui inveſtirentur, nec communionem ſuam negandam, nec benedictionem impertiendam.] Quid verò reſponderit Paſchalis Papa in declaranda ſententia ſua de inveſtituris non concedendis, ſilentio præteriit auctor, neſcio an in gratiam Regis; cùm tamen de his ipſis extet epiſtola illa inter epiſtolas S. Anſelmi, ordine duode- D cima poſita, quæ ſic ſe habet:

* credere.

III. Epiſtola Paſchalis Pap. contra Subdolos legatos Epiſcopos.

Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Anſelmo Cantuarienſi venerabili fratri & Coepiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Suaviſſimas dilectionis tuæ ſuſcepimus litteras, charitatis calamo ſcriptas: neque enim aliud chartæ calamus indidit, quàm quod de fonte charitatis intinxit. In his reverentiam devotionis tuæ complectimur, & perpendimus fidei tuæ robur, & piæ ſollicitudinis inſtantiam. Exultamus, quia gratia Dei tibi præſtante auxilium, te E nec minæ concutiunt, nec promiſſa ſuſtollunt. Dolemus autem, quia cùm fratres noſtros Epiſcopos Legatos Regis Anglorum benignè ſuſceperimus: quæ nec diximus, nec cogitavimus, redeuntes ad propria retulerunt. Audivimus enim eos dixiſſe; quia ſi Rex in aliis benè ageret, nos inveſtituras nec prohibere, nec factas

excom-

eacommunicare; & quod ideò nolebamus A
chartæ committere, ne ſub hac occaſione
& cęteri Principea in nos inclamarent. Un-
de JESUM, qui renes & corda ſcrutatur,
in animam noſtram teſtem inducimus, ſi, ex
quo hujus ſanctæ Sedia curam cœpimus ge-
rere, hoc immane ſcelus vel deſcendit in
mentem. Et hoc à nobia Deus avertat, ut
eſt, & non ſubrependo nos inficiat, ut
aliud habeamus ore promptum, & aliud
corde reconditum: cùm contra mendaces
a *Pſal.* 11. Propheta precetur, dicens: (*a*) Diſperdat
Dominus univerſa labia doloſa. Si verò
noſtro ſilentio pateremur Eccleſiam felle
amaritudinia, & impietatia radice pol- B
lui: qua ratione poſſemus apud æternum
Judicem excuſare, cùm Dominus ſub ſpe-
b *Ezech.* 3. cie ſacerdotis dicat Prophetæ: (*b*) Specu-
latorem dedi te domui Iſrael? Non benè
cuſtodit urbem, qui in ſpecula poſitus, dum
non obſiſtit ejua hoſtibus, diripiendam
exponit. Si ergò paſtorale ſignum, ſi annu-
lum, ſignaculum Fidei tradit laica ma-
nua: quid in Eccleſia pontificea agunt?
Eccleſiæ honor atteritur, ſolvitur diſci-
plinæ vigor, & omnis religio Chriſtiana
conculcatur, ſi quod novimus ſacerdoti-
bus ſolia deberi, laica patiamur temerita-
te præſumi. Non eſt laicorum, Eccleſiam C
tradere, nec filiorum, matrem adulterio
maculare. Jure ergò privandus eſt patri-
monio, qui matrem polluit adulterio; nec
meretur Eccleſiaſticæ benedictionia con-
ſortium, qui eam impia infeſtatione per-
ſequitur, laicorum eſt Eccleſiam tueri,
c 2. *Par.* 26 non tradere. Quare (*c*) quidam, cùm il-
licitum ſibi ſacerdotium vendicaret; le-
d *Levit.* 10. pra percuſſus eſt. Filii quoque (*d*) Aaron,
quia ignem alienum impoſuerunt, igne di-
vino conſumpti ſunt. Alienum eſt ab Ec-
cleſia, & à ſacria canonibus eſt inhibitum,
ne Principes & ſæculares viri inveſtituras
non ſolùm dare, ſed nec electioni Epiſco- D
* *al.* VIII. porum audeant ſe violenter inſerere. In*
Septima quippè Synodo (ut noſtis) ſcri-
ptum eſt: Sancta & univerſalis Synodus de-
finivit, neminem laicorum Principum vel
potentum ſe vi ingerere electioni vel pro-
motioni Epiſcoporum. Si ergò filii Aaron,
quia ignem alienum intulerunt, corpora-
liter puniti ſunt: iſti qui à laicis, à qui-
bus alienum eſt, Eccleſiam ſuſceperunt, ſpi-
rituali gladio feriuntur.

IV. Epiſcopos autem, qui veritatem in men-
Excommu- dacium commutaverunt, ipſa Veritate,
nicantur quæ Deus eſt, in medium introducta, à bea-
Epiſcopi ti Petri gratia, & noſtra ſocietate exclu- E
qui falſa dimus, donec Romanæ Eccleſiæ ſatisfa-
retulere. ciant, & reatus ſui pondus agnoſcant.
Quicumque verò intra prædictas inducias
inveſtituras, ſeu conſecrationem accepe-
runt, à conſortio fratrum & ordinatos &
ordinatores alienos habemua; nec eis ad
excuſationem deceptio ſufficit, quia &
e 3. *Reg.* 13. propheta (*e*) ab alio propheta deceptua,
nec ideò mortem evaſit. Rogamus intereà
charitatem tuam, nos tuis ſanctis precibus
* propius commendari, ut quantò * propitius ad
Deum paſſibus virtutum accedis, nobis ora-
tionum tuarum manua extendaa. Omnipo- A
tens Deus, qui te hujua ſtadii invitavit ad
curſum, felici conſummatione perducat ad
præmium.] Hucuſque ad S. Anſelmum
Paſchalia Papa.

His Anſelmus ab Apoſtolica Sede acce- V.
ptia litteris, iiſdemque promulgatia, ad ce-
lebrandum in Angliá generale Concilium
anno ſequenti ſe magna animi conſtantia
præparavit, in quo in primia de vetitis
Principū inveſtituris ab Apoſtolica Sede cū
Epiſcopis ageret: inſuper tractaret etiam
de reſtituendis collapſia ſacris inſtitutis,
atque revocanda priſtina Eccleſiaſtica, di-
ſciplina pravoſque mores, qui ſuccreviſſent, B
evelleret. Agemus de his ſuo loco, nempè
anni ſequentis exordio.

Hoc eodem anno, qui tertius ab Urbani VI.
Papæ obitu numeratur, Conradus Rex mo- Conradi
ritur Florentiæ, ibidemque ſepelitur, cùm Regis obi-
jam anteà Mathildi reconciliatus eſſet, cum tus.
qua diſſenſio oborta erat. Cecinit iſta ver-
ſibus Domniso, ſimulque Ferrariæ quæ re-
bellarat, deditionem, cùm ab eadem bello
terra marique perſtringeretur. De Conra-
do Rege Urſpergenſis teſtatur, funus ejus
verſibus exornatum.

Inter hæc autem Philippus Rex Franco- VII.
rum, quem vidimus anno ſuperiori in Con- C Monetur
cilio Pictavenſi ab Apoſtolicæ Sedis Lega- Paſchalis
tis fuiſſe excommunicationis ſententia ob ab Ivone
pellicem condemnatum, Romam pro abſo- de adventu
lutione ad Paſchalem Papam miſit. Cùm Regis Frā-
autem ipſe Rex Romam aditurus dicere- corum.
tur, Ivo Epiſcopus Carnotenſis admonuit
Paſchalem Pontificem, ne ab ipſo decipere-
tur, extorqueretque è manu ipſius abſolu-
tionem, ut fecerat ab Urbano, à quo abſo-
lutus rurſùs eſt reverſus ad vomitum. Ver-
ba Ivonis ad Paſchalem Papam ſunt iſta:
(*f*) De cœtero notum facio Sanctitati ve- f *Ivo ep.* 49.
ſtræ, quòd Francorum Rex Romam in pro-
ximo ſe venturum dicit: quod tamen non D
credimua: ſed ſeu veniat, ſeu mittat, cave-
te & nobis & vobis, ut ſemper clavibus, &
catenis Petri fortiter teneatur. Et ſi fortè
abſolutus fuerit, & ad vomitum, ſicut jam
contigit, reverſus fuerit, è veſtigio eiſdem
clavibus recludatur, eiſdem catenia relige-
tur, & hoc litteris veſtria omnibua Eccle-
ſiis manifeſtetur. Ita enim corroſorum den-
tes confringetis, & juſtitiæ ſatiafacietis.
Quòd ſi fortè Deua cor ejua ad pœniten-
tiam illuſtraverit: mementote noſtri, qui
portavimus pondus diei & æſtus; ut ſicut
fuimus participes tribulationia, ita ſimus &
conſolationia.] Hæc de Rege ad Paſcha- E
lem Papam Ivo. Porrò adventus Philippi
Regia in Urbem abſolutionis cauſa petēdæ
evanuit; Legatos tamen, ut vidimus, miſit,
quorum petitione à Paſchale Pontifice duo
Legati in Gallias miſſi ſunt, ad recipien-
dam debitam ſatisfactionem à Rege, qua
prævia deberet abſolvi: quod & factum eſt.

Quoniam autem eiſdem Ivo litteris ad VIII.
Paſchalem Papam ingerit querelam adver-
sùs eumdem Regem Philippum de Gallo-
ne, ſive Gaulone, vel Galono (ita di-
verſimodè appellatum invenio) electo

... Belluacenſi Epiſcopo, cujus electioni aſſenſum præbere nolebat; cùm ejus cauſa ei ... Ivoni plurimùm fuerit laudabiliter laborandum: quomodò iſta ſe habuerint, ex ... ad Paſchalem litteris (a) eſt petenda narratio, quæ ſic ſe habet: Belluacenſes clerici melioris famæ, & conſilii ſanioris, præcedente conſilio veſtro, conſilio optimatum diœceſis ſuæ, & laude populi, dominum * Callonem, virum vita honeſtum, liberalibuſque ſtudiis & Eccleſiaſticis diſciplinis ornatum in Epiſcopum ſibi elegerunt: pauci tamen ex clericis Stephani illius repudiati complices, quos ſibi pelliculis peregrinorum murium, atque aliis hujuſmodi vanitatum aucupiis ineſcaverat, huic electioni non aſſenſerunt, nec tamen ei aliquid, quod ſacris canonibus obviet, obiicere potuerunt. Cùm verò rem per ſe impedire non valerent, Regem adierunt, quædam verba auribus ejus inſtillaverunt, quæ facilè in cor ejus cliquaverunt: videlicèt, quòd prædictus electus diſcipulus meus fuerit, apud me nutritus, apud me eruditus: addentes quòd à Sanctitate veſtra fuerit electus, & quòd magnus ei futurus eſſet adverſarius, ſi in regno ejus aliquando fuerit Epiſcopus. Rex itaque virulentis his verbis ſuccenſus, & ab omni bona voluntate turbatus non vult electioni aſſenſum præbere, nec electo bona Epiſcopalia dimittere. Unde electores ejus ad paternitatem veſtram jam confugiſſent, niſi quia Metropolitanus eorum eos detinet, condicto die inter contradictores, & electores, ſicut dicitur, pacem volens componere, vel forſitan propter voluntatem Regis eam callidè impedire. Supereſt ergò, dilectiſſime Pater, ut pro poteſtate & auctoritate veſtra, ſicut cœpiſtis, Eccleſiæ, prout clerici rationabiliter poſtulaverint, ſuccurratis, & conſilium veſtrum inconfuſibile faciatis, ne inſidiatores & detractores veſtri ſubſannando de vobis dicere incipiant: (b) Hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare.

* al. Gaulonem.

b *Luc. 24.*

IX. Ita quidem, quod anno ſuperiori Legati Apoſtolicæ Sedis in Gallias miſſi prohibuerunt eligi Stephanum illum, hominem ſceleſtum, ante damnatum ab Hugone Archiepiſcopo Lugdunenſi; ſed tamen improbi clerici illi contra prohibitionem eumdem Stephanum elegiſſent: eadem ex cauſa idem Ivo ad Paſchalem Pontificem has litteras dedit, tanto viro dignas, & cui ſcriberentur valdè utiles: (c)

c *Ivo ep. 44*

Paſchali ſummo Pontifici, Ivo humilis Eccleſiæ Carnotenſis miniſter, quidquid filius patri.

X. Quoniam uteriorum filium Romanæ Eccleſiæ, teſtante conſcientia mea, me eſſe cognoſco; cùm ſcandalizatur, non poſſum non uri; cùm cribulatur, tribulor, cùm detractorum livido dente laceratur, diſrumpor. Unde ſuggero dulciſſimæ paternitati veſtræ, ut ſi quæ de partibus noſtris accuſandorum † Epiſcoporum, vel aliorum hominum ad aures veſtras cauſæ perlatæ fuerint: non ſtatim petitionibus eorum, qui ſua quærunt, & non quæ JESU CHRISTI, acquieſcatis; ſed induleo congruo & prolixo ſpacio, religioſorum, qui in vicina regione rem liquidè noſſe poſſunt, teſtimonia requiratis, & ita cognita veritate, prout vobis Deus inſpiraverit, juſtè vel miſericorditer quælibet negotia terminetis. Ita enim bonam famam veſtram, quæ Sedi Apoſtolicæ valdè neceſſaria eſt, conſervando, multorum ſaluti providebitis, & æmulorum linguas à maledicto revocabitis. Alioquin ſi quæ pudenda patris (quod Deus avertat) revelata fuerint, non ea ut filii averſionis deridebimus; ſed tamen ab hujuſmodi admonitionibus, quas infructuoſas videbimus, ſtylum & linguam cohibebimus. Non indignetur Sanctitas veſtra, ſi ut filius talia ſuggero paternitati veſtræ, quia multos paſtores jam vidi propter remiſſa flagitia, vel multorum diſſimulata facinora ori ſuo ſilentium poſuiſſe, & à ſpe corrigendorum malorum plurimùm defeciſſe. Hæc hactenùs.

† vel excuſandorum.

Optimum Conſilium ingerit Papæ Ivo Epiſcopus Carnotenſis.

Æſtimationi Sedis Apoſtol. cōſulendum.

XI. De cœtero notum facio excellentiæ veſtræ, Belluacenſes clericos contra interdictum veſtrum & Legatorum veſtrorum quemdam clericum, nomine Stephanum, in Epiſcopum aſſumpſiſſe procul à ſacris ordinibus inventum, utpote nondum ſubdiaconum, hominem illitteratum, aleatorem, mulierum ſectatorem, publicè olim de adulterio publico infamatum, & ob hoc à domino Lugdunenſi Archiepiſcopo tunc temporis Sedis Apoſtolicæ Legato Eccleſiæ communione privatum. De quo poſſent dici multa alia inhoneſta, ſed hæc quæ vera & manifeſta ſunt, ad repulſionem ejus ſufficiunt, ſi Apoſtolica & canonica inſtituta vigorem ſuum non amittunt. Volo itaq; Sanctitatem veſtram à parvitate mea ſuper hoc eſſe præmonitam, & præmunitā, ne per ſurreptionem innocentiam veſtram aliquis decipiat, ut licentia veſtra ad Epiſcopatum perveniat. Quod ſi factum fuerit; quantum in hoc caſura ſit Sedis Apoſtolicæ auctoritas, ſi verbis meis non creditis, tandem rei experientia cognoſcetis.] Et poſt alia hæc de munere Romani Pontificis: Veſtrum autem eſt, inquit, & oves errantes & diſſipatas per nebulas & avia deſerti quærere, & ad paſcua reducere: paſtorem qui gregis curam habeat, eidem providere. Et licèt oves ipſæ velint perire, velint errare, velint ſe voracitati luporum ſuffocandas obiicere: dicendum eſt tamen Sanctitati veſtræ: Nolo erretis, nolo peccatis.] Eodem quoque argumento anteà (d) ſcripſerat idem Ivo ad Joannem & Benedictum, Cardinales, Sedis Apoſtolicæ Legatos, cùm ſic ab eo admoniti vetuerunt, ne perditus ille Stephanus eligeretur. Scripſit & alias pro electo idoneo idem Ivo ad Paſchalem (e) litteras

De infirmāda Stephani Electione.

d *Idem ep. 36.*

e *Idem ep. 45.*

XII. At quod ſpectaret ad jura Regis deligendi promovendos Epiſcopos, idem Ivo hæc ſcripſit tunc ad Archiepiſcopum Rhemenſem, cùm rogat, ut eumdem legitimè electum debeat conſecrare: (f) Non enim,

f *Idem ep. 47. vid. diſt. 43.*

inquit,

Reges non ſe immiſceant Electionibus Epiſcoporum.

inquit, licet Regibus, ſicut ſanxit Octava Synodus, quam Romana Eccleſia commendat & veneratur, electionibus Epiſcoporum ſe immiſcere, vel aliqua eas ratione impedire. Francorum enim Reges Carolus, & Ludovicus electiones Epiſcoporum Eccleſiis conceſſerunt, quod & in ſuis (a) Capitularibus ſcriptum reliquerunt, & in Conciliis Epiſcoporum provincialibus ſanciri permiſerunt. Habeat ergò Deus in Eccleſia ſua principaliter quod ſuum eſt; habeat Rex poſterior in ordine poſt Deum, quod ſibi à Deo conceſſum eſt.] Porrò obtinuit Ivo quod conatus eſt, ut Stephanus ille probroſus repelleretur, prout aliis ad eumdem Paſchalem Papam (b) litteris idem Ivo teſtatur. Sed ut electio Gallonis probaretur, quod adhùc videretur illud obſtare de juramento, (c) quo ſe Rex Ludovicus Philippi filius obſtrinxerat, numquam fore ipſum Gallonem, quouſque viveret, Epiſcopum; ut ob id non deſiſteret, ſcriptis iterùm ad eum inſtare ipſe non deſtitit. Quid tandem? prævaluit Paſchalis, ut idem Gallo conſecraretur Epiſcopus Bellnacenſis. Verùm quòd Regis inimicitiæ eum urgerent, factum eſt per Ivonem, ut idem ab Eccleſia (d) Pariſienſi in ſuum eligeretur Epiſcopum, Belluacenſi autem Eccleſiæ Gaufridus quidam daretur Epiſcopus, ad quem datæ Ivonis litteræ extant: (e) ſicque negotium iſtud per triennium agitatum eſſe reperitur uſque in annum milleſimum centeſimum quartum, quo etiam Regis abſolutio in eiſdem Ivonis epiſtolis legitur pertractata, de qua ſuo loco dicetur.

a *Capit. l. 1. c. 76.*
b *Idem ep. 41.*
c *Idem ep. 50.*
Cauſa quo modo terminata.
d *Idem ep. 169. 170. 171.*
e *Ivo epiſt. 176.*

Hoc ipſo anno idem Paſchalis Papa confirmavit Primatum Eccleſiæ Toletanæ, ſic ſcribens ad Bernardum ejuſdem Eccleſiæ Archiepiſcopum.

Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, reverendiſſimo fratri Bernardo Toletano Archiepiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus canonicè ſubſtituendis in perpetuum.

Actorum ſynodalium decreta ſcrutantibus liquet, quantæ Toletana Eccleſia dignitatis fuerit ex antiquo, quantamque per eam in Eccleſiaſticis negotiis utilitatem accreverunt. * Unde & nos ejuſdem urbis ſtatum, quantum noſtræ eſt facultatis, in Eccleſiaſticis dignitatibus gloria ſtabilire, Domino adjuvante, optamus. Igitur tùm pro bonitate S.R.E. debita, tùm pro digna Toletanæ Eccleſiæ debita reverentia; tum etiam filii noſtri præſtantiſſimi Regis Ildefonſi poſtulationibus, cujus nimirùm virtute, & prudentia Toletana Eccleſia Maurorum, & Moabitarum jugo erepta eſt; te chariſſime frater, juxta conſtitutum prædeceſſoris noſtri ſanctæ memoriæ Urbani Papæ II. in totis Hiſpaniarum regnis te Primatem fore, præſentia privilegii auctoritate ſancimus, ſicut ejuſdem urbis conſtat antiquitùs extitiſſe pontifices &c. Primatem te univerſi Hiſpaniarum Præſules reſpicient &c. Ego Paſchalis Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcribo. Dat. Laterani per manum Joannis S.R.E. diaconi Cardinalis, ſecundo Nonas Martii, Indictione octava, Incarnationis Dominicæ, anno MCI. Pontificatus autem domini Paſchalis Papæ Secundi, anno Secundo.] Præſtiterunt hoc ipſum fermè ſinguli ſucceſſores, de quibus inferiùs ſuis locis dicendum.

XIII. Hoc anno innovatur alia expeditio in Terram ſanctam, & quidem ingenti numero ingentiora factura, ſi per Alexii Imper. perfidiam licuiſſet, qui ſub nomine amici, ſubque tegmina pacis, acerbiùs quàm hoſtis, crudeliuſque quam ſi aperto bello, eos eſt perſecutus. Porrò iſta ſingula qui ſcire cupit, conſulat Conradum Urſpergenſem Abbatem, qui cum eadem expeditione profectus eſt Hieroſolymam, atque cuncta quæ acciderunt, fideli ſtylo perpetuæ memoriæ commendavit; proditionem videlicèt Alexii Imperatoris, erga Turcas magis, quàm Latinos propenſi; ſtrages Chriſtianorum per Turcas in itinere furtim illatas, graſſantem luem, per quam ingens valdè numerus Chriſtianorum eſt conſumptus: inſuper etiam pugnas Balduini Regis in Turcas de victoria ſecuros ex reſponſis ſuorum, cum ſanctæ Crucis virtute, quam Sedis Apoſtolicæ Legatus ante ſe per Abbatem Gerardum ferebat, ipſius tantùm intuitu hoſtes perterrefacti, fugam inierint, cæſique fuerint quantumlibet victores ipſius pugnæ exordio extitiſſent; Joppen inſuper obſeſſam, ſed Crucis virtute pariter liberatam; inſuper conſuetum miraculum de incenſione luminum divinitùs fieri ſolita Hieroſolymis die magni Sabbathi ante Paſcha. Hæc quidem miranda, Dei miſericordia populo ſuo exhibita, ipſa qui aderat Urſpergenſis Abbas, exactè deſcribit. Sed & Vvillelmus (f) Tyrius ex eis aliqua attigit, qui & de Januenſium claſſia appulſu, quorum ope capta Antipatrida, & Cæſarea maritima; ubi iidem Januenſes potiti ſunt vaſe ſmaragdino, aliiſque munitionibus expugnatis, hiſtoriam texuit, quem majori otio pro arbitrio conſulas; attigiſſe nobis ſatis pro inſtituto.

Secunda expeditio Hieroſolymitana.
Crucis virtute victoriæ obtentæ.
f *Vvillel. Tyr. l. 10. c. 13. 15. 16.*

Sed planè longè his locupletiora, ſicut & celebriora fuere ſacra pignora, quæ Myra in Licia civitate iidem Januenſes pietate inſignes in patriam detulere, nempè ſacroſancti cineres ſanctiſſimi Præcurſoris Joannis Baptiſtæ, quorum ſuis locis ſuperiùs mentio facta eſt. Quæ ipſæ venerandæ reliquiæ inſignioribus in dies illuſtratæ miraculis: cujus ſint, ſublimi voce virtutis annunciant. Quibus etiam factum eſt, ut cùm eædem innotuiſſent Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Pontificibus; ab iiſdem religioſè ſint cultæ, qui in ipſarum ampliorem venerationem, Eccleſiæ, ubi ſunt collocatæ, indulgentias plurimas contulere; atque inſuper addidere, ut in gratiarum actionem tanti à Deo accepti muneris, ejuſdem tranſlationis dies anniverſaria ageretur officio duplici. Vidimus de his ſcripta ſacra diplomata, ad nos perlata diligentia amici chariſſimi Domini Angeli Grilli nobilis Januenſis Abbatis ſancti Pauli hìc in Urbe, cui benè precamur, quòd ejus opera factum ſit, ut quod omiſſum fuerat in editio-

editione, reſtitueretur hic in Appendice, undè poſtrà, cùm contigerit eumdem Tomum Annalium iterùm cudi, in locum ſuum exactè notatum Typographus adhibita diligentia inſerat.

XIV. S. Brunonis obitus. Ad extremum autem illuſtratur præſens annus obitu S. Brunonis Carthuſienſium Patriarchæ, qui optimo fine benè inſtitutam vitam feliciſſimè conſignavit: ad cujus ſepulchrum ſequens exciſum eſt epitaphiũ:

Primus in hac Chriſti fundator ovilis eremo
Promerui fieri, qui tegor hoc lapide.
Bruno mihi nomen, genetrix Germania, meque
Tranſtulit ad Calabros grata quies nemoris,
A *Doctor eram, præco Chriſti, vir notus in orbe:*
Deſuper illud erat, gratia, non meritum.
Carnis vincla dies Octobris ſexta reſolvit,
Oſſa manent tumulo, ſpiritus aſtra petit.]

Quem ipſum plurimis illuſtratum miraculis venerandum ſuſcepit Eccleſia. Porrò ejus ordinis inſtitutionem habes duabus clariſſimis tubis toto orbe Catholico perſonantibus commendatam, nempè ſancti Bernardi Abbatis Claræ- B vallenſis, & venerabilis Petri Abbatis Cluniacenſis epiſtolis ad Guidonem Priorem Carthuſiæ datis.

JESU CHRISTI ANNUS 1102. PASCHALIS PAP. II. ANNUS 3. HENRICI III. IMP. 19. ALEXII COMNENI IMP. 22.

I. MILLESIMUS centeſimus ſecundus annus ſequitur, Indictione decima inchoatus, quo Romæ tempore Quadrageſimæ generale Concilium congregatur, ad conciliandum Henricum Imp. ipſi C Pontifici, prævia ſatisfactione, quam promiſerat; ſed cùm defeciſſet, ut aliàs ab eo ſæpè factum, ſententiam ibi rursùm damnationis accepit. Audi ergò quæ de eodem Concilio ejus temporis ſcriptor Urſpergenſis Abbas narrat his verbis: Anno Domini milleſimo centeſimo ſecundo Imperator Henricus habito cum Principibus colloquio, Romam ſe profecturum, ac generale Concilium circa Kalendas Februarii inibi convocaturum condixit, quatenùs tàm ſua, quàm domini Apoſtolici cauſa canonicè ventilata, Catholica inter regnum & ſacerdotium confirmaretur unitas, quæ tot annis ſciſſa permanſit. D Conſtat tamen, nec ipſum juxta placitum veniſſe, nec nuntia dignitati Apoſtolicæ ſubjectionem profitentia miſiſſe. Nec hoc latet, quòd alterum Papam ipſi domino Paſchali ſuperponere, ſi fieri poſſet, conatus ſit, nec profecerit. Tranſacta poſt hæc media Quadrageſima, convenientibus univerſis Apuliæ, Campaniæ, Siciliæ, Tuſcaniæ, totiuſque ſimul Italiæ Præſulibus, Ultramontanorum autem quamplurimorum Patrum Legatis, Synodus magna Romæ eſt habita: ubi præter antiqua Patrum inſtituta more ſolito reverenter confirmata, etiam ſæpè dictum E noſtri temporis ſchiſma inter præcipuas hæreſes computatur, ac perpetuo eum ſuis auctoribus atque ſequacibus anathemate hujuſmodi ſubſcripta profeſſione condemnatur:

Concilium Generale Romæ celebratum.

II. Profeſſio Catholica. Anathematizo omnem hæreſim, & præcipuè eam, quæ ſtatum præſentis Eccleſiæ perturbat, quæ docet & aſtruit anathema contemnendum, & Eccleſiæ ligamenta ſpernenda eſſe. Promitto autem obedientiam Apoſtolicæ Sedis Pontifici domino Paſchali, ejuſque ſucceſſoribus ſub teſtimonio Chriſti & Eccleſiæ, affirmans quod affirmat, damnans quod damnat ſancta & univerſalis Eccleſia.

Ibi etiam, quam ſententiam in Imperatorem vel Patricium Romanum Henricum idem Apoſtolicus Paſchalis promulgaverit: nos quoque inter innumeras diverſarum gentium catervas, proxima Cœna Domini in Eccleſia Lateranenſi ab ejus ore didicimus: nimirùm poſtquàm octavo Kal. Octobris maris fluctibus Joppe traditi, Romæ ſumus per gratiam Chriſti prædicta majori hebdomada introducti.] Quæ ſic ſe habet:

III. Anathema iteratũ in Henricum Imper. Quia, inquit, tunicam Chriſti ſcindere, ideſt, Eccleſiam rapinis & incendiis devaſtare, luxuriis, perjuriis, atque homicidiis commaculare non ceſſavit, primo à beatæ memoriæ Gregorio Papa, deinde à Sanctiſſimo viro Urbano prædeceſſore meo propter ſuam inobedientiam excommunicatus eſt & condemnatus: nos quoque in proxima Synodo noſtra judicio totius Eccleſiæ perpetuo eum anathemati tradidimus. Id notum volumus & maximè Ultramontanis eſſe, quatenùs ab ipſius ſe contineant iniquitate.] Hactenùs quæ ex hac Synodo retulit Urſpergenſis.

IV. In hoc etiam Concilio Archiepiſcopus Capuanus à Caſſinatibus monachis accuſatus ſacrilegii ſententiam ſubiit, ac ſatisfecit. Rem geſtam ſic narrat Petrus diaconus: (a) Sequenti tempore idem Abbas Capuam pergens, Capellam S. Angeli ad Formas, quæ in honorem S Nicolai noviter conſtructa erat, fecit à Brunone Signienſi Epiſcopo & hujus monaſterii monacho dedicari, convocato etiam Senne Capuano Archiepiſcopo. Facta itaque dedicatione, die alia idem Archiepiſcopus congregata Capuanorum multitudine, armata manu miſit illos ad eamdem Eccleſiam violandã, altareque demoliendum, & reliquias indè auferendas, ſibique aſportandas. Hoc facto conquerebatur contra noſtrum Abbatem & dictum Epiſcopum, quòd contra canones egiſſent

a *Pet. Diac. Chron. Caſſ. l. 4. c. 30.*

A egiſſent in eadem dedicatione, Metropolitano non cedentes in his quæ deceret Archiepiſcopum agere. Noſtri unà cum Epiſcopo dicebant, ſe concorditer egiſſe omnia quæ ibi geſta eſſent. Hac de re inſimulatus à noſtris in Synodo Romana idem Archiepiſcopus, irruptionem Eccleſiæ, deſtructionem altaris, reliquiarumque violationem objicientibus unà cùm Clero civitatis & populo, emendaturum ſe errata, reſpondit: quod etiam fecit.] Hæc Petrus. Sed redeamus ad ſancitam in Concilio profeſſionem.

Archiepiſ. Capuanus emendat errata.

V. Quam ante audiſti ſuperiùs recitatam fidei profeſſionem exhibere eam tenebantur etiam cum juramento Epiſcopi, Archiepiſcopi, & omnes, à quibus Romanus Pontifex exigere vellet. Accidit autem ea occaſione, ut cùm accepturus pallium Panormitanus Archiepiſcopus, ad idem juramentum præſtandum exigeretur ab Apoſtolicæ Sedis Apocriſariis, & id facere detrectaret: eum Paſchalis Papa corripuerit, ut apparet ex Decretali epiſtola ipſius ad eumdem Archiepiſcopum data, quæ ſic ſe habet: (a)

a Ext. de elect. c. 4.

VI. Significaſti, Reges & regni Majores admiratione permotos, quòd pallium tibi ab Apocriſariis noſtris tali conditione oblatum fuerit, ſi ſacramentum, quod à nobis ſcriptum detulerant, exhiberes.] Et inferiùs de cauſa hujus faciendi decretl: Nonnè malum eſt, ab Eccleſiæ unitate, & Sedis Apoſtolicæ obedientia reſilire, & contra canonum ſtatuta prorumpere? quod multi etiam poſt ſacramẽtum præſtitum præſumpſerunt.] Et infrà: Hoc nimirùm malo ac neceſſitate compellimur juramentum pro fide, pro obedientia, pro unitate requirere. Ajunt in Conciliis ſtatutum non inveniri: quaſi Romanæ Eccleſiæ Concilia ulla legem præfixerint, cùm omnia Concilia per Romanæ Eccleſię auctoritatem & facta ſint, & auctoritatem & robur acceperint, & in eorum ſtatutis Romani Pontificis patenter excipiatur auctoritas.] Et infrà: Cùm igitur à Sede Apoſtolica veſtræ inſignia dignitatis exigitis, quę à beati Petri tantùm corpore aſſumuntur: juſtum eſt, ut vos quoque Sedi Apoſtolicæ ſubjectionis debitæ ſigna ſolvatis, quę vos cum beato Petro, tamquàm membra de membro* habere, & Catholici capitis unitatem ſervare declarent.] Hæc Paſchalis ad Archiepiſcopum Panormitanum.

Panormitanus Archiep. cõpellitur profiteri obedientiã Sedi Apoſt.

*al. hærere

VII. Eodem quoque argumento, eadem præcedente occaſione, idem Paſchalis Papa tunc ſcripſiſſe ad Archiepiſcopum Poloniæ reperitur his verbis in codice Vaticano, qui inſcribitur Liber Cenſuum, ex collectione Cencii Cameralis:

VIII. Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei N. Polonorum Archiepiſcopo.

Paſchalis Ep. ad Archiep. Polon. de jurata profeſſ.

Significaſti frater chariſſime, Regem & regni Majores admiratione permotos, quòd pallium tibi ab Apocriſariis noſtris tali conditione oblatum fuerit, ſi ſacramentum, quod à nobis ſcriptum detulerant, jurares. In pallio frater plenitudo conceditur pontificalis officii, quia juxta Sedis Apoſtolicæ & totius Eccleſiæ conſuetudinem ante acceptum pallium Metropolitanis minimè licet aut Epiſcopos conſecrare, aut Synodum celebrare. Mirentur in hac cauſa & Dominum JESUM CHRISTUM. Cùm enim Dominus (b) JESUS CHRISTUS, ut omnium ovium ſuam curam Simoni Petro committeret, conditionem poſuit, dicens: Diligis me Simon Petre? paſce oves meas: ſi conſcientiarum factor & conditor conditione hac uſus eſt, nec ſemel tantùm, ſed B & ſecundò, & uſque ad contriſtationem: qua nos ſollicitudine, qua proviſione oportet tantam Eccleſiæ prælationem, tantam Chriſti ovium curam fratribus imponere, quorum conſcientias non videmus, illis maximè, quos nullo uſu novimus, quorum dilectionem penitùs ignoramus? Aiunt (c) omne juſiurandum à Chriſto Deo in Evangelio eſſe prohibitum, nec ab ipſis Apoſtolis poſt Dominum, nec in Conciliis inveniri poſſe ſtatutum. Quid eſt ergò quòd idem Dominus ſubſecutus ait: Quod ampliùs eſt, à malo eſt? hoc enim ampliùs ut exigamus, malum nos, illo C permittente, compellit. Nonnè malum eſt, ab Eccleſiæ unitate, à Sedis Apoſtolicæ obedientia reſilire? Nonnè malum eſt contra ſacrorum canonum ſtatum prorumpere? Quam multi hoc etiam poſt ſacramentum pręſumpſerunt? Nonnè prædeceſſor tuus præter Romani Pontificis conſcientiam damnavit Epiſcopum? Quibus hoc canonibus, quibus Conciliis legitur eſſe permiſſum? Quid ſuper Epiſcoporum tranſlationibus loquar, quæ apud vos non auctoritate Apoſtolica, ſed nutu Regis præſumuntur? Propter hæc mala, & alia evitanda hujuſmodi juramentum exigitur.

b Joan. 21.

c De his 22. q. 1. 2. per tot.

IX. D Cur autem juramentum Dominus prohibuerit, Apoſtolus Jacobus manifeſtè adjiciens docet: Ut non ſub judicium incidatis, ne quiſquam (ſicut S. Auguſtinus exponit) aſſiduitate jurandi ad perjurium per conſuetudinem dilabatur. Quapropter juratione quis non utatur, niſi neceſſitate, cùm videt pigros eſſe homines ad credendum, quod utile eſt eis credere, niſi juratione firmetur. Hoc nimirùm malo ac neceſſitate compellimur juramentum pro fide, pro obedientia, pro unitate requirere. Porrò Apoſtolum Paulum pro auditorum diffidentia juraſſe, ejus E Epiſtolæ teſtantur.

X. Aiunt in Conciliis Statutum non inveniri, quaſi Romanæ Eccleſiæ legem Concilia ulla præfixerint; cùm omnia Concilia per Eccleſiæ Romanæ auctoritatem & facta ſint & robur acceperint, & in eorum ſtatutis Romana patenter auctoritas excipiatur. Nonnè in Chalcedonenſis Concilii Actione xvi. ſtatutum eſt: Ante omnia quidem Primatus honorem pręcipuum ſecundùm canones antiquę Romæ reverendiſſimo Archiepiſcopo conſervari? Itaque, quod conſuerunt Rex & magnates à ſu-

Super Cõcilia Eccleſ. Rom.

A à ſupradicta ſacramenti conditione quieſcere: videturne vobis judicium Evangelicum? videturne Primatus noſtri honor præcipuus? Numquid animo cecidit illa ſententia Domini: (a) Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum? Numquid Hungarico Principi dictum eſt: (b) Et tu converſus confirma fratres tuos? Numquid hæc nos commodi noſtri profectione requirimus, & non unitatis Catholicæ ſtatuimus firmamentum? Poſſunt Apoſtolicam Sedem contemnere, poſſunt adversùm nos calcaneum elevare: datum à Deo privilegium evertere vel auferre non poſſunt, B quo Petro dictum eſt: (c) Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, &: Tibi dabò claves regni cœlorum. Quibus tamen quatuor Conciliorum decretis dandi pallii modus præſcriptus eſt; & profeſſionis vel obedientiæ ordo ſancitus eſt.

a Matt. 10. b Ibid. 16. c Ibidem.

XI. Cùm igitur à Sede Apoſtolica veſtræ inſignia dignitatis exigitis, quæ à beati tantùm Petri corpore aſſumuntur; juſtum eſt, ut vos quoque Sedi Apoſtolicæ ſubjectionis debitæ ſigna ſolvatis, quæ vos cum beato Petro tamquàm membra de membro hærere, & Catholici capitis unitatem ſervare declarent. C In quibus à prædeceſſoribus noſtris ea eſt adhibita moderatio, ut nihil injurioſum, nihil difficile ſit appoſitum, quod non etiam præter exactionem noſtram ab omnibus debeat Epiſcopis obſervari, qui ſub Apoſtolorum principum Petri & Pauli obedientia decreverunt & unitate perſiſtere. Numquid non ultrà vos Saxones, Danique conſiſtunt? Et tamen eorum Metropolitani & idem juramentum afferunt, & Legatos Apoſtolicæ Sedis honorificè tractant, & in ſuis neceſſitatibus adjuvant & Apoſtolorum Limina per Legatos ſuos non tantùm per triennium, ſed annis ſingulis viſitant. D Ita te, frater chariſſime, fruamur in Domino, ut non per te in Eccleſiis ſubtractionis & diſſidii (quod abſit) oriatur occaſio.] Hucuſque in codice Vaticano, conſentientia iis quæ ſcripta vidimus ad Archiepiſcopum Panormitanum. Subjungit Vvillelmus Malmesburienſis:

De obedientia Saxonum, & Danorum.

Eodem anno, agente S. Anſelmo Cantuarienſi Archiepiſcopo, generale Londonienſe Concilium celebratum eſt in Eccleſia S. Petri, circa feſtum diem S. Michaelis Archangeli, in quo potiſſimùm quæ Romæ decreta in Concilio generali acceperat de inveſtituris Eccleſiarum, plano E ſermone deſcripſit, videlicèt.

Concilium Generale Londonienſe ſub S. Anſelmo.

XII. Quòd nullus Eccleſiæ Prælatus, Epiſcopus, vel Abbas, vel clericus inveſtituras alicujus Eccleſiaſticæ dignitatis de manu ſuſcipiat laicorum. Unde idem Archiepiſcopus, aſſerens hoc animabus expedire, degradavit Abbates & Priores quoſdam, qui de manu laicorum & data pecunia Prælatias acceperant, ſicut Riccardum &c.] Numerat plures ab eodem S. Anſelmo redactos ad ordinem Matthæus Vveſtmonaſterienſis, ſcribens de A rebus Britannicis, hoc anno.

Idem Villelmus Malmesburienſis recenſet titulos canonum in hoc Concilio editorum, ita primùm conſignata exactè temporis ratione: Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo ſecundo, quarto autem Præſulatus Paſchalis ſummi Pontificis, *inchoato ſcilicèt*, tertio regni Regis glorioſi Henrici Anglorum, ipſo annuente &c.] Poſt recenſitos diverſos diverſis ex cauſis depoſitos, hæc habet de editis in Synodo ſacrorum canonum titulis:

XIII. Canones Concilii Londonienſis ſub S. Anſelmo.

B Statutum quoque eſt, ne Epiſcopi ſæcularium placitorum officium ſuſcipiant, & ut non, ſicut laici, ſed ut perſonas religioſas decet, ordinatas veſtes habeant, & ut ſemper & ubique honeſtas perſonas habeant teſtes converſationis ſuæ.

Ut Archidiaconatus non detur ad Firmam.

Ut Archidiaconi ſint diaconi.

Ut nullus Archidiaconus, presbyter, diaconus, canonicus uxorem ducat, aut ductam retineat. Subdiaconus verò quilibet, qui canonicus non eſt, ſi poſt profeſſionem caſtitatis uxorem duxerit, eadem regula conſtringatur.

C Ut presbyter, quamdiù illicitam converſationem mulieris habuerit, non ſit legalis, nec Miſſam celebret, nec ſi celebraverit, ejus Miſſa audiatur.

Ut nullus ad ſubdiaconatum aut ſuprà ordinetur ſine profeſſione caſtitatis.

Ut filii presbyterorum non ſint hæredes Eccleſiarum patrum ſuorum.

Nec quilibet clerici ſint ſecularium præpoſiti, vel procuratores, aut judices ſanguinis.

Ut presbyteri non eant ad potationes, nec ad pinnas bibant.

D Ut veſtes clericorum ſint unius coloris, & calceamenta ordinata.

Ut monachi vel clerici, qui ordinem ſuum abjecerunt, aut redeant, aut excommunicentur.

Ut clerici patentes coronas habeant.

Ut decimæ non niſi Eccleſiis dentur.

Ne Eccleſiæ aut præbendæ emantur.

Ne novæ capellæ fiant ſine conſenſu Epiſcopi.

Ne Eccleſia ſacretur, donec provideantur neceſſaria & presbytero & Eccleſiæ.

Ne Abbates faciant milites, & ut in eadem domo cum monachis ſuis dormiant & E comedant, niſi aliqua neceſſitate prohibente.

Nec monachi pœnitentiam cuivis injungant ſine conſenſu Abbatis ſui. Et quòd Abbates ſui de hoc eis licentiam dare non poſſunt, niſi de eis, quorum animarum curam gerunt.

Ne monachi compatres, nec monachæ commatres fiant.

Ne monachi teneant villas ad Firmam.

Ne monachi Eccleſias niſi per Epiſcopos accipiant, neque ſibi datas ita expolient ſuis redditibus, ne presbyteri ibi ſervientes, in his quæ ſibi & Eccle-

ſiis

ſiis, neceſſaria ſunt, penuriam patiantur.

Ut fides inter virum & mulierem occultè & ſine teſtibus data de conjugio, ſi ab alterutro negata fuerit, irrita habeatur:

Ut criniti ſic tondeantur, ut pars aurium appareat, & oculi non tegantur.

Ne cognati uſque ad ſeptimam generationem copulentur, vel copulati ſimul permaneant: & ſi quis hujus inceſtus conſcius fuerit, & non oſtenderit, ejuſdem criminis participem ſe eſſe cognoſcat.

Ne corpora defunctorum extra parochiam ſuam ſepelienda portentur, ne preſbyter parochiæ perdat, quod illi inde juſtè debetur.

Ne quia temeraria novitate corporibus mortuorum, aut fontibus, aut aliis rebus (quod contigiſſe cognovimus) ſine Epiſcopali auctoritate reverentiam ſanctitatis exhibeat.

Ne quis illud nefarium negotium, quo hactenùs ſolebant in Anglia homines ſicut bruta animalium vendi, deinceps præſumat.

* Jurantes.

Sodomiticum flagitium facientes, & eos in hoc voluntariè * viventes, in eodem Concilio gravi anathemate damnati ſunt, donec confeſſione & penitentia abſolutionem mereantur. Qui verò in hoc crimine publicatus fuerit, ſtatutum eſt, ſi quidem fuerit perſona religioſa, ut ad nullum ampliùs gradum promoveatur, & ſi quem habet, ab eo deponatur: ſi autem laicus, ut in toto regno Angliæ ſuæ conditionis dignitate privetur; & ne hujus criminis abſolutionem his, qui ſub regula non voverunt, aliquis niſi Epiſcopus deinceps facere præſumat. Statutum quoque eſt, ut per totam Angliam in omnibus Eccleſiis, & in omnibus Dominicis diebus excommunicatio præfata renovetur.] Hactenùs de generali Concilio anni hujus ex Vvillelmo in Geſtis Anglorum Epiſcoporum. Porrò hujus quoque occaſione Concilii S. Anſelmo multiplicatæ ſunt afflictiones, Rege non ferente, ut exors eſſet inveſtiturarum Eccleſiarum. Quamobrem opus fuit eidem ſanctiſſimo viro Romam iterùm ad Paſchalem Pontificem redire: quod factum eſt anno ſequenti, ut ſuo loco dicturi ſumus.

XIV. Otto cancellarius Imp. Electus Epiſcopus Babenbergenſis.

Hoc anno, defuncto Ruperto Epiſcopo Babenbergenſi, ab Henrico Imp. ſubſtitutus eſt Otto Cancellarius ejus. Ita Urſpergenſis hoc anno. Porrò cognita eſt in eodem Ottone electo mutatio dexteræ Excelſi. Siquidem execratus mox ſchiſma, verum in Eccleſia Catholica caput agnovit, Paſchalem Romanum Pontificem, apud quem Romam veniens inſignia regiæ inveſtituræ, quam acceperat ab Imperatore, facti pœnitens depoſuit, projiciens ea ad pedes ejus. Res ab eo præclarè geſtas ab auctore ejuſdem temporis fideliſſimè ſicut & copioſiſſimè tribus libris conſcriptas, è latebris antiquitatis nuper edidit opportunè nobis laborans, vir egregius Caniſius Noviomagenſis ſecundo tomo antiquæ lectionis. Hic ergò coactus accipere Babenbergenſem Eccleſiam, qui jam duos alios recuſaverat Epiſcopatus, primò Auguſtanæ Eccleſiæ, inde Halberſtadenſis: (a) Hic, inquit, vovit numquam ſe in Epiſcopatu manſurum, niſi & conſecrationem pariter, & inveſtituram canonicè conſenſu & petitione Eccleſiæ ſuæ à manu domini Apoſtolici ſuſcipere mereretur.] Et inferiùs: (b) Memor ergo voti ſui, poſt paucos dies ſuſceptionis ſuę, antequàm de aliis rebus ſuis ordinaret, Nuntios Romam mittit, & litteras in hunc modum:

a *Vit. Otton. lib.* 1. *c.* 3.

b *Eod. lib.* 1. *c.* 4. *&* 5.

XV. Ottonis electi Bäberg. Epiſ. ad Paſch. Epiſtola.

Domino & patri ſuo Paſchali ſanctæ & Apoſtolicæ Sedis univerſali Epiſcopo, Otto Babenbergenſis Eccleſiæ id quod eſt, tàm devotæ quàm debitæ ſubjectionis orationes & ſervitium.

Quia totius Eccleſiaſticæ dignitatis ac religionis firmamentum in Chriſto petra eſt, & in Petro (c) ejus diſcipulo, & ejus ſucceſſoribus: idcircò ab hac linea, ab hac virga (d) directionis, virga regnorum, pontificatuum, & omnium poteſtatum in Eccleſia, inſanum duxi aberrare. Vobis igitur, Pater ſanctiſſime, & ſanctæ matri noſtræ Romanæ Eccleſiæ collum devotè ſubmittens, auxilium & conſilium de rebus meis flagito. In obſequio enim domini mei Imperatoris per aliquot annos degens, & gratiam in ejus oculis inveniens, ſuſpectam habens in manu Regis inveſtituram; ſemel & iterùm cùm dare vellet, renui Epiſcopatum: nunc verò jam tertiò in Babenbergenſi Epiſcopatu me ordinavit. In quo tamen minimè permanebo, niſi veſtræ complaceat Sanctitati per vos me inveſtire & conſecrare. Quidquid ergò placeat diſcretioni veſtræ de me, per Nuntios mihi ſignificate ſervo veſtro, ne fortè in vanum curram, ſi ad vos currere incipiam. Omnipotens mihi propitiam incolumitatem veſtram cuſtodiat.] Hactenùs Ottonis litteræ. Pergit auctor: Dominus autem Apoſtolicus viſis litteris gaviſus, eò quòd pauci Epiſcopi Teutonici regni in ea malignitate temporum matri ſuæ, ut juſtum eſſet, deferrent, ei tales litteras deſtinavit.

c *Matth.* 16.

d *Pſal.* 44.

XVI. Paſchalis Pap. ad Ottonem reſponſio.

Paſchalis (e) ſervus ſervorum Dei Ottoni dilecto fratri Babenbergenſis Eccleſiæ electo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Filius (f) ſapiens lætificat matrem ſuam; opera tua, & conſilium tuum virum præſeferunt ſenſatum. Nos igitur honorare, & profectus tuos juvare, congruum duximus. Nihil ergò de noſtra benevolentia dubitans, tuam nobis quantocyùs valeas, præſentiam exhibeto. Certi enim ſumus, quòd divina Sapienta etiam malis hominibus benè uti novit.] Hucuſque Paſchalis litteræ. Porrò adventus

e *Vita Otton. lib.* 1. *c.* 6.

f *Prov.* 10.

ejus

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

A ejus Romam, & cum eodem Paſchali congreſſus, contigit anno ſequenti, quo nos, Annalium ſervata menſura, de ipſo acturi ſumus.

XVII. Hoc eodem quoque anno, cùm Robertus Flandriæ Comes jam ante biennium reverſus ab expeditione Hieroſolymitana, arma convertiſſet adversùs ſchiſmaticos inhærentes Henrico Imp. contra Romanam Eccleſiam, & Cameracenſes (ut Sigebertus affirmat) exagitaſſet: ut adversùs Leodienſes eadem inſania laborantes vires converteret, his litteris exhortatus eſt eundem Paſchalis Papa:

B Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Roberto Flandrenſium comiti ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

XVIII. Epiſtola Paſchalis Pap. ad Robertū Comit. Flandriæ.

Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui in te virtutis efficaciam operatur, qui reverſus Hieruſalem Syriæ, in cœleſtem Hieruſalem juſtæ militiæ operibus ire contendis. Hoc eſt legitimi militis, ut ſui Regis hoſtes inſtantiùs perſequatur. Gratias ergò prudentiæ tuæ agimus, quòd præceptum noſtrum in Cameracenſi parochia executus es: idipſum de Leodienſibus excommunicatis pſeudoclericis præcipimus. Juſtum enim eſt, ut qui ſemetipſos C à Catholica Eccleſia ſegregarunt, per Catholicos ab Eccleſiæ beneficiis ſegregentur. Nec in hac tantùm parte, ſed ubique cùm poteris, Henricum hæreticorum caput, & ejus fautores pro viribus perſequaris. Nullum profectò gratius Deo ſacrificium offerre poteris, quàm ſi eum impugnes, qui ſe contra Deum erexit, qui Eccleſiæ Dei regnum auferre conatur, qui in loco ſancto Simonis idolum ſtatuit, qui à principibus Dei ſanctis Apoſtolis, eorúq; Vicariis de Eccleſiæ domo ſancti Spiritus judicio expulſus eſt. Hoc tibi ac militibus D tuis in peccatorum remiſſionem, & Apoſtolicæ Sedis familiaritatem præcipimus, ut his laboribus ac triumphis ad cœleſtem Hieruſalem, Domino præſtante, pervenias. Datum Albani duodecimo Kalen. Februarii.] Hæc ad Robertum Comitem Paſchalis Papa.

XIX. Porrò Leodienſes ſchiſmatici, ubi has à Paſchali Pontifice litteras eſſe ſcriptas intellexere, more ſuorum in ſchiſmate comparum antiquorum Donatiſtarum, adversùs Principes reſilientium, contra has Paſchalis litteras, quibus in eos cenſura juſtitiæ animadverti juſſerat, ſcripſere Declamationem acerrimā, cujus hęc eſt inſcri- E ptio: Omnibus bonæ voluntatis hominibus Leodicenſis Eccleſia, veritatem fidei, & Catholicam unanimitatem inconcuſsè tenens.] Ita quidem more (ut dixi) antiquorum ſchiſmaticorum, qui licèt divulſi ab Eccleſiæ Catholicæ corpore, affectarent tamen Catholicum nomen. Declamatio autem ſic incipit: Stupendo & gemendo exclamo cum Iſaia, (a) qui onus deſerti maris exaggerans exclamat: Sicut turbines &c.] Prolixa nimis eſt, quæ cuſa habetur tomo ſecundo Concilio-

Schiſmatici reſilientes quid in Paſchalem.

a *Iſai.* 21.

A rum editionis Colonienſis, anno Domini MDLXXXXI. & ſi libet, tu Lector legere poteris, legenſque ſemper memineris ita loquentes eſſe ſchiſmaticos:

XX. Donatio Mathildis renovata

Hoc anno Comitiſſa Mathildis, cùm donationem ab ea Romanæ Eccleſiæ factam ſub Gregorio Papa Septimo publicis conſignatam monimentis audiſſet ſublatam atque deperditam: renovandam curavit per novum hujuſmodi ab ea juſſum ſcribi diploma, quod ad vitam ipſius à Domnizone carmine ſcriptam, poſitum vidimus appendicem; ſeorſum verò in Vaticano codice, quo ejuſmodi publica monimenta de- B ſcripta leguntur. Sed ipſum jam antiquitate nonnihil læſum, ut reperimus, hic fideliſſimè reddimus:

XXI. In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Anno ab Incarnatione Domini noſtri JESU CHRISTI milleſimo centeſimo ſecundo, quintodecimo die Kalendas Decembris indictione * decima, tempore domni Gregorii Septimi Papæ in Lateranenſi palatio, in capella ſanctæ Crucis, in præſentia Cencii Frangipani, Gratiani, Cencii Franculini, & Alberici de Petro Leone, & Benincaſa fratris ejus, Alberti de Tuſcio, & aliorum plurium, ego Mathilda C Dei gratia Comitiſſa, pro remedio animæ meæ, & parentum meorum, dedi & obtuli Eccleſiæ S. Petri per interventum domni Gregorii Papæ Septimi omnia bona mea jure proprietario, tàm quæ tunc habueram, quàm ea, quæ in anteà acquiſitura eram, ſive jure ſucceſſionis, ſive alio quocumque jure ad me pertinentia: & tàm ea quæ ex hac parte montium habebam, quàm illa, quæ in Ultramontanis partibus ad me pertinere videbantur. Omnia (ſicut dictum eſt) per manum domni Gregorii Septimi Papæ Romanæ Eccleſiæ dedi & tradidi, & chartulam inde fieri rogavi. Sed D quia chartula nuſquam apparet, & timeo, ne donatio & oblatio mea in dubium revocetur: ideò ego quæ ſupradicta Comitiſſa Mathilda iterùm à præſenti die dono & offero eidem Romanæ Eccleſiæ per manum Bernardi Cardinalis, & Legati ejuſdem Romanæ Eccleſiæ, ſicut in illo tempore dedi per manum domni Gregorii, omnia bona mea, tàm quæ nunc habeo, quàm quæ in poſterum Deo propitio acquiſitura ſum, & tàm quæ ex hac parte montium, quàm in Ultramontanis partibus habeo, quàm quæ in poſterum Deo propitio ac- E quiſitura ſum alio quocumque jure, pro mercede, & remedio animæ meæ & parentum meorum. Quæ autem iſta bona mea juris mei ſuperiùs dicta, unà cum acceſſionibus & ingreſſibus ſeu ſuperioribus, ſeu inferioribus qualiter ſupra legavi: in integro ab hac die eidem Eccleſiæ dono & offero, & per preſentem chartulam offertionis itidem habenda confirmo. Inſuper per † cultellum, feſtucam nodatam, guantonem, & gurraſcionem terræ, atque ramum arboris, & me exinde foras expuli garpini, & abſentem me feci, & à parte ipſius Eccleſiæ habenda reliqui facienda exinde Pa-

* al. XI.

† ſunt formulę ex id. totiſmis ejus tēporis, quę in aliis diplomatibus reperiuntur, quæ modo exoleverūt.

pæ,

pæ, aut cui Papa illius Eccleſiæ dederit à præſenti die quidquid voluerit, ſine omni mea & hæredum & prohæredum meorum contradictione. Si quid verò (quod futurum eſſe non credo) ſive ego Commitiſſa Mathilda (quod abſit) aut ullus de hæredibus aut prohæredibus, ſeu quælibet appoſita perſona contra hanc chartulam offertionis quandoque agere tentaverimus, aut eam per quodvis ingenium infringere quæſierimus: tunc inferremus in illam partem, contra quam exinde litem intulerimus, mulctam, hoc eſt pœnam, auri optimi libras mille, argenti pondera quatuor millia, & quod reperierimus, vendicare non valeamus.

B

Sed ut præſens hæc chartula offertionis omnibus temporibus firma permaneat atque perſiſtat, eam pergamenam cum atramento de terra levavi, paginam Guidoni Notario tradidi, & ſcribere rogavi, atque ſubter confirmans, teſtibus obtuli roborandam, Actum Canuſii feliciter.

Mathilda quidquid eſt, in hac charta à me facta ſubſcripſi.

Ego Adericus Judex interfui & ſubſcripſi.

Ego Ubaldus Judex interfui & ſubſcripſi.

C

Signum manus Attonis de monte Burtanzonis, & Bonvicini de Canuſio.

Rogati teſtes.

Ego Guido Notarius palatii ſcriptor hujus chartulæ offertionis, poſt traditam complevi & dedi.] Hactenùs ibi facta collatione cum aliis exemplaribus æquè depravatis. Quæ autem hæc ſecuta ſint de bonis relictis Romanæ Eccleſiæ, ſuo loco dicetur.

XXII. Bernardus Cardinalis miſſus à Paſchale Pap. Legatus ad Mathildem.

Quod autem ſpectat ad Bernardum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem Legatum ad Mathildam miſſum, cujus in exordio diplomatis factam audiſti mentionem: conſtat quidem quod Paſchalis Papa miſit ad Mathildam Comitiſſam Legatum eumdem Bernardum tunc presbyterum Cardinalem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, cujus

A

conſilio in rebus agendis uteretur & opera. Ita in vita Mathildis Domnizo presbyter tradit, nempè ad hoc opus delectum ex toto ſacro collegio Cardinalium virum ſanctiorem, Bernardum ipſum, qui ex Abbate monaſterii Vallis Umbroſæ, ſive Ambroſiæ (ut textus habet) ob egregias animi ejus virtutes ad Cardinalatum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ aſſumptus fuerat. Hic cùm apud Mathildem eſſet, poſt ſequentem annum Parmenſes nonnulli pii viri, quòd noſſent Bernardi ſanctitatem ubique ex fama vulgatam, voluerunt rogare eum, ut Parmam ſe conferret, & civitatem illam ob ſchiſmatici ſedem, quæ in illa fuerat, adhùc erroribus plenam prædicationis verbo purgaret.

XXIII. Quę paſſus à Parmenſibus Bern. Card.

Annuit ipſe, hortatuque Mathildis Parmam perrexit, ipſa die Aſſumptionis Dei genitricis Mariæ, quæ populo ſolemnis erat: in cujus baſilica Miſſam celebrans ritu ſolemni, ſacro cantato Evangelio, ex more concionem ad populum habuit, in qua cùm aliquantiſper Henricum ſchiſmaticum Imp. perſtrinxiſſet: adeò in eum commota eſt plebs infidelis adhùc ſtudioſa hæretici Principis, ut impetum nudatis enſibus in eum fecerit in altari ſacro

C

hoſtiam offerentem. Dimovent eum ab altari, trahunt extra Eccleſiam, ut detrudant eum in carcerem, diripiuntque ſacra vaſa, quæ erant ſuper altare dona Comitiſſæ Mathildis. Quæ his auditis cum exercitu Parmam venit. Cujus adventu perterriti cives illi ſacrilegi dimittunt Bernardum, ſacraque ablata vaſa reſtituunt; ut autem ipſa Mathildis parceret iiſdem tanti facinoris culpa reſperſis, interceſſio inſtans effecit ipſius Bernardi. Scripſit pluribus iſta verſibus Domnizo, qui fortè aderat, presbyter. Facta ſunt hæc autem, ut dictum eſt, poſt biennium.

D

Quomodò verò in Concilio Guaſtaldenſi petentibus iiſdem Parmenſibus pœnitentibus, Paſchalis Papa eumdem ſanctum virum Bernardum Parmenſem ordinavit Epiſcopum, ſuo loco dicturi ſumus.

JESU CHRISTI ANNUS 1103. | PASCHALIS PAP. II. ANNUS 4. | HENRICI IMP. III 20. ALEXII COMN. IMP. 23.

I. ANnus ſequitur milleſimus centeſimus tertius Redemptoris, undecima Indictione, quo Paſchalis Papa die Pentecoſtes conſecravit Epiſcopum Babenbergenſem Ottonem Cancellarium Imperatoris, à ſchiſmaticis transfugam ad Catholicos. Quomodò autem iſta ſe habuerint, ex ejuſdem vitæ Actis fideliſſimè ſcriptis ſic accipe: (a) Igitur acceptis litteris, juxta verbum domini Apoſtolici beatus Otto Romam in Aſcenſione Domini veniens, tranſivit, & in Anagnia civitate Campaniæ dominum Apoſtolicum invenit. Porrò viri honorati qui cum eo erant, data & accepta ſalute, dominum Apoſtolicum etiam ex parte ſalutant Eccleſiæ Babenbergenſis, ſubdentes petitionem & vota pro electo.

a Vit. Ott. lib. 1 c. 7.

Otto electus Bamberg. Romam venit deponere inſignia inveſtituræ

E

Otto verò nihil cunctatus, ordinem & modum aſcenſionis aperit, fatetur omnia, baculum ponit & anulum ad pedes Apoſtolici, temeritatis vel errati veniam petit; inſinuans tamen non voluntate ſua, ſed poteſtatè factum aliena: pro quo & ſeveriùs in ſe canonicæ diſtrictionis ſibimet imprecatur ultionem. Apoſtolicus verò vir ſummæ prudentiæ, conſtantiam ejus admiratus, levare jubet inſignia: negat ille, indignum ſe & peccatorem proteſtatus. Cùm Apoſtolicus: Sancti Spiritus, inquit, feſtum

ſtum propinquat, tanti arbitri conſiliis rem hanc commodare debemus. Deinde ubì de his ſatis utrimque dictum eſt, benedictione accepta Otto cum ſuis ad hoſpitium * adgreditur. Ubi multa ſecum tota nocte & ſequenti die tractabat, malitiam temporum, anxietates & pericula paſtorum, inobedientiam & inquietudines ſubditorum, poſtremò quidquid in tali re duri vel adverſi eſſe poteſt, ante oculos ponebat, ac plena deliberatione, omnibus depoſitis, privatus & quietus apud ſe vivere decrevit. Itaque accitis ſociis viæ, quid deliberaſſet, aperuit, moxque valefaciens domino Apoſtolico & Curiæ, per viam qua venerat, redire cœpit.

* regreditur

II. Otto à Paſchale Pap. revocatur, & conſecratur.

Cùmque iter cucurriſſet, miſſis Legatis, ſub ſanctæ obedientiæ mandato Apoſtolicus redire jubet abeuntem. Mittit dona donorum ſignificantia, monet cor & corpus aptare Spiritus ſancti donis. Quid faceret? Obedientia retrahitur, à comitibus repellitur, & cum tremore ac reverentia, juxta mandatum domini Apoſtolici reverſus, in ſancto die ſacroſanctæ Pentecoſtes, petentibus Nuntiis... * talis ſuæ ab ipſo domino Apoſtolico inveſtitur, multoque decore ac lætitia totius curiæ, ſancti Spiritus invocatione, inter Miſſarum ſolemnia in Epiſcopum conſecratus eſt, & revertens, de itinere litteras expectatas Eccleſiæ ſuæ præmiſit.] Quibus narratur, quæ cum ipſo à Paſchali Pontifice geſta eſſent, ſic enim ſe habent:

*

III. Ottonis epiſtola ad ſuam Eccleſiam.

Otto Dei gratia Babenbergenſis Epiſcopus Eberardo Præpoſito, Adalberto Decano, cæteriſque fratribus omne bonum.

Quantum ego novi & expertus ſum charitatem veſtram, ſcio vos jamdiù expectare eventum noſtri laboris, ut de noſtro ſucceſſu, ſiquidem benè, per miſericordiam Dei gaudeatis. Ne ergò diutiùs ſuſpenſi aut dubij ſitis de nobis, aut ſi juſtum eſt, ſinceriſſimè gaudeatis: litteris iſtis vobis ſignificare decrevimus, quàm miſericorditer Deus more ſuo poſt immenſos labores & ſudores plurimos nobiſcum operatus ſit. In die Pentecoſtes ſancto, qui ex adventu ſancti Spiritus factus & cunctis Fidelibus universè ſolemnis eſt; illo inquam, die, Deo ſic ordinante, in Anagnia civitate Campaniæ, quæ † Romanà dividit & Apuliam; Epiſcopalis benedictionis munus, quamvis indignus, Domino largiente, ſuſcepi, venerabili Papa domino Paſchali manum imponente, cæteris verò Epiſcopis plurimis cooperantibus, Clero quoque Romanæ Eccleſiæ, cujus magna pars ea die in eamdem civitatem convenerat, adſtante & conſentiente. Et quod nulli à Romano Pontifice conſecrato noſtris temporibus contigit, ſine obligatione alicujus juramenti conſecratus ſum. Hujus loci, hujus diei, hujus gratuitæ miſericordiæ Dei ſemper memores eſſe debemus: ut vos memores eſſe velitis cum gratiarum actione

† adde, ditionem, ſed non quod prope Anagniam ſit Apulia, ſed quod Northmanni, qui Duces dicerentur Apuliæ, penè uſque Anagniam confinia dilataſſent.

A obnixè precamur: præcipuè cùm aliæ quamplures venerandæ perſonæ de magnis rebus ad Apoſtolicam Sedem agentes, infecto negotio redierunt. Valete.] Pergit auctor: Apoſtolicus verò has commendatitias litteras Eccleſiæ ſcripſit pro dilectione Ottonis Epiſcopi:

IV. Paſch. Pap. epiſtola ad Eccleſ. Bamberg.

Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Clero & populo Babenbergenſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Quanto affectionis debito Babenbergenſis Eccleſia ab ipſo ſuæ inſtitutionis primordio Sedi Apoſtolicæ conſtringatur; etſi nos lateret, litterarum veſtrarum B ſignificatio manifeſtat. Quod affectionis debitum venerabilis frater Otto, veſtræ Eccleſiæ electus, conſtanter tenuiſſe ac tenere cognoſcitur, cùm per tot & tanta pericula ad Apoſtolicæ Sedis viſitationem percurrat. Nos igitur eum debitæ benignitatis affectione ſuſcepimus, & juxta veſtræ dilectionis deſiderium, noſtris tamquàm beati Petri manibus, ſalvo Metropolitani jure, vobis per Dei gratiam Præſulem ordinavimus. Hunc igitur ſub præſentium litterarum proſecutione ad Eccleſiæ veſtræ regimen remittentes, plena hortamur affectione diligi, plena hu- C militate venerari. Confidimus enim eum diſciplinæ Eccleſiaſticæ futurum eſſe cuſtodem, & ſalutis veſtræ ſollicitum proviſorem. Huic ergò ſedulis officiis obedite, & gratiam vobis in eo conciliate cœleſtem. Integritatem Catholicæ Fidei firmam ſemper in omnibus conſervate: Sedi Apoſtolicæ ſemper devotiùs adhærete; ut per ejus conſortium à contagiis omnibus liberi, ad æternæ ſalutis portum feliciter pervenire, Domino largiente, mereamini.] Hucuſque ex litteris Paſchalis Papæ. Ad quem autem ſanctitudinis verticem Otto à Rom. Pontifice initiatus ſa- D cerdotio venerit, aliqua ex parte ſuis locis dicturi ſumus inferiùs. Qui verò iſta uberiùs ſcire cupit, quę ritavimus ejus vitę Acta perlegat: mox enim unà cum Epiſcopali unctione donis Spiritus ſancti ita eſt abundè repletus, ut Apoſtolorum inſtar loqueretur magnalia Dei, & operaretur mirabilia de lege ejus. Paſchalis autem tantam virtutem eo mox compenſavit honore, ut uſum pallii duplicatis diebus ipſi conceſſerit, cùm quater tantum in anno eo utendi ejus prædeceſſores accepiſſent à Romanis Pontificibus facultatem.

V. S. Anſelmus Romã ad Paſch. Pap. venit.

Hoc eodem anno, rebus Eccleſiaſticis E in Anglia fluctuantibus, vigentibus & in dies magis excreſcentibus diſcordiis inter Regem Henricum, & S. Anſelmum Archiepiſcopum Cantuarienſem ob inveſtituras Eccleſiaſticas, quas ſibi Rex ſumere; Antiſtes verò è ſæculari potentia vendicare ſtudebat: idem S. Anſelmus rogatus à Rege, Anglia diſcedere, & Romam ſe conferre: quinto Kal. Maii (a) Romam proficiſcitur, præcurrente ejuſdem Henrici Legato ad Paſchalem Pontificem, cujus ſententia tanta controverſia finem accepit. Res geſtas ab Edinero itineris comite

a *Roger. in Annal. hoc anno.*

mite

Digitized by Google

mite diffutè fuiſſe conſcriptas, tùm idem A
a *In præfat. in vit. S. Anſelmi.* ipſe teſtatur auctor, (*a*) tùm qui ab eo
accepit, affirmat Vvillelmus Malmesbu-
rienſis, qui ea cuncta compendio retexuit,
ex quo hæc accipe: Convenitur *Anſelmus*
à Rege, & Epiſcopis, & magnatibus, ut
ipſe Romam dignetur proficiſci, quod alii
minùs egerant, ſua præſentia ſuppleturus.
Non careret effectu, quod vellet, quem
Sedes Apoſtolica tanti penderet: impende-
ret modò hunc laborem patriæ, quo pa-
cem Eccleſiæ, quo dignitatem repararet
imperii. Iſte precibus flecti non neſcius,
ne omnia ſuo tantùm videretur præſumere
arbitrio, conſenſit iturum ſe, ne cuncto- B
rum voluntati deeſſet. Quamquàm Lega-
torum penuria eos ad unum ſenem annis
gravem, corpore debilem adegiſſet: ſci-
rent tamen, nihil ſe Apoſtolico ſuggeſtu-
rum, quod anteceſſoris ſui gloriam abro-
garet, ſtatuta effringeret. Tu tantùm,
inquit, vade, & in Apoſtolici præſentia,
Legato ſi vera dicat, teſtimonio tuæ au-
ctoritatis aſtipulare.

VI. Conſenſu accepto, diſceſſum eſt ab in-
vicem. Anſelmus continuò proſperis fla-
tibus maxima pericula tranſvectus, bona
etiam fortuna terrenum iter Romam uſque
emenſus eſt. Ubi Apoſtolico favore & ſe- C
natoria frequentia exceptus, paucis die-
bus ſilentio & quieti indulſit jubente Pa-
Legatus Regis Anglorũ cauſam agit corã Pont. pa. Cùmque vires reſumpſiſſet otio, die
conſtituto palatium Lateranenſe ingredi-
tur. Adeſt & Nuntius, qui paucis die-
bus adventum ejus prævenerat, notus jam
Romæ, Vvillelmus de Vvarlevvaſt ele-
ctus Exonienſis Eccleſię. Is omnes im-
pendens eloquentiæ vires; cauſam Regis
perorabat, ut ei omnes paternæ fraternę-
que conſuetudines redderentur, Angliam
peculiarem eſſe Romanæ Eccleſiæ provin-
ciam, & ei tributa quotannis penſitare
Regem, ſicut munificum ita magnanimum. D
Dedecus ei videri & eſſe, ſi anteceſſorum
ſuorum jura perderet, quos ipſe & animi
magnitudine & opum affluentia longè pręi-
ret & premeret. Provideret itaque Papa
Regis honori, conſuleret ſibi, quem non
dubitaret magno fructu emungendum pe-
cuniæ, niſi putaret abſtinendum canonum
ſeveritate. His & aliis ad cauſam valenti-
bus dictis, traducta eſt in ſententiam Ro-
mana Curia, obnitis favoribus Regis vo-
ta debere impleri pronuntiant.

VII. Pasch. Papa conſtanter agit pro libertate Eccleſ. Silebat intereà Pontifex uterque, pero-
rantis ampullas & adulantium fumos pru-
denter attendens, latenter irridens. Tùm E
Legatus putans illorum taciturnitatem eſſe
conniventiam, ſecurus erupit: Plurima
hinc inde poſſunt agitari verba, ſed hæc
eſt ſumma, quòd dominus meus nec pro
amiſſione regni patietur ſibi Eccleſiarum
inveſtituras auferri. Nec ego, inquit Pa-
pa, pro capitis mei redemptione eum in-
veſtituras permittam impunè habere.
Hujuſcemodi dicti tenore converſæ fau-
torum linguæ, & in diverſa mutatæ: Be-
nedicta, inquiunt, cordis tui conſtantia,
benedicta oris tui loquela. Legatus con-

A fuſus obticuit.] Recitat & iſta Edinerus
in vita Anſelmi iſtis verbis: Legatus in-
ter alia, quòd Rex ipſe nec pro regni amiſ-
ſione inveſtituras Eccleſiarum pateretur
amittere, minacibus verbis aſſeruit. Ad
quæ Papa: Si quemadmodùm dicis, Rex
tuus nec pro regni amiſſione patietur Ec-
cleſiarum donationes amittere; ſcias (ec-
ce coram Deo dico) quia nec pro ſui ca-
pitis redemptione eas illi aliquando Pa-
ſchalis Papa impunè permittet habere.]
Pergit verò Vvillelmus: Effecit tamen,
Legatus videlicèt, ut nonnullæ conſuetu-
dines patris Regi laxarentur, ipſoque in-
B terim ab excommunicatione, quòd aliquos
inveſtierat, immuni, inveſtiti auctoritati
canonum ſubjacerent; eorum ſatisfactio
Anſelmi commiſſa judicio. Qui cùm re-
meandi licentiam accepiſſet, alter reditum
excuſavit, dicens ſe voti reum eundi ad
ſanctum Nicolaum averſabatur dicto in-
tentio. Nitebatur enim, ut quoquo mo-
do Papam à ſententia traduceret. Quod
ubì ad nihilum tendere vidit, compendia-
rio tramite Archiepiſcopum ad Placentiam
anticipavit. Aliquantis ergò diebus com-
muniter perrectum. Sed cùm eos viæ ſepa-
raret divortium: ille quod ante celaverat,
C aperuit, dicens: Mandat tibi dominus
meus, quòd ſi ſic te ſibi exhibueris, ſicut
anteceſſor tuus exhibuit ſe patri ſuo: li-
benter volet adventum tuum in Angliam;
ſin minùs (prudenti loquor) ſcis quid ſe-
quatur. Ita Vvillelmus citato in Angliam,
Anſelmus Lugdunum contendit, indeque
mitit litteras Regi ſuper veritate dictorum
Vvillelmi exſculpenda. Epiſtolarum ſe-
riem, quæ in immenſum porriguntur, Apo-
ſtolici ad Regem, & Anſelmi ad Regem,
& Regis ad Anſelmum, hic non placuit
inteſere: volentibus legere, liber Edine-
ri copiam faciet; quas ideò vir ille appo-
D ſuit, ut nullus eum mendacii carperet,
& ut ipſe invictum robur dictorum aſſu-
meret. Affluebat enim otio, utpotè ſo-
lius Anſelmi Geſtis enucleandis intentus.
Ego majus opus moveo, & in multorum
Geſta conor, ideòque neceſſaria tantùm li-
bans, faſtidio lectorum mederi meditor.]
At idem auctor, (*b*) in rebus geſtis ipſius b *Vvill. de rebus geſt. Reg. Angl. lib. 5.*
Henrici aliquot recitat Paſchalis Papæ epi-
ſtolas, quarum prima tunc ad ipſum Re-
gem reddita, ad præſentem annum ſpectat,
quæ ſic ſe habet:

Paſchalis Epiſc. Henrico Regi ſalutem. VIII. Quid Paſchalis ad Regẽ Angl.

In litteris, quas nuper ad nos per familia-
E rem tuum noſtræ dilectionis filium clericũ
Vvillelmum tranſmiſiſti, & perſonæ tuæ
ſoſpitatem cognovimus, & ſucceſſus proſpe-
ros, quos tibi ſuperatis regni adverſariis be-
nignitas divina conceſſit. Audivimus præ-
tereà optatam virilem ſobolẽ ex ingenua te
& religioſa coniuge ſuſcepiſſe. Quod pro-
fectò cùm nos lætificaverit: opportunum ra-
ti ſumus, nunc tibi præcepta & voluntatem
Dei validiùs inculcare, cùm amplioribus be-
neficiis benignitati ejus te proſpicias debi-
torem. Nos quoq; divinis beneficiis beni-
gnitatẽ noſtrã penes te ſociare optamus: ſed

C grave

grave nobis eſt, quia id à nobis videris expetere, quod omninò præſtare non poſſumus. Si enim conſentiamus, aut patiamur inveſtituras à tua excellentia fieri; & noſtrum proculdubiò & tuum erit immane periculum. Qua in re contemplari te volumus, quid aut non faciendo perdas, aut faciendo conquiras. Nos enim in prohibitione hac nihil ampliùs obedientiæ, nihil liberalitatis per Eccleſias nanciſcimur; nec tibi debitæ poteſtatis aut juris ſubtrahere quidquam nitimur, niſi ut erga te Dei ira minuatur, & ſic tibi proſpera cuncta

a 1. Reg. 2.

contingant: ait enim Dominns: (*a*) Honorificantes me honorificabo, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Dices itaque: Mei hoc juris eſt. Non utique, non eſt Imperatorium, non regium, ſed divinum. Solius illius eſt, qui dixit:

b Joan. 10.

(*b*) Ego ſum oſtium. Unde pro ipſo te rogo, cujus hoc munus eſt, ut reddas hoc ipſi, ipſi dimittas, cujus amore etiam quæ tua ſunt, debes. Nos autem cur tuæ obniteremur voluntati, cur obſiſteremus gratiæ, niſi Dei ſciremus nos in hujus negotii conſenſu voluntati obviare, gratiam amittere? Cur tibi quidquam negaremus, quod cuiquam eſſet mortalium concedendum, cùm beneficia de te ampliora ſumpſerimus?

IX. Salubris admonitio Papæ.

Proſpice, fili chariſſime, utrum decus, an dedecus tibi ſit, quod ſapientiſſimus & religioſiſſimus Anglicanorum Epiſcoporum Anſelmus, propter hoc tuo lateri adhærere, tuo veretur in regno conſiſtere. Qui tanta de te bona hactenùs audierant, quid de te ſentient? quid loquentur, cùm hoc fuerit in regionibus divulgatum? Ipſi qui coram te tuos exceſſus extollunt, cùm præſentia tua caruerint, hoc profectò validiùs infamabunt. Redi ergò, chariſſime fili, ad cor tuum, propter miſericordiam Dei, & propter amorem Unigeniti deprecamur. Revoca paſtorem tuum, revoca patrem tuum. Et ſi quis (quod non opinamur) graviùs ſe adversùs te geſſerit, ſi inveſtituras adverſatus fuerit: nos juxta voluntatem tuam, quantum cum Deo poſſumus: moderabimur. Tu tamen talis repulſæ infamiam à perſona tua, & regno removeas. Hæc ſi feceris, etſi gravia quælibet à nobis petieris, quæ cum Deo præberi facultas ſit, profectò conſequeris, & pro te Dominum, ipſo adjuvante, exorare curabimus, & de peccatis tàm tibi, quàm conjugi tuæ ſanctorum Apoſtolorum meritis indulgentiam & abſolutionem faciemus. Filium autem tuum, quem ex ſpectabili & glorioſa conjuge ſuſcepiſti, quem (ut audivimus) egregii patris Vvillelmi nomine nominaſti, tanta tecum imminentia confovebimus, ut qui te vel illum læſerit, Romanam Eccleſiam videatur læſiſſe. Datum Laterani, nono Kalendas Decembris.] Et inferiùs idem auctor: Eratque tunc Anſelmus Archiepiſcopus iterùm tempore iſtius Regis Lugduni caul apud Hugonem ejuſdem civitatis Archiepiſcopum, quando epiſtola prima,

A *nempè iſta*, quam appoſui, emiſſa eſt.] At nihil in præſens profuerunt litteræ iſtæ, ſed Rea in S. Anſelmum, cujus inſtigatione hæc à Pontifice ſcribi putabat, graviùs commotus, quam potuit in eumdem vindictam exercuit: nam audi Edinerum, qui ait:

X. *c Edin. in vita S. Anſelm. lib. 2.* Rex Angliæ quid in S. Anſelmum.

Rex autem (*c*) Henricus, ut comperit, Papam in ſua ſententia ſtare; mox Archiepiſcopatum in ſuum dominium redegit, & Anſelmum ſuis omnibus ſpoliavit. Acta ſunt hinc inter eos multa, & anno uno & ſemis indignatio Regis non eſt ſopita.] Et inferiùs: Poſt hæc tùm B pro exercendo Eccleſiaſticæ diſciplinæ * rigore, tùm pro Eccleſiaſticarum rerum in Anglia relevatione, relicta Burgundia, Anſelmus in Franciam ivit. Quod ubi Regi Anglorum Henrico innotuit, reveſtivit illum de ſuis, & in amicitiam ejus receptus eſt. Converſante dehinc Anſelmo in Northmannia, reverſos ait Legatos Regis ad Paſchalem Papam pro explendo eo negotio. Quid autem confectum ſit hac poſtrema legatione, ſuo loco dicturi ſumus.

* vigore.

XI.

Quòd autem idem Edinerus in his enarrandis teſtetur, Vvalonem, aliàs Galo- C nem, Pariſienſem Epiſcopum, de quo nos ante biennium ex Ivonis epiſtolis pluribus egimus, functum legatione Pontificia, tunc Romæ fuiſſe, dum S Anſelmum contigit ex dicta cum Rege cauſa in Urbe morari, atque interfuiſſe elevationi reliquiarum S. Priſcæ: hic primùm occaſionem, unde oborta ſit ei Romam eundi, quid ibi fecerit, & quonam ab eodem Paſchali Papa ſit miſſus antequàm reverteretur in Gallias, dicturi ſumus. Petenda ſunt iſta ea Ivonis epiſtolis, cujus teſtificatione patet, hoc eodem anno Ivonem ipſum Romam ad Paſchalem Pontificem D pro deponendo onere Epiſcopatus, aliiſque negotiis Eccleſiaſticis magni momenti inſtituiſſe profectionem, ſecumque adſciviſſe ſocium eumdem Vvalonem, ſive Galonem, Pariſienſem Epiſcopum, cujus cauſa tantoperè laboraſſet, perveniſſeque uſque penè ad Alpes. At quoniam paratas ab adverſariis foventibus Regis cauſam ſibi novit inſidias, deſtitit proſequi cœptum iter; præmiſit tamen eumdem Vvalonem Epiſcopum, qui ſuo nomine cuncta, quæ ipſe cum Pontifice pertractaturus erat, ejus auribus deberet inferre, litteraſque eidem ad Paſchalem de- E dit hujuſmodi: (*d*)

Ivo Romā iter parat cum Vvalone *Epiſcopo* Pariſ.

d Ivo ep. 29

Paſchali ſummo Pontifici, Ivo humilis Sanctitatis ſuæ filius quidquid poteſt eſſe felicius.

XII. Epiſtola Ivonis ad Paſch. miſſa per Vvalonem Epiſc.

Quoniam pro gratia nobis collata decorem Eccleſiæ Dei diligimus, multa inordinatè in eadem fieri, vehementer dolemus. Qui in quibuſdam ſubditis cùm quædam corrigere, vel cùm quoſdam ad meliora promovere ſtudemus, ipſi in ſtercoribus ſuis computreſcere cupientes, litteras à Sede Apoſtolica, neſcio quibus ſurreptionibus impetratas nobis deferunt ad

Digitized by Google

ad pallianda malitiam ſuam, vel defendendā inobedientiā. Unde fit in Eccleſia mirabilis contemptus mandatorum Dei, & ineffabilis morum corruptela: cùm ibi invenit quorumdam perverſitas incorrepta confugium, ubi innocentia ſola deberet habere præſidium. Et quod mirabilius & miſerabilius eſt, iſti vitæ ſuæ curioſi corruptores ab ipſis columnis gratanter audiuntur, cùm vitam Religioſorum aliquibus maculis reſpergere moliuntur, quibus non eſt credendum de aliena injuſtitia, quamdiù non diſceſſerint à ſua. Cùm itaque tàm pro noſtra inſufficientis, quàm pro ſubditorum ducitia prædictæ cauſæ de fructu laboris noſtri penè deſperare nos cogant: onus quod penè infructuosè portamus, deponere ſæpè delibecamus, & pennas columbæ nobis dari flagitantes, avolare a moleſtiis inutilibus, & in mentis ſolitudine quieſcere præoptamus. Hac itaque neceſſitate commoniti, præſentiam Sanctitatis veſtræ adire cupientes, & de his quæ dicta ſunt, cum multis aliis vobiſcum tractare cupientes, venimus penè uſque ad Alpes; in quarum anguſtiis quia inſidias nobis paratas audieramus, uſi magnorum virorum conſilio, inito itinere ſuperſedimus. Domnum itaque Vvalonem confratrem & Coepiſcopum noſtrum, qui in ſuſpectis locis, ad occultandum ſe aptior eſt, paternitati veſtrę tranſmiſimus: in cujus ore verba noſtra poſuimus, quatenùs eū tā pro ſua, quàm pro noſtra neceſſitate paternè audiatis; & quæ corrigenda ſunt, corrigatis; & quæ utiliter ſtatuenda, firmiter ſtatuatis. Quāvis enim, quod ratio ſuadet, vel quod uſus approbat, vel Epiſcopalis moderatio diſponit, per ſe ſatis vigere videatur: tamen clarius fit, & quaſi quadam luce irradiatur, cùm id quod prohibendum, vel præcipiendum eſt, decreto Apoſtolico roboratur.] Hucuſque Ivo ad Paſchalem Papam.

XIII. De elevatione corporis S. Priſcæ.

Cùm autem idem Vvalo Romam veniſſet, tractaretque tàm ſua, quàm credita ſibi ab Ivone negotia cum Pontifice: contigit eum illic reperiſſe S. Anſelmum (ut audiſti) itidem occaſione negotiorum Curiam frequentare, innotuiſſeque ei, atque uſu familiaritatis aſtringi, atque unà cum ipſo interfuiſſe elevationi reliquiarum S. Priſcæ, & ex ejus corpore os etiam accepiſſe, ex eoque partem Edinero impertitam eſſe. Recitat iſta omnia Edinerus in Anſelmo, atque ex ejus verbis iſta narrat de reliquiis iiſdem Romæ acceptis: Romæ, inquit, eram, & Oratorium nominatæ martyris Priſcæ, in quo beatiſſimus Apoſtolorum princeps Petrus altare ſacravit, vetuſtate conſumptum, diruptum eſt, & corpus Martyris in nova reconditum Eccleſia, me adſtante, levatum eſt. Igitur cùm loci ipſius Cardinalis reliquias in ſuo jure haberet, & ipſe mihi familiaris exiſteret: os illud quod videtis; de ſacro corpore ſumptum mihi pro ſigno mutui amoris dedit. Finierat Prę́ſul in iſtis. At ego earumdem reliquiarum habendarum amore illectus, ut ex ipſo oſſe mihi partem dare, deprecari Epiſcopum cœpi. Et ille: Accipe, inquit, & quantum inde primo conatu frangere poteris, tuum ſit. Accepi, & en, extra quam ſperabam, in principio mei conatus una mihi particula in dextera manu remanſit. Cùmque de parvitate ipſius mœrorem animi diſſimulare nequirem; & ut ſemel adhùc frangere inde mihi liceret, magnoperè geſtirem: rupit deſiderium meum Anſelmus, & ait: Noli, noli, quod habes ſufficiat tibi. In veritate quippè dico tibi, quòd pro toto auro, quod Conſtantinopoli & ultra citrave habetur, non omitteret domina ipſa, cujus eſt, quin illud ſibi vendicaret in die Reſurrectionis cunctorum. Quamobrem ſi debitam illi reverentiam exhibueris, æquè ſuſcipiet, ac ſi toti corpori ejus exhiberes. Quod ego audiens acquievi, & quàm decentiùs potui, ipſum ex hoc hucuſque ſervavi. De quo oſſe poſt plures dies Petrus quidam monachus Cluniacenſis, vir ſuo tempore magnæ auctoritatis, qui Camerarius erat domini Papæ Urbani atque Paſchalis, ad nos veniens, à me percunctatus eſt quid ſentiret. At ille, ubi me referente accepit, qualiter id adeptus fuerim; vera omninò eſſe confeſſus eſt, quæ Epiſcopus inde dixerat, ſeque præſentem fuiſſe aſſeruit, quando idem os à corpore Martyris ſublatum, à Cardinali ſuſceperat.] Hæc de elevatione reliquiarum, & delatione earum in Gallias, ubi tunc adhùc erat cum S. Anſelmo Edinerus, expectans, ut inter ipſum atque Regem obortæ controverſiæ ſedarentur.] Porrò quod idem affirmat eumdem Vvalonem Pariſienſem Epiſcopum functum eſſe munere Apoſtolicæ legationis; quænam iſta fuerit, anno ſequenti ſuo loco dicemus.

XIV. Diſpenſat in quarto gradu conſanguinitatem cum Duce Poloniæ.

Quo pariter anno Paſchalis Papa diſpenſavit ſuper conſanguinitatis impedimentum in matrimonio, quod contractum eſt inter Boleslaum Poloniæ Ducem, & filiam Ruſſiæ Regis Sbislavam nomine, in quarto conſanguinitatis gradu ſibi conjunctam. Hæc Longinus, cæteris antiquitate ſicut & veritate præſtans.

Hoc eodē anno Paſchalis Papa dediſſe reperitur privilegium nobili monaſterio Bantino in Apulia, de quo etiam ſuperiùs, quod à Northmannis extructum ſub ſpeciali cura Romanæ Eccleſiæ fuerat reſervatum. In cujus fine hæc habentur de tempore ipſius: Datum Laterani per manum Joannis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis diaconi II. Kal. Iun. indict. XI. Incarnationis Dominicæ milleſimo centeſimotertio, Pontificatus quoque domini Paſchalis Papæ Secundi anno quarto. Extat ſigillum ſub plumbo pendenti, in quo ſunt effigies beatorum Panli & Petri ab uno latere, ab alio nomen deſcriptum Paſchalis Papæ II. in ſigilli autem crepidine circumcirca verba iſta: VERBO DOMINI CÆLI FIRMATI SUNT.

Digitized by Google

I. Legatio à Paſchali Papa Miſſa in Poloniam.

SEquitur annus milleſimus centeſimus quartus, Indictione duodecima, quo Paſchalis Papa benè uſus occaſione præſentiæ Vvalonis Bellovacenſia Epiſcopi, qui in Gallia haud quietam ſedem haberet ob perſecutiones Regis Francorum, de quibus ſuo loco dictum eſt ſuperiùs: decernit eum Legatum à latere ad viſitandam Poloniæ Eccleſiam, corrigendaque ea, quæ correctione digna videri poſſent. De qua legatione apud Longinum ſub hoc anno hæc ſcripta leguntur: Summi Pontificis Paſchalis Secundi Nuntius cum poteſtate Legati de Latere Gualdo, *aliàs Vvalo*, Epiſcopua Bellovacenſis in Poloniam, Boleslao de Moravica expeditione redeunte, venit. Qui à Boleslao comiter exceptus, Polonica viſitata, prout à ſummo Pontifice juſſus erat, Eccleſia, rigore juſtitiæ in ſceleratos, Boleslai Ducis illum animante acuenteque aſſiſtentia, duos provinciæ Gneſnenſis Epiſcopoa, culpa exigente, damnavit, & ſuis per ſententiam depoſitionis privavit ſedibus. Qui tamen hi fuerint, & quarum Eccleſiarum Epiſcopi, vario, & diligenti in quibuslibet Annalibus ſcrutinio facto, legiſſe me non memini. Reor tamen ex conjectura evidenti, quòd unus depoſitorum Epiſcoporum fuit Ezyslaus, qui Cracovienſem Epiſcopatum nulla ſummi Pontificis auctoritate, ſed ſola Ducis Poloniæ donatione detinebat. Editus eſt à Duciſſa Sbislava conſorte Boleslai Ducis Poloniæ in anni hujus fine infans egregius, quem præfatus Gualdo Epiſcopus Bellovacenſis cum aliis Polonorum Epiſcopis in Cracovienſi Eccleſia de ſacro ſonte levavit, qui patre jubente, avitum nomen, Vvladislaus accepit] Hæc ipſe. Porrò quòd idem Vvalo modò Bellovacenſem, modò (ut anno ſuperiori) Pariſienſem inveniſti appellatum Epiſcopum, nequaquàm diverſum putes ob diverſos Epiſcopatus; immò ex iiſdem notis unum eumdemque fuiſſe certò intelligaa ex epiſtolis Ivonis, de quibus ſupra, Carnotenſis Epiſcopi, quibus liquet hunc primò Bellovacenſem conſecratum Epiſcopum, in le perſecutione Regis tranſlatum in Pariſienſem Epiſcopatum. Extant enim plurea litteræ (*a*) ad eum, poſtquàm pacificè ſedit Pariſienſis Epiſcopua, quod & contigit præſenti anno, cùm in Gallias rediit, ut proximè dicturi ſumus.

a *Ivo epiſt.* 193. 220. 245.

II. Legatio pro abſolutione Philippi Regis miſſa in Gallias.

Hoc eodem anno decernitur alia legatio Albanenſi Epiſcopo Cardinali in Gallias, ad impertiendam abſolutionem ab excommunicatione Philippo Francorum Regi, quam per Legatos pœnitens petiiſſet. Ad quem quidem Legatum admonendum Ivo Carnotenſis Epiſcopus has litteras præmiſit; (*b*)

b *Idem ep.* 166.

Ivonis ep. ad legatũ.

Richardo Dei gratia Albanenſi Epiſcopo & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Vicario, Ivo humilis Carnotenſis miniſter ſalutem & obſequium.

Sicut de excommunicatione Regis graviter doluimus propter Chriſtianæ religionis detrimentum; ita de abſolutione ejus, ſi ad honorem Dei, & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ fieri poſſet, granditer gauderemus propter ejuſdem ſanctæ religionia incrementum. Ut autem ſecus fiat, quàm ſollicitudini veſtræ à domno Papa commiſſum eſt, conſulere non audemus, quia de rerum eaitu, ſicut vos, ita & nos incerti ſumus. Si autem divina gratia cor ejus humiliaverit ad pœnitentiam, conſilium nobis videtur, ut coràm poſitis quampluribus Epiſcopis, publicè eum & ſolemniter abſolvatis: quatenùs ſicut longè latèque patuit ejus averſio; ita multorum religioſorum teſtimonio publicetur circumquaque ejus optanda reverſio. In qua re ſatagendum erit diligentiæ veſtræ, quatenùs, qui pro amore juſtitiæ & obedientia Sedis Apoſtolicæ perdiderunt ejus amicitiam, in reconciliatione ejus redintegrentur ad gratiam. Conſultum autem famæ veſtræ meliùs crediſſem, ſi alibi quàm Senonis iſta fieret abſolutio, ubi cuique liceret liberè dicere quod ſentiret. De cœtero ad Concilium denominatum gratanter ire deſidero, ſed contra voluntatem Regis, cujus odium jam per decennium tolero, qua via, quo conductu, vel circuitu Trecas venire valeam, non invenio. Si ergò vel per ipſum Regem, vel per Comitiſſam aliquam mihi ſecuritatem impetrare poteſtis, obnixè rogo, ut id facere ſtudeatis.] Hæc ad Legatum Ivo, quidum numerat annos decem ab eo tempore, quo Rex in eum inſenſus eſt ob pellicem ſubintroductam, planè hoc eum anno hanc ſcripſiſſe epiſtolam aſſeverabis. At quemnam eaitum iſta habuerint, accipe ex epiſtola ejuſdem Ivonis ad Paſchalem Papam tunc data: (c)

c *Idem ep.* 169.

III.

Paſchali ſummo Pontifici, Ivo humilis Carnotenſis Eccleſiæ miniſter eum debita obedientia fidelium orationum obſequium.

Abſolutio Regis non ſecuta.

Notum facimus paternitati veſtræ, quòd tertio Kalen. Auguſti plures Epiſcopi tàm Rhemenſia, quàm Senonenſis provinciæ, invitati à domino Richardo Albanenſi Epiſcopo Legato veſtro, convenimus in quoddam municipium Aurelianenſis Epiſcopatus, nomine Balgenciacum, ad faciendam abſolutionem Regis ſecundùm tenorem litterarum, quas ſuper hac re miſerat moderatio veſtra. Convenit etiam Rex & lateralis ſua, & ſecundùm præceptum veſtrum, tactis ſacroſanctis Evangeliis, parati fuerunt abjurare abſolutè omnem carnalis

copulæ

Digitized by Google

A copulæ conſuetudinem, inſuper & mutuam collocutionem niſi ſub teſtimonio perſonarum minimè ſuſpectarum, uſque ad veſtram diſpenſationem. Sed quia in litteris veſtris continebatur, ut in hac abſolutione conſilium prudentium ſibi adhiberet domnus Albanenſis Epiſcopus, totum onus conſilii voluit pendere ex arbitrio pontificum. Epiſcopi verò neſcimus quid conjicientes, ſemper replicabant, ſe debere eſſe hujus conſilii comites & non duces. Quamvis quibuſdam noſtrum videretur, quòd prædicta abſolutio ita poſſet, ſicut prætaxata eſt, honeſtè fieri, & propter quorumdam B ſimultates non ſatis rationabiliter impediri. Cùm itaque ita res indefinita remanſerit in medio; Rex clamitans ſe malè eſſe tractatum, tamen per ſe & per nos adhùc pulſat ad aures paternitatis veſtræ, ut ſecundùm moderationem litterarum veſtrarum, & verba, quæ domno Galoni Coepiſcopo noſtro injunxiſtis, cauſam ejus temperetis, ne contingat de eo illud Salomonis: (a) Qui multùm emungit, elicit ſanguinem. Diſpenſationis autem modus nulli umquam ſapientum diſplicuit. Unde beatus Cyrillus ad Gennadium presbyterum: Sicut enim qui mare C navigant, tempeſtate urgente, navique periclitante, quædam exonerant, ut cætera ſalva permaneant; ita & nos cùm non habemus ſalvandorum omnium negotiorum certitudinem, deſpicimus ex iis quædam, ne cunctorum patiamur diſpendia. Et quia hæc ſuggerendo dicimus, non docendo; noſtræ ſuggeſtioni ſumma eſt, ut imbecillitati hominis amodò, quantum cum ſalute ejus poteſtis, condeſcendatis, & terram, quæ ejus anathemate periclitatur, ab hoc periculo eruatis.

a *Prov.* 30.

IV.
De tranſlatione Vvalonis Epiſc. Pariſiis facta abſolutio Regis.

De cętero ſanctæ paternitati veſtræ ſupplicando ſuggerimus, ut domnum Galo- D nem Coepiſcopum noſtrum de Belluacenſi Epiſcopatu, quem per ſacramentum domni Ludovici habere non poteſt, per manum Senonenſis Archiepiſcopi transferri jubeatis in Pariſienſem Epiſcopatum, quem ei gratanter & devotè concedunt pro veſtro amore Rex & Regis filius.] Hæc Ivo. Porrò Regis abſolutionem ſolemniter factam Pariſiis eſſe, habetur in fragmentis Francorum hiſtoriæ, unà cum Glabro, atque aliis auctoribus nuper editis.

V.

Quòd autem audiſti in ſuperiori Ivonis epiſtola, indictum fuiſſe per Richardum S.R.E. Cardinalem Legatum Trecenſe Concilium, ad idemque ipſum Ivonem voca- E tum eſſe: certum eſt illud tunc frequenti Epiſcoporum numero celebratum fuiſſe. Inſuper ad evitandam de Trecenſi Concilio omnem, quæ poſſet oriri, de tempore dubitationem: pręmonendum putamus, ſub eodem Paſchali Papa duo eademque celeberrima Trecis in Gallia fuiſſe celebrata Concilia, alterum per Richardum Cardinalem Legatum hoc anno, alterum tertio abhinc anno per ipſum Paſchalem Pontificem, cui idem ipſe qui vocavit, interfuit; de quo ſuo loco dicturi ſumus.

VI.
Conciliũ Trecenſe ſub Legato Apoſt.

A Quod igitur ad præſentis anni Trecenſe Concilium per Richardum Legatum actitatum pertinet, de eo apud eumdem Ivonẽ mentio habetur in epiſtola ad Paſchalem Papam data, in qua cauſam Silvanectenſis Epiſcopi in eo tractatam eſſe teſtatur his verbis: (b) Novimus enim præteritis annis, cùm domnus Richardus Albanenſis Epiſcopus Apoſtolica legatione fungeretur, quia Trecis ab eodem Legato Concilium celebratum eſt, in quo à malevolis & æmulis perſonis crimen venditionis ſacrorum ordinum eidem Epiſcopo objectum eſt, ſed propter inſufficientiam accuſantium perſo- B narum, conſentientibus in hoc Epiſcopis, minimè probatum eſt. Sed prædictus Epiſcopus tanti criminis infamiam cupiens evitare, ad arbitrium Legati veſtri (ſicut teſtantur qui affuerunt) ſpontaneus de objecto crimine ſe purgavit, & innocentiam ſuã jurejurando comprobavit &c.] Quibus annuit, cùm citat teſtes Epiſcopos, qui Synodo interfuerunt, ſe non interfuiſſe, qui ſe jam antè excuſaverat, eidem intereſſe non poſſe. Poſteriori autẽ Conc. Trecenſi ipſum præſto fuiſſe, ſuo loco dicturi ſumus.

b *Ivo epiſt.* 260.

VII.

In hoc eodem Concilio ſub Legato Richardo celebrato, creatum fuiſſe Godefre- C dum virum ſanctitate conſpicuum Epiſcopum Ambianenſem, qui res ab eo præclarè geſtas quas vidit, vel ab his qui viderunt, accepit, & quàm exactè atq; fideliter conſcripſit, narrat his verbis Nicolaus monachus Sveſſionenſis: (c) Eodem tempore, quo electio facta eſt, Richardus Cardinalis & Apoſtolicæ Sedis Legatus apud Trecenſes celeberrimum habuit conventum Epiſcoporum, Abbatum, & Galliarum procerum. Eò igitur ſe Ambianorum Legati conferunt, ſuo proponunt ſe paſtore orbatos, unanimiter à Clero & populo electum aſſerunt Godefredum, Rege quoque aſſen- D tiente. Tum verò omnes, qui in eo conventu Godefredum noverant, Chriſtum ſummoperè collaudarunt. Sed ille interim fugam meditabatur (aderat enim ibi ut Abbas cum cęteris) At vero interceptus, jubente Cardinali & Epiſcopis in medium eorum adducitur, cunctis acclamantibus, dignum eum fore Eccleſiæ miniſtrum, ſtrenuum diſpenſatorem, beatum futurum populum, qui talem ſit paſtorem habiturus. Ajunt enim tunc omnes, Te Deum laudamus, cantaſſe &c.] Hæc de electione ejus in Concilio illo Trecenſi confirmata. Porrò res ſanè admirandas ab eo geſtas à tem- E pore, quo puer ingreſſus eſt monaſterium, & poſtquàm creatus eſt Abbas, & in Epiſcopatus functione, idem auctor eſt pluribus proſecutus. Confligendum illi fuit primùm adversùs clericos concubinarios, à quibus perſecutionem paſſus, venenum ab eis præparatũ, divino Spiritu monitus, evitavit. Certandum quoq; fuit adversùs impoſtores, quorum occaſione Romam ad Paſchalem Pont. venire coactus eſt. Quid autem tunc acciderit, ſuo loco dicturi ſumus.

c *Vit. Godefr. lib.* 1. *c.* 30. *apud Sur. to.* 6. *die* 8. *Novembr.*

Dum adhùc in Gallia idem Richardus Epiſcopus Albanenſis Sedis Apoſtolicę Le-

A

gatus moraretur, contigit ab eo ſuſcipi accuſationem adversùs Clerum Carnotenſem labis ſimoniacę impetitum: ad quorum defenſionem tunc eorum Epiſcopus Ivo iſtam ad eumdem Legatum ſcripſit epiſtolam, (a) reſpondens ad ejus litteras paulò amarulentius:

a Ivo ep.94.

IX. Legatus Apoſt. in clericos Carnot. cum agit Ivo ad eum ſcribit.

Richardo Dei gratia Albanenſi Epiſcopo & ſanctę Eccleſiæ Romanæ Legato, Ivo humilis Eccleſiæ Carnotenſis miniſter benè valere, & non omni ſpiritui credere.

b Prov.26.
c Pſ.140.

Sciens quia meliora ſunt vulnera (b) diligentis, quàm fraudulenta oſcula blandientis, & illud Pſalmographi: (c) Corripiet me juſtus in miſericordia, & increpabit me; cauſtica verba veſtra, quantum pertinet ad ſimplicitatem intentionis veſtræ, æquanimiter accepi; ſed duplicitatem falſorum fratrum, qui quaſi quibuſdam latrociniis noctis, falſa pro veris ſollicitudini veſtræ ſuggerunt, graviter animadverti. Quorum falſitas citò patebit, cùm luce veritatis citò reverberabitur, & in lucem prodire non audebit. Horum ſunt quidam, qui infamiam ſuam non aliter ſe poſſe velare arbitrantur, niſi famam bonorum lædere, & vaſa ſincera incruſtare moliantur, qui alia de cauſa ſimoniam non reprehendunt, niſi quod ſimoniaci eſſe non poſſunt, cùm alii aliqui in Eccleſia aſſequuntur, quod iſti præpedientibus quibuſdam incurſionibus aſſequi non merentur. Quòd ſi oculos mentis in ſe reflecterent, præter ſimoniam multa in ſe tàm facinora, quàm flagitia meritò reprehenderent, ut patenter eis dici poſſit illud Apoſtoli: (d) In quo alterum judicas, te ipſum condemnas: eadem enim agis quæ judicas. Nec iſta dico, quòd conſcientiam meam tali ſcelere contaminatam intelligam; ſed miror, cur hoc ſolùm vel in ſola Carnotenſi Eccleſia reprehenditur, cùm & hoc & multa alia æquè damnabilia in omni penè Gallicana Eccleſia dominentur. Quod autem vobis ſuggeſtum eſt, ſimoniacam hæreſim, me permittente, in Eccleſia Carnotenſi publicè dominari, omninò veritate caret: quia hoc malum ab initio clericatus mei ſemper exhorrui, & poſtquàm ad Epiſcopatum veni, quantum, Deo donante, prævalui, in ſuperficie reſecavi. Quod manifeſtum fieret, ſi pace confratrum & Coepiſcoporum noſtrorum fieri poſſet, in quorum Eccleſiis multæ malę cōſuetudines adhùc caput erigunt, quæ temporibus noſtri ſacerdotii, Deo auxiliante, in Eccleſia Carnotenſi ſopitæ ſunt.

d Rom 2.

X. Quantum poſſit exēplum Rom. Eccleſ.

Si qua autem adhùc ſunt, quæ pro conſuetudine antiqua publicè exigant Decanus & Cantor, & alii miniſtri ab his, qui Canonici fiunt, me contradicente & perſequente: Romanæ Eccleſiæ conſuetudine ſe defendunt, in qua dicunt Cubicularios & miniſtros ſacri Palatii multa exigere à conſecratis Epiſcopis, vel Abbatibus, quæ oblationis vel benedictionis nomine palliantur, cùm nec calamus, nec charta, gratis, ut ajunt, habeatur: & hoc quaſi lapide conterunt frontē meam, cùm non habeam quid reſpondeam, niſi Evangelicum illud: (e) Quod dicunt, ſervate & facite: ſed ſi id faciunt, ſecundùm opera eorum nolite facere. Si autem hanc peſtem radicitùs evellere non valeo, non tantùm invalitudini meæ hoc imputandum eſt, quia ad hoc ab origine naſcentis Eccleſiæ Romana Eccleſia laboravit, nec à gremio etiam ſuo talea ſua quærentes penitùs prævaluit eliminare: nec in diebus malis regnare deſinet cupiditas, donec finito mundi termino, pacatum regnum accipiat charitas. Interim autem (ut verbis Auguſtini (f) utar) quantumlibet vigilet diſciplina, domus meæ homo ſum, & inter homines vivo: nec mihi arrogare audeo, ut domus mea melior ſit, quàm Arca Noe, ubi inter homines ſeptem reprobus unus deriſor patris inventus eſt: aut melior, quàm domus Abrahæ, ubi dictum eſt: Ejice ancillam & filium ejus: aut melior ſit, quàm domus Iſaac, cui de duobus geminis dictum eſt: Jacob dilexi, Eſau autem odio habui. Et ut ad Chriſtiana tempora veniam, ſemper patitur Chriſtus in membris ſuis Judam proditorem * . . . . . Eccleſia Nicolaum fornicationis laudatorem. Simonem lucrorum ſacrilegum ſectatorem. Et, ut univerſaliter dicam, ſemper abundabit palea, donec ventiletur area. Si qua tamen talia in auribus * veſtris judiciario ordine publicantur, ſi certis documentis approbantur, conſervato quidem legum tramite, inulta præterire non patimur. Incerta autem æterni Judicis tribunalibus judicanda reſervamus &c.] Quòd autem nullas alias ab eo de eadem cauſa datas litteras volumen epiſtolarum ejus habeat, ſicut de aliis: par eſt credere, Legatum litteris Ivonis reverberatum quieviſſe. Optaret quiſque bonus his caruiſſe ſemper Romanam Eccleſiam, quę quantulibet honeſtis titulis decorentur, tamen quia ſecundùm Apoſtolum: (g) Omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant] Atque illud: (h) Si eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum.] Expediret in omnibus (quantum poſſibile eſſet) conſulere ſcandalo puſillorum, atque libera fronte dicere Epiſcopum illud Apoſtoli: (i) Bonum eſt mihi magis mori, quàm ut gloriam meam quis evacuet.] Quæ ſæpè miniſtrorum aviditate penes occaſionem quærentes periclitatur; fitque ut domus illa, quæ eſt repleta boni odoris unguento ex diverſorum ſancti Spiritus chariſmatum donis, ob hujuſmodi muſcas (k) morientes, quæ perdunt odorem unguenti, malè malis oleat in ipſorum perditionem. At de his hactenùs.

e Matth.23.
f Aug. ep. 137.
* Antiochena
* noſtris
g 1. Cor.10.
h Ibid.8.
i Ibid.9.
k Ecc.10.

XI. Apud Paſch Papam accuſatus Ivo apologism ſcribit.

l Ivo ep.75

Sed qui laboravit pro defenſione ſuorum, coactus eſt paulò pòſt ad eumdem Paſchalem Papam apologeticam (l) pro ſe epiſtolam ſcribere, cùm accuſatus eſſet apud eumdem Pontificem per clericos quos ipſe damnaſſet, quòd partem cujuſdam Præpoſituræ à clericis abſtuliſſet. Quamobrem ubi ſuam patefecit innocentiam, eamq; comproba-

Digitized by Google

probatione ejuſdem Ricardi Albanenſis Epiſcopi Legati Apoſtolicæ Sedis multò magis perſpicuam reddidit, ita lamentando perorat: De cætero ſenectutem meam propter ſuperfluam & impuritam appellatorum licentiam vexari non permittatis. Dum enim premit nos à prælata poteſtate illata adverſitas, regendi in nobis debilitatur auctoritas; cùm Eccleſiaſticam in eos non audemus exercere diſciplinam, qui eam adverſum nos appellant, non confidentia juſtitiæ, ſed prolatione ſententiæ. Quòd ſi juvenili vigore poſſemus adhùc peditare per ruinoſas Alpium vias, equitare per præcipites præterfluentium torrentium undas, & præcedere aut ſubſequi ad Apoſtolicam Sedem delatores noſtros: proculdubiò refrenaret ſe murmurantium lingua, quæ parùm adhùc novit, quid diſtet inter ſerenitatem charitatis, & caliginem cupiditatis.

XII. Si ergò aliquod temperamentum adverſùs hæc incommoda non procuraveritis, & inveteratis dierum malorum & indiſciplinatis juvenibus, qui via ſunt digni habere quæ habenc, nedum ambire quæ non habent, vexandum me expoſueritis: unum reſtat mihi tutū, & totū conſilium, aſſumptis pennis columbæ à moleſtiis inutilibus avolare & in ſolitudine requieſcere, ubi expectem eum qui ſalvum me faciat à puſillanimitate mentis & inquietudine: cùm ante Epiſcopatum, & in Epiſcopatu ſemper voluntas mea fuerit magis in loco humili ſalvari, quàm in alto periclitari; & in domo Dei magis abjectum eſſe, quàm illis præeſſe, quibus non poſſem prodeſſe. Sed quia tantæ ſublimitatis aures ad faſtidium verbis nolumus onerare, ſi qua minus de neceſſariis dicta ſunt, iſti fratres ſupplebunt, & ſi opus fuerit, probabunt. Vale.]

Querela vetus ob appellationea ad ſedem Apoſtolicam:

Vetus querela Epiſcoporum in Romanam Eccleſiam, de appellationibus per clericos incorrigibiles ingeri ſolitis, ut evitent, vel ſaltem differant, quam juſtè merentur ſubire ſententiam: dè qua abundè ſatis S. Bernardus ad Eugenium Papam ſcripſit. Cui malo cùm plura ſint adhibita per Pontificia decreta remedia, tamen quod aditus iſte non poteſt nec debet ita occludi malis, ut non pateat bonis adverſùs malos: haud omninò ita potuit in omnibus eſſe proſpectum, ne cum bonis mali ſe miſceant in ingreſſu, cùm præſertim juſtitiæ ſpeciem in omnibus repræſentent, & voce magis oſtentent, & non niſi adverſùs malum remedia poſtulare proclament, nec prohiberi poſſe quemquam ab illo confugio, quod omnes homines poſſident jure naturæ, à minori ad majorem potentiam provocandi.

Inter hæc autem accidit, ut deferretur querela ad Paſchalē Pont. adverſùs Rotrocum (a) Comitem Cenomanenſem, qui jura poſſeſſionis Hieroſolymitani militis invaſiſſet, quæ ex privilegio ſub protectione atque defenſione eſſe deberent Apoſtolicæ Sedis. Quibus acceptis, idem Pontifex reſcripſit ad Archiepiſcopum Senonenſem, Pariſienſem, Aurelianenſem, atque ad ipſum Ivonem Epiſcopum Carnotēſem, ut eumdem Comitem excommunicare deberent: quod faciendum non eſſe, niſi audito reo, examinata cauſa, idem Ivo contendit cum collegis, quantumlibet ſimpliciter excommunicandum ex mandato Apoſtolico cenſeret Archiepiſcopus Senonenſis.

a Ivo ep. 192. 193. 194. & 197.

Inauditus quiſquam damnari non debet.

Contrà autem ipſe Carnotenſis Epiſcopus de his ita ſuam ſententiam declaravit, dicens: Ego itaque ſervato legum tramite, nolo quemquam more ſicariorum ſine audientia punire, nolo ſatanæ tradere, donec vel audientiam ſubterfugiat, vel judicium contumaciter reſpuat. Conſulatur ſuper hoc Evangelium, conſulantur leges divinæ & humanæ: ſi de re in contentione poſita aliter aliqua lex fieri juſſerit, poſtpoſita mea ſententia, libenter cedam alienæ. Nec aliter puto dominum Papam intellexiſſe, ubi præcepit, nos pro debito officii noſtri prædictis petitoribus juſtitiam facere, &c.] Perſtitit in ſententia, donec qui excommunicandus erat, Sedem Apoſtolicam appellans è manibus eorum judicium abſtulit.

XIV. At non Occidua tantùm, ſed & Orientalia judicia hoc anno Paſchalem Pontificem fatigarunt. Hoc ſiquidem anno Patriarcha Hieroſolymorum Daibertus, qui jam anno ſuperiori, dolo Arnulphi Archidiaconi nequeſſimi paſſus (b) multa, Hieroſolymis recedens Antiochiam ad Boamundum à barbaris dimiſſum ſe contulit, Ebremario à Baldoino in ſuum locum ſubrogato: unà cum eodem Boamundo (c) in Italiam navigans, ad Paſchalem Pontificem contendit, apud quem detulit quæcumque dolo Arnulphi ſuſtinuiſſet à Balduino, jura Hieroſolymitanæ Eccleſiæ imminuta deplorans. In eumdem Regem eam quoque accuſationem ingeſſit, quòd divortium ſponte ſua, abſque cauſæ cognitione, judicioque Eccleſiæ cum legitima uxore feciſſet.

b Vvil. de bell. ſac. lib. 12. c. 26

c Idem lib. 11. cap. 1.

Patriarcha Hieroſolymorū Romā venit.

His auditis, Paſchalis Papa diu detinuit Patriarcham, Hieroſolymam ſcribens, indeque venire mandans, ſi quis adverſùs eum aliquid quod accuſaret, haberet, reſque delata in annum ſequentem, quo judicio Apoſtolicæ Sedis Patriarcha innocens comprobatus, in ſedem propriam reſtituitur, ut ſuo loco dicturi ſumus. Ita quidem malè conſulti Principes, dum putant impugnatione rerum Eccleſiaſticarum ſtabilire ſibi firmiter regnum: nam nihil aliud agunt, quàm ut abſque fundamento magnæ molis grande ædificium in altum erigant, caſurum citiùs quàm putarint. Siquidem ſententia Veritatis (d) illud duntaxat erit ſtabile ac permanens ædificium, quod ſupra petram contigerit eſſe fundatum. Porrò veriſſima iſta eſſe, infelicia declararunt eventa, cum eodem quo cœptum eſt ſæculo, perditis Hieroſolymis, corruit citò regnum, in quo non ſuper petram malè jacta fundamenta nutabant.

d Matth. 7.

Tunc etiam cùm, ut dictum eſt, Daibertus Patriarcha Hieroſolymorum Romam

A mam venit, contigit pariter (ut Vuillelmus Tyrius (a) aſſerit) venire in Italiam, & inde in Gallias ad Philippum Regem proficiſci Boamundum Principem Antiochiæ, ut duas Philippi Regis filias, alteram Conſtantiam ex legitima conjuge ortam ſibi in matrimonium copularet, alteram ex pellice Cæciliam nomine, jungeret nepoti ſuo Tancredo. Tunc cum Boamundo S. Bruno Epiſcopus Signienſis mittitur Legatus in Gallias, ut Petrus diaconus teſtatur in Chronico Caſſinate. (b) Sed quæ hanc præceſſerunt legationem, in vita ipſius ita narrantur: nempè ipſum Brunonem profectum in Apu- B liam cum Paſchali Pontifice, ibique ægrotantem, licentiam accepiſſe redeundi, atque monaſterium Caſſinenſe adeundi curationis cauſa. Sed ipſe dimiſſo Epiſcopatu, monaſticum habitum induit, illic perpetuò permanſurus. Quod ubi Signini populi cognoviſſent: perculſi nuntio, haud æquanimiter paſſi ſunt, tanto paſtore privari: de his enim hæc idem Petrus ubi ſuprà: Signienſes paſtore orbati, neque illius ferre valentes abſentiam, Romanum Pontificem adeunt, flenteſque orant, ut illum Epiſcopatus ſui curam gerere compellat. C Pontifex ad hæc verba commotus, ſtrenuos à latere ſuo dirigit viros, per eos Brunoni Apoſtolicæ Sedis auctoritate prçcipiens, ut ad ovium ſuarū redeat curam, & Romano Pontifici pro cauſis Eccleſiæ ſemper adhæreat, arguens acriter, quòd abſque permiſſione ſua auſus eſſet monaſterium petere, omiſſa gregis ſibi à Deo crediti cura. Ad hæc Bruno iſta reſcripſit ad amicos S. R. E. Cardinales.

a Vuill. de bell. ſac. lib. 11. c. 1.

Legatio S. Brunonis Epiſcopi Signienſis in Gallias.

b Petr. diac. in Chron. Caſſ. lib. 4. c. 33.

XVI. Quæ Bruno ad Papā Reſcripſit

Cuncti proculdubiò ſciunt, qui in Romana Eccleſia ſunt, quia niſi contra Eccleſiam ſchiſmaticorum ſæviſſet inſania, quod modò egi, multis jam annis impleſ- D ſem. Nunc verò, quia Romanæ Eccleſiæ Petro Claves regente, tota per orbem Chriſti Dei noſtri gratulatur Eccleſia, ventorum jam turbines ſilent, maria pacata quieſcunt: quod Deo ſemel voveram, reddere cogor, melius (c) eſt enim non vovere, quàm vovere, & non reddere. Quòd ſi quis objiciat, me ſemel acceptam Epiſcopatus ſarcinam non debuiſſe deponere; reſpondebo liberiùs: multos, qui pontificatus jura non deſerunt, à ſiniſtris eſſe ſtatuendos, dicente Domino: (d) Principes fuerunt, & non cognovi, duces extiterunt, & non per ſpiritum meum. Porrò qui recta intentione Epiſcopatum dimiſe- E runt, certum eſt, eos de æterna felicitate perenniter in Chriſto gaudere. Mihi quidem exempla non deſunt, quorum auctoritate ſubnitar, eorum ſcilicèt, qui relictis turbinibus ſæculi, quietam vitam delegere. Unde, quæſo, ſummum Pontificem orate, ne mihi ultrà moleſtus ſit, tranquillumque portum, in quem Chriſto duce, perveni, ne me deſerere cogat.] Hucuſque litteræ Brunonis ex monaſterio datæ. Pergit auctor:

c Eccleſ. 5

d Oſee 8

XVII. Cùmque nulla ratione Apoſtolicum, Si- A gnienſemq; populum ſedare poſſet, ſupra dictus, Oderiſius Abbas rogavit Pontificem, ut memoratum virum in hoc monaſterio Deo militare permitteret: ejuſque precibus Papa aures accommodans, quievit.] Verùm non ſivit ibi eum immorari diutiùs, ſed cum titulo Epiſcopi Signienſis levavit in Gallias hoc ipſo anno, quò illùc Boamundus, ut diximus, peregrinatus eſt; nam pergit: Poſt hæc ab eodem Pontifice & Abbate noſtro unà cum Boamundo (ut ſuperiùs retulimus) directus in Galliam, vice Romani Pontificis Synodum ſecundùm traditionem Eccleſiaſticam tenuit.] Hæc de B legatione ſancti Brunonis in Galliis, cujus eſt frequens mentio apud Ivonem in ſuis (e) epiſtolis ad diverſos. In vita ipſius, ubi de hac ipſa legatione agitur, hæc in ejus reditu contigiſſe narrantur: Cùm autem de Gallia reverteretur, in itinere latrones inſidias poſuerunt, volentes ipſum ſuis facultatibus ſpoliare. Cùm autem Sanctus illis appropinquaſſet, tanto ejus aſpectu ſunt divinitus terrore perculſi, ut ad pedes ejus cum reverentia procidentes, de malo propoſito veniam peterent; ipſique in conductu itineris, quantum ipſi placuit, obſequium exhiberent.] Hæc ibi. Præter hanc lega- C tionem alia adhùc ipſum perfunctum eſſe ab eodem Paſchale Papa ſibi commiſſa ad Rogeriū Comitem, idem auctor vitę ipſius affirmat. At de ipſo iterùm alia occaſione dicendum. Contigit autem ipſum revocari rurſùm ad monaſterium Caſſinenſe, cùm ſcilicèt defuncto Odone, qui Oderiſio ſucceſſit Abbas ſucceſſor eligitur. Sed de his ſuo loco.

e Ivo Ep. 190. 191.

VIII. Inter hæc autem contigit eumdem Paſchalem Romanum Pontificem Compoſtellanum Epiſcopum litteris admonere, ut ſacrorum preſcripto canonum cuncta in ejus Eccleſia gererentur: multa enim bellorum cauſa irrepſere in eam Eccleſiam deformia, D quæ corrigenda mandat. Extat adhùc ejus epiſtola apud nos, quæ & edita habetur à Joanne luculento hiſtoriographo rerū Hiſpanicarum, ut hic leges: (f)

f Recitat Joan. Marian. hiſt. Hiſpan.

Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili Didaco Conpoſtellano Epiſcopo ſalutem & Apoſtolicā benedictionē.

XIX. Eccleſia, quam regendam diſponente Domino ſuſcepiſti, jam diù etiam cùm paſtorem habere videretur, paſtoris ſolatiis caret. Idcircò ſtrenuitati tuæ vigilantiùs inſiſtendum eſt, ut in ea ritè omnia juxta normam Sedis Apoſtolicę diſponantur. Cardinales in Eccleſia tua presbyteros ſeu dia- E conos tales conſtitue qui dignè valent commiſſa ſibi Eccleſiaſtici regiminis onera ſuſtinere. Porrò quæ presbyterorum interſunt, presbyteris, quæ diaconorum, diaconibus committantur: ut in aliena diſpendia nullus obrepat. Si qui ſanè ante Romanæ legis ſuſceptionem, ſecundùm communem patriæ conſuetudinem conjugia contraxerunt, natos ex eis filios neque à ſæculari, neque à dignitate Eccleſiaſtica repellimus. Illud omninò incongruum eſt, quòd per regionem veſtram monachos cum ſanctimonialibus habitare audimus: ad quod reſe-

Digitized by Google

reſecandum experientia tua immineat; ut A & qui in præſentiarum ſimul ſunt, diviſis longè habitaculis ſeparentur, prout arbitrio & religioſorum virorum conſilio melius viſum fuerit: neque in poſterum conſuetudo bujuſmodi præſumatur. Datum Laterani Incarnationis Dominicæ anno milleſimo centeſimo * tertio, noſtri Pontificatus * quarto.] Jam verò his abſolutis, ad res geſtas anni ſequentis veniamus.

* IV.
* V.

JESU CHRISTI ANNUS 1105. PASCHALIS PAP. II. ANNUS 6. HENRICI IMP. III 22. ALEXII COMN. IMP. 25.

I. Jam verò Redemptoris milleſimus centeſimus quintus Indictione decimatertia annus adeſt, idemque retributionis B jure dicendus voce Prophetæ, (a) quo Henricus Imperator, qui per tot annos Romanum Pontificem legitimum perſecutus eſt patrem, filium ſuum itidem nominatum Henricum ab Imperio patitur depulſorem. Quòd autem, quos ſuæ hæreſis reliquit ſucceſſores, eoſdem quoque habeat defenſores: nos rem geſtam ad vitandam invidiam, & calumniam propulſandam, non ab alio petemus, quàm à Conrado Urſpergenſi Abbate, quem anno ſuperiori Hieroſolymis in Germaniam redeuntem vidimus; & quæ ob oculos habuit præſens exiſtens, ſcripſit, auctor alioqui C in Germaniæ Imperatores propenſior, & in Romanos Pontifices parùm æquus: ut nulla de eo poſſit eſſe ſuſpicio, in gratiam Romanæ Eccleſiæ eſſe mentitum. Accipe igitur quæ hoc eodem anno geſta eſſe, ipſe ſic ſcribit, à Natali die Redemptoris annum præſentem auſpicatus.

a *Iſai.* 63.

Rebellat Henricus Filius adversus Henricum Imp.

II. Anno Domini milleſimo centeſimo quinto, dum Imperator Henricus Natalem Domini Moguntiæ celebrat, Henricus filius ejus, nominis illius Quintus Rex dictus, rebellationem adversùs patrem in Bajoaria parat, machinantibus ſcilicèt Dieboldo Marchione, Berengero Comite, & Ot- D tone quodam nobili viro, ſibique materna ſtirpe cognato; quorum conſilio & adjutorio ante paucos dies à patris latere diſceſſerat. Primò quippè hæreſim præſcriptam anathematizans, Apoſtolicæ Sedis Pontifici debitam profitetur obedientiam, indeque fœderatis ſibi Noricis Principibus, atque ab Alemannia, nec non Orientali Francia nonnullis nobilibus, ad Saxones convertitur. A quibus honorificè ſuſceptus, & in Quintilineburg Paſcha celebrans, in brevi univerſis Saxoniæ civitatibus potitus, ab Optimatibus eſt dignitate regia ſatis honoratus: conſilio tamen E atque miniſterio * Ruothardi Moguntini, atque Gebehardi Conſtantienſis Epiſcopi, reſponſalium ſcilicèt domini Paſchalis Papæ, totam Saxoniam Romanæ Eccleſiæ Communioni reconciliavit; Epiſcopis verò atque clericis conventum generalem in villam regiam, quæ Northuſum dicitur: quarto Kalendas Junii, ubi ſuper Eccleſiaſticæ inſtitutionis jam depravata diſciplina tractaretur, indixit.

Henricus Filius abjurans Hæreſim Obedientiam profitetur Rom. Eccleſ.

* Ruothardi.

III. In quo Concilio ſuper ſententiis inſtantibus, Patrum decretis primo relectis, quæque poterant ad præſens laudabiliter corrigebantur; quædam verò, quæ & graviora videbantur, ad Apoſtolicam audientiam differebantur. Simoniaca quippè hæreſis Patrum conſuetudine condemnata, Nicolaitarum quoque fornicaria commiatio ibidem eſt ab omnibus abdicata: jejunium menſis Martii hebdomada Quadrageſimæ, jejunium verò menſis Junii, in ipſa hebdomada Pentecoſtes Romano more celebrandum, à præſcriptis Præſulibus Apoſtolica auctoritate indicitur, & pax Dei confirmatur. His verò, qui à Pſeudoepiſcopis fuerant conſecrati, per Catholicam manus impoſitionem reconciliatio proximo jejunio danda fore promittitur. Vidimus inter hæc, quod ſilentio præterire non poſſumus, Regem Henricum non modicam bonæ indolis ſpem, magna ſimul humilitate & auctoritate coram omnibus prætendentem. Nam cùm ſervorum Dei conventui nonniſi vocatus intereſſe vellet (ingens enim ibi cum Epiſcopis, & clericis, etiam Abbatum atque monachorum Eccleſiaſticam ſitiens unitatem turba confluxerat) tandem in abjecto productus habitu, locoque ſtans editiori, omnibus juxta Principum decreta ſuas leges atque jura rationabiliter innovavit; ſi qua verò irrationabilia rogabantur, mira, ac ultra ſuos annos prudenti reſponſione & avita magnanimitate confutavit: in omnibus his, & ſibimet miro modo ſervans adoleſcentiæ verecundiam, & Chriſti ſacerdotibus dignam exhibens reverentiam.

Concilium Northuſenſe Catholicorum.

IV. Inter hæc obortis lacrymis, ipſum Regem cœli, cunctamque militiam cœli teſtabatur, ſe nulla regnandi cupiditate paternum ſibi regimen uſurpare; neque dominum & patrem ſuum à Romano deponi Imperio exoptare, immò debitam pertinaciæ & inobedientię ejus ſemper compaſſionem exhibere, ſique ſancto Petro, ſuiſque ſucceſſoribus lege Chriſtiana ſubiici velit, ſive regno cedere, ſive ſerviliter ipſi ſe ſubeſſe promiſit. Quod auditum omnis multitudo collaudans, lacrymas ſimul & preces tàm pro patris converſione, quàm pro filii proſperitate fundere cœpit, voce magna, Kyrie eleiſon, declamans. Eadem hora Uto Hildinisheimenſis, & Henricus Paderburnenſis, ac Fridericus Halberſtadenſis Præſules veſtigiis Metropolitani proſtrati, ipſius, atque Regis ſtantis, totiuſque præſentis Eccleſiæ teſtimonio Apoſtolicæ ſeſe dederunt obedientiæ: quorum

Pia Henrici Filii Conteſtatio.

rum etiam commiſſa Apoſtolico nihilominùs judicio reſervantur, ſub officii ſui tantùm ſuſpenſione.

V. His ritè diſpoſitis, Rex idem Pentecoſten Mereburg celebrans, Henricum Magdeburgenſi Eccleſiæ dudum deſignatum Archiepiſcopum, ſed ab Imperatoris fidelibus repulſum, conſecrari fecit. Nec multò poſt expeditionem contra Moguntiam movit, expulſum inibi pontificem reſtituturus.] De cujus reſtitutione hæc inferiùs: His etiam diebus venerabilis Buother Archiepiſcopus à Thuringis, in qua per annos octo tyrannicam declinaverat rabiem, præſidio Catholicorum Principum deductus, maximo nobilis Moguntiæ tripudio cathedræ ſuæ reſtituitur; ſicque tàm populum, quàm Clerum Apoſtolicæ reconcilians Eccleſiæ, ab univerſis, non ſolùm ut pater jam grandævus, ſed etiam velut ex mortuis redivivus omnimodis excolitur.] Hæc de reſtitutione Archiepiſcopi Moguntini, agitque de aliis, deque apparatu bellico, & tàm filii, quàm patris exercitibus proximè, flumine tantùm medio, ad congreſſum paratis, cùm agentibus Principibus pacis ſtudioſis, abſque pugna digreſſis, hæc à filio Henrico dicta, idem auctor enarrat: Grates, inquit, ò boni commilitones affectui circa me veſtro ſummoperè refero, unicuique veſtrum par pari referre, ſi res exegerit, non abnuo: nemo tamen in hoc me ſibi velit vel credat fore fœderatum, ut dominum & patrem meum per ſe glorietur occiſum, vel umquam æſtimet occidendum. Ego quidem Chriſtianis mihi legibus ſubarrhatum regnum, ut hæres & ſucceſſor Auguſti tenere, ſi tamen rerum omnium dominatori placuerit, cupio; parricida vocari, vel eſſe, nolo. Quòd ſi pater meus Apoſtolicæ ſe ſubjecerit obedientiæ jugo: ego mox in his, quæ ſua dumtaxat mihi elementia conceſſerit, contentus ero; interim me non impugnatorem eſſe patris, ſed paterni regni propugnatorem noveritis.] Ita quidem præparationem cordis ejus audiens Deus, noluit ſanguine patris quantumlibet impii cruentari filium, juſtitiæ vindicem ac pietatis cultorem, ſed eum ipſe repentina ægritudine è medio ſuſtulit, anno ſequenti, quo, eodem auctore prævio, reliqua ſumus proſecuturi. Qui & enarratis pluribus de aliis Epiſcopis Catholicis in ſedem reſtitutis, ejectis ſchiſmaticis: ad poſtremum relatis quæ ad finem anni hujus ſunt geſta de filii cum patre colloquio, hæc ait ad excuſationem ipſius: Bingæ circa Idus Decembris *Henricus filius patrem* reperit, ore ad os de anathematis vinculo, cœterorumque inſolenter in Rempublicam commiſſorum, ordine quidem præpoſtero, ſed neceſſariè commutato, filius patrem commonuit, obedientiæ debitum, ſi reſipiſcere dumtaxat dignetur, repromiſit. Senior has & hujuſmodi complures ſententias ad audientiam optimatum, & ſenatumenuſultum inſtanti curiæ diſtulit, &c.] Narrat de conventu Moguntino anno ſequenti, noſque eo

Archiep. Moguntinus in ſuã ſedem reſtituitur.

B C D E

loco quæ ſunt ejus anni, dicemus.

VI. Quòd autem Henricus filius nullam majorem cauſam habuerit partem exagitandi, quam quòd ab Eccleſia Romana toties excommunicatus, in eadem execratione obſtinato animo permaneret: Henricus ſenior conſilium iniit, ut Paſchalem ſibi amicum redderet, ejuſque animum pertentaret, Ad quem ſecreto miſſo Nuntio, has litteras ſcripſit:

Henrici Imp. ad Paſchalē Papam Epiſtolam.

Henricus Imperator Romano Pontifici Paſchali.

Si illa inter nos pax eſſet & concordia, quæ inter noſtros olim & tuos fuit anteceſſores, quæ inter nos etiam, & Nicolaum, & Alexandrum viros Catholicos & religioſos Romanos Pontifices plena charitate, & integra devotione viguit; mandaremus tibi quidquid filius patri: ſed diſtulimus expectantes & recognoſcere deſiderantes, ſi in beneplacito Dei ſit, nos in charitate, & amicabiliter poſſe convenire, & Eccleſiam ſuam noſtris temporibus, noſtro labore, ipſo cooperante, in ſtatum redire unitatis priſtinæ. Hoc quamquàm dudum, Deo teſte, deſideravimus; tamen eognita nimia eorum auſteritate, qui in Romana erant Eccleſia, non utile nobis viſum eſt, vel competens, eos hac de cauſa convenire: quis magis videbantur nos proſequi odio, & indignatione, quàm zelo juſtitiæ, vel etiam quam velle nos amplecti dulcedine charitatis ad profectum Eccleſiæ. Effectus hoc probat. Quia cùm ipſi regnum hæreditario jure nobis collatum tempore religioſorum virorum Romanorum Pontificum pacificè à nobis diù poſſeſſum, contra nos commovere ſtuderent & armare: multa inde orta eſt ſtrages populorum, tàm corporum, quàm etiam, quod magis dolendum eſt, animarum. Nunc quoque filius noſter, quem tàm vehementer dileximus, ut uſque ad ſolium regni noſtri exaltaremus, eodem veneno infectus, conſilio quorumdam perfidiſſimorum & perjuratorum ſibi adhærentium inſurgit in nos, poſtpoſitis omnibus ſacramentis, quibus ſe nobis obligaverat; poſt habita omni fide & juſtitia, tantum ut Eccleſiarum bona, & regni liberè valeant perdere, rapere, & inter ſe dividere. Et cùm multi nobis perſuadeant, abſque dilatione in eos vi & armis eſſe ulciſcendum; maluimus tamen adhùc differre, ut tàm in Italico, quàm in Teutonico regno ſciatur manifeſtè, quòd nec noſtræ ſit voluntatis nec culpæ, ſi tandem inviti & coacti in eos inſurrexerimus, quæcumque mala, vel infortunia, vel populorum ſtrages inde evenerint.

VII. Prætereà, quia audivimus te hominem diſcretum, Deum timentem, charitati inſudantem, ſanguinem hominum non ſitire, rapinis, & incendiis non gaudere, unitatem Eccleſiæ ſuper omnia diligere: conſilio & ſuggeſtione Principum noſtrorum mittimus tibi Nuntium iſtum cum legatione noſtra. Per hanc quippè volumus cognoſcere, ſi eſt tibi voluntati, te nobis

in

in charitate & amicabiliter, & nos uniri tibi, ſalvo nobis honore regni & Imperii, & totius noſtræ dignitatis, ſicut & avus & pater noſter, aliique anteceſſores noſtri habuerunt; ſervato etiam tibi à nobis honore Apoſtolicæ dignitatis, ſicut anteceſſores noſtri tuis anteceſſoribus ſervaverunt, & nos præfatis Pontificibus. Quòd ſi placuerit tibi paternè nobiſcum agere, & eam quam mundus dare non poteſt, pacem integrè nobiſcum componere; mitte nobis familiarem Nuntium tuum cum privatis litteris, tuis & ſecreta legatione cum hoc Nuntio noſtro, ut hoc modo indubitanter poſſimus cognoſcere omnem de hac re certitudinem voluntatis tuæ. Qua cognita mittemus tibi de majoribus Principibus noſtris, quales & nos tibi mittere, & deceat à nobis recipere, ad tantam rem componendam, per quos excluſa omni ambiguitate, manifeſtè poſſis cognoſcere, nos veraciter velle complere, quæ tibi mandamus ſecretè. Præter ea, quæ hic ſcripta non ſunt, commiſimus huic fideliſſimo noſtro Nuntio quædam tibi dicenda, quibus tàm veraciter quàm ſcriptis credas.] Hactenùs Henricus Imp. ad Paſchalem Pontificem. Reliqua verò in annum ſequentem idem auctor geſta refert, quæ die Natali Domini fieri contigerunt, utpotè qui à Natali Chriſti die annum incipit. Sed cùm nos à Kalendis Januarii, more majorum, annum inchoare conſueverimus; ad finem anni hujus hic ſunt collocanda, quæ ab eo, vel aliis ſub anni ſequentis exordio facta ponuntur: ait igitur idem qui ſupra Urſpergenſis:

VIII. Conventus generalis Moguntiæ habetur.

Tantus apud Moguntiam factus eſt in Natali Dominico totius regni Teutonici conventus, quantus per multa annorum curricula numquam eſt viſus. Referunt enim qui aderant, quinquagintaduos ibi tunc optimates vel eo ampliùs affuiſſe, adeò ut ſolus Dux Saxoniæ Magnus nomine, quem jam gravior ætas impediebat, notaretur defuiſſe. Ibi ſupervenientes Apoſtolicæ Sedis Legati, Epiſcopus ſcilicèt Albanus Conſtantienſi, ſententiam anathematis in Henricum ſeniorem, dictum Imperatorem, à tot ſibi ſuccedentibus Apoſtolicis ſæpiùs ſæpiùſque promulgatam ſcriptis ſimul & dictis teſtificantes, univerſam multitudinem, immò totam toto orbe diffuſam Eccleſiam ab ejus communione, Chriſti, & beati Petri auctoritate multis jam annis ſequeſtratum confirmabant. Qua de cauſa, dum ipſe ſe de caſtello quo manebat, Moguntiam exhibere tentaret, Principes propter cavendum tumultum vulgi, ſuæ potiùs, quàm filii parti favere ſolentis, ipſi Ingelheim occurrerunt; tandem generali illum circumvenientes conſilio, uſque ad reatus confeſſionem, ſatisfactioniſque profeſſionem perducunt.

In Conventu Ingelheimenſi Henricus ſe abdicat.

IX. Cui cùm Legati communionem, ſeu pœnitentiæ modum abſque generalis Synodi, & Apoſtolicæ diſcuſſionis cenſura reddere ad præſens non poſſent; ipſe partis utriuſque conſiliis annuens, regalia, vel Imperalia inſignia, crucem ſcilicèt, & lanceam, ſceptrum, globum, atque coronam filii poteſtati tradidit, proſpera illi imprecans, illum primatibus multo fletu commendans, & ex tunc juxta ſummi ſacerdotis, totiuſque Eccleſiæ decreta, ſuæ conſulturum animæ promiſit. Hoc ordine Henricus, illius nominis Quintus Rex, primùm à patre, deindè ab univerſæ Germaniæ Principibus in Regem jam ſecundò electus, ab Apoſtolicis quoque Legatis per manus impoſitionem Catholicè confirmatus, acceptis tàm ab Epiſcopis, quàm laicis juxta morem patriæ, ſacramentis, regnare cœpit.] Qui favent Henrico patri, ut Anonymus, qui ejus inhærebat lateri, quique ipſi erat à ſecretis, ſcripſitque paulò poſt mortem, ejus vitam, ſeu funebre encomium ejuſdem Henrici, captivum tentum à filio patrem, vique coactum eo modo ſe ab Imperio abdicaſſe, filii impietatem exaggerans, tradit.

X. Quid verò tunc cum Richardo Albanenſi Epiſcopo Apoſtolicæ Sedis Legato ſit geſtum, ſecundùm ea, quæ per Urſpergenſem ſunt enarrata, idem auctor ſic ait: Sed & pedibus Apoſtolici Legati advolvitur, orans & obſecrans, ut ſe à banno ſolveret, & communioni Eccleſiæ redderet. Laici miſericordia moti veniam dabant; Legatus autem domini Apoſtolici abſolutionem negabat, aſſerens, non hoc ſuæ poteſtatis eſſe: oportere ab ipſo Apoſtolico abſolutionis gratiam ipſum expectare. Quid multa? Abrenuntiata Imperiali dignitate, privatus diſceſſit, & ad quamdam civitatem, quam filius victui illius permiſerat, receſſit.] Hæc ipſe. Sed quomodò facti pœnitens, rurſus ad arma paranda convertitur, dicetur ſuo loco anno ſequenti: quæ autem ſunt reliqua ejuſdem conventus, Urſpergenſis ſic narrat:

XI. Legatio per inſignis decernitur ad Paſchalem Papam.

Relatis igitur coram Rege, cunctiſque totius Germaniæ optimatibus, & Præſulibus, omnique Clero ſimul & populo, legationibus Romanæ Sedis, Eccleſiarum regni iſtius commaculatione diverſa & inveterata, è contrà emendatione ab univerſis unanimiter promiſſa: placuit tàm Regi, quàm primoribus, ad ſanctam matrem Romanam Eccleſiam tantos ac tales à partibus iſti Legatos transmitti, qui & de objectis ritè rationem reddere, & de incertis ſagaciter inveſtigare, ac per omnia utilitatibus Eccleſiaſticis ſapienter conſulere ſint idonei. Separantur in hoc opus viri ſpiritu ſapientiæ pleni, dignitatibus, natalibus, & elegantia, ſeu divitiis præcipui, in illaque ſecundùm Deum, ſive ſæculum veneratione inſignes, à Lotharingia Bruno Trevirenſis, à Saxonia Henricus Magdeburgenſis, à Francia Otto Babenbergenſis, à Bajoaria Eberardus Eichſtatenſis, ab Alemannia Gebehardus Conſtantienſis, à Burgundia Curienſis *Epiſcopi*: nonnulli etiam nobiles de latere Regis laicæ profeſſionis, idque inter cætera ſuſcipiunt in mandatis, ut ſi fieri poſſit, domini Apoſtolici

ſtolici præſentiam Ciſalpinis partibus impetrent exhiberi.] Hæc eſt legatio in eo cōventu decreta, quam tamen anno ſequenti, menſe Februarii profectionē inſtituiſſe, ex iis quæ idē auctor inferiùs tradit, poſſumus intelligere. Agemus igitur de ea ſuo loco.

XII. Oſſa Guiberti Antipapæ Effoſſa, & in flumē projecta.

Hoc preterea anno, qui numeratur quintus ab infelici exitu Guiberti Antipapæ, (ut teſtatur Urſpergenſis Abbas) ejus oſſa, quæ Ravennæ ſepulta fuerant, exhumata, in fluenta projecta fuerunt. De his enim idem auctor, rerum præſentium ſcriptor hæc habet anno ſequenti: Jam enim exaltatis ſibi divinitùs Eccleſia Romana cornibus ad incutiendum timorem cunctis uſquequaque ſchiſmatum membris, etiam capitis ipſius oſſa, Guiberti ſcilicèt dicti Papæ, de ſepulchro ſuo, quod per quinque jam annos in Eccleſia Ravennenſi poſſederat, Proiici fecerat, univerſaque ejus inſtituta, ut verè non Apoſtolici ſacerdotis, ſed apoſtatici invaſoris annullari decreverat.] Hæc ipſe. Porrò, ut iſta decernerentur inſolita, eam affert Vvillelmus Bibliothecarius cauſam, quòd ſcilicèt, qui adhùc ejuſdem pſeudopapæ ſtudioſi remanſerant, quò minùs pollerent viribus, eò ampliùs mendaciis niterentur, ſpargerentque in vulgus falſas viſiones oſtenſas in ſepulchro ipſius, nimirùm viſas illic noctu ſplendere facellas cœlitùs miſſas, indices ejus apud Deum receptionis; quibus cùm traducere facilè poſſent ſimplices, atque ſeducere imperitum vulgus: placuit ut ejuſmodi decerneretur ei, pſeudoprophetas (a) illatum aliquando ſupplicium, ut oſſa ipſius exhumarentur, non tamen, ut illorum, effoſſa cremarentur, ſed proiicerentur in flumen. Porrò exemplum de oſſibus Guiberti imitati ſunt anno ſequenti Catholici in Germania, cùm Imperatore in ordinem redacto, acceperunt ex novo Principe vires: de quibus iſta Uſpergenſis Abbas: Denique in tantum divinæ legis ſubitò zelus efferbuit, ut etiam ipſa cadavera pſeudoepiſcoporum ab Eccleſiis eliminarentur:] utpote quòd indigni cenſerentur Catholicæ Eccleſiæ ſepultura, qui viventes eidem Catholicæ Eccleſiæ minimè communicaſſent. At de his hactenùs; reliqua in ſequentem, quo ſunt facta, reiicimus annum.

a 4. Reg. 23.

XIII.

Quod ad res Orientales pertinet, moritur hoc anno laudatiſſimus Princeps (b) Raymundus Comes Toloſanus, vir pietate ſicut & armis inſignis. Quo pariter anno Balduinus Rex, prævio ligno ſanctiſſimæ Crucis, ingentem divino auxilio comparavit ſibi victoriam: de quibus omnibus tu conſulas Tyrium.

b *Vvillel. Tyr. lib. 11. c. 23.*

Obitus S. Petri Anagniæ Epiſcopi.

Hoc eodem anno S. Petrus Anagniæ Epiſcopus, cujus præclarè res geſtas ſcripſit S. Bruno Signiæ Epiſcopus, ex hac vita migravit tertia die menſis Auguſti: quem virtutibus inſignem, miraculis clarum, anno decimo ſui Pontificatus Paſchalis Papa inter Sanctos retulit, ut ejus diploma ſignificat, quod ſic ſe habet:

XIV.

Paſchalis ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus Epiſcopis Anagniæ, & aliis per Campaniam conſtitutis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Dominum excelſum habentes præ oculis, qui in amicis ſuis laudatur & benedicitur; & conſiderantes propterea ſtrenuæ probatæque vitæ merita, quibus vir ſanctus Petrus, quondam Anagniæ Epiſcopus, de regula monachorum aſſumptus, in paſtorali officio purè, ſimpliciter, ſolerti vigilantia & exemplo Deo deſervivit: admirantes etiam miraculorum inſignia, quibus Sanctus ſuum ante & poſt obitum divina gratia decoravit, prout per Brunonem Signienſem Epiſcopum fideliter annotatur, & uſque ad noſtra tempora decorare non deſinit: auctoritate præſentium nobis licere volumus, & mandamus, quatenùs tertio Nonas Auguſti diem natalem ejuſdem Confeſſoris & Præſulis memorandi Sanctorum catalogo congruè celebrem recolatis, quatenùs in præſenti gratiam, & in futuro, opitulante divina clementia, piis ejus interceſſionibus mereamur gloriam ſempiternam. Dat. Signiæ, ſecundo Nonas Junii, Pontificatus noſtri anno decimo.

JESU CHRISTI ANNUS 1106. PASCHALIS PAPA II. ANNUS. 7. HENRICI III. IMP. 23. ALEXII COMNENI IMP. 26.

I. Henricus Imp. Fuga lapſus litteris Declamat in Papam.

SEquitur annus Redemptoris milleſimus centeſimus ſextus, Indictione decimaquarta, quo Henricus Imperator à filio ſpoliatus Imperio, demùm ab ulciſcente numine privatur & vita. Sed quæ iſta præceſſerint, ſuo narranda ſunt ordine. Henricus igitur ſenior exutus Imperio, è loco ubi conſtitutus fuerat privatam vitam agere, fuga lapſus, Coloniam primùm, inde Leodium venit, ubi benignè exceptus, dum maneret, litteras has dedit ſub titulo, ad Regem Celtarum, cæterum quas voluit eſſe patentes, ad commovendos omnes in filium: quæ ſic ſe habent.

Henricus Rex Regi Celtarum.

Princeps clariſſime, & omnium in quibus poſt Deum ſperamus, fideliſſime, primum & præcipuum inter omnes vos excepi, cui conqueri & deplorare omnes calamitates meas & miſerias neceſſarium duxi, & etiam genibus veſtris advolvi, ſi licet, ſalva majeſtate Imperii. Primùm quidem eſt, quod non ſolùm vobis, ſed totius Chriſtianæ profeſſionis hominibus graviſſimum ac intolerabile arbitramur, quod de Apoſtolica Sede, unde uſque ad memoriam noſtri temporis ſalutifer fructus conſolationis, dulcedinis, & ſalvationis animarum oriebatur, modò perſecutionis, excommunicationis, & omne perditionis flagellum emittitur; nec ponunt ullum modum ſen-

A ſententiæ tantùm ut ſatisfiat voluntati indiſcretæ. Hujus voluntatis ſuæ intemperantia adeò uſque nunc abuſi ſunt, ut nec Deum, nec quid, aut quantum mali inde proveniat, penſantes, per ſe, & per ſuos omnibus modis in nos invehantur, cùm obedientiam, & omnem ſubjectionem debitam ſæpè obtulerim Apoſtolicæ Sedi, ſi tamen honor debitus, & reverentia, ſicut anteceſſoribus meis exhiberetur & mihi. Quid autem intendant, opportuniùs ſignificabo vobis, ſi quando optari colloquii copiam Deus dederit nobis. In hac igitur perſecutionis & odii ſui inflammatione, cùm parùm viderent ſe proficere, B contra ipſum jus naturæ laborantes (quod ſine maximo cordis dolore, ſine multis lacrymis dicere non valeo, & quia dicitur, vehementer contremiſco) filium meum, Abſalom, inquam, dilectiſſimum non ſolùm contra me armaverunt, ſed etiam tanto furore animaverunt, ut in primis contra fidem, & ſacramentum, quod ut miles domino juraverat, regnum meum invaderet, Epiſcopos & Abbates meos deponeret, inimicos, & perſecutores meos ſuſtineret: ad ultimum (quod maximè vellem taceri, aut ſi taceri non poteſt, vellem non credi) omnem affectum naturæ C abiiciens, in ſalutem, & animam meam intenderet, nec quidquam penſi haberet, quomodò vi & fraude ad hanc periculi & igominiæ ſuæ ſummam aſpiraret.

III. In hac tanta mali ſui machinatione, cùm eſſem in pace, & in aliqua ſalutis meæ ſecuritate, in locum qui Confluentia dicitur, in ipſis Dominici Adventus ſanctiſſimis diebus ad colloquium evocavit me, quaſi de communi ſalute & honore filius tractaturus cum patre. Quem cùm vidi, illicò ex paterno affectu tactus intrinſecùs dolore cordis mei, ad pedes ſuos procidi, admonens, & obteſtans per fidem, per D ſalutem animæ, ſi pro peccatis meis flagellandus etam à Deo, de me ipſe nullam conquireret maculam honori & nomini ſuo, quia culpæ patris vindicem filium eſſe, nulla divinæ legis conſtituit ſanctio. At ille tàm pulchrè, immò miſerrimè inſtitutus ad malitiam, quaſi abominabile & execrabile ſcelus cœpit deteſtari, & procidens ipſe ad pedes meos, de præteritis cœpit veniam deprecari; in reliquum ut miles domino, ut patri filius cum fide & veritate per omnia ſe mihi obauditurum promiſit cum lacrymis, ſi modò Sedi Apoſtolicæ vellem reconciliari. Quod cùm promptiſſimè annuiſſem, & deliberationi E ſuæ & conſilio Principum hoc tantum mancipandum promiſiſſem, in præſenti Nativitate ſe producturum me Moguntiam, & ibi de honore, & reconciliatione mea, quàm fideliùs poſſet, acturum, & inde in pacem, & ſecuritatem me reducendum, promiſit, in ea veritate & fide, qua patrem à filio honorari, & filium à patre præcipit Deus deligi. Hac promiſſione, quæ & Gentili obſervanda eſt, ſecurus ibam, & filius meus aliquantulùm me præceſſerat: & ecce quidam fideles veriſſimè me deceptum affirmabant, & proditum ſub falſa pacis & fidei ſponſione. Revocatus autem filius meus, & iterùm à me inſtantiſſimè admonitus, ſub ejuſdem fidei & ſacramenti obteſtatione animam ſuam pro anima mea fore promiſit ſecunda vice.

IV. Cùm ergò ad locum, qui Binga vocatur, perveniſſem, jam exiſtente die Veneris ante Nativitatem, numerus armatorum ſuorum jam ſatis augebatur, jam fraus ipſa de ſe detegebatur, & filius ad me: Pater, inquit, nobis ſecedendum eſt in vicinum caſtellum, quia Moguntinus Epiſcopus in ſuam civitatem non admittet vos, quamdiù in banno eritis; nec vos impacatum & irreconciliatum audeo ingerere inimicis veſtris. Illic Nativitatem cum honore & pace agatis, quoſcumque placuerit vobis, vobiſcum habeatis: ego interim quantò inſtantiùs, quantò fideliùs potero, pro nobis utriſque laborabo, quia cauſam veſtram meam exiſtimo eſſe. At ego: Mi, inquam, fili, judex & teſtis ſermonum & fidei ſit inter nos hodiè Deus, quomodò te in virum & hæredem meum produxerim, quantis tribulationibus meis honori tuo inſervierim, quot, quantas inimicitias pro te habuerim, & habeam, ſolus conſcius es. Ille autem tertiò ſub ejuſdem fidei & ſacramenti atteſtatione, ſi ingrueret occaſio periculi, caput ſuum pro meo capite fore mihi promiſit.

V. Sed poſtquàm clauſit me in eodem caſtello, quo omnia animo & corde fuerit locutus, manifeſtè rei oſtendit eversus. Ex omnibus meis quartus ego ſum incluſus, nec quilibet alius admitti potuit; cuſtodes deputati, qui vitæ meæ erant atroces inimici (benedictus per omnia Deus) exaltandi, & humiliandi quæ voluerit Rex potentiſſimus. Cùm ergò ipſo ſacratiſſimo die Nativitatis ſuæ omnibus redemptis ſuis ille ſanctus Sanctorum Puer fuiſſet natus: mihi ſoli filius ille non eſt datus. Nam ut taceam opprobria, injurias, minas, gladios in cervicem meam exertos, niſi omnia imperata facerem: præterea famem, & ſitim, quam perferebam ab illis, quos injuria erat videre, & audire, ut etiam taceam, quod eſt gravius, me olim ſatis felicem fuiſſe illud numquam obliviſcar, illud numquam deſinam omnibus Chriſtianis conqueri, quòd illis ſanctiſſimis diebus, ſine omni Chriſtiana communione in carcere illo fui.

VI. In illis pœnitentiæ & tribulationis meæ diebus à filio meo miſſus venit ad me quidam Princeps Vvigbertus, dicens, nullum vitæ meæ eſſe conſilium, niſi ſine ulla contradictione omnia regni inſignia redderem ex voluntate & imperio Principum. At ego, etſi omnis terra, quantum inhabitatur, mei regni terminus eſſet, nollem regno vitam commutare: quia vellem, nollem, ſic agendum, & ſicut definitum intelligebam, coronam, ſceptrum, crucem, lanceam, gladium miſi Moguntiam. Tunc communi-

municato conſilio cum inimicis meis, meus filius egrediens, relictis ibidem fidelibus & amicis meis, quaſi me eò adducturus, ſub multa frequentia armatorum ſuorum me abductum ad villam, quæ dicitur Ingelheim, fecit me ad ſe adduci, ubi maximam inimicorum meorum multitudinem collectam inveni, nec ipſum filium ceteris mihi meliorem reperi. Et quia firmius & ſtabilius videbatur eis eſſe, ſi propria manu cogerent me regnum, & omnia regalia esfeſtucare: ſimili modo & ipſi omnes minabantur mihi, niſi omnia imperata facerem, nullum vitæ meæ conſilium fieri poſſe. Tunc ego, inquam, quia de ſola vita mea agitur, qua nihil precioſius habeo, ut ſaltem vivens pœnitentiam exhibeam Deo; quidquid imperatis, faciam. Cùmque inquirerem: ſi ſaltem ſic de vita mea certus eſſem: Apoſtolicæ Sedis Legatus, qui ibidem aderat (non dico qui omnia hæc audierat) reſpondit, me nullo modo eripi poſſe, niſi publicè confiterer, me injuſtè Hildebrandum perſecutum eſſe, Vvigbertum ei injuſtè ſuperpoſuiſſe, & injuſtam perſecutionem in Apoſtolicam Sedē & omnem Eccleſiam hactenùs exercuiſſe.

VII. Tunc cum magna contritione animi proſtratus, cœpi per Deum, per ipſam conſcientiam orare, ut locus & tempus mihi daretur, ubi in præſentia omnium Principum, cùm innocens eſſem, vellem ea judicio omnium me expurgare; & in quo culpabilem me recognoſcerent, ex conſilio omnium ſanioris ſententiæ, pœnitentiam, & ſatiafactionem, quo ordine juberent, quærere, & in Principibus regni, de fidelibus noſtris quoſcumque obſides vellent, dare. At idem Legatus locum & diem mihi abnegavit, dicens: aut totum ibi debere determinari, aut nulla ſpes mihi eſſet evadendi. In tanto tribulationis articulo cùm interrogarem, ſi confiterer omnia quæ imperabantur, an confeſſio mea, ut juſtum eſt, veniam & abſolutionem conſequeretur: ibi Legatus dixit, non eſſe juris ſui me abſolvere: ſi vellem, inquit, abſolvi, Romam irem ſatiafacere Apoſtolicæ Sedi. Sic deſolatum, & ſpoliatum (nam & caſtella, & patrimonia, & quidquid in regno conquiſieram, eadem vi & arte ſua extorſerant à me) in eadem villa reliquerunt me. In qua cùm aliquo tempore commoratus eſſem, & filius meus ex eodem fraudis ſuæ conſilio demandaſſet, ut ibidem eum expectarem, ſuperveniens quorumdam fidelium meorum legatio præmonuit, ut ſiquidem ad monitum ibi remanerem: fore aut in perpetuam raperer captivitatem, aut in eodem decollarer.

VIII. De fuga ſua Imper. agit.

Quo nuntio ſatis tunc vitæ meæ diffiſus: illicò aufugiens, fugiendo Coloniam veni, & ibi aliquot diebus commoratus, poſteà Leodium veni. In quibus locis fideles viros & in fide regni conſtantes ſemper inveni. Horum cæterorumque regni fidelium conſilio uſus: vobis fiducialiùs, & honeſtiùs habeo deplorare has omnes meas

A miſerias. Fiducialiùs quidem propter mutuum conſanguinitatis, & antiquæ amicitiæ debitum: honeſtiùs autem propter tanti regni nomen glorioſum. Vos igitur per fidem, per amicitiam rogo, in tantis tribulationibus meis ac injuriis propinquo & amico conſulatis. Quæ fidei, & amicitiæ vincula etſi inter nos non eſſent, veſtra tamen, & omnium Regnum terræ intereſſet, injuriam & contemptum meum vindicare, & tàm neſariæ proditionis & malitiæ exemplum de ſuperficiæ terræ extirpare.] Hactenùs Henricus, cujus querelæ, utcumque ſive verè ſive falsè formatæ,
B magnam vim commovendi animos habuerunt; eò magis quòd fuga lapſus, & milites congregans, in priſtinum ſtatum ſe revocandum ſpem multis ſuis fidelibus fecerat. Hic à ſchiſmaticis nova preſumpta, nempè ut novus Antipapa decerneretur, atque Legati miſſi ex Moguntino conventu Romam ad Paſchalem Pontificem, capti conjicerentur in carcerem. Narrat iſta Urſpergenſis verbis iſtis hoc anno.

Inter hæc Vvernerus quidam ex ordine miniſterialium Regis, qui Marchæ, quæ in partibus Aquini, præerat, quaſi hæreſim eamdem reſuſcitaturus, collectis un- IX. Pſeudopapa Silveſter erigitur & dejicitur.
C decumque per Italiam copiis, corruptis quoque multa pecunia Romanis nonnullis, dum dominus Apoſtolicus Beneventanis immoratur finibus, quemdam pſeudoabbatem de Farſa, proh nefas? Cathedræ ſancti Petri impoſuit, & ipſum Papam Cæſaris, ſub vocabulo Silveſtri appellari voluit. Qui tamen poſt paululum, turpiter ut merebatur, à Catholicis eliminatus, veſaniæ ſuæ præmium, malè conquiſiti, pejùsque diſperſi æris retulit damnum &c.] Hæc de pſeudopapa. De Legatis autem in via tentis ſubjicit mox iſta:

X.

Porrò proceres jam dicti, dum è ſuis
D ſinguli partibus in valle Tridentina convenientes, apud ejuſdem nominis civitatem ideſt Tridentum, pernoctarent, quidam Adelbertus adoleſcens, partium illarum quodam inſignis comitatu, ſummo mane ſuper ipſos, utpotè inermes & peregrinos, cùm civibus armatis irruit, ſpoliat, capit, cuſtodiæ tradit, idque ſibi per legationes domini ſui Henrici Eximperatoris demandatum comprobat. Artibus quippè ſolitis idem Henricus uſus, clàmque religioſis epiſtolis, nuntiis, quaſcumque poterat regni civitates, & provincias impleverat, quibus ſe vim à Principibus paſſum, immò
E ab unico filio depulſum Imperio deplorabat, regnum in ſuis miſeriis confuſum, cunctis uſquequaque partibus ejuſdem fortunæ timendum fore præmonebat exemplum. Qua de cauſa nullus jam per Italiam liber tranſitus eiſdem patuit Legatis: Gebehardus tantùm Conſtantienſis Epiſcopus cum ſuis per occultiores Alpium ſemitas ingreſſus, Mathildis Comitiſſæ, alterius nimirùm Debboræ, præſidiis, Apoſtolicis præſentatur veſtigiis. Reliqui (ut diximus) magnates, ut nimirùm à ſtultiſſimo captivatore deprehenſi, indignè tractantur, præter

LegatiRomam Miſſi Tridenti Capti.

Otto-

Digitized by Google

A Ottonem Babenbergenſem Epiſcopum, cui idem Adelbertus, eò quòd eſſet ſuus miles, parcere cogebatur. Quo etiam mediante, Bruno Trevirenſis Epiſcopus, & Vvigbertus Comes eo pacto dimittuntur, quatenùs & Imperatorem, cum illo pacem facturi, conveniant, & quid de reliquis ipſe præcipiat, relaturi redeant.

XI. At JESUS, qui ſemper propè eſt omnibus invocantibus, & his juxta, qui tribulato ſunt corde, repentè ſuper eoſdem ſibi rebelles Vvelphonem Ducem Noricum quaſi gladium de vagina ſua edùxit: qui tertia ſuperveniens die, manu valida B Clauſas obſtructas effregit, Gebehardum virum probatum Tridentinæ Eccleſiæ conſtitutum à Rege Catholico novum Epiſcopum, quem numquam ſe ſuſcepturos cives ipſi conſpiraverant, recipi coegit. Ipſum quoque Adelbertum, ſuique ſceleris complices adeò perterruit, ut eductos quos clauſerant Principes, ipſumque caſtellum novo Epiſcopo redderent; ipſi inſuper nudipedes ab his quos afflixerant, veniam poſtularent.] Hæc de liberatione Legatorum Urſpergenſis; qui hæc contigiſſe ait prima hebdomada Quadrageſimæ. Narrat poſt hæc prælium, in quo tulere Catho- C lici poſteriores, trecentis ex illis cæſis, ex quo eventu ſunt redditi ſchiſmatici audaciores. Henricus verò filius obſedit Coloniam pro patre ſtantem, ubi dum eſſet, Legatos à patre miſſos ſuſcepit, de quibus ita idem Urſpergenſis: Intereà Regi Henrico patris Legati de Leodio miſſi præſentantur, litteras tàm ſibi, quàm Principibus regni deferentes, quarum exemplar hìc inſeri non abſurdum duximus, ad probandam ſcilicèt ejuſdem viri multimodam tergiverſationem, qua ſe toto vitæ ſuæ tempore cunctis ſibi reſiſtentibus, ficta ſub- D jectione eatenùs feciſſet ſuperiorem.] Quas ad filium ſcripſit ſic ſe habent:

Henricus Dei gratia Romanorum Imp. Auguſtus Henrico filio ſuo.

XII. Epiſt. Henrici Imper. ad Filium. Si ea nos debita affectione tractaſſes qua deberes, libentiſſimè tecum loqueremur, & paterna tibi mandaremus; verùm quia longè alius, quàm paternæ affectionis, & humanitatis circa nos animus tibi fuit, nequivimus aliter tecum loqui, quàm quòd ipſa rei maniſeſtiſſimæ veritas habet. Tu enim ipſe ſcis, ſicut ipſe publico experimento facti tibi conſcius es, qualiter data fide, & ſecuritate perſonæ, & E honoris noſtri, omni affectione devotionis promiſiſti nos ducere Moguntiam coram Principibus, & indè nos ſecuriſſimè reducere quocumque vellemus. Hac fiducia cùm tecum amanter & indubitanter aſcenderemus, contra datam fidem apud Bingam nos cepiſti. Ubi nec paternæ lacrymæ, nec patris mœror, nec triſtitia, qua ad pedes tuos, aliorumque advolvebamur, te commovit ad miſericordiam, quin nos caperes, & captum mortalibus inimicis illudendum & cuſtodiendum traderes, vbi multimodo genere contumeliæ & terroris afflicti, compulſi ſumus fermè venire

A uſque ad ipſum mortis articulum. Ante captivitatem abſtuliſti nobis Epiſcopatus, & quidquid de honore regni potuiſti, & prædia noſtra, & ipſam familiam: in captivitate verò quidquid reſiduum erat, ut lanceam, & crucem, & omnia regalia inſignia vi & timore mortis (ut ipſe benè ſcis, & omni fermè notum eſt Chriſtianitati) à nobis extorſiſti relicta vix ipſa vita. Cùm hoc tibi de nobis non ſufficeret, poſteà ſemper ubicumque fuimus, modis omnibus, quibus potuiſti, nos perſequi non ceſſaſti, ut vel perderes, vel de regno expelleres. Verùm nos ſatis mirari non poſſumus, qua B ratione vel occaſione tàm obſtinatè facias, cùm de domino Papa & Romana Eccleſia nulla tibi reſidua ſit occaſio. Nos enim Nuntio domini Papæ & Romanæ Eccleſiæ, te præſente, parati fuimus & ſumus obedire, & omnem debitam obedientiam & reverentiam ei coràm & ſemper exhibere, & conſilio Principum, & ſpiritualis patris noſtri * Henrici Cluniacenſis Abbatis, aliorumque religioſorum virorum de ſtatu Eccleſiæ, & honore regni libentiſſimè agere. Te ergò rogamus pro honore regni, & tua, & paterna de- C votione, & per auctoritatem Romani Pontificis, & Romanæ Eccleſiæ, ut de injuria nobis illata, & de his, quæ nobis vi & injuſtè abſtuliſti, juſtitiam facias. Rogamus etiam, ut cùm nil rationis tibi ſit, quarè nos perſequaris, nos & fideles noſtros ceſſes infeſtare, immò permittas nos pacificè & quietè vivere: ut integrè & cum tranquillitate poſſimus omnia ſupradicta agere.

* Hugonis.

XIII. Recognoſce etiam & tecum cogita, quia Deus juſtus judex eſt, cui commiſimus cauſam noſtram, & vindictam, cujus etiam judicia ſunt occulta, velut abyſſus mul- D ta. Quoniam quantumcumque ſuper afflictionem & infortunia glorieris, & ſuper humilitatem te extollas; forſitan de ſede ſancta ſua inter me & te gratuita miſericordia aliud jam definivit, intercedente juſtitia, quam tu ipſe cogites & diſponas. Quòd ſi nulla alia vel reverentia vel intercellio nobis valet: opto ut juſtitiam conſequi poſſimus, vel ut tuæ perſecutionis impetus ceſſet. Ad hoc idem Romanum Pontificem, & ſanctam univerſalem Romanam Eccleſiam appellamus:] Hactenùs ad filium pater.

XIV. Inter quos ſi arbiter ſedeas, quod ad per- E ſecutionem, captivitatem, atque privationem Imperii ſpectat per filium procuratas in patrem: cùm ex animi affectu iſta pendeant, nihil habes in quo damnes filium magis, quàm ſi vehementi febre phrenetico, deliranti, inſanienti, furentique pius filius injiciat vincula patri, ſi verè intuitu pietatis, ut facere præ ſe tulit, ea omnia præſtitit. Certè quidem furor Henrici ſenioris toto vitæ ſuæ tempore majoribus in dies acceſſionibus auctus in Eccleſiæ Catholicæ detrimentum, & cladẽ aſſiduam Occidentalis Imperii, ejuſmodi plurimis experimentis cognitus eſt, ut

aliter curari non poſſet, niſi hnjuſcemo-
In omnibus his divina juſtitia cómendanda, di vinculis. Quibus ſi ad hoc (ut præ ſe
tulit) uſus eſt filins, ut patrem ad ſa-
niorem ſenſum converteret, ſolvique
procuraret tenacioribus vinculis anathe-
matis arctiùs frequenti iteratione conſtri-
ctum: quis negare poterit, ſummum fuiſ-
ſe hoc pietatis genus, in hoc ſe exhibuiſſe
crudelem? immò ex eo quòd non firmiori-
bus vincnlis ſtrinxerit, donec curaretur,
ne in malum ſuum & aliorum effugeret, de-
liquiſſe. Ceterùm (quod exclamat pater)
ſi ea ex malis artibus, nempè perjuriis of-
fenſæ præſtitæ fidei, fieri contigerunt; lau-
dari minimè poſſunt. Utcumque tamen il-
lata per filium iſta meruit pati pater, æqua
divinæ juſtitæ lance librata ſententia, ut
pateretur à filio quæ in ſanctum Patrem
ipſe facere jugi perſecutione tentaſſet: qui
& neceſſitate cogente, extorquente ut olim
a 2. *Macb.* 9 ab Antiocho (*a*) deſuper immiſſa vindi-
cta, patrem nominare, patrem cognoſce-
re, patremque appellare, habuerit pro re-
medio ſingulari ſibi relicto. Sed audia-
mus reliquas litteras, quas per eoſdem
Legatos ad Archiepiſcopos & Principes fi-
lio inhærentes, eodem argumento con-
ſcripſit. Sic enim ſe habent:

XV. Henricus Dei gratia Romanorum Imp.
* Epiſcopis Auguſtus * Archiepiſcopis, & ceteris * Sa-
* Saxoniæ non habet Urſperg. xoniæ Principibus, ac etiam reliquo po-
pulo gratiam, & dilectionem dignantibus
eam recipere.] Ita titulus in cuſis ſeorſum
Henrici litteris, ſed apud Urſpergenſem
alio modo legitur.

Conquerimur Deo omnipotenti, & Do-
minæ meæ ſanctæ Mariæ, & beato Petro
principi Apoſtolorum patrono noſtro, &
vobis Principibus omnibus, quia injuſtè
& inhumanè & crudeliter in illa confiſa
fide, in qua dubitare non debueramus, tra-
ctati ſumus; & tàm honore regni, quàm
prædiis, & omnibus quæ habebamus, con-
tra divinum, & humanum jus, ad infa-
miam, & vituperium regni ita expoliati
ſumus, ut nihil penitùs præter vitam no-
bis relictum ſit. Ubi cùm fermè omnes ef-
ſetis, magna pars veſtrum viſa eſt dolore
contriſtari. Sed proh dolor! nihil nobis
contulit veſtra triſtitia, quin in nobis ſi-
bi ſatisfaceret volnntas inimicorum no-
ſtrorum odioſa. Et quia conſilio, & ro-
gatu filij noſtri, fide, & ſecuritate vitæ &
honoris primùm ab eo accepta, fiduciali-
ter & deſideranter Moguntiam in præſen-
tiam Legati Romani, & Principum tende-
remus, ut eorum diſpoſiti, ne ageremus tàm
de ſtatu Eccleſiæ, & honore regni, quàm
de ſalute animæ noſtræ, ipſe non eſt veri-
tus in hac voluntate & obedientia nos con-
tra datam fidem capere, & uſque ad arti-
culum mortis fermè ducere: non auſi ſu-
mus nos illi credere, ut injuriis & contu-
meliis nos pro voluntate ſua, ſicut priùs,
valeat tractare. Quapropter multùm vos
rogamus, & obnixè precamur, ut pro ti-
more Dei, & honore regni, & honeſtate
veſtra dignemini ſtudere, quomodò de
iniuria in manibus veſtris nobis illata, per

A vos poſſimus recuperare juſtitiam.
Nos autem pro conſilio veſtro, & alio- XVI.
rum qui nos odio non habent, religioſorum
virorum parati ſumus tàm filio noſtro, ſi
in aliquo eum offendimus, quàm alicui in
regno libenter rationem dare. Præterea
ſicut domino Papæ in præſentia Legati ſui
& veſtra obedire parati ſuimus; ita nunc
parati ſumus ei omnem debitam reveren-
tiam, & obedientiam, ſincero corde & devo-
tione præſentialiter exhibere, & tàm conſi-
lio veſtro, quàm ſpiritualis patris noſtri
* Henrici Cluniacenſis Abbatis, aliorum- * Hugonis
que religioſorum virorum de ſtatu Eccle-
B ſiæ & honore regni, quantum in nobis
eſt, diſponere. Cùm ergò ad hæc omnia
parati ſimus, rogamus vos, & obnixè
precamur, quatenùs pro Deo, & honore
regni & veſtro, inſtanter moneatis filium
noſtrum, cùm nulla ei ſecundùm præfatam
ſententiam adverſùm nos reſidua ſit oc-
caſio: amodò deſiſtat nos & fideles noſtros
perſequi, & pacificè & quietè vivere per-
mittat, ut ſupradicta integrè & cum tran-
quillitate perficiantur. Quod ſi nolnerit,
rogamus vos per auctoritatem Romanæ
Eccleſiæ, cui nos committimus & hono-
rem regni, ne ſuper nos & fideles noſtros
C veniatis, quia manifeſtum eſt, eum non
divinæ legis zelo, vel Romanæ Eccleſiæ
dilectione, ſed concupiſcentia regni, pa-
tre injuſtè eo privato, hoc incepiſſe. Apnd
quem ſi interpellatio veſtra, nullaque alia
interventio ad præſens prodeſſe poterit:
appellamus Romanum Pontificem, & ſan-
ctam univerſalem Romanam Sedem & Ec-
cleſiam.] Hæc ad Principes Henricus, ha-
bita collatione cum textu Urſpergenſis
Abbatis, qui eadem epiſtolam recitat, at-
que hæc ſubiicit:

Poſt lectas coram multitudine tàm has, XVII.
quàm alias litteras, parùm verbis, nihil au-
D tem ſenſu vel intentione prioribus diſſo-
nantes, filii tamen perſonæ ſpecialiter di-
rectas, Rex Henricus ex Optimatum con-
ſilio legationem vicariam patri deſtinavit,
quam tamen priùs publicè prædicari per
Magdeburgenſem Archiepiſcopum Henri-
cum fecit, hocq; facto ſuorum animos ſecum
valdè roboravit. Erat autem hujuſmodi.

Poſt inveteratam, ideſt per annos cir- XVIII.
citer quadraginta diſciſſionem Imperii Ro- Litteræ
mani, quæ tàm divinas, quàm humanas Principum
jam penè leges abolevit, & exceptis mor- ad Henric.
tibus, omnimodis ſacrilegiis, perjuriis, Imp.
rapinis, & incendiis ipſum regnum no-
E ſtrum non tantùm in ſolitudinem, ſed etiã
ad apoſtaſiam Catholicæ Fidei, ſive in ip-
ſum Paganiſmum propemodùm redegit: re-
ſpiciente tandem ſuam Eccleſiam divina
clementia, nos ejuſdem Chriſti ſponſæ fi-
lii per Spiritum ſanctum in unitatem Fidei
æquanimes reſipuimus, ipſum incorrigibi-
le ſchiſmatum illorum caput, Henricum
ſcilicèt dictum Imperatorem noſtrum, zelo
Dei, & Apoſtolicæ Fidei obedientia addi-
cavimus, Catholicum nobis, licèt ipſius de
ſemine natum, Regem elegimus. Cujus
regni principium ſui finem eſſe conſpiciens,
etiam

Digitized by Google

etiam ipſe tamquàm voluntarius, ſed ut jam ejus fatentur litteræ, nimis invitus collaudavit, regalia reddidit, filii curam cum regno noſtræ fidei lacrymando commiſit, de reliquo nullam ſe regni pompam, ſed animæ potiùs ſuæ medelam ulteriùs affectaturum ſpopondit. At nunc ecce priſtinis ſe reddens tergiverſationibus, præjudicium ſe paſſum per orbem terrarum conqueritur, Gallorum, Anglorum, Danorum, cæterarumque finitimarum gentium gladios cordibus noſtris infigere meditatur. Super illatis etiam injuriis recuperari ſibi juſtitiam precatur, conſiliis quoque noſtris amodò promptum obedire ſe pollicetur, re autem vera ſolitis argumentis caſtra hæc Domini diſpergere, Chriſti exercitum exarmare conatur, & (ut in propatulo eſt) vineam Domini, quæ jam ſerò floreſcere cœpit, tàm per ſe, ſingularem utique ferum, denuò depaſcere, quàm per vulpes, illos nimirùm, qui ſibi adhærent, peſtilentes homines demoliri, ac per ſacrilegia ſacerdotum Belial anathemati recidivo reddere; immò (quod dictu nefas eſt) Chriſtum jam iterum in Eccleſia ſua reſurgentem in omnium cordibus crucifigere meditatur.

Quapropter placet tàm Regi, quàm
XIX. univerſis regni Principibus, immò cuncto exercitui orthodoxo, quo Senior idem, ne ulla ſibi pateat adversùm nos juſta querela, quacumque elegerit ſecuritate, quacumque maluerit ſtatione, coram præſenti Senatu ſimul & populo cauſam ſuam agat, juſtitiam ſuſcipiat, & reddat, quatenùs ab ortu ſchiſmatis omnibus ſeditionum cauſis, ac ſi nihil inde jam fuerit definitum, undique diſcuſſis, tàm filio, quàm patri ſua juſtitia reſpondeat: Eccleſiæ verò regnique ſtatus, non ut ipſe more ſuo proponit, poſt longas inducias, ſed in præſentiarum his controverſiis diremptis vacillare deſinat.] Hucuſque ſignificatio Principum ad Henricum ſeniorem. Pergit verò Urſpergenſis, de his quæ ſunt hæc ſecuta, ac de Legatis miſſis agens: Quam legationem probatæ ſingularis prudentiæ perſonæ, Abbatis videlicèt ac Rihuvin presbyteri, unà cum quibuſdam laicali ſub habitu viris religioſis tàm à Rege, quàm univerſis Principibus, immò toto exercitu ſuſceptam Eximperatori ſæpedicto, vix ejus præſentiam, ſandique licentiam conſecuti, cùm retuliſſent; horribile memoratu eſt, quàm ingenti vitæ ſuæ periculo per dies ſex, eò quòd nullo modo conventui malignantium communicare voluerint, indignè tractarentur: tandemque ab irruente ſibi in eadem qua manebant cuſtodia vulgo liberati, abſque omni ducatus præſidio caſtris circa Coloniam poſitis redderentur: id tamen præcipuum inter Senioris reſponſa referentes, quatenùs ad præſens armis diſcederetur, & in futurum ſuper hujuſmodi ſimultatibus curiale colloquium indiceretur.] Hæc Urſpergenſis.

Legatio decernitur ad Henric. Seniorem.

XX. Inter hæc autem Henricus pater, donec plenè ex confluentibus ad eum auxiliaribus copiis augeretur exercitus, illud in primis agebat, ut ſub velamento pacis ſuaderet filio ejuſque Principibus exercitum dimittere, & quæ ſunt pacis, in Comitiis pacificè pertractare. Quod tantùm abeſt, ut impetraret ab illis, qui probè noverant animum ejus, ut Henricus filius ſolvens obſidionem Coloniæ, mitteret Legatos ad patrem, qui ſignificarent, vel propediem armis decernendum, vel ſi hoc recuſet, veniendum intra dies octo Aquiſgranum, ubi res componerentur. Miſſi Legati conjiciuntur in carcerem, quos poſt aliquot dies dimiſit. Cùm & idem Henricus pater poſtremas ad Principes adverſarios has litteras dedit querimoniæ plenas, his verbis:

Legati conjiciuntur in carcerem.

XXI. Henricus Dei gratia Imper. Roman. Aug. Archiepiſcopis, Epiſcopis, Ducibus, Comitibus, cæteriſque regni Principibus gratiam & dilectionem dignantibus eam recipere.

* Rogamus filium noſtrum, & vos multùm precatiſſumus, ut dimiſſo exercitu, ordinaretur quomodò poſſemus convenire, ut de injuria noſtra, & pace componenda ad honorem regni poſſit dignè & decenter definiri. Placuit vobis remandare (unde nobis longè gravior priori oritur querimonia, quod dimiſſa obſidione Coloniæ, vultis ſuper nos & fideles noſtros ſub ſpecie colloquii cum exercitu venire, datis induciis octo dierum, quæ numquam datæ ſunt homini alicujus conditionis (ut benè ſcitis) uſque ad hanc diem pro legitima definitione alicujus minoris negotii, nedum pro tanta re, ſecundùm legem divinam, vel humanam, vel etiam ſecundùm uſum hominum. Oportet enim nos habere, ſi vobis placeret, ſaltem tales inducias, intra quas poſſimus convocare, & precibus invitare ad hanc eamdem cauſam Moguntinum Trevirenſem, & Bremenſem Archiepiſcopos, Friſingenſem, Auguſtenſem, Curienſem, Baſilienſem Epiſcopos, Ducem Magnum cum Duce Theodorico, & Ducem Boemicum, & Comitem Flandrenſem cum Comite Burgundiæ, & alios, qui ad præſatum negotium (ut benè ſcitis) ſunt valdè neceſſarii. Quapropter, ſicut priùs, rogamus, & obniſè precamur, quatenùs pro Deo, & anima veſtra, & pro appellatione domini Romani Pontificis Paſchalis, & Romanæ Eccleſiæ, & pro honore regni, dignemini apud filium noſtrum efficere, ut dimiſſo exercitu, ceſſet nos perſequi; & ordinetur quomodò ſecurè, & abſque ambiguitate poſſimus nos cum cæteris ſupradictis ad agendum de noſtra injuria, & pace in regno componenda quietè & pacificè convenire.

* Rogavimus. Henr. Imp. Poſtremæ Litteræ.

XXII. Quòd ſi nullatenùs ceſſare voluerit, proclamationem inde fecimus, & ſemper facimus Deo, & ſanctæ Mariæ, & beato Petro patrono noſtro, & omnibus Sanctis, & omnibus Chriſtianis, & vobis maximè omni devotione precantes, ut dignemini

* f. nos ceſſare * eum perſequi, ad perſecutionem tantæ injuriæ cum vos & imitari. Appellavimus, & tertiò appellamus dominum Romanum Pontificem Paſchalem, & ſanctam univerſalem Sedem & Romanā Eccleſiam. Quòd ſi hoc tantùm nobis, & ad hoc, ut ipſe ceſſet nos perſequi, prodeſſe non poterit: committemus nos omnipotenti Patri & Filio ſanctoque Spiritui paracleto, & beatæ Mariæ perpetuæ Virgini, & beato Petro & Paulo, & ſancto Lamberto, omnibusque Sanctis, ut divina miſeratio, omniumque Sanctorum interceſſio humilitatem noſtram reſpiciere, noſque contra tantum tàmque injurioſum imperium defendere dignetur. Amen.] Certè quidem, niſi quæ præceſſerunt, & ſuperiùs ſuis ſunt locis dicta, ac crebriùs repetita, Henricum ipſum vaferrimum hominem doloſè nimis agere cuncta conſueviſſe, ſignificaſſent, demonſtraſſentque hominem nullius fidei ad fallendum aptiſſimum ſemper inventum: poſſent iſta quæ litteris prodidit, multis argumentis hominibus maximè pii animum inſinuare: ſed quòd ſic comparatus eſſet, ut cùm deprimeretur; tunc ſubdolè ad fallendum ſibi larvam pietatis indueeret, quam mox deponeret, cùm quod eſſet conatus effecerat: jure meritòque eos quos appellavit patronos Sanctos, eſt expertus ultores.

Tertiò appellat Ro. Pontif. Henric. Senior.

Obitus Henrici Imp. Ex inſperatò ſiquidem eſt morte repentina mulctatus, de qua Domnizo in Mathilde:

Mortem non ſperans, demùm tamen ipſa catena
Mortis eum ſtrinxit; rapuit de corpore triſti,
*Auguſti * quarto defungitur Idus, in anno*
Chriſti milleno centeno denique ſeno.]

* Septimò. Urſperg.

Agens ætatis annum quinquageſimum quintum; natus eſt enim (ut Lambertus habet) anno Domini milleſimo quinquageſimoprimo, tertio Idus Novembris.

XXIII. Gaudium orbis mors Henrici. Miſerabile tamen dictu eſt (pergit Urſpergenſis) tanti nominis, tantæ dignitatis, tantique animi virum ſub profeſſione Chriſtiana mundum tanto tempore lucratum, nec ad inſtar cujuslibet pauperis defuncti, pium vel compaſſivum luctum à quavis inter tot Chriſtianos perſona promeruiſſe; ſed potiùs univerſorum tàm ibidē, quàm ubivis verè Chriſtianorum corda ſimul & ora infinito nimis tripudio ſui oblitos, rumore repleſſe. Non altiùs concinebat (*a*) Iſrael Domino, Pharaone demerſo, nec auguſtiori ipſi Octaviano, ſive ulli umquam Auguſtorum applaudebat, Roma triumpho. Frænum (*b*) quippe, quod erat in maxillis populorū, verſum eſt illis in canticum, ſicut vox ſanctificatæ ſolemnitatis. Igitur quia (*c*) ceſſante tandem exactore quievit & tributum: mox omnes, qui quæſtus dumtaxat gratia eidem Principi catenùs adhærendo, ſuas animas venalitati propoſuerant, deditioni

a *Exod.* 15.
b *Iſai.* 30.
c *Ibid.* 14.

Regis, ſimulque & communioni Catholicæ ſubiiciuntur. Leodienſis autem Epiſcopus, cæterique Coepiſcopantes inter cætera recipiuntur in communionem pœnitentiæ, hac conditione, quòd cadaver ipſius excommunicati per ſe pridie in monaſterio tumulatum effoderent, & abſque ulla ſepultura, vel exequiarum communione in loco non conſecrato deponerent, comprobantibus his qui aderant Archiepiſcopis, & Epiſcopis: quia quibus vivis Eccleſia non communicat, illis etiam nec mortuis communicare poſſit. Quo facto, paulò poſt corpus ipſum Spirenſi civitati eſt in ſarcophago lapideo Regis conſenſu delatum, ſicque extra Eccleſiam ibidem per quinquennium manſit inhumatum.

Hic, finis, hic interitus, hæcque ſors ultima Henrici, illo ſub vocabulo * Quarti Romanorum Imperatoris à ſuis appellati: à Catholicis verò, ideſt cunctis, beato Petro ſuiſque ſucceſſoribus fidem & obedientiam lege Chriſtiana conſervantibus, archipirata, ſimul & hæreſiarcha, nec non & apoſtata, perſecutorque plus animarum quàm corporum competenter dicebatur: utpotè qui nec naturalibus, nec conſuetis humanis contentus ſceleribus, nova & à ſæculis inaudita, adeòque nonnulla incredibilia excogitaſſe, & executuſſe infamatur. Quæ ſi quis illorum arbitratu, qui tàm perperàm, quàm rectè ab Imperatoribus geſta litteris digna judicant, ſcribere velit, nos hoc credimus, maximè cùm aliqua ex his oblivione potiùs, quàm memoria digna non dubitemus. Pluribus autem relatibus comprobare poteramus, quòd nemo noſtris temporibus, natura, ingenio, fortitudine, & audacia, ſtatura etiam, elegantia corporis videretur faſcibus imperii magis ipſo aptior, ſi tamen in conflictu vitiorum homo non degeneraret, vel ſuccumberet interior.] Et inferiùs: Deo autem gratias, qui licèt tardè, tamen potenter victoriam conceſſit Eccleſiæ ſuæ, qui etiam ejuſdem Nabuchodonoſor quinquageſimum exactionis annum iſte Galilæus, qui Julianum quondam vicerat, vertit in Jubilæum.] Hanc à ſuo gentili ejuſdem temporis Scriptore Imperator omnium nequiſſimus dignam meruit panegyrim. Ex qua redarguas, quiſquis ille Anonymus fuerit, ſive verus extiterit, ſive fictus; qui vitam ejus texuiſſe dicitur homo, quam jam oblivione damnatam Novator hæreticus paulò antè cudendam curavit unà cum litteris ejuſdem Henrici ſuperiùs recitatis, ex quibus idem ipſe qui edidit impius peraentis confoditur telis, cùm ſe Henrico exhibet nequiorem, dum ille neceſſitate coactus cognoſcit tandem, laudat, profitetur, atque denique tertiò appellat Apoſtolicam Sedem, quam hæreticus iſte damnat. Ut hanc unam, hac ſaltem ex parte, meruerit Henricus laudem, quòd profundum illud nondum attigerit impietatis, in quo hic ipſe auctor libens volenſque ut ſus eum delectatione revolvitur.

XXIV. * Tertii Imp. Panegyris Henrico Digna.

His

A

XXV. *Paſchalis in Gallias profectio.* His ubique locorum Occidentalis orbis quàm citiùs pervulgatis, Paſchalis Papa ordinavit profectionem ſuam, ut Legati Comitiorum Moguntiæ habitorum petierant, in Galliam Ciſalpinam, ubi & Concilium celebrandum menſe Octobris indixit, ad inſtruendam ſanctam Eccleſiam, longiori Henrici ſenioris perſecutione concuſſam. Dum in itinere poſitus Florentiam perveniſſet, de adventu Antichriſti proximè futuro ſparſam famam inveniens, Florentiæ ſubſtitit: cùm verò audiſſet, quæ ferrentur, ut nullius fidei, & auctoritatis aſſertionem contempſit, & cœptum iter eſt proſecutus.] Hæc Acta vitæ ipſius.

B

XXVI. Quod pertinet ad Antichriſtum: fuit quidem opinio non vulgarium virorum, Antichriſtum hoc fore ſæculo revelandum, & inter alios Norberti, viri temporis hujus fama celeberrimi, de quo iſta ſanctus Bernardus (*a*) ad Gaufridum Carnotenſem Epiſcopum: Cùm ante hos paucos dies ejus faciem videre, & de cœleſti fiſtula, ore videlicèt ipſius, plurima haurire meruerim; hoc tamen ab ipſo non audivi: verùm de Antichriſto cùm inquirerem quid ſentiret: durante adhùc ea quæ nunc eſt generatione, revelandum illum eſſe, certiſſimè ſe ſcire proteſtatus eſt. At cùm eamdem certitudinem undè haberet, ſciſcitanti mihi exponere vellet, audito quod reſpondit, non me illud pro certo credere debere putavi. Ad ſummam tamen hoc aſſeruit, non viſurum ſe mortem, niſi priùs videat generalem in Eccleſia perſecutionem.] Hæc ſanctus Bernardus de oraculo, quod in illud relabi viſum eſt uſitatum, quod cùm ſæpè ſancti viri prænoviſſent, ingentes futuras perſecutiones Eccleſiæ, putarint rerum magnitudine ipſa adfore Antichriſti tempora. Sed ad Paſchalem redeamus, in Gallia Ciſalpina Synodum celebrantem.

a Bern. ep. 56.

De Antichriſto prædictiones.

C

D

XXVII. *Synodus Guaſtallēſis.* De hac Synodo hæc in primis qui interfuit Urſpergenſis Abbas, ſcriptis mandavit, his verbis: Poſt hæc hebdomada quarta menſis Octobris habitum eſt Concilium generale in provincia Longobardia ſuper ripam Padi fluminis, loco qui Vvaſtallis nuncupatur, ubi præſidente verè per omnia Apoſtolico viro Paſchali Secundo, coram multitudine maxima clericorum, nec non laicorum, qui de diverſorum regnorum Eccleſiis convenerant, præſentibus etiam Legatis domini Henrici Regis, multa ſunt (prout canonica dictabat æquitas) de Inimici zizaniis evulſa, multa de ſtructuris ſuper arenam poſitis deſtructa; plura quoque piſtici ſeminis plantaria profundiùs plantata ſimul & rigata, nonnulla etiam tutiſſimæ munitionis per Eccleſias propugnacula ſunt ædificata.

E

XXVIII. *Paſch. Papæ res geſtæ in Synodo.* Nam cùm eadem Dominica, quæ erat xii. Kal. Novembris, Juvanenſibus Conradum, Tridentinis Gebehardum Præſules conſecraſſet, enarrare longum eſt, quàm indefeſsè prudens & fidelis ille ſummi Patrisfamilias diſpenſator, conſervos ſuos verbi

A

Dei tritico lautiſſimè quotidiè reficeret, pſeudoepiſcopos deponeret, Catholicos conſtitueret, Archiepiſcopis pallia, monaſteriis privilegia conceſſerit, præſentes ovium Chriſti paſtores mellifluis alloquiis, abſentes paternis commonitoriorum litteris inſtruxerit, quædam olim abſciſſa membra Eccleſiæ iterùm incorporaverit; quædam etiam quę inſanabilia videbantur, anathematis abſciſſione truncaverit. Super ordinationibus autem tempore ſchiſmatis factis, unde permaximæ ventilabantur quæſtiones, Decretum diſcretione maternorum viſcerum artificiosè meditatum in hæc verba promulgavit:

B

Per multos jam annos regni Teutonici latitudo ab Apoſtolicæ Sedis unitate diviſa eſt, in quo nimirùm ſchiſmate tantum periculum factum eſt, ut (quod cum dolore dicimus) vix pauci ſacerdotes, aut clerici Catholici in tanta terrarum latitudine reperiantur. Tot igitur filiis in hac ſtrage jacentibus, Chriſtianæ pacis neceſſitas exigit, ut ſuper hos materna Eccleſiæ viſcera aperiantur. Patrum itaque noſtrorum exemplis & ſcriptis inſtructi, qui diverſis temporibus Novatianos, Donatiſtas, & alios hæreticos in ſuis ordinibus ſuſceperunt, præfati regni Epiſcopos ſchiſmate ordinatos (niſi aut invaſores, aut ſimoniaci, aut criminoſi ſint probati) in officio Epiſcopali ſuſcipimus. Id ipſum de clericis cujuſcumque ordinis conſtituimus, quos vita, ſcientiaque commendat. XXIX.

C

His & hujuſmodi ſuper Eccleſiam divini luminis orientis auroræ jucundati ſplendoribus, quia nimirùm tandem venerat tempus miſerendi ejus, pariterque Apoſtolicis dignati benedictionibus, ad ſua quique convertuntur. Nos verò, ideſt Alpium tranſcenſores, ſpeciali quodam præ cunctis efferebamur tripudio, eò quòd certi eſſemus, domini Apoſtolici profectionem ſic fuiſſe diſpoſitam, quatenùs iter noſtrum quàm maturè ſubſequens, Natalem Domini Moguntiæ celebraturus eſſet, præſens cum univerſis regni Principibus novo Rege noſtro.] Hucuſque de his Urſpergenſis Abbas. Sed reliqua quæ ad Synodum hanc pertinent, ex aliis auctoribus hinc indè petamus. XXX.

D

Quæ autem Legati Regis à Paſchali Papa petierint, Domnizo qui aderat cum Mathilde, his verſibus docet: **XXXI.** *Quid legati novi Regis Henrici Quinti.*

Juxta tuncque Padum tenuit Synodum memoratus

E

Papa, ſuum Miſſum direxit natus ad ipſum

Defuncti Regis, quærens ut jus ſibi regni

Concedat, Sedi ſanctæ cupit ipſe fidelis

Eſſe velut matri, ſubici ſibi vel quaſi patri.]

Laudatam à Pontifice pietatem Regis, pariterque à Mathilde, quæ aderat, idem auctor ſubiicit, hiſque addit, poſt hæc adveniſſe ad Synodum Parmenſes cives pœnitentes, ſuppliciterque petentes Epiſcopum

pum

Veniunt ad Synodú Parmenſes pœnitentes.

pum ſibi dari Bernardum, quem espuliſſent ante biennium, inſuper poſtulantes, ut idem Pontifex conſecrare dignaretur baſilicam ſanctiſſimæ Dei genitcicis Marię. Annuiſſe civium votis Pontificem, eumdemque Synodo abſoluta, Parmam ad dedicandam baſilicam perveniſſe, idem verſibus cecinit: ſed de bis poſt Synodum inferiùs dicturi ſumus.

XXXII. *Canones Synodi Guaſtallēſis.*

Præter hæc etiam in eadem Synodo hæc actitata reperiuntur, quæ ſcripta habentuc in Vaticano codice, qui liber Cenſuum inſcribitur, à Cencio Camerali collecto, his verbis: In hoc Concilio conſtitutum eſt, ut Æmilia tota eum ſuis urbibus, id eſt Placentia, Parma, Regio, Mantua, Bononia numquam ulteriùs Ravennati metropoli ſubjaceret. Hæc enim metropolis pec annos jam ferè centum adversùs Sedem Apoſtolicam crexerat ſe; nec ſolùm ejus prædia uſurpaverat, ſed ipſam aliquàndo Romanam invaſit Eccleſiam Guibertus ejuſdem metcopolis incubator.

XXXIII. Per multos jam annos &c. ut ſuprà: Itemque:

Jam diù à pravis hominibus tàm clericis, quàm laicis, Catholica eſt Eccleſia conculeata, undè plura temporibus noſtcis ſchiſmata & hæreſes emerſerunt. Nunc autem cùm per Dei gratiam bujuſmodi nequitiæ deficiant cum auctoribus: in ingenuam libertatem reſurgit Eccleſia. Unde providendum eſt, ut horum ſcbiſmatum cauſæ penitùs abſcindantur. Patrum ergò noſtrorum Conſtitutioni conſentientes, Eccleſiarum inveſtituras à laicis fieri omnimodè prohibemus. Si quis autem decreti bujus temerator extitecit; tamquàm maternæ injuriæ reus, clericus quidem ab ejuſdem dignitatis conſortio repellatur, laicus verò ab Eccleſiæ liminibus arceatur.

XXXIV. Nullus Abbas, nullus Archipresbyter, nullus Præpoſitus audeat poſſeſſiones Eccleſiæ ſuæ vendere, commutare, locare, vel in feudum dare ſine communi Featrum conſenſu, vel Epiſcopi, propriæ civitatis t alioquin ordinis ſui periculum patiatur.] Hactenùs de hujus Concilii canonibus in dicto codice repertis: quibus hæc quæ ſequitur epiſtola ejuſdem Paſchalis ſubſcripta legitur:

XXXV. Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus Gebehardo Conſtantienſi, Oderico Potavienſi Epiſcopis, & cæteris Teutonicarum partium tàm clericis, quàm laicis Catholicis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Pro religionis veſtræ ſervore gaudemus, & omnipotenti Deo gratias agimus, qui vos in ſui nominis amore confirmat. Quoſdam autem veſtrum minùs ſecundùm ſcientiam zelum Dei habere audivimus, ut dum pravorum commixtionem vitant, etiam à religionibus veſtris diſcedere meditentur. Qui profectò nequaquàm laude Apoſtolica digni ſunt, dum in medio nationis pravæ & perverſæ perſeverare non poſſunt, inter quos luceant velut luminaria in mundo, Verbum vitæ continentes. Uno enim pondere peccata hominum metiuntur, dum tàm propriæ voluntatis meritò excommunicatos, quàm communicantes reos æqualitec arbitrantur. Verùm enimverò diverſarum voluntatum diverſus eventus agnoſcitur. Si quis enim criminoſus, juxta Apoſtolum, vocatur, hujuſmodi omninò cavendus eſt. Eadem etiam cautela vitandi ſunt, qui escommunicatis ipſis aut actione cùm poſſint, vel cùm nequeunt, voluntate ſe copulant. Qui verò hujuſmodi escommunicatis omninò inviti, vel ſervitio, vel cohabitatione junguntur: ſi hujuſmodi imperſectionis dolore tanguntur, non omninò vitandi ſunt, nec tamen ad communionem ſine correctionis medio admittendi. Hinc eſt quòd prædeceſſor noſter ſanctæ memoriæ Gregorius Septimus Papa, escommunicatorum uxores, filios, ſervos, ruſticos, quorum conſilio, vel voluntate excommunicationis meritum non perpetratur, viatores quoque ob eamdem neceſſitatem invitos escommunicatis communicantes, excommunicationis vinculo non teneri conſtituit, ſicut beatus Auguſtinus ad Auxilium ſcribens, evidenter oſtendit. Dignoſcant igitur fratres noſtri in omnibus regiam tenere viam, & in medio nationis pravæ & perverſæ tamquàm luminaria lucere ſtudeant; ut non ſuæ tantùm, ſed ut alienæ ſalutis mercedem à Deo mereantur accipere, quòd ſingulorum excommunicatorum voluntates, & cauſas diſcutiant: quia nuda omnia & aperta ſunt oculis ejus, de cujus miſeratione confidimus, quia ſimplicis oculi corpus tenebrarum caligine non opprimetur, quoniam charitas operit multitudinem peccatorum.] Hucuſque in dicto Vaticano codice.

XXXVI. *Legatio Auguſtanorum ad Synodum.*

Ad hanc quoque Synodū legatio civium Auguſtanorum venit, adversùs pſeudoepiſcopum ipſorum Herimannum, qui pecuniarum mercimonio Eccleſiam illam emerat ab Henrico Imperatore; ut ſuo loco ſuperiùs dictum eſt. De hac eadem legatione agens (*a*) Udalſcalcus, qui de ejuſmodi controverſia ex eis quæ viderat commentarium ſcripſit, ab anno ſuperiori ces geſtas ſic aggreditur enarrare: Temporibus illis prælatus Romanæ Sedis Legatus Richardus Albanus Epiſcopus in Teutonicas directus partes Moguntiam devenit, ubi, cùm apud Ingelemheim Henricum Imperatorem regalibus privaſſet inſignibus, capite nimirùm hæreſeos abſciſſo, communioneque omnibus reddita, ſingula in unum Eccleſiæ pacificantur membra. Hic inquam *Herimannus*, hic dictus Epiſcopus, in generali abſolutione non excipitur; ſed per Vvibertinæ hæreſeos abjurationem, needum ventilata ſui cauſa, inter cæteros cecipitur. Legato quoque Auguſtam veniente, Cleri ac populi exponuntuc quærimoniæ, dictum videlicèt Epiſcopum abſque canonica electione ſeu conſecratione ſedem illam invaſiſſe. Diligentiùs res audita diſcutitur, ſi aliquis Canonicorom ſe huic ſubtrahat accuſationi,

a Habetur tom. 2. Antiq. lect. pag. 218.

per-

perquiritur: omnes unum dicentes, idem ſapientes, nominatim ſubſcribuntur: cuncta in domni Apoſtolici præſentia finienda differuntur, Synodus colligitur * Vvarſtallenſis, adſunt cum ſuo Epiſcopo Nuntii Eccleſiæ Auguſtenſis: refert Legatus quæ audierit, qualiterve audita diſtulerit. Idonea iteratur excuſatio, nulla prætenditur accuſatio, facilè ab omnibus concordatur, ut talis Epiſcopus deponatur. Quod & factum fuiſſet, ſi non Gebehardus Conſtantienſis *Epiſcopus* in Eccleſia Auguſtenſi hoc faciendum perſuaſiſſet. Eo namque tempore domnus Papa Teutonicum adire propoſuerat regnum, quod in ruinam perficere nequivit multorum. A pontificali tamen ſuſpenſus officio ſemiepiſcopus *Herimannus* regreditur, terminus huic rei finiendæ conſtituitur. Auguſta ſui liberationem dolens præſtolatur, dum in ſpe Apoſtolici adventus defraudatur; infraque ſcilicèt terminum idem Epiſcopus pro interdicti reſtitutione officii Apoſtolicum adivit: ſed litteras ab eo hunc in modum ſe continentes accepit:

* Guſtallenſis.

XXXVII. Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Auguſtenſis Eccleſiæ Canonicis, & cæteris parochianis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Paſch. Papæ litteræ ad Auguſtanos.

Venit ad nos non vocatus frater noſter Herimannus veſtræ civitatis Epiſcopus, cauſam ſuam poſtulans certiori fine concludi. Nos autem querelarum veſtrarum memores, quòd fratres, qui adversùs eum in Concilio coram nobis capitula protulerant, cum eo in præſentiarum coram nobis minimè affuerunt: ne qua pars adversùm nos poſſit præjudicium conqueri, cauſæ ipſius protractionem in proximas Kalendas Novembris, fratrum noſtrorum deliberatione diſtulimus: ad quem videlicèt terminum, omnes qui adversùs eum cauſam agunt, litteris præſentibus ad noſtram audientiam invitavimus. Interim eidem fratri noſtro poteſtatem concedimus, ut eos, qui Eccleſiæ bona rapiunt & invadunt, juxta ſanctiones canonicas excommunicare prævaleat. Volumus enim, ut tàm ipſe, quàm Eccleſia quæ ſub eo eſt, uſque ad præfinitum tempus pacem & tranquillitatem, Domino largiente, obtineat. Dat. decimo Kalendas * Decembris.

* Sept., vel Octobris.

XXXVIII. Has litteras *idem Herimannus Epiſcopus Auguſtæ* vix Venetium aſportavit, initoque conſilio, cunctos earumdem conſcios, ut unius anni ſpacio non detegerentur, jurare compulit: ſicque fictis pro libitu mendaciis, domum rediit. Excogitata verò graviori adhùc nequitia, unum de accuſatoribus ſuis, qui præſtantior cæteris videbatur, pretio corrupit, & litteras quaſi ex Auguſtenſium perſona occultè per eum Apoſtolico direxit. Qui falſitatis nuntius benignè ſuſceptus, dum auditur, magna contra eum Papa indignatione invehitur, corde, & corde loqui, ab omnibus deprehenditur. Curienſi tamen Epiſcopo atque Gotuvigenſi Abbate pro ipſo ſupplicantibus, datis veluti Auguſtenſium reſpondentibus litteris, abire permittitur, vera cum falſis relaturus: vera hoc modo:

XXXIX. Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Auguſtenſis Eccleſiæ clericis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Poſt impetitionem, quam ſuper Epiſcopo veſtro feciſtis, dilectionis veſtræ litteras ſuſcepimus, in quibus quia pacem & concordiam cum eodem Epiſcopo vos habere nobis ſignificaſtis, lætati ſumus, ſi eamdem concordiam gratis factam fuiſſe conſtiterit. Nos tamen conſtitutum terminum expectamus, ut quidquid æquitas dictaverit, auxiliante Domino, exequamur. Dat. octavo Idus Februarii.

XL. Quibus litteris clàm Epiſcopo lectis, contra nuntium infremuit; non æqua pretio ſibi referri mandata objicit: patre iterum mendacii ſuggerente interminatur, ne tàm adverſa prodantur, ſed proſpera fingantur: egreditur in publicum, arriguntur aures expectantium.

Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus: dum falsò benedictione Apoſtolica ſalutatur Epiſcopus, eademque gratia participatur populus.] Hactenùs de rebus geſtis in cauſa Auguſtana ad Concilium delata: quæ autem poſt hæc ſecuta ſunt, ſuo loco dicturi ſumus. Hiſce enim fraudulentis involucris mendaciorum præfocata veritas ſiluit. Quibus videas quàm difficile ſit in judiciis, licèt judex ſedeat æqua lance merita cauſarum expendens, juſtitiam prævalere, cùm favore potentium, erogatione pecuniæ armata procedit iniquitas, ſatellitio mendaciorum undique ſepta.

XLI. Demùm verò & Parmenſes auditi, & exauditi de iis quæ petiiſſent à Paſchali Pontifice. Etenim petierunt dari ſibi in Epiſcopum ſanctum Bernardum S.R.E. presbyterum Cardinalem, quem adeò diris contumeliis affeciſſent: ſed & invitarunt eumdem Pontificem venire Parmam. Fuit iſta Parmenſium Legatorum petitio.

Paſchalis igitur, ut dictum eſt, receptis Parmenſibus, illiſque petentibus conceſſo Sancto Bernardo presbytero Cardinali in Epiſcopum; ad eum conſecrandum poſt Synodum Parmam profectus eſt, ubi & baſilicam Dei Genitricis pariter dedicavit. Cecinit iſta in Mathildis vita Domnizo qui aderat, verſibus iſtis:

Caſtrum Guaſtallæ Synodi locus extiteratque,
Inde pius Papa diſcedens, ad memoratam
Advenit Parmam, faciens ibi quæ rogitarant:
Nam ſacravit ibi templum Chriſti Genitricis,
Dans ibi decretum, ut ſubjaceat niſi Petro
Clavigero cœli, ſimul ipſius quoque Sedi.
Hoc venit templum Mathildis ad aſpiciendum.
Donum tale dedit, placuit quod maximè plebi,

Quæ Paſchalis Parmæ egerit.

Pon-

Pontificem ſacrans Bernardum tunc ibi Papa,
Juſſit eum Papa vice ſancti degere Parmæ,
Hincque vale dicens dominæ ſæpiſſimè dictæ,
Francigenos fines petiit venerabilis idem.] Hæc ipſe.

XLII. Sed ad Paſchalem Pontificem redeamus, qui cùm iter in Germaniam occluſum ſibi cognovit, non quidem Romam reditum, ſed in Gallias profectionem inſtituit, inde etiam rebus Germaniæ conſulturus. Jam enim quæ in corde Henrici Imperatoris venena ebullirent, perſentiſcere cœpit. Porrò, ut audiſti, & ſecundùm Urſpergenſem, in Gallias profectio contigit in fine anni hujus: nam Natale Domini Cluniaci celebravit. Cur autem non Moguntiæ, ut condixerat, hanc ab eodem auctore accipe rationem: Paſchalis verò ſuorum conſiliis, quaſi proterviam Teutonicorum declinans, maximè propter ſeditioſum quemdam tumultum, qui ſibi Veronæ hoſpitanti dudùm occurrerat; inſuper ſuggerentibus quibuſdam, quòd non facilè gens noſtra decretum illud recipiat, quod quamlibet Eccleſiaſticam inveſtituram à laicis manibus vetat, necnon & animoſum cor Regis adoleſcentis, quòd nondum per omnia Dominico jugo ſit habile: hæc inquam, multaque id genus vir Dei percepta conſiderans; necdum ſibi oſtium Germanicis in partibus apertum eſſe, cum gemitu pronuntians, profectionem ſuam cum Hiſpaniarum Legatis per Burgundiam ad Gallias convertit; & Natalis Dominici gaudium ſua præſentia Cluniacenſibus multùm ampliavit.] Hactenùs ipſe, quibus annus hujus peregrinationis Paſchalis abſolvitur; de reliquis ab ipſo rebus geſtis in Galliis anno ſequenti agemus.

XLIII. Hoc eodem anno moritur Philippus Rex Francorum apud Militunum, præſente Ludovico filio ſuo, & ſepelitur in monaſterio S. Benedicti ſuper Ligerim flumen. Hæc pluribus in Appendice ad Aimoinum, ubi & hæc quæ ſequuntur, habentur de filii ſucceſſione, & coronatione: (*a*) Ludovicus autem præfati Regis Philippi filius, quoniam in adoleſcentia Eccleſiæ amicitiam liberali defenſione promeruerat, pauperum & orphanorum cauſam ſuſtentaverat, tyrannos potenti virtute perdomuerat, Deo annuente, ad regni faſtigia ſicut bonorum voto adſciſcitur, ſic malorum & impiorum votiva machinatione, ſi fieri poſſet, excluderetur. Conſulti ergò proceres, & potiſſimùm dictante venerabili ac ſapientiſſimo Ivone Carnotenſi Epiſcopo, ut ad refellendam impiorum machinationem citiſſimè Aurelianos conveniant: ejus exaltationi operam dare maturè feſtinant. Senonenſis igitur Archiepiſcopus Daimbertus invitatus cum Comprovincialibus, videlicèt Vvalone Pariſienſi Epiſcopo, Manaſſe Meldenſi, Joanne Aurelianenſi, Ivone Carnotenſi, Hugone Nivernenſi, Himbaldo Antiſiodorenſi, acceſſit. Qui in die Inventionis ſancti protomartyris Stephani, ſacratiſſimæ unctionis liquore delibutum Regem, & Miſſas gratiarum agens, abjectoque ſæcularis militiæ gladio, Eccleſiaſtico ad vindictam malefactorum eum accingens, diademate regni gratanter coronavit, necnon & ſceptrum, & virgam, & per hæc Eccleſiarum, & pauperum defenſionem, & quæcumque regni inſignia, approbante Clero & populo, devotiſſimè contradidit. Necdum poſt celebrationem divinorum feſtivas depoſuerat exuvias, cùm ſubitò mali nuntii bajulatores à Rhemenſi Eccleſia aſſiſtunt, litteras contradictorias deferentes, & auctoritate Apoſtolica ſi tempeſtivè veniſſent, ne regia fieret unctio, interminantes. Dicebant ſiquidem primæ Regis coronæ primitias ad jus Eccleſiæ Rhemenſis pertinere, & à primo Rege Francorum, quem baptizavit beatus Remigius, hanc prærogativam illibatam & inconvulſam obtinere, & ſi quis eam temerario auſu violare tentaverit, anathemati perpetuo ſubjacere &c.] Hæc ibi de initiatione novi Regis, & contradictione Rhemenſis Archiepiſcopi, litteris Apoſtolicis ſua jura tuentis, quibus reſpondendis injunctum eſt opus eorum omnium longè doctiſſimo Ivoni Epiſcopo Carnotenſi, qui has tunc litteras apologeticas patentes, ab unoquoque inſpiciendas conſcripſit bis verbis: (*b*)

Querela Rhemenſ. Archiepiſ. cum litteris Apoſt. Sedis.

XLIV. Ivonis Epiſcop. Carnot. Apologia.

Ivo Carnotenſis Eccleſiæ bumilis miniſter.

Noverit Sancta Romana Eccleſia, noverint omnes Eccleſiæ, ad quas murmur Rhemenſium clericorum pervenerit, nos in conſecratione Ludovici Regis Francorum nihil noſtrum quæſiſſe, ſed pro communi utilitate regni & ſacerdotii conſultè vigilaſſe. Erant enim quidam regni perturbatores; qui ad hæc omni ſtudio vigilabant, ut aut regnum in aliam perſonam transferretur, aut non mediocriter minueretur. Quod ne fieret, cooperante Deo, & pro integritate regni, & pro tranquillitate Eccleſiarum, quantum potuimus, præcavere ſtuduimus. Unde livori adſcribendum videtur, aut tumori, ſi quis utili & honeſtæ actioni deroget, quam nec ratione poteſt redarguere, nec conſuetudine infirmare, nec lege damnare. Si enim rationem conſulimus, jure in Regem eſt conſecratus, cui jure hæreditario regnum competebat, & quem communis conſenſus Epiſcoporum, & procerum jam pridem elegerat. Prætereà, quæ ratio eſt Belgicorum, Regem ſuum creare & conſecrare, quamvis in aliis provinciis regnaturus ſit, ſi ita ipſorum Regum voluntas, & temporum atque locorum opportunitas ſe obtulerit: eadem eſt Celticorum & Aquitanorum, qui Belgiarum provinciæ nibil debent, Regem ſuum quamvis & in Belgica regnaturus ſit, eligere, & omne Regi debitum obſequium exhibere.

A ratione.

a Aimoi. lib. 5. c. 49.

Philippi Franciæ Regis obitus, & Ludov. Inauguratio.

b Ivo Ep. 70

Si

Digitized by Google

XLV. *Ab exemplis.* Si verò ad conſuetudinem recurrimus, A quæ in exemplis maximè declaratur: reſpondemus ex verbis Auguſtini, quia ratio exemplis anteponenda eſt, cui tamen & exempla concordant. Ecce rationem dedimus, quam apud eos æquè validam ſuper hoc negotio inveniri non credimus: addamus exempla rationi concordantia. Sicut enim legitur in Geſtis Francorum, diviſum eſt regnum inter filios Lotharii nepotes Clodovei: Charibertus, & Guntrannus provincias Celticorum, & Aquitanorum acceperunt in regnum ſuum, & alter eorum, Charibertus ſcilicèt, Pariſium ſibi ſedem regiam poſuit, & uſque ad flumen Garumnam regnum ſuum extendit: Guntrannus verò Aurelianis ſedem regiam ſibi conſtituit, & Burgundiam, quæ Celticæ pars eſt, in regnum accepit. Iſti Reges quippè nullam à Rhemenſi Epiſcopo benedictionem, vel coronam acceperunt, ſed à ſacerdotibus provinciarum, quas regebant, ſublimati ſunt & ſacrati. Poſtquàm verò regnum Gallorum in ſuam monarchiam revocatum eſt, deleta progenie Clodovei, Pipinus, & filii ejus Carolus, & Carlomannus, nec Rhemis, nec à Rhemenſi Archiepiſcopo in Reges ſublimati ſunt nec uncti. Ludovicus quoque nepos Ludovici ſenioris C apud Ferrarias, qui locus eſt in pago Senonenſi, & uxor ejus, nullo præſente Metropolitano, à quibuſdam Epiſcopis in Reges ſunt conſecrati & coronati. Unde in Geſtis Francorum ita legitur: Audientes &c.] Et inferiùs: Unctus verò eſt in Regem ipſe Rudolphus tertio Idus Julii Sueſſionis civitate. Poſt mortem Rudolphi Regis per Vuillelmum Archiepiſcopum reductus eſt ab Anglis Ludovicus filius Caroli Simplicis in Franciam, & quarto Kal. Julii unctus eſt in Regem apud Laudunum.

XLVI. *Quid in more de unctione Reg. Franc.* Poſt translationem verò regni Francorum in progeniem Hugonis Magni Ducis, D Robertus piiſſimus Rex filius Hugonis Regis Aurelianus in Regem conſecratus eſt & coronatus: cujus filius Hugo juvenis Compendii eſt unctus, & in Regem ſublimatus. Ex his & hujuſmodi exemplis manifeſtum eſt, quòd Francorum Reges non omnes in Rhemenſi Eccleſia, vel à Rhemenſibus Archiepiſcopis ſunt conſecrati: ſed multi in multis aliis locis; & à multis aliis perſonis conſecrati ſunt. Quæ omnia ſi retexerentur, & prolixam facerent orationem, & ſuperfluam diſputationem, cùm nullis ſcriptis, vel exemplis probari poſſit, Rhemenſem Archiepiſcopum Francorum Regem ex- E tra Belgicam unxiſſe, aut coronaſſe. Cùm ergò hæc eadem poteſtas ſit cujuſque Metropolitani in metropoli ſua: mirum videtur, quare unus in proprium jus ambiat vendicare, quod multorum conſtat eſſe commune. Niſi fortè quis dicere audeat, majorem vim ſacramentorum, eſſe apud alios, quàm apud alios, quod ſchiſmaticum eſſet, & unitatem Eccleſiæ divideret.

XLVII. Hæc dicentes, non reprehendimus inſtitutionem Eccleſiaſticam, per quam pax Eccleſiæ firmiùs colligata eſt, cùm inferiores A à ſuperioribus ſacramentorum diſpenſationem ſuſcipiunt, nec ultrà quàm ſibi conceſſum eſt, uſurpare præſumunt: verùm ubi perſonarum æqualis eſt poteſtas, quarum altera alteri nihil præter charitatem debet; ſi alteri jus ſuum vult detrahere, & ſibi ſoli arrogare, ſua quærens, deceptus eſt ſæculi ambitione. Nos quippè Rhemenſi Eccleſiæ non invidemus, & ſi Reges Francorum erga eam habuerint tantam devotionem, & malint à Metropolitano ejus conſecrari, quàm ab alio, non repugnamus, non dolemus; immò ſuper benedictionem eorum, ſi nos adeſſe contigerit, gratanter B loco idiotæ, Amen, reſpondebimus.

XLVIII. *Quid ex lege de unctione Reg. Franc.* Supradicta verò verborum ſerie oſtenſum eſt, in unctione Ludovici Regis nihil nos feciſſe contra morem: reſtat ut oſtendamus, nihil nos feciſſe contra legem: lex quippè eſt præceptio, vel prohibitio ſcripta, ad communem utilitatem referens quidquid jubet, aut prohibet. Contra hanc ergò nihil fecimus, quia nulla contradictione prohibiti, communi utilitati in hoc facto, charitate ſuggerente, conſuluimus. Si verò privilegiis nititur Rhemenſis Eccleſia: illa privilegia apud nos nulla ſunt, quia nec in generalibus Conciliis, nobis audientibus C ſunt recitata, nec ad Eccleſias noſtras epiſtolari maturitate directa; & ut manifeſtiùs dicamus, nulla nobis familiari, vel publica relatione propalata. Illius ergò legis prævaricatores non ſumus, cujus auditores nunquam fuimus. Quæ tamen ſi audita eſſet, nihil nobis eſſe deberet: lex enim juſta debet eſſe & poſſibilis, loco & tempori congruens: juſta ſi ſit, Deus ſcit. Nos autem interim nec juſtam approbamus, nec ut injuſtam condemnamus, quam adhùc ignoramus. Poſſibilis verò non erat, quia conſecratio Regis Rhemis, Archiepiſcopo Eccleſiæ nondum inthronizato, ſine ſumma per- D turbatione, & ſanguinis effuſione celebrari non poterat. Loco non conveniebat, quia civitas ſub anathemate poſita erat. Tempori opportuna non erat, quia ſi conſecratio Regis differretur, regni ſtatus, & Eccleſiæ pax graviter periclitaretur. Quod ergò fecimus, ſalubri deliberatione, & provida diſpenſatione fecimus, nulli invidentes, nullius nobis auctoritatē arrogare molientes, ſed nos intra terminos noſtros ſimplici oculo cohibentes. Sentiant aliter qui volunt: non timemus tribunal terreni judicis, quia ſecuros nos facit conſcientia noſtra ante tribunal interni cognitoris. Novimus enim, E quia neceſſariæ diſpenſationis modus nulli umquam ſapientium diſplicuit, quam non ſolùm privatæ leges, quibus nec Fidei veritati, nec morum honeſtati conſulitur, ſed etiam leges generales contra hæreticos, vel ſceleratos promulgatæ admittunt, quando majoribus malis amovendis meliùs ſubvenit moderatio ſinceræ charitatis, quàm rigor indiſcretæ ſeveritatis. Hæc primò ex auctoritate Evangelica, dehinc ex Actibus Apoſtolorum, tertiò ex Epiſtolis Apoſtoli, poſtremò ex decretis Romanorum Pontificum, cæterorumque orthodoxorum Pa-

trum

trum ſententiis facilè probarentur, niſi prolixitas epiſtolæ modum excedere videretur.] Hucuſque diſerta quidem Ivonis Apologia.

XLIX. His cognitis, Paſchalis Papa acquieviſſe viſus eſt, cujus nulla habetur ad hæc ipſa adversùs progreſſa ulteriùs commonitio, vel comminatio, nec Ivonis (ut conſuevit) deſenſio fortiùs inculcata.

Quòd autem adeò deploratum audiſti ſtatum Rhemenſis Eccleſiæ, quomodò diſpenſatione agendum fuerit, ut qui ejus erat Epiſcopus, ſuum locum reciperet, atque pelleretur intruſus: de his omnibus auctoritate Apoſtolica roborandis ſcripſit idem Ivo Carnotenſis Epiſcopus ſequentem epiſtolam ad Paſchalem Papam, qua rei geſtæ ſeries aperitur his verbis: (*a*)

a Ivo epiſt. 206.

L. Paſchali ſummo Pontifici Ivo humilis Eccleſiæ Carnotenſis miniſter dilectionem filii & obedientiam per cuncta ſubjecti.

Rhemenſis Eccleſ. collapſa quomodò reſtituta.

Notum eſſe volumus excellentiæ veſtræ, quia ego & domnus Theobaldus beati Martini Pariſienſis Prior audientes miſerabilē & mirabilē Rhemenſis Eccleſiæ deſolationē, auſu familiaritatia opportunè & importunè Regem Francorum interpellavimus, quatenùs prædictæ Eccleſię, expulſo invaſore Gervaſio, pacem reſtitueret, & domnum Rudolphum ejuſdem Eccleſiæ Metropolitanum in gratiam ſuam receptum, eidem Eccleſiæ præeſſe concederet. Acquievit tandem precibus noſtris, & conceſſit, ut eum ad Curiam ſuam, quæ Aurelianis in Natali Domini congreganda erat, ſecurè adduceremus, & ibi eum eo, & cum Principibus regni de hoc negotio, quantum fieri poſſet, ſalva regni integritate tractaremus. Factum eſt, ut condictum erat, & convenientes in Curiam, multiplicatia interceſſoribus petitionem noſtram ſemel & ſæpiùs replicavimus. Sed reclamante Curia, plenariam pacem impetrare nequivimus, niſi prædictus Metropolitanus per manum, & ſacramentum eam fidelitatem Regi faceret, quam prædeceſſoribus ſuis Regibus Francorum anteà fecerant omnes Rhemenſes Archiepiſcopi, & cæteri regni Francorum quamlibet religioſi & ſancti Epiſcopi. Quod perſuadentibus & impellentibus totius Curiæ optimatibus, etſi propter mandatorum rigorem minùs licebat, factum eſt tamen, quia Eccleſiaſticæ paci, & fraternæ dilectioni ſic expediebat. Cùm enim plenitudo legis ſit charitas: in hoc legibus obtemperatum eſſe credimus, in quo charitatis opus impletum eſſe cognovimus.

LI. *Rogat Ivo à Papa diſpenſari.*

Petimus ergò flexis genibus cordis, ut hoc eodem intuitu charitatis & pacis veniale habeat paterna moderatio, quod illicitum facit non æterna lex, ſed intentione acquirendæ libertatia præſidentium ſola prohibitio. In exceſſibus ergò filiorum utili diſpenſatione & compenſatione contactis ſufficiat patri verbum pro verbere, & devota filiorum ſupplicatio pro ſummo reputetur ſupplicio. Si enim vult Apoſtolica auctoritas omnia, quæ medicinali condeſcenſione diſpenſantur, diſtrictè judicare: oportebit penè omnes miniſtros adminiſtrationibus ſuis renuntiare, aut de mundo exire, nec habebunt ubi ſeminent ſpiritualia, niſi permittantur aliqua tolerare carnalia. Unde neceſſitati temporum cedendum eſſe, Apoſtolica docet ſublimitas, & Orthodoxorum conſulit auctoritas, dicens: Quia ubi populorum ſtrages jacent, detrahendum eſt aliquid canonum ſeveritati, ut majoribus morbis ſanandis charitas ſincera ſubveniat. Hæc dicendo, doctam paternitatem veſtram non docemus, ſed eamdem conſulendo & rogando monemus, ut ibi conſilii & pietatis ſtudeatia viſceribus abundare, ubi fas non eſt, debitam fortitudinem exercere.] Hucuſque Ivo ad Paſchalem Papam, qui petiris annuit poſt factum, quod faciendum penitùs contradixiſſet. Ita planè in more poſitum fuiſſe Eccleſiæ Romanæ, alibi alia etiam occaſione ſic idem: (*b*) Novi enim conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ, quæ non ſolet, neque vult decretis ſuia patenter obviare: ſolet tamen diſpenſatione multa infirma tolerare, poſtquàm patrata ſunt, tàm pro locorum neceſſitate, quàm pro perſonarum utilitate & honeſtate. Neque enim aliter cogendus eſt ſummus Pontifex contraria ſibi ſcribere vel facere, ne cogatur illud dicere Apoſtolicum: (*c*) Si quæ diſtruxi, iterùm ædifico, prævaricatorem me conſtituo &c.]

b Idem ep. 262.

c Galat. 2.

LII. Eodem anno atque Indictione habet Romualdus Salernitanus Archiepiſcopus in Chronico, corpora ſanctorum Pontiani Papæ & martyris, Eleutherii Epiſcopi & martyris, & Anaſtaſii Confeſſoris ab Urbe tranſlata eſſe Trojam in Apulia civitatem, in qua tranſlatione multa miracula edita tradit.

JESU CHRISTI ANNUS 1107. PASCHALIS PAPA II. ANNUS. 8. VACAT. IMP. OCCID. 2. ALEXII COMNENI IMP. 27.

I. *Paſchalis in Gallia Cōc. Trecenſe celebrat.*

Annus ſequitur milleſimus centeſimus ſeptimus Redemptoria Indictione decimaquinta, quo Paſchalis Papa Gallias viſitans, Concilium Trecis habuit. Quanto autem fuerit exceptus amore pariter & honore cultus, Urſpergenſis ſic narrat: Ab univerſis finium illarum Eccleſiis, ut verè Chriſti diſcipulus, & Apoſtolorum Vicarius, ingenti honore ſuſcipitur, digna reverentia tractatur, non aliter quàm legiſer de cœlo miſſus auditur. Sic itaque per menſes aliquot, ut fidelis diſpenſator & prudens, quotidianam ſollicitudinem omnium eccleſiarum gerens, tandem circa Aſcenſionem Domini Concilium non modicum apud Trecas habuit, ubi inter multa, quæ pro tempore & neceſſitate corrigenda *erant*, correxit, ſententiam de libera paſtorum electione, & de coercenda laicorum in Eccleſiaſticas dignitates præſumptione juxta

præ-

A prædeceſſorum ſuorum decreta promul-
gavit. At Rex Henricus peragratis Sa-
xoniæ finibus poſt Paſchale feſtum Mo-
guntiæ actum, eidem ſe Concilio vici-
num, non tamen præſentem cum nonnul-
lis Epiſcopis & Optimatibus exhibuit.
Cum quibus etiam inito conſilio, Le-
gatos honorabiles ad Apoſtolicum trans-
miſit, per quos tàm ipſi, quàm uni-
verſæ Synodo poteſtatem conſtituendo-
rum Epiſcoporum, privilegiis Apoſtoli-
cis Carolo Imperatori conceſſam notifi-
carent. Super qua quæſtione, quia in
alieno regno quidquam definiri, utpotè
Romano jam incipiens potiri ſceptro
Henricus non patitur, inducias ſibi to-
B tum ſequentis anni ſpacium Romam ve-
niendi, & eamdem cauſam generali Con-
cilio ventilandi, concedunt. Tunc etiam
nonnullos noſtrates Epiſcopos, eò quòd
eidem Concilio non intererant, officii
ſuſpenſione dominus Papa mulctavit,
quos tamen non multò poſt ſatisfacien-
tes clementer abſoluit. Rursùm necdum
humilitatem, quam quæſivit, Germa-
nicis in cordibus invenire ſe ſatis con-
queſtus; nos nequaquàm, ut propoſue-
rat, viſitare, ſed finibus Italicis ſe co-
mitatumque ſuum diſpoſuit referre.]
Hæc de Synodo, rebuſque geſtis in
C ea, & Henrici Regis legatione Ur-
ſpergenſis.

II. Legatio Dolenſis Eccleſ. ad Paſch. Pap. in Synodo.

In eodem Trecenſi Concilio dum eſſet
Paſchalis Papa, contigit ad eum mitti
legationem ab Eccleſia Dolenſi, quæ vi-
duata paſtore, peteret dari ſibi Archie-
piſcopum Vulgrinum, Carnotenſis Ec-
cleſiæ Cancellarium, Ivonis diſcipulum,
virum quidem doctrina atque probitate
præſtantem: qui ſuæ electioni repugnans,
& ab eodem Concilio recedens, ad Ivo-
nem venit, implorans ab eo auxilium
apud Pontificem, ne cogeretur invitus
munus Epiſcopale ſuſcipere: cujus rei
D gratis has tunc ad Paſchalem Papam Ivo
litteras dedit: (a)

a Ivo Ep. 200.

III.

Paſchali ſummo Pontifici, Ivo humi-
lis Carnotenſis Eccleſiæ miniſter debi-
tam cum omni ſubiectione obedientiam.

Reverſùs à Concilio Trecenſi filius no-
ſter Vulgrinus Eccleſiæ noſtræ Cancella-
rius, anxiè conqueſtus eſt, quòd Dolen-
ſis Eccleſia, deſtinatis excellentiæ veſtræ
quibuſdam Legatis ſuis, cum ſibi in Epi-
ſcopum ſub præſentia veſtra elegerit, &
huic electioni ad eorum petitionem ve-
ſtra paternitas aſſenſum præbuerit; nec
E ejus excuſationibus quamvis idoneis, ad-
huc aurem accommodare voluerit. Quam-
vis enim ſit benè litteratus; & bonis
moribus ornatus; multis tamen allega-
tionibus humiliter inſufficientiam ſuam
prætendens, dicit ſe potiùs multa gravia
perpeſſurum, quàm onus Epiſcopii hoc
tempore ſubiturum. Novit autem veſtra
paternitas, quia leges ſæculi, (b) diſ-
ſentiente filiofamilias, ſub ejus nomine
ſponſalia fieri non permittunt. Quantò

Electus Dolenſis Archiep. recuſat.

b l. 11. ff. de nup. & lib. 12. C. de rit. nupt.

A magis in ſponſalibus Eccleſiæ id obſer-
vare convenit, in quibus niſi ſincera ſub-
veniat charitas, quid boni per angariam
facere poſſit, ſive facultates ſuas diſtri-
buendo, ſive ſeipſum ad martyrium ex-
ponendo humana imbecillitas? Nemo
enim invitus bonum facit, etiam ſi bo-
num eſt quod facit. Unde nos admonet
Spiritus Sanctus in Cantico canticorum:
(c) Adjuro vos filiæ Hieruſalem, nolite
ſuſcitare dilectam, neque evigilare fa-
ciatis donec ipſa velit. Ne igitur noſtro
Jacob amanti Rachel nocte ſupponatis
Liam, niſi fortè Rachel (d) mandrago-
ras primogeniti Liæ concupiſcat, & hac
mercede conductum Jacob cum Lia dor-
B mire permittat. Tali enim ordine poſ-
ſet de tali copula merces boni operis
provenire, & fortitudo, quæ plurimùm
neceſſaria eſt omni regimini, ad tole-
randos ejuſdem regiminis labores exube-
rare. Et ne diu verbis oneremus Sancti-
tatem veſtram, flexis genibus cordis op-
portunè & importunè imploramus cle-
mentiam veſtram, ut nullis vinculis obe-
dientiæ prædictum fratrem conſtringatis,
cujus ſaluti, quantum poſſumus, pro-
videre debemus, quia eum de ſacro fon-
te ſuſcepimus: qui etiam elegit magis
in loco humili ſalvari, quàm in alto pe-
C riclitari. Vale.] Hæc ad Papam: ad ele-
ctores autem ſic breviter, cùm illi egiſ-
ſent apud Ivonem, ut cogeret electum
acquieſcere electioni: (e)

c Cant. 2.

d Geneſ. 30.

e Ivo Ep. 202.

IV. Quę ad electores Ivo.

Ivo Dei gratia Carnotenſis Eccleſię mi-
niſter Clero Dolenſis Eccleſiæ, & Ste-
phano Comiti ſalutem.

Bonæ intentionis veſtræ laudamus affe-
ctum, quòd Vulgrinum filium noſtrum
vita honeſtum, ſcientia clarum elegiſtis
vobis in Archiepiſcopum: ſed quantum
nobis videtur, fruſtrà laborat ſtudium
veſtrum, quia nec prætaxati filii noſtri
voluntatis eſt electioni veſtræ acquieſcere,
D nec noſtræ poteſtatis, ad hoc eum invitum
cogere. Habent enim leges Imperiales,
quia filiofamilias diſſentiente, nequaquàm
poſſunt ſponſalia ſub ejus nomine contrahi.
Multò itaq; minùs ſpiritualis ſponſi animus
ad ſpiritualis ſponſæ copulam in angaria
eſt pertrahendus. Prædictus enim frater
jam ſuper hoc per litteras noſtras & ſuas
allegationes domno Papæ tranſmiſit, &
onus Epiſcopii prout potuit, refutavit.
Si ergo ſtudia veſtra mutare non vultis,
ſi in aliam perſonam deliberatione veſtra
declinare non vultis; non à nobis, ſed
E à ſummo Pontifice eſt quærendus, cui
conceſſum eſt invitos ad hæc officia co-
gere, & de volentibus, & de nolentibus
Eccleſiæ Dei pontifices ordinare. Quan-
tùm ergò domnus Papa ſuper hoc me
coegerit, tantùm ego prædictum fratrem
cogam.] Hæc ad electores Ivo. Quid
autem poſt hęc actum ſit, nobis hactenùs
incompertum.

V.

Dum ipſe Paſchalis Papa hoc anno Gal-
licanas Eccleſias viſitaret, adiit illuſtre

Digitized by Google

A Floriacenſe cœnobium : quænam autem cum ejus monachis de translatione corporis S. Benedicti aſſerta tranſegerit, (a) Petrus diaconus Caſſinenſis narrat. Sed vacillat fides ejus ex Eugenii Papæ Tertii & ſucceſſorum Pontificum diplomatibus, editis nuper ex promptuario Floriacenſi omni fide à Joanne à Boſco monacho Cæleſtino, optimè meritò de monaſtica antiquitate ordinis ſancti Benedicti.

a Petr. Diacon. Chron. Caſſ. lib. 4. c. 31. 32. 33

Reditus Paſchalis in Urbem.

Autumni verò tempore ex Gallia Paſchalis Pontifex Romam rediit, & à Romanis (inquit Urſpergenſis) tantis tripudiis excipitur, ac ſi emortuus redivivus crederetur.] Poſt hæc autem eodem hoc anno ait Petrus perveniſſe ad ipſum Paſcbalem Caſſinenſes monachos, agentes adversùs Ottonem ipſorum Abbatem: quos ubi redarguitur, ad monaſterium reverti juſſit: ſed paulò pòſt defuncto eodem Ottone Kalendis Octobris, ſubrogari in ejus locum ſanctum Brunonem ex Signienſi Epiſcopo monachum Caſſinenſem, inde verò Legatum Apoſtolicum in Gallias comprobavit. Hæc omnia pluribus Petrus (b) diaconus in Chronico Caſſinate.

b Ibid. c. 34.

VI. Quo anno (ut Sigebertus tunc temporis res geſtas ſcribens enarrat) Henricus Angliæ Rex contra Robertum Northmanniæ Comitem Germanum ſuum, qui jam pridem ex Hieroſolymitana expeditione redierat, ut regnum ſibi jure debitum, quòd natu major frater eſſet, acciperet, pugnans obtinuit eum, & Northmannia potiens, potentiores oppreſſit, qui Robertum ſecuti fuerant. Hanc autem ſibi victoriam paravit Rex per pacem, quam ante bellum conceſſit Sancto Anſelmo Archiepiſcopo Cantuarienſi, hactenùs in Gallia exulanti: nam audi Edinerum (c) qui præſens aderat, atque iſta ſcribebat: Dehinc in Aſſumptione beatæ Dei genitricis & perpetuæ Virginis Mariæ Rex Henricus Beccum adveniens, omnia quæ inter ſe & Anſelmum de prædicto negotio reſederant, moderante Sedis Apoſtolicæ ſanctione, delevit, atque de ſingulis, ad quæ tendebat, ſuæ illum voluntatis compotem fecit.] Et inferiùs poſt narratum reditum S. Anſelmi in Angliam hæc de bello: Inter hæc Rex in Northmannia poſitus, valdè lætabatur (ſicut ferebant hi qui ad nos veniebant) quòd fuerat Anſelmi pace potitus. Unde etiam ſibi firma ſpe applaudebat, ſuo ſe dominio totam Northmanniam ſubjugaturum: quod & factum eſt. Nam conſerto gravi prœlio, fratrem ſuum Robertum Northmanniæ Comitem, & alios Principes, qui contra illum in bellum venerant, cepit, innumeriſque peremptis, totam terram victor obtinuit, idque per litteras Anſelmo gaudenter & gratioſus mox intimavit. Omnes verò qui hæc geſta tunc temporis audiere: ea meritis concordiæ, quam Rex cum Anſelmo fecerat, adſcripſere.] Hæc Edinerus.

c Edin. in vita S. Anſelm lib. 2. apud Surd. to. 2. die 21 Aprilis.

Reddita Pace Eccleſiæ, Rex Angliæ debellat Hoſtes.

Litteras autem tunc ſcriptas à Rege ad S. Anſelmum recitat Vvillelmus Malmeſburienſis his verbis: (d)

d Vvillel. Malmesb. de Geſt. Pōtif. Angl. lib. 2.

VII. Henrici Regis Angl. Litteræ ad S. Anſelmum.

Henricus Rex Anglorum, Anſelmo Cantuariæ Archiepiſcopo ſalutem & amicitiam.

Paternitati & ſanctitati veſtræ ſignificamus, Robertum Comitem Northmanniæ cum omnibus copiis militum & peditum, quos prece & pretio coadunare potuit, die nominata & determinata mecum ante Tenebrachium acriter pugnaſſe, ſed tandem ſub miſericordia Dei vicimus, & ſine multa cade noſtrorum. Quid plura? divina miſericordia Ducem Northmanniæ, & Comitem Moretonii, & Vvillelmum Criſpinum, & Vvillelmum de Ferreris, & Robertum de Stutevilla ſenem, & alios uſque ad quadringentos milites, & ducem peditum in manus noſtras, & Northmanniam dedit, de illis autem, quos gladius peremit, non eſt numerus. Hoc autem non elationi, vel arrogantiæ, nec viribus meis, ſed dono divinæ diſpoſitionis attribuo. Quocircà, Pater venerande, ſupplex & devotus genibus tuæ ſanctitatis advolutus te deprecor, ut ſu-C pernum Judicem, cujus voluntate & arbitrio triumphus iſte glorioſus & utilis mihi contigit, depreceris, ut non ſit mihi ad damnum & detrimentum, ſed ad initium bonorum operum, & ſervitii Dei, & ad ſanctæ Eccleſiæ Dei ſtatum tranquilla pace tenendum, & roborandum, ut amodò libera vivat, & nulla concutiatur tempeſtate bellorum.] Hucuſque Regis Epiſtola. Pergit auctor. Hinc eſt contemplari, quanta materia boni in Regis pectore fuerit, ſi quis tàm ingenuæ fidei ſcintillas fomento verborum animaret, & in majores vires D bonis admonitionibus excitaret.

VIII. Quomodò compoſitæ Res Eccleſ. Angl.

Venit igitur Rex ſublimi trophæo ſplendidus, & triumphali gloria Angliam invectus, inveſtiturasque Eccleſiarum Anſelmo in perpetuum in manum remiſit, eodem concedente, ut propter hominium Regi factum nullus arceretur à benedictione.] Hæc Vvillelmus. Ita enim conventum inter Paſchalem Papam, & Regem Angliæ per Legatos, idem auctor ſic ſuperiùs: Directi Romam Legati Vvillelmus de Vvarlevvaſt, & Balduinus monachus, controverſiam tot annis agitatam ſingulari probitate ſedarunt. E Conceſſit ſiquidem Papa, ut Rex homagia de electis acciperet, ſed nullum per baculum & annulum inveſtiret.] Subdit, Regem quoque monitu Anſelmi correxiſſe, quòd deliquiſſet, dum pecunia mulctaſſet presbyteros fornicarios. Scripſerat enim, inquit, ad Regem, ut ab hac exactione temperaret: quòd Eccleſiaſticorum miniſtrorum vitia Epiſcoporum non ſæcularium corripi deberent inſtantia.] Quod & factum eſſe, &

per

per omnia S. Anſelmo ſatisfactum, idem auctor affirmat.

IX.

At ſicut religionis cultus, & erga Catholicam Eccleſiam obedientia & obſervantia fecerunt (ut audiſti) Henricum Regem eſſe victorem; ita Robertum Comitem Northmanniæ, rerum divinarum contemptus, & Eccleſiaſticarum incuria, deſpectio, atque depreſſio depreſſerunt, Comitatu privarunt, atque in vincula redegerunt. Quàm enim infelix fuerit ſub eodem Principe ſtatus Eccleſiæ Northmanniæ, Ivo Carnotenſis Epiſcopus his litteris ſignificavit, ſcribens ad Paſchalem Romanum Pontificem: (a)

a *Ivo Ep.* 181.

X. Status inſe ix Eccl. Northm.

B

Paſchali ſummo Pontifici Ivo humilis Eccleſię Carnotenſis miniſter debitum cum omni ſubjectione ſamulatum.

Cùm ſtatus Eccleſiæ penè ubique terrarum ruinas lamentabiles patiatur, quiſquè dilector domus Dei dehoneſtationes ejuſdem domus quantò viciniùs ſentit, tantò uberiùs plangit; quoniam ignis viciniora comburit. Quod idcircò majeſtati veſtræ prælibavimus, quoniam cùm in aliis locis unuſquiſque domus Dei proſtitutor malitiam ſuam aliquo velamine tegere moliatur: in terra Northmannorum ita manifeſtè proſtituta eſt Eccleſia, ut de ea illud propheticum dici poſſit: Peccatum ſuum ſicut Sodoma prædicaverunt, nec abſconderunt.] Cur autem iſta præmiſerit, ſubiicit de Eccleſia Luxovienſi ejuſmodi deteſtandum exemplum: Quod in Eccleſia Luxovienſi paternitas veſtra poterit agnoſcere, quam jam per plures annos Ranulphus agnomine Flammardus Dunalmenſis Epiſcopus inaudito invaſionis genere occupavit. Qui duos filios ſuos vix duodennes, accepto paſtorali baculo à Comite Northmannorum, prædictæ Eccleſiæ intrudi fecit, ea conditione, ut ſi primogenitus moreretur, Judaico more in Epiſcopatum alter alteri ſubrogaretur. Quod cùm partim dolentibus, partim deridentibus plurimis diu perpeſſa eſſet Eccleſia, monitu quorumdam Religioſorum graviter redargui ſolo charitatis intuitu Rothomagenſem Archiepiſcopum, ad cujus diœceſim pertinet prætaxata Eccleſia, quòd ex adverſo non ſtaret, qui pro domo Iſrael murum opponeret. Hoc idem feci aliis Epiſcopis ejuſdem Metropolitani ſuffraganeis. Tandem cùm Comes terræ illius periculo amittendi Principatus ſui urgeretur, quaſi pœnitentia ductus, monente Ebroicenſi Epiſcopo cum Metropolitano ſuo, præcepit, ut prædictus Dunelmenſis Epiſcopus de Eccleſia cum ſua ſobole eiiceretur, & Epiſcopus ibi canonicè eligeretur.] Sed quomodò electus adhùc poſſidere Eccleſiam ab eodem impediretur, cujus rei cauſa ad auxilium ferendum Paſchalem Pontificem provocat, longiorem texit narrationem: ſed hæc de his ſatis. Cur autem non ſicut Rex Angliæ, Comes Northmanniæ pœnitens veniam cum victoria eſt conſecutus: ex pœnitentiæ fal-

C D E

A

ſæ Saul & Antiochi Regum, ac David veræ pœnitentiæ diſcrimine, poſſumus æquè horum Principum facta penſare.

XI. Pro Monſtro eſſe ut duo Epiſcopatus unius ſint.

Extant ejuſdem Ivonis ad Archiepiſcopum Rothomagenſem eodem argumento aliæ conſcriptæ litteræ, quibus vehementer inſectatur ſcelus, cùm unus Epiſcopus duabus eſt præfectus Eccleſiis: ait itaque: (b) Cùm enim ab ipſa infantia mundi in Lameche carnalis bigamia ſit culpata; quomodò poterit in ſponſa Chriſti, quæ eſt Eccleſia, laudari, quæ & ſacramento, & in veritate ſacramenti uni debet viro deſponſari? Eliminetur ergò de Lexovienſi Eccleſia Ranulphus Dunelmenſis Epiſcopus, ut bigamia non admittatur; eliminantur pueri ejus, ut Neophytorum hæreſis extirpetur &c.] Perſeverante autem eadem cauſa, ubi Rex Anglorum Northmannia potitus eſt, ad Præfectum ejus provinciæ idem Ivo eodem argumento alias dediſſe (c) litteras reperitur, quibus admonetur, ne plùs Regi, quàm Deo in ea functione placere ſtudeat. Ubi in fine aurea hæc ſententia: Non enim ad hoc inſtituuntur Reges, ut leges frangant, ſed fractores legum gladio, ſi aliter corrigi non poſſunt, feriant.]

b *Ivo Ep.* 178.

c *Idem Ep.* 179.

XII. Henricus Rex Angl. Mutatur in Tyrann.

Sed & ex his docemur, quàm mutabiles ſint Principes atque lubrici ad malum, quàmque facilè fiant deſertores virtutum, atque veloces ad vitia transfugæ. Ecce tibi, quem ex ſuis ipſius litteris audiſti Regem maximè pium, mox auditurus eris in tyrannum converſum ipſum Henricum Regem Anglorum. Nam audi Hildebertum Cenomanenſem Epiſcopum, talia tantaque ab ipſo patientem, ut ad dimittendum Epiſcopatus onus, intolerabilibus preſſus anguſtiis, Romam ſe ad Paſchalem Pontificem conferre compulſus fuerit: ſic enim ipſe epiſtola ſua: (d) Longum eſt enarrare, quàm conſtanti tyrannide Rex Anglicus in nos ſævierit, qui temperatia Regis abiecta decreverit non priùs Pontifici parendum, quàm pontificem compelleret in ſacrilegium. Quia enim turres Eccleſiæ noſtræ deiicere nolumus, transmarinis ſubiiciendi judiciis coacti ſumus injurias pelagi ſuſtinere, ſingularem ſcilicet moleſtiam itineris, atque unicam totius humanæ compaginis diſſolutionem. Tantis igitur agitati turbinibus, ad Apoſtolorum Limina decrevimus proficiſci, magnum novæ tribulationis arbitrati remedium, ſi Romanus Pontifex nobis, & conſilio ſubvenerit & auxilio.] Hæc de ſua in Urbem profectione. Quid autem egerit, in epiſtola alia, qua agit de reditu meminit: quæ, ſic ſe habet: (e)

d *Hildeb ep.* 20. *l.* 3. *Bib. ſanct.*

e *Idem Ep.* 24.

XIII. Hildebert. Epiſ. redit ad Epiſc.

Maximum duco atque habeo, quòd mihi veſtræ ſacrarium familiaritatis aperuiſtis. In eo ſuſceptus multis & magnis expertus ſum periculis, quantum valeat deprecatio juſti aſſidua. Huic & ſoli debeo, quòd inſidias mihi Roma redeunti diſpoſitas intactus pertranſii, quòd ingentes & urgentes maris procellas illæſus evaſi, quòd non incidi in barbaros piratas larvali for-

ma deformes, ferina crudelitate hominem diffitentes, ſuper omnia etiam gandentes, nulla ſe cum Chriſtianis habere conſortia.

Monaſt. Lirin. Exciſum.

Ii Catholicæ religionis expertes & hoſtes in inſulam beatiſſimi Honorati, ſacratiſſimo die Pentecoſtes in multis navibus delati ſunt. Ibi ad fundamentum monaſterio penitùs everſo, plurimi monachorum gladio percuſſi ceciderunt, reliquis, & latibulis, & turre proxima conſultum. Eadem die de præfata inſula felix me ventus expulerat, & ita ipſis penè leonum faucibus evulſus auſpicato curſu Magalonem navigavi. Hæc ideò, ſanctiſſime Pater, appoſui, ne quis ignoret, quantis oratione veſtra periculis ereptum me confitear. Habeo igitur atque ago veſtræ gratias religioni, cujus ſinum, quaſi reus aram, jam dudùm complexus eſſem, ſi conſultus Papa Pontificis onus amoliri permiſiſſet. Ille dum me remiſit ad laborem, invidit gloriam: non imputet ei Dominus. Interim in umbra alarum tuarum ſperabo, donec educar de lacu miſeriæ, & de luto fæcis, atque dicam: Ecce venio, ut faciam voluntatem tuam Deus meus.] Hæc Hildebertus, anhelans ad monaſterium, atque invitus juſſu Paſchalis Papæ rediens ad Epiſcopatum, in quo adhùc acerbiſſima pati coactus eſt, quæ quidem magna animi conſtantia tulit.

XIV.

a Hildeb. ep. 39. in fine.

In carcerē detruſus Hildeb.

In carcerem enim aliquando detruſus cauſa tuendæ libertatis Eccleſiæ, hæc ad Epiſcopos, & clericos omnes: (*a*) Oro vos orare pro me, curam agere de me, compaſſione eſſe juxta me. Nam de redemptione nihil ago, ſemel Chriſti ſanguine redemptus, iterùm redimi non requiro: ſanguis ille redemptio mea, ſanguis ille pretium meum. Indignum eſt, ut ſub pretio redigar, cujus pretium ſine pretio eſt. Prætereà infamis eſt redemptio, qua libertas perit Eccleſiæ, qua ſervitus comparatur. Neceſſe eſt enim, ut membra ſerviant, ſi caput humiliatur ſub tributo &c.] Extat ad eumdem Ivonis Epiſcopi Carnotenſis epiſtola, cùm à Rege Anglorum dira pateretur, cujus hic titulus (*b*): Ivo Dei gratia Carnotenſis Eccleſiæ miniſter Hildeberto Cenomanenſi Epiſcopo in tribulatione patientiam, in patientia tolerantiam, in tolerantia perſeverantiam:] Qua monet ipſum conſulentem, ne probatione per ignem, quam Rex ab eo exigebat, vellet ullo pacto ſuam probare innocentiā, quòd hoc eſſet in Eccleſia Dei per plures vetitum canones & decreta Pontificum.

b Ivo ep. 92

XV.

Concilium Hieroſolymitanum.

Quod ad res pertinet Orientis, hoc anno, miſſo per Paſchalem Papam Gibelino Arelatenſi Archiepiſcopo Hieroſolymam, Concilium ibi colligitur, in quo deponitur Ebremarus intruſus Patriarcha. Quomodò autem iſta ſe habuerint, ſic accipe ex Vvillelmo Tyrio (*c*): Intereà dominus Daibertus Hieroſolymorū Patriarcha poſt longam expectationem, qua eum detinuerat dominus Paſchalis Papa, & Eccleſia Romana, volens pleniùs edoceri, utrum Res Hieroſolymorum, & qui eum expulerant, vellent contra eum aliquid allegarē, unde hoc videri poſſent de jure feciſſe: poſtquàm nemo comparuit, qui contra eum aliquid diceret, nec in ejus facto aliquid aliud notari poterat, niſi quòd regia expulſus eſſet violentia; cum plenitudine gratiæ & Apoſtolicarum litterarum proſecutione niſus eſt ad propria redire, & ſedem recipere debere, de qua fuit indebitè deturbatus. Qui tandem in Siciliam veniens, & apud Meſſanam moram faciens neceſſariam, tranſitum expectans, gravi correptus ægritudine, XVI. Kalend. Julii viam univerſæ carnis ingreſſus eſt. Sedit autem in pace annis quatuor, in exilio verò tribus. Ebremarus verò ejuſdem ſedis incubator, audiens quòd prædictus dominus Daibertus cum plenitudine gratiæ revertebatur ſedem ſuam recepturus, antequàm de obitu ejus inſtrueretur, ad eamdem Romanam transfretare Eccleſiam decrevit, allegaturus de ſua innocentia, quomodò invitum & renitentem in eamdem ſedem illum locaverant. Quò perveniens, nihil impetrare potuit, quàm ut cum eo dirigeretur Legatus, qui de cauſa ejus, Hieroſolymis conſtitutus, pleniùs poſſet cognoſcere.

c Vvillel. Tyr. lib. 11. cap. 4.

XVI.

Gibelinus Patriarcha Hieroſol. Eligitur.

Deſignatus eſt autem ad id muneris proſequendum dominus Gibelinus, vir ſenex & grandævus, Arelatenſis Archiepiſcopus, qui de mandato domini Papæ Hieroſolymam profectus, convocato Epiſcoporum regni Concilio, de cauſa domini Ebremari cognovit pleniùs. Cùmque ei conſtitiſſet per teſtes idoneos ſufficientes & majores omni exceptione, quòd dominus Daibertus abſque cauſa legitima Arnulphi factionibus, & regia violentia fuerat expulſus, & quòd Ebremarus adhùc viventis Pontificis & Eccleſiæ habentis communionem ſedem occupaverat: auctoritate qua præeminebat, eum à Patriarchatu depoſuit. Sed conſiderans multam viri religionem, & ſimplicitatem miram, Cæſarienſem, quæ tunc vacabat, Eccleſiam ei conceſſit habendam. Poſtmodùm verò dum de ſubſtituendo Eccleſię Hieroſolymitanæ Patriarcha Clerus & populus diſceptaret: conſtituta ad hoc ſpecialiter die, ut ſuper eo negotio de more tractaretur: poſt multas hinc inde deliberationum partes, in dominum Gibelinum Apoſtolicæ Sedis Legatum unanimiter conveniunt, & eum in ſede locant Patriarchalem. Hoc etiam prędictus Arnulphus malitioſè dicitur conſtruxiſſe, ut homo ſenex & decrepitus in illa ſedem diu vivere non poſſet.] Hucuſque (*d*) Vvillelmus, qui hoc anno iſta actitata eſſe, inferiùs docet.

d Id. ibid. c. 6.

XVII.

Gibelinus igitur, ubì novit ſe nolentem invitumque electum Hieroſolymorum Patriarcham, omni ad ſuos Arelatenſes ampliùs redeundi ſpe deſtitutus penitùs, has ad eos non ſine lacrymis litteras dedit, quas nos acceptas à Franciſco Claret noſtro amico fideli, ejuſdem Arelatenſis Eccleſiæ Archidiacono, hìc deſcribendas

bendas

Digitized by Google

hendas eſſe operæpretium duximus: ſic ſe habent:

XVIII. Gibelini ad Arelatenſes Epiſtola.

XVIII. Gibelinus Hieroſolymitanus Epiſcopus chariſſimis in Chriſto fratribus Arelatenſis Eccleſiæ ſuffraganeis Epiſcopis, domino Ariperto, & aliis, & omni Clero, & populo ſalutem & benedictionem.

Intelligere poteſtis, fratres chariſſimi, quàm incerta eſt vita iſta, qua vivimus, cùm illud citò eveniat, quod in cor hominis non aſcendit, & hoc divina providentia faciat, quod humana mens cogitare non potuit. Scitis enim qua ratione egreſſus ſum de terra mea, & de cognatione mea; quomodò à Romana Eccleſia ad Orientales Eccleſias fui miſſus: modò factus incola, qui veneram peregrinus. Nam dominus Papa Paſchalis, qui ad viſitationem Orientalium Eccleſiarum me deſtinaverat, per litteras, & per venerabilem Præneſtinæ civitatis Epiſcopum mihi mandavit, ut curam Hieroſolymitanæ Eccleſiæ ſuſciperem exemplo illius, qui exivit à Patre, & venit in mundum, ut faceret voluntatem ejus qui miſit eum: & ego inclinavi aurem meam, & oblitus ſum populum & domum patris mei. De cætero, fratres, de ordinatione Eccleſiæ veſtræ cogitate, & Epiſcopum vobis ſecundùm Dominum eligite. Et ſi hactenùs tàm nobilis Eccleſia paſtorem, qualem deceret, non habuit; modò talis eligatur, in quo per Dei gratiam totum impleatur, quod defuit

XIX. Multa vobis ſcribere diſpoſueram, ſed cogitanti mihi de veſtra amicitia, magis flere libet, quàm aliquid dicere. Dum enim ad memoriam reduco, quantam dilectionem erga me habuiſtis, quàm patienter hominem nullius utilitatis ſuſtinuiſtis: nulla temporalium rerum delectatione poſſum gaudere, ſed multoties ſunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte. Nec mirum, quia ſicut manifeſtum eſt, nec pretio nec precibus me dilexiſtis, ſed ſola nobilitate, quæ in vobis eſt, & moribus & genere, in me benignitas veſtra ſemper apparuit, & nobilitas veſtra ſe celare non potuit. Nunc itaque dilectiſſimi, ſolita dilectione vos deprecor, ut mei memoriam habeatis, quatenus ille, qui veſtris orationibus fuit in via ductor meus, ſit modò veſtris precibus adjutor meus, & in fine ſuſceptor meus, qui eſt in omni terra Deus meus.] Huculque Gibelinus ad ſuos.

XX. Paſch. Pap. ad Arelatenſes.

A Accepi ab eodem cum his & litteras Paſchalis Papæ ad eoſdem Arelatenſes, pro electione ſucceſſoris, quæ ſic ſe habent:

Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Clero, & populo Arelatenſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Pro negotiis & ſcandalis, quæ in Hieroſolymitana Eccleſia fuerant, venerabilem fratrem noſtrum Gibelinum, quondam Eccleſiæ veſtræ Antiſtitem ad partes illas cum noſtra legatione direximus, cujus nimirùm perſona ita in omnibus placuit, quòd eum Clerus, & populus ejuſdem Eccleſiæ unanimi voto, communi deſiderio in patrem ſibi & paſtorem elegerunt. Nos enim, quoniam diu Epiſcopali regimine fuerant deſtituti, electionem ipſam aſſertione noſtra firmavimus. Veſtram itaque dilectionem litteris præſentibus præmonemus & hortamur in Domino, ut & vos canonicum paſtorem vobis eligere properetis: nec vobis grave & durum vehementiùs videatur. Illum enim tanto zelo ardore Hieroſolymitana ſuſcepit Eccleſia, quòd eum (etſi nos omninò vellimus) vobis reddere nullo modo poſſimus. Data Laterani, quarto Nonas Januarii:] Utique annis ſequentis exordio. At iſta ſatis.

C Verùm quod ſpectat ad alterum Legatorum, cujus meminit in recitata nuper epiſtola Gibelinus, Epiſcopum Præneſtinum, hic dictus eſt nomine Berardus, ſive Bernardus, cujus eſt mentio in prædeceſſore Paſchalis Urbano Papa, anno ejus Pontificatus quinto, in privilegio Cluniacenſibus dato. Qui fama conſpicuus, ubi hoc anno reverſus eſt Hieroſolymis, ſtatim ex hac vita migravit: cui Alfanus Archiepiſcopus Salernitanus ejuſmodi Epitaphium ſcripſit:

* Berardus

** Bernardus nomen, Beneventum patria, ſedes*
Præneſtis, celebris laus mihi Roma fuit:
Hoſtes Eccleſiæ contrivi, cuncta relinquens
Ivi Jeruſalem ſolvere crimen idem.
Jamque dies menſem retinebant quinque Decembrem,
Cùm rediens illinc, mortuus hoſpitor hic.]

Hactenùs Epitaphium inter vetera monimenta repertum. Quod igitur ad verba illa ſpectat: Solvere crimen idem;] Ad illud alludit, quòd perrexerat ſcilicèt Hieroſolymam ad depoſitionem Ebremari Patriarchæ intruſi, ut ſuperiùs eſt pluribus enarratum.

I. Paſchalis compeſcit Tyrannos.

REdemptoris annus milleſimus centeſimus octavus Indictione prima incipit, quo Paſchalis Papa rursùs tumultuantes quoſdam Romanorum uſurpatores rerum Eccleſiæ, alioſque ad defectionem populum permoventes compeſcuit. Scribit iſta Vvillelmus Bibliothecarius, aitque horum principes fuiſſe Ptolemæum Comitem Tuſculanum, nec non Petrum de Columna Farſenſem Abbatem, qui diverſis invaſionibus diverſa oppida tentaverunt, quæ Paſchalis Papa non ſine magno labore ab eorum tyrannide liberavit, cum ipſo Paſchale Petro Leonis, & Leone Frangipane fideliter laborantibus.

II. Quo pariter anno, Octobris menſe idem Paſchalis Papa Beneventum perrexit, ut illic Synodum celebraret, de qua iſta breviter Petrus diaconus in Chronico Caſſinate: (*a*) Menſe autem Octobrio advenit huc idem Apoſtolicus, adjunctoque ſibi Abbate noſtro, *Brunone videlicet*, Beneventum celebrandæ illic Synodi cauſa perrexit. In qua prædeceſſorum veſtigia ſecutus conſtituit, ut ſi quis Eccleſiaſtica beneficia de manu laicorum acciperet, uterque communione privaretur, & qui ſcilicèt daret, & qui acciperet. Veſtimenta ſæcularia & pretioſa reprehendit, & eis uti clericos vetuit.

a *Petr. diacon Chron. Caſſ. lib.* 4. *c.* 34 *in fin.* & 35.

Conciliū Beneventanum ſub Paſchali Pap.

III. Cùm autem Capuam deveniſſet, rogatus ab eodem Abbate Brunone, Eccleſiam S. Benedicti, quam Deſiderius Abbas intra eamdem civitatem renovaverat, ſolemniter dedicavit: in qua etiam de veſtimentis ſanctiſſimi patris Benedicti recondidit. Sieque ad hoc monaſterium Caſſinenſe veniens reverſus eſt Romam.] Hucuſque Petrus. In Chronico autem monaſterii ſancti Vincentii ad fontes Vulturni poſiti, à Joanne ejuſdem monaſterii monacho ſcripto, mentio habetur, quòd dum in his regionibus idem Paſchalis Pontifex verſaretur, inviſit ipſum S. Vincentii celebre monaſterium, ubi cùm comperiſſet, ab eodem quoque monacho Joanne ſcribi cœptam hiſtoriam Eccleſiaſticam, laudavit ejus ſtudium Pontifex, & cùm laudaſſet, amplexatus eum hæc adjecit: Benè, inquit, ò fili, magnum opus cœpiſti, ſed benè cœpta meliùs proſequi ſtude.] Hæcque præſente Benedicto ejus monaſterii Abbate, ad quem idem auctor Joannes nuncupatoriam ſcripſit epiſtolam. Laudatum quoque, idem tradit, cœptum opus à Joanne Cancellario, qui poſteà Paſchali in Pontificatu ſuccedens, dictus eſt Gelaſius Papa Secundus: Hæcque omnia in dicto Chronico ſcripta leguntur: ſed præter hiſtoriam ejus monaſterii nihil ab eo ſcriptum reperitur. Jam verò quæ reliqua ſunt anni hujus videamus.

IV. Quòd autem Henricus Angliæ Rex plura pollicitus fuerat, inſtante Paſchali Papa, de reſtituendo in ſuam libertatem Anglicanam Eccleſiam; præſtitit hoc anno, cùm celebratum eſt in Anglia Concilium Londonienſe, cujus meminit Edinerus; de quo iſta Rogerius in Annalibus eodem anno milleſimo centeſimo octavo: (*b*) In Kalendis Auguſti conventus omnium Epiſcoporum, Abbatum, & procerum regni Londoniæ factus eſt, & per tres dies, abſente Anſelmo Archiepiſcopo, inter Regem & Epiſcopos ſatis actum eſt de Eccleſiarum inveſtituris, quibuſdam ad hoc nitentibus, ut Rex eas faceret more patris, & fratris ſui, non juxta præceptum & obedientiam Apoſtolici. Nam Paſchalis Papa in ſententia, quæ inde promulgata fuerat, firmus ſtans, conceſſerat omnia, quæ Papa Urbanus, qui æquè inveſtituras interdixerat, ac per hoc Regem ſibi de inveſtituris conſentaneum fecerat.

Concilium Londonienſe in Angl.

b *Roger. in Annal. hoc anno.*

V. Inveſtituræ ſublatæ.

Dehinc præſente Anſelmo, aſtante multitudine, annuit Rex, & ſtatuit, ut ab eo tempore in reliquum numquam per donationem baculi paſtoralis, vel anuli quiſquam de Epiſcopatu, aut Abbatia per Regem, vel quamlibet laicam manum in Angliam inveſtiretur; concedente quoque Anſelmo, ut nullus in prælationem electus, pro hominio quod Regi faceret, conſecratione ſuſcepti honoris privaretur.] Et poſt reſtitutos Epiſcopos ſuſpenſos in ſuas ſedes, & ab excommunicatione abſolutos, quos ſubiieit, hæc in eodem Concilio Londonienſi ſtatuta fuiſſe idem Rogerius ſic narrat:

VI. Hæc ſunt ſtatuta de Archidiaconibus, presbyteris, diaconibus, ſubdiaconibus, & Canonicis in quocumque gradu conſtitutis, quæ anno Dominicæ incarnationis milleſimo centeſimo octavo ſtatuerunt Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus, & Thomas Eboracenſis Archiepiſcopus electus cum eo, omneſque alii Epiſcopi Angliæ in præſentia glorioſi Regis Henrici aſſenſu Comitum & Baronum ſuorum. Statutum eſt, ut presbyteri, diaconi, ſubdiaconi caſtè vivant, & fœminas in domibus ſuis non habeant, præter proxima conſanguinitate ſibi junctas, ſecundùm hoc quod ſancta Synodus Nicæna definivit. Illi verò presbyteri, diaconi, ſubdiaconi, qui poſt interdictum Londonienſis Concilii fœminas ſuas tenuerunt, vel alias duxerunt, ſi ampliùs Miſſas celebrare voluerunt, eas omninò à ſe ſic faciant alienas, ut nec illæ in domos eorum, nec ipſi in domos earum ingrediantur: ſed nec in aliqua domo ſcienter conveniant; neque hujuſmodi fœminæ in territorio Eccleſiæ habitent. Si autem propter aliquam honeſtam cauſam eos, vel eas colloqui oporteat, cum duobus legitimis teſtibus extra domum colloquantur. Si verò in duobus aut tribus

De nō habitando cum fœminis.

legi-

Digitized by Google

A legitimis reſtibus vel publica parochianorum ſami aliquis eorum acculatus fuerit, quòd hoc ſtatutum violaverit: purgabit ſe adductis ſecum ordinis ſui idoneis teſtibus ſex, ſi presbyter fuerit; ſi autem diaconus, quatuor; ſi ſubdiaconus, duobus. Cùm autem hæc purgatio defecerit, ut tranſgreſſor ſtatuti ſacri judicabitur.

VII.
Pœna habitantium cum ſœminia.

Illi autem presbyteri, qui divini altaris, & ſacrorum ordinum contemptores prælegerunt cum mulieribus habitare: à divino officio remoti, omnique Eccleſiaſtico beneficio privati, extra chorum ponatur, infames pronuntiati. Qui verò rebellia & con- B temptor fœminam non reliquerit, & Miſſam celebrare præſumpſerit, vocatua ad ſatisfactionem, ſi neglexerit, excommunicetur. Eadem ſententia Archidiaconos, & Canonicos omnea complectitur, & de mulieribus relinquendis, & de vitanda earum cohabitatione, & de diſtrictione cenſuræ, ſi ſtatuta tranſgreſſi fuerint. Jurabunt etiam Archidiaconi omnes, quòd pecuniam non accipient pro toleranda tranſgreſſione hujus ſtatuti, nec patientur presbyteros, quos ſciunt fœminas habere, Miſſam cantare, vel vicarios habere. Similiter & Decani jurabunt. Archidiaconus verò, vel diaconus, C ſive Decanus, qui hæc jurare noluerit, Archidiaconatum, vel Decaniam perdet. Preſbyteri verò, qui relictis mulieribus, Deo, & ſacris altaribus ſervire elegerint, quadraginta diebus ab officio ceſſantes pro ſe interim vicarios habebunt, injuncta eis pœnitentia ſecundùm hoc, quod Epiſcopis eorum viſum fuerit.] Hucuſque Rogerius ex Concilio Londonienſi hoc anno celebrato.

VIII.

Poſt hæc autem reddita (ut audiſti) Anglicanæ Eccleſiæ pace, Paſchalis Papa gratulatorias dedit has litteras ad S. Anſelmum, quas Vvillelmus in Geſtis Regum Anglorum recitat hiſce verbis: (a) D

a *Vvillel. Malmeſburg. de geſt. Reg. Angl. l. 5.*
Paſch. Pap. ad S. Anſelm. de concordia inita cum Rege.

Paſchalis Anſelmo.

Quòd Anglici Regis cor ad Apoſtolicæ Sedis obedientiam omnipotentis Dei dignatio inclinavit, eidem miſerationum Domino gratias agimus, in cujus manu corda Regum verſantur. Hoc nimirùm tuæ charitatis gratia, tuarumque orationum inſtantia factum credimus, ut in hac parte populum illum, cui tua ſollicitudo præſidet, miſeratio ſuperna reſpiceret. Quòd autem & Regi & his, qui videntur obnoxii, adeò condeſcendimus, eo affectu & compaſſione factum noveris, ut eos qui jacebant, erigere E valeamus. Te autem, in Chriſto venerabilis & chariſſime frater, ab illa prohibitione, ſive (ut tu credis) excommunicatione abſolvimus, quam ab anteceſſore noſtro ſanctæ memoriæ Urbano Papa adversùs inveſtituras, aut hominia factum intelligis. Tu verò eos, qui aut inveſtituras accepere, aut inveſtitos benedixere, aut hominia fecere, cum ea ſatisfactione, quam tibi per communes Legatos Vvillelmum, ac Balduinum viros fideles & veridicos ſignificamus, Domino cooperante, ſuſcipito, & eos vice noſtræ auctoritatis abſolvito: quos vel ipſe benedicas, vel à quibus volueris benedici præcipias, niſi in iis aliud fortè reperias, propter quod à ſacris honoribus ſint repellendi. Si qui verò deinceps præter inveſtituras Eccleſiarum prælationes aſſumpſerint, etiam ſi Regi hominia fecerint, nequaquàm ob hoc à benedictionis munere arceantur, donec per omnipotentis Dei gratiam ad hoc omittendum cor regium tuæ prædicationis imbribus molliatur. Præterea ſuper Epiſcopis, qui falſum (ut noſti) à nobis rumorem retulerunt, cor noſtrum commotum eſt vehementiùs, quia non ſolùm nos læſerunt, ſed multorum ſimplicium animas deceperunt, & Regem adversùs charitatem Sedis Apoſtolicæ impulerunt. Unde & multum eorum flagitium, Domino cooperante, non patimur: ſed quia filii noſtri Regis inſtantia pro iis nos pulſat attentiùs; etiam ipſis communionis tuæ paſticipium non negabis. Sanè Regem & conjugem, & proceres illoa, qui pro hoc negotio cum Rege ex præcepto noſtro laboraverunt, quorum nomina ea ſupradicti Vvillelmi ſuggeſtione cognoſces; juxta ſponſionem noſtram à peccatis & pœnitentia abſolves. Rothomagenſis Epiſcopi cauſam tuæ deliberationi committimus, & quod ei indulſeris, indulgemus. Hæc Paſchalis ad ſanctum Anſelmum, quem hoc anno lucubrationem illam perdit[illegible]dem de concordia præſcientiæ & prædeſtinationis habuiſſe præ manibus, Edinerus affirmat, qui præſens aderat.

Inter hæc autem cùm abſolutus Gerardus Archiepiſcopus Eboracenſis recuſaret profeſſionem facere Archiepiſcopo Cantuarienſi, deque his admonitus Paſchalis Pontifex eſſet, has ad eum litteras dedit:

IX.
Paſch. Pap. monet Gerardū eborac ut pareat S. Anſelm:

b *Vvillel. Malmeſburg. de geſt. Pontif. Angl. lib 3.*

Paſchalis Papa ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Eboracenſi Archiepiſcopo Gerardo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. (b)

D Quamquam prave contra nos, immò contra matrem tuam ſanctam Romanam Eccleſiam te non ignoremus egiſſe; præſentibus tamen tibi litteris mandamua, ut profeſſionem venerabili fratri noſtro Anſelmo Cantuarienſi Archiepiſcopo facere non negligas. Audivimus enim Thomam quondam prædeceſſorem tuum ex hac eadem re contentionem moviſſe, & cùm in præſentia domini Alexandri Papæ Secundi ventilata eſſet, ex præcepto ejus definitione habita, poſt varias diſquiſitiones Lanfraneo prædeceſſori ſuo, & ſucceſſoribus ſuis eamdem profeſſionem feciſſe. Unde & nos, quod tunc E temporis definitum eſt, volumus, auctore Deo firmum illibatumque ſervari. Subiicit iſta his Vvillelmus: Hanc epiſtolam directam ſibi Gerardus non legit, quia neceſſe non fuit. Prævenerat ipſe juſſum Apoſtolicum, & hortatu Regis Anſelmo in manum dederat ſervaturum ſe ipſi eamdem poſſeſſionem, &c. ſed haud poſt multum eodem Gerardo defuncto cùm alius Thomas illi ſubrogatus eſſet, qui etiam detrectans profiteri, ab eodem ſancto Anſelmo publicis per Angliam datis litteris, quæ extant, excommunicatus eſt donec pareret, quod tandem coactus fecit.

Cui

Digitized by Google

X. De Hieroſol. Eccleſ. illuſtranda.

Cui autem totius Catholicæ Eccleſiæ cura à Deo credita eſt, Paſchalis Papa ita eccleſiis in extrema Occidentalis orbis parte poſitis incumbere paſtorali cura proſpexit, ut Orientalibus non deeſſet officio. Quamobrem Balduini Regis Hieroſolymorum petitionibus annuens, quæ poſtulabat, benignè conceſſit. Ubi enim Gibelinus in ſede Hieroſolymorum anno ſuperiori eſt electus Antiſtes, ad ſedem Hieroſolymorum amplioribus augmentis illuſtrandam apponit animum, ſimulque agit apud Pontificem de finibus diœceſeos ejus ſedis ampliandis: ea de re idem Rex legationem miſit Romam ad Paſchalem Pontificem. Quid autem illius petitionibus annuens Paſchalis Papa conceſſerit; ejus litteræ ad eum datæ ſignificant, atque primùm ad ipſum Balduinum Regem, quæ ſic ſe habent: (a)

a Extat apud Tyr. l. 11. c. 28.

Paſchalis ſervus ſervorum Dei, glorioſo Hieroſolymitano Regi Balduino ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

XI. De juribus Eccleſ. Hieroſol. Ep. Paſch. Pap.

Eccleſiarum, quæ in veſtris partibus fuerunt, vel ſunt, terminos, atque poſſeſſiones diutina infidelium poſſeſſio tyranniſque confudit. Cum itaque certos ejus fines aſſignare deliberatione nequeamus, tuis precibus non immeritò duximus annuendum: ut quia pro Hieroſolymitanæ eccleſiæ ſublimatione perſonam tuam extremis periculis exponere devoviſti, quaſcumque Infidelium urbes ceperis, vel cepiſti, ejuſdem Eccleſiæ regimini ſubjaceant. Porrò earumdem civitatum Epiſcopi Patriarchæ tamquàm Metropolitano obedientiam exhibere procurent, quatenùs & ipſe illorum fultus ſuffragiis, & ipſi ad invicem ipſius unanimitatis auxilio vegetati, ſic in Hieroſolymitanæ Eccleſiæ exaltatione proficiant, ut de illorum profectibus omnipotens Deus glorietur. Data Laterani quinto Idus Junii] Ad Patriarcham verò eodem argumento has litteras dedit:

XII. Paſchalis Epiſt. ad Gibelinū Patriarchā Hieroſol.

Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, reverendiſſimo fratri Hieroſolymitano Patriarchæ Gibelino, & ſucceſſoribus ejus in perpetuum canonicè promovendis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Secundùm mutationes temporum transferuntur etiam regna terrarum. Unde etiam Eccleſiaſticarum parcchiarum fines in pleriſque provinciis mutari expedit, & transferri. Aſianarum ſiquidem Eccleſiarum fines antiquis fuerunt definitionibus diſtributi, quas diſtributiones diverſarum diverſæ fidei gentium confudit irruptio. Gratias autem Deo, quòd noſtris temporibus & Antiochia, & Hieroſolyma civitates cum ſuburbanis ſuis & adjacentibus provinciis in Chriſtianorum Principum redactæ ſunt poteſtatem. Unde oportet nos divinæ mutationi & translationi manum apponere, & ſecundùm tempus, quæ ſunt diſponenda, diſponere, ut Hieroſolymitanæ Eccleſiæ urbes illas & provincias concedamus, quæ glorioſi Regis Balduini, ac exercituum eum ſequentium ſanguine per Dei gratiam acquiſitæ ſunt. Præſentis itaq; decreti pagina tibi, frater chariſſime & Coepiſcope Gibeline, tuiſque ſucceſſoribus, &

A per vos ſanctæ Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Patriarchali, ſive Metropolitano jure regendas diſponendaſque ſancimus, civitates omnes atque provincias, quas ſupradicti Regis ditioni aut jam reſtituit, aut in futurum reſtituere gratia divina dignabitur. Dignum eſt enim, ut Sepulchri Dominici Eccleſia, ſecundùm Fidelium militum deſideria competentem honorem obtineat, & Turcorum, ſeu Sarracenorum jugo libera, in Chriſtianorum manu abdundantiùs exaltetur &c.] Hæc Paſchalis ad Patriarcham Hieroſolymorum.

XIII. Antiocheni Patriarc. querelæ.

At quoniam conceſſio iſta in magnum præjudicium Antiochenæ Eccleſiæ vergeret, B turbatus admodùm Antiochenus Patriarcha Bernardus, Legatos Romam miſit ad Paſchalem Pontificem, per eos expoſtulans de imminuta valdè per eam conceſſionem diœceſi Patriarchatus Antiocheni, juſta petens, ut deſcripti termini cujuſque Patriarchatus per ſacroſanctum illud magnum Nicænum Concilium immobiles permanerent. Paſchalis verò, ne ſchiſma aliquod ea occaſione in Eccleſia fieret, his litteris animum ejuſdem Patriarchæ Antiocheni placare magnoperè laboravit:

Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Bernardo Antiocheno C Patriarchæ ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

XIV. Ad Patriarchā Antiochenum Paſchalis litteræ.

Quamvis inter cæteras ſedes Apoſtolica illa Sedes emineat, quam Petri Apoſtoli morte in corpore dignatio ſuperna clarificavit: inter Romanum tamen & Antiochenum Epiſcopos tanta quondam legitur charitas extitiſſe, ut nulla inter eos diverſitas videretur: eadem Petri perſona utraſque illuſtravit Eccleſias. Multa poſthac tempora tranſierunt, quibus Infidelium dominatio unitatem hanc in perſonis præſidentium impedivit. Gratias autem Deo, quòd temporibus noſtris Chriſtianorum principatum D in Antiochena civitate reſtituit. Dignum eſt igitur, chariſſime frater, ut ejuſdem charitatis unitas firma permaneat, nec de nobis menti tuæ opinio ulla ſubrepat, quòd Antiochenam eccleſiam deprimere aut inhonorare velimus. Si quid ergò vel Antiochenæ, vel Hieroſolymitanæ Eccleſiæ aliter fortaſſe quàm oportuit, de parochiarum finibus ſcripſimus, nec levitati eſt, nec malitiæ adſcribendum; nec propter hoc apud nos eſt ſcandalum concitandum: quoniam & locorum longinqua prolixitas, & antiquorum nominum commutatio, quæ civitatibus vel provinciis accidit, magnam nobis ambi- E guitatem vel ignorantiam intulerunt. Cæterùm & optavimus & optamus non ſcandali, ſed pacis fomitem fratribus miniſtrare, ſuum jus & honorem quibuſcumque Eccleſiis conſervare. Data Laterani ſexto Idus Auguſti.] Sicque ac exhibita ſpe emendationis eorum, quæ contra jus Eccleſiæ Antiochenæ reſcripſiſſe idem Pontifex viſus eſſet, res ita tranſierunt uſque ad obitum Gibelini Patriarchæ Hieroſolymitani. Quomodò verò iſta poſteà tractata ſint, ſuo loco dicturi ſumus.

JESU

Digitized by Google

I. Paſchalis inhibet inceſtuoſum conjugium Alphonſi cum Uraca.

Milleſimus centeſimus nonus Chriſti annus ſecunda incipit Indictione, quo Paſchalis Papa audito inceſtuoſo conjugio inter Uracam Reginam filiam Alphonſi Regis Caſtellæ, nuper eodem anno defuncti Kalendis Julii, & Alphonſum Aragoniæ Regem tertio gradu conſanguinitatis inter ſe conjunctos: Apoſtolica auctoritate, pœna excommunicationis atque regni privatione indicta, ejuſmodi conjunctionem ſtatuit divellendam, datis litteris ad Didacum Compoſtellanum Epiſcopum his verbis: B

Paſchalis ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Didaco Compoſtellano Epiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

II. Ad hoc te omnipotens Deus populo ſuo præeſſe conſtituit, ut eorum peccata corrigas, & Domini annunties voluntatem.] Et infrà: Stude igitur ſecundùm datam tibi divinitùs facultatem tantum inceſti facinus, quod à Regis filia perpetratum eſt, debita ultione corrigere; ut vel à tanta præſumptione deſiſtat, vel Eccleſiæ conſortio, & ſæculari poteſtate privetur &c] C Hæc tantùm ex Paſchalis Papæ litteris deſcripta (a) invenimus. Cæterùm cùm non paruiſſent Apoſtolicis juſſis, Deum vindicem ſunt experti. Uraca ſiquidem morte ſubitanea, medium cùm crepuiſſet, extincta eſt, & Alphonſus in Sarraceni-co bello peremptus, prout uterque Rodericus affirmat. In Epiſcopos autem litteris Apoſtolicis obſequentes perſecutionem excitatam, ex eiſdem conſtat, cùm Bernardus Epiſcopus extra diœceſim exulare per biennium eſt coactus, qua occaſione captata, Burdinus Epiſcopus Bracharenſis Romam venit, Paſchalem Pontificem adiit, atque oblata pecunia petiit in Bernardi locum intrudi, ſed repulſus. Hic ille, de quo Rodericus Toletanus (b) meminit, atque ait: quòd dum idem Bernardus Toletanus Archiepiſcopus Romam venit tempore Urbani Papæ, atque ejus juſſu reverſus eſt in Hiſpaniam, per Gallias tranſiens, Lemovicis Burdinum inventum ſecum duxit, atque creavit Archidiaconum Eccleſiæ Toletanæ, deindè Coimbricenſem, poſteà verò Bracharenſem Epiſcopum, cùm ipſe loco Burdini ſe Mauritium voluerit nominari. Hic igitur cum execratione rejectus à Paſchali Pontifice ſe contulit malorum auctor ad Henricum Regem, quem eidem jam cœpiſſe adverſari intellexiſſet, eumque calcaribus impulit per abrupta homo vaferrimus, verſipellis, ad inſinuandum ſe Principibus audaciſſimus, atque ad decipiendum aptiſſimus: qui nec quievit, quouſque niſibus ejuſdem Henrici Apoſtolicum thronum D

a Apud Joan. Marian. l. 10. c. 8.

Burdinus malorum omniū auctor.

b Rod. Tolet. lib. 6. c. 27. 28.

E

invaſit. Quomodò autem, ſuo loco dicturi ſumus.

III. Obitus S. Anſelmi Archiepiſ. Cantuarien ſis.

Hoc eodem anno ex hac vita ad æternam gloriam tranſiit S. Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis, cujus certamina pro ſancta Eccleſia Catholica exantlata ſæpè ſuperiùs B ſuis ſunt locis pro ratione temporum enarrata: de ejus verò obitus tempore Edinerus, qui res ab eo geſtas præſens inſpector ſcripſit, hæc habet: (c) Tranſiit autem illuceſcente aurora quartæ feriæ præcedentis Cœnam Domini, quæ erat undecimo Kalend. Maii, anno videlicèt Incarnationis Dominicæ milleſimo centeſimo nono, qui fuit annus pontificatus ejus decimuſſeptimus, vitæ verò ſeptuageſimuſſextus.] Cùm (ut idem ait) haberet præ manibus de origine animæ ſcriptionem, quam morte præventus minimè abſolvere potuit. Illuſtravit planè Anglicanam Eccleſiam doctrina, C illuſtravit & ſanctitate, cæteris ſanctiſſimis Patribus Chriſti Confeſſoribus, quos Eccleſia veneratur, minimè impar. Claruit miraculis vivens atque defunctus, lucidum ſidus Eccleſiæ Anglicanæ multiplici fulgore coruſcans omnibus intuentibus in tanta noctis obſcuræ caligine.

c Extant apud Sur. tom. 2. die 21. April.

IV. Obitus S. Hugonis Abbatis Cluniacenſis.

Quo pariter anno poſt dies octo ſanctus Hugo Abbas Cluniacenſium, cujus labores pro defenſione Eccleſiæ ſanctæ ſuſceptos contigit ſæpè ſuperiùs recenſeri, teſte Sigeberto hujus temporis ſcriptore, ex hac vita migravit die vigeſimanona D menſis Aprilis. Utinam ſicut Anſelmus, ita & Hugo ſuum habuiſſet Edinerum, qui res ab eo geſtas accuratiùs conſcripſiſſet, quas mea ſententia qui ſcripſit Hugo monachus via attigiſſe dicendus erit, ſi quis conferat eas cum iis, quas oblata occaſione Annalibus intexuimus, in negotiis Eccleſiaſticis Sedis Apoſtolicæ obeundis.

V. Rhemenſis ſynodus.

Quòd autem in fine ſancti Godefredi Epiſcopi Ambianenſis idem auctor viſionem, de tranſitu Hugonis divinitùs oſtenſam cùm Romam pergeret, narrat: pariter ex iis inſinuat certum tempus ejuſdem E Godefredi adventus Romam ad Paſchalem Pontificem, nempè hoc ipſo anno, quo (ut ejus vitæ fideliſſimè ſcripta habent Acta) Rhemis Synodus celebrata eſt frequenti concurſu Epiſcoporum ac procerum. In qua inter alia actitatum reperitur, (d) quod idem Godefredus Epiſcopus Ambianenſis redarguit falſitatis diploma Apoſtolicum, quòd ad ſuam ipſorum exemptionem à ſubjectione Epiſcopi Ambianenſis ediderant pſeudomonachi, dum appellantes ad Sedem Apoſtolicam, illùc eumdem traxerunt ſanctum Epiſcopum. Præcurrentes enim monachi illi, cauſidi-

d Nicol. in vita Godefr. Epiſ. l. 2. c. 11. 12. 13 apud Sur. to. 6. die 8. Novemb.

A eos iniquos, paratos pro pecunia quamlibet cauſam ſive juſtam ſive injuſtam defendere, nacti, eorumque patrocinio apud Paſchalem Pontificem facti voti compotes, atque victores iniqui, ad propria redire in ſanctum virum probra jactantes. At quæ tunc Romæ Godefredus apud Paſchalem egerit, hìc ex ejuſdem temporis auctore ſunt recitanda, nempè Nicolao monacho Sveſſionenſi, qui ea quæ de Sancto viderat, vel certa fide audierat, ſe de eo ſcripſiſſe teſtatur: ait igitur:

VI. Quæ S. Godefredus Romæ cum Paſchale Pap.

At vir Dei Romam ingreſſus, Limina beatiſſimorum Apoſtolorum Petri & Pauli B religioſè inviſit, ac deindè ad Paſchalem Pontificem ſe confert. Mox advolant cauſidici, ſperant ab illo quoque ſe accepturos munera largiſſima. Sed Godefredus, qui non confidebat in homine, nec ponebat carnem brachium ſuum, ut à Domino recederet cor ejus: qua cauſa tàm difficile & longinquum ſuſcepiſſet iter, abſque ullis vel verborum fucis, vel munerum pollicitationibus ſimpliciter edidit. Sed contradicunt cauſidici; ajunt monachos ab eo injuſtè vexari. Dumque nulla ſperant ab eo munera, cauſam malam eum fovere affirmant. Videns ergò vir Dei ſe humano C patrocinio deſtitutum, calumniantium cuncta forti & excelſo animo contemnens, exclamat: O Paſtor orthodoxæ matris Eccleſiæ, ea cauſa Chriſtus te voluit ſuo loco illi præeſſe, ut lucem à tenebris, verum à falſo diſcerneres. Ut enim à capite membra reguntur, ut ad illius nutum membrorum vitia corrigantur: ſic etiam à te Chriſtianorum omnium non facta dumtaxàt, ſed etiam ac mal voluntates comprimendæ ſunt. Sed quià nunc cerno juſtum quandoque crimen iniquè occulto Chriſti judicio perpeti: malum privatus vivere, quàm admittere, ut Eccleſia Ambianenſis, me Præſule jus ammittat ſuum. His D dictis Pontifici valefecit, & in Barenſem urbem ob inviſendum beati Nicolai reliquias ardenti ſtudio proficiſcitur.

VII.

Poſtquàm abiit, Pontifex diligenter perquiſivit, quæ vitæ ejus ſanctitas, quæque illius auctoritas eſſet, qui tanta dicendi libertate uteretur. Ita qui anteà citra Alpes celebre ſanctitatis nomen ferè ubique obtinuerat, etiam Romanæ Urbi præclarè innotuit. Nam interroganti Pontifici indicatum eſt, quòd ab ipſis penè incunabulis Eccleſiaſticis diſciplinis imbutus ſit, & qui pro virtutum incremento ad altiora E provectus, primò Abbas, deindè Epiſcopus evaſiſſet, quòd ejus egregia ſit religio, jureque cunctis ſacerdotibus anteponendus videatur; quòd pauperum, & viduarum magnam curam gerat, quòd Galliæ proceribus notiſſimus & cunctis ferè chariſſimus ſit: denique quòd omnibus divinis chariſ- A matibus abundet. His auditis Pontifex ſe ipſum graviter reprehendit, quòd talem ac tantum virum vel ad momentum leviter exacerbaſſet, quòd non magno ſtudio & benevolentia eum excepiſſet, & ejus votis annuiſſet. Imperat itaque ſuis, ut ſiquando ad Urbem eum redire contingat, mox eum ad ſe perducant.] Poſt hæc auctor in his verſans quæ contigerunt in ejus peregrinatione; quæ admiranda de oleo ex corpore ſancti Nicolai accepto ab ejus loci Epiſcopo narrat, nos brevitatis cauſa omittimus; hæc tantùm de reditu Romam, & ad Paſchalem acceſſu ex ejuſdem verbis hìc reddi- B mus: Mox à Paſchalis Pontificis familia in ejus conſpectum perducitur. Pontifex ei reverenter aſſurgit, humaniſſimique eum oſculatur, & ſecum aſſidere compellit. Volens autem certiùs explorare, quæ de ejus prudentia jam antè ab aliis didicerat, multas tùm divinarum, tùm politicarum rerum ei quæſtiones proponit, atque ad difficiles ſolvendos nodos haud quaquam imparatum eum offendit. Cernens ergò Pontifex multa eum prudentia & pietate pollere, orat ne gravatè accipiat, quod anteà non ſic, ut fidelem diſpenſatorem par erat, ab ipſo acceptus, & exauditus fuerit: co- C gitet animum innumeris cauſis diſtractum haud quaquam ad ſingula poſſe ſufficere. Beatus vir facilè ignovit. Tùm Paſchalis litteras ei tradidit, quibus inter alia continebatur, Abbatem ſancti Udalrici cum monachis ſuis Ambianenſi Epiſcopo perinde ac patri & paſtori in omnibus parere debere. Ille igitur Apoſtolica auctoritate & benedictione munitus redit ad civitatem ſuam.] Hactenùs de his ille.

Paſchalis corrigit erratum.

VIII. Pontius ſucceſſor S. Hugonis.

Quod autem ad Cluniacenſes ſpectat, poſt S. Hugonem ſubſtitutum fuiſſe Pontium, idem qui ſuprà Sigebertus affirmat, longè imparem prædeceſſori; D immò è contra, ſicut ille egregia claruit ſanctitate, ita iſte incredibili nequitia prædirus, non Abbas, ſed prædo, non paſtor, ſed lupus, neque pater, ſed tyrannus jure dicendus: de quo inferiùs ſuis locis opportunior ſermo erit.

IX. Egino Abbas eligitur S. Udalrici.

Eodem anno Egino Confeſſor illuſtris, pro Catholica Eccleſia adversùs ſchiſmaticos inhærens Gebehardo miniſter indefeſſus, eligitur legitimè à Catholicis Abbas monaſterii ſancti Udalrici, ſpontè cedentibus tribus Abbatibus à ſchiſmaticis intruſis: idemque electus ad obitum uſque ab Hermanno Auguſtano Epiſcopo E ſchiſmatico perſecutionem paſſus eſt. Hæc omnia pluribus ſcripſit fideli ſtylo comes peregrinationis ejus Udalſcalcus, cujus commentarium jam cuſum habemus induſtria Henrici (a) Caniſii Noviomagi, ſcriptum ad Fratres ſancti Udalrici & S. Afræ.

a *Henr. Caniſ. tom. 2. antiq. lect. in Egin. c. 1. 2.*

JESU

I. ANnns agitur milleſimus centeſimus decimus, Indictione tertia, quo Henricus Germaniæ Rex in Italiam veniens, ſub pacis involucro bellnm acre, & ſub velamine religionis dnra vincula in Romanam Eccleſiam intulit: quæ omnia ſnbodoratus Paſchalis Pontifex, quo potuit, ſtudio cuncta, quæ expedirent ad imminentem cladem antevertendam, ſubſidia comparavit: de eo enim hæc Petrus diaconus habet: (a) Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo decimo, Indictione tertia, menſe Junio, ſexta ipſins menſis die cometes apparuit. Eo etiam tempore, jam dictus Paſchalis egreſſus Urbe, ad has partes advenit, & Ducem ac Principem, omneſque Apuliæ Comites evocans, cum eis paciſcitur; ut ſi opus eſſet, contra Imp. Henricum dimicent. His ita peractis, rediens Romam, omnes Romanorum proceres ſimili ſacramento conſtrinxit. Intereà Imperator immenſo coacto exercitu, intravit Italiam, prædeceſſorum ſuorum dignitates & jura ſimul, & Imperii coronam ab eodem Pontifice Romæ accipere cupiens; ſeque fidelem, filiumque profitebatur eſſe velle S. Petri.] Hinc Domnixo in Mathilde de legatione tunc miſſa ab eodem ad Paſchalem Pontificem:

a Petr. diacon. Chron. Caſſ. l. 4. c. 37.

Henricus Quintus Rex in Italiam venit.

B

Mille decem centum Chriſti dum tempora creſcunt:
Pontifices magnos, Comites direxit & altos
Magnificam Romam pro regni quippè corona,
Filius eſſe Petri ſi vult Rex atque fidelis.]

C

Et inferiùs, in eodem ſcilicet anno:

——cum multis galeatus in ortu
Autumni venit, Longobardoſque peremit,
Ardens, devaſtans illorum maxima caſtra,
Urbes munitas ejus perterruit ira.]

D

Subiicit de miſerabili excidio Novariæ, quæ ei reſiſtere cœpit; & de adventu ejus in Tuſciam.

Tranſivit certè tunc, incipiente Decembre,
Montem Bardonis, Tuſcanæ fluxit in oras.
Cum Florentinis celebravit denique Chriſti
Natalem.]

Agit & de excidio Aretii, igne ferroque conſumpti. Inter hæc legationes ultrò citroq; currunt, quibus agebatnr de pactis firmandis, antequàm ſe Imperator in Urbem infunderet. Quæ autem inter abſentes tranſacta fuerint, Petrus diaconus ita narrat: (b)

E

b Idem ibid.

II. Pacta conventa inter Henric. Regem & Paſchalem Papam.

Erat autem hiems, cùmque in Tuſciam deveniſſet, miſſis Romam Nuntiis, inter illos, & Petrum Leonis, & cæteros Pontificis Nuntios in porticu S. Petri convenit.

Ut Imperator die coronationis ſuæ malè uſurpatnm Eccleſiaſticum jns in manibus Pontificis, aſtante Clero & populo, per ſcriptum deponeret: cùm hoc ipſum Papa de negotiis regalibus fecerit, idque ſacramento firmaret.

Dimitteret Eccleſias liberas cum oblationibus & poſſeſſionibus ſuis, quas ad regni non pertinere jus, conſtare poteſt.

Abſolveret à juramentis populos, quæ contra Epiſcopos facere compulſi ſunt.

B

Patrimonia, poſſeſſioneſque beati Petri reſtitueret, ſicuti à Carolo, Ludovico, Henrico, aliiſque Imperatoribus conceſſa ſunt libera, ſervaretque ea beato Petro pro Viribus.

Nihil aut faceret, aut diceret, ut Papa Pontificatum amittat, nihilque ipſe patiatur in vita, vel in membris, vel capiatur mala captione, aut per ſe, aut per ſuſpectam perſonam, nec ipſe, nec fideles ejus, qui pro ipſo fidem ei dederint, ideſt Petrus Leonis cum filiis ſuis, quorum bona nullum patiantur detrimentum, & ſi quis eis malum fecerit, Rex fideliter ipſos adjuvaret.

C

III. Pro hujuſmodi obſervandis, Pontifici præses dabit Fridericum ſororis ſuæ filium, Engilbertum, & Theobaldum Marchiones, Hermannum & Godefredum Comites, Fridericum Palatinum Comitem Saxonum, Berengarium de Bajoaria, Fridericum Saxonem, Albertum Cancellarium, Canonem Berengarii fratrem, Sicebotb Bajoarium, Henricum Carinthiæ Ducem, Bertulfum Bertulfi Ducis filium, qui jurabunt Papæ ſecuritatem de vita, de membris, de Papatu, de captione. Qui, niſi Imperator iſta ſervaret, apud Romanam ſe Eccleſiam cum ſuis honoribus * .... tenerentur.

* obnoxii

D

Obſides pro ſecuritate Pontificis Rex dare pollicitus eſt proxima quinta feria; eoſque ſecurè ad inſulam *Tiberinam* mittere in poteſtatem Papæ, Fridericum Ducem nepotem ſuum, Brunonem Epiſcopum Spirenſem, Conradum nepotem Comitis Herimanni, & filium ejus, & Henricum Friderici Comitis fratrem. Obſides ſi recepiſſet, redderet in die coronationis ſuæ ponte tranſmiſſo. Et ſi fortè coronatus non fuiſſet, aut non tranſiſſet, ſimiliter redderet apud Caſtellum ſancti Angeli.

Pacta conventa inter Reg. & Pap.

Legatos, quos ad eum Papa dirigeret, dum irent, & redirent, ſecuros à ſe, ſuiſque reddere. Et ſi eis ſcienter aliquid injuriæ illatum eſſet, emendaturum fideliter.

E

IV. Quæ omnia poſtquàm impleverit Rex, Papa juberet Epiſcopis aſtantibus in die coronationis ejus, ut Regalia Imperatori dimitterent, quæ à temporibus Caroli, Ludovici, Henrici, aliorumque prædeceſſorum ad regnum pertinebant.

Scripto firmaret ſub anathematis pœna auctoritate ſua, ne quis eorum, vel præſentium, vel abſentium, vel ſucceſſores eorum regni ſe intromitterent juribus, neque invaderent civitates, Ducatus, Comitatus, monetas, vectigalia, mercata, advocationes

Impe-

A Imperii, Centurionum jura, Curteſque eſſent Imperii cum pertinentiis ſuis, militia Imperii caſtra.

Nec ipſe *Papa* Imperatorem, nec Romanum Imperium ſuper his ulteriùs inquietaret: & privilegio ſub anathemate iſta confirmaret, ne poſteri ſui ulteriùs inquietare præſumerent.

Imperatorem benignè & cum honore ſuſciperet, & more prædeceſſorum ipſius Catholicorum Imperatorum ſelenter & non * ſubtracto coronaret, & ad tenendum Imperium officii ſui juvaret auxilio.

* ſub tecto

B Hoc ſi Papa non impleret, Petrus Leonis cum ſuis omnibus ſe ad Imperatorem teneret.

Obſides, niſi effugerent, altero poſt coronationem die reſtitueret. Si ex ipſius Papæ parte remanſerit, ut non coronaretur, ſimiliter redderet.

V. Hæc ita conſtituta jurejurando firmavit Imperator, Albertus Cancellarius, Hermannus, Fridericus, & Godefredus Comites, Fridericus Saxo, Cono Berengarii frater, Sieeboth de Bavaria, Henricus Carinthiæ Dux, Bertulfus Bertulfi Ducis filius. Hi omnes poſt Imperatorem eo ordine jurarunt, ut ſi Imperator hæc implere nollet: ipſi cum omnibus ſuis cum Romana Eccle- C ſia tenerent.] Hactenùs pacta conventa inter Henricum Regem, atque Paſchalem Pontificem, à Petro diacono ex ſcripto recitata quæ extant. Idemque ſtatim pergit: (a)

a *Pet. Diacon. lib. 4. c.* 38.

VI. Paſch. Pap. quæ ſcripſerit ad Henricum.

His ita formatis, idem Apoſtolicus ad eum litteras dirigit, mandans illi, ut Illuminatori omnium gratias referat, qui cordia ejus oculos aperire dignatus eſt, ut patris ejus nequitiam toto jam orbe vulgata & interim agnoſceret; & graviùs aberraret: Apoſtolica namque Sedes eum ad æterni Patris viſcera confugientem, paterna benignitate ſuſciperet, & inter matris Eccle- D ſiæ filios familiariùs confoveret. Si enim, ſicuti ſuarum litterarum ſerie pollicebatur, plena mentis devotione ſibi, ſuiſque legitimis ſucceſſoribus obedientiam exhibere curaſſet, quam Reges, Imperatoreſque Catholicis ſuis prædeceſſoribus exhibuerunt; ipſe profectò eum ut Catholicum Imperatorem eſſet habiturus, honoremque ejus per Dei gratiam ſervandum, augendumque curaturus. Nam ſi in cœpta obedientiæ probitate perſiſteret; magnam Romano Imperio ſalutem obventuram. Quam ob cauſam non ſolùm in partes illas venire; verùm extremis quoque perſonam ſuam exponere pa- E ratus eſſet. Cæterùm quoniam in præſentiarum ſe ad eum neque Urbis qualitas, neque conditio temporum ire pateretur: invicem ſibi per internuntios voluntates ſuas aperirent.] Hactenùs argumentum litterarum, quas ad Henricum Regem Paſchalis Papa tunc ſcripſit. Subjicit verò iſta de alia ejus Principis petitione:

VII. De ſepultura Henrici Tertii quid à Papa reſcriptum.

Poſtulat deindè Imperator, ut patris ſui corpus in Eccleſia ſepeliri permitteret. Ad hoc ille reſpondit: Sanctarum ſcripturarum his obſiſtit auctoritas, divinorumque miraculorum reverentia prohibet. Ipſos enim Dei Martyres jam in cœleſtibus poſitos id B terribiliter juſſiſſe, ſcilicèt ut ſceleratorum cadavera de ſuis baſilicis eiicerentur. Neque quibus viventibus non communicavimus, mortuis jam communicare poſſumus.] Iſta Paſchalis. Quæ autem poſt hæc ſecuta ſint, ſuo loco anno ſequenti dicturi ſumus.

VIII. Ubi antem locorum facta iſta fuerit acceptio Legatorum Apoſtolicæ Sedis, & decreta à Rege legatio ad Pontificem, & conventiones iſtæ tractatæ, ita Urſpergenſis, qui iiſdem poterat intereſſe, narrat: Ex Aretio ad Aquam pendentem progreſſus, Legatos ſuos dudùm ab Aretio miſſos ab Apoſtolico C boni nuntii bajulos reperit. Remiſſiſque aliis Nuntiis cum Romanorum Legatis ſcilicèt, qui ſupplices illic ſibi occurrerant, paulatim Sutrium proceſſit. Ibi Legati Apoſtolici cum Miſſis regiis advenientes, promptum eſſe Papam ad conſecrationem, & omnem Regis honorem & voluntatem, ſi tamen ipſe ſibimet annueret libertatem Eccleſiarum, laicam ab illis prohibens inveſtituram: recipiendo nihilominùs ab Eccleſiis Ducatus, Marchias, Comitatus, advocatias, monetas, telonia, cæterorumque regalium quæ poſſident ſummam. Præbuit Rex aſſenſum, ſed eo pacto, quatenùs hæc transmuta- D tio firma & authentica ratione, conſilio quoque & concordia totius Eccleſiæ ac regni Principum aſſenſu ſtabiliretur.] Hæc, antequàm perveniret Henricus ad Urbem: reliqua autem anno ſequenti, quo & eadem pacta conventa ſunt repetita.

Betlehem erigitur in Epiſcopatum.

Quod ad res pertinet Orientales, hoc eodem anno, auctoritate Paſchalis Papæ id agentis per Legatum ſuum, Betlehem erecta eſt in ſedem Epiſcopalem, & à Balduino Regem dotem accepit: de cujus dotis conventione extat ejuſdem Balduini diploma, recitatum in hiſtoria de bello ſacro à E Vvillelmo Tyrio. (b)

b *Vvillel. Tyr. lib.* 11, *c.* 12.

JESU CHRISTI ANNVS 1111. PASCHALIS PAP. II. ANNVS 12. VACAT. IMP. OCCID. 6. ALEXII COMNENI IMP. 31.

I. ANno ſequenti, eodemque milleſimo centeſimo undecimo, Indictione quarta Henricus Rex Germaniæ Romam ingreſſus eſt, pactis conventis accipere coronam Imperii. Quo tempore, quove ordine facta ſint iſta, ex ejuſdem temporis Scriptoribus, qui ea vidiſſe perfacilè potuerunt, hic ſunt per ſingula deſcribenda. Petrus diaconus hæc de his in primis habet: (c) Menſe autem Februario Cæſar caſtra concitè movens, ad Urbem tendebat. Pontifex autem hortatorias litteras illicò diſſeminans, Northmannos ac Longobardos monebat in Romanæ Eccleſiæ fide ac devotione per-

c *Petr. Diacon. Chron. Caſſ. lib.* 4. *c.* 38. 39.

Digitized by Google

perſiſtere: fruſtrà id quidem. Poſt hæc Imperator pervenit ad Urbem tertio Idus Februarii, ſabbatho ante Quinquageſimam. Romanis autem inſiſtentibus, ut honorem ac libertatem Urbis ſacramento firmaret: callidè illos Cæſar fallere cupiens, Teutonica lingua quod volebat, ipſe juravit. Hoc pleriqne ex Romanis agnito, fraudem in negotio eſſe proclamantes, ſeſe in Urbem receperunt. Ut igitur Pontifex Imperatorem adveniſſe cognovit, miſſis Nuntiis ſecuritatem ab eo, obſideſque expetebat. Cæſar obſidibus datis, viciſſimque receptis, jurejurando firmavit de Apoſtolici ipſius vita, de honore, de membris, de mala captione, de regalibus & patrimoniis beati Petri, & nominatim de Apulia, Calabria, & Sicilia, Capuanoque Principatu, tactis ſacramentis, quòd omne jus Eccleſiarum, omneſque illarum res quietas omninò dimitteret.] Hæc facta ſunt pridiè ejus diei quàm ingrederetur in Urbem. Sed hic, antequàm ulteriùs progrediamur, repetenda ſunt Acta Sutrina, prout ſcriptis mandata reperiuntur in ſcripto codice Vaticano ab auctore, qui aderat, eademque ſcriptis mandata ſervavit. Poſt illa autem quæ ſunt recitata anno ſuperiori ex Petro diacono, iſta ibi leguntur:

Acta Sutrina ſub Henrico Rege.

II.

Forma juramenti Baronum Henrici Imp. facti domino Paſchali Papæ.

Ego Albertus Cancellarius.
Ego Comes Hermannus.
Ego Comes Fridericus.
Ego Comes Godefredus.

Ego Tolmarus juro vobis, quia Dominus Rex proxima quinta feria jurabit, & Principes jurare faciet, & obſides dabit, ſicut in conventionis charta ſcriptum eſt; & ſic obſervabit domino Papæ ſine fraude, & malo ingenio, ſi dominus Papa proxima die Dominica ſic adimpleverit Regi, ſicut in alia conventionis chartula ſcriptum eſt.

Quæ Paſc. Pap. ſit Regi pollicitus.

Conventio ex parte Paſchalis Papæ.

Si rex adimpleverit Papę, ſicut in alia conventionis chartula ſcriptum eſt: Dominus Papa præcepit Epiſcopis præſidentibus in die coronationis ſuæ, ut dimittant Regi, & regno, quæ ad regnum pertinebant tempore Ludovici, Henrici, & aliorum prædeceſſorum ejus, & ſcripto ſub anathemate confirmabit auctoritate ſua, vel juſtitia, ne quis eorum, vel præſentium, vel abſentium, vel ſucceſſores intromittant ſe, vel invadãt eadem regalia, ideſt civitates, Ducatus, Marchias, Comitatus, monetas, mercatum, advocatias, & curtes, quæ manifeſtè regni erant cum pertinentiis ſuis, militiam, & caſtra regni; nec ipſum Regem & regnum ſuper his ulteriùs inquietabit, & privilegio ſub anathemate confirmabit, nec poſteri ſui inquietare præſument. Regem benignè ac honorificè ſuſcipiet, & more prædeceſſorum ipſius Catholicorum ſcienter, & non ſub tecto coronabit, & ad tenendũ regnum officii ſui auxilio adjuvabit. Si dominus Papa hoc Regi non adimpleverit: ego Petrus Leonis cum tota præſentia & potentia mea tenebo me ad Regem, obſides autem niſi ef-fugient, reddemus die altero poſt coronationem Regis. Si per Papam remanſerit, ut non coronetur, ſimiliter reddemus die Dominico, cùm dominus Rex ad proceſſionem receptus fuerit. Obſides dabo aut per me, aut per Nuntios meos, Gratianum filium meum, & filium Hugonis filii mei, vel filium ſororis meæ, ſi eum habere potuero (niſi per Regem remanſerit) pro ſecuritate Regis, ut ſecurè tranſeat Caſtellum, & pontem.

III.

Juramentum Petri Leonis factum Imperatori Henrico ex parte domini Paſchalis Papæ Secundi.

Petri Leonis juramentum.

Ego Petrus Leonis juro vobis, quòd dominus Papa proximo die Dominico adimplebit Regi (niſi à Rege remanſerit) quod in conventionis chartula ſcriptum eſt, ſi Rex obſervabit domino Papæ, ſicut in alia conventionis chartula ſcriptum eſt. Datum Nonis Februarii in atrio B. Petri, in Eccleſia S. Mariæ, quæ dicitur in Turri.] •

Petrus autem iſte Leonis, à patris nomine ſic appellatus eſt, undè & origo familiæ Petri Leonis dicta. Porrò ipſe Leo magnoperè laudatur in epitaphio, quod ejus ſepulturæ ſcripſit Alphanus Archiepiſcopus Salernitanus, cujus eſt inſcriptio in ſcripto codice verſuum ejus, qui aſſervatur in Caſſinenſi bibliotheca: Leonis Romanorum nobiliſſimi epitaphium ſcriptum ab Alphano Archiepiſcopo Salernitano:

Hoc jacet in tumulo Leo vir per cuncta fidelis
Sedis Apoſtolicæ tempore quo viguit.
Romæ natus, opum dives, probus, & ſatis alto
Sanguine materno nobilitatus erat.
Prudens & ſapiens, & cœlo penè ſub omni
Agnitus & celebris ſemper in Urbe manens.
Virgo ter ſenis fuerat cum ſole diebus
Quando ſuum vitæ finierat ſpacium.]

Pergunt verò Acta.

IV. Juramentũ Henrici Regis.

Poſt hæc miſit Papa Nuntios Sutrium, coram quibus Rex juravit in hæc verba:

Juramentum Henrici Regis factum domino Paſchali Papæ Secundo.

Ego Henricus Rex ab hac hora in anteà non ero in facto aut conſilio, ut dominus Paſchalis Papa Secundus perdat Papatum, vel vitam, vel membra, aut capiatur mala captione, vel per me, vel per ſubmiſſam perſonam, nec ipſi, nec fidelibus ſuis, qui pro ipſo mihi ſecuritatem fecerunt, vel fecerint, id eſt Petro Leonis cum filiis ſuis, & Godefredo, quorum bonis ſtudioſè non potiemur, vel aliis quos dominus Papa mihi ſignificaverit. Et ſi quid dominus Papa fecerit eis, ego eos fideliter adjuvabo. Sic obſervabo domino Papæ ſine fraude, & malo ingenio, ſi dominus Papa proxima die Dominica ſic adimpleverit mihi, ſicut in conventionis chartula ſcriptum eſt.

Aliud juramentum, quod fecerunt Principes Henrici Regis domino Paſchali Papæ Secundo. Poſt hæc ſic etiam Principes & ipſi juravérunt:

Ego Fridericus Dux.

Principum German. juramentum.

Ego Guibertus Marchio.
Ego Hermannus Comes de Saxonia.
Ego Berengarius Comes de Bavaria.
Ego Godericus Comes.
Ego Fridericus Saxo.
Ego Cono frater Berengarii.
Ego *Sigilborus de Bavaria.
Ego Henricus de *Neninecia.
Ego *Bertoldus filius Ducis Bertoldi.

* f. Siceboth ut ſupra.
* f. Carinthia.
* al. Bertulfus filius Ducis Bertulfi.

Ego Albertus Cancellarius. Non ero in facto, aut in conſilio, ut dominus Paſchalis Papa Secundus perdat Papatum Romanum, vel vitam, vel membra, vel capiatur mala captione. Et ſi Rex juramentum hoc, & ea quæ in charta conventionis ſcripta ſunt, non obſervaverit: ego cum honore meo ad dominum Papam, & ad Romanam Eccleſiam me tenebo: ſic obſervabo domino Papæ ſine fraude & malo ingenio, ſi dominus Papa ſic adimpleverit domino noſtro Regi proximo die Dominico, ſicut in conventionis chartula ſcriptum eſt. Actum Sutrii in burgo, quinto Idus Februarii.

V. Henrici ingreſſus in urbem.

Poſt hæc idem Rex Romam acceſſit tertio Idus Februarii, in ſabbatho videlicet ante Quinquageſimam.

Poſtera die, ideſt pridie Idus Februarii Pontifex miſit in occurſum ejus in montem Gaudii, qui & Marii dicitur, bajulos cereoſtatarios, candidatos, defenſores, ſtratores, populique infinitam multitudinem cum floribus, atque arborum ramis, & palmis.] Addit ad pompam Domnizo:

———Monachæ quoque centum,
Lampadibus multis cum claro lumine ſumptis.
Antiquo more proceſſio Regis honore
Facta ſit, & certa nummis via cooperta, &c.]

Rurſum Acta: Duo juramenta ex more fecit, unum juxta ponticulum, alterum ante porticus portam populo fecit. Ante portam à Judæis, in porta à Græcis canentibus exceptus eſt. Illùc omnis Romanæ Urbis Clerus ex Pontificis præcepto convenerat, qui eum equo deſcenſum ad ſancti Petri gradus cum laudibus deduxerunt.

VI. Introductio Regis in Baſilicā S. Petri.

Cùm autem ad ſuperiora graduum aſcendiſſet: illic dominus Papa cum Epiſcopis pluribus, cum Cardinalibus presbyteris, & diaconibus, cum ſubdiaconibus, & cæteris ſcholæ cantorum miniſtris affuit. Ad cujus veſtigia cùm Rex corruiſſet, poſt pedum oſcula elevatus eſt. Ter ſe invicem complexi, ter ſe invicem oſculati ſunt, & ſicut mos, dexteram Pontificis tenens, cum magno populi gaudio & clamore ad portam venit Argenteam. Ibi ex libro Profeſſionem Imperatoriam faciens, à Pontifice deſignatus eſt Imperator: & iterùm à Pontifice oſculatus, mox ſuper eum orationem primam (ſicut in ordine continetur) Lavicanus Epiſcopus dixit.

VII. Poſt ingreſſum baſilicæ, cùm in rotam porphyreticam perveniſſet, poſitis utrimque ſedibus, conſederunt. Pontifex inſtaurari Eccleſiaſticum jus, refutationem inveſtituræ, & cætera, quæ in conventio-
A nis charta ſcripta fuerant, petiit. Ille cum Epiſcopis ſuis atque Principibus ſeceſſit in partem juxta Secretarium: ibi diutiùs quod eis placuit tractaverunt. In quo tractatu interfuerunt Epiſcopi Longobardi tres, Bernardus Parmenſis, Bonus ſenior Regimus, & Aldo Placentinus. Cùm autem longior ſe hora protraheret, miſſis Nuntiis Pontifex, conventionem ſupradicti tenoris repetiit adimpleri. Tunc Epiſcopi Tranſalpini ad Papæ veſtigia corruerunt, & ad oſcula ſurrexerunt. Sed poſt paululum familiares Regis dolos ſuos paulatim aperire cœperunt, dicentes:
B ſcriptum illud, quod conditum fuerat, non poſſe firmari auctoritate & juſtitia; quibus Evangelica & Apoſtolica auctoritas obiiceretur, ſcilicet quia reddenda ſunt Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, &: Nemo militans Deo, implicet ſe negotiis ſæcularibus, cùm armorum uſus (ſecundùm Ambroſium) ab Epiſcopali officio alienus ſit. Cùm ad hæc & alia illis Apoſtolica & canonica capitula obiicerentur: illi tamen in doloſitate ſua & pertinacia permanebant.] Quæ ſequuntur non ſunt in Actis, ſed Petrus diaconus habet: (a)

Exordium diſſidii.

u Ex Petr. diac. Chron. Caſſ. lib. 4. c. 40.

VIII.

C Intereà Imperator cupiens Pontificem ſuis aſſertionibus fallere: Volo, inquit, ut diſcordia, quæ inter te & Stephanum cognomento Northmannum hactenùs fuit, jam finem accipiat (multa enim Imperatoris gratia pericula Stephanus ipſe ſubierat.) Ad hæc Pontifex: Dies, inquit, magna ex parte præteriit, officiumque prolixum erit hodiè, idcòque ſi placet, quod veſtrum eſt, priùs impleatur. Unus autem ex bis, qui cum Imperatore venerant, continuò in medium ſurgens: Quid, inquit, tàm multis agimus verbis? ſcias, dominum noſtrum Imperatorem Imperii coronam ita velle ſuſcipere, ſicut illam Carolus, Ludovicus,
D Pipinuſque ſumpſere. Quod cùm Papa minimè implere poſſe dixiſſet; Cæſar iratus Maguntini Archiepiſcopi, Saxoniſque Epiſcopi conſilio ſeductis, non veritus eſt Pontificem armatis circumſtare turmis.] Hucuſque ex Petro. Pergunt Acta:

IX. Paſch. Papa captivus detinetur.

Sed cùm dies jam declinaret ad veſperam, conſultum eſt à fratribus, ut Imperator eodem die coronaretur, reliquorum tractatus in diem ſequentem differretur. Illi id quoque averſati ſunt. Inter hæc tàm Pontifex, quàm omnes qui cum eo erant, à militibus armatis cuſtodiebantur. Vix tandem ad altare beati Petri pro audiendis
E Miſſæ officiis conſcenderunt: vix ad ſacramenta divina conficienda vinum, & aquam invenire potuerunt. Poſt Miſſam, ex cathedra deſcendere compulſus Pontifex, deorſum ante Confeſſionem beati Petri cum fratribus ſedit, ibique uſque ad noctis tenebras ſub armatis militibus eſt cuſtoditus. Inde ad hoſpitium extra Eccleſiæ atrium deductus eſt cum fratribus, capta eſt cum eo clericorum, & laicorum copioſa multitudo. Pueros item, ac diverſæ ætatis homines, qui obviam ei cum floribus, & palmis exierant, alios obtrūcari,

alios

Digitized by Google

alios expoliari, partim cædi, partim vinciri juſſit. Joannes intereà Tuſculanus, & Leo Oſtienſis Epiſcopi, ubì Papam captum perſenſerunt, ſub plebejo habitu ſeſe in Urbem receperunt.] In alio ſcripto Vaticano codice, qui item aſſeritur Bibliothecarii, iſta leguntur: Hæc verò acta ſunt menſe Februario, pridie Idus, anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo undecimo, Indictione quarta, eodem die Dominico, quo legebatur Evangelium: Aſſumpſit JESUS duodecim Diſcipulos ſuos ſecretò, & ait illis: Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & conſummabuntur quæ ſcripta ſunt de filio hominis. Tradetur enim Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur. Hæc ſicut in Criſto, ita in ejus Vicario ſunt impleta uſque adhùc: à prædicto namque die pridie Idus Februarii uſque ad quintum Kalendas Maii devotus Dei Pontifex multis affectus eſt cruciatibus.] Hæc ipſe qui aderat: Pergunt verò Acta, ex quibus & excripſit iſta Petrus diaconus. (a)

a *Petr. diacon l. 4 c. 41*

X.
Bellum inter Romanos & Germanos.

Romani igitur cùm audiſſent Papam eſſe captivuum: tantus eorum animos tumultus, & dolor, indignatioque pervaſit, ut protinùs Alemannos omnes, qui vel orationis cauſa, vel alterius cujuſcumque negotii Urbem ingreſſi fuerant, necarent. Poſtera die egreſſi Urbem, conſerta pugna plurimos de Imperatoris exercitu obtruncant, & eorum captis ſpoliis, adversùs Teutones acriorem ineunt pugnam; adeò ut eos porticum penè propellerent, ipſumque Imperatorem equo deiicerent, atque in faciem vulnerarent. Hoc ubì Otto Mediolanenſis Comes aſpexit, pro Imperatore ſe obiiciens morti, equum illi ſuum, ut evaderet, tradidit: qui nec mora à Romanis capitur, atque in Urbem inductus, minutatim conciſus eſt, & carnes ejus in platea canibus devorandæ relictæ ſunt Imperator ubì Romanos ſuperiores evadere, ſuoſque concidi animadvertit: clamavit, & dixit. Videtis me milites mei à Romanis circumfundi, nec me defenditis? Ad hanc vocem cerneres Alemannorum, Romanorumque micare gladios, ac nimio ardere fervore pugnam, nullamq; eſſe occumbentium requiem. Pernicioſiſſima profectò, & atra Romanis & hoſtibus fuit ea dies: cùm hinc & inde tot hominum millia ruerent, ipſeque Tiberis cæſorum cruore tingeretur. Jam dies declinabat in veſperam, cùm Teutones reſoluti bello, à pugna ſe ſubducere cœperant. Virtus enim eorum (ut ait Eutropius) ſicuti primo impetu major quàm aliorum eſt; ita ſenſim langueſcens fit imbecillior quàm fœminarum: habent namque aliquid ſimile cum nivibus ſuis: mox enim cùm calore tentari cœperint, in ſudorem converſi deficiunt, & quaſi à ſole ſolvuntur. Romani verò, ut Teutones bello ceſſiſſe viderunt; ad ſpolia, prædaſque converſi, onuſti in urbem remeare cœperunt. Hoc ubì Cæſar advertit, imperat ſuis, ut Romanos onuſtos ſpoliis, jamque Urbem ſubeuntes, uno impetu adorirentur. Quod cùm factum eſſet, plures ad invicem quàm ab hoſtibus perempti ſunt. In tanta igitur perturbatione rerum varia fortuna utrimque fuit. Teutonici cùm ad Creſcentianum caſtrum perveniſſent: Romani noviter emiſſi, atque integri feſſos adorti, in fugam convertunt. Alemanni rebus certis admoniti, cùm ſe premi à Romanis cernerent, ſeſe in caſtra receperunt; tantuſque illos invaſit terror, ut biduum integrum in armis eſſent.

XI.
Oratio Joannis Cardin. Epiſc. Tuſculani.

Adveniente nocte, *Joannes* Tuſculanus Epiſcopus omnem Romanum populum advocans, ita alloqui cœpit: Licèt chariſſimi filii, alacritati, virtutique veſtræ ſtimuli adhortationum admovendi non ſint, cùm verbis neque ex imbecillo ſtrenuus, neque robuſtus quiſpiam reddatur ex timido: omnia enim vobis eſt pro vita & pro libertate, pro gloria, pro defenſione Apoſtolicæ Sedis pugna, omneque certamen eſt, hæc omnia in manibus veſtris ſunt conſtituta. Nam qui pacem deſiderat, præparet bellum. Filii veſtri contra jus omne, contra fas tenentur in vinculis: Petri Apoſtoli baſilica toto orbe terrarum venerabilis, armis, cadaveribus, ſanie & cruore plena eſt. Quid autem ex hoc ſummam omnium malorum coniicere poſſumus? Quæ umquam audita eſt immanior peſtis? Pontifex Apoſtolicæ Sedis à barbaris hominibus tenetur in vinculis, omnis ſacerdotalis ordo, tota Eccleſiaſtica dignitas carceri ac tenebris addicta eſt: lugent miniſtri Domini, altaria ſancta lacrymis madent: ipſa prorsùs mater Eccleſia attrita gemit, imploratque opem veſtram: filios, ut ſe tantis cladibus eruant, mœrans orat & obſecrat. Quocircà rogamus affectu quo poſſumus, periclitanti ſuccurratis, & ad ulciſcendam matris injuriam toto animo, totis viribus incumbatis. Nam ſi adſint qui obſiſtant: fugere hoſtes, quàm conſiſtere, paratiores erunt. Itaq; ut alacriores inſurgatis ad tantū ulciſcendum ſcelus, de Domini noſtri, & beatorū Apoſtolorum Petri, & Pauli miſericordia confidentes, ab omnibus vos peccatis obſolvimus.

XII.

Hac oratione Romani vehementer animati, omnes adversùs Imperatorem ſe ſacramento conſtringunt, & qui ſe adjuvarent, pro fratribus habendos decernunt.] Hæc Petrus diaconus. Sed antequàm ulteriùs progrediamur, recitanda hìc eſt brevis epiſtola ab eodem Joanne Epiſcopo Tuſculano tunc data ad Richardum Cardinalem Epiſcopum Albanenſem, de quo ſæpè ſuperius, tunc abſentem, quæ ſic ſe habet: (b)

b *Papyr. Maſſ. in Not. ad Ivon.*

XIII.
Epiſtola Joan. Cardin. Epiſc. Tuſculani de rebus geſtis.

Joannes Dei gratia Tuſculanus Epiſcopus agens vices domni Paſchalis Papæ vincti Ieſu Chriſti, venerabili fratri Richardo Albano Epiſcopo in Domino ſalutem.

Quoniam (ſicut ait Apoſtolus: (c) unum corpus ſumus in Chriſto, & ſi patitur unum membrum, cætera membra compatiuntur: quæ de capite noſtro, & de tota ferè Eccleſia geſta ſunt, fraternitati tuæ ſignificamus. Cùm igitur Henricus Teuto-

c *Rom. 12.*

nicorum Rex Sutrium perveniſſet, Legatos quoſdam Romam direxit, qni jurejuraodo firmaverunt, domni Papæ Paſchalis Legatos ſecurè ducere, ac reducere, & Regem ipſum ſacramento firmare, omnem Eccleſiarum inveſtituram penitùs abdicare, obſides etiam dare, ne ad hoc flagitium iterùm rediret, & res Eccleſiaſticas, & regalia, ac beati Petri patrimonia libera, & quieta omninò dimittere, obſides etiam dare pro ſecuritate, cùm ad coronandum eum ad beati Petri baſilicam exiret. Poſteà ex parte Eccleſiæ à laicis viris firmatum eſt, ſi iſta quæ promiſſa ſunt, jam dictus Rex obſervaret, quòd domnus noſter eum benignè ſuſciperet, & ei diadema regni imponeret, & coronatus, ſi vellet, Urbem intraret. Pro tranſitu etiam pontis obſides accepit, pro quibns ſacramentum exhibuit, quòd in ipſo die Dominico ſi pontem tranſiret, eos in liberam noſtrorum reſtitueret poteſtatem. His igitur omnibus ſacramentis ex utraque parte peractis, & obſidibus datis, cùm ad coronandum eum ad Eccleſiam beati Petri Papa exiret; poſtpoſitis ſacramentis & dimiſſis obſidibus, eum in ipſa Eccleſia cum Epiſcopis, & Cardinalibus, & multis Romanis violenter cepit, & in captione arctiſſims detinet. Romani verò poſt alterum diem collecti, in hoſtes Eccleſiæ impetum facientes, de porticu fugere compulerunt, interfectis multis de ſuis, & perditis equis, tentoriis, pecuniis, & infinita ſupellectili. Poſt hæc omnes unanimes contra eum juraverunt, uno animo, una voluntate pugnare. Tu igitur prudenter vigila, & quantò ampliùs neceſſarium conſpicis, tantò magis elabora, & matrem Eccleſiarum omnium adjuvare ne deſinas. Orationes pro liberatione domini noſtri, immò pro ipſa Eccleſia, ubicumque potueris, fieri facias. Vale. Hoc autem factum eſt anno Domini milleſimo centeſimo undecimo, Indictione quarta, pridie Idus Februarii, in baſilica S. Petri Apoſtolorum principis, die Dominica ante caput jejunii.] Hactenùs Joannis Epiſcopi Tuſculani epiſtola, quam Papyrius Maſſonus edidit cum aliis ad hæc ſpectantibus antiquis monimentis in Notis editis ad Ivonis epiſtolas. Pergit autem Petrus diaconus: (a)

a *Petr. diacon. l.4. c. 41.42.*

XIV. Imperator ſecedit in Sabinos.

Hæc ubì Imperatori nuntiata ſunt, *de apparatu Romanorum ad bellum gerendam parata confœderatione*, eadem nocte, eumdem Apoſtolicum ſecum abducens, tanto metu cum omni exercitu profugit ex porticu, ut non modò ſarcinas, verùm & ſocios plurimos in hoſpitiis relinqueret. Poſt duos autem dies advocans milites, Pontificem ſacris veſtibus exui juſſit. Quod cùm factum eſſet, vinctum ſecum pertraxere. Dehinc Soractem uſque pergentes, juxta beati Andreæ monaſterium alveum amnis tranſierunt, & in Sabinos ad Lucanum pontem iter agentes, ulteriores Romanæ Urbis partes agreſſi ſunt. Trahebantur intereà clericorum, laicorumque plurimi vincti funibus. Pontifex autem cum duobus Epiſcopis Sabinenſe ac Portuenſe, & Cardinalibus quatuor apud caſtrum Terbienm, cæteri verò Cardinales apud *Corcodiſum in cuſtodia tenebantur. Latinorum nullus audebat cum eodem Pontifice colloqui, cuſtodiebatur autem à magnatibus Imperatoris, à quibus etiam illi miniſtrabatur. Poſtremò tàm ſuſpicionis, quàm & concordiæ gratia in caſtra reductus eſt. Fuit autem idem Apoſtolicus in eodem ergaſtulo ſexaginta & unum dies. Enimverò Joannes Tuſculanus Epiſcopus Fidelium animos ad opem Eccleſiæ ferendam numquam excitare litteris deſtitit.

*

XV.

Tunc Princeps, *Capuanus videlicèt*, * Patenariam cum ſuis profectus electos milites ferè trecentos Romanis auxilio miſit. Qui cùm Ferentinum veniſſent, & Ptolemæum, & omnes ferè illarum partium proceres favere Imperatori comperiſſent, Imperatoremque cum exercitu jam tranſiſſe Tiberim, neque jam Urbem ingredi poſſent, Capuam reverſi ſunt. Ea perturbatione durante, Rogerius Dux cum Boamundo fratre defungitur. Horum itaque mors ut Northmannis magnum incuſſit metum; ita Imperatori, ejusque exercitui, & Longobardis omnibus extulit animos. Verebantur enim illi, ne Imperatoris adventu ſedibus ſuis, & principatu pellerentur: quocircà Apuliæ, & Calabriæ munitiſſima quæque loca eligentes, ſeſe contra Imperatoris adventum præparabant. Princeps autem *Capuæ* ex conſilio ſuorum Legatos ad Imperatorem dirigens, pacem ab eo ſecuritatemque poſcebat. Itaque cùm & Romanorum agros Imperator popularetur indies, ipſorumque animos pecunia, doliſque tentaret: tantam Deus populo conſtantiam tribuit, ut nihil cum eis paciſci, ne Papæ quidem, Cardinaliumque promiſſa liberatione potuerit.

Obitus Rogerii & Boamundi Principũ.

XVI.

Variis mens ejus, *Henrici*, diſtracta conſiliis, nihil ubi requieſceret, invenire poterat. Nam perpetrati ſceleris conſcius, nihil ſibi jam tutum fore apud populum arbitrabatur. Cernens itaque ſibi ſecus quàm putabat, contigiſſe; cœpit jurejurando firmare, niſi Pontifex illi morem gereret, & ipſum, & omnes quos habebat in vinculis, partim occiſurum, partim amputatis membris quibuſque deliberaturum. Sed cùm ad id nequiret conſtantiam Pontificis flectere: in hoc tandem plena deliberatione convenit, ut omnes quos ceperat, liberos faceret, dum tamen ſibi in poſterum apud Pontificem proſpicere poſſet. Hoc per Principes ſuos, hoc per clericos; hoc per laicos, civeſque Romanos ſollicitè ſatagebat. Cæterùm (b) Pontifex vitam ponere, quàm jura Eccleſiæ violari malebat, quamvis ille non Eccleſiæ jura, non officia quælibet, ſed Regalia ſola ſe dare aſſereret. Proponebantur Pontifici captivorum calamitates, qui amiſſis liberis, uxoribus, domo, patria exules durioribus compedibus coercebantur

b *Poſt Acta Sutrina C. M.S & Petr. diacon, l.4. c. 40.*

tur

A tur: proponebatur Eccleſiæ Romanæ deſolatio, quæ penè omnes Cardinales amiſerat: proponebatur graviſſimum ſchiſmatis ſcandalum, quod penè omni Romanorum Eccleſiæ imminebat. Victus tamdem atque ſuſpiriis filiorum, totus in lacrymis ſolvitur: En cogor, inquit, pro Eccleſiæ pace & liberatione id perpeti, quod ne paterer, vitam quoque cum ſanguine profundere paratus eram.

Agitur de pace.

XVII. Huic confirmando negotio, Epiſcoporum Cardinaliumque conſenſus expetitur, neque aliter vel captivos relaxari, vel pacem rebus Eccleſiæ dari poſſe aſſeveratur. B Cùm igitur Albertus Comes, & cæteri Principes juramentis conditiones præſcribi non ſinerent; Pontifex, quandoquidem inquit, conditiones præſcribi non vultis, verbis apponam: *Juramenta hæc, ait, idcircò facimus tibi, ut vos illa quæ polliciti eſtis, obſervetis.* Quod Imperator cum ſuis omnibus lætiſſimè ac perlibenter annuit. Ea verbo igitur Papæ Paſchalis ſic à Cardinalibus juratum eſt in agro juxta pontem Mammeum, qui Romanos à Teutonicis dirimebat: Dominus Papa non inquietabit Regem præſentem Henricum, neque de inveſtitura Epiſcopatuũ ejus regni, C aut Abbatiarum, neque in his ſe intromittet, neque de injuria ſibi illata & ſuis in perſona & bonis, neque malum redditum reddet ei, neque alicui perſonæ pro hac re, & penitùs in perſonam Regis numquam anathema ponet, neque remanebit in domino Papa, quin coronet eum, ſicut in ordine continetur; & regnum, & Imperium officii ſui auxilio eum tenere bona fide adjuvabit; & omnia ſupplebit dominus Papa domino Regi præſenti Henrico ſine fraude, & malo ingenio: ſic me Chriſtus adjuvet &c.] Hæc Petrus. Sed præſtat iſta reddere ex ſcripto tunc juramento firmato, quod ſic ſe habet aliquantò locupletius D his verbis ex Paſchalis Papę vitę Actis:

Conditiones pacis infauſtæ.

Conceſſio Papæ de inveſtituris Epiſcopatuum.

XVIII. Dominus Papa Paſchalis concedit domno Imperatori Henrico & regno ejus, quod privilegio ſuo ſub anathemate & confirmabit, & corroborabit. Epiſcopo vel Abbate liberè electo ſine ſimonia aſſenſu Imperatoris, quòd dominus Imperator eos anulo & virga inveſtiat. Epiſcopus autem vel Abbas ab Imperatore inveſtitus liberè accipiat conſecrationem ab Epiſcopo ad quem pertinuerit: Si quis verò à Clero, & à populo eligatur, niſi ab Imperatore E inveſtiatur, & à nemine conſecretur, & Archiepiſcopi, & Epiſcopi libertatem habeant conſecrandi ab Imper. inveſtitos. Super his etiam dominus Papa Paſchalis non inquietabit Regem Henricum, nec ejus regnum & Imperium.] His hęc ſubinferuntur.

Paſchalis Papa remittit inveſtituras Regi.

Sacramentum ea parte Papæ.

XIX. Domnus Papa Paſchalis non inquietabit domnum Imperatorem Henricum, nec ejus regnum de inveſtitura Epiſcopatuum & Abbatiarum, ut ſuperiùs: quibus inhærent ſubſcriptorum Cardinalium nomina A his verbis: Hæc ſunt nomina illorum Epiſcoporum & Cardinalium, qui præcepto domini Papæ Paſchalis pactum & amicitiam ſacramento confirmaverunt domno Imperatori Henrico:

Juramentum Paſch. Papæ & Cardinalium.

Petrus Portuenſis Epiſcopus.
Continus Sabinenſis Epiſcopus.
Robertus Cardinalis ſancti Euſebii.
Bonifacius Cardinalis ſancti Martini.
Aſcanius Cardinalis ſancti Clementis.
Gregorius Cardinalis ſanctorum Apoſtolorum.
Gregorius Cardinalis ſancti Chryſogoni.
B Joannes Cardinalis ſanctæ Potentianæ.
Richus Cardinalis S. Laurentii.
Romerus Cardinalis ſanctorum Petri & Marcellini.
Vitalis Cardinalis ſanctæ Sabinæ...
Domnizo Cardinalis ſancti Cyriaci.
Theobaldus Cardinalis ſanctorum Joannis & Pauli.
Joannes diaconus ſanctæ Mariæ in ſchola Græca.
Leo diaconus ſancti Viti martyris.
Abbo diaconus SS. Sergii & Bacchi.]

Quæ autem Henricus Rex ſervanda promiſerit Paſchali Papæ, ſic ſe habent: XX.

Quæ Henricus promiſerit.

C Ego Henricus liberos dimittam quarta vel quinta feria proxima domnum Papam Paſchalem, & Epiſcopos & Cardinales, & omnes captivos & obſides, qui pro eo & cum eo capti ſunt: & liberos perduci faciam intra portam Transtiberinæ civitatis, nec ulteriùs capiam, aut capi faciam eos, qui in fidelitate domni Papæ Paſchalis permanent, & populo Romano ac Transtiberinæ inſulæ civitatis pacem & ſecuritatem ſervabo tàm per me, quàm per meos, & in perſonis & in rebus eorum, qui pacem mihi ſervaverint. Patrimonia & poſſeſſiones ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, D quæ abſtuli, reſtituam, & cuncta quæ habere debet, more anteceſſorum meorum recuperare, & tenere adjuvabo bona fide, & domno Papæ Paſchali obediam, ſalvo tamen honore regni & Imperii, ſicut Catholici Imperatores Catholicis Pontificibus Romanis. Hæc omnia obſervabo bona fide ſine fraude & malo ingenio.

XXI. Iſti ſunt juratores ea parte Imperatoris Henrici. Fridericus Colonienſis Archiepiſcopus, Gebehardus Tridentinenſis Epiſcopus, Bruno Spirenſis Epiſcopus, Burchardus Monaſterienſis Epiſcopus, Albertus Cancellarius, Comes Herimannus, E Comes Berengarius, Fridericus Comes Palatinus: Item Fridericus Comes, Bonifacius Marchio, Albertus Comes de Blandriaco, Godefredus Comes, Vvarnerius Marchio. Poſita ſuper Evangelium hujus juramenti chartula, ſic ea præcepto Regis jurata, ſicut in hac clauſula ſcriptum eſt: Sic dominus Rex præſens obſervabit domino Papæ Paſchali præſenti ſine fraude & malo ingenio. Sic me Deus, & ſacroſancta Evangelia adjuvent. Actum tertio Idus Aprilis tertia feria poſt octavas Paſchæ Indictionis quartæ.] Pergunt Acta.

XXII. Extorquetur privilegium à Papa de inveſtituris.

A

Reſtabat illa exactionis & extorſionis portio, ut de iovestituræ permiſſione privilegium Imperatorl ſcriberetur, ipſo præſente. Nec ipſe igitur, neque ipſius Principes differri paſſi ſunt ipſam ſcripturam donec intra civitatem veniretur, ubi Pontificis ſigillum remanſerat. Die igitur altero, in eodem campo, qui Septem fratrum dicitur, dum caſtra moverent, dictari illud oportuit, & tranſmiſſo juxta pontem Salarium Tiberis fluvio, jam locatis caſtris, accitus ex Urbe Scriniarius ſcriptum illud inter tenebras nocturnas exaravit, cui invitus licèt Pontifex ſubſcripſit, quod ſic ſe habet:

B

XXIII. Privilegiũ extortum à Paſchale.

Privileginm Paſchalis Papæ, quod fecit Imperatori Henrico de inveſtituris Epiſcopatuum, & Abbatiarum.

Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei chariſſimo filio Henrico Teutonicorum Regi, & per Dei omnipotentis gratiam Romanorum Imperatori & Auguſto ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Regnum veſtrum ſanctæ Eccleſiæ ſingulariter adhærere, diſpoſitio divina conſtituit, & prædeceſſores veſtri probitatis & providentiæ amplioris gratia Romanæ Urbis coronam & Imperium conſecuti ſunt.

C

Ad cujus videlicet coronæ & Imperii dignitatem tuam quoque perſonam, fili chariſſime Henrice, per noſtri ſacerdotii miniſterium Majeſtas divina provexit. Illam igitur dignitatis prærogativam, quam prædeceſſores noſtri veſtris prædeceſſoribus Catholicis Imperatoribus conceſſerunt, nos quoque tuæ dilectioni concedimus, & præſentis privilegii pagina confirmamus: Ut regni tui Epiſcopis, & Abbatibus liberè præter violentiam, & ſimoniam electis inveſtituram virgæ & anuli conferas: poſt inſtitutionem verò canonicè factam conſecrationem accipiant ab Epiſcopo ad quem pertinuerit.

D

Si quis autem à Clero & à populo præter tuum aſſenſum electus fuerit, niſi à te inveſtiatur, à nemine conſecretur. Hanc Epiſcopi & Archiepiſcopi libertatem habeant à te inveſtitos Epiſcopos, & Abbates canonicè conſecrandi. Prædeceſſores enim veſtri Eccleſias regni ſui tantis regalium ſuorum beneficiis ampliaverunt, ut regnum ipſum, Epiſcoporum maximè & Abbatum præſidiis oporteat communiri, & populares diſſenſiones, quæ in electionibus contingunt, regali oporteat majeſtate compeſci. Quamobrem prudentiæ & poteſtati tuæ cura debet ſollicitiùs imminere, ut &

E

Romanæ Eccleſiæ magnitudo, & cæterarum ſalus, præſtante Domino, regiis beneficiis & ſervitiis conſervetur. Si qua verò Eccleſiaſtica vel ſæcularis potentia, aut perſona hanc noſtræ conceſſionis paginam contemnens, contra eam temerario auſu venire tentaverit, anathematis vinculo innodetur, honoriſque ac dignitatis ſuæ periculum patiatur. Obſervantes autem miſericordia divina cuſtodiat, & perſonam, ac majeſtatem tuam feliciter imperare concedat.] Hactenùs privilegium, jure dictum à pluribus pravilegium. Ad hæc Petrus:

XXIV. Coronatio Imperatoris Hẽrici Quarti.

a *Acta ipſa ex Petr. diac. l. 4. c. 42.*

A

Porrò (a) cùm ibidem chartam ipſam Imperator accepiſſet, poſtquàm enim in Eccleſia beati Petri coronatus fuerat, eam de manu Pontificis, contra jus, voluntatem, omnemque conſuetudinem ſuſcipere voluit. Coronatur autem idem Imperator, portis omnibus Romanæ Urbis, ne quis civium eò adveniret, obſeratis. Cùmque in Miſſa ad hoſtiæ confractionem veniſſet Papa, partem ipſe ſumens, reliquam Imperatori tradidit, dicens: Sicut pars iſta vivifici corporis diviſa eſt, ita diviſus ſit à regno Chriſti & Domini, qui pactum iſtud rumpere ac violare tentaverit.] In

B

Notis autem Maſſoni ad Ivonis epiſtolas hæc ita ſcripta ex antiquo codice leguntur: Hæc ſunt verba, quæ dixit domnus Apoſtolicus domno Imperatori Henrico in communione Corporis & Sanguinis Chriſti die coronationis ſuæ: Domne Imperator Henrice, Corpus Domini natum ex Maria Virgine, paſſum in cruce pro nobis, ſicut ſancta Catholica tenet Eccleſia, damus tibi in confirmatione veræ pacis & concordiæ inter me & te. Amen. Anno Verbi incarnati milleſimo centeſimo undecimo hoc confirmatum eſt in baſilica ſancti Petri decimoſexto Kalendas

C

* Martii, regnante in cœlis Domino noſtro JESU CHRISTO cum Patre æterno & Spiritu ſancto. Amen.] Hactenùs ibi. Adduntur illa ex Actis: Poſt conſecrationem & coronationem, finitis Miſſæ ſolemnitatibus, ipſe ſtatim Rex ad caſtra, ad campum egreditur. Pontifex tunc tandem cum Epiſcopis & Cardinalibus liber in Urbem regrediens, tanta frequentia populi occurrentis, & Deum laudantis excipitur, ut vix circa Veſperas ad hoſpitium potuerit pervenire. Actum Idibus Aprilis, quinta feria poſt octavas Paſchæ, Indictionis quartæ. Hæc ſicut paſſi ſumus, & oculis noſtris vidimus, mera veritate conſcripſimus.

* inferiùs diversè

D

] Hactenùs de his ibi.

XXV. Conradi Archiepiſcopi Cõſtantia.

Cæterùm redditis his ex ſinceriſſimis Actis ab aliquo eorum qui interfuerunt, conſcriptis: reliquum eſt, ut ad pleniorem tantæ rei cognitionem, quæ ab aliis ejuſdem temporibus ſcriptoribus reperiuntur aſſerta, his intexamus; velut illud memoria dignum, quod Otto Friſingenſis ſic ſcribit de conſtantia Conradi Archiepiſcopi, cùm deteſtaretur vehementer ejuſmodi Regis Henrici ſcelus (b) Videns hoc venerabilis Juvanienſis Eccleſiæ Archiepi-

b *Ott. l. 7. c. 14.*

E

ſcopus Conradus, qui cum Rege venerat, zelo æquitatis vicem Dei dolens, factum hoc improbavit. Cui dum quidam ex miniſtris Regis Henricus cognomento Caput, evaginato gladio mortem interminaretur: tamquàm pro juſtitia mori optans, jugulum præbuit, malens ſi minas ille ad effectum perducere voluiſſet, temporalem vitam finire, quàm tanti piaculi ſcelus diſſimulare.] Hæc Otto.

In Actis ſancti Gebehardi Juvavenſis, ſive Saltzburgenſis (idem eſt) Archiepiſcopi, antiquitùs ſcriptis ab Auctore ejus temporis

A poris hæc de S. Conrado ejuſdem Eccleſiæ Archiepiſcopo narrata leguntur, quæ ab hoc anno, & eadem ex cauſa eum ſecuta ſunt mala: Exindè odium Imperatoris, & ejus fautorum in tantum incurrit, ut in ejus perſecutione, ſicut de beato quondam Athanaſio legimus, totum penè conjuraverat regnum, & commoti ſunt Principes terræ; nec ei ullus locus tutus ſupererat ad latendum, dum ad inveſtigandum eum omnes moverentur. Infrà vallem Admontenſem in cujuſdam Spelunca montis dimidium penè annum eſt occultatus. Rursùs ejuſdem infra monaſterii cellulæ ambitum in cellario ſubterraneo XVI. heb- B domadibus latitavit. In cujuſdam gurgite amnis uſque ad mentum immerſus diem integram exegit. Inde clandeſtino diceſſu Saxoniam petens, à Magdeburgenſi Archiepiſcopo venerabili Adilgoz nomine, officioſiſſimè ſuſceptus eſt & retentus; qui etiam, quotquot ad ipſum patrem noſtrum Conradum Salzburgenſem Epiſcopum occultè ob metum Cæſareanorum pedites veniebant, multis muneribus honoratos equites remittebat. Miſeratione demùm divina, pace redintegrata Eccleſiæ, à Luitpoldo Styrenſi Marchione in manu C forti requiſitus, ad ſuam honorificè poſt novem annos reductus eſt ſedem. Rursùm Eccleſiæ propriæ ſtrenuè invigilavit, & inter cæteros ejuſdem Salzburgenſis Eccleſiæ dignos per ipſum profectus, majoris Eccleſiæ clericorum vitam in melius informavit, & communem vitam Canonicorum S. Auguſtini ibi initiavit. Anno Dominicæ Incarnationis MCXXI.] Et inferiùs de monaſterio ab eodem Conrado erecto, ipſum à Canone Cardinali Epiſcopo Præneſtino conſecratum fuiſſe tradit. Quod rursùs ad eamdem ab Henrico Imperatore excitatam perſecutionem pertinet D ejuſdem temporis ſcriptor, idemque Notarius Imperatoris Gotfridus Viterbienſis inter temporis hujus Scriptores clarus deſcripſit omnia iſta metro, hiſtoricè tamen, non poeticè, ſimulque attexuit, quibus ſe pars utraque in ejuſmodi quæ tunc verſabantur diſceptationibus tueretur rationibus: ſic enim ſe habent: (a)

a Gotfrid. Vit. Chron. par. 17.

Papa caret manto, captus ab hoſte ſuo.
Quæſtio nunc oritur, cur carcere Papa tenetur?
Reſpondetur eis; Quia ſuſtulit omnia Præſul,
Abſtulit Imperio pontificale decus.
Nam bona Pontificum, quæ nititur ipſe tenere,
Contulit Imperium, quæ debet Cæſar habere;
Amodò qui teneat, Cæſare dante feret.
Annulus & baculus de noſtro munere venit,
Undique Pontifices regnum ſunt munere pleni,
Cæſaris officium quomodò Papa gerit?
Retulit Eccleſia: ſi quærimus æqua fateri,
Annulus & baculus numquam de Cæſare venit,
Nam Deus Eccleſiis cœlitùs iſta dedit.
Omnia quæ Reges per tēpora priſca dederunt,
A *Non modò ſunt Regum, ſed cui data jure fuerunt,*
Nec Deus hoc patitur, nec tua jura ferunt.
Cùm tua ſit regni, tua ſit cuſtodia juris,
Carceribus noſtris mala das exempla futuris,
In ſanctum Domini dum feritate furis.
Conditor es juris, qui ſpernere jura videris,
Jam neque jura Dei, neque regia jura vereris,
Eccleſiam crucias, qui cruciandus eris.
Dedecus eſt, fontem juris confundere legem,
Et magis eſt timidum, cœlorum ſpernere
B *Regem,*
Cùm ſacra jura neges, triſtia regna reges.
Cur laicus quærit tradi ſibi munera cœli?
Ut Deus inſtituit, electio conſona Cleri
Judicio cœli libera ſemper erit.
Tu tua ſi repetis, repetes quæ tu tribuiſti,
Hæc cùm non dederis cur tollere propoſuiſti?
Tradere te decuit, tollere nulla tibi.
Si quodcumque datur, ratio monet, ut repetatur,
Dos tua tollatur, nobis quoque noſtra feratur,
Hoc ita ſi cupias quærimus eſſe ratum.
C *Imperium dedimus, eu pauca dediſſe videris,*
Ex ope Pontificis Cæſar Romanus haberis,
Vincula Pontifici quæ ratione geris?
Quidquid agas Præſul, quidquid ſacra turba fatetur,
Reddere cogetur, quod Cæſaris eſſe videtur
Illud & in ſcriptis firmat uterque ſtatus
Annulus & baculus, vel cætera quæ memorantur,
Cæſaris ad juſſum penitùs reddenda parantur,
Papaque Paſchalis ſic ſpoliatus abit.]

Addit & hic iſta:

Curia Papalis contendit & Imperialis,
An ſit inæqualis, vel debeat æquiparari,
D *Partibus oppoſitis. Curia Regis ait:*
Spiritus eſt Papa, carnis velamine clauſus,
Hunc quaſi terrenum deſcribere quis foret auſus?
Terrea cum ſuperis quæ paritate gerit?
Eſt quoque par ſuperis, cœlum datur ore tenere,
Quæ ligat & ſolvit, quæ regna videtur habere,
Carnis in exilio ſpiritus aſtra tenet.

Pro Imperatore.

Cæſar lex viva ſtat regibus imperativa,
Legeque ſub viva ſunt omnia jura dativa,
Lex ea caſtigat, ſolvit, & ipſa ligat.
E *Conditor eſt legis, neque debet lege teneri,*
Sed ſibi complacuit ſub lege libenter haberi,
Quidquid ei placuit juris ad inſtar erit.
Qui ligat ac ſolvit Deus, ipſum protulit orbi,
Diviſit regnum divina potentia ſecum,
Aſtra dedit ſuperis, cætera cuncta ſibi.

Pro Eccleſia Romana.

Pars quoque Papalis ſic obviat Imperiali,
Sic regnare damus, quòd Petro ſubjiciaris,
Jus etiam nobis Chriſtus utrumque parit.
Spiritus & corpus mihi ſunt ſubjecta potenter,
Corpore terrena teneo, cœleſtia mente,

Unde

Unde tenendo polum, ſolvo ligoque ſolum.
Aethera pandere, cœlica tangere Papa videtur,
Nam dare, tollere, nectare, ſolvere, cuncta meretur,
Cui dedit omne decus lex nova, lexque vetus.
Annulus & baculus quamvis terrena putentur,
Sunt de jure poli, quæ ſignificare videntur.
Reſpice jura Dei, mens tua cedat ei.
Reddit Apoſtolico Cæſar quæcumque rogavit,
Pax bona conficitur, ſublata Deo reparavit,
Jura ſua partis latus uterque trahit.]

Sed hæc poſteà ſub Calliſto Papa. Cætera quæ ſubiicit de Romano Concilio, ſuo loco dicenda erunt.

XXVI. Sacrilegiũ Henrici religione fucatur.

Inter omnes hujus temporis Scriptores tantum ſacrilegium deteſtantes, unus ille planè ridendus Urſpergenſis Abbas, qui nervis ſolutus profitendæ liberè veritatis, ob privatum erga Henricum Imp. affectum, ſacrilegium adeò immane convertere nititur in pietatem, comparans eumdem Henricum Patriarchæ (*a*) Jacobi, quod ſicut ille detinuit Angelum, & non dimiſit niſi benediceretur ab eo: ita iſte Paſchalem Papam tenuerit, & detinuerit ſanctè piequè, quouſque ab eo quam petebat benedictionem acceperit. Addit verò, quòd dum adhùc Henricus Paſchalem apud ſe retineret, accepiſſe ab eo liberam facultatem ſepeliendi in Eccleſia Henricum parentem ſuum, parentandique more Catholico, cùm ſacerdotes Germaniæ teſtati eſſent, eum peccatorum ſuorum pœnitentem clauſiſſe diem extremum. Quo obtento, ut reverſus eſt idem Imperator, ſumptuoſiſſimo funere eumdem patrem ſuum in Eccleſia ſepelivit. Hæc ipſe, qui & addit: Nec multò pòſt, Henricus Imperatoria munificus liberalitate, tàm ſpirituali Papæ ſuo Paſchali, quàm ſingulis ejus Epiſcopis, Cardinalibus, clericiſque majoribus ac minoribus dona tot tanta & talia diſpertivit, ut abſentibus omninò memoratu incredibile ſit.] Quæ quidem magis ſcandalum auxerunt, & ne in Pontificem, & Cardinales linguarum jacula majori impetu jactarentur, & in eum acriùs inveherentur adverſarii, effecerunt, ita planè vulnere gravi in capite accepto Catholica ubique Eccleſia languet. Tunc autem proximè juncta capiti membra, dum acriori dolore punguntur, ad caput ipſum confricandum acriùs convertuntur: nam audi.

a *Geneſ.* 31.

XXVII. Diſſidia in urbe cauſa Paſch. Pap.

Ubi autem in Urbem Paſchalis cum ſuis reverſus eſt, inventis ibi aliis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, iiſdemque valdè improbantibus, quòd Henrico Imperatori conceſſerat; contrà verò ipſo cum cæteris Cardinalibus, qui cum ipſo captivi ducti fuerant excuſante, quod factum eſſet ob liberandam Urbem, atque univerſam Eccleſiam ab imminentibus cladibus: ex mutuis altercationibus quaſi ſchiſma conflatum eſt, cùm nollent iſti acquieſcere, atque ullo modo conſentire iis, quæ

A contra decreta Gregorii Papæ Septimi, atque Urbani prædeceſſorum ipſius quovis reſpectu Paſchalis ipſe tentaſſet. Quamobrem poſtmodùm ſeorſum abſente Pontifice convenientes in unum ſimul cum Joanne Cardinale Epiſcopo Tuſculano, roborant atque confirmant, quæ à dictis prædeceſſoribus Pontificibus contra laicorum inveſtituras ſtatuta pluribus Conciliis eſſent, nihilque roboris obtinere decernunt, quidquid adversùs ea ab ipſo Paſchali, & ipſi inhærentibus Cardinalibus quovis prætextu actum fuiſſet. Paſchalis autem Papa, qui paulò antè ab Urbe receſſerat

B Campaniam verſus, ubì Tarracinam pervenit, & quidquid ab eis tentatum in Urbe eſſet, audiſſet: has ad eos litteras dedit, quas inventas in eodem ſcripto Vaticano codice poſt Acta ſuperiùs recitata, hic deſcribendas eſſe putavimus, quæ ſic ſe habent.

XXVIII. Epiſt. Paſch. Pap. ad Epiſcopos ipſi adverſantes.

Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus Joanni Tuſculano & Leoni Vercellenſi Epiſcopis & Cardinalibus in unum congregatis, conſortium & pacem in Chriſto.

Id quod in perſonam noſtram, immò in patrem veſtrum, præter ipſius Eccleſiæ ju-

C dicium atque præſentiam vos egiſtis: etſi vobis ex zelo Dei viſum ſit; non tamen, ut mihi videtur, canonico tramite inceſſiſtis. Non enim charitas, ſed æmulatio id dictaſſe perſpicitur. Quocumque tamen modo factum ſit: nos tamen confiſi de miſericordia divina, pro animæ noſtræ ſalute cogitavimus, & commiſſum, quod pro fratribus atque filiis, pro excidio Urbis, & univerſæ provinciæ fecimus, emendare curabimus, ut quod * terreni, in me quoque correxiſſe, oſtendatur Eccleſiæ. Vos autem pro Eccleſia in Eccleſia agite, ut illum Eccleſiæ Dei zelum quem habetis, & habe-

D re oſtenditis, ipſa experiatur Eccleſia. Valete in Domino. Datum Tarracinæ tertio Nonas Julii.] Hæc Paſchalis, ſcitè quidem atque prudenter admodùm occurrens ſchiſmati, quod eo modo inchoari jam videbatur. Sed non ſedatur tumultus mirum in modum concitatus.

*

XXIX. Altercatio inter Brunonem & Paſchalem.

Iiſdem enim fermè diebus, concertatio illa habita eſt inter S. Brunonem Caſſinenſem Abbatem Signinum Epiſcopum, & eumdem Paſchalem Papam, quæ à Petro diacono ita deſcribitur: (*b*) Præfatus autem Abbas *Bruno* adjunctis ſibi Guala Rhegino Epiſcopo, & Roberto * Paſienſi,

E aliiſque Cardinalibus, memorato Pontifici omninò imminebat, ut privilegium quod Imperatori fecerat, rumperet, eumque anathematis vinculo innodaret. Hi autem, qui cum illo in vinculis fuerant, dicebant: Quod ante diximus, dicimus, damnamuſque quod ante damnavimus. Alii non modò non damnabant, quæ contra Catholicam Eccleſiam fuerant geſta, verùm impudenter ſatis tueri nitebantur. Igitur dum hujuſmodi diſſenſionibus Apoſtolica quateretur Eccleſia: relatum eſt Pontifici, memoratum virum *Brunonem* il-

b *Petr. diacon. Chron. Caſſ. lib.* 4. *c.* 44.

*

lius

Digitized by Google

lius diſſidii & ſcandali ducem atque ſigni- A
ferum ſuiſſe. Quod ubì Abbas *Bruno* audi-
vit, temporis opportunitate captata, dixit
ei: Inimici mei dicunt tibi, quia non te
diligo, & malè de te obloquor: ſed men-
tiuntur. Ego enim ſic te diligo ut patrem
ac dominum meum; neminemque alium,
te vivente, volo habere Pontificem, ſicuti
eum multis aliis tibi promiſi. Audio ta-
men Salvatorem meum dicentem mihi:
a *Matth.*10 (*a*) Qui amat patrem, aut matrem plus
quàm me, non eſt me dignus. Unde & Apo-
b 1.*Cor.*16. ſtolus: (*b*) Si quis, inquit, non diligit Do-
minum JESUM, anathema ſit. Debeo igi-
tur diligere te; ſed plus illum diligere de- B
beo, qui & te fecit, & me: huic enim tan-
to amori nihil umquam præferendum eſt.
Fœdus autem illud adeò fœdum, tàm vio-
lentum, tàm cum proditione factum, tàm
omni pietati religionique contrarium ego
non laudo. Quis enim illud laudet, in quo
violatur fides, Eccleſiæ libertas amittitur,
ſacerdotium tollitur, unicum & ſingulare
oſtium Eccleſiæ clauditur, multa oſtia ape-
riuntur, per quæ qui intrat, fur eſt & la-
tro? Habemus canones, habemus ſancto-
rum Patrum conſtitutiones ab Apoſtolo-
rum temporibus ad te uſque perductas. Via
regia incedendum eſt, neque ab ea in ali- C
quam partem declinandum. Apoſtoli illos
omnes damnat, & à Fidelium communione
ſejungunt, qui per ſæcularem poteſtatem
Eccleſiam obtinent. Laici enim quantum-
libet religioſi ſint, nullam tamen diſpo-
nendæ Eccleſiæ facultatem ſunt conſecuti.
Hæc enim Apoſtolorum conſtitutio ſan-
cta eſt, cui qui contradicit, Catholicus
non eſt: omnis autem qui hæreſim tuetur,
hæreticus. Nemo hanc non eſſe hæreſim,
dicere poteſt, quam ſancta & Apoſtolica
Eccleſia in multis Conciliis hæreſim nomi-
nat, & cum ſuis auctoribus damnat.] At
iſta, quæ Petrus de mutua allocutione Bru- D
ni ſive Brunonis cum Paſchale affirmat eſ-
ſe tranſacta: potiùs litteris, quàm ab eo
præſente tractata fuere: nam ipſæ S. Bru-
ni totidem verbis ad Paſchalem datæ, eæ-
demque prolixiores extant litteræ, unà
cum aliis ipſius litteris eodem argumento
tunc datis ad Epiſcopum Portuenſem, quas
ambas ex Caſſinenſi bibliotheca deprom-
ptas hìc totidem verbis reddere, & dicta
repetere non pigebit, ut habeas eas ſicut ſe
habent:

Paſchali ſummo Pontifici Brunus pecca-
tor Epiſcopus beati Benedicti ſervus, quod
tanto domino & patri. E

XXX. Bruni Ep. ad Paſchalem Papã.

Inimici mei dicunt tibi, quia te non di-
ligo, & quia de te malè loquor, ſed men-
tiuntur. Ego enim ſic te diligo, ſicut pa-
trem & dominum diligere debeo, & nul-
lum alium, te vivente, Pontificem habe-
re volo, ſicut ego cum multis aliis tibi
promiſi. Audio tamen Salvatorem meum
mihi dicentem: Qui amat patrem aut ma-
trem pluſquàm me, non eſt me dignus.
Unde & Apoſtolus dicit: Si quis non di-
ligit Dominum JESUM, ſit anathema
maranatha. Debeo igitur diligere te, ſed

A plus diligere debeò illum, qui te fecit, &
me: huic enim tanto amori nihil umquam
præferendum eſt. Fœdus autem illud tàm
fœdum, tàm violentum, cum tanta pro-
ditione factum, tàm omni pietati & reli-
gioni contrarium ego non laudo. At ve-
rò neque tu, ſicut pluribus referentibus
audio. Quis enim illud laudare poteſt, in
quo fides violatur, Eccleſia libertatem
amittit, ſacerdotium tollitur, unicum
& ſingulare oſtium Eccleſiæ clauditur, alia-
que multa oſtia aperiuntur, per quæ qui-
cumque intrat, fur eſt & latro? Habemus
canones, habemus ſanctorum Patrum con-
B ſtitutiones à temporibus Apoſtolorum uſ-
que ad te. Via regia incedendum eſt, ne-
que ab ea in aliquam partem declinandum.
Conſtitutio tua, & conſtitutio Apoſtolo-
rum una eſt, & ipſa quidem multùm lau-
dabilis. Apoſtoli enim omnes illos dam-
nant, & à Fidelium communione ſegre-
gant, quicumque per ſæcularem poteſtatem
Eccleſiam obtinent. Laici enim quamvis
religioſi ſint, nullam tamen diſponendi Ec-
cleſiam habent facultatem. Similiter &
conſtitutio tua, quæ de Apoſtolico fonte
manavit, omnes illos clericos damnat, &
à Fidelium communione ſeparat, quicum-
C que de manu laici inveſtituram ſuſcipiunt,
& quicumque eis manum imponunt. Hæc
namque conſtitutio Apoſtolorum & tua
ſancta eſt, Catholica eſt: cui quicumque
contradicit, Catholicus non eſt. Illi
enim ſunt Catholici, qui Catholicæ Ec-
cleſiæ Fidei & doctrinæ non contradicunt.
Sicut è contrà illi ſunt hæretici, qui Ca-
tholicæ Fidei & doctrinæ obſtinato animo
contradicunt. Hanc igitur tuam & Apo-
ſtolorum conſtitutionem, pater venerabi-
lis, iterùm confirma; hanc in tua Eccle-
ſia, quæ omnium Eccleſiarum caput eſt,
palàm & cunctis audientibus prædica. Hanc
D hæreſim, quam tu ipſe hæreſim eſſe ſæpè
dixiſti, Apoſtolica auctoritate damna; &
mox videbis totam Eccleſiam tibi eſſe pla-
catam; mox omnes videbis ad tuos pedes
confluentes, & in magna lætitia ſicut pa-
tri & domino obedientes. Miſerere Ec-
cleſiæ Dei, miſerere ſponſæ Chriſti, &
per tuam prudentiam ſuam recuperet liber-
tatem, quam modò per te amiſiſſe vide-
tur. Ego autem illam obligationem, & il-
lud juramentum, de quo jam ſuperiùs di-
ximus, parvipendo, neque pro ejus vio-
latione minùs umquam tibi obediens
ero.] Sic hortatus eum reſcindere quod
E per juramentum Henrico Imperatori pro-
miſerat. Ad Epiſcopum verò Portuenſem
ſic ſcripſit:

P. venerabili Portuenſi Epiſcopo Bru- XXXI.
nus peccator Epiſcopus beati Benedicti
ſervus ſalutem.

Audivimus, quòd quidam de fratribus
noſtris non ſolùm non damnant ea, quæ
modò contra ſanctam Eccleſiam facta ſunt,
verùm etiam ſatis impudenter defendere
conantur: omnis autem, qui hæreſim
defendit, hæreticus eſt. Nemo autem hanc
non eſſe hæreſim, dicere poteſt, quam
ſancta

ſancta & Apoſtolica Eccleſia in multis Conciliis hæreſim nominavit. Et illæ quidem ſpecialiter dicuntur eſſe hæreſes, quæ in Conciliis judicatæ & damnatæ ſunt. Unde & Guibertus non immeritò hæreſiarcha dictus eſt, ſimulque cum ſuis ſequacibus damnatus & excommunicatus. Quicumque igitur Catholicam Eccleſiam relinquentes, ad partem Guiberti tranſierunt, & ejus impiam hæreſim defendunt & tenent: eos hæreticos, excommunicatos, & Apoſtolicis vinculis ligatos eſſe, non dubium eſt. Qui verò excommunicati & ligati ſunt; neque ſeipſos, neque alios vel ſolvere, vel ligare poſſunt.] Hucuſque epiſtola. Poſt hæc idem ipſe hæc ſubiicit quæ ſequuntur, his verbis: Has litteras miſi ego Portnenſi Epiſcopo, in quibus nullum alium hæreticum eſſe dixi, niſi eos tantùm, qui hæreſim defendunt & tenent, & eos quidem ſugiendos eſſe judicavi, etiam ſi affectu parentum & oculorum & manuum eos diligamus. Dictum namque fuerat nobis, quòd illi, qui impii Regis prehenſione capti fuerant, omnes præter pauciſſimos una & conſona voce dicebant; quod prædicavimus, prædicamus: quod damnavimus, damnamus. Eos autem qui hoc dicunt, quis dubitat non eſſe Catholicos?] Hucuſque ſancti Bruni epiſtola. Pergit verò Petrus diaconus:

XXXII. Quid Paſchalis in Brunonem Abbatem.

Talia allocutio inter Pontificem & Abbatem invidiæ & odii fomitem miniſtravit. Inter cætera verò, quæ tunc Pontifex in Abbatem *Brunonem* locutus eſt, ait: Niſi illum à monaſterii adminiſtratione removero: ipſe ſuis argumentis Eccleſiæ mihi regimen tollet. Quapropter eidem *Bruno* Abbati direxit epiſtolam, qua vetuit, ne ultrà Epiſcopus ſimul eſſet atque Abbas: neque enim ultrà ferre Apoſtolicam Sedem, Epiſcopum aliquem monaſterio præeſſe tàm celebri. Fratribus etiam per Leonem Oſtienſem Epiſcopum, & hujus cœnobii monachum litteras miſit, mandans, ne ipſi viro ulteriùs obedirent, ſed ſecundùm Deum regulariter ſibi Abbatem eligerent: ſin autem ſecus agerent, in omnibus monaſterii cellis Abbates ipſe ſtatueret.] Pergit Petrus dicere de tumultu tunc oborto contra Brunum, alium in ſuum locum Abbatem ſubrogare ſtudentem, monachis renitentibus: ad quos S. Brunus: Nolo, inquit, ut propter me inter vos & Romanum Pontificem ſcandalum oriatur, virgamque paſtoralem ſuper altare ponens: Accipite, inquit, virgam quam mihi tradidiſtis, abſolutioneque Fratribus facta, ad Epiſcopatum ſuum rediit. Ubi in ſancta converſatione uſque ad Oderiſii Secundi Abbatis tempora vivens, feliciter migravit ad Dominum pridie Kalendas Septembris. Sepultus eſt in civitate Signina in Eccleſia ſanctæ Dei Genitricis & Virginis Mariæ: ad cujus memoriam hodiè quoque Dominus miracula patrare dignatur, ipſius intervenientibus meritis.] Hactenùs Petrus.

Bruno Sãctus habetur.

XXXIII. Paſchalis cùm ſuum pactum damnet, ipſe damnari recuſat.

Cæterùm quod ad Paſchalem Pontificem ſpectat, ſic comparatus erat, ut perperàm à ſe factum excuſarent potiùs, quàm defenderet, immò poſteà etiam condemnaret, quod anno ſequenti (ut ſuo loco dicetur) in Synodo abundantiùs præſtitit. Verùm in eos (ut vidiſti) conſtanter egit, qui ſibi ejuſmodi judicium adversùs Pontificem ſumerent, cuiquam hactenùs in Eccleſia inconceſſum. Conſtat autem ipſum hoc anno, mox ut eſt regreſſus in Urbem, ad univerſum Catholicum orbem dediſſe litteras de his quæ geſta eſſent, quibus ſe excuſaret, quòd ad evitanda imminentia mala, & redimendam pacem Eccleſiæ ita ceſſiſſet ad tempus. Harum litterarum eſt mentio in Ivonis Epiſcopi Carnotenſis epiſtola, reddita ad Henricum Abbatem, qui ipſum de his anteà conſuluiſſet, ex qua, quomodò ab eo accepta fuerunt iſta perperàm facta Paſchalis, intelliges: ſic ſe habet: (a)

a *Ivo epiſt.* 235.

XXXIV. Ivonis judicium de Paſch. Papa.

Ivo Dei gratia Carnotenſis Eccleſiæ miniſter Henrico Abbati Angeliacenſis monaſterii ſalutem, & mutuum orationum munus.

De inveſtituris Eccleſiarum, quas laici faciunt, ſententiam præcedentium Gregorii & Urbani, quantum in me eſt, laudo atque confirmo. Quocumque autem nomine talis perваſio propriè vocetur, eorum ſententiam, qui inveſtituras laicorum defendere volunt, ſchiſmaticam judico. Nec iſta contra domnum Papam dico, quia quibuſdam litteris mihi ſcripſit, ſe coactum feciſſe quod fecit, & adhùc ſe prohibere quod prohibuit, quamvis quædam nefanda quibuſdam nefandis ſcripta permiſerit. Et quia (b) verenda patris debemus potiùs velare, quàm nudare: familiaribus & charitatem redolentibus litteris admonendus mihi videtur, ut ſe judicet, aut factum ſuum retractet. Quod ſi fecerit, referamus Deo gratias, & gaudeat nobiſcum omnis Eccleſia, quæ graviter languet, dum Caput ejus laborat tanta debilitatum moleſtia. Si autem in hoc languore inſanabiliter ægrotaverit, non eſt noſtrum judicare de ſummo Pontifice. Habemus enim Evangelicam ſententiam, quæ ſecuros nos facit: (c) Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi. Quæ dicunt, ſervate & facite: ſecundùm verò opera eorum nolite facere. Vult enim hæc ſententia, præcepta præſidentium ad Cathedram pertinentia obedienter impleri (etiam ſi tales ſint, quales erant Phariſæi,) non eos factioſa conſpiratione à ſuis ſedibus removeri. Si verò ea præcipiant, quæ ſint contra doctrinam Evangelicam vel Apoſtolicam: ibi non eſſe eis obediendum, exemplo docemur Pauli Apoſtoli, (d) qui Petro ſibi prælato non rectè incedenti ad veritatem Evangelii, in faciem reſtitit, non tamen eum abjecit. Ubi enim ſuccumbunt humana judicia, divina eſt expetenda miſericordia: quatenùs inſitorum conſervata pace ramorum, & ipſi qui præciſi ſunt, unitati Eccleſiæ ſtudeant reforma-

b *Geneſ.* 9.

c *Matth.* 23.

d *Galat.* 2.

forma-

A ſormari, & inſitorum ramotum ſocietate lætari: alioqui nec præciſi inſererentur, nec inſerti fructificare aut flotere in tanta turbinum concuſſione permittentut. Hæc de propoſita quæſtione reſpondeo, maiorum ſententiis non præjudicans, quæ paci Eccleſiæ conſulant.] Hæc Ivo, qui ſpiritu charitatis, quæ operit multitudinem peccatorum, capitis vulneri ſic mederi laborat, ut ſi fieri poſſit, abſque chirurgo ferro ipſum perfecta ſanitas conſequatur.

XXXV. De Paſch. inter Epiſcopos altercatio.

Contrà verò, alii zelo offenſæ Eccleſiæ æſtuantes, inflictum acriter capiti vulnus haud ejuſmodi eſſe putarunt, ut leni olei poſſit unctione curari: cùm præſertim res eſſet agenda adversùs ſacrilegum, furore B flagrantem adoleſcentem Imperatorem, & alios Principes id ipſum cupientes; ſed opus eſſe obſtrepente tubarum ſacerdotalium clangore, ad martyrium convocare Fideles potiùs, quàm tale probrum in Eccleſia tolerare. Fuit ex eis inter alios Joannes Archiepiſcopus Lugdunenſis Galliarum Primatem agens, qui ad hoc omnium ſibi ſubjectarum provinciarum Epiſcoporum convocandum putavit eſſe Concilium, ad quod inter alios eumdem, qui ſuprà, vocavit Ivonem, ſignificans in eo tractandum eſſe de fide, atque laicorum inveſtituris, ſed litteris ipſe ſe excuſans, C ire noluit, negans ſe ad hæc præſtanda teneri. Quibus de inveſtituris per Paſchalem Papam conceſſis, (a) ejuſmodi diſputationem intexuit pro Paſchali, ubi de jure primatus anteà plura diſſeruiſſet, hæc ſubdens:

a Ivo epiſt. 238.

XXXVI. Ivo pro Paſchali laborat.

Præterea, quia in hoc Concilio de inveſtituris laicorum, quas quidam inter hæreſes computant, tractare diſponitis: potiùs pudenda patris noſtri nudabitis, quæ publicanda non eſſent (b) in Geth, nec in compitis Aſcalonis, deridenda exponetis, quàm poſt dorſum ea velando, benedictionem paternam vobis acquiratis. Quod D enim propter vitandam populi ſtragem paternè in ſe admiſit ſummus Pontifex, cogit neceſſitas, non probavit voluntas. Quod indè conſtat, quia poſtquàm evaſit periculum, ſicut ipſe quibuſdam noſtrum ſcripſit, quod juſſerat juſſit, quod prohibuerat prohibuit: quamvis quibuſdam neſandis urgente periculo quædam neſanda ſcripta permiſerit. Sic Petrus (c) trinam negationem trina confeſſione purgavit, & Apoſtolus manſit. Sic Marcellinus Papa deceptus à profanis, coram profano thurificavit, & tamen à fratribus minimè judicatus, poſt paucos dies martyrio coronari promeruit. E Sic Aaron (d) in eremo, moram faciente Moyſe in monte, propter importabilem populi ſeditionem vitulum fuſilem fieri permiſit, quem populus inſipiens adoravit. cùm tamen non eſſet ſeductus à populo, ut Dominum eſſe crederet, vel divinæ culturæ reverentiam ei exhiberet. Meruit tamen veniam tantus exceſſus, & Domino jubente, per manum Moyſi ad ſummum ſacerdotium eſt ſublimatus. Sic Moyſes ipſe, qui cum Domino loquebatur ſicut ad amicum

b 2. Reg. 1.

Quòd Paſch. Papa eſt deteſtatus quod fecit.

c Joan. 21.

d Exod. 32.

A amicus, Dominum tamen offendit, cùm propter murmur populi dicentis: (e) Numquid poterit nobis eiicere aquam de petra hac? dubitare coactus eſt, & aquam cum diſceptatione à Domino poſtulare. Sic Doctor Gentium, qui in ſynagogis publicè clamabat: (f) Circumciſio nihil eſt: & Chriſtus nihil vobis proderit, ſi circumcidamini: propter ſcandalum Judæorum circumcidi permiſit Timotheum, (g) ut hac condeſcenſione Judæos lucrifaceret. Hæc infirma probabili neceſſitate, vel provida diſpenſatione paſſi ſunt ſummi & ſancti viri, Deo benè utente malis noſtris: ut per hoc doceret eos ſeipſos agnoſcere, quatenùs diſcerent infirma ſua ſibi adſcribere, & bona B ſibi collata ad Dei gratiam referre. Nec ad hoc illa ſcripta ſunt, ut in exemplum vivendi ducantur, ſed ut ex lapſu majorum diſcant timere minores, ne ſimiles lapſus incurrant; & ſi fortè ceciderint, ſumma celeritate reſurgant.

e Num. 20.

f Galat. 5.

g Act. 16.

XXXVII. Excuſat Paſchal. quòd Henric. non excommunicet.

Quòd ſi Papa adhuc in Teutonicum Regem debitam ſeveritatem non exercet: credimus, quia conſultè differt ſecundùm quorumdam Doctorum judicia, qui conſulunt quædam admittenda pericula, ut poſſint vitari majora. Unde dicit Auguſtinus in tertio libro contra Parmenianum Donatiſtam: (h) Hoc ſanitas obſervat Ec- C cleſiæ, ut cùm quiſque fratrum, id eſt Chriſtianorum, intus in Eccleſiæ ſocietate conſtitutorum, in aliquo tali peccato fuerit deprehenſus, ut anathemate dignus habeatur: fiat hoc ubi periculum ſchiſmatis nullum eſt. Atque id eum ea dilectione fiat, de qua ipſe Apoſtolus alibi præcipit, dicens: (i) Ut inimicum eum non exiſtimetis, ſed corripite ut fratrem. Ubi ſatis oſtendit, cùm metus iſte non ſubeſt, ſed omninò de frumentorum certa ſtabilitate certa ſecuritas manet, id eſt quando ita cujuſque crimen notum eſt, & omnibus execrabile apparet, ut vel nullos prorsùs, vel non tales D habeat defenſores, per quos poſſit ſchiſma contingere: non dormiat ſeveritas diſciplinæ. In qua tantò eſt efficacior emendatio pravitatis, quantò diligentior conſervatio charitatis. Tunc autem hoc ſine labe pacis & unitatis, & ſine læſione frumentorum fieri poteſt, cùm congregationis Eccleſiæ multitudo ab eo crimine, quod anathematizatur, aliena eſt. Nec enim poteſt eſſe ſalubris in multis correptio, niſi cùm ille corripitur, qui non habet ſociam multitudinem. Cùm verò idem morbus plurimos occupaverit, nihil aliud bonis reſtat, quàm dolor & gemitus: ut per illud E ſignum, quod Ezechieli (k) ſancto revelatur, illæſi evadere ab illorum vaſtatione mereantur. Si quis enim frater in aliquo cæteris diſſimili crimine nominatur, & reverà ſi contagio peccandi multitudinem invaſerit, divinæ diſciplinæ ſevera miſericordia neceſſaria eſt. Nam conſilia ſeparationis & inania ſunt & pernicioſa, atque ſacrilega, quia & impia & ſuperba fiunt, & plus turbant infirmos bonos, quàm corrigant animoſos malos.

h Aug contra ep. Parmen. l. 3. c. 2.

i 2. Theſſ. 3.

k Ezech. 9.

Ad

Digitized by Google

XXXVIII. Cur hæc nó ſint cómittenda concilio.

Ad hæc non videtur nobis utile conſilium, ad illa Concilia convenire, in quibus non poſſumus eas perſonas, contra quas agitur, condemnare vel judicare; quia nec noſtro, nec ullius hominum probantur, ſubjacere judicio. Unde nos conſtat eſſe immunes, ſi facta eorum oris gladio ferire formidamus, cùm ipſe Mediator obedire eis præcipiat, etſi tales ſint, quales erant Phariſæi, ſi ea quæ ad cathedram pertinent, rectè præcipiant, ea verò quæ contra cathedram faciunt, minimè faciant. Ex quibus omnibus hoc conſtare videtur, quatenùs fœminalia ſacerdotalia pudendis ſupponamus, ne verenda noſtra deridenda inſidiatoribus noſtris exponamus, & unde quærimus reformare Eccleſiæ fortitudinem, in majorem incurramus debilitatem. Hæc dicentes non inſtruimus prudentiam veſtram, ſed excuſamus innocentiam noſtram, qua & principales Eccleſiæ claves nolumus poteſtate ſua privare, quæcumque perſona vices Petri habeat, niſi manifeſtè ab Evangelica veritate diſcedat. Hæc dicentes, non tollimus, quin poſſint quique Metropolitani Epiſcopos ſecundùm jus antiquum convocare, provincialem Synodum, ſalva reverentia Romanæ Eccleſiæ celebrare. Quæ ſi ad præſens non poteſt ſatanam ſternere ſub pedibus ſuis, non obviabit tamen ſalubribus diſpoſitionibus veſtris, in quibus ſecundùm quod in prætaxato libro legitur: Quiſquis vel quod poteſt, arguendo corrigit, vel quod corrigere non poteſt, ſalvo pacis vinculo excludit, vel quod ſalvo pacis vinculo excludere non poteſt, æquitate improbat, firmitate ſupportat: hic eſt pacificus, & ab iſto maledicto quod Scriptura dicit: (a) Væ his qui dicunt, quod nequam, bonum eſt, & quod bonum eſt, nequam; qui ponunt lucem tenebras, & tenebras lucem; qui ponunt quod amarum eſt, dulce, & quod eſt dulce, amarum: omninò liber, prorsùs ſecurus, penitùs alienus. His Catholicorum Patrum terminis contenti, quæ poſſumus ſecundùm decreta Patrum, ſalvo *charitatis* vinculo, corrigere volumus; quæ autem corrigere non poſſumus, uſque ad meſſem, ſi neceſſe ſit, Domino docente, tolerare decrevimus.

a *Iſai.* 5.

XXXIX. Pactũ Paſchalis Pap. Ivo excuſat & probat.

His verbis excuſatos nos credimus, quòd à laceratione domini Papæ linguas noſtras reprimimus, & ſi quid contra ſententiam ſuam, ſuorumque prædeceſſorum de remiſſis Germanico Regi inveſtituris feciſſe videtur, filiali charitate excuſamus. Non enim prævaricator eſt legis, qui delinquit in legem, aliqua fallente ſurreptione, vel impellente neceſſitate; ſed qui legem impugnat ſtudioſè, & delictum ſuum non curat agnoſcere. Unde hunc exceſſum ejus non tantùm non accuſamus, ſed dictante ratione approbamus, ſi imminente ſtrage populi, paterna charitate, cũ nõnullo vulnere ſuo ſe tantis periculis voluit objicere, ut majoribus morbis poſſet ſincera charitate ſubvenire. Nec ipſe primus, nec ſolus factus eſt diſpenſator Dominicorum præceptorum, quia mediator Dei & hominum, cujus vita in A terris diſciplina fuit morum, primò præcepit Diſcipulis, ut non ferrent ſacculum, neque peram, quia tunc urgebat nulla neceſſitas. Imminente verò tempore paſſionis ſuæ, ſciens eos penuriam panis paſſuros, cùm tranſirent de loco in locum, temperavit præceptum, dans eis licentiam ut ferrent peram, & ſacculum, non jam * imperans cupiditati, ſed indulgens neceſſitati. Ita cùm hæreſes diverſi generis pullularent per diverſas partes mundi, ut Catholici territi ſeveritate ſententiæ hæreticorum ſeductiones caverent, ſeveriſſimè præceptum eſt, ut revertentes ab hæreſi, vel clerici non fierent, B vel clerici non manerent. Pro cujus rigore decreti cùm Eccleſia maxima damna pateretur, prudens diſcretio religioſorum voluit, & docuit, mutandam eſſe ſententiam, & ab hæreſi revertentes, & Catholicam unitatem profitentes fraternè ſuſcepit, & in honoribus ſuis manere conceſſit: judicans melius eſſe, ut fieret aliquod vulnus in cortice matris arboris, quod charitas ſanaret, quàm Eccleſia de omnibus quos poſſet, ſua membra non colligeret.

* obtemperans.

XL. Actus inveſtiendi hæreſis dici non debet.

Poſtremò, quòd quidam inveſtituram hæreſim vocant, cùm hæreſis non ſit, niſi error in fide. Sicut enim fides cordis eſt ad juC ſtitiam, oris autem confeſſio ad ſalutem: ita hæreſis error eſt ad impietatem, profeſſio verò ejuſdem erroris eſt ad perniciem. Et fides, & error ex corde procedunt. Inveſtitura verò illa, de qua tantus eſt motus, in ſolis eſt manibus dantis & accipientis, quæ bona & mala agere poſſunt, credere, vel errare in Fide non poſſunt. Ad hæc, ſi inveſtitura hæc hæreſis eſſet, ei renuntians ſine vulnere ad eam redire non poſſet. Videmus autem in partibus Germaniarum & Galliarum, multas honeſtas perſonas, purgato iſto nævo per quamlibet ſatisfactionem, paſtorales virgas reddidiſſe, & per manum D Apoſtolicam refutatas inveſtituras recepiſſe. Quod ſummi Pontifices minimè feciſſent, ſi in tali inveſtitura hæreſim, & peccatum in Spiritum ſanctum latere cognoviſſent. Cùm ergò ea, quæ æterna lege ſancita non ſunt, ſed pro honeſtate & utilitate Eccleſiæ inſtituta vel prohibita, pro eadem occaſione ad tempus remittuntur, pro qua inventa ſunt: non eſt inſtitutorum damnoſa prævaricatio, ſed laudabilis & ſaluberrima diſpenſatio. Quod cùm multi minùs ſtudioſi minimè attendant, ante tempus judicant, ſpiritus mobilis, & ſpiritus immobilis non intelligentes differentiam. Si quis verò laicus E ad hanc prorumpit inſaniam, ut in donatione & acceptione virgæ putet ſe tribuere poſſe ſacramentum, vel rem ſacramenti Eccleſiaſtici: illum prorsùs judicamus hæreticum, non propter manualem inveſtituram, ſed propter præſumptionem diabolicam. Si verò congrua volumus rebus nomina dare: poſſumus dicere, quòd manualis illa inveſtitura per laicos facta, alieni juris eſt pervaſio, ſacrilega præſumptio, quæ pro libertate Eccleſiæ & honeſtate, ſalvo pacis vinculo, ſi fieri poteſt, funditùs abſcindenda eſt. Ubi ergò ſine ſchiſmate au-

ferri

Digitized by Google

ferri non poteſt, enim diſcreta reclamatione A
differatur. Nihil enim tali perſuaſione de-
mitur ſacramentis Eccleſiaſticis, quo mi-
nùs ſancta ſint; quia apud quoſcumque
ſunt, ipſa ſunt, ſive apud eos qui intus, ſi-
ve apud eos qui foris ſunt. Hæc ſcripſimus
dilectioni veſtræ, parati reſelli ſine contu-
macia, ſi meliùs his quæ ſcripſimus, nos
docuerit prudentia veſtra, quod munitum
ſit ſcriptura canonica.] Hactenùs Ivo ad
Lugdunenſem Archiepiſcopum, qui ad
eum reſcribens, aſſerta ab illo multa refel-
lit, & omittamus ea quæ ad jura Primatum
ſpectant in ſibi ſubditos Epiſcopos ad
Concilium convocandos: de his quæ Ivo B
dixerat, Reges non poſſe ab Epiſcopis con- *a Apud Ivon. epiſt. 239.*
demnari vel judicari, ita reſcribit dicẽs: (a)

XLI. Reges & Imperatores ab Epiſcopis judicandi.

Quòd ſi Reges, aut Imperatores à ponti-
ficali judicio eximere tentaveris: recurre
ad Magnum Imp. Conſtantinum, qui in
Nicæno Concilio, præſente Papa Silveſtro,
per Legatos hujuſmodi verba legitur ha-
buiſſe: Vos, inquit, Epiſcopi à ſolo Do-
mino judicandi eſtis. Non ait: Ego & vos
à ſolo Domino judicandi ſumus. Cùm
enim ſolos excludit Epiſcopos: ſe procul
dubiò, & omnes Reges Eccleſiaſtico ſub-
dit judicio. Numquid culpas factum cha-
riſſimi doctoris Ambroſii, qui Theodo- C
ſium Imp. ob ſuam culpam excommunica-
vit? Numquid incuſas Gregorium Septi-
mum, qui Regem Henricum ob ſua ſce-
lera damnavit? Addidiſti, te vereri, ne
fortè patris noſtri pudenda in colloquio
noſtro revelarentur, timuiſti certè, ubi
non erat timor. Malumus enim abſque du-
bio cum pietate verecundorum filiorum
benedici, quàm cum inverecundia irre-
verentis filii maledici. Atque utinam ipſe
pater pudenda (ut dicis) iſta pro volunta-
te noſtra contegi pateretur! Cauſatus es
prætereà periculoſa tempora, cauſatus es
adverſariæ partis robur, ac multitudinem; D
cauſatus es noſtræ partis debilitatem ac
paucitatem. Et profectò quantò pericu-
loſiora ſunt tempora, tantò fortiùs ſer-
vis Dei eſt annitendum, ne cùm abundan-
te iniquitate refrigeſcit charitas multo-
rum, refrigeſcat & paucorum. Nonnè re-
cordaris, quòd paucis Diſcipulis Chri-
ſtus dixerit: (b) Confidite, inquit, ego *b Joan. 16.*
vici mundum? Si ergò doces diffidendum:
victoriam mundi prædicas, & Chriſti vi-
ctoriam proſternis. Novum & inauditum
philoſophandi genus, hortari contra for-
tes timidos, contra importunos deſides,
fieri in bello fugaces, in pace verò auda- E
ces, in periculo ſecuros, in ſecuritate pro-
vidos. Deteſtabilis magiſter navis, qui
in tranquilla ſerenitate artis ſuæ faſtigium
exercet, in tempeſtate verò clavum & cæ-
tera armamenta remittit. Ne vereatis,
frater, bonum ſemen ſeminavit Chriſtus in
agro ſuo: noli ſuperſeminare zizania, quæ
ultrò creſcunt, & bonum ſemen ſuffocare
nituntur. Multiplicatur numerus malo-
rum, abundant filii diffidentiæ; ſed po-
tens eſt Chriſtus ſuos confortare, & ad-
verſarios proſternere. Quid enim ait Apo-

A ſtolus? (c) Omnia enim poſſum in eo qui *c Philip. 4.*
me confortat. Numquid in eo ſolo erat
Chriſtus? Numquid in eo ſolo omnia po-
terat? Credimus, & confitemur, quia in
omnibus & ſingulis Fidelibus omnia po-
teſt: Ecce ego, inquit, (d) vobiſcum ſum *d Matt. 28.*
omnibus diebus.

XLII. Inveſtituras laicorum defendere velle hereſis eſt.

Quòd autem eos arguis, qui inveſtitu-
ras Eccleſiaſticarum dignitatum per laicos
factas inter hæreſes computant: non ſatis
efficaciter ſacere videris. Quamvis enim
ſicut Catholica Fides in corde, ita & hæ-
reticus error in corde maneat, tamen ſicut
ex Catholicis operibus Catholicum ſenti-
B mus: ita ex hæreticis operibus hæreticum
cognoſcimus. A fructibus enim eorum
(inquit Dominus) (e) cognoſcetis eos; *e Matth. 7.*
& unaquæque arbor ex fructu ſuo cogno-
ſcitur. Et licèt exteriores inveſtituras per
laicos factas non ſatis propriè hæreſis no-
mine cenſeamus: ſentire tamen, ac defen-
dere, fieri debere, indubitata hæreſis eſt.]
In his reſolvitur omnis quæſtio, quando
in hoc peccaſſe, hæreſis ſit, cùm videlicèt,
inveſtituras à laicis jure dari, ut dogma
defenditur: In quo ſenſu reperiuntur eſſe
locuti ſancti Pontifices, & alii, qui eam
opinionem, hæreſim eſſe dixerunt, & hæ-
C reticos dici debere, qui eam eſſent ſecuti
ſententiam. At huic aſſertioni Paſchalis
cùm ſemper, ut vidimus, fuerit adverſatus:
procul abeſt, ut hæreticus dici potuerit,
quamvis inveſtituras ex cauſa conceſſerit.
Sed de his rursùm inferiùs.

XLIII.

Ex his planè ſatis apparet, quòd ſicut
Romæ, ita & in provinciis altercatum, aliis
pro Paſchali Papa in excuſationem ipſius
laborantibus, aliis ex adverſo ſurgentibus
non tàm in Paſchalem Pontificem, qui idem
ipſe, ut vidiſti, eſt deteſtatus quod fecerat,
& paratum ſe emendare, ad diverſos jam
(ut audiſti ex Ivone) Epiſcopos ſcripſe-
D rat: quam adversùs Regem Henricum,
quem excommunicandum eſſe, clamarent.
Quod tamen anno ſequenti in diverſis pro-
vinciis eſſe factum in diverſis Conciliis,
ſuo loco dicetur. Porrò quod ad Ivonem
ſpectat, ipſum acquieviſſe ſcriptis à Joanne
Archiepiſcopo Lugdunenſi, inde ſumimus
argumentum, quòd cùm in fine ſuæ epiſto-
læ Joannes iſta poſuerit: Hæc tuæ dile-
ctioni ſub brevitate reſcripſimus, adver-
sùs quæ ſi quid parare volueris ſive comi-
nùs ſive eminùs: audire & reſpondere pa-
rati ſumus.] Ipſe Ivo nihil reſpondiſſe re-
peritur: immò (quod in aliis hactenùs non
E feciſſet) adverſarii epiſtolam perire no-
lens, cum ſuis conſuit, ut cum eis perpe-
tuò ſervaretur, judicans illam dignam me-
moria ſempiterna.

XLIV. Conon Epiſc. Card. Legatus damnat Hẽricum ubique.

Porrò langueſcente capite, nequaquàm
pariter cum eo infirmata ſunt omnia ſimul
membra, ſed mirum in modum adversùs
proditorem & ſacrilegum Principem inſur-
rexere, ipſi Legati potiſſimùm, qui in
diverſis provinciis vice Pontificis munere
legationis Sedis Apoſtolicæ fungebantur.
Inter quos ſicut Romæ Joannis Cardina-
lis Epiſcopi Tuſculani (ut vidiſti)

virtus enituit, ita in Oriente Cononis ſivè Cunonis Cardinalis Epiſcopi Præneſtini legatione ſungentis ingens animi fortitudo pluribus exemplis eſt declarata. Qui ubì Hieroſolymis exiſtens hæc audivit, nulla interpoſita mora, collecto ibi hoc anno Concilio, Henricum ut impium, dirum, ſacrilegumque tyrannum anathemate condemnavit: moxque advolans in Occidentem, eodemque legationis munere Græciam, borealeſque luſtrans circumquaque provincias, in ſingulis, collecta Synodo, ubiq; eumdem Henricum anathemate perculit. Conſtant hæc ipſa ex Actis ultimi ſub Paſchale celebrati (a) Concilii Lateranenſis, ubi iſta leguntur: Et dominus Præneſtinus conſequenter ſubjunxit, qualiter pro ſedis illius legatione Hieroſolymis audierit Regem Henricum poſt ſacramenta, obſides, & oſcula, in ipſa B. Petri Eccleſia dominum Papam tenuiſſe captum, indignè tractatum, potiora Eccleſiæ membra, Cardinales videlicèt exutos, tractos, & malè tractatos: nobiles quoq; Romanos occiſos & captivos, & populorum ſtragem factam, & audiens ingemuerit, & pro hujuſmodi facinoribus Eccleſiæ Hieroſolymitanæ conſilio, zelo Dei animatus, excommunicationis ſententiam in Regem dictavit, & eamdem in Græcia, Hungaria, Saxonia, Lotharingia, Francia, in quinque Conciliis, conſilio prędictarum Eccleſiarum renovando confirmavit, &c.] Quæ omnia voluit per eumdem Paſchalem Pontificem in dicto Lateranenſi Concilio confirmari, de quo ſuo loco dicturi ſumus. Summam itaq; in tanto naufragio Romanæ Eccleſiæ ex ſacerdotali conſtantia Conon ſibi gloriam comparavit, laudemque peperit immortalem. Ita Deo mirabili modo operante, ut quod deficit in capite robur, in cohærentibus membris magis ac magis accreverit ad alligandum perfidum Regem in compedibus anathematis, & nobiles ejus in maledictionibus ſempiternis, ut anno ſequenti dicetur.

a Urſperg. anno Domini 1116.

XLV. Boamundi obitus tēpus.

Quòd autem ſuperiùs obiter facta eſt mentio obitus Boamundi Principis laudatiſſimi, in his præſertim quæ ſpectant ad militarem fortitudinem; non pertranſeat is abſque memoria antiquæ laudis ejus monimentis perpetuis conſignatæ. Vetus etiam Chronicon Romualdi Archiepiſcopi Salernitani, eodem anno ejus recenſet obitum. Petrus (b) diaconus quoque ſub iiſdem Paſchalis Papæ preſſuris Boamundum diem obiiſſe teſtatur. Sepultus fuit Canuſiæ in Apulia in Eccleſia S. Sabini; ad cujus ſepulchrum ejuſmodi hactenùs inſcriptiones in tabulis æreis leguntur, ut ferebant pedeſtres muſæ hujus temporis infelicis:

b Petr. diac. Chron. Caſſ. lib. 4. c. 11.

Boamundi Principis Antioch. Epitaph.

Magnanimus Syriæ jacet hoc ſub tegmine Princeps,
Quo nullus melior naſcetur in orbe deinceps.
Græcia victa quater, pars maxima Parthia mundi
Ingenium, & vires ſenſere diu Boamundi.
Hic acie in dena vicit virtutis habena
Agmina millena, quod & urbs ſapit Antiochena.]

In januis autem æreis iſta:

Unde boat mundus, quanti fuerit Boamundus
Græcia teſtatur, Syria dinumerat.
Hanc expugnavit, illam protexit ab hoſte,
Hinc rident Græci, Syria damna tua.
Quod Græcus ridet, quod Syrus luget, utrique
Juſtè vera tibi ſit Boamunde ſalus.]

Ex alio latere:

Vicit opes Regum Boamundus, opeſque potentum,
Et meruit dici nomine, jure, ſuo.
Intonuit terris, cui non ſuccumberet orbis?
Non hominem poſſum dicere, nolo Deum.
Qui vivens ſtuduit, ut pro Chriſto moreretur,
Promeruit quod ei morienti vita daretur.]

Rurſùm utrimque diſtichon:

Hoc ergo Chriſti clementia conferat iſti,
Militet ut cœlis ſuus hic athleta fidelis.]

Ex alia parte:

Intrans cerne fores, videas quid ſcribitur, ores
Ut cœlo detur Boamundus, ibique locetur.]

Deorſum verò:

Melfiæ Campan. Rogerius fecit has januas & candelabrum.] At de Boamundo hactenùs, cui ſucceſſit filius itidem Boamundus nuncupatus, ſed non ita felix, ſicut nec fortis: de quo conſule Vuillelmum Tyrium.

XLVI. Berythus, & Sidon captæ.

Hoc eodem anno (quod ad res Orientales ſpectat) vigeſimatertia menſis Aprilis Berythus capitur à Balduino. In fine verò ejuſdem anni, nempè decimanona menſis Decembris, Sidon adjumento Danorum & Norvegiæ Regis claſſis ab eodem Rege Balduino capitur. Qua capta Dani cum ſociis victores ad propria reverſi ſunt. Hæc autem Tyrius (c) pluribus narrat.

c Vuillel. Tyr. de bell. ſacr. lib. 11. c. 13. & 14.

XLVII.

Demùm verò claudamus præſentem annum egregio & probè teſtato divino miraculo, ab ejuſdem temporis Scriptore in lucem prodito. Hoc nempè anno quid mirandum acciderit in Leodienſi monaſterio, Rupertus Abbas Tuitienſis fama celebris ita narrat in commentario, quem tunc ſcribebat de Divinis officiis, iſtis verbis: (d) Sed ecce, inquit, dum hæc ſcribimus, jucundo per quemdam Fratrem noſtrum gratia reſurgentis nobis arridet miraculo. Teſtor illam beatam ac delicioſam noctem, in qua Chriſtus ab inferis victor aſcendit, me nihil ſuper hoc mentiri; niſi ille tàm ſacrilegus ſit, ut de ejuſmodi re quidpiam fingere auſus fuerit, quod vita ejus, vel propoſitum omninò prohibet vel ſuſpicari. Fratris tamen ejuſdem nomen tacebitur: quoniam & hoc obnixè precatur. Nam factum quidem lu-

d Rupert. Abb. de Divinis offic. li. 8. c. 4.

cere

cere coram bominibua cupit, ut glorificetur Pa1er qui eſt in cœlis; ſe autem videri non vult, nec ſuis repuiari meritis miraculum, cujus ſola Dci gratia (quo judicio neſcimua) operatrix eſt. Res hujuſmodi eſt. A

XLVIII. De certitudine Reſurrectionis miraculum.

Hoc ſancto Paſchæ ſabbatho, quo cereo (de cujus quoq; præconiia ſuperiùs aliqua diximus) annus ab Incarnatione Domini milleſimus cëteſimus undecimus inſcriptus eſt, in Eccleſia S. Laurenii ad præcedentes ejuſdem diei matutinos, extinctis de more cunctis luminaribus, dum eorum ultimum extingueretur, & ad canticum Evangelii hæc antiphona à domino Abbate B Berengero imponeretur: Mulieres ſedentes ad monumentum: ecce repentè ante pedes illius projectum cecidit ipſius, quo firmiter ſubſtrictus erat, cingulum. Ille ſolutum eſſe & cecidiſſe ſuſpicatus, quod tamen mirum fuiſſet, quia non dclapſum fuera1, neque circum crura pedeſque deſcenderat, ſed ante pedea, quaſi projectum (nt dictum eſt) exiliverat, inclinavit ſe, ut tollens illud, rursùm ſeſe arcingeret. Cùmque manus injeciſſet, ut illud ſibimet circumdaret: nodum, ut erat fortiter aſtrictnm, non cedere ſibi, ultrà qnàm dici poteſt, admiratus eſt. Inten- C denti, & ſecum cum ſtuopre magno reputanti, quidnam hoc ſibi vellet: ecce vox facta eſt, & ſibilum tamquàm auræ tennis audivit direntem ſibi:

Sic potuit clauſo Chriſtus prodire ſepulchro.

Siquidem hæc (ut ipſe referens teſtatus eſt) admiratio mentem ejus perſæpè ſubibat, qnomodò verum Domini corpus (unde ipſe nullatenùs dubitabat) clauſo reſurgere monumento, clauſis potui1 januis ingredi ad Diſcipulos. Mox ergò illi ad memoriam ſimile illud rediit, quod Auguſtinus refer1 in libro de Civita1e Dei fa- D ctum per quamdam Petroniam clariſſimam fœminam, quæ mirabiliter ex magno atq; dintino, in quo medicorum adjutoria cuncta defecerant, dolore ſanata eſt. Hæc à quodam Judæo dixit ſibi fuiſſe perſuaſum, nt annulum capillitio vinculo infereret, quo ſub omni veſte ad nuda corporis cingeretur, qui annlus baberet ſub gemma lapidem in renibua inventum bovis. Hoc alligato quaſi remedio, ad ſancti martyris Stephani limina veniebat. Sed profecta à Carthagine, cùm in confinio fluminis Bagradæ in ſua poſſeſſione manſiſſet: ſurgena nt iter E peragerct, ante pedea ſuos illum jacentem anulum vidit, & capillitiam zonam, qua fuerat alligatus, mirata tentavit. Quam cùm omninò fuis nodis firmiſſimis, ſicut erat, comperiſſet aſtrictam, crepuiſſe atque exiliviſſe ſuſpicata eſt. Qui etiam ipſe cùm integerrimus fuiſſet inventns; futuræ ſalutis quodammodò pignus de tanto miraculo ſe accepiſſe præſumpſit, atqne illud vinculum ſolvens ſimul cum eodem anulo projecit in flumen. Non credant hoc (inquit idem Auguſtinus) qui etiam Domi- A num JESUM per integra virginalia matris enixum, & ad Diſcipulos clauſis oſtiis fuiſſe ingreſſum non credunt.

Comparentur nunc duo hæc tàm inſignia divinæ pietatis miracula, recens hoc, quòd hominem cingulum renum ejus firmiter obſtrictum & indiſſolutum tranſiit & exilivit; & illud antiqnius, quod zonæ inſertus, nodo integro perſiſtente erupit annlus. Neſcio quid mirer ampliùs, niſi quòd hìc pariter (ut ſuprà dictum eſt) vox divinitùa andita eſt: XLIX.

Sic potuit clauſo Chriſtus prodire ſepulchro.

B Hoc igitur, ubì accepi (manè qnippè, ubì primùm loquendi copia fuit, duobua tantùm Fratribus, quornm unua extiti, attonitus adhùc Frater ille rem geſtam re1ulit, obnixè poſtulans, ut creditum nobis ſecretum numquam cum ſuo nominc proderemua:) ubi, inqnam, hoc accepi, tamquàm meia maximè oblatum à Deo uſibus miraculnm, lætus arripui. Siquidem eadem nocte & eamdem paululùm ante horam qua illud accidit, ſupradictam ſimilitudinem ruminare cœperam, ſcilicè1 quòd hi qui fidei Reſurrectionia detrahunt, & ideò non veram carnis naturam credunt reſurre- C cturam, quia Dominua clauſo ſepulchro ſurrexit, vel quia clauſis ad Diſripulos ingreſſus eſt januis: ſimilea ſunt illis, qui terræ, quam inſpexerant, detraxerunt apud filios Iſrael, dicentes: Terra quam luſtravimua, devorat habitatores ſuos. Non igitur impor1unè longior nunc trahitur ſermo de Reſurrectionia gloria, &c.] Hæc Rupertus Abbaa, tunc monachus ſub Berengero ſive Berengario Abbate in monaſterio S. Laurentii in monte Leodii conſtituto, ut ipſe teſtatur in epiſtola nuncupatoria ad Cunonem Abbatem Sigebergenſem, ante commentarium in Geneſim D poſita, qui Berengario moriente Abbate ab eodem commendatus ſuit eidem Cunoni, cujus præfecturæ anno duodecimo, quem notat fuiſſe annum Redemptoris milleſimum centeſimum decimum ſeptimum cum Indictione decima, ſuos cœpit à ſe ſcriptos edere commentarios, ſub ejus vivens patrocinio à perſecutione ſalſornm Fratrum invidia tabeſcentium. Felix progreſſus, ſed non inoffenſo penitùs pede: nam in errorem illum impegit incautè, quo aſſeruit in ſacratiſſimo (a) Euchariſtiæ ſacramento ita ineſſe verè ipſum integrum corpus & ſanguinem Chriſti, ut E tamen ſubſtantia ipſa panis & vini etiam integra remaneret. Qui error damnatus eſt in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio Papa Quarto. Porrò quod ſpectat ad lucubrationea ipſius, nnmerat ipſe eas in epiſtola nuncupatoria ad eumdem Cunonem jam creatum Epiſcopum Ratiſponenſem, conſcripea ultimo loco, cùm primitias laboria ſui diutiùs apud ſe retentas eidem dedicat libros hoc anno ſcriptos de Divinis officiia.] At hæc de Ruperto ad inſtitutum ſatis.

Ruperti Lucubrationes.

a Rupert. Abb. in Ex. lib. 2. c. 10. in fin.

I. Indicitur Lateranenſe Concil.

SEquitur annus Redemptoris milleſimus centeſimus duodecimus, Indictione quinta, quo Paſchalis Papa ad inſtaurandum grave damnum illatum Eccleſiæ, ſcandalumq; curandum quod intuliſſet ubique Fidelibus, ac denique ad reſtituendam ſanctam Eccleſiam in priſtinam libertatem, B Apoſtolicis indictum litteris generale Concilium in Laterano celebrandum habuit. De occaſione autem hujus indicendi Concilii ſic Urſpergenſis hoc anno: Eo tempore dominus Apoſtolicus multas à Romana Eccleſia paſſus eſt injurias, objicientibus ci *adverſariis*, quòd contra inſtituta totius Eccleſiaſticæ diſciplinæ Regem Henricum tyrannum, Reipublicæ vaſtatorem, & Eccleſiarum deſtructorem Imperiali benedictione ſublimaſſet, inſuper privilegio ſacrilego condonaſſet. Inde coactus eſt in Concilio decimoquinto Kalendas Aprilis habito Laterani in Eccleſia Conſtantiniana, C ultima die Concilii, facta coram omnibus profeſſione Catholicæ Fidei, ne quis de fide ipſius dubitaret, dixit: Amplector &c.] De his acturi, in primis, quod ad tempus ſpectat, corrigendi ſunt codices illi, qui habent idem Concilium habitum anno ſequenti: id enim non ex Urſpergenſe tantùm, ſed ex Actis Viennenſis Concilii habiti hoc pariter anno, Indictione quinta, redditur manifeſtum, dum in eis mentio habetur ejuſdem Lateranenſis Concilii dicta die menſis Martii celebrati: adeò ut nulla remaneat dubitatio, hoc ipſo anno idem Concilium celebratum: D quod etiam ex Petro (*a*) diacono poteſt intelligi in Chronico Caſſinenſi.

a Petr. diac. Chron. Caſſ. l. 4. c. 47.

II. Paſch. Pap. quo animo ſit omnes legatos admonuit.

Ante Concilium autem idem Paſchalis Papa ſuam cauſam præjudicavit, cùm univerſo Catholico orbi innoteſcendum curavit per Legatos Apoſtolicæ Sedis, datis ad eos litteris, quomodò coactus feciſſet, quod Henrico de inveſtituris conceſſiſſet. Ceterùm ſe ea omnia invalida reddere, & confirmare quæ à prædeceſſoribus Romanis Pontificibus de his ſtatuta fuiſſent. Extant eodem argumento ejuſdem Pontificis litteræ hoc anno ſcriptæ ad Guidonem E Viennenſem Archiepiſcopum, cujus generis & reliquæ erant ad Legatos cæteros datæ. Reddamus igitur quæ catant ad Viennenſem, ut ex his reliquas quæ non extant intelligamus: ſic ſe habent:

III. Ep. Paſch. ad Vienn. Archiepiſ.

Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Viennenſi Archiepiſcopo Guidoni & Apoſtolicæ Sedis Legato ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Si conſtantiam tuam ſæva illa barbaries minis, blandimentis, aut aliis modis tentat inflectere, prudentia tua immobilis perſeveret. Si enim in viridi ligno ſic factum eſt, quid fiet in aliis? Si in capite ſic perpetratum eſt; quid fiet in membris? Igitur frater chariſſime, in tuo bono incœpto conſtanter & viriliter, Deo præſtante, permaneas, Minæ, vel blandimenta, vel alii ſuaſionis aut diſſuaſionis modi providentiam tuam non moveant, ſed ita Domino auxiliante perdura, ut aliis tua conſtantia ſalutaris perſeverantiæ ſit exemplum. Quæ cognoſcere poſtulaſti, hæc ſunt. Scripta, quæ in tentoriis, in quibus cum multitudine clericorum, & civium Urbis, & totius provinciæ cuſtodiebamur, pro libertate Eccleſiæ, & pro abſolutione captivorum omnium, & pro excidio, quod Eccleſiæ, Urbi, & univerſæ provinciæ, ſuperincumbente undique gladio, imminere videbatur de electione, ſeu de inveſtituris perſonarum facta ſunt, videlicèt: Ut electione libera facta ſine vi & ſimonia conſenſu Regis, facultatem habeat Rex inveſtiendi per virgam & annulum, & electus à Clero, & populo non conſecretur, niſi à Rege inveſtiatur: ego canonica cenſura caſſa omninò & irrita judico, & ſub damnatione perpetua permanere decerno, ut nullius umquam auctoritatis ſint, & nullius bonæ memoriæ. Ea verò quæ ſacri Apoſtolorum canones, & Antiochenum, ac univerſa Concilia, & prædeceſſores noſtri, & præcipuè felicis memoriæ domnus Gregorius, & Urbanus de his prohibuerunt, damnaverunt, ſtatuerunt, & firmaverunt; ego prohibeo, damno, conſtituo, & confirmo, & me illorum ſanctiones profiteor ſervaturum.] Hucoſque epiſtola Paſchalis. Legimus eam in pluribus veteribus codicibus ſcriptis: demùm verò habetur cuſa in Notis ad Ivonis epiſtolas. Eodem quoque argumento ſcripſiſſe ad Gerardum Epiſcopum Engoliſmenſem itidem Sedis Apoſtolicæ Legatum, teſtantur litteræ Vienna redditæ ad eumdem Paſchalem Pontificem. Sic igitur ejuſmodi ab Apoſtolica Sede tonitru in univerſum Chriſtianum orbem perſtrepente, apud omnes innotuit, cujus eſſet fidei Pontifex atque conſtantiæ in conſervandis prædeceſſorum decretis de inveſtituris ſancitis.

IV. Concilium Lateran. celebratur.

Poſt hæc autem ubì dicti Concilii tempus advenit, collecti ſunt in unum duodecim Archiepiſcopi, centum & quatuordecim Epiſcopi, quindecim presbyteri Cardinales, & octo diaconi Cardinales, Abbates plures, & clericorum diverſi ordinis innumera multitudo. Dies Concilii varia diverſorum codicum lectione, diverſa ſcripta eſſe reperitur. Alicubi legitur quinto Kalendas Aprilis, decimoquinto alibi, rurſùm alibi decimooctavo Kalend. ejuſdem. Porrò quæ extant ejus Acta, quæ & Nicolaus Aragonius in ſuum transtulit

codi-

Digitized by Google

codicem in vita Paſchalis, ſic ſe habent :

A

V.

Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo centeſimo duodecimo quinto Kalendas Aprilis celebrata eſt Synodus Lateranenſis à domno Paſchali Papa in baſilica Conſtantiniana. Ubi Epiſcopi complures ex Italicis provinciis interfuerunt, à Tranſalpinis duo. In qua nimirùm Synodo de Gui-

Actum in Synodo de Guibertinis.

bertinis die quarta eſt facta quæſtio, quòd referrentur, quaſi ex permiſſione Papæ interdicta officia celebrare. Tunc Pontifex ait : Nec excommunicatos (ſicut ajunt quidam) generaliter abſolvi. Conſtat enim neminem niſi pœnitentem & ſatisfacientem abſolutionis gratiam conſequi. Guibertinis nec officia interdicta reſtitui, immò Eccleſiæ ſententiam in eos editam juxta prædeceſſorum noſtrorum deliberationem laudamus & confirmamus.

B

VI.

De proditione Henriciana.

Die autem quinta idem Pontifex narravit omnibus, qualiter ab Henrico Teutonicorum Rege cum Epiſcopis quibuſdam, & Cardinalibus tàm presbyteris, quàm diaconibus, & cum magna tàm Romanorum, quàm aliorum, qui tunc ſecum convenerant, multitudine captus fuerit. Quòdque coactus fuerit contra deliberationem ſuam, pro redemptione captivorum, pro pace populi, pro liberatione Eccleſiæ, ut ſupradicto Regi de inveſtituris, quas ſæpiùs prohibuerat, ſcriptum conceſſionis daret, & juramenta per Epiſcopos, ſeu Cardinales fieri præceperit, quatenùs nec de inveſtituris deinceps eum inquietaret, nec in perſonam Regis anathema poneret. Quamvis autem conditio juramenti impoſita ab ipſo & ſuis minùs obſervata ſit (neque enim ſervaverunt nobis quod ab ipſis juratum fuerat :) Ego tamen eum numquam anathematizabo, & numquam de inveſtituris inquietabo, * quòd jam noſtræ commonitionis inſtantiam repulerunt, habebunt judicem Deum. Porrò ſcriptum illud, quod magnis neceſſitatibus coactùs, non pro vita mea, non pro ſalute aut gloria, ſed pro ſolis Eccleſiæ neceſſitatibus ſine fratrum conſilio, aut ſubſcriptionibus feci, ſuper quo nulla conditione, nulla promiſſione conſtringimur : ſicut pravè factum cognoſco, ita pravè factum confiteor, & omninò corrigi, Deo præſtante, deſidero : cujus correctionis modum fratrum qui convenerunt, conſilio, judicioque conſtituo, ne fortè per hoc in poſterum detrimentum aliquod Eccleſiæ, aut animæ meæ præjudicium relinquatur. Tunc enim communi omnium favore laudatum eſt, ut fratres omnes, qui donum à Deo ſapientiæ ſcientiæque perceperant, maturius ſuper hoc conſilium communi collatione ſuſciperent, quid ſequenti die per inſpirationem Spiritus ſancti reſponderent.

C

* Sed quoniam.

D

E

VII.

Paſch. Papæ profeſſio.

Die itaque ſexta, quæ & ultima Concilii fuit, fidei ſuæ veritatem ſanctis Patribus per omnia congruentem dominus Papa Paſchalis in audientia totius Concilii expoſuit, aſſerens ſe Scripturas ſanctas veteris & novi Teſtamenti, & Concilia Univerſalia veneranda ſuſcipere ac venerari, quæ Catholica Eccleſia ſuſcipit & veneratur, ita dicendo : Amplector omnem divinam Scripturam, ſcilicèt veteris & novi Teſtamenti, Legem ſcriptam à Moyſe & à ſanctis Prophetis : amplector quatuor Evangelia, ſeptem canonicas Epiſtolas, & Epiſtolas glorioſi doctoris beati Pauli Apoſtoli, ſanctos canones Apoſtolorum, quatuor Univerſalia Concilia, ſicut quatuor Evangelia, Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum & Chalcedonenſe, * decreta ſanctorum Patrum Romanorum Pontificum, & præcipuè decreta domini mei Papæ Gregorii, & beatæ memoriæ Papæ Urbani. Quæ ipſi laudaverunt, laudo: quæ ipſi tenuerunt, teneo : quæ confirmaverunt, confirmo: quæ damnaverunt, damno: quæ repulerunt, repello : quæ interdixerunt, interdico : quæ prohibuerunt, prohibeo in omnibus, & per omnia ; & in his ſemper perſeverabo.

* Aliqui textus habent, & Antiochenum.

VIII.

In calce etiam hujus profeſſionis ex ore omnium ; qui ad conſulendum heſterna deliberatione convenerant, Engoliſmenſis Epiſcopus Gerardus hanc in ſcriptis ſententiam recitavit.

Sententia Synodalis contra privilegium Regi datū.

Privilegium illud, quod non eſt privilegium (neque verò debet dici privilegium, ſed pravilegium) pro liberatione captivorum & Eccleſiæ à domno Papa Paſchali per violentiam Henrici Regis extortum, nos omnes in hoc ſancto Concilio cum eodem domno Papa congregati canonica cenſura, & Eccleſiaſtica auctoritate, judicio ſancti Spiritus damnamus, & irritum eſſe judicamus, atque omninò caſſamus, & ne quid auctoritatis & efficacitatis habeat, penitùs excommunicamus. Quod ideò damnatum eſt, quòd in eo privilegio continebatur, quòd electus canonicè à Clero, & populo, à nemine conſecretur, niſi priùs à Rege inveſtiatur, quod eſt contra Spiritum ſanctum, & canonicam inſtitutionem.

IX.

Perlecta verò hac charta, acclamatum eſt ab univerſo Concilio. Amen, Amen. Fiat, Fiat, Archiepiſcopi verò, & Epiſcopi quoque & presbyteri Cardinales, qui interfuerunt ipſi Concilio, hi ſunt, videlicèt:

C. Sabinenſis.
G. Portuenſis.
L. Oſtienſis.
C. Prænestinus.
I. Tuſculanus.
Patriarcha Venetus.
L. Capuanus.
L. Beneventanus.
A. Amalphitanus.
H. Rheginenſis.
Hydruntinenſis.
Brunduſienſis.
Coſentinus.
Geruntinenſis.
Roſſanenſis.
Segobienſis.
G. Legonienſis.
Legatus pro Bituric.

G. Viennenſis Archiepiſcopus.
R. Volateranus.
G. Senenſis.
R. * Popubre.
G. Tarracinenſis.
G Syracuſanus pro omnibus Siculis.
G. * Vorrianus. (* Verulanus.)
B. Signienſ. & alii ferè centum Epiſcopi.
Presbyteri Cardinales.
B. Cardinalis tit. S. Marci.
R. Card. tit. S. Clementis.
R. Card. tit. S. Priſcæ.
G. Card. tit. SS. Apoſtolorum xii.
B. Card. tit. S. Petri ad Vincula.
R. Card. tit. S. Euſebii.
R. Card. tit. S. Laurentii in Damaſo.
I. Card. tit. S. Cæciliæ.
B. Card. tit. S. Martini.
F. Card. tit. S. Chryſogoni.
R. Card. tit. SS. Petri & Marcellini.
V. Card. tit S. Xyſti.
A Card. tit. S. Suſannæ.
Cardinales diaconi octo.
Abbas Sublacenſis.
Joannes Abbas Cajetanus.
Abbas S. Andreæ.
Leo.
Gregorius.
Aldo.
Theobaldus.

Roſimanus, qui in damnationem dicti privilegii conſenſerunt cum Abbatibus aliis & multitudine innumerabili tàm clericorum, quàm laicorum.] Et poſt hæc ita in codice:

X. Hæc charta lecta eſt à Gerardo Engoliſmenſi, Leone Oſtienſi, Gelone Legionenſi Epiſcopis, Roberto Card. tit. S. Euſebii, & Gregorio Card. tit. SS. xii. Apoſtolorum, de communi aliorum conſenſu.] In alio codice poſt Amen, Amen; Fiat, Fiat, hæc legebantur: Tunc ſurgentibus ex conſenſu fratribus, gratia Deo & Pontifici actæ ſunt, quia patefacta liquidiùs veritate, de medio ablata ſit ſcandali & diſſenſionis occaſio. Et conſenſerunt duodecim Archiepiſcopi, centum & quatuordecim Epiſcopi, & quindecim presbyteri Card. octo diaconi Card. Qui omnes in damnatione prædicti privilegii conſenſerunt cum Abbatibus, & innumerabili multitudine tàm clericorum, quàm laicorum.] Hucuſque in codice Vaticano, facta collatione cum aliis exemplaribus.

XI. Sed deſcribamus hic carmina Gotfridi Viterbienſis Notarii Imp. quibus per Pontificem geſta uſque ad finem Concilii alia pleraque ſic narrat:(a)

(a Gotfr. Viterb. Chron. part. 17.)

(Alia concil. acta carmine ſcripta.)

Papa dolens lamenta movet, totumque per orbem,
Eccleſiam ſua charta vocat properanter ad Urbem.
Hac ubi conſedit, Cæſaris Acta dedit.
Tunc ait: O Patres, à Cæſare ſcripta notate,
Et quodcumque placet ſuper his decreta parate:
Me quoque Pontificem non fore, juſſa date.
Peccatis mala veſtra meis veniſſe notavi,
A *Officiis me deſtitui dignum reputavi,*
Me quoque depoſui, ne pereatis, ait.
Hæc ait, & mitram reiicit, mantumque relinquit,
Ordinet Eccleſia ſine me, quidquid placet, inquit.
Moreque Pontificis judicet ipſa ſibi.
Scripta legunt Cleri: Rex pontificalia quærit,
Anulus & baculus ſub Cæſare fertur haberi.
Copia Pontificum: non ita (dixit) erit.
Extortum Papæ ſcriptum contra rationem
B *Uritur; & priſcum ſibi conciliamus honorem.*
Tolle pater mantum, Curia tota movet.
*Rursùs in Henricum * Quintum nova bella geruntur,* (* Regem ſcilicèt, ſed Imp. IV.)
Priſtina mota patri ſibi jam tormenta moventur,
Ut pater antè fuit, ſic anathema luit.
Littera Papalis ſimul & Papale ſigillum,
Miſſa per Imperium gravis excommunicat illum,
Et cunctos proceres, qui ſua juſſa tenent.]
C Hæc ipſe.

XII. Poſt Conciliũ renovatę diſcordiæ.

At licèt hæc ita ſtabilita in Concilio videri potuiſſent: tamen haud eſt ſopita diſcordia, quòd videlicèt ipſe Paſchalis Papa noluerit per ſe ipſum datum Henrico privilegium condemnare, & ipſum excommunicare, neque conceſſas inveſtituras eidem, revocare, ut ex verbis ejus audiſti ſuperiùs ita dicentis: Ego tamen eum numquam anathematizabo, numquam de inveſtituris inquietabo.] Ipſum verò damnari per Concilium potiùs, quàm per ſe ipſum conceſſum illi privilegium permiſerit. Immò ex eo, quòd amicitiam D cum eodem Imperatore retinuerit, atque litteris coluerit, & officiis frequentaverit: exulcerabat animos Orthodoxorum pro libertate Eccleſiæ æſtuantium. Quod patet ex litteris Guidonis Archiepiſcopi Viennenſis, qui fuit poſteà Calliſtus Papa, modò autem Legati Apoſtolicæ Sedis, qui Viennæ hoc anno contra iſthæc ab Henrico ſcelera perpetrata Concilium celebravit decimoſeptimo Kalendas Octobris, cui inter alios Epiſcopos interfuit, immò & præfuit pro Legato (quòd impeditioris eſſet linguæ) ſanctus Godefredus Epiſcopus Ambianenſis, ut teſtatur ejus E temporis ſcriptor (b) Nicolaus in vita ipſius. Sed & interfuit huic Concilio Viennenſi S. Hugo Epiſcopus Grationopolitanus (inquit Guido Abbas Carthuſiæ in vita ipſius) qui præ cunctis, ut Henricus, qui ſic enormiter in Paſchalem Papam peccaſſet, excommunicaretur, in eodem Viennenſi Concilio effecit.] Porrò ibidem iſta decreta ſcripta eſſe reperiuntur:

(b *Nicol. in vit. S. Godefridi lib. 3. c. 7. die 8. Novembr. apud Sur. tom. 6.*)

XIII. Concilii Viennenſis decreta.

Inveſtituram Epiſcopatuum & Abbatiarum, & omnium Eccleſiaſticarum rerum de manu laica, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ

cleſiæ auctoritatem ſequentes, hæreſim eſſe judicamus.

Scriptum illud, ſeu privilegium, quod à domno Paſchali Papa violenter Henricus Rex de inveſtituris, de anathemate in perſona ſua non ſponte extorſit: in virtute ſancti Spiritus damnamus, atque irritum eſſe, & nullius beatæ memoriæ judicamus fieri.

Excommunicatio Henrici Imp. Henricum Teutonicorum Regem, qui ſimulata pace Romam veniens, poſt data ſacramenta domno Papæ Paſchali vitæ, membrorum, malæ captionis, refutationis inveſtiturarum, eumdem domnum Papam in Sede Apoſtolica ante corpus beati Petri, poſt oſculationem pedis, oris, & faciei, proditione, perjurio, & ſacrilegio, velut alter Judas, cum Cardinalibus Epiſcopis, & Archiepiſcopis, & multis Romanorum nobilibus tradidit, cepit, & raptum in caſtra inſignibus Apoſtolicis exuit, & indignè atque inhoneſtè irriſum tractavit, & ab eo nefandiſſimum & deteſtabile ſcriptum violenter extorſit: excommunicamus, anathematizamus, & à gremio ſanctæ matris Eccleſiæ ſequeſtramus, donec his omnibus abrenuntiata, plenam ſatisfactionem Eccleſiæ exhibeat.] Hactenùs decreta Concilii Viennenſis, quæ Archiepiſcopus Legatus Romam confirmanda miſit, his tunc ad eumdem Paſchalem Pontificem litteris ſynodalibus datis:

XIV. Synodalis Epiſt. Conc. Vien. ad Paſch. Pap. Domno ſancto & dulciſſimo patri Paſchali, Guido Viennenſis Archiepiſcopus, & Apoſtolicæ Sedis Legatus, & cæteri omnes Epiſcopi & Abbates, qui Viennenſi affuimus Concilio, debitam ſubjectionem & obedientiam.

Sanctæ paternitatis veſtræ mandata ſequentes, apud Viennam convenimus, ibique cooperante gratia Spiritus ſancti, de inveſtituris, de captione veſtra, & veſtrorum, de perjuriis Regis, de peſſimo illo pacto & privilegio, quod à veſtra majeſtate violenter extorſit, tractare diligenter curavimus. Affuerunt Legati Regis, litteras bullatas, quaſi de parte veſtra ad eum miſſas, ſudacter prætendentes, in quibus erga eum veſter bonus affectus pacis & concordiæ & perfectæ amicitiæ ſignificabatur. Quas nimirùm poſt Concilium, quod in præterita ultima Quadrageſima Romæ celebraſtis, ſe recepiſſe, & ſibi miſſas idem Rex teſtabatur. Cùmque ſuper his multa nobis incuteretur admiratio, memores tamen litterarum illarum, quas humilitati noſtræ, illarum etiam, quas Gerardo Engoliſmenſi Epiſcopo & veſtræ Sedis Legato de bona juſtitiæ perſeverantia miſeratis: totius ſanctæ Eccleſiæ & noſtræ Fidei ruinam evitare cupientes, ad Dei honorem, & veſtrum animati, canonicam viam aggreſſi ſumus.

XV. Igitur dictante ſancto Spiritu inveſtituram omnem rei Eccleſiaſticæ de manu laica hæreſim eſſe judicavimus.

Scriptum illud, quod Rex à veſtra ſimplicitate extorſit, damnavimus.

In ipſum etiam Regem nominatim, & ſolemniter, & unanimiter ſententiam anathematis injecimus. Et nunc domne pater, veſtram, ſicut dignum eſt, majeſtatem ſupplicitèr exoramus, ut quod pro ſanctæ Eccleſiæ fidei robore, pro Dei & veſtro honore fecimus, auctoritate Apoſtolica ſolemniter confirmetis. Cujus confirmationis argumentum per apertas nobis litteras ſignificare dignemini, quas etiam (ut gaudium noſtrum ſit plenum) alter alteri deſtinare poſſimus. Et quoniam Principum terræ pars maxima, & univerſi ferè populi multitudo in hac re nobiſcum ſentit: in remiſſionem peccatorum ſuorum omnibus injungatis, ut ſi neceſſe fuerit, auxilium nobis, & patriæ unanimiter ferant.

Illud etiam cum debita reverentia veſtræ ſuggerimus pietati, quòd ſi nobiſcum in his ſteteritis, ſi hoc ſicut rogamus, confirmaveritis; ſi deinceps ab ipſius crudeliſſimi tyranni, & Nuntiorum ejus litteris, locutione, muneribus abſtinueritis: unanimiter nos, ſicut decet, habebitis filios & fideles. Si verò (quod minimè credimus) aliam viam aggredi cœperitis, & noſtræ paternitatis aſſertiones prædictas roborare nolueritis: propitius ſit nobis Deus, quia nos à veſtra ſubjectione & obedientia repelletis. Valete.] Iſtis hæc in codice ſubjecta leguntur: Anno ab Incarnatione Domini, milleſimo centeſimo duodecimo, Indictione quinta, decimoſeptimo Kalendas Octobris, Concilium hoc Viennenſe celebratum eſt.] Quod autem ad confirmationem ſpectat, Paſchalis Papa confirmare diſtulit; vixque impulſu Canonis Præneſtini Epiſcopi Cardinali poſt annos quatuor, nempè Redemptoris anno milleſimo centeſimo decimoſexto, in Lateranenſi Concilio confirmavit omnia, quæ per Legatos geſta eſſent, nominatim verò per eumdem Archiepiſcopum Viennenſem, ut ſuo loco patebit.

XVII. Paſch. Pap. ſugillatur. Sic igitur Paſchalis Papa, qui hactenùs ſumma gloria Pontificatum univerſalis Eccleſiæ adminiſtraſſet: ab anno ſuperiori, quo ea quæ vidimus perpetravit, Apoſtolicæ conſtantiæ ſucciſis nervis, viſus eſt langueſcere, & hebeſcere, cùm nec tot undique, ſive ab his qui eſſent Romæ, ſive in provinciis, ſtimulis agitatus, in Henricum ſacrilegum inſurrexerit, eumdemque anathemate condemnaverit, nimis tenax cuſtos præſtiti, immò per vim & metum extorti juramenti. Sed & quòd ejuſdem proditoris uſum amicitiæ retinuerit, & quòd ex adverſo undique magno animo inſurgentes (ut vidiſti) & zelo Catholicæ Eccleſiæ libertatis læſæ æſtuantes Patres repreſſerit: magnam ipſe ſibi notam inuſſit; ſummam verò laudem ſibi pepererunt Cardinales atque Legati eum cæteris, qui ſic ipſum per tot annos admonitionis ſtimulis agitarint, ſicque renitentem patientiſſimè tolerarint, ut nullum ſint paſſi conflari ſchiſma, nec in Eccleſia adeò immane ſcelus inultum relinqui in perpetuam Sedis Apoſtolicæ ignominiam. Ita divina

A na providentia in eadem ſacroſancta Sede Apoſtolica diſpenſante, ut cùm langueſcit caput, membra ad defenſionem fortiùs roborentur, nec ſinant tyrannos irrumpere, vel quæcumque adverſa in Eccleſiam prævalere.

XVIII. Cæterùm, quod audiſti in eodem Concilio Viennenſi ſtatutum, hæreſim eſſe de manu laica inveſtituram accipere: ſic intelliges ſecundùm ea, quæ ex epiſtola Joannis Archiepiſcopi Lugdunenſis ſunt ſuperiùs recitata, non ſcilicèt, quòd ſit hæreſis, ipſas inveſtituras diſpenſando concedere, ſed aſſerere atque defendere de jure eſſe, B & debere fieri per laicos inveſtituras: id hæreſim eſſe, cùm id ſit falſum dogma, bonis moribus & ſacris Patrum inſtitutionibus repugnans, in Eccleſiam introducere. Quod tamen crimen nihil penitùs eſt, quod jure Paſchali Papæ obiici aliquo modo potuerit, cùm ſive litteris ad diverſos datis, ſive verbis in Conciliis ſemper teſtatus atque profeſſus ſit, ſe de inveſtituris firmiter tenere, quæ prædeceſſores Gregorius Septimus atque Urbanus conſtituiſſent.

Paſchalis fides Catholica integra.

XIX. Quod verò non Cardinales tantùm, ſed & in provinciis Epiſcopi (ut vidiſti) pro defenſione Eccleſiæ adversùs Imperatorem C uno juncti ſpiritu inſurrexerunt: fuit ſumma laude dignum. Quòd verò etiam hoſtes, qui tantorum malorum auctores fuere, adversùs Imperatorem pro Eccleſia ſteterint: id quidem omnem ſuperavit admirationem, ut planè illud Davidicum (a) de re tanta uſurpare licuerit: Hæc eſt mutatio dexteræ Excelſi.] Cùm ille ipſe Imperatoris Cancellarius Albertus, cujus conſilio potiſſimùm uſus Imperator, tot tantaque indigna in Paſchalem Pontificem perpetraverat: idem inquam ipſe, qui ob mercedem impietatis, anno ſuperiori Archiepiſcopatum Moguntinum acceperat: D hic tantus ſimul ac inſulas accepit Epiſcopales, mutatus in virum alterum, veritatem propugnare aggreſſus ſit, & pugnare contra Pontificis Romani perſecutores; in primis verò contra ipſum Imperatorem, quoad vixit, indies magis, magiſque conſtanter minimè prætermiſerit; nec deſtiterit aliquando, quamvis extrema quæque ſit pati coactus, donec victoriam de recuperata prodita libertate ſancta Eccleſia fuerit conſecuta. Urſpergenſis hujus temporis hiſtoricus quamvis favens Henrico, huncque ſugillans, ut in Imperatorem infidum, per ſingulos fermè annos res ab Adal- E berto geſtas, detrahendo licèt potiùs, quàm laudando, commemorat.

Albertus Cancellarius contra Imper. agit.

a Pſal. 76.

XX. Atque primò de Archiepiſcopatu Moguntino eidem collato anno ſuperiore poſt Icelus admiſſum ſic: Habita poſt hæc Moguntiæ Curia, Adalbertum Cancellarium ſuum dudùm in eamdem cathedram electum baculo, & anulo inveſtivit.] Ita ipſe. Hoc autem anno agens de Viennenſi Archiepiſcopo, per Germaniam anathema in Imperatorem declamante, & plurimos commovente: inter alios eumdem Adalbertum Moguntinum Archiepiſcopum in Imperatorem concitaſſe tradit; cujus rei cauſa idem Moguntinus ab eodem Henrico fuerit detruſus in carcerem, ubi triennio detentus, & uſque ad ultimum ferè ſpiritum cruciatus, demùm Moguntinorum in Imperatorem inſurgentium violentia coactus eſt Imperator eum dimittere, ut ſuo loco dicetur. Egreſſum verò de carcere ea tantùm curaſſe, quæ Romanus Pontifex per Legatos monuiſſet, idem auctor per ſingulos fermè annos, ut dixi, res ab eo geſtas narrans pluribus exemplis oſtendit, noſque ſuis locis, pro temporis ratione dicemus. Sicque vides quaſi miraculo factum, ut cùm is, qui poſitus eſt in Sede Petri defenſor veritatis, ex humanæ miſeriæ conditione infirmus apparet: Deus ad defenſionem ejus hoſtes ipſos quoque convertens, majoribus auxiliis comparatis ipſam defendat Eccleſiam.

Hoſtes Eccleſię in defenſores converſi.

XXI. Præter hæc autem ad acerbiſſimum caſum Romanæ Eccleſiæ, cujus fama pervaſit quoque Orientem, permoti ſunt etiam ejus æmuli, ac inſuper adverſarii, quorum præcipuus Imperator Alexius (ut auctor eſt Petrus diaconus: (b) hoc anno miſit Legatos Romam ad Romanos ipſos, quibus condoleret ipſis, eiſdemque omne quod poſſet ſponderet auxilium & favorem. Res tùm geſta ſic ab ipſo narratur: Eodem anno, *quo ſcilicèt dictum Romanum Concilium celebratum eſt*, Alexius Imperator, cujus ſuprà meminimus, ſtrenuiſſimos ex ſuo Imperio viros Romam cum ſuis litteris miſit, quibus de injuria ab Imperatore illata Pontifici atque Romanis dolenter audiſſe ſignificans: agebat poſtmodùm gratias, eoſque laudabat, quòd viriliter illi obſtitiſſent. Atque ob id, ſi illorum animos paratos promptoſque ſenſiſſet (ut ſibi jam dudùm nuntiatum fuerat) velle vel ſe, vel Joannem ſuum filium, juxta morem priſcorum fidelium Imperatorum, à ſummo Pontifice Romæ coronam Imperii ſumere Romani: ſe omninò fore paratiſſimos ad ipſius nutum, per eoſdem Nuntios mandant. Menſe autem Majo elegerunt ex ſuis ferè ſexcentos ad Imperatorem conducendum; qui Caſſinum venientes, ab Abbate honorificè excepti ſunt, cum quibus Legatos ad Imperatorem ipſe quoque direxit, ſervitium ei & orationis ſuffragia ſpondens. Igitur Conſtantinopoli profecti, cùm Imperatori unà cum Romanis quid ſibi Abbas noſter mandaverat, expoſuiſſent: cenſuit illum Imperator inter amicos Imperii habendum, ac per hujus cœnobii Fratres octo libras ſolidorum, palliumque triacontaſimon beato Benedicto direxit. Mandavitque inſuper Abbati ipſi, ut cùm ipſe Romam coronandus accederet: obviam illi Dyrrachium pergeret, atque cum eo ad Urbem uſque properans, in ejus permaneret obſequio.] Hæc Petrus. Sed iſta omnia in auras inanes evanuere, quæ aliquo prætextu viſa ſunt fuiſſe tentata ſub ejuſmodi inſuetæ legationis involucro.

b Pet. Diacon. lib. 4 c. 48.

Alexii Imp. legatio ad Romanos pro Sede Apoſt.

XXII. Hoc eodem anno, qui numeratur quintus

exactus,

Cauſa Epiſc. Auguſtani defertur ad Paſch. Pap.

exactus, ſextus verò inchoatus à tempore Concilii Guaſtaldenſis, ad Paſchalem Papam querelæ antiquæ renovatæ, & aliæ innovatæ perlatæ ſunt adversùs Herimannum intruſum Epiſcopum Auguſtanum, qui (ut vidimus) ut lupus ingreſſus ad mactandum, & perdendum oves aditum ſibi paravit, ut vulpes verò venatores eluſit: demùm cùm ut ſus cuncta etiam ſancta libidine conſpurcaret: defertur rursùm ad Paſchalem Pontificem. Cujus rei geſtæ hiſtoria ita ab Udalſcalco, qui aderat, ſcripta narratur: Deprehenſus jam crebriùs in ſtupri fœditate dictus *Herimannus* Epiſcopus, B poſt monialium ſeu aliarum meretricum ſcortum, perpetraſſe in Eccleſia diffamatur adulterium. Cujus videlicèt uxoris maritus, cùm eſſet fortitudine ac bonitate conſpicuus, facilè totam civitatem potuiſſet in adulteri concitare necem; ſed malens gladio ſpirituali judicium ſibi fieri, quàm materiali, Sedem petivit Apoſtolicam, de crimine facturus querimoniam. Auguſtenſis verò Eccleſia tanto ſcelere quaſi de graviſſimo erroris ſomno experrecta, ad eamdem Sedem litteras dirigit, quid ſuper tali Epiſcopo ſentire debeat, inquirit, quæ infrà poſitis informatur C ſcriptis.

XXIII. Quæ Paſc. in cauſa Herimãni.

Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Auguſtenſis Eccleſiæ clericis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Pro querelis quibuſdam, quæ ſuper Epiſcopo veſtro ad audientiam noſtram ante quinquennium pervenerunt; nos ei tunc temporis officium Epiſcopale interdixiſſe meminimus, quia & à noſtro id temporis Legato bonæ memoriæ Richardo Albano Epiſc. ſicut veſtris ſignificatur litteris, invitatus; & noſtra præceptione præmonitus, nequaquàm ad ſtatutum termiD num ante nos curavit occurrere, aut purgationis debitũ exhibere. Ex illo *namque tempore* numquã interdicti remiſſionem nos ei feciſſe meminimus ...] Hucuſque ex litteris Paſchalis, quæ enim ſequuntur, ex clericorum potiùs ad Paſchalem Papam epiſtola eſſe noſcuntur: quæ ſic ſe habent: Latorem præſentium Apoſtolicæ Sedis auxilium poſtulantem veſtræ * fraternitati commendamus, ut in querela, quam adversùs eum Epiſcopum gerit, vos ejus juſtitiam tueamini. Datum Romæ nono Kal. Decembris.] Ita interverſa legeE bantur in codice: nam hæc de tempore datæ epiſtolæ ad ſequentem epiſtolam pertinere noſcuntur, quæ ſcripta legitur data ab eodem Pontifice ad Archiepiſcopum Moguntinum, his verbis:

* Paternitati.

XXIV. Epiſt. Paſch. ad Archiep. Moguntinum.

Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Arnoldo venerabili fratri Moguntino Archiepiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Super cetera horrenda & infamia, quæ de perſona Auguſtenſis jamdudùm ad Sedis Apoſtolicæ audientiam perlata ſunt; ſuper querelam Adalberti Auguſtenſis ciA vis lacrymabili ſuggeſtione ſuſcepimus. Quam nimirùm perſonis Eccleſiaſticis dicere & audire turpe eſt, ſed ex ipſius Adalberti poteris relatione cognoſcere. Tibi ergò, ad quem hujuſmodi diſcuſſio pro metropolitanæ dignitatis debito attinet, litterarum præſentium præceptione injungimus, ut hujuſce negotii veritatem, convocatis fratribus, ſollicita inquiſitione diſcutias, & quod juſtitia exegerit, decernatis. Quod enim à vobis juſtè & rationabiliter, auctore Deo, ſtatutum fuerit, nos ratum habebimus.] Hucuſque Paſchalis epiſtola ad Archiepiſcopum MogunB tinum, qui vocatum ad Synodum ad dicendam cauſam Epiſcopum Auguſtanum, nec venientem excommunicavit, & cum adultero adulteram quoque pari ſententia anathematis condemnavit, ut ex ejuſdem Archiepiſcopi litteris Acta, quæ recitantur inferiùs, docent. Cæterùm rursùs ad impoſturas, ad fraudes iterùm recurrit Epiſcopus, qui mendacium poſuit fiduciam ſuam, atque uſus comminiſtro commenti Conrado Canonico Auguſtanæ Eccleſiæ, fingit litteras ad Paſchalem Pontificem: ait enim Udalſcalcus: Spreto Epiſcopus ſalubriori conſilio, & criminis C conſcius, ſolito mendacii armatur præſidio. Litteræ ſiquidem tamquàm ex Auguſtenſis Eccleſiæ perſona finguntur per Canonicum Conradum, & dictum fratrem Ratpotonem Apoſtolico diriguntur:] quibus ſcilicèt petebatur, ut cauſa ipſa cognoſcenda ab eodem Paſchali Pontifice Curienſi injungeretur Epiſcopo viciniori, prout apparet ex redditis litteris Paſchalis ad eos, quæ ſic ſe habent.

XXV. Epiſt. Paſch. ad Eccleſ. Auguſtanam.

Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis D. Decano, & cæteris Auguſtenſis Eccleſiæ Canonicis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

D Diù eſt quòd frater noſter Herimannus Epiſcopus veſter de tribus apud nos fuit capitulis impetitus, de pravo videlicèt electionis & conſecrationis acceſſu, de converſatione perverſa, & de rerum Eccleſiaſticarum diſtractione. Pro quibus ipſo ab Epiſcopali officio ſuſpenſo, terminus conſtitutus eſt, quo pars utraque ante noſtram deberet præſentiam convenire. Infra quem nimirùm terminum confrater veſter & Concanonicus Conradus ad nos venit, & ſicut ipſe aſſerit, à vobis accepit, quòd Epiſcopus liber eſſet, niſi illi conſtituto termino convenirent. Cùm E itaque nuper ante nos & de quibuſdam aliis gravibus idem diffamaretur Epiſcopus: cum his ad memoriam noſtram etiam illa præterita redierunt. Unde opportunum duximus, cauſam ipſius, ne diutiùs Eccleſiæ detrimentum afferat, terminare. Sed quoniam propter difficultates itinerum, & perſonæ infirmitatem, noſtro nequit ſe offerre conſpectui: confratri noſtro Vvidoni Curienſi Epiſcopo negotium iſtud providimus injungendum. Præcipimus ergò, ut ipſe cauſam omnem diligentiùs audiat. Et ſi Epiſcopus veſter

de rerum

Digitized by Google

de rerum Eccleſiaſticarum & de perverſæ converſationis vita emendatione fecit, & de aliis quæ objecta ſunt, tertia Epiſcoporum, vel quinta presbyterorum manu ſe purgaverit, reſtitutionem interdicti ſibi officii conſequatur. Datum Beneventi Kal. Aprilis.] Ita Paſchalis, ſi tamen Paſchalis, immò potiùs Paſchalis nomine conficta à Conrado atque collega fuerunt: de quibus admodùm idem, qui iſta deſcribebat, conqueritur Udalſcalcus, qui inferiùs ait, Curienſem hunc Epiſcopum fuiſſe fratrem Conradi fraudis ipſius compoſitoris. Vides igitur iterùm ſcriptis ſurreptitiis apud Paſchalem nefandum hominem ut inoocentem in Eccleſia illa Epiſcopum permanſiſſe. Reliqua de eo ſub Calliſto Papa actitata ſuo loco dicenda erunt. Sed quæ inſuper ad hunc annum ſpectant memoriæ de rebus geſtis ſub Paſchali, hæ habentur in titulo ſancti Laurentii in Lucina:

XXVI. Tempore domini Paſchalis Secundi Papæ, anno ejus xiii. milleſimo centeſimo duodecimo, Indictione quinta, ſexto Kal. Februarii, per manus ejuſdem Pontificis craticula, ſuper quam proculdubiò beatus Laurentius emiſit ſpiritum, de quodam altari veteri educta eſt, cum duabus ampullis vitreis mediis ſanguine ejuſdem Martyris, quæ cùm nonnullis diebus videretur à Romano populo, coram ejus multitudine per manus Leonis Oſtienſis Epiſcopi ſub hoc novo altari ix. Kalendas Febr. recondita eſt.

Ex ſede verò marmorea ſancti Laurentii in Lucina retro altare primarium, ac rurſùm in tabula marmorea ejuſdem Eccleſiæ (quæ item ad præſentem annum ſpectant) hæc habentur quæ ſequuntur:

XXVII. Anno Domini milleſimo centeſimo duodecimo, Indictione quinta, in Kalendis Februarii dedicatum eſt hoc altare per manus Leonis Oſtienſis Epiſcopi. Reliquiæ ſanctorum martyrum in hoc venerabili loco hæ reconditæ ſunt, ſancti Cornelii Papæ, ſancti Dionyſii Papæ, Epiphanii Archiepiſcopi, Paterniani Epiſcopi, Concordii Epiſcopi, Stephani protomartyris, Leonardi, Siſinii, Laurentii, D. . . . : Potentiani, Euſebii, Vincentii & Peregrini, Marci, Marcelliani, Gervaſii, Protaſii, Euſtathii, Agathæ, Cyriacæ, Martinæ, Sophiæ, Piſtis, Elpis, Agapes.] A † Ω. Inſuper ibidem hæc ſequuntur.

XXVIII. Corpora SS. Martyrum inventa. Anno Domini milleſimo centeſimo duodecimo, Indictione quinta, menſe Octobris, die xv. anno verò xiii. domini Paſchalis Secondi Papæ, quidam presbyter hujus Eccleſiæ nomine Benedictus, ducens ſecum quoſdam laicos adiit Eccleſiam ſancti Stephani, in loco qui dicitur Aqua transverſa, ubi ſub altari invenit corpora ſanctorum martyrum Pontiani, Euſebii, Vincentii, & Peregrini; quæ indè auferens ſuis cum ſociis in hác Eccleſiam tranſtulit, & domno Papæ Paſchali, ſicut res acta fuerat, intimavit. Quo audito, venerabilis Pontifex præcepit, ut in altari majori ſancti Laurentii ſub craticula conderentur: quod & factum eſt. Eodem quoque anno idem presbyter invenit corpora ſanctorum in via Ardeatina, Gordiani videlicèt martyris, & Feliculæ virginis & martyris, & in majori altari juſſu præfati Pontificis ſuperpoſuit.] Hæc ibi de his quæ ad præſentem annum ſpectant: reliqua inferiùs ſuo loco.

XXIX. Arnulphus Patriarcha Hieroſol. Hoc eodem anno defuncto Gibelino Hieroſolymitano Patriarcha, eligitur Archidiaconus ejus Eccleſiæ Arnulphus nomine, de quo ſæpè ſuperiùs, cujus deteſtabiles mores, opera nequiſſima Vvillelmus (a) Tyrius narrat. Ita planè cùm ejuſmodi eligerentur in Epiſcopos, numen redditur Chriſtianis infenſum. Moritur verò eodem anno Tancredus Princeps Antiochiæ inſignis armis, ſed præſtantior pietate, qui habuit Rogerium ſucceſſorem, & moribus planè degenerem.

S. Guidonis obitus. Quo pariter anno die duodecima Septembris illuſtris meritis S. Guido Confeſſor poſt Hieroſolymitanam peregrinationem iterùm repetitam ex hac vita migravit, ut ejus vitæ Acta ſcriptis data teſtantur. De eodem eſt mentio ea die in Romano Martyrologio.

a *Vvillel. Tyr. lib. 11. c. 15. 18. 19.*

JESU CHRISTI ANNUS 1113. PASCHALIS PAP. II. ANNUS 14. HENRICI IV. IMP. 3. ALEXII COMNENI IMP. 33.

I. Milleſimus centeſimus decimustertius annus jam incipit, Indictione ſexta, quo Paſchalis Papa pergens Beneventum, ibi Synodum celebravit, in qua quæſtiones provinciales, & alia judicialia definivit. Agit de his Petrus diaconus.

Quod ad res Beneventanas pertinet; locuples nacti ſumus monimentum rerum temporis hujus, nempè Chronicon Beneventanum ad nos miſſum à Maximiliano à Palombaria Beneventano Archiepiſcopo, amico chariſſimo, in quo res geſtæ ab hoc anno narrantur uſque ad annum Redemptoris milleſimum centeſimum quadrageſimum, continens annos dumtaxàt vigintiſeptem, ſincera planè & integra fide conſcriptum, utpotè qui ſcripſit ea vel vidit, vel ab iis qui viderunt audivit. Auctor Folcus nomine dictus eſt, quem etiam Beneventanum patria fuiſſe liquet ex ſcriptis, & in eadem Beneventana Eccleſia clericatus munere functum: ex quo quidem pleraq; ſunt Annalibus inferenda. Et quod ad præſentem annum ſpectat, idem auctor pluribus narrat ab eodem Paſchali Papa

eidem

A eidem civitati titulo Comeſtabuli præfectum fuiſſe Landulphum cognomento de Græcia, inſignem fortitudine & audacia militem, qui cives tueretur à frequentibus Northmannorum vicinorum incurſionibus, idque plus ſatis ab eo præſtitum, adeò ut non ſatis ipſi fuerit tueri ſua, ſed etiam invaderet aliena, caſtra eorum capiens, atque ſuccendens. Quorum gratia accidit, ut Northmanni magis magiſque concitarentur in Beneventanos, & conflatis militum copiis agrum Beneventanũ aſſiduis graſſationibus in magnum pauperum detrimentum infeſtarent. Quæ omnia pluribus auctor narrat.

B II. Dum autem adhùc Beneventi Paſchalis Papa moraretur, ab Antiocheno Patriarcha legationem accepit de conſervandis antiquis juribus ejuſdem Eccleſiæ, quibus in diœceſi videretur imminuta ex conceſſione facta ab eodem Pontifice Eccleſiæ Hieroſolymitanæ.

Hac accepta legatione, Paſchalis Papa, quòd numquam eo animo fuiſſet, ut quod minimum inferret præjudicium Antiochenæ Eccleſiæ, prout ſuperioribus à ſe datis litteris ad eumdem Patriarcham Antiochenum ſignificarat; tamen expreſſiùs id voluit declaraſſe, ne aliquis in mente ejus ſcrupulus remaneret. Quamobrem ad eum has litteras (a) dedit pacis & unitatis conciliatrices:

C Litteræ Paſch. Pap. ad Epiſc. Antioch.

Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Coepiſcopo Bernardo Antiocheno Patriarchæ ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Sicut aliis litteris fraternitati tuæ ſcripſimus, nos & perſonam tuam, & Eccleſiam tibi commiſſam plena charitate diligimus; nec ullo modo volumus honorem veſtræ dignitatis imminui, quin Antiocheni Patriarchatus prælatio, ſicut præteritis temporibus conſervata eſt, ita etiam

D in futurum integra, præſtante Domino, conſervetur. Illud autem, quod filio noſtro Balduino Hieroſolymitano Regi per Nuntios ſuos intercedenti conceſſimus, charitatem veſtram omninò conturbare non debet: ſic enim in eis ſcriptum eſt: Eccleſiarum, quæ illis in partibus fuerunt vel ſunt, terminos atque poſſeſſiones diutina Infidelium poſſeſſio tyranniſque confudit. Cùm itaque certos ejus fines aſſignare præſenti deliberatione nequeamus: tuis non immeritò precibus duximus annuendum: ut quia pro Hieroſolymitanæ

E Eccleſiæ ſublimatione perſonam tuam extremis periculis devoviſti, quaſcumque Infidelium urbes ceperis, vel cepiſti, ejuſdem Eccleſiæ regimini dignitatique ſubjaceant. Eodem ſenſu etiam illa verba diſcutienda ſunt, quæ felicis memoriæ Gibelino Hieroſolymitano Patriarchæ de civitatibus atque provinciis ſcripſimus, quæ ſupradicti Balduini Regis prudentia, exercituum eum ſequentium ſanguine per Dei gratiam acquiſitæ ſunt. Siquidem Eccleſias illas, quibus certi fines aſſignari poſſunt, quarum termini ac poſſeſſiones diu-

A tina poſſeſſione ac tyrannide confuſi non ſunt, & ipſarum Eccleſiarum urbes illi volumus Eccleſiæ ſubjacere, ad quam ex antiqua ſciuntur juſtitia pertinere. Non enim volumus aut propter Principum potentiam Eccleſiaſticam minui dignitatem, aut pro Eccleſiaſtica dignitate Principum potentiam mutilari. Data Beneventi decimoquinto Kalendas Aprilis.] Ad Balduinum autem de iiſdem ſic ſcribit:

III. Paſch. litteræ ad regem Hieruſalem.

Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorũ Dei, chariſſimo Balduino illuſtri Hieroſolymitanorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

B Conceſſio illa, quam nos petitioni tuæ accomodavimus, ut quaſcumque Infidelium urbes ceperis vel cepiſti, Hieroſolymitanæ Eccleſiæ regimini, dignitatique ſubjaceant, non parùm cùm fratrem noſtrum Bernardum Patriarcham, tùm univerſam Antiochenam turbavit Eccleſiam. Cùm enim nos conceſſionem tibi ſuper Eccleſiis indulſerimus, quarum terminos & poſſeſſiones diutina Infidelium poſſeſſio, & tyrannis confudit: illi eas Eccleſias à Hieroſolymitano Patriarcha, te connivente, invaſas conqueruntur, de quibus ambiguitas nulla ſit, quin eas etiam Turco-

C rum vel Sarracenorum temporibus ſedes Antiochena poſſederit, & eorum Epiſcopi etiam Infidelium oppreſſi tyrannide, Antiochenorum Patriarchæ obedientiam exhibeant. Porrò nos litteris ad ſupradictum Patriarcham miſſis, Antiocheni Patriarchatus prælationem, ſicut ab antiquis Patribus diſtributa, & præteritis temporibus conſervata eſt, ita etiam in infinitum integram ſervari ſanximus. Tuam igitur ſtrenuitatem monemus, & monentes præcipimus, ne à te invaſiones hujuſmodi fieri (ut manifeſta eſt veritas) permittantur, ſed unaquæque Eccleſia juſtitiæ ſuæ

D limitibus perfruatur. Nec enim poſſumus manifeſtè ſanctis Patrum noſtrorum conſtitutionibus obviare, nec omninò volumus aut pro Principum potentia Eccleſiaſticam minui dignitatem, aut pro Eccleſiaſtica dignitate Principum potentiam mutilari: ne apud nos occaſione alterutra pax turbetur Eccleſiæ. Clericis quoque Hieroſolymitanis per præſentia ſcripta præcipimus, quandoquidem paternas poſſeſſiones, & patriam pro Eccleſiæ (ut creditur) exaltatione, pro religionis obſervantia reliquerunt, ut Hieroſolymitana

E Eccleſia ſint contenti, nec injuſtè aut procaciter ea uſurpare contendant, quæ certò ſciuntur ad jus Antiochenæ Eccleſiæ pertinere. Omnipotens Dominus ſua te in omnibus dextera protegat, de hoſtibus Eccleſiæ triumphare concedat. Data Beneventi decimoquinto Kalendas Aprilis.] Inde reverſus eſt Romam. Ubi manens, excommunicavit Robertum Comitem, quòd caſtellum contra Beneventanos erexiſſet, & monitus non deſtitiſſet: qui tamen ſuadente Landulpho Beneventano Comeſtabulo, illud eſt demolitus, ſicque ab ipſo Paſchali abſolvi meruit.

Quòd

a Apud Tyr. de bell. ſacr. li. 11. c. 28.

A Quod autem ad res Hieroſolymitanas pertinet, hoc anno execrabile illud facinus perpetratur, ut Arnulpho Hieroſolymitano Patriarcha agente, Balduinus, vivente adhùc prima conjuge, duceret in uxorem Comitiſſam Siciliæ, quæ uxor fuerat Rogerii Comitis. Ita infenſo numine res Chriſtianorum cœperunt in deterius labi. Hæc pluribus Tyrius.(a) Quomodò autem per Paſchalem Papam Legato miſſo, ab eo Arnulphus fuit depoſitus, ſuo loco dicetur. Quo anno Turcæ, qui Hieroſolymam capturi advenerant, re infecta recedentes, monaſterium Chriſtianorum

B in monte Thabor conſtitutum evertunt, & monachos omnes occidunt. Hæc in Appendice ad Sigebertum hoc anno. Erant iſti ſanctiſſimi viri germina Cluniacenſium, vitæ religioſæ obſervantiſſimi, ad quos extat (b) Petri Cluniacenſis Abbatis epiſtola, qua eorumdem commendatur monaſtica obſervantia. Quamobrem jure æſtimare liceat, quot monachos cæſos, tot laureatos martyrii corona Martyres è monte Thabor aſſumptos in cœlum.

a Vvill. Tyr. l. 11. c. 21.

Thaborenſes Monachi martyres.

b Petr. Cluniac. l. 4. ep. 44.

Hoc item anno Paſchalis Papa reſtituit Eccleſiam S. Batholomæi in Tiberina inſula. Docet hoc inſcriptio ſuperiùs recitata, cùm de ejuſdem Apoſtoli corporis

C

A translatione egimus in fine decimi Annalium Tomi. Ibi poſt tetraſtichon hæc verba adhùc ſculpta leguntur: Tempore Paſchalis Secundi Papæ anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo decimotertio, Indictione ſeptima, menſe Aprilis, die quarta.

V. Hic inſuper eſt annus, qui S. Bernardi converſione à ſæculo ad Ciſtercienſes Eccleſiæ Dei extitit memorabilis: cùm ipſe doctrina, vitæ exemplo, Sanctorum fœcunda ſobole magnoperè Eccleſiam illuſtravit. De eo enim ita Vvillelmus Abbas ſancti Theodorici, ſancti viri ſanctus

B collega in vitæ ipſius primordiis; Anno ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo decimotertio, à conſtitutione domus Ciſtercienſis decimoquinto ſervus Dei Bernardus annos natus circa vigintiduos, Ciſtercium ingreſſus cū ſociis ampliùs quàm triginta, ſub Abbate Stephano, ſuavi jugo Chriſti collum ſubmiſit. Ab illa autem die dedit Dominus benedictionem, & vinea illa Domini Sabaoth dedit fructum ſuum, extendens palmites ſuos uſque ad mare, & ultra mare propagines ſuas &c.] Quantùm enim proficua fuerit Dei Eccleſiæ ſancta iſta plantatio, haud facilè

C eſt verbis aſſequi.

JESU CHRISTI ANNUS 1114. PASCHALIS PAP. II. ANNUS 15. HENRICI IV. IMP. 4. ALEXII COMNENI IMP. 34.

I. SEquitur annus Chriſti milleſimus centeſimus decimusquartus, Indictione ſeptima, quo Paſchalis Papa Ceperani ad ripam fluminis Liris Synodum habuit: de qua Petrus (c) diaconus meminit. In ea conqueſtus eſt Archiepiſcop. Coſentinus adversùs Rogerium Siciliæ Comitem, quòd ab eo

D Archiepiſcopatu dejectus, coactus fuit monachus fieri Caſſinenſis. Ubì autem Paſchalis ad Caſſinenſem Abbatem pertinere ex privilegio iſta cognovit; per eum dirimi voluit controverſiam. Qui ad pedes Pontificis eum veſtes monaſticas deponere juſſit, ſicque liber eſt permiſſus abire. In eodem Concilio (pergit Petrus) idem Apoſtolicus Vvillemum Ducem Apuliæ Calabriæque conſtituit. Ibi etiam cùm Landulphus Beneventanus Archiepiſcopus accuſatus fuiſſet, nec ſe purgare valeret, aut objecta refellere: ad hoc monaſterium fugit. Sed quo pacto noſtræ Congregatio-

E nis interventu & Epiſcopatus ordinem, & Papæ gratiam recuperaverit, ſuo loco dicemus.] Hucuſque de Synodo Petrus.

c Petr. diac. l. 4. c. 51.

Synodus habita Ceperani.

II. Quæ autem hoc anno eamdem Synodum facta præceſſerint, ac etiam quæ pertinent ad cauſam Beneventani Archiepiſcopi cum Paſchali Romano Pontifice; ex vetere ſcripto codice Chronici Beneventani omnia hìc deſcribenda ſunt, nempè de legatione miſſa ad Paſchalem Papam pro pace cum Northmannis incunda, dum nimis eorum armis infeſtarentur agri: de qua legatione ita ibi: Miſerunt ad prædictum Papam Landulphum Archipræſulem & Rachiſium S. Modeſti Abbatem, ut ei neceſſitatem ex omni parte, quam patiebantur, intimarent. Ipſi autem abeuntes, quam viderant afflictionem domno Papæ patefecerunt, eum lacrymando precantes, ut gregi commiſſo, ſicut Paſtor bonus ſubvenire dignaretur. Ne-

D ceſſitate enim domnus Papa, cogente ſcilicèt, eis præcepit, ut pacem civitati, prout meliùs poſſent, facerent, & pauperibus ſubvenirent, ne Petrus Apoſtolus civitatem acquiſitam occaſione iſta perderet: quidquid autem de pacis conſilio inveniſſent, ipſi remitterent. Archiepiſcopus verò Roma reverſus aliter quàm acceperat faciens &c.] Miſſum fuiſſe cum Archiepiſcopo Petrum Portuenſem Epiſcopum, & Romualdum diaconum Cardinales, inferiùs auctor narrat. Verùm Archiepiſcopum non quæ erant pacis, ſed quæ belli, operatum conſtat; nempè, ut

E nec pacem cum Northmannis componeret, ſed civile acerrimum bellum conflaret, uti pluribus ibi narratur, quæ brevitatis cauſa omittimus: quorum hæc eſt ſumma. Quòd reverſus Beneventum, conatus ſit Landulphum Comeſtabulum eidem civitati ab eodem Paſchale Pontifice præfectum in ordinem redigere: quo facere denegante, cives qui ſtabant pro Archiepiſcopo, ad arma converſi ſunt, quos placare ſtudens, habuit coram omnibus concionem, ſed fruſtrà, reclamante populo & invadente judicis domum. Legati verò cùm nequidquam proficerent, re-

Legatio à Paſch. Pap. Miſſa Beneventum.

licto

Digitized by Google

-liſto in munitione palatii Comeſtabulo, A receſſete. Cùm interim non patiente Comeſtabulo ſe ab honore deponi, pugnatum eſt utrimque: de qua pugna auctor Chronici qui aderat, ait: Quoſdam, inquit, ex utraque parte vidimus vulneratos, &c.] Et inter alios idem Comeſtabulus graviter ſauciatus, eò nab univerſo populo in palatio obſideretur, nec evadendi alia ratio eſſet, abdicavit ſe magiſtratu illo; atque pollicitus eſt juramento, quæcumque populus præcepiſſet, implere. Itaque coactus receſſit, indè ſe conferens ad montem Fuſcû.

III. Quomodò autem, ubi iſta audivit Paſchalis Papa, rurſùm aliam legationem miſerit Beneventum, ſic auctor narrat: Cùmque hujuſmodi facti ulterà quàm credi poteſt nefandi, prædicti Apoſtolici aures fama tetigiſſet: tactus dolore intrinſecus ſuper dilecti filii ſui Comeſtabuli expulſione, lacrymis, ſicut audivimus, manantibus, ſpiritu infremuit, atque confeſtim Archipræſulem Landulphum ab omni, quod acceperat à Sede Romana, officio coram omnibus depoſuit, ſimulque omnes ſuos ſequaces anathematis vinculo, donec ſatisfacerent, alligavit. Sed ſi Lectoris charitati aſperum non videbitur, quid poſt illarum excommunicationem actum Beneventi ſit, non prætereundo exarabo. Dominum enim teſtor, nihil aliud poſuiſſe præter quod viderim, & quod audierim, ſcripſiſſe. Tali igitur anathematis ſententia in beati Petri adverſatios longè latèque divulgata, delegavit præfatus Apoſtolicus Beneventum Anaſtaſium Albanenſem Epiſcopum Cardinalem Romanæ Sedis idoneum, cupiens quòd Beneventanus populus deberet ſe recognoſcere. Cardinali enim ipſo hoſpitato, triduò poſt cœtus omnis Beneventanorum in ſacro palatio convenit: ubi enarratis omnibus quæ acciddiſſent, Anaſtaſius in verba iſta prorumpens, inquit: Ad videnda, domini & fratres, quæ Romæ audierat dominus noſter Papa negotia, & inveſtiganda, nos pro certo ſciatis eſſe delegatos. Deindè prout meliùs, Deo annuente, poterimus, circa pacis & utilitatis veſtræ proficuum nos die noctuque conſilium & auxilium præbebimus. His & his ſimilibus taliter prolatis, unuſque ad propria remeavit.] Manſit ibi Legatus, quouſque cuncta componeret, populumque obſequentem Pontifici redderet; indeque ad Paſchalem Papam, à quo miſſus fuerat, reverſus eſt. Quæ autem hæc ſecuta ſint de Concilio eodem habito Ceperani, ita idem auctor enarrat:

Alia legatio miſſa Beneventum.

IV. Cùmque Cardinalis ipſe Anaſtaſius Romam peteret: domnus Papa Paſchalis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Abbatibus congregatis, menſe Octobri, primum poſt ejus regreſſum adveniente, Ceperani Concilium conſtituit. Ad cujus ſacri conventus frequentiam Vuillelmus Dux, & Robertus Princeps mille ferè equitum numero congregato, perrexere. Landulphus verò de Græcia Comeſtabulus, qui

Quæ acta in Concilio Ceperani habito.

fuerat Benevento expulſus, litteris domni Papæ ſpecialibus ad idem ſacrum Concilium accerſitus honoricè commeavit: qui à domno Papa officioſiſſimè ſuſceptus eſt. Hic namque fraudem devitans Northmannorum, navigio quodam ſecurè transfretavit. Jordanus autem Comes timens, multorum ſuorum pondere delictorum oneratus, ad tale tantumque Concilium pergere, Legatos ſuos direxit. Archiepiſcopus autem Landulphus Suffraganeis ſuis convocatis, innumeraque auri & argenti copia congregata, cum Comite Roberto ad conventum illum tetendit. Talibus B igitur & tantis Patribus, proceribusque congregatis, in medio conventus ipſius, die videlicèt ſabbathi, Ducatum Italiæ, Calabriæ, & Siciliæ Duci præfatò Apoſtolicus conceſſit.

Concilio itaque mirabiliter ordinato, Apoſtolicus ipſe coram omnibus ſuper Landulpho Beneventano Archipræſule lacrymabiliter, quomodò Comeſtabulum ſuum expuliſſet, condolens conquerebatur. Ipſe verò Archipræſul nolens, immò timens conventum illum ſine loci, & officii reſtitutione ingredi; apud inſulam Ceperano proximam hoſpitatus eſt. At ubi C Apoſtolicum querentem ipſe comperit; quoſdam Romanorum, Præfectum etiam vocari juſſit, videlicèt, utcumque potuiſſent, veniam pro eo à domno Papa impetrarent. Quin etiam dicebat Archiepiſcopus, ſe domino Papæ de omnibus illatis querimoniis juſtitiam facturum, ſatisfacturum ſcilicèt, dummodò ut locum in Concilio & officium reſtitueret. Hoc Apoſtolicus audito, conſilio habito, locum & officium ei redintegravit. Cùmque taliter reſtitutus fuiſſet, ſine mora conventum illum, die videlicèt Lunæ, cum Comite D Ruberto adivit. Quid plura? eo redintegrato, per diaconum quemdam ad faciendâ juſtitiam in præſentiarum Apoſtolicus vocari præcepit. Qui continuò ſurgens, voce lacrymabili coram omnibus reſpondens, inquit: Primitùs gratias ago Deo, & beato Petro, & tibi domine pater, veſtram implorans paternitatem, ut miſericordiam ſuper me, quem Sanctitas veſtra apud Beneventanam ſedem plantavit, habeatis. Apoſtolicus autem hæc audiens: Unde vis, inquit, ut miſericordiam ſuper vos habeamus? & Archipræſul: Domine, quia audivi vos erga me indignatos fuiſſe, cùm me litteris veſtris accerſiri juſſiſtis; E & ad Curiam veſtram non adveni. Et Apoſtolicus: Quare, inquit, ut ipſe aſſeris, vocatus ad Curiam non adveniſti? Archiepiſcopus ad hæc: Domine, inquit, pater, & timore coactus veſtræ indignationis, & quorumdam minantium non adveni vocatus, eò quòd Legatos meos Epiſcopos non accepiſti, & alium quemdam, quem priùs direxeram, adverſarii noſtri verberibus afflixere. Ad hæc Apoſtolicus. Legatos tuos, quos dicis, Epiſcopos non audivi, quia juſtitiæ faciendæ, ſatisfaciendi videlicèt, verba non dixerant, immò mercedis cauſa pro vo-

V. Judicium de Archiepiſc. Benevent.

A pro vobis & non pietatis venerant. Legatum autem alium, quem verberatum profiteris, nec vidi, neque ejus fama ullo modo ad nos pervenit. Cùmque Archiepiſcopus ipſe ex omni parte detentum ſe videret, ſi veris rem egiſſet reſponſionibus: aliam adinvenit excuſationem, dicens: Domine pater, terminum competentem mihi veniendi non tribuiſti; unde ſi placeret venire, non potui, nec (ut dixi) metu compulſus auſus fui. Et Apoſtolicus: Sed quia litteras noſtras contempſiſti, aſſeris nunc, te non per contemptum, ſed metu tantùm ad nos non veniſſe. Competentem terminum veniendi proculdubiò largitus fui, ab Idibus ſcilicèt Aprilis, B & ſex menſium ſpacio interpoſito. Inde litteras vocationis in medio legi præcepit. Verùmtamen iſti fratres (ſubdit Apoſtolicus) deliberent, & quam opponis excuſationem, canonicam fuiſſe decernant. Et præcepit quibuſdam Cardinalibus & Archiepiſcopis Romanæ Sedis judicibus, ut in partem ſemoti, ſuper hujuſmodi excuſationem Archiepiſcopi ſententiam extenderent. At ipſi in partem euntes, ſententiam illam diu ventilantes: taliter in conſpectum omnium regreſſi judices ipſi protulerunt:

Domne Archiepiſcope Beneventane, C quoniam non pro contemptu, ſed pro metu aſſeris vocatus ad Curiam te non veniſſe, dicimus, & judicamus hanc canonicam non eſſe excuſationem. Judicio autem talium tantorumque Patrum extenſo, capitula ſanctorum Patrum prædeceſſorum coram omnibus exhiberi, & legi Apoſtolicus præcepit, confirmata ſcilicèt in conventibus & ſuper contemptoribus ordinata. His itaque perfectis, ſuper tanto & tali negotio à Cardinalibus & Epiſcopis diu ventilatum eſt. Sed quid plura? Diaconus eum iterato ad juſtitiam faciendam, ſatisfaciendum videlicèt, vocavit. Qui conti- D nuò aſſurgens: Unde inquit? Et Apoſtolicus: Quia ſuſcepiſti regalia B. Petri extra noſtrā voluntatem, & claves tenuiſti portarum, & palatium invaſiſti, & Landulphum expuliſti, & galeam ſumpſiſti, & clypeum, & Fulconem illum ad ſacramentum compuliſti: Northmannos introduxiſti, & alia. Hoc ipſe Archiepiſcopus audito reſpondit: Verè regalia beati Petri non alia de cauſa accepi, ſed veſtra pro fidelitate. Nam cùm Beneventi aderas, civitatem mihi commendaſti: portarum verò claves non I ego ſuſceperam, hunc ſanè qui eas retinet, fidelem tuum omninò confitemur. Cly- E peum profectò non accepi: galeam quidem tuli pro capitis munitione, ne lapide aliquo opprimerer. Northmannos (ut dixiſti) non introduxi, Longobardos verò ſexdecim pro auxilio populi civitatē ingredi feci, Sacramentum Fulconis juſſu ſuo factum fuiſſe, & populi jusjurandum, denegavit.

VI. His omnibus Apoſtolicus auditis, Cardinalibus iterùm & præfatis judicibus præcepit, ut ſuper omnibus iſtis, & contem- A ptu ſententiam exprimerent. Cùmque Archiepiſcopus ipſe hujuſmodi præceptum (& ut ita dicam) terribile audiſſet: Vvillelmum Ducem ſupra memoratum, & Robertum Principem, & Petrum filium Leonis, necnon & Epiſcopos exorabat, dicens: Domini proceres, & Epiſcopi confratres, dominum noſtrum Papam Paſchalem precor orate, ne me in conſpectu omnium taliter confundat, & dedecoratum dimittat. Si verò ejus clementiæ placuerit; exilium petam & mare transfretabo; Tunc proceres ipſi euntes, pedibus domni Papæ advoluti, ſicut Archiepiſcopus rogaverat, deprecati ſunt; quod minimè obtinere valuerunt. At ipſi judi- B ces ex præcepto euntes, licèt dolendo & protelando, reverſi ſunt, ne tale ſuper Landulphum Archiep. darent judicium. Judicibus tamen ipſis adhùc, ut dixi, moram facientibus ſuper ſententiam: Apoſtolicus adjurando præcepit, ut per fidem quam beato Petro & ipſi deberent, quid canonicum eſſet dicendum, dicerent.

VII. Sententia in Archiepiſc. Beneventanum.

At Epiſcopus Portuenſis primus omnium, licèt ægrè, & tantæ ſententiæ dolore turbatus ait: Quoniam regalia beati Petri ſuſcepiſti, & claves portarum tenuiſti, & palatium invaſiſti, & Landulphum expuliſti, & ad Curiam venire vo- C catus contempſiſti: judicamus ſuper vos depoſitionis ſententiam, & contra beatum Petrum, & domnum noſtrum Papam feciſſe.

VIII. Idipſum Capuanus Archiepiſcopus, & Gregorius Cardinalis affirmavere. Volentibus autem aliis judicibus eamdem confirmare ſententiam: Landulphus ipſe jam Archiepiſcopus Beneventi è medio conventus illius, timore coactus, & ſententiæ talis gladio percuſſus, ſurrexit. O qualem (ſi intereſſes lector) fletum, videres, & Landulphi illius pallidum aſpiceres vultum, cùm ex ore tantorum ju- D dicum, qui decoratus erat Beneventana ſede, & præ aliis glorioſus ubique fuerat, deponebatur: Quid dicam? ſubſellio ejus levato, metuendum illud Concilium, ut mente captus dereliquit.] Hactenùs de his Chronicum Beneventanum: quæ Petrus diaconus in Chronico Caſſinate narrare ſubterfugit. At reliquas in remotioribus partibus res geſtas anni hujus Paſchalis Papæ videamus.

IX. Cùm hoc anno, quinquennio jam exacto vacationis ſedis Cantuarienſis in An- I glia, tandem ei Radulphus fuiſſe Epi- E ſcopus ordinatus: indulgentia Paſchalis Pontifex pallium, quod Romam veniens accepturus erat, miſit ad eum per Legatum Anſelmum, nepotem ex ſorore ſancti Anſelmi prædeceſſoris: ad quod impetrandum hæ prævenerunt Ivonis Carnotenſis Epiſcopi ad eumdem Pontificem litteræ:(a)

a Ivo epiſt. 252.

Pallium à Paſch. petitur abſenti dari.

Paſchali ſummo Pontifici, Ivo humilis Eccleſiæ Carnotenſis miniſter devotam ut patri obedientiam, & debitam ut domino reverentiam.

Quoniam in oculis Apoſtolicæ majeſtatis ali-

tis ali-

quam piè præſumo habere me gratiam: ea præſumptione aliquando cum aliqua ſpe peto ab eadem Sede Apoſtolica ea quæ videntur eſſe contra rigorem Apoſtolicum, ſi non ſint contra honorem Apoſtolicum: quia non eſt indecens Sedi Apoſtolicæ cantare Deo miſericordiam & judicium. Cùm ergò opportunum eſt, ſecurus pulſo ad thronum miſericordiæ. Judicium ſine ulla diſceptatione debet omnis judex; de miſericordia verò deliberandum eſt, utrum expediat, an non expediat. Hæc non ignorantib. ſcribo, ſed ad hæc iſta præmitto, ut in quamcumq; harum partium ſe vertat poſtulatio mea, aut petenti juſtitia nõ negetur, aut piè pulſanti miſericordiæ janua non claudatur. Quod benè diſcernere poterit veſtra paternitas, cùm ſummam noſtræ petitionis audieritis, & per præſentes Legatos adventus ſui cauſam cognoveritis. Novit enim veſtra paternitas, quanto tempore poſt mortem bon. mem. Anſelmi Archiepiſcopi Cantuarienſis Eccleſia paſtore viduata languerit: quomodò Rex Anglorum bona Epiſcopalia in uſus ſæculares uſurpaverit: quanto ſtudio Epiſcopalem electionem ibi fieri non permiſerit. Nunc verò poſt increpationes veſtras, poſt multas Epiſcoporum diœceſanorum admonitiones prætaxata Eccleſia conſenſu Epiſcoporum, Rege tandem connivente, elegit ſibi in Archiepiſcopum Radulphum Roffenſem Epiſcopum, virum religioſum & honeſtum, ſcientia & moribus clarum.

X. Hic in propria perſona Sedem Apoſtolicam viſitare ſecundùm majorum inſtituta deliberavit, ſed eum partim corporis debilitas impedivit, partim periculum Romani itineris deterruit. Mittit itaque prædicta Eccleſia vice electi ſui religioſas perſonas, & dictis & ſcriptis obnixè poſtulantes, ut prædictum electum Cantuarienſi Archiepiſcopatui confirmetis, & dignitatem ei pallii concedatis. Ego quoque affectu fraternæ charitatis, & auſu paternæ dilectionis conſulendo rogo, & rogando conſulo, ut etiamſi aliter fieri non poteſt, cum aliqua tamen diſpenſatione languenti Eccleſiæ ſubveniatis, & propter Eccleſiæ neceſſitatem, deindè propter utilitatem & honeſtatem perſonæ, petentium ſupplicationibus autem miſericorditer inclinetis. Niſi enim medicinalis manus citò ſubveniat, prædicta Eccleſia in veteres ruinas relabetur, & vox dilatoria potentium ſine modo ultra modum protelabitur. Cùm enim Dominus noſter, qui inſtitutor erat ſabbathi, miſericordiæ opera faceret in ſabbatho, & redargueretur à Phariſæis quòd ſolveret ſabbathum, ſpicas Diſcipulis vellentibus, eorum murmurationi reſpondit: Si intellexiſſetis, (b) Miſericordiam volo & non ſacrificium, numquam condemnaſſetis innocentes. Et alibi. (a) An neſcitis, quia filius hominis dominus eſt etiam ſabbathi? Per hoc Doctores informans, quia tunc poſſunt legum rigorem propter neceſſitates Eccleſiaſticas temperare, quando ipſa legum remiſſio nihil contínet contra Fidei veritatem vel morum honeſtatem. His exemplis admoniti, ſecurè pulſamus ad januá miſericordiæ, credentes non eſſe indignum, ſi Apoſtolicus præceptum mittentis ſequatur aut exemplum. Poſtremò quantum poteſt mens humana de alieno corde penſare, ſanum nobis eſſe videtur conſilium, ut eum paternè ſuſcipiatis, quatenùs vos liberalem filium & fidelem vobis adoptaſſe gaudeatis.] Hucuſque Ivo ad Paſchalem Papam, ne ſcilicèt cogeret recens electum ex Anglia Romam ſe conferre, cùm jam tùm legibus ſacris, tùm uſu nonniſi præſenti atque petenti cuiquam Archiepiſcopo pallium dari conſueverit. Annuit, ut audiſti, Paſchalis Papa, palliumque ad ipſum in Angliam miſit.

a Matt. 9.

b Ibid. 12.

Pallium nõ niſi præſenti dari debere.

XI. Hoc eodem anno (ut habet Appendix ad Sigebertum) in civitate Bellovacenſi à Sedis Apoſtolicæ Legato Conone Concilium celebratur. De Conone S. R. E. Cardinali dictum eſt ſuperiùs, quem idem auctor ex eremo provectum aſſerit. Porrò adversùs Henricum Imp. ejuſmodi Synodum congregatam, & in eum ſententiam anathematis pronuntiatam, ea quæ ſuperiùs dicta ſunt, ſatis oſtendunt. Præter hæc autem inter alias cauſas itidem actitatas, querela illata eſt ab Ambianenſibus adversùs Godefredum ſuum Epiſcopum, qui relicto Epiſcopatu Carthuſiam petiiſſet: de quo iſta Nicolaus (b) monachus præſens rerum inſpector: Interim Conon Cardinalis Pontificis maximi Legatus, & Radulphus Rhemenſis Archiepiſcopus apud Bellovacum Synodum celebrant, & ad eam accedunt Ambianenſium Legati, conqueruntur ſe deſtitutos optimo paſtore ſuo. Ad quos Rhemenſis Archiepiſcopus: Qua fronte, inquit, hæc apud nos proponere auſi eſtis, qui virum pudicum, Orthodoxum, virtutibus cunctis ornatum, veſtra improbitate è ſua ſede expuliſtis? Quem illi parem, nedum ſanctiorem umquam habituri eſtis ſacerdotem? ò vos miſeros, qui tanto paſtore vel ad momentum caruiſtis! Num vos illum turpia lucra ſectantem, libidini vacantem, Eccleſiaſtica beneficia venumdantem umquam deprehendiſtis? illis reſpondentibus; ab his illum planè immunem eſſe. Subjecit Archiepiſcopus: Ite ergò, & tàm peritum ovilis Dominici cuſtodem perquirite, & inventum vobiſcum adducite. Teſtor enim Dominum JESUM, donec ullus erit in Godefredo vitalis ſpiritus, nullum alium vos Epiſcopum habituros.

e Nicol. in vit. Godefre. l. 3. c. 9. 10. 11. apud Sur. tom. 6. die 8 Nov.

Conc. Bellovacenſis acta.

Cauſa Godefredi Epiſc. examinata.

XII. Dum hæc geruntur: en adſunt Nuntii apportantes litteras beati Godefredi, quibus ille ſignificat, ſe Epiſcopatu abdicaſſe: hortatur, ut alium Patrem ſibi quærant, ſe numquam rediturum affirmat. Oſtendit ſe ineptum & inidoneum qui Epiſcopi munere fungatur: ſe quidem verbis docuiſſe ſubditos ſuos, ſed mala vita corrupiſſe, & perdidiſſe. Quæ cùm legerentur, penè omnes lacrymati ſunt, admirantes tanti viri humilitatem, qui cùm eſſet meritis ſummus, inter omnes minimos ſe abiicere videretur. Sanè cùm interdum de his

Digitized by Google

A de his qnidam reverendiſſimi Patres, qui tùm præſentes affuere, inter ſe colloquerentur, vidi eos lacrymas tenere non poſſe, adeò illorum animis affixa eſt epiſtola illa, inqua tantùm ſe vir tantus extenuavit. Tandem ſtatuunt Patres apud Sveſſiones ad Domini Epiphaniam convenire, & quid faciendum ſit deliberare.

XIII. Ubi eò ventum eſt, jubente Ludovico Francorũ Rege, accitus eſt Henricus Abbas S. Quintini, in quo monaſterio vir Dei Godefredus ab ipſis penè incunabulis ſobriè & piè educatus ad ſummum virtutis apicem pertigerat. Vocatus eſt etiam Hubertus B magnæ auctoritatis vir, & celeberrimi monaſterii, quod Cluniacum vocatur, monachus. Hos duos cum ſuis litteris mittunt ad Fratres Carthuſiæ, orant, immò imperant, ne Godefredum Ambianorum Præſulem apud ſe diutiùs morari ſinant, ſed ad ſedem ſuam ocyùs redire compellant. Addunt mandata ad ipſum Godefredum, ut celerrimè ad deſolatum ſuum gregem ſe recipiat. Oſtendunt, non debuiſſe illum ſemel ſuſceptam Eccleſiam tàm facilè deſerere. Plus enim apud Dominum demereri, dum ſinit per abrupta vitiorum præcipites ire oves ſuas; quàm poſſit promereri, C dum privatim in quantumvis remota ſolitudine vivit etiam ſeveriſſimè. Tùm quoque docent ſacros vetare canones, ne quis Epiſcopo viventi ſubrogetur, niſi vel infirmitate cogente id ipſe petat, vel ob crimen deponendus ſit. Hæc ubi Godefredus accepit, animo valdè conſternatus, ad pedes monachorum ſe proſtravit, cum multis lacrymis orans, ne ſinerent ipſum à ſe evelli. Flent pariter etiam illi. Attamen multis eum conſolantur modis, & quia regiæ & Epiſcoporum auctoritati reſiſtere non poterant, in pace illum à ſe dimittunt.] Et inferiùs:

Synodali juſſu revocatur Godefredus ad Epiſcopatum.

XIV. D Porrò cùm beatus Godefredus à Carthuſia non tàm ſponte ſua, quàm vi propemodùm abactus eſſet, exiens crebrò ad eam reflectebat oculos lacrymis madentes, ſe miſerum & infelicem ſummo animi dolore proclamans, cui in illo Angelico contubernio non licuerit uſque ad ſupremum vitæ diem permanere, & ſoli Deo, divinæque contemplationi vacare. Fuit autem in Carthuſia à ſacris feriis B. Nicolai Epiſcopi, quæ aguntur octavo Idus Decembris uſque ad Quadrageſimæ initium, admodùm interim exultans in Domino, quòd à E terrenis curis abſolutus, optata quiete frueretur. Multa illic reliquit virtutis & ſanctitatis exempla, ut hodieque de illo inter ſe crebrò conferunt. Profectus indè, venit ad Rhemorum urbem, ubi tùm Cono Cardinalis & Legatus frequentiſſimam Synodum habebat. Adduxit autem eum in Synodum Radulphus Rhemorum Archiepiſcopus, jejuniis, vigiliis, aliiſque ſanctis exercitiis adeò extenuatum, & confectum, ut vix pedibus conſiſtere poſſet. Quem ut viderunt Patres, valdè mirabantur, adeò illum ſe mundo, ſibi mundum crucifixiſſe, ut nec mundum ipſe diligere, nec mundus il-

A lum amare poſſe videretur. Duriuſculè eum tunc appellavit Cono Legatus, quòd injunctum munus reliquiſſet. Deindè admonuit, ut propriæ utilitati multorum ſalutem anteponens, Ambianos rediret, & ſuo officio fungeretur, rectiùs ſibi conſulturus, ſi non ſua unius ſalute contentus, plurimos Chriſto lucrifacere conaretur, & tandem à Chriſto audire mereretur: (a) Euge ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui. Cùm non poſſet vir Dei, illius, aliorumque Epiſcoporum B auctoritati obluctari, ad ſuam redit Eccleſiam, & ab omnibus cupidiſſimè excipitur.] Hactenùs Nicolaus. Ex quo etiam audiſti, quàm frequens multuſque Cono Legatus in Synodis eſſet dum moraretur in Galliis, in quibus omnibus in Henricum Imp. anathema inclamaretur; ad quem in Galliis morantem data extant quatuor Ivonis Epiſcopi Carnotenſis epiſtolæ, (b) quibus cùm ſe infirmitate corporis gravatum, quòd eum non adeat, excuſet, ipſæque epiſtolæ ad finem codicis poſitæ inveniantur; haud diutiùs ipſum Ivonem ſuperfuiſſe putandum, nec exceſſiſſe tempora Paſchalis Papæ: nam poſt eum non Ivo, ſed Godefre- C dus alius legitur fuiſſe Carnotenſis Epiſcopus, ad quem complures extant datæ epiſtolæ S. Bernardi.

a Matt. 25.

Ivonis Carnoten. tempus obitus.

b Ivo epiſt. 267. 268. 275. 277.

XV. Hoc item anno Henricus Imp. monaſteria monachorum Vallumbroſianæ ſuo hujuſmodi munivit privilegio: licèt ab excommunicato Imperatore iſta petiiſſe, dedecus fuerit.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Henricus divina favente clementia Romanorum Imp. Aug. Cùm omnium fidelium petitionibus & neceſſitatibus ſubvenire debeat Imperialis majeſtas: multò D magis his eſt impertienda ejus beneficii clementia, quos religionis præcipuè exuberare fecit gratia. Quapropter notum ſit omnibus Imperio noſtro ſubjacentibus, quòd petitione venerabilis viri Bernardi Parmenſis Epiſcopi, & dilectiſſimi cognati noſtri Pontii Cluniacenſis Abbatis, cuncta monaſteria Vallumbroſianæ congregationis ubiliber poſita, ſub noſtri Imperii tuitionem ac defenſionem ſuſcepimus. Statuimus itaque, ut nullus Archiepiſcopus, Epiſcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, nulla civitas, nulla alia ſive magna, ſive parva perſona Eccleſiaſtica, E ſæculariſve, prædicta monaſteria inquietare audeat, vel eorum poſſeſſiones, ſeu reliqua bona auferre, minuere, quoquo modo vexare præſumat, &c.] Datarium autem ita in fine ſubiicitur: Actum eſt hoc anno ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo decimoquarto, Indictione ſeptima. Datum Boccen.[a] Nonis Auguſti. Hoc etiam Vvillelmus Præneſtinus Epiſcopus Cardinalis ſua corroboravit præſentia.] Accepta ſunt iſta ex archivo Vallumbroſiano. Sed quòd non Vvillelmus, ſed magnus ille Conon erat hoc tempore Epiſcopus Præneſtinus inimiciſſimus Imperatori.

JESU

I. Ob præfecti obitum in urbe tumultus exorti.

ANnus ſequitur milleſimus centeſimus decimuſquintus, *Indictione octava notatus, quo defuncto Petro Urbis Præfecto, cùm inſcio Pontifice ejus filius à factioſis civibus Præfectus acclamatus eſſet, turbarum complurium ab iiſdem manavit occaſio: quibus ut occurreret, Paſchalis Papa plurimùm laboravit. Res geſta deſcribitur ab eo qui aderat Petro diacono Cardinali Bibliothecario in vita Paſchalis, his verbis: B

Anno decimoſexto Pontificatus domini Paſchalis Papæ Secundi, anno pacis quinto, menſe primo, Martii ſcilicet vigeſimaſexta die menſis, die Paſchæ, id eſt tranſitus, in Cœna Domini, ira calicis de manu ejus in terram deſcendit. Petro Urbis Præfecto defuncto, homines ſcelerati, ſeditioſi, prompti ad malum, privatis malè, publicis negotiis peſſimè providentes..... * partibus primoribus, puerum adoleſcentem in Urbe Præfectum eligunt. C

*Patribus.

Hujus modus, immò exceſſus hic eſt. Dum in domicilio pater Præfectus moritur; extra in gradibus ejus filius Præfectus eligitur. Patris cadaver ad Eccleſiam ducitur; & filii ſaltus ad locs præfectinra deſtinatur. Patri exequiæ funeris in Eccleſia, filio laudes præfectoriæ in atrio applaudunt. Illi patrem rationem Deo redditurum in ſepulchro deponunt; iſti filium juraturum populo in ambonem ſublevant. Miſerabilis caſus utrorumque. Et tu exequias funeris pro Comitiis filii, perdidiſti pater; & tu Comitiorum plauſum pro patris exequiis amiſiſti fili. Concludat igitur qui vult, dicatque, patrem malo terminaſſe exitu, cujus in morte uxor gaudeat, filius lætetur, domus tota exultet; filium principium inchoaſſe nequam, cujus in Comitiis mater laceratis crinibus plangat, filius ſciſſis veſtibus gemat, domus tota triſtetur. D

II. Paſch. Pap. alium præfectum elegit.

Turbavit dominum Papam, Curiamque ſimul mors patris, & exceſſus filii, initoque conſilio: Quia noſtra, inquit, ante tempus occupant; meritò & non ſua in tempore perdant. Vade Petre, & tu Conſtantine, & ex omnibus quæ ad præfecturam pertinent, ad Curiæ commodum, in teſtimonio venerabilis hujus noſtri Diaconi te inveſtias. Paruit juſſis Petrus, in reditu tumultum, inſidiaſque in domini necem perſentit. Providit auxilium, ſubſidiis poſitis loco & tempore egregiè facturis, inde ſibi affuturum fore denuntians. Jamque ille cum tumultu populi, plebiſque Conſtantinianæ baſilicæ pede limen tetigerat: cùm ſubitò oleum conſecrandum in chriſma, jam infectum balſamo, confectumque fracto vaſe diffuſum eſt. Turbati Patres, mirari Domini non ceſſabant prodigium, eò E quòd in proſperitate poſiti, nullum periculi caſum affuturum timebant. Sic iterùm alio oleo confecto, dominus Pontifex ad exequendam tantæ ſolemnitatis * myſterium, ad altare aſcendit. Jamque ex tribunalis ſede orationem: Deus à quo & Judas reatus ſui pœnam, & latro confeſſionis præmium ſumpſit; incœperat, cùm illi Patrum ſciſſis veſtibus inter altare & tribunal ipſi ſupponunt: confirmari eum in Urbis Præfectum petunt. Cùmque (ut ejus domini moris erat) ob reverentiam incepti officii reſpondere differret; iraſci illos, magis inclamare vocibus, Dominum ſibi teſtem facere, in vota jurare, ni reſpondeat, aliterque ſi ſenſerit, atrocis facti miſerias eo die viſurum. Tandem domnus: Quid, inquit, confirmari eum in Præfectum petitis, quem nec nos dignè dare, nec vos hodiè honeſtè petere poteſtis, cùm vos hodierni funeris exequiæ ex Comitiis meritò ſubtrahant, & nos ſolemnis diei chriſmata ab hujuſmodi juſtè removeant? quibus peractis, reſpondebitur dignè. Et illi pro velle rebus jam diſpoſitis, cum fremitu tumultuanteſque diſcedunt. Feciſſent quod diſpoſuerant in via, niſi eorum audacia, quæ ita tumuerat, noſtrarum copiarum timore enervaretur.

*Miniſterium.

III. Tyrannis novi præfecti quid in Papam.

Die altero, die Paraſceves, cùm omnium civium hujus Urbis maximè vetuſti moris ſancta devotio per loca ſancta, per Martyrum cœmeteria, per votiva ſolemnia pedibus diſcalceatis in Urbe, ſuburbiiſque conſertim diffunderetur; illi ſimplicem populum, plebemque in factionis ſuæ charybdim ſub armis jurare compellunt. Itidem die magni Sabbathi, die Paſchali. Secunda feria eunti domno ad baſilicam beati Petri, juxta radicem pontis *Trajani cum tumultu ſe puer ille oppoſuit, confirmari petiit. Quod quia adeptus non eſt: ſequentis familiæ alios cepit, alios affecit injuriis. In reditu cum coronato domno Papa (ut ejus diei mos eſt) Patribus ſolemniter procedentibus in Curiam, ex Capitolio ſtrepitu, clamore, lapidibus eos perſequuntur. Nec adhùc ſatis: delegant poſt eum. Nec anteà veſtes ſacras eum exuere licuit, quàm reſpondere oportuit, ſequenti ſexta feria de confirmatione, communi conſilio deliberandum. At ille non contentus termino, ea die Præfecturalia, à quibus potuit, in ſe compleri fecit. Feria ſexta in tantam exarſit audaciam, ut eorum domos ſubverteret, quorum religio fidei in domnum Papam perfidè agere noluiſſet. Providens autē domnus, huic ruinæ abſque multa cæde reſiſti non poſſe, in * Albam ſeceſſit. Furor illius, ſantorumque in Eccleſiam & domum Petri Leonis, & eos qui eam tueri videbantur, omnimodò converſus eſt. Quæ nec

*Hadriani.

*Albanum hodie.

A poſſet pati, niſi reverſo eo, ſuorum fulciretur auxilio.

IV. Reverſus Petrus Leonis tantò copioſiùs Principibus Curiæ largitus eſt dona, quantò laborioſiùs bellicis ſudoribus pro ſe ſuſcipiendo opus fore cognoverat. Ptolemæo donavit Ariciam, cæteris aurum & argentum, & alterius ſupellectilis copiam. Noſtri * ſecuti ad congrediendum eis Tiberim copias exponunt, præſto fit prœlium. Et cùm Urbis totius milites cum collectitiis noſtris paucis belli fortunam experiri debuiſſent: magno auſu, ſed ſubitò noſtri victores illorum alios jusjurandi

Perfidis Ptolemæi Comitis Tuſculani.

* ſecuri

B religione in actionem domni Papæ reverſuros aſtringunt, alios, ut ſecum puerum, ſecum captivos ducant. Jam noſtri Fummonem properantes, Albam tranſierant. Jam terram Ptolemæi uti ſecuri, molles, diſſoluti, inermes intraverant, in Algidum jam devenerant: cùm Ptolemæus irruens in eos & captos abſtulit, & capientes cepit, non veritus domnum Papam, nec novit ſuſceptum beneficium triplicata jurisjurandi religione. At Ptolemæi perfidiæ in exemplum ſuſcepta perjurii contagio omnes infecit, adeò ut ob participationem conſortibus ſceleris in Urbe,

C & cæteris hinc indè, perjurium nec infamia, nec crimen haberetur. Execrabile dictu, horribile auditu, hoc auſu, hac indulgentia criminis, Sermonetam, Nymphias, Tiberium, & omnem oram maritimam enormitas defectionis involvit, ſimul & totam Urbem (ut via unus in multis eſſet, quem factionis reum dicta vel facta veriſimilibus indiciis non demonſtrarent) ebullire machinis & tormentis ea ex parte, qua Capitolij rupes ædibus Petri Leonis imminet, continuè ordinatis, quidquid armis & igne majus inferre poterat, invidia magis, quàm ratio moliebatur.

D Factumque ut ſolus ex parte pateretur in toto, quidquid undique ab omnibus poterat inferri malorum. Hujus tandem impetus fluctus cœpit detumeſcere divinis auxiliis, in operibus ruſticanis pro maturitate illius temporis omnibus fermè inſtantibus.] Hactenùs auctor de turbis urbanis, occaſione novi Præfecti electionis obortus.

V. Hoc eodem anno Paſchalis Papa Auguſti menſis tempore in Apuliam profectus, Trojæ Concilium habuit, de quo iſta in Beneventano Chronico ab auctore qui aderat: His omnibus, & aliis ità peractis,

E Apoſtolicus ipſe nono Kalendas Septembris Trojam tetendit, ibique Concilium ſtatuit, & firmavit. Ad cujus ſacri conventus præſentiam ferè omnes Apuliæ proceres, Archiepiſcopi, & Epiſcopi convenerunt. Conventu itaque ſanctè ordinato, inter cætera quæ ibi poſita ſunt, tregua Dei ſtatuta eſt. Adeò quòd Comes Jordanus, & Comes de Loritello, & alii Barones Apuliæ ſacramento in præſentiarum, firmaverunt treguam Dei ex tunc per ſpacium annorum trium fore tenendam: ſicque confirmato Concilio, & piè finito, Papa Beneventum tertio die intrantis menſis Septembris reverſus eſt. Deindè Apoſtolicus ipſe civitatis negotia quæ imminebant judicans, Romam reverſus eſt ſeptimo Kalendas Octobris, ubi tunc erat monaſterium ſancti Vincentii dedicavit.] Hæc ibi. Sed Petrus in Chronico Caſſinate ponit anno 1117.

VI. Quod ad ſtatum rerum Eccleſiæ Germanicæ ſpectat: Deo propitio magis ac magis Catholici invaleſcunt. Etenim Moguntini in ipſum Henricum Imper. zelo juſtitiæ conſpirantes, & in eum inſurgentes, coegerunt dimittere liberum ſuum ipſorum Archiepiſcopum, quem diu (ut audiſti) in carcere detinuerat: qui dimiſſus adversùs eumdem Imper. pro Romana Eccleſia uſque ad ejuſdem Imp. occaſum viriliter egit. De his autem ita Urſpergenſis hoc anno: Ita ſedato vix militum, plebiſque ferventiſſimo furore, Cæſar ab urbe ſeceſſit, & poſt paucos dies Adalbertum *Archiepiſcopum Moguntinum*, quem jam per annos tres arctiſſimè mancipaverat cuſtodiæ, via nimirùm oſſibus hærentem, ut coactus promiſerat, cathedræ ſuæ remiſit. Hic igitur non multò pòſt Sedis Apoſtolicæ Legato Dieterico ſe Nuntiis & litteris ſubiiciens: ipſum ſibi ceteriſque non paucis Præſulibus Coloniam occurrere poſtulavit. Ubi & mandata Papæ, quæ ſibi detulerit, communiter percipi, & ille ſuam conſecrationem diu ſcilicèt interclusam tanta auctoritate conſequi poſſit. Qui conventus, *Colonienſis ſcilicèt*, inſtante feſto Natalis Domini factus eſt non abſque indignatione Imperatoris.] Hæc de Adalberto, qui ex infeſtiſſimo hoſte Romanæ Eccleſiæ (ut audiſti) Dei ſumma potentia, eidem eſt redditus addictiſſimus.

Moguntini in Imp. inſurgunt pro ſuo Archiepiſc.

VII. Quod verò ad Dietericum Sedis Apoſtolicæ Legatum ſpectat, de ipſo iſta Urſpergenſis paulò ſuperiùs: Saxonum verò conſenſus ad reſiſtendum *Imperatori* magis ac magis roboratur. Ad hæc quemdam Cardinalem Romanum nomine Dietericum legatione in Pannonias functum per Nuntios adſciſcunt, quo etiam præſcripti Concilii actionem, & per ipſam Imperatoris excommunicationem prædicante, tàm Archiepiſcopus Magdeburgenſis, quàm ceterarum Eccleſiarum Præſules reconciliationem recipiunt, &c.] Subiicit de Nuntiis ex Italia ad Imperatorem venientibus, & Mathildis Comitiſſæ obitum nuntiantibus.

Dieteric. Card. Legatus.

VIII. Mortua enim eſt hoc anno ipſa Mathildis Comitiſſa, cujus obitus tempus ejus vitæ ſcriptor Domnizo ita verſibus iſtis conſignatum reliquit:

Mathildis Comitiſſæ obitus.

Dum bis quarta manet Indictio, jungitur atque
Virginei partus qui currere cœperat annus
Millenus quintus decimus centeſimus, illum
Natalem Chriſti voluit celebrare Mathildis.]

Et

Et de ætate ipſius, menſe dieque obitus ſic: A

Sex deciesque novem vivens annos in bonore,
Julius ante dies octo quàm det propè finem,
Scilicèt ante diem celebrem Jacobi Zebedæi,
Corpus et Chriſti, pariterque Crucem crucifixi
Porrexit Præſul Reginus corde ſerenus,
Quique Bonus ſenior proprio ſit nomine dictus.
In manibus ejus Comitiſſa Mathildis ab hujus
Ærumna ſæculi jugiter memoranda recedit. B
In Cruce nam Chriſti ſua figens oſcula dixit:
Te colui ſemper, mea nunc rogo crimina terge.
Accipiens Chriſti Corpus venerabile, dixit:
Semper dum vixi, Deus, hoc ſcis, ſpem tibi fixi:
Nunc in fine meo me ſalvans, ſuſcipe quæſo.
Sic orans migrat mox hæc ſapiens Comitiſſa, &c.]

Quid autem actum de bonis Mathildis Eccleſiæ Romanæ relictis, ignoramus, an poſſeſſionem eorum Paſchalis Papa adeptus ſit. C Nam Urſpergenſis Abbas hoc anno agens de ipſius Mathildis obitu, hæc ait: Intereà directi ab Italia nuntii obitum illius inclytæ Mathildis nuntiant, ad ejuſque prædiorum terras ampliſſimas hæreditario jure poſſidendas Cæſarem invitant.] Qui anno ſequenti in Italiam ſe contulit.

IX. Conc. Hieroſol. in cauſa Arnulphi.

Quod ad res pertinet Orientis, cùm accuſationes pleræque adversùs Arnulphum Patriarcham Hieroſolymitanum Romam ad Paſchalem Papam delatæ eſſent, & ipſe Pontifex Legatum hac de cauſa in Orientem miſiſſet, illic Concilio celebrato, idem Arnulphus è ſede omnium conſenſu deponitur: qui ad Sedem Apoſtolicam provocavit. Hæc enim ita Vuillelmus Tyrius habet: (*a*) Eodem tempore dominus Papa auditis enormitatibus Arnulphi Patriarchæ, & de ejus immunda converſatione pleniùs edoctus: Legatum dirigit ad partes Syriæ quemdam virum venerabilem & multa religione conſpicuum Arauſicenſem Epiſcopum, qui ad partes noſtras perveniens, convocato univerſi regni Epiſcoporum Concilio, prædictum Arnulphum coram ſe aſtare præcepit; tandemque meritis exigentibus, auctoritate Sedis Apoſtolicæ, ab officio pontificali depoſuit. Ille autem adhùc fiduciam habens in ſuis præſtigiis, quibus penè univerſorum ſubvertebat animos, transfretare coactus, ad Romanam perrexit Eccleſiam: ubi domini Papæ, & totius Eccleſiæ blandis verbis & larga munerum profuſione religionem circumveniens, cum gratia Sedis Apoſtolicæ remeavit ad propria, ſedem obtinens Hieroſolymitanam, eadem vivendi licentia, qua priùs meruerat depoſitionem.] Hæc ſummatim Vuillelmus.

a *Vuillel. Tyr lib* 11. *c.*26.

I. Concilium generale Lateranũ.

MIlleſimus centeſimus decimusſextus annus ſequitur, Indictione nona, quo à Paſchali Papa agitatur Romæ generale D Concilium in baſilica Lateranenſi, cujus Acta per ſingulos dies digeſta Urſpergenſis ſic narrat: Eodem igitur anno, qui eſt decimus ſeptimus, *nondùm abſolutus*, ordinationis domini Papæ Paſchalis Secundi, pridie Nonas Martii. Romæ in Sede Lateranenſi, in Eccleſia ſancti Salvatoris, quæ appellatur, Conſtantiniana, celebrata eſt Synodus univerſalis Concilii, congregatis ibidem ex diverſis regnis, & provinciis Epiſcopis, Abbatibus, Catholicis, Ducibus, & Comitibus, Legatis * univerſarum provinciarum quamplurimis.

*al. diverſarum.

E Prima itaque die, quæ ſecunda feria tertiæ hebdomadæ Quadrageſimalis inter Mediolanenſes Epiſcopos * Groſolanum, & Jordanem, in alterum de invaſione, in alterum, quòd Eccleſiæ ſuæ deſertor extiterit, ventilata eſt controverſia: hanc cauſam dominus Apoſtolicus Cardinalium Epiſcoporum conſilio tractandam diſtulit.

* Chryſolanum

Sequenti die in eadem cauſa plurima tractata ſunt, ſed res non finita.

Lucenſis cum Piſano Epiſc. controverſia.

Quarta verò feria Lucenſis Epiſcopus de invaſione terræ juris Eccleſiæ ſuæ Piſanos impetebat. Econtrà dum Piſanus ſuos defenderet, inter utramque jus partem utriuſque populi ſuffragio longo litigio diſceptatur.

II.

Tunc quidam Epiſcoporum de medio Concilii ſurgens, ita exorſus eſt: Dominum patrem Papam recordari decet, quare * illius præſentis & generalis Concilii multitudo ſancta per omnia periculorum genera, mari, terraque convenerit invitata, ubi non de ſpiritualibus vel Eccleſiaſticis, ſed ſæcularibus, ordine præpoſtero tractatur negotiis. Expediendum priùs, propter quod principaliter convenerint, ut evidentiùs pernoſcatur, quid dominus Apoſtolicus ſentiat; quidque in Eccleſiis ſuis reverſi, *Epiſcopi ſcilicèt*, prædicare debeant. Tunc Apoſtolicus cauſam Concilii, & animi ſui intentionem his verbis expoſuit:

* hujus.

Paſch. Pap. pœnitẽtia.

Poſtquàm Dominus de ſervo ſuo fecit quod voluit; & me populumque Romanum tradidit in manus Regis, videbam quotidiè paſſim fieri rapinas, & incendia, cædes, & adulteria. Hæc & hujuſmodi mala cupiebam avertere ab Eccleſia & populo Dei; & quod feci, pro liberatione populi

Dei

Dei feci. Feci autem ut homo, quia pulvis ſum & cinis. Fateor me malè egiſſe; ſed rogo vos omnes, orate pro me ad Deum, ut indulgeat mihi. Illud autem malum ſcriptum, quod in tentoriis factum eſt, quod pro pravitate ſui privilegium dicitur, condemno ſub perpetuo anathemate, ut nullius umquam ſit bonæ memoriæ, & rogo vos omnes, ut idem faciatis. Tunc ab univerſis conclamatum eſt: Fiat, Fiat.

III. Bruno quid in Paſch. Pap. Brunus autem Signinus Epiſcopus altiùs exorſus eſt: Gratias agamus omnipotenti Deo, qui dominum Papam Paſchalem, qui præſenti Concilio præſidet, audivimus proprio ore damnantem illud privilegium, quod pravitatem & hæreſim continebat. Ad hæc quidem cavillatoriè ſubjunxit: Si privilegium illud hæreſim continebat, qui illud fecit, hæreticus fuit. Joannes autem Cajetanus Epiſcopus ad hæc commotus, Signino reſpondit: Tunc hic, & in Concilio, nobis audientibus, Romanum Pontificem appellas hæreticum? Scriptum quod fecit dominus Papa, malum quidem fuit, ſed hæreſis non fuit. Et alter quidam adjecit: immò nec malum dici debet. Quia ſi liberare populum Dei bonum eſt: quod dominus Papa fecit, bonum fuit. Sed liberare populum Dei bonum eſt auctoritate Evangelii, (a) qua præcipimur animas quoque pro fratribus ponere.

a Joan. 15. 1. Joan. 3.

Defenditur Paſch. Pap. Ad hæc patientia domini Papæ horrendo hæreſis nomine pulſata, expergefacta eſt, & manu ſilentium indicens, diſſidentium clamores & murmura tali oratione compeſcuit. Fratres & domini mei, audite: Eccleſia iſta numquam habuit hæreſim; immò hic omnes hæreſes conquaſſatæ ſunt. Hic Arriana hæreſis, quæ per trecentos ferè annos viguit, annullata eſt. Ab hac Sede hæreſis Eutychiana, & Sabelliana contrita, Photinus, cæteriq; hæretici deſtructi ſunt. Pro hac Eccleſia Filius Dei in paſſione ſua oravit, cùm dixit: (b) Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua.

b Luc. 22.

Quinta feria Papa in Concilio non ſedit, multis & maximè regiis negotiis per dominum Cluniacenſem, Joannem Cajetanum, & Petrum Leonis Urbis Præfectum, cæteroſque illius partis fautores impeditus.

IV. Sexta feria Apoſtolicus in generalem omnium Eccleſiarum cauſam animum advertit, & Joanne Cajetano cum Petro Leone, cæteriſque Regis fidelibus in faciem reſiſtentibus prædicto Cononi Præneſtino, ſæpiùs verbum excommunicationis exponere cupienti: murmur hujuſmodi verbis & manu ita compeſcuit: Eccleſia primitiva, Martyrum tempore, floruit apud Deum, & non apud homines, Dein ad Fidem converſi ſunt Reges, Imperatores, Romani Principes, qui matrem ſuam Eccleſiam, ſicut boni filii, honeſtaverunt, conferendo Eccleſiæ Dei prædia, & allodia, ſæculares honores, &

De Eccleſię incremento.

A dignitates, regalia quoque jura, & inſignia, quemadmodùm Conſtantinus, cæterique Fideles: & cœpit Eccleſia florere tàm apud homines, quàm apud Deum; Habeat ergò mater & domina noſtra ſibi à Regibus, ſive Principibus collata: diſpenſet & tribuat ea filiis ſuis ſicut ſcit, & ſicut vult. Privilegium inveſtituræ, quod in tentoriis conceſſiſſe videbatur, oblitterare volens, iterans ſententiam Papæ Gregorii Septimi, inveſtituram Eccleſiaſticarum rerum à laica manu rursùm excommunicavit ſub anathemate dantis & accipientis.

B Cardinalis verò dominus Conon Præneſtinus talem Papæ fecit inductionem legationis ſuæ, & contra diſturbatores præſentis negotii competentem, quæ recitata ſuperiùs ea parte, hic itidem repetenda: Domine pater, ſi tuæ placet majeſtati, ſi verè tuus fui Legatus, & quæ feci, tibi placent eſſe rata, in auribus ſancti hujus præſentis Concilii ore tuo edicito, & legationem meam tua auctoritate corrobora, ut ſciant omnes, quia tu me miſiſti. Ad hæc Apoſtolicus reſpondens, ait: Verè Legatus ex latere noſtro miſſus fuiſti, & quidquid tu, cæterique fratres noſtri Cardinales Epiſcopi, Legati Dei, &

V. Quę Cono Epiſ. Præn. de Excõm. Henr. Imp.

C Apoſtolorum Petri & Pauli, bujus Sedis noſtra auctoritate fecerunt, confirmaverunt, probaverunt, ego quoque probo & confirmo: quidquid damnaverunt, damno. Et dominus Præneſtinus conſequenter ſubjunxit, qualiter pro Sedis illius legatione Hieroſolymis audierit Regem Henricum poſt ſacramenta, obſides, & oſcula in ipſa beati Petri Eccleſia dominum Papam tenuiſſe captum, indignè tractatum, potiora Eccleſiæ membra, Cardinales videlicèt exutos, tractos, & malè tractatos; nobiles quoque Romanos

D occiſos, & captivos; & populorum ſtragem factam, & audiens ingemuerit, & pro hujuſmodi facinoribus Eccleſię Hieroſolymitanę conſilio, zelo Dei animatus excommunicationis ſententiam in Regem dictavit; & eamdem in Grecia, Hungaria, Saxonia, Lotharingia, Francia, in quinque Conciliis, conſilio prædictarum Eccleſiarum, renovando confirmavit. Orare ſe demùm, ut ſicut dominus Papa legationem ſuam confirmaſſet, ita præſentis Concilii Patres & Epiſcopi concorditer annuerent. Ad eumdem modum

E Legati, & litterę domini Viennenſis poſtulabant.

Dum tali ratione & ordine tàm varius diſſonę multitudinis aſſenſus exquiritur: à ſaniori parte veritati, & apertę rationi nihil contradictum: à paucis ſubmurmuratum: ab Epiſcopis, vel Abbatibus nullo modo reclamatum.] Sic videas, quali ambitu, ut dictum eſt, opportuerit excommunicationem Henrici Imperat. ſępiùs à Legatis in Conciliis actitatam & promulgatam, demùm in Concilio univerſali probante Pontifice confirmari. Pergunt Acta:

Sabba-

VI. Sedata cõtroverſia Eccl. Mediolanẽſis. * Chryſolani. * Chryſolanum. Indulgentia conceſſa.

Sabbatho denique inter Mediolanenſium Epiſcopos controverſia tali diſpenſatione terminata eſt, Apoſtolico Paſchali docente, translationem Epiſcoporum duobus fieri modis, neceſſitate, vel utilitate. Hujus autem translationis *Groſolani, quæ videbatur, utilitatem, in animarum & corporum damna converſam, *Groſolanum quidem in locum undè translatus fuerat, reſtituit; Jordanem verò Mediolanenſibus conceſſit.] Hæc de Mediolanenſi Archiepiſcopo, quem Groſolanum nominat, alii verò Chryſolanum appellant. Pergit verò: His autem, qui propter Concilium, & animarum ſuarum remedium Apoſtolorum Limina viſitarent, qui de capitalibus pœnitentiam agerent: quadraginta dierum pœnitentiam indulſit.] Hactenùs de Romano Concilio Urſpergenſis. Porrò licèt Paſchalis Papa (ut vidiſti) numquam adduci potuerit, ut excommunicaret Henricum: tamen per Legatos illatam in eum excommunicationem in Concilio confirmavit: quem nec ſine Concilio abſolvere umquam voluit. Nam audi quid anno ſequenti idem Auctor affirmet: His & hujuſmodi cladibus Rex Henricus corde tenus ſaucitus, non ceſſat legationes ſatiſfactorias ad Apoſtolicam Sedem, licèt ipſe multùm infeſtationibus Italicis inſudans, deſtinare quas tamen conſtat minimè profeciſſe. Nam dominus Apoſtolicus propter ſecuritatem, quam Regi, licèt coactus fecerat, diffitetur ſe illum anathematis vinculo colligaſſe, ab Eccleſiæ tamen potioribus membris excommunicationem connexam, non niſi ipſorum conſilio denegat ſe poſſe diſſolvere, conceſſo nimirùm utrimque ſynodalis audientiæ jure.] Hæc Urſpergenſis, qui adventum Henrici rurſùs in Urbem ſequenti anno contigiſſe tradit poſt Paſchalis obitum. Spectat fortaſſè etiam ad ejuſdem Concilii Acta, quòd hoc anno Landulphum olim Archiepiſcopum Beneventanum à Paſchali Papa in ſuam pristinam ſedem reſtitutum, habet Chronicum Beneventanum.

VII. Chryſolani Archiepiſc. Mediol. ad Alex. Imp. legatus.

Quod autem de Groſolano, ſive potiùs Chryſolano Archiepiſcopo Mediolanenſi aliundè ad eam Eccleſiam gubernandam translato, mentio facta eſt: hic ad finem anni hujus egregium viri doctiſſimi fragmentum, ne pereat, deſcribendum eſt. Jam enim quod à Latinis prorsùs exciderat, Græcia utcumque mutilum conſervavit, quod multum præ manibus habuit ut impugnaret, cùm videlicet ex eo Græci ſchiſmatici urgerentur in quæſtione illa de Spiritu ſancto, quem non ſicut Latini, illi aſſererent de Patre Filioque procedere. Cùm enim Chryſolanus vir eſſet doctiſſimus, in primis verò litteris Græcis eſſet excultus: opportunus, dignuſque judicatus eſt, cui Paſchalis Papa onus legationis crederet in Orientem ad Alexium Comnenum Imperatorem. Quænam autem hujus decernendæ legationis cauſa potiſſimùm interceſſerit, nobis hactenùs incompertum, ſed illud ſatis perA ſpectum, Chryſolanum ipſum, Conſtantinopolim cùm perveniſſet, ſive hoc in primis faciendum ſuſcepiſſet, ſive occaſione aliqua obiter oblata, adversùs Græcos de Spiritu ſancto diſputationem inſtituiſſe coram ipſo Alexio Imperatore; quam quidem ipſis Græcè ſcriptam reliquit. Nos verò ex eis mutuati ſumus, quam hìc deſcribendam putamus, ne pereat omninò. Habetur textus Græcus in Vallicellana, quæ nobis eſt uſui libero, bibliotheca. Porrò ipſam diſputationem Latinitate donavit noſter conſuetus interpres Federicus Metius Epiſcopus Thermularum. Puto autem B ad convincendos Græcos dedita opera hunc miſſum Legatum Conſtantinopolim, non invito Alexio Imperatore, quem quidem Euthymius in Panoplia ſua Catholico nomine laudat, cujus eſſet ſtudium in colligendis Fidei orthodoxæ decretis. Diſputatio autem, ſive oratio (hic eſt ejus titulus) ſic incipit:

VIII.

Chryſolani Epiſcopi Mediolanenſium oratio ad Imperatorem dominum Aleſium Comnenum.] Quæ ſequuntur addidit Græcus librarius: Qua demonſtrat (ut auctor putat) Spiritum ſanctum procedere à Patre, pariterque à Filio.

C Audi & intellige, quæ tibi dico, ſapientiſſime, & clementiſſime, potens pariter, & mitiſſime Imperator Alexi, de Spiritu ſancto: neque reſpicias me, licèt ſim omnium ſervorum poſtremus, ſed potiùs ad illum reſpice, de quo loquor, Dominum videlicet JESUM CHRISTUM, qui eſt Imperator Imperatorum, & omnibus Imperatoribus major. (a) Per ipſum enim Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt. Pro ipſo itaque, & de ipſo ego illius ſervus, licèt indignus & inutilis, tecum verba facio. Ne D ullo pacto ſinas in regno tuo aliquam ipſi fieri contumeliam, ne etiam & ipſe graves & quas decet Imperatores, à te exigat pœnas in regno ſuo. Et quomodò contumeliam Filio Dei ille non infert, qui dixerit, quòd Chriſtus Dominus non ſit æqualis Patri? Dum Apoſtolus de ipſo affirmat: (b) Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, ſe eſſe æqualem Deo. Ecce igitur quomodò Filius arbitratur ſe ipſum Deo Patri æqualem. Sed quicumque dicit: Spiritum ſanctum non procedere à Filio: opinatur, Filium non eſſe æqualem Patri. Quomodò enim Filius Patri erit æqualis, niſi æqualem cum E Patre gloriam obtineat? Gloria enim Patris eſt, ut Spiritus Patris à Patre procedat, quæ ſi non reperiatur itidem in Filio, ut Spiritus Filii à Filio etiam procedat: apertè patet, quòd Patris gloria longè eſt major, quàm gloria Filii. Si igitur Patris gloria eſt major, & Filii gloria minor: utique patet, quòd non ſit æqualis gloria Patris & Filii. Si verò Patris & Filii non eſt æqualis gloria, non erit æqualis poteſtas, nec una deitas, nec una majeſtas.

Sed quanam de cauſa non datur Filio Dei, ut ſuus Spiritus ab ipſo procedat,

dum

a *Prov.* 8.

b *Philip.* 2.

Digitized by Google

dum confitemur, Spiritum ſanctum ab ipſo mitti, & ab ipſo largiri? Spiritus itaque ſanctus, Spiritus Filii exiſtit, & Filii miſſio, & donum Filii, quemadmodùm idem Spiritus eſt Patris miſſio, & donum Patris. Ad perfectionem itaque Filii pertinet, ut quicumque crediderit, quòd Spiritus ſanctus à Patre & à Filio ex utroque æqualiter mittitur, & largitur, ut idem ipſe credat, quòd Spiritus ſanctus Patris & Filii ex utroque æqualiter procedat. Quicumque verò illud crediderit, & hoc non credit; non eſt perfectè Fidelis.

IX. Sed fortaſsè dicet ille: Caveo equidem, ne quo pacto Patris gloria, & Spiritus ſancti, aliquód detrimentum & immutionem patiatur, ſi Spiritus ſanctus ita à Filio, quemadmodùm à Patre procedere oſtendatur: abſit hoc. Gloria enim Filii gloria Patris exiſtit, ſicut è contra Patris gloria eſt gloria Filii. Nullá enim umquam ſingularem gloriam quærit Pater à Filio ſegregatam, neque Filius ſibi gloriam quærit ſegregatam à Patre, præter illam ſolam, qua ipſe Pater eſt; ita etiam qua Filius ipſe Filius eſt; ſecus enim communis eſt, ſed non ſingularis. Singularis igitur gloria Patris ea eſt, qua Pater exiſtit; ſed potiùs etiam illa quodammodò gloria Filii eſt, quoniam Pater hac in re magis glorificatur: Filius enim ille ipſius Patris exiſtit. Quod verò dicimus de gloria Patris & Filii, hoc etiam fideliter ſentimus & de gloria Filii, & Spiritus ſancti. Spiritus enim ſancti gloria Filii etiam gloria exiſtit; nec habent inter ſe aliquam ſingularem gloriam & privatam, niſi quòd ille talis eſt, à quo Spiritus ſanctus procedit, & iſte talis, qui à Filio procedit. Similiter dicimus & ſentimus de gloria Patris, & Spiritus ſancti. Gloria enim Patris, Spiritus ſancti eſt gloria, & Spiritus ſancti gloria eſt Patris gloria. Tamen hanc ſingularitatem, & diſtinctionem habent inter ſe, quòd Pater talis eſt, à quo Spiritus ſanctus procedit, & Spiritus ſanctus talis eſt, qui à Patre procedit.

X. Ut verò apertiſſimè appareat, quorſum hæc nos dicamus: ita breviùs quæ ſuperiùs dicta ſunt, colligamus & perpendamus. Oſtendimus igitur ſuprà, quòd ſicut Pater duas habet (ut ita dicamus) ſingulares glorias, alteram quidem quo ad Filium, alteram quo ad Spiritum ſanctum: ita etiam Filius duas habet glorias, alteram quo ad Patrem, alteram quo ad Spiritum ſanctum. Spiritus quoque ſanctus ſimiliter duas habet glorias, alteram quo ad Patrem, alteram quo ad Filium. Quicumque igitur dixerit, Spiritum ſanctum procedere à Patre, & non à Filio: duas quidem glorias relinquit ipſi Patri, ſed unam aufert Filio, ſicut & Spiritui ſancto, quibus refragatur Catholica Fides, & repugnat communis omnium conſenſus. Fides enim Catholica, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti gloriam æqualem eſſe confirmat. Æqualis enim eſt gloria Trinitati in Unitate, & Unitati in Trinitate, in omnibus aliis juxta omnia, integra permanente proprietate Patris in Patre, & proprietate Filii in Filio, & proprietate Spiritus ſancti in Spiritu ſancto, ita ut nullus affirmare poſſet aliquid de Patre, per quod Pater vel genitus vel procedens eſſe cognoſceretur; neque quidquam de Filio, per quod Filius, vel procedens, vel genitor oſtenderetur; ita etiam de Spiritu ſancto nullus aliquid poſſet affirmare, propter quod Spiritus ſanctus, vel genitus vel genitor appareret.

Ecce igitur, ſapientiſſime & clementiſſime Imperator, quomodò iis, quæ ſuprà diximus, divina favente ope, oſtendimus, quòd æqualis gloria in tribus ſit divinis perſonis, & ſingularis in ſingulis abſque ulla confuſione generationis & proceſſionis. Oſtendimus prætereà, quòd quicumque dixerit, Spiritum ſanctum à Filio procedere, nullum detrimentum infert Spiritus ſancti gloriæ; ſed ille potiùs qui dixerit, Spiritum ſanctum non procedere à Filio; Filii & Spiritus ſancti gloriæ aliquid ipſe ſubtrahit, & in Filium, & in Spiritum ſanctum pariter delinquit: nec illi remittetur nec in præſenti, nec in futuro ſæculo, niſi pœnitentia ductus crediderit, & confiteatur, Spiritum ſanctum à Patre, & à Filio procedere. Hoc enim tibi pateat manifeſtum, quòd ſicut in hac Trinitate nihil majus aut minus exiſtit: ita in eadem nihil priùs aut poſteriùs intelligi debet: tota enim Trinitas æquali honore eſt veneranda, & coæterna exiſtit: neque enim Pater præceſſit Filium, neque Pater aut Filius Spiritum ſanctum. Similiter neque Pater major eſt Filio, neque Pater aut Filius Spiritu ſancto major eſt: quoniam in Trinitate Pater omninò æqualis eſt gloriæ cum Filio & Spiritu ſancto, & omninò ſunt æquales gloria cum Patre, & Spiritus ſanctus, & Filius. Quapropter aliter intelligi omninò nequeunt, niſi intelligatur Spiritus ſanctus à Patre procedere ſimul & à Filio. XI.

Sed inquit aliquis: In Evangelio reperitur, (a) Spiritum ſanctum à Patre procedere, non tamen legitur, & à Filio: ſed hoc quidem nolo ſilentio præterire, ſed potiùs diligenter quærere, ut ipſe diſcam, ſi quo pacto, Deo docente, valeam invenire abſque ulla dubitatione, quid fidelis homo de hac re ſentire debeat. Veritas itaque dicit, Spiritum ſanctum à Patre procedere: ſed Græcus addit prætereà, & dicit, Spiritum ſanctum procedere à Patre ſolo. Latinus addit etiam ipſe, & dicit Spiritum ſanctum procedere à Patre, & à Filio. Addit igitur Græcus, addit & Latinus, quoniam in prædictis Evangelii verbis non invenitur, neque ex ſolo Patre, neque ex Filio. Si igitur vera ſunt quæ dicit Græcus, mendacia eſſent procul dubiò quæ dicit Latinus. Sed à verbis quæ habentur in Evangelio, neque Græcus diſſentit, neque Latinus; ſed ab ea additione, quam addit Latinus, diſſentit Græcus. Tu igitur, ſapientiſſime Rex, aſcende benignè ad tribunal cordis tui, & ſedens XII. a Joan. 15.

quaſi

quaſi judex in ſolio mentis tuæ, judica A
judicium juſtum; neque (ut fieri ſolet)
Græcus, quaſi peculium tuum foveas. Fa-
miliaritas enim plerumque à veritate de-
clinare facit judices. Pone igitur utrorum-
a Prov. 10. que rationes, & non ſit apud te (a) pon-
dus & pondus, vel menſura & menſura:
utraque enim abominatur Deus. Audi igi-
tur ingenuo corde tuo, quanam de cauſa
addat Græcus illud, A ſolo, & qua ite-
rùm de cauſa addat Latinus, Et à Filio,
Spiritum ſcilicèt ſanctum procedere; &
ubi videris cum ratione additionem appoſi-
tam, ibi mente acquieſcas tua, & illi addi-
tioni te ipſum adjungas, ubi verò videris B
additionem à ratione alienam: eu quidem
rationi adhæreas, ab ea additione te ipſum
ſegrega: Volo equidem argumentum Græ-
ci & Latini in medium afferre, ut utroque
argumento per te perpenſo, veritas à te di-
gnoſci valeat circa utramque additionem.

XIII. Græcus inquit: Ego rectè credo, Spi-
ritum ſanctum à Patre procedere, & non
ab alio: & quoniam inibi, in Evangelio ſci-
licèt, non eſt additum, A Filio, vel ab alio:
hæc de cauſa nolo dicere, ab alio, ſed à
Patre ſolo intelligere. Si enim Veritas ab
alio etiam procedere intellexiſſet: utique
ab alio eſſe, omninò dixiſſet. Ad hæc ego C
reſpondeo, Latinos tutatus. Non eſt ne-
ceſſe hoc in loco hac de cauſa intelligere à
ſolo Patre Spiritum ſanctum procedere,
quoniam ſolum Patris nomen in Evange-
lio ponitur: multis enim in locis & ſen-
tentiis ſacræ Scripturæ ſolùm Patris nomen
ponitur: nihilominùs non hac de cauſa ſo-
lus Pater intelligitur, ut non magis Fi-
lius etiam congruè ibidem intelligatur,
quemadmodùm in illis Evangelii verbis:
b Matt. 10. (b) Non enim vos eſtis qui loquimini,
ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in
vobis. Ecce enim Veritas, ſolo Patris
nomine poſito, dicit hæc duo, Spiritus D
videlicèt ſanctus à Patre procedit, & Spi-
ritus Patris veſtri qui loquitur in vobis,
cùm tamen eadem Veritas Filius dicat iiſ-
c Luc. 21. dem Diſcipulis: (c) Ego enim dabo vobis
os & ſapientiam, cui non poterunt reſi-
ſtere, & contradicere adverſarii veſtri.
Per os & ſapientiam nihil niſi Spiritum
quem accepturi eſſent credentes, intelle-
xiſſe, palàm facit idem Evangeliſta in Actis
d Act. 6. (d) Apoſtolicis, dum ait de Stephano:
Non poterant reſiſtere ſapientiæ, & Spi-
ritui qui loquebatur. Idem ergò Spiritus
Patris, & Filii, à Patre dari dicitur, &
à Filio, & non à Patre ſolo, licèt dixe- E
rit, Spiritus Patris veſtri. Debemuſne
igitur ita intelligere, Spiritum ſanctum
Patris veſtri, & non Filii, quemadmo-
dùm Græcus intelligit, Spiritum inquiens,
à Patre procedere, & non à Filio? Si verò
Spiritus Patris non eſt Spiritus Filii: quid
e Galat. 4. eſt igitur quod inquit Apoſtolus: (e) Mi-
f Rom. 8. ſit Deus Spiritum Filii ſui in cordibus no-
ſtris. Et iterùm: (f) Niſi quis Spiritum
Chriſti habuerit, hic illius non erit? Num
Veritas dicit, Spiritus Patris, & non erit
veritas, quod dicit Veritatis Apoſtolus,

A Spiritum ſanctum Filii eſſe Spiritum &
Chriſti? Si verò utraque vera ſunt hoc in
loco, & quod Veritas dicit, Spiritum Pa-
tris, & quod Veritas tacet, Spiritum Filii:
quanam de cauſa non ſimiliter, utraque ve-
ra ſunt; illa in illo loco magis ubi Veritas
dicit Spiritum ſanctum à Patre procedere?
Porrò iterùm alia duo exempla ex Evange-
lio proferam, in quibus ſolùm nomen Pa-
tris ponitur, ſolus tamen Pater abſque Fi-
lio non intelligitur. Ut verò in ore duo-
rum vel trium teſtium ſtet omne verbum,
Dominus JESUS dixit Diſcipulis ſuis in
Evangelio: (g) Si remiſeritis hominibus g Joan. 20.
B peccata ipſorum, remittet vobis Pater cœ-
leſtis delicta veſtra. Alio etiam in loco di-
xit: (h) Quicumque fecerit voluntatem h Matt. 12.
Patris mei qui in cœlis eſt, ille eſt frater
meus. Ecce in his duobus locis ſolius Pa-
tris nomen ponitur. Catholica tamen Fides
non patitur, ut ſolus Pater abſque Filio in
illis intelligatur, quoniam in voluntate ſo-
lius Patris nomen ponitur, ſed ſolus Pater
numquam intelligitur, & voluntas Patris
eſt Filii voluntas, & peccatorum remiſſio;
quæ eſt à Patre, eadem eſt à Filio. Similiter
quando dictum, Spiritum ſanctum à Patre
procedere, ſi fortaſsè ſolius Patris nomen
C ponatur, Chriſtianorum tamen Fides non
tolerat neque patitur, ut ſolus Pater abſ-
que Filio intelligatur.

Hoc autem intelligendum, ut quando XIV.
ſolùm nomen Patris ponitur, & ſolus Pater
intelligitur, ut in Evangelio: (i) Vox Pa- i Ibid. 3.
tris audita eſt: Hic eſt Filius meus dilectus,
ecce hoc in loco, poteſt Græcus dicere, vo-
cem Patris intelligendam, non vocem Filii:
vox enim ex Patre audita eſt, non autem ex
Filio: nihilominus ex ipſo hoc dicere non
poteſt, quoniam ſolùm nomen Patris illud
loquitur, ſed potiùs ab hoc ipſo, quòd hæc
vox ea eſt, quæ ad ſolum Patrem refertur;
D Hic eſt Filius meus. Diligenter itaque eſt
animadvertendum in unaquaq; propoſitio-
ne & ſignificatione, quia ſolum nomen Pa-
tris ponitur, qualenam ſit illud, quod pro-
ponitur. Si enim tale eſt; ut ad ſolum Pa-
trē referatur: & Græcus, & Latinus, & Chri-
ſtianus omnis debet de ſolo Patre illud in-
telligere. Si verò tale extiterit quod pro-
ponitur, ut ad Patrem, & ad Filium ſimul re-
feratur, non debet eo in loco Chriſtianus
homo Patrem à Filio, & Filium à Patre ſe-
gregare, ſed ſimul intelligere & Filium. In
hac verò propoſitione & ſignificatione, qua
dicit Spiritum ſanctum à Patre procede-
E re, tùm Græco, tùm etiam Latino eſt con-
ſiderandum, utrum proceſſio Spiritus ſan-
cti ſoli Patri, vel ſimul Patri & Filio tri-
buatur. Ex ipſa igitur ſimplici ſignifica-
tione nullus apertè poteſt intelligere, an à
Patre ſolo, vel à Patre & Filio Spiritus
ſancti proceſſionem intelligere debeat. Si
igitur Græcus voluerit, ut nos eo in loco
à ſolo Patre intelligamus: neceſſe eſt, ut
auctoritatem aliquam in medium afferat,
vel rationem aliquam oſtendat congruen-
tem, per quam hoc credere debeamus. Si
verò auctoritatem nullam, vel teſtimo-
nium

nium de hoc poterit demonſtrare: apertè patet, quòd non debet in illo loco, à ſolo Patre procedere Spiritum ſanctum, intelligere. Non igitur rationi congrua eſt illa cauſa, quam ſuperiùs diximus pro Græco, niſi alia fortaſsè cógruenter afferatur.] Huculque in Græco codice: in quo decurtatam diſputationem hanc poni, nemo non videt: nam carere ſaltem peroratione habitam coram Imperatore orationem, quis non intelligit? Certè ejuſmodi fuiſſe, ut pluribus Græcorum, qui ſapientiores eſſe videbantur, laborandum, ſudandumque tribuerit: iidem ipſi fateri videntur.

XV. Chryſolani contradictores.

B Etenim contra Chryſolanum Epiſcopum Græci complures quaſi indicto bello, ſtructa acie caſtra moverunt. Inter alios autem quidam monachus Joannes nuncupatus, & Nicolaus Methones adversùs eum pugnaſſe noſcuntur, de quibus Gennadius Scholarius in Apologia Concilii Florentini adversùs litteras circulares Marci Epheſini ſæpius verba facit, eoſque ſchiſmaticos, Photii diſcipulos, & Marci Epheſini doctores appellat, à quibus tamquàm malis corvis, malum ovum Epheſinum ortum habuiſſe inquit. Scripſit præterea contra Chryſolanum Euſtrarius Archiepiſcopus Nicænus. C Quorum ſcripta, quales iſti fuerint, ſatis indicant, quòd digna ſint ſuis patellis opercula. Hos omnes etiam iiſdem temporibus floruiſſe, ex eorum ſcriptis apertè conſtat; dum coram cum illo égiſſe affirmant, vel ab aliis accepiſſe qui cum Chryſolano egerunt. Scripſit quoque Blemmides cognomento Sapiens adversùs Chryſolanum, haud tamen puto, quòd is fuerit Nicephorus ille Blemmides magni nominis vir, quem Latinorum veram doctrinam ſectatum potiùs, quàm Græcorum levitatem, & errores, apparet ex ipſomet Gregora, D qui libro quinto capite ſecundo hæc habet de Blemmide, quòd acumine ingenii, & eloquentia, & Eccleſiaſticorum dogmatum uſu ita alios ſuperabat, ut cum illo collati, quaſi pueri viderentur. Qui Blemmides (ut idem Gre-

A goras ibidem aſſerit) cùm divinarum rerum eſſet peritiſſimus, & in otium ſe contuliſſet, multa è ſacra Scriptura teſtimonia, quæ dogma Latinorum confirmare viderentur, colligere, & conſcribere cœpit. Quibus ſcriptis Græcus quidam, qui deindè Conſtantinopolitanam rexit Eccleſiam, adductus eſt, ut Latinorum ſententiæ adhæreret. Quamobrem à ſchiſmaticis, vel invito Michaele Palæologo Imp. è Patriarchali ſolio fuit deturbatus. Blemmidis itaque adversùs Chryſolanum ſcripta pſeudepigrapha ſunt, non germana Nicephori illius Blemmidis Sapientiæ nomine inſignis, B de quo ſuprà; ſed alterius Blemmidis junioris ſchiſmatici potiùs, cùm præſertim ea tanti nominis viro indigna, quivis illa percurrens, facilè judicaverit. Cæterùm quod ad rem ſpectat, ſanè quidem infelicem Eccleſiam Græcorum ex hujuſmodi legatione Chryſolani à Paſchali Papa miſſa nullum lucrum conſecutam eſſe, declarant eventa, cùm poſt hæc in eodem errore perſeveraſſe, majorum monimenta demonſtrent, quamvis Imperator ſe cum Romana Eccleſia communicare, oſtendi ipſi voluerit.

XVI. Chryſolani ſcripta.

C De eodem autem Chryſolano ad poſtremum accipe quæ Trithemius habet, licèt loco non ſuo: nam poſt Alexandrum Tertium ponit, quem conſtat vixiſſe hoc tempore ſub Paſchali Papa, vivente Alexio Imperatore; ait enim: Chryſolanus Eccleſiæ Mediolanenſis Archiepiſcopus, vir in divinis Scripturis eruditiſſimus, & in ſæcularibus litteris nobiliter doctus, Græca & Latina eloquentia inſignis edidit quędam magnæ auctoritatis opuſcula, quibus nomen ſuum ad notitiam poſteritatis cum gloria tranſmiſit, de quibus ad manus noſtras nullum pervenit. Fertur ejus de Spiritu ſancto D contra Græcos liber unus, de ſancta Trinitate liber unus, Epiſtolæ, Sermones, & alii tractatus, qui mihi incogniti ſunt.] At periere iſta omnia, ut vix quod Latinitati reddendum è Græcis curavimus monimentum, idemque decurtatum ſuperſit.

JESU CHRISTI ANNUS 1117. PASCHALIS PAP. II. ANNUS 18. HENRICI IV. IMP. 7. ALEXII COMNENI IMP. 37.

I.

Paſchalis Pap. Trojæ concilium celebrat.

SEquenti anno milleſimo centeſimo decimoſeptimo, Indictione decima, Paſchalis Papa (inquit (a) Petrus diaconus) E menſe Majo ad Caſſinenſe monaſterium venit, indeque aſſumpto ejuſdem cœnobii Abbate Trojam pergens, illic Concilium celebravit: indè verò regrediens, Eccleſiam ſancti Vincentii monaſterii ad ripam Vulturni ædificatam ritibus ſolemnibus dedicavit.] Hæc de rebus geſtis à Papa ſed de Imperatore hoc anno iſta ſubiicit: (b) Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo decimoſeptimo, Imperator congregato exercitu Comam advenit. Quod ubi Papa Paſchalis didicit, ſeſe ad hoc monaſterium contulit, atque ab omni Congregatione rogatus, Landulphum Beneventanum Archiepiſcopum, quem fuiſſe depoſitum ſuprà retulimus, in gradum ſuum reſtituit, ſicque Beneventum perrexit. Intereà Imperator ingreſſus Urbem, cùm Pontificem diſceſſiſſe cognoverit: Conſules, Senatores, & proceres partim donis, partim promiſſis ad ſe attrahens, Ptolemæo illuſtriſſima Octavia gente progenito, Ptolemæi magnifici Romanorum Conſulis filio filiam ſuam in matrimonium junxit, eique oblatis plurimis donis, quidquid avus ejus Gregorius, aliique parentes habuerant, ſive detinuerant, Ptolemæo ipſi, ejuſque hæredibus auctoritate ſua in perpetuum tradidit. Agit interim Papa cum Principibus, aliiſq; Roma-

Henric. Imp. in urbem redit.

a Petr. diacon. lib. 4. c. 57.

b Id. ibid. c. 63.

Digitized by Google

Romanis, ut adverſùm Imperatorem conglobati illi obſiſtere pergant; ſive contra prædictum Ptolemæum Romanorum Conſulem, ipſius generum prædicto Pontifici auxilium ferant. Henricus præterea in Urbe Romana perſiſtens, Paſchalis diei ſolemnitatem ingenti gaudio Senatus Populique Romani celebravit. Et quia Pontificem minimè invenit, nec poterat per internuntios res inter utrumque agitari: coactus fervore æſtatis ſeceſſit ad frigidiora loca, pollicitus prima temperie ſe rediturum.] Hæc de rebus geſtis per Henricum in Urbe Petrus. Subiicit verò de inani conatu Northmannorum contra eumdem Ptolemæum Comitem Tuſculanum.

II. Henrici adventus in urbem cauſa.

Cæterùm in Bibliothecario plura ſunt alia, quæ in Petro deſiderantur. Atque primùm de cauſa ſui adventus, quam idem Henricus prætexuerat, nimirùm quoniam in proxima Synodo Lateranenſi hoſtis Eccleſiæ fuerat declaratus, denuntiatuſque excommunicatus, ob idque cuncta collata in ipſum ab Eccleſia beneficia, exhibitaque officia nullius eſſent momenti, quæ per vim, & metum extorta fuiſſent: Henricus pœnitentem ſe Romam venturùm ſignificavit, utque ea ſponte, & cum pace, liberèque abſque metu perſolverentur à Pontifice libero. Iſta quidem fama ferebat; cæterùm res ipſa contrarium demonſtrabat. Nam audi Bibliothecarium ejuſdem temporis auctorem, qui iſthæc ſigillatim ita deſcribit: Altero namque à ſequenti anno Rex Henricus in Italiam rediit manifeſtus hoſtis Eccleſię; tantòque infeſtior bonis ac religioſis, quantò benignior malis, ſeditioſiſque. Hujus Conſiliarii, familiareſque erant Abbas Farfenſis, qui ob ſacrilegium, factionemque in Eccleſiam, bis terque capite damnatus fuit, Joannes maledictus, & Ptolemæus. Horumque favore tunc ſimulatque in Latium intravit, beati Petri fidelibus bellum indixit, magna conatus eſt, famoſa fecit ſed parva. Ob cujus victoriæ gloriam, quam fecerat, videlicèt quia apprehenderat quædam caſtra: plebs, populuſque Romanus triumphum ipſi inſtituit: Coronata Urbe, Rex & Regina tranſivit per medium; magnus apparatus, magna gloria, parva huic viſa; nullus Patrum, nullus Epiſcoporum, nullus Catholicus ſacerdos occurrit. Fit ei proceſſio, empta potiùs, quàm indicta. Iturus ad baſilicam beati Petri navi tranſivit, non ponte trajectus. Coronari expetiit: Reſpondetur, in Eccleſia coronandus à Papa cum Patribus coronari debet: aliter nequit. Quod ſi velit, ab eis fore petendum.] Quæ autem tùm ad eos peroravit Henricus, ſic recitat:

III. Henric. Imp oratio ad Romanos.

Si divinitùs datum foret, Patres conſcripti, rerum publicarum ſtatum digno moderamine gubernari; digna reverentia earum rectores alter ab altero prævenirentur: pax foret, nec Imperialibus Comitiis Urbis abeſſet Pontifex, nec in Pontificalibus orbis abeſſet Imperator, alter alterius gloria fulciretur, gloria alterius, gloria utriuſque foret, & robur utrorumque timor omnium, amoreque in utroſque tota ſe converteret Civitas: nos Patres, nos Conſules, nos primores, nos omnes boni Urbis, & orbis intuerentur; Gothi, Galli, Hiſpani, & Afri, Græci, & Latini, Parthus, Indus, & Arabs, aut timerent nos, aut diligerent. Nunc autem dum ſecus agitur, fit aliter. Dimiſſis cæteris, dum in invicem agimus; invicem agitur ab omnibus: meritò hæc patimur, maledicimur, impugnamur, exterminamur. Convertimini igitur, & mei licèt peccantis votum correctionemque ſuſcipite; quòd dum per vos nimia rigeſcit juſtitia, multiplicatis ſceleribus, malum ſine me qualiter rigeſcat, non habeat. Ecce à Patre Romanæ Eccleſiæ domino Paſchali Papa è Galliis coronandus adveni in Urbem: eum abeſſe, infortuniis meis deputo. Nunc autem id à vobis expoſco; tantòque ſi id recipiam, mihi fiet gratius, quantum ut mihi fieret, graviùs elaboravi. Solent accuratiùs excolere homines, quod diu quæſitum periculis adinvenitur. Sit pax, & quidem erit, ſi velitis Sine crimine loquor, profectò ſedatis ventis, quieſcunt maria. Hæc Rex.

IV.

Ad hæc Eccleſia, quæ erat in Urbe: Inhoneſtum ſatis & indignum noſtri arbitramur, Rex, ut aliquando nos dulcibus dictis convenias, quos infelicibus actibus in dies circumvenire contendis. Credisne, credamus, Rex, te ad pœnitendum ſatiſfacturum veniſſe, per quem acerba ira continuas atque acerbas irruptiones barbaricas, rapinas ſacrilegas, ordinationes ſacrilegas & execrabiles, impias ſeditiones, aſſiduò conflari, fierique cernamus? Simul ac Latium intraſti, Rex, beati Petri fidelibus bellum injeciſti: Si non ſucceſſit ex voto: Deo, non Regi gratiæ debentur. Age qui ſunt, pro quibus agitur? Abbas Farfenſis, & Ptolemæus, uterque anathematizatus. Qui ſunt, contra quos agitur? Beatus Petrus, & Beatus Paulus, uterque Apoſtolus. Quibus in locis agitur? In eorum patrimoniis, in domo propria. Oblitus horum, Rex, illis ducibus audax, audacter Eccleſiam beati Petri intraſti, cum quibus clericis, quibus Patribus, cum quibus Epiſcopis? quomodò ſilendum? quomodò agendum eſt? Addè qui ſunt nunc qui ante ejus fores excubant? nonnè ſeditioſi? Qui ſunt, qui nunc æs theſauri cuſtodiunt? nonnè ſacrilegi? Qui ſunt, qui ejus altari deſerviunt? nonnè hæretici? Heu, heu! expulſis Catholicis, reverendam cunctis orbis populis beati Petri Eccleſiam per te hæretici occupant. Hæccine illa vita, Rex, per quam pœnitens veniam merearis? ſatisfactio, qua Eccleſiæ conformeris? pax, qua bella quieſcant, ſeditiones ceſſent, venti ſedentur, mare detumeſcat? Profectò ni converſus, immemor mali, aliter cum Deo ſenſeris, Rex: aliter Rex Regum cum Rege ſentiet Deus. Comitiari cum excommunicatis, Rex, noſti nos non debere, nec poſſe, eò maximè, cum Comitiis

tuis intereſſe non liceat, dum contingat abeſſe, qui omnium noſtrum debuit interfuiſſe primus.

V.
Recedit Henricus ab Urbe.

Diffiſus his Rex, accito Mauritio Bracharenſi Archiepiſcopo, qui ob ſuperbiam, levitatemque Curialis effectus, per biennium extra parochiam propriam opulentiſſimè cultu regio hàc & illàc molliter diſſolutèque vagaverat; ante corpus beati Gregorii coronari ſe fecit, ſicque ab Urbe comitatus abſceſſit.] Et infrà de Paſchali Papa iſta ſubjungit:

Paſch. redit in Camp.

Dominus Papa celebrato Concilio, quod in partibus Apuliæ congregaverat, rediens cum Northmannorum exercitu in Campaniam, Pillum, Pullanumque, in maximis oppidum ſancti Silveſtri in ſui deditionem convertit. Jamque Autumnus inſtabat, cujus calore, vel æſtu exteriùs conſtipatus, interiùs diſſolutus uti ſenex, & qui erat in caſtris, debilior Anagniam ſe contulit. Hicque adeò infirmitas eum oppreſſit, ut qui aderant medici, morti eum magis quàm vitæ adjudicarent. Sed auctor vitæ Deus vitam ejus produxit in longum, dum diſſolutis interiùs membris compaginis ſoliditatē adjecit, & exhauſtis viribus interiùs ſomenti robur diffudit. Factumque eſt, ut qui anteà in lecto, alterius auxilio ſuſtentus, vix ſedere poterat: poſtmodùm ante altare per ſe erectus Miſſarum ſolemnia celebraret. Hac valetudine venit Præneſte, & beati Agapiti Eccleſiam ibidem dedicavit, & Nativitatis Domini Vigilias, Romani ordinis Miſſas, & Matutinum poſt Miſſam, & iterùm Miſſam, & poſt Miſſam proceſſionē cum omni voto & ſolemnitate illi diei debita celebravit.] Quæ autem poſt hæc ſecuta ſint de ejus obitu, qui contigit menſe Januarii, anno ſequenti dicturi ſumus.

Cæterùm Henricus Imperator perterritus prodigiis, & portentis, multiſque irati numinis ſignis, quæ hoc anno in Germania contigerunt, ad abſolutionem impetrandam (ut Urſpergenſis ait) diligenti cura laborat. Erant iſta territamenta inter alia, quòd magnus ille ſanctus Benno Miſnenſis Epiſcopus, qui ante decem annos ex hac vita migrarat, multiplicitate miraculorum contra hæreſim Henrici pugnabat, qui vivens, quadraginta annis quibus ſedit Epiſcopus, adversùs eamdem contra Henricum patrem ejus infatigabili labore certaverat. Terribilis namque poſt mortem eſt redditus hoſtibus Eccleſiæ perſecutoribus Sanctus, quòd ipſum tunc Imperatorem provocans ad Dei judicium moriens, traxerit paulò pòſt ſecum certaturum ad divinum tribunal. Et quòd eodem anno apparens poſt mortem Ottoni Miſnenſi Marchioni, à quo acceperat alapam, die quo vivens prædixerat Sanctus, idem ipſe ſpiritu oris ſui interfecerit impium, prout vitæ ipſius (a) Acta teſtantur. Quem quidem vivere Eccleſiæ ſanctæ vindicem, & vigilare adversùs ejus perſecutores: crebra quæ ad ſepulchrum ejus miracula edebantur, ſignificabant, quæ ſi-

…no
…an. Epiſcop. miraculis pugnat.

a *Extant apud Sur. to. 7. die 3. Junii.*

A cut Catholicis ſummæ conſolationi erant, ita ſchiſmaticis maximo terrori & metui.

VII.
Henr. Imp. legationes ad Paſch. frequentat.

Hiſce prodigiis & aliis, inquit Urſpergenſis hoc anno (quod dictum ſuperiùs repetimus) Rex Henricus corde tenus ſauciatus, non ceſſat legationes ſatisfactorias ad Apoſtolicam Sedem, licèt ipſe multùm infeſtationibus Italicis inſudans, deſtinare, quas tamen conſtat minimè proceſſiſſe. Nam dominus Apoſtolicus propter ſecuritatem, quam Regi licèt coactus fecerat, diffitetur illum ſe anathematis vinculo colligaſſe, ab Eccleſiæ tamen potioribus membris excommunicationem
B connexam, nonniſi ipſorum conſilio denegat ſe poſſe diſſolvere, conceſſo nimirùm utrimque ſynodalis audientiæ jure. Ad hoc etenim Ultramontanis affirmat, ſe quotidiè litteris impelli, & maximè Metropolitani Moguntini.] Hæc ipſe, quibus vides, præ cæteris Adalbertum Archiepiſcopum Moguntinum adversùs Imperatorem pro Romani Pontificis jure propenſiùs laboraſſe, quem anteà auctorem vidimus violentiæ in Paſchalem per eumdem Henricum exhibitæ.

VIII.

Hoc item anno, quo Henricus Imperator reverſus eſt Romam, contigit à
C Rege & Epiſcopis Angliæ legatio Radulphi Archiepiſcopi Cantuarienſis, & Hereberti Epiſcopi collegæ ad Paſchalem Papam. Hujus autem decernendæ legationis occaſio ea præceſſit, quòd permota eſt ibi quæſtio occaſione Legatorum Apoſtolicæ Sedis, ſua, non quæ ſunt JESU CHRISTI quærentium, & proximè ob Petrum Leonis Cardinalem legatione ibi malè perfunctum, adeò ut Henricus Rex provocandum putaverit ad antiqua privilegia, quòd ſcilicèt Cantuarienſes Archiepiſcopi fungerentur legatione Sedis Apoſtolicæ, ex privilegio S. Gregorii Papæ
D illi Eccleſiæ conceſſo, ob idque diceret in Angliam alium non eſſe mittendum Legatum, ſed ſatis eſſe debere, vice Pontificis Romani eſſe ibi ſemper Legatum ipſum Cantuarienſem Archiepiſc. Ad hæc igitur conſervanda ſibi jura, & ad propulſandam Legatorum ingruentium rapacitatem, Henricus Rex Romam magni ponderis legationem credidit Radulpho Cantuarienſi Archiepiſcopo, cui additus nomine Epiſcoporum, & Regis Legatus Herebertus Epiſcopus Norvuicenſis: qui cùm Romam perveniſſent, Paſchalem Papam ibi non invenerunt. Nam (ut tradit Vvil-
E lelmus hujus temporis auctor (b)) abſens tunc erat, Beneventique morabatur. Obſederant enim, inquit, Imperatoris ſatellites, qui tunc ſecundò Romam armis territabat, medios calles: nec potuit Archiepiſcopus potiri Papæ colloquio niſi per internuntios. Illi quid apud Papam egerint, epiſtola manifeſtabit.] quæ ſic ſe habet:

De legationibus in Angliā mittendis controverſia.

b *Vvillelm. Malmeſ. de geſt. Pontif. Angl. l. 1.*

IX.

Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorū Dei, venerabilibus fratribus Angliæ Epiſcopis, & chariſſimo filio Henrico illuſtri Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Venien-

Digitized by Google

Paſch. Pap. ad Anglos epiſtola.

Veniente ad nos chariſſimo & reverendiſſimo fratre noſtro Radulpho Archiepiſcopo; veſtram ad nos miſſam legationem per venerabilem Epiſcopum Herebertum Norvuicenſem cognovimus. Et quidem gravibus infirmitatum moleſtiis impediti iidem fratres & Coepiſcopi, pervenire ad noſtram præſentiam minimè valuerunt. Sed Nuntiorum honeſtia venerabilibusque perſonis pervenientibus, eorum ſcripta ſuſcepimus; in quibus & ipſorum poſtulationes, & veſtræ legationis vota perſpeximus. Id enim optabatur, id poſcebatur, ne Eccleſia Cantuarienſis temporibus noſtris ſua dignitate privetur, ne nos eamdem dignitatem minuamus, aut minui ſinamus, qua videlicèt potita eſt, ex quo à beato Gregorio per beatum Auguſtinum fundata eſt. Præter hæc litterarum iudicia, Legati, qui ad nos miſſi ſunt, ut ſapientes ac ſtrenui viri, aſſertiones ſuas prudenter, inſtanter, & efficaciter executi ſunt. Nos profectò & Legatorum perſonas, & aſſertiones, & veſtrum omnium legationes tamquàm chariſſimorum fratrum benignè hilariterque ſuſcepimus: quod vobis in Domino propter Dominum placere optamus. Veſtræ ergò dilectioni notum habere volumus, quòd Cantuarienſis Eccleſiæ dignitatem nec imminuimus, nec imminuere deſideramus. Beatum namque Gregorium Apoſtolicæ Sedis Pontificem, tamquàm præcipuum Chriſti Domini membrum, tamquàm Chriſtiani populi Paſtorem, & Doctorem, & tamquàm ſalutis æternæ miniſtrum in omnibus veneramur; & rata eſſe cupimus quæ ab ejus inſtitutionibus proceſſerunt. Illam ergò dignitatem, quam ab eo per beatum Auguſtinum Cantuarienſis ſuſcepit Eccleſia, & quam ſanctæ memoriæ frater noſter Anſelmus jure ac poſſeſſione legitima tenuiſſe cognoſcitur, nos profectò nullatenùs imminuimus; ſed in eo ſtatu eſſe Cantuarienſem Eccleſiam volumus, ut authentica ejus privilegia juxta canonum ſanctiones nullis perturbationibus violentur. Data Beneventi, nono Kalendas Aprilis.] Anni ſequentis ſcillicèt, quouſque Legati Romæ detenti ſunt ob malam valetudinem Cantuarienſis Archiepiſcopi, & (ut audiſti) ob difficultates itineris conveniendi Pontificis Beneventi commorantis. Nam (inquit idem auctor) ita circa Romam plures dies Radulphus commoratus, modò in Imperatoris exercitu, Papæ dumtaxat conceſſu, modò in Sutrio colloquium opperiebatur Papæ, quem rumor diſperſerat; jam jamque affore. Qua iſte expectatione ſuſpenſus, perdidit impenſam.] Paſſi ſunt autem præter jus ſcandalum ex Anglis nonnulli, quòd Papa quærens authentica privilegiorum, ita negotium dimiſiſſet infectum; periudè ac ſi in re tanta fuiſſet præcipitanda ſententia, cùm præſertim in legationibus in Angliam aſſiduè mittendis Sedes Apoſtolica antiqua potiretur poſſeſſione.

X. Hinc etiam nuper electus Archiepiſcopus Eboracenſis Turſtinus ſive Turſtanus, cùm cogeretur ab Archiepiſcopo Cantuarienſi ad profeſſionem, ex privilegio ejus Eccleſiæ, impulſu clericorum ſuorum Romam veniens, has ab eodem Paſchali Papa ad Regem litteras impetravit. (a)

Cauſa Turſtani Archiep. Eboracenſis.

a *Vuillelm. Malmeſ. de Geſt. Angl. Pontif. l. 3.*

Paſchalis pro Turſtano ad Regẽ Angl.

Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Henrico illuſtri Regi Anglorum ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Nos, auctore Deo, de probitate tua non tantùm bona, ſed meliora confidimus. Idcircò monemus excellentiam tuam, ut divinæ gratiæ memor ſemper exiſtas, qui tibi & regni pacem, & juſtitiæ notitiam tribuit. Honorem igitur Dei, & Eccleſiarum ejus in regno tuo diligenter obſerva, & juſtitiam efficaciter exequere: quia per honorem Dei tuus profectò augebitur. Audivimus electum Eboracenſem virum ſapientem & ſtrenuum ſine judicio ab Eboracenſi Eccleſia ſequeſtratum, quod nimirùm divinæ juſtitiæ, & ſanctorum Patrum inſtitutionibus adverſatur. Nos quidem neque Cantuarienſem Eccleſiam minui, neque Eboracenſem volumus præjudicium pati; ſed eam conſtitutionem, quæ à beato Gregorio Anglicæ gentis Apoſtolo inter eaſdem Eccleſias conſtituta eſt, firmam cenſemus, illibatamque ſervari. Idem ergò electus, ut juſtitia exigit, ad ſuam Eccleſiam omnimodis revocetur. Si quid autem quæſtionis inter eaſdem Eccleſias naſcitur, præſentibus utriſque partibus in noſtra præſentia pertractetur.] Hæc Paſchalis pro Turſtano, qui abſque judicio (ut audiſti) fuiſſet à ſua Eccleſia ſeparatus: cùm tamen aliàs (ut vidimus) Anſelmi temporibus, cauſam Cantuarienſi adjudicaſſet contra Gerardum Eboracenſem. Sed quæ poſteà obtinuerit idem Turſtanus à Calliſto Papa, ſuo loco dicetur.

XI. Eodem anno cùm ingens terræmotus univerſam Italiam quateret, inter admiranda, quæ tunc accidiſſe, tùm Petrus diaconus (b) Caſſinenſis, tùm alii ejuſdem temporis Scriptores narrant, ſatis illud Annalibus inſeruiſſe, quod item ab ejuſdem ſæculi Scriptore Rogerio ſic traditur: (c) Apud Longobardiam magno terræmotu facto; & ut teſtati ſunt qui novere, quadraginta dierum ſpacio durante, plurima domorum ædificia corruerunt. Et quod viſu dictuque conſtat mirabile, villa quædam prægrandis mota eſt repentè de ſtatu proprio, jamque ab omnibus in loco longè remoto conſiſtere cernitur.] Sed non hoc eſt, quod adeò dignum Annalibus Eccleſiaſticis putem, cùm de his licèt mirandis, alia tamen exempla apud Gentiles quoque Scriptores legantur; ſed quod ibi ſic ſequitur: Viri Mediolani Patriciæ dignitatis dum de Republica tractantes ſub una reſiderent turri; auribus omnium vox foris inſonuit, unum ex illis nomine vocans, & feſtinatò exire rogans. Quo tardante, perſona quædam apparuit, quæ vocatum virum, ut egrederetur, prece obtinuit. Exeunte illo, turris re-

b *Petr. diac. l. 4. c. 64.*

c *Roger. Annal. Angl. hoc ann.*

Terræmotus prodigia.

penè cccidit, & omnes qui ibidem crant, caſu miſerabili oppreſſit.] In quo quidem renovata quis non videat antiqua miracula, idque illi ſimile, cùm (a) Angelus, ne periret juſtus eum iniquis, Loth illæſum cum ſuis eduxit è Sodomis? Quibus diſcant homines, non niſi ex divina providentia, caſu vero vel fato numquam in communibus cladibus hunc perire, illum verò ex inſperato ſalvari.

a Gen. 19.

XII. De monaſt. fontis Ebraldi origine.

Hoc eodem anno mortuus aſſeritur vir inſignis Robertus, auctor monaſterii Fontis Ebraldi. Qui enim eduxit populum ſuũ de Ægypto, & deduxit per deſertum in adinventionibus ſuis: idem ducens populum Chriſtianum per deſerta loca ſæculi hujus ad terram felicioris promiſſionis ipſum regnum cœlorum, novam in Gallia Religioſorum inſtituit vivendi formam per ſervum ſuum Robertum Pariſienſem, in monaſterio quod erexit, dictum Fontis Ebraldi, in quo etiam viri tamquàm Dei Genitrici, Abbatiſſæ parerent. Hæc ut accipias, præſciendum, quòd monaſterium Fontis Ebraldi nomen duxit à fonte loci in quo ſitum eſt. Ferunt enim Ebraldum quemdam juvenem, genere nobilem, ſed moribus corruptis, magna ſicariorum manu ſtipatum, adjacentes vias regias latrociniis olim infeſtaſſe, ſilvasque tunc temporis frequentes inſediſſe, quarum hodièque reliquiæ manent non parvæ. Poſt hæc Theologum quemdam Pariſienſem, eximiæ doctrinæ virum, divinique verbi concionatorem inſignem, Robertum de Abruſcellis nomine, eò adventaſſe, ſanctiſque exhortationibus ſuis non modò juvenem illum, ut mores vitamque mutaret, impuliſſe, ſed multos præterea omnium generum homines ad deſpiciendam ſæculi vanitatem, auſteriorisque vitæ leges ſubeundas permoviſſe, ad quorum habitationem diſtincta iiſdem in ſeptis monaſteria condidit, ſua ſeorſim viris, virginibus, ægrotis, & mulieribus reliquis ædificando. Univerſæ porrò Congregationi Abbatiſſam præpoſuiſſe, quæ in omnes tùm viros, tùm fœminas jus ſummum obtineret, ſtatuens ut viris, ſancti Joannis Evangeliſtæ exemplo, virginibus, ſeu mulieribus parerent, & hæ viciſſim B. Virginis exemplum ſequentes, religioſos, tamquàm filios amplecterentur. Statuta denique & conſtitutiones pro utriſque ſeparatim perſcripſit.

XIII.

Cùm ergò ad hunc modum rectè inſtitutum fuiſſet monaſterium Fontis Ebraldi, Reges & Principes, cæterique dynaſtæ, magna mox veneratione illud proſequi, & diverſa ei bona largiri cœperunt: nonnulli etiam hujus congregationis Cõventus in ſuis terris expetierunt, ita ut ex omnibus illis Conventibus conſtitutus fuerit Ordo, cujus caput eſſet idem monaſteriũ Fontis Ebraldi: quem quidem authenticis bullis multi Pontifices approbarunt, docentes Ordinem hunc ab illis verbis Chriſti: (b) Ecce filius tuus, Ecce mater tua, inſtitutionis ſuæ originem, rationemque petiiſſe.

b Joan. 19.

Mortuum tradunt Robertum, Regulæ auctorem, anno milleſimo centeſimo decimoſeptimo & S. Bernardo familiarem fuiſſe. Statuiſſe autem, ut cùm Abbatiſſa, quam crearat, diem ſuum clauderet, ea illi ſuccederet, quam Religioſæ ipſæ ſuis ſuffragiis elegiſſent. Quod ab illis ſemper obſervatum eſt, quamdiu electionum uſus in monaſteriis permanſit. Cæterùm & quamdiu ſtetit eligendi poteſtas, & poſtquàm auctoritate Pontificis conſtitui Abbatiſſæ cœperunt, optimas ſemper easque memorabiles Abbatiſſas ſortitæ ſunt, vitæ integritate ac ſanctitate quàm genere illuſtriores: tametſi pleræque Regum & Principum, aut nobiliſſimorum certè equitum filiæ fuerint. Inter quas eluxerunt Mathildis Comitis Andegavenſium filia, Guillielmi vidua Henrici Primi Anglorum Regis filia. Mathildis altera filia Theodorici Comitis Flandriæ, vidua item Ducis Burgundiæ, Aloyſia Ludovici junioris Francorum Regis filia. Joanna de Brenna neptis Roberti filii Ludovici Craſſi Francorum Regis. Eliſabetha ſoror Philippi Valeſii Regis. Maria de Britannia Aurelianenſis & Britanniæ Ducum neptis Anna Aurelianenſis Ludovici XII. Regis ſoror. Renata de Borbonio filia Joannis Comitis Vindocini. Ludovici de Borbonio ſoror primi Ducis Vindocini, & Eleonora de Borbonio ejuſdem Ducis, & Franciſcę Alinconiæ filia, amita Henrici Quarti Chriſtianiſſimi Regis Francorum & Navarræ: quæ monaſterium, in quo ducentæ præter cæteros religioſos Deo dicatæ moniales numerantur, Ordinemque univerſum moderatur, magna pietatis, prudentiæ, ſanctitatisque apud omnes opinione.

XIV.

Obſervandum eſt, Mariæ Britannæ Abbatiſſæ temporibus, ipſa procurante, factam fuiſſe Ordinis reformationem juxta Regulam ſancti Benedicti, & ſtatuta Roberti inſtitutoris, Xyſti IV. Pontificis maximi auctoritate, qui Archiepiſcopos Lugdunenſem & Bituricenſem delegavit ad eamdem reformationem exequendam: quæ nunc etiam in Fontis Ebraldi monaſterio, Prioratibuſque circiter ſexaginta, qui ab illo pendent, ſtudioſè obſervatur. Extat epiſtola D. Bernardi (c) ad Epiſcopum Andegavenſem, de querela inter ipſum, & Abbatiſſam Fontis Everardi: ubi legendum Ebraldi: de hoc enim loquitur monaſterio, quod in diœceſi quidem Pictavienſi poſitum eſt, ſed contiguos cum Andegavenſi fines habet.

c Bern. ep. 200.

Sed & Petrus Venerabilis Cluniacenſis Abbas ejuſdem Roberti meminit (d) magno præconio, utpotè qui fuerit inſtitutor matris ſuæ beatæ Reingardæ in vita ſpirituali, quæ viro defuncto profeſſa eſt monaſticam regulam in Marciniacenſi monaſterio. Cujus res præclarè geſtas, poſt ejus obitum ipſe epitaphio eſt proſecutus, ubi pariter corruptè legitur, monaſteriũ ad Fontem Ebrandi, loco Ebraldi meminit & ibidem de ejuſdem Roberti ex hac vita deceſſu.

d Petr. Clun. lib. 3. epiſt. 17.

Quod

Digitized by Google

XV. Quod ad res pertinet Orientis, de pœnitentia Balduini Regis hæc Tyrius narrat: (a) Hieroſolymam rediens, gravi ex inſperato correptus eſt ægritudine, qua cùm ſuprà vires defatigaretur, & timeret deficere, læſam habens conſcientiam ſuper eo quòd legitima uxore injuſtè abjecta aliam ſuperduxerat: corde compunctus & facti pœnitens viris religioſis, & Deum timentibus aperiens conſcientiam, reatum confeſſus eſt, ſatisfactionem promittens. Cui cùm pro conſilio daretur, ut Reginam quam ſuperduxerat, à ſe dimitteret, abjectam verò ad regna, undè deciderat, revocaret dignitatem, acquievit; & quòd ita facturus eſſet, ſi vita ei concederetur productior, voto ſe obligavit.] Quod præſtitit, dum Reginam, quam ſuperinduxerat, in Siciliam dimiſit. Verùm quòd prior dimiſſa fuerit revocata, non legimus.

a *Vuillelm. Tyr. lib.* 11. *c.* 29.

XVI. Obitus Nicol. Muzalii Patriar. Conſtantinop.

Mortuus eſt autem idem Rex anno ſequenti, cùm bello vexaſſet Ægyptum.

Eodem anno moritur Nicolaus Muzalon Patriarcha Conſtantinopolitanus, cùm ſediſſet annos vigintiſeptem, ut teſtatur Zonaras, qui his erat præſens, atque ejus funus Imperatorem magnificis honoribus proſecutum fuiſſe. Ejus juſſu reſtituta fuiſſe Acta ſanctæ Paraſceveæ, quæ Calicratiæ colebatur, teſtatur Theodorus (b) Balſamon, qui & ejuſdem citat ſynodalia (c) reſponſa. Extat ejuſdem Muzalonis (d) decretum de ſponſalibus duorum conſobrinorum, necnon decretum (e) de canonica præſtatione ſuſcipienda ab iis qui initiantur ſacris ordinibus. Ejuſdem extat ſynodalis epiſtola, continens reſcriptum Alexii Comneni. Succeſſit autem in locum ejus, ut idem Zonaras ait, unus ex diaconorum ordine patria Chalcedonenſis nomine Theodorus. Quantum autem hic ſederit, in ſerie Græca, quæ ponitur Conſtantinopolitanorum Patriarcharum, quæ habetur recuſa in codice Juris Orientalis, non legitur, ſicut nec ejus ſucceſſorum, ſcilicèt Neophyti incluſi, Conſtantini, & Lucæ Chryſoberges, quorum nec nominum quidem eſt aliqua mentio apud Nicetam Chroniatam, ut planè divinate convincantur, qui texentes in faſtis ſeriem Conſtantinopolitanorum Patriarcharum, multis omiſſis, loca certa ſingulis, quos recitant, tribuiſſe inveniuntur.

b *Theod. Balſ. in Synod. Trull. c.* 63.
c *In Syn. Carth. c.* 11. *& Nom. Phot. tit.* 13 *c.* 2. *in Concil. Antioch. c.* 3.
d *Cod. juris Orient. lib.* 3.
e *Eod. cod. lib.* 3.

JESU CHRISTI ANNUS 1118. | GELASII PAP. II. ANNUS 1. | HENRICI IV. IMP. 8. ALEXII COMN. IMP. 38.

I. Milleſimus centeſimus decimusoctavus annus ſequitur, Indictione undecima, quo Paſchalis Papa moritur. Quomodò autem id acciderit, hæc ex Bibliothecario accipe: Præneſte octavas Nativitatis Domini, atque etiam Epiphaniam devotiſſimè celebravit, & data licentia Legatis Ioannis Imper. Conſtantinopolitani, quos ibidem receperat Præneſte, quibus & in mandatis dedit, ut Imperatorem adversùm Sarracenos vehementer animaret: liberaturus beati Petri baſilicam, incautis hoſtibus Romam in porticum venit. Ob cujus inopinatum ſubitumque adventum tantus terror Ptolemæum & Farfenſem Abbatem invaſit, ut antequàm dominus Papa daret pacem, peterent: ſed deſperantes de gratia, dimiſſis laribus in Urbe, latitare pararent. Jamque bonus Pontifex ad perficiendum quod incœperat, machinas, & tormenta, & quæque neceſſaria bello incredibili agilitate per biduum per ſuos parari fecerat, ut vicisse eum potiùs diceres, quàm victurum. Sed dum quod voluit ſecit: Dominus vitam ejus, quam ob gratiam diſtulit, ob debitum terminavit. Biduo poſt reditum tantò arctiùs ob laborem itineris, populique frequentiam infirmitas in eum convaluit, quantò remiſſiùs, & quietis aſſiduitate, & ſedulitate obſequii antè defecerat, vir ſanctus moriebatur & operabatur. Convocatis Patribus, ut in conſtantia Fidei, & ſinceritate veritatis Deum ſequerentur, injunxit: ut caverent dolos ab his, qui intus erant & extra in execratione Guibertinorum, ac enormitatis Teutonicæ: ſe invicem diligerent, & invicem idem dicerent, & ipſum verum quem diligerent in omnibus Deum tenerent.

Paſch. Papa redit in urbem.

II. Mors atque ſepultura Paſch. Pap.

Poſt hæc unctus oleo ſacro, facta confeſſione, peractis in eo omnibus, prout decuit, ſecundùm ſanctæ Eccleſiæ ritum, pſallendo cum pſallentibus, media nocte, ut qui de tenebris properabat ad lucem ſenex honeſtus, carnis debitum ſolvit, decimoquinto Kalendas Februarii. Corpus ejus balſamo inſectum, & ut habet ordo, ſacris indutum veſtibus, cum exequiis debitis, & honore digno, cum frequentia Cleri, & populi deportatur. Non cuilibet tanta gleba impoſita eſt deportanda, ſed ab ipſis Patribus honorificè eſt deportata in baſilicam Salvatoris, ſede propria in Patriarchio, dextero latere templi in mauſoleo puriſſimi marmoris thalapſico opere ſculpto, undecimo Kalendas Februarii collocatus eſt, cùm ſediſſet annos decem & octo, menſes quinque, dies quatuor. Qui beatiſſimus complures fecit ordinationes per diverſos menſes, creavit presbyteros quinquaginta, diaconos triginta, Epiſcopos verò centum, conſecravit Eccleſias viginti, Romæ verò Eccleſiam ſancti Hadriani in Tribus foris ſecundo anno Pontificatus ſui dedicavit, & Eccleſiam S. Mariæ poſitam in Regione Areolæ, in loco qui vocatur Monticelli, ſimiliter conſecravit. Verùm & Eccleſiam ſanctorum Quatuor Coronatorum, quæ tempore Roberti Guiſcardi deſtructa erat, fundamentis refecit, conſecravit anno

Pontificatus ſui decimoſeptimo, menſe Januarii, die vigeſima. Ceſſavit Epiſcopatus ejus diebus tribus.] Hucuſque Bibliothecarius. Porrò de eodem in archivo ſanctæ Lateranenſis Eccleſiæ mentio eſt, quòd idem Paſchalis Papa Secundus ordinem Canonicorum Regularium in Eccleſia Lateranenſi renovavit.

Inter alia monimenta Paſchalis Papæ extat epiſtola data ad Pontium Abbatem Cluniacenſem, de non porrigenda communione intincta, ſed ſeorſum in ſpecie panis, & ſpecie vini ſeorſum. Hæc ut accipias, conſulendus eſt tibi Micrologus, cujus auctor, ut dictum eſt, claruit ſub Gregorio Septimo; iſte enim de vitanda intinctione ſcripſit (a) capitulum, in cujus exordio: Non eſt autem, inquit, authenticum, quòd quidam corpus Domini intingunt, & intinctum pro complemento communionis populo diſtribuunt. Nam Ordo Romanus contradicit, &c.] Cùm autem nec ſic quidem reprehenſus pravus ſubintroductus uſus in communione ceſſaret, Paſchalis Apoſtolicam adhibens auctoritatem, de his cavendis, & revocando uſu priſtino ſcripſit ad Pontium Abbatem Cluniacenſem hanc epiſtolam, quam reperimus in ſcripto Chronico Cluniacenſi verbis iſtis:

a Microl. c.19.

Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, chariſſimo filio ſuo Pontio Cluniacenſi Abbati ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Scribens ad Cæcilium beatus Cyprianus, ait: Quando aliquid Deo inſpirante, & mandante præcipitur, neceſſe eſt Domino ſervus fidelis obtemperet, excuſatus apud omnes, quòd nihil ſibi arroganter aſſumat, ne aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis Dominus prior fecit. Igitur in ſumendo corpore, & ſanguine Domini juxta eumdem Cyprianum Dominica traditio ſervatur, nec ab eo, quod Chriſtus magiſter & præcepit & geſſit, humana & novella inſtitutione diſcedatur. Novimus enim per ſe panem, per ſe vinum ab ipſo Domino traditum. Quem morem ſic ſemper in ſancta Eccleſia conſervandum docemus atque præcipimus, præter in parvulis, ac omninò infirmis, qui panem abſorbere non poſſunt.] Quibus ſatis communicari in ſanguine. Sed quòd nec ſic ceſſaretur ab uſu introducto intinctionis; communionem ſub una tantùm ſpecie panis, ſancta frequentare poſteà cœpit Eccleſia. Sed tranſeamus ad Paſchalis ſucceſſorem.

III. Gelaſii junioris primordia.

Quæ autem ſequuntur in codice Vaticano Acta ſucceſſoris, ſcriptis mandata ſunt à Pandulpho ſubdiacono, qui præſens aderat, cùm ea fierent, atque in primis à primordiis ipſius Gelaſii junioris, qui Paſchali ſucceſſit, eſt exorſus orationem. Hunc quidem natione Campanum, patria Cajetanum, Joannem nomine nuncupatum, profeſſione monachum Caſſinenſem, ordine diaconum S. R. E. Cardinalem, munere Cancellarium fuiſſe, omnes affirmant. Pandulphus, qui res ab eo geſtas ab ortu deſcribit, cum ſuo Oderiſio Abbate monaſticis inſtitutis imbutum narrat, ab Urbano Papa ad munus Cancellariæ adſcitum, à Paſchali autem Papa diaconum Cardinalem creatum Diaconiæ ſanctæ Mariæ in Coſmedio appellatæ. In quo munere cùm innocentiſſimè ſicut & vigilantiſſimè ſe geſſiſſet, dignus eſt habitus inter tot Cardinales, qui Romanus Pontifex crearetur. Sanè quidem magnoperè laudatus habetur Gelaſius etiam Germanorum Scriptorum elogiis. Nam Urſpergenſis hæc de eo: Pro quo *Paſchali* Joannes Cajetanus, vir prudens & venerandus, in Romana ſemper Eccleſia irreprehenſibiliter eidem Apoſtolico collaborans eligitur, &c.] Quomodò contigerit ejus electio, & quanta pati eum oportuerit à ſchiſmatici Imperatoris fautoribus, exactè Pandulphus deſcribit, atque:

IV. Comitia pro creatione Gelaſii Pap. Secundi.

Interim autem, Paſchali Papa defuncto, venerabilis Pater dominus Petrus Portuenſis Epiſcopus, qui primatum poſt Papam per longa jam diutiùs tempora detinuerat, eumque eo omnes presbyteri ac diaconi Cardinales de eligendo Pontifice, & in commune communiter, & ſingulariter ſinguli pertractare cœperunt pro domino Cancellario in monaſterio Caſſinenſi commanente. His ſic geſtis, modis omnibus ipſo inſcio, Nuntius de repentè comparuit, qui Cancellarium ipſum juxta quod acceperat in mandatis, ad Cardinales Romam cum omni faceret celeritate redire. Quid moror? Triſtis Frater Joannes morte tanti Patris ſui protectoris, ac mœrens, prout obedientiæ filius, poſcit mulam, aſcendit, maturoque itinere Urbem intravit, fratres ac filios adunavit, commonuit. In craſtinum verò, ſecundùm quod condixerant, honorabilis Pater prænominatus dominus Portuenſis, Cencius Sabinenſis, Vitalis Albanenſis, Lambertus Oſtienſis Epiſcopi, Domnizo ſancti Martini, Bonifacius ſancti Marci, Deſiderius ſanctæ Praxedis, Joannes de Crema ſancti Chryſogoni, Petrus Piſanus ſanctæ Suſannæ, Saxo de Anagnia ſancti Stephani in Cælio monte, Amicus ſanctæ Crucis, Sigizo ſancti Siſti, Amicus Sanctorum Nerei, & Achillei, L. ſanctæ Cæciliæ, Deuſdedit ſancti Laurentii in Damaſo, Anaſtaſius ſancti Clementis, Rainerius SS. Marcellini & Petri, Benedictus ſancti Petri ad Vincula, Conradus ſanctæ Pudentianæ, N. ſanctorum Joannis & Pauli, Thebaldus ſanctæ Anaſtaſiæ, Gerardus ſanctæ Priſcæ, Guido ſanctæ Balbinæ, Gregorius ſancti Laurentii in Lucina, & ſex alii presbyteri Cardinales: nam Hugo de Alatro presbyter Cardinalis, qui Arcem Circæam pro Paſchali Papa tenuerat, paulò pòſt rediit: item Gregorius ſancti Euſtachii, qui & Abbas ſancti Andreæ, Oderiſius Sacriſtanus ſanctæ Agathæ, qui poſteà Abbas Caſſinenſis effectus eſt, Roſimanus ſancti Georgii, Henricus ſancti Theodori, qui & Mazarienſis Decanus, Aldo ſanctorum Sergii & Bacchi, Petrus Leonis ſanctorum Coſmæ & Damiani, Comes ſanctæ Mariæ in Aqui-

in Aquiro, Chryſogonus ſancti Nicolai in carcere Tulliano, & Stephanus ſanctæ Luciæ in Silice, Gregorius ſancti Angeli aderant, & octo alii diaconi Cardinales, itemque Nicolaus Primicerius ſcholæ Cantorum, & ſubdiaconi palatii, & alii minoris ordinis clerici multi Romani, dein Senatoribus ac Conſulibus aliqui, præter familiam noſtram.

V. Hi omnes vitantes ſcandalum, quod in hujuſmodi ſolet electionibus pro peccatis noſtris accidere, non ſecus ac poſteà rei probavit eventus, ad locum tutiſſimum, veluti qui Curiæ cedit, in monaſterio quodam, quod Palladium dicitur, infra domos Leonis, & Cencii Frangipanis pariter convenerunt, ut juxta ſcita canonum de electione tractarent.

Gelaſii II. Papæ creatio.

In quo loco videlicèt poſt diſceptationem diutinam, ac voluntates diverſas, nunc hæc, nunc illa petentes: tandem aliquando, communicato conſilio, illo etiam mediante, qui facit utraque unum, pari voto ac deſiderio in hoc unum unanimiter concordarunt, ut dominum Joannem Cancellarium in Papam eligerent & haberent. Nec mora, raptus ab omnibus, laudatur ab omnibus, approbatur ab omnibus, necnon etiam ab Epiſcopis, quorum nulla eſt prorſùs alia in electione Præſulis Romani poteſtas, niſi approbandi, vel contrà, & ad communem omnium Cardinalium primum, & aliorum petitionem, electo manus ſolummodò imponendi. Sicque invitus ac renitens dominus Joannes Cajetanus, qui hodiè eſt Gelaſius, in Papam, Spiritus ſancti gratia mediante, electus eſt, & ab omnibus communiter in ſumma Sede locatus, cunctis Dei magnalia collaudantibus.] Hactenùs de legitima electione Gelaſii Pandulphus. Sed quæ læta iſta triſtia admodùm, & ſancta iſta ſacrilega ſint ſecum ſecuta, quæ ſicut calamus ſcribere, ita aures horreſcant audire: ſic ab eodem auctore, qui aderat, accipe:

VI. Gelaſius Pap. à ſchiſmaticis dira patitur.

Hoc audiens inimicus pacis atque turbator jam ſatus Cencius Frangipanis (erat hic inhærens factioni Henrici ſchiſmatici Imp.) more draconis immaniſſimi ſibilans, & ab imis pectoribus trahens longa ſuſpiria, accinctus retrò gladio, ſine mora cucurrit, valvas ac fores fregit, Eccleſiam furibundus introiit, inde cuſtode remoto, Papam per gulam accepit, diſtraxit, pugnis, calcibus percuſſit, & tamquàm brutum animal intra limen Eccleſiæ acriter calcaribus cruentavit, ut latro tantum dominum per capillos, & brachia, JESU bono interim in navi dormiente, detraxit, atque domum uſque deduxit, ubi eum catenavit, & clauſit. Tunc de præfatis Epiſcopis, Cardinalibus, ac clericis, & multis de populo qui convenerant, alii ab apparitoribus Cencii modo ſimili vinciuntur, alii de caballis ac mulis, capite verſo præcipitantur, expoliantur, & inauditis undique miſeriis affliguntur, donec aliqui ſemivivi in domum tandem pro-

A priam remearunt: malo ſuo venit, qui fugere citò non potuit.

VII. Romani Catholici liberant Pap. à ſchiſmaticis.

Facta autem hac voce, convenit multitudo Romana, Petrus Præfectus Urbis, Petrus Leonis cum ſuis, Stephanus Northmannus cum ſuis, Stephanus de Thebaldo cum ſuis, Stephanus de Berizone cum ſuis, Stephanus Quadralis cum ſuis, Buccaporcina cum ſuis, Boviſco cum ſuis, Berizaſi cum ſuis. Regiones duodecim civitatis Romanæ, Tranſtiberini, & Inſulani arma corripiunt, cum ingenti ſtrepitu Capitolium ſcandunt, nuntios ad Frangipanes iteratò remandant, Papam captum repetunt

B & expetunt. Nihil moræ. Territus Frangipanis, præſertim dominus Leo impietate ſubdola pius, Papam illicò reddidit, pedes ejus amplexans, clamat irremiſſius: Domine miſerere. Et ſic pacatis inimicis urgentibus, ut iterùm Eccleſiam duris cornibus ventilaret, evaſit.

VIII. Gelaſius liberatus procedit in Lateranũ.

Tunc ſanctus Papa levatur, niveum aſcendit caballum, coronatur, & tota Civitas coronatur cum eo; per ſacram viam gradiens, Lateranum aſcendit, bannis, & inſignibus aliis eum præcedentibus pariter, atque juxta Romanum ritum moremque ſequentibus. Sedit itaque Papa (ut videbatur) in pace. Frequentabant eum Comites & Barones, & qui pro reſponſis aliquibus veniebant, recipiebantur benignè, donec finito negotio, pro quo cuncti convenerant, accepta benedictione, redirent: tamquàm à patre filii benigniùs per omnia tractabantur. Itaque Curia tota in pace habebat omnia, quæ per Dei gratiam poſſidebat. Rediere omnes hinc & illinc extra Urbem morantes. Redit & inter alios Hugo magnus ac nimiùm honorabilis Apoſtolorum presbyter Cardinalis à Ciccana arce, quam ei ob rabiem Teutonicam præcavendam, ad omnia providus quondam

D Paſchalis Papa homini nobili & illuſtri noviter commendaverat, quamque Papa novus (quod utinam non feciſſet, nam paulò poſt nolùm pœnituit) reddi Tarracinenſibus, per Nuntios, apiceſque mandavit. Omnibus igitur congregatis, undique conferebatur ab illis, quando certis temporibus Papa, & promoveri pariter, & conſecrari deberet: equidem diaconus & non presbyter erat.

IX.

Sed antiquus hoſtis, ſicut fecerat olim in cœlo, pacem tantam in longum nulla durare penitùs ratione permiſit. Nam dum

E hæc agerentur, quidam intempeſtæ noctis ſilentio ad jam fatum egregium dominum Hugonem Cardinalem directus eſt, ab uno videlicèt, cui exindè non parva copia inerat amicorum, qui Henricum, dictum Imperatorem Romanum, armatum contra Papam ad ſancti Petri porticum diceret adventaſſe. Quod moraretur, non opus eſſe. Papa per Cardinalem præſcivit. Et ſicut jam penè ſenio & infirmitate confectus, fugere tàm repentè non poterat, manibus abducitur famulorum, & ſic caballo ejectus, ad * dominum Bulgamini, in nocte ipſa confugiens latuit.]

* domum

Henri-

Digitized by Google

Fuga Gelaſii Papæ à ſchiſmaticis.

A Henricum autem Imperatorem conſenſiſſe primùm electioni Gelaſii, indè verò mutatum refragatum eſſe, atque eum perſecutum, ut vides, Urſpergenſis affirmat. Pergit verò Pandulphus: Fugimus & omnes cum eo. Mane autem facto turbati omnes, & ſtupefacti, quia neque tutè manere in Urbe, neque per terram undique ſpinis ſeptam fugere poteramus, fit nempè conſilium, ut fugam caperemus per mare: quod & factum eſt. Siquidem in flumen Tiberis maturatò intravimus, & per galeas duas in Portum uſque deſcendimus: ibique cœlum, terra, mare, & penè omnia B quæ in eis ſunt, adversùm nos pariter conjurarunt. Nam cœlum graves pluvias, grandines, tonitrua, coruſcationes, & fulmina frequentabat: mare ſimul & Tiberis jam diris tempeſtatibus Vicario rebellabant, ut vix in Portu vivi remanere poſſemus, nedum mare intrare. Intereà ſæva ſuperbia per ripam Alemannorum barbaries tela contra nos mixta toxico jaciebat; minitabantur etiam nos inter aquas natantes piceo igne cremare, niſi Papam, & nos in eorum manibus dederemus. Et credo, capti eſſemus, ſi nox, & ira fluminis illos non impediviſſet. Quid ad hæc? C Quid miſerrimi facerent? Ceperunt, immò cepit dominus Hugo Cardinalis & presbyter Papam noſtrum in collum, & ad caſtrum ſancti Pauli Ardeam ſic de nocte portavit.] O immenſa pietas, ubique & ſemper laudibus celebranda; nec coloribus tantùm, ſed ſignis æreis, immò aureis expreſſa, perpetuæ memoriæ conſecranda. Pergit auctor:

X. Die verò altero in aurora rediere Teutonici, prædam de nobis facere geſtientes. Juratum eſt eis tandem, quia Papa fugiſſet; & ſic, Deo gratias, receſſerunt à nobis. Interim retentavimus, ſi mare adhùc valeremus intrare: Papam nocte deduximus. D Cùm non ſine periculo marinos fluctus attigimus: die tertio ripæ Tarracinenſi vivi vix applicavimus, & in quarto portum Cajetæ intravimus: ubi ab illis hominibus nimis honorificè ſuſcepti fuimus, & benignè tractati.] Ita fuga lapſo Pontifice, Imperator mox intrudit in Sedem Petri Mauritium Burdinum. Quod cùm Gelaſius accepiſſet, has litteras in Gallias dedit: (a)

Burdini Antipapæ intruſio.

a Vvillelm. Malm. Reg. Angl. l. 5.

Epiſt. Gelaſii Papæ ad Eccleſ. Gallicanā.

Gelaſius ſervus ſervorum Dei, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, clericis, Principibus, & ceteris per Galliam Fidelibus ſalutem.

E Quia vos Romanæ Eccleſiæ membra eſtis, quæ in ea nuper acta ſunt, dilectioni veſtræ ſignificare curamus. Siquidem poſt electionem noſtram dominus Imperator furtivè; & inopinata velocitate Romam veniens, nos egredi compulit. Pacem poſteà & minis & terroribus poſtulavit, dicens quæ poſſet, ſe facturum, niſi nos ei juramento pacis certitudinem faceremus: ad quæ nos iſta reſpondimus: De controverſia, quæ inter Eccleſiam & regnum eſt, vel conventioni, vel juſtitiæ libenter acquieſcimus, loco & tempore competenti, videlicèt Mediolani, vel Cremonæ in proxima beati Lucæ feſtivitate fratrum noſtrorum judicio, qui à Deo ſunt judices conſtituti in Eccleſia, & ſine quibus hæc cauſa tractari non poteſt. Et quoniam dominus Imperator à nobis ſecuritatem quærit: nos verbo & ſcripto eam promittimus, niſi ipſe eam interim impediat; aliàs enim ſecuritatem facere, nec honeſtas Eccleſiæ, nec conſuetudo eſt. Ille ſtatim die poſt electionem noſtrā quadrageſimoquarto Mauritium Bracharenſem Epiſcopum, anno præterito à domino prædeceſſore noſtro Paſchali Papa in Concilio Beneventi excommunicatum, in matris Eccleſiæ gremium ingeſſit. Qui etiam cùm per noſtras olim manus pallium accepiſſet, eidem domino noſtro, & Catholicis ſucceſſoribus (quorum primus ego ſum) fidelitatem juravit.

In hoc autem tanto facinore nullum de Romanis dominus Imperator (Deo gratias) ſocium habuit: ſed Guibertini ſoli, Romanus de ſancto Marcello, Cencius, qui dicebatur de ſancto Chryſogono, Teuto qui multo per * Daciam debacchatus eſt tempore, tàm infamem gloriam celebrarunt. Veſtræ igitur experientiæ, litterarum præſentium perceptione mandamus, ut ſuper his per Dei gratiam communi deliberatione tractantes: ad matris Eccleſiæ ultionem communibus, præſtante Deo, auxiliis, ſicut oportere cognoſcitis, accingamini. Datum Cajetæ decimoſeptimo Kalendas Aprilis.] Hactenùs Gelaſii ad Gallos data epiſtola circularis. De qua illud animadvertendum, dum ait, nullos ſenſiſſe de Romanis adverſarios, ſed tantùm Guibertinos ſe paſſum eſſe perſecutores; per Romanos Catholicos intelligere, ſicut per Guibertinos ſignificare ſchiſmaticos. Reperimus & alias eodem argumento datas ab eodem Gelaſio Papa tunc litteras in Hiſpanias ad Toletanum Archiepiſcopum Bernardum, acceptas ea libro primo Regiſtri epiſtolarum ejuſdem Gelaſii, his verbis:

* *f. Latium*

Gelaſius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Bernardo Archiepiſcopo Toletano & Hiſpaniarum Primati ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Non latere credimus fraternitatem tuā, qualiter frater quondam Mauritius Bracharenſis Epiſcopus ſe jamdiu habuerit, qualiter Eccleſiam ſuam dimiſerit, & quomodò Regi excommunicato adhæſerit, & contra ſtatuta canonica in cubile Romanæ Eccleſiæ ſe ingeſſerit. Nec eum miramur debitam tibi obedientiam, & antiquum primatus honorem Eccleſiæ tuæ penitùs denegaſſe, qui Romanam Eccleſiam, quæ omnium Eccleſiarum mater eſt & magiſtra, non ſolùm denegare, ſed deſtruere quodammodò conatur, &c. Monemus itaque, atque præcipimus, ut juxta mandatum prædeceſſoris noſtri ad electionem in Bracharenſi Eccleſia faciendam ſollicitudine charitatis debitæ, operam & opem

præ-

A præbeas cum effectu. Ipſum verò Mauritinm excommunicatum, perjurum, & matris Eccleſiæ conſtupratorem publicum ceteris Hiſpanarum Prælatis &c. Dat. Cajetæ, &c.] Hæc nuncianda miſit Hiſpanis. Scripſit & ad Romanos item de his epiſtolam; qua & commendat eorumdem conſtantiam adversùs intruſum pſeudopontificem, quæ ſic ſe habet:

Gelaſius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis in Chriſto filiis Clero, & populo Romano ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

B Dilectionis veſtræ Domino gratias agimus, quòd unanimiter perſiſtentes communicare tenebrarum operibus noluiſtis. Audivimus etiam * quondam ille amicus noſter dominus Imperator familiarem noſtrum Mauritium Bracharenſem Archiepiſcopum, anteà ſibi ſuper tractanda pace Legatum in noſtram Eccleſiam ingeſſerit. De quo ſciatis, quod dicitur, olim ſecundùm conſuetudinem * confirmatione, conſecratione pallium accepiſſet à nobis, & nos ab ipſo ſecundùm ſtatuta canonicum juramentum fidelitatis, & obedientiæ recepimus, &c. Rogamus ergò dilectionem veſtram, atque præcipiendo mandamus, ut ab eo vos tamquàm ab excommunicato, perjuro, invaſore, & ſanctæ matris Eccleſiæ, ac Fidei Catholicæ conſtupratore abſtineatis, &c. Datum Cajetæ, &c.] Sed redeamus ad Pandulphum, qui cœptam ſemel orationem de rebus tunc geſtis ita perſequitur:

* ſ. quomodò

XI. Epiſcopi conveniũt Gelaſium Pap. Cajetæ.

Diſcurrit fama per terras, & per viciniam illam convenerunt Archiepiſcopi, Sennes Capuanus, Landulphus Beneventanus, Alphanus Salernitanus, Marinus Neapolitanus, Riſo Bariſanus, Hubaldus Tranenſis, L. Sipontinus, Bailandus Brundusinus, L. ſanctæ Severinæ, & quamplures alii de Apulia & Calabria cum Vvillelmo Trojano, & diverſarum regionum Epiſcopis, Geraldus Abbas Caſſinenſis, Sigenulphus de Caneis cum Abbatibus aliis. In quorum præſentia idem dominus Papa conſecratus eſt per manus Lamberti Oſtienſis, Petri Portuenſis, Vitalis Albanenſis Epiſcoporum, cooperantibus Archiepiſcopis, & Epiſcopis multis, aſſiſtentibus aliis viris religioſis, & cum eis Vvillelmo Duce Apuliæ, Roberto Principe Capuano, Richardo de Aquila, aliiſque Baronibus plurimis, qui tunc ei omnes fidelitatem fecerunt.] Romualdus Archiepiſcopus Salernitanus in ſuo Chronico formulam recitat, qua Gelaſius Papa inveſtivit de Apuliæ & Calabriæ Ducatu Vvillelmum Ducem, quæ ſic ſe habet: Quemadmodùm Gregorius Papa tradidit illam Roberto Guiſcardo avo tuo, & ſicut Urbanus Papa eam Rogerio patri tuo tradidit; & ſicut Paſchalis Papa eidem Rogerio patri tuo priùs & poſteà tibi tradidit; ſic & ego trado tibi eamdem terram cum honore Ducatus per illud idem donum atque conſenſum &c.] Hæc ibi. Pergit verò Pandulphus de eadem conſecratione Gelaſii: Conſiſtente Clero & populo infinito, ſancto dictante Spiritu effectus eſt presbyter, & in Papam Gelaſium infra Kal. Martii conſecratus. Ibi Petrum Ruſum diaconum Cardinalem, Baronem ſubdiaconum, & me Pandulphum Oſtiarium, qui hæc ſcripſi, in Lectorem & Exorciſtam promovit, & plures alios in minoribus gradibus ordinavit. Lætum nomine Verulanum Epiſcopum à domino Paſchali Papa factum, & depoſitum, ſuæ dignitati ac loco reſtituit, Chryſogonum diaconum Cancellarium fecit, ibique per totam Quadrageſimam demorantes, feſtivitatem Paſchæ Capuæ ſolemniter celebravimus.

D

Inveſtitura Vvillelmi Ducis.

E

XII. Henricus intrudit Mauritiũ Burdinum.

Nobis verò ſic jàm quomodolibet reſpirantibus: ſupervenere qui dicerent (quod Cajetæ etiam per ſuſurrum primitùs ſenſeramus) Henricum illum barbarum, quemdam Mauritium nomine Bracharenſem Archiepiſcopum, quaſi novum ſimulachrum in loco Papæ ſtatuiſſe, & illum ſic intruſum Papam ſuum, Gregorium nominaſſe. Ecce recidivo vulnere recidimus in typum antiquum. Addidit inde nuntius, quòd caſtrum prope Turriculam à Fratribus Abbatiæ ſancti Andreæ retentum C idem barbarus obſideret. Reſumpſit Papa vires, ac Duci Vvillelmo, ac Principi Capuano Roberto, aliiſque Baronibus dedit firmiter in mandatis, ut omnes contra barbarum arma compararent. Dixit, & factum eſt. Paratur Papa ad reditum, redeunt Barones cum eo; inde ad ſanctum Germanum; videlicèt Caſſinenſe cœnobium devenerunt, ubi Vvillelmum Ducem per aliquot dies expectavimus. Interim Lando dominus de Turricula, Odo, Coſtus, & Gilulphus fratres ejus cum eo acriter pugnabant cum Henrico Rege. Faciunt contra machinas, vi- D neas, baliſtas, & arcus. Ibi primùm rete † contra petrarias ad * rupes operiendas ab aſtuto illo tyranno in damnum plurimorum, & proficuum nullis ingenio exquiſito inventum eſt.] Subdit de cane, tabellarii tunc munere fungente, ab obſeſſis accipiente litteras, & reddente; atque de obſidione ſoluta, & Henrici fuga ac reditu in Germaniam, ſic pergens:

† locus obſcurus
* ripas

XIII.

Venit dux Vvillelmus ad Papam intereà. Tunc cœperunt reditum ſimul maturare. Quod Henricus perſentiens, infecto negotio à caſtello remotus, via ipſa qua E venerat, irato ipſi Domino, in Alemanniam rediit, idolo quod plaſmaverat, in Urbe relicto. Tunc Papa doluit multùm; quòd reddi nimis inconſultè præceperat Circæam arcem, quam vellet habere. Igitur Dux & Principes, cum Baronibus rediere, Papa in propria ſede in Campaniam veniente, ſui eum non ſine pretio receperunt; & ita pedetentim magis ut peregrini quàm domini, Romã (ſicut Deus novit) intravimus. Latuit dominus Papa meliùs, quàm hoſpitatus ſit in Eccleſia quadam, quæ ſancta Maria in ſecundo cereo dicitur, inter domos illuſtriſſimo-

Quanta Gelaſius Paſſus à ſchiſmaticis.

rum

Digitized by Google

rum virorum Stephani Northmanni, Pandulphi fratris ejus, & Petri Lattonis Corſorum. Ibique de imminentibus periculis, præſertim de intruſione Burdini cum tota ſimul Eccleſia diligentiùs conſerebat. Eum quidam de Cardinalibus Deſiderius ſanctæ Praxedis, cujus proximè erat feſtivitas (quod non utinam cogitaſſet) ad cantandum in ipſamet Eccleſia Miſſam, ſimpliciter quodam veſpere invitavit, ſed nimiùm ſimplicius eſt à domino Papa conceſceſſum. Die autem craſtina (etſi diſplicuerit plurimis) quia Eccleſia eſſet in fortiia Frangipanum, freti tamen Stephani Northmanni, & Creſcentii Cajetani ejuſdem Papæ nepotis, antiquia ſtrenuitatibus, itum eſt ad cantandum. Needum adhùc celebratis officiis: ecce enim non parva manu militum, ac peditum, & aliorum procacium impii Frangipanes apparent: irruunt, lapides, & ſpicula mittunt, noſtros affligunt, multi paucos atterunt. Reſiſtit miles Northmannus, & Creſcentius glorioſus cum eo, reſiſtunt undique noſtri, jacula mandata remandant, cnſis atteritur enſe, lancea retuſa retundit; hinc pedites, illic milites cadunt, undique ſtrati, undique pugna gravis: Papam cœpit iſte tenere, iſte tuetur eum: miles utrimque cadit, turbæ ruunt, pedites ſcandunt muros, capiuntur ex noſtris aliqui, non tamen eximii. O quantus luctua omnium, quanta præcipuè lamenta matronarum, quæ Papam ſolùm, tamquàm ſcurram per campos, ſacris pro parte veſtibus reveſtitum, quantum equua poterat, fugientem videbant? Hunc Crucifer ſequitur, cecidit, mulicrcula quem tunc invenit, abſcondit, in ſepe crucem recondit, & in ſero reduxit. In quatta parte diei acriter eſt ab utriſque pugnatum. Cùm Stephanus Northmannus credens Papam jam in tuta fugiſſe, taliter Frangipanes alloquitur.

XIV. Ex Papæ cognita fuga dirimitur pugna.

Quid, inquiens, facitis? quò ruitis? Papa quem quæritis? jam receſſit, jam fuga elapſus eſt. Numquid & nos perdere cupitis? Et quidem Romani ſumus ſimiles vobis, & ſi dici liceat, conſanguinei veſtri. Recedite ergò, recedite, ut & nos feſſi pariter recedamus. Ad hanc itaque vocem nepos ejus Frangipanis gemebundus dolens Papam eumdem liberatum, cum inſuo fratre Cencio, aliiſque receſſit. Redierunt & noſtri, non omnes. Interim Papa utrobique quæſitus, demùm intra campos ſancti Pauli Eccleſiæ adjacentes feſſus, triſtis, & ejulans inventus eſt, & reductus: die illa prandium cum cœna fit unum, & ſpem & metum animi cunctorum mutabant dolentes, & quantum ad diem per longa tempora memorabilem, conſiliatum eſt, nox conſilium diremit.

Sermo Gelaſii ad ſuos de profectione.

Sanè die altero quique hæc & illa dicentes: Papa poſt omnium ſententias dixit: Viri fratres & filii, ſicut nec longè malum, ita nec longo opus eſt, nec novo ſermone: ſequamur Patres noſtros, quoniam valdè bonum eſt, antiquos ſequi parentes. Sequamur nihilominùs Evangelium. (a) Quandoquidem vivere in civitate iſta non poſſumus: fugiamus in aliam, Fugiamus Sodomam, fugiamus Ægyptum, fugiamus novam, juxta verbum propheticum, Babyloniam, civitatem ſanguinum fugiamus. Veniet (credite mihi) veniet aliquando tempus, cùm vel omnes pariter, vel quos Deus permiſerit, flante Auſtro, redibimus, & tempora meliora redibunt. Ego coram Deo, & Eccleſia dico, Si umquam poſſibile eſſet, mallem unum Imperatorem, quàm tot. Unus ſaltem nequam perderet nequiores, donec de illo quoque evidentem juſtitiam Imperatorum faceret omnium Imperator. Ad hæc omnes una voce clamavere: Fiat, ſic fiat, jungentes tertiò Fiat, Amen.] Itaquidem benè provocat Gelaſius, ut audiſti, ad antiquitatem. Siquidem unicum illud uſitatum, tutum, certumque refugium fuit ſemper Romanis Pontificibus perſecutione vexatis, regnum Francorum, ipſos Francorum Reges adire, à quibus & dignè conſueviſſent ſuſcipi, digniùs retineri, atque digniſſimè, cùm facultas adeſſet, compreſſis hoſtibus, ad Romanam Eccleſiam revocari. Adeò ut ſi quis dicat, portum Romanæ Eccleſiæ fluctuantis naviculæ Petri Galliam eſſe, non mentietur. Hinc Sugerius Abbas S. Dionyſii in Ludovico hæc de noſtro Gelaſio: cùm tyrannide Imperatoria per Romanos à ſancta Sede Romanæ Eccleſiæ arceretur, ad protectionem ſereniſſimi Regis Ludovici, & Gallicanæ Eccleſiæ compaſſionem, ſicut antiquitùs conſueverunt, confugit.] Hæc Sugerius ejus temporis ſcriptor.

XV. Gelaſius receſſurus cuncta diſponit.

Pergit verò Pandulphus de facta ab eodem Pontifice diſpoſitione rerum antequàm recederet, iſtis verbis: Singula itaquè ſingulis, juxta modum omnium ac menſuram, omni tarditate ſepoſita, Eccleſiæ miniſteria perſonis aſſignata ſunt vel conceſſa. Venerabilis Pater dominus Petrus Epiſcopus Portuenſis loco Papæ Vicarius conſtitutus, Cardinales aliqui ei ſunt in auxilium ſociati. Viro reverendiſſimo & ſagaci domino, & avunculo meo Hugoni Cardinali ſanctorum Apoſtolorum Beneventanæ urbis cuſtodia (prout poſteà vidimus) non ſine ſancti Spiritus eſt oraculo commendata. Nam paulò pòſt deficiente Papa, niſi ipſe reſtitiſſet, & mille modus ſagaciter obviaſſet. Northmanni illam hodiè, & non Papa teneret. Nicolao Seni Cantorum ſcholam concedit. Petro dicto Præfecto, per quem domino noſtro ſanctæ memoriæ Papæ Paſchali mala pluſima provenerunt, occaſione iſta (cæterum aliter vix fuiſſet) Præfectura Urbis nequam, & indigniſſimo homini eſt ſtabilita. Princeps, clypeus omnium pariter Curialium Stephanus Northmannus, collaudantibus omnibus, protector, & vexillifer in Dei Patris nomine nimis efficaciter ordinatur, & ad Urbis cuſtodiam cum jam dictis aptatur.

Pridie autem, antequàm ab Urbe recederet, ipſis nempè Kalendis Septembris,

a Matt. 10.

Idem

Digitized by Google

Idem Gelaſius Papa Ravennatem Eccleſiam unà cum ſuo Archiepiſcopo ab eis electo Gualterio jam diu ante ſchiſmate ab unitate Catholica ſciſſam Romanæ Eccleſiæ uniens, quæcumque in pœnam criminis ab ea abſtulerat, reddidit, atque etiam pallium miſit. Extant de his omnibus Apoſtolicæ litteræ apud nos, quas hic tibi deſcribendas curavimus. Sic ſe habent:

Gelaſius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Gualterio Ravennatium Archiepiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Unitati divinæ Trinitatis gratiæ agendæ ſunt, quæ per ſuæ charitatis Spiritum diviſa conjungit, & multos in ſe animos unum facit. Eccleſia ſiquidem Ravennatium per multa jam tempora ab Apoſtolicæ Sedis unitate diſciſſa multas eidem Sedi Apoſtolicæ perſecutiones intulit, & Eccleſiis multis perverſi ſchiſmatis fomitem miniſtravit. Quapropter ad * cujus nequitiam ſubjectarum ei Eccleſiarum quaſdam ſibi Apoſtolica Sedes aſſumpſit, ut vel ſic eam ad humilitatis, & unitatis tramitem revocaret. Sed cùm tandem divinæ Majeſtati placitum fuit, eamdem Ravennatium Eccleſiam miſericordiæ ſuæ gratia, ad unitatem; & obedientiam matris ſuæ Romanæ Eccleſiæ revocavit. Iniquitatem namque ſuam illius filii recognoſcentes, delicta patrum corrigere, probaverunt, ut qui præteritis temporibus per tyrannidem regiam Præſules Regibus placentes accipiebant; nunc demùm ſecundùm canonicas ſanctiones Epiſcopum Deo placentem eligerent, & ſchiſmate abdicato in Catholicæ congregationis gremium repedarent. Te ſiquidem, reverendiſſime frater Gualtere, à diſciplina Fratrum regularium violenter aſſumptum pro religionis, ac ſapientiæ prærogativa in Beati Apollinaris Cathedra communi voto, ac deſiderio poſuerunt, & in Apoſtolicæ Sedis obedientiam unanimiter redierunt. Unde nos divinæ Trinitatis unitati gratias agentes, perſonam tuam pro jure noſtræ Eccleſiæ ad Epiſcopale miniſterium cooperante Domino conſecrantes, tibi, & per te Ravennatium Eccleſiæ dignitatem omnem, quam ante illius diviſionis tempora per Romanam Eccleſiam poſſederat, reſtituimus, & per præſentem privilegii paginam, ſalvo in omnibus jure atque auctoritate Sedis Apoſtolicæ, concedimus tibi, tuiſque ſucceſſoribus in ejuſdem Sedis Apoſtolicæ fide atque obedientia permanentibus, Epiſcopatus Æmiliæ provinciæ, ideſt Placentiæ, Parmæ, Regii, Mutinæ, Bononiæ, Ferrariæ, Adriæ, Comacli, Imolæ, Faventiæ, Forilivii, Foripompilii, Bobii, Ceſennæ, Ficoclæ. Confirmamus etiam vobis Ducatum Ravennæ, & monaſteria ſancti Adalberti, & ſancti Hilarii * Galliata, ſeu cætera monaſteria, & poſſeſſiones, per authentica privilegia ab Anteceſſoribus noſtris, & à Catholicis Regibus tradita: Pompoſiani quoque monaſterii curam religioni tuæ, ſalvo Eccleſiæ noſtræ jure, com-

A mittimus, ut regulari diſciplina per tuam induſtriam, largente Domino, reformetur. Prætereà fraternitati tuæ pallium, pontificalis videlicèt officii plenitudinem liberaliter concedimus, quo fraternitas tua ſecundùm Eccleſiæ tuæ morem ex Apoſtolicæ Sedis conceſſione permiſſum, ſe noverit induendum, cujus * inimicum pallii volumus te per omnia * genium vendicare. Hujus ſiquidem indumenta, honor, humilitas, atque juſtitia eſt. Tota ergò mente fraternitas veſtra ſe exhibere feſtinet in proſperis humilem, & in adverſis, ſi quando eveniunt, cum juſtitia erectam, B amicam bonis, perverſis contrariam, nullius umquam faciem pro veritate loquentem premens, tùm operibus juxta virtutem conſtantiæ inſiſtens, tùm inſiſtere etiam ſupra virtutem cupiens, infirmis compatiens, benè valentibus congaudens, de alienis tamquàm de propriis exultans gaudiis, in vitiis corrigendis piè ſæviens, in ſovendis virtutibus auditorum animum demulcens, in ira judicium ſine ira tenens, in tranquillitate autem ſeveritatis juſtæ cenſuram non deſerens. Hæc eſt, frater chariſſime, pallii accepti dignitas, quam ſi ſollicitè ſervaveris, quod foris accepiſſe oſten- C deris, intus habebis.

* ſ. amictu

Ego Gelaſius Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopus † Signum manus meæ Gelaſii, Deus in loco ſancto ſuo. Datum Romæ per manum Chryſogoni S. R. E. diaconi Cardinalis, Kalend. Septembris, Indictione duodecima, anno Dominicæ Incarnationis MCXIX. Pontificatus autem D. Gelaſii Secundi Papæ anno primo.] Ita Indictio unà cum menſe Septembris duodecima inchoatur, ſicut & annus Redemptoris ab Incarnatione poſt milleſimum nonuſdecimus jam incepit. Sed de ejus Urbe diſceſſione, & in Gallias navigatione Paudulphum au- D diamus, qui ſic pergit.

XVI.

Navibus intereà pluribus, & aliis optimè pro tempore præparatis, quia per terram non poterat, bonis ventis urgentibus Papa mare intravit (*die ſecunda menſis Septembris, ut habet Chronicon Beneventanum*) atque poſt dies aliquot Piſas proſperè applicuit. Exierunt cum eo dominus Joannes Cremenſis, Guido ſanctæ Balbinæ, & de diaconis Cardinalibus dominus Petrus Leonis, Gregorius ſancti Angeli, Roſimanus, atque Chryſogonus. Sed & de Romanis nobilibus Petrus Latro, & Joannes Bel- E lus, fratres Petri Præfecti, & quidam minores alii clerici ſive laici, præter ipſorum domeſticos, & cuſtodes. Hi omnes cum Papa ſimul honorificè ſatis atque ſolemniter ab innumera Cleri & populi multitudine Piſis recepti ſunt tractati. Ubi idem Papa inter alia multa ſuper verbo Pſalmiſtæ (a) Dixi, pronuntiabo adversùs me injuſtitias meas, & tu remiſiſti impietatem cordis mei, ſermonem talem habuit, qualem certè vix Origenes in carne habuiſſet. Ibi igitur aliquamdiù commorans, pro ſui officii libertate plenaria tractans, mare iterùm intravit, & ſic ducente Domino

a *Pſal.* 31.

Gelaſ. Papa cũ ſuis in Galliã navigat.

portum

Digitized by Google

portum Villæ ſancti Ægidii ſanus cum ſuis omnibus & incolumis attigit. Ubi venerabili Abbate Hugone, & ejuſdem monaſterii fratribus undecumque confluentibus, cum maxima laude eſt & honore ſuſceptus, qualiter autem inibi, quàm benè, quàm largiſſimè ab eis fuerit diutiùs pertractatus; ſatis manifeſtum eſt. Illùc omnes Epiſcopi, Abbates, & monachi, nobiles, & ignobiles cujuſcumque ordinis pari modo conveniunt, quique ſuo modulo ei ſervire parati. Abbas Cluniacenſis dominus Pontius adveniens cum munuſculis aliis, triginta ei equitaturas præparavit, decem verò Abbas ſancti Gordii cum donariis aliis: cum quibus, & cum aliis equitavit dominus Papa per terram illam.] Inter alios autem, qui ad ſanctum Ægidium occurrerunt Pontifici, fuit Norbertus auctor Ordinis Præmonſtratenſis, qui à Pontifice munus prædicandi Evangelium impetravit. Cùmque idem Pontifex voluiſſet eum apud ſe retinere, non acquievit. Iſta pluribus Hugo (a) in vita ipſius. Ibi cùm eſſet apud ſanctum Ægidium idem Gelaſius Papa, privilegium dedit Eccleſiæ Toletanæ, de quo iſta tantùm mutilata, ſed ex Regiſtro accepta Gelaſii, habentur his verbis:

a Hugo in vit. Norber. c.9.16. apud Sur. die 6.

Gelaſius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei reverendiſſimo fratri Bernardo Toletano Primati, ejuſque ſucceſſoribus canonicè ſubſtituendis in perpetuum.

Charitatis eſt bonum proprium congaudere profectibus aliorum, &c. Idcircò prædeceſſorum noſtrorum ſanctæ memoriæ Urbani Secundi, & item Paſchalis Secundi veſtigiis inhærentes, tàm tibi, quàm tuis ſucceſſoribus Toletanæ Eccleſiæ cathedram illuſtrantibus totius Hiſpaniæ Primatum, largiente Domino, confirmamus, ſalva tamen Romanæ Eccleſiæ auctoritate, & Metropolitanorum privilegiis ſingulorum, &c.] Poſt hæc ſubſcriptio, & tempus datæ, his verbis:

Ego Gelaſius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcribo ✠ Signum manus meæ, Deus in loco ſancto ſuo. Datum apud ſanctum Ægidium, per manum Chryſogoni, S.R.E. diaconi Cardinalis VII. Idus Novembris, Indictione XII. anno Dominicæ Incarnationis MCXIX Pontificatus autem Gelaſii Secundi Papæ anno primo.] Hucuſque in Codice. Pergit verò Pandulphus de aliis per eum tunc rebus geſtis his verbis: In viciniis quoque illis cooperantibus plurimis urbium Epiſcopis, Eccleſiam S. Cæciliæ de Stagello, Eccleſiam ſancti Silveſtri de Tillano, Eccleſiam ſancti Stephani de Tornaco dedicavit, & terminos lapideos prætereà infixit, quos abſque maledictione perpetua nulli umquam ad damnum vel loci, vel alicujus rei tranſgredi quandoque licebit.] Hactenùs de Gelaſii navigatione, appulſu, atque progreſſu in interiores Gallias. Quæ autem auctor poſt hæc ſubiicit, ad annum ſequentem ſpectant, quæ nos ſuo loco reddituri ſumus.

XVII. Porrò Sugerius Abbas ſancti Dionyſii, qui unus fuit ex iis, quos Ludovicus Rex miſit in occurſum ejuſdem Pontificis, in vita ejuſdem Regis quam ſcripſit, tradit, obtuliſſe eidem Pontifici eſtrema inopia laboranti primitias regni, ab eo verò Apoſtolica benedictione donatos fuiſſe; paratum verò Ludovicum ipſum audire Cluniacum, ſi ejus vita ſuperſtite licuiſſet. Porrò auctor hujus temporis Falco in Chronico Beneventano teſtatur, ingenti ſtudio Francos ad exulem Pontificem confluxiſſe, eorumque munificentia ingentem vim argenti & auri fuiſſe collectam ex ſpontaneis Fidelium ſuas domos evacuantium oblationibus, ut exuli Pontifici ſubvenirent.

Gallorum erga exulē Pont. charitas.

XVIII. Eodem tempore ab eodem Gelaſio Papa conſecratur Petrus Epiſcopus Cæſarauguſtanus primus poſt recuperatam eam civitatem per Ildefonſum Regem, anno milleſimo centeſimo decimoquinto, ut ejuſdem Regis diplomate reddidit exploratum Hieronymus Blanca hiſtoricus accuratiſſimus. Bello ſiquidem devictis Sarracenis, ipſaque nobiliſſima civitate ac periluſtri antiquis memoriis ſanctorum Martyrum, è Sarracenorum manibus vendicata, idem Rex maximè pius, valdè ſollicitus, ut Chriſtianæ religionis cultus diu exul cum honore poſtliminio redderetur: ad Romanum Pontificem Gelaſium mittit conſecrandum eumdem electum Petrum. Quem ſuſcipiens, benigno promptoque animo idem Pontifex Epiſcopum conſecravit, eumdemque ad ſuam dimittens Eccleſiam, has illi litteras dedit:

Petrus Cęſarauguſt. Epiſc. conſecratur à Gelaſio Papa.

Gelaſius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, exercitui Chriſtianorum, civitatem Cæſarauguſtanam *obſidenti, & omnibus Catholicæ Fidei cultoribus ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

*obtinenti

Gelaſius ad Cæſarauguſtanos ſcribit.

Litteras devotionis veſtræ inſpeximus; competitioni, quam pro Cæſarauguſtano electo ad Sedem Apoſtolicam * duxiſtis, favorem libenter accommodavimus. Eumdem ergò electum, noſtris tamquàm beati Petri manibus, largiente Domino, conſecratum remittentes ad vos, benedictionem vobis Apoſtolicæ viſitationis impendimus, æquam omnipotentis Dei miſericordiam implorantes, ut per Sanctorum preces & merita, opus ſuum ad honorem ſuum, & Eccleſiæ ſuæ dilatationem vos faciat operari. Et quoniam, & vos ipſos, & veſtra eſtremis obiicere periculis decreviſtis: ſi quis veſtrum accepta de peccatis ſuis pœnitentia, in expeditione hac mortuus fuerit; nos eum Sanctorum meritis, & totius Catholicæ Eccleſiæ precibus à ſuorum vinculis peccatorum abſolvimus. Ceterùm, qui pro eodem Domini ſervitio vel labo ant vel laboraverint, & qui præfatæ urbis Eccleſiæ à Sarracenis & Moabitis dirutæ, unde reficiatur, & clericis ibi Deo famulantibus, unde paſcantur, aliquid donant, vel donaverint, ſecundùm laborum ſuorum, & beneficiorum ſuorum Eccleſiæ impenſorum quantitatem ad Epiſcoporum arbitrium, in quorum parochiis degunt, pœnitentiarum

*direxiſtis

Indulgentia impertitur.

ſuarum

Digitized by Google

A quſrum remiſſionem, & indulgentiam conſeqnantur. Data Aleſti, quarto Idus Decembris.] His acceptis idem Petrus ordinatus Epiſcopus Cæſaranguſtanus, ſuis additis litteris ejuſmodi indulgentiarum diploma per univerſum Chriſtianum orbem promulgandum ſtuduit, iſta ſcribens:

XIX. Univerſis mundi Eccleſiæ Fidelibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, presbyteris, omnibus Catholicę Fidei cultoribus Petrus licèt indignus Cæſarauguſtanus Epiſcopus ſalutem & obedientiam.

Petri epiſt. Cæſaraug. epiſt. encyclica.

Divina favente clementia, veſtriſque precibus, & fortium virorum audacia Caſarauguſtanam urbem Chriſtianis manibus ſubjugari, ac beatæ & glorioſæ B Virginis Mariæ Eccleſiam, quæ diu (proh dolor) ſubjacuit Sarracenorum ditioni, liberari, ſatis audiviſtis: quam beato & antiquo nomine ſanctitatis ac dignitatis pollere noviſtis. Adhùc tamen priori captivitatis mœrore confectam, omnibus penè egere ſapiatis, tùm quia non habent, unde dirutæ Eccleſiæ præſatæ parietes & ornamenta reſtitui valeant; tùm quia clerici ibidem divino famulatui die noctеque vacantes, unde vivant, non obtinent. Veſtram itaque deprecamur clementiam, quòd ſi corporali præſentia illam viſitare nequitis, ſaltem eleemoſynarum veſtrarum oblatione clementer viſitetis, illud Pſalmographi recolentes: (a) Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus. Illis verò, qui præfatæ Eccleſiæ neceſſariorum ſolatio deſtitutæ atque ſuæ paupertatis gemitibus condoluerint, & unum denarium, vel quot valeant, ad ejus reſtaurationem miſerint: nos eis divina clementia ac domini Gelaſii Papæ auctoritate freti (exemplar litterarum crucis, quas in noſtra Eccleſia ſignatas habemus, in ſupraſcripta pagina ſcriptum invenietis) atque domini Bernardi Archipræſulis Toletani & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Legati, ac omnium Epiſcoporum Hiſpaniæ . . . . . pœnitentiæ remittimus. Alii equidem juxta beneficiorum ſuorum quantitatem, & operum ſuorum meritum delictorum ſuorum conſequantur remiſſionem. Qui hunc noſtrum Archidiaconum nomine Miorrandum, & ſocios ſuos præſentium litterarum latores benignè ſuſceperint, vel eis conſuluerint, à Domino vitam conſequantur æternam. Valete.] Ita Petrus Epiſcopus Cæſarauguſtanus, qui (ut audiſti) unà cum his & litteras Apoſtolicas miſit, haſque omnes ſubſcriptione munitas, tùm Bernardi Archiepiſcopi Toletani, tùm aliorum Hiſpania Epiſcoporum in hunc modum:

a Pſal. 40.

Ego Bernardus Toletanæ Eccleſiæ Archipræſul hanc abſolutionem facio & confirmo.

Ego Suboſcitanus Epiſcopus hanc abſolutionem facio & confirmo.

Ego Sanctius Caleguritanus Epiſcopus hanc abſolutionem facio & confirmo.

Ego Guido Laſcurrenſis Epiſcopus hanc abſolutionem facio & confirmo.]

A Subſcriptus quoque his reperitur Apoſtolicæ Sedis Legatus, qui tunc morabatur in Hiſpania, hoc itidem modo:

Ego Boſo S. R. E. Cardinalis hanc abſolutionem facio ac confirmo.] Hactenùs venerandæ antiquitatis monimenta, Hieronymi Blancæ induſtria in lucem prodita in commentariis rerum Aragonenſium ex Cæſarauguſtano Tabulario, quibus indulgentiarum promulgandarum priſtinus mos reſeratur, pariterque antiquus cultus religioſiſſimę Eccleſię beatiſſimæ Virginis DE PILARI, nuncupatæ, quæ hactenùs non ſolùm Hiſpanorum populorum, ſed B externorum etiam viſitatione frequentatur, univerſo Chriſtiano orbi illuſtri fama notiſſima.

XX. Legatio Conouis in Germania.

Cùm autem perveniſſet in Gallias Gelaſius Papa, ad continendos Catholicos Germanos in fidem Apoſtolicæ Sedis, legat ad eos Cononem Epiſcopum Præneſtinum benè notum, ut qui anteà ſub Paſchali prædeceſſore ea ſumma cum dignitate fuerat legatione perfunctus. Qui inſtar fulguris coruſcantis abiens & rediens excommunicationis fulmen in Imperatorem, in duobus, quæ congregavit, Conciliis, magna animi conſtantia exploſit intrepidus. C De his enim Urſpergenſis Abbas in primis hæc habet: His temporibus Cono Præneſtinus Epiſcopus Cardinalis adhuc legatione Gelaſii functus, Synodum Colonia cum Teutonicis habuit, ubi Imperatoris omnimodis excommunicationem propalavit. Huic Concilio interfuit Norbertus poſteà Præmonſtratenſis Ordinis inſtitutor, tunc autem noſter converſus in peregrino habitu. Ibique ab omnibus in multis accuſabatur, de quibus ſe prudenter excuſabat, unde & ſcriptum legitur de eo, quod de Iſmael: (b) quia manus horum omnium contra eum, & ipſe D contra hos omnes.] At de cauſa Norberti in vita ipſius Hugo (c) Abbas pluribus agit. Pergit auctor: Alteram quoque Synodum in Friteslar idem Cono Præneſtinus, eadem pro cauſa indicit, qua & habita, eamdem quam priùs excommunicationem confirmavit, *adversùs Imperatorem ſcilicèt*. Imperator his auditis, inſuper etiam, quòd Principum conſenſus generale, vel curiale colloquium non multò pòſt apud Vvirceburg inſtituere propoſuiſſet; ubi ipſe aut præſens ad audientiam exhiberi, aut abſens regno deponi debuerit: efferatus animo, Italiæ ſuis copiis cum Regina E relictis, Germanicis ſe regionibus nimis inſperatus exhibuit.] Quæ autem iſta ſecuta ſint, quoniam ſpectare noſcuntur ad Gelaſii ſucceſſorem, ſuo loco dicentur.

Conc. Coloniе. contra Imp.

b Geneſ. 16.

c Apud Surium die 6. Jun. tom. 3.

Conc. Fritislar. contra Imp.

Revertitur Imp. in Germaniâ.

XXI. Eodem anno inſtitutus eſt Ordo Militię Templariorum, de quibus iſta Vvillelmus Tyrius: (d) Eodem anno, *nempè milleſimo centeſimo decimooctavo*. Quidam nobiles viri de equeſtri ordine Deo devoti, religioſi & timentes Deum, in manu domini Patriarchæ Chriſti ſervitio ſe mancipantes, more Canonicorum Regularium, in caſtitate & obedientia, & ſine proprio

d Vvill. Tyr. de bell. ſacr. l. 12. c. 7.

Templariorum inſtitutio.

K velle

velle perpetuò vivere profeſſi ſunt. Inter quos primi & præcipui fuere viri venerabiles Hugo de Paganis, & Gaufredus de ſancto Ademaro. Quibus quoniam neque Eccleſia erat, neque certum babebant domicilium, Rex in palatio ſuo, quod ſecus templum Domini ad auſtralem habet portam, eis ad tempus conceſſit habitaculum, Canonici templi Domini plateam, quam circa prædictum habebant palatium, ad opus offi inarum certis quibuſdam conditionibus conceſſerunt. Dominus autem Rex cum ſuis proceribus, dominus quoque Patriarcha cum Prælatis Eccleſiarum de propriis Dominicalibus certa eis pro victu, & amictu beneficia quædam ad tempus, quædam in perpetuum contulerunt. Prima autem eorum profeſſio, quodque eis à domino Patriarcha & reliquis Epiſcopis in remiſſionem peccatorum injunctum eſt, ut vias & itinera maximè ad ſalutem peregrinorum contra latronum, & incurſantium inſidias pro viribus conſervarent.] Hæc de inſtitutione. Quomodò autem poſt novem annos in Galliis in Concilio Trecenſi confirmatus eſt Ordo per Apoſtolicæ Sedis Legatos, ſuo loco dicendum erit. In quo illud obſervandum, quod & Tyrius ait, per novem annos, cùm totidem ipſi eſſent, novem numero; nequaquàm potuiſſe multiplicari. Ubi autem comprobatio acceſſit Apoſtolicæ Sedis, aucti ſunt in immenſum.

XXII. *Idem lib. 11 c. ult. & lib. 12. c. 1. 2. 3.* Balduini Regis obitus.

Quod item pertinet ad res Orientales, moritur hoc anno, Quadrageſimæ tempore Balduinus (*a*) Hieroſolymorum Rex, dum in expeditione eſſet, ſepeliturque Dominica Palmarum Hieroſolymis ſub Calvariæ loco. Subſtituitur ab eo vivente Balduinus de Burgo affinis ejus, miles egregius, pietate præſtantior, coronatur die Paſchatis Sed cùm intereà (*b*) Euſtachius Comes Bolonenſis frater defuncti Regis ab aliis in Regem aſſumeretur: ne bellum civile inter Chriſtianos in Terra ſancta apud Infideles maximo damno Chriſtianæ religionis conflaretur, ſpontè magna animi conſtantia, religione non impari, magna omnium admiratione, majori laudatione ceſſit Balduino regnum, memorandum poſteris præbens exemplum, non quæ ſua ſunt quærendi, ſed quæ plurimorum cauſæ faverent. Ad hunc autem recèns Regem electum extat epiſtola Petri (*c*) Abbatis Cluniacenſis officii plena.

b *Idem lib. 12. c. 3.*
c *Pet. Clun. li. 4. ep. 46. 47.*

Guarimũdus Patriarcha Hieroſolymitan.

Quo anno pariter defuncto Arnulpho Hieroſolymorum Patriarcha, dignitate ſedis potiùs quàm moribus memorando: ſucceſſit in locum ipſius Guarimundus natione Francus diœceſis Ambianenſis, virtutibus pollens. Ad quem etiam extat ejuſdem Petri Cluniacenſis Abbatis epiſtola, cùm ſcivit ipſum creatum eſſe Patriarcham Hieroſolymitanum.

XXIII. Alexii Imp. obitus.

Moritur hoc pariter anno, decimooctavo Kalendas Septembris, Alexius Imperator, ubì regnaſſet annos trigintaſeptem, & trigeſimumoctavum per menſes quatuor & dies aliquot inchoaſſet. Præceſſerat illud

A loco prodigii habitum, quòd vehementiſſimo ventorum turbine ſtatua Conſtantini ænea, ſita ſuper celeberrimam columnam porphyreticam in Placoton collocatam, divulſam in terram proſtrata eſt atque contrita, cujus & immenſa ruina plurimos necari contigit. Meminit ejus rei adeò admirandæ Zonaras tùm in Conſtantino Magno, tùm etiam in ipſo Alexio Comneno. Plores adhùc ejuſdem Imperatoris extant conſtitutiones ab eo ſancitæ, etiam ad res Eccleſiaſticas ſpectantes, quas recitat Theodorus Balſamon diverſis in locis. Habet & eas codex Juris Orientalis B duobus tomis intextas.

De eodem Alexio, quòd fuerit Eccleſiæ Romanæ communione conjunctus, plura ſunt quæ ſignificant. Conſtat in primis eumdem Alexium Imp. frequentaſſe oblationibus Eccleſiam ſancti Benedicti cœnobii Caſſinenſis. Quòd ſi non fuiſſet Catholicus, nec ipſe miſiſſet, nec miſſa ab eo accepta fuiſſent, id prohibentibus legibus Eccleſiaſticis. De legationibus cum oblationibus miſſis ad Caſſinenſe monaſterium, meminit Petrus diaconus his verbis: (*d*) Alexius verò Conſtantinopolitanus Imp. tranſmiſit beato Benedicto per C Joannem Curopalatam ſuum veſtem oxideanratam. Suſcepit eum Legatum Abbas noſter honorificè, ipſumque Imp. bonorum omnium, quæ hic gererentur, participem perpetuò eſſe conſtituit.] Et inferiùs: Secundò idem Imperator octo Michelatorum libras, & pallium triscontas pro altari noſtræ miſit Eccleſiæ.] Et inferiùs idem auctor: (*e*) Hoc item anno Alexius Conſtantinopolitanus Imp. per Apocriſarios Imperii ſui miſit beato Benedicto purpureum pallium optimum, de quo idem Abbas pluviale faciens aureis liſtis ornavit.] Et inferiùs inſuper: (*f*) D Per hujus, inquit, cœnobii Fratres octo libras ſolidorum, palliumque triacontaſimon beato Benedicto direxit.] Teſtatur inſuper Petrus (*g*) Cluniacenſis in epiſtola ad ejus ſucceſſorem data, proximè recitanda, eumdem Imperatorem etiam Eccleſias Tranſalpinas oblationibus locupletaſſe, & alia communionis Catholicæ ſigna ediditiſſe, ut planè procul à ſchiſmate ipſum fuiſſe appareat. Sed & legatio, quam miſit ad Paſchalem Papam, ejuſdem communionis haud dubius habetur interpres, cujus idem (*h*) Petrus diaconus meminit.

d *Petr. diacon. Chron. Caſſ. lib. 4. c. 17.*
Alexius Catholicus.
e *Id. ibid. c. 29.*
f *Id. ibid. c. 48.*
g *Pet. Clun. l. 4. ep. 39.*
h *Petr. diacon. Chron. Caſſ. lib. 4. c. 48.*

XXIV.

Perdomuit Alexius Pexinacas barbaros E in Imperium irruentes, ſed tunc, cum ſuis deſperantes viribus milites ad supernum à Deo implorandum auxilium, projectis armis, humi ſtrati miſericordiam flagitarent; cùmque vaſa ſacra quæ conflaverat, eadem reſtituenda, ſacra edita ſanctione promiſiſſet, ut ſuo loco pluribus dictum eſt. Fuit & illud in Alexio commendatum, quòd ſcholam Grammaticorum conſtituit, in qua pauperes erudirentur, victu tàm magiſtris, quàm diſcipulis conſtituto. Cæterùm etſi fuerunt in eo pleraque laude digna, quæ recitat Zonaras, nonnullis,

Digitized by Google

A nullis, quæ reprehenduntur, vitiis non caruit, quæ Coſmus Patriarcha cùm emendare fruſtrà tentaſſet, maluit ſe abdicando carere ſede, quàm ejus rapinas excreſcentes in cives videre & pati. At penes Latinos illud magis magiſque in eo reprehenditur atque damnatur, quòd invidens gloriæ Francorum, adversùs Sarracenos & Turcas feliciter militantium, primùm proditione illis obeſſe curavit, inde verò contra eos cum Chriſtianæ Fidei hoſtibus fœdus iniit, timens Imperio per Francos ſibi eripiendo, ſi eos ſecum dominos in Oriente coaleſcere pateretur.

XXV. Laudes Alexii Imp. ex Euthimio.

B At in quibus rursùm laudem meruerit, Euthymius Zigabenus in exordio Panopliæ pluribus narrat, & inter alia de his quæ ſpectant ad pietatem, ſic habet: Celebrandum eſt ſtudium atque conſilium, quod orthodoxæ Fidei decreta colligenda curavit; nec quamvis tàm multis mundi moleſtiis, innumerabilibuſque negotiis, & graviſſimis occupationibus aſſiduè diſtingueretur, partem hanc ſibi negligendam duxit, ut ex Imperatoribus multi, quibus id ſatis fuit, quod pleriſque vel illius, vel hujuſce temporis hominibus ſatis eſt, nempè brevis fidei confeſſio, religionis continens elementa, quod ſacrum Symbolum appellatur. C At ipſe cum experimento cognitum atque perſpectum haberet, peſtiferas rursùm & impias opiniones multis Romani Imperii partibus irrepſiſſe; & propter longum fortaſsè diuturnumque hoſtium dominatum inter bonum triticum mala luxuriantis hæreticorum doctrinæ, quæ non niſi ad comburendum utilis eſt, zizania fuiſſe ſparſa ac diſſeminata, eaque ut vigerent & creſcerent, turbidis ſermonum rivulis ab ipſorum doctoribus irrigari: animo commotus, atque ob inſignem eorum audaciam atque dementiam inflammatus, tanto malo ſibi occurrendum, ac remedium adhibendum exiſtimavit.

XXVI.

D Itaque cùm à publicis negotiis, graviſſimiſque Reipublicæ muneribus & curis ſupereſſet aliquid temporis: id omne in divinarum Scripturarum voluminibus accuratè perlegendis conſumebat; deque eis cum viris eximiis, quorum egregia multitudine Regia ſemper referta eſſe ſolet, colloquebatur, approbatos in primis ſermones colens, quorum ingenti quodam amore animus ejus incenſus ardebat. Ex quo factum eſt, ut talium ſermonum conſuetudine linguam exacuens, tamquàm ferrum ignitum aqua frigida confirmatum, atque gladius E utrimque acutus ad deteſtabiles opiniones atque doctrinas excidendas, vel ut Scripturæ verbis utar, (a) Malleus conterens petras, aſperam nimirùm & duram, atque omni ſenſu carentem pertinaciam impiorum eraſerit. Id quòd ego teſtari poſſum, qui rem animadverti, & annotavi, cùm et diſputanti fortuna bis mihi contigerit intereſſe.] Et inferiùs: Qua ſanè in re non ſibi pontificum munus arrogavit, ſed exemplo ſuo pontifices excitavit, ſeque illorum ſocium & adjutorem adjunxit &c.]

a Hier. 23.

Ejus namque & juſſione ſe Panopliam ſcripſiſſe idem Euthymius teſtatur adversùs omnium hæreticorum errores.

Præcipuam verò laudem inde ſibi idem Imperator Alexius comparavit, quòd quemdam hujus temporis nefandum hæreſiarcham Baſilium, auctorem hæreſis Bongomilorum, detexit, atque non ſine labore detectum eumdem flammis comburendum tradidit. Extant nefandiſſimi hominis errores iſti ex Euthymio deprompti, qui de his locupletiſſimè agit. XXVII. Baſilius Hæreſiarcha.

Trinitatem negavit exiſtere. Rejecit libros Moyſi, ſeptemque tantùm divinæ Scripturæ libros recepit. Deum humana forma præditum dixit. Mundum creatum ab angelis, malis ſcilicèt. Michaelem Archangelum fuiſſe incarnatum. Iconoclaſtiam amplexus, ſanctarum cultores imaginum reprobos & idololatras eſſe affirmavit. Crucem deſpexit, quòd in ea Salvator occiſus ſit, quam dæmones fictè timere, atque fugere viderentur. Baptiſmum Eccleſiæ eſſe baptiſmum Joannis, ſuum verò eſſe baptiſmum Chriſti. Incruentum ſacrificium contemnendum. Euchariſtiam eſſe Dominicam orationem. Omnes orationes præter Dominicam, vaniloquia eſſe. Inſuper delirans dixit ſuos omnes concipere Verbum Dei, & parere ſicut beata Virgo peperit, nullamque aliam eſſe reſurrectionem præter pœnitentiam, & vitam Evangelicam. Hæc ex Euthymio & aliis. Quomodò autem Imp. Alexius nefarium hominem ultimo ſupplicio affecit, ita deſcribit Zonaras: His temporibus ſecta nefaria Bongomilorum extitit, cujus præco doctorque primarius fuit quidam Baſilius medicus, habitu monachus, ſed ipſo potiùs ſatana indutus. Qui cùm annis quindecim erroris illius perniciosa dogmata didiciſſet, quinquagintaduos docuiſſet; totum ferè orbem ſua peſtis implevit. Tandem etiam urbem Imperatricem ingreſſus, in manifeſto crimine eſt veritatis inimicus deprehenſus. Nam Imperator ejus impietate cognita, ſimulavit ſe fidem habere homini infelici, & magiſtrum appellavit, & ſalvatorem errantium animarum. His & pluribus aliis ægrè quidem & tardè, ſed tamen effecit tandem, ut homo peſtifer evomeret virus ſuæ improbitatis. Sed fera caſſibus irretita, doctrinam ejus vulgavit, & dogmata contempſit: communique ſuffragio in equeſtri theatro impoſtorem comburi juſſit.] Hic ejus finis, homine ſacrilego dignus. Quo ſupplicio afficiendos Novatores cum Baſilio ſentientes, candidus Lector jure conſentiet. Alexio Imperatore defuncto, filius ejus major natu Calo Joannes, ſic vulgo dictus, habenas Imperii moderandas ſuſcepit. Hæreſes Baſilii.

Ad poſtremum citra finem anni hujus, nempè ſexto Idus Novembris, ſanctus Godefredus Epiſcopus Ambianenſis, de quo ſæpè ſuperiùs dictum fuit, diem obiit, cujus res præclarè geſtæ ſcriptæ extant à Ni- XXVIII. S. Godefredi obitus.

Digitized by Google

a. Apud Sur. to. 5. die 6. Novembr.

Nicolao (a) monacho ejus æquali. Ipſius verò ſepulchro hoc fuit inſcriptum epitaphium:

Gloria pontificum, Cleri decus, ac monachorum
Forma, gregis dux, exemplar morum Godefredus
Hic jacet, aſtra petens octava luce Novembris.]

Et non ſolùm eſt ejus ſepulchro inciſum A epitaphium, ſed veneranda ejus imago pariter collocata.

Moritur & eodem tempore S. Lidganus Abbas Ordinis S. Benedicti, qui in monaſterio S. Cæciliæ in agro Setino vitam duxit ad ſanctitatem accommodatam, claruitque vivens & poſt mortem miraculis. Scripſit res ab eo geſtas Dionyſius monachus Chaſſinenſis, ſed eas mendis obſitas legiſſe nobis contigit.

I. Gelaſii Papæ obitus.

SEquitur annus milleſimus centeſimus undevigeſimus, Indictione duodecima, quo Gelaſius Papa Secundus (inquit Urſpergenſis Abbas hujus temporis auctor) apud Viennam Synodum congregavit, eaque tranſacta, poſt paucos dies in monaſterio Cluniacenſi vitam præſentem in Domino finivit.] De hoſpitio Cluniacenſi, quo ſuſceptus eſt honorificentiſſimè, hæc Pandulphus habet: Cluniacenſe adiit monaſterium, in quo juxta beati loci potentiam, & ſecundùm quod Apoſtolicum virum condecuit, & receptus eſt pariter & benignè tractatus; omneſque benè & optimè, qui intraverunt cum eo Archiepiſcopi, & Epiſcopi terræ. Sed & Reges, & Principes, tamquàm ſi Petrum viſerent, tàm per ſe, quàm per Nuntios eum non parvis muneribus ſedulò frequentabant. Qui omnes unanimiter à tanto Patre ac domino plenioribus brachiis charitatis amplexi, ex lętis qui veniebant, lætiores effecti, domum cœleſtibus ferculis medullitùs epulati redibant. Tractabat vir ſanctiſſimus, qualiter & de his quos ſecum duxerat, & quos in Urbe reliquerat, in omnibus & per omnia provideret. Et quidem multa jam ad libitum, Domino juvante, peregerat: cùm jam quaſi ad portum fore ſe deductum congaudens, ſubita paſſione correptus, quam Græci pleuriſim appellari juſſerunt, ſuis & multis fratribus undique convocatis, facta confeſſione, corpore cum ſanguine Redemptorem accepit, ac juxta normam monaſticam ſtrato terræ corpuſculo, ſancta illa anima carne ſoluta eſt. Hinc ad cœlum, Petro duce, conſcendens, corpus honorabiliter intra limen Cluniacenſis cęnobii requieſcit in pace. Amen.

Agit Gelaſius moriturus de ſucceſſore deſignando.

Quem Romani aderant, & qui Romæ remanſerant, Clerus omnis ac populus defleverunt, & quaſi Patrem juſtitiæ nolentes conſolari deflebant. Sedit autem annum unum, & ceſſavit Epiſcopatus ejus dies decem & quinque.] Hucuſque verba Pandulphi de Gelaſio.

II. At verò ante obitum, cùm ſe lethali morbo affectum, convaleſcere penitùs deſperaret ſanctiſſimus Pontifex, conſulere Eccleſiæ periclitanti minimè prætermiſit, cupiens aliquem ſibi ſuccedere, qui in tanto ventorum conflictu naviculam fluctuantem regere poſſet: ad hoc virum alium præter Cononem Præneſtinum Epiſcopum, cùm neminem ſciret eſſe magis idoneum, cum his qui aderant Cardinalibus, ut ipſe eligeretur, cœpit exhortationibus agere. Sed quomodò idem vir inſignis Præneſtinus Epiſcopus his ſe liberarit, ex Beneventano Chronico ab auctore, qui tunc hæc ſcribebat, ſic accipe: Gelaſius confeſtim ſe infirmitatis validæ diſſolutione teneri præſentiens, cum aliis Cardinalibus qui aderant, Præneſtinum acciri juſſit Epiſcopum, qui cum ipſo in Gallias navigavit, & imponi illi tanti honoris culmen Romanæ Sedis ſatagebat. Audiens itaque Epiſcopus C ejuſmodi verba Pontificem proferentem: Abſit, inquit, omninò abſit, ut tanti honoris culmen, onerisque pondus indignus ego & infelix ſuſcipiam, præcipuè cum auxilio, & ſæculari virtute divitiarum Romana Sedes temporibus noſtris ſub perſecutionis flagello afflicta defendi oporteat & muniri. Si verò meis acquieſcere velitis conſiliis, Viennenſem Archiepiſcopum, virum utique religioſum, prudentiaque animi, potentia & nobilitate ſæculari pollentem, ornatum virtutibus ad tale tantumque patrocinium eligamus. Dei namque conſilio, & beati Petri meritis, & ve- D rè hujus ſolatio Romanam Sedem ſub tantæ perſecutionis periculo diutiſſimè oppreſſam credimus ad ſerenitatem atque triumphum ſublevandam. Quid multa? Gelaſio ægrotanti, & aliis Cardinalibus, ac cæteris, qui aderant, ſermo placuit. Nec mora Archiepiſcopum illum accerſiri jubent; & ut dicta factis compleant, perſeverant. Qui vocatus, cùm paraſſet profectionem ſuam, & ſe in itinere poſuiſſet, adhùc in via dum eſſet, audivit magno ſuo dolore ipſum Pontificem ex hac vita migraſſe. Siquidem die quarto Kalendas Februarii Gelaſius Pontifex in eodem monaſterio E feliciter ex hujus corporis ergaſtulo migravit ad Dominum.] Hæc ibi de Calliſto, tunc vivente Pontifice, non electo, ſed tamen conſenſu omnium deſignato præter conſuetudinem, quod ſic videbatur ejus temporis neceſſitas poſtulare: cùm tamen ea omnia ipſi eſſent incognita penitùs. Dicta itaque die, quarto Kalend. Februarii defunctum eſſe Gelaſium, cæteri omnes æquè conſentiunt. Quo quidem poſt Martyres, qui fuſo ſanguine martyrium conſum-

Digitized by Google

Gelaſius II. inclytus meritis.

ſummarunt, haud facilè inter Romanos A Pontifices aliquem quis invenerit, qui breviori vitę tempore majora ſit paſſus, ob idque præclariori corona donandus, atque celebrioribus fuerit præconiis celebrandus. Porrò cùm diem ejus tranſitus contigiſſe, quarto Kalendas Febcuarii, ejus temporis Scriptores tradant: dicendum eſt, poſt annum adhùc vixiſſe dies quatuor à tempore creationis ſuæ. Verùm nec annum integrum abſolviſſe, ſed duobus minùs diebus ſua periodo revolutum ejus ſepulchro inſeciptum teſtatur epitaphium, quod ſic ſe habet, à Petro Pictavienſi his verſibus elaboratum:

Epitaphiũ Gelaſii Pap. II.

B *Vir gravis & ſapiens, actu, verboque Joannes,*
Cùm priùs ex monacho pro multa ſtrenuitate
Archilevita foret, & Cancellarius Urbis:
Præſule Paſchali meritis ad ſidera rapto,
Promeruit tandem ſacram conſcendere Sedem,
Dignus poſt primum Gelaſius eſſe Secundus.
Sed quia Rege ſuie non pracipiente levatus:
C *Horrendum fremuit Princeps. Et filia dulcis*
More ſuo profugum ſuſcepit Gallia Patrem
Si licuiſſet ei (pro certo crede) ſub ipſo
Virtus, & pietas, & honeſtas creſceret omnis,
Et pax Eccleſiæ toto floreret in orbe.
Nam rapuit mors atra virum, cùm Pontificatus
Vix ageret primum Paſtor venerabilis annum,
D *Bina dies jam reſtabat, cum Cluniacenſi*
Dormiit in proprio Romani juris aſylo.
Hic igitur poſitus dilectos inter alumnos
Cum Patribus ſanctis requieſcit, & optat ut orbis
Conditor & Judex veniat quandoque patenter,
Et cineres lapſos in priſtina membra reformet.
Felix inde nimis ſemper Cluniace manebis,
E *Quòd pater orbis Apoſtolicus ſummuſque ſacerdos*
Eccleſiæ, matriſque tuæ ſpecialis, apud te
Tranſiit ad ſuperos, in te requieſcit humatus.
Nec minùs hic etiam felicem credimus illum,
Cui dedit ipſe pius magno pro munere Chriſtus,
Ut monachi monachum, Patrem quoque pignora chara
Jugiter aſpicerent, lacrymiſque riganda ſepulchrum

A *Sacris in precibus ſpecialem ſemper haberent.*]

Hucuſque epitaphium, quod invenitur ante libros epiſtolarum Petri Cluniacenſis.

III. Cæterùm non iſta tantùm verſibus Petrus Pictavienſis tunc in laudem Gelaſii Papæ ſcripſit, ſed funebrem quoque orationem dixit, quam adhùc extare, qui viderunt eam, affirmant. Erat ipſe Petrus tunc ejuſdem monaſterii Cluniacenſis monachus. Porrò ſtemma Gelaſii ex Comitibus Cajetanis deductum, ſummo labore à Conſtantino Cajetano monacho B Benedictino exaratum vidimus. His de Gelaſii obitu atque funere dictis, jam ad ejus ſucceſſoris creationem convertamus orationem.

IV. Calliſti Papæ II. creatio.

Fuit iſte Guido natione Francus, Archiepiſcopus Viennenſis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, qui longo tempore ſub Paſchali legatione Apoſtolica honeſtiſſimè functus adversùs ſchiſmaticos omnes, ut quæ de eo contigerunt ſæpè ſuperiùs dici, declarant, ex Regibus genus ducens, immò (ut Sugerius ait in Ludovico) Imperialis & regiæ celſitudinis derivativa conſanguinitate generoC ſus, magnum tempore ſchiſmatis fuit Catholicæ Eccleſiæ propugnaculum. Hic (inquit Pandulphus) à Cardinalibus, qui cum Papa Gelaſio, jam in Cluniaco ſepulto, ab Urbe in Franciam venerant, dum eſſet antè Archiepiſcopus Viennenſis, in Papam Calliſtum electus eſt. Qui ſe indignum iteratò reclamans, ideircò modis omnibus reſiſtebat, quia & incertum habebatur à multis, utrum Romæ ratum factum hujuſmodi teneretur. Propter quod vix cappa rubea amiciri ſuſtinuit, donec Nuntii redeuntes Roma, per dominum Petrum tunc Vicarium EpiD ſcopum Portuenſem, per Cardinales omnes, per dominum Petrum Leonis (nam iſte nimiùm laboravit in verbo propter diaconum filium ſuum Petrum Leonis, qui potiſſimùm in Francia id peregetat) per Præfectum, & Conſules, per Clerum & populum viva voce ac litteris, electionem ipſam canonicè jureque firmarent.]

Viſio oſtẽſa de Põtificatu ſuo.

Sed quid de ſua electione ei fuerit per viſum divinitùs præmonſtratum, ſic narrat Sugerius in Ludovico: Cùm in ſomnis proxima nocte, apto ſatis, licèt ignoto præſagio, vidiſſet ſibi à perſona E præpotente Lunam ſub chlamyde repoſitam committi, ne cauſa Eccleſiæ tranſitu Apoſtolici periclitaret: ab ea quæ aderat Romana Eccleſia, in ſummum Pontificem electus, viſionis veritatem enucleatiùs animadvertit.] Quod magis magiſque perſpicuum reddiderunt eventa: ſiquidem diuturnum bellum ob inveſtituras conflatum, diu multùmque Eccleſiam fatigans & lacerans, cedente tandem Imperatore, ab eodem Calliſto Papa feliciſſimè compreſſum eſt.

V. Inter hæc autem ita Calliſtus electus

A de ſua electione ſicut ad alios, ita ad Adalbertum Archiepiſcopum Moguntinum has litteras dedit, quas, recitat Urſpergenſis:

Calliſti Papæ litteræ de ſua electione.

Dominus noſter felicis memoriæ Gelaſius à Vienna diſcedens, injunxit mihi, ut ad ejus præſentiam feſtinarem, poſtquàm ipſe Cluniacum perveniſſet. Quod cùm poſt dies aliquot implere ſatagerem, in itinere de ejus obitu mihi nuntiatum eſt. Ego ut fratribus, qui cum domino eodem venerant, prout ratio exigebat, ſolatium exhiberem, Cluniacum cum gravi dolore perrexi. Dum autem ſuper eorum conſolatione attentiùs cogitarem: ipſi B graviſſimum mihi onus, & vires meas omninò tranſcendens, impoſuerunt. Congregati namque in unum die altero poſt adventum meum Epiſcopi Cardinales, & centum clerici & laici Romanorum, invitum me, penitùſque renitentem in Romanæ Eccleſiæ Pontificem Calliſtum unanimiter aſſumpſerunt.] Hucuſque ex Urſpergenſi epiſtola novi Pontificis. Pergit verò Pandulphus:

VI.

Facto igitur hoc omnium ſubſcriptionibus optimè roborato, tunc Papa ſolemniter à Lamberto Oſtienſi Epiſcopo & aliis quamplurimis in Dei nomine conſecra- C tur.] Pergit de ejus in Urbem inſtituta profectione. Sed de his quæ geſta ſunt Romæ, ubì de his omnibus litteras accepere, ex ſæpè citato Beneventano Chronico iſta accipe: Cardinales qui aderant, Petro Portuenſi Epiſcopo, quem Pontifex Gelaſius Romæ Vicarium dimiſerat, de ejuſdem Gelaſii obitu, & qualiter Archiepiſcopum Viennenſem in Pontificem Calliſtum elegerant, ſtudioſè delegaverunt. Portuenſis autem Epiſcopus his litteris acceptis, ſuper ipſius Apoſtolici obitu lacrymis manantibus valdè ſe contriſtatum oſtendit; & illicò Capitolium aſcendit, & litteras D oſtendit Romanis, quibus lectis, una voce & concordia Dominum laudavere omnipotentem, qui eis virum prudentem & ornatum moribus Pontificem largitus eſſet. De obitu verò Gelaſii Apoſtolici valdè turbati ſunt. His ita geſtis, idem Portuenſis Epiſcopus Hugoni Cardinali Legato relicto Beneventi, & Landulpho Beneventano Antiſtiti, Clero, & populo ſuis litteris eadem ſignificavit. Quibus auditis, continuò Landulphus Antiſtes cives, presbyteros omnes, & clericos, ad ſacrum fecit convocari palatium, ut eis ordinem rerum renuntiaret, quibus acce- E ptas litteras juſſit legi. Nec mora prædicti Calliſti electionem unanimiter laudantes firmaverunt, deindè in, Te Deum laudamus, canendo prorumpunt. Sicque Archiepiſcopus ipſe, & Hugo Cardinalis, clericorumque turba copioſa, & civium multitudo à prædicto ſacro palatio uſque ad Epiſcopium cantando deſcendimus. Poſteà verò eminentiorem locum Antiſtes aſcendens, cives hortatus eſt, ut fidelitatis manum erga Romanam Sedem perpetuò conſervarent. Quo facto ad propria remeavi-

Legatio Romã de obitu Gelaſii & electione Calliſti.

A mus.] Hactenùs ibi ex Chronico Beneventano. Pergit verò Pandulphus:

Miſſi ſunt autem ab Urbe Legati, ſecum ferentes confirmationem Papæ Calliſti, quam non in Galliis tantùm, ſed etiam per Germaniam innoteſcere voluerunt, præſertim in collecto tunc conventu Triburienſi contra Henricum Imperatorem, de quo habet iſta Urſpergenſis Abbas hoc anno: Henricus totius regni & ſacerdotum atque procerum Nuntii compulſus, generalem fieri apud Triburium conventum aſſenſit. Ubi de omnibus quæ ſibimet imponerentur, juxta Senatuſconſultum ſe ſa- B tiſfacturum ſpopondit. Quo ſcilicèt conventu Rhenanis in partibus habito, tàm adverſariorum, quàm amicorum Imperator concorditer uſus conſilio, unicuique per totum regnum ſuis rebus ſpoliato propria concedi præcepit; cunctaque Regum antiquorum fiſcalia ſuam in ditionem interim recepit, paxque per univerſas provincias ab omnibus haberi collaudatur, ſed parùm profeciſſe, re ipſa comprobatur. Aderant etiam Legati, tàm Romanorum, quàm Viennenſium, immò diverſarum Eccleſiarum Miſſi, confirmantes electionem domini Calliſti. Cui profectò C dum univerſi noſtrates Epiſcopi obedientiam profeſſi, Synodum, quæ juxta feſtum ſancti Lucæ indicebatur, collaudaſſent fieri: ipſe Rex ſemetipſum ibidem pollicebatur, ob reconciliationem univerſalis Eccleſiæ præſentandum iri. Idenim Catalaunenſis Epiſcopus & Cluniacenſis Abbas apud Argentinam ipſum convenientes multis ratiocinationum conatibus obtinuerunt.

VII. Converſus Triburienſis.

Ejuſdem tamen actionem *Rhemenſis* Concilii, ſi quis plenariè cognoſcere quærit, in litteris cujuſdam ſcholaſtici nomine Heſſonis eleganter enucleatum reperire D poterit, ideſt qualiter Rex inter regnum & ſacerdotium de concordia facienda conſenſerit. Inſuper eidem Concilio, cui videlicèt decimotertio Kalendas Novembris, prædictus Papa Calliſtus Secundus vallatus quadringentis vigintiſex Patribus coram innumera multitudine Cleri ac populi præſedit, non adeò ſe præſentem Henricus, vicinum tamen exhibuerit, ubi & colloquio ſuo domini Papæ Legatis conceſſo tandem inducias denuò quæſierit propter generale colloquium cum Principibus habendum, pro inveſtituris ſcilicèt Eccleſiaſticis, quas tantoperè cogebatur E amittere. Ad ultimum verò idem Apoſtolicus inita inter ſe & Regem concordia, ſynodalia prædeceſſorum decreta confirmaverit, aliaque nonnulla, quæ res exigebat, naviter addiderit; ſicque poſt dies ferè duodecim in virtute Spiritus ſancti ritè finito Concilio, cunctos Apoſtolica benedictione confirmatos ad propria redire permiſit unumquemque cum gaudio.] Hæc ipſe ſummatim.

VIII. Rhemenſe generale concilium.

Fuit quidem iſta Synodus Rhemis congregata valdè celebris, cujus licèt citata ab Urſpergenſi per Heſſonem ſcripta non extent;

exteni; tamen de ea frequens habetur in ejus temporis Scriptoribus mentio. De ipſa autem paucis Sugerius agit in Ludovico his verbis: Sublimatus itaque tantæ celſitudinis dignitate glorioſè humiliter, ſed ſtrenuè Eccleſiæ jura diſponens, amore & ſervitio domini Ludovici Regis, & nobilis Adelaidis Reginæ neptis, aptiùs Eccleſiaſticis providebat negotiis. Rhemis itaque celeberrimum celebrans Concilium, cùm Legatis Imperatoris Henrici pro paci Eccleſiæ ſedere differentibus, in Marchiam versùs Moſonum occurriſſet, nec proſeciſſet: quemadmodùm & anteceſſores ſecerant, ipſum Henricum anathematis vinculo pleno Francorum, & Lotharingorum Concilio innodavit.] Hæc de excommunicato iterùm Imperatore per Calliſtum Papam in Rhemenſi tunc celebrato Concilio Sugerius. Rogerius autem in Annalibus Anglicanis hujus cùm meminit Rhemenſis Concilii, pleraque ab aliis prætermiſſa recenſet, & hæc inter alia: Numeratæ ſunt ibi perſonarum paſtoralium virgæ quadringentæ vigintiquatuor, inter quos & Turſtinus Eboracenſis Archiepiſcopus, qui ibidem ab Apoſtolico eſt conſecratus. Poſtera, inquit, die reſidentibus ordine in Concilio Eccleſiaſticorum graduum perſonis, aſſidente quoque Rege Francorum Ludovico, multiſque aliis principalibus viris: ex conſenſu cunctorum Patrum renovantur ſtatuta de ſtatuendis, & reſcindenda de reſcindendis, quorum hæc ſunt quinque Capitula:

X. Rhemenſis Concilii decreta.

Quæ ſanctorum Patrum ſanctionibus de pravitate ſimoniaca ſtabilita ſunt: nos quoque ſancti Spiritus judicio, & auctoritate Sedis Apoſtolicæ confirmamus. Si quis ergò vendiderit aut emerit vel per ſe, vel per quamlibet ſubmiſſam perſonam Epiſcopatum, Abbatiam, Decanatum, Archidiaconatum, Presbyteratum, Præpoſituram, Præbendam, Altaria, vel quælibet Eccleſiaſtica beneficia, promotiones, ordinationes, conſecrationes, dedicationes Eccleſiarum, clericalem tonſuram, ſedes in choro, aut quælibet Eccleſiaſtica officia: & vendens, & emens dignitatis & officii ſui, ac beneficii periculo ſubjaceat. Quòd niſi reſipuerit, anathematis mucrone perfoſſus ab Eccleſia Dei, quam læſit, modis omnibus abſcindatur.

Epiſcopatuum, Abbatiarum, aut quarumlibet Eccleſiaſticarum poſſeſſionum inveſtituram per manum laicam fieri penitùs prohibemus. Quicumque igitur laicorum deinceps inveſtire præſumpſerit, anathematis ultioni ſubjaceat. Porrò qui inveſtitus fuerit, honore quo inveſtitus eſt, abſque ſpe recuperationis omnimodò careat.

Univerſas Eccleſiarum poſſeſſiones inconcuſſas in perpetuum & inviolatas eſſe decernimus. Quòd ſi quis eas abſtulerit, aut invaſerit, aut poteſtate tyrannica detinuerit, juxta illud beati Symmachi capitulum, anathemate perpetuo feriatur.

Nullus Epiſcopus, nullus presbyter, nullus omninò de Clero Eccleſiaſticas di-

A gnitates vel beneficia cuilibet, & quaſi hæreditario jure derelinquat. Illud etiam adjicientes præcipimus, ut pro Baptiſmatis, Chriſmatis, Olei ſacri, ac ſepulturæ acceptione nullum omninò pretium exigatur.

Presbyteris, diaconibus, ſubdiaconibus concubinarum & uxorum contubernia penitùs interdicimus. Si qui autem hujuſmodi reperti fuerint, Eccleſiaſticis & officiis priventur & beneficiis. Sanè ſi neque ſic immunditiam ſuam correxerint: communione careant Chriſtiana.] Hucuſque quinque Concilii canones. Pergit auctor narrare, quæ poſt hæc ſunt in Synodo per

B eumdem Pontificem actitata:

XI. Quæ acta cum Imperatore.

Hæc Concilii decreta Henrico Imperatori, cùm non longè abeſſet, ex Concilio primùm per honeſtas perſonas, ad ultimum per ipſum Apoſtolicum mandantur, ut ante ſeparationem Concilii notum eſſet, utrum Eccleſiis per regnum & ſingulas quaſque ſibi ſubjectas provincias conſentiat canonicas electiones, videlicèt, ut Epiſcopi & Abbates eligantur ab Eccleſia, & liberas conſecrationes, ut ubi & à quibus oporteat electi conſecrentur, ut non per inveſtituram paſtoralis virgæ & anuli, ſed per oſtium, id eſt Chriſtum in-

C grediantur, & inveſtituram rerum Eccleſiaſticarum nihil omninò ſibi laicalis exigat perſona. Ad hæc ille reſpondit, nihil in his ſe prætermiſſurum, quod ſui juris eſſet, ſuorumque ſibi contulit antiqua conſuetudo progenitorum. Quandoque tamen flexus auctoritate generalis Concilii, tria illa priora conceſſit; ultimum verò, ſcilicèt inveſtituram rerum Eccleſiaſticarum, concedere noluit. Quapropter reverſo ad Concilium Papa *Henricus* excommunicandus decernitur. Quod cùm quidam in Concilio ægrè ferrent; ſententiam protulit Apoſtolicus, ut qui in hoc

D ſcandalizarentur, exeuntes, à fratrum conſortio ſepararentur, propoſito de illis ſeptuaginta *diſcipulis* exemplo, (*a*) qui cùm de carne Domini manducanda, & ſanguine bibendo ſcandalizarentur, retrò abierunt, & jam cum illo non ambulabant. Et quoniam, inquit, (*b*) qui non colligit cum Domino, ſpargit, & qui non eſt cum eo, adversùs illum eſt: illam inconſutilem tunicam deſuper contextam, ſcilicèt ſanctam Eccleſiam, qui nobiſcum ſentiendo indiſciſſam ſervare nolunt, diſſentiendo à nobis, diſcindere contendunt. Talia ſermocinante Apoſtolico, illicò omnes in eum-

E dem conſenſum reducti, in Imperatorem Henricum excommunicationis ſententiam jaculantur.] Hæc geſta eſſe contra Imperatorem, ex Actis Rogerius in Annalibus tradit.

a *Matt.* 15.

b *Luc.* 11.

XII.

His autem ſubjicit ea, quæ poſt Concilium ab eodem Pontifice cum Anglorum Rege, qui in Gallias venerat, tunc ſunt actitata, occaſione conſecrati ab eodem Calliſto Papa Archiepiſcopo Eboracenſi, atque: Tandem poſt dies aliquot diſſoluto Concilio, Henricus Rex Anglorum offenſus Turſtino Archiepiſcopo, quòd

præter

Digitized by Google

præter conſenſum ſuum, non uti mos antiquus exigebat, ſe conſecrari feciſſet: interdixit ei reditum in omnem dominationis ſuæ locum. Poſt hæc Calliſtus Papa Giſortium venit, quò ad ejus colloquium Rex Anglorum occurrit. Acta ſunt multa inter illos, quorum gratia par erat, tantas conveniſſe perſonas. Inter quæ Rex à Papa impetravit, ut omnes conſuetudines, quas pater ſuus in Anglia, & in Northmannia habuerat, ſibi concederet; & maximè, ut neminem aliquando Legati officio in Anglia ſungi permitteret, ſi non ipſe (aliqua præcipua querela exigente, quæ ab Epiſcopis regni ſui terminari non poſſet) hoc fieri à Papa poſtularet. *At non iſta ſimpliciter, ſed tantum licita conceſſiſſe, docent Acta cum S. Thoma, inferiùs enarranda.*

XIII. Quibus omnibus pro ſtatu temporis definitis, Papa rogat Regem, Turſtino amicum fieri; eumque pontificatui, ad quem ipſum conſecraverat, pro amore ſuo reſtitui. At Rex hoc ſe, dum viveret, non facturum, in ſua fide ſpopondiſſe confeſſus eſt. Et ille: Ego Apoſtolicus ſum, & ſi feceris, quod poſtulo, ab hac fidei ſponſione te abſolvam. Tractabo de hoc, ait, & quod conſilii mei tenor invenerit, tibi notificabo. Hinc à Papa receſſit, cui per internuntios de negotio ita reſpondit: Pro amore veſtro, qui tantoperè poſtulatis, ea conditione Turſtinum admitto in pontificatum, ut ſubjectionem, quam prædeceſſores ejus fecerant Eccleſiæ Cantuarienſi, faciat, aliter me regnante Eccleſiæ Eboracenſi non præſidebit. His ita geſtis abeunte Apoſtolico, Turſtinus remanſit in Gallia] Et inferiùs de epiſtola ab eodem Calliſto Papa pro Turſtino in Angliam ſcripta hæc habet: Epiſtola Calliſti Papæ ſuper Turſtino directa ad Regem Henricum, & Radulphum Cantuarienſem Archiepiſcopum. Ipſi ſacerdotale & Epiſcopale interdicit officium, & tàm in matrice Cantuarienſi, quàm in principali Eboracenſi Eccleſia cum ſuis parochiis divina omnia celebrari officia cum ſepultura mortuorum prohibet, præter baptiſma infantum, & pœnitentias morientium, niſi infra unum menſem poſt acceptionem ipſius epiſtolæ Turſtinus ſine exactione profeſſionis in ſuam reſtituatur Eccleſiam. Quamobrem à Rege mox revocatus in Angliam, reducitur in Archiepiſcopatum ſuum.] Hucuſque de cauſa Turſtini, à Papa Rhemis ante Concilium conſecrati.

XIV. Revocemus autem originem ad Rhemenſia Acta Pontificis, ne quid omittamus de rebus geſtis tunc Rhemis ab eodem Calliſto Papa. Dum meminit hujus quoque Concilii Rhemenſis, per Calliſtum Pontificem celebrati (a) Hugo in vita Norberti Ordinis Præmonſtratenſis Inſtitutoris: illùc ipſum Norbertum acceſſiſſe pro confirmatione muneris Evangelii prædicandi, quod ab ejus prædeceſſore Gelaſio impetrarat, tradit: quod obtinuit, immò commendavit eum Epiſcopo Laudunenſi, ſub quo proficeret. Paulò pòſt verò Præmon-

a Hugo in Norberto cap. 16. 17. apud Sur. to. 3. die 6. Junii.

A ſtratum locum ita dictum abiens, ibi ſuæ inſtitutionis ex præſcripto Regulæ S. Auguſtini fundamenta jecit. Inſumpſit in his annum Calliſtus Papa, qui Romam ſe contulit anno ſequenti, ut ſuo loco dicemus. Quomodò autem Henricus Imper. ex eo, quòd Rhemis in Concilio magno cum dedecore excommunicatus eſſet, eamdem Rhemenſem civitatem penitùs exſcindere ſtatuerit, ſed Deo prohibente, & Sanctis repugnantibus, cum ignominia regredi ſit coactus, dicturi ſumus inferiùs.

Inter alios Epiſcopos huic Rhemenſi Concilio interfuit Adeſonſus Epiſcopus XV.
B Salmanticenſis in Hiſpania, qui reverſurus ad propria, Cluniaci vivendi finem fecit, ibique ſepultus, hac inſcriptione ejus ſepulchrum eſt inſignitum:

Urbs eſt Hiſpaniæ regionis quam Salamancam
Indigenæ dicunt, hanc ordine pontificali
Rexit Adeſonſus, tumulo præſente ſepultus,
Qui de Concilio Rhemenſi dum remearet,
Hic finem fecit pariter vitæque, viæque.]

C Habetur apud Petrum Cluniacenſem ante libros epiſtolarum.

Antequàm autem è Gallia Calliſtus Papa recederet, conſtat tres ſaltem Eccleſias dedicaſſe, nimirùm Eccleſiam ſancti Mauri, de qua hæc Petrus diaconus: (b) Calliſtus unà cum Epiſcopis & Cardinalibus ad beati Mauri monaſterium in Glanafolio ſitum, & huic Caſſinenſi cœnobio ſubditum pervenit; rogatuſque à Cardinalibus qui ſecum aderant, & monachis, & ab ipſo Abbate Girardo, ejuſdem Confeſſoris Chriſti Mauri Eccleſiam ſolemniter dedicavit. In qua etiam corpora ſanctorum XVI.
D Antonii & Conſtantiniani, qui de Caſſinenſi cœnobio ad Gallias cum beato Mauro perrexerant, cum magna reverentia poſuit.] Hæc Petrus. Pandulphus inſuper addit, in Provincia dedicaſſe Eccleſiam ſancti Iuliani. Sed & illud pariter exploratum habetur in hiſtoria (c) Antoniana, eumdem Pontificem Calliſtum dedicaſſe in ſua provincia Viennenſi Eccleſiam S. Antonii Magni, ſitam apud montes Deſiderii, tùm temporis frequenti populorum concurſu celebrem.

b Petr. diac. Chron. Caſſ. l. 4. c. 66.

Eccleſiæ in Gallia dedicatæ à Calliſto Papa.

c Hiſt. Anton. part. 2. c. 37. 38.

XVII. Eodem quoque tempore Calliſtus Papa ejuſmodi privilegio munire voluit ſuos,
E quos magnoperè diligebat Ciſtercienſes: ſic enim ſe habet in eorum inſtitutionis antiquioribus monimentis:

Calliſtus Epiſcopus ſervus ſervorũ Dei, chariſſimis in Chriſto filiis Stephano venerabili Ciſtercienſis monaſterii Abbati, & ejus Fratribus ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Ad hoc in Apoſtolicæ Sedis regimen, Domino diſponente, promoti conſpicimur, ut ipſo præſtante religionem augere, & quæ rectè atque ad ſalutem animarum ſtatuta ſunt, noſtri debeamus auctoritate

offi-

Digitized by Google

A officii ſtabilire. Idcircò filii in Chriſto chariſſimi petitioni veſtræ charitate debita impertimur aſſenſum, & religioni veſtræ paterno congratulantes affectu, Dei operi quod cœpiſtis, manum noſtræ confirmationis apponimus. Siquidem conſenſu & deliberatione communi Abbatum, & Fratrum monaſteriorum veſtrorum, & Epiſcoporum, in quorum parochiis eadem monaſteria continentur, quædam de obſervatione Regulæ beati Benedicti, & de aliis nonnullis, quæ Ordini veſtro & loco neceſſaria videbantur, capitula ſtatuiſtis; quæ nimirùm ad majorem monaſterii quietem, & religionis obſervantiam B auctoritate Sedis Apoſtolicæ petitis confirmari. Nos ergò veſtro in Domino profectui congaudentes, capitula illa & conſtitutiones auctoritate Apoſtolica confirmamus, & omnia in perpetnum rata permanere decernimus. Illud nominatim omnimodò prohibentes, ne Abbatum aliquis monachos veſtros ſine regulari commendatione ſuſcipiat. Si quæ igitur Eccleſiaſtica, ſæcularisve perſona noſtræ confirmationi & conſtitutioni veſtræ, temeritate aliqua obviare præſumpſerit, tamquàm religionis & quietis monaſticæ perturbatrix auctoritate C beatorum Petri & Pauli, & noſtra, donec ſatisfaciat, excommunicationis gladio feriatur. Qui verò conſervator extiterit, omnipotentis Dei, & Apoſtolorum ejus benedictionem & gratiam conſequatus. Interdicimus autem, ne quis converſos laicos profeſſos veſtros ad habitandum ſuſcipiat. Ego Calliſtus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus confirmavi & ſubſcripſi. Datum * Sodoloci per manum Chryſogoni S.R.E. diaconi Cardinalis ac Bibliothecarii decimo Kal. Januarii, Indict. xii. Incarnationis Dominicæ milleſimo centeſimo decimonono, Pontificatus autem domini Calliſti II. D Papæ anno primo.]

XVIII. Quod pertinet ad res Orientis, Joannes Imp. ubi Imperii habenas moderandas ſuſcepiſſet, & hoc innotuiſſet in Occidente, Petrus Abbas Cluniacenſis pro reſtitutione Cluniacenſium cœnobii, quod erat Conſtantinopoli, ad eum has litteras (a) dedit:

a *Pet. Clun. l. 3. ep. 39.*

Glorioſo Principi, & magnifico Conſtantinopolitanæ urbis Imperatori Joanni Calo, Frater Petrus humilis Cluniacenſis Abbas ſalutem ab eo, qui dat ſalutem Regibus.

Ad Joannem Imp. Epiſt. Petri Abbatis.

Gratias omnipotenti Regi Regum, cu- E jus regnum eſt omnium ſæculorum, qui Imperatoriam majeſtatem veſtram ſuper omnes Chriſtiani nominis Principes exaltavit, & ad tuendam toto orbe Eccleſiam ſuam, velut in medio Orientis, Occidentis, Aquilonis conſtituit, unde olim Aquilonaribus barbaris, ſed & ultimis ac peſſimis Chriſtiani nominis inimicis Arabibus, in occiduas, & meridianas plagas irruentibus, regni veſtri parces, etſi oppugnari, numquam tamen eſpugnari permiſit, ſed in vos magni illius Romani Imperii gloriam, nomenque transſudit Vo- A luit ut ſicut poteſtas, ſic & vocabulum ad vos tranſmigraret, ac religione mutata, Imperio translato, ſicut à pagano Romulo Roma dicebatur, ſic à Chriſtiano reparatore Conſtantino veſtra urbs Conſtantinopolis vocaretur. Hanc, ut dixi, velut metam intranſmeabilem, velut invictum obicem, velut præfixum, quem numquam liceat tranſgredi, terminum, omnia providens ſupernus oculus, paganis Regibus, barbaris gentibus poſuit, quo Oriens terreatus, Boreas ſubdatur, Occidens defendatur. Iſto planè regni veſtri obice repulſi, & antiqui erroris ſi qui ſuperſunt B Pagani, & novi hoſtes Chriſtiani nominis, Turci ſedibus propriis contenti in ſeipſos reprimuntur, ut nec aliena invadere audeant, & divini brachii virtute, manum potentiæ veſtræ roborante, ſua etiam plerumque amittant. Super quibus regali magnitudini nos quidem licèt humiles gratias agimus, à Deo vero æterna vos decorandum corona, ſi in his fideliter permanſeritis, nec in modico dubitamus.

Præter hæc pro Hieroſolymitano Rege, pro Antiocheno Principe, pro univerſis, denique Gallis noſtris fidem veſtram & nobilitatem rogamus, ut quia ipſi magnis ur- XIX.
C bibus, prædiis, parentibus, & locuplete patria, Domini JESU CHRISTI amore dimiſſis, loca redemptionis humanæ, non altero, quàm ſui ſanguinis pretio mercati ſunt, & proprio aſſiduè periculo defendunt: vos ejuſdem Chriſti noſtri amore eos ſuſtentetis, foveatis, juvetis, ne tanto zelo Fidei, tantiſque laboribus parta (quod abſit) pereant. Erit illud non tantùm merces fidei veſtræ; ſed etiam tutela non parva Imperii veſtri, quando ſicut vos Aquilonis, ſic & illi impetus Orientis obtundent. Fecit hoc inter egregios Principes D recenſendus Alexius pater veſter, cui ſicut in regno feliciter ſucceſſiſtis; ſic decet, ut in tàm bono opere felicius ſuccedatis. Qui inter multa laudabilia quæ geſſit, nón paſſus Græciam ſuam ſua univerſa bona includere, ad remotiſſimos manum beneficii ſui extendit, & non ſolùm tranſmarina, ſed etiam tranſalpina loca copioſis muneribus, & pretioſis ornamentis ditavit. Inter quæ Cluniaco monaſterio, omnibus Latinis Regibus & gentibus notiſſimo; eique ſubdito magno & religioſo loco, qui, Charitas dicitur, monaſterium juxta ipſam regiam civitatem, quod Civitot, vocatur, E dedit, & in perpetuum Abbatis Cluniacenſis, & Prioris de Charitate obedientiæ ſubjecit. Quod noſtris aut mortuis, aut recedentibus, aut expulſis, alieni monachi invaſerunt, & jam, ut audivimus, ferè per triennium abſtulerunt. Oro igitur, & mecum univerſa Cluniacenſis congregatio majeſtatem & pietatem regiam deprecatur, ut nobis & loco de Charitate, per harum litterarum latores monaſterium ablatum reſtitui faciat, & pro æterna animæ ſuæ ſalute ſervos Dei ibidem habitaturos ab injuriis defendat, & in pace cuſtodiat.

Et ut

Et ut aliquid beneficii ſpiritualis vobia iſta facientibus rependamus: ſicut præceſſores noſtri, & nos ipſi, Reges Frsncorum, Reges Anglorum, Reges Hiſpanorum, Reges Germanorum, ipſos Imperatores Romanorum, ac vicinos vobis Reges Hungarorum, confrstres & comparticipes omnium beneficiornm Cluniacenſis congregationis fecimus; ita ſublimitatem veſtram ex parte omnipotentis Dei, & beatiſſimæ Mariæ ſemper Vitginis Dei genitricis, & ſanctorum Apoſtolorum, & omnium Sanctornm iu iiſdem ſpiritualibus beneficiis plenè, & perfectè (in quantum licet) ſuſcipimus; ut omnipotens Salvator & hie temporale regnum vobis adaugeat & conſervet, & in futuro cum ſanctis Regibus vos ad ſempiternum perducat. Amen.] Hæc ad Imperatorem. Scripſit & eadem ex cauſa ad Patriarcham Conſtantinopolitanum litteras quæ ſequuntur: (a)

Aggregatio ad merita Cluniacenſ.

a *Lib.* 4. *ep.* 40.

XX. Venerabili & magno Pontifici Dei Conſtantinopolitano Patriarchæ Frater Petrus humilis Cluniacenſis Abbas, æterni Pontificii ſtola indui, & gloria & honore coronari.

Petri Cluniac. Abb. ad Patriar. Conſtant. epiſtola.

Quamvis & terrarum remotio, & linguarum diviſio nobis invicem & vultus invideant, & verba ſubducant: tamen unus Dominus, una fides, unum baptiſma, una charitas & diviſa conjungere, & affectus venire, & ſermones debent aliquando communicare. Debemus eo glutinè uniri interris, quo numquam diſſociandi cohærere expectamus in cœlis; ut illud in miſeriis ſit nobis refrigerium, quod in beatitudine perfectum erit prœmium. Utinam poſſet in me corpus, quod concupiſcit ſpiritus, ut urbem à cœli Rege JESU Chriſto, & à Principe terræ Conſtantino in Chriſto fundatam videre, & in ea non ædificia vel ornatus, ſed fidem Deo ſubditorum Principum & Prophetarum, Apoſtolorum, Evsngeliſtarum, ac multorum Martyrum de diverſis mundi partibus illuc translatorum, velut commune cœmeterium videre, & adorare poſſem: funderem qualeſcumque preces ad Sanctos illos, fidei & ſpei noſtræ pattes: magnaque mihi ſpes conſequendæ gigneretur ſalutis, ſi quos ejus babui prædicatores, habere mererer & pro ea interceſſores. Viderem & optabilem faciem veſtram, & in vobia beatos urbis veſtræ pontifices venerarer, & ex eorum beatitudine multiplicem miſeriam meam, ut par eſſet, deflerem: inirem fœdus numquam diſſolvendum, & in mutuum ac ſpiritualem amorem, niſi fortè ſperneretis, jurarem. Orarem præſens, quod & abſens rogo, ut me & Cluniacenſium Fratrum ovile in veſtris, populique veſtri precibus ſpirituali charitatis dono ſuſciperetis, quod & à nobis, quod & ad nos, vel noſtros pertinet, pari affectu conſequeremini. Rogarem poſt illa, quod & nunc rogo, ut Cluniscenſi Eccleſiæ, & monaſterio de Charitate, locum, qui Civitot dicitur, juxta Conſtantinopolim poſitum, reſtitui juberetis, ac dominum Imperstorem, ſi neceſſe eſſet, pro reſtituendo rogaretis. Dedit illum Cluniaco, & monaſterio de Charitate etiam apud noſtros magni nominis & gloriæ Imperator Alexius pater ejus, cui ſicut in regno, ſic multò magis in juſtitia & pietate illum decet ſuccedere. Commendamus ergo excellentiæ pontificali monachorum & Fratrum noſtrorum humilitatem, ut per eum nobis noſtra reſtitui faciatis, quatenùs & juſtitia quod ſuum eſt conſequi, & à Patre Filii mereamur exaudiri.] Hucuſque Petrus, quæ ad ſignificandam inter Latinos & Græcos conſervatam hactenùs communionem, hìc oportuit recitaſſe: cùm alioqui noſtri hiſtorici meliùs habitos Latinos Chriſtianos ſub Joanne filio, quàm ſub Alexio patre teſtentur.

I. Milleſimus centeſimus vigéſimus, decimatertia Indictione, annus ſequitur, quo Calliſtus Papa Romam cogitans, antequàm profectionem aggrederetur, Eccleſiam ſuam Viennenſem munitam & honeſtatam relinquere voluit Sedis Apoſtolicæ privilegiis. Quænam autem fuerint iſta, in ejus diplomate leges, quod ex ejuſdem nobiliſſimæ Eccleſiæ monimentis nuper in lucem edidit Joannes à Boſco Cæleſtinus.

Quæ Calliſtus Pap. concesſerit Eccl. Vienenſi.

Calliſtus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Petro Decano, & Canonicis, ſive clericis Viennenſis Eccleſiæ tàm præſentibus, quàm futuris in perpetuum.

Etſi Eccleſiarum omnium cura nobis ex Apoſtolicæ Sedis adminiſtratione immineat: Viennenſi tamen ſpecialiùs convenit charitatis ſtudio providere. Ipſa enim primùm, diſponente Deo, ſollicitudini noſtræ commiſſa eſt, & ad ejus regimen, nos Epiſcopalis gratiam conſecrationis accepimus. Ex communis igitur & ſingularis dilectionis debito incitati: matrem veſtram filii in Chriſto chatiſſimi, ſanctam Viennenſem Eccleſiam diligere, honorare, & beati Petri patrocinio decrevimus confovere. Omnem itaque dignitatem & munitionem, ac liberalitatem, quam vel per authentica prædeceſſorum noſtrorum Silveſtri, Nicolai, Leonis, Gregorii, & cœterorum Romanorum Pontificum privilegia, vel per Imperatorum, Regum, Principum, & cœterorum Fidelium largitionem conceſſam obtinet: nos quoque, auctore

ctore

ctore Deo, concedimus, & præſentis privilegii pagina confirmamus. Ut videlicèt ſuper ſeptem provincias primatum obtineat: Super ipſam Viennenſem, ſuper Bituricam, Burdegalam, Auxitanam, quæ Novempopulitana dicitur: ſuper Narbonam, Aqnenſem, & Ebredunenſem. Et in eis, Viennenſis Archiepiſcopus Romani Pontificis vices agat, ſynodales conventus indicat, & negotia Eccleſiaſtica juſtè, canonicèque definiat. Porrò illa ſex oppida vel civitates, Gratianopolis videlicèt, Valentia, Dia, Alba, Vivarinm, Geneva Maurienna, in ejus tamqnàm in proprii Metropolitani obedientia & ſubjectione permaneant. Tarantaſienſis autem Archiepiſcopus, licèt aliquibus habeatur ex Apoſtolicæ Sedis liberalitate prælatus, Viennenſis Archiepiſcopo tamquàm Primati ſuo ſubjectus obediat. Sanè in Salmoracenſis Archidiaconia conſecrationes, vel ordinationes, & quidqnid ad pontificale officinm pertinet, Viennenſis Eccleſia, præter alicujus inquietationem ſe diminutioné habeat. Abbatia quoque S. Petri foris portam Viennæ ſita, & intra eamdem urbem Abbatia S. Andreæ, una monachorum, altera ſanctimonialium: Abbatia S. Theuderii, & Abbatia ſanctæ Mariæ de Bonavalle, quæ, præſtante Deo; noſtris ſumptibus, & noſtris eſt ſundata laboribus: in jam ſæpè dictæ Viennenſis Eccleſiæ jure ac ſubjectione perſiſtant.

II. In ipſa etiam Romanenſi Eccleſia, quamvis Romanæ ſe faciat libertatis, vilis tamen prædeceſſorum noſtrorum privilegiis, & Imperatorum preceptis, tàm in ſæcularibus, quàm in regularibus clericis & Canonicis inibi ordinatis vel ordinandis, pontifices Viennenſes omnem habere decernimus poteſtatem. Similiter in Eccleſia beati Donati, & beati Valerii, & in Eccleſia beati Petri de Campania, & beatæ Mariæ de Annoniaco. Caſtra præterea, quæ per nos recuperata ſunt vel acqniſita, ſcilicèt Pompejacum, Saſſerlum, & caſtrum de Malavalle, Viennenſi Eccleſiæ in perpetuum confirmamus. Cœmeterium verò, quod dominus prædeceſſor noſter ſanctæ memoriæ Paſchalis Papa, circa beati Mauritii Eccleſiam conſecravit: liberum eſſe ſancimus, ut eorum qui illic ſepeliri deliberaverint, devotioni & extremæ voluntati, niſi fortè excommunicati ſunt, nullus obſiſtat: ſalvo nimirùm propriæ jure parochiæ. Ad hæc pro ampliori Viennenſia Eccleſiæ dilectione, ante Viennenſem Archiepiſcopum per provinciam ſuam Crucem deferri concedimus; & Viennenſem Eccleſiam alicui ſubjacere Legato niſi Cardinali, vel alii de Romana provincia, qui à Romani Pontificis latere dirigitur, prohibemus. Porrò in Eccleſiis, quas in Viennenſi Epiſcopatu, poſt aſſumptum Apoſtolicæ Sedis miniſterium conſecravimus: Viennenſis Archiepiſcopus eamdem quam habuerat ante, interdicendi ac ordinandi habeat poteſtatem. Sanè intra clauſtri ambitum, ubi clericorum manſiones continentur: nullus omninò laicorum deinceps habeat manſionem, aut aſſultum, vel rapinam facere, ſeu corporalem cuilibet audeat injuriam irrogare. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica ſæcularisve perſona hanc noſtræ confirmationis vel conceſſionis paginam ſciens, contra eam temerè venire tentaverit, ſecundò, tertiòve commonita, ſi non ſatisſactione congrua emendaverit: poteſtatis honoriſque dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniqnitate cognoſcat: & à ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei & Domini noſtri Redemptoris JESU CHRISTI aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem Eccleſiæ juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri JESU CHRISTI: quatenùs & hìc fructum bonæ actionis ſentiant, & apud diſtrictum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, Amen.

Ego Calliſtus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Datum Valentiæ v. Kalend. Martii, Indictione xiii Incarnationis Dominicæ anno MCXX. Pontificatus autem domini Calliſti II. Papæ anno ſecundo.

III. Calliſtus Papa in urbem dirigit iter.

Poſt hæc autem diſpoſitis rebus Gallicarum Eccleſiarum, Romam ſe contulit. De hoc itinere in ejus vita hæc leguntur in MS. Vaticano ex Pandulpho: Habito itaque conſilio communi cum Eccleſia Gallicana, ut ad Romanam Urbem & Sedem Apoſtolicam feſtinare deberet, diſpoſitiſque aliis quæ ad Eccleſiæ ſtatum ſpectare videbantur: iter ſuum versùs Italiam Domino direxit auctore. Et veniens ad montem Peſſulanum, proceſſit ad ſanctum Ægidium, peragratiſque Provinciæ partibus, & Alpium difficultate tranſcenſa, ad ſanctum Ambroſium cum jucunditate pervenit. Undique igitur ad eumdem Pontificem confluente multitudine populorum, eum tamquàm Chriſti Vicarium eximio proſequebantur affectu, ad ejus veſtigia certatim ſe devotiſſimè proſternebant. Deſcendens autem ad populoſas Longobardiæ civitates, in quibus non minùs honorificè recipiebatur, & perquàm devotiſſima veneratione tractabatur; per montem Bardonis tranſivit in Tuſciam. Appropinquante autem ipſo Pontifice ad civitatem Lucanam; occurrit ei à longè decora ipſius civitatis militia, & deductus eſt à Clero & populo in gaudio & exultatione ad majorem Eccleſiam, & ad Papale palatium. Poſt triduum verò à Piſanis cum jucunda & glorioſa proceſſione nihilominùs eſt receptus atque tractatus. Rogatus autem ab ipſis Piſanis, & magna inſtantia poſtulatus, majorem Eccleſiam ad honorem beatæ Mariæ, tota ibidem Tuſcia concurrente, dedicavit ſolemniter. Deindè de jucundo & deſiderato nimirùm Papæ adventu cõmunis fama, & frequens rumor aures Romanorũ pulſavit. Et cùm tota Civitas ad ejus receptionem

nem anhelaret, & vehementi deſiderio ferveret: ſchiſmatici, qui tunc eidem Urbi per Imperatoris violentiam incubabant, ſunt territi, & omninò in ſemetipſis confuſi. Quocircà languidum caput, Burdinus hæreſiarcha, in diſperationis lubrico poſitus, ſperans ſe ab ipſo Imperatore fovendum, apud Sutrium confugium fecit, ejusque ſe munitione continuit.] Hæc in rebus geſtis ipſius Calliſti ex Pandulpho.

IV. Hìc verò intexenda epiſtola eſt Eginonis Abbatis S Udalrici Auguſtani, qua Calliſti Papæ occurſus, & in Urbem narratur ingreſſus. Qui charitate impulſus Auguſtanæ Eccleſiæ, adhùc ſub Herimanno pſeudoepiſcopo laborantis quatuordecim annorum jam curriculo: ad Calliſtum Pontificem Romam advenientem ſe contulit, quem in Tuſcia repertum eſt ſecutus in Urbem. Rebus autem benè ſatias ex ſententia geſtis, Piſis, de cunctis quæ accidiſſent, quaſi itinerarium ſcripſit, his verbis:

Eginonis epiſtola de Calliſti in urbem adventu.

Reverendæ paternitatis ac diligendæ fraternitatis cunctis utriuſque ſexus in Chriſto Fidelibus Egino ille, cujus incolatus eſt ſuper terram prolongatus, cœleſtis patriæ aſſociari civibus.

Quoniam Deus charitas eſt., & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo: omnis qui manet in Deo, immò, in quo manet Deus, nimirùm Spiritu charitatis eſt repletus: ex fonte vero dilectionis rivulus emanat compaſſionis. Hoc igitur ſalubri fonte redundantibus neceſſarium duxi paucis abſolvere, quibus ſubjacuerim caſibus, præmiſſa cauſa, quæ tot provocavit adverſa, ut virtus compaſſionis creſcat ex cauſa juſtitiæ & veritatis. Quamvis enim peccator indignus, officio regiminis, ut multi veſtrum noverunt: cœnobii fungebar Auguſtenſis, ubi quanta Deus noſtris temporibus, non dico meritis fecerit, quòd videlicèt religioſos viros inibi coadunaverit, quàmque virtutibus, rebus quoque exterioribus locus ille in brevi ſuccreverit: non modò vicinos & contiguos, ſed etiam remotos latere minimè potuit. Verùm quia juxta egregium Prædicatorem, (*a*) oportet hæreſes eſſe, ut qui probati ſunt, manifeſti fiant: expetente ſatana, ut (*b*) cribraret nos ſicut triticum, quem defenſorem ac propugnatorem ſperabamus, utpotè gregis Dominici paſtorem, Auguſtenſem Epiſcopum, crudelem ſenſimus perſecutorem. Qui cùm à beatæ memoriæ Papa Paſchali pro diuturna inobedientia in omni pontificali officio fuiſſet interdictus, atque à ſucceſſore ejus Gelaſio Secundo, necnon à ſancto adhùc ſuperſtite Papa Calliſto Secundo abſque ſpe ejuſdem recuperandi officii ſit damnatus, & ab ipſa Apoſtolica Sede hoc acceperimus mandatum, hujuſmodi vitare ut mortiferum: nos tamen ut minùs perfecti, non ſtatim ad hæc implenda convaluimus, cum Petro ſcilicèt ad

a 1. *Cor.* 11.
b *Luc.* 22.

A ancillæ carnis vocem adhùc pertimuimus, cùm tàm neſanda, potiùs humana ſapientibus acquieſcendo, quàm divinis & Apoſtolicis præceptis obtemperando, diſſimulavimus.

V. Denique ipſo contra jus faſque omnibus modis graſſante, adcò ut Catholicum Papam reſpueret, Burdinum reciperet, nomenque ejus in Cerei Paſchalis benedictione recitari præciperet, ac plebem ſibi ſubjectam tanti hæreſiarchæ litterarum ſalutatione pollueret, nos etiam in his omnibus ſecum contaminari cogeret: tandem ut arcus fortium ſuperaretur, nos ha- B ctenùs infirmi, divino robore accingimur, in medium progredimur, cum Apoſtolis, (*c*) etſi longè impares proteſtamur: Obedire oportet magis Deo, quàm hominibus. Hac voce non minori, quàm Scribæ & Pharisæi, Pontifex iſte commovetur furore, dum mox vincula, & carcerem minatur & exilium; nec umquam ceſſaverit, quouſque ego & Fratres mei, qui cum duodecim Chriſtum ſequebantur, aliis retrò abeuntibus, à monaſterii quiete proturbamur. Nec tamen huic Præſuli poſt innumeras contumelias & injurias noſtri ſuffecit expulſio, quin in omnes ter- C ræ fines nos ejus pro poſſe ſequeretur perſecutio. Quamobrem cùm Archiepiſcopum noſtrum, necnon magnum Epiſcoporum, Abbatum, ſeu Principum Catholicorum adirem colloquium: expoſitas querelas in commune pro ſceleris immanitate mirantur & lamentantur.

c *Act.* 5.

VI. Proindè communicato prudentiorum conſilio, ad Romanam dirigor Sedem, tùm pro ſpeciali noſtra neceſſitate, tùm pro communi Eccleſiæ utilitate. Quod iter cùm arriperem ex hoſtium inſidiis periculoſiſſimum: potiùs per devia quàm regia via utcumque perveni Placentiam. D Ubi dum puer meus, quem ab infantia nutrieram, cum omnibus rebus noſtris, exceptis equitaturis, nocte aufugiſſet: qui in paucis ſæpiùs de itineris perfectione diffidebam, in nihili jam de ejus qui cuncta creavit ex nihilo, miſericordia præſumebam. Quid plura? per abrupta montium, per vaſtiſſimam eremum, per terram famis & ſitis, ubi veſtigium non inveniebatur hominis, tranſivimus, ſed quaſi in pretium tanti laboris domnum Apoſtolicum in maritimis locis, videlicèt apud Roſellam civitatem invenimus. A quo hilariſſimo (ut eſt) vultu recipimur, E Romam unà ſecum deducimur, relaturi terræ noſtræ (ut ipſius verbis utamur) triumphum Eccleſiæ.

Jam enim quis illius terræ concurſus, quantus omnis ſexus & ætatis apparatus, militiæ quoque Romanæ ultra trium dierum iter occurrentis quàm jucundus fuerit comitatus, Cæſar ſi ſupereſſet, indignans miraretur, Tullius forſitan attraheretur, dum vexillo Crucis omnium Conſulum, & Imperatorum ſuperari trophæa conſpicaretur. Appropinquante verò ſummo Pontifice ad Urbem, puerorum & inſan-

infantium cum ramis omnigenarum arborum occurrentium excipitur laudibus. Quos ne quis opprimeret, vel abigeret, cum JESU benedicens, ajebat: (a) Sinite parvulos venire ad me, talium eſt enim regnum cœlorum. Deindè coronatus, ut regali ſacerdotio Eccleſiam credas potiri, per medium deducitur Civitatis, plateis auro, gemmis, pretioſiſſimis palliis undique adornatis. Nec defuere Græcorum & Latinorum concentibus confuſi Judæorum plauſus, ut cæca gens vel invita confiteatur, unde magis puniatur. Vix hora decima cùm eſſet, tertio Nonas Junii, à mane protracta, rareſcit proceſſionum frequentia, quando & idem Pater Univerſalis à Lateranenſi exceptus ſede, in palatium, ut moris eſt, judicium legali perducitur carmine. Ab hinc uſque in Kalendas Julii præſentia jugiter tantæ ſanctitatis perfruebar viri, hac inſtantia neſcienta faſtidium, quia ſemper in majus accendebatur deſiderium. Siquidem hilaris vultus ſub morum gravitate, dulcedo affabilitatis ſub verborum pondere, jejuniorum, ſeu vigiliarum diſcretio abſque eo quod intrinſecùs latet, cunctis intuentibus in eodem Patre, uno atque eodem Spiritu operante, mirabili effectu patet. Laus omnis inferior, dum vir iſte reverà Apoſtolicus, virtutibus & miraculorum ſignis comprobetur ſublimior. Quæ quia tota Francia, Longobardia, Tuſcia, atque Apulia prædicat, hujus anguſtia chartulæ ſuperſedeat.

a Matt. 19.

VII. Igitur percepta à ſanctis ejus manibus Dominici ſacramenti communione, & inter crebra oſcula largiſſima benedictione, iter rediturus arripui, navimque per mare tranſiturus apud Oſtiam civitatem cum Aquenſi Epiſcopo intravi. Quę cùm ſocium laboris noſtri fratrem Udalſcalcum præ hominum multitudine capere non poſſet; alteram, quæ tamen cum noſtra erat itura, aſcendit: ſed mox pelago turbato, naves in tantum ſunt disjectæ, quòd infra quatuordecim dies nec loqui inviecm potuimus, nec videre. Cœpi ultra modum de amiſſo fratre contriſtari, ex triſtitia infirmari, vixque Piſas valebam deportari. Ubi qualiter frater me invenerit, quidve poſteà de me factum ſit: ipſe fideliter referat, animamque meam veſtris orationibus commendet.] Hæc Egino Abbas in ægritudine poſitus ſcripſit, qui & ibidem extremum diem obiit eodem ipſo die, nempè Idibus Julii, ſepultuſque eſt in S. Michaelis monaſterio magno cum honore, ut ejus peregrinationis ſocius Udalſcalcus enarrat, qui ei aſtitit morienti, eadem die qua obiit Piſas adveniens, & patrem adhùc ſpirantem inveniens, ejus extremam ſalutationem poſt oſcula & amplexus habere commeruit.

VIII. Sed ad Calliſtum Pontificem redeamus, cui ſuperandi Burdini munitione ſe continentis ingens adhùc ſuperfuit labor. Verùm quòd exercitu opus erat ad locum illum expugnandum, eo relicto, & ad aliud

A tempus expugnatione opportuniùs reſervata, haud diu Romæ permanſit, ſed Beneventum direxit iter, ubi Northmannos ad expugnationem Sutrinæ munitionis hortaretur. Porrò ejus iter ab Urbe Beneventum, & in Apuliam, ita apud Petrum (b) diaconum in Chronico Caſſinenſe relegitur: Sub idem tempus præfatus Papa Calliſtus ex Urbe hoc monaſterium Caſſinenſe perveniens, ab Abbate noſtro cum ingenti honore ſuſceptus, die illo Miſſam ſolemniter celebravit, & in hac terra duos fermè menſes remoratus eſt. Quem Abbas noſter honorificè valdè habuit, & in omnibus illi neceſſariis ſtrenuè ſemper miniſtrare curavit. Inde verò Beneventum veniens, in Apuliam uſque deſcendit, & more priorum Pontificum à Duce Vvillelmo fidei ſibi præſtito juramento &c.] At Romualdus in Chronico hæc paulò fuſiùs, verbis iſtis: In Beneventanum palatium Vvillelmus Dux Apulię atq; Calabrię devenit, legius homo Papæ Calliſti factus per directum contra omnes homines. Et ipſe Papa ſtatim eidem Duci donavit, & conceſſit, & per vexillum tradidit omnem terram ipſius Ducis cum toto honore Ducatus ipſius, dicens:

b Pet. diacon. Chron. Caſſ. lib. 4. c. 70.

Calliſt. Papa Beneventum ſe confert.

IX. Ad honorem Dei, & beati Petri Apoſtolorum Principis, necnon & Pauli, fidelitatem quoque Romani Pontificatus, & noſtram, noſtrorumque ſucceſſorum canonicè intrantium, donamus & concedimus tibi terram, & omnem honorem, & quæcumque noſtri prædeceſſores, videlicèt Papa Nicolaus, & Alexander, atque Gregorius donavere olim Roberto Guiſcardo avo tuo, atque deindè Urbanus Papa, & Paſchalis ejus ſucceſſor donavere Duci Rogerio patri tuo, idemque Paſchalis poſteà atque Gelaſius Papa donaverunt tibi &c. Eodem verò menſe idem Papa Calliſtus Trojam venit. Audiens itaque Vvillelmus Dux ejuſdem Pontificis adventum, obvius ei feſtinanter extra civitatem advenit cum Principibus ſuis. Cui vice ſtratoris ipſe juxta ſellam obambulans, uſque ad Eccleſiam Epiſcopatus ejuſdem civitatis ingenti cum honore deduxit.] Hæc ipſe hoc anno. Porrò comparatas copias ex Northmannis ad expugnationem Antipapæ Burdini perduxiſſe Romam, annoque ſequenti eumdem duxiſſe captivum, quæ ſuo loco dicentur, oſtendent. Ita planè magna Dei providentia factum, ut deficientibus ingratis filiis, Deus è longinquo vocaverit in Italiam Northmannos, eiſque regiones illas dederit incolendas, quorum ſæpè uteretur auxilio adversùs ſchiſmaticos Romanos, tyrannos, & perfidos Imperatores, pro Eccleſiæ Romanæ præſidio, ejuſque libertate tuenda.

Calliſt. Papa concedit inveſtiturâ Vvillelmo Duci.

Quæ autem præter hæc, dum Beneventi adhùc eſſet Calliſtus Pontifex, egerit, idem Petrus (c) diaconus narrat, nempè definiviſſe controverſias monaſterii Caſſinenſis, reintegrando ipſum juribus diverſorum bonorum eidem monaſterio debitorum, quibus injuſtè fuerat ſpoliatum ſive

c Pet. diacon. Chron. Caſſ. lib. 4. c. 70. 71. 72.

Res geſtæ à Calliſto Papa Beneventi.

à Principibus, ſive ab Epiſcopis & Archiepiſcopis, quos idem auctor ibi recenſet. Sed nullum expertus eſt idem Pontifex magis arduum negotium ibi, quàm quòd cum Abbatiſſa monaſterii S. Mariæ Capuæ fuit agendum: cùm eam refractariam ac inobedientem penitùs Apoſtolicis litteris ſemper invenerit, adeò ut poſt omnes adhibitas admonitiones, comminationes interpoſitas, perendinationes ſuperadditas, opus fuerit eam excommunicatione mulctare, & monaſterium ejus ſubiicere interdicto. Verùm nec ſic quidem ipſa paruit, ſed Rainulphus Comes interceſſit, qui Caſſinenſe monaſterium de bonis amiſſis, ipſa licèt invita, in integrum reſtituit coram Joanne Cardinali tituli ſancti Euſebii, & Hermanno S. R. E. ſubdiacono. Ut planè eidem Calliſto contigerit reperire fœminam pertinaciorem, contumacioremque Imperatore ſchiſmatico, quem, ut dicemus, reddidit tandem Romanæ Eccleſiæ obſequentem.

XI. Legatio Regis Ludovici ad Calliſt. Papam.

Rursùs autem, cùm Benevento in Apuliam tunc temporis perrexiſſet Calliſtus Papa, reſque Romanæ Eccleſiæ uſurpatas recuperaſſet, convenit eum legatio Francorum Regis Ludovici per Sugerium Abbatem, qui in vita ejuſdem Regis quam ſcripſit, de his ſic meminit. Domino itaque Calliſto glorioſè præſidente, & raptores Italiæ, & Apuliæ perdomante, Pontificalis Cathedræ lucerna non ſub modio, ſed ſuperpoſita monti, clarè lucebat: beati Petri Eccleſia, & reliquæ item Eccleſiæ Urbis & extra amiſſa recuperantes gratiſſimo fruebantur patrocinio. Cui cùm in Apulia apud civitatem Bitontũ miſſus à domino Rege Ludovico pro quibuſdam regni negotiis occurriſſem: vir Apoſtolicus, tàm pro domini Regis, quàm pro monaſterii noſtri; *ſancti Dionyſii ſcilicèt*, reverentia honorificè nos recepit, ita ut diutiùs retinere vellet, ſi Eccleſiæ noſtræ amore, & ſociorum, Abbatis S. Germani ſocii, convocantis, & aliorum perſuaſione non devocaremur.] Subiicit hic hiſtoriam de ſua tunc abſentis in Abbatem ſancti Dionyſii electione. At de rebus Calliſti Papæ in Apulia geſtis hactenùs.

XII. Præmonſtratenſis ord. initur.

Contigit hoc anno, ut Norbertus, qui auctoritate Romanorum Pontificum Gelaſii, & Calliſti licentiam prædicandi acceperat, collectis ſociis, Regulam ſancti Auguſtini ſervandam ſuſcipiens; auctor fuerit Ordinis à loco dicti Præmonſtratenſis. Hæc (*a*) Hugo in vita ipſius pluribus narrat. In Saxonia autem, Deo prodigiis populos terrente, Fides Catholica, ablegato ſchiſmate, atque ſchiſmaticis, propagatur, ipſo Deo ulciſcente in eos, qui Imperatorem ſchiſmaticum ſequerentur, Friderico Comite Palatino, qui in eo ſchiſmate inhærebat Henrico, jam mortuo, & ad inferos (ut revelatum eſt) ad pœnas æternas condemnato. Hæc omnia Urſpergenſis hoc anno pluribus.

a Apud Sur. tom. 3. die 6. Jun.

XIII. Rogerius Prin. Antioch. occiſus.

Quod ad res pertinet Orientis, malè pugnatum eſt à Rogerio, qui Principatum Antiochenum ſibi injuſto titulo uſurpaverat, cùm homo alioqui vita turpiſſimus, qui in eodem bello interemptus occubuit, hoc divino munere ſit conſequutus, ut anteà confeſſione peccatorum habita verè pœnitentis ſpecimen ederet. Ita planè renovata in Orientalibus illis prœliis noſcuntur divina miracula, ut ſi cultores eſſent juſtitię Principes, nullo fermè negotio de hoſtibus quamlibet numero viribuſque ſuperioribus victores exiſterent; contrà verò vincerentur ab illis, ſi iniquitas prævaleret in ipſis, quam divina ultio ſequeretur, ſecundùm illud: Anathema (*b*) in medio tui Iſrael, idcircò traditus es in manus inimicorum tuorum.] Interfecto autem Rogerio cum exercitu, Balduinus Rex unà cum Comite Tripolitano, prævio ſacratiſſimo ligno ſanctę Crucis, ingentem de Turcis eſt victoriam conſecutus hoc anno in Vigilia Aſſumptionis ſanctæ Mariæ, cùm poſt hæc ſancta Crux ſolemni ritu reportata eſt Hieroſolymam, die Exaltationis ejuſdem. Hæc verò pluribus deſcribit Vvillelmus (*c*) Tyrius, qui addit, hoc eodem anno à Patriarcha Hieroſolymorũ, & Epiſcopis ſibi ſubditis eſſe celebratam Concilium in civitatę Neapolis (quæ eſt Samariæ) ibique pro correctione morum, & conſervanda Eccleſiaſtica diſciplina ſtatutos eſſe canones vigintiquinque. Non caruit fructu publica iſta correctio; ſiquidem anno ſequenti Turcarum Princeps magno apparatu contra Antiochiam rediens, pugnante Domino, apoplexia percuſſus interiit.

b Joſue 7.

c Vville'. Tyr lib. 12. c. 10. 11. 12. 13.

Concilium Paleſtinũ.

JESU CHRISTI ANNUS 1121. | CALLISTI PAP. II. ANNUS 3. | HENRICI IV. IMP. 11. JOANNIS COMNENI IMP. 3.

I. Burdino Antipapa ſublato Eccleſia liberatur.

SEquitur annus milleſimus centeſimus vigeſimus primus, Indictione decimaquarta, quo Romana Eccleſia, expugnato, capto, atque in cuſtodiam detruſo Antipapa Burdino, priſtinam recepit libertatem. Hæc quidem hoc ipſo anno contigiſſe, qui per annos ſingulos res geſtas digerunt, certa aſſertione conſignant, quæ Petrus diaconus his paucis abſolvit: (*d*) Hinc verò Calliſtus exercitum congregans, Mauritium hæreſiarcham in civitate Sutrina obediens cepit, & in arce hujus monaſterii, quam Abbas noſter conſtruxerat, religavit.] Pandulphus autem, qui erat hæc ſpectans, ſic paulò fuſiùs habet: Intereà Burdinus in Sutrio prope Romam Eccleſiam perſequi, peregrinos prædari, in Papam & alios maledicta congerere, quæque alia hujuſmodi poterat, tàm per ſe, quàm per alios facere non ceſſabat. Tunc Papa, factus abundè jam ab omni parte ſecurus, paravit magnum exer-

d Pet. diacon. lib. 4. c. 70.

exercitum, & cum eo Joannem Cremenſem Cardinalem ſancti Chryſogoni Sutrium contra Burdinum præmiſit: ipſe eum è veſtigio ſequitur, demùm Sutrii convenerunt. Pugnatur attentiùs, vincitur, capiturque Burdinus, abducitur, ſed tamen camelo ſubvectus.] In ſcripto codice Vaticano aſſeritur, à Sutrinis, cùm eorum quaterentur mœnia, Burdinum militibus deditum: qui ejuſmodi eum expoſuere ludibrio. Primum omnium eum inceſſere blaſphemiis, altis vocibus conclamantes: Maledicte, maledicte, per te tàm grave ſcandalum venit. Addebant alii: Tu es qui Chriſti tunicam attentaſti dividere, & dilacerare Catholicam unitatem præſumpſiſti. Tunc præparato camelo pro alto caballo, & indutus piloſa pelle vervecis pro chlamyde rubea, poſitus eſt ea adverſo ſuper camelum, dataque eſt ei in manibus pro fræno cauda cameli. Ita in Urbem introductus eſt in exemplum aliorum, ne ſimilia quis ultrà auderet tentare. Inde in arcem Fummonis primùm, inde verò eſt in monaſterium Cavenſe tranſlatus ad pœnitentiam, ſed in ſua rebellione perſeveravit * incautus.]

* In cunctis.

II. Clementia Papæ Burdinus ſervatur ad Pœnitentiam.

Commendatur autem modeſtia Calliſti Papæ ab Urſpergenſi Abbate, qui ſeriem rerum geſtarum anni hujus dum proſequitur, hæc obiter ait: Auditur intereà, necnon & Nuntiis à Roma venientibus approbatur, illum pſeudopapam Burdinum in caſtello Sutrii, quo miſerrimo ſuo inſerviens officio reſidebat, per Romani exercitus zelum deſtructo, captum, & poſt plures à vulgo ſibi contumelias & illuſiones illatas, vix à manibus eorum domino Apoſtolico illum eripiente, ob agendam pœnitentiam exilio relegatum. Sunt etiam, qui talibus eum afferant deprehenſum flagitiis, quæ noſtris indignum duximus tradere ſcriptis.] Hucuſque Urſpergenſis. Quem ergò poſt exhibitum de pſeudopapa ludibrium populus Romanus necaturus erat, ut ſervaretur ad pœnitentiam, Pontificis clementia via obtinuit. Quod etiam Sugerius (a) Abbas & ipſe hujus temporis auctor affirmat, ſimulque ejuſdem Antipapæ tyrannidem, Sutrii dum permaneret, pariter narrat, atque alia ab aliis prætermiſſa, ne quid deſit ad triumphum beſtiæ per Imperatorem exaltatæ, ſic tradit: Romani Calliſti Papæ tàm nobilitati quàm liberalitati faventes, intruſum ab Imperatore ſchiſmaticum Burdinum, apud Sutrium ſedentem, & ad Limina Apoſtolorum tranſeuntes genuflectere cōpellentem, expugnatum tenuerunt, tortuoſo animali camelo tortuoſum Antipapam, immò Antichriſtum crudis, immò ſanguinolentis pellibus caprinis amictum, tranſverſum ſuperpoſuerunt, & ignominiam Eccleſiæ Dei ulciſcentes, per medium Civitatis via regia, ut magis publicaretur, deducentes, impetrante domino Papa Calliſto, perpetuo carcere in montanis Campaniæ prope ſanctum Benedictum captivatum damnaverunt: & ad tantæ ultionis memoriæ conſervationem in camera palatii ſub pedibus domini Papæ conculcatum depinxerunt.] Hæc Sugerius Ludovico.

a *Sugerius in Ludovico Reg.*

III. Adpoſtremum hìc deſcribendæ ſunt litteræ ipſius Calliſti Papæ in Gallias datæ poſt expugnatum Sutrium, Burdinumque captum, quæ recitantur à Scriptoribus rerum Anglorum Vvillelmo Malmesburienſi, atque Rogerio in Annalibus: ſic ſe habent: (b)

b *Vvillel. Malmesb. de geſt. Reg. Angl. lib. 5.*

Epiſtola circularis ad Gallicanos.

Calliſtus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis fratribus, & filiis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, & cæteris tàm clericis quàm laicis, beati Petri fidelibus per Gallias conſtitutis, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Quia dereliquit populus legem Domini, & in judiciis ejus non ambulabat: * viſitat Dominus virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Paternæ tamen conſervans viſcera pietatis, de ſua confidentes miſericordia non relinquit. Diu ſiquidem peccatis exigentibus, per illud Teutonicorum Regis idolum, Burdinum videlicèt, fideles Eccleſiæ conturbati ſunt, & alii quidem capti ſunt, alii uſque ad mortem carceris maceratione afflicti ſunt. Nuper autem feſtis Paſchalibus celebratis, cùm peregrinorum & pauperum clamores ferre penitùs non poſſemus, cum Eccleſiæ fidelibus ab Urbe digreſſi ſumus, & tàm diu Sutrium obſedimus, donec divina potentia & ſupradictum Eccleſiæ inimicum Burdinum, qui diabolo nidum ibidem fecerat, & locum ipſum omninò in noſtram tradidit poteſtatem. Rogamus itaque charitatem veſtram, ut pro tantis beneficiis unà nobiſcum Regi Regum gratias referatis, & in Catholicæ Eccleſiæ obedientia & ſervitio conſtantiſſimè maneatis, retributionem debitam in præſenti & in futuro ab omnipotenti Domino, per gratiam ejus recepturi. Rogamus etiam, ut has litteras alter alteri præſentari, omni remota negligentia faciatis. Datum Sutrii quinto Kalendas Maii.] *ſexto legitur apud Rogerium.*

* viſitavit.

IV. Inferiùs verò hæc Malmesburienſis de rebus geſtis in Urbe per Calliſtum Papam: Proceſſit, inquit, ulteriùs in augendo bono laudabilis Papæ magnificentia, ut illam effrænem & ingenitam Romanorum cupiditatem cohiberet. Nullæ ipſius tempore viantibus circa Romam inſidiæ, nullæ Urbem ingreſſis injuriæ. Oblationes apud ſanctum Petrum, quas pro petulantia, proque libidine potentes diripiebant, acceriores Apoſtolicos, qui vel mutire auderent, indignis afficientes contumeliis, Calliſtus revocavit ad medium, ſcilicèt ad Apoſtolicæ Sedis Rectoris publicum uſum. Nec quidquam in ejus pectore pecuniarum vel habendarum ambitus, vel habitarum amor operari bono abhorrens potuit. Adeò ut Angelos peregrinos magis ad ſanctum dictum *Jacobum Compoſtellanum videlicèt*, quàm Romam pergere admoneret, pro viæ longitudine ad

Peregrinatio Compoſtellana geminata pro liminibus Apoſtol.

illum locum bis euntibus idem benedictionis refundendum commodum, quod habent qui ſemel Romam ireut.] Hæc ipſe. Fuit planè Calliſtus ſtudioſiſſimus ſancti Jacobi Compoſtellani, & de ejus miraculis volumen confecit, quorum nonnulla recitat in ſuo ſpeculo hiſtoriali Vincentius Bellovacenſis.

V. Pax, & libertas Eccleſiæ reſtituta.

Ad pacem autem perpetuò conſervandam, eumdem Pontificem turres Cencii Frangipanis, quæ erant officinæ iniquitatum, & præſidia tyrannorum, demolitum eſſe, alias verò Eccleſiæ proficuas erexiſſe, Pandulphus affirmat, domuiſſeque Comites nonnullos rerum Eccleſiæ invaſores. Sic igitur divina potentia factum, ut Eccleſia Romana Imperatoris ſchiſmatici oppreſſa tyrannide, ſchiſmatici Papæ labefactata dedecore, nobilium inſuper Romanorum oppreſſione calcata, & ignominia deturpata: brevi temporis ſpacio glorioſè de hoſtibus triumphans, ex inſperato ſurrexerit, & pacem ſimul cum libertate, Deo volente receperit. Quomodò autem bis compoſitis, anno ſequenti, Lateranenſe generale Concilium celebraverit, ſuo loco dicetur.

VI. Calliſt decernit legationem Adalberto Archiepiſcop. Moguntino.

Ubi autem Calliſtus Papa Urbana benè diſpoſuit, ad externa moderanda convertit animum. Quòd enim probè noſſet, infeſtiſſimum eſſe Eccleſiæ hoſtem Imperatorem, adversùs eum decernit legationem Alberto ſive Adalberto Archiepiſcopo Moguntino, quem ſciret eſſe adverſarium ejus, & in Saxonia contra eum populum commoturum. Hic autem ab eo ſuſcepta legatione, quàm naviter impleverit officium, ſic accipe ab Urſpergenſi hoc anno, dum ait: His auditis Præſul Adalbertus totam Saxoniam, ubi tunc manebat, commovet. Et quia legationem Apoſtolicam ab ipſo Papa dudum acceperat: hac auctoritate pontifices, & Principes ipſius provinciæ pro utilitatibus matris Eccleſiæ frequenter convocat. Ubi vir eloquens, & primatum in Ciſalpinis partibus multiformiter tenens, ad defenſionem totius Germaniæ Metropolis, *nempè Moguntia*, animos omnium Catholicam obedientiam profitentium accendit. Hùc etiam acceſſit, quòd Epiſcopi Spirenſis, & Vvormatienſis, & ſi qui alii reſiſtere *Henrico* non valentes, tamen Apoſtolicam obedientiam profeſſi, pulſi ſuis ſedibus vagabantur extorres: quos proprio quemque loco reſtituere diſponebant iidem Principes pro Domino Deo exercituum zelo zelante.] Subiicit de ingenti apparatu armorum, quem Archiepiſcopus Moguntinus colligebat adversùs Imperatorem, & procinctus ejuſdem in eum. Cùm, ut ſubdit, precibus aſſiduis Fidelium factum; ut cùm propinqui inter ſe utriuſque partis eſſent exercitus, magno Dei beneficio non ad pugnandum, ſed ad conſulendum de pace inter Imperium & ſacerdotium, duodecim ex utraque parte Primates electi convenerint Vvirceburgi in feſto S. Michaelis, menſe Septembris, ubi interfuit ipſe Imperator Henricus, & ſeptem diebus iteratis Comitiis, tantummodò de tollendo ſchiſmate, regnique concordia inter eos eſt diſceptatum; concluſum verò, ut omninò pax firmiſſima ſanciretur, pareretque Imperator iis, quæ ab ipſis in eo conventu decernerentur: qui eadem ſe ſervaturum promiſit. Decernitur etiam communi conſenſu ad ea cuncta perficienda legatio ad Apoſtolicam Sedem, delectique Legati Epiſcopus Spirenſis, & Abbas Fuldenſis; viri inter primos annumerati, qui Romam hæc omnia deferrent, quatenùs judicio per auctoritatem Apoſtolicam generali Concilio, quæcumque humano non poſſent, Spiritus ſancti judicio terminarentur. Quid autem Romæ actum ſit, anno ſequenti ſuo loco dicetur.] Hæc omnia Urſpergenſis pluribus.

Legatio Romã ex Germania pro celebrãdo Cõcilio.

VII. S. Erminoldi Trãſitus & res geſtæ contra Hẽric. Imp.

Moritur hoc anno S. Erminoldus Abbas monaſterii Pruſeningenſis, unius ex illis, quæ S. Otto Epiſcopus Bambergenſis erexit, apud Ratiſponam poſiti: cujus res præclarè geſtæ ſcriptæ leguntur tomo ſecundo antiquarum lectionum, à Caniſio editarum. De quo hìc loco epitaphii ſepulchralis non prætereundum egregium facinus, memoria dignum, ad rerum geſtarum memoriam præſentis temporis ſpectans, quod ſic ſe habet: Henricus aliquando Imperator, cùm propter exceſſus ſuos Papalis excommunicationis ſententiam incidiſſet: & tamen à religioſis ac magnis etiam Prælatis Eccleſiæ, Imperatoriæ dignitatis intuitu, honor ſibi ac ſolita reverentia deferretur, ob ſundatoris noſtri præmemorati, quem non modicè diligebat, honorem pariter & amorem, cum ipſo fundatore, gaudem ſibi demonſtraturus affectum, ad novellam ejus Eccleſiam viſitandam, cum nobilium & magnorum pompa multiplici, ſicut mos eſt regius, adventabat. Jamque beatus Erminoldus Pater videlicèt monaſterii, tàm propter Imperatoriæ celſitudinis claritatem, quàm propter concomitantis cum eo, & invitantis reverentiam fundatoris, cum compulſationibus campanarum, Fratrumque proceſſione canora, & reliquiarum, ac vexillorum multiplici apparatu, longè inſuper extra ſepta cœnobii excepturus Cæſarem credebatur: ſed ſervus Dei talium ſe favori diſſimilem demonſtrabat. Non (*a*) enim cogitationes ſuæ cogitationes eorum, neque viæ ſuæ, viæ illorum, qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus, & pretii parietem liniunt adulando, & propter hoc in (*b*) Regum domibus mollibus veſtiuntur. Cæterùm iſte, non ut arundo, nec terroris, nec favoris vento quolibet agitata, ſed ut columna immobilis, nec metu impellebatur, nec inclinabatur gratia qualicumque, ut ei vel occurſu ſolemni, vel blanditia ſalutationis applauderet, quem per ſententiam Apoſtolicam communione novit Eccleſiaſtica tunc privatum.

a *Ezech.* 13

b *Matt.* 11.

Proindè cùm adventum Imperatoris per prænuntios compeπiſſet; omnia monaſterii ... oſtia

A oſtia obſerari præcepit, ne vel Auguſto, ejusve comitibus ulla introeundi via pateret: firmiter prohibens & diſtrictè, ne quis egrederetur ad ſalutationem ſibi exceptionisve aliquam reverentiam exhibendā. Ipſe verò, Imperatore advenient ad eū, ante clauſtri ſepta procedens, ne vel ex faſtu aliquo, vel contemptu hoc agere crederetur, eo inſalutato: Libenter, inquit, & officio ſalutandi, & exceptionis congrua reverentia honorem tibi impenderem regium, Imperator, ſi te communione privatum Apoſtolicæ Sedis auctoritate neſcirem. At Imperator ratus, eum hæc non juſtitiæ zelo, B ſed ex cordis odio vel rancore proferre, tamquàm offenſum pro eo, quòd quondam ab ejus fratre munera recepiſſet, propter quæ Lorſacenſem reſignaverat Abbatiam: Nimis, ait, inconſultè ac præcipitanter honore vos tanto privaſtis. Cui ſuſpicioni Dei ſervus occurrens, columbina, ut erat ſimplicitate, reſpondit: Novit Deus omnipotens, corda ſcrutans & renes, non me hujus, ſi dici poſſet, injuriæ memorem vel ultorem: ſed me feciſſe hæc, & dixiſſe, juſtitiæ defendendæ intuitu pro Papalis obſervatione mandati. At venerabilis Otto Epiſcopus medium ſe utrilibet interponens: C Neminem, ait, devitare debemus & tenemur, de cujus nobis excommunicatione non conſtat. Quo contrà vir Dei fortitudinis, quo plenus erat, ſpiritu roboratus, nec gratiæ fundatoris, nec Imperatoriæ deferens majeſtati, quin veritatem liberè teſtaretur: Non poſſum, inquit, ſententiam ignorare, quam ore meo memini promulgatam. Talia perſtabat memorans, fixusque manebat, à juſtitiæ ſuæ propoſito non recedens.] At quòd potens ſit veritas, non modò Imperator ſe cohibuit, ne furore percitus faceret, quod facere ſolent Principes iracundia agitati, ſed alios, ne quid moleſtiæ inferrent ejuſdem monaſterii Fratribus, regia auctoritate compreſſit: nam paulò inferiùs hæc ibidem: Cùm non multò pòſt idem Princeps tranſitum faceret ante cœnobium cum multitudine militari: Fratres ad opera manuum juxta morem hortum fortè intraverunt, quem vilis tunc ſepes ambivit. Milites igitur qui præibant & qui ſequebantur Imperatorem, cùm Fratres in horto viderent, arbitrati Principem memorem ſui contemptus, ſibique placere volentes: Ecce, inquiunt, cucullati, qui dominum noſtrum temerè deſpexerunt, nec Imperialem ſibi dignati ſunt exhibere reverentiam; ipſum inſuper ſuis foribus præſumpſerunt excludere cum contemptu. Dent ergò pœnas opprobrii & proterviæ, quas merentur, luant auſus enormes, non ferant impunè, ſpreviſſe Cæſareum diadema. Et milites quidem hæc dixerunt, & invaleſcebant voces eorum, odioque paſtoris dentes lupinos in ejus oviculas acuebant, jam jamque inſultum facturi in puſillum gregem Domini videbantur. Sed evenit aliter quàm putabant. Nam exiit edictum à Cæſare non ſperatum, ne Fratres videlicèt illius omninò præſumerent moleſtare, vel verbo turbare, vel facto.] Hæc tunc geſta, ex quibus veluti ex ungue leonem, virtutes S. Erminoldi conſidera, vel his provocatus, lege reliqua ejus vitæ Acta.

JESU CHRISTI ANNUS 1122. | CALLISTI PAP. II. ANNUS 4. | HENRICI IV. IMP. 12. JOANNIS COMN. IMP. 4.

I. Concilium Generale Lateranē-ſe ſub Callisto Papa.

ANnus Redemptoris milleſimus centeſimus vigeſimus ſecundus, Indictione decimaquinta ſequitur Deo acceptus; placabilis, pacificus, quo à Calliſto Papa ad pleniſſimam inſtaurandam Eccleſiæ pacem, revocandamque exulem diu longiùsque propulſatam concordiam, Laterani indictum generale Concilium celebratum eſt tempore Quadrageſimæ, cui interfuiſſe trecentos & ampliùs Epiſcopos teſtatur, qui præſens extitit Sugerius (*a*) ſancti Dionyſii Abbas. Porrò adeò nobilis conventus Patrum in eo multus fuit: E ut Eccleſiā Dei diuturnis ſchiſmaticorum factionibus labefactatam in priſtinam reſtitueret diſciplinam. Quænam autem in hoc Concilio ſtatuta fuerint, repetimus in codice Vaticano, qui continet collectionem Anſelmi, in quo poſt caput quinquageſimumquintum, tamquàm appendicem habet notatos hujus Concilii canones decem & ſeptem, quorum maximam partem Gratianus, qui hoc ſæculo claruit, in ſuum Decretum tranſtulit, nempè, (*b*) primum, (*c*) ſecundum, (*d*) tertium, (*e*) quartum, (*f*) quintum, D quos apud eum require: qui autem ab eo non ponuntur, nos hìc deſcribemus eodem ordine, quo reperiuntur in dicto codice, ut ſextum ejuſdem Concilii canonem, qui ſic ſe habet:

Ordinationes, quæ à Burdino hæreſiarcha, poſtquàm à Romana Eccleſia eſt damnatus, quæ & à pſeudoèpiſcopis per eum poſteà * ordinatæ ſunt: nos eſſe irritas judicamus:]

II. Septimum verò apud (*g*) Gratianum invenies. Caput octavum in eodem codice ſic. Ad hæc ſanctæ Romanæ Eccleſiæ poſſeſſiones quietas ſervare per Dei gratiā cupientes: præcipimus, & ſub diſtrictione anathematis interdicimus, ne aliqua perſonā Beneventanam beati Petri civitatem præſumat invadere, aut violenter tenere. Si quis aliter præſumpſerit, anathematis vinculo tradatur.

Caput autem nonum ſic: A ſuis Epiſcopis excommunicatos, ab aliis Epiſcopis, Abbatibus vel clericis in communionem recipi, proculdubiò prohibemus.]

Decimum apud (*h*) Gratianum reperies. Undecimus ſic ſe habet. Eis qui Hieroſoly-

a *Suger. in vita Ludovic. Reg.*
b *1. q. 1. c. 10.*
c *Diſt 60 c. 2.*
d *diſt. 27 c. 8*
e *16. q. 7. c. 25.*
f *35. q. 2. c. 2.*
* al. factæ.
g *16. q. 7. c. 11.*
h *Diſt. 61. c. ult.*

roſolymam proficiſcuntur, & ad Chriſtianam Gentem defendendam, & tyrannidam Infidelium debellandam efficaciter auxilium ſuum præbuerint: ſuorum peccatorum remiſſionem concedimus: & domos, familias, atque omnia bona eorum in beati Petri & Romanæ Eccleſiæ protectione, ſicut à domino noſtro Papa Urbano ſtatutum fuit, ſuſcipimus. Quicumque ergò ea diſtrahere vel auferre, quamdiu in via morantur, præſumpſerint: excommunicationis ultione plectantur. Eos autem, qui pro Hieroſolymitano, vel pro Hiſpanico itinere cruces ſibi in veſtibus poſuiſſe noſcuntur, & viam poſteà dimiſiſſe; cruces iteratò aſſumere, & viam ab inſtanti Paſcha uſque ad proximum ſequens Paſcha perficere, Apoſtolica auctoritate præcipimus: alioquin ex tunc eos ab introitu Eccleſiæ ſequeſtramus: in omnibus terris eorum divina officia, præter infantibus baptiſma, & morientibus pœnitentiam, interdicimus.]

A

Duodecimum quod ſequitur ſynodale decretum ſic ſe habet: Illam verò pravam defunctorum porticanorum conſuetudinem, quæ hactenùs ibi fuit: ex fratrum noſtrorum & totius Curiæ conſilio, necnon & voluntate & conſenſu præfecti, removendam cenſemus, ut porticanorum habitatorum ſine hæredibus morientium bona, contra morientium deliberationem minimè pervadantur.]

B

Decimuſtertius ejuſdem Concilii canon ſic ſequitur: Si quis treguam diffregerit, uſque ad ſatisfactionem ab Epiſcopo admoneatur. Quòd ſi tertiò admonitus ſatisfacere contempſerit: Epiſcopus, vel Metropolitanus cum duobus aut uno vicinorum Epiſcoporum in rebellem ſententiam anathematis dicat, & per ſcripturam Epiſcopis circumquaque denuntiet.]

C

a 10. q. 1. c. 34. Decimuſquartum canonem apud (a) Gratianum invenies.

D

Decimuſquintus iſte: Si quis monetam falſam ſcienter fecerit, aut ſtudioſè expenderit: tamquàm maledictus & pauperum virorum oppreſſor, necnon & civitatis turbator, à Fidelium conſortio ſeparetur.]

b 24. q. 3. c. 23. c 16. q. 1. c. 11. Decimuſſextus extat itidem apud (b) Gratianum, ſicut & (c) decimuſſeptimus; reliqui autem, qui in eodem Anſelmi ſcripti ſunt codice, Urbani Papæ Secundi titulo apud Gratianum leguntur. Hæc ſunt quæ ſpectant ad canones Romani Concilii ſub Calliſto Secundo. Quod autem ſpectat ad alias in eodem Concilio res geſtas, ſic accipe.

E

In eodem Concilio auditi ſunt Legati Germanorum, aſſenſu Imperatoris ab Epiſcopis & Principibus Germaniæ miſſi anno ſuperiore, Spirenſis nimirùm Epiſcopus, atque Fuldenſis Abbas, exhibentes quæ Imperator præſtare paratus erat, nempè remiſſionem inveſtiturarum Eccleſiarum, quarum cauſa diu multùmque inter Imperium & ſacerdotium fuerat, magno Chriſtiani orbis ſcandalo, diſceptatum. Auditi ſunt iidem Legati libenter, & collaudati magnificè illo divinæ Scripturæ præconio: (d) Quàm ſpecioſi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona, ſive ille: (e) Bonum nuntium de longinquo tamquàm aqua frigida in æſtate. Atque ex illorum petitione conceſſa legatio mittenda à Sede Apoſtolica in Germaniam, quæ ſicut ab Imperatore renunciationem inveſtiturarum acciperet, ita nomine Apoſtolicæ Sedis eidem ab excommunicatione abſolutionem impenderet, & quæ Calliſti Papæ nomine eſſent exhibenda, proferret. Decretum eſt tantum legationis pondus primario viro Lamberto Cardinali Epiſcopo Oſtienſi, atque duobus aliis Cardinalibus, qui profecti ſtatim ſunt unà cum Legatis è Germania miſſis, Spirenſi Epiſcopo, atque Abbate Fuldenſi. Hi ubi in Germaniam pervenerunt, ad eos audiendos decernitur Concilium tàm Epiſcoporum, quàm Principum, cui etiam Imperator adeſſet, Vvirceburgi celebrandum ſolemni die Natalis Apoſtolorum Petri & Pauli. Quid autem tunc per Legatos actum, Urſpergenſis Abbas exactè recenſet, à quo ſunt iſta petenda, utpotè ab auctore, qui potuit tunc his omnibus cum aliis Præſulibus intereſſe.

d Rom. 10. e Prov. 25.

IV. Legatio ex Concilio in Germaniam miſſa.

Recenſet in primis altercationem, quam excitatam invenerunt Legati inter Imperatorem & Principes Saxoniæ, & Moguntinum Archiepiſcopum ob electionem Vvirceburgenſis Epiſcopi, cùm defuncto ejus Epiſcopo tertio Kal. Januarii, Henricus Imp. elegiſſet nobilem quemdam Gebehardum, ſanior autem pars Cleri atque populi Ruggerum ejuſdem Eccleſiæ Canonicum promovendum propoſuiſſet, quorum votis aſpirarent Saxoniæ Principes cum Archiepiſcopo Moguntino. Cùm illa in medio verterentur diſſidia, ex quibus non ſolùm ſperata concordia longiùs abjici timeretur, ſed effugata diſcordia revocanda; & intermiſſum bellum ardentiùs repetendum fore, videri poſſet: ecce legatio è Romano Concilio miſſa advenit, de qua iſta Urſpergenſis Abbas: Ipſo etenim tempore Epiſcopus Spirenſis, & Abbas Fuldenſis legatione totius regni apud Apoſtolicam Sedem peracta redierant, ducentes ſecum Oſtienſem Epiſcopum, vicem domini Apoſtolici per omnia tenentem, cum duobus Cardinalibus, qui nihilominùs à Sede S. Petri ob reconciliationem regni & ſacerdotii miſſi fuerunt. Hac de cauſa iterùm colloquium curiale per provincias indictum eſt, cui locus Vvirceburg, tempus feſtum ſancti Petri definitum eſt. In quo quidem conventu, cùm Archiepiſcopus Moguntinus, & cum eo Apoſtolicæ Sedis Legati conſecraſſent contra electionem Imperatoris ejus loci diaconum Ruggerum in Epiſcopum, cujus potiora jura eſſe ferrentur: omnis ſpes rerum componendarum videri poterat penitùs eſſe proſcripta, & majorum paratus fomes incendiorum, cùm jam ita ſoluto conventu illo, quiſque eſſet dimiſſus ad propria, Legati autem Apoſtolicæ

Sedis

Digitized by Google

Sedis Moguntiam petiiſſent. Quomodò autem ita deſperatis rebus, rursùm ſit inſtauratum per Legatos de univerſali pace negotium, idem qui ſuprà auctor ſic narrat:

V. At benignus & amator hominum JESUS per induſtriam ſervorum ſuorum Sedis Apoſtolicæ Legatorum, qui tunc Moguntiæ morabantur, immò per inhabitantem in eis Spiritum ſuum, ſpiritum Principum paci *contraivit auferre, charitatem quoque nihilominùs in eorum cordibus diffundere cœpit. Quia nimirùm, ut verè creditur, poſt tot Chriſti tunicæ ſciſſuras, poſt tot Chriſtianorum inteſtina bella, tempus miſerendi Sion, ideſt Eccleſiæ, licèt ſerò jam venit. Facto igitur univerſali conventu apud Urbem Vvangionum, quæ nunc Vvormatia dicitur, ſicut longum, ita & incredibile memoratu eſt, quàm prudenti, quàm inſtanti, quàmque per omnia ſollicito cunctorum procerum conſilio, pro pace & concordia, per unam vel ampliùs hebdomadam certatum ſit: donec ipſe, in cujus manu cor Regis eſt, omnem animoſitatem Auguſti ſub Apoſtolicæ reverentiæ obedientiam cauſa matris Eccleſiæ, etiam ultra ſpem plurimorum inflexit. Mox tamen ab Apoſtolicæ Sedis Apocriſariis in C communionem receptus tàm ipſe Imperator, quàm univerſus ſibi ſubjectus exercitus. Immò generali abſolutione cunctis hoc ſchiſmate pollutis per auctoritatem Apoſtolicam facta, qualiter Eccleſiaſticas inveſtituras, cœteraque ſpiritalia negotia, quæ tanto tempore Reges Teutonici adminiſtraverant, quæque ipſe, ne regni dimiueretur honor, numquam vita comite, ſe dimiſſurum propoſuerat humiliatus pro Chriſto, coram multitudine maxima abnegaverit, & in manus domini Epiſcopi Oſtienſis, ac per ipſum Domino noſtro JESU Chriſto, ſuæque in perpetuum jus Eccleſiæ dimiſerit; rurſumque qualia ſibi ob honorem regni obſervandum auctoritas Apoſtolica conceſſerit, utriuſque partis meliùs edocebunt ſubter annotata ſcripta.] Quæ habentur in margine, ſunt ex autographo in codice Vaticano: (a)

*contrariū curavit

Pax inter Imp & Papam ſtabilita in Cōcil Vvormatienſi.

VI. Ego Henricus Dei gratia Romanorum Imp. Auguſtus, pro amore Dei & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & domini Papæ Calliſti, & remedio animæ meæ, dimitto Deo, & ſanctis (b) ejus Apoſtoli Petro & Paulo, & (c) ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ omnem inveſtituram per anulum, & baculum, & concedo in omnibus Eccleſiis (d) fieri electionem, & liberam conſecrationem. Poſſeſſiones & regalia beati Petri, quæ à principio hujus diſcordiæ, uſque ad hodiernam diem, ſive tempore patris mei, ſive etiam meo ablata ſunt, quæ habeo, eidem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ reſtituo, quæ autem non habeo, ut reſtituantur fideliter (e) juvabo. Poſſeſſiones etiam omnium aliarum Eccleſiarum, & Principum, & aliorum tàm clericorum quàm laicorum (f) conſilio Principum, & juſtitia, quæ habeo, (g) ut reddantur fideliter (h) ju-

A vabo. Et do veram pacem (i) Calliſto, ſanctæ (k) Romanæ Eccleſiæ, & omnibus qui in parte ipſius ſunt vel fuerunt. Et in quibus ſancta Romana Eccleſia auxilium poſtulaverit, fideliter juvabo] Hucuſque apud Urſpergenſem promiſſio Imperatoris. In codice Vaticano ex autographo adduntur iſta: Et in quibus mihi querimoniam fecerit: debitam ſibi juſtitiam faciam.] Inſuper & quæ ſequuntur:

a In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis.
b Dei.
c Sanctæq.
d Quæ in regno vel Imperio meo ſunt.
e Adjuvabo.
f Quæ in guerra iſta ſunt commiſſa.
g Reddam, quæ non habeo.
h Adjuvabo.
i Domin. Papæ.
k Sanctæq.

Hæc omnia acta ſunt conſilio & aſſenſu Principum, quorum nomina ſubſcripta ſunt.

Adalbertus Moguntinus Archiepiſco-
B pus.
Fridericus Colonienſis Archiepiſcopus.
Otto Bambergenſis Epiſcopus.
B. Spirenſis Epiſcopus.
A. Auguſtenſis Epiſcopus.
G. Trajectenſis Epiſcopus.
V. Conſtantienſis Epiſcopus.
E. Abbas Fuldenſis.
Northmannus Dux.
Fridericus Dux.
Bonifacius Marchio.
Theobaldus Marchio.
Cynulphus Comes Palatinus.
Otbertus Comes Palatinus.
C Berengarius Comes.
Godefredus Comes.

Ego Fridericus Colonienſis Epiſcopus & Cancellarius recognovi.

Hoc autem privilegium aureo ſigillo ipſius Imperatoris munitum in archivis Romanæ Eccleſiæ tenetur reconditum. Hucuſque Vaticanus codex. Subiicitur verò promiſſioni Henrici ab Urſpergenſi ejuſmodi Calliſti facta Imperatori conceſſio:

VII. Ego Calliſtus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio ſuo Henrico Dei gratia Romanorum Imperatori Auguſto concedo electiones Epiſcoporum, & Abbatum Teutonici D regni, quæ ad regnum pertinent, in præſentia tua fieri abſque ſimonia, & aliqua violentia: ut ſi qua inter partes diſcordia emerſerit: Metropolitani, & Provincialium conſilio vel judicio, ſaniori parti aſſenſum & auxilium præbeas. Electus autem regalia per ſceptrum à te recipiat, exceptis omnibus, quæ ad Romanam Eccleſiam pertinere noſcuntur; & quæ ex his jure tibi debet, faciat. Ex aliis verò partibus Imperii conſecratus, infra ſex menſes regalia per ſceptrum à te recipiat. De quibus verò mihi querimoniam feceris, ſecundùm officii mei debitum, auxilium meū E præſtabo. Do tibi veram pacem, & omnibus qui in parte tua ſunt, vel fuerunt tempore hujus diſcordiæ. Data anno milleſimo centeſimo vigeſimoſecundo, nono Kalen. Octobris.] Hactenùs Calliſti Papæ conceſſio. Extant eadem ipſa monimenta apud Vvillelmum Malmesburienſem. Pergit verò Urſpergenſis:

Calliſti Papæ conceſſio facta Imperatori.

Hujuſmodi ſcripta atque reſcripta propter infinitæ multitudinis conventum, loco campeſtri juxta Rhenum lecta ſunt, data & accepta, poſtque multimodas laudes rerum Gubernatori redditas, celebratis à domi-

Digitized by Google

domino Oſtienſi divinis ſacramentis, inter quæ dominum Imperatorem cū pacis oſculo ſanctoque communione pleniſſimè reconciliavit, diſceſſum eſt ab omnibus cum lætitia infinita.

VIII. Alterum quoque non multò pòſt, ideſt in feſto S. Martini, colloquium Imperator cum Principibus, qui priori non aderant, Babenberg habuit: ubi & cunctis in ſua vota concordantibus, inter multa, quæ tàm ad regni, quàm ſacerdotii congruebant honorem, more majorum compoſita, Legatos proprios cum Romanis deſtinavit, & utroſque nuntia ſimul & munera ferentes honorifica, domino Apoſtolico Calliſto conſanguineo ſcilicèt jam ſibimet uniti ſſimo direxit.] Hucuſque Urſpergenſis. Atque hìc tandem diriſſimorum certaminum finis, quæ per annos plurimos vi barbarica tyrannis Imperatoria contra ſanctam Eccleſiam excitavit, ſive armis pugnando; ſive (quod acerbius viſum eſt) ipſos filios Chriſtifideles, potiſſimùm verò Romanos cives ab ipſa diro ſchiſmate ſeparatos, in ipſam impiè concitando; ſive funeſtiſſimos Antipapas, horrenda monſtra in ſacroſanctam Apoſtolicam Sedem Angelis reverendam, cunctiſque mortalibus venerandam tanto totius orbis ſcandalo intrudendo. Ut planè omnibus perſpicuè clarèque conſtiterit, non fuiſſe humanæ potentiæ, tot tantoſque ſimul in Petri naviculam concitatos fluctus ad perdendam eam potuiſſe vitari, illiſque non mergi deorſum, ſed ſublimiùs majori gloria tolli atque firmari; neque humanarum virium, tot item tantoſque ſimul in eamdem eodem impetu flantes ventos è portis inferi per angelos malos immiſſos ſimul compeſcere; ſed illius fuiſſe potentiæ, cui mare atque venti ſimul obediunt, illius virtutis, qui fluctus ad perdendum ne fluant, obdurat in petram, & Petro dixit: (a) Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.] Ut meritò tanta victoria triumphans Eccleſia concinuerit canticum Annæ: (b) Exultavit cor meum in Domino, & exaltatum eſt cornu meum in Deo meo. Dilatatum eſt os meum ſuper inimicos meos, quia lætata ſum in ſalutari tuo. Non eſt ſanctus ut eſt Dominus: neque enim eſt alius extra te, & non eſt fortis ſicut Deus noſter.] Recinuerintque filio omnes propheticum carmen: (c) Exulta, & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Iſraël.

a Matt. 16.

b 1. Reg. 2.

c Iſai. 12.

IX. Pontius Abb. Cluniac. ſe abdicat.

Sed jam ad reliquas res geſtas in Romano Concilio redeamus, quæ fermè omnes tantæ molis operis reſpectu viſæ ſunt negligi, nec ſcriptis conſervatæ, ſicque ſepultæ ſilentio remanſiſſe. Nam Suggerius Abbas ſancti Dionyſii Pariſiorum, qui eidem Concilio (ut ipſe teſtatur) interfuit, plura tunc negotia tradit ſe ad Sedem Apoſtolicam detuliſſe, de quibus nuſquam mentio aliqua. Tunc & Pontius Abbas Cluniacenſis, hoſpes Romanorum Pontificum Gelaſii atque Calliſti, ſuorum monachorum clamoribus fatigatus, non tàm ad defendendam cauſam Romam ſe contulit, quàm ut ſe abdicaret onere Præfecturæ: quod fecit licèt contradicente Calliſto. At quoniam diu multùmque ejus cauſa Apoſtolicam Sedem tempore ſucceſſoris ejuſdem Pontificis tenuit occupatam, de eoque ſub Honorio Papa agendum pluribus: hìc ejus tantùm exordia ſunt referenda: Fuit hactenùs ejuſdem Pontii Abbatis ſucceſſoris S. Hugonis fama laudabilis, ad quem duæ extant Ivonis (d) Epiſcopi Carnotenſis epiſtolæ, deque ipſo mentio habetur in rebus geſtis (e) Godefredi Epiſcopi Ambianenſis, & apud Petrum diaconum (f) in Chronico Caſſinate, in hiſque omnibus abſque reprehenſione. Sed mutatus in virum alterum, ingens planè ſcandalum univerſæ invexit Eccleſiæ.

d Ivo ep. 233. 236.

e Apud Sur. tom. 6. die 8. Novemb. in Godefr. lib. 3. c. 7.

f Petr diacon. Chron. Caſſ. lib. 4. c. 77.

X. Accipe itaque rei geſtæ ſeriem ex Petro (g) Cluniacenſe Abbate, & ejus primordia & res geſtas ſub Calliſto ita ſcribente: Hic valdè juvenis à Fratribus Cluniacenſibus, ſpe bonæ indolis ejus inductis, in Abbatem electus, magno illi & famoſo viro jam dicto patri Hugoni ſucceſſit. Qui primis aſſumptionis ſuæ annis ſatis modeſtè & ſobriè converſatus, procedente tempore mores mutavit, & multis ac diverſis caſibus & cauſis Fratrum penè univerſorum animos exaſperando, eos paulatim contra ſe concitavit. Diſſentientes illi ab eo, & quòd multa mobilitate, & levitate animi, nullis bonorum conſiliis acquieſcendo (ut dicebant) res monaſterii perſumdaret, inter ſe nunc pauci, nunc plurimi, tandem penè univerſi murmurabant. Manſit autem res aliquamdiu tecta inter eos, nec ad aures ſæcularium per decennium ferè pervenit. Pervenit tandē eò uſque lis occulta diu, ut non ſolùm ad circumpoſitos, ſed inſuper ad remotiſſimos quoſque hujus diſſenſionis malum pertingeret, & ipſas ſummi Pontificis, & Romanæ Curiæ aures impleret.

g Petr. Clun. mirac. lib. 2. c. 12.

XI. Pontius Abb. invito Calliſto ſe abdicat.

His rumoribus dominus Pontius provocatus, indignationis impetum, quem in alios fortaſſis derivare debuerat, in ſe ipſum retorſit, & Romam velut præcipiti auſu adiens, ut curæ paſtoralis ſollicitudine ſolveretur, dominum Papam inſtanter oravit. Præerat tunc Romanæ Eccleſiæ regii ſanguinis nobilitate inſignis, ſed moribus, probitate, ac liberalis animi magnificentia longè inſignior, qui prius Viennenſi Eccleſiæ præfuerat, Calliſtus Papa Secundus. Is in primis Abbatis Pontii voluntati & petitioni omni exhortationis niſu reſiſtens; poſtquàm eum non poſſe flecti à propoſito vidit: ab omni cura Cluniacenſis Eccleſiæ, ut poſtulabat, abſolvit. Abſolutus inde ejuſdem Papæ permiſſione Apuliam petiit, indeque mare tranſmiſſo, Hieroſolymam, ſemper, ut propoſuerat, ibidem manſurus pervenit. Papa Fratribus Cluniacenſibus quod factum eſt, mandans, ut ſibi Patrem eligerent, auctoritate Apoſtolica præcepit &c.] Quomodò autem Hieroſolymis rediens invaſit

prædo-

prædonum manu Cluniacenſe cœnobium, aliaque neſanda patravit, quorum cauſa excommunicati meruit, ſuo loco dicetur.

Hoc eodem anno XIV. Kalend. Januarii, migravit ex hac vita S. Bernardus Epiſcopus Aprutinus, & ſeptimo ſui Epiſco- A patus anno, hujus temporis lucerna ſuper candelabrum poſita, ardens & lucena in Eccleſia Dei. Hic enim ex monacho Benedictino ad Epiſcopatum invitus aſſumptus, egregia claruit ſanctitate, illuſtratusque eſt miraculis, ut ejus res geſtæ tunc ſcriptæ declarant.

JESU CHRISTI ANNUS 1123.	CALLISTI PAP. II. ANNUS 5.	HENRICI IV. IMP. 13. JOANNIS COMN. IMP. 5.

I.

Papa pro Caſſino Monaſterio laborat.

ANNO Redemptoris milleſimo centeſimo vigeſimotertio, Indictione B prima, Calliſtus Papa ſe iterùm contulit Beneventum, anteà autem Caſſinum petiit, rursùmque ejuſdem monaſterii monachos è manibus vindicavit potentium, excommunicans Godeſredum uſque ad ſatisſactionem. Narrat iſta pluribus Petrus (a) diaconus in Chronico Caſſinate. Vidi ejuſdem Pontificis quatuor epiſtolas datas pro monachis Caſſinatibus in cauſa Cingleuſis Abbatiæ, eidem monaſterio reſtituendæ.

a Petr. diacon. lib. 4. c. 82. 84.

Côpoſtellana Eccleſia Metropolis facta.

Reverſus Romam (habet vetus codex de Romanis Pontificibus ab auctore temporis hujus ſcriptus) idem Pontifex Compoſtellanum Epiſcopum pro reverentia corporis B. Apoſtoli, quod ibi repoſitum eſſe dignoſcitur, de novo Metropolitanum conſtituit, ſubiiciens ei totam illam provinciam tunc ob Sarracenorum hoſtilitatem penitùs deſolatam. Lucanum quoque Epiſcopum, quoniam ipſa Eccleſia gratiam Sedis Apoſtolicæ promeruerat, ampliori dignitate pallii decoravit.] Hæc ibi. Fuit enim, ut dictum eſt, idem Calliſtus Pontifex ſtudioſus ac ſedulus cultor Jacobi Apoſtoli, in Eccleſia Compoſtellana ſepulti, atque totius Occidentalis Orbis peregrinatione celebris. Sed & confirmavit reſtitutionem Eccleſiæ Bracharenſis, factam per Paſchalem Romanum Pontificem, auxitque eamdem Eccleſiam ejuſmodi privilegio (b), litteris Apoſtolicis datis ad Pelagium ejuſdem Eccleſiæ Archiepiſcopum his verbis: (c)

b Apud Joan. Marian. hiſt. Hiſpan.

II.

Bracharenſem metropolim inſignem quondam fuiſſe, atque inter Hiſpaniarum regna multis & dignitatis, & gloriæ titulis claruiſſe, tàm antiquæ nobilitatis indicia, quàm & veterum ſcripturarum teſtimonia manifeſtant. Verùm quia conſiſtentis in ea populi peccata corrigere divinæ diſpoſitioni complacuit, irruentibus Mauris ſeu Moabitis, & metropolis dignitas imminuta, & parochiarum termini ſunt confuſi. Sanè poſt longa temporum interſtitia divina rursùs miſeratio metropolim reſtituere, atque parochias ex parte maxima dignata eſt ab Infidelium tyrannide liberare. Unde dominus prædeceſſor noſter ſanctæ memoriæ Paſchalis Papa priſtinam ei dignitatem redintegrans, ſua quæque membra ei per Apoſtolicæ Sedis privilegium counivit. Ejus itaque nos veſtigia ſubſequentes, chariſſime frater & Coepiſcope Pelagi, Bracharenſi Eccleſiæ, cui Deo auctore præſides, integram ipſam urbem Bracharam cum cauto illo integro, quod Comes Henricus & uxor ejus Theraſia eidem Eccleſiæ contulerunt, & cum terminis Bracharenſis Epiſcopatus, ſicut in deſcriptione prædicti domini continentur, præſentis privilegii pagina confirmamus: & eidem Bracharenſi metropoli Galliciam provinciam, & in ea Epiſcopalium cathedrarum urbes redintegramus. Item Aſturica, Lucum, Tudam, Mindunium, Auriam, Portugale, Colambriam, & Epiſcopalis nominis nunc oppida, Viſeum, Lamecum, Egitaniam, Britoniam cum parochiis ſuis. C Hæc Calliſtus.] His viſis, jam deſcribamus; quæ extant vetera monimenta pontificalium functionum, quas idem Papa Calliſtus hoc anno in Eccleſiæ & altarium dedicatione Romæ exercuit, atque primùm hujuſmodi de Eccleſiæ S. Agnetis in Agone dedicatione:

III.

Anno Domini MCXXIII. Indictione prima, menſe Ianuario, die vigeſimaoctava, hæc Eccleſia S. Agnetis dedicata eſt à domino Calliſto Papa, cum remiſſione annuatim dicta die unius anni & quadraginta dierum. Hæ ſunt reliquiæ in altari poſitæ, D ſcilicèt indumentum, quod Angelus detulit beatæ Agneti. De capillis & velo beatæ Mariæ Virginis. De ſancti Pauli Apoſtoli panno oculis ejus appoſito in decollatione ejus. Brachium ſancti Calliſti Papæ & martyris, S. Agnetis, S. Anaſtaſii, S. Euſtachii. De baltheo S. Gregorii Papæ, S. Tryphonis, S. Sebaſtiani, ſancti Hermetis, ſancti Alexandri Papæ & martyris, & ſancti Cornelii Papæ.] Hæc in tabula marmorea ad fores ejuſdem Eccleſiæ.

In diaconia autem S. Mariæ in Coſmedin, hæc itidem in marmore inciſa le- E guntur:

Anno MCXXIV. Indictione prima, dedicatum fuit hoc altare per manus Calliſti Papæ Secundi, ſui Pontificatus anno quinto, menſe Majo, die ſexta, Alphano Camerario ejus dona plurima largiente.] Et de Sanctorum reliquiis ibidem reconditis, in alia inſcriptione in eadem Eccleſia poſita iſta leguntur:

Anno quinto Pontificatus domini Calliſti Secundi Papæ, menſe Majo, die ſexta, dedicatum eſt hoc altare per manus

ipſius

ipſius, ubi reconditæ ſunt hæ reliquiæ. De ſepulchro Domini. De veſte & ſepulchro S. Mariæ. De lapidibus ſancti Stephani. De craticula & ſanguine ſancti Laurentii. De reliquiis ſancti Sebaſtiani. Unum de capitibus ſanctorum quatuor Coronatorum. Brachium ſancti Hippolyti martyris. Brachium ſancti Boniſacii Papæ Quarti, Cornelii Papæ, Felicis Papæ, Agapiti martyris, Anaſtaſii martyris, Secundini martyris, Pigmenii presbyteri & martyris, Felicis & Adaucti, Proceſſi & Martiniani, Coſmæ & Damiani, Marci & Marcelliani, Cæſarii & Juliani, Marcellini & Petri, Abacyri, Joannis, Abundii, Irenæi, Chryſanthi & Dariæ, Marii & Marthæ, ſanctorum Septem fratrum, Quadraginta martyrum, Cypriani & ſociorum ejus, Cæciliæ virginis & martyris, Priſcæ martyris, Sabinæ martyris, Armeniæ martyris, S. Serenæ. De reliquiis cœmeterii ſanctæ Mariæ ad Martyres, & reliquiæ de veteri altari, & aliorum plurimorum Sanctorum, quorum nomina Deus ſcit. Anno milleſimo centeſimo vigeſimo tertio, Indictione prima.] Hæc ibi. Quibus vides ſanctum Pontificem divino cultui addictiſſimum, ejuſmodi ſacras functiones per ſeipſum potiùs quàm per Epiſcopos ſuffraganeos obire voluiſſe.

V. Quod ad res pertinet Orientis, cùm jam capto in itinere à Turcis Balduino Rege Hieroſolymorum, luctuoſus admodùm eſſet ſtatus Chriſtianorum; Dei miſericordia factum eſt, ut inexpectato claſſis Venetorum adventu res in meliorem ſtatum ſtatim collocarentur: cùm videlicèt Veneti ſuo adventu (a) Ægyptiorum claſſem, infeſtantem litora Palæſtinæ, apud Joppen in obſidione ejus civitatis repertam, quamvis navibus ſuperiorem magnis animis aggreſſi, glorioſè vicerunt: ex qua victoria ingentem ſibi immortalemque laudem pepererunt. Qui magno amore ab indigenis, ut liberatores Terræ ſanctæ accepti, Hieroſolymis dignè ſunt habiti, plurimiſque privilegiis aucti; quorum diploma adhùc integrum extat, datum hoc anno, ſubſcriptione munitum. Recitatur ipſum à Vuillelmo (b) Tyrio, licèt mendoſum nonnihil, quod tu pro arbitrio conſulere poteris. Porrò eorumdem Venetorum auxilio capta eſt anno ſequenti tertio Kal. Julii Tyrus inexpugnabilis civitas.

a Vvill. Tyr. l. 12. c. 21. 22. 23.

b Ibid. c. 25. Tyrus capitur.

VI. Joannes Imper. ope Dei Genit. trieis victorias plures conſecutus.

Quo pariter anno cùm Joannes Comnenus Imperator ageret annum quintum in Imperio (ut de eo ſcribit Nicetas Choniata) ope Dei Genitricis Mariæ de barbaris Scythis trans Iſtrum habitantibus, & ingenti agmine Thraciam invadentibus victoriam obtinuit: de quo poſt alia, quæ

A in prœlio dura, & ardua Romanorum exercitui contigerunt, iſta Nicetas: Cùm Romanæ phalanges, urgentibus hoſtibus, & audaciùs ſe inſerentibus laborarent: Imaginem Dei Genitricis cum gemitu & miſerabilibus geſtibus Imperator intuens, lacrymas bellicis ſudoribus calidiores fundebat: neque id fruſtrà. Statim cœleſti robore armatus, Scythicam aciem profligat, quemadmodùm olim Moyſes extenſione manuum Amalechitarum turmas diſſipavit. Aſſumptis igitur armigeris, qui clypeis oblongis, & prominentibus galeis inſtar muri inexpugnabilis muniunt, cum

B Scythis congreditur. Qui cùm diſſoluta illa curruum ſerie ad manus venirent, in turpem verſi fugam, à Romanis alacriter perſequentibus magno numero cæduntur Hamaxobii illi, caſtriſque direptis, innumerabiles capiuntur. Sed & transfugæ deſiderio captivorum popularium confluebant, adeò ut in Occidentali quadam provincia Romana pagi ab eis conderentur, quorum adhùc reliquiæ ſuperſunt, nec pauci in ſociorum cohortes referrentur, & major turba ab exercitu capta videretur. Hac de Scythis parta victoria, & illuſtri edito facinore, Joannes vota Deo perſolvit,

C quod feſtum Patzinacarum noſtro tempore dicitur, in rei geſtæ monimentum, & grati animi teſtimonium. Non multò pòſt contra Triballos, &c.] Subiicit etiam de aliis per eumdem Imperatorem victoriis obtentis ope pariter ſanctiſſimæ Dei Genitricis Mariæ, cui ut unicæ victrici religioſum paravit triumphum, qui ab eodem Niceta ita deſcribitur.

VII. Triumphus Dei Genitricis vincentis.

Byzantium reverſus triumphum indicit, & currum argento interpunctum compingi jubet, opus admirabile, & gemmis pretioſiſſimis ornatum. Cùm dies ſupplicationis adeſſet, omnis generis tapetes au-

D ro & purpura intexti vicos exornabant, nec deerant Chriſti & Sanctorum effigies in iis ad vivum expreſsæ, erant & tabulata utrimque propter ſpectatores ſtructa, digna admiratione. Fuit autem locus urbis ſic inſtructus, qui ab Orientali porta uſque ad magnum palatium pertinet. Quadrigæ à quatuor equis nive candidioribus trahebantur. Imperator verò non conſcendit, ſed Dei Genitricis imaginem in eo collocavit, ob quam lætitia exultabat, & animo penè deliquebatur: cui victorias ut collegæ Imperii invictæ acceptas ferebat. Habenas viris potentiſſimis moderan-

E das, & cognatis ſuis currum curandum dedit. Ipſe crucem manu geſtans, pedes anteceſſit: & Dei Sapientiæ templum ingreſſus, atque in conſpectu omnis populi ob ſucceſſus gratiis Deo actis, in palatium abiit.] Hucuſque Nicetas.

JESU

I. De Apoſtolatu S. Ottonis ad Pomeranos.

SEquenti anno, qui eſt Redemptoris milleſimus centeſimus vigeſimusquartus, Indictione ſecunda, Otto Epiſcopus Bambergenſis, de quo ſæpè ſuperiùs dictum, à Calliſto Papa accepit Apoſtolatum ad Pomeranos. Quæ hujus ſubditus Abbas Urſpergenſis, qui iſta tunc ſcribebat, fusè proſequitur. Convertit enim populos illos, meruitque dici Apoſtolus Pomeranorum. Antequàm autem ad eos proficiſceretur, amplas donationes ſuæ Eccleſiæ contulit, quindecim monaſteria, quæ erexit non ſine aulicorum invidia, qui ad Imperatoris ſubſidium potiùs, quàm in monachorum alendorum ſupervacaneam impenſam, divitias erogandas eſſe jactarent. Quæ omnia Calliſti Papæ privilegiis muniendа curavit, atque primùm pro eorum immunitate ab eodem Pontifice hoc accepit privilegium:

Calliſtus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Ottoni Babergenſi Epiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Calliſti Papæ privilegium conceſſum Monaſteriis S. Ottonis.

Bonis fratrum noſtrorum ſtudiis non ſolùm favere, ſed ad ea ipſorum etiam debemus animos incitare. Tuis ergò chariſſime & venerabilis frater Otto Babergenſis Epiſcope ſupplicationibus inclinati, monaſteria, quæ ipſe propriis ſumptibus extruxiſti, & Babergenſi Eccleſiæ confetens, Apoſtolicæ Sedis coborari munimine quæſiviſti; in B. Petri ejuſque Romanæ Eccleſiæ protectione ſuſcipimus contra pravorum hominum nequitiam defenſanda. Statuimus ergò, ut poſſeſſiones, prædia, & bona omnia, quæ & fraternitas tua eidem monaſteriis divini amoris intuitu contulit, quæque aliorum Fidelium juſta oblatione conceſſa ſunt, aut in futurum juſtè, legaliterve acquiri vel offerri contigerit: firma eis & illibata Domino auctore permaneant. Ordinationes ſanè Abbatum vel monachorum ſuorum à Catholicis Epiſcopis diœceſanis accipiant. Rerum verò ipſorum monaſteriorum curam & adminiſtrationem in tuo, tuorumq; ſucceſſorum arbitrio & poteſtate remanere cenſemus. Nulli itaque hominum facultas ſit eadem monaſteria perturbare, aut eorum poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis fatigationibus vexare; ſed omnia integra conſerventur eorum, per quorum ſuſtentationem, & gubernationem conceſſa ſunt uſibus commodis profutura. Si qua igitur Eccleſiaſtica, ſæculariſve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temerè venire tentaverit, ſecundò, tertiòve commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit: poteſtatis, honoriſque ſui dignitate careat, itemque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei & Domini Redemptoris JESU Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eiſdem monaſteriis juſta ſervantibus, ſit pax Domini noſtri JESU Chriſti, quatenùs & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Scripta per manum Gervaſii Scriniarii Regionarii & Notarii ſacri Palatii.] Deſiderantur annus & dies; ſed ſequenti pro rebus donatis Eccleſiæ Babenbergenſi annus uſique præſens apponitur, quod ſic ſe habet:

II.

Calliſtus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Ottoni Babergenſi Epiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Calliſti Privilegiũ conceſſum Eccl. Bamberg.

Sanctorum Patrum præceptis & canonicis ſanctionibus demonſtratur, quòd prędia & poſſeſſiones Eccleſiarum, quæ vota Fidelium, pretia peccatorum, & pauperum patrimonia nuncupantur, vendi vel alienari non debeant. Quæ enim divinæ majeſtatis obſequio, & cœleſtium ſecretorum uſui ſunt dicata, non decet in alienum jus redigi, vel in alterius ſervitii formam tranſmutari. Nempè (ut B. Symmachi Papæ verbis loquamur) poſſeſſiones, quas unuſquiſque Eccleſiæ propriæ dedit, aut reliquit arbitrio, alienari quibuslibet titulis aut diſtractionibus, vel ſub quocumque argumento non patîmur. Ea propter nos tuis juſtis poſtulationibus annuẽtes, Manſos, qui Epiſcopalis menſæ tuæ ſervitio dediti ſunt, in eodem ſtatu, in quo benè à te diſpoſiti cognoſcuntur, futuris temporibus permanere, præſentis ſcripti noſtri confirmatione ſancimus: ſtatuentes, ut nulli ſucceſſorum tuorum, vel alicui hominum liceat eos vendere, ſive in laicorum beneficium tradere, vel in uſus alios commutare. Sed ſicut à te diſpoſitum eſt, de unoquoque prædictorum Manſorum denarius unus annis ſingulis Babergenſi *Eccleſiæ* pro anima Imperatoris Henrici fundatoris ejus, ad concinnanda luminaria confeatur. Abbatias verò, & regulares Canonicas per induſtriam ſuam in religionis ordine ſtabilitas, & alia à te rectè conſtituta, nulli hominum facultas ſit in poſterum immutare. Si quis autem contra hanc confirmationem venire temerario auſu præſumpſerit: excommunicationis vinculo ſubjacebit. Data Laterani, Idibus Aprilis, Indictione ſecunda.

III.

His ita diſpoſitis & ſtabilitis, ad Apoſtolatus ſuſcepti munus divini Spiritus roboratus gratia ſe accinxit, cùm jam antè à Polonorum Duce Bolizlao his litteris fuiſſet invitatus.

Domi-

Digitized by Google

Domino ſuo & Patri amantiſſimo Ottoni venerabili Epiſcopo Bolizlaus Dux Polonorum filialis obſequii humilem devotionem.

Epiſt. Ducis Poloniæ ad Ottonem.

Quæ in diebus juventutis tuæ apud patrem meum deceotiſſima te honeſtate converſatum memini, & nunc quoque Dominus tecum eſt, firmans te, & benedicens tibi in omnibus viis tuis: ſi tuæ non diſplicet digoitati, veteres tecum reoovare amicitias, tuoque conſilio ſimul & auxilio uti, ad Dei gloriam promerendam, ipſius gratia coadjuvante *cupimus*. Noſtri enim, ut arbitror, quomodò Pomeranorum cruda barbarie, non mea quidem, ſed Dei virtute humiliata, ſocietati Eccleſiæ, B per Baptiſmi lavacrum ſe admitti petunt. Sed ecce per triennium laboro, quòd nullum Epiſcoporum, vel ſacerdotum idooeorum mihive affinium ad hoc opus inducere queo. Unde quia tua ſanctitas ad omne opus bonum prompta & indeſeſſa prædicatur; rogamus, pater amantiſſime, non te pigeat, noſtro comitante ſervitio, pro Dei gloria, tuæque beatitudinis incremento id laboris aſſumere. Sed & ego tuæ paternitatis devotus ſamulus impenſas omnes, & ſocios itinerum, & linguæ interpretes, & C coadjutores presbyteros, & quæcumque neceſſaria fuerint, præbebo. Tu tantùm ſanctiſſime Pater, venire dignare.] Hactenùs Ducis ad Ottonem epiſtola de Apoſtolatu ad Pomeranos ſuſcipiendo. Sunt Pomerani populi Slaviæ, ita dicti, quòd juxta mare ſint poſiti.

IV. De legitimo S. Ottonis Apoſtolatu.

Quod autem idem vir Apoſtolicus Otto probè ſciret, non eſſe alterius cujuſpiam, aut ab animi alicujus arbitrio pendere ſibi ſumere ad Gentes Apoſtolatum, quamvis invitatus ſit à ſæcularibus dominis, ſed eſſe primariæ Sedis Apoſtolicæ auctoritatis, Petri ſucceſſoris, & Chriſti Vicarii D dumtaxàt: ne in vacuum curreret, ſciens quòd quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt; primum omnium à Romano Pontifice facultatem hujuſmodi impartiri ſibi per litteras procuravit, quam hoc ipſo anno à Calliſto Papa impetraſſe, Urſpergenſis Abbas rem ipſam oculis intuens, ita teſtatur.

Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo vigeſimoquarto, Indictione ſecunda, Calliſto Papa Secundo Romanæ Sedi præſidente, Otto Dei gratia Babenbergenſis Eccleſiæ Epiſcopus, divino admonitus inſtinctu, prædicti Apoſtolici auctoritate & aſſenſu roboratus, partes Po- E meranorum paganorum cum quibuſdam civitatibus terræ Lutitiæ aggreſſus eſt, ut eos ab errore ſuo revocaret, & ad viam veritatis, & ad agnitionem Filii Dei perduceret, &c.] Quomodò autem feliciter actum, ut prædicans verbum Dei, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis (ne quid minus habere videretur ab antiquis Apoſtolis) Gentem illam ad Chriſtianam Fidem ſuſcipiendam prædicatione Evangelica ſit hortatus, factuſque voti compos, eos omnes reddiderit Chriſtianos; qui res ab eo geſtas ejus

A temporis ſcriptor tribus libris exactè conſcripſit pluribus narrat, quem nuper editum auctorem à Caniſio ſecondo tomo antiquæ lectionis quivis pro arbitrio conſulat. Quòd verò (ut dictum eſt) Urſpergenſis hoc anno ſub Calliſto Papa, & auctoritate ejuſdem id factum affirmet, auctor verò vitæ Ottonis totum id tribuat Calliſti ſucceſſori Honorio Papæ; haud puto adeò inter ſe diverſa ſenſiſſe, ut invicem conciliari non poſſint. Cùm facilè potuerit eveniſſe, ut quod à Calliſto Papa conceſſum idem Otto, de quo agimus, accepiſſet: idipſum per ejus ſucceſſorem B voluerit confirmari.

V. Inſtitutio S. Ottonis tradita Pomerania.

At verò, præter Catholicam Fidem, quam eos inviolatam ſervare docuit, quibus ſacris ritibus eoſdem Pomeranos imbuerit, idem Urſpergenſis recenſere ſigillatim minimè prætermiſit, Deo id volente ad Novatorum perfidorum ſugillationem; ait enim: Quibus baptizatis & converſis Eccleſias conſtruxit, & conſecravit, & hæc ſecundùm ſanctorum Patrum inſtituta eos ſervare docuit, ſcilicèt ut ſexta feria abſtineant à carne & lacte, more ceterorum Chriſtianorum. Dominica die C vacent ab omni opere malo, & ad Eccleſiam divinum officium audituri veniant, ibique orationibus ſtudioſè inſiſtant. Solemnitates Sanctorum cum vigiliis, vel ſecundùm quod eis indicatum fuerit, cum omni diligentia obſervent. Sacroſanctam Quadrageſimam jejuniis, vigiliis, eleemoſynis, & orationibus diligentiſſimè obſervare ſtudeant. Infantes ſuos in ſabbatho ſancto Paſchæ & Pentecoſtes cum candelis & cappa, quæ dicitur veſtis candida, & patrinis comitantibus ad baptiſmum deſerant, eoſque veſte innocentiæ indutos per ſingulos dies uſque in octavum diem ejuſ- D dem ſabbathi ad Eccleſiam deſerant, & celebrationi divini Officii intereſſe ſatagant. Hoc etiam injunxit, ne filios ſuos necarent, quod nefas maximè inter eos vigebat. Ne etiam filios ſuos, & filias ad baptiſmum teneant, ſed ſibi patrinos quærant: patrinis etiam fidem & amicitiam, ut carnalibus parentibus ſervent. Indixit etiam, ne quis commatrem ſuam ducat in uxorem, neque propriam cognatam ſuam uſque in ſextam & ſeptimam generationem, & unuſquiſque contentus ſit una uxore. Ne ſepeliant mortuos Chriſtianos inter Paganos in ſilvis, aut in campis, ſed in cœ- E meteriis, ſicut mos eſt omnium Chriſtianorum. Ne fuſtes ad ſepulchra eorum ponant, omnem ritum, & pravitatem paganam abiiciant, domos idolorum conſtruant pythoniſſas non adeant, ſortilegi non ſint, ne quid immundum comedant, non morticinum, non ſuffocatum, neque idolothytum, neque ſanguinem animalium: ne communicent paganis.] Sed ex ritu Græcorum potiùs quàm Latinorum. Pergit: Ne cibum aut potum cum eis, aut in vaſculis eorum ſumant, ne in his omnibus conſuetudinem paganam repetant. Injunxit etiam eis, ut dum ſani ſunt,

veniant

veniant, ad ſacerdotes Eccleſiæ, ut confiteantur peccata ſua: in infinitate autem ſua vocent presbyteros ad ſe ut confiteantur peccata ſua, & Corpus Domini accipiant. Injunxit etiam, ut de perjuriis, de adulteriis, de homicidiis, & de cæteris criminalibus ſecundùm canonum inſtituta pœnitentiam agant, & in omni Chriſtiana religione & obſervatione obedientes ſint. Mulieres poſt partum ad Eccleſiam veniant, & benedictionem à ſacerdote (ſicut mos eſt) accipiant.] Hucuſque Urſpergenſis. At in (a) vita ipſius iſta pluribus, præſertim de catecheſi circa ſeptem Eccleſię ſacramenta, quam diſceſſurus illis pro concione tradidit. Quæ cuncta non ut ab homine, ſed à Deo ipſo accepta fideliſſimè cuſtodierunt, utpotè ea cuncta Domino confirmante (ut dictum eſt) ſequentibus ſignis.

a Vit. Otton. lib. 2. c. 8.

VI. Calliſti Papæ obitus.

Ad finem autem vergente anno, febre correptus Calliſtus Papa, ut Pandulphus habet, moritur, ſepeliturque in baſilica Lateranenſi juxta Paſchalem Papam in feſtivitate ſanctæ Luciæ virginis.] Aubi verò hæc ita: Moritur decimoquarto Kalendas Januarii, cùm ſediſſet annos quinque, menſes decem, & dies . . . ſepeliturque in baſilica Lateranenſi.] Et in alio codice Vaticano iſta: Hic fecit ordinationem per menſem Decembrem, diaconos, presbyteros, & Epiſcopos plurimos creavit, quos per diverſa loca diſtribuit.] Pandulphus autem Piſanus nominat aliquot ab ipſo ordinatos, aitque: Primùm dominum Petrum Leonis Cardinalem presbyterum ordinavit ſanctæ Mariæ trans-Tiberim, ubi oleum fluxit: dominum Creſcentium presbyterum Card. SS Petri & Marcellini: Robertum presbyterum Cardinalem ſancti Clementis, cum aliis presbyteris Cardinalibus: ſed & creavit diaconos Cardinales, Jonatham ſanctorum Coſmæ & Damiani, Matthæum ſancti Hadriani, Americum ſanctæ Mariæ novæ, Angelum ſanctæ Mariæ in Dominica, ſive Dominica, Gregorium, qui & Tarquinius dicitur, S. Sergii, Joannem Dauferii virum nobilem de Salerno, S. Nicolai in carcere Tulliano. Subdiaconos aliquot, meque Pandulphum uſque ad ſubdiaconatum promovit, & innumeros ferè minoris officii clericos ordinavit.] Hæc de ordinationibus, pergit autem: Nemo hunc vidit beati Petri baſilicam abſque donis intrare, nec Miſſam inibi, niſi aſſignato dono, cantare.] Et paulò pòſt: Ad honorem ſancti Petri adjunxit cortinas multas, & pallia, & candelabra de argento, campanas, & pavimenta, fundos & caſalia beato Petro donavit, & multa per Eccleſias alias beneficia contulit. Aquam ad Urbem reduxit, molendina cum vineis juxtà lacum aptavit, Eccleſiam ſancti Nicolai in palatio fecit, cameram ampliavit, & pingi fecit, ſicut apparet hodiè miro modo.] In alio verò codice ſæpè citato hæc ita dilucidiùs: Hic à fundamento conſtruxit in palatio Lateranenſi capellam ſancti Nicolai ad aſſiduum Romani Pontificis uſum, juxtà quam ædificavit duas cameras contiguas Tito Veſpaſiano, quarum una cubicularis, altera pro ſecretis Concilii. Hic etiam derivavit aquam de antiquis Formis, & ad portam Lateranenſem conduxit, ibique lacum pro adaquandis equis fecit, plurimaque molendina per eamdem aquam conſtruxit, & multas vineas cum fructiferis arboribus ſecùs ipſum lacum plantari ſtudioſiſſimè fecit.] Hæc ibi. Et apud Vegium in antiquis monumentis baſilicæ ſancti Petri de eodem Calliſto iſta leguntur: Beatæ recordationis Calliſtus Papa Secundus, quoniam decorem domus Domini ſicut propheta, plurimùm dilexit: altare beati Petri, quod nimia vetuſtate, & lapidum percuſſionibus quodammodò violatum videbatur, optimis marmoribus veſtivit & decoravit. Et in feſto Annuntiationis beatæ Mariæ cum toto Concilio lapidem altaris ſatis honorificè & devotè conſecravit. In qua videlicèt conſecratione (ut invenimus in libris noſtris ſcriptum) fecit remiſſionem trium annorum, annualiter ad eam devotè venientibus.] Hæc ipſe. Sicque ut poſuit Calliſtus permanſit ſancti Petri altare uſque ad Clementem Octavum, à quo abſque Calliſti altaris demolitione, id exigente nova templi ſtructura, aliud magnificentius ſuperpoſitum eſt, nobiſque videntibus, ſacris ritibus ab eodem Pontifice conſecratum eſt. At beati Calliſti Papæ memoria ſumma cum benedictione in Eccleſia Catholica perſeverat, utpotè ſanctiſſimi Pontificis, cui Deus dederit, brevis licèt temporis Pontificatu, adeò glorioſa peragere, & prædeceſſoribus inconceſſa perficere, Eccleſiamque Imperatorum tyrannide ſervitutis jugo depreſſam vindicare in perpetuam libertatem.

VII. Ad electionem venire timēt Cardinales.

Ubi autem ſepultus eſt Calliſtus Papa, de electione ſucceſſoris agi cœptum, ſed non ſine formidine, cùm Cardinales memores eſſent tyrannidis Frangipanum, quam adversùs Gelaſium ante ſeptennium tanto Apoſtolicæ Sedis opprobrio exercuiſſent, quorum adhùc vigere vires, animoſitatemque magis magiſque incaluiſſe cognoſcerent. Sed etſi perditiſſimus ille malorum auctor animum non mutavit, vim tamen aliam aggreſſus eſt, nimirùm ut non violentia, ſed dolo atque fallaciis ageret; paratus etiam, ſi opus eſſet, agere violentia, ſi ſuo ipſius conatui qui reſiſterent, inveniſſet. At rem geſtam à Pandulpho ſubdiacono qui interfuit audiamus, & ſi quæ ab eo ſunt prætermiſſa, ex aliis ejuſdem temporis Scriptoribus ſuppleamus. Ait ipſe: Lambertus Oſtienſis Epiſcopus de mediocri plebe Comitatus Bononienſis genitus, benè tamen litteratus, à domino Papa Paſchali receptus eſt, & in Epiſcopum Velitrenſem promotus. Religioſæ autem memoriæ Calliſto Papa defuncto, omnes Patres de Curia Cardinales, & alii, præſertim verò Petrus Leonis, & Leo Frangipanis pariter condixerunt, ut

ut uſque ad diem tertium unà ſimul juxta ſcita ſacrorum canonum pertractarent, interim de electione nulla mentio haberetur. Hoc idcircò potiſſimùm Leo Frangipanis condixerat, ut infra datum ſpacium, quod de Lamberto diutiùs cogitaverat, aliquando quietè perficeret: nam totus populus *Saxonem Anagninum ſancti Stephani in monte Cœlio Cardinalem Papam fieri petebat: quos ut deciperet idem Leo Frangipanis, itidem velle ſimulabat. In ſero autem præſenti idem Leo per nuntios unumquemque ſeorſum de capellanis Cardinalium præmonet, ut manè ſomno diluculò cum pluviali rubeo ſub cappa nigra venirent, & ita non ignorante domino, eumdem ſuum dominum introducerent. Iſtud verò propter hoc ingenium adinvenit, quatenùs ſingulos pro accipiendo de manibus ejus Papatu attentiores redderet, & ſic ſaltem abſque timore venirent. Etenim quod eſt factum Gelaſio, recordantes, convenire timebant. Tandem in craſtinum ita illecti Papam facturi conveniunt ad beati Ioannis baſilicam & in Eccleſiæ Oratorium quod ſancti Pancratii dicitur, intrarunt. Ubi poſt aliquot verba, Jonathas ſanctorum Coſmæ, & Damiani diaconus Cardinalis, collaudantibus omnibus, ipſo etiam domino Lamberto Epiſcopo, Theobaldum Cardinalem presbyterum ſanctæ Anaſtaſiæ cappa rubea induit, & Cœleſtinum appellat, ut cœlitùs miſſum: non patitur Cœleſtinus (ego neſcio cur aliquamdiu noluerit) inceptum eſt. Te Deum laudamus, cani gaudenter, Lamberto Epiſcopo Oſtienſe pariter nobiſcum canente. Non tamen dimidiato adhùc, Robertus impius Frangipanis verti fecit in luctum cytharam. Etenim ipſe cum quibuſdam conſentaneis ſuis, & aliquibus de Curia Lambertum Oſtienſem Epiſcopum Papam acclamaverunt. Deindè in Simiis, quæ ante Oratorium beati Silveſtri ſitæ ſunt, ſine mora eum compoſuerunt. Unde licèt maxima diſcordia & tumultus emergeret, tamen poſteà pacificatis omnibus, & ad concordiam reductis, Lambertus Cardinalis Oſtienſis in Honorium Papam ſublimatur.] Hucuſque Pandulphus. Ita planè ſicut ſumma laude dignus eſt habitus Theobaldus, qui electus noluit conſentire; ita ſuæ exiſtimationi turpiſſimam notam inuſſit Epiſcopus Oſtienſis, quòd poſt ejus electionem ſe eligi & Pontificalibus indui paſſus ſit.

Dolus Leonis Frangipanis.

* Saxum

Creatur Theobaldus Papa.

VIII. Honorii Papæ electio validatur.

Verùm quomodò iſta purgarit, atque renuntiando abluerit, ex ſæpè citato codice Vaticano ſic accipe. Hęc enim ibi in Honorio totidem verbis leguntur: Sed quia electio Honorii minùs canonicè præceſſerat: poſt ſeptem dies, nempè vigeſimaoctava Decembris, in conſpectu fratrum ſpontè mitram & mantum refutavit, atque depoſuit. Fratres tàm Epiſcopi quàm presbyteri, & diaconi Cardinales videntes ipſius humilitatem, & proſpicientes in poſterum, ne in Romanam Eccleſiam aliquam inducerent novitatem, quod perperam factum fuerat, in melius reformarunt, & eumdem denuò advocantes, ad ejus veſtigia procidèrunt, & tamquàm Paſtori ſuo, & univerſali Papæ conſuetam obedientiam exhibuerunt.] Hæc ibi, atque planè magna cum laude, cum ſententia Sanctorum, extrema quæque pati quiſque inducere debet in animum magis, quàm Catholica ſcindatur Eccleſia, narrat eadem totidem penè verbis Vvillelmus (a) Tyrius.

a Vvillel. Tyr. lib. 12. c. 15. in fine.

IX.

Quo anno Sarraceni ob captum Balduinum redditi audaciores (inquit iſta ſcribens Robertus de Monte in appendice ad Sigebertum) mente excedentes undique verſum evocati ad quadraginta millia conglomerantur, ut Chriſtianos à finibus ſuis exterminent, & apud Aſcalon impedimenta ſua commendent. Chriſtiani verò in arcto poſiti, nihil ſpei, niſi in Deo habentes, exemplo Ninivitarum utrique ſexui jejunium indicunt, pueris etiam, lactantibus infantibus, univerſo quoque pecori pabula negantur. Dies pugnæ indicitur, procedunt Chriſtiani cum militibus & peditibus vix ad tria millia æſtimati. Principes gradiuntur in fronte, ſcilicèt Patriarcha vexillo efferens Crucem Chriſti, Abbas Cluniacenſis Pontius præferens lanceam transfixam in latere Chriſti, Epiſcopus Bethlehemites ferens in pyxide lac S. Mariæ Virginis. Sarraceni verò quaqua verſum effuſi ex omni latere in orbem circumcingunt Chriſtianos, ne quis poſſit evadere. Dum ita in procinctu hærent Chriſtiani, vident, Deo ſibi auſpice, ſplendorem ſciſſo aere ſuper Paganos ſubitò cecidiſſe, ſed non proſperum, verùm ſatis nocivum, quamvis hunc ipſi Sarraceni non viderint. Illicò enim omni virium robore enervati, paſſim fugientes cæduntur, non ſolùm à viris, ſed etiam à pueris & fęminis. Perierunt in bello ſeptem millia, ſubmerſi ſunt in aquis quinque millia, omnes verò Chriſtiani incolumes reverſi, ſummum & dulce Epinicium reboant Deo in excelſis.] Hucuſque Robertus. Quo anno captam à Chriſtianis Venetis civitatem Tyri, aſſerit Vvillelmus Tyrius.

Divino auxilio ingẽs & inſperata victoria obtenta.

X.

Hoc eodem anno, ſecundùm illud propheticum: (b) Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis lux orta eſt eis.] Etenim florentiſſima olim Hibernorum Eccleſia, per multa ſæcula nulla planè legitima ſucceſſione Epiſcoporum exculta, omninò inculta evaſerat, atque penitùs deſerta & inculta remanſerat. Quindecim enim, teſte ſancto (c) Bernardo, generationem curriculis evolutis, acciderat, ut primæ ſedis Archiepiſcopatum hæreditaria ſucceſſione una familia tyrannica poſſeſſione poſſideret invaſum. Mos enim (inquit ſanctus Bernardus) peſſimus inoleverat quorumdam diabolica ambitione potentum, ſedem ſanctam obtentum iri hæreditaria ſucceſſione: nec enim patiebatur epiſcopari, niſi qui eſſent de tribu, & familia ſua. Nec parum proceſ-

b Iſai. 9.

De Hibernorum Eccleſia.

c Bern. in vita S. Malach. c. 5.

ſerat

ſerat execranda ſucceſſio, decurſis jam in
hac malitia quaſi generationibus quinde-
cim; & eo uſque firmaverat ſibi jus pra-
vum, immò omni morte puniendam inju-
riam generatio mala, & adultera, ut etſi
interdum defeciſſent clerici de ſanguine
illo, ſed Epiſcopi numquam. Denique
jam octo extiterant ante Celſum viri uxo-
rati, & abſque ordinibus, litterati ta-
men. Inde tota illa per univerſam Hiber-
niam, de qua multa ſuperiùs diximus,
diſſolutio Eccleſiaſticæ diſciplinæ, cenſu-
ræ enervatio, religionis evacuatio; inde
illa ubique pro manſuetudine Chriſtiana
ſæva ſubintroducta barbaries, immò paga-
niſmus quidam inductus ſub nomine Chri-
ſtiano &c.] Hæc Bernardus.

XI. S. Malachias reſtitutor Eccleſ. Hiberniæ.

At quomodò in tantis tenebris lux ex
inſperato refulſit, idem Sanctus enarrat,
cùm videlicèt ſanctus Malachias præſtan-
tiſſimus monachorum, coactu, licèt, re-
nitenſque eligitur Epiſcopus Connereten-
ſis, agens annum ętatis ſuę trigeſimum, hoc
nempè Redemptoris anno. Etenim qui anno
ſuæ ætatis quinquageſimoquarto obiit, an-
no Redemptoris milleſimo centeſimo qua-
drageſimooctavo (ut idem ſãctus Bernardus
affirmat) natum eſſe oportuit anno Domini
milleſimo nonageſimoquarto, à quo tem-
pore ejus ætatis annos enumerando, hunc
invenies eſſe trigeſimum, quo eſt creatus
Epiſcopus. Sic igitur ſuper candelabrum
exaltata lucerna, ſua luce mox denſas il-
las tenebras illuſtravit. Siquidem (inquit
Bernardus) ceſſit duritia, quievit barba-
ries, & domus exaſperans paulatim leniri
cœpit, paulatim correctionem admittere,
recipere diſciplinam. Fiunt de medio bar-
bariæ leges, Romanæ introducuntur, re-
cipiuntur ubique Eccleſiaſticæ conſuetu-
dines, contrariæ rejiciuntur. Reædifi-
cantur baſilicæ, ordinatur Clerus in illis,
ſacramentorum ritè ſolemnia celebrantur,
confeſſiones fiunt, ad Eccleſiam conveniunt
plebes, concubinatus honeſtat celebritas
nuptiarum. Poſtremò ſic mutata in melius
omnia, ut hodiè illi genti conveniat,
a Oſeæ 1. 2. 1. Petr. 2. quod Dominus per Prophetam dixit: (a)
Qui antè non populus meus, nunc popu-
lus meus.] Hæc Bernardus de Hiberno-
rum Eccleſia. Quomodò autem accenſa
ſemel lux crevit uſque ad perfectum diem,
ſuis locis dicetur inferiùs pro temporis
ratione.

Hoc eodem anno, infauſta hæreſi Tan-
chelini Belgicam Eccleſiam labefactante,
adversùs eam immiſſus eſt à clericis An-
turpienſibus S. Norbertus Præmonſtraten-
ſium Patriarcha, cui Eccleſiam ſancti Mi-
chaelis ad hoc ipſum ejus Canonici con-
ceſſerunt. Eſt de his vetus monimentum, ab
Auberto Miræo Canonico Antuerpienſi
ad nos miſſum, quod ſic ſe habet:

Antuerpiæ eſt illuſtris Abbatia S. Mi-
chaelis, Ordinis Præmonſtratenſis, quam
baſilicam Canonici Antuerpienſes anno
1124. ceſſerunt beato Norberto, ejuſque
ſodalibus, in Sacramentaria atque Ada-
mitica Tanchelini hæreſi profliganda la-

A borantibus.] Extat ipſum, quod ſic ſe ha-
bet, diploma ceſſionis:

In nomine Sanctæ, & individuæ Trini-
tatis. Ego Hildolphus Præpoſitus S. Mi-
chaelis in Antuerpia, tàm futuris, quàm
præſentibus in perpetuum. Qualiter præ-
fata Eccleſia noſtra ad uſus Canonicorum
Præmonſtratenſis Ordinis tranſierit, & qua
de cauſa aſſenſus Capituli noſtri eis datus
fuerit, præſentis ſcripti atteſtatione no-
tificamus: Cùm in diebus noſtris quidam
hæreticus Tanchelinus nomine in partibus
noſtris adveniſſet, & venenoſo Sermone
à Fide, & à Sacramentis Eccleſiæ pluri-
B mos avertiſſet, hac de cauſa, ut illa hæ-
reſis, quæ Provinciam noſtram occupave-
rat, funditùs extingueretur, conſilio Do-
mini Burchardi Epiſcopi, & totius Popu-
li, & aſſenſu Capituli noſtri Dominum
Norbertum, virum noſtris temporibus ſpe-
ctabilis religionis, accerſiri curavimus,
eique ac ſuis Fratribus, Regulam beati
Auguſtini ſervantibus, ſuamque inſtitu-
tionem exequentibus, ſupradictam Eccle-
ſiam cum capellis in ejus cœmeterio fun-
datis, & tribus curtilibus, & jugero ter-
ræ eidem cœmeterio adjacentibus, cum
quatuor Præbendis, per manus memorati
C Epiſcopi tradidimus, circumſpectione vi-
giles, dignèque perpendentes, quòd eo-
rum ſaginaremur orationibus, & bonis
ſpiritualibus, ſic eos ſuſtentaremus benefi-
ciis temporalibus. Nos verò priùs nume-
ro duodecim, numerum noſtrum in octo
terminavimus Præbendis, & cum his &
Præpoſituræ noſtræ integritatem ab Eccle-
ſiam beatæ Mariæ in eadem Villa tranſtu-
limus. Cæteras verò quatuor Præbendas,
per omnia eis conſimiliter participantes
proprio noſtro arbitrio dedimus. Excepto
quòd allodia, & mancipia, quæ uſque ad
hæc tempora Eccleſia illa poſſederat, in no-
D ſtros ſingulariter uſus ſegregavimus. Ba-
ptiſmus verò celeberrimi temporis, vide-
licèt Paſchæ, & Pentecoſtes, in Eccleſia
illa obſervabitur; reliquo autem tempo-
re Parochianus noſter baptizandis provi-
debit. Infirmos autem viſitare, & com-
municare, oleoque inungere, confeſſio-
nes audire, mortuos ſepelire, omnibus
hæc ab eis quærentibus liberè concedi-
mus. Ut autem tàm præclaræ beneficen-
tiæ fœdus inviolatum & inter nos & ipſos
ſemper permaneat, hoc definitum eſt, ut
quodcumque munus infirmus & moriens
parochianus, ſive in terra, ſive in alia
E ſubſtantia cujuſvis Eccleſiæ aliquod ob-
tulerit, aut pro ſe offerri inſtituerit, per
medium dividatur. Quod verò alienus
ſanus, vel infirmus, aut parochianus in-
columis dederit, Eccleſia, cui hoc datum
fuerit, abſque partitione poſſideat. Ipſæ
verò Eccleſiæ ſedulas in invicem juges ſibi
debebunt fraternæ charitatis orationes,
in omnibus neceſſitatibus ſeſe ſupportan-
tes. Pro commemoratione verò ſuæ li-
bertatis utraque Eccleſia perſolvet Came-
racenſi Præſuli aureum nummum Antuer-
pienſis monetæ, & ponderis, ſingulis

annis in feſto S. Lucę. Ut autem hæc rata, & inconvulſa permaneant, ſigilli noſtri impreſſione, & teſtium ſubſcriptione, qui interfuerint, & hoc donum dederint, annotari curavimus. Ego Hildolphus, Præpoſitus ſanctæ Mariæ, Anſelmus Canonicus, Bernardus Canonicus, Giſelbertus Boreus, Raduandus Canonicus, Ovo Canonicus, Raduandus ſcriptor. Rogerus Canonicus, Hildevuinus Parochianus. Actum autem eſt hoc anno Verbi incarnati 1124. Indictio- A ne ſecunda, Epacta tertia.]

XII. Conſtitutio Joannis Imp.

Hoc eodem anno (ut res Orientalis Imperii attingamus) Indictione ſecunda, Joannes Imperator Conſtantinopoli conſtitutionem edidit ſaluberrimam adverſùs provinciarum præſides, vel alios, qui defunctorum Epiſcoporum bona relicta invaderent, quod ne ampliùs fieret omninò, pœnis cohibuit. Extat in codice juris Græcorum, incipit: Quidnam facere majeſtas mea majus operæ pretium &c.]

JESU CHRISTI ANNUS 1125. HONORII PAP. II. ANNUS 1. HENRICI IV. IMP. 15. JOANNIS COMNENI IMP. 7.

I. Honorius deponit contumacem Abbatem Caſſinenſem.

Annus ſequitur Redemptoris milleſimus centeſimus vigeſimusquintus, Indictione tertia, quo purgato, quod inerat in electione, facinore, Honorius ſolium Petri ſcandens, ut legitimus Papa ab omnibus colitur, approbata perſona (ut Sugerii verbis utar) vir gravis atque ſeverus. Qui ſui exordio ſedis expertus Oderiſium juniorem Abbatem Caſſinenſem contumacem & penitùs refractarium, ejus ſuperbiam fregit, ipſumque loco depoſuit aliumque in ipſius locum ſubſtituendum curavit. Negotium arduum, atque diuturnioris temporis quàm par erat, reſiſtere Abbatem Pontifici. Ita planè, qui favore Apoſtolicæ Sedis adversùs tyrannos hactenùs prævaluiſſet, inflatus ſuperbia, eò inſaniæ devenit, ut ipſum Romanum Pontificem parvipenderet. Nihil in ſuis membris infeſtius Eccleſia patitur, quàm Religioſos à paternis inſtitutis deſciſcentes, & amore ſæcularium ad gloriam & lucra turpiter inhiantes. Abbas igitur iſte; qui jam anteà ipſum tunc Cardinalem Oſtienſem (a) contempſiſſet, & hoſpitio excipere noluiſſet, eum jam creatum Pontificem nihilo magis officiis demereri curavit, ſed æquè contempſit. Nam creatus Pontifex cùm ab eo opem ferri expetiiſſet: tantùm abeſt ut fecerit, quin etiam expoſtularet, immò & exprobaret, quòd ad ejus electionem minimè invitatus fuiſſet. Intereà verò oblatam occaſionem Pontifex minimè prætermiſit; nam Aquinatum accuſationes adversùs eum ſuſcepit, ſed ſubſtitit, ne videretur animo potiùs ulciſcendi rem agere, quàm quod juſtum eſſet, in eumdem decernendi. Intereà verò, eodem anno, inquit Petrus, Honorius Papa ab Urbe ad monaſterium venit, & à ſupradicto Abbate, & Fratribus honorifica proceſſione ſuſceptus, ſuper altare B. Benedicti Miſſam ſolemniter celebrans, ſerò jam ad civitatem *ſancti Germani ſcilicèt* rediit.] Subjicit de Burdino Antipapa depoſito, relegato, atque in loca diverſa mutato, quæ à nobis ſuperiùs dicta ſunt.] Pergit autem: Ibi in pleno ſicorum conventu Abbatem Honorius evocans, & magno in illum odio ſæviens (*ita defenſor monachorum*) vehementi increpatione redarguit, B militem, non Abbatem, prodigumque ſubſtantiæ monaſterii frequenter inclamitans, ſtatimque egreſſus civitatem, Beneventum perrexit.] Hæc Petrus.

a *Petr. diacon. lib. 4. c. 83. 85. 97. 88.*

II.

Habet ad hęc Chronicon Beneventanum ab auctore hujus temporis ſcriptum. Honorium ſe contuliſſe Beneventum, illicque ex improviſo diro terremotu vexatum. Sunt hæc verba auctoris iſta ſcribentia: Hoc primo anno ſui Pontificatus Honorius Papa Beneventum ſe contulit, ubi die undecima menſis Octobris vehementiſſimus terremotus factus eſt per dies quindecim perſeverans, eùm idem Pontifex properavit ad baſilicam ſancti Joannis, & terræ C tenus proſternitur, & coram altare Salvatoris, Dei miſericordiam lacrymis vultum irrigantibus invocavit.] Et inferiùs: Præfatus Pontifex Honorius Cardinalibus vocatis, nudis pedibus magnas ſuper hoc ad Deum lacrymas & preces effundit.

III. b *Petr. diacon. lib. 4. c. 90. 91.*

Reversùs Romam Honorius, (b) litteris permotus Athenulphi Comitis, Abbatem accuſationibus perſtringentis, per Epiſcopum Tarracinenſem ejuſdem monaſterii olim monachum, ut Romam veniat, jubet, ſed recuſavit ille. Quamobrem quinta hebdomada Quadrageſimæ in eum ut contumacem ſententiam tu- D lit. Sed nihilominùs ille ſacro Palmarum die in contemptum Pontificis reſedit in cathedra, paſtorali virga decorus. His in eum magis magiſque commotus Honorius, die ſolemni Paſchatis eum, ipſiuſque fautores à liminibus Eccleſiæ ſeparavit, prohibens, ne quis ei obediret, alioqui à ſacramentorum perceptione alienus efficeretur. Abbas inſaniens adversùs populum ipſi contradicentem, contrahere cœpit exercitum, ſed nequidquam profecit; laicorum enim, ſententiæ Pontificis Romani faventium violentia foras extruditur, & in ejus lo- E cum Nicolaus Tuſculanus ejuſdem monaſterii monachus decanus eligitur, contradicentibus ſenioribus, & litteras ad Honorium Papam adversùs ejus electionem ſcribentibus. Sed antequàm electionem Nicolai audiret Pontifex, ipſe Abbatem delegit, quem ſciret idoneum ad morum collapſorum reſtitutionem,

Excommunicatur Abbas Caſſinenſis.

ad

ad quem ſuſcipiendum legat Caſſinum Gregorium presbyterum Cardinalem tituli ſanctorum Apoſtolorum. Quid autem per eum actum ſit, ut ſingula ſingulis reddantur annis, ſuo loco dicturi ſumus anno ſequenti.

IV. Querelæ Cluniacenſiũ adverſùs Pontiũ ad Honòrium Papã.

Sed rursùs in Urbem non aliundè, quàm ex monachis itidem acerbiſſimæ controverſiæ ad Sedem Apoſtolicam deferuntur per famoſiſſimi in Gallia Cluniacenſis monaſterii monachos adversùs invaſorem & tyrannum Pontium ejus olim Abbatem, quem querelis exagitatum ante triennium ſe abdicaſſe, atque Hieroſolymam periiſſe, ſuo loco ſuperiùs dictum eſt. Hic igitur unà cum ſuis quos duxerat, rediens Hieroſolymis, faſtu turgens affectatæ ſanctitatis, videri vult ſanctus, & ab hominibus credi beatus, ſuos hinc inde ſocios ſpargens præcones mendaciorum. Quod enim anno ſuperiori de admirabili contra Sarracenos victoria obtenta divinitùs acciderat, totum ſui Pontio tribuunt, cui & adſcribunt falſa miracula, vitam æqualem Angelis agere ipſum jactant, & vitæ auſteritate ſuperare Anachoretas, æquare Martyres. Decepti ſunt plurimi, donec tandem qualis intus eſſet, erumpente ſanie, foris manifeſtus apparuit; nec diù multùmque moratum. Siquidem ſecundùm ſacrum illud oraculum: (a) Gaudium hypocritæ ad inſtar puncti.] Sed audi tu intereà ex Petro Pictavienſi ad Petrum Cluniacenſem inſcriptum victoriæ carmen. Hic enim poſt Hugonem juniorem, qui menſe quinto ſuæ præfecturæ deceſſerat, probante Calliſto Papa, Cluniacenſis Abbas creatus fuit, nobilis Aquitanus, patria Arvernenſis, uſu rerum peritiſſimus, qui ex militia, quam ſumma gloria miniſtraverat, Cluniacenſibus ſe addixerat, moribus atque doctrina conſpicuus. Petrus igitur Pictavienſis poſt alia hos de concitata undique, ſparſaque de Pontio fama, habet verſus.

a Job 20.

Jamque novam ſectam vulgaris fecerat error,
Dum putat hunc aliquem ruſtica turba Deum.
Iſte novum Moyſen, hic Daniel, ille Joannem,
Alter Eliſæum, vel Salomona vocat.
Alter eum circumdare tenuia brachia ferra,
Martyriique novum fert tolerare genus.
Alter ab humanis epulis omninò ſequeſtrem
Non niſi cœleſtem ſumere poſſe cibum.
Quilibet altari nudis aſſiſtere plantis
Laudat, & innumeras continuare preces.
At qui majori fuerat phantaſmate luſus,
Clamitat in medio talia verba fora:
Currite languentes, hominem requirite ſanctum,
Currite, Martinus ecce Secundus adeſt.
Cui placuit, ſpretis Clunienſibus, ut per arenas,
Trans mare Tyrrhenum quæreret ipſe Deum.
A *Nunc igitur rediens, ut priſtina jura repoſcat,*
Angelico monitu, plurima ſigna facit.
Forſitan ille prior Martinus in orbe revixit,
Qui ſola nutu diſſipat omne malum.
Sed quis tot vana, furioſi ſomnia vulgi
Vel ridere ſatis, vel memorare poteſt?]

At quod fama iſta in vulgus ſparſa jamjam pervadere cœpit viros eruditos & ſapientes, & in Romanam Curiam ſibi aditum per Gerardum presbyterum Cardinalem patefecerat, qui plurimùm deferret homini; cœptum eſt à Cluniacenſibus trepidari.
B Hinc pergit:

O quoties, electe Deo, trepidavimus omnes?
Utpotè quos verus ſollicitabat amor.
Ne levibus nugis gravitas Romana faveret,
Verteret & lubricus ſobria colla magus.
Neu doctos etiam Brutos, rigidoſque Catones
Tentaret variis illaqueare dolis.
Triſte quidem dictu, ſed maximus ille Gerardus,
Proh dolor! hac potuit calliditate capi.
Quæ foret ulteriùs ſpes, ſi ſacer ille Senatus
C *Urbsque Quirinalis tota faveret ei?*
Sed procul egregia Deus hoc avertat ab Urbe,
Quæ ſub ſe populos totius orbis habet.
Nil ibi ſacra Fides damnoſum pertulit umquam,
Quo Fidei magnus ſceptriger ille ſedet.
Cujus purpureo fundati ſanguine muri
Nec ſævas hiemes, nec fera bella timent.
Non impar Paulus eadem quoque mœnia ſervat;
Et ſimul ambo tenent Imperiale decus.
D *Tantis Principibus commiſſam cœlitùs Urbem*
Nullius erroris ſecta nocere poteſt.
Vobis ergò Patres, ſummique Tonantis amici
Carminis ac laudis vota referre libet.
Vos etenim ſpectat ſpecialiter iſte triumphus,
Quorum pro veſtro milite pugna fuit.]&c.

Cùm videlicèt poſt falſa vulgata miracula, furens Pontius arma quærit, ſibique latrones aſſocians, Cluniacenſes invadit, rapit, diſpergit monachos, atque profligat. Sed audi Petrum (b) ipſum Cluniacenſem Abbatem E iſta in rebus geſtis Matthæi Cardinalis Epiſcopi Albanenſis breviter deſcribentem, & à regreſſu Pontii Hieroſolymis (quod hoc anno contigit) ita narrantem:

b Petr. Cluniac. mirac. l. 2. c. 12.

V. Tandem jam dictus Pontius transmarinæ habitationis pertæſus, rediens ab Oriente, Occidenti tenebras contra morem invexit. Qui (ut Italiam attigit) divertere Romam nolens, in Ravennatium partibus, hoc eſt in Epiſcopatu Tarviſiano Sedem ſibi conſtituit, ibi monaſteriolo conſtructo, parvoque in eo tempore demoratus,

ratus, Gallias repetiit. Explorata demùm abſentia mea (nam fortè tunc in ſecundæ Aquitaniæ partibus, Cluniacenſibus negotiis inſiſtebam) fingendo ſe Cluniacum nolle venire, paulatim tamen appropinquabat. Deindè quibuſdam fugitivorum ſibi adjunctis, armiſque vulgarium, quos ſibi adſciverat, conſtipatus, Cluniacenſibus portis improviſus advenit. Quibus effractis, & venerabili ſene Priore, Fratribuſque aliis ubique diſperſis, cum promiſcua illa armatorum multitudine, ipſis quoque mulieribus irruentibus, clauſtrum ingreſſus eſt. Ingreſſus occupat ſtatim omnia, & eos quos reperit, minis, terroribus, atque tormentis in ſuæ fidelitatis cogit ſacramenta jurare; nolentes autem expellit, aut duro carceri mancipat. Convertit ſtatim manum ad ſacra, & aureas cruces; aureas tabulas, aurea candelabra, aurea thuribula, & quæque alia multa, multique ponderis vaſa invadit, rapit & ipſos calices, maximè ſacros, nec thecis, nec ſcriniis aureis ſive argenteis, multorum Martyrum ac Sanctorum oſſa continentibus parcit: conflat, & ex his & ſimilibus auri pondus immenſum, & eo circumpoſitos milites, vel quoslibet auri cupidos ad bellum raptores invitat.

VI. His protectus, circumpoſitas monaſterii villas & caſtra invadit, ac ſibi barbarico more religioſa loca ſubdere moliens, ignibus & ferro, quæ poteſt, cuncta conſumit. Abſtinet à nulla bellorum ſpecie, rapinis rerum, cædibus hominum per conductos ſacro auro milites ubique deſævit. Conſumitur ab ipſo initio Quadrageſimæ uſque ad Kalendas Octobris tota in hujuſmodi prœliis æſtas, nec ſaltem paucis diebus à tantorum malorum calamitate reſpirat. Manebant jam dictus Bernardus Prior, & nobiles religioſi, & magni viri extra Cluniacum, ubi poterant, & in locis tutioribus à tantorum incurſu hoſtium ſeſe pro viribus defenſabant. Hic in ſancta illa & famoſiſſima Cluniacenſi domo, occulto ſed juſto Dei judicio ſatan ad tempus laxatus furebat.] Quid interim ipſe Petrus Abbas? audi ipſum in epiſtola, quam ſcripſit ad S. Bernardum; (a) Aſſuetus, inquit, ſum pati, aſſuetus & indulgere. Declarat hoc (quod tamen non ſuperbè jactito) de Pontiano ſchiſmate, in quod cùm innumeri declinaverint, & nefanda ac in ordine monaſtico inaudita fecerint: numquam gladium meum, numquam mucronem, numquam frameam experti ſunt; vix umquam verbum aſperum ab ore meo audierunt. Feci hoc tunc, feci & poſteà ſæpè, etſi non de tàm gravibus, tamen de gravibus, & juſtè forſan, niſi tolerantia interceſſiſſet, graviter puniendis exceſſibus. Facio adhuc frequenter, nec (ut ſic dicam) facere hoc aſſiduè ceſſo, &c.] At quomodò querelis Cluniacenſium mala iſta perducta ſint Romam ad judicium Apoſtolicæ Sedis, ſic idem Petrus: (b)

a Pet. Clun. l.6.ep.47.

b Lib.2.mirac.c.13.

VII. Deceſſerat jam è vita ſupraſcriptus venerandus Papa Calliſtus, nec ſe inferiorem Papam Honorium acceperat ſucceſſorem. Hic tantæ Eccleſiæ tantos tumultus audiens, miſſo de latere ſuo Legato, domino ſcilicèt Petro Cardinale, Pontium, & Pontianos, qui tunc ſic vocabantur omnes, adjuncto ſibi Lugdunenſi Primate Hubaldo, terribili anathemate condemnavit: data tamen poſtmodùm die, utramque partem ad ſubeundum in præſentia ſua tanti diſſidii judicium, litteris Apoſtolicis evocavit. Obtemperat ſtatim pars cuncta noſtrorum, &c.] Quid autem actum ſit Romæ, ſequenti anno, ſervata temporis ratione, dicetur. Jam verò quæ ſunt reliqua anni hujus rerum geſtarum, in medium proferamus.

VIII. Henrici odium in Rhemenſium civitatem.

Henricus Imp. memor injuriæ, quòd in Concilio Rhemenſi à Calliſto Papa fuiſſet excommunicatus: in locum ipſum (quod in perſonas non poſſet) ulciſci decernit, ipſam Rhemenſem civitatem capere, ſoloque æquare deliberat. En pœnitentia illa poſt tot ſacrilegia perpetrata qualis fuerit, ea ipſis factis agnoſce, ut planè niſi Deum eſſet tandem expertus ultorem, qui eum hoc anno ab humanis abſtulit, graviora prœlia in Catholicam Eccleſiam ab eo excitanda fuiſſe, quiſque facilè conjicere poſſit. At quomodò Rex Francorum Ludovicus, decus Eccleſiæ, precibus potiùs quàm vi armorum tàm ingens imminenſque periculum evitavit, ex Sugerio S. Dionyſii Abbate, qui præſens affuit, cunctaque ſcripſit, ſic accipe: res exordiens ab anno ſuperiori.

Ante domini Papæ Calliſti deceſſum Imperator Henricus, collecto longo animi rancore contra dominum Regem Ludovicum, eò quòd in regno ejus Rhemis in Concilio domini Calliſti anathemate innodatus fuerat: exercitum quantumcumque poteſt, Lotharingorum, Alemannorum, Bajoariorum, Svevorum, & Saxonum, licèt ab eis infeſtaretur, colligit, aliòque tendere ſimulans, conſilio Regis Anglici Henrici, cujus filiam Reginam duxerat, qui etiam Regi guerram inferebat, Rhemos civitatem inopinatè aggredi machinatur, proponens aut eam ſubitò deſtruere, aut tanta dehoneſtatione, & oppreſſione civitatem obſidere, quanta dominus Papa in eum agens, læſit ſeſſione. Quod cùm domino Regi Ludovico intimorum relatione innotuiſſet: tàm ſtrenuè quàm adaucter delectum, quem non expectabant, cogit, nobiles adſciſcit, cauſam exponit.

IX. Ope Martyrum regnum Francorum liberatur.

Et quoniam B. Dionyſium ſpecialem patronum, & ſingularem, poſt Dominum, regni protectorem, & multorum relatione, & crebrò cognoverat experimento; ad eum feſtinans, tàm precibus, quàm beneficiis præcordialiter pulſat, ut regnum defendat, perſonamque ſuam conſervet, hoſtibus more ſolito reſiſtat. Et quoniam hanc ab eo habent prærogativam, ut ſi regnum aliud regnum Francorum invadere audeat, ipſe beatus & admirabilis defenſor cum ſociis ſuis, tamquàm ad defendendum,

Digitized by Google

* locus obſcurus.

dum, altari ſuo * ſuperponatur, eo præſente, Rege ſcilicèt, fit tàm glorioſè quàm devotè. Rex autem vix illum ab altari ſuſcipiens, quod de Comitatu Vilcaſſini, quo ad Eccleſiam feudatus eſt, ſpectat, votivè tamquàm à domino ſuo ſuſcipiens, pauca manu contra hoſtes, ut ſibi provideri nolit, ut cum tanta Francia ſequatur, potenter invitat.] Et infrà poſt enarratum apparatum, iſta de fuga Imperatoria habet:

X. Publicata igitur tanti & tàm tremendi facti deliberatione, tantique delectus fortiſſimi apparitione, cùm hoc ipſum auribus Imperatoris innotuiſſet, ſimulans & diſſimulans, palliata occaſione ſubterfugiens aliò tendit, magis eligens ignominiam defectus ſuſtinere, quàm Imperium & perſonam ruina periclitantem Francorum graviſſimæ ultioni ſuppeditare. Quo Franci comperto, ſola Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, & religioſorum prece virorum ab Imperatoria regni devaſtatione, & pauperum oppreſſione vix ſe continere valebant. Tanta igitur, & tàm celebri potitus victoria (id enim haud inferiùs fuit quàm ſi campo triumphaſſet) Francis repatriantibus Rex exhilaratus, nec ingratus, adire protectores ſuos ſanctiſſimos Martyres humillimè devovit: eiſque poſt Dominum gratias magnas referens, &c.] Subiicit de oblationibus iiſdem Martyribus datis, de columnis cum cruce erectis in perennem memoriam eluſi gratia Chriſti Imperatoris; inſuper & de pio Regis obſequio, dum recondendis ſacris reliquiis ſuppoſuit humeros lecticis argenteis: atque ad poſtremum de obitu Imperatoris, juxta veterum aſſertionem, affirmantium uſu receptum atque probatum, quòd quotieſcumque fit ejuſmodi publica expoſitio reliquiarum Sanctorum ad malum aliquod evitandum, ejus auctorem intra anni periodum, ulciſcente numine, morte mulctatum de medio tolli. Quod contigit Henrico, dum hoc ipſo anno, decimo Kalendas Junii, ex hac vita migravit, nulla relicta prole maſcula, quæ ſuccederet in Germaniæ regnum. Sicque Dei juſto judicio defecit Occidentale Imperium à Germania, cùm eo ad impugnandam Eccleſiam ſunt abuſi, & translatum eſt ad Saxones Romanæ propugnatores Eccleſiæ. Opera enim Alberti Archiepiſcopi Moguntini Lotharius Dux Saxonum regnum accepit, poſteà verò (ut ſuo loco dicetur) Imperium.

Pietas Ludovici Regis erga ſanctos martyres.

Moritur Henricus Imperator.

XI. Lotharius regnat.

Hoc autem anno tertio Kal. Septembris, Moguntiæ Rex Lotharius conſtituitur, præſentibus atque faventibus Legatis Apoſtolicæ Sedis (ut Robertus affirmat) & Idibus Septembris coronatur Aquiſgrani à Friderico Colonienſi Archiepiſcopo. Ita Dodechinus, qui & aſſerit Legatos Romam eſſe miſſos ad Honorium Papam pro confirmatione novi Regis Lotharii. Subdit autem hæc Otto (a) Friſingenſis Epiſcopus: Hic *Lotharius* per omnia progeniem Imperatoris Henrici humiliavit, ut planè Dei judicio juſto (ſicut in libro Regum habes) in peccatis & prævaricatione patrum ſemen eorum affligi videretur. Unde gravis diſſenſio regni in multos annos protracta plurimos in anima & corpore periclitari fecit. Unde prædicti Fridericus & Conradus juvenes ſororii Henrici Imperatoris dum ſe viderent opprimi, in quantum poterant, reniti conabantur; ob quam cauſam à ſummo Pontifice Honorio, qui Calliſto ſucceſſerat, excommunicantur. Porrò Conradus à fratre ac quibuſdam aliis Rex creatus, * Pyrenæum per jugum Septimi montis, quo Rhenus & Oenus fluvii oriuntur, tranſcendit, ubi à Mediolanenſibus, qui tunc Comanum bellum per decem annos pro afflictione populi utrinſque civitatis miſerrimè protractum, capta ac deleta urbe, proſperè conſummarunt, honorificè ſuſcipitur, ac ab eorum Archiepiſcopo Anſelmo Modoici, ſede Italici regni, in Regem ungitur. At pro his, aliiſque à ſummo Pontifice deponitur, & alter in ejus locum ſubrogatur.] Hæc Otto, additque, quòd ſimulac Lotharius in Italiam venit, paucis ſuis, quos habebat, amiſſis, vix nec abſque ſui periculo, in patriam revertendi habuit facultatem. Porrò ſaviſſe ſemper Romanos Pontifices Lothario Imperatori eventa declarant.

a *Ott. lib. 7. c. 17.*

A B C

XII. Legatio Joannis Cremenſis Cardin. in Angliam.

Hoc etiam anno decernitur ab Honorio Papa legatio in Angliam, quæ credita eſt Joanni Cremenſi presbytero Cardinali tituli S. Chryſogoni, à quo paritet menſe Septembris celebratum eſſe Concilium, Scriptores rerum Anglicarum affirmant, & aliqui ipſorum magno cum dedecore res ab eo geſtas enarrant. Nam præter ſimoniæ notam, qua ejus æſtimationem inurunt, addunt illud ignominioſum, quòd cùm in eodem Concilio ſanciviſſet canonem adversùs clericos concubinarios, in eoſdemque declamaſſet, quòd magno ſcelere poſt celebratum ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium auderent ſe jungere concubinæ, ſeu de latere ejuſdem ſurgere ad ſacrificium celebrandum: ipſe tamen cùm eadem die Corpus Domini confeciſſet, poſt veſperam fuit cum meretrice deprehenſus. Scripta hæc reperiuntur primitùs ab Henrico, Huntidorienſe rerum Anglicanarum (b) ſcriptore. Rogerius ipſo recentior eadem totidem verbis repetit in Annalibus, ſed anno ſequenti, atque noviſſimè Matthæus Vveſtmonaſterienſis de his item agens anno præſenti, addit inanem excuſationem ejus, quòd ſcilicèt ille in ea turpitudine deprehenſus dixiſſet, quòd non fuerit ipſe ſacerdos, ſed ſacerdotum corrector. Porrò ex tali excuſatione convinci mendacium nemo non videt. Etenim quomodò non ſacerdos fuit, quem ſacerdotem eſſe, neceſſitas ipſa cogebat, utpotè quòd eſſet presbyter Cardinalis tituli ſancti Chryſogoni? vel quomodò non ſacerdos, quem dicunt mane incruentum

D E

b *Henric. Hunt. hiſt. l. 7. hoc anno.*

A tum ſacrificium celebraſſe? certè quidem non numero hiſtoricorum veritatem hiſtoriæ conſuevimus æſtimare, ſed quanta fide polleat primus auctor cujuslibet aſſertionis. Nam reliquos primum ſequi auctorem, & ejus veſtigiis inhærere, frequentiori uſu in more poſitum reperimus. Cùm igitur accuratè auctorem expendimus, quantæ fidei eſſet, qui iſthæc primus aſſeruit; invenimus eum plus æquo, immò iniquè favere ſacrorum miniſtrorum conjugio, ipſum Archidiaconum. Etenim dum ipſe agit ſuperiùs de S. Anſelmo, qui in Concilio à ſe celebrato vetuit conjugia clericorum, mendaciſſimè B aſſeruit, ante illud tempus in Anglia id non fuiſſe prohibitum, & plures fuiſſe qui ejuſmodi conjugio faviſſent. Quod quàm falſum ſit, nullus ignorat. Hæc dicta ſint, ut explorata habeatur auctoris fides. Præterea, ſi tanto fuiſſet Legatus reverà crimine infamatus: quomodò adverſarii ejus, ipſi ſcilicèt ſchiſmatici fautores Petri Leonis, cùm ſuis ſcriptis declamaſſe reperiantur in eos Cardinales, qui Innocentium elegerunt, inter quorum primos idem Joannes Cremenſis habetur annumeratus: tàm enorme delictum tacue- C runt, & ut illi narrarunt totidem verbis exprobrare ceſſarunt? vel quomodò S. Bernardus, & alii viri magni nominis ejus temporis ſcriptores, Innocentiique Papæ fautores adeò conſtanter dicere potuiſſent, ſicut numeroſiorem, ita & ſanctiorem Cardinalium partem eumdem Innocentium elegiſſe, ſi tanto ſcandalo ex eis unus Joannes Cremenſis orbem Chriſtianum concuſſiſſet? Sed & quòd hujus temporis rerum Anglicanarum ſcriptor Vvillelmus Malmesburienſis, haud aſſuetus parcere Eccleſiæ Romanæ miniſtris, ejuſdem facinoris nullam penitùs mentio- D nem feciſſe reperiatur, nec ibidem diligens auctor, qui adjecit appendicem ad Florentium, & adeò exactè præ ceteris. De ſingulis rebus geſtis in eo Concilio meminit perindè ac ſi eidem interfuiſſet, hujus evulgati (ut volunt) tantoperè criminis, aliquid penitùs ſcripſerit: certè quidem de eo dubitandi, verum ne ſit, vel ſparſa calumnia, ut fieri aſſolet, ſaltem locum reliquit; quod quilibet amantiſſimus veritatis non puto negabit. Nos verò nec ejuſmodi ſumus, ut proditione veritatis delinquentem quemlibet Eccleſiæ Romanæ miniſtrum prodere nolimus, cùm E nec ipſa ſibi hoc vendicet Romana Eccleſia, ut membra ſua & è latere ſuo Legatos miſſos omni carere turpitudine aſſerat. Non enim (quod probro ducit Apoſtolus

a 1. Cor. 10.

(*a*) æmulatur Deum, ut fortior illo ſit. Si enim ipſe Deus, qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem urentem, tamen in Angelis (*b*) ſuis reperit pravitatem; quid præſumet ipſa, dum Angelos ſuos mittit Legatos in mare? ſecundùm illud propheticum: (*c*) Ite Angeli veloces ad gentem convulſam & dilaceratam: cùm ſciat ipſa non ſupernos

b Job 4.

c Iſai. 18.

A Angelos mittere, ſed homines, de quibus eſt pronuntiatum divinum oraculum, quòd univerſa vanitas ſit omnis homo vivens.] Sed de his ſatis.

XIII.

Jam verò quæ in eodem Concilio, quod in Anglia per eumdem Legatum hoc anno eſt celebratum, fuerint definita, hìc deſcribamus, & quidem ex auctore, qui cùm adeò exactè præ ceteris res ibidē actitatas recenſeat, majorem ſibi præ ceteris vendicat fidem, qui à tempore incipiens, ſic exorditur oratione:

Concilium London à Legato Apoſtolico habitū.

Celebratur Synodus Londoniæ, in Eccleſia B. Petri Apoſtolorum Principis, B apud Vveſtmonaſterium, menſe Septembris, nono die ejuſdem menſis, ideſt, quinto Idus Septembris, ubi poſt multarum diſcuſſionem cauſarum promulgata ſunt hæc capitula, & ab omnibus confirmata numero decem * & ſeptem. Præfuit autem huic Synodo Joannes de Crema ſanctæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ de titulo ſancti Chryſogoni presbyter Cardinalis, & domini Papæ Honorii in Anglia Legatus, cum Vvillelmo Cantuarienſi, & Turſtano Eboracenſi Archiepiſcopis, & cum Epiſcopis diverſarum provinciarum numero viginti, & Abbatibus circiter C quadraginta, & cum innumera Cleri & populi multitudine. Sunt autem hæc Capitula:

* XVI.

Sanctorum Patrum veſtigiis inhærentes: quemquam in Eccleſia per pecuniam ordinari auctoritate Apoſtolica prohibemus. Interdicimus etiam, ut pro chriſmate, pro oleo, pro baptiſmate, pro pœnitentia, pro viſitatione infirmorum, ſeu unctione, pro communione Corporis Chriſti, pro ſepultura nullum omninò pretium exigatur.

Canones Conc. Lōdon.

Statuimus præterea & Apoſtolica auctoritate decernimus, ut in conſecratio- D nibus Epiſcoporum, vel Abbatum benedictionibus, ſeu in dedicationibus Eccleſiarum non cappa, non tapetæ, non manutergia, non bacilia, & nihil omninò per violentiam, niſi ſponte oblatum fuerit, penitùs exigatur.

Nullus Abbas, nullus Prior, nullus omninò monachus, vel clericus Eccleſiam, ſive decimam, ſeu quælibet beneficia Eccleſiaſtica de dono laici ſine proprii Epiſcopi auctoritate & aſſenſu ſuſcipiat. Quod ſi præſumptum fuerit, irrita erit donatio hujuſmodi, & ipſe canonicæ ultioni ſubjacebit.

E Sancimus præterea, ne quis Eccleſiam, ſive Præbendam paterna vendicet hæreditate, aut ſucceſſorem ſibi in alio Eccleſiaſtico conſtituat beneficio. Quod ſi præſumptum fuerit, nullas vires habere permittimus, dicentes cum Pſalmiſta: Deus meus pone illos ut rotam qui dixerunt: Hereditate poſſideamus ſanctuarium Dei.

Adiicientes quoque ſtatuimus, ut clerici, qui Eccleſias ſeu beneficia habent Eccleſiarum, & ordinari, quò liberiùs vivant, ſubterfugiunt, cùm ab Epiſcopis invitati fuerint; ſi ad ordines promo-

veri

veri contempſerint, Eccleſiis ſimul & beneficiis earum priventur. A

Nullus in diaconum niſi ſubdiaconus, nullus in Priorem niſi presbyter, nullus in Archidiaconum, niſi diaconus promoveatur.

Nullus in presbyterum, nullus in diaconum, niſi ad certum titulum ordinetur. Qui verò abſolutè fuerit ordinatus, ſumpta careat dignitate.

Nullus Abbas, nullus omninò clericus, vel laicus quemquam in Eccleſia ordinatum abſque proprii Epiſcopi judicio præſumat eiicere. Qui autem ſecus facere præ- B ſumpſerit, excommunicationi ſubjacebit.

Nullus Epiſcoporum alterius præſumat parochianum ordinare, aut judicare: unuſquiſque enim ſuo domino ſtat aut cadit. Nec tenetur aliquis ſententia, non à ſuo judice prolata.

Nemo excommunicatum alterius præſumat in communionem ſuſcipere. Quod ſi ſcienter fecerit, & ipſe communione careat Chriſtiana.

Præcipimus etiam, ne uni perſonæ Archidiaconatus, vel diverſi ordinis tribuantur honores. C

Presbyteris, diaconibus, ſubdiaconibus, Canonicis, uxorum, concubinarum, & omnium omninò feminarum contubernia auctoritate Apoſtolica inhibemus, præter matrem, ſororem, amitam, ſive illas mulieres, quæ omni careant ſuſpicione. Qui hujus decreti violator extiterit, confeſſus vel convictus ruinam proprii ordinis patiatur.

Uſuram & turpe lucrũ clericis omnibus prohibemus. Qui verò ſuper crimine tali confeſſus, fuerit convictus, à proprio gradu deiiciatur. D

Sortilegos, ariolos, & auguria quæque ſectantes, eisque conſentientes excommunicari præcipimus, perpetuaque notamus infamia.

Inter conſanguineos ſeu affinitate conjunctos uſque ad generationem.... matrimonia contrahi prohibemus. Si qui taliter conjuncti fuerint, ſeparentur.

Interdicimus etiam; ut viri proprias uxores de conſanguinitate impetentes, & teſtes quos adducunt, non ſuſcipiantur, ſed priſca Patrum ſervetur auctoritas. Placet vobis? Placet. Placet vobis? Placet. Placet vobis? Placet.

Vvillelmus Archiepiſc. Cant. Legatus Apoſtol.

Inde Cardinalis relicta Anglia Normandiam vadit, ac demum revertitur Romam. Vvillelmus quoque Archiepiſcopus, conſiderans Eccleſiam regni Anglorum in Cantuarienſis Eccleſiæ humiliatione gravi ſcandalo conſternatam: tranſiit ipſe mare, Romam iturus, rebus, quæ non æquè proceſſerant (ne pari exorbitatione ampliùs procederent) opem pro poſſe laturus. Venit ergò Romam, & ab Honorio ſummo Pontifice, qui Calliſto ſucceſſerat, honorificè ſuſceptus eſt. Cui idem Apoſtolicus vices ſuas in Anglia & Scotia commiſit, & Apoſtolicæ Sedis Legatum conſtituit] Hucuſque auctor de rebus geſtis anni hujus.

S. Norbertus Romã ad Honorium venit.

Venit quoque Romam hoc anno ad Honorium Papam, audita ejus creatione, ſanctus Norbertus Præmonſtratenſium inſtitutor, à quo benignè exceptus eſt, & antequàm recederet, quidquid voluit, impetravit de ſui Ordinis inſtitutione. In reditu autem idem Norbertus de ſua electione in Epiſcopum divinitùs emiſſum oraculũ accepit. Hæc pluribus Hugo (a) ejus temporis ſcriptor in vita ipſius.

a *Hugo in vit. ipſius c. 52. apud Sur tom. 3. die 6. Junii.*

JESU CHRISTI ANNUS 1126. HONORII PAP. II. ANNUS 2. VACAT. IMP. OCCID. 1. JOANNIS COMN. IMP. 8.

I. Vigeſimusſextus poſt milleſimum centeſimum annus adeſt, Indict. quarta, quo Honorius Papa Romæ degens, duorum præcipuorum Abbatum, Caſſinenſis & Cluniacenſis cauſas cognoſcens, eoſdem lata ſententia condemnavit. Quod autem in primis ad Caſſinenſem pertinet, præter illa quæ ſuperiùs dicta ſunt, rem ſic habeto ex Petro (b) diacono Caſſinenſe: Pontifex autem cùm Nicolaum electum ignoraret, Gregorium Cardinalem tituli Apoſtolorum ad monaſterium dirigens, mandat ut ejuſdem conſilio Seniorum Capuani monaſterii Præpoſitum Abbatem Fratres eligerent, ex cujus promotione & Deus honoraretur, & religionis ſtatus in famoſo Caſſinenſi monaſterio roboraretur, bonaque Eccleſiæ tàm ſpiritualia, quàm temporalia in dies augerentur: ipſe pro viribus monaſterio favere ſemper paratus eſſet. Veniens autem Cardinalis ad monaſterium, Fratribus quid Papa præceperit, nuntiat. Quod dum Fratres audiſſent, murmur inter eos protinùs oritur, dicentes, non debere Caſſinenſis Abbatis electionem in alterius poteſtatem tranſire; iniquum & indignum eſſe, ut Caſſinenſis Eccleſia, quæ libera ſemper extiterat, maximo pudore Cardinalibus ſubjiceretur.] Dicere veriti ſunt, Papæ, vel addere (quod erat) Cardinalibus Legatis Apoſtolicæ Sedis, quibus Epiſcopos, Archiepiſcopos, & Patriar- E chas parere neceſſe eſſet. Ut planè redarguendi fuiſſent magnæ ingenii tarditatis, & imperitiæ, vel mentis nimis elatæ faſtus. At Gregorius Cardinalis ratione potiùs eos vincendos, quàm cohibendos auctoritate putavit, cujus tunc ad eos habitam orationem ſic recitat Petrus:

b *Pet. diac. l. 4. c. 91.*

Legatio miſſa à latere ad cõponendas res Caſſinates.

II. Greg. Legati oratio ad Caſſinatea monachos.

Tunc ille, imperato ſilentio, Fratribus dixit: Ego hùc neque pro Papæ Honorii lucro, neque pro Romanæ Eccleſiæ honore, ſed pro ſalute animarum veſtrarum, ſi permittatis, adveni. Romana enim Eccleſia veſtro auxilio & laude non indiget,

quæ præconium laudia in Petro ex ore ipſius Redemptoris emetuit. Quænam autem Eccleſia, vel monaſterium à Romanæ Eccleſiæ non diſponatur arbitrio, cujus imperio cœlum ipſum aperitur, & clauditur? Omnes quippè Eccleſiæ à Pontificibus, Imperatoribus, Regibus, vel quibuſcumque Fidelibus conditæ ſunt: Romanam verò Sedem ſolus ſundavit Filius Dei, & ſuper Petri Apoſtoli erexit fidem, cui etiam terreni ſimul & cęleſtis Imperii jura commiſit: & illud Verbum, quod condidit cęlum & terram, Romanam fundavit Eccleſiam. Atque ut omiſſis cæteris, ad ea de quibus nunc agitur, veniamus: ſicut Apoſtolorum Principes Petrus & Paulus Romanam Eccleſiam ſuo ſanguine conſecrarunt; ita Caſſinenſe cœnobium per beatum Benedictum, qui Romæ doctus fuerat, & per cives Romanos Maurum & Placidum habuit fundamentum. Neque illud ignoratis, quòd deſtructo à Longobardis monaſterio, Fratres juxta Lateranenſe palatium centum fermè & triginta annis habitarunt. Ac demùm Caſſinenſem Eccleſiam non alii quàm Romani Pontifices extruxerunt. Gregorius ſcilicèt, & Zacharias. Quæ rursùs à Sarracenis incenſa, iterùm à ſancto Agapito eſt reſtaurata. Cùm igitur hujus cœnobii fundatores ex Romanæ Eccleſiæ diſciplina prodierint, ejuſque inſtauratores Romani Pontifices fuerint: conſequens eſt juxta ſanctorum Patrum inſtituta, ut Eccleſia Romana mater & domina, Caſſinenſis autem ejus ſpiritualis appelletur filia. Revolvite Caſſini cuncta monimenta, ſcrutamini Annales, & an ita ſe habeant res, ipſi judicate: ſin autem ſe aliter habent, mendacii arguite. Sin verò habent, ut dixi, nolite veritati reſiſtere, nolite Romanæ Eccleſiæ repugnare, nolite ejus juſſionibus contraire, ſed ex cujus uberibus Fidei * juramenta cępiſtis, ejus juſſis per omnia obtemperare curate.] Hæc Gregorius, factus tamquàm parvulus in medio eorum (ut Apoſtolus ait (a)) hiſce rudimentis eos imbuere, & demulcere verbis pro viribus ſtuduit animo elatos & iratos, cùm illud ſatis ad juſtitiam inculcaſſet. Si quidquid ſunt monachi Caſſinates, profectò privilegiis Romanorum Pontificum exiſtere convincuntur: quid ergò in eos ſuperbè reſilire contenderent? Porrò Gregorius ipſe revocatus in Urbem, legatur in Gallias unà cum Petro Leonis, de quorum legatione inferiùs in fine anni hujus dicturi ſumus.

*al. elementa ſuxiſtis.

a 1. Theſſ. 2.

III. Quantum autem illi Gregorio audito profecerint, audi ex eodem eorum diacono Petro: Tunc, inquit, Fratres, temporis objecta neceſſitate, Apoſtolici voluntatem ſe impleturos pollicentur, dum tempus opportunius viderint. Sicque diſceſſum à Capitulo eſt.] At quantum nocuerit non ſtatim capeſſiſſe mandata Pontificis, ex iis planè tragicis, quæ ſubiicit idem Petrus, intelliges, cùm videlicèt duo illi Abbates, Oderiſius, & Nicolaus acerbiſſimo contra ſe invicem odio concitato, ad comparandos armatos omnem monaſterii theſaurum dilapidant atque diſpergunt. Nam audi ſpectantem iſta omnia Petrum diaconum: (b)

b Pet. diac. l. 4. c. 91.

IV. Quinta paſſu Caſſinenſe cœnobium à ſuis Abbatibus.

Oderiſius verò cognita Nicolai electione, agiliter ad arcem, quæ Bantram dicitur, penetrat, & pecunias largè diſtribuens undecumque milites collegit, igni & ferro cuncta Nicolao faventia caſtra demoliri ſolotenùs cœpit, Nicolaus hoc agnito, Robertum Jordanis Principis filium in ſuum auxilium evocat, atque ad monaſterium dirigens, ad ſe deferri juſſit aquimanilia argentea librarum novem, quæ Savinus (ut ſuprà diximus) beato Benedicto donaverat; aquimanilia argentea Stephani Papæ, altare aureum cum gemmis pretioſis; calicem magnum Saxonicum, quem Theodoticus Saxonum Rex beato Benedicto tranſmiſerat, Epiſtolarium aureum Deſiderii Abbatis; textum Evangelii Henrici Imperatoris cum gemmis pretioſis, Evangelium aliud; thuribula argentea novem; coronas argenteas totidem, ponderis alias novem, alias duodecim librarum, quas Otto Imp. Hugo Marchio, aliique Fideles ſancto Benedicto obtulerant; calicem librarum novem; alios calices quinque; concham librarum ſeptem, candelabrorum paria tria, coronas quatuor, ſingulas librarum decem & octo; conchas duas librarum octo; cucumellum librarum ſex; textum Evangelii, ſcutellam magnam, urceum Ducis cum aquimanili ſuo. Hæc omnia argentea, crucemque auream ab Eccleſia abſtrahens, & caſtrum non recuperavit, & grave contra ſe odium monachorum excitavit.] Quid demum poſt animoſitates, bella, incendia, atque cædes? Oderiſius (ſubdit Petrus (c)) cernens, Romanum Pontificem in omnibus ſibi adverſari: ſera ductus pœnitentia, Romam perrexit, proſtratusque illius pedibus, Abbatiam in manibus ipſius renuntiavit, &c.] Nicolaus non ſic, ſed in ſchiſmate perſtitit. De quo idem Petrus inferiùs:

c Idem ibi. c. 94. 95.

V. Reiicitur Nicolaus eligitur, Abbas ex Papæ voluntate.

Comperto Honorius monaſterii negotia quotidiè in deteriora proficere, eumdem Nicolaum ut inutilem ab officio removit Abbatis, Fratribusque mandavit, ut ſi ſibi parere, ſuæque ordinationi ſtare vellent, nobili & antiquo beati Benedicti monaſterio tàm in ſpiritualibus, quàm in temporalibus inſtaurando tota intentione ſtuderent.] Monachi igitur ſuo damno experti, quàm malum & amarum eſſet reluctari Sedis Apoſtolicæ obedientiæ, in omnibus Honorio Papæ parere deliberant. Nam de eis pergit Petrus: Fratres, qui Nicolaum ob theſaurum diſſipatum, & amiſſam terram jamdudùm exoſum habebant, venienti ad monaſterium januam in faciem claudunt, Honorioque renuntiant, ut veniat, ſe, ſuaque in ejus poteſtate permittentes. Ille lætior factus, Matthæum Epiſcopum Albanenſem ad monaſterium diri-

dirigit, mandâtque Fratribus, ut quem ipſe idoneum ex Romanæ Sedis auctoritate cenſeret, hunc ipſi omni mora ſepoſita eligerent.] Quod & factum. Nam ab Honorio Papa propoſitum Abbatem illum Capuanum, de quo ſuperiùs, Senioretum nuncupatum, ſibi elegerunt Abbatem, quem ipſe Pontifex Caſſinum pergens, profecturus Beneventum, ſacris ritibus conſecravit, hæc omnia exceſſere limites anni hujus: Nam Nicolaum ſediſſe annum unum, menſem unum, & dies ſexdecim, idem Petrus aſſirmat. (a)

a Pet. diacon lib. 4. c. 91.

VI.

Jam verò quomodò ejuſdem Apoſtolicæ Sedis judicio, hoc anno, Romæ definita fuerit Cluniacenſium cauſa, dicendum. Ipſum enim Pontium invaſorem, excommunicatum vi tractum Romam ad judicium ſubeundum, anno ſuperiori, dictum eſt ex Petro Abbate Cluniacenſi, rem geſtam exactè ſcribente, qui pergit de Cluniacenſibus Romam miſſis, ad dicendam cauſam vocatis: (b) Obtemperat ſtatim para cuncta noſtrorum, & inter innumeros monaſteriorum Priores, cauſa cujus hæc interjecta ſunt, jam dictus venerandus Matthæus advenit. Adeſt & Pontius licèt invitus cum ſuis. Et denominata die, ut judicium ſubeat, advocatur. Præcipitur tamen, ut quia excommunicatus nec agere, nec judicium canonicè ſubire poteſt, priùs ſatisfaciat, & ſatisfaciendo ſe vinculo, quo jure vinctus fuerat, ſolvat. Mittuntur à Papa Nuntii, & ex parte mittentis, ut de tantis malis ſatisfaciat, jubent. Reſpuit ille, nec ſe ab aliquo viventium anathematis vinculo vinciri poſſe affirmat: ſolùm eſſe Petrum in cœlis, præter quem nulli hoc licere fatetur. Commoto multò magis tali ejus reſponſo domino Papa, totaque ſimul inde Urbe turbata: non ſolùm excommunicatum, ſed & ſchiſmaticum cuncti proclamant. Et quia (ut dictum eſt) niſi ſolutus ad judicium admitti non poterat: ſuos qui cum eo venerant, utrum quod ille nolebat, illi ſaltem ſatisfacere vellent, reſponſum miſſis dominus Papa Nuntiis quærit. Qui ſtatim pro ejus imperio paratos ſe eſſe reſpondent. Intrant ergò palatium nudis pedibus cuncti, & reos ſe in conſpectu univerſorum fatentes, protinùs abſolvuntur. Abſoluti cauſam ingrediuntur, & nihil quod vel ſibi, vel illi pro quo agebant, ſuffragari poſſet, intactum relinquunt.

b Petr. Clun. lib. 2. mirac. c. 13

Judicium de Pontio exhibetur Romæ.

VII.

Aſſumit ſibi ex parte alia vocem univerſorum venerandus Matthæus, & ſapienter de tota cauſa perorat. Surgit ſtatim auditis partibus Papa, & tota Romana Curia ſibi adjuncta, ad rem examinandam in partem ſecedit. Moratur diu, cedit cum cunctis poſt aliquot horas ad Sedem: ut inventam ex conſilio ſententiam ferat Portuenſi Epiſcopo jubet. Fert ille juſſus ſententiam, & ut ipſa ejus verba referam: Pontium, inquit, invaſorem, ſacrilegum, ſchiſmaticum, excommunicatum ab omni Eccleſiaſtico honore vel

Damnatus Pontius morbo interiit.

A officio ſancta Romana & Apoſtolica Eccleſia in perpetuum deponit, & Cluniacum monachos, vel cuncta ad idem monaſterium pertinentia Abbati, qui in præſentiarum eſt, cui injuſtè ſubtracta fuerant, reſtituit. Data ſententia, uniuntur qui diviſi fuerant, & velut in momento redintegrato Cluniacenſi corpore, tantus tàmque diutinus malorum turbo ſedatur. Irruit poſt paucos dies tàm in victos, quàm in victores Romanus ille peſtifer morbus & penè omnes tàm monachos quàm famulos in brevi proſternit. Invadit vix elapſo menſe & dominum Pontium, paucisque B diebus interiectis, extinguit. De cujus fine epiſtolam mihi à ſupradicto beatæ memoriæ Papa Honorio directam (ſi fortè ejus notitia utilis judicatur) adjungo.

VIII.

Honorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Petro Cluniacenſi Abbati ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Præterito menſe Decembri Pontius viam univerſæ carnis ingreſſus eſt, qui quamvis de malis Cluniaco illatis ſæpè commonitus, pœnitentiam agere noluerit: nos tamen pro reverentia ejuſdem monaſterii, cujus monachus fuerat, eum honeſtè ſepeliri fecimus. Data Laterani.]

Honorii Pap. Epiſt. de Pontii obitu & ſepultura.

C Hic finis Pontii infeliciſſimi, de quo loco epitaphii ſepulchralis hos tunc cecinit verſus Petrus Pictavenſis:

Grande lucrum facimus, quia cauſa ſchiſmatis hujus.
Corruit ex toto perfidus ille draco.
Cùmque caput lubricum ſuſtollere nititur anguis,
Rumpitur, & moriens atra venena vomit.
Interiere nigri præſtigia ſæva colubri,
Nec patitur monſtrum vivere Roma diu.
Sed mox ancipiti gladio fera colla trucidans
Defendit Petrum Petrus ab hoſte ſuum.]

D Ex his autem malis tulit illud Eccleſia Romana compendium, ut ex monachis Cluniacenſibus Matthæum illum, qui ea de cauſa Cluniaco Romam venerat, virum ſanctiſſimum acceperit in Cardinalem, cujus vitam planè mirandam ipſe qui ſuprà Petrus Cluniacenſis Abbas ſcriptis mandavit. Qui enim ob defenſionem ſuorum Cluniacenſium cùm primarii Abbatis præceptum unà cum aliis in Romanam Curiam intuliſſet (quòd non poſſit abſcondi civitas ſupra montem poſita) cùm qualis eſſet, ipſi Honorio Papæ optimè innotuiſſet, E eumdem ſtatim abſoluta cauſa creavit Cardinalem Epiſcopum Albanenſem. De cujus promotione, & vitæ monaſticæ inſtituto retento accipe quid Petrus dicat: (c)

c Petr. Clun. lib. 2. mirac. c. 14

IX.

Cauſa jam dicta Matthæus tractus ad Urbem, ea ſic definita, redire cum ſociis ad propria feſtinabat. Sed qui neſcientem vocaverat Deus, reditum impedivit, & quia ſuper pauca fuerat fidelis; eum ſuper multa, ut expertum diſpenſatorem promovit. Injungit ei cum honore nominandus Papa Honorius majoris honoris & oneris paſtoralem curam, & cum labori ſuo ſocium adhibens, in Epiſcopum Albanum

Matthæus Epiſcop. Card. Albanenſis ex Monacho Clun.

num conſeceat. Provectus ergò ad ſnblimen pontificalis ordinis gradum, & ſupec Eccleſiæ candelabrum ad lucendum omnibus qui in domo erant, magnificè exaltatus; nihil de monacho quorumdam more dimiſit, ſed ſicut de magro Martino legitur, eadem in corde ejus humilitas, eadem in veſtitu ejus vilitas manſit. Nihil de officiis, nihil de cantibus, nihil de prolixa Cluniacenſi pſalmodia quacumlibet curarum prætextu reliquit. Servabat in palatio inſtituta clauſtri, & mundo expoſitus, firmo & longo uſu velut innato celigionis, propoſito à ſæcularibus vanitatibus ſe quaſi ſepto firmiſſimo ſecernebat. B Cohibebat ſe intra ſe, numquam (ſicut de quodam dictum eſt) magis ſolus quàm cum aliis, numquam negotioſior quàm cùm ſolus erat. Peæſerebat cunctis opecibus ſuis, omnibusque ſanctis ſtudiis ſacrificandi Dco illum ſuum quotidianum uſum, à quo nec rei ſamiliaris cura, nec mulriplex occupatio, nec ipſa continua poſt ſummum Pontificem omnium Eccleſiarum ſibi impoſita ſollicitudo eum cetrahere poterant. Conquerebatur inde ſæpiùs Papa: & aliis ad Curiam mane, ex more, convenientibus, ipſi ad hocam tertiam vix occurecnti, quòd plùs nimio eſſet mona- C chus, velut improperabat. Nec hoc tantùm Romæ, ſed eriam ubique terrarum ſtudioſè ſeevabat. Urebatur ſæpè æſtivis diebus acriore Italici Solis ardore, quòd matutinas in his ſacris officiis occupans horaa, extrahi ab eccleſia circa ſextam quandoque horam via poterat. Et quia non ſolùm ſimplex religioſa innocentia, ſed & prudens erat ſingulaci ſapientia, mittebatur ſæpè à magiſtro ad diverſas partes oebis terrarum & vices Apoſtolicas, in partem ab eo vocatus ſolicitudinis, prudentec adminiſtrabat.] Quaeum prima illa fuit legatio ejus, cùm mox (ut D audiſti) ad conciliandos Caſſinates monachos ab eodem Pontifice mittitur, reque benè & ex ſententia geſta, ad ipſum Romam rediit. De reliquis autem ſuis locis dicetur inſeriùs. Ut planè appareat ea cunctis rebus ab eo benè geſtis, ejus in Cacdinalē electione magnoperè illuſteatā fuiſſe Romanam Eccleſiā. Sed de his hactenùs.

X. Cur tanta mala pati Deus permiſit Cluniacenſes.

Hoc eodem accidit tempore, ut inter Cluniacenſes & Ciſtercienſes monachos graves diſſenſiones oriecentur occaſione obſervationis Regulæ ſancti Benedicti, ſub cujus ſtipendiis licèt ſub habitu diveeſo uterque Ordo militaret, alter (*a*) alterum (*b*) redarguens inobſervantiæ atque E prævacicationis ejuſdem. Verùm non eò proceſſit iſta contentio, ut intec eos chacitas ſcindeeetur, quinimmò magia magisque, ut benè fixa radice arbor ventis conſolidatur, inter eos firmata ſuerit & ſtabilita; quamvis humani generis hoſtis cauſas plurimas diſcordiarum diverſis temporibus (ut inferiùs apparebit) ſubminiſtrarit. Fuit inter alia illa prima, qua his diebus ſanctua Bernardus valdè permotus eſt, cùm ipſi Cluniacenſea pellea iſſent A (ut nuntiatum Beenardo fuit) ejus affinem monachum Ciſtercienſem & ſeduxiſſent blanditiis, ut transiret ad Cluniacenſes: pro qua re & diſpenſationem Apoſtolicam impetraſſent. Tulit planè animo indigniſſimo id factum Bernaedus, arque ad cevocandum adoleſcentulum ſceipſit primam ordine poſitam epiſtolam, quam ſicut aſflatus Spicitu ſancto dictavit; ita Dei eſſe opus, quod perficere conaretur, miraculi peeſpicua evidentia eſt declaratum. Cùm enim ſub dio dictaret illam ſereno cœlo, & inter dictandum improviſa oborta pluvia amanuenſis à ſcribendo ceſſaret, B & inde cecedere vellet ad tectum locum; prohibuit eum Sanctus illud uſurpans: opus Dei eſt, curat ipſe ſua. Quò factum eſt, ut renovatum fuerit miraculum exhibitum Gedeoni, cùm undique madente terra denſis imbribus, charta illa, in qua epiſtola ſccibebatuc, neque à gutta pluviæ oſtendi potuit eſſe læſa.

a Bern. apolog. ad Vuillel. Abb. S. Theodoric.

b Pet. Clun. l. 3 epiſt. 28. & l. 5. ep. 16.

XI. S. Bernardo Petrus indulſit.

Factum eſt autem, ut cùm eadem epiſtola ad Cluniacenſe perlata eſſet monaſterium, lectaque ab ejus Abbate Peteo, viro planè celigioſiſſimo, ſanctoque Bernardo (quantum humano judicio poteſt intelligi ea ſcriptis, magisque ex rebus ab C eo præclarè geſtis) charitate non impare: tantùm abeſt, ut ex eis turbatus animo, adversùs ipſum indignationem concepecit, quin magis compaſſus fuecit, eique indulgendum duaerit, adeò ut non ipſum Robertum ſolum ceſtituerit, ſed & alios conceſſecit monachos, qui apud ſe eſſent, quos ſciret eidem ſancto Beenaedo eſſe chariſſimos. Quinam autem iſti fuecint, quos benignè ad Ciſteecienſes ex Cluniacenſibus cedire ſececit, cecenſet idem Petrus in epiſtola (*c*) quadam ad eumdem ſanctum Bernardum data, qua peteret monachum Cluniacenſem ad breve temporis D ſpacium ad ſe mitti ex monaſterio Claræ-vallenſi, ſic dicens: Cur ergò, mi chariſſime, unus ſaltem mihi per menſem non conceditur; cùm ego Petrum, cùm Robertum ſanguine proximos, cùm Guarnecium, cùm quoſdam alios, tractus amore tui, tibi non menſe uno, ſed perpetuò conceſſecim? Quot ego Abbates, quot monachos aliis, ne dicam, alienis eccleſiis, litteris tuis, vel conſiliis victus conceſſi? Nec me pœnitet amico ceſſiſſe: cui & adhuc in plucibus paratus ſum cedere, &c.] Sic igitur inter duos ſanctiſſimos Abbates iſtos, ſuper ſeminante antiquo hoſte zizania, tantùm abeſt ut creverint ipſa uſque ad meſſem, ſed nec ſiverint ipſi ea E in ſegetem coaleſcere, quin continuò evulſa quamprimùm aruerint: ut ex his, quæ inferiùs dictuci ſumus, perfacilè apparebit. At de his modò ſatis.

c Petr l. 6. epiſt. 36.

XII.

Quo anno ſanctus Norbertus, cùm accepiſſet Romæ ab Honorio Papa confirmationem inſtituti à ſe Ordinis Præmonſtratenſium, reverſus in patriam, diſpoſitis cebus, vocatur Antuerpiam, ut Eccleſiam illam novi hæreſiarchæ opera labefactatam adjuvaret. Quinam hic fuerit hæ-

rit hæreſiarcha, & quæ ejus nefandæ aſſertiones, ſic accipe ab Hugone (a) ejus temporis auctore, qui ait: Non eſt autem prætereundum, quare vocatus fuerit ad ſuſcipiendam Antuerpienſem Eccleſiam. Eſt Antuerpia oppidum ampliſſimum & populoſum, in quo unus erat tantùm ſacerdos, qui curam totius populi ibidem commorantis gerebat: ſed præ nimia multitudine & frequenti negligentia non poterat: Nec credebatur ei, quòd & ipſe quaſi in conjugio & copula carnali neptem ſuam in tertio gradu maniſeſtè ſociam ſui ſceleris haberet. Hanc ob cauſam populus ille quaſi grex abſque paſtore per multos errorum anfractus deviabat. Unde contigit, ut hæreticus quidam miræ ſubtilitatis, & ſeductor, Tanchelinus nomine illuc adveniens, in eadem gente locum ſuæ impoſturæ inveniret. Erat is omnium hominum ſceleratiſſimus, Deique & omnium ſacramentorum ejus, totiuſque religionis, & Chriſtianæ Fidei hoſtis. Ita ut miniſterium Epiſcoporum & ſacerdotum nihil eſſe diceret, & ſacroſancti corporis & ſanguini noſtri JESU CHRISTI perceptionem ad ſalutem perpetuam prodeſſe negaret.

a Hugo in vit. Norb. c.34. apud Sur. tom.3. die 6. Jun.

Tranchelinus ſacramentariorum præcurſor.

XIII. Itaque illum populum, cui jam per multa tempora horum veritas nuntiata non fuerat, in hos errores induxit. Credebant ei & ſequebantur eum circiter tria millia armatorum, nec erat Dux, aut Epiſcopus, aut Princeps, qui auderet ei reſiſtere, vel occurrere, nec ante eum, niſi ſectam ejus amplecteretur, apparere. Cum pretioſo apparatu, in veſtibus deauratis, triplici funiculo crinibus intortis, & auro intexto ligamine triplicatia incedebat, verbiſque perſuaſibilibus, magniſque conviviorum apparatibus benevolentiam eorum ad ſeducendos eos exhauriebat. Res mira & ſtupenda, lotiones ejus bibebant, & reliquiarum loco aſportantes recondebant, & cùm filias in matrum præſentia, ſponſaſque maritis videntibus corrumperet: opus ſpirituale id eſſe aſſerebat. In tantum, ut infelicem ſe diceret, qui huic conjunctioni nefariæ miſceri non meruiſſet. Hæc turpiſſima & deteſtanda hominis impoſtura, etiam poſt mortem ejus extirpari nullatenùs potuit, licèt duodecim clericorum congregatio ab Epiſcopo in ſubſidium ſacerdotia, qui ſolus erat, in Eccleſia ſancti Michaelis inſtituta eſſet, &c.] Subiicit de laboribus ſancti Norberti & clericorum, ab eo illùc miſſorum, ad convellenda ziaania, ab homine omnium peſſimo ſeminata. Videant noſtri temporis Novatores, quibus præcurſoribus gloriari poſſint, & quos ſe ſuorum dogmatum habere Patriarchas exultent. Eant poſt eos, quos omnium nefandiſſimos tunc & ſemper Eccleſia devovit atque damnavit. Miſeros verò Antuerpienſes ſicut oves ſine paſtore à lupo vorari, facile fuit. Sed audita à Chriſti præconibus veritate reſipiſcentes, errorem que deteſtantes converſi ſunt. Sed fuerunt hujus temporis conſortes erroris ejuſdem vel ſimilium alii, qui eodem tempore Honorii Papæ cogniti aſſeruntur.

XIV. Haud diſſimilis planè Tanchelino fuit, nec impietate diſpar Petrus de Bruis dictus, qui bis item temporibus eoſdem fermè errores diſſeminavit in provincia Arelatenſi, & aliis adjacentibus locis, qui per annos viginti impiè agens, impiè ſcribens & loquens perduravit. Adversùs quem diffusè ſcripſit Petrus (b) Cluniacenſis eam primùm epiſtolam, quam dedit ad Ebredunenſem Archiepiſcopum, & alios Epiſcopos, in quorum diœceſibus nefarius homo hæreſes propagavit; & aliam ad alios, nempè Arelatenſem, & alios, quæ tamen primo loco ab ipſo poſita legitur. Ubi inter alia de priori atque prolixiori epiſtola iſta habet: Scripſi nuper epiſtolam reverentiæ veſtræ, contra hæreſes Petri de Bruis diſputantem.] Et paulò pòſt: Vobis eam mitto, quoniam in partibus veſtris, aut circa eaſdem, ſtulta illa & impia hæreſis more peſtis validæ multos interfecit, plures infecit, ſed gratia Dei concitante & adjuvante veſtra ſtudia, à veſtris regionibus ſeſe paululùm removit. Migravit autem, ſicut audivi, ad loca ſatis vobis contigua, & à Septimania veſtra, vobis perſequentibus expulſa, in provincia Novempopulana, quæ vulgo Gaſconia vocatur, & in partibus ei adjacentibus ſibi foveas præparavit, in quibus nunc ſe timore occultans, nunc de ipſa audacia aſſumpta prodiens, quos poteſt, decipit, quos poteſt corrumpit & nunc illis, nunc iſtis lethalis venena propinat. Veſtrum eſt igitur, ad quos præcipuè tàm ex officio, quàm ex ſingulari ſcientia in partibus illis cura Eccleſiæ Dei ſpectat, & quibus ipſa velut fortibus columnis maximè innititur, veſtrum eſt, inquam, & à locis illis, in quibus ſe latibula inveniſſe gaudet, & prædicatione, & etiam ſi neceſſe fuerit, vi armata per laicos exturbare.] Et inferiùs: Et quia prima erronei dogmatis ſemina à Petro de Bruis per viginti ferè annos ſata & aucta quinque præcipuè venenata virgulta produxerunt, contra illa maximè, ut potui egi, ut circa ea ſe animus & verba attentiùs occuparent.] At quænam iſta, inferiùs ita repetit, dicens:

De Petro Broiſino hæretico.

b Pet. Clun. l.1. ep.1. 2.

Primum hæreticorum capitulum negat, parvulos infra intelligibilem ætatem conſtitutos Chriſti baptiſmate poſſe ſalvari, nec alienam fidem poſſe illis prodeſſe, qui ſua uti non poſſunt.

XV. Secundum capitulum dicit, templorum vel Eccleſiarum fabricam fieri non debere, factas inſuper ſubrui oportere, nec eſſe neceſſaria Chriſtianis ſacra loca ad adorandum &c.

Capita Hæreſum.

Tertium capitulum Cruces ſaccas confringi præcipit, & ſuccendi, quia ſpecies illa vel inſtrumentum, quo Chriſtus tàm dirè tortus, tàm crudeliter occiſus eſt, non adoratione, non veneratione, vel aliqua ſupplicatione digna eſt, ſed ad ultionē tormentorum, & mortis ejus, omni dedecore

core dehoneſtanda, gladiis concidenda, ignibus ſuccendenda eſt.

A

Quartum capitulum non ſolùm veritatem corporis & ſanguinis Domini quotidiè & continuè per ſacramentum in Eccleſia oblatum negat, ſed omninò illud nihil eſſe, neque Deo offerri debére decernit.

Quintum capitulum ſacrificia, orationes, eleemoſynas, & reliqua bona pro defunctis Fidelibus à vivis Fidelibus facta deridet, nec ea aliquem mortuorum vel in modico poſſe juvare affirmat.] Hæc erant Petri nebulonis deliramenta; cujus quis finis extiterit, ita paulò inferiùs:

XVI. Poſt rogum Petri de Bruis, quo apud S. Ægidium zelus Fidelium flammas Dominicæ Crucis ab eo ſuccenſas, eum concremando ultus eſt, &c.] Igne crematum oſtendit, poſtquàm impius atque ſacrilegus homo ſacroſanctas cruces ſimul in unum congeſtas una combuſſit. De quo adeò immani facinore agit idem Petrus in priori epiſtola, dum adversùs ipſum ſanctæ Crucis impugnantem cultum inſurgit, itque: Prævenistis ſceleſtis operibus celeritatem verborum, & profundis in religionem odiis (quod vel cogitare ſceleſtum erat) inſigne noſtræ Fidei tollere attentaſtis. Quod tunc factum eſt, quando ad inauditam divinitatis contumeliam, magno de crucibus aggere inſtructo, ignem immiſiſtis, pyram feciſtis, carnes coxiſtis, & ipſo paſſionis Dominicæ die Paſchalem Dominicam præcedente, invitatis publicè ad talem eſum populis, comediſtis.] Ita impius horum omnium malorum incentor, qui in ignem immiſit cruces, ipſe eſt injectus in ignem, & qui ejuſmodi ex crucibus igne confecto carnes coxit, ſuæ ipſius carnes ſunt traditæ concremandæ, ita ulciſcente numine nefandiſſima ſceleſtiſſimi hominis ſacrilegia. At quoniam in Henrico apoſtata impia ejus hæreſis revixit & magis aucta eſt, cùm & ipſe Petrus duas has epiſtolas ſcripſit, atque etiam ſanctus Bernardus, ſcriptis & prædicatione ſequentibus ſignis eamdem potentiſſimè exagitarunt; quando id contigit poſt vigeſimum annum ab hoc tempore, ſuo loco pluribus dicturi ſumus, & quomodò penitùs extincta fuerit, pariter narraturi. In quibus planè videbis recentiorum hereticorum impia dogmata etiam validiſſimè confutata, prout facilè intelliget, qui tùm ejuſdem Petri Cluniacenſis duas epiſtolas, totidemque ſancti Bernardi eodem argumento conſcriptas legerit, & edita ab ipſo tunc miracula pariter audierit, ſed jam quæ ſunt anni hujus reliqua videamus.

B

C

D

E

XVII. Obitus S. Stephani Abbat. Grandimontenſis ordinis. Hoc eodem anno Redemptoris milleſimo centeſimo vigeſimoſexto, Idibus Februarii ex hac vita deceſſit ſanctus Stephanus Arvernenſis Grandimontenſis Ordinis inſtitutor, quod ex ejus vitæ Actis, quæ apud Vincentium (a) deſcripta fideliſſimè leguntur, ita colligitur. Cùm enim teſtetur auctor, anno Redemptoris milleſimo ſeptuageſimoſexto eumdem Sanctum cœpiſſe eremum colere, anno ſuæ ætatis trigeſimo, obiiſſe verò octogenarium: qui igitur tricenarius erat dicto anno ſeptuageſimoſexto ſupra milleſimum, hoc anno milleſimo atque centeſimo vigeſimoſexto ad octogeſimum oportuit perveniſſe ſuæ ætatis annum.

(a) Vincent. Bell. ſpec. hiſt. lib. 25. c. 46. 47. 48. 49.

Quomodò autem paulò ante obitum convenerunt eum Sedis Apoſtolicæ Legati, ſic accipe: Miri odoris fragrantiam cum eo loquentes & aſtantes circa eum ex eo procedere ſentiebant, utpotè in quo ſuavitatis auctor requieſcebat, & in quo virginitas ac mentis ac corporis humilitas eminebat. Excellentiſſimi quoque Cardinales Gregorius & Petrus Leonis, inter quos poſtmodùm de Papatu ſchiſma fuit, cùm in Galliam miſſi in partibus Lemovicinis legatione ſua fungerentur, ad hunc virum Dei pariter convenerunt, & vivendi formam hanc à quo didiciſſet, & cur in loco tàm ſterili maneret, diligenter inquirentes, verbaque prudentiæ, & humilitatis admirantes lætabundi receperunt. Octavo autem die ab eorum receſſu, nullo tamen adhùc dolore vexatus, ab exteriori colloquio cœpit vacare, ſeque totum doctrinæ diſcipulorum & orationi conferre, ſciens per Spiritum ſanctum, obitum ſuum appropinquare: ita demque doloribus oppreſſus accepta ſacra unctione atque viatico, feliciter reddidit Deo ſpiritum.] Cujus ſanctitas pluribus argumentis eſt declarata, quæ ab eodem auctore narrantur. Hæc modò ſatis ad noſtri rationem inſtituti.

Greg. & Petrus Leonis Legati Apoſtolici.

XVIII. Eodem anno beatus Godefredus Weſtphalus Comes Cappenbergenſis, qui unà cum germano ſuo ad prædicationem ſancti Norberti ſæculum reliquiſſet, tribus erectis monaſteriis, conjuge ſummo conſenſu inter moniales profitente, poſt multas tribulationes, magna animi conſtantia toleratas, & perſeverantiam exactiſſimam in regulari diſciplina, clarus meritis ad Deum migravit die decimatertia Januarii, anno ſuæ ætatis fermè trigeſimo. Extant res præclarè ab eo geſtæ ſcriptis mandatæ à viro religioſo ejuſdem Ordinis & ætatis, quas temporis iniquitate oblivione ſepultas revocavit in lucem, lucis ipſe jubar Germaniæ eccleſiæ Nicolaus Serarius, à quo opportunè miſſas accepimus, legimus, & dignam tanti viri amici Dei duximus memoriam, quæ Annalibus Eccleſiaſtis inſereretur. Facta recenſetur ab eodem auctore reliquiarum ejus tranſlatio anno milleſimo centeſimo quadrageſimooctavo. Clara etiam mentio ejuſdem habetur in vita ejuſdem S. Norberti Præmonſtratenſis inſtitutoris.

JESU

Digitized by Google

I. *Defuncto Vvillelmo Duce Honorius tuetur Eccleſ. jura.*

ANnus ſequitur vigeſimusſeptimus poſt milleſimum centeſimum, Indictione quinta, quo Honorius Papa occaſione novarum rerum adversùs Rogerium Siciliæ Comitem expeditionem parat. Etenim cùm hoc anno Vvillelmus Dux Apuliæ & Calabriæ moreretur ſine liberis, eùmque Ducatum ejus invadere tentaret Rogerius Comes Siciliæ: Honorius Papa, vocatis in auxilium Principibus Eccleſiæ fidelibus, contra ipſum proficiſcitur in Apulism. Quomodò autē iſta ſe hsbnerint, ſic accipe ex Chronico Romualdi Epiſcopi Salernitani: Mortuus eſt autem Vvillelmus Dux apud Salernum morte communi, major * triginta annis, anno ducatus ſui vigeſimoſexto, anno Dominicæ Incarnstiouis milleſimo centeſimo vigeſimoſeptimo, Indictione qninta, menſe Julii, in ſeſto ſancti Nszarii, ſepultnſque eſt apud Salernum in tumulo patris ſui, in Eccleſia B. Matthæi Apoſtoli, quam Robertus Dux avus ejus à ſundsmentis extruxerat.] Et inſeriùs poſt deſcriptos ejus laudabiles mores corporiſque habitudinem, hæc habet de Rogerio Siciliæ Comite: Comes verò Rogerius audita morte Vvillelmi Ducis, qui eum hæredem inſtituerat, ſtatim cum galeis Salernum venit, & à Salernitanis civibus honeſtè ſuſceptus eſt; qnibus tenimenta, & poſſeſſiones, & antiquas conſuetudines conſervavit, & eos in ſuo recepit Hominio. Turrim tamen majorem in eorum poteſtate reliquit. Qui in eadem civitate ab Alphano Caputaquenſi Epiſcopo eſt unctus in Principem. Dehinc Regium veniens, ibidem in Ducem Apuliæ eſt promotus, & ſic in Siciliam rediit.] Hæc quidem hoc anno. Honorius autem Papa audiens eum abſque Sedis Apoſtolicæ auctoritate Ducatum Apuliæ ſibi ſumpſiſſe, nec more majorum ſuorum eum ab Apoſtolica Sede, fidelitate jursmento pollicits ſuſcepiſſe: in eum arma movet, ob Eccleſiæ jurium defenſionem. Quomodò autem tandem ab eodem Rogerio pacis legatione miſſa, jurata fidelitate, pax firma ſancita eſt, dicetur anno ſequenti, quo iſta eſſe actitata, idem anctor affirmat. Sic igitur unà cum Vvillelmo iſto genus Roberti Guiſcardi penitùs fnit extinctum, qnibus rerum humanarum imbecillitas eſt comprobata. Porrò iſta omnia locupletiùs enarrantur in Chronico Beneventano, ab auctore, qui ſpectabat hæc oculis, tunc ſcripto, in quo iſta leguntur:

II. Hoc eodem anno ſeptimo Kalendas Auguſti defuncto Vvillelmo Duce Salernitano, Rogerius Siciliæ Comes ejus patruus, conſentientibus Saletnitanis, in ejus locum ſucceſſit. Qui & Ducatum Amalphitanum in ſuam redegit poteſtatem, magnamque Apuliæ partem cum Baronibus ejus. Inde reverſus in Siciliam, faſtidiens Comitis nomen, præcepit omnibus, ut Dux nominaretur, miſitque legationem ad Honorium Papam cum muneribus, petens ab eo, ut Ducatus vexillum & nomen Ducis ab eo conſequeretur, pollicitus ſi faceret, daturum ei civitatem Trojanam, & oppidum montem Fuſcum prope Beneventum poſitum. Quod Honorius Papa facere abnuit. Quamobrem indignatus Rogerius, per Barones ſibi ſubditos in Apuliæ finibus prope Beneventum poſitos civitatem Beneventanam acriter infeſtare cœpit, multaque cæde patrata, agriſque direptis, idem Pontifex his malis conſulturus eò venit; inde verò hoc eodem anno Capuam ſe contulit, tertio Kalendas Januarii, ubi à Roberto Principe Capuano officioſiſſimè exceptus eſt. Ubi Honorius Epiſcopus & Abbates circumpoſitos convocavit ad unctionem, quam habiturus eſſet ejuſdem Roberti Principis Capuani. Qua ſolemniter perſecta, idem Pontifex in frequenti conventu orationem habuit, qua deploravit cuncta illa, quæ per ſuos Barones Rogerius crudeliſſimè perpetraſſet. Deſcripta ipſa verbatim ibidem habetur in hunc modum:

Rogerius Comes Siciliæ Dux vult appellari.

III. Domini & chariſſimi fratres, ſicut veſtra cognovit charitas, diu eſt, quòd Romanam Sedem relinquens, apud civitatem Beneventanam, quæ ſpecialiter Romanæ attinet Sedi, pacificus venerim, & omnibus ſpretis tempeſtatibus circa convicaneos noſtros hoſpitatus ſum. Biduo autem poſt noſtri adventus præſentiam Rogerius Comes B. Petri adverſarius circa civitatem Beneventanam milites ferè quadringentos ad civitatis ruinam, & noſtri dedecus inauditum induxit. Qui ferè horis omnibus civium bona deprædati ſunt, & eorum poſſeſſiones aſſiduæ inciſioni poſuerunt. Nos autem univerſas illorum ſuſtinentes afflictiones, ut ab illa deſiſterent pertinacia excogitavimus. Inſuper etiam prædictus Comes Rogerius cum Hugone Infante, & Raone de Cepaluni pro civitatis Beneventanæ detrimento graviſſimo confœderatus eſt, exiſtimans nos timori ejus ſuccumbere, & nefandis petitionibus ſuis operam dare. Hugo quoque & Rao conjuratione tali allegata, quotidiè confinia civitatis igne & ferro conſumere cœperant. Nos autem omnia quæ gerebantur aſpicientes, ſolam miſericordiam Dei omnipotentis præſtolantes, cœleſtis Regis auxilium, & B. Petri invocavimus. Deindè ne civitas prorsùs deturbaretur Beneventana, talibus cōmota afflictionibus, militum amicorum depo-

Conventus Capuanus, ubi Honorius Papa habuit concionem.

Digitized by Google

poſci juvamen: ſicque ut potuimus, obſiſtere cœpimus eorum pertinaciæ. Cùmque pro quibuſdã imminentibus negotiis civitatem Trojanam adiſſemus, præſatus Rao de Ceppaluni Beneventanos cives, qui ob vendicandas quas paſſi fuerant contumelias, die feſtivitatis B. Martini circa ejuſdem Raonis confinia exierant, ira divina & furore cœlitùs adveniente, ductos ferro captivos tenuit, & in imo carceris, denudatis corporibus, alligavit. Deindè quoſdam captivorum civium Hugoni Infanti viro nefandæ memoriæ & tyranno horribili, ut cruciatibus & ſuppliciis afficerentur, donavit. Qui verò Hugo dentibus eorum radicitùs evulſis, & membratim dilaceratis, pretio eorum ſcepto, diſtraxit. Eos verò, quos ipſe Rao detinuit, periculo famis & frigoris affligere deſtitit. Quid multa? Univerſa quæ excogitari poterant convicia, Beneventanis in captione poſitis inferuntur. Prætereà die noctuque minantur, ut Comitem illum Rogerium anathemati traditum ſuper civitatem inducant Beneventanam, & de B. Petri virtute eductam, ſuæ obtineant ditioni & poteſtati. Inſuper vobis omnibus, qui civitatum dominia, & caſtrorum vigores tenetis, terroribus multis, variiſque tempeſtatibus minitantur, quatenùs unicuique veſtrum munitiones, in quibus confiditis, & arces auferant, & ſecundùm ejus velle vitam veſtram diſponant, prout vult, & quomodò vult, de civibus peregrinos faciat, de viris locupletatis pauperes conſtituat & egenos.

Quanta paſſi Beneventani captivi.

IV. Nos itaque mentis ſuæ iniquitatem, & cogitationes quibuſdam ſignorum conjecturis, per eos qui hactenùs perpeſſi ſunt, cognoſcentes, longè latèque vitavimus, & pollicitationes ſuas tamquàm virus mortiferum fugientes, nullo modò paruimus, neque (ut ita dicam) auribus percipere dignati ſumus. Auri quippè & divitiarum quantas pollicitus eſt cumulationes, dumtaxat ſi ei Ducatus honorem largiri vellemus? Divitiarum ſanè illarum multimodas evitans promiſſiones, tùm pro Romanæ Sedis honeſtate, quam conſervare *certavi, tùm pro veſtri exilii, quod horis omnibus terrore expavi, Deum omnium factorem ſæculorum teſtor, qui renes ſcrutatur & corda *dejeci, & dedignatus ſum pro veſtra credatis confuſione & expulſione divitias tantas promiſerit, excogitans ad ejus libitum me uſquequaque devolvere, & conſenſum veſtræ largiri exultationi. Ego verò dilectionis veſtræ vinculum amplexatus, mori potiùs vobiſcum elegerim, quàm ejus pollicitationibus nefandis adhærere. Vitam igitur, mortiſque aſperitatem, chariſſimi confratres ac filii, in veſtra tenetis electione, & voluntate, dummodò pugnare velitis, & vigorem honeſtatis tueri adinvicem exæſtuetis. Prudentiam veſtram certiſſimam expertus ſum; nihilque reſtat, niſi omni deſidia abjecta, & cordis torpore depoſito. Romanæ Sedis dignitatem, quæ pro vobis omnibus aſſiduè intervenit, defendatis, & vobis ipſius quem tenetis vigorem, & filiis veſtris conſervare contendite. Subvenire itaque viri fortiſſimi, & bellatores conſpicui, & dum tempus proſperitatis ſuccedit, viribus erectis juſtitiæ, quam amplectimur, *ſeveritatem ad ardua ſublevemus. Deus enim, qui juſtitiæ via eſt, & lux veritatis, & B. Petri Apoſtoli interventio, nos quotidiè liberabit, & auxilium à ſancto ejus ſolio, pietate aſſueta largietur.] Hucuſque ex ſermone Pontificis auctor, qui his iſta mox ſubiicit:

* curavi

*locus corruptus.

* ſecuritatem.

V. Hæc & multa his ſimilia Honorio, lacrymis irrigantibus, prædicante, vox una militum, populique omnis qui convenerat efficitur, ac una concordia clamavere, ſe ſuaque omnia pro B. Petri fidelitate & ſua tradituros. Noviſſimè Robertus noviter Princeps ſtatutus coram omnibus taliter pollicetur. En, Pater venerabilis & perſonam quam aſpicis, & totius Principatus mei quem tradidiſti, virtutem tuæ committo ditioni, & ad tuum imperium omnia ſubjacebunt. Idipſum Rainulphus Comes, & multi alii proceres & Epiſcopi, qui convenerant, pollicentur. O quales, Lector, promiſſiones, ſi adeſſes, aſpiceres, & quæ ex eorum promiſſis oriebantur lacrymationes, quas univerſas ſi enarrare voluiſſem, faſtidium auditoribus generaretur. Audiens autem Apoſtolicus Honorius multitudinem illam, ad ejus orationem conſentaneam dediſſe concordiam: Salvatori omnium Deo & beatis Apoſtolis Petro & Paulo gratias egit, qui in ſe ſperantibus ſubvenit, & quotidianum præbet auxilium. Et continuò ex auctoritate divina & beatæ Mariæ Virginis, & ſanctorum Apoſtolorum meritis, talem eis impendit retributionem, ejuſmodi videlicèt, quòd qui delictorum ſuorum pœnitentiam ſumpſerint, ſi in expeditione illa morirentur, peccata univerſa remiſit. Illorum autem, qui ibi mortui non fuerint, & confeſſi ſunt, medietatem donavit. Audiens autem præſatus Princeps, & Comes Rainulphus tanti beneficii gratiam ab Honorio Pontifice prolatam, alacritate ingenti locupletati, cum univerſis, qui convenerant, ad propria receſſerunt.] Quæ autem hæc ſubſequuta ſint, ſequenti anno, ex eodem auctore, ſuo loco dicetur.

Indulgentia pro expeditione à Pap. conceſſa.

VI. Hoc item anno, Matthæus Epiſcopus Cardinalis Albanenſis in Gallias legationem accepit, ad celebrandum illic Trecenſe Concilium, quod complures neceſſitates eccleſiaſticæ exigebant. Hoc quippè anno ab eo celebratum eſſe ipſum Concilium Trecenſe, in quo comprobata eſt inſtitutio Templariorum, nono videlicèt anno poſt primam ejus inſtitutionem Hieroſolymis factam, Vvillelmus Tyrius in hiſtoria (a) de bello ſacro teſtatur; eumdemque Legatum duxiſſe ſecum duos præcipuos magni nominis Abbates, Bernardum Clarævallenſem, & Stephanum Ciſtercienſem, æquè confirmat. At non ſine magno

Legatio Epiſcopo Alban. ab Honorio Papa miſſa.

a *Vvillel. Tyr. lib.* 12. *c.* 7.

Digitized by Google

S. Bernardi propoſitum de non egrediendo è Monaſterio.

a *Bern. ep.* 17.

magno labore evulſit à monaſterio ſanctum Bernardum, quippè quòd ſtatuiſſet è monaſterio non egredi, niſi neceſſitate urgente. Nam ad Petrum Cardinalem diaconum iſta habet: (*a*) Quòd ad vos non veni, ut mandaſtis, non mea pigritia, ſed cauſa fuit non contemnenda. Siquidem ſalva veſtra & omnium bonorum reverentia, mihi propoſitum eſt, nequaquam egredi de monaſterio, niſi certis ex cauſis, quarum utique nulla ſe modò obtulit, ut licitè poſſim veſtræ in hoc, immò & noſtræ ſatisfacere voluntati.] At verò urgentem magis magiſque Matthæum Cardinalem optatæ malæ valetudinis excuſatione eludere, ne è clauſtro extraheretur, fruſtrà exiſtimavit: cujus tandem victus importunitate ceſſit. Sed audi quam ad ipſum Matthæum Bernardus tunc ea occaſione ſcripſerit excuſationis epiſtolam: (*b*)

b *Idem ep.* 21.

VII.

S. Bernardi excuſatio ad legatum.

Ad Matthæum Legatum.

Fuit quidem parere paratum cor meum, ſed non æquè & corpus meum: ſævientis ſiquidem acutæ ſebris exuſta ardoribus, & exhauſta ſudoribus, non valuit ſufficere ſpiritui prompto caro infirma. Volui ergò, ſed prævolanti voluntati obſtitit ea quam dixi occaſio. Quæ an juſta ſit, ipſi judicent amici noſtri, qui me omni excluſa excuſatione, obedientiæ retibus circumcluſum, quotidiè de clauſtro ad civitates pertrahere moliuntur: ſimulque attendant iſtam me occaſionem non fallaciter adinveniſſe, ſed graviter pertuliſſe; ut vel nunc experiantur, quia non eſt conſilium contra conſilium Dei. Quibus ſi ego (*c*) reſpondiſſem: exui tunicam meam, quomodò induam illam? lavi pedes meos, quomodò inquinabo illos? profectò indignarentur. Nunc autem divino aut ſuccenſeant, aut acquieſcant judicio, quo factum eſt, ut & ſi velim, non valeam proficiſci. Sed grandis, inquiunt, fuit cauſa graviſque neceſſitas. Quærendus ergò fuerat, qui grandibus definiendis fuiſſet idoneus. Si me talem putant; ego me talem non eſſe, nequaquam puto, ſed ſcio. Denique ſive grandia ſint, ſive parva, ad quæ me ita perurgent, ego cauſam non habeo. Quæro ſiquidem: facilia ſunt, an difficilia, quæ ad perturbandum amicum ſilentium tantoperè imponere curatis amico? Si facilia, abſque me poſſunt fieri: ſi difficilia, per me non poſſunt effici, niſi fortè tanti æſtimor, cui grandia & impoſſibilia reſerventur: tamquàm ego ea poſſim, quæ nemo alius facere poteſt. Quod ſi ita eſt; Domine Deus meus, quomodò tuum de me ſolo fruſtratum eſt judicium, ponens ſub modio lucernam, quæ poterat lucere ſuper candelabrum? & ut apertiùs loquar, tentans me facere monachum, & volens abſcondere in tabernaculo tuo in die malorum, hominem neceſſarium mundo, ſine quo Epiſcopi non poſſunt ſua pertractare negotia? Sed & hoc mei mibi neceſſarii præſtiterunt, ut nunc quoque videar loqui turbatus homini, cujus numquam niſi ſerenus, & cùm omni jucunditate ſo-

c *Cant.* 5.

A leo recordari. Vos tamen, vobis dico, pater, noveritis, quia paratus ſum, & non ſum turbatus, ut cuſtodiam mandata veſtra. Veſtræ autem indulgentiæ erit parcere mihi, ubi parcendum decreveritis.] Hucuſque ad Legatum Apoſtolicæ Sedis Matthæum Bernardus.

VIII.

At tandem importunitas Legati prævaluit, coegitque eum Trecas ad Concilium proficiſci. Quod conſtat ex his, quæ Vvillelmus Tyrius (*d*) tradit, ubi agit de inſtitutione, & confirmatione Congregationis militum Templariorum. Nam ait: Novem autem annis poſt eorum inB ſtitutionem in habitu fuerunt ſæculari iidem milites Templi, talibus utentes veſtimentis, qualia pro remedio animarum ſuarum populus largiebatur. Tandem anno nono Concilio in Francia apud Trecas habito, cui interfuerunt dominus Rhemenſis, & dominus Senonenſis Archiepiſcopi cum ſuffraganeis ſuis, Albanenſis quoque Epiſcopus Apoſtolicæ Sedis Legatus, Abbates quoque Ciſtercienſis & Clarævallenſis cum aliis pluribus, inſtituta eſt Regula, & habitus aſſignatus, albus videlicèt, de mandato domini Honorii Papæ, & domini Stephani Hieroſo-C lymitani Patriarchæ. Cùmque jam annis novem in eo fuiſſent propoſito (non niſi novem erant) ex tunc cœpit eorum numerus augeri, & poſſeſſiones multiplicabantur &c.] Hæc Vvillelmus. Porrò tantoperè requiſita eſt ſancti Bernardi opera, ut ab eo illis certa præſcriberetur forma vivendi. Qui etiam ad eoſdem perutilem libellum ſcripſit, qui tùm laudes eorum, tùm exaltationem continet, cujus eſt titulus: Ad milites Templi. Eorum quoque præconia texuit Petrus (*e*) Cluniacenſis in epiſtola ad Everardum Templariorum Magiſtrum. Quæ autem D præter hæc geſta ſint in eodem Trecenſi Concilio, ignoramus: querelas diverſorum illic auditas, ſignificant litteræ ejuſdem ſancti Bernardi (*f*) ad Archiepiſcopum Senonenſem.

d *Vvillel. Tyr. lib.* 12. *c.* 7.

Conc. Trecenſe in quo ordo templar. confirmatur.

e *Pet. Clun. lib.* 6. *ep.* 27

f *Bern. ep.* 44.

Præter hæc autem protraxit à clauſtro ſanctum Bernardum alia cauſa majoris fortaſſe momenti, cujus occaſione fuit ipſi pugnandum cum Rege Ludovico ob perſecutionem, quam intulit Epiſcopo Pariſienſi nulla juſta de cauſa, ſed contra jus faſque, cùm coleret juſtitiam, & numeros optimi Antiſtitis abſolveret; ob quod bona illius tyrannicè abſtulerat: E quod redundabat in ignominiam Archiepiſcopi Senonenſis & totius provinciæ Epiſcoporum: in cujus ultionem atque cohibitionem, non ceſſante Rege, fuit ſubiicienda civitas interdicto: Sed cùm nec id ſufficeret, agendum fuit ſancto Bernardo apud Regem litteris, conveniendus fuit præſens, & hortationibus perurgendus, ac denique comminanda in eum ab Epiſcopis excommunicatio, niſi reſipiſceret. Cùm inter hæc Rex recurſum habens ad Honorium Pontificem, ſurreptione eum decipiens operatus eſt, ut litteris Apoſto-

A licis inter dicti cenſura penitùs tolleretur. Quamobrem ad ipſum Honorium Papam tùm S. Bernardi, tùm Epiſcoporum ſunt frequentatæ querelæ litteris explicatæ, quas hìc reddendas neceſſarium duximus, cùm nonniſi ex epiſtolis habeatur, unde ejuſmodi depromi poſſit hiſtoria. Atque primùm, quam ſanctus Bernardus (a) ad eum ſcripſit his verbis, nomine quoque Abbatis Pontiniaci, accipe:

a *Id. epiſt.* 46.

X. Summo Pontifici Honorio pauperum Chriſti Abbates Hugo de Pontiniaco, & Bernardus de Claravalle, quidquid poteſt peccatorum oratio.

Querelæ Abbatum ad Honorium Papam.

B Lacrymabilem Epiſcoporum, immò totius Eccleſiæ querimoniam nos quoque ejus filii (ſi tamen digni) diſſimulare non poſſumus. Quæ vidimus, loquimur: magna ſiquidem nos neceſſitas de clauſtris ad publicum traxit, ubi & quod loquimur, vidimus. Triſtes vidimus, triſtes eloquimur, honorem Eccleſiæ Honorii tempore non minimè læſum. Jam Regis flexerat iram humilitas, vel potiùs conſtantia Epiſcoporum, cùm ecce à ſummo Pontifice ſumma ſuperveniens auctoritas heu dejecit conſtantiam, ſuperbiam ſtatuit. Scimus quidem id vobis per mendacium fuiſſe ſurreptum, quod ex veſtris C litteris palam datur adverti, ut everti tàm juſtum, tàmque neceſſarium interdictum juberetis. Sed numquid non vel tandem deprehenſo mendacio mentitam ſe ſentiet iniquitas ſibi, & non tantæ utique majeſtati? Eſt autem quod miramur: qua ratione judicatum ſit de parte, abjudicatum abſenti. Quod quidem non temeraria præſumptione reprehendimus, ſed filiali amore paterno cordi ſuggerimus, quantum ex hoc & ſuperbit impius, & incenditur pauper. Cæterùm quamdiu illum pati, quantumve huic compati debeatis, D non eſt noſtrum præſcribere vobis. Vos veſtra hìc potiùs, dulciſſime Pater, viſcera conſulite. Valete.] Ad eumdem ſic & Carnotenſis Epiſcopus Gaufredus (b) vir laudatiſſimus, qui defuncto ſucceſſit Ivoni:

b *Id. ep.* 47.

XI. Triſtiſſimæ hiſtoriæ ſeriem vobis & cauſam replicare, ſuperfluum eſt, quia jam quippè paternitatis veſtræ viſcera, ſcribente religioſo Pariſienſi Epiſcopo, commota eſſe, non ambigo. Ne tamen fratri & Coepiſcopo etiam noſtrum deeſſet teſtimonium, quæ vidi ego, & audivi, neceſſarium duxi breviter intimare. Excepta E ſiquidem tàm modeſta prædicti Epiſcopi querimonia: Senonenſis diœceſis univerſi Epiſcopi unà cum venerabili Metropolitano noſtro, adſcitis etiam nobiſcum quibuſdam aliis religioſis perſonis, Regem ſuper gravi injuria per noſmet ipſos humiliter, ut debuimus, convenimus, ut Epiſcopo nihil quidem tale meritò ſua quæ tulerat, reſtitueret, rogavimus, nec impetravimus. Sentiens tandem nos ad arma Eccleſiæ pro Eccleſia velle confugere: timuit, annuitque ſeſe omnia redditurum. Sed in eadem forte hora, ſupervenienti-

Pro Pariſienſi agit apud Papã Epiſc. Carnoten.

A bus litteris veſtris, quibus ejus terram ab interdicto abſolvi præcepiſtis: malè in malum confortatus, quod benè promiſerat, minimè executus eſt. Die tamen nominata, qua ſe id rursùs promiſit executurum, ejus nos conſpectui repræſentantes, ſuſtinuimus pacem, & non venit; quæſivimus bona, & ecce turbatio. Hoc denique litteris veſtris factum eſt, ut malè ablata pejùs teneantur, & reliqua paſſim in dies rapiantur, eò utique ſecurè, quò impunè illa retinentur. Soluto nempè ad veſtrum imperium Epiſcopo juſto, ut putamus, interdicto, B noſtroque quod parabamus, & quo ſperabamus pacem conſequi, veſtro æquè timore ſuſpenſo: interim facti ſumus opprobrium vicinis noſtris. Quouſque veſtræ viderit pietatis compaſſio.] Iſta Carnotenſis Epiſcopus, ſive potiùs nomine ipſius idem qui ſuprà Bernardus, qui jam, antequàm ad Honorium ſcriberet, nomine ſenioris Abbatis Ciſtercienſis venerandi Stephani & totius Congregationis hiſce litteris ipſum (c) Ludovicum Regem compellandum putavit. Siquidem idem Rex cooptatus fuerat ab iiſdem Ciſtercienſibus inter Fratres, quoad participationem C ſpiritualium bonorum, (d) quæ ab eis fierent. Quod moris fuiſſe tunc fieri etiam à Cluniacenſibus, plures Petri Abbatis Cluniacenſis docent epiſtolæ:

c *Bern. ep.* 45.

d *Petr. lib.* 4 *epiſt.* 29.

XII. Eximio Regi Francorum Ludovico Stephanus Abbas Ciſtercienſis, totusque conventus Abbatum & Fratrum Ciſtercienſium, ſalutem, ſoſpitatem, & pacem in CHRISTO JESU.

Rex cœli & terræ regnum vobis in terra donavit, donaturus & in cœlo, ſi id quod accepiſtis, juſtè & ſapienter adminiſtrare ſtudueritis. Hoc eſt quod vobis optamus, & pro vobis oramus, ut & hìc fideliter, & illic feli- D citer regnetis. Cæterùm vos quonam cõſilio eiſdem noſtris pro vobis orationibus, quas ſi recolitis, olim tàm humiliter requiſiſtis; modò tàm acriter repugnatis? Qua enim jam fiducia manus pro vobis levare præſumimus ad Sponſum Eccleſiæ, quam ita & ſine cauſa, ut putamus, auſu inconſulto contriſtatis? Gravem ſiquidem adversùm vos apud eumdem Sponſum & Dominum ſuum querimoniam deponit, dum quem acceperat defenſorem, ſuſtinet oppugnatorem. Attenditis jam cui ex hoc infenſum vos redditis? Non utique Epiſcopo Pariſienſi, ſed Domino Paradiſi, & qui- E dem terribilis, & ei qui aufert ſpiritum Principum. Ipſe quippè eſt, qui ad Epiſcopos dicit: (e) Qui vos ſpernit, me ſpernit. Hæc ita vobis, & pro vobis audacter quidem ſed amanter intimare curavimus, monentes & rogantes per illam invicem amicitiam noſtram & fraternitatem, cui vos ſatis dignanter ſociaſtis, ſed nunc ipſam graviter læſiſtis, quatenùs à tanto malo citiùs deſiſtatis. Alioquin ſi non meremur exaudiri, ſed contemnimur; & nos Fratres, & amici veſtri, & qui quotidiè oramus pro vobis & filiis veſtris & regno:

Ciſtercienſiũ ad Regem admonitio.

e *Luc.* 10.

ex hoc

ex hoc jam noveritis parvitatem noſtram, in quibus valuerit, non poſſe deeſſe Eccleſiæ Dei, & miniſtro ejus venerabili videlicèt patri & amico noſtro Epiſcopo Pariſienſi, qui noſtram adversùs vos humilitatem interpellans, noſtras pro ſe ad Dominum Papam jure fraternitatis litteras requiſivit. Verùm nos juſtum ducentes, his priùs litteris veſtram excellentiam convenire, præſertim quia idem Epiſcopus per manom omnium religioſorum ſe ad juſtitiam offert, ſi tamen priùs (quod quidem eadem ipſa juſtitia videtur exigere) res ei ſuæ injuſtè ablatæ reſtituantur: ejus interim petitioni differendo ſuperſedimus. Et ſi quidem, Deo inſpirante, placuerit vobis noſtris precibus aurem inclinare, noſtro conſilio, ſtudioque pacem cum Epiſcopo, immò cum Deo reformare; parati ſumus hujus rei gratia fatigari uſque ad vos, quocumque vobis placuerit. Sin autem, nos amicum audire, & Dei ſacerdoti obedire, neceſſe eſt. Valete.] At his nihil apud Regem profeciſſe ſanctos monachos, quibus pulſandæ fuerunt aures Romani Pontificis ſuis litteris, quæ dicta ſunt ſuperiùs, ſatis oſtendunt. Ipſum verò Pontificem egiſſe apud Regem, ut Pariſienſis Epiſcopus integraretur bonis amiſſis, litteræ poſteriores eorumdem Abbatum ad Honorium Papam inferiùs recitandæ declarant.

XIII. Rex Ludovicus contra Senonenſem Archiepiſcop. agit.

Verùm cohibitus Rex ab Honorio Papa inferre mala Pariſienſi, appetit Metropolitanum ipſum Archiepiſcopum Senonenſem, qui jam ſuis benè præeſſet, & in eis diſciplinam Eccleſiaſticam reſtituere laboraret, ſeſeque ad exactam ſacerdotalis vitæ perfectionem componeret; itaque acciderer, ut quos diſcolos, lubricos, voluptuoſos anteà idem Rex dilexiſſet Epiſcopos, eoſdem ad Deum converſos, meliori frugi redditos, moribus benè compoſitos, quaſi quid novitatis inferentes odio haberet, & inſequeretur. Profecerant ſiquidem Epiſcopi provinciæ Senonenſis Ciſtercienſium monachorum exemplo, atque verbis litteriſque ſancti Bernardi, præcipuè verò, quem diximus, Pariſienſis Epiſcopus atque Pariſienſis Abbas ſancti Dionyſii Sugerius, qui monaſterium illud monaſtica penitùs diſciplina ſolutum, fibula regularis obſervantiæ arctè conſtrinxerat, quo nomine ipſi ſanctus Bernardus congaudens, (a) gratulatoriam ad eum dedit epiſtolam. Quòd verò etiam & ipſe Metropolitanus Senonenſis Archiepiſcopus Henricus æquè admonitus litteris ſancti Bernardi, & quidem prolixioribus, (b) ad meliorem frugem converſus, ea quæ eſſent optimi paſtoris munera diligenter expleret; eadem ex cauſa ejuſdem Principis indignationem incurrit, nec quidem mediocrem, ſed planè eam, cujus cauſa eidem ſancto Bernardo cum reliquis Abbatibus rursùs ſcribendum fuerit eidem Honorio Papæ, atque Cancellario Cardinali, & planè exclamandum, quòd ob vitam optimè inſtitutam perſecutionem paterentur Epiſcopi non quidem ab hoſtibus, ſed ab ipſis Principibus Chriſtianis, eo nomine comparandis Herodi, quo quid monſtruoſius potiſſet audiri? Sed quæ iſta reformatio, inquis, fuit, quæ adeò diſplicere Regi potuerit Chriſtianiſſimo? illa ſcilicèt, quòd Epiſcopi aſſueti priùs relicta Eccleſia, Curiæ Regis aſſiſtere militiam ſectari, jam ſeſe ad Eccleſiam è Curia atque militia avocaſſet, atque etiam ſubditos ſibi clericos pariter revocaſſent. Erat horum haud exiguus numerus in palatio Regis militantium, nec in ipſa palatina tantùm, & in caſtrenſi militia merentium. Quod deplorat idem ſanctus Bernardus, cùm in pluribus locis, tùm præſertim (quod ad rem ſpectat) in epiſtola ad Sugerium Abbatem Pariſienſem, his verbis: (c)

a Bern. ep. 78.

b Idem ep. 42.

c Id. epiſt. 78.

XIV. Contra Clericos militantes in ſæculo.

Cujus enim cor non indignatur, cujus vel clam lingua non ſubmurmurat, diaconum contra Evangelium Deo & Mammonę pariter miniſtrantem? Sic quippè ſublimatum honoribus Eccleſiaſticis, ut nec Epiſcopis inferior videatur: ſic implicatum militaribus officiis, ut præferatur & ducibus? Rogo quid hoc eſt monſtri, ut cùm & clericus, & miles ſimul videri velit, neutrum ſit? par ſatis utrobique abuſio, ſive quòd diaconus menſæ regiæ deputetur miniſterio, ſive quòd Regis dapifer miniſteriis altaris inſerviat. Quis ſanè non miretur, immò & deteſtetur, unius eſſe perſonæ & armatum armatam ducere militiam, & alba, ſtolaque indutum in medio Eccleſiæ pronuntiare Evangelium? tuba indicere bellum militibus, & juſſa Epiſcopi populis intimare? Niſi fortè (quod intolerabilius eſt) erubeſcit Evangelium, de quo Vas electionis admodùm gloriatur; & confunditur videri clericus, magiſque honorabile ducit, putari ſe militem, Curiam Eccleſiæ præfert, Regis menſam altari Chriſti, & calicis Domini calicem dæmoniorum, &c.] Pluribus enim declamat in hujuſmodi abuſionem, cùm militarent Curiæ Principum diaconi, Archidiaconi, Decani, atque Præpoſiti Eccleſiarum. Hæc igitur & alia, de quibus idem ſanctus Bernardus ſcripſit in dicta epiſtola ad Henricum Archiepiſcopum Senonenſem, & ad alios, cùm corrigere, & emendare ſtatuiſſent Epiſcopi; mox (ut diximus) regius furor in illos exarſit quaſi novitatis inventores, quos colere magis debuiſſet ut Eccleſiaſticæ diſciplinæ reſtitutores & correctores. Cùm igitur non ſolùm in Pariſienſem Epiſcopum, ut audiſti, eo modo commotus eſſet, nec tot precibus Epiſcoporum, vel litteris Sanctorum monitus corrigeret quod peccaſſet, ſed adjeciſſet inſectari Archiepiſcopum Senonenſem: has idem ſanctus Bernardus ſuo & aliorum Abbatum nomine adversùs eumdem Regem litteras (d) declamatorias ad Honorium Romanum Pontificem dedit:

d Id. epiſt. 49.

XV.

Summo Pontifici Honorio ſervi, & ſi digni judicamur, filii Stephanus Ciſtercienſis,

tienſis, Hugo Pontiniacenſis, Bernardus de Claravalle, quod reverendiſſimo domino, quod benigniſſimo patri.

Agunt Abbates apud Honorium Papam pro Senonenſi Archiep.

Degentes in monaſteriis, ad quæ nos noſtra peccata compulerunt, non ceſſamus orare pro vobis, & pro commiſſa vobis Eccleſia Dei: congaudentes & ſponſæ Domini ſuper tàm fido cuſtode, & ſponſi amico ſuper labore tàm fructuoſo. Fidenter proindè atque fideliter veſtræ paternitati ſuggerimus, quæ in regno noſtro eidem Matri noſtræ dolentes cernimus adverſari. Quantùm quidem nos ſentimus qui vicini ſumus, Rex Ludovicus non tàm Epiſcopos, quàm in ipſis juſtitiæ perſequitur zelum, pietatis cultum, habitumque religionis. Quod veſtræ quoque prudentia ſanctitatis vel ex eo facilè advertere poteſt, quòd qui ante in habitu, actuque ſæculari honorati ſunt ſublimes, judicati fideles, habiti familiares: modò inimici facti ſunt dignè ſuo ſacerdotio converſantes, & per omnia honorificantes miniſterium ſuum. Hinc gravibus contumeliis Epiſcopi Pariſienſis innocentia pulſata eſt, ſed non quaſſata, quia Dominus ſuppoſuit manũ ſuam, cùm veſtram oppoſuit. Hinc & nunc domini hujus Senonenſis conſtantiam concutere & labefactare conatur, ut Metropolitano (quod abſit) ejecto, facilè prout voluerit, graſſetur in Suffraganeos. Poſtremò quis ambigit non aliud eum, quàm oppugnare religionem, quàm nimirùm apertè ſui regni deſtructionem, ſuæ coronæ pronuntiat inimicam? Et alter Herodes Chriſtum jam non in cunabulis, ſed in Eccleſiis invidet exaltatum. Nec aliud ſanè credimus eum habere adversùs Archiepiſcopum, niſi quòd ſpiritum, ſicut in cæteris, laborat extinguere. Denique ſi fallere de his, quæ atteſtamur, fallive putamur: veſtræ citiùs inveniet examinationis diſcuſſio, ſi tamen (quod vehementer optamus, & ſuppliciter exoramus) de vultu tuo, Pater ſanctiſſime, judicium prodeat, de quo profectò confidimus, quòd cuſtodias innocentiam, & videas æquitatem. Alioquin reduci cauſam in Regis præſentia atque potentia, non planè eſt aliud, quàm tradi, heu, hominem in animam inimicorum ejus.] Hæc Abbates ad Honorium Papam, à quo cùm nequaquam quod petierant, impetraſſent, has breviores litteras (*a*) ad eumdem Pontificem Honorium adjecere:

a Bern. ep. 50.

XVI. *Iterùm pro Senonenſi ad Honorium Papã ſcribitur.*

Oportebat quidem, ſi ita veſtræ viſum fuiſſet auctoritati, ut in veſtri præſentia cauſa domini Senonenſis diſceteretur, ne infenſus videlicèt Regi, in Regis præſentia & potentia ſuis pro ſe adverſariis reſponſurus, traditus homo videretur in animã inimicorum ejus. Sed quoniam ut tenendum irrefragabiliter quidquid præcipitis: ſic ſperandum indubitanter bonum de omni re quam decernitis: id ſolum à veſtra, Pater, pietate depoſcit omnium, qui apud nos eſſe videntur religioſorum humilitas, ut ſi ſe ad vultum fortè potentis; ut aſſe- let, ſenſerit prægravari: confugere ſibi liceat ad viſcera Patris: quod utique hactenùs oppreſſo nemini negatum audivimus. Alioquin videat Joſeph vir juſtus, quid ſibi etiam nunc faciendum ſit de puero, & matre ejus, quia etiam nunc in Senonenſi provincia Chriſtus quæritur ad perdendum. Nam, ut quod verum eſt, manifeſtiùs proferamus, Rex in Archiepiſcopo ex eo apertè novam perſequi religionem dignoſcitur, quòd eum in antiqua ſæculari converſatione & habitu ſicut promoveri omnimodè voluit, ſic ab omni penitùs ſecurum infeſtatione dimiſit.] Velabatur autem perſecutio iſta excitata in Senonenſem Archiepiſcopum alio prætextu; nimirùm quòd ſimoniacè ordinatus fuiſſet, ut idem ſanctus Bernardus oſtendit, in litteris tunc ad S. R. E. Cancellarium datis, apud quem paulò liberiùs idem Bernardus agens acriùs exclamat hæc ſcribens: (*b*)

b Id. ep. 5 ti XVII.

Viro illuſtri Haimerico ſanctæ Romanæ Sedis Cancellario Bernardus Abbas dictus de Claravalle ſalutem, & ſi quid valet peccatoris oratio.

c 2. Tim 3. *Ad Cancellarium juſtæ querelæ S. Bernardi.*

Quouſque durat illa ſententia, (*c*) Omnes qui volunt piè vivere in Chriſto, perſecutionem patiuntur? Quouſque relinquitur virga peccatorum ſuper ſortem juſtorum? Quis det, ut ſtare incipiant juſti in magna conſtantia adversùs eos qui ſe anguſtiaverunt? Quis jam ferat tantam inter cœlum terramque diſcordiam, ut exultantibus Angelis ſuper emendatione malorum filii Adam fremant & tabeſcant? quaſi non ſit paſſus JESUS pacificans in ſanguine ſuo, quæ in terra ſunt & quæ in cœlo; ut aut in ipſo Deus non fuerit, (*d*) mundum reconcilians ſibi. Laudabatur quondam Archiepiſcopus in deſideriis animæ ſuæ, & in ſæculari vita & habitu benedicebatur: at nunc ſub pannis infantiæ JESU quæritur ſimonia, & inter naſcentes virtutes emortuorum vel cadavera vitiorum ſcrutatur curioſa malitia. Videtis & nunc ſtare JESUM in ſignum, cui contradicitur. Per ipſum vos obſecro, pro ipſo ſupplico vobis. Habet ſiquidem unde & illum revereamini, & unde illi miſereamini, ſtate pro ipſo nunc in defenſione Archiepiſcopi, cui quandoque & vos aſtare habetis in examinatione veſtri.] Hæc ſanctus Bernardus. Porrò liberatum fuiſſe eumdem Henricum Senonenſem Archiepiſcopum, nec (ut Rex optabat) Archiepiſcopatu privatum, litteræ poſt hæc ad eumdem Archiepiſcopum ab eodem Bernardo (*e*) datæ ſatis ſignificant.

d 2. Cor. 5.

e Bern. ep. 182.

XVIII. *Concilium Vvinton. ſub Villelmo Legato.*

Hoc anno cùm Vvillelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis Romæ ab Honorio Papa accepiſſet legationem in Anglia, reverſus in patriam celebravit Vvintoniæ generale Concilium totius Angliæ frequenti concurſu clericorum & aliorum. Cœptũ eſt tertio Idus Maii, pervenitque ad decimumſeptimum Kalendas Junii. Intar multa quæ ibidẽ ſunt ſalubriter inſtituta,

quæ

Digitized by Google

quæ ſingula recenſentur in Appendice ad Florentium, eademque conſentientis iis, quæ in alio Lumtonienſi Concilio ſunt recitata ſub Joanne Cremenſi Apoſtolicæ Sedis Legato contra clericos concubinarios, ad exterpandum penitùs ejuſmodi ſcelus in pluribus altis radicibus fixum, hæc ſtatuta reperiuntur:

XIX. *Laboratū contra clericos concubinarios.*

Presbyteris, diaconibus, ſubdiaconibus, & omnibus Canonicis contubernia mulierum illicitarum penitùs interdicimus. Quòd ſi concubiniis (quod abſit) vel conjugibus adhæſerint: Eccleſiaſtico priventur honore ſimul & beneficio. Preſbyteros verò B parochiales (ſi qui tales fuerint) extra chorum ejicimus, & infames eſſe decernimus. Archidiaconis verò & miniſtris, quibus hoc incumbit, auctoritate Dei, & noſtra præcipimus, ut omni ſtudio & ſollicitudine procurent ab Eccleſia Dei hanc perniciem omninò eradicare. Quòd ſi qui in hoc negligentes, vel (quod abſit) conſentientes inventi fuerint: primò & ſecundò ab Epiſcopis dignè corrigantur; tertiò verò canonicè ſeveriùs corripiantur. Concubinæ verò presbyterorum, & Canonicorum niſi ibi legitimè nupſerint, extra parochiam expellantur. C Quòd ſi poſteà culpabiles inventæ fuerint, in cujuſcumque territorio ſint, à miniſtris Eccleſiæ capiantur, & ſub excommunicatione præcipimus, ne ab aliqua poteſtate majore vel minore detineantur, ſed liberè eiſdem miniſtris Eccleſiæ tradantur; & Eccleſiaſticæ diſciplinæ vel ſervituti, Epiſcopali judicio mancipentur.] Hæc & alia ibidem, quæ brevitatis cauſa prætermittimus.

XX. *Legatio Gerardi.* a *Rober. in Append. ad Sigeb. hoc ann & Hugo in vit. S. Norbert. c. 40. 41. 42.*

Hoc anno (*a*) decernitur ab Honorio Papa Legatus in Germaniam Gerardus Cardinalis, qui poſteà fuit Lucius Papa; qui inter alia ab eo præclarè geſta, ubi illuc perveniens inveniſſet vacare D Eccleſiam Parthenopolitanam ſive Magdeburgenſem, curavit ut in ea eligeretur Epiſcopus S. Norbertus Præmonſtratenſium Ordinis inſtitutor, qui hoc tempore erat à Domino reverà conſtitutus accenſa lucerna, ardens & lucens in Eccleſia.

XXI. b *Vvill. Tyr. l. 13. c. 23.* *Tyriis novus Archiepiſc. datus.*

Quod ad res ſpectat Orientis, vendicata nobili civitate Tyro ab Inſidelibus, & reddita Chriſtianis ante annos quatuor; tandem (*b*) hoc anno Veris initio primus creatur ejus civitatis Archiepiſcopus Vvillelmus nomine, natione Anglicus, ex Priore ſancti Sepulchri, qui impetrandi cauſa E pallium ab Honorio Papa, ſtatim Romam ſe contulit. Quod & accepit, & has litteras impetravit:

Honorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus ſuffraganeis Epiſcopis, Clero & populo Tyri ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Honor. Pap. litteræ ad Tyrios.

Venientem ad nos chariſſimum fratrem noſtrum Vvillelmum Archiepiſcopum veſtrum debita charitate recepimus, & quem canonicè electum, & à venerabili fratre noſtro Guarimundo Hieroſolymitano Pa- A triarcha conſecratum accepimus, pallii dignitate, plenitudine videlicèt pontificalis officii decoravimus. Quia verò de perſona ſua maximum fructum matri Eccleſiæ veſtræ Tyri, divina ſuffragante miſericordia, credimus proventurum, ipſum cum gratia Sedis Apoſtolicæ, & noſtrarum litterarum proſecutione ad vos duximus remittendum. Univerſitati ergò veſtræ mandando præcipimus, quatenùs eum benignè recipiatis, & tamquàm proprio Metropolitano, & animarum veſtrarum Epiſcopo ſubjectionem, obedientiam, & reverentiam humiliter deferatis.] Ad Patriarcham B verò Hieroſolymorum ſic idem Pontifex ſcripſit.

Honorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Guarimundo Hieroſolymitano Patriarchæ ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

XXII. *Honor. Pap. litteræ ad Patriar. Hieroſol.*

Suſceptis fraternitatis tuæ litteris, fratrem noſtrum Vvillelmum, quem in Eccleſia Tyri conſecraſti Archiepiſcopum, benignè ſuſcepimus, & eum dignitate pallii, plenitudine videlicèt pontificalis officii decoravimus. Suffraganeis etiam eccleſiæ ſuæ præcepimus, quatenùs ei tamquàm proprio Metropolitano, C ſubjectionem & obedientiam deferant. Data in territorio Barenſi octavo Idus Julii.

Ægidius Card. Epiſcop. Tuſc. Legatus in Orienté.

Miſit etiam & cum eodem Archiepiſcopo dominum Ægidium Tuſculanum Epiſcopum Apoſtolicæ Sedis Legatum, virum eloquentem & litteratum admodùm, cujus uſque hodiè extant ad Antiochenos epiſtolæ valdè celebres.] Monuit Honorius Papa Patriarcham Antiochenum, ut Tyrenſi Archiepiſcopo ſuos quos detinebat, reſtitueret Suffraganeos. Ait enim inter cætera: Unde per Apoſtolica ſcripta, & per venerabilem fra- D trem noſtrum Ægidium Tuſculanum Epiſcopum, Apoſtolicæ Sedis Legatum, tibi mandamus, quatenùs Suffraganeos Tyrenſis Eccleſiæ ſibi reſtituas. Quòd niſi infra quadraginta dies poſt earum inſpectionem litterarum, quas ad eos direximus, debitam ei ſubjectionem exhibuerint, nos ex tunc eos ab officio Epiſcopi ſuſpendimus.] Hucuſque de cauſa Tyrenſi.

Hoc item anno, pridie Kal. Maji ex hac vita migravit in cœlum S Gualfardus confeſſor, qui natus Auguſtæ Vindelicorum, apud Veronam vitam exercuit ad- E mirandam, cujus ſanctitatem Deus pluribus miraculis illuſtravit. Demùm verò opera piorum nobilium Auguſtanorum diu expetitæ ejus venerandæ reliquiæ tranſlatæ ſunt Auguſtam, quas reverendiſſimus Henricus Epiſcopus Auguſtanus anno milleſimo ſexcenteſimo ſecundo, die xxvii. Octobris, Eccleſiæ religioſorum Cappucinorum à ſe dedicatæ ſolemni pompa intulit: in cujus celebritatis memoriam ſacrum Hymnum tunc editum hìc deſcribendum curavimus:

Urbis

A

Urbis vetuſta Romula
Auguſta matris filia,
Attolle cœlo verticem,
Et læta civem ſuſcipe.
Potentium quem limina,
Et res peroſum terreas,
Decora virtus ætheris
Provexit ad cacumina.
Sol manè qualis aureus
Cum noctè gentes diſſitas,
Luſtravit almo lumine,
Diem reducit pulchrior:
Gualfardus oris Italis
Poſt tot redux nunc ſæcula,
Sertis coruſcus aureis,
Jubar novum infert patriæ.
Tu magne rerum conditor,
Qui trinus unus, unus et,
A quo piorum munerum,
Rivus perennis effluit:
Juva benignè ſupplices,
Et ſanctitatis æmulos,
Hic conſequi veſtigia,
Cœlo aſſequi da præmia.]

JESU CHRISTI ANNUS 1128.	HONORII PAP. II. ANNUS 4.	VACAT. IMP. OCCID. 3. JOANNIS COMNENI IMP. 10.

I. SEquitur annus milleſimus centeſimus vigeſimusoctavus, Indictione ſexta, quo Honorius Pspa in expeditione poſitus, adversùs Rogerium invaſorem Ducatus Apuliæ arma movit; ſed ab illo tandem juramento fidelitatis accepto, rebus compoſitis reverſus eſt Romam. Quomodò autem iſta ſe hsbuerint, ita deſcribit Romualdns Salernitanus Antiſtes: Altero verò anno, *præſenti ſcilicèt*, Rogerius cum magno exercitu Apuliam intravit. **C** Papa autem Honorius cognito, quòd præfatus Dux auctoritate ſua vellet ſibi Ducatum Apuliæ uſurpare, cujus inveſtitura & dominium ſibi prædeceſſorum ſuorum jure legitimo pertinebat: Apuliam ingreſſus cum Roberto Capuano Principe, Raiduldulpho Comite Tirolæ, cognato prædicti Ducis, cum Converſanenſibus, Grimoaldo Principe Barenſi, & aliis Baronibus Apuliæ contra eum venit, ut eum de Apulia expelleret. Dux verò Rogerius eruditus & ſapiens, pugnandi copiam eis præbere noluit, ſed in tutis & munitis locis cum ſuo exercitu ſe recipiens, **D** tamdiu eos immorari fecit, quouſque afflicti tædio, neceſſitate compulſi ſe dividerent, & ad propria remearent. Papa verò videns ſe à Baronibus derelictum, Beneventum rediit. Quem Dux Rogerius è veſtigio proſecutus eſt, & miſſis Nuntiis, cum eo concordatus eſt, cui ligium & hominium fecit, & juramentum præſtitit: & ab eo in ponte, qui eſt ſuper Sebetum, per vexillum de Ducatu Apuliæ inveſtitus eſt. Quo facto Honorius Romam rediit, & Dux Rogerius in Siciliam eſt reverſus.] Hucuſque de rebus geſtis anni hujus Romualdus. **E** Eadem habentur, ſed fuſiùs, in ſæpè citato Chronico Beneventano, ubi de Haimerico Cardinali Cancellario, & Cencio Frangipane mentio habetur, quorum opera tranſactum fuerit inter Rogerium & Papam, inveſtitura accepta, quod factum dicitur die octava Aſſumptionis Dei genitricis Mariæ. Hæc & proſecutus eſt etiam Alexander monachus.

Rogerius Dux jurat fidelitatē Honorio Papæ.

Quo tempore miſit Petrum presbyterum Cardinalem tituli ſanctæ Anaſtaſiæ Ravennam, ubi congregata Synodo depo- **B** ſuit Aquilejenſem & Venetiarum Patriarchas. Hæc in veteri Pontificali. Quæ autem cauſa interceſſerit horum condemnationis, non invenimus. Inſuper hæc ibidem leguntur: Hic beatus Pontifex civitatem Signinam cum pertinentiis ſuis revocavit ſub dominium & proſperitatem B. Petri.]

Depoſitio duorū Patriarcharū.

II. Eodem quoque tempore, dum adhùc ſederet Honorius Papa, ſanctus Hugo Epiſcopus Gratianopolitanus ſenio fatiſcens, **C** primò per Legatos, inde per ſe ipſum Pontificem adiens & miſſionem rogans, non impetravit. Sed quomodò iſta ſe habuerint, audiamus Guidonem (*a*) Abbatem Carthuſiæ ejus temporis, iſta ſic narrantem: Epiſcopalem ſarcinā modis omnibus exuere deſiderabat, qua ſententia vel deſiderio (ſicut in principio diximus) ab initio ſuæ promotionis ad mortem uſque non caruit. Hac igitur voluntate in dies augmenta ſumente, Romam Legatos & litteras in hoc ipſum ad venerandæ memoriæ Papam miſit Honorium. Sed cùm Legati poſtulata non impetraſſent; **D** immò magis litteras ad eum conſolatorias, & ad perſeverandum exhortatorias accepiſſent: ipſemet quamvis morbis ac ſenectute gravatus, ſpe tamen in poſterum quieſcendi roboratus, eumdem Romanum Pontificem adire curavit, rogans ſuppliciter & obteſtans, dari ſenectuti ſuæ licentiam quieſcendi, & Eccleſiæ Gratianopolitanæ meliorem in ſuum locum paſtorem ſubſtituendi. Sed nec ipſe quamvis multas, ut putabat, juſtas & animi & corporis allegaret occaſiones, impetrare valuit, ut ſibi tantùm & Deo vacare permitteretur. **E** Creditum eſt enim, quòd ſola auctoritate, & ſanctæ converſationis exemplo plus poſſet plebi prodeſſe ſubjectæ debilis & ægrotus, quàm quivis alius robuſtus licèt & ſanus. Conceſſis itaque cœteris quæ petebat, honoratusque à ſummo Pontifice, conſolatus, ut potuit ad propria remeavit: dimittendi tamen Epiſcopatum olim conceptum non depoſuit deſiderium.] Hæc de rebus geſtis cum Honorio Papa. Subdit de ejus ſucceſſore Innocentio, quem venientem in Gallias convenit, & de hoc ipſo rogavit,

a Guid. in vit. S. Hug. apud Sur. tom. 2. die 1. April.

S. Hugo convenit Honorium Papam pro miſſione impetranda.

ſed

ſed non obtinuit. Cęterùm voluntatem Dei fuiſſe, ut vir tantus uſque ad obitum fulgeret dignitate Epiſcopali, eventa declararunt. Nam plurimùm profuit Eccleſiæ Catholicæ, ſchiſmate Petri Leonis exagitatæ, ut ſuo loco patebit. Jam ad res Orientales convertamus orationem.

III. Hoc anno moritur Guarimundus Patriarcha Hieroſolymitanus Sidone, cui ſubſtituitur Stephanus Abbas ſancti Joannis Carnotenſis, affinis Balduini Regis, ſicut nobilitate ita & moribus præſtans. De quo iſta Vuillelmus Tyrius: (a) Hic ejuſdem civitatis *Carnotenſis* ante converſionem ſuam in equeſtri ordine & habitu fuerat Vicedominus; poſtmodùm ſæculo renuntians, habitum religionis in prædicto clauſtro ſuſcepit. Demum ſuffragantibus meritis ad regimen Eccleſiæ ejuſdem promotus eſt, in adoleſcentia liberalibus diſciplinis convenienter inſtructus. Qui cùm orationis gratia & devotionis intuitu Hieroſolymam veniſſet; ibique tranſitum expectans moram faceret, contigit, quòd poſt exequias domini Guarimundi Patriarchæ, dum Clerus & populus de ſubſtituendo paſtore tractarent, communi omnium voto electus eſt. Poſtquàm ergò conſecratus eſt, cœpit adversùs Regem quæſtiones movere difficiles, allegans, Joppenſem civitatem ad jus ſuum & Eccleſiæ Dominicæ Reſurrectionis pertinere; ipſamque ſanctam civitatem poſt captam Aſcalonam eodem modo Eccleſiæ ceſſuram de jure confirmans: Erat autem homo magnificus, in propoſito conſtans, honeſtæ converſationis, juris ſui ſollicitus perſecutor. Unde inter eum & dominum Regem graves exortæ ſunt inimicitiæ, quarum tamen mors immatura finem dicitur feciſſe, nam non completo biennio in fata conceſſit. Opinantur nonnulli eum veneno dato interiiſſe: ſed nos pro certo id compertum non habemus. Traditur tamen, quòd dum in lecto ſupremæ decubaret ægritudinis, & Rex ad eum viſitandum eſſet ingreſſus, & ab eodem de ejus ſtatu quæreret, ita reſponderit: ſic eſt nobis in præſenti, domine Rex, ſicut vultis] Hæc Tyrius.

(a) Vuill. Tyr. l. 13. c. 25.

Stephanus Patriarcha Hieroſol.

IV. Hoc eodem anno Rogerius Siciliæ Comes excommunicatur ab Honorio Papa, quia non permittebat, ut Siciliæ Epiſcopi venirent Romam. Denuò excommunicatur etiam ab eodem Papa, quòd indebitum titulum ſibi, nomen Ducis ſcilicèt inconſulto Romano Pontifice arripuiſſet.] Habet iſta totidem verbis Romualdus Salernitanus Archiepiſcopus hujus temporis auctor in Chronico quod ſcripſit, à nobis ſæpè citato.

I. UNdetrigeſimus incipit annus poſt milleſimum atque centeſimum, Indictione ſeptima, quo Honorius Papa Beneventum veniens (ut habet Chronicon Beneventanum) inter alias Apoſtolicas functiones conſecravit Abbatem monaſterii ſanctæ Sophiæ Franconem nomine, menſe Auguſti. In Beneventanos autem ob Vuillelmi rectoris civitatis necem, quam eidem intulerant, commotus, in civitate habitare noluit: quin etiam in eos Rogerium Siciliæ Ducem accerſendum in ſequentem annum curavit, ut de perduellionibus ſumeret pœnas. Quod ille facturum ſe pollicitus eſt. Sed antequàm iſta perfici poſſent, idem Honorius Papa è medio ſublatus eſt anno ſequenti menſe Februarii, ut ſuo loco dicetur. Poſt iſta in Beneventanos adornata, ipſe Pontifex Romam reverſus eſt.

Honorius Papa commotus in Beneventanos.

Quo anno ibidem Beneventi veneranda ſanctorum martyrum corpora, Januarii, Feſti, & Deſiderii elevari contigit, & deferri in novam baſilicam tunc eiſdem erectam à Gualterio Archiepiſcopo Tarentino, erga Sanctos illos ſtudioſiſſimo.

II. Hoc eodem anno, quarto Kalendas Januarii, idem Honorius Papa decernit legationem in Daniam, Svetiam, atque Boemiam per Gregorium diaconum Cardinalem, cui ad Reges earumdem provinciarum has litteras dedit:

Legatio in Daniam, Svetiam & Boem.

Honorius ſervus ſervorum Dei ..... Illuſtri Regi Daniæ ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Ecce juxta precum tuarum inſtantiam, & promiſſionem noſtram miſimus ad te dilectum filium noſtrum Gregorium de Creſcentio, ſancti Theodori diaconum Cardinalem, Apoſtolicæ Sedis Legatum, virum utique prudentia & honeſtate conſpicuum, & nobis inter alios fratres noſtros ſuis exigentibus meritis, ſpecialiter charum, conceſſo ſibi plenæ legationis officio per omnes terras, quæ tuæ juriſdictionis exiſtunt, ut extirpet nociva, & plantet ſalubria, prout quæque ſecundùm datam ſibi à Deo prudentiam viderit facienda. Rogamus igitur regiam celſitudinem tuam, quatenùs ipſum, immò veriùs nos in ipſo recipias hilariter, & honorificè tractes, & à ſubditis tuis ei facias dignam honorificentiam exhiberi: ut devotio, quam te ad Apoſtolicam Sedem habere confidimus, clareat in effectu, & nos ac fratres noſtri per hoc meritò in tua charitate creſcamus: idemque Legatus, qui per ſe, ac ſuos, qui magnum locum in Urbe obtinere noſcuntur, grata tibi poterit viciſſitudine reſpondere, ad tuam dilectionem perpetuis temporibus obligetur. Datum Laterani quarto Kal. Januarii, Pontificatus noſtri anno quinto.

In eum-

Digitized by Google

III. A In eumdem modum Regi Svetiæ, & ad Regem Boemiæ, Ita in Vaticana Bibliotheca.

Deponitur Virdunenſis Epiſc.

Hoc eodem anno ipſe, quem diximus, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Matthæus Epiſcopus Albanenſis legatione functus in Galliis, depoſuit Henricum Epiſcopum Virdunenſem. Ita Dodechinus hoc anno, qui etiam aſſerit Halberſtadenſem Epiſcopum à ſuis Canonicis accuſatum æquè fuiſſe ab Apoſtolicæ Sedis Legato depoſitum. Eſt mentio de Virdunenſi Epiſcopo in ordinem redacto in epiſtola ſancti Bernardi (a) ad Haimericum B Romanæ Eccleſiæ Cancellarium, quòd poſtquàm à Virdunenſi Epiſcopatu ejectus eſt, conatus ſit invadere Catalaunenſem Eccleſiam. Ad avertendum ergò imminens periculum ipſius Catalaunenſis Eccleſiæ, idem ſanctus Bernardus has ad Honorium Papam litteras dedit: (b)

a *Bern. epiſt.* 48.
b *Id. ep.* 13.

S. Bernardus ad Honoriū pro Eccl. Catalaun.

Summo Pontifici Honorio Frater quidam profeſſione monachus, converſatione peccator, ſeipſum quantillus eſt.

Ajunt apud vos plus valere pauperis precem; quàm potentis vultum. De qua veſtra ſingulari dignatione tàm ſancta opinio facit me dignitatis celſitudinem non vereri, C quò minùs audeam loqui ad vos, id præſertim, quod charitas ſuggerit: de Eccleſia dico Catalaunenſi, cujus quantum in me eſt, nec valeo, nec debeo diſſimulare periculum. Videmus nimirùm, jamjamque imminere, ſentimus nos qui vicini ſumus, pacem videlicèt memoratæ Eccleſiæ graviter mox eſſe turbandam, ſi electionis illuſtris illius viri, id eſt magiſtri Alberici, in quam utique totus tàm Clerus, quàm populus pari voto & voce convenerant, & conveniunt, veſtræ pietatis aſſenſum impetrare nequiverint. De qua re ſi & noſtra quæritur aut curatur ſententia; D novimus hominem ſanæ fidei & doctrinæ hactenùs extitiſſe in divinis, pariter & humanis prudentem eſſe; & ſperamus in domo Dei (ſi tamen ipſe elegit eum) fore vas in honorem, & utilem futurum non ſolùm illi, ſed & omni Gallicanæ Eccleſiæ. Veſtræ jam diſcretionis eſt judicare, an meritò flagitetur à vobis facienda diſpenſatio, unde talis poteſt ſperari recompenſatio.] Hæc Bernardus ad Honorium. Ex quibus intelligis, nullius planè momenti exiſtere conſueviſſe poſtulationem ſive electionem Epiſcoporum, niſi Romanus Pontifex præberet aſſenſum.

IV. E Egit etiam his fermè diebus idem ſanctus Bernardus litteris apud eumdem Honorium Papam pro monachis Divionenſibus, ſed modeſtia incomparabili, ita ſatisfaciens petentibus, ut non urgeret petulantia ipſum Pontificem, prout litteræ (c) ad ipſum ab eo datæ ſignificant. Magnæ quidem æſtimationis eſſe cœperat A jam ab Honorii Pontificatu ſanctus Bernardus in Romana Curia apud Pontificem & Cardinales, qui eum colebant, atque litteris frequentabant, ut ejuſdem ſancti viri redditæ ad eos litteræ docent: cùm jam ex ſapore cognita exigebantur ab eo ipſius ſcripta. At quænam ſint iſta, ipſe ad Petrum diaconum Cardinalem ea exigentem in fine epiſtolæ his verbis ſignificat: (d) Et ut ſciatis quid petatis: ſcio me ſcripſiſſe libellum, qui inſcribitur, De humilitate, & quatuor homilias in laudibus Virginis Matris, nam hunc habet titulum, ſuper illum videlicèt locum B Evangelii apud Lucam, ubi dicitur, Miſſus eſt Angelus Gabriel: necnon Apologiam ad quemdam amicum noſtrum, ubi aliqua diſſerui de Cluniacenſibus & noſtris, id eſt Ciſtercienſibus obſervantiis. Sed & paucas ad diverſos epiſtolas dictavi. Aliqui Fratres ex his, qui me coram audiere loquentem, ſuo ſtylo exceperunt, & penes ſe retinent.] Meminit ibidem de alio libro, dicens. Librum quem quæſiſtis ad tranſcribendum, habetis.] Quem fuiſſe librum de Gratia, & libero arbitrio, ſcriptum ad Vvillelmum Abbatem S. Theodorici, teſtatur in præfatione libri ſe- C cundi vitæ ſancti Bernardi, Bernardus Abbas Bonæ Vallis. Hæc de ſancti Bernardi lucubrationibus in hanc uſque diem editis.

c *Id. ep.* 16.

S. Bernardus notus in Eccleſia Romana.

d *Id. ep.* 18.

Scripta S. Bernardi uſque ad præſens tempus.

V. Cæterùm quod ſpectat ad epiſtolarum ſcriptionem, ita comparatus erat, ut quotieſcumque cauſam Dei vigere videret, idem ipſe etiam ad ſummum Pontificem & Cardinales petitus ſcribere non renueret. Ad Haimericum enim Cancellarium ſcribens, quodnam eſſet ſui animi inſtitutum, paucis his ita declarat; (e) Etſi tanti non ſum, ut Romæ habeam propria negotia; nulla tamen quæ Dei eſſe conſtiterit, D à me duco aliena.] Porrò quod ad res ab eo geſtas pertinet, uſque in annum ſequentem, quo Honorius Papa obiit, & ſubrogatus eſt Innocentius, primus ejus vitæ liber à Vvillelmo Abbate S. Theodorici ſcriptus continet. Eo verò eodem tempore vita functo, à tempore creationis Innocentii Papæ Bernardus Bonævallis Abbas ſecundum librum eſt auſpicatus. Erat autem idem S. Bernardus hoc anno Redemptoris milleſimo centeſimo undetrigeſimo agens annum ætatis ſuæ trigeſimumoctavum. Etenim ſi anno Domini E milleſimo centeſimo decimotertio, quando eſt ingreſſus monaſterium Ciſtercienſe, erat ſanctus Bernardus natus annos vigintiduos, ut idem qui ſuprà Vvillelmus in ejus vita teſtatur: his ſi addas annos ſexdecim, quibus in hanc diem vixit in monaſterio, eumdem planè numerum annorum conficies.

e *Bern. ep.* 20.

Ætas S. Bernardi.

I. Honor. II. Pap. obitus.

ANnus incipit Redemptoris milleſimus centeſimus atque trigeſimus, Indictione octava, quo Honorius Papa, cùm ſediſſet annos quinque, menſem unum, & dies decem & ſeptem, moritur decimoſexto Kal. Martii. De quo iſta Pandulphus: Hic fecit ordinationes in Urbe plures, quibus creavit complures presbyterorum ac diaconorum, & aliorum minorum ordinum, & inter alios Petrum ſanctæ Anaſtaſiæ, Comitem ſanctæ Sabinæ, Georgium ſanctæ Balbinæ, Matthæum diaconum ſancti Hadriani, Hugonem ſancti Theodori; Guidonem ſanctæ Mariæ in Via lata. Præter hos Epiſcopos aliquot. Ægrotus autem deferri ſe fecit ea Lateranenſi palatio ad monaſterium ſancti Andreæ, ibique in pace defunctus eſt; ſepultus verò in baſilica Salvatoris.] In alio autem ſcripto codice ſummatim: Hic fecit per menſem Decembrem ordinationes ..: quibus creavit diaconos undecim, presbyteros decem & ſex, Epiſcopos triginta & unum, quos conſtituit per diverſa loca.] Hic finis Honorii. Non vacavit ſedes: ſed eadem planè die, qua defunctus eſt ipſe, ſucceſſor ejus conclamatus eſt Innocentius decimoſexto Kal. Martii. Ita quidem Chronicon Beneventanum tunc ſcriptum, quod apud nos extat his verbis: Die ipſo quo Honorius defunctus eſt, domnus Innocentius eſt electus, poſt quem die ipſo, ad horam tertiam Petrus Portuenſis Epiſcopus Petrum filium Petri Leonis elegit.] Hæc ibi de tempore. De modo autem habet iſta Sugerius Abbas, hujus temporis auctor magni nominis, in vita Ludovici Regis Francorum: Venerandæ memoriæ ſummo Pontifice & univerſali Papa Honorio viam univerſæ carnis ingreſſo, cùm Eccleſiæ Romanæ majores & ſapientiores ad removendum Eccleſiæ tumultum conſenſiſſent, apud ſanctum Marcum & non alibi, & non niſi communiter more Romano, celebrem fieri electionem: qui & aſſiduitate & familiaritate propinquiores Apoſtolici fuere, timore tumultuantium Romanorum illuc convenire non audentes, antequàm publicaretur domini Papæ deceſſus, perſonam venerabilem Cardinalem de ſancto Angelo diaconum Gregorium ſummum eligunt Pontificem. Qui autem Petri Leonis parti favebant, ad ſanctum Marcum, pro pacto alios imitantes convenerunt, dominique Papæ morte comperta ipſum eumdem Petrum ſeriùs Cardinalem presbyterum, multorum & Epiſcoporum & Cardinalium, & clericorum, & Romanorum nobilium conſenſu votivè elegerunt.] Hæc de electionibus utriuſque, quarum quænam potioribus viribus niteretur, dicturi ſumus inferiùs.

II.

Quod pertinet ad Innocentium, fuiſſe ipſum quidem monaſtici ordinis, hæc accepimus ex archivo tituli ſanctæ Praxedis: Domnus Gregorius monachus Lateranenſis cœnobii ſanctorum Joannis Baptiſtæ, Joannis Evangeliſtæ, atque Pancratii, idemque Abbas monaſterii ſanctorum Nicolai & Primitivi Ordinis ſancti Benedicti, loco qui vocatur Gabis, prope lacum Burranum: qui ab Urbano Papa Secundo creatus eſt S. R. E. Cardinalis diaconus ſancti Angeli, mortuoque Honorio Papa in Pontificem legitimè electus, Innocentius dictus eſt. In cujus odium & æmulationem, elevatur in thronum à factioſis Petrus Leonis filius presbyter Cardinalis tituli ſanctæ Mariæ trans Tiberim, atque Anacletus Secundus eſt nominatus.] Qui licèt penes aliquos laudatus inveniatur, utpotè qui olim in Cluniacenſi cœnobio monaſticum vitæ arripuerit inſtitutum, ut ejus litteræ ad Cluniacenſes inferiùs recitandæ teſtantur, & Petrus (a) Abbas Cluniacenſis in epiſtola ad Haimericum Cancellarium tradit, tamen à teſte fideli ſancto Bernardo in perſona Ducis Burgundiæ ad Vuillelmum Comitem Pictavienſem ita propriis coloribus pingitur: (b) Denique quid boni, quid virtutis, quid honeſtatis afferunt de ſummo Pontifice ſuo, & non provocent ad favorem? Si vera ſunt, quæ ubique divulgat opinio, nec unius dignus eſt viculi poteſtate. Si vera non ſunt; decet nihilominùs Caput Eccleſiæ non ſolùm vitæ habere ſanctitatem, ſed & famæ decorem.] Hæc ipſe. Quibus ſanè apparet, Anacletum peſſimè audiſſe apud omnes. Qui cùm contra virum ſanctiſſimum Innocentium à conſanguineis ſæculari potentia, contra jus faſque introduceretur: hinc obortæ factiones, ſtudia, ſimultates, conſpirationes, iræ, rixæ, contentiones, cùm in eos, qui jure contradicerent, vis publica miniſtraret arma bellica. Tunc enim plebs claſſico excitata potentium eò properat, quò ſerena vocat ambitio, & provocat ſpes avida lucri. Sicque ejus, cujus ſcirent eſſe horrea oppleta, nummis arcas refertas, promptuaria plena eructantia ex hoc in illud, favent electioni; quam labantem nec ſubſiſtentem clamoribus obnixè ſuſtentant, minis roborant, terroribuſque ſtabiliunt, ut nemo palam Papam alium vel nominare præſumeret, præter eum, quem factioſa tyrannis evexerat, ac metus retinere compelleret. Innocentii nocentibus nomen in crimen eſt, tabulis proſcripta furentum innocentia, ſicque ad Innocentium inſectandum univerſa ſimul conſpirat iniquitas. Cedunt furori fideles, domi ſe continent, vel confugia quærunt, Martyrum petunt anti-

Schiſma in Romana Eccleſia.

a Pet. Clun. lib. 3. ep. 64.

b Bern. ep. 127.

antiquas ſedes, abdita cœmeteria, ubi
ſub alta ſcrobe pulſent precibus cœlum, &
a Pſal. 14. compellent Deum vocibus iſtis: (a) Do-
mine quis habitabit in tabernaculo tuo,
aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?
b Pſal. 23. Non niſi innocens (b) manibus & mundo
corde, qui non accepit in vano animam
ſuam, nec juravit in dolo proximo ſuo.
Hic accipiet benedictionem à Domino,
& miſericordiam à Deo ſalutari ſuo.]

III. Hoc ſtatu miſerando collocata erat tunc
temporis Romana Eccleſia, in qua trium-
phante Antichriſto cogeretur verus Chri-
ſti Vicarius exnlare, in templo ſancto in
Petri throno abominatione ſedente. Sed
audi iſta ab ejus temporis ſcriptore Ano-
nymo, ex codice Vaticano deſcripta: Ma-
gna in Urbe diſcordia facta: nam Epiſco-
pi & Cardinales ſe in duas partes diviſe-
runt, ſed melior & ſanior pars cum eo-
dem Innocentio, qui majoribus ſtudiis &
meritis juvabatur, adhæſit; omnes ſub-
ſcripti cum ipſo conſtanter ſteterunt,
Vvillelmus Prænestinus, Matthæus Al-
Innocentio qui faverint Cardinales. banenſis, Joannes Oſtienſis, Conradus
Sabinenſis Epiſcopi, Petrus quoque ſan-
cti Martini in Montibus; Joannes Cre-
menſis ſancti Chryſogoni, Hubertus ſan-
cti Clementis, Anſelmus ſancti Lauren-
tii in Lucina; Anſelmus alius S. Cæciliæ,
Gerardus S. Crucis, & Petrus S. Anaſta-
ſiæ presbyteri Cardinales, Romanus S. Ma-
riæ in Porticu, Gregorius ſanctorum Ser-
gii & Bacchi, Haimericus S. Mariæ Novæ
Apoſtolicæ Sedis Cancellarius, Albertus
S. Theodori, & Guido ſanctæ Mariæ in
Via lata diaconi Cardinales. Tres verò ex
illis, qui adverſæ parti adhæſerunt, De-
ſiderius ſanctæ Praxedis, Godefredus ſan-
cti Vitalis; & R. ſanctæ Sabinæ, ad Pa-
pam Innocentium ſunt converſi, Petrus
autem Leonis cum ſectatoribus ſuis humi-
litatem Innocentii parvipendens, non po-
ſuit Deum adjutorem ſibi, ſed ſperavit in
multitudine divitiarum, in potentia pa-
rentum, in fortitudine munitionum, &
hoſtiliter fecit aggredi domus Frangipa-
num, in quibus Innocentius ſe receperat
cum ſuis fratribus. Sed contra ſpem ſibi ac-
cidit, quia & Innocentii partem modi-
cùm læſit, & ejus ſatellites non ſine gravi
damno ad eum ſunt reverſi. Unde in indi-
gnationem & iram commotus, ad ſanctum
Petrum cum indignatione, maxima cum
multitudine equitavit; & ipſam quam ce-
pit eccleſiam, per violentiam introivit,
& per Sanctuarium & aureum Crucifixum
pendentes coronas, cum toto theſauro
argenti & auri, & pretioſis lapidibus, ſi-
ve gemmis, quas Romani Pontifices, or-
Deprædatur Schiſmatici Eccleſias. thodoxique Imperatores in Eccleſia ipſa
cum devotione obtulerant, tamquàm ſacri-
legus auferre, & Ciborium, quod ſuper al-
tare B. Leo conſtruxerat, detruncare præ-
ſumpſit. Sublatis autem & abreptis om-
nibus, ad patriarchium B. Mariæ acceſ-
ſis, & Eccleſiam ipſam multò majori the-
ſauro dotatam, expoliare nihilominùs at-
tentavit. Ad alias præterea Urbis eccle-
A ſias manus extendens, quidquid in eis
pretioſum invenit, ſimiliter rapuit, & aſ-
portavit. Talibus ergò tantiſque mercibus
iniquè dotatus, majorem venalis Urbis
partem emere ſtuduit, corrumpens vul-
gus etiam ita ſibi aſtrinxit, ut præter Fran-
gipanum & Corſorum munitiones, Papa
Innocentius nullum in Urbe ſubſidium ha-
beret. Cùm igitur Pontifex ipſe undique
ita eſſet obſeſſus, ut nemo ad ejus præſen-
tiam ſine periculo vitæ poſſet accedere;
conſilium habuit exeundi Urbem, & tran-
ſeundi in partes Galliarum. Aſcendit er-
gò duas galeas cum omnibus fratribus, qui
B ſecum ſteterant, præter Conradum Sabi-
nenſem Epiſcopum, quem Vicarium in
Urbe reliquit, & faucibus Tiberis cum
difficultate tranſcenſis, ad Comitatum Pi-
ſanum cum proſperitate, Deo auctore,
pervenit.] Hucuſque auctor de receſſu ab
Urbe legitimi Pontificis Innocentii, ea-
demque reliqui omnes antiquiores horum
temporum Scriptores.

At quòd in ore duorum vel trium te- IV.
ſtium ſtat omne verbum, ne quis putet
quæ ex Anonymo ſunt recitata, ob nimiam
valdè deformitatem carere fide: eadem ex
Bernardo Abbate, auctore tunc vivente
C hic deſcribamus, viro planè ſanctiſſimo,
qui in ſecundi libri principio vitæ, quam
ſcribebat, S Bernardi, hæc habet de ea-
dem ſchiſmatica factione: Pars altera in-
fames auſus violentia non ratione corro-
borans, Petrum Leonis ad hunc apicem
aſpirantem, fraudulentis machinationi-
bus ſeorſum & præcipitanter nominavit
Anacletum, & cæteris renitentibus ordi-
navit. Qui verò in parte Catholica erant,
electum ſuum ſolemniter ordinatum col-
locarunt in cathedra, & per loca illa, in
quibus ſeſſiones habent ex antiqua conſue-
tudine Romani Pontifices, circumduxere,
D & pro tempore honor debitus Apoſtolicæ
affuit dignitati. Et tunc ſanè circa Late-
ranenſe palatium morabantur; nec erat jam
eis tuta in domibus propriis manſio, cùm
eos acerrimè Petri ſatellites infeſtarent.
Ibi etiam diu reſiſtere non valentes, per
confœderstos ſibi quoſdam ex nobilibus
Romanis ad tempus in turribus eorum re-
ceptacula habuerunt. Sed nec in eis per-
ſeveravit fidelitas. Nam in brevi aut vi
aut formidine temerariæ multitudinis,
aut pretio corrupti ſunt. Nam Petro tàm
propria generis virtute, quàm adhæren-
tium ſibi affinitate multitudo tanta erat,
E ut ferè tota eum Civitas ſequeretur, vel
pecunia, vel commodis obligata.

Congregaverat ſanè opes innumeras, V.
tàm in exactionibus Curiæ, quàm in le- Immania
gationum negotiationibus, quas ad ex- ſacrilegia
pectandas nundinas reſervaverat. Inſuper Schiſmaticorum.
& paterni cenſus ampla congeries eatenùs
ſigillata, modò diſtributa in populum, ad
fas & nefas venalem plebem armaverat.
Quibus erogatis, donaria Regum in or-
namentis Eccleſiæ, ab ipſis evulſit alta-
ribus, & cùm calices frangere, & cru-
cifixos aureos membratim dividere ipſi
proſa-

profani Chriſtiani vel timerent, vel erubeſcerent: Judæos ajunt eſſe quæſitos, qui ſacra vaſa, & imagines Deo dicatas audacter comminuerent. Igitur quiſque pro modo ſuo ſecundùm majus & minus conducti ad ſcelus, ſacramentis generalibus publicè Petro vendiderunt aſſenſum, & in omnem ſanguinem manus expoſuerunt & arma, & quotidianis congreſſibus partem quæ cum Innocentio erat, maledictis inſectabantur & gladiis. Habuerunt igitur ſervi Dei conſilium, & quia via humana ſe tueri non poterant, cedere elegerunt, & procuratis clam navigiis, & de ore Leonis, & de manu beſtiæ per Tiberim in Tyrrhenum mare elapſi proſperis ventis carbaſa impellentibus ad portum Piſanum feliciter appulerunt.] Hucuſque de his Bernardus Abbas Bonævallis, ſed & ipſe ſanctus Bernardus in epiſtola, quam poſteà dedit ad Romanos ſub Eugenio Papa, iſta adeò probroſa in eoſdem ſic exprobrat: (a) Recordare qua cauſa, quo fine, per quos, & in quos uſus non longè ante hos dies, cunctarum quæ in te ſunt, Eccleſiarum omnis ornatus & cenſus profligatus eſt, quidquid in altaribus, & in altarium vaſis, quidquid in ipſis ſacris imaginibus auri & argenti reperiri tunc potuit, manibus impiorum direptum, & aſportatum eſt. Quid ex his omnibus tu in tuis nunc marſupiis invenis? Porrò decor domus Domini irrecuperabiliter periit. Et nunc quid tibi viſum eſt, iterare malitiam, innovare denuò ſuper te dies malos?] Hæc ſanctus Bernardus, improperans poſteà iſta tunc temporis, cùm à Romanis ſub Urbe pulſus eſſet Eugenius Papa. In ultionem autem admiſſi ſceleris, hoc ipſo anno ſumma annonæ penuria laboraſſe Romanos, Acta Innocentii teſtantur his verbis: Hujus temporibus, primo anno Pontificatus ſui tàm valida fames Romæ fuit, ut frumenti ſextarium quinque ſolidis denariorum Papalium venderetur.] At levis iſta quantumlibet ingens, videri poterit ultio in ſceleratos, ſi cum tàm immani atque nefando ſacrilegio, & hactenùs inaudito, quod ſchiſmaticus furor audaciſſimè perpetravit, comparetur: cùm, quod hucuſque numquam præſumptum à quovis nefario legitur, ab iiſdem Chriſtus in imaginibus datus ſit, in manus Judæorum dilacerandus ac conſcindendus. Qualis tunc facies Urbis; in qua non ad cultum, ex more baſilicæ frequentarentur, ſed ad rapinam ſacrilegè invaderentur, expoliarentur, atque turpiſſimè profanarentur? Ex quibus adeò nefariis operibus tenebrarum, ſecundùm Dominicum (b) illud: Ex fructibus eorum cognoſcetis eos.] Et ſecundùm illud: (c) Non poteſt arbor mala bonos fructus facere, neque arbor bona malos fructus.] Perfacile erat cuique intelligere, quis legitimus, quis verò ſpurius eſſet Papa; quis ſucceſſor Petri, quis ſynagogæ ſatanæ Antichriſtus, quis paſtor, quis verò fur & latro, qui non niſi ut

a Bern. ep. 242.

Fames affligit Urbem.

b Matth. 7.

c Luc. 6.

A perdat & mactet, in ovile ovium intrat.

Qui, ne turpiſſimus, ut erat, à cæteris Eccleſiæ paſtoribus atque Chriſtianis Principibus haberetur, & vitaretur, larvâ impoſuit monſtro, ut quod eſſet horrendum viſu, auditu pavendum, idem ſimulatione ſuperinducta, mendacio ſuperimpoſito, hypocriſi ſuperaddita videretur pulchrum & humanum; ſtuduitque ipſe litteris toto orbe terrarum ſparſis videri ſanctus, juſtus, & maximè pius: quas Dei beneficio hactenùs conſervatas, tibi Lector, inſpiciendas inferiùs proponemus. Modò autem de ſancta Romana B Eccleſia per ſchiſmaticum pſeudopontificem lancinata, S. Bernardi iſta audientis audi querelas: (d) Cernitur abominatio ſtare in loco ſancto, quem ut obtineret, incendit igni ſanctuarium Dei. Perſequitur Innocentium, & cum eo omnem innocentiam.] At quid dixeris tu, Lector, ſi præſentis temporis Novatores audias hunc S. Bernardi locum malè uſurpantes, immò eodem abutentes penitùs de abominatione ſedente in loco ſancto, ad probandum Romanum Pontificem eſſe Antichriſtum? Sed delirant, neſcientes, ſeu potiùs neſcire diſſimulantes, non iſta de C legitimo Romano Pontifice locutum S. Bernardū, ſed de ſchiſmatico Papa Anacleto, cùm legitimum Pontificem Innocentiū non Antichriſtum, ſed verè Chriſti Vicariū, imò Chriſtum ipſum appellet: nam iſta de Innocentio paulò ſuperiùs: Ecce Chriſtus Domini iſte Innocentius poſitus eſt in ruinam & reſurrectionem multorum. Nam qui ſunt Dei, libenter junguntur ei; qui autem ex adverſo ſtat, aut Antichriſti eſt, aut Antichriſtus.] En vides, Lector, hæreticorum procaciam, & impudentiam; cùm ſatis conſtet, quem S. Bernardus Chriſtum, quem verò nominet Antichriſtum. Qui & in epiſtola ad Gaufredum (e) de D eodem pſeudopontifice Anacleto habet iſta, comparans ipſum iterum Antichriſto; Beſtia illa de Apocalypſi, (f) cui datum eſt os loquens blaſphemias, & bellum gerere cum Sanctis, Petri cathedram occupat tamquàm leo paratus ad prædam.] Rurſùm de eodem ad Epiſcopos (g) Aquitaniæ: Velimus, nolimus, impleri quandoque neceſſe eſt veritatem Spiritus ſancti, fierique illam, quæ prophetico ſpiritu prænuntiata legitur in Scripturis diſceſſio: ſed væ homini per quem venit. Quis verò ille, niſi homo peccati, qui ſu- E per electum à Catholicis Catholicum, & canonicè, locum ſanctum invaſit? Quem tamen non quia ſanctus, ſed quia ſummus eſt, affectavit. Invaſit, inquam, invaſit armis, igne, pecunia, non vitæ merito vel virtutum pervenit, in quo ſtat, & ſtat in quo pervenit. Nam illa, quam jactat juratorum ſuorum, non electio, ſed factio, umbra tantùm fuit & occaſio & velamentum malitiæ.]

Quod autem ad utriuſque electionis merita ſpectat, ab eodem ſancto Bernardo id ſæpè tractante accipe, quàm potiora jura

VI. Antipapa mendaciis rem agit.

d Bern. ep. 124.

Schiſmaticus Papa dictus Antichriſtus.

e Id. epiſt. 125.

f Apoc. 13.

g Id. epiſt. 126.

VII. Innocentius quantæ exiſtimationis eſſet.

a *Id. epiſt.* 124.

A ſuerint Innocentii. De quo (*a*) primùm inquit: Funiculus triplex difficilè rumpitur: electio meliorum, approbatio pluſium, & quod his efficacius eſt, morum atteſtatio Innocentium apud omnes commendant, ſummum confirmat Pontificem.]

b *Id. epiſt.* 125.

Et ſequenti epiſtola: (*b*) Meritò autem illum recipit Eccleſia, cujus & optimo clarior, & electio ſanior inventa eſt, nimirùm eligentium & numero vincens & merito.] Inſuper & ad Epiſcopos Aquitaniæ: (*c*) Stat quippè ſententia eccleſiaſtica, & authentica, poſt primam electionem non eſſe ſecundam.

c *Id. epiſt.* 126.

B Celebrata proindè prima, quæ ſecundò præſumpta eſt, non eſt ſecunda, ſed nulla. Nam etſi quid minùs fortè ſolemniter, minùſve ordinabiliter proceſſit, in ea quæ præceſſit, ut hoſtes unitatis contendunt: numquid tamen præſumi altera debuit, niſi ſanè priore priùs diſcuſſa ratione, caſſata judicio? Eapropter qui ſe ſuperingerere feſtinant, quique temerario temere manus imponere nihilominùs acceleraverunt, Apoſtolo (*d*) prohibente: Nemini citò manus imponas: ipſi proculdubiò majus peccatum habent, ipſi auctores ſchiſmatis, ipſi grandis malitiæ hujus principes extiter e.]

d 1. *Tim.* 5.

Quàm potior cauſa Innocentii habeatur.

C Et inferiùs: Duo itaque ſuot, de quibus contenditur: quiſnam eorum rectius videatur Papa. Quorum primo quidem, ſi perſonas compares, ut neutri ſanè vel derogare videar, vel adulari: dicam quod dici paſſim reperies, & neminem arbitror diffiteri: quia videlicèt Innocentii noſtri vita vel fama nec æmulum timet, cùm alterius nec ab amico tuta ſit. Dehinc ſi electiones diſcutias; noſtri itidem mox occurrit & promotione purior, & ratione probabilior, & prior tempore. Porrò de tempore conſtat: reliqua duo merita probant, & dignitas eligentium. Hanc enim, ni fallor, partem ſaniorem invenies,

D tàm Epiſcopos, quàm Cardinales, diaconos, ſive presbyteros, & quorum maximè intereſt de electione ſummi Pontificis, & quanti in eligendo juxta Patrum ſcita ſufficiant. Quid & in conſecratione? Nonne Oſtienſem, ad quem ſpecialiter ſpectat, habemus? Cùm igitur & electus dignior, & electio ſanior, & actio ordinabilior teneatur: qua iſti ratione, immò qua contentione contra jus & fas, & vota omnium bonorum invitæ & renitenti Dei Eccleſiæ præficere alium, & illum deponere tentant? Horum conatui

E tàm maligno, tàm indigno, tàm temerario totis certè viribus renitendum eſſe, videtis reverendiſſimi & illuſtriſſimi Patres.] Hæc ſanctus Bernardus ad Epiſcopos Aquitaniæ.

VIII. His viſis, jam quod polliciti ſumus, conſcriptas à ſchiſmatico Papa Anacleto hoc anno litteras ad diverſos datas, ad alliciendos in ſuam partem Principes, & diverſarum provinciarum Epiſcopos, hìc deſcribamus, acceptas eas ex codice Caſſinate, quas habuimus ab ejuſdem Congregationis monacho Conſtantino Cajetano,

A de antiquitate eccleſiaſtica benemerente. Quæ cùm careant titulis, tamen ad quos datæ ſint, ex earum textu interdum aſſequi licet. Sed priùs videndæ ſunt litteræ Petri Epiſcopi Portuenſis, ejuſdem Anacleti promotoris, & totius illius factionis anteſignani, quæ ſic ſe habent: (*e*)

e *Vvillel. Malmesb. hiſt. nov. l. lib.* 1.

IX. Petrus Portuenſis Epiſcopus, quatuor Epiſcopis Vvillelmo Præneſtino, Matthæo Albanenſi, Conrado Sabinenſi, Joanni Oſtienſi *Epiſcopis Cardinalibus partis Innocentii.*

Litteræ Petri Epiſc. Port. ſchiſmaticorū Principis.

Quanta ſit pro vobis tribulatio cordis mei, ille ſolus novit, qui omnia novit.

B Vobis quoque meis litteris cognitum ſaltem jam ex parte fuiſſet, niſi Eccleſiæ ſententia, & communis auctoritas prohiberet. De commendatione, ſeu vituperatione perſonarum, de quibus nunc ſermonum varietas agitatur, non eſt hujus temporis judicare: eſt qui quærat, & judicet. Si tamen quiſquam præſtò fuerit accuſare: præſtò erit & qui debeat reſpondere: præſertim cùm in veſtro & meo, immò in totius Eccleſiæ conſpectu uterque ſapienter vixerit, & honeſtè, & quæ officii ſui erant, plena hucuſque exercuerit libertate. Abſtinere vos potiùs convenit à ſermonibus

C otioſis & verbis præcipitationibus. Si de rumoribus agitur; longè ſe aliter habent res, quàm veſtræ apud me proteſtantur litteræ. Ad hæc ſi verba quæ poſuiſtis, ſi ordinis rationem attenditis (ut ſalva reverentia veſtra loquar) factionem illam veſtram qua confidentia, qua fronte electionem vocare præſumitis? Cur illum veſtrum dicitis ordinatum, cùm prorsùs in cauſa ejus ordo non fuerit? Siccinè didiciſtis Papam eligere? in angulo, in abſcondito, in tenebris, & umbra mortis? Si mortuo Papæ vivum ſuccedere volebatis: cur mortuum vivere prædicabatis? Multò

D melius erat, mortuo humanitatem impendere, & ſic de vivi ſolatio cogitare. Sed ecce dum de mortuo ſolatium vivo requiritis; & mortuum pariter ſuffocaſtis. Poſtremò nec veſtrum, ſicut nec meum, fuit eligere; ſed potiùs electum à fratribus ſpernere vel approbare.

X. Quia igitur neglecto ordine, contempto canone, ſpreto etiam ipſo à *vocis condito anathemate, me inconſulto Priore veſtro, inconſultis etiam fratribus majoribus; & prioribus, nec etiam vocatis aut expectatis; cùm eſſetis novitii, & in numero brevi pauciſſimi facere præſum-

* vobis.

E pſiſtis: pro infecto habendum eſſe, & nihil omninò exiſtere, ex ipſa veſtra æſtimatione poteſtis advertere. Citò autem nobis Dominus affuit; & viam, qua errori veſtro contraire poſſemus, oſtendit. Fratres ſiquidem veſtri Cardinales, quorum præcipua in electione poteſtas, cum Clero univerſo, expetente populo, cum honoratorum conſenſu, in luce, in manifeſto, unanimi voto & deſiderio delegerunt dominum Petrum Cardinalem in Romanum Pontificem Anacletum. Hanc ego electionem canonicè celebratam conſpexi, & au-

ctore

ctore Deo, confirmavi. Hunc Eccleſia ſuſcipit & veneratur; hunc per Dei gratiam Epiſcopi, & Abbates, Principes, Capitanei, & Barones, quidam per ſeipſos, quidam per Nuntios ſuos, videntibus nobis, frequentant.

XI. Deprædationem illam & crudelitatem, quam prætenditis, non videmus. Quicumque ad eum pro reſponſis, ſeu negotiis ſuis veniunt, benignè ſuſcipiuntur, benigniùs revertuntur. Redite jam, redite ad cor. Nolite ſchiſma in Eccleſia facere ad animarum ſubverſionem; nolite ulteriùs laborare: teneat vos timor Domini, non pudor ſæculi. Numquid qui dormit, non adjiciet ut reſurgat? Deſiſtite jam mendaciis, in quibus impii ſpem ſuam ponere conſueverunt. Dominus* Tiburtius in ſcriptis ſuis cum ſacramento teſtificatus eſt, dicens, quòd ego diaconum S. Angeli ſolùm idoneum judicavi ad Pontificatus ordinem. Videat ipſe quid dixerit: ego in occulto locutus ſum nihil. Non eſt aliquis, qui hoc verbum ab ore meo umquam audierit. Hæc fuit ſententia mea ſemper, ut nonniſi ſepulto Papa, de ſucceſſoris perſona mentio haberetur. Unitatem Eccleſiæ tenui, & tenebo; veritati & juſtitiæ adhærere curabo, confidenter ſperans, quòd juſtitia & veritas liberabit me.] Hucuſque litteræ Petri Epiſcopi Portuenſis.

* Tiburtinus

XII. Innoc. Papa excommunicatur ab Antipapa, & Cardinales.

Proximo autem Paſchate, in Cœna Domini, ipſe pſeudopontifex Anacletus ſolemni ritu excommunicavit Innocentium Papam & ei adhærentes Cardinales, dignitateque privavit & alios plurimos, ſed & novos in veteribus titulis ſubſtituit Cardinales. Hæc enim ex ejus litteris inferiùs recitandis patebunt; in quibus nomina ſingulorum recenſentur. His tunc Romæ peractis, idem per Archiepiſcopum Bremenſem, quem tunc Romæ adeſſe contigit, cupiens conſociare ſibi Principes Anacletus, miſit ad Lotharium Regem has litteras, quas unà cum aliis ejuſdem pſeudopontificis litteris hoc anno ad diverſos datis conſervat codex (a) Caſſinenſis.

a Bibl. Caſſ. cod. n. 111. verſ. fin. ipſius.

XIII. Anacleti epiſtola ad Lothariū Regem.

Veteris amicitiæ memores, & ejus præcipuè, quæ inter te & bonæ memoriæ patrem meum longo tempore ſtabili firmitate duravit, dignum duximus nobilem prudentiam tuam Sedis Apoſtolicæ litteris viſitare: & mutuæ affectionis fœdera dignis allegationibus innovare. Quamobrem quantò te arctiùs charitatis brachiis cupimus amplexari, tantò diligentiùs de ſtatu Romanæ Eccleſiæ, ſeu de his quę penes nos ſunt acta, litterarum noſtrarum ſerie dilectioni tuæ intimare curavimus. Obeunte ſiquidem piæ memoriæ Papa Honorio, fratres noſtri Cardinales presbyteri & diacones cum omni Clero Romano, expetente populo, & indefeſſis vocibus inſiſtente, conſentientibus etiam, juxta tenorem canonum, honoratis, devotis animis & affectione unanimi invitū me, & viribus impacem concorditer elegerunt, electumque poſteà frater noſter Petrus Portuenſis Epiſcopus, convenientibus diverſarum regionum Epiſcopis, ad altare B. Petri, ſub oculis omnium, in Romanum Pontificem celeberrimè conſecravit.

Verùm quidam de fratribus loco & tempore novitii & pauciſſimi numero, quorumdam perfidorum blandis aſtutiis ſuffocati, altare aliud erigere, & anathema Hiericho in ſanctuarium Dei introducere, & ſimulachrum Phegor de inauribus mulierum inſipientium ſunt in tenebris fabricare conati. Sed Deus omnipotens, qui conſilium Achitophel infatuavit, eorum prava conſilia modo deſtruxit mirabili. De domo namque Leonis* Frajapani, cujus potiſſimùm viribus videbantur inniti, nocturno tempore fugientes, ſe trans Tiberim contulerunt, & ibi quaſi quodam carcere latitantes, pręſumptionis ſuæ ignominiam crebris doloribus flebiliter experiuntur.

*al. Frangipanis, & ſic alibi.

XIV. Sanè Clerus omnis Romanus individua nobis charitate cohæret; Præfectus Urbis Leo Frajapanis cum filio & Cencio Frajapane, & nobiles omnes, & plebs omnis Romana conſuetā nobis fidelitatem fecerunt. Nos quoque quæ officii noſtri ſunt, in Urbe, intùs & extrà liberè exercemus: ordinationes Cardinalium fecimus, & Epiſcopos, largiente Deo, conſecravimus. Rogamus itaque nobilitatem tuam, ut ſicut de te ſpem firmiſſimam poſſidemus, pro Romana Eccleſia conſueta debeas inſtantia laborare, & dilectionis tuæ inſignia manifeſtis nos facias effectibus experiri. Hæc enim agens, & Romanam Eccleſiam ſemper obnoxiam, & nos tibi de cętero fideles debitores. Nec te, chariſſime, Haimerici quondam Cancellarii, prædonis improbi, ſimoniæ ſervi, ſeu Joannis de Crema hominis turpiſſimi & incircumciſi & verè Nicolaitę, monſtruoſa mendacia moveant; nec fidei tuæ murum eorum vaniloquia, aut venenoſa mendacia penetrent, qui velut (b) Cain à facie Domini fugiētes, maledicti à terra, fratricidii ſignum meretricia coguntur fronte geſtare. Datum Romæ apud S. Petrum Kal. * Maii.] Hæc pſeudopapa Anacletus ad Lotharium Romanorum Regem.

b Geneſ. 4.

* Martii

XV. Fuga Innocentii glorioſa.

Quòd autem exprobeat Innocentiu Papæ fugam, eumque hac de cauſa Cain appellat: audi ſanctum Bernardum in epiſtola (c) ad Hildebertum iſta dicentem: Fugit ille nimirùm à facie leonis, ſicut dicit Propheta: (d) Leo rugiet, quis non timebit? Fugit ſecundùm præceptum Domini, dicentis: (e) Si vos perſecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam. Fugit, & in hoc verè virum ſe Apoſtolicum probans, quòd Apoſtolica ſeſe forma inſignierit. Nec enim Paulus (f) erubuit in ſporta demitti per murum, & ſic effugere manus quærentium animā ſuam. Subfugit autem non parcens vitæ ſuæ, ſed dans locum iræ, non ut mortem evaderet, ſed ut vitam acquireret. Meritò Eccleſia Innocentio

c Bern. ep. 124.
d Amos 3.
e Matth. 10.
f Act. 9.

A concedit ipſius vicem, quem per cadem veſtigia gradientem cernit. Nec ſanè otioſa fuga Innocentii; laborat quidem, ſed honeſtatur in laboribus ſuis. Pulſus Urbe, ab orbe ſuſcipitur; à finibus terræ occurritur cum panibus fugienti, &c.] Hæc Bernardus. Sed reliqua proſequamur.

XVI. At non Anacletus tantùm, ſed & Cardinales ab eodem Anacleto ordinati unà cum aliis qui priùs erant, eadem inſigniti dignitate, univerſoque Clero Romano & Epiſcopis, qui Romæ Anacleto communicantes aderant, iſta ad eumdem Lotharium ſcripſere: (a)

a *Ex cod. Caſſ. ep.* 10.

Cardinales ſchiſmatici ad Lotharium.

B Sereniſſimo ac glorioſiſſimo Lothario Romanorum Regi fratres qui Romæ ſunt Cardinales presbyteri, & diacones, Boniſacius tituli ſancti Marci, Gregorius tituli ſanctorum Apoſtolorum, Amicus tituli ſanctorum Nerei & Achillei, Deſiderius tit. ſanctæ Praxedis, Saxo tit. S. Stephani in Cœlio monte, Petrus Piſanus tit. S. martyris Suſannæ, Petrus tit. S. Marcelli, Sigizo tit. S. Sixti, Creſcentius tit. SS. Marcellini, & Petri, Comes tit. S. Sabinæ, Gregorius tit. S. Balbinæ, Luitfridus tit. S. Vitalis, Matthæus tit. in Eudoxia, Henricus tit. S. Priſcæ, Odericus tit. SS. Joannis & Pauli, Jonathas C tit. S. Calliſti, Stephanus tit. S. Laurentii in Damaſo, Petrus S. Euſebii, Gregorius diaconus Cardinalis ſancti Euſtachii, Angelus diaconus ſanctæ Mariæ in Domnica, Joannes diaconus ſancti Nicolai in Carcere Tulliano, * Rimandus diaconus S. Angeli juxta templum Jovis, Silvius diaconus S. Luciæ juxta Heliogabalum, Romanus diaconus S. Hadriani juxta Aſylum, Gregorius diaconus ſanctæ Mariæ in Aquiro, Petrus Senex Portuenſis Epiſcopus, Ægidius Tuſculanus Epiſcopus, Tranſmundus Signinus Epiſcopus, D Otto Sutrinus Epiſcopus, cum reliquis Romanæ Eccleſiæ ſuffraganeis, ſubdiaconi omnes, Primicerius cum omni ſchola Cantorum, Petrus baſilicæ Salvatoris, quæ appellatur Conſtantiniana, Archipresbyter, Rainerius S. Mariæ Majoris Archipresbyter. Papa S. Mariæ Rotundæ Archipresbyter, cum reliquis Romanæ Eccleſiæ Archipresbyteris, & cum omni Clero Romano, Anaſtaſius Abbas ſancti Pauli, Joannes Abbas SS. Stephani & Laurentii, & Laurentius Abbas S. Gregorii in Clivo Scauri, cum reliquis Abbatibus æternam in Domino ſalutem.] Hucuſque epiſtolæ titulus. E Porrò hìc ſcias annumeratos omnes ab ipſo Anacleto nuper ordinatos in diverſis titulis atq; diaconiis Cardinales. Epiſtola autem ſic ſe habet:

* Erimandus

XVII. Propter quorumdam hominum doloſa figmenta & mendacia venenoſa, qui Dei Eccleſiam ſcindere, & ſimplicium animas evertere moliuntur, & ſicut Jamnes (b) & Mambres Moyſi, Philetus (c) & Hermogenes Paulo, Dei veritati reſiſtunt, ad ſerenitatem tuam, Chriſtianiſſime Principum univerſitatis noſtræ litteras, ſicut ad reliquas Orientis ſeu Occidentis Eccleſias, pia devotione dirigimus, optantes, ut de his quæ poſt obitum piæ memoriæ Papæ Honorii in Romana Eccleſia emerſere, ſeu de domni Papæ Anacleti electione, ſitis litterarum ſerie certiores. Accepimus enim eos ſuis ſcriptis impudenter aſſerere, dominum Papam non petitione populi, non ſpontanea Cleri electione, nec honoratorum conſenſu, juxta ſynodales regulas, & antiquas patrum noſtrorum traditiones ad Apoſtolatus culmen aſſumptum, ſed vi parentum, potentia fratrum, fuſtibus & ſanguine, nobiſque nolentibus ſubrogatū.

b 2. *Tim.* 3.
c *Ibid.* 1. 2.

Sed mirum nobis non eſt, ſi hujuſmodi mendacia ad tàm longinquas dirigant nationes, & veneno ſuo ferè gentes omnes inebrient, & ſimplices quoque deludant, cùm in Romanæ Eccleſiæ gremiis fraudulentiis ſuis Sedem Apoſtolicam proſtituere contendant. Revelata tecum, nobiliſſime Princeps, facie loquimur, & per te toto orbe Romano fieri notiſſima, hæc quæ ſcribimus, peroptamus. Decedente de hac vita Papa Honorio, nos omnes Cardinales presbyteri, & diacones cum ſubdiaconibus. Primicerio, cum omni ſchola palatii in baſilica beati Marci, qui locus quaſi umbilicus Urbis eſt, concordi voluntate convenimus. Convenere nobiles, etiam innumera ibidem multitudo convenit, ſubſtituendi Pontificis electionem expectantes. Cùmque diutiùs inter nos de futuri Pontificis eſſet electione tractatum: domnus Papa tunc Cardinalis presbyter primus liberè prorupit in vocem, & quemdam de fratribus manu & voce propria aſſignavit. Cui rei ſe impotentem frater ille cognoſcens, communi omnium noſtrum conſilio, communi conſenſu * expectare populo, conſentientibus honoratis, eumdem dominum Papam nobiſcum communiter elegit. Sicque in baſilica B. Petri, ad corpus ejus, ubi tantùm Romani Pontifices conſecrantur, eſt celeberrimè conſecratus. Nullius profectò nos violentia, nullius nos potentia impulit, ſicut fanatici illi ſuis litteris * graviter in Romanum eum Pontificem * annotare. Sed cùm proditiones ſuas & opprobria tegere nequeant, proprii oculi trabe neglecta, in alieno oculo feſtucam quærunt.

*expetente
*ſ. garriunt
* ſ. eligere

XVIII. Porrò Haimericus quondam Cancellarius, qui Romanam Eccleſiam quaſi vile ſcortum pro luxuriis, & avaritia ſua, longo jam tempore habuit proſtitutam, qui ſimoniis, ſicut vos ipſi (ut credimus) aliquando fuiſtis experti, exactionibuſque variis Dei Eccleſiam, & Dei ſervos diutiùs trucidavit, arridente ei egregio viro Leone Frajapane, qui nunc per Dei gratiam nobiſcum eſt, velut alter Sennacherib, in civitatem ſanctam & templum improbi conſilii ſui manum impiè præſumpſit extendere, & propria ſuperbia, quibuſdā ſibi allectis, qui ejus quadra vivebant, viris utique novitiis, & numero quinque, altare aliud in Eccleſia Dei ſolus eſt molitus erigere. Verùm omnipotens Deus

sub-

A ſubſannavir eos, & eorum conſilia infatuans, in ſibilum & fabulam omnium mira ratione redegit. Ipſi tamen ut canes impudentiſſimi erubeſcere neſcierunt: frons meretricis facta eſt eis. De quibuſdam verò Epiſcopis, quos impoſtores illi in factione iſta ſibi applaudere glotiantur, nobis cura ulla non eſt, præſertim cùm nil ad eos de Romani Pontificis electione pertineat.

Rogamus itaque diſcretionem tuam, & in Domino commonemus, ut ſi Romanam Eccleſiam piis optas ſolatiis & ſtudiis confovere; ſi Imperii tui moderamina per Sedem cupis Apoſtolicam roborari; cùm Romana ſimul Eccleſia ſapias, æquâ nobis pietate concordes, & dominum Papam Anacletum; quem unanimi omnes devotione præfecimus, Catholicum Papam feliciter recognoſcas, & debitam ei, prædeceſſorum tuorum more, affectionem reverenter exhibeas. Nos quidem aliquando te non ſic plenè dileximus: ſed quia domini Papæ amorem uberiùs circa te fervere cognoſcimus, eumdem circa te, & circa honorem tuum animum nos geſtare cognoſcas. Quòd ſi nos fortaſſis audire diſtuleris: propitius ſit nobis Deus, quis nullis exceſſibus à tua nos dilectione convelles. Memento etiam, quòd Roboam (a) Regi illi contigit, qui conſilio juvenum *acquievit*, at * ſacerdotum noluit conſiliis obedire.] Hactenùs Cardinalium ſchiſmaticorum ad Lotharium Regem epiſtola. Quibus cùm, ſicut nec ſcriptis ab Anacleto, Lotharius Rex reſponſionem ullam penitùs reddidiſſet: rurſùs ad eum alias addidit Anacletus, quæ in eodem codice ita ſcriptæ leguntur, miſſæ per clericum quemdam Argentinenſem, ut ex litteris ad eum à Magiſtratibus Romanæ Urbis datis apparet: (b)

a 3. *Reg.* 12.
* ſeniorum

b *Ex cod. Caſſ. ep.* 16.

XIX. Aliæ Anacleti Antipapæ ad Lothariũ litteræ.

In ipſo noſtræ promotionis exordio per venerabilem fratrem noſtrum Bremenſem Archiepiſcopum ſerenitati tuæ litteras miſimus, tàm de ſtatu Romanæ Eccleſiæ, quàm de his quæ circa nos acta fuerant, expreſſiùs continentes. Sed nos adhuc nulla clementiæ tuæ reſcripta meruimus, nec inter multiplices curas, quibus in Sedis Apoſtolicæ moderatione conſtituti comprimimur, Nuntiorum tuorum ſolatio allevari. Nos quidem perſonam tuam, in minoris ordinis adminiſtratione conſtituti, pro mira tuarum opinione virtutum amplè diximus, & ſuſcepti regni genium pro noſtro tunc poſſe confovimus: Unde proculdubiò experiẽtia veſtra cognoſcat, voti noſtri eſſe, ut quantò magis Sedes Apoſtolica regni pietate fulcitur, tantò ampliùs honorem tuum & regnum ſtrictis debeamus brathiis amplexari. Viciſſim enim ſibi & regalis poteſtas, & ſacra Romana auctoritas mutua debent inter ſe diligentia reſpondere. Sanè tunc tuta erit conditio ſubjectorum, ſi regnum, & Eccleſia, diebus tuis, alterutro titulo compaſſionis arriſerint, & ad culmen Imperii regni tui moderatio latiùs exten-

A detur, ſi ea de re Dei gratiam pia fueris devotione ſortitus.

XX. Porrò ut votis tuis ſatisfacere videamur, quæ circa nos ſunt, tuæ volumus induſtriæ fieri notiora. Nos Dei gratia, & Apoſtolorum ſuorum Petri & Pauli meritis benè & proſperè ſumus, quæ officii noſtri ſunt, intùs & extrà plena libertate diſpoſuimus, in pace ſunt omnia quæ poſſidemus. Fratres noſtri Cardinales & Epiſcopi, & Clerus omnis Romanus individua nobis charitate cohærent. Viri illuſtres, Leo Frajapanis, Hugo Præfectus Urbis, & frater ejus filius Leonis
B Frajapanis, & Cencius frater ejus, Stephanus de Petro, Stephanus de Thebaldo, filii Henrici de ſancto Euſtachio, nobiles omnes, & plebs omnis Romana, Capitanei, & Comites qui extra ſunt, fidelitatem nobis debitam juraverunt, baſilicam B. Petri, Lateranenſe palatium, & reliquas munitiones Urbis quietè & pacificè detinemus: Conradum regni invaſorem, licèt ejus nobis pro minimo fuerit, in Cœna Domini, Laterani in baſilica Salvatoris, ſub oculis Eccleſiæ, quæ frequens ea die de diverſis partibus mundi convenerat, in conſpectu etiam omnium
C terræ ſuæ ſolemniter excommunicavimus.

XXI. Rogamus itaque nobilem prudentiam veſtram, & in Domino commonemus, ut ſicut de te ſpem bonam & firmam poſſidemus: noſtris debeat ſucceſſibus congaudere, & tàm pro nobis; quàm pro omni Eccleſia Romana regalem ac piam ſollicitudinem gerere & efficacem nobis diligentiam exhibere. Nec vos quorumdam venenatorum vaniloquia prava conturbent, qui totam Dei Eccleſiam venerare cupientes, dum taxationes priſtinas, & conſueta mercimonia in ſanctuario Domini exercere ſtatuebant, teſtaceum idolum
D cruentis manibus plaſmare conati ſunt: quod jus (c) lapis ille angularis de Domini monte deſcendens, dura impreſſione comminuit. Incolumem te, & noſtri memorem pia Dei dextera à malis omnibus tueatur. Datum Romæ apud ſanctum Petrum * in diebus Maii,] Junxit his alias ad Reginam ejuſdem Lotharii conjugem his verbis: (d)

c *Epheſ.* 2.

* Idibus

d *Ex cod. Caſſ. ep.* 17.

XXII. Anacleti Pſeudopapæ litteræ ad Reginam.

Auditum habemus, chariſſima in Domino filia, quòd verè Chriſtiana ſanctitate refulgeas, quòd Eccleſias diligas, quòd ſervos Dei piis ubique ſolatiis foveas: nec minoribus es profectò præconiis attol-
E lenda, quòd totius regni regimen cenſura juſtitiæ de tua potiſſimum dicitur moderatione pendere. Quæ de beatitudine tua, illuſtriſſima filia, audivimus incunctanter & credimus; & hæc & alia plura de te nobis bona ſæpiùs nuntiata lætificant, & omnipotentem Deum aſſiduis precibus exoramus, ut incœpta ſanctitatis opera, Apoſtolorum Petri & Pauli meritis, pio & meliori te faciat fine concludere. Hortamur itaque nobilem prudentiam tuam, & in Domino commonemus, ut inter regni curas, & ſæcularium negotiorum ſollicitudi-

tudines, & ſæculi glorias cor tuum ſemper ad Dominum habeas, & te quandoque cogites morituram: non de piis operibus mundi laudes affectes, nedum hominibus foris placere delectat, Dei intùs oculis poſſis diſplicere. Virum tuum chariſſimum filium noſtrum Lotharium Chriſtianiſſimum Regem ſedulis ſuggeſtionibus adhortare, ut ſic terreno regno humana poteſtate præſideat, quatenùs ipſum qui ſupra nos eſt, per quem (*a*) Reges regnant, & Principes juſta decernunt, qui transfert regna cùm vult, qui facit Reges inglorios, & accingit ſune renes eorum: cautè ſemper & diligenter attendat. B Et licèt ipſe Romanam Eccleſiam (ut certum habemus) plenis brachiis amplexetur; dilectionem tamen ejus & affectum circa Sedem Apoſtolicam, & nos, qui eam ex longo tempore dileximus, per tuam potiùs optamus induſtriam propagari. Porrò nos perſonam ejus propenſiori charitate diligimus, & honorem ſuum, largiente Domino, cupimus conſervare, & diligentiùs & efficaciter ampliare. Quia igitur peccatis meis exigentibus Eccleſiæ regimen ſum ſubire coactus, Apoſtolatus onus cogor in amaritudine animæ meæ portare; C ſanctorum virorum ſolatiis egeo, ut orationum ſuarum inſtantia mihi ſemper Deum propitium faciant, & gratiam ejus in omnibus ubique opportunitatibus augeant. Et ideò te plurimùm deprecamur, ut & Deum debeas pro nobis obnixiùs exorare, & auxiliis & piis conſiliis tuis nos crebriùs allevare. Vitam & annos tuos omnipotens Dominus Apoſtolorum ſuorum Petri & Pauli meritis in bonis operibus augeat, & poſt vitæ hujus curſum vitam tibi largiatur æternam. Datum Romæ apud ſanctum Petrum* in diebus Maii.

a Prov. 8.

* Idibus.

XXIII.

D Cùm verò Lotbarius Rex atque Regina deteſtati ſchiſmaticum Papam, litteras ab eo datas contemnerent, nec ei reſpondere ullatenùs dignarentur: Romam ipſi, quorum potentia pſeudopontifex ſublevatus inniteretur, cùm ſeipſos in Anacleto contemni cognoſcerent, ad eumdem Regem litteras poſtremò dedere, eaſdemque ſalibus mordacitatis aſperſas, quas in eodem codice Caſſinenſi hactenùs conſervatas, hìc reddidimus. Sic ſe habent, hujuſmodi inſcriptione præfixa. (*b*)

b *Cod. Caſſin. ep. 9.*

XXIV. Magiſtratus Rom. Urbis ad Lotharium litteræ pro Anacleto.

Domino Lothario glorioſo & triumphatori Romanorum Regi, Hugo Præfectus Urbis, E & frater ejus Leo Frajapane, & Cencius frater ejus, Stephanus de Thebaldo, Albertus Joannis de Stephano, Stephanus de Benizo frater ejus, Henricus filius Henrici de ſancto Euſtachio, Octavianus frater ejus, & reliqui Romanæ Urbis potentes, ſacrique palatii Judices, & noſtri Conſules, & plebs omnis Romana ſalutem & gloriam, & de hoſtibus univerſis victoriam.

XXV.

Benè olim cana patrum noſtrorum & togatæ gentis ſanxit auctoritas, paucis eſſe Principem moderatiſque ſermonibus A alloquendum; ne vel adulationibus cognitis ſtomachari, vel inſtantia nimia regio valeat furore retundi. Proindè licèt domni Papæ litteris, & multorum ad te relatione de ejus electione pervenerit, gratum tamen nobis fuit ad magnitudinem tuam ſuper hac re Urbis litteras deſtinare. Nos ſiquidem poſt Papæ Honorii obitum unanimi & ſpontanea omnium Cardinalium voluntate, & concordi electione clericorum omnium dominum Papam Anacletum, virum prudentem & providum, filium Petri Leonis, in Romanum Pontificem Spiritus ſancti gratia procreatum, B humili ſpontaneaque devotione ſuſcepimus, & fidelitatem ei debitam de Urbis noſtræ more juravimus. In cujus utique promotione tantam Cleri & populi concordiam vidimus, ut verè in omnium mentes Spiritus ſanctus mirabiliter veniſſe credatur. Suggerimus igitur clementiæ tuæ, & obnixiùs deprecamur, ut ei in omnibus debeas regali affectione favere, & auxilii tui & conſilii manum nobili devotione porrigere; & ejus & Romanæ Eccleſiæ hoſtes, ſicut & ipſe tuos, invicta manu refellere. Sanè ſi Princeps noſter & Cleri cupis eſſe, ſi Romani Im- C perii optas tibi faſces & gloriam vindicare; neceſſe eſt Romanis te legibus coaptari, nec civium tuorum, & magiſtratus Urbis corda reſcindere. Nos quidem te hactenùs non ſic de corde dileximus, nec Principatus tui ulla nos cura vel affectio demulcere quolibet modo poterat, ut honoris tui augmentum & Imperii culmen deberemus ullis rationibus affectare. Sed poſtquàm domini Papæ amorem circa perſonam tuam impenſiùs fervere cognovimus: eadem te ſumus diligentis proſecuti, & purpuras tuas dignis honoribus deinceps cupimus illu- D ſtrare.

Cæterùm mirum valdè habemus, & Romanæ Reipublicæ injuriæ deputamus, cum tibi jam bis dominus Papa litteras miſerit, ſemel per Bremenſem Archiepiſcopum, ſecundò per Argentinenſem quemdam clericum, qui te de ſtatu Urbis & ejus pleniùs inſtruxerunt: cur nulla à diſcretione tua adhuc ſcripta meruerit. Inde eſt quòd dominus Papa nullam adhuc de latere ſuo perſonam, clericum aut laicum, juxta conſilii noſtri, & totius Eccleſiæ condictum ad excellentiam tuam ſtatuit delegare. Viderit itaque moderatio tua, E ut domini Papæ litteris ſcriptis & Nuntio, devotiore moderamine reſpondere, & quem animum circa domini Papę perſonam, & circa nos omnes & Romanam Rempublicam habeas, certis indiciis declarare non differas: alioquin ſic ſuſpenſi nos diutiùs ſtare non poſſumus, nec aliquibus in longum volumus* diſſimultatibus protrahi. Acta Romæ feliciter XV. Kalend. Junii.

XXVI.

* diſſimulationibus.

XXVII.

Qui iteratis (ut vidiſti) litteris Antipapa ſollicitarat Lotharium Romanorum Regem ad ſchiſma, ſi poſſet, adducere haud præ-

Digitized by Google

A prætermiſit alios Principes boreales non litteris tantùm, ſed etiam legationibus pellicere. Quamobrem eodem planè tempore ad Regem Francorum Legatum decernit Ottonem Epiſcopum Tudertinum, cui litteras dedit ad ipſum Regem & inhærentes illi Principes, necnon etiam ad Galliarum Antiſtites, quas in dicto Caſſinenſi codice ſervatas integras hic deſcribemus: atque primùm qusm ad Regem ipſum miſit epiſtolam, quæ ſic ſe habet: (a)

a Cod. Caſſ. epiſt. 5.

b Eod. Cod. epiſt. 11.

Antipapæ litteræ ad Reg. Francorum.

Jamdudùm (b) voluntatis noſtræ ac deſiderii fuit, ut deſiderabilem nobis perſonam tuam, & totam Gallicanam Eccleſiam B tali viſitaremus Legato, qui Dei & Eccleſiæ honorem, atque ſalutem tuam noſſet, & poſſet ſtrenuè ac fideliter operari. Ceterùm nobis erga plurima occupatis, deſiderium noſtrum hucuſque dilatum eſt. Sanè opportunitate habita, quod pro tempore intermiſiſſe conſpicimus, ipſo jam debito compellente, perficere non moramur. Multam enim de tua nobili & experta dilectionis conſtantiâ fiduciam poſſidemus, qua perſonam noſtram à puero dilexiſti, & dulcedinis tuæ affectiooe benevola educaſti, ut more ſolito & communem matrem Romanam Eccleſiam honore C debito venereris, & nos ipſos perſonaliter dilectionis tuæ affluentia proſequaris. Ea propter chariſſimum fratrem noſtrum Ottonem Tudertinum Epiſcopum, unum videlicèt ex præcipuls Eccleſiæ membris, virum utiqne honeſtum & religioſum, & domini prædeceſſoris noſtri ſanctæ memoriæ Paſchalis Papæ plantarium ad tuam uſque præſentiam à noſtro latere delegamus, qui te de ſtatu noſtro faciat certiorem, & in diverſis regni tui partibus, quæ correctione ſeu confirmatione digna fuerint, vice noſtra corrigat & confirmet.

XXVIII. Præſentibus igitur litteris nobilitatem D tuam rogamus, ut eum & reverenter ſuſcipere, & tamquàm noſtras præferentem vices ſtudeas honorare. Nobis enim, quidquid obedientiæ, quidquid ei honoris exhibueris, adſcribemus. Nos profectò pleniùs te benevolentiæ noſtræ brachiis amplexamur, & tuum, tuique filii glorioſi Regis Philippi honorem, præſtante Domino, cupimus efficaciter exaltare. Porrò de promotione, per fratres noſtros Cardinales & Epiſcopos ſuffraganeos Romanæ Eccleſiæ celebrata, de Cleri & populi nobiſcum unanimitate, ſeu etiam ſcandalo, à paucis pſeudofratribus celebrato, eiE dem Legato noſtro injunximus, tibi & regno tuo pleniùs intimare. Rogamus ergò, ut pro Eccleſia Dei murum te validiſſimum opponas, & aures tuas ab illorum mendaciis, ſeu detractionibus omniuò avertas, quatenùs inter reliquos Chriſtianæ gentis Principes, præcipuum te Catholicæ Fidei defenſorem, ſicut ſemper, ita & nunc tota nobiſcum Eccleſia recognoſcat. Chariſſimam filiam B Petri, dominam Reginam benedictione Apoſtolica ſalutamus. Omnipotens Dominus Apoſtolorum ſuorum Petri & Pauli meritis perſonam poteſtatemA que veſtram cuſtodiat, & per temporalem adminiſtrationem æterni vobis regni participium largiatur. Datum Romæ apud S. Petrum Kalend. Maji.] Scripſit inſuper alias iiſdem verbis per eumdem Legatum: (b)

c Eod. Cod. epiſt. 7.

XXIX. Nobilium factorum tuorum memoria, & antiquarum amicitiarum gratia invitamur, ut deſiderabilem nobis perſonæ tuæ præſentiam tali * miſimus Legato, qui Dei & Eccleſiæ honorem, atque ſalutem tuam noverit ſtrennè & fideliter operari. Proindè chariſſimum fratrem noſtrum Ottonem Tudertinum Epiſcopum ex noſtro B ad te latere delegamus, unum videlicèt ex præcipuis Romanæ Eccleſiæ membris, virū utique ſapientem & religioſum, domini & prædeceſſoris noſtri ſanctę memorię Paſchalis Papæ plantarium, qui te ipſum, & fratres noſtros & filios viſitet, & quo ordine nos Dominus ad honoris hujus officium promoveri voluerit (quæ nobis etiam per Dei gratiam proſperè ſucceſſerunt) viva voce vobis valeat nuntiare: prætereà ſi qua in partibus illis corrigenda vel confirmanda fuerint, ſancto cooperante Spiritu, vice noſtra corrigat & confirmet. Præſentibus igitur litteris nobilitatem tuam rogamus, C ut eum reverenter ſuſcipere, & tamquàm noſtras, immò beati Petri vices præferentem ſtudeas honorare. Cæterùm quorumdam pſeudofratrum maliloquia & mendoſa figmenta dilectionis tuæ conſtantiam non dimoveant: nam detecta eorum mendacia per Legatum noſtrum tibi & regno tuo ampliùs nota fient. Ad hæc plurima liberalitatis obſequia, & prædeceſſoribus noſtris exhibita, & nobis ipſius perſonaliter impenſa è memoria noſtra non poſſunt, nec debent exeldere: pro quibus, præſtante Deo, cupimus æqua tibi & honori tuo viciſſitudine reſpondere. Roga- D mus itaque ut ſicut ſemper, ita & nunc in B. Petri ſervitio & amore noſtro attentiùs perſeveres, quatenùs juxta laudabilem benevolentiæ tuæ morem te inter reliquos Reges & Principes præcipuum adjutorem nos, & nobiſcum tota Eccleſia, ſentiamus. Datum Romæ apud S. Petrum.] Dedit eidem Legato alias ejuſdem argumenti ad diverſos epiſtolas, quas ſine titulo, ut in codice deſcriptæ leguntur, hic reddimus, ne quid te prætereat eorum quæ tunc geſta vel ſcripta ſunt; quæ ſic, ut leges, magno beneficio antiquitas tranſmiſit ad poſteros. Ita ſe habent:

*al. inviſeremus

XXX. E Dudùm deſiderii noſtri fuerat, idoneum ad vos à latere noſtro Nuntium deſtinare: cæterùm nobis erga plurima occupatis, deſiderium noſtrum hucuſque dilatum eſt. Sanè opportunitate habita, unum ex præcipuis Romanæ Eccleſiæ membris, chariſſimum videlicèt & venerabilem fratrem noſtrum Ottonem Tudertinum Epiſcopum ad partes veſtras duximus delegandum, qui vos ex parte noſtra pleniùs viſitet, & de ſtatu noſtro faciat certiores: ſi quæ etiam inter vos fuerint pertractanda negotia, ſancto cooperante Spiritu, unà vobiſcum vice

noſtra

Digitized by Google

noſtra pertractet. Præſentibus igitur litteris univerſitatem veſtram rogamus, ut eum reverenter ſuſcipere, eique tamquàm Vicario noſtro ſtudeatis aſſiſtere, & obedire. Hortamur etiam, ne laudabilem fidei veſtræ conſtantiam quorumdam maliloquia & præſtigioſa figmenta perturbent, qui utique poſt concupiſcentias ſuas euntes, altare aliud in Eccleſia Dei erigere, atque in occultis tenebris idolum cruentis manibus fabricare præſumpſerunt. Quod enim, diſponente Deo, circa promotionem noſtram factum audiſtis, non in angulo, vel latibulo, ſed in luce, & in manifeſto, ab univerſo Urbis Clero & populo, ex deliberato fratrum conſilio, ex communi aſſenſu, & unanimi deſiderio celebratum eſſe noveritis. Nos per Dei gratiam in tota Urbe intus & extrà, quæ noſtri officii ſunt; libertate plenaria operamur. Quæ minùs litteris continentur, eidem Legato noſtro injunximus verbo & ſcripto pleniùs referenda. Omnipotens Dominus ſua vos benedictione circumtegat, & ſuo faciat amore ferventes. Datum Romæ apud S. Petrum, Kal. Maji.] Has verò ſequuntur iſtæ: (a)

a *Ex cod. Caſſ. ep. 6.*

XXXI. Aliæ ſchiſmatici Papæ litteræ.

Quantam de probitatis tuæ ſolertia fiduciam habeamus; quantùm te amplioribus benevolentiæ noſtræ brachiis amplexemur, ipſe noſti. Promotionis noſtræ ordinem jam te credimus accepiſſe; atque nunc poteris, quæ nobis proſpera largitus ſit Dominus, indagare. Legatum ſiquidem noſtrum, venerabilem fratrem Ottonem Tudertinum Epiſcopum, unum videlicèt ex præcipuis Romanæ Eccleſiæ membris, ad Galliarum partes dirigimus, qui chariſſimum & glorioſum filium noſtrum Regem, & te ipſum, atque alios fratres noſtros & filios viſitet, & de ſtatu noſtro faciat certiores. Si quæ etiam in partibus iſtis corrigenda, vel confirmanda fuerint, ſancto cooperante Spiritu, vice noſtra corriget, & confirmet. Ipſum igitur tuæ dilectioni committimus, tuæ potiſſimùm experientiæ commendamus, rogantes, ut eum pro B. Petri reverentia, & dilectione noſtra, in omnibus quæ oportere cognoveris, adjuves & ſuſtentes. Nec ſolùm ei officioſè aſſiſtas, ſed & cauſæ noſtræ curam ipſe ſuſcipiens, laborioſum pro nobis ſollicitudinis onus collo tuo imponere non graveris; ſciens quia nos tuæ charitatis obſequiis numquam experieris ingratos. Obtemperantem monitis noſtris fraternitatem tuam Dominus conſervare dignetur incolumem. Datum apud S. Petrum Kal. Maii.] Inſuper iſtas eidem Legato litteras dedit: (b)

b *Eod. Cod. ep 8.*

XXXII. Aliæ ejuſdem litteræ.

Et Apoſtolicæ Sedis auctoritas, & emergentium cauſarum neceſſitas nos compellunt, ut fratres noſtros circumquaque poſitos & litteris crebrioribus, & miſſis à latere noſtro Nuntiis viſitemus: præcipuè verò Gallicanam Eccleſiam noſtra duximus viſitatione digniſſimam, quæ inter reliquas Chriſtianitatis Eccleſias nullis umquam ceſſit erroribus, nulla prorsùs po-

A tuit ſchiſmaticæ pravitatis infamia maculari; ſemper in plena Dei conſtantia perſeverans, Romanæ Eccleſiæ pacem unitatemque tenere, eamque ſemper ſtuduit magnis obſequiorum exhibitionibus exaltare. Laudes Eccleſiæ Gallicanæ. Eapropter unum ex præcipuis Romanæ Eccleſiæ membris, chariſſimum videlicèt fratrem Ottonem Tudertinum Epiſcopum in partem noſtræ ſollicitudinis *aſſiſtentes, ad vos duximus delegandum, virum utique ſapientem . . . . & religioſum, atque ab ineunte ætate in Romana Eccleſia eruditum; qui Eccleſiam veſtram & vos ipſos ex parte noſtra viſitet, Clerum & po-

* f. adſciſcentes

B pulum benedicat; voſque pleniùs de his, quæ nobis per Dei gratiam proſperè ſucceſſerunt, faciat certiores. Cui etiam dedimus in mandatis, ut in partibus veſtris Concilia celebrare, ac ſi qua emerſerint negotia, unà vobiſcum debeat, juſtitia mediante, terminare. Rogamus itaque fraternitatem veſtram, ut eum reverenter ſuſcipere, & tamquàm Vicario noſtro ſtudeatis aſſiſtere & obedire. Nec fidei veſtræ conſtantiam quorumdam maliloquia, vel præſtigioſa figmenta perturbent, qui poſt concupiſcentias ſuas euntes, altare aliud in Eccleſia Dei erigere, & in tenebris ido-

C lum fabricare cruentis manibus præſumpſerunt. Quod enim circa nos Domino diſponente, factum audiſtis, non in angulo, vel in latibulo, ſed in luce & in manifeſto, ex deliberato fratrum conſilio, ab univerſo Urbis Clero & populo celebratum eſſe noveritis. Nos per Dei gratiam quæ noſtri officii ſunt, in tota Urbe, intùs & extrà, libertate plenaria operamur. Quæ minùs litteris continentur, idem Legatus noſter dilectioni veſtræ pleniùs enarrabit. Omnipotens Deus ſua vos benedictione circumtegat, ſuoque ſemper faciat amore ferventes. Datum apud S. Petrum Kalend.

D Maji.] Audi alias ejuſdem argumenti litteras eidem Legato datas: (c)

c *Eod. Cod. ep. 11.*

XXXIII.

Nobilis memoriæ anteceſſores tui, ſicut viri ſapientes & conſilio providi, S.R.E. honorare, & pro collata à Domino poteſtate propenſiùs exaltare curarunt, & ſicut nos ipſi vidimus & teſtamur, prædeceſſoribus noſtris nobili devotione ſervierunt. Inde eſt, quòd Sedes Apoſtolica inter reliquos Galliarum Principes ampliori eſt eos gratia amplexata. Et ideò dilectionem tuam paternis alloquiis viſitantes, prudentiam tuam litterarum præſentium ſerie attentiùs adhortamur, ut nobilium præde-

E ceſſorum nobilis ſucceſſor Romanæ Eccleſiæ individua ſemper charitate cohæreas, nec ab ejus umquam unitate declines. Cui profectò ſi indefeſſa fueris devotione prudenter innixus, tuta poteris, præſtante Deo, ſtabilitate regnare. Nos quidem de * nobilitate & fidei tuæ conſtantia plurimùm præſumentes, perſonam tuam dignis titulis honorare, & honorem tuum paternæ dilectionis affectu omnimodis decrevimus ampliare. De promotione verò noſtra, ſeu de his quæ apud nos acta ſunt, venerabilis frater noſter præſentium lator Ot-

* immobilitate

to Tudertinus Epiſcopus, Legatus noſter,
quem ad partes veſtras pro variis nego-
tiis delegamus, dilectionem tuam faciet
certiorem. Ipſum igitur egregiæ probita-
ti tuæ attentiùs commendantes, rogamus,
ut pro amore B. Petri & noſtri ſolita ei
liberalitate concurrere, & tuis eum de-
beas ſolatiis confovere; quatenùs & injun-
ctum ſibi mandatum, cooperante Deo, per
induſtriæ tuæ ſolitum efficaciter exequi
valeat, & tuam nos in eo valeamus dili-
gentiam experiri. Datum Romæ apud S.
Petrum Kal. Maji.] Inſuper vide ex ſe-
quentibus litteris, quàm egregiè imitetur
ſanctos indicendo Pontifices pſeudoponti-
a Eod. cod. ep. 13. fex Anacletus: (a)

XXXIV. Quod tibi de ſtatu noſtro & Romanæ
Eccleſiæ tardiùs ſcripſimus, frater mi cha-
riſſime, ne mireris, quoniam & nos gra-
vis de ſuſcepti inopinata cura regiminis
moleſtia occupavit. In tanta beſtiarum fre-
mentium ſilva diverſis fluctibus preſſi, aſ-
peris ſumus ventorum turbinibus agitati.
Tanta quippè me occupationum onera de-
primunt, tantùm cauſarum flagris illidor,
tantis tumultuoſæ vitæ tempeſtatibus af-
fligor, ut meas mea nullatenùs ad ſuperna
b Pſal. 68. ſe erigat, & ego rectè clamare compellar:
(b) Veni in altitudinem maris, & tempeſtas
demerſit me: Conſidero namque qui ſum,
& infirmitatem meam planè conſiderans ad
Apoſtolicæ Sedis culmen propriis meritis
non poſſe pertingere: onus hoc malui de-
clinare, ne in paſtorali regimine imparis
adminiſtrationis actionibus ſuccumberem.
Sed quia Dei diſponentis arbitrio contrai-
re non eſt: obedienter ſecutus ſum, quòd
miſericors de me Omnipotentis manus vo-
luerit operari. Cùm ergò Eccleſiæ conſue-
tudo poſceret, & beatitudinis tuæ dilectio
nos incitaret: curavimus non ſolùm ſcri-
ptis fraternitati tuæ charitatis & amicitiæ
vota perſolvere, ſed etiam de promotio-
ne noſtra, quod deſiderabile tibi fuiſſe
credimus, per latorem præſentium vene-
rabilem fratrem noſtrum Ottonem Tuder-
tinum Epiſcopum, à domino ſancto præ-
deceſſore noſtro Paſchali Papa ordinatum,
indicare. Ipſe quidem & de his quæ apud
nos acta ſunt, ſeu de ſtatu urbis & Ec-
cleſiæ, quantò plenius novit, tantò ex-
perientiæ tuæ poterit veriùs enarrare. Sanè
de electione noſtra, quæ à fratribus no-
ſtris Cardinalibus, presbyteris, diaconi-
bus, & ſubdiaconibus quoque, & Primi-
cerio, & omni ſchola Palatii, ac cuncto
Clero Romano, expetente omni populo,
conſentientibus juxta tenorem canonum
honoratis, eſt unanimi voto & concordi
moderatione peracta, ad notitiam tuam
multorum relationibus perveniſſe jam cre-
dimus. Qualiter autem conſecratio no-
ſtra per venerabilem fratrem Petrum Por-
tuenſem Epiſcopum cum diverſarum re-
gionum Epiſcopis ad altare B. Petri ſit ſo-
* etiam lemniter celebrata; quomodò * enim per
Viam ſacram Phrygio capiti noſtro, præ-
deceſſorum noſtrorum more, impoſito, ad
Lateranenſe palatium venerimus, forſitan

A non ignoras. Quocircà de ſuaviſſimæ bea-
titudinis tuæ fide & conſtantia impenſiùs
præſumentes, te impenſiùs exoramus, ut
piis precum tuarum ſuffragiis apud omni-
potentem Deum nobis concurrere, & pro
Romana debeas Eccleſia conſueta inſtan-
tia vigilare. Qualiter autem debeamus
de fraternitatis tuæ charitate præſumere,
ex mentis noſtræ, quam circa te habemus,
qualitate colligimus. Nec te aliter perſo-
nam noſtram, & Apoſtolicam Sedem di-
ligere, quam ipſi vos diligimus, arbi-
tramur. Datum Romæ apud ſanctum Pe-
trum Kal. Maji.] Hactenùs litteræ Ot-
B toni Legato ab Anacleto datæ.

Præter hunc autem, eodem ipſo die, XXXV.
alium Legatum decrevit in Gallias idem Gregorius
Anacletus pſeudopapa, nempè Gregorium Diacon.
diaconum Cardinalem in provinciam A- Card. Le-
quitaniæ, ſcripſitque officioſiſſimas lit- gatus in
teras ad ſuos Cluniacenſes, penes quos Aquitan.
olim ipſe adoleſcens vitam monaſticam ab Anacle-
exercuerat: probè ſciens magni ponderis to.
eſſe, ſi ad ſuam communicationem eoſ-
dem pertraheret Cluniacenſes, qui ma-
gna æſtimatione florebant in Galliis. Lit-
teræ autem ad eos datæ ſic ſe habent: (c) c Exod. cod.
Converſionis meæ primordia reducens ep. 1.
C ad animum, multùm me Cluniacenſi mo-
naſterio invenio debitorem: propterea
quòd in eo & monaſticum habitum, & Anaclet.
converſandi ſumpſi, divinæ potentiæ gra- Epiſ. ad
tia protegente, principium. Cui licet in Cluniacẽ-
omnibus, quæ mihi pleno charitatis ube- ſes.
re pia devotione impendit, æqua redhibi-
tione nequeam reſpondere, me ipſum ta-
men ei, quod poſſum, fideliſſima ſervi-
tute ſubſterno: Et ideò de ſtatu noſtro, ſeu
de his quæ penes nos, Dei nos reſpicien-
te clementia, proſperè acta ſunt, vel agun-
tur, ſanctę dilectioni veſtrę dignũ duximus,
miſſis ad vos litteris, intimare. Deceden-
D te ſiquidem de hac vita domino præde-
ceſſore noſtro piæ memoriæ Papa Hono-
rio, Cardinales Eccleſiæ Romanæ pres-
byteri, & diacones, & ſubdiacones,
Primicerius cum omni ſchola, & ordi-
nibus Palatii, Judices & Scriniarii, &
Clerus omnis Romanus, expetente omni
populo, cum honoratorum devotiſſimo-
rum aſſenſu, in titulo B. Marci me licèt
indignum in Papam Anacletum unanimi-
ter elegerunt, & electum in Eccleſia B. Pe-
tri patroni noſtri venerabilis frater noſter
Petrus Portuenſis Epiſcopus cum diver-
ſarum regionum Epiſcopis celeberrimè
E conſecravit.

Verùm quidam falſi fratres, filii Be-
lial, filii peſtilentiæ, filii Agar (d) ſa- d Baruc. 3.
pientiam, quæ de terra eſt, exquiren-
tes, inebriati calice iræ Dei omnipoten-
tis, Dei diſpoſitioni, & conſtitutioni
Eccleſiaſticæ, auſu improbo viſi ſunt
contraire. Quorum caput eſt Haimericus
quondam Cancellarius, avaritiæ ſervus,
hiſtrionum, & ſcurrarum delirus incen-
tor, Eccleſiarum * expoliator; ſervo- * expilator
rum Dei improbus exactor, alter Gie-
zi, qui ſimoniis publicis & privatis le-
pram

24. *Reg.* 5. A pram (*a*) Naaman, & maledictionem Dei hæreditariò eſt jure ſortitus. Huic Joannes de Grema, homo miſerabilis & verè Nicolaita, & inter biothanatos aliquando per Papam Honorium & Cardinales damnatus, promiſſionibus vanis inductus, alludit. De Petro Cardinali ſanctæ Anaſtaſiæ, quod theſauri Cluniacenſis aſſuetis tergiverſationibus inſatiabilis extitit prædo, & Gozelmo ſanctæ Cæciliæ ſilere digniua duximus, quàm de eis, & de eorum turpiſſima ſervitute vobis ſcribere. Ii Haimerici quadra vivebant, & ſicut celebre eſt apud nos, juramento aſtricti, iniquitatis ſuæ (*b*) caput per omnia ſequuntur. B De quibuſdam pſeudoepiſcopis, quos factionis ſuæ complices prædictus induxit, nullus nobis ſermo, nulla nobis cura eſt, cùm nihil ad eos de Romani Pontificis electione pertineat. Porrò quia per Dei gratiam omnia nobis proſpera ſunt, nos in aliquo lædere non valent, maledicta congeminant. Latrant in nos canes impudentiſſimi, & ore vipereo detrahunt, & fetentem crapulam eructantes, in Dei Eccleſia de ſua peſſima conſcientia multa ore fetidiſſimo evomunt. Poſuerunt quippè juxta impiorum teſtimonium mendacium ſpem ſuam, obtenebratos habentes C oculos, neſcientes quòd iniquitatem in excelſo loquantur, & ponant in cœlum os ſuum, ut lingua eorum tranſeat ſuper terram. Nec mirum; ſi ab eis cum Dei Eccleſia blaſphememur, cùm patremfamilias (*c*) Dominum Beelsebub vocaverunt patres eorum.

b Pet. Clun. lib. 3. epiſt. 54.

c Matt. 10.

XXXVI. Quocirca fratres in Chriſto chariſſimi, paterno vos alloquio ſalutantes, dilectionem veſtram in Domino commonemus, ut eorum præſtigia, ſi fortè vobis arriſerint, devitantes, Romanæ Eccleſiæ unitatem conſtantiſſimè teneatis. Hinc fratres illi, D de quibus ſcripſimus, quòd Dei Eccleſiam ſcindere, & altare anathematis, vel maledictionis titulum ſunt fabricare moliti, ſancti Spiritus & proprio ſunt judicio condemnati. Convenientibus namque fratribus noſtris cum omni Clero Romano, cùm terque quaterque vocati, aut rationem ponere, aut ſatisfacere contempſiſſent; ab Eccleſiæ gremio digno ſunt anathemate reſecati. Tradidimus eos ſatanæ, ut diſcant non blaſphemare. Illorum verſutias & præſtigioſa figmenta quia longum eſt ſcribere; latori præſentium Gregorio Sedis noſtræ diacono Cardinali commiſimus indaganda. E Rogamus itaque ſanctitatem veſtram, ut illam quam circa me dilectionem in minoris ordinis adminiſtratione viſi eſtis exhibere, nunc in Apoſtolicæ Sedis regimine conſtituto ſubtrahere non debeatis. Conſiderans ſiquidem infirmitatem meam ad Apoſtolicę Sedis culmen non poſſe ſufficere, onus hoc declinare malueram, ne in paſtorali regimine imparis adminiſtrationis actione ſuccumberem. Sed quia contraire non eſt diſponentis Dei arbitrio, obedienter ſecutus ſum, quòd miſericors de me Omnipotentis manus volue- A rit operari. Domini & Principes noſtri Petrus & Paulus, quibus in loco ſancto aſſiduè deſervitis, vobis pro nobis orantibus gaudia æternæ felicitatis obtineant. Datum Romæ apud S. Petrum Kal. Mail.]

XXXVII. Sed quàm vanus fuerit ejus conatus, epiſtola Petri (*d*) Abbatis Cluniacenſis ad Haimericum Cancellarium oſtendit, in qua iſta leguntur tamquàm ab aliis exprobrata: Ecce Cluniacenſes habete Papam veſtrum, *Innocentium ſcilicet*, quem vobis, ſpreto monacho veſtro elegiſtis. Talem ſpem talis dignè ſequitur merces.] Idemque Petrus de ſtudio ſuo, ſuorumque erga eumdem B Innocentium hæc habet in epiſtola ad ipſum data: (*e*) Habetis eum tota Eccleſia vobis à Deo commiſſa, & me in membris Chriſti ultimum, veſtrumque pariter Cluniacum: qui quamdiù fuerit ſpiritus in naribus noſtris, ad obediendum, ad collaborandum, fortaſſis etiam ad commoriendum parati erimus. Nulla certè mutabilium rerum permutatio nos mutare, nulla varietas variare, nihil nos à paſtore, nihil à Petro, nihil à Chriſto (quæ omnia in te uno habemus) ſeparare poterit. Sic ubicumque occurrerit, habitatio veſtra, manebit ubique vobiſcum obedientia, & devotio noſtra. C Quoniam & ſecundùm Poetam; Vejos habitante Camillo, illic Roma fuit. Et Petrus in carcere, Clemens in exilio, Marcellus in catabulo non minùs quàm Laterani, Eccleſiæ præfuerunt: & oves Chriſti eis, ut veris paſtoribus obedierunt. Recordamini Eccleſiam ſemper laboribus creviſſe, paſſionibus multiplicatam eſſe, tolerantia cuncta reſiſtentia viciſſe &c.] Hæc Petrus de ſe ſuiſque Cluniacenſibus, quos ſemper ſtetiſſe pro Innocentio adversùs Anacletum, etiam ſanctus Bernardus (*f*) affirmat, dum ſic numerat ordines monachorum communicant s cum In- D nocentio: Itaque Camaldulenſes, Vallambroſani, Carthuſienſes, Cluniacenſes, & qui de majori monaſterio ſunt, mei quoque Ciſtercienſes, Caſtemblenſes, Cadumenſes, Tironenſes, & Saviniacenſes, univerſitas denique & unanimitas fratrum tàm clericorum quàm monachorum regularis vitæ, probatæque converſationis, ſequentes Epiſcopos tamquàm greges paſtores ſuos, Innocentio firmiter adhærent, ſincerè favent, humiliter parent, verum Apoſtolorum ſucceſſorem fideliter recognoſcunt.] Hæc ſanctus Bernardus. Porrò judicium Clunia- E cenſium tamquàm præproperum accuſabatur à Reimbaldo Eccleſiæ Leodienſis Antiſtite, cùm de his concertatio eſſet exorta occaſione funeris Hervei Abbatis, ubi qui favebant Innocentio, propellebant qui ſequebantur Anacletum, & è contra iſti illos procul reiiciebant. Qua occaſione ſcribenda fuit ab eodem Reimbaldo ejuſdemodi circularis admonitio, quæ ſic ſe habet:

d Pet. Clun lib. 3. *epiſt.* 34.

Cluniacenſes ſequuntur Innocentium.

e Id. epiſt. 1.

f Bern. ep. 126.

XXXVIII. Reimbaldi Leod. Epiſc. admonitio.

In ſchiſmate, quo ſub Anacleto, & Innocentio non modò univerſalia, ſed & univerſa laborabat, & nutabat Eccleſia (ut mos eſt

Digitized by Google

eſt Francigenis) à ſuperioribus illis partibus Leodium rotulus allatus eſt, quo ſignificabatur de recenti Abbatis cujuſdam obitu Hervei, & de orationibus quas petebant, quorum intererat, pro eo fieri. Noſtri Leodienſes quiſque quod ſibi videbatur, appoſuerunt ad rotulum. Ego verò Reimbaldus perlecto ac perſpecto tenore illius, ſunem illum, ut ajunt, forſan non incongruis, ſed & pernéceſſariis produxi non teſtibus, ſed piis admodùm his ac fraternis admonitionibus.

Quiſquis ille eſt minimus majoris Eccleſiæ, quæ eſt in Leodio, Fidelibus univerſis, ad quos rotulus iſte pervenerit, non præcipitare judicium, ſed ſic quaſi currum, diligenter judicii ſuſtinere impetum. Sic docet in Evangelio Dominus: (a) Nolite judicare. Et Apoſtolus: (b) Nolite ante tempus judicare. Exponit Apoſtolus quod quaſi ſub velamine poſuerat Dominus. Docuerat Dominus non judicandum, ſuadet Apoſtolus non quidem non judicandum, ſed ante tempus non judicandum. Ante tempus judicat, qui præcipiti quadam & temeraria voluntate de re judicat, priuſquàm de re compertum habeat.

a Luc. 6.
b 1. Cor. 4.

Ab hoc devocat Dominus, ab hoc diſſuadet Apoſtolus. Nequaquam igitur debet ſequi, quod nequeat quiſpiam aſſequi. Sequitur plerumque nec aſſequitur, qui fidem rumoribus adhibet, & apud quem plus opinio, quàm rerum experientia obtinet. Quod in his nimirùm nunc eſt evidens, qui cùm, ut ajunt, adhuc lis ſit ſub judice, quaſi finitivam jam dederunt ſententiam, cui potiſſimùm, unius corporis quaſi duobus capitibus in Romana Eccleſia deſidentibus, debeant obedientiam. Sicque proh dolor, inconſutilem Chriſti ſcindunt tunicam, dum quæ una eſt, in partes, quod in ipſis eſt, ſibi dividunt Eccleſiam. Hoc quaſi dicere eſt: (c) Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego verò Cephæ. Amplectitur enim hic Anacletum, ille Innocentium, & ante examen negotii dant judicium non minùs temerarium, quàm præpoſterum. Fruſtrà igitur, ut diximus, in hujuſmodi ſequitur qui non aſſequitur, niſi fortè rectè ſequi non dicitur, qui rei non inhæret, qui palpat in tenebris, quem opinio fallit, quem rumor decipit. Et tamen audi, quomodò mordeant, quomodò adinvicem ſeſe conſumant. Qui Anacletianus eſt, quaſi quodam damnatorem eum inurens cauterio, Innocentianum eum vocat, qui partis eſt contrariæ; & è converſo, qui Innocentianus eſt, Anacletianum eum, qui partis eſt oppoſitæ. Sors miſera! Ecce unius corporis quaſi duæ acies inter ſe dimicantes. Miſerum eſt, ſi ſchiſma hoc efficit ignorantia: miſerius, an crudelius ſit neſcimus, ſi efficit invidia. Cæterùm interim de invidia taceamus, ignorantia hìc in cauſa eſt: quæ quidem quodammodò tolerabilis eſſet, niſi temeritati commixta, ante tempus ad judicium prorueret. Hæc eſt, quæ Cluniacenſes ipſos, tàm ſacrum aliquandò, tàm ſolemnem, tàm undique oculatum conventum non præteriit, ſed & per ſeipſos non modò Occidentalem Eccleſiam infecit, verùm etiam Orientalem jamjamque inficit: & ut de fortuna legitur quæ cæca depingitur, non ſolùm ipſa cæca eſt, ſed & cæcos reddit quos amplectitur. Audi quomodò Engoliſmenſis Gerardus Cardinalis Romanus, & ut audivimus, Legatus in Aquitaniam, Northmanniam, Britanniam, Hiſpaniam, & uſque in ultimam Celtiberiam, tantæ auctoritatis, tantæ, ut opinantur, ſanctitatis vir hoc in rotulo (qua ratione, qua competentia ipſe viderit) ordinem promotionis, & ordinationis horum duorum Apoſtolicorum diligenter, ut ajunt, digeſſit, & quia per ſe ipſum manifeſtè non potuit, hoc ſaltem involucro, quid in Romana actum ſit Eccleſia, circumquaque notum fieri voluit: neſcio quid ſenſerint, quid intenderint Cluniacenſes.

c 1. Cor. 1.

XXXIX. Reprehenduntur Cluniacenſes.

Id præciderunt, id amputaverunt penitùs, & quidquid illud fuit, nec probaverunt, nec improbaverunt, ſed domno Papæ Innocentio legendum tranſmiſerunt. Si, quod abſit, induſtria, vel fortè ignorantia verum ille turbaverat, priùs ſuper hoc admonendus, arguendus, & emendandus erat, nec debuerat hujuſmodi inimica ſugillare delatio, ſed fraterna emendare ac ſupportare dilectio. Quòd ſi tale illud fuit, ut tolerari nullatenùs, vel inultum præteriri poſſet: cur cæteris S. R. E. filiis hoc abſconderunt, ac non potiùs cum beato (d) Moyſe, quaſi in ultionem vituli conflatilis, exertis, & diſtrictis verbi Dei gladiis de porta ad portã, de Eccleſia videlicèt ad Eccleſiã tranſeuntes inclamaverunt: Qui Domini eſt, jungatur nobis? Soliſne ſibi hanc affectaverunt gratiam? ſi tamen hinc gratiam meruerunt, quòd nullam reddiderunt viciſſitudinem ei, qui fortè manum miſerat in Chriſtum Domini, quin conſenſiſſe viſi ſunt, dum ad blaſphemiam illius velut elingues ipſi extiterunt. An non audierant non carere eum ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori non deſinit obviare, & quia occurreret veritas, ſi falſitas diſpliceret? Sed ſanctæ huic ſimplicitati nil ſicut delatio placuit; nec quidquam pro ipſo vel loqui voluit, pro quo ſi ita neceſſe eſſet, uſque ad ſanguinem reſtitiſſe debuit. O laudabile monachorum ſilentium, falſa omninò non refellere, nec qui refellant ſecum zelo veritatis adſciſcere: Quid erat in cauſa? inſcitia, an invidia? Si lecto ac perlecto tenore litterarum Engoliſmenſis, ſimplicitate, ut ita dictum ſit, monachali non comprehenderunt quid intenderet, nec de re incerta certam potuerunt dare ſententiam: non tamen omnes nos ſic ex ſe judicare debuerant. Sunt enim multi, gratias Deo, in nobis, qui ſciant, quid ſit inter dexteram & ſiniſtram, qui quemadmodùm decipere nolunt, ſic & decipi nequeunt, & qui bonam quidem,

d Exod. 32.

Digitized by Google

dem, & non cauteriatam habentes conſcientiam, quod ſentiunt, ingenuè eloqui non metuunt: & poteſt adhuc per gratiam Dei inveniri in nobis, quod Scri- a 3. Reg. 19
ptura divina dicit: (a) Reliqui adhuc mihi ſeptem millia virorum, qui non curvaverunt genu ante Baal. Auderemus igitur, nec confiteri erubeſceremus, ſi eſſet hoc canonicum, & authenticum, quod ab Engoliſmenſi ad Cluniacenſea uſque de Anacleto pervenit. Sin autem, quod corporis Chriſti & Eccleſiæ eſt, membra omnia capiti noſtro Innocentio compateremur, & tàm in fautorem, quàm in auctorem ſceleris & invaſionis, velut in adulterum, lapidem legis, verbum videlicèt offenſionis, & contradictionis unanimiter jacularemur. Sola, ſola ignorantia eſt, quæ nos de rei tantæ judicio reticere coegit, ne ante tempus factum judicium & dicatur, & verè ſit temerarium. Qui ſic nos cohibemus, præceptum in hoc exequimur & Dominicum & Apoſtolicum. Qui aliter & judicant, & ante tempus judicant, & nullam in hoc Domino, vel Apoſtolo exhibentes reverentiam, quod temerarium eſt, de re incerta quaſi certam dant ſententiam.

XL. Vide quæſo quantæ ſit hoc præſumptionis, & audaciæ. Qui partis eſt Anacletianæ, Innocentiano non communicat, & ſimul cum ipſo non orandum, velut cum ſchiſmatico judicat. E contra Innocentianus Anacletianum inſectatur, & ei ſi poteſt, talionem multiplicat. Hac heu confuſione, hoc errore jam penè tota Eccleſia, quaſi phreneſi quadam circumfertur ac vertigine, in tantum, ut cùm orant, religione, immò religioni finitima ſuperſtitione, nec loco alius alium velit admittere. Hinc eſt, quòd, ut videre potes hoc in rotulo, cùm fortè quiſpiam orat pro patre Herveo, ſi Anacletianus is eſt, Innocentianus cum eo orandum non judicat: ſi Innocentianus, idem de eo Anacletianus æſtimat, & quicumque orat cum alterutro, alteruter eum orare dicit cum ſchiſmatico. Cæterùm nos, chariſſimi, ſic ſentimus, ſic judicamus, ut quiſquis piè, devotè, ac fideliter oravit, cum ſchiſmatico non oraverit; etiam ſi eadem fortè verba cum ipſo ſchiſmaticus protulit. Oremus ergò & indubitanter oremus pro patre hoc Herveo, & ſi quis fortè nuptialem non habens veſtem, quaſi convivio noſtri patriſfamilias pro parte hac nobiſcum temerè ſe ingeſſerit, qui fidelis eſt, qui caſtum cor, qui lotam veſtem, qui mundam habet conſcientiam, non tamen propter illius præſentiam, ipſe ad quod vocatus eſt, intermiſerit. Nec enim legimus propter eum, qui indecenter ſe ingeſſerat, cæteros omnes indumentis nuptialibus ornatos à convivio illius Evangelici patriſfamilias ejectos; immò retentis cæteris, ſolum illum tandem miſſum eſſe in tenebras exteriores, & hoc, non niſi ſolius illius indicio, & judicio, qui ſolus noſſet, quis vel quid huic ſuo congrueret, vel nó congrueret có-

A vivio. Et quis is erat, niſi ille de quo ſcriptum eſt, quia (b) Pater omne judicium b Joan. 5.
dedit Filio; & qui per ſe ipſum: Nolite, (c) inquit, judicare: & de quo Apoſto- c Luc. 6.
lus: (d) Nolite ante tempus judicare, quoad d 1. Cor. 4.
uſque veniat Dominus? Ut ergò unde orſa eſt, inde & deſinat oratio, hoc chariſſimi exemplo, hoc magiſterio rursùm vos admonitos eſſe volumus de non præcipitando judicio, ut quod agitis, vel hinc non cauſetur temerarium, ſi quod adſit, fuit extraordinarium.] Hæc Reimbaldus, quod antiquitatis monimentum in Vaticana bibliotheca aſſervatur. Sed re-
B vertamur ad ſtudia Anacleti, quibus ſuam intruſionem cogebatur reddere legitimam electionem.

Inter alia autem dedit eidem Gregorio Legato à latere miſſo Anacletus pſeudopapa ad diverſos epiſtolas, quæ abſque titulo leguntur in eodem codice Caſſinenſi. At quòd perbreves illæ ſint, quæ de inſtituto ab eo Gerardo Epiſcopo Engoliſmenſi Legato Vicario in Aquitania tractent, qui & Concilium cogere debeat. Hìc eas pariter deſcribendas eſſe putamus. Sic ſe habent (e) primæ ad univerſam Aquitaniæ Eccleſiam: XLI. Legato Gregor. Card. datæ ab Anacleto litteræ. e Ex eod. cod. ep 2.

C Diuturna prædeceſſorum noſtrorũ conſuetudo, & negotia nuper emergentia nos compellunt, ut Legatum ex latere noſtro ad vos dirigere debeamus, dilectumque filium noſtrum Gregorium Cardinalem diaconum in partes Aquitaniæ mittentes, ut ſolita eum pietate pro B. Petri, & noſtra reverentia benignè ſuſcipiatis, eique quo ordine nos Dominus Apoſtolicæ Sedi præeſſe voluit, ac de ſcandalo, quod à pauciſſimis in Romana Eccleſia factum audiſtis, aures veſtras ſine hæſitatione præbeatis. Ejuſdem nimirùm fidem ſacroſancta Romana Eccleſia probatam habet, ne-
D que aliud vobis enarrabit, præter id quod veritas docet. Prætereà univerſitati veſtræ ſignificamus, quòd pro morum honeſtate, prudentiæque efficacia, ſicut beatæ recordationis Papa Paſchalis nutritor noſter, & poſt eum alii anteceſſores noſtri Romani Pontifices fecerunt, venerabilem fratrem noſtrum Gerardum Engoliſmenſem Epiſcopum per veſtras provincias ei cooperante Apoſtolicæ Sedis liberalitate in partem ſollicitudinis veſtræ vocavimus. Per præſentia igitur vobis ſcripta mandamus, ut eidem fratri noſtro, tamquàm Apoſtolicæ Sedis Legato debitam curetis
E reverentiam exhibere. Nos enim ei & dilecto filio noſtro dedimus in mandatis, ut convocato fratrum collegio, ſanctique Spiritus gratia invocata corrigenda corrigant, & quæ digna fuerint confirmatione corroborent. Datum Romæ apud ſanctum Petrum Kal. Maii.] Ad eumdem verò Gerardum Epiſcopum Engoliſmenſem has Anacletus litteras dedit: (f) f Eod. cod. ep. 3. XLII.

Pro tua probitate, quam ſancta mater Romana Eccleſia longo jam tempore expertam habuit, & tamquàm chariſſimum ſuum præcipuum filiũ dilexit, & ſpecialiùs bono-

Prævaricatori data legatio ab Antipapa.

honoravit, dominus quidem & nutritor noſter Papa Paſchalis, & alii poſt eum Romani Pontifices ob inſignia virtutum tuarum ſuas tibi commiſerunt vices in Aquitaniæ partibus peragendas. Nos igitur dilectionis præteritæ ac ſollicitudinis memores, quibus ſemper matrem tuam Romanam Eccleſiam dilexiſti, & propenſiùs adjuviſti, legationem Apoſtolicæ Sedis liberalitate à prædeceſſoribus noſtris tibi conceſſam, nos quoque concedimus; & ſicut illorum habuiſſe cognoſceris, ita & noſtras habere te vices deinceps volumus, & gratis, plenoque charitatis intuitu confirmamus. Ad hujus autem noſtræ conceſſionis firmamentum dilectum filium noſtrum Gregorium diaconem Cardinalem miſimus, quem in partibus illis aliquantiſper volumus converſari. Tuæ itaque fraternitati mandamus, ut cum eodem filio noſtro Concilium ſtudeat convocare, in quo, charitate media confidentes, communicato fratrum conſilio, ſanctique Spiritus gratia cooperante, corrigat, & quæ confirmatione digna ſunt confirmet. Per ipſum etiam de promotione noſtra, ſeu de ſcandalo, quod in Romana Eccleſia factum audiſti, te reddimus certiorem; quatenùs dilectio tua & mendacium omne reſpuere, & veritatis teſtimonio indubitanter valeat adhærere. Datum Romæ apud ſanctum Petrum Kal. Maii.] De eadem legatione Gerardi in Aquitania ſub Paſchali, meminit Vvillelmus Malmesburienſis in rebus geſtis Regum Anglorum. Hæc de legatione credita ab Antipapa Epiſcopo Engoliſmenſi. Sed qua occaſione, ſic accipe ex ſancto Bernardo, (a) qui de eo abundè agit in epiſtola ad Epiſcopos Aquitaniæ iſtis verbis.

a Bern. ep. 126.

XLIII. Quæ de Gerardo Engoliſm. S. Bernardus.

Ut enim ſimplicem referam breviter actionem, primus, aut inter primos *idem Epiſcopus Engoliſmenſis* ſcribit Papæ Innocentio: legationem poſtular, non obtinet. Indignatur, reſilit ab illo, tranſit ad alium, ipſius ſe eſſe Legatum gloriatur. Quod ſi ab illo antè non popoſciſſet, aut poſtmodùm non accepiſſet ab iſto, credi poterat, alium quemcumque habuiſſe in prævaricatione intuitum, etſi non rectum aliquem: nunc autem excuſationem non habet de ambitione ſua. Denique ponat etiam nunc Legati vel vacuum nomen, nam opus amiſit: & ego quidem hac ſuſpicione carebo, ſi potero: ſi non, ſuſpicabor invitus, & me intemperantiæ reprehendam. Verùm difficilè perſuadebitur ei: ego ſcio. Nimirùm homo diu magnus habitus inter ſuos, videri ſeipſo inferior erubeſcit. Agnoſcitur is, quem Scriptura (b) loquitur, pudor adducens peccatum. An non grande peccatum & delictum maximum ſuperba iſta verecundia, qua terram & cinerem pudet non dico ſubjici, ſed non dominari? Propter hoc ergò reliquit homo illum ſuum patrem ſanctum Innocentium (ſic enim eum nominabat) & matrem ſuam ſanctam Eccleſiam Catholicam, & adhæret ſchiſmatiarchæ ſuo, &

b Eccl. 4.

A ſunt duo in vanitate una. Percuſſerunt fœdus ad invicem, & ſuper populum Dei (c) malignaverunt conſilium. Squama (d) ſquamæ conjungitur, & ſpiraculum non eſt in eis. Iſte illum Papam; ille hunc viciſſim Legatum ſcriptitat, ut decipiant ipſi de vanitate in idipſum. Invicem ſe conſolantur, tuentur, commendant, quiſque tamen pro ſe, non pro invicem: nimirùm homines ſunt ſeipſos amantes. Pari quidem ſtudio convenerunt in unum adversùs (e) Dominum & adversùs Chriſtum ejus &c.] Quanto autem faſtu & arrogantia abuteretur iſte credita ſibi ab
B Antipapa legatione, ita mox dicere pergit:

c Pſal. 82.
d Job. 41.
e Pſal. 2.

XLIV. Quæ S. Bernardus in Epiſc. Engoliſmenſem.

Quid niſi ante oculos veſtros conantur, ſi patimini, proſcribere Chriſtum? Jam novos apud vos ſuo Papæ cudit Legatus Epiſcopos, ne ſoli ſit ſibi Papa. Nec mortuis ſucceſſores, ſed vivis invaſores tyrannica fretus potentia ſuperintrudit, nactus ſcilicèt de malitis Principum occaſionem, qui ſuarum civitatum Epiſcopos odio perſequuntur iniquo. Sic ſedet in inſidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentes, per tale oſtium intrat in ovile ovium. Numquid autem talia gratis Legatus actitat pro Papa ſuo? En ille totam
C (ut is gloriatur) Franciam atque Burgundiam legationi ejus antiquæ ſuperaddidit. Poteſt & adjungere ſi vult, Medios & Perſas, & medios fines Decapoleos. Quare non & ultra Sauromatas, & quemcumque denique locum calcaverit pes ſuus, ſuus ſit, quo vel vacuis nominibus glorietur? O homo non minùs ſine fronte quàm ſine mente, nec Dei memor timoris, nec ſuæ honeſtatis. Putat ſe non videri, cùm ſit ſubſannatio & illuſio omnibus, qui in circuitu ejus ſunt. Meritò quidem. Certè enim pro foro ſacrario utitur, & inſtar hominis negotiatoris quæritantis lucra
D ſua, & modò hunc, modò illum explorantis venditorem, ut ab illo demum emat quod amat, à quo vilius impetrare valuerit: ita iſte ſollicitè ſibi Eccleſiaſticam dignitatem hinc inde perquirens, eum tandem pro ſuo arbitrio delegit habere Papam, qui ſe Legatum eſſe conſenſerit. Ergò niſi tu Legatus fueris, Roma Papam habere non poterit? Unde hoc tibi privilegium in Eccleſia Dei? Quiſnam tibi hanc conceſsit in Chriſti hæreditate prærogativam? Numquid tu hæreditate poſsides ſanctuarium Dei? Donec enim in obtinenda pudenda & impudenti petitione ſpes
E tibi ulla promerendi domini Innocentii gratiam eſſe potuit, ſanctus ille, te ſcribente, & Papa fuit. Quomodò ergò nunc ſchiſmaticum criminaris? Numquid cum eadem vana ſpe tua illius ſimul & ſanctitas evanuit & Papatus? Mirum quod potuit ita in brevi dulce & amarum ex eodem fonte procedere. Heri Catholicus, & ſanctus, & ſummus Pontifex: hodiè nequam, ſchiſmaticus, & turbator. Heri Pater Innocentius: hodiè Gregorius diaconus ſancti Angeli. Ita uno quidem ex ore, ſed corde profectò duplici contraria

proceſſere. Labia doloſa io corde & corde locuti ſunt.] Et poſtquàm pluribus inſe-ctatus eſt ambitioſum hominem, & cum eo ambitioſos omnes; hæc in eum de his quæ ſpectant ad ejus legationem.

XLV. In eumdẽ Engoliſmenſem invehitur Sanctus.

Cæterùm quænam iſta præceps eſt & frontoſa libido dominandi, ut pro obtentu vix annuæ (quod certè palam eſt) legationis, primò quidem ſuo nec parcat ſenio, nec deferat ſacerdotio; deindè nec lateri Salvatoris, quod in aqua & ſanguine colligendi in Fidei unitate populi protulit redemptionem; ut quiſquis tentaret dividere, quos ille colligeret & iode redimeret; probaret ſe non Chriſtianum, ſed Antichriſtum, reus mortis & Crucis Chriſti? O impatiens & effrænis turpis quæſtus cupiditas! ò ardor intemperans! ò cæca & pudenda ambitio! Apertè priùs, frontosèque, ut jam dixi, & ipſe, proh pudor, non diffitetur, adit indigna ſatis petitiooe tentare Catholicum; dolenſque repulſam, incunctanter ad ſchiſmaticum refugit, & accepta de manu ſacrilega malè cupita poteſtate, latus denuò Domini gloriæ crudeliter confodere non veretur.] Et inferiùs: Audet (quod & flens dico) inimicus Crucis Chriſti ſuis ſedibus pellere Sanctos, (a) qui nolunt beſtiam adorare, quæ aperuit os ſuum in blaſphemias, blaſphemare nomen Domini, & tabernaculum ejus. Altare contra altare erigere tentat, confundere faſque nefaſque non confunditur; Abbates Abbatibus, Epiſcopis superintrudere nititur, amovere Catholicos, promovere ſchiſmaticos. Miſeri & miſerandi, qui ita promoveri & ab iſto conſentiunt. Siquidem circuit mare & aridam, ut faciat unum Epiſcopum; & cùm fecerit, facit eum filium gehennæ duplo quàm ſe.] Hæc & alia de homine perditiſſimo. Inſuper etiam de eo idem ſanctus Bernardus (b) ad Hildebertum Epiſcopum Turonenſem: Aſſinibus terræ occurritus cum panibus fugienti, *Innocentio Papæ ſcilicèt*, etſi furor Semei, Gerardi Engoliſmenſis nondùm ex toto quieſcat maledicere David. Velit nolit peccator qui videt & iraſcitur, magnificatur in conſpectu Regum, portans coronam gloriæ.] Hæc ipſe.

a *Apoc. 13*

b *Bern. ep. 124.*

XLVI. Legatur Matthæus Card. Epiſc. Alban. ad Innocentium Pap.

Audiſti, Lector, pſeudoapoſtolum à pſeudopapa in Galliam miſſum: audi modò Apoſtolum ab Apoſtolico Papa io Gallias pariter Legatum miſſum. Fuit iſte Matthæus Epiſcopus Albanenſis, ab Honorio ob admirabilem ejus vitæ ſanctitatem creatus ex Cluniacenſi monacho Epiſcopus Albanenſis, cujus res præclarè geſtas (c) Petrus ejuſdem monaſterii Cluniacenſis Abbas exactè deſcripſit, & quod ad hæc ſpectat, ſic ait: (d) Totam (excepta parte Aquitaniæ) Galliam, Hiſpaniam, Angliam, Germaniam ſibi, immò Chriſto, ſtudio præcipuè Matthæi Papæ *Innocentius* jam dictus univit. Io quibus partibus diu Matthæus cum ipſo commoratus, &c.] ut planè ex qualitate miniſtrorum, cuinam faveret juſtitia, poſſet quiſquis facilè intelligere. Nam Matthæus quidem ſanctiſ-

c *Pet. Clun. lib. 2. mirac. c. 14. & ſeq.*

d *Idem c. 16.*

A ſimus, Gerardus nequiſſimus. De quo S. Bernardus in epiſtola ad Gaufredum ait: (e) Altera quoque beſtia juxta vos ſibilat, ſicut catulus habitans in abditis: illa ferocior, iſta callidior pariter convenerunt in unum adversùs Dominum, & adversùs Chriſtum ejus.] Sed de interitu beſtiæ hujus, *Gerardi ſcilicèt*, dicendum ſuo loco. Nunc redeamus ad Anacletum adhuc Orientales litteris & legationibus pertentantem.

e *Bern. ep. 125.*

XLVII. Anaclet. Antipap. Legat. Cõſtantinop. mittit ad Imp.

Idem quippè Anacletus eodem argumento litteras de ſua promotione dedit ad Orientales, ad ipſum in primis Conſtan-

B tinopolitanum Imperatorem Legatum mittens: quæ etſi non extent, de iis tamen mentio habetur in epiſtola ad Epiſcopum Driveſtinum his verbis conſcripta: (f)

Suſcepti officii ratio nos hortatur, ut ordinationis noſtræ primordia & his qui propè, & his qui longè ſunt, fratribus intimemus. Noverit itaque fraternitas tua, quoniam defuncto anteceſſore noſtro Papa Honorio, fratres noſtri Cardinales S.R.E. presbyteri & diacones cum univerſo Urbis Clero & populo, communi voto & deſiderio ad ſummum nos Pontificatus apicem elegerunt, & electum fratres noſtri Epiſcopi Romanæ Eccleſiæ ſuffraganei

f *Ead. cod. Caſſ. ep. 14.*

C ante ſanctiſſimum B. Apoſtoli Petri corpus celeberrimè conſecrarunt. Cæterùm labores tui, & perſecutiooes, quæ tibi à barbaris inferuntur, quemadmodùm graves ſunt, * utpotè qui & communi charitatis debito, & Apoſtolicæ Sedis adminiſtratione compellimur, ut fratrum omnium paſſionibus compati, & eorum afflictionibus attentiùs ſubvenire debeamus. Dolemus autem, quia hæc quæ pateris, nobis ante hos dies cognita non feciſti, * ſicut ea maturiùs audiſſemus, per Legatum noſtrum, quem ad chariſſimum fi-

* Locus corruptus.

* ſ. nam ſi

D lium noſtrum Imperatorem dereximus, pro quiete & ſubventione libentiùs ſcripſiſſemus. Hortamur autem dilectionem tuam, ut patienter omnia ſufferas, in patientia tua illatas tibi oppreſſiones æquanimiter toleres. Quatenùs beatitudinem illam percipere merearis, quam patientibus perſecutionem propter juſtitiam Dominus pollicetur. Nec umquam perſecutio quælibet vel oppreſſio adeò te perturbet, ut ſponſam tuam, Driveſtinam videlicet Eccleſiam deſeras, aut ab antiqua Patrum lege ac traditione aliquo modo recedas. Nos autem fraternitati tuæ non

E decernimus, quando debita & opportuna tibi tuæque Eccleſiæ ſubſidia impendamus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, Kal. Maii.] Porrò quem Imperatorem nominat, non alium quàm Orientalem eſſe, neceſſe eſt affirmare, eò quòd ipſum Occidentale adhuc vacaret Imperium.

XLVIII.

Sed ad Hieroſolymorum Regem æquè cum litteris Nuntium miſiſſe, fragmentum epiſtolæ, quod ſupereſt, ſatis oſtendit. Nam habet iſte:

Ex quo civitas ſancta Hieruſalem, & glo-

Anaclet. ad Regem Hieroſol. Nuntium mittit.

gloriosiſſimus Dominicæ ſepulturæ locus, Dei nutu, Chriſtianis eſt redditus, ad ejus defenſionis tutelam Romana Eccleſia omnimodis laborare non deſtitit. Quocircà nos, qui in Apoſtolicæ Sedis ſpecula, divina ſumus diſpoſitione promoti, prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum veſtigia ſubſequentes, famoſam illam civitatem Hieruſalem, & loca illa, ubi ſteterunt pedes ejus, debita reverentia venerantes, quibus modis per Dei omnipotentis gratiam poſſumus, exaltare, ac nimium honorare decrevimus &c.] Hucuſque ibi. Gloriatus eſt autem ipſe in epiſtola inferiùs recitanda, ſcripta adverſùs Rhemenſem Archiepiſcopum, ſe omnium Orientalium Patriarcharum obedientiam conſecutum, atque eos habere communicatione conjunctos; ſed quàm mendaciter iſta jactarit, inferiùs ſuo loco patebit. Illud namque certum & exploratum, Regem Hieroſolymorum Innocentium cognoviſſe reverà Catholicum Eccleſiæ Romanæ Pontificem. Teſtatur id quidem ſanctus Bernardus in epiſtola ad Gaufredum, ubi numerans Reges Innocentio inhærentes, hæc ait: (a) Alemanniæ, Franciæ, Angliæ, Scotiæ, Hiſpaniarum, & Hieroſolymorum Reges, cum univerſo Clero & populis favent & adhærent domino Innocentio, tamquàm filii patri, tamquàm capiti membra, ſolliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis.] Hæc ſanctus Bernardus.

a Bern. ep. 125.

XLIX. Sed ejuſdem pſeudopontificis reliqua pro confirmanda ſibi Pontificia Sede ſtudia, ab eo omni ſolertia excogitata, in medium afferamus. Pravorum etenim hominum noviſſe facta, ad prudentiam capeſſendam adjumentum haud minimum ſolet afferre. Qui igitur legationibus & litteris uſquequaque Sedem ſibi Pontificiam viſus eſt ſtabilire, Pontificalibus quoque functionibus apparere Pontifex affectavit: utpotè qui celebravit Romæ Concilium ea ſibi cohærentibus Epiſcopis, de quo ſuperiùs dictum eſt. Creavit non Cardinales, excommunicavit, depoſuitque licèt abſentes omnes ſibi contradicentes, & communionem vitantes, præcipuè verò ipſum Innocentium Papam, & qui illum creavere Pontificem, vel venerarentur ut Papam. Sed & imitatione prædeceſſorum, præſertim verò Calliſti Secundi, qui plura in Urbe conſecravit altaria, ipſe voluit eadem laude digna peragere. Dedicata namque legimus Romæ nonnulla ab eo & conſecrata fuiſſe altaria, & eorum incuria ſervatas adhuc inſcriptiones, quas delendas curavimus, quorum unius, quòd menſe Majo, hoc eodem anno unà cum Eccleſia primarium dedicavit altare, licèt ipſum demolitum fuiſſe noſcatur (titulus tamen conſecrationis tabulæ marmoreæ inſcriptus adhuc integer perſeverat, his verbis: Anno Domini milleſimo centeſimo trigeſimo, anno verò domini Anacleti Secundi Papæ primo, Indict. viii. menſe Majo, die vigeſimaquinta de-

Anacletus dedicat altaria in urbe.

A dicata eſt hæc Eccleſia B. Laurentii, & in majori altari per manus ejuſdem Pontificis recondita ſunt corpora ſanctorum martyrum Alexandri Papæ, Eventii, Theoduli, & Severinæ, & veſtis ſancti Sixti martyris & Pontificis, & duæ ampullæ vitreæ cum ſanguine & adipe beatiſſimi & glorioſiſſimi martyris Laurentii.]

At extat rei hujus monimentum inter Epiſtolas ejuſdem pſeudopontificis Anacleti in ſæpè citato codice Caſſinenſi iſtis verbis, quibus & donatio ab eo eidem Eccleſiæ facta deſcribitur. (b) L.

b Ex cod. Caſſ. ep. 32.

Anacleti donatio facta Eccleſiæ S. Laurentii.

Si paſtoralis officii debitum, quod Deo B diſponente, ſuſcepimus, mentis velimus integritate penſare: omnibus per univerſum orbem, ſed hujus ſpecialis almæ Romæ Eccleſiis noſtræ liberalitatis munificentiam largiùs impartire debemus. Sed patenter agnoſcimus, tantò nos Urbis Eccleſiis & filiis noſtris clericis Romanis debitores exiſtere, quantò per unanime votum, & dilectionis eorum integritatem, divina cooperante gratia, ſummi ſacerdotii celſitudinem obtinemus. Veſtris igitur petitionibus, dilectiſſimi filii, clementer annuentes, Apoſtolicæ Sedis ſolita largitate donamus, concedimus, C & remittimus vobis, ac per vos Eccleſiæ B. Laurentii, cujus venerabile altare noſtris per Dei gratiam, tamquàm B. Petri manibus octavo Kal. Junii ſolemniter conſecratum eſt, omnes redditus poſſeſſionum, quas uſque hodiè habetis in Maſſa de Veſtrano, ſeu Silva Proba, ſita in eadem Maſſa, videlicèt terris, villa, vineis, pratis, ſilvis, & ſcrupetis. Ruſtici quoque, qui in eiſdem poſſeſſionibus habitant, in dominio ſemper ac ditione veſtra permaneat, ſalvo cenſu duorum *marabotinorum, quos ad hujus noſtræ donationis indicium in anniverſario conſecrationis præfatæ, ſin- D gulis annis Lateranenſi palatio perſolvetis. Prætereà confirmamus vobis Eccleſiam S. Luciæ, & S. Hippolyti, quam ædificare debeatis in iiſdem poſſeſſionibus ſupradictæ Maſſæ, ſalvo in omnibus jure Epiſcopali. Statuimus igitur, ut nulla Eccleſiaſtica, ſæcularisve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam infringere præſumat. Quod ſi præſumpſerit, poteſtatis, honoriſque ſui dignitate careat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Qui verò conſervator extiterit; omnipotentis Dei, & Apoſtolorum ejus Petri & Pauli meritis benedi- E dictionem & gratiam conſequatur. Datum apud S. Petrum.]

LI. Voluit prædo ſacrilegus quocumque velamento pietatis atque munificentiæ factas ab ipſo ſuiſque Urbis Eccleſiarum (ut audiſti) deprædationes, expilationes, direptiones, atque ſacrilegas profanationes earum velare, quòd exiſtimare facilè poſſet, ejuſmodi adeo deteſtanda facinora perpetrata piorum omnium à ſe animos averſione execrabili demoviſſe, conciliaſſe verò magiſque ejus adverſario Innocentio, qui Jacob (c) inſtat conſilio ma-

c Gen. 28.

A triſ ab Eſau recedentis, innocens receſſiſſet ab Urbe. Sed adeò perculerunt Fidelium pias aures horrenda auditu de expilatis tanto dedecore Urbis eccleſiis, ut nec ſi omnes ſuas facultates erogaſſet in cultum eccleſiarum, abſtergere ullatenùs valuiſſet contractam ex immani ſcelere ignominiam. Quod ipſe ſentiens, conſilii inops, eò confugit, ut poneret mendacium fiduciam ſuam; nempè ſcriptis diverſis litteris negaret, quæ per adverſarios jactarentur.

Rogerius Dux conjungitur Anacleto nec nō Caſſinenſes.

Cùm verò evaneſcere omnes conatus ſuos quos eſſet meditatus, intelligeret, aliam aggreſſus eſt viam, nimirùm ut nundinatione regiæ dignitatis, aliquem Chri- B ſtianorum Principum communicationi ſuæ adjungeret. Quo ſubdolo mercimonio & malis artibus homo vafer Rogerium Siciliæ atque Calabriæ Ducem pollicitatione regalis tituli ſibi devinxit atque reddidit obſequentem, ſimulque cum eo Epiſcopos ſub ejus ditione degentes. Sed & Caſſinates monachi cum ipſorum Abbate Rainaldo fœdere juncti ſunt eidem Rogerio Duci adversùs Innocentium legitimum ſanctæ Eccleſiæ Romanæ Pontificem, quem execrationibus plurimis devoverunt, Anacletumque pſeudopapam ſacrilegè ſuſce- C perunt: prout conſtat ex (a) concertatione cum eis poſteà habita coram Innocentio Papa & Lothario Imperatore à Petro diacono ſcripta. Quomodò autem idem qui ſuprà Rogerius acceperit in mercedem impietatis titulum regni ab eodem pſeudopontifice Anacleto, modò dicendum.

a Pet. diacon. Chron. Caſſ. lib. 4. c. 112. & ſeq.

LII. Beneventanum Chronicon à nobis ſæpè citatum ſuperiori eodem Tomo, in quo per ſingulos annos ab auctore ejus temporis res geſtæ narrantur, poſt recenſita ea quæ ſpectant ad electionem Innocentii Papæ, & intruſionem Anacleti, de qua ſuperiùs: iſta mox ſubiicit: Eodem anno, D *nempè milleſimo centeſimo trigeſimo*, prædictus Anacletus venit Beneventum, deindè Abellinam civitatem ivit, & cum prædicto Duce Rogerio ſtabilivit, ut eum Regem coronaret Siciliæ. Et his ſtatutis Anacletus ipſe Beneventum revertitur, & Dux ipſe Salernum, deindè Siciliam remeavit.]Hæc ibi. Beneventi autem cùm eſſet, de regio titulo Rogerio impertiendo diploma conſcripſit, quod hactenùs aſſervatum in vaticana bibliotheca, hìc mendis nonnihil ſcatens deſcribendum putavimus, ſic ſe habet, abſque principio incipiens:

Rogerius Dux ab Anacleto Rex creatur.

Diploma Anacleti de titulo Regio Rogerio Impertito.

E ...... Eccleſiam, prædeceſſorum noſtrorum Urbani & Paſchalis venerandæ memoriæ Romanorum Pontificum, & innumeris deſervivit obſequiis, felicis etiam recordationis mater tua, viri ſui nobiliter veſtigia ſubſequens, pro datis ſibi à Domino facultatibus eamdem Dei Eccleſiam larga liberalitatis manu officioſiſſimè honorare, & ſuſtentare curavit. Tu quoque, cujus divina providentia inter reliquos Italiæ Principes amplior ſapientiæ & poteſtatis prærogativa exceſſit, * prædeceſſores noſtros magnificentius ho- A norare, & abundantiùs deſervire ſtuduiſti: perſonam tuam, & hæredum tuorum perpetuis gratiæ & honoris titulis adornare & exaltare * decrevit. Concedimus igitur, & donamus, & auctorizamus tibi, & filio tuo Rogerio, & aliis filiis tuis, ſecundùm tuam ordinationem in regnum ſubſtituendis, & hæredibus ſuis coronam regni Siciliæ & Calabriæ, & Apuliæ, & univerſæ terræ, quarum tàm nos, quàm & prædeceſſores noſtri prædeceſſoribus tuis Ducibus Apuliæ nominatis, Roberto Guiſcardo, Roberto ejus filio, dedimus & conceſſimus, & ipſum regnum ha- B bendum, & univerſam regiam dignitatem, & jura regalia, jure perpetuo habendum in perpetuum & dominandum. Et Siciliam caput regni conſtituimus. Porrò auctorizamus & concedimus, ut per manus Archiepiſcoporum terræ tuæ, quos volueris, juxta tuam voluntatem, aſſiſtentibus aliis Epiſcopis, quos volueris tu & tui hæredes, in Reges inungamini, & in ſtatutis temporibus coronemini. Item omnes conceſſiones, donationes, & conſenſus, quos prædeceſſores noſtri prædeceſſoribus tuis Roberto Guiſcardo, Roberto filio ejus, VVillelmo Ducibus Apu- C liæ, & tibi conceſſerunt, donaverunt, & conſenſerunt, donamus, concedimus, & conſentimus tibi & filiis tuis, & hæredibus tuis habendum, & poſſidendum in perpetuum. Donamus etiam & auctorizamus tibi & tuis hæredibus Principatum Capuanum cum omnibus tenimentis ſuis, quemadmodum * Princpes Capuanorum tàm in præſenti, quàm in præterito tenuerunt: honorem quoque Neapolis, ejuſque pertinentiarum, & auxilium hominum Beneventi contra hoſtes tuos largimur, & confirmamus. Tuis porrectis petitionibus annuentes concedimus Panormitano Ar- D chiepiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus, & Panormitanæ Eccleſiæ, conſecrationes trium Epiſcoporum Siciliæ, videlicèt, Syracuſani, Agrigentini, & Mazarienſis, vel Catanienſis, ea ratione, ne ſupradictæ Eccleſiæ in diœceſibus, vel poſſeſſionibus ſuis à Panormitano Archiepiſcopo, vel ab ipſa Panormitana Eccleſia diminutionem aliquam patiantur. De reliquis verò duobus plenitori noſtro conſilio reſervamus. Hæc omnia ſupradicta, * has noſtras conceſſiones ſic concedimus, tradimus, & auctoriaamus tibi & tuis filiis habenda & poſſidenda jure perpetuo, dum nobis, no- E ſtriſque ſucceſſoribus homagium & fidelitatem, competenti nobis & vobis, ſecuroque loco facies vel facient, juraveris, vel juraverint, ſi in nobis vel noſtris ſucceſſoribus non remanſerit, non ideò honoris ſeu dignitatis, vel terræ ſuæ patiantur diminutionem. Tu autem cenſum ... & hæredes tui videlicèt ſexcentos ſchifatos, quos annis ſingulis Romanæ Eccleſiæ perſolvere debes, ſi requiſitus fueris: quòd ſi requiſitus non fueris, facta requiſitione perſolvas, nulla de non ſolutis habita occaſione .... ſi qua ſanè in poſterum

* Add. f. quia.

* f. decrevimus

* al. Principes

* f. per

Ec-

Digitized by Google

A

Eccleſiaſtica, ſæcularisve perſona huic noſtræ conceſſioni, vel donationi obviare tentaverit, niſi ſatisfactione congrua reſipuerit, anathematis gladio feriatur. Omnibus verò, has noſtras conditiones, conceſſiones, & conſenſus ſervantibus, ſit pax Domini noſtri JESU Chriſti. Amen.

Ego Anacletus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Ego Matthæus presbyter Eudoxiæ.

Signum manus Petri Leonis Romanorum Conſulis, & ſignum manus Rogerii fratris ejus, & ſignum manus Petri Uguiccionis filii, & ſignum manus Cencii ...... Guidonis, & ſignum manus

B

Petri Leonis de Fundis & ſignum manus Abucii, & ſignum manus Joannis Abdiricii, & ſignum manus Milonis. Datum Beneventi per manum Saxonis S. R. E. presbyteri Cardinalis, V. Kalen. Octobris, Indictione nona, anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo trigeſimo; Pontificatus domini Anacleti Secundi Papæ anno primo.] Hæc quidem tunc: At quæ alia eidem Rogerio tribuerit, dicturi proximè ſumus.

LIII. Quæ poſt hæc eodem ſecuta ſint anno, recitat ita Beneventanum Chronicon ubi ſuprà: Anno igitur ipſo prædictus Anacletus Cardinalem ſuum Comitem nomine, ad Ducem illum direxit, quem die Nativitatis Domini in civitate Panormitana in Regem coronavit. Princeps verò Robertus Capuanus coronam in capite ejus poſuit, cui indignam retributionem impendit.] Hæc ibi. Quænam autem unà cum Regis titulo Anacletus tribuerit Rogerio, ut ipſum demereret, atque defenſorem ſchiſmatis conſtitueret, Petrus diaconus Caſſinenſis, qui tunc vivebat, & his omnibus facilè potuit intereſſe, ſic narrat: (a) Petrus autem Cardinalis, *qui & Anacletus*, Rogerio Duci Apuliæ coronam tribuens, & per privilegium Capuanum Principatum, & Ducatum Neapolitanum cum Apulia, & Calabria, & Sicilia illi confirmans, Regemque conſtituens, ad ſe attraxit, præcipiens, ut Epiſcopi, & Abbates, qui in ſuæ ditionis ſolo manebant, ei obtemperarent.] Ecce tibi Lector, quod Tomo ſuperiori oſtendimus, exordium Siculæ Monarchiæ, non ab Urbano Secundo, ut ex falſatis litteris aliqui deducere conati ſunt, ſed à pſeudopapa ſchiſmatico Anacleto, ut audiſti ex Petro diacono, inchoatum. Quod autem in recitato ſuperiùs diplomate multipliciter decurtato iſta non legeris, non mireris, cùm multa in eo deſiderari noſcantur; ſive potiùs, quòd aliis ejuſdem Anacleti litteris iſta aſſerta per Petrum diaconum fuerint comprehenſa: Extant illa in eodem citato ſæpè ſuperiùs codice Caſſinenſi epiſtolarum pſeudopontificatus Anacleti anni primi, in quo ad finem ita decurtatæ poſitæ leguntur litteræ ipſius ad Rogerium iſtis verbis. (b)

Apoſtolicæ Sedis providentia & benignitate provocamur, ut ſacroſanctam Romanam Eccleſiam diligentibus liberalitatis noſtræ manum extendere debeamus. Idcircò fili in Chriſto chariſſime Rogeri, Dei gratia Apuliæ Dux non immeritò magnifice, quia glorioſæ memoriæ genitor tuus Rogerius multo ſanguine, multiſque laboribus totam Siciliam Inſulam ...] Deſunt reliqua, & quidem (ut apparet) ne ſciretur, quid per Anacletum eidem fuerit collatum turpiter Rogerio, fuiſſe decurtata, quis non intelligit?

Diploma Anacleti ad Rogerium Mutilatum.

LIV. Deriſit ſanctus Bernardus ſtudia ejuſmodi Anacleti, quòd cùm ſciret omnes Principes Innocentio adhæreſcere, unum Ducem pretio vani tituli comparaſſet. In eum enim hæc ait ex perſona Ducis Burgundiæ ad Comitem (c) Pictavienſem: Habet tamen Ducem Apuliæ, ſed ſolùm ex Principibus, ipſumque uſurpatæ coronæ mercede ridicula comparatum.] Sed quòd non eſſet ſchiſmatici Papæ iſta præſtare: Hinc eſt, quòd idem ſanctus Bernardus eumdem Rogerium non Regem, ſed tyrannum Siculum nominat: Ita in epiſtola ad (d) Piſanos, & pluribus in epiſtola ad Lotharium Imperatorem, (e) in qua Rogerium nominat uſurpatorem coronæ regiæ: & ſcribens ad Januenſes, (f) eumdem Rogerium, cùm de ipſo agit, non Regem, ſed Ducem appellat, & ab eo non acceptam, ſed invaſam coronam affirmat. Verùm quem eo modo malè contulit Antipapa, & ſibi ſumpſit Dux Apuliæ titulum, numquam deſerere voluit: cujus cauſa adversùs Romanam Eccleſiam contigit ſæpè bello certare; cogi verò Romanos Pontifices præſtare legitimè, quòd nefariè præſtiterat Antipapa. Sed de his ſuo loco dicendum. Redeamus ad Anacletum, de quo illud Pſalmiſtæ occinendum: (g) Ecce homo qui non poſuit Deum adjutorem ſuum, ſed ſperavit in multitudine divitiarũ ſuarum, & prævaluit in vanitate ſua.] Prævaluit in vanitate non veritate, prævaluit utique in Urbe, ſed non in Orbe, quòd non tantus eſſet, qui ſicut Urbem, ita Orbem agitare violentia, & pecunia corrumpere, ut Romam fecerat, potuiſſet. Evolavit enim cum Innocentio veritas præpetibus pennis, veluti miraculo quodam citò citiùs pervaſit omnem Occidentalem Catholicum Orbem, & quos non reperit omninò eſſe rebelles lumini, ſed obſequentes numini, eos ſuæ virtute potentiæ arctiſſimis vinculis nexuit Innocentio. Si quos autem iſtis initiis veritas non pertigit, quòd contigit aliquibus longè poſitis: illos eò decipi contigit veriſimili conjectura, quòd ſcilicèt eum exiſtimarint legitimum eſſe Romanum Pontificem, quem audirent Romæ in ipſa Petri cathedra conſidere, ad quem litteras miſerunt, communicationem Catholicam expoſcentes, quem rogarent de ambiguis, conſulentes. Sic itaque inter ejuſdem Anacleti epiſtolas aliquæ extant ad diverſos de diverſis reſpondentes, & inter alias ad Juſtinopolitanos ſuum Epiſcopum accuſantes. (h) Ad quos iſta:

Graviſſima de veſtro Epiſcopo nobis relata

C

D

E

Rogerius Tyrannus Siculus.

a Petr. diac. Chron. Caſſ. l. 4. c. 99.

Auctor Siculæ Monarchiæ Anacletus.

b Ex Cod. Caſſ. ep. 38.

c Bern. ep. 127.

d Id. ep. 130.

e Id. ep. 139. 140.

f Id. ep. 129.

g Pſal. 51.

h Ex Cod. Caſſ. ep. 31.

Digitized by Google

Quæ in Epiſc. Juſtinop objecta.

relata ſunt, quæ ſi vera ſunt, cnm noſtra ſalute multa dimittere nou valemus. Multos enim laicos & clericos truncatos, multos ejus ſtudio interfectos accepimus. Eapropter præſentibus litteris vos monemus, ut ante feſtum omnium Sanctorum ad noſtram præſentiam veniatis, quatenùs veſtro auxilio & conſilio Juſtinopolitanæ Eccleſiæ in hoc & in aliis providere poſſimus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum.] Hæc exempli cauſa voluimus deſcripſiſſe, cùm ſint (*a*) pleraque id genus, quibus intelligatur, eumdem pſeudopapam ſe in omnibus egiſſe ſummum Pontificem, reſpondendo, puniendo, conſtituendo, conſecrando, & reliqua omnia, quæ ſunt primarii in Eccleſia ſacerdotis officia, obeundo.

a *Eod. cod. ep.* 28. 29. 30. 31.

LV.

Quòd igitur iſtiuſmodi ab Orientalibus contigerit accepiſſe querelaa: hinc occaſionem oblatam arripiens ipſe, gloriabatur ſibi univerſum communicare Orientem. Sed mendacii potentiſſimè redarguit eum S. Bernardus, qui ſcribens ad Epiſcopos Aquitaniæ, hæc habet inter alia: Tuſciæ, Campaniæ, Longobardiæ, Germaniæ, & Aquitaniæ, Galliarum denique & Hiſpaniarum omnium, necnon & univerſæ Orientalis Eccleſiæ tàm Archiepiſcoporum, quàm Epiſcoporum, quorum nomina ſunt in libro Vitæ, ſed epiſtola brevitas non admittit. Hi omnes unanimes non conducti pecunia, non ſeducti fallacia, non illecti privato carnis vel cognationis amore, non timore compulſi potentiæ ſæcularis, ſed Dei proculdubiò voluntatem ſicut non ignorantes, ita nec diſſimulantes, Petrum Leonis ingenuè refutaverunt, ac ſecurè Gregorium in Papam Innocentium ſuſceperunt.] Hæc S. Bernardua adversùs eum qui mendacio innitebatur. Sed quod ſcriptum eſt: (*b*) Congregatio hypocritæ ſterilis, & gaudium hypocritæ ad inſtar puncti,] planè accidit, ut conatus omnes iſtos ſuos ventus per aera diſſiparit, & quis verus eſſet in Eccleſia Pontifea, innotuerit.

Qui favetiut Innocentio.

b *Job.* 15. & 20.

LVI.

Jam verò relicto pſeudopapa Anacleto, ad Catholicum redeamus Pontificem Innocentium, quem unà cum ſuis fugientem ab Urbe reliquimus Piſis, Ubi (inquiunt citata ſuperiùs Acta) aliquamdiù moram faciens, de guerra, quæ inter Piſanos & Genuenſes agitabatur, firmam treguam, Domino cooperante, compoſuit.] Sed hæc potiùs in ſecundo adventu, ut dicetur. Pergit verò: Quibus ritè peractis, iterùm mare intravit, & per Genuam tranſiens, ad S. Ægidium proſperè applicuit. Pergens autem per Vivarium, & Anicium, Alverniæ fines intravit, & apud Claromontem primum Concilium celebravit.] Hæc ibi. Porrò prævenit zelus pietatis ac veritatis comprovincialium Francorum Antiſtitum: ſiquidem complures ex illis ante Concilium Claromontenſe convenientes Anicii, anathemate damnaverunt Anacletum pſeudopontificem. Hujus primi conventus mentio habetur à Guigone ejuſdem temporis ſcriptore in vita S. Hugonis (*c*) Epiſcopi Gratianopolitani, qui nullo habito reſpectu veteris amicitiæ, quæ intercedebat inter ipſum & Petrum Leonis, in ipſum S. Petri ſolium tyrannicè invadentem magnoperè commotus, pro Innocentio ſtetit robuſto animo, in decrepita ſenectute. Sed audi, qui aderat, vitæ ſcriptorem, Guigonem Priorem primæ Carthuſiæ: Defuncto, inquit, Honorio, cùm per tyrannicam & ſchiſmaticam rabiem non ſuis meritis, ſed cognatorum & fratrum ſultus præſidiis Petrus Leonis adversùs veſtram innocentiam (ad Innocentium enim Papam ſcribit) quæ beatæ memoriæ Honorio ſucceſſerat, emerſiſſet, atque hoc vir Dei Hugo certiſſimè comperiſſet: morbis licèt (ut diximus) & ætate conſumptus; zelo tamen domus Dei, cujus diligebat decorem, perrexit Anicium, ut eumdem cum aliis Epiſcopis excommunicaret ſchiſmaticum. Quæ profectò excommunicatio propter auctoritatem tanti viri contulit multum & profectum Catholicis, & detrimentum ſchiſmaticis. Et certè tàm idem Petrus; quàm frater ejus ſancto viro multas olim venerationes & obſequia præſtiterant. Sed beatus homo in tali negotio, ideſt, ubi periclitabatur juſtitia, nec amicitia flectebatur, nec potentia terrebatur.] Hæc ipſe.

Anicii primum à S. Hugone Anacl. excommunicatus.

c *Apud Sur tom.* 2. *die* 1. *April.*

LVII.

Intereà verò, cùm Innocentius Papa peregrinans eſſet in via, has ab Alberone Trevirenſi Archiepiſcopo, ſed à S. Bernardo (*d*) conſcriptas accepit litteras:

d *Bern. ep.* 176.

Litteræ Archiepiſ. Trevir. ad Innocent. Pap.

Voluntas cordis mei, & deſiderium ſatis inquietum adeundi & videndi deſideratam beatitudinis veſtræ præſentiam, ſed & cognoſcendi certiùs, quæ circa vos ſunt, rurſumque qualiter ſe habeant noſtra, vobis viciſſim diligenter intimandi, jamdudùm itineris me admonet, atque indeſinenter ſollicitat. Cæterùm terræ ac diei malitia, & præter inſtantiam meam quotidianam etiam nonnulla veſtræ neceſſitatis cauſa impeditus, votu facere ſatis non potui uſque adhuc, ſed necdum poſſum. Sed quid? Sanum juſtumque propoſitum numquid omittendum ex toto fuit, quia ex toto adimpleri non potuit? Fuit ergò conſilii, per hunc venerabilem H Tullenſis Eccleſiæ Archidiaconum interim ſaltem aliquatenùs conſolari conceptum jam olim deſiderium, curamque revelare quam patior. Nec enim fidelior, ſtudioſior, cautiorve illo ad manum eſſe potuit, ſive in preferendo ad vos quæ nos illi injungimus, ſive in referendo ad nos, ſi qua veſtræ dignationi placuerit remandare. Itaque de beneplacito, de ſtatu Curiæ, ac veſtræ ſoſpitate perſonæ; & ſi quid blandius aura ſecundior à divina clementia recèns fortè ſpiraverit Eccleſiæ, adversùs ſchiſmaticorum procacem, ſed inefficacem rabiem deſudanti: de his omnibus pleniùs inſtrui cupimus, & ſupplicamus.

Porrò noſtram Citramontanam Eccleſiam

Digitized by Google

ſiam tàm in noſtro, quàm in Francorum regno noveritis fortem in fide, pacificam in unitate, devotam in veſtra obedientia, promptam ad ſervitium. Nequaquam nos Beneventi, non Capuæ, non ipſius Romæ terret, Deo ſic judicante, amiſſio; ſcientes Eccleſiæ ſtatum non armis æſtimari, ſed meritis. Ipſius quippè non alterius agnoſcimus voces illas in Pſalmo: (a) Si conſiſtant adverſùm me caſtra, non timebit cor meum: ſi exurgat adverſùm me prœlium, in hoc ego ſperabo. Proptereà & nos, quia de Eccleſia ſumus, non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris. Glorietur tyrannus Siculus quantùm vult, glorietur in malitia, quòd potés eſt in iniquitate: noſtra autem virtus in infirmitate perficitur. Eccleſia quando infirmatur, Pauli (b) magiſterio didicit eſſe potentior. Dicit è regione & Salomone, (c) quòd proſperitas ſtultorum occidit eos. Didicit (d) & ſtultum firma radice cùm viderit, ſtarim maledicere pulchritudini ejus. Ideò cum ſancto David ſeſe in utroque conſolatur, & hoſtium videlicèt caſu, & liberatione ſui. Ait ſiquidem: (e) Hi in curribus & in equis: nos autem in nomine Domini Dei noſtri invocabimus. Ipſi obligati ſunt, & ceciderunt: nos autem ſurreximus & erecti ſumus. Hæc pauca vobis conſolandi gratia, de quibus certus ſui, fideli atteſtatione intimandum eſſe putavi, ad relevandam vel ex aliqua parte eam, quæ veſtra viſcera inceſſanter affligit ſollicitudo omnium Eccleſiarum. Hoc quoque addo, dominum Regem, Deo eum confortante, fervere & accingi ad liberationem Eccleſiæ; & parare ſibi exercitum multum nimis: nos quoque fideliter ad hoc ipſum pro viribus laborare, exhortari & ſollicitare quos poſſumus; & cùm tempus advenerit, non expenſis, non perſonæ propriæ parciturum.] Hactenùs Trevirenſis Archiepiſcopus ad Innocentium Papam de ſtatu Germaniæ & Franciæ Eccleſiarum, in favorem ipſius ſumma concordia unitarum, & viribus & gratia Lotharii Regis erga Innocentium ipſum, quem veneraretur verum Catholicumque Eccleſiæ Romanæ Pontificem.

a Pſal. 26.
b 2. Cor. 12.
c Prov. 1.
d Job. 5.
e Pſal. 19.

LVIII. At quem, cùm pervenit in Gallias Innocentius, habuerit occurſum Regum: ſic accipe à Sugerio (f) Abbate S. Dionyſii, tùm iſta ſpectante atque ſcribente: Cùm autem, inquit, Petri Leonis pars, tùm parentum ſuffragio, tùm Romanæ nobilitatis præſidio prævaleret: dominus Papa Innocentius cum ſuis Urbem relinquere deliberat, ut orbem terrarum obtinere prævaleat. Deſcendens, itaque navali præſidio ad partes Galliarum, tutum & approbatum elegit perſonæ Eccleſiæ poſt Domini defenſionis aſylum, Regem nobiliſſimum Francorum, Nuntiiſque ſuis ad Regem Ludovicum deſtinatis, perſonæ Eccleſiæ opitulari efflagitat. Qui Rex (ut erat piiſſimus Eccleſiæ defenſor) citò

f Sug. in Lud. Reg.

A compunctus, Concilium Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, & religioſorum virorum Stampis convocat, & eorum conſilio tàm de perſona, quàm de electione inveſtigans (fit enim ſæpè ut Romanorum tumultuantium quibuſcumque moleſtiis Eccleſiæ electio minùs ordinariè fieri valeat) & aſſenſum electioni conſilio virorum præbet, & deinceps manutenere promittit. Cùm autem & ſuſceptionis & ſervitii primitias Cluniaci primò Rex delegaſſet: tanto exhilarati ſuffragio, cum gratia & benedictione domino Regi per nos referentes, ad propria B remiſerunt. Ut autem ad S. Benedictum ſuper Ligerim deſcendit, dominus Rex cum Regina, cum filiis ei occurrens, & nobilem diademate ſæpius coronatum verticem, tamquàm ad ſepulchrum Petri inclinans, pedibus ejus procumbit. Catholicum affectum, & devoti ſervitii effectum ei & Eccleſiæ promittit. Cujus exemplo & Rex Angliæ Henricus ei Carnotum occurrens, devotiſſimè pedibus ejus proſtratus, votivam ſui, ſuorumque & terræ ſuæ ſuſceptionem, & obedientiæ filialis promittit plenitudinem.] Hæc Sugerius de rebus geſtis uſque in annum ſequentem: C quæ his ſubjicit, ſuo loco anno ſequenti dicturi ſumus.

5. Innocentius Stampis recipitur.

Rex Francorum cum Regina, & Filiis occurrit Innocen.

Rex Angliæ occurrit Innocen.

LIX. Sed quæ his conſentientia ſcripſerint ejuſdem temporis auctores (ut veritas ore duorum vel trium teſtium res ipſas ſpectantium magis ac magis fortiùſque roboretur) adducamus in medium. Bernardus Abbas, qui res geſtas S. Bernardi accuratè conſcripſit, de his agens, hæc ait: (g) Præmiſſi in Gallias fuerant Nuntii, qui Gallicanæ Eccleſiæ intimarent negotii veritatem, & hortarentur Epiſcopos, ut in ultionem præſumptionis accingerentur, & damnata parte ſchiſmatica, D ſubſcriberent unitati. Necdum verò ad plenum tenor operis innotuerat Epiſcopis, nec privatim quiſquam commodare præſumpſit aſſenſum, donec collecto Stampis generali conventu, in commune decernerent, quid reciperent, quid damnarent. Neque enim Francia, cæteris regionibus proclivibus ad ſchiſmata, aliquando tali factione fœdata eſt, nec malignorum acquievit erroribus, nec fabricata eſt in Eccleſia idolum, nec venerata in Petri cathedra monſtrum: neque enim talibus in cauſis principalia aliquando eos tenuerunt edicta, aut generalibus utilitatibus pri- E vata commoda prætulerunt, nec declinantes in partem perſonis detulere, ſed cauſis. Convocato igitur apud Stampas Concilio, Abbas ſanctus Claræ-vallenſis Bernardus ſpecialiter ab ipſo Francorum Rege, & præcipuis quibuſque Pontificibus accerſitus, ſicut poſteà fatebatur, non mediocriter pavidus & tremebundus advenit, periculum quippè & pondus negotii non ignorans. In itinere tamen conſolatus eſt eum Deus, oſtendens ei in viſu noctis Eccleſiam magnam concorditer in Dei laudibus concinentem, unde ſperavit pacem

g Bernar. Abb. in vita S. Bern. lib. 2. c. 1.

Laudes Eccleſiæ Gallicanæ.

Stampenſe Conciliū.

cem ſine dubio proventuram. Ubì verò ad locum ventum eſt, celebrato priùs jejunio, & precibus ad Deum fuſis, cùm de eodem verbo tractaturi Rex & Epiſcopi cum Principibus conſediſſent: unum omnium conſilium fuit, una ſententia, ut negotium Dei, Dei famulo imponeretur, & ex ore ejus tota cauſa penderet. Quod ille timens licèt & tremens, monitis tamen virorum fidelium acquieſcens ſuſcepit, & diligenter proſecutus electionis ordinem electorum merita, vitam & famam prioris electi: aperuit os ſuum, & Spiritus ſanctus implevit illud. Unus ergò omnium ore locutus ſuſcipiendum ab omnibus ſummum Pontificem Innocentium nominavit, & ratum eſſe, omnes pariter acclamarunt.] Hæc Bernardus. Eadem quoque (*a*) Theobaldus in vita Vvillelmi. De occurſu verò Regum idem Bernardus hæc habet: (*b*) In Provinciam navigio delatus eſt, & Burgundiam tranſiens, Aurelianum pervenit. Ubì occurrentibus Epiſcopis, à Rege piiſſimo Francorum Ludovico alacriter & honorificè ſuſceptus eſt. Inde à Gaufredo Carnotenſi Epiſcopo magnarum virtutum viro Carnotum deducitur, ubi etiam glorioſus Anglorum Rex Henricus ei cum maximo Epiſcoporum, & procerum comitatu occurrit. Hunc quoque Regem venerabilis Abbas *Bernardus* ad eum præmiſſus adduxit, quem vix perſuaſit Innocentium recipere, ab Epiſcopis Angliæ penitùs diſſuaſum. Cùm enim omnimodis recalcitraret & detrectaret: Quid times, ait? times peccatum incurrere, ſi obedias Innocentio? Cogita, inquit, quomodò de aliis peccatis tuis reſpondeas Deo: iſtud mihi relinque, in me ſit hoc peccatum. Ad quod verbum perſuaſus Rex ille tàm potens, extra terram ſuam domino Papæ occurrit uſque Carnotum.] Hæc Bernardus Abbas, quibus Vvillelmus Malmesburienſis addit iſta, & ipſe ſui temporis res geſtas ſcribens: Illi apud Carnotum ultrò manus dedit Henricus Rex *Anglorũ ſcilicèt*, & apud Rothmagum non modò ſuis, ſed optimatum, & etiam Judæorum muneribus eum dignatus eſt.]

a *Theob. in vit. S. Vvillel. apud Sur. tom. 2. die 10. Februar.*

b *Bernar. Abb. in vita S. Bern. lib. 2. c. 1.*

Regẽ Anglorum nutantem S. Bernardus confirmat.

LX. Sed & quomodò receptus eſt in legitimum Papam à Lothario Germaniæ Rege, ſic accipe à Bernardo Abbate ubi ſuprà: Reverſi interim de Germania Legati domini Papę, tàm Epiſcoporum; quàm Regis aſſenſum, & litteras detulerunt, & deprecationem publicam, ut ad eos tranſiens, ſuam eis deſideratam exhiberet præſentiam. Facilè enim perſuaſi ſunt recipere eum, quem jam cæteri recepiſſent. Sed detinuit eum dilectio & devotio Eccleſiæ Gallicanæ, & ſinguli & omnes viſitationem Apoſtolicam expetebant.] His ſubjicit de celebrato per Innocentium tunc in Gallia Concilio Rhemenſi, ſed quòd id contigit anno ſequenti, de eo dicturi ſumus inferiùs ſuo loco anno ſequenti.

Lotharius recipit Innocent.

LXI. Inter hæc autem magno ſonitu perſtre-

A pens à Deo parata tuba illa cęleſtis S. Bernardus, ſive litteris, ſive ſermone adversùs ſchiſmaticos pro Catholico Pontifice circumquaq; in Galliis afflatu ſpiritus intonuit bellicum. Quod autem ad epiſtolas ſpectat, extant ex eis nonnullæ tunc temporis datæ, quarum (*c*) prima ad Hildebertum Archiepiſcopum Turonenſem eſt ſcripta, cùm non adhuc Innocentium in Romanum Pontificem recepiſſet. Ad quem poſtremò: Pudet fateor, quòd ſerpens vetuſtiſſimus nova audacia relictis inſipientibus mulieribus, etiam robur pectoris veſtri viſus eſt attentare, & tan-

B tam Eccleſiæ columnam auſus concutere. Confidimus autem, quia etſi concutit, non dejicit.] Gerardus enim ille Engoliſmenſis Epiſcopus Legatus (ut vidimus) Antipapæ, quæque in Aquitania miſcens, contra Innocentium Anacletum recipiendum omnibus proponebat. Tunc & idem S. Bernardus magiſtrum Gaufredum magni nominis Theologum excitavit, virum ita compellans: (*d*) Quid enim? Tu tibi quieſcis: & mater tua Eccleſia graviter conturbatur? Habuit ſua tempora quies, & ſanctum otium hactenùs ſua negotia licenter libenterque exer-

C cuit. Tempus faciendi nunc.] Et de ſeipſo: Nos in noſtris partibus unà cum aliis Dei ſervis divino igne accenſis, Deo cooperante, laboravimus in conveniendo populos in unum & Reges, ad diripiendum pravorum conſenſum, ad deſtruendam omnem altitudinem extollentem ſe adversùs ſcientiam Dei, nec infructuosè. Alemanniæ, Franciæ, Angliæ, Scotiæ, Hiſpaniarum, & Hieroſolymorum Reges cum univerſo Clero & populis ſavent & adhærent domino Innocentio.] Et in fine eum ad converſionem Comitis Pictavienſis, per Gerardum Engoliſmenſem Lega-

D tum in tranſverſum acti his verbis hortatur: Nec quietis timeas detrimentum, quòd non parvo tuæ gloriæ incremento recompenſabitur, ſi fera illa vicina vobis tuo ſtudio manſueſcat, vel obmuteſcat, & tantam Eccleſiæ prædam, Comitem dico Pictavienſem, in manu tua Dei pietas de ore leonis eripiat.] Hæc ad Gaufredum. Sed de Comite Pictavienſi inferiùs dicendum, cùm ad eum ſanctus Bernardus eſt functus legatione.

c *Bern. ep. 124.*

S. Bernardus ad Hildebertum Archiepiſ. Turon.

d *Id. ep. 125.*

Excitat S. Bernardus Gaufred. ad converſionẽ Comitis Pictav.

LXII. Eodem quoque argumento tunc temporis (*e*) litteras dedit ad Epiſcopos Aquitaniæ, Lemovicenſem, Pictavienſem, Pe-

E tragoricenſem, & Xantonenſem, & quidem prolixas valdè, adversùs præſumptionem & arrogantiam ejuſdem Gerardi Engoliſmenſis Epiſcopi, qui emerat ab Antipapa legationem commercio conſenſionis in pravitatem. De quo nos ſuperiùs ex eiſdem Bernardi litteris, quibus in eum ferreo ſtylo declamat. Corripit verò omnes ad quos ſcribit, adhùc ſchiſmate ab unitate abſciſſos, cùm iidem eo ſe prætextu defenderent ſic manſuros, quouſque univerſali Concilio audita & cognita cauſa, cui inhærendum eſſet, prolata ſen-

e *Id. ep. 126.*

Bernardus in Aquitanos ſchiſmaticos concilium expetẽtes.

tentia

Digitized by Google

tentia innoteſceret. Quod autem ſatis ſciret S. Bernardus hæc eſſe eorum verba malitiæ, ad eacuſandas excuſationes in peccatis: hiſce argumentis ipſorum redarguit vaſrum conſilium, artem doloſam, & improperat tarditatem: Cæterùm nunc judicium capetunt, quod antè debuerant expetiiſſe; & quam ſuo loco oblatam renuerant, tandem juſtitiam offerunt: ut videlicèt ſi recuſetur. Juſti vos videamini, & ſi recipiatur, litigantibus inter ſe partibus dilatio redimat tempus, & interim fiat aliquid.] Et ex verbis ipſorum: Quidquid, inquiunt, hactenùs factum ſit, modò quærimus audientiam, judicium ſumus ſubire parati, Tergiverſatio eſt. Quid in omni impio conatu veſtro vobis relinquitur aliud, quod afferre queatis ad ſeducendum ſimplicer, ad armandum malevolos, ad veſtram ipſorum palliandam malitiam? Si hoc non diceretis, quid diceretis? Cæterùm jam Deus judicavit quod ſerò repetit homo. Judicavit autem operis evidentia, non decreti ſententia. Numquid Dei judicium audet humana temeritas retractare? Quid ſi cauſetur & clamet per Prophetam Deus: Tulerunt hominea à me judicium? Non eſt conſilium contra conſilium Domini. (a) Velociter currit ſermo ejus, in convediendo populos in unum & Reges, ut domino Papæ Innocentio ſerviant & obediant. Quis revocabit?]

a Pſal. 145.

LXIII. Viri Sancti qui Innocentiũ receperũt.

Quod dicit S. Bernardus, ſermone Dei declaratum eſſe Innocentium germanum Dei Pontificem: quomodò id acceperit, moa ita declarat, quòd ſcilicèt præſtantiores in Eccleſia ſanctitate viri; qui tunc ſanctitatis eaiſtimatione florerent, omnes receperint Innocentium, & recipiendum pariter prædicaverint Innocentium. At quinam fuerint iſti, qui hoc tempore inter tot caliginoſas tenebras ſanctitate clarerent, ita recenſet, qui præ cæteris nominati ore omnium verſarentur: (b) Dei, inquit, eſſe judicium ſenſerunt, & conſenſerunt Galterius Ravennas, Hildegarius Tarracouenſis, Norbertus Magdeburgenſis, Conradus Salsburgenſis Archiepiſcopi. Dei eſſe judicium cognoverunt & acquieverunt Epiſcopi, Equipertus Monaſterienſis, Hildebrandus Piſtoriſnſis, Bernardus Papienſis, Landulphus Aſtenſis, Hugo Gratianopolitanus, Bernardus Parmenſis. Horum gloria ſpecialis, & præcipua ſanctitas, & auctoritas etiam hoſtibus reverenda, facilè nobis, qui minorem & meriti & officii tenemus locum, aut errare ſecum aut ſapere perſuaſit.] Subiicit poſt hæc de Chriſtianis populis, & monachorum Ordinibus, atque Principibus Innocentio inhærentibus: Et tamen, ſubdit, adhuc iſti, neſcio qua contentioſa importunitate, & importuna contentione reclamant, vocant in cauſam orbem, & cum ſua paucitate univerſitatem flagitant judicari: & qui præjudicaverunt de electione, de confirmatione rejudicare contendunt, tunc

b Bern. ep. 126.

A præproperè agentes, modò præpoſterè retractantes.] His illatis, quàm difficile, & quàm etiam inutile eſſet & indignum, univerſale Concilium cogere, his declarat verbis.

LXIV. De non cogendo Concilio Svaſio.

Quis tantos quæſo in unum cogere queat eaercitus utriuſque ordinis Principum, ne dicam plebium; & adducere in examinationem? Quis tot Sanctorum millibus perſuadere ſufficiat, quod priùs ædificaverint, iterum deſtruere, & abducere ſemetipſos in prævaricationem? Quis deindè locus omnibus tantus, omnibus tutus? univerſæ quippè Eccleſiæ negotium B eſt, non unius cauſa perſonæ. Videtis, quòd de impoſſibili calumniam ſtruitis matri veſtræ? immò vobis ſoveam foditis, in quam præcipitemini, & laqueum nectitis quo teneamini, ne ad gremium revertamini matris veſtræ?] Sed ut Roma ipſa ab Anacleto deficiat, cui jam diutiùs dominetur, quàm impoſſibile eſſet, etiam ſi judicio univerſali ipſa cauſa terminaretur, ita ſubjungit primùm de tanti difficultate judicii: Mutet conſilium ſuum Deus (ſecundùm hominem dico) revocet ſententiam, convocet à finibus terræ Concilium, judicari bis in idipſum (quod C ipſe non facit) patiatur: quoſnam quæſo dabunt judices ſibi? Omnes quippè in parte ſunt, & partibus. De judicio haud facilè conveniet: atque ita ad litem magis quàm ad pacem tantus conventus fatigabitur. Deindè velim ſcire, cui ille interim vellet credere Romam, quam tanto amore ex longo tempore concupivit, tanto labore & ſumptibus acquiſivit, tanto faſtu poſſidet, tanto pudore timet amittere, ne fruſtrà conveniſſe ſæculum omne cernatur, ſi cùm ille cadet à cauſa, *Anacletus ſcilicèt*, non tamen cadat à Roma? Alioquin quis cauſam ſpoliatus ingredi- D tur? nec leges profectò cogunt, nec canones. Et hæc dicimus non de noſtra juſtitia diffidentes, ſed à veſtra caventes verſutia.] Quomodò namque juſtitia præſtent, pluribus docet.

LXV. Legatio ad Comitem Pictavienſem.

Egit litteris, egit & præſens cauſam Catholicæ unionis. Siquidem ab eodem Innocentio Papa eidem ſancto Bernardo, nec non Epiſcopo Sveſſionenſi, credita eſt legatio ad Vvillelmum Comitem Pictavienſem, Ducem verò Aquitaniæ: de qua iſta obſervatione digna habet Bernardus Abbas Bonævallis in vita S. Bernardi: (c) Ut enim priùs geſta breviter repetamus, E ubi primùm cœpit audiri, quid adversùs Eccleſiam Dei Gerardus ille machinaretur: ab Innocentio Papa adhuc in Galliis demorante miſſi ſunt Abbas noſter Claravallenſis, & Joſlenus venerabilis Epiſcopus Sveſſionenſis, & Pictavim uſque venerunt, ut tàm ipſum *Gerardum*, quàm prædictum Principem convenirent. At ille, jam eodem Principe perſuaſo, impudenter in Eccleſiam Catholicam, à qua ſe præcidebat, convicia jaculari, & pollicitam priùs Innocentio ſubtrahere obedientiam, Anacletum ſuum electum dignius, & qui-

c Bernard. Bonævall. in vita S. Bern. lib. 2. c. 6.

& quicumque non obedirent, erroneos, & acephalos prædicare. Unde factum eſt, ut animati & armati in inſaniam clerici, publicè ex ea die perſecutionem Catholicis intentarent. Priùs tamen quàm ſic eorum propalata fuiſſet & obfirmata perfidia, obtulerat Abbas ſanctus in eorum eccleſia ſacrificium Deo. Poſt cujus diſceſſum Decanus ejuſdem eccleſiæ altare, in quo divina myſteria celebrarat, impiè quidem, ſed non impunè confregit. Siquidem poſt breve tempus percuſſus à Deo, cùm animam exhalaret, domum in qua moriebatur plenâ vidit dæmonibus: & ſe à dæmonibus jugulari clamitans, cultellum à circumſtantibus poſtulabat, quem immergeret gutturi ſuo, ut extracto dæmone viveret. Sed diabolus, cui datus erat, eum inter hæc verba extinxit, & peſtilentem animam in infernum demerſit. Archypresbyter quoque, qui Petri invaſoris Pictavienſis Eccleſiæ Synodum denuntiabat, coram ipſis, quos ad conventum perfidiæ invitabat, à diabolo correptus eſt. Sed & in alios multos, qui in ſchiſmate illo ferventiores extiterant, manus divina manifeſtam exercuerat ultionem. Propter hæc & alia hujuſmodi ante homines confundi cœperat Gerardus; & timens opponi ſibi, quæ negari non poterant: conventus publicos * evadebat.] Hactenùs de his ille. Quomodò verò poſt quinquennium iterata legatione conveniendus fuit Apoſtolica idem Dux Aquitaniæ Vuillelmus, quando tandem cedens Deo & ejus Vicario Innocentio, manus dedit, dicturi ſumus ſuo loco. Modò autem ex Vuillelmo (a) Malmesburienſi Bibliothecario, res ſui temporis ſcribente, de ipſo aliqua ſcribenda ſunt, atque primùm tantæ fuiſſe potentiæ, ut in Terram ſanctam ſecum duxerit ingentem militum copiam, nempè exercitum ſexaginta millium equitum, & multò plurium peditum. Rursùs verò tantum fuiſſe intemperantiæ, & omnium vitiorum ſordibus inquinatum, ut gloriaretur cùm maleſaceret, & exultaret in rebus peſſimis, cuncta condens maleſacta ſalibus nugarum, & facetiarum, ad riſum audientium extorquendum. Recitat idem auctor (b) de his plura & obſcena valdè, quæ libentiùs præterimus.

Deus Magnis ſignis confudit ſchiſmaticos.

* l. evitabat

a Vuillel. Malmeſ. de Vuillel. Secundo l.4.

Vuillelmi Ducis Aquit. vita & potentia.

b Idem l.5.

LXVI. Quæ autem in Petrum Pictavienſem Epiſcopum ipſum excommunicantem peccaverit, hic totidem ejuſdem auctoris verbis deſcribemus, ait enim: Cùm Petrus præclaræ ſanctitatis Pictavorum Epiſcopus eum liberiùs argueret, & detrectantem palàm excommunicare inciperet: ille præcipiti furore percitus crinem Antiſtitis involat, ſtrictumque mucronem vibrans: jam, inquit, morieris, niſi me abſolveris. Tùm verò Præſul timore ſimulato, inducias petens loquendi quod reliquum erat excommunicationis, fidenter peroravit. Ita Comitem *Pictavienſem* à Chriſtianitate ſuſpendens, ut nec cum aliquo convivari, nec etiam

S. Petri Epiſc. Pictavienſis certamen.

A loqui auderet, niſi maturè reſipiſceret: Ita officio ſuo, ut ſibi videbatur, peracto, martyriique trophæum ſitiens, collum protendit; feri, inquiens, feri. At Vuillelmus refractior conſuetum leporem intulit, ut diceret: Tantùm certè te odio, ut nec te meo digner odio: nec cœlum umquam intrabis meæ manus miniſterio. Verumtamen poſt modicum vipereo meretriculæ infectus ſibilo, inceſti diſſuaſorem detruſit exilio. Ubi beato fine concluſus, frequentibus, & magnis miraculis innuit mundo, quàm glorioſè vivat in cœlo. Quibus auditis Comes, dica- B citate inſolenti non abſtinuit, profeſſus palàm pœnitere ſe, quòd non ei jamdudùm mortem acceleraſſet, ut ipſi anima ſancta grates haberet potiſſimum, cujus furore cœleſte mercata eſſet commodum.] Recitat idem auctor duo epigrammata, alterum vivo, quo ejus ſancta vita commendatur, alterum mortuo, quod ſic ſe habet.

Exutus rebus, intentus, pulſus ab urbe
Præſul, pauperiem, vincla, fugamque tulit.
Nunc dives, liber, ſtabilis, ſua præmia, Chriſtum,
Aſtra, capit, ſequitur, poſſidet iſte Petrus.
Vitam religio, mentem diſcretio, famam
C *Lux operum, ſtudium lectio, verba modus.*
Judicium jus, juſtitiam rigor, ora venuſtas
Ornabant, pietas viſcera, virga manum.
Promovit, privavit eum, profugumque recepit
Papa, Comes, Chriſtus ordine, ſede, polo.]

Epitaphiũ S. Petri Epiſc. Pictavienſis.

Hæc auctor de Vuillelmo ante Innocentii Papæ tempora. Nam hiſtoriam illam ſuam de geſtis Regum Anglorum non niſi uſque ad Calliſti Papæ tempora perduxit.

LXVII. Quod ad res pertinet Orientis, dum Chriſtiani Principes aucti novis viribus orbis Occidentalis, cum magno apparatu confidentes in potentia virtutis ſuæ, D obſident Damaſcum: ab eo qui exaltat humilea, & diſpergit ſuperbos, de cœlo pugnatum eſt contra eos, victique nebulis, imbribus, ventis, ſavente Deo his omnibus hoſtibus, coguntur re infecta, ſed malis ipſi confecti ad propria remeare. Rem geſtam Vuillemus Tyri Archiepiſcopus ſcribit, (c) atque demum ut rem memorabilem certa temporis nota conſignatam relinquat, hæc ait: Igitur octavo Idus Decembris, anno ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo trigeſimo, regni domini Balduini duodecimo; accidit hoc in eodem ferè loco, ubi quadriennio E priùs inſignem & cunctis memorabilem de iiſdem hoſtibus idem Rex obtinuerat palmam. Mirabile eſt, & verè mirabile eſt ſupra opiniones hominum, quòd de ſua virtute præſumentes humilias, æterne Salvator, & qui in homine confidunt, & carnem ponunt brachium ſuum, jaculo tuæ maledictionis, meritis exigentibus cõfodis &c.] Poſt hæc verò admodùm deplorata, ſubiicit idem auctor de obitu Stephani Patriarchæ Hieroſolymorum, & ſubrogatione in locum ipſius Vuillemi Belgæ Mechlinia oriundi.

c Vuill. Tyr. de bell. ſacr. lib. 13. c.26.

Repulſi divinitùs Chriſtiani ab obſidione Damaſci.

JESU

Digitized by Google

I. Rhemenſe Concilium.

SEquitur annus Redemptoris milleſimus centeſimus trigeſimusprimus, Indictione nona, quo Rhemis in Gallia Concilium celebratur. Ita codex Vaticanus, ubi per annos ſingulos Innocentii res geſtæ ſcribuntur. Hoc item Sugerius, in vita Ludovici Regis Francorum, qui poſt nonulla quæ præceſſerunt Rhemenſe Concilium, nempè Paſchæ celebrationem factam Pariſiis, ſic narrat de eodem Innocentio Papa: Inſtantem ſancti Paſchæ diem apud nos in Eccleſia beati Dionyſii, tamquàm ſpeciali filia, affectat celebrare. Hos autem ob timorem Dei & Eccleſiæ matris & filiæ grataanter pridiæ Cœnæ Domini ſuſcipientes celeberrimam Deo & hominibus perferentes proceſſionem, adventum ejus odis exultationis, collætantes amplexati ſumus. Cœna ergò Domini apud nos, more Romano & ſumptuoſo donativo, quod presbyterum nominant, celebrata: venerandam Domini Crucifixionem venerando proſecutus, ſanctiſſimæ Reſurrectionis Vigilias honore debito pernoctavit. Summo mane verò, extrinſeca via ad Eccleſiam matutini inſtrata, cum multo collateralium collegio quaſi ſecretò communicavit, ibique more Romano ſeipſos præparantes, multo & mirabili ornatu circumdantes capiti ejus Phrygium, ornamentum Imperiale, inſtar galeæ, circulo aureo concinnatum imponunt, albo & palliato equo inſidentem educunt; ipſi etiam palliati equos albis operturis variatos equitantes, odas perſonando, feſtivè geminati procedunt. Barones verò Eccleſiæ noſtræ ferrati, & Caſtellani nobiles, ſtratores humillimi pedes eum equitantem fræno deducebant. Quidam etiam prævii copioſam monetam, ut turbam impedientem removerent, jactitabant. Via autem regia & ſalicibus, & fixis ſtipitibus pretioſis* paleis rutilabat. Cùm autem & militiæ cunei, & populi multi concurſus & honoratiſſimè occurreret: nec etiam ipſa Judæorum Pariſienſium excæcata defuit ſynagoga, quæ Legis litteram, rotulam ſcilicèt & velatam offerens: ab ore ejus *Pontificis ſcilicèt*, hanc miſericordiæ & pietatis obtinet ſupplicationem: Auferat Deus omnipotens velamen à cordibus veſtris. Perveniens verò ad Sanctorum baſilicam coronis aureis rutilantem, argenti & plus centies, auri, pretioſarum gemmarum & margaritarum ſplendore fulgurantem, divina divinè celebrans, Agni veri Paſchalis victimas ſacratiſſimas nobis, cooperando immolavit. Finita verò Miſſa erectis in clauſtro paluſtratomenſis, materialem agnum tamquam thoris accubitati ſumerent, cætera nobilis menſæ fercula conſueto more ſuſcipiunt. Sed & ſequenti die eamdem ab Eccleſia S. Remigii ad principalem, reciprocam proceſſionem *iterant ſcilicèt*. Tranſactis itaque tribus poſt Paſcha diebus, cum gratiarum actione, & auxilii & conſilii promiſſione, Pariſium tranſiverunt. Exindè Galliarum Eccleſias viſitando, & de earum copia inopiæ ſuæ defectum ſupplendo, cùm per terram aliquantiſper deambulaſſet, Compendii demorari elegit.] Subiicit poſt hæc miſerandum caſum filii Regis natu maximi, cùm perterrefactus equus cui inſidebat, porco obvio, eumdem adoleſcentulum dejecit in terram, deſuper ipſum equo ruente, quo & fuit extinctus. Quomodò autem ad leniendum Regis mœrorem de obitu primogeniti, ſuaſerunt amici, ut ungi faceret ab Innocentio Papa ſecundogenitum, idem Sugerius qui aderat, hiſtoriam narrat: quam & nos paulò inferius ſubiiciemus; dicturi priùs de aliis rebus geſtis in eodem Concilio.

Proceſſio Innocent. ad Eccleſ. S. Dion. Pariſ.

* aulæis

Hujus Concilii Acta periere, ſed de eo tantùm apud Bernardum (a) Abbatem Bonævallis hæc habentur in vita S. Bernardi his verbis: Perluſtrata igitur Francia, *Innocentius Papa* Rhemis convocavit Concilium, in quo multis ad honorem Dei diſpoſitis, Regem Ludovicum vivente patre pro Philippo fratre coronavit in Regem. In omnibus his dominus Papa Abbatem, *S. Bernardum videlicet*, à ſe ſeparari non patiebatur, ſed cum Cardinalibus in rebus publicis aſſidebat. Sed & privatim quotquot habebant negotia, virum Dei ſecretiùs conſulebant. Ipſe verò audita referebat ad Curiam, & oppreſſis patrocinia exhibebat. Igitur ſoluto Concilio &c.] Hæc tantùm ibi. (b) Interfuit eidem Concilio unà cum cæteris S. Norbertus Epiſcopus Magdeburgenſis, cujus meminit auctor, agens de rebus in eodem Concilio geſtis: Convocatoque Rhemis Concilio, convenerunt undique Epiſcopi de diverſis nationibus, advenit & pater Norbertus: ibique illum Petrum intruſum excommunicaverunt, & electione Innocentii approbata, eumdem Petrum Leonis leoni rugienti, niſi reſipiſceret, tradiderunt. Attulit autem Norbertus ſecum Eccleſiæ ſuæ privilegia vetuſtiſſima, & ferè à vermibus conſumpta, quæ cuncta Romano munimine fecit renovari & corrigi, apponens ea quæ receperat de manibus illorum, qui ea injuſtè & violenter rapuerant. Addidit prætereà aliud privilegium ſecretò, ut cùm daretur opportunitas, Romana fultus auctoritate, Ordinem ſuæ religionis in Epiſcopali propagaret Eccleſia.] Hactenùs ibi de rebus in Synodo Rhemenſi peractis.

II. a *Vita S. Ber. lib. 2. c. 1.*

b *Apud Sur. die 6. Iunii c. 47.*

Anacletus excommunicatur in Concil. Rhem.

III. Ludovic. VII. Rex ab Innocentio cōſecratur.

In eodem quoque Rhemenſi Concilio, rogante Ludovico Craſſo Francorum Rege, idem Pontifex Innocentius conſecravit in Francorum Regem ſucceſſoremque patris ejus filium, Ludovicum etiam nominatum, ejuſdem nominis Septimum numeratum. At de iſta novi Regis conſecratione Sugerius Abbas S. Dionyſii, qui eam ſuaſit ipſi Regi ſeniori, ita ſcribit: Qui ergò intimi ejus & familiares eramus, formidantes ob jugem debilitati corporis moleſtiam ejus ſubitum defectum: conſuluimus ei, quatenùs filium Ludovicum, pulcherrimum puerum regio diademate coronatum, ſacri liquoris unctione Regem ſecum ad refellendum æmulorum tumultum conſtitueret. Qui conſiliis noſtris acquieſcens, Rhemos cum conjuge, & filio, & regni proceribus devenit, ubi in pleno & celeberrimo, quod dominus Papa Innocentius convocaverat, Concilio, ſacri olei unctione & coronæ regni deportatione in Regem ſublimatum, felicem providit regno ſucceſſorem. Unde multis quaſi quodam præſagio videbatur, ejus debere amplificari potentiam, qui tot & tantorum & tàm diverſorum Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Francorum, Teutonicorum, Aquitanorum, Anglorum, Hiſpanorum ſuſcepit benedictionem copioſam. Cùmque pater vivi gaudio defuncti dolorem allevians Pariſium rediret: dominus Papa, ſoluto Concilio, Antiſſidori delegit demorari.] Hæc Sugerius præſens cuncta ſpectans, ac ſcribens.

IV. In Concil. Rhe. quid de Rom. Pont. auctoritate.

Rursùs autem, quod ad idem Rhemenſe Concilium ſpectat: extant duo ſermones apud S. Bernardum, habiti in Rhemenſi Concilio, alter ad clericos, ad Epiſcopos alter, cùm tamen ad Epiſcopos, vel potiùs in Epiſcopos dicti eſſe reperiantur, quorum vita haud eſſet conſentiens dignitati, qui S. Bernardi nomine evulgati, & inter ejus ſcripta recenſiti, alterius potiùs auctoris eſſe, admonuit cenſura recentior. Nec eſt quòd in alio aliquo Rhemenſi Concilio ea prior oratio habita dici poſſit, cùm conſtet ex ea, jubente Romano Pontifice, qui aderat, eam dictam fuiſſe, ut ex ejus patet exordio ipſis verbis: Grave eſt quod mihi injungitur, videlicèt, ut doceam Doctores, inſtruam Patres, præſertim cùm ſcriptum ſit: (a) Interroga patres tuos, & annuntiabunt tibi. Sed præcipit mihi Moyſes iſte, cujus manus graves (b) ſunt, cui obediendum eſt non ſolùm à me, ſed etiam ab omnibus. Et pluſquàm Moyſes hic. Moyſi commiſſa fuit una plebs Iſraelitica; illi autem univerſa Eccleſia. Et pluſquàm Angelus hic. Cui enim Angelorum dixit aliquando Deus: (c) Quæcumque ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in cœlis? ſecundùm officium dico, non ſecundùm meritum. Præter Deum non eſt ſimilis ei, nec in cœlo, nec in terra. Hic eſt Petrus, qui miſit ſe in mare, cùm alii Diſcipuli navigarent ad JESUM. Unuſquiſque veſtrum contentus eſt navicula ſua, hoc eſt Archiepiſcopatu ſuo, Abbatia ſua, Præpoſitura ſua: iſte autem miſit ſe in omnes Archiepiſcopatus, Abbatias, Præpoſituras &c.]

a *Exod.* 17.
b *Deut.* 32.
c *Matt.* 16.

V.

Hic verò Rhemenſis hujus Concilii occaſione deſcribamus Anacleti Antipapæ epiſtolam ad unum ex ſuis, quem habebat in Galliis defenſorem (caret enim titulo) in qua perſtringit Rhemenſem Archiepiſcopum, cùm excommunicatum pronuntiavit ipſum pſeudopontificem, & Innocentiū Papam Catholicum promulgavit, & in ipſum amaro animo amaras vomuit contumelias, verbis iſtis; (d)

d *Ex cod. Caſſ. ep.* 36.

Dilectionis tuæ fervorem, quem penes nos, & Romanam Eccleſiam geſtare videris, etſi litterarum tuarum ſeries minimè teſtarentur, in corde tamen noſtro legimus, quid debeamus de devotione ſentire. Proindè quod idiota Rhemenſis, truncus inutilis in te, & in Eccleſiam tuam nequiter & impudenter egiſſe dignoſcitur, nequaquam te mœror aliquis ſeu dolor afficiat, præſertim cùm in nos, & in Romanam Eccleſiam, cui ſe juramento aſtrinxit, quaſi ebrius & vino æſtuans, hiſtrionum more, multa inſolenter vomuerit, ponens quidem in cœlum os ſuum, ut lingua ejus tranſeat ſuper terram. Tamquàm alter Dioſcorus Sedem niſus eſt Apoſtolicam judicare, dum iniquitatis zeli * quod plantarium in Dei Eccleſia fovere molitur, & ſtatuam in (e) campo. Dura velut alter Babylonius, furioſorum more, quibuſque ſimplicibus ſuggerit adorare. Cùm eadem, cui ſe proſtravit, ſtatua, à lapide de monte ſucciſo, præſtante Domino, velociter conteretur. Porrò nos latratus ejus & ineptias ceu canum latratus, & energumenorum furias judicavimus. Fundamentum ſiquidem Dei immobile perſeverat, & Cathedra Petri, locuſque Pauli nullis præſtigiis inumbrari, nullis poſſunt irriſionibus concuti. Eccleſia namque omnia Romana, ſicut ab initio promotionis noſtræ, Individua nobis charitate cohæret, & ſacris per omnia concordans canonibus, unum Dei eſt ovile, & ei unus eſt paſtor. Licèt quoque (f) Eſau per agreſtia & abrupta vagetur, ut ſimplicium mentes mendaciis conſuetis evertat: Jacob tamen ſimpliciter domi habitat, & interveniente matre ſimplex ſimplices præparat patri cibos.] At quomodò (ut hæc interſeram) non magis Jacob ſimilitudinem exprimit Innocentius, dum fugiens minas Eſau peregrinari conſilio matris invadetur ad externas regiones, manente domi Eſau licèt primogeniti benedictionis expers? Sed pergit: Ut tibi omnia breviter perſtringamus, glorioſus filius noſter Rogerius * Dux Apuliæ ad pedes noſtros humiliter veniens, nos Papam Catholicum & legitimum dominum ſuū, prædeceſſorum ſuorum more, recognovit. Archiepiſcopi, Abbates omnes Apuliæ, Calabriæ, ſicut omnis etiam Orientalis Eccleſia, Hieroſolymitana, Antiochena, & Conſtantinopolitana nobiſcum ſunt, & nos viſitant & frequentant. Noveritis

* ſ. zeli ſq.
e *Dan.* 3.
f *Gen.* 27.
* Rex.

Digitized by Google

Barenſe Concil. indictum ab Anacleto.

ritis etiam nos, ſoluto Concilio, quod apud Barum quinto Idus Novembris, præſtante Domino, celebraturi ſumus, Mediolanum properanter aſcenſuros. Tu itaque fili mi in Chriſto chariſſime, confortare in Domino, & officium tuum viriliter age, & virulenta verba, ſeu minas Rhemenſis nullatenus formides.] Hucuſque Anacletus.

VI. Quòd autem S. Norbertus Magdeburgenſis Epiſcopus Archidiaconum ſuum, appellantem ad Romanum Pontificem ſubſequutus non fuiſſet, nec Romam cauſam proſecuturus ad Anacletum ſe contuliſſet: pro Archidiacono ad eum iſta tum Anacletus, ac ſi legitimus eſſet Papa, reſcripſit: (a)

a *Anacl. epiſt.* 18 *ex cod. Caſſ.*

Quæ Anacletus in S. Norbertum.

Lator præſentium Atticus Eccleſiæ tuæ Archidiaconus ad Apoſtolorum Limina veniens, à fraternitate tua ſe vehementiùs prægravatum, in noſtra & fratrum præſentia intimavit. Retulit ſiquidem te de proditione ipſum coram fratribus impetiſſe, ſeque negaſſe; & tibi canonicè ſatisfactum in Capitolio reſpondiſſe. Cùm igitur ſtatuta die ad agendum pro eadem cauſa in tuam & Capituli præſentiam deveniſſet, teque accuſatorem ſimul & judicem (quod omninò rationi & juſtitiæ adverſatur) apertiùs intelligeret, Sedem Apoſtolicam appellavit, & terminum, quo ſibi coram Pontifice Romano juſtitiam faceret, nominavit. Poſt hanc autem appellationem, ſicut ipſe aſſerit, accepta occaſione de obitu prædeceſſoris noſtri bonæ memoriæ Papæ Honorii, eum ad nos, ſicut obtulerat, venientem, beneficiis ſuis Eccleſiaſticis & aliis rebus expoliaſti. Perpendat ergò fraternitatis tuæ prudentia, quàm grave, quàmque inconveniens ſit, ut illud Sedi Apoſtolicæ privilegium coneris auferre, quod ex divino munere, atque antiqua ſanctorum Patrum traditione uſque nunc per Dei gratiam meruit obtinere, & per Apoſtolorum principis merita B. Petri, pro quo ne ejus deficiat fides, ipſe Chriſtus oravit, uſque ad finem inviolabiliter obtinebit. Eapropter fraternitati tuæ mandamus, & Apoſtolicæ Sedis auctoritate præcipimus, ut eidem Archidiacono quæ abſtuliſti, cum integritate reſtituas, & quietè deinceps omnia tenere permittas: proximis autem B. Martini octavis noſtro te conſpectui repræſentes, plenam de eo juſtitiam in noſtra & fratrum præſentia recepturus. Per præſentia etiam tibi ſcripta mandamus (quemadmodùm anteceſſor noſter beatæ recordationis tibi mandavit) ut filios noſtros Eccleſiæ Magdeburgenſis Canonicos ad nos venire volentes prohibere ulteriùs non præſumas, ſi B. Petri gratiam & dilectionem volueris. Nos enim tibi aut honori tuo nihil detrahimus: ſed ſi in te non remanſerit, pleno totius charitatis affectu, tàm te, quàm Eccleſiam tibi commiſſam diligere, ac præſtante Domino, cupimus honorare. Datum Romæ apud S. Petrum XV. Kal. Julii.] Hæc ad ſanctum

A Norbertum, qui intereà temporis ſequens Innocentium, in Concilio Rhemenſi (ut audiſti) & alibi adversùs ipſum Antipapam ſtrenuè laborabat.

VII. Sed jam quæ ſecuta ſunt Rhemenſe Concilium videamus. Bernardus Bonævallis Abbas ſic pergit: (b) Igitur ſoluto Concilio, Leodium dominus Papa Romanorum Regi occurrit; & honorificè quidem ſuſceptus eſt.] Sugerius autem in vita Ludovici Craſſi ponit occurſum Lotharii Innocentio Papæ factum hoc eodem anno, ſed ante Rhemenſe Concilium, atque his ipſum verbis deſcribit: Viſitando itaque

b *Bernar. Abb. in vita S. Bern. lib.* 2. *c.* 1.

B Gallicanam, ſicut res exigebat, Eccleſiam, ad partes ſe transfert Lotharingorum, *ipſe ſcilicèt Innocentius Papa*. Cui cùm Imperator Lotharius civitate Leodii cum magno Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, & Teutonici regni optimatum collegio celeberrimè occurriſſet, in platea ante Epiſcopalem Eccleſiam humillimè ſeipſum ſtratorem offerens, pedes per medium ſanctæ proceſſionis ad eum feſtinat, alia manu virgam ad defendendum, alia frænum albi equi accipiens, tamquàm dominum deducebat. Deſcendente verò tota

C ſtatione cum ſubbrachiando deportans, celſitudinem paternitatis ejus notis & ignotis clarificavit.] Hæc Sugerius S. Dionyſii Abbas. Sed quæ iſta ſint ſecutæ inter Lotharium & Innocentium contentiones & diſcordiæ, idem qui ſuprà Bernardus Bonævallis ſic narrare pergit: Sed velociter obnubilata eſt illa ſerenitas. Siquidem importunè idem Rex inſtitit, tempus habere ſe reputans opportunum, Epiſcoporum ſibi reſtitui inveſtituras, quas ab ejus prædeceſſore Imperatore Henrico per maximos quidem labores & multa pericula Romana Eccleſia vendicarat. Ad quod

D verbum expavere, & expalluere Romani, graviùs ſeſe apud Leodium arbitrati periculum offendiſſe, quàm declinaverint Romæ. Nec conſilium ſuppetebat, donec murum ſe oppoſuit Abbas ſanctus, *Bernardus ſcilicèt*. Audacter enim reſiſtens Regi, verbum malignum mira libertate redarguit, mira auctoritate compeſcuit.] Hæc ipſe.

S. Bernardus Lotharium reg. redarguit.

VIII. Hìc tu videas redargui mendaciſſimum Petrum diaconum Caſſinenſem, dum in gratiam ejuſdem Lotharii, cui poſteà (ut ſuo loco dicturi ſumus) inhæſit, adversùs tàm apertiſſimam veritatem de inveſtituris,

E affirmat eas ab Innocentio Papa in eo conventu Leodienſi Lothario fuiſſe conceſſas, ſic dicens: (c) Innocentius igitur Germaniam ingreſſus, à Lothario Rege juxta Leodium excipitur, virgam ei & annulum antiquo ex more confirmans, & terram Comitiſſæ Mathildæ condonans.] Hæc ipſe Petrus, qui adversùs Catholicum Papa Innocentium unà cum ſuis pro ſchiſmaticorum parte ſtetit, ac laboravit, ut ſæpè inferiùs ex ſuis ipſius ſcriptis intelliges. Sed & in eo etiam mendax eſſe convincitur, dum juxta Leodium donationem terræ Mathildæ factam ab

c *Petr. diac. Chron. Caſſ. l.* 4. *c.* 99.

A Innocentio aſſerit. Nam diploma Pontificis de ea re conſcriptum, Romæ datum legitur, ut anno ſequenti ſuo loco dicturi ſumus. Suggeſtum tantum non exactum de inveſtitura à Lothario, quod petierat, Otto (a) Friſingenſis affirmat. Antequàm è Galliis recederet Innocentius Papa, non inviſiſſe tantùm nobile monaſterium Cluniacenſe, ſed & inſuper ejus Eccleſiam dedicaſſe, Petrus (b) ejus monaſterii hujus temporis Abbas affirmat. Sed & poſt ipſum Leodienſem conventum Claravallenſe cœnobium ſancti Bernardi petiiſſe, qui ejus vitam ſcripſit idem qui ſuprà Bernardus Bonævallis narrat his verbis: (c) B Rediens autem Leodio, Claramvallem dominus Papa per ſeipſum voluit viſitare. Ubi à pauperibus Chriſti, non purpura & byſſo ornatis; nec cum deauratis Evangeliis occurrentibus, ſed pannoſis agminibus ſcopuloſam bajulantibus Crucem, non tumultuantium claſſicorum tonitruo, non clamoſa jubilatione, ſed ſuppreſſa modulatione affectuoſiſſimè ſuſceptus eſt. Flebant Epiſcopi, flebat ipſe ſummus Pontifex: mirabantur Congregationis illius gravitatem, quòd in tàm ſolemni gaudio oculi omnium humi defixi, nuſquam vagabunda curioſitate circumferrentur, C ſed complosis palpebris ipſi neminem viderent, & ab omnibus viderentur. Nihil in Eccleſia illa vidit Romanus quod cuperet, nulla ibi ſupellex eorum ſollicitavit affectum, nihil in Oratorio niſi nudos viderunt parietes. Solis moribus poterat inhiare ambitio, nec damnoſa poterat eſſe Fratribus hujuſmodi præda, cùm minui non poſſet aſportata religio. Gaudebant omnes in Domino, & ſolemnitas non cibis, ſed virtutibus agebatur; panis ibi autopyrus pro ſimila, pro * careno ſapa, pro rhombis olera, pro quibuslibet deliciis legumina ponebantur. D Si fortè piſcis inventus eſt, domino Papæ appoſitus eſt, & aſpectu non uſu in commune profecit.] Hæc ipſe de paupertate & obſervantia Claravallenſium.

a Otto Friſing. lib. 7. c. 18.

Cluniacũ viſitat Innocentius.

b Pet. Clun. lib. 3. epiſt. 34.

c Vit. S. Bern. lib. 2. c. 1.

Viſitat Claramvallẽ Papa.

IX. Quid autem invidia diaboli, unum illorum tunc invadentis acciderit, ſic auctor narrare pergit: Invidit diabolus, & ſervorum Dei gloriam, quos tanti hoſpitis nobilitabat præſentia, ferre non valens: dum in choro alacriter pſallerent & devotè, præſentibus etiam nonnullis ex Cardinalibus, qui in auditu & aſpectu eorum delectabantur: aliquantos Fratrum E horribili pavore turbavit. Nam & unus præ cæteris occupatus, *à dæmone ſcilicèt*, blaſphema quædam verba locutus eſt; Dicite, inquiens, Ego ſum Chriſtus. Et alii plures territi & tremebundi ad beati Patris veſtigia confugerunt. At ille converſus ad cæteros, orate, inquit. Ac deinceps ſub ſilentio eos qui turbati videbantur, eduxit, atque compeſcuit: ut nequiſſimus ille, qui conventum pietatis transferre conabatur in theatrum, & ſcholam innocentiæ in deriſum, non ut putabat exiſtimationem religioſorum hominum corrumperet, A ſed ſe proderet, & conatus ſuos experiretur infirmos. Tanta ſiquidem celeritate omnia ſunt ſedata, ut perſonas illas quæ propè aſtabant, omninò latuerit quod acciderat, & malignus hoſtis velociter increpatus, non modò ſcandalum eis quod parabat, inſerre nequiverit, ſed nec ad illorum notitiam rem perferre. Factumque eſt ex eo, ut ampliori ſe cuſtodia Fratres munirent, & merito, & numero, & poſſeſſionibus deinceps creſceret Claravallis, & multiplicatis Conventibus, ferè per omnem latitudinem loci illius dilataretur religio: ipſe etiam Abbas ſanctus ex B tunc ampliùs ſolito miraculis clareret & ſignis.] Hactenùs de Claravallenſibus Innocentium Papam excipientibus.

X. At quid tunc ipſe Pontifex? cùm Cluniacenſium divitias aſpexiſſet, atque Claravallenſium eſſet extremam intuitus paupertatem, ſecundùm illud Apoſtoli: (d) Abundantia veſtra illorum inopiam ſuppleat,] ſtatuere placuit, ne Ciſtercienſes monachi, ut hactenùs factum eſſet, decimas perſolverent Cluniacenſibus, ſicque illa dura penſitatione eos reddidit abſolutos. Quo facto vehementer Cluniacenſes perturbati ſunt, cùmque parere cunctarentur, C fuerunt cenſuris Eccleſiæ compellendi, nempè excommunicatione terrendi, & interdicto mulctandi. Qua de cauſa eorum Abbas Petrus ad eumdem Innocentium Papam querulam ſatis ſcripſit epiſtolam, (e) ubi inter alia: Rogat igitur, venerabilis Pater, fidelis & ſemper ſubjecta majeſtati Apoſtolicæ Congregatio veſtra, ut ab amore paterno novi filii, *nempè Ordinis Ciſtercienſis nuper exorti*, veteres, *Cluniacenſes ſcilicèt*, non expellant. Quoniam etſi novi diligendi, non tamen propter novos, niſi promeruerint, ſunt veteres abiiciendi. Recordamini, quantum D ab antiquis in populo Dei primogenitis deferretur: ut niſi Eſau primogenita vendidiſſet, numquam ei, licèt ſanctior Jacob, in primogenitorum dignitate, non dico præferretur, ſed nec etiam conferretur. Si ergò primogeniti ſumus, dignum eſt, ut quod non vendidimus, pro junioribus non perdamus &c.] Sed in epiſtola (f) ſequenti, quam eodem argumento ad Haimericum Cardinalem diaconum Cancellarium dedit, iſta fuſiùs pertractavit, digna quæ hic deſcriberetur, niſi cuſa reperiretur, quæ poſſit à cupientibus legi. Porrò non à decimis tantùm E Cluniacenſibus perſolvendis exempti ſunt Ciſtercienſes, ſed etiam ab iis, quas ſæcularibus clericis ſolvere ſoliti erant: quarum gratia querelæ in eos ſunt magnoperè dilatatæ. Extat de his epiſtola Richardi Archiepiſcopi Cantuarienſis ad Abbatem Ciſtercienſem, apud Petrum (g) Bleſenſem, qui in fine ſæculi hujus claruit. Sed redeamus ad Petrum Cluniacenſem Abbatem, qui ſcripſit tunc etiam querelis plenam ad ipſos Ciſtercienſes de his (h) epiſtolam. Quæ quòd à nonnullis in deteriorẽ partem eſſet accepta, idem Petrus anno ſequenti

d 2. Cor. 8.

e Pet. Clun. lib. 3. epiſt. 33.

Innocent. Pap. Ciſtercienſibus dat privilegiũ ne decimas ſolvant.

f Id. ep. 34.

g Petr. Bleſ. ep. 82.

h Pet. Clun. lib. 3. epiſt. 35.

Digitized by Google

quenti ad eoſdem Ciſtercienſes excuſatorias litteras dedit, quibus charitas, quæ aliqua ex parte inter eos læſa videri poſſet, arctiori vinculo, immò inſolubili glutino compacta perſiſteret. Quæ quòd brevior ſit, nec remorari diu Lectorem poſſit, hic deſcribendam putavimus; ſic enim ſe habet: (a)

a Id. ep. 36.

XI. Chariſſimis & venerabilibus Fratribus in Chriſti nomine apud Ciſtercium congregatis Frater Petrus humilis Cluniacenſium Abbas, ſalutem, ob quam convenerunt, æternam.

Relatum mihi eſt à pluribus, quòd litteræ, quas præterito anno charitati veſtræ mea humilitas deſtinavit, quoſdam veſtrorum læſerunt, & à ſtabilitate non jam novitiæ, ſed antiquæ dilectionis eorum animos paululùm commoverint. Quæ poſtquàm didici, ferre non valui, ut tanta tamdiu inter nos habita charitatis dulcedo quibuslibet occaſionibus vel in modico amareſcat. Unde iterato præſentem epiſtolam mitto, ut ſi ita eſt, ut audivi, læſioni, quam prima intulit, ſequens medeatur; & glutino ſancti Spiritus diverſa conjungente quantalibet noſtratum ſciſſura mentium uniatur. Viderint primæ illius epiſtolæ lectores, quo eam ſpiritu legerint, quo ſenſu eam interpretati ſint: novi ego me (quod tamen ſinè faſtu aliquo dictum accipite) non ſuperbiæ, ſed humilitatis, non diſcordiæ, ſed pacis in dictando ſpiritum habuiſſe, & teſte eo, quem fallere non poſſum, charitati, quam in cordibus noſtrorum decimarum illarum occaſione periclitari videbam, eo modo providere voluiſſe. Et quia (b) væ peccatori dicitur, terram ingredienti duabus viis: nolui juxta (c) Prophetam in corde & corde loqui, nec coram amicis, inter quos omnia nuda eſſe debent, duplicitatis velamine cor velare, ut dum nodum ſine tegmine ſapientia veſtra videret, communi congregatorum conſilio ad diſſolvendum efficaciùs laboraret. Hæc tota fuit cauſa ſcribendi: quæ ſi tunc ignota aliquos ſcandalizare potuit: nunc ſaltem me manifeſtante, retecta, opto & precor, ut fratribus chariſſimis ad plenum ſatisfacere poſſit. Quieſco enim & quieſcam in vobis, delector & delectabor in vobis: etiam Ieſûs non diſcedam à vobis. Quod tamen tantoperè cupio ſervare vobis: ſervate nihilominùs & noſtris & nobis.] Hæc Petrus. Quibus videas quales eſſe conſueverint inter Sanctos querelæ & diſſenſiones, in quibus ne charitas, quæ eſt vinculum perfectionis, dirumperetur; magna in primis adhiberi conſuevit induſtria. Sed quoniam dum hìc ſumus mortales miſeri, non penitùs liberi, quos & pertingi interdum à vitiis ſit neceſſe, inter pares æmulatio ſolet oriri & contentio, & quæ etiam cum Chriſto manentes exagitavit Apoſtolos, (d) cùm inter eos contentio facta eſt, quis eorum videretur eſſe major: inter ipſum Petrum, & S. Bernardum quædam ſunt abſque charitatis læſione oborta diſſidia, quorum cauſa hinc inde ab utroque ſcribendæ fuerunt elucubratiſſimæ apologiæ. Sed de hic aliàs.

b Eccl. 2.
c Pſal. 11.
d Marc. 5. Luc. 9.

XII. Sed redeamus ad Innocentium Papam, qui luſtrans (ut dictum eſt) Gallias, præterquàm ab Aquitanis, ab omnibus exceptus eſt ſumma cum veneratione, & à Judæis ipſis, quos cum libro Legis Pariſiis ſibi occurrentes non deſpexit, ſed aſpexit Innocentius; dicens: Rogo Deum, ut velamen oculorum veſtrorum auferat, ut quæ libris his veritas continetur, à vobis intelligatur. Qui autem Innocentium viſitantem recipere detrectaſſent, numen ultorem paſſos eſſe, auctor, qui ad Sigebertum Auctarium poſuit, fidem facit, dum ait, quòd hoc anno Novionenſis Eccleſia unà cum civitate penè tota prodigioſè incendio concremata ſit, ob id quòd Innocentium cives non recepiſſent, ſed verbis deriſoriis illum contempſiſſent.

Quid paſſi non recipientes Innocentium.

In viſitandis autem provinciis Gallicanis Innocentius quod maximè doluit, fuit, inveniſſe celeberrimum illud monaſterium Luxovienſe olim obſervantia monaſtica florentiſſimum, jam penitùs moribus deterrimis deformatum, nulla regularis vitæ forma decorum. Ad quod in ſtatum priſtinum reparandum conſilium illud iniit, ut ex Cluniacenſi cœnobio peteret illis Abbatem. Quod ubi Petrus Cluniacenſium Abbas, litteris Pontificiis admonitus, viſus eſſet implere: fruſtrà ſe laboraſſe (e) ad eumdem Innocentium Papam redditis ſignificavit litteris iſtis:

Innoc. P. p. laborat pro Luxovienſium obſervantia.

e Pet. Clun. lib. 3. epiſt. 23.

XIII. Summo Pontifici & noſtro ſpeciali patri domino Papæ Innocentio frater Petrus humilis Cluniacenſium Abbas ſalutem & obedientiam.

Fratres Luxovienſes ad nos venerũt, ſcripta paternitatis veſtræ nobis deferentes: In quibus & deſtitutio quondam magni Luxovienſis monaſterii paterna pietate à vobis defletur, atque ut in eodem loco de Fratribus noſtris Abbatem & officiales neceſſarios concedamus, nihilominùs nobis injungitur; per quos nimirùm, ſecundùm litterarum tenorem, omnipotenti Domino ibidem laudabiliter ſerviatur, & tàm nobile monaſterium in ſui ſtatus prærogativam & priſtinam integritatem, divina cooperante clementia reparetur. Quod præceptum debita quidem reverentia ſuſcepimus, ſed pro ſui difficultate non mediocriter formidamus. Nam ſicut novit ſapientia veſtra, in negotio religionis faciliùs poſſunt nova fundari, quàm vetera reparari. Quia ſecundùm beatum Gregorium, hominibus aliter inſtitutis durum valdè videtur, in mente veteri nova meditari. Qui enim nova tantùm ædificat: eum in veterum deſtructione non oportet laborare. Qui autem vetera reparare nititur, duplici cura conſtringitur: quoniam illi & veterum deſtructio, & novorum incumbit ædificatio. Super hæc & veſtræ Cluniacenſi Eccleſiæ nos, qui rem novimus, valdè timemus, ne frequẽter, ſicut ſæpè fit, ad alias Ec-

Petr. Clun. ad Innoc. de reformatione Luxovienſium.

Digitized by Google

eleſias tranſlatis fratribus noſtris, quod aliis refrigerium, nobis inferat detrimentum. Poſtpoſuimus tamen omnia iſta, & Fratribus ſupradictis ad nos venientibus Abbatem, & officiales neceſſarios, juxta quod nobis injunctum fuerat, dare parati fuimus. Sed illi nobis valdè damnoſa, ſibi parum utilia poſtulantes, acquieſcere noſtro conſilio noluerunt, & ſicut dicebant, die conſtituta pro eodem negotio ad nos reverſuri, ad propria redierunt. Hæc idcircò reverentiæ veſtræ notificamus, ut ſi ulteriùs in his inſtare voluerint, & de Cluniaco Abbatem petierint; nequaquam eligant, quod ignorant, ſed in nobis, qui meliùs vultum pecoris noſtri agnoſcimus, cauſam ſuam conſtituant. Hoc ſi fecerint, providebimus nos fideliter tales Eccleſiæ miniſtros, per quos omnipotenti Domino in monaſterio Luxovienſi quantum ipſe dederit, laudabiliter ſerviatur; idemque locus, etſi non ad priſtinam integritatem, ad meliorem tamen ſtatum, divina cooperante clementia, reparetur. In hanc ſententiam, ſi placet, & nobis & ipſis reſcribite.] Hæc ad Innocentium Papam Petrus.

XIV. Sic igitur tàm innovatione plantariorum, quàm amputatione virium ſarmentorum Gallicana his temporibus mirum in modum Eccleſia illuſtrabatur, de qua hæc Robertus in Appendice ad Sigebertū; Erat, inquit, circa hæc tempora pulchra & decora facies Eccleſiæ diverſorum Ordinum & profeſſionum circumdata varietate, dum hinc Præmonſtratenſes, hinc Ciſtercienſes, inde Cluniacenſes monachi, tùm & diverſi habitus profeſſione ſanctimoniales, & mulieres Deo devotæ in continentia atque paupertate ſub obedientiæ jugo regulariter viventes, fervore religionis invicem provocarent, & nova certatim diverſis in locis monaſteria fundarent. Cùm his etiam monachi Carthuſienſes & ipſi paulatim pullulabant, &c.] Porrò in Galliis iſti plantati etiam trans mare propagarunt palmites ſuos. Nam ut de aliis dicere prætermittamus, modò de Præmonſtratenſibus hæc habet idem auctor hoc anno, ſed paulò ſuperiùs: In Syria & Palæſtinā de Præmonſtrato Fratres miſſi, nonnullas Abbatias ædificarunt.] De quorum una S. Bernardus in epiſtola ad Premonſtratenſea hæc habet: (a) Apud Hieroſolymam Rex Balduinus dum viveret, locum S. Samuelis donavit nobis, & mille aureos ſimul de quibus ædificaretur. Vos dono noſtro & locum habetis, & aureos habuiſtis.] Sed & ex eadem Francorum gente militarea exortæ tunc florebant in Oriente & Occidente religiones, de quibus hic idem qui ſuprà Robertus: Ad hæc etiam Milites templi Hieroſolymitani, Fratres quoque de Hoſpitali ſub religioſo habitu continenter viventes, ubique ſe multiplicando diffundebant, & quæ poterant, vel de laboribus propriis, vel de Fidelium eleemoſynis, ad opus Deo militantium, vel infirmorum quorumque vel pauperum Hieroſolymam petebant; ſed Præſules Eccleſiarum, ac Principes ſeculi promptiſſimè annuebant, vel etiam ſpontè offerebant terras, prata, nemora, & cætera, quæ monaſteriis ædificandis erant neceſſaria.] At de origine Hoſpitalariorum cæteris Ordinibus antiquiore egit Vuillelmus Tyrius in commentario de bello ſacro. (b)

Gallicana Eccl. floret Religioſis.

a *Bern. ep. 252.*

b *Vuillel. Tyr. lib. 18. c. 4. 5.*

XV. Eodem tempore cùm in Galliis moraretur Innocentius Papa, innotuit ei ſanctus Albertus monachus, cui & audiendi peccatorum confeſſiones (quod & Paſchalis conceſſerat) tradidit auctoritatem, plenamque facultatem: quo miniſterio idem Sanctus quamplurimos ad meliorem frugem ex immenſo peccatorum gurgite Deo adjuvante convertit. Extant res ab eo præclarè geſtæ à Roberto (c) ejus æquali conſcriptæ. Innotuit eidem quoque Pontifici egregia ſanctitudo Leopoldi Auſtriæ Marchionis, quam mirificis poſt obitum laudibus prædicare conſuevit. Pervenit autem idem Sanctus virtutum ſuarum fulgure coruſcus uſque ad annum Domini milleſimum centeſimum trigeſimum ſextum, ut Acta ejus canonizationis teſtantur. (d)

c *Apud Sur. die 7. April. tom. 2.*

d *Extant apud Sur. tom. 6. die 15. Novēbris.*

XVI. Sed & hoc anno Balduinus Rex Hieroſolymorum Chriſti verus Confeſſor poſt liberatam à Turcis irruentibus Antiochiam ægritudine affectus, habitum religionis aſſumens, & vitam regularem profeſſus, ſi viveret, Deo feliciter ſpiritum reddidit undecimo Kalendas Septembris: in cujus locum gener ejus Fulco Comes Turonenſium eſt ſubrogatus decimooctavo Kalendas Octobris, ipſa die Exaltationis ſanctæ Crucis. Hæc pluribus Tyrius (e) de bello ſacro. Quo etiam anno moriturus Stephanus Rex Hungariæ, in ſignum pœnitentiæ & ipſe monaſticum induit habitum; cui ſucceſſit vir pietate inſignis Bela.

e *Vuillel. Tyr. lib. 13. c. ult. & lib. 14. c. 2.*

JESU CHRISTI ANNUS 1132. INNOCENTII PAP. II. ANNUS 3. VACAT. IMP. OCCID. 7. JOANNIS COMNENI IMP. 14.

I. ANNUS ſequitur Redemptoris trigeſimus ſecundus ſupra milleſimum centeſimum, Indictione decima, quo Innocentius Papa exacta collecta indicta Gallicanis Eccleſiis pro reditu Romam, ingreſſus eſt Italiam verſus iter. Cùm rogatus à Cluniacenſibus Innocentius Papa dedicaſſet Cluniacenſe monaſterium, eidem contulit privilegium, quod acceptum ab eodem monaſterio hìc deſcribamus:

Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Petro Cluniacenſi Abbati,

Digitized by Google

bati, ejuſque ſucceſſoriboa regulariter inſtituendis in perpetuam rei memoriam.

*f. Libera-litatis

* Libertatis laudibile genua eſt, ut qui ſe B. Petro & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ humili devotione exponunt, majorem ſamiliaritatia prerogativam, & digniora beneficia ſortiantur. Quàm gratum Deo Cluniacenſe monaſterium famulatum inpendat, & quantum apud homines nitore religionis ſulgeat. Eccleſia Dei novit & vehementer exultat. Æquitatis igitur poſtulat ratio, ut idem locus Apoſtolicæ dilectionis privilegio gaudeat, & tàm in capite quàm membris libertatem obtineat. Nos ſiquidem monaſterium ipſum, quod ſpecialiter ad jus beati Petri, & ſanctæ R. E. ſpectat, per nos ipſos viſitavimus, & eodem die, quo revolutis multorum annorum ſpaciis prædeceſſor noſter ſelicis memoriæ Papa Urbanus ibidem majua altare conſecraverat, cum Archiepiſcopis & Epiſcopis, qui nobiſcum convenerant, cooperante Spiritus ſancti gratia, idem monaſterium ſolemniter dedicavimos. Devotioni quoque, & humilitati Fidelium, qui pro amore Dei, & ipſins loci reverentiam in anniverſario dedicationia illòc convenerint, proſpicientes, ipſis quadraginta dies pœnitentiæ ſibi injunctæ, de gratia Dei confiſi, beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli auctoritate remiſimua. Statuimus etiam, ut immunitaa ipſiua cœnobii inviolata & integra futuris temporibus conſervetur. Et ſi quia intra terminos banni, qui ab eodem prædeceſſore noſtro circa Cluniaeum conſtituti ſunt, ſcienter hominem capere, vulnerare, vel res ejus auferre præſumpſerit, excommunicationia ſententia percellatur, quouſque ablata reſtituat, & vobis Cluniacenſibus monachia de illata injuria congruè ſatiafaciat. Ad hæc adjicientes decernimus, ut quicumque Cluniacenſes monachos, vel eorum ſocios ceperint, aut ea quæ portaverint, vel conduxerint, excommunicationi ſubjaceant. Si verò aliqui abſque ipſorum monachorum præſentia ea, quæ ad victum, & veſtitum Fratrum in Cluniacenſi cœnobio Domino ſervientium pertinent, alicubi deprædati ſuerint, niſi infra quadraginta dies commoniti ablatæ reſtituerint, eos anathemati ſubjacere præcipimus. Et intra eorum dominia prohibemus officia celebrari, loca quoque in quibus ſe receperint, donec præſentes fuerint, à divinis obſequiis præter infantum baptiſma, & morientium pœnitentias ceſſare jubemus, & nullus eorumdem præſumptorum, niſi à Romano Pontifice abſolvatur. Porrò quiſquis præfatis Fratribus ubicumque manentibus quælibet alia præter ea, quæ ſuperiùs annumeravimus, abſtulerit: niſi infra quadraginta dies commonitua ablata reſtituerit, excommunicationi ſubjaceat, nec abſolvatur, donec capitale reddat, & congruè ſatisfaciat. Sanè Archiepiſcopis,

A & Epiſcopis, in quorum parochiia hoc perpetratum fuerit, auctoritate beati Petri & noſtra præcipimus, ut poſtquàm clamor ad aures eorum pervenerit, vel maleficium innotuerit, præſcriptam ſententiam tepiditate ſepoſita faciant obſervari.

Ego Innocentius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus. Datum Viennæ per manus Haimerici S. R. E. diaconi Cardinalis & Cancellarii. Incarnationia Dominicæ anno milleſimo centeſimo triceſimoſecundo, Indictione decima, Pontificatus domini Innocentii Papæ II. anno tertio, ſexto B Nonaa Martii.

His diebus dedicationis Eccleſiæ Cluniacenſia dedicata ſunt altaria intra ambitum ejus conſiſtentia, quæ ſunt numero xxvi. inter quæ fuit conſecratum altare ſancti Jacobi à Dominæ Dalmatio, Epiſcopo ejuſdem ſancti Jacobi Apoſtoli, qui hujus monaſterii Cluniacenſis fuerat monachua. De qua re habetur epigramma in dicta capella, in modum, qui ſequitur.

Hoc altare conſecratum eſt à Domno Dalmatio ſancti Jacobi Apoſtoli Epiſcopo, ac iſtius loci monacho, in honorem C ejuſdem beati Jacobi, ac omnium ſanctorum, quorum nomina non ſunt ſcripta, niſi de duobus, videlicèt, ſanctorum Hemiterii, & Cheledonii martyrum.] Innocentius igitur pro reditu in Italiam collectam indixit in Galliis. Hujus collectæ meminit Petrus (a) Cluniacenſis. Itineris autem ſtationes ſic accipe ab ejuſdem temporis auctore citato ſuperiùs: Recedens Gallia venturus Romam, tranſiens per ſanctum Ægidium, & per montem * Genuæ, fines Longobardiæ intravit, & apud Haſtam ſolemnitate Reſurrectionis Dominicæ celebrata, Placentiam D venit. Ibi convocatis Epiſcopia, & aliis Eccleſiarum Prælatis, tàm de Longobardia, quàm de Ravennatenſi provincia, & Marchia inferioris partis, tertium Concilium celebravit.] Ad hæc peragenda multum temporis inſumptum eſſe, dubitare nemo poteſt. Ad conſolidandam enim titubantem Eccleſiam Ciſalpinam, Concilium ab Innocentio Papa hibitum, & ibi diutius immoratum oportuit. Porrò hujus Concilii non niſi banc tantummodò brevem mentionem invenire potuimua. Hæc prima ſtatio Innocentii in hoc itinere; ſecunda verò facta Piſis, de qua hæc E eadem citata ſuperiùs Acta, Sed primùm de Lothario Rege iſta:

a Pet. Clun. lib. 3 epiſt.

* Genevæ

Conc. Placentinum ab Innoc. Pap. habitum.

Intereà Res Lotharius, ſicut promiſerat, in Longobardiam enm exercitu venit, & in Roncaliis cum eodem Papa & Longobardis generale colloquium de ſtatu Eccleſiæ atque Imperii habuit. Præteriens igitur Regem Pontifex, & per montem Bardonis in Tuſciam tranſiens, reverſus eſt Piſas, ibique convocatis Genuenſibus, & receptis ab utraque civitate ſufficientibus juramentis, quod de guerra, quæ inter ipſas civitates excitabatur, ſuo de- II.

berent

A rent ſine contradictinne ſtare mandato: præcepit ut de cætero pacem inter ſe firmam tenerent & cuſtodirent.] Quibus autem privilegiis eaſdem honeſtaverit civitates ob merita erga Apoſtolicam Sedem impenſa, ita eadem inſinuant Acta verbis iſtis. Attendens ergò beatus Pontifex filialem devotionem, & plurima opportuna obſequia, quæ in multis Eccleſiæ neceſſitatibus prædictæ eccleſiæ Romanis Pontificibus grata exhibuerant: eas honorare dignum duxit, & ſpeciali prærogativa exaltare de conſuetudine Apoſtolicæ Sedis. Igitur Præſulatum eccleſiæ Piſanæ conceſſit ſuper Sardiniæ inſulam, ſubiiciens ei & Populonii Epiſcopum, & tres alios Epiſcopos inſulæ Corſicæ, Alerienſem, * Antenſem.... Genuenſem vero Epiſcopum à ſubjectione Mediolanenſis Archiepiſcopi emancipavit, & ſpecialem de novo Metropolitanum .... Sedis Apoſtolicæ Epiſcopum conſtituit, cui Bobienſem Epiſcopum & Portiniscenſem Abbatem, quem creavit Epiſcopum, obedire præcepit. In eadem quoque Corſicæ inſula tres Epiſcopos eidem nihilominùs conceſſit.] Facta ſunt autem hæc anno præſenti, & ſequentis exordio, ibi manens uſque dum veniret Lutharius, quo proficiſcendum Romam fuit. Quod non ante ſequentem annum accidiſſe, eadem Acta ſignificant, & aliæ teſtificationes pariter docent. Agemus igitur de his anno ſequenti.

Res geſtæ ab Innoc. Papa Piſis.

*

Archiepiſcopatus Genuenſis origo.

III. Eodem anno cùm Creſcentius pſeudocardinalis pſeudopontificis Anacleti præſidens Beneventanæ civitati, eamdem proditoriè tradere velle Rogerio Siciliæ Regi compertus eſſet: impetitus à civibus fugam arripuit, & in loca Rogerii confugiens; quæcumque poſſet, contra Beneventanos machinari non deſtitit. Beneventani autem execrati Anacletum, Innocentio Papæ Catholico inhæſere: ad quos miſſus eſt ab eodem Pontifice Gerardus presbyter Cardinalis, qui eiſdem Beneventanis præeſſet. Quod viriliter implevit, novis creatis in civitate magiſtratibus, quos fideliores exiſtimaret. Fuit ei multùm vigilandum adversùs Creſcentii doloſas artes & militares inſultus, quibus conabatur perdere civitatem illam: ſed Beneventanis magna fiducia in præſidio Apoſtolorum Petri & Pauli, & Bartholomæi ipſorum patroni, quorum ope à dolis & perſecutione Creſcentii, & tanti Regis furore ſe ſervaverunt immunes hæc pluribus hoc anno deſcripta leguntur in Chronicis Beneventanis, ab auctore (ut ſæpè dictum eſt) ejuſdem temporis ſcriptus. Sicque civium decreto Anacletus ut ſchiſmaticus Papa reiicitur, & Innocentius legitimus ſuſcipiendus decernitur, & retinetur; quamvis eam ob cauſam innumera proventura mala non dubitarent: ſed pietati omnia poſthabenda cenſuere. At de his anno ſequenti.

Beneventani rejecto Anacl. inhærent Innocentio.

IV. Sed quæ iſta præceſſerunt, cur defecerint Beneventani ab Anacleto atque Rogerio Siciliæ Rege, ſunt breviter enarranda ex eiſdem Chronicis Beneventanis. Contigit nimirùm hoc anno, ut Rogerius Rex tyrannidem meditatus, civitatemque Beneventanam in ſuam redigere poteſtatem ſatagens, Principes circumpoſitos viribus minuere & opprimere laboraverit: atque primùm egerit, ut occaſione legationis Rainulphum Comitem Avellinum à ſua civitate dimoveret, mittens eum cum copiis militaribus ad Anacletum pſeudopontificem. Quo abſente, ejus civitatem Avellinam invaſit, uxorem Comitis & filium ejus inde abduxit captivos,
B & in Siciliam miſit. Rediens verò & ſua repetens, non eſt auditus, licèt per Anacletum id petiiſſet. Quamobrem adversùs Regem rebellans, ſecum traxit Robertum Principem Capuanum, & alios Barones, inſuper & Beneventanos infenſos Creſcentio Cardinali, qui à multis civibus juramentum fidelitatis ipſi Regi Rogerio extorſiſſet. Comparato igitur exercitu, Rainulphus atque Robertus cum ſociis in Picentinis trans Sarnum fluvium pugnaverunt adversùs eumdem Rogerium Regem, quem & divino implorato præſidio ſuperarunt, in fugamque
C adigerunt, exercitu ejus internecioni dato. Fugit Rex Salernum, ubi moratus uſque ad octavam diem menſis Decembris, conſcenſa navi in Siciliam eſt reverſus, paraturus copias traiiciendas anno ſequenti. Hæc ſummatim collecta ex dictis Chronicis Beneventanis, ubi & dies tantæ victoriæ notatur, nempè quæ præcedit feſtam diem S. Jacobi Apoſtoli. Cujus rei gratia à Beneventanis proceſſiones & pervigiliæ ob gratiarum actionem ſunt frequentatæ, ut idem qui aderat his omnibus auctor affirmat.

Rogerius Rex victus à Rainulpho atque Roberto.

V. Eodem anno Vvillelmus Cardinalis
D Epiſcopus Prænestinus Legatus Sedis Apoſtolicæ in Germania, conſecravit Brunonem Archiepiſcopum Colonienſem ſucceſſorem Friderici, qui anno ſuperiori ex hac vita migrarat. Ita Dodechinus hujus temporis auctor. Memoria eſt dignum, quòd cùm idem Bruno fuit electus Colonienſis Archiepiſcopus, conſuluit ſanctum Bernardum, an acceptare deberet electionem. Ad quem egregia extat reddita epiſtola ejuſdem Bernardi, (a) hoc exordio: Quæris à me conſilium, vir illuſtris Bruno, an volentibus te promovere ad Epiſcopatum acquieſcere debeas.
E Quis hoc mortalium definire præſumat? Deus forſitan vocat: quis audeat diſſuadere? Fortè non vocat: quis appropinquare conſulat?] Cætera per te legas auditu digna. Adiice & illam, quam ad eumdem ſcripſit hoc anno, (b) cùm jam eſt conſecratus Archiepiſcopus, in qua inter cætera. Si cunctos, qui vocantur ad miniſterium, conſtat eligi & ad regnum: profectò ſecurus eſt Colonienſis Archiepiſcopus. Quòd ſi etiam & Saulem in regno, & Judam in ſacerdotio legitur elegiſſe non alius quàm ipſe Deus, & non poteſt

Bruno conſecratur Archiepiſ. Colonienſis.

a Bern. ep. 8.

b Id. ep. 9.

Digitized by Google

poteſt ſolvi Scriptura, quæ hæc aſſerit: ſimeat & neceſſe eſt Colonienſis Archiepiſcopus, &c.]

S. Hugo Epiſc. Gratianopol. moritur.

Hoc eodem anno magnus ille ſanctitate inſignis Hugo Epiſcopus Gratianopolitanus ex hac vita migravit. Ita qui res geſtas ab eo ſcripſit juſſu Innocentii Papæ Guigo Carthuſiæ Prior, cùm ait: Anno itaque ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo triceſimoſecundo, ætatis porrò A ſuæ ad minus octogeſimo, menſe quarto, conſecrationis autem itidem ad minus quinquageſimoſecundo, Kalendis Aprilis, ſexta ante Palmarum Dominicam feria, circa gallicinium beatus Hugo migravit ad Dominum:] Quem Innocentius Papa cùm rediit in Italiam, Piſis conſiſtens, retulit inter Sanctos, ut ſuo loco dicturi ſumus anno ſequenti.

JESU CHRISTI ANNUS 1133. INNOCENTII PAP. II. ANNUS 4. LOTHARII II. IMP. 1. JOANNIS COMN. IMP. 15.

I. Innoc. Pap. & Lotharius Rex Romam ſe conſerunt.

ANnus Redemptoris milleſimus centeſimus triceſimustertius, cœptus Indictione undecima, felix illuxit Catholicæ Eccleſiæ. Nam ipſe Innocentius Papa in Sedem ſuam Romæ à Lothario reſtituitur, & Lotharius ab eo coronatur Imperator. De his acturi, in primis quòd temporis certitudinem ſpectat, ſine qua labor omnis pro veritate indaganda ſuſceptus penitus evaneſcit, atque in multiplices errores ferri hiſtoricos ſit neceſſe, diligenter eſt conſiderandum. Hoc namque anno veniſſe Lotharium Romam, & C coronatum ab Innocentio, auctores hujus temporis apertè teſtantur, nempe qui Beneventanum Chronicum ſcripſit Fulco, & Hugo in vita S. Norberti Archiepiſcopi Magdeburgenſis, dum ejus reditum cum Lothario Romam deſcribit, & poſt quatuor menſes defunctum eſſe ſexta Junii, anno Chriſti MCXXXV. aſſerit; idem quoque in Auctario ad Sigebertum habetur, & aliis. Cùm igitur ſubſtitiſſet uſque in annum præſentem Innocentius Papa Piſis, Vere adveniente Lothario Rege Germaniæ, ambo ſe Romam contulerunt: de quorum itinere hæc habent citata ſuperiùs Acta: D Dum hæc agerentur, Lotharius in Tuſciam venit, & apud Calcinariam, in territorio Piſano cum eodem iterum colloquium habuit. Concordantes igitur, ut ad Urbem feſtinare deberent: Rex per ſtratam publicam tranſivit. Pontifex per maritima uſque Viterbium: proceſſerunt poſteà ſimul per Hortum, & Sabinenſe, & Farfenſe territorium, & apud Eccleſiam S. Agnetis caſtrametati ſunt. Occurrentibus autem ei Theobaldo Urbis Præfecto, ac Petro Leonis cum aliis nobilibus Romanis, & Tranſtiberinis, intraverunt Romam anno MCXXXIII. E Et Pontifex quidem in palatio Lateranenſi hoſpitatus eſt, & Rex Lotharius in monte Aventino tentoria fixit. Tunc Piſani, & Genuenſes in auxilium Papæ Innocentii cum navali exercitu Romam venientes, civitatem veterem, turrim Pulveream, & totam Marmoratam eidem Pontifici ſubjugarunt.] Hæc ibi. De his iſta leguntur in dicto Chronico Beneventano ſub eodem anno milleſimo centeſimo trigeſimotertio: Innocentius Papa ſimul cum Lothario Imperatore Romam pervenerunt.

B Audivimus reverà duo tantùm millia militum ſecum duxiſſe. Apoſtolicus itaque honeſtè ſuſceptus, palatium Lateranenſe ingreditur, ibique magno gaudio, & honoris copia ſuperſedit. Imperator autem circa monaſterium S. Pauli cum exercitu ſuo viriliter caſtrametatur.] Quod ſpectat ad paucitatem militum, quos ſecum Lotharius duxit: teſtatur idipſum S. Bernardus in epiſtola (*a*) ad eumdem Lotharium jam coronatum Imperatorem verbis iſtis: Ipſius, *Domini ſcilicèt*, profectò C nuper opus & virtus fuit, quòd iter ſatis laborioſum, & meticuloſum pro pace regni, & Eccleſiæ liberatione ſuſceptum, in tanta proſperitate peregiſtis. Romæ ſiquidem Imperialis culminis plenitudinem glorioſiſſimè aſſecutus, idque quod majus fuit, in manu non magna, ut animi, fideique magnitudo clariùs emineret.] Quòd ſi ante tantillum exercitum terra tremuit, & quievit: quantus putamus horror hoſtium corda invadere habeat, cùm cœperit Rex procedere in magnitudine brachii ſui? &c.] Pergit verò auctor Chronicorum Beneventanorum:

a *Bern. ep.* 139.

D II. Miſit autem, ſicut audivimus, ad Anacletum, ut conſilio religioſorum virorum communicato adeſſet, & Spiritu ſancto mediante tanti erroris & homicidiorum magnitudini finem poneret. Quod Anacletus ille ſicut accepimus, facere contempſit. De adventu inſuper Lotharii Romam & ejus coronatione, hæc habet ejuſdem temporis auctor in vita (*b*) ſancti Norberti Archiepiſcopi Magdeburgenſis: Cùm eo, *Lothario*, autem & aliis tàm Epiſcopis, quàm Archiepiſcopis ex præcepto & obedientia Innocentii paſtoris Catholici Pontifex Norbertus profectus eſt, E tranſitiſque caſtris & urbibus cum magna turba præeuntis & ſubſequentis exercitus, Romam Papam venerabilem Innocentium ſecum ducentes perveniunt. Ubi cum impetu grandi & manu forti intrantes, ipſum eumdem Papam in ſancta Sede invitis hoſtibus, & adverſariis omnibus collocarunt. Porrò Lotharium Regem Pontifex in Sede poſitus, & alii qui convenerant, in Romanum Imperatorem conſecraverunt. Erat autem vir ille ſtrenuus belli ductor &c.] Narrare pergit eximias

b *Vita S. Norb. c. 50. apud Sur. to. 3. die 6. Junii.*

ejuſdem

ejuſdem Imperatoria virtutes. In Vaticanis ſchedia reperimus iſta de coronatione Lotharii: Hoc eſt juramentum, quod D. Rex Lotharius tempore hæreſis filii Petri Leonis D. Papæ Innocentio præſtitit ante forea baſilicæ S. Salvatoria, quæ Conſtantiniana appellatur, in die qua coronatus eſt ab ipſo Innocentio, antequàm coronam acciperet, D. Cencio de Frajapania juramentum computante, & Ottone nepote ſuo ac cæteris nobilibus Romanis ibi exiſtentibus.

Ego Lotharius Rex promitto & juro tibi domino Papæ Innocentio, tuiaque ſucceſſoribus ſecuritatem vitæ, & in membris, & malæ captionis, & defendere Papatum, & honorem tuum, & regalia S. Petri qnæ habes, manutenere, & quæ non habes, juxta meum poſſe recuperare.] Hæc ibi.

III. Quòd autem in Laterananſi baſilica prę ter morem facta ſit coronatio Lotharii Imperatoris, hinc accipe rationem ab Ottone Friſingenſi, qui ait: (a) Rex autem plus mente quàm milite confidentiam gerena, ad Urbem uſque progreditur, ibique qualibus potnit cum paucis ſtrenuè peractis, in Eccleſia ſancti Salvatoria, quæ Conſtantiniana dicitur, à ſummo Pontifice Innocentio coronatus, Imperatoris & Auguſti adeptus eſt nomen: nempè Eccleſiam B. Petri, ubi moa coronari erat Imperatoribua, Petrus Leonis eo tempore occupaverat.] Hæc Otto. Tunc temporis idem Innocentius Papa eidem Lothario Imperatori conceſſit Allodium Comitiſſæ Mathildis, ut es ejus diplomate hìc deſcripto apparet. Quod ſic ſe habet:

a *Otto Friſing. lib. 7. c. 18.*

Innocentiua Papa Secundus Lothario Imperatori Auguſto & Riget Imperatrici.

Si auctoritaa ſacra Pontificum & poteſtaa Imperialis verè glutino charitatis ad invicem complentur: Omnipotenti debitus famulatus liberè poterit exhiberi, & Chriſtianus populus grata pace & tranquillitate gaudebir. Nihil enim in præſenti ſæculo eſt Pontifice clarius, nihil Rege ſublimius; nihil eſt quod lumine clariore præfulgeat, quàm rècta fides in Principe, nihil eſt quod ita nequeat occaſui ſubjacere, quàm vera religio. Quæ nimirùm omnia tantò maniſeſtiùs, Deo gratias, in perſona tua clareſcunt, quantò ab ineunte ætate amator religionis, & cultor juſtitiæ extitiſſe cognoſceria, & noviſſimè diebus iſtis, nec perſonæ tuæ, nec propriæ parcendo pecuniæ pro beati Petri ſervitio multos labores, & immenſa pericula pertuliſti. Cùm ergò, teſtante ſacro eloquio, etiam mali patres bona data filiis ſuia debeant impartire: dignum profectò eſt, ut nos, qui diſponente Domino, universia Catholicæ Eccleſiæ filiis debemua ſollicitudine paterna conſulere, perſonam tuam arctiùs diligamus, & tamqnàm ſpecialiſſimo Eccleſiæ defenſori, in hia qnæ ad ſtatum Imperii in ſuo robore conſervandum, & utilitatem, ac liberationem Catholicæ Eccleſiæ ſpectare noſcuntur, tàm ſecundùm Eccleſiaſticum officinm, quàm temporaliter Imperatoriam potentiam augeamua. Hoc nimirùm intuitu Allodium bonæ memoriæ Comitiſſæ Mathildæ, quod utique ab ea beato Petro conſtat eſſe collatum, vobia committimua, & ex Apoſtolicæ Sedis diſpenſatione concedimua, atque in præſentia fratrum noſtrorum Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, nec non Principum, & Baronum inveſtimus: ita videlicèt, ut centum libraa argenti ſingulis annia nobia, & ſucceſſoribua noſtris exolvaa, & poſt tuum obitum proprietsa ad jua & dominium ſanctæ Romanæ Eccleſiæ cum integritate abſque diminutione & moleſtia revertatur. Quòd ſi nos vel ſucceſſores noſtros in eamdem terram venire, manere, tranſire oportuerit; tàm in ſuſceptione, quàm in procuratione, atque ſecuro conductu, prout Apoſtolica Sedes decreverit, honoremur. Qui verò arces tenuerit, vel rector terræ fuerit, beato Petro, & nobia, noſtriaque ſucceſſoribua fidelitatem faciant. Cæterùm pro charitate veſtra nobili viro Henrico Bavariæ Duci genero veſtro, & filiæ veſtræ uxori ejus, eamdem terrã cum præfato cenſu, & ſupradictia conditionibua Apoſtolica benignitate concedimus; ita tamen, ut idem Dua hominium faciat & fidelitatem B. Petro, ac nobia, noſtriſque ſucceſſoribus juret. Poſt quorum obitum prædictum Comitiſſæ Mathildæ Allodium ad jus & dominium ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſicut ſuprà dictum eſt, integrum, & abſque diminutione atque difficultate aliqna reducatur: ſalvo tamen ſemper in omnibus ejuſdem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ jure ac proprietate. Datum Laterani vi. Idus Junii.] Hactenùa conceſſio Allodii Mathildæ facta ab Innocentio Papa Lothario Imperatori. Quæ poſt hæc facta ſint, ita Fulco in Chronico Beneventano.

Audiens itaqne Robertus Princeps Capuanus & Rainulphua comes Apoſtolici Innocentii & Imperatoria Lotharii adventum longè latèque optatum, trecentorum ferè militum caterva ſtipati, ſimul cum domino Gerardo Cardinale, qui tunc Beneventanis rector præfuerat, & civibus quibuſdam ſapientibus Beneventanis Romam feſtinarunt. Qui verò euntes, omnem ordinem afflictionia, quam civitas Beneventana dudum perpeſſa eſt, è veſtigio intimavere lacrymis, orantes, ut civitatem Beneventanam à Comite Siculorum Rogerio jugiter oppreſſam liberaret, &c.] Annuit Pontifex ipſorum petitioni de his quæ ſpectabant ad regimen civitatis; cætera bellica tractare haud ſibi opportunum, qui licèt eſſet in Urbe, teneri quodammodò videretur obſeſſua, dum munitiones & turres omnea in poteſtate eſſent adverſariorum in Urbe potentium, ac propemodùm dominantium.] Hæc de his ibi. IX.

Sed quæ Rogerius Res Siciliæ transfretans V.

Digitized by Google

tans cum ingenti exercitu in Apuliam tunc egerit, ab eodem auctore rem ſpectante ſic accipe: Ex improviſo prædictus Rex Rogerius, Siculorum exercitu Sarracenorum congregato Pharum tranſivit, deindè in Apuliam curſu rapido acceleravit.

Rogerii crudelitas in Apulos.

Continuò civitatem Venuſiam, quam Tancredus Comes Converſanus acceperat, & alias civitates comprehendens, igni ferroque conſummavit: viros quoque & mulieres, parvuloſque vario mortis genere necavit, quoſdam verò eorum comburi fecit. Regem teſtamur æternum, tanta crudelitate in Chriſtianos ille exarſit, quòd vix aut numquam à ſæculo ſit auditum.] Poſt hæc autem Tranenſem civitatem ab eodem Rege devaſtatam affirmat ſumma crudelitate, & alia oppida & loca, quæ ab ipſo ſuperiori anno defeciſſent. Sed illud excedit omnem immanitatem, quòd Trojanos cives, qui cum Epiſcopo venerant, excepturi ipſum cum ſolemni proceſſione, omnes convertit in fugam, civitatemque igni ferroque vaſtavit. Et paulò pòſt de Roberto Principe Capuano narrat, ipſum octavo Kalendas Julii reverſum Romam ad Innocentium, & inde Piſas profectum ad petenda adversùs ſævientem tyrannum ſubſidia. Cui operi eodem Innocentio favente, factum eſt poſt hæc, ut adversùs eumdem Rogerium pararetur claſſis, fœdere ſimul junctis Venetis ac Genuenſibus.] Hæc ibi pluribus, nos ſuo loco inferiùs.

VI. Lotharius Imp. ab Urbe recedit.

Quod verò ad Pontificis res ſpectat, Lotharius ubì coronam, cujus cauſa venerat, ab ipſo Pontifice ſolemni ritu percepit, quod illic morari & annonæ penuria prohiberet, & expugnare munitiones difficillimi operis eſſet, & temporis diuturnioris: conſultius exiſtimavit ab Urbe recedere, ad propriaque reverti. Quod & fecit, tempore opportuniore reverſurus adversùs Siciliæ Regem, Beneventanos durè admodùm per Creſcentium Cardinalem ſchiſmaticum affligentem, qui nulla relicta occaſione vexandi cives, ad deditionem eos compellere nitebatur: qui licèt duriſſima paſſi, in fide tamen Sedis Apoſtolicæ perſtiterunt. Quanta tunc ab eo ſint paſſi Beneventani, idem auctor pluribus eſt proſecutus.

Innoc. Pap. Piſas ſe contulit.

Innocentius verò Pontifex etſi Romæ manendi conſilium iniiſſet in ſua Apoſtolica Sede, more prædeceſſorum ſuorum: tamen cùm ſibi non divinis rebus vacandi facultas daretur, ſed armis jugiter inſiſtere neceſſitas imperaret; ſalubre illud conſilium iniit ab Urbe recedendi, Piſaſque petendi, potentiſſimam tunc civitatem, maritimis in primis viribus à Principibus quibuſcumque timendam, erga Sedem Apoſtolicam addictiſſimam. Venit ergò Piſas, ubì magnis eſt exceptus honoribus, Piſanis ipſum Chriſtum in Petro, & Petrum in Innocentio venerantibus. Si vis autem omnium rerum geſtarum uſque ad Innocentii Papæ adventum Piſas breve audire compendium, accipe illud ab ejuſ-

A dem temporis auctore Bernardo Bonævallis Abbate, qui habet iſta in vita S. Bernardi: (a) Longas in Galliis facere moras dominus Papa non potuit, ſed ſicut cum Lothario Rege condixerat, Romam ei occurrit; & vi exercitus in Lateranenſem palatium deductus eſt. Multi etiam ex nobilibus Romanis fideles Eccleſiæ eum honorificè ſuſceperunt. Verùm Petrus Leonis non ponens Deum adjutorem ſuum, ſed confœderatorum ſtipatus militia, in editioribus & tutioribus turribus manens, Lotharii ludificavit virtutem; & interdicens ſuis congreſſus publicos, nec ſibi ſecuritatis

a Vit. S. Bernar. l. 2. c. 2.

B ſuæ fecit periculum, nec cauſam conflictus hoſtibus dedit, ſed tantùm liberum eorum diſcurſum machinis ſuperioribus, & obſtaculis variis impedivit. Vitavit etiam obſtinatiſſimè Imperatoris colloquium, nec minis nec blandimentis flexus eſt, nec de ſtatu ſuo conſilium cujuſlibet perſonæ admiſit. Relicto igitur Romæ Innocentio, aliàs Imperator digreditur. Petrus verò poſt ejus diſceſſum crebros movens per Urbem excurſus, fidelium cædibus inhiabat. Intelligens ergò Innocentius, Romæ ſibi infructuoſam eo tempore moram, ne præſentia ſua illius beſtiæ rabiem efferaret:

C rursùs Piſas revertitur &c.] Quæ verò hæc ſecuta ſunt, dicentur ſuo loco anno ſequenti. Porrò Rogerius, ut audivit Piſanos, agente Papa Innocentio, favere Roberto Principi Capuano, Legatos ad eoſdem miſit, per quos multa eis pollicitus, ut ipſos ab Innocentio diſtraheret, atque ſecum uniret: Sed reſpuerunt illi ejus promiſſa, & patrocinium Innocentii & ipſi faventium firmius ſtatuerunt.

VII.

Iſta autem cùm S. Bernardus ejuſdem Innocentii ſtudioſiſſimus audiviſſet, ad eoſdem Piſanos has litteras dedit perpetua

D memoria dignas. (b)

b Bern. ep. 130.

Piſanis noſtris, Conſulibus cum Conſiliariis & civibus univerſis Bernardus Abbas dictus de Claravalle, pacem & ſalutem & vitam æternam.

S. Bernardus congratulatur Piſanis.

Benè faciat vobis Deus, & meminerit fidelis ſervitii, & piæ compaſſionis, & conſolationis, & honoris, quæ ſponſæ Filii ejus in tempore malo, & in diebus afflictionis ſuæ exhibuiſtis, & exhibetis. Et quidèm hoc jam impletur ex parte, & orationis hujus nonnullis capitur fructus. Digna planè retributio celeri jam compenſatur effectu. Jam pro meritis tecum

E actitat Deus, populus quem elegit in hereditatem ſibi, omninò populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. Aſſumitur Piſa in locum Romæ, & de cunctis urbibus terræ ad Apoſtolicæ Sedis culmen eligitur. Nec fortuitu, ſive humano contigit iſtud conſilio, ſed cœleſti providentia, & Dei benigno favore fit, qui diligentes ſe diligit, qui dixit Chriſto ſuo Innocentio: Piſam inhabita, & ego benedicam ei. Hìc habitabo, quoniam elegi eam. Me auctore, tyranni Siculi malitiæ Piſana conſtantia

non

Digitized by Google

non cedit, nec minis concutitur, nec donis corrumpitur, nec circumvenitur dolis. O Piſani, Piſani, magnificavit Dominus facere nobiſcum, facti ſumus lætantes. Quæ civitas non invidet? Serva depoſitum urbs fidelis, agnoſce gratiam, ſtude prærogativæ non inveniri ingrata. Honora tuum & univerſitatis Patrem, honora mundi Principes qui in te ſunt & Judices terræ, quorum te præſentia reddit illuſtrem, glorioſam, famoſam. Alioquin, ſi ignoras te, ò pulchra inter civitates, egredieris poſt greges ſodalium tuorum paſcere hœdos tuos. Sapientibus ſat dictum eſt. Commendo vobis Marchionem Engelbertum, qui domino Papæ & amicis ejus miſſus eſt in adjutorium: juvenis fortis & ſtrenuus, & ſi non fallor fidelis. Habetote eum veſtris precibus magis commendatum, quia & ego ei vos ampliùs commendare curavi, monuique ut veſtris potiſſimum conſiliis innitatur.] Hucuſque S. Bernardi ad Piſanos egregium ſummæ gloriæ monimentum.

VIII. Ad finem anni hujus item Piſis datum habetur ab eodem Innocentio Papa diploma de Eccleſiæ Piſtorienſis immunitate ejus Epiſcopo Attoni, qui egregia claruit ſanctitate, nuperque ſucceſſit Hildebrando, à S. Bernardo (ut vidimus) commendato. Sic enim ſe habet.

Diploma Innoc. Pap. pro Epiſc. Piſtor.

Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Attoni Piſtorienſi Epiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus canonicè promovendis in perpetuum.

Piſtorienſis Eccleſia, largiente auctore omnium bonorum Domino, in Tuſciæ partibus à longè retrò temporibus hujus ſpecialis prærogativæ munus obtinuit, ut ſapientum & diſcretorum paſtorum regimine præfulgeret, & tàm in ſpiritualibus, quàm in temporalibus per eorum induſtriam gratum Deo ſuſciperet incrementum. Gaudemus equidem, & debita jucunditate lætamur, quoniam ſupernæ diſpoſitionis providentia te, venerabilis frater Atto Epiſcope, ſapientem utique virum & in religione probatum ejuſdem loci paſtorem conſtituit, & ad gubernandum & inſtruendum doctrinæ & vitæ exemplo populum ſuum miſeratione divina vocavit. Quantò igitur vita tua religioſior eſt, & præfata Piſtorienſis Eccleſia, cui auctore Deo præſides, exiſtit beato Petro devotior, tantò ex injuncto Apoſtolatus officio magis grata nobis incumbit neceſſitas, ut prænominatam Eccleſiam tibi à Deo commiſſam auctoritate Apoſtolica privilegiis muniamus, & ei jus ſuum illibatè & integrè obſervemus. Ad exemplar igitur prædeceſſorum noſtrorum fel. mem. Urbani, & Paſchalis Romanorum Pontificum præſenti decreto ſtatuimus, ut univerſa quæ in præſentiarum eadem Eccleſia juſtè & legitimè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione Fidelium, ſeu aliis juſtis modis, præſtante Domino, poterit adipiſci, firma ſint tibi tuiſque ſucceſſoribus, & illibata permaneant. Statuimus etiam, ut diœceſis Piſtorienſis Epiſcopatus, ſicut ejus termini prædictorum noſtrorum privilegiis diſtincti ſunt, ſic in jure & conditione Piſtorienſi Epiſcopo ſine alicujus moleſtia vel inquietudine perſeverent. Per quos nimirùm terminos ſubſcriptæ capellæ & Eccleſiæ conſtitutæ eſſe noſcuntur, &c.] Numerat enim prolixa ſerie cunctas capellas, quæ eidem Eccleſiæ ſubjectæ eſſent, & bona quæ recuperata eſſent ſub Comitiſſa Mathilde tempore Gregorii Papæ Septimi, & aliis juribus & decimationibus. In fine autem hanc habet ſubſcriptionem Sanctæ Romanæ Eccleſię Cardinalium, qui tunc Piſis reperti ſunt inhærere Pontifici.

Ego Innocentius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Vuillelmus Prænestinus Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Matthæus Albanenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Joannes tit. S. Chryſogoni presbyter Cardinalis ſubſcripſi.

Ego Gottifredus Card. presbyter tit. S. Juſtinæ ſubſcripſi.

Ego Lucas presbyter Card. tit. SS. * Petri & Pauli ſubſcripſi. *Joannis

Ego Martinus presbyter Card. tit. S. Stephani in Cœlio monte ſubſcripſi.

Ego Gregorius diaconus Card. tit. SS. Sergii & Bacchi ſubſcripſi.

Ego Guido diaconus Card. S. Mariæ in Via lata ſubſcripſi.

Ego Odo diaconus Card. S. Georgii ſubſcripſi.

Ego Joannes diaconus Card. S. Nicolai in carcere Tulliano ſubſcripſi.

Datum Piſis per manum Haimerici ſanctæ Romanæ Eccleſiæ diaconi Cardin. & Cancellarii XII. Kal. Januarii, Indictione duodecima Incarnationis Dominicæ MCXXXIII. Pontificatus verò D. Innocentii Papæ Secundi, anno quarto.

JESU CHRISTI ANNUS 1134.	INNOCENTII PAP. II. ANNUS 5.	LOTHARII II. IMP. 2. JOANNIS COMNENI IMP. 16.

I. Sequitur annus ſalutis milleſimus centeſimus triceſimuſquartus, Indictione duodecima, quo ab Innocentio Papa celebratur Piſis Concilium generale ex Epiſcopis Italiæ & Tranſalpinis. De quo iſta Bernardus (*a*) Abbas Bonævallis in rebus geſtis ſancti Bernardi Abbatis Ciſterc. cienſis: *Innocentius* rursùs Piſas revertitur, ibique aggregatis totius Occidentis Epiſcopis, aliiſque religioſis viris, magnæ gloriæ Synodus celebratur. Affuit per omnia & conſiliis & judiciis & definitioni-

a Vit. S. Ber. lib. 2. c. 2.

Piſanum Concilium generale.

Digitized by Google

tionibus omnibus ſanctus *Bernardus* Abbas; impendebaturque ei reverentia ab omnibus, & excubabant ante ejus limina ſacerdotes, non quòd faſtus, ſed multitudo communem prohiberet acceſſum; & aliis egredientibus, alii introibant, ita ut videretur vir humilis, & nihil ſibi de his honoribus arrogans, non eſſe in parte ſollicitudinis, ſed in plenitudine poteſtatis. Actiones Concilii longum eſt proſequi, ſumma tamen in excommunicatione Petri, & irregreſſibili fautorum ejus dejectione conſtitit: & uſque hodiè hæc ſententia perſeverat.] Hæc tantùm ipſe de tàm magno Concilio. Subiicit his de legatione ab Innocentio decreta ad Mediolanenſes: de qua nos proximè dicturi ſumus. Dum adhuc ſanctus Bernardus Piſis moraretur, contigit reditus Martini presbyteri Cardinalis ex legatione, qua perſunctus fuit in Dania, de cujus continentia in muneribus accipiendis hæc digna memoria narrat idem ſanctus Bernardus, (*a*) ſcribens de conſideratione ad Eugenium: Dignum nunc ad medium venire factum dulcis memoriæ Martini noſtri. Noſti hoc, ſed an memineris ignoro. Is Cardinalis presbyter functus aliquando legatione in * Dacia, tàm pauper remeavit, ut penè expenſis & equis deficientibus, vix perveniret Florentiam. Ibi Epiſcopus loci donavit ei equum, quo Piſas uſque, ubi eramus tunc, pervectus eſt. Poſtridiè credo ſecutus Epiſcopus (erat enim illi cauſa cum adverſario, & agendi aderat dies) cœpit requirere ſuffragia amicorum. Cùmque per ſingulos ſollicitaretur: ventum eſt ad Martinum. Fiducia erat major in illo, qui non poſſet immemor eſſe recentis beneficii. Tùm Martinus: Decepiſti me, inquit, neſciebam tibi imminere negotium. Tolle equum tuum, ecce in ſtabulo eſt: & hora eadem reſignavit illi. Quid dicis, mi Eugeni? Nonnè alterius ſæculi res eſt, rediſſe Legatum de terra auri ſine auro? tranſiſſe per terram argenti, & argentum neſciſſe? donum inſuper quod poterat eſſe ſuſpectum, illicò rejeciſſe?] Hucuſque de Martino Legato Bernardus. Poſt celebratum Piſis Concilium, antequàm dimitterentur, qui congregati illic Concilii cauſa Archiepiſcopi & Epiſcopi fuerant, eorum conſilio adhibito, Innocentius Papa retulit inter Sanctos, Hugonem Epiſcopum Gratianopolitanum, quem anno ſuperiori ex hac vita migraſſe diximus. Extant de ejus canonizatione ejuſdem Innocentii breves litteræ in hunc modum:

a *Bern. de conſid. lib. 4.*

* al. Dania.

II. Innocentius (*b*) Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Guigoni Priori Carthuſienſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

b *Apud Sur. tom. 2. die 1. April.*

Canonizatio S. Hugonis.

Divinis reſpondentes beneficiis, cognita vita ejus, & auditis, quæ per B. Hugonis merita ſiunt, miraculis; ſupernæ majeſtatis clementiam collaudavimus: & Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Cardinalium, atque aliorum qui nobiſcum aderant, communicato conſilio, ipſum inter Sanctos & electos honorari præcepimus, & diem ejus aſſumptionis cum gaudio ſolemniter celebrari. Quia igitur ipſius vita, quam piè duxit in corpore, & miraculorum coruſcatio, qua Deus eum facit apud homines præfulgere, tuæ maximè dilectioni non extant incognita: auctoritate B. Petri & noſtra tibi mandamus, quatenùs ea quæ tibi ſuper hoc nota fuerint, diligenter deſcribendo, poſterorum memoriæ tradas, ut & Deus honoretur in Sancto, & Clerus legens ac populus audiens, gratias agant Domino, atque ipſius interceſſione peccatorum veniam percipere mereantur. Orantes pro nobis dilectos filios noſtros Carthuſienſes Fratres per te in Domino ſalutamus, & benedicimus. Data Piſis, decimo Kal. Maii.] Hæc de canonizatione S. Hugonis, cujus ſæpè ſuperiùs contigit fieri mentionem.

His peractis, Epiſcopi dimittuntur. Quid autem acciderit Francis Epiſcopis ad propria redeuntibus, jam dicendum. Infeſtabatur tunc temporis Italia Conradi tyrannide, quem hactenùs Mediolanenſes confœderatum habuiſſent contra Lotharium Imperatorem. Qui igitur huic favebant, erat illis pro ſtipendio, graſſandi licentia, quo fiebat, ut viæ publicæ ejuſmodi non militibus, ſed latronibus obſiderentur. Hi autem in inſidiis latitantes Gallicanos Epiſcopos & Abbates ad propria revertentes ſunt aggreſſi in eadem Tuſciæ provincia apud Lunam civitatem. Quem tragicum planè caſum Petrus Cluniacenſis Abbas unus ex ipſis deplorans, de his quæ ſibi acciderant, ſcripſit omnium nomine epiſtolam ad Innocentium Papam, quæ ſic ſe habet: (*c*)

Dimittuntur Epiſcopi.

c *Pet. Clun. lib. 3. ep. 27*

Summo Pontifici & noſtro piiſſimo Patri domino Papæ Innocentio Frater Petrus humilis Cluniacenſium Abbas ſalutem & obedientiam.

III. Dies tribulationis & anguſtiæ dies hæc, quia ſecundùm Prophetam: (*d*) Venerunt filii uſque ad partum, & virtus non eſt pariendi. Venerunt (*e*) Nuntii Sennacherib, blaſphemantes Deum cœli. Irruit (*f*) Nabuchodonoſor, & captivavit populum Dei. Nec defuit Doeg, (*g*) qui extenderet manum in ſacerdotes Domini. Lamentabilem hiſtoriam cogor retexere, quam præcordiorum dolore interrumpente, lacrymis, velim, nolim, interfluentibus, vix (ut arbitror) potero explicare. Sed quia (proh dolor) hoc à Martyrum temporibus tàm inauditum ſcelus me vidiſſe contigit: ſilere cùm maluiſſem, loqui invitum oportuit. Regreſſi ab uberibus vocantis Eccleſiæ, à Concilio pietatis veſtræ, ut grex Dominicus ſimpliciter ambulans, luporum morſus incurrimus, & noſtris ſæculis inſolita rabie diſperſi, captivati, vulnerati, & rebus omnibus penè expoliati ſumus.

d *Iſai. 37.*

e *4. Reg. 18.*

f *4. Reg. 24. 25.*

g *1. Reg. 22.*

Graſſatores inſiliunt in Epiſcopos.

Aderat in comitatu noſtro non ignobilis, neque ultima pars Eccleſiæ Dei, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, legio monachorum, nô parvus numerus Archidiaconorum

A conorum, nobilium clericorum, & religioſarum perſonarum populus. Horribile ſpectaculum, tantas, tàmque neceſſarias Eccleſiæ Dei perſonas videre diſtrahi, diſſipari, vulnerari, atque gladiis inſequentibus, ubi ubi, per diverſa fugari. Epiſcoporum & Abbatum plurimi ad proxima caſtra violenter abducti; & quidam eorum poſt verbera, & vulnera, barbarica immanitate incarcerati ſunt. Inter quos dominus Rhemenſis, cui nec ætas, nec dignitas adeſſe potuerunt, poſt multas injurias & vulnera turri concluſus tenetur. Dominus Petragoricenſis ſimilia expertus B eſt. Sed quid ego de ſingulis quaſi ſolis loquor? Cùm Bituricenſis & Senonenſis ſuis penè omnibus amiſſis, vix ad Pontem Tremulum tremuli & anheli pervenerint, & ibi cum Ebredunenſi, Trecenſi ictu haſtæ de equo dejecto, & inde graviter infirmato, cum Lemovicenſi, Atrebatenſi, Belicenſi, Redonenſi, atque aliis Epiſcopis, Abbatibus etiam Lemovicenſi, Vizeliacenſi, S. Michaelis de Cluſa, S. Germani Pariſienſis, Corbejenſi, Noviomenſi, Burgulienſi, ſancti Sulpicii, ſancti Remigii, Craſſenſi, S. Joannis de Prato, de monaſterio Hender, Melundenſi, Sal-C murenſi, & aliis quàmplurimis ſecundo carcere incluſi teneantur? Refertus eſt Burgus ille & conſtipatus multitudine Sanctorum, quæ velut Hieruſalem obſeſſa à Babyloniis, pedem ultrà procedere non audet. Nulli tutus ingreſſus, omnibus negatur egreſſus, Nec multa ſpes in aliquo, niſi in illo, qui educit vinctum de domo carceris, & in vobis, ſanctiſſime Pater, qui ejus vices in terra geritis.

Qui hæc paſſi & quanta paſſi.

IV. Auxilium ab Innocent. petūt captivati Epiſc.

Clamat igitur ad vos, ſicut ad ſingulare præſidium nobilis illa Eccleſiæ Dei portio, & ſibi citiſſimè ſubveniri, ſicut D filiis à patre, precatur. Poſtulo & ego ſocius periculorum, per quem vobis iſta ſcribi elegerunt; ut quia tanta pro Deo, & vobis eos contigit pericula ſubire, feſtinet veſtra pietas eorum citò periculis ſubvenire. Poſtulo, inquam, quia poſtulandum mihi eſt, ne ſanctos ſocios, qui itineri noſtro quadam charitatis confidentia adhæſerant, contempſiſſe videar. Nam de meis injuriis plura dicere superſedeo. Qui dum cum domino Vizeliacenſi Abbate armatis hoſtibus pro pace ſociorum obvius occurriſſem, primo impetu mula noſtra ictu lanceæ confoſſa, in partem cedere coacta E eſt. Fratres noſtri fugati, famuli capti, res penè omnes ablatæ. Ego ad proximam villam me conferens, tamdiu delitui, donec conductu hoſpitis noſtri ad Pontem Tremulum, quò alii præceſſerant, veſpertinis horis & ipſe perveni. Inde ergò cum ſociis vocem querulæ lamentationis emittens, rogo pariter, & conſulo, ne rem tantam parvipendendam putetis, ſi nomini Chriſti, ſi honori veſtro, ſi utilitati Eccleſiæ aliquando conſulendum eſſe judicatis. Si enim hoc negligitur: quid curabitur? ſi rigor juſtitiæ, ſi ſeveritas

A Eccleſiæ in damnis publicis dormit: quando in privatis evigilabit? Precatur nobiſcum & conſulit ſacer captivitatis conventus, ut non ſolùm in actores nequitiæ hujus, ſed & in toto Lunenſi Epiſcopatu Apoſtolicæ vindictæ mucro reſplendeat; quatenùs eo ſublimiter renitente, non ſolùm propè poſiti, ſed etiam in extremis Chriſtianitatis finibus conſtituti terreantur. Lunenſis Epiſcopus nobis in brevi apparens, lunarem eclipſim nimis immaturè paſſus eſt, quem dum per totam diætam nobis lucere credidimus, vix per integram leugam ſocium habere potuimus. Longus B fui; ſed ut audacter loquar, in tanta re longior eſſe debui. Jam ſi quid minus dictum eſt, ſapientia veſtra ſuppleat & diſponat.] Hucuſque Petrus Cluniacenſis Abbas. Quæ autem hæc ſecuta ſint, nobis hactenùs incomperta. Illud autem ejuſdem Petri teſtificatione aſſeritur in libro miraculorum, (*a*) ipſum aliàs antehac evaſiſſe ejuſmodi facinoroſos Conradi ſatellites, ſed incidiſſe in eos comitem ſuum Gerardum magnæ virtutis virum. Duraverunt hæc tempora (*b*) mala, ad quæ ſpectant, quæ idem Petrus habet in alia ſua epiſtola, Romam pro injunctis negotiis C quemdam Priorem ſummo ſtudio contendere voluiſſe, nec potuiſſe, eò quòd audiſſet, quod ait, capi monachos, ſpoliari Epiſcopos, interfici clericos, nec illis religionem, nec iſtis dignitatem adeſſe vel in modico poſſe. Itinera obſtructa latronibus, raptoribus campos, gladiatoribus ſilvas oppletas, ipſumque Latium ſingularem olim Romanæ gloriæ ſedem, non civibus, ſed barbaris & hoſtibus ſæviſſimis ſubſtratum gemere.] Non fuit cum his S. Bernardus Abbas, qui cum iiſdem ex Galliis ad Concilium venerat. Opportuna namque occaſio interceſſit, ut D mitteretur cum legatione à latere ab Innocentio Papa ad Mediolanenſes, qui jam diu expetierant hoc ab eodem Innocentio, ubi cognoviſſent eumdem ſanctum Bernardum Piſas ad Concilium convenire; quem legatione atque litteris interpellarunt, ut ſe Mediolanum conferret, ut ejus opera illa civitas jam abdicato ſchiſmate pace reconciliaretur, & compaginaretur ſanctæ Romanæ Eccleſiæ. Quod omni officio ſibi præſtandum poſt celebratum Concilium, idem ſanctus Bernardus tunc ſeditis ad eos litteris pollicitus fuit. Sunt ipſius litteræ perbreves ad Clerum conſcri-E ptæ. Ejuſdem namque Cleri opera, abſterſo errore, eadem civitas revocata fuerat ad unitatem. Sic ſe habent: (*c*)

a Pet. Clun. mirac. lib. 1 c. 8.

b Idem lib. 5. ep. 33.

S. Bernardus vocatus à Mediolanenſibus.

c Bern. ep. 132.

V. Epiſtola S. Bernardi ad Clerum Mediolan.

Benedicti vos à Domino, quorum ſtudio & induſtria civitas veſtra liberata eſt ab errore; & relicto ſchiſmate, ad Catholicam rediit unitatem. Exiit ſermo iſte inter Catholicos: audivit & læta eſt Sion, & eſt vobis gloria coram Deo & omni populo. Quàm lætis amplexibus mater Eccleſia colligit tot & tantorum multitudinem filiorum, quos ſe amiſiſſe dolebat? Quàm læto & ſereno vultu Deus Pater recipit

cipit

cipit hoc ſacrificium de manibus veſtris? Quod autem & paci terræ intenditis: faeitis quod filii pacis. Er ego fratres parriceps & ſocius gandii veſtri fieri cupiens: juxta petitionem veſtram ad vos cum dilectis fratribus noſtris, nnntiis veſtris veniebam, de quibus mihi ſcripſiſtis, plenius ſecundùm rationem in beneplacitn Dei ſatisfacturus. Sed quia tempus breve eſt, quo ad Concilium feſtinamus: non gravet vos uſque ad redirum noſtrum ſuſtinere.] Hæc tunc ad Clerum, ad cives autem Mediolanenſes hæ (a) eodem argumento tunc itidem datæ:

a *Bern. ep.* 133.

Epiſtola S. Bernardi ad populũ Mediolan.

Ut ex ſcriptis veſtris percipio, nonnullus mihi locus gratiæ apud vos eſt. Er quoniam meum non invenin meritum, divinitùs credo datum. Non recuſo favorem ingentis inſigniſque populi. Amplector oblatam gratiam, & nbviis manibus glorioſæ civitatis devotionem devotus excipio: præſertim hoc tempore, quo abjecto errore ſchiſmaticorum, ad ſinum matris Eccleſiæ cum gaudio totius Orbis reverſa eſt. Arbitror tamen non ſolùm mihi glnriandnm, quòd invitor ad pacem quærendam, & à famoſiſſima urbe, cùm ſim pauper ignobiliſque perſona, tanti boni mediator atque miniſter aſſnmor. Sed vobis quoque per talem nihilominùs honor eſt, flecti ad pacem & concordiam vicinorum veſtrorum, quos nec multarum civitatum hoſtilia impetus (ut benè notum eſt mundo) cedere aliquandn compulit. Itaque feſtinans ad Concilium, ſpero me rediturum per vos, & probaturnm de graria, quam promittitis: Qui autem gratiam dedit, faciat ne in me vacua ſit.] Jam autem Mediolani plantata erat Religio Ciſtercienſis, & fetu fœcundo propagata: ad quorum ſanctam ſobolem tunc temporis coaleſcere incipientem S. Bernardus aliam dedit epiſtolam: (b)

b *Id. ep.* 134

VI.

Sed jam quid ea legatione ab Innocentio Papa à latere miſſa, credita duobus magnæ æſtimationis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, juncto cum eis S. Bernardo, ſit actum, videamus. Res geſtæ deſcribnntur ab eo, qui præſens aſpexiſſe potuit, Bernardo Abbatæ Bonævallis in vita ſancti Bernardi (c) Abbatis tunc Clarævallenſis, dum ait: Soluto Concilio, *Piſano ſcilicèt*, ad reconciliandos Mediolanenſes dnminus Papa Abbatem Clarævallis, quem multis ſupplicationibus expetierant, & Gnidonem Piſanum, & Matthæum Albanenſem Epiſcopum à latere ſuo direxit, qui ſchiſma per Anſelmum *pſeudoarchiepiſcopum* in eadem urbe factum abluerent, & ad nnitatem Eccleſiæ devios revocarent. Abbas igitur cum prædictis viris, quos à domino Papa collegas acceperat, addidit conſortio & communi conſilio virum venerabilem Gaufredum Carnotenſem Epiſcopum, cujus innocentiam & ſinceritatem in multis probaverat. Et viſum eſt Cardinalibus bonum, ut tanto adjutore negotium tanti ponderis fulciretur.] Hunc (ut idem auctor teſtatur inferius) idem Innocentius Papa cõſtituit Legatum in provincia Aquitaniæ ad reducendos ſchiſmaticos, qui ibidem invaluiſſent. De cujus legatione dicendum ſuo loco anno ſequenti. Pergit auctor: Tranſcenſo itaque Apennino, ubi audierunt Mediolanenſes Abbatem deſideratum ſuis finibus propinquare: longè à civitate milliaribus ſeptem omnis ei populos obviat, nobiles, ignobiles, equites, pedites, mediocres, pauperes, quaſi de civitate migrarent, proprios lares deſerunt, & diſtinctis agminibus, incredibili reverentia virum Dei ſuſcipiunt. Omnes pariter delectantur aſpectu, felices ſe judicant qui poſſunt frui auditu. Deoſculantur pedes ejus univerſi, & licèt hoc ille moleſtè acciperet, nulla potuit pronos & devotos ratione compeſcere, nulla interdictione repellere. Vellicabant etiam pilos, quos poterant de indumentis ejus, & ad morborum remedia de pannorum laciniis aliquid detrahebant, omnia ſancta judicantes, quæ ille tetigiſſet, & ſe ſanctificari tactu eorum vel uſu. Præcedentes itaque & ſubſequentes lætabundis acclamationibus applaudebant Abbati, & diu intra agminum ſpiſſamenta detentum, tandem ſolemni reddidere hoſpitio. Et cùm tractatum eſſet in publico de negotio, propter quod tàm vir Dei quàm Cardinales advenerant: oblita fortitudinis ſuæ civitas, omni ferocitate depoſita ſe ita Abbati ſubſtravit, ut obedientiæ eorum non incongruè ille poſſet aptari Poetæ verſiculus:

c *Vit. S. Bernar. lib.* 2. *c.* 2.

Legatio ad Innocentiũ Pap. Mediolanum miſſa.

Juſſa ſequi tàm velle mihi, quàm poſſe neceſſe eſt.

VII.

Multa miracula à S. Bernardo edita Mediolani.

Pacatis omnibus, reconciliata Eccleſia, firmatis inter plebes concordiæ pactionibus, alia cœperunt naſci negotia, & inſanienti diabolo, & in quibuſdam obſeſſis corporibus debacchanti oppoſitum eſt Chriſti vexillum, & increpante viro Dei, de poſſeſſis atriis, ſuperveniente eminentiori virtute, territa & tremebunda diffugere dæmonia. Ecce nova legatio, non Romanum pragma circumferens, ſed divinis legibus fidei pragma allegans, prolatis in medium litteris ſanguine Chriſti conſcriptis, & bulla Crucis impreſſis; quæ figura auctoritate ſua terreſtria & inferna ſibi ſubdit & curvat.] Nimirùm ſigna Apoſtolatus ejus per plura miracula ſubſequentia declarata, quæ idem auctor, qui fortè aderat, quàm exactiſſimè deſcribit: quæ ſi liber tu conſulas. Hæc enim ſatis ad inſtitutum. Porrò non ſolùm illuſtrandi cauſa viri ſanctitudinem, hæc Deus per ipſum miracula fieri voluit, ſed ut per ea, penes quem eſſet Eccleſia, & quis ejus legitimus eſſet Pontifex, innoteſceret. Et itaquidem ex his magna facta eſt acceſſio Fidelium ad veram Eccleſiam ex ſchiſmaticis ad eam revertentibus. De quibus ita inferiùs idem auctor: Cùm diu ſub Anſelmi, *ejus ſcilicèt Archiepiſcopi*, ſchiſmate, qui Petri fautor Mediolanenſem occupaverat cathedram, ſacerdotes gementes, virgines ſqualidæ, ſanctificationes maledictæ, altare pollutum iram Dei in

Digitized by Google

populum provocaſſent. At verò in adventu viri Dei, abdicatis Anſelmi præſtigiis, in Sedis Apoſtolicæ obedientiam ſub Innocentio revocata Eccleſia, impedita eſt illa dæmonum licentia, & quotidiè dabat locum, & ad preces viri Dei diffugiebat diabolus, & ſi quando reſiſtere conabatur, in ipſo conflictu ſuccumbens glorioſius vincebatur.] Hæc ideircò auctor, quòd ob ſchiſma plures, qui illic redditi fuerant energumeni, ob reditum ad Eccleſiam per ſanctum Bernardũ ibidem fuerint liberati.

VIII. Quod autem ad munus legationis ſpectat, non ſolùm ad conciliandam cum Sede Apoſtolica Eccleſiam Mediolanenſem, ſed ad recipiendum ab eis Lotharium Imperatorem, fuit ab Innocentio demandatum: quod & ab ipſis Legatis fuit impletum. Teſtatur id ipſe S. Bernardus in epiſtola ad Imperatricem iſtis verbis: (a) Non antè ſanè Mediolanenſes in gratiam domini Papæ & Eccleſiæ unitatem recepti ſunt, quouſque palàm Conrado refutato & abnegato, dominum noſtrum Lotharium in ſuum Regem & dominum receperunt, & Romanorum Imperatorem Auguſtum unà cum toto Orbe confeſſi ſunt, & de injuria tranſacta juxta conſilium & mandatum domini Papæ dignè vobis ſe facturos eſſe, tacto ſacroſancto Evangelio, ſpoponderunt, &c.] Rogat enim eam benè habere eoſdem Mediolanenſes. Miſſus eſt poſt hæc pariter idem S. Bernardus ab eodem Innocentio Papa ad Genuenſes pro pace firmanda cum Piſanis: quod feliciter implevit, ut ejuſdem Bernardi litteræ ad ipſos Genuenſes ſignificant, datæ anno ſequenti, quas ſuo loco reddituri ſumus. His quidem omnibus ex ſententia peractis, magna gloria Dei, & ſanctæ Apoſtolicæ Sedis, idem S. Bernardus in Gallias redit, dimiſſis collegis ejus legationis. Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, Piſas ad Innocentium redituris.

a Bern. ep. 137.

Cùm autem idem ſanctus Abbas audiſſet, neſcimus qua ex cauſa, eumdem populum Mediolanenſis civitatis labantem titubantemque, neque firmiter in propoſito permanentem: occurrit quàm citiſſimè opportuno remedio, ſcribens ad eos præſentem epiſtolam: qua illi ſumma ſunt fidei conſtantia roborati: (b)

b Id. ep. 131.

IX. S. Bernardus Mediolanenſes continet in fide Apoſt. Sed.

Suis Mediolanenſibus, univerſo videlicèt Clero & populo Bernardus Abbas dictus de Claravalle, in Domino ſalutem.

Benè vobiſcum facit Deus, benè vobiſcum facit Romana Eccleſia. Facit ille quod pater, facit illa quod mater. Et reverà quid vobis debuit facere & non fecit? Si poſtulaſtis mitti vobis de Curia honorabiles perſonas ad honorem Dei & veſtrum: factum eſt. Si poſtulaſtis confirmari quod unanimitas veſtra de venerabilis patris veſtri electione firmaverat: factum eſt. Si voluiſtis licuiſſe vobis, quod illicitum, niſi pro magna quidem neceſſitate, ſacri canones judicant, translationem Epiſcopi ſcilicèt in Archiepiſcopum: conceſſum eſt. Si rogaſtis eruì cives veſtros de vinculis Placentinorum (quod utique ego prætermittere nec volo, nec valeo) & hoc factum eſt. In quo poſtremò quæcumque rationabilis petitio filiæ non dico repulſam, ſed vel moram paſſa eſt apud piam matrem? En ad complementum pallium præſtò eſt, plenitudo honoris. Nunc verò audi me, inclyta plebs, gens nobilis, civitas glorioſa: audi, inquam, me (veritatem dico, non mentior) dilectorem tui, zelatorem ſalutis tuæ. Romana Eccleſia valdè clemens eſt, ſed nihilò minùs potens. Fidele conſilium, & omni acceptatione dignum. Noli abuti clementia, ne potentia opprimaris. Sed dicit aliquis: Debitam ei reverentiam exhibebo, & nihil ampliùs. Eſto. Fac quod dicis. Quia ſi exhibeas debitam, & omnimodam *exhibebis ſcilicèt*. Plenitudo ſiquidem poteſtatis ſuper univerſas Orbis Eccleſias ſingulari prærogativa Apoſtolicæ Sedi donata eſt. Qui igitur huic poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Poteſt, ſi utile judicaverit, novos ordinare Epiſcopatus, ubi hactenùs non fuerunt. Poteſt eos qui ſunt, alios deprimere, alios ſublimare, prout ratio ſibi dictaverit; ita ut de Epiſcopis creare Archiepiſcopos liceat, & è converſo, ſi neceſſe viſum fuerit. Poteſt à finibus terræ ſublimes quaſcumque perſonas Eccleſiaſticas evocare, & cogere ad ſuam præſentiam non ſemel aut bis, ſed quoties expedire videbit. Porrò in promptu eſt ei, omnem ulciſci inobedientiam, ſi quis fortè reluctari conatus fuerit, denique probaſti & tu. Quid enim contulit tibi vetus tua rebellio, & recalcitratio malè ſuaſa à pſeudoprophetis tuis? Quem fructum habuiſti, in quibus nunc erubeſcis? Agnoſce potiùs in qua poteſtate, gloria & honore Suffraganeorum tuorum tàm diu privata extitiſti. Quis pro te valuit obviare Apoſtolicæ auctoritatis juſtiſſimæ ſeveritati; cùm provocata tuis exceſſibus decrevit, te tuis illis antiquis ac præclaris ornamentis nudare, mutilare membris? Et hodiè confuſa & truncata jaceres, ſi non benigniùs quàm potentiùs tecum actum fuiſſet. Quis eam prohibere valebit etiam à gravioribus, ſi rurſùm (quod abſit) adjeceris provocare? Vide ne patiaris recidivum: quia pro certo, ni fallor, non tàm facilè denuò poterit inveniri remedium. Si quis itaque dixerit tibi: partim oportet obedire, partim non oportet; cùm tu in te experta ſis plenitudinem Apoſtolicæ poteſtatis, auctoritatis integritatem: nonnè hujuſmodi aut ſeductus eſt, aut ſeducere vult? Sed fac quod dico: nam ego te non ſeduco. Convertere magis ad humilitatem, ad manſuetudinem. Siquidem & (c) humilibus dat Deus gratiam, & manſueti hæreditabunt terram. Eſto cauta dominæ & matris tuæ recuperatam ſervare gratiam. Et ſic ei placere ſtudeas de reliquo, quatenùs placeat ei non ſolùm ſervare tibi quæ reddidit, ſed etiam adiicere quæ nondùm dedit.] Iſta Bernardus ob id, quòd in

De Romanæ Eccleſ. auctoritate.

c Jacob 4. Pſal. 36.

pœnam

Digitized by Google

pœnam flagitii Mediolanenſis metropolis aliquibus fuerat ſpoliata ſub ſe poſitis Epiſcopatibus.

X. S. Bernardi Reditus ad Innoc.

Porrò ter contigit eumdem ſanctum Bernardum venire in Italiam ad Innocentium Papam: primò hoc anno cùm Piſas ad Concilium venit; ſecundò paulò pòſt eodem anno, ut teſtatur ejus vitæ auctor bis verbis: (a) Cùm ſecundò per Mediolanum eodem anno Pater ſanctus tranſiret &c.] Tertius verò fuit adventus, quando Lotharius Imperator ſe contulit in Italiam cum exercitu, & finis eſt impoſitus ſchiſmati obitu Petri Leonis. Teſtatur id ipſe in (b) Canticis. Qui autem collega fuit in Mediolanenſi legatione Matthæus Cardinalis Epiſcopus Albanenſis, reverſus Piſas (inquit Petrus Cluniacenſis) poſt aliquot menſes longo morbo fatigatus, nempè ab Idibus Julii uſque ad Kalen. Decembris, eo die feliciter ex hac vita migravit. Cujus res præclarè geſtas idem (c) Petrus ſcripſit diligentiſſimè, quem tu conſulas. Extat etiã ejuſdem Petri (d) de ejus laboribus epiſtola ad Innocentium Papam.

a Vit. S. Ber. lib. 2. c. 4.
b Bern. in Cantic. ſer. 24.
c Pet. Clun. lib. 2. de mirac. c. 4. uſque ad c. 19.
d Id. lib. 4. ep. 3.

XI. Rogerius proditione rem agens ſubiicit ſibi Hoſtes.

Hoc eodem anno Rogerius Siciliæ Rex magno exercitu comparato veniens in Campaniam, tentavit claſſe expugnare Neapolim: ſed reſiſtentibus civibus, re infecta receſſit. Invaluit autem proditione, cùm Barones, qui militare promiſerant in exercitu Rainulphi, data pecunia, ut auxilium promiſſum præſtarent, cum copiis venire deſtiterint, quo factum eſt, ut cùm non eſset qui Regi poſset obſiſtere, ipſe Beneventum obtinuerit. Quò Anacletus quàm citiſſimè properavit, & Regis nomine vendicavit. Factumque eſt ex iis, ut Rainulphus Comes Rogerio ceſſerit, ſeque ei dederit, juramento præſtito, ne læderetur: ſimulque accidit, ut abſque obice idem Rogerius potitus ſit Capua & Averſa, ſicque ad finem delabente hoc anno, redierit in Siciliam. Princeps autem Capuanus Robertus apud Innocentium Papam, ad quem confugerat, uſque in annum ſequentem permanſit, expectans ſi poſset per Pontificem, Lotharium Imperatorem impetrare Campaniæ & Apuliæ defenſorem, quem tunc tàm Innocentius Papa, quàm ſanctus Bernardus ad hoc litteris excitare non ceſſàrunt. Miſerunt autem Piſani in auxilium mille milites, qui recepti Neapoli, tutati ſunt civitatem. Sequenti anno claſſe aggreſſi ſunt Melfiam nobiliſſimam civitatem, qua & potiti ſunt. Porrò iſta omnia pluribus narrat auctor Chronicorum Beneventanorum, qui ſe unum fuiſſe ex civitatis judicibus aſſerit, Falconem nomine. Reliqua in ſequentem annum.

XII. Obitus S. Norb Archid. Magdeburg.

Hoc pariter anno S. Norbertus inſtitutor Ordinis Præmonſtratenſis, idemque Archiepiſcopus Magdeburgenſis, quem diximus anno ſuperiori veniſſe unà cum aliis Germaniæ Epiſcopis Romam ad introducendum cum Lothario Imperatore Innocentium Papam in ſuam Sedem: ubi reverſus eſt in ſuam Eccleſiam: mira ſanctitate, ſicut vixerat, diem clauſit extremum. De eo enim hæc Hugo ſucceſſor Archiepiſcopus in vita ipſius: (e) Cùm autem ab Italia reverſus eſset in civitatem ſuam Parthenopolim; non diu pòſt gravi ægritudine correptus eſt, eaque per aliquod tempus, ideſt ſpacio quatuor menſium laboravit, Epiſcopatuque ſapienter & fideliter annis octo adminiſtrato, plenus Spiritu ſancto, cum omni integritate ſenſus, aſtantibus benedictione data, beato fine quievit. Neque enim, ut ait B. Auguſtinus, poterat malè mori, qui benè vixerat. Annus erat Dominicæ Incarnationis milleſimus centeſimus trigeſimuſquartus, feria quarta Pentecoſtes, octavo Idus Junii, Pontificatus Innocentii anno quinto, regni Lotharii anno nono.] Hæc de ejus tranſitu auctor. Porrò laudatiſſimus ſæculi hujus ſanctitatis & eloquentiæ nomine vir fuit prædicatus à ſancto Bernardo, Petro (f) Cluniacenſi, & aliis hujus temporis (g) Scriptoribus, cujus Ordinis propagines in Terram ſanctam abſque uberi fœtu ſunt hoc tempore translatæ. Qui de viro ſanctiſſimo plura cupit, eumdem qui ſuprà legat Hugonem. Hæc ſatis ad inſtitutum.

e Vita S. Norb. c. 50. apud Sur. to. 3. die 6. Junii.
f Petr. lib. 4 epiſt. 3.
g Apud Sigib. Chron. 1131.

JESU CHRISTI ANNUS 1135.	INNOCENTII PAP. II. ANNUS 6.	LOTHARII II. IMP. 3. JOANNIS COMN. IMP. 17.

I. Legatio Gaufredi Epiſc. Carnot. in Aquitaniam.

ANnus Redemptoris milleſimus centeſimus trigeſimusquintus ordine ſequitur, Indictione decimatertia, quo Aquitania provincia, hactenùs ſtudio Gerardi Epiſcopi Engoliſmenſis Legati Anacleti pſeudopontificis, & violentia Vuilelmi Comitis in ſchiſmate permanens; Catholicæ Eccleſiæ redditur unitati, ſuſcipiens Innocentium verum Pontificem, deteſtans omnem ſchiſmaticam pravitatem. Facta ſunt hæc per Apoſtolicæ Sedis Legatum laudatiſſimum virum Gaufredum Carnotenſem Epiſcopum, qui anno ſuperiori poſt Piſanum Concilium, cui interfuit, eo munere legationis ab eodem Innocentio Papa inſignitus eſt. Hic igitur ubì reverſus eſt in Gallias, tanto operi ſibi delegato magno ſtudio inſiſtendum conſiderans, quò illud efficaciùs promoveret atque perficeret: Claramvallem profectus, inde ſibi abſque labore S. Bernardum evulſit, atque ad ea peragenda (h) operarium præpotentem adjunxit. Antequàm autem res per S. Bernardum in hac legatione geſtas, quarum cauſa miſsus eſt, enarremus: dicendum priùs de ipſo primario Sedis Apoſtolicæ Legato Gaufredo Epiſcopo Carnotenſi, cujus virtutes ſumma cum laude idem S. Bernardus meminit libro quarto de Conſideratione ad Eugenium,

h Ber. Abb. in vita S. Ber. l. 2. c. 6.

A nium, iſtis verbis prædicans in primis ejus continentiam in abſtinendo in hac legatione à quolibet munerum genere; & ubi de Martino presbytero Cardinali Legato in Daniam memorabile recitavit exemplum, mox addit: (*a*) Sed ò mihi, inquit, locum ſuavem, ubi incidit occaſio memorandi, & nominandi ſuaviſſimi odoris virum (Epiſcopum loquor Gaufredum Epiſcopum Carnotenſem) qui legationem in partibus Aquitaniæ propriis ſumptibus ſtrenuè adminiſtravit, idque annos plures. Rem loquor, quam vidi ipſe. Eram cum eo in terra illa, cùm à quodam presbytero præſentatus illi eſt piſcis, quem vulgò B vocant ſturgionem. Percontatus Legatus quanti venierit: non accipio, inquit, niſi receperis pretium, & reſignavit ſolidos quinque invito & verecundo. Item cùm eſſemus in quodam oppido, domina illius oppidi obtulit ei pro devotione cum manutergio duas vel tres paropſides pulchras, ligneas tamen. Quas aliquamdiù intuens homo ſcrupuloſæ conſcientiæ, laudavit eas, ſed non acquievit accipere Quando argenteas recepiſſet, qui ligneas reſutavit? Non fuerunt qui poſſent Legato dicere: (*b*) Ditavimus Abraham, Ipſe verò cum Samuele liberè concionabatur ad C omnes: (*c*) Loquimini de me coram Domino & coram Chriſto ejus, utrum bovem cujuſquam tulerim, aut aſinum, ſi quempiam calumniatus ſum, ſi oppreſſi aliquem, ſi de manu cujuſquam munus accepi, & contemnam illud hodiè, vobiſque reſtituam. O ſi talium daretur virorum copia, quales perſtrinximus nunc! Quid te feliciius, quid illo jucundius ſæculo! Nonnè ſecunda ab æternitate illorum tibi temporum beatitudo videretur, cùm te quaquaverſum procedens ſtipatum videres tam inclyto agmine beatorum? Si te novi, hæres, & altum trahens ſpiritum tecum lo- D queris: Putas fore poſſe quod dicitur? Putas hìc ſumus quouſque hæc fiant? Quis det vivere, ut videre contingat? O ſi viderem in vita mea Eccleſiam Dei talibus innixam columnis! O ſi Domini mei ſponſam cernerem tantæ commiſſam fidei, tantæ creditam puritati! &c.] Sed ad ipſius legationis ſummum negotium redeamus. Quæ autem per eos geſta ſint, Bernardus Bonævallis Abbas in vita ejuſdem S. Bernardi Clarævallenſis Abbatis conſcripſit, necnon Theobaldus Epiſcopus in vita (*d*) Vuillelmi Comitis atque Ducis. Nos au- E tem ex Bernardo, qui, puto, interfuit, iſta omnia quomodò ſe habuerint, deſcribemus, qui res tunc geſtas ita fideliſſimè narrat, (*e*)

a Bern. de Conſid. li. 4.

b Gen. 14.

c 1. Reg. 12.

d Apud Sur. tom. 1. die 10. Febru. in vit. Vuillel. c. 4.

e Ber. lib. 2. c. 6.

II. S. Bernardus aſſumitur à Legato.

Audiens hæc, *quæ ſcilicèt geſta eſſent in Aquitania à ſchiſmaticis adverſùs Catholicæ religionis Epiſcopos*, audiens, inquam, hæc & hujuſmodi vir venerabilis Gaufredus Carnotenſis Epiſcopus, cui à Papa Innocentio Aquitaniæ legatio fuerat commendata: vehementer indoluit, & ſuccurrendum periclitanti Eccleſiæ, poſtpoſitis aliis negotiis, ſine ulla dilatione decrevit,

A Abbatem igitur Claravallenſem, *ſanctum Bernardum videlicèt*, petit & obſecrat, ut ſibi ad tanta mala eliminanda ſuccurrat. Aſſenſit vir Dei, & ſe in proximo congregationem monachorum in Britanniam in locum, quem juxta Nannetum Comitiſſa Ermengardis paraverat, ducturum intimat, & promittit, diſpoſita illa domo ſecundùm genus & ſpecies ſuas, ſe cum eo in Aquitaniam profecturum.] Subiicit his autem admirabilem curationem mulieris, incubum dæmonem patientis, per S. Bernardum Dei virtute operatam, & ea quæ præceſſerant in priori congreſſu S. Bernar- B di cum Comite Aquitaniæ, cùm Innocentius eſſet in Galliis; moxque de his quæ hoc anno ſunt geſta, ſic orationem proſequitur.

III. Pertinacis congreſſus.

Significatum eſt interim Comiti per viros illuſtres, qui ad eum ſecuriùs audebant accedere, quòd Abbas Claravallenſis, & Epiſcopus Carnotenſis, aliique Epiſcopi, & religioſi viri colloquium ejus expeterent, quorum erat ſtudium, ut ſecum de pace Eccleſiæ & de malo removendo tractarent. Perſuaſumque eſt illi, ne tantorum virorum devitaret colloquium, quia poterat fieri, ut communicato cum eis conſilio, & facilè eſſet, quod modò pu- C tabatur difficile, & quod videbatur impoſſibile, repentino proventu poſſibile redderetur. Itaque apud Pertinacum hinc & inde conveniunt, & in primis de diviſione Eccleſiæ, & de ſciſſuræ obſtinatione, quæ intra Alpes in ſola Aquitania, quaſi nebulæ corruptela conſederat, multis modis, & rationibus à Dei ſervis Comiti intimatum eſt. Quòd Eccleſia una eſt, & quidquid extra eam eſt, quaſi extra Arcam, judicio Dei neceſſe eſt interire & dilui. Adducta quoque exempla Dathan & Abiron, quos reatu ſchiſmatis terra vivos abſorbuit; nec tanto malo Dei vindictam ali- D quando defuiſſe, monſtratum. His auditis, Comes ex parte ſano uſus conſilio, reſpondit, ſe in obedientiam Innocentii Papæ poſſe dare conſenſum, ſed in reſtitutionem Epiſcoporum, quos de ſedibus expulerat, nulla ratione induci; quoniam implacabiliter eum offenderant, & juraverat, ſe eorum pacem nullo tempore ſuſcepturum. Diu per internuntios protractus eſt ſermo, & dum viciſſim verbis ſe mutuò occupant; vir Dei efficaciora arma corripiens, ad altare ſanctum oblaturus & ſupplicaturus accedit. Intraverant Eccleſiam, quibus li- E cebat divinis intereſſe myſteriis: Comes ſuſtinebat pro foribus.

IV.

Peractis igitur conſecrationibus, & pace data & diffuſa in populum: homo Dei jam non ſe agens ut hominem, corpus Domini ſuper patenam ponit, & ſecum tollit, atque ignea facie, & flammeis oculis, non ſupplicans, ſed minax foras egreditur, & verbis terribilibus aggreditur Ducem: Rogavimus te, inquit, & ſpreviſti nos. Supplicavit tibi in altero, quem jam tecum habuimus, conventu ſervorum Dei ante te adunata multitudo, & contempſiſti. Ecce ad te proceſſit Filius Virginis, qui

Digitized by Google

qui eſt caput & Dominus Eccleſiæ quam tu perſequeris. Adeſt judex tuus, in cujus (a) nomine omne genu curvatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Adeſt judex tuus, in cujus manus illa tua anima deveniet. Numquid & ipſum ſpernes? Numquid & ipſum ſicut ſervos ejus contemnes? Lacrymabantur univerſi qui aderant, & orationibus intenti, præſtolabantur exitum rei: & omnium ſuſpenſa expectatio neſcio quid divinum fieri cœlitùs expectabat. Videns Comes Abbatem in ſpiritu vehementi procedentem, & ſacratiſſimum Domini corpus ferentem in manibus; expavit & diriguit, membriſque tremebundis metu & diſſolutis, quaſi amens ſolo provolvitur. Elevatus à militibus, rurſùm in faciem ruit, nec quidpiam alicui loquens, aut intendens in aliquem, ſalivis per barbam defluentibus, eum profundis edens gemitibus, epilepticus videbatur. Tùm vir Dei ad eum propiùs accedit, & pede pulſans acclivem ſurgere jubet, & ſtare ſupra pedes, & Dei audire ſententiam.

a Philip. 2.

S. Bernardus Chriſti præſentia compellat Comitem Pictav.

V. Præſens eſt, inquit, Pictavienſis Epiſcopus, quem ab Eccleſia ſua expuliſti: vade & reconciliare ei, & in oſculo ſancto pacis eum eo jungito fœdera; & ipſe ad ſedem ſuam eum reducito, & ſatisfaciens Deo, redde pro contumelia gloriam; & in univerſo Principatu tuo diviſos & diſcordes ad charitatis revoca unitatem. Subdere Innocentio Papæ; & ſicut ei univerſa obedit Eccleſia, tu quoque electo à Deo tanto pare Pontifici.

Dat manus Comes Pict. Bernardo.

Audiens hæc Comes, auctoritate Spiritus ſancti, & ſanctorum ſacramentorum præſentia victus, nec audebat reſpondere, nec poterat; ſed ſtatim occurrit, & in pacis oſculo recepit Epiſcopum; & eadem qua eum abjuraverat manu, cum totius exultatione civitatis ad propriam ſedem reduxit. Sed & deinceps Abbas cum Comite jam familiariùs & ſuaviùs loquens, paternè eum monuit, ne ad tam impios, & tàm temerarios auſus ultra exurgeret, ne Dei patientiam tantis irritaret flagitiis, ne pacem factam in aliquo violaret.] Hæc præſens S. Bernardus, qui & abſens ejus curam gerere non prætermiſit.

VI. Quod enim malis aſſueto, cùm recedit ab illis, perdifficilè eſt ita ſe cuſtodire & integrum conſervare, ut inoffenſo pede per lubrica mundi pertranſeat: hunc eumdem labantem interdum brevioribus hiſce litteris (b) idem ſanctus Bernardus revocavit ad pœnitentiam:

b Bern. ep. 128.

In eo animo & in ea voluntate memini me diſceſſiſſe dudum à te, Princeps eximie, ut totis affectibus benè tibi tuiſque cuperem, totis niſibus ſalutem veſtram, & honorem veſtrum ubicumque poſſem, juvarem, eò quòd non redirem fraudatus fructu adventus mei ad vos, ſed lætus præter ſpem multorum reportarem mecum pacem Eccleſiæ cum exultatione univerſæ terræ. Miror autem quo, cujuſve conſilio mira illa mutatio dexteræ Excelſi tàm ſubitò in deterius eſt mutata, ut rurſùm ad injuriam Eccleſiæ, clericos S. Hilarii de civitate expelleres, & iram Dei in te graviùs quàm primùm excitares. (c) Quis te faſcinavit tàm citò recedere à via veritatis & ſalutis? Profectò judicium portabit quicumque eſt ille. Utinam & abſcindantur qui vos conturbant. Revertere quæſo, revertere, ne & tu (quod abſit) abſcindaris. Revertere inquam, & revoca amicos tuos ad pacem, & clericos ad Eccleſiam, antequàm irrecuperabiliter reddas tibi adverſum terribilem & eum qui aufert ſpiritum Principum, terribilem apud Reges terræ.] Hæc Bernardus, nec quidem fruſtrà. Siquidem idem Princeps verè pœnitens, auſteriſſimum vitæ genus arripuit, & Chriſtianæ perfectionis verticem ſummum attigit, ut quæ de ipſo ſuis dicturi ſumus locis inferiùs, demonſtrabunt. Sanè quidem, quòd S. Bernardus in anguſtia animæ ſuæ imprecatus eſt vindictam in eum, qui ipſum revocaſſet ad malum, illud Apoſtolicum (d) jaculatus: Utinam abſcindantur qui vos conturbant. Pertigit nefarium illum inveteratum dierum malorum Gerardum Engoliſmenſem Legatum pſeudopontificis Anacleti, qui Comitem ipſum Pictavienſem in malum adduxit, & à malo reductum iterùm ſollicitavit ad lapſum. Nam repentina morte ex hac vita ſublatus interiit: audi enim Bernardum in vita S. Bernardi.

c Galat. 3.

Relapſum Comit. revocat S. Bernardus.

d Ibidem.

VII. Ultio Divina in Gerardum Engoliſm. Legatum.

Pace itaque omni Aquitanicæ Eccleſiæ reddita, ſolus Gerardus *ille Engoliſmenſis Epiſcopus Legatus Antipapæ Petri Leonis, de quo plura ſuperiùs*, perſeverat in malis. Sed non multò poſt, adveniente die iræ in domo ſua miſerabiliter extinctus eſt. Et cùm dicat Scriptura: (e) Eſt peccatum ad mortem, pro eo non dico ut roget quis: impœnitens & ſubitò mortuus ſine confeſſione & viatico, de corpore egredientem ſpiritum ei reddidit, cujus miniſter uſque in finem extiterat. Corpus ejus à nepotibus ſuis, quos in Eccleſia illa honoribus ſublimaverat, inventum in lectulo ſuo examine & enormiter tumidum, in baſilica quadam humatum eſt. Sed poſteà à Gaufredo Carnotenſi Epiſcopo Sedis Apoſtolicæ Legato inde extractum eſt, aliòque projectum. Nepotes quoque ejus ab eadem Eccleſia poſteà eliminati ſunt, & omnis progenies & plantatio à radice avulſa, per extera regna tanti judicii circumferens querimonias, exulavit. Tanto igitur malo obruto, & ſchiſmate Gerardi redacto in cineres: vir Dei cum gaudio magno Claramvallem revertitur.] Subdit auctor, poſt hæc ipſum S. Bernardum eſſe aggreſſum explanare Cantica Canticorum.

e 1. Joan. 5.

VIII. Eodem fermè tempore & Joannes Cremenſis S. R. E. Cardinalis tituli S. Chryſogoni, qui primò ſteterat à partibus Innocentii, & inde transfugerat ad Anacletum; eum deferens rediit ad Innocentium, cujus rei cauſa S. Bernardus litteteris (f) eſt ei congratulatus.

f Bern. ep. 163.

Quo etiam tempore contigit, eumdem S. Ber-

Digitized by Google

a Id. ep. 158. 159. 160. 162. 162.

S. Bernardum (*a*) ſcribere item ad Innocentium Papam adversùs interſectorem magiſtri Thomæ Prioris ſancti Victoris Pariſienſis, quem & ob vitam ſanctiſſimè ductam, & mortem patientiſſimè toleratam martyrem nominat. Scripſit & ad alios Cardinales de eodem, & in litteris ad Joannem de Crema Cardinalem de reconciliatione ipſius datis. Ob eamdem cauſam etiam Petrus Cluniacenſis Abbas ad eumdem Papam Innocentium de iiſdem

b Pet. Clun. l. 3. ep. 17.

(*b*) ſcripſit. Sed aliqua de his depromamus ex epiſtolis S. Bernardi, dignè ſuis ſcriptis necem Martyris proſequentis, & in ſacrilegum homicidam, qui ad Pontificem ſe contulerat, hæc inclamantis:

c Bern. ep. 158.

(*c*) Tu filii recentem adhùc cruorem ore rapido ac ferali ſpumans, & maſticans, ſugis ad ſinum matris, patris audes apparere conſpectibus? Tamen ſi pœnitentiam petit, neganda ei non eſt. Quòd ſi audientiam: accipiat illam (ſi placet) quam vel

d Exod. 32. e Num. 25. f 1. Mach. 2.

(*d*) Moyſes indulſit populo ante conflatile curvanti genu; vel (*e*) Phinees fornicanti Iſraelitæ; vel (*f*) Mathathias dæmonibus immolanti: vel certè (ut vobis de veſtris aliquem proponamus) quam

g Act. 5.

à B. Petro (*g*) Ananias & Sapphira meruerunt: quam denique audientiam de-

h Matt. 21.

dit negotiantibus in templo (*h*) Salvator. An ignoramus quorumdam peccata præcedere ad judicium? Hæc ad Innocentium. Moxque hæc apoſtrophe perſtringit auctorem ſceleris, dicens:

Thomæ Prioris S. Vict. martyrium.

IX.

Nonnè vox ſanguinis fratris tui clamat adversùm te de terra? Credimus & noſtri Martyris ſpiritum, quem noviſſimè diebus iſtis tua crudelitas morti dedit, cum cæteris animabus interfectorum voce valida ſub altari clamare, & flagitare vindictam, eòque inſtantiùs, quò recentiùs ipſius ſanguis effuſus eſt ſuper terram. Sed numquid ego, inquit, occidi eum? Non utique tu, ſed tui, & propter te. An & per te, videat Deus, & judicet. Si excuſabilis tu es, cujus dentes arma & ſagittæ, cujus lingua gladius acutus: proindè nec Judæi Chriſti de morte culpandi ſunt: quippè & ipſi manus continuere cauti.] Hæc in eum. Pergit verò cauſam illam necis referre his verbis: Ob illicitas exactiones, quas ſibi occaſione Archidiaconatus in presbyteros minimè jam, ut conſueverat, uſurpare liceret, beati utique Thomæ obviante zelo atque induſtria, utpotè juſtitiæ amatoris & defenſoris, oderat illum, & mortem ei jam ipſo odio homicida minitari ſolebat &c.] Per nepotes Archidiaconi hunc eſſe necatum ob tuendam Eccleſiæ juſtitiam & libertatem, pluribus diſſerit & inculcat. De eodem Stephanus ipſe Pariſienſis Epiſcopus hæc

i Apud S. Bern. epiſt. 159.

ad eumdem Innocentium Papam. Vir, (*i*) inquit, religioſus. Prior ſancti Victoris magiſter Thomas in obſequio charitatis, in itinere quod indixerat pietas, in opere ſancto, in Sanctorum comitatu, in Dominico die, certè in ſinu meo, & inter manus meas crudeliter ab impiis pro juſtitia excerebratus eſt, factus obediens uſque ad

A mortem, &c.] Pergit narrare vitæ merita egregia ejuſdem Thomæ, quibus egregia fama vivebat in eccleſia Pariſienſi. Sic igitur hoc ſæculo duo occubuere Thomæ pro Eccleſiæ juribus defendendis, Pariſienſis alter, doctrina inſignis Prior S. Victoris Eccleſiæ Pariſienſis nobile, & perutile membrum, & alter in Anglia Thomas Archiepiſcopus Cantuarienſis, de quo ſuo loco dicendum pluribus (*k*).

k Pet. Clun. l. 3. ep. 17.

X.

Concil. Gallic. adversùs ſacrilegos.

Petrus Cluniacenſis Abbas ſcribens de his, & exclamans pro vindicta ad Innocentium Papam, non Thomam tantum hunc, ſed & ſubdiaconum Aurelianenſem B eadem ex cauſa ab impiis interſectum aſfirmat: additque horum cauſa cæſorum congregatum fuiſſe Concilium Epiſcoporum in Gallia, de quo iſta ipſe: Hac de cauſa, inquit, nuper in partibus noſtris, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, ac multorum religioſorum & ſapientum perſonæ congregatæ ſunt: & Concilio habito, in hujuſmodi ſacrilegos ſeveritatis ſententiam protulerunt. Confirmet ergò, ſi placet, Apoſtolica auctoritas, quod ab eis benè actum eſt: ſuppleat, ſi quid minùs ſeverè decretum eſt, ut & impii debita ultione puniantur, & ab eo- C rum imitatione cæteri deterreantur.] Hæc & alia Petrus ad Innocentium. Sed ad inſtitutum ſatis.

XI.

Hoc eodem anno, magnus ille Apoſtolicus verè Dei miniſter Adalbertus Archiepiſcopus Moguntinus, de quo ſuperiùs magna cum laude ſæpè mentio facta eſt, poſt multa dira & aſpera, quæ eſt paſſus ab Henrico Imperatore, liberatus tandem, ſuos ſubditos, qui ipſi compaſſi erant, ejuſmodi privilegio exhilarandos putavit: ſic ſe habet: (*l*)

l Ex Otton. Friſing. in append. ad Conr. Epiſc.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Amen. Adalbertus Moguntinenſis Ec- D cleſiæ Archiep. & Apoſtol. Sedis Legatus.

Adalbertus Archiepiſc. Mogunt. ſuos ſubditos eximit à tributis.

Quòd hujus mundi curſus & gloria mutabilitati aſſiduæ ſubjecta ſint, multorum exemplo didicimus. Sive proſpera extollatur, vel adverſa deiiciatur, cujuſdam ſapientis conſolatione admonemur, dicentis: quòd viri ſit prudentis privilegium, nil magniducere tranſitorium. Novit ubique tàm præteritorum, quàm præſentium conſcientia, quæ vel quanta in me fecerit Dei miſericordia. Cognoſcat etiam quæſo futurorum per me ſucceſſio, quantos ex alto proſperitate comitentur caſus & dejectio. In medio ete- E nim proſperitatis meæ curſu, Henricus* Quintus, ut noſtris, Imperator, poſt multa beneficia, non niſi propter Romanæ Eccleſiæ obedientiam, carceris etiam mihi captivo tenebras intulit & latibula. Ibi profectò longo moratus tempore primi paſtoris omnium conſolationem: dicentis: Si quid patimini propter juſtitiam, beati, reduxi memoriæ. Memini etiam in mœrore Iſaiam incarceratum, in ſectionem ſerræ ſervatum, Danielem innocentem de lacu leonum liberatum. Denique poſt multas tribulationes contritos corde viſitans ex alto Deus, corda fidelium

* Quartus

Mogun-

A Moguntinenſis metropolis ad hoc permovit, ut ſuum conaretur liberare captivum. Tàm diu itaque Clerus, Comites, liberi cum civibus & familia, præfato Imperatori Henrico inſiſtentes elaboraverunt, donec me tandem, datis obſidibus charis filiis & propinquis, corpore ex toto attenuatum, vix ſemivivum, ſicut fideles filii patrem, in ſua receperunt. Sed quàm cautè, quàm honeſtè, quàm juſtè obſides haberentur, ſine mœrore nemo loqui poterit. Nam alii membris truncati redierunt, alii fami, alii exilio deputati, alii nuditate & corporis ægritudine præoccupati, perierunt. B Hæc & his ſimilia fideles Moguntinenſis civitatis cives pro juſtitia paſſi ſunt. Quæ verò in defenſionem civitatis, ſuique honoris pertulerunt, ſatis omni regno patet.

XII. Mihi igitur cogitanti, quid eorum bonis & tantis recompenſarem meritis; occurrit, ut ſicut ipſi pariter meo communicaverunt labori; ſic omnium aliquid conſerrem honori, & utilitati. Communicato ergò primorum conſilio clericorum, dico Comitum, liberorum, familiæ, & civium, habitantes infra ambitum muri civitatis præfatæ, & manere volentes hoc jure donavi, C ut ad nullius Advocati placita vel exactiones extra murum expeterentur, ſed infrà ſui nativi juris eſſent, ſine exactoris violentia; quia cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, gratis, nullo exigente, perſolverentur.

Ut autem hæc donatio rata & inconvulſa ad poſteros tranſeat, ſigillo noſtro confirmantes, ſubſcriptis teſtibus, ſignari juſſimus. Huic quidem primæ traditioni interfuerunt viri venerabiles, &c.] Sequuntur complurium nomina teſtium, & in fine ſic;

D Facta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo trigeſimo-

* XIII, quinto, Indictione * duodecima, & confirmata regnante domino Lothario Imperatore ejuſdem nominis Tertio, Rege *ſcilicèt*, anno regni ejus nono, Imperii verò ſecundo feliciter, Amen.

XIII. Eodem anno afflicta mirum in modum eſt Campania perſecutione Rogerii Regis Siciliæ. Etenim cùm Robertus Capuæ Princeps Averſam, & alia loca, abſente Rogerio, recepiſſet: redeunte ex Sicilia eodem Rogerio, idem tùm Averſam, tùm alia loca militari potentia recepit, ultuſque in eas quæ ſe Principi Capuano dediſſent, nobilem Averſanam civitatem ſolo æquavit, ac reliqua omnia depopulatus eſt. E Principatu verò ſuo Capuano ſic exutus Robertus, confugit ad Innocentiū Piſis degentem. Tunc Pontifex his auditis, mox adornat legationem honorificam ad Lotharium Imperatorem adversùs Rogeriū, tyrannicè omnia tùm Principum, tùm Eccleſiæ vendicantem. Delecti ſunt ad hoc munus obeundum Gerardus Cardinalis, idem ipſe Princeps Capuanus Robertus, & Richardus germanus Co-

Rogerius perdit & diſſipat Averſam.

Legatio ad Imperat.

A mitis Rainulphi. Qui dignè ab Imperatore excepti, eorumque miſeratus, pollicitus eſt auxilium, eodemque ſe anno venturum in Italiam, ſeque accinxit ad iter, exercitu comparato. Hæc omnia Beneventanum Chronicon hoc anno. Eadem planè Chronicon Caſſinenſium verbis illis: (*a*) Poſt hæc ab Innocentio remorante Piſis, crebris litteris Lotharius monitus, ut Romanum Imperium ab hoſtium jugo defenderet, Eccleſiam concuſſam & laceratam ad unitatem, concordiamq; revocaret; Cæſar clementiſſimus anno Dominicæ Incarnat. milleſimo centeſimo trige- B ſimo quinto, coacto ex omni orbe Romano immenſo exercitu, cum uxore Auguſta intravit Italiam.] Hæc ibi.

a Petr. diacon. Chron. Caſſ. lib. 4. c. 99.

XIV. Tunc & ſanctus Bernardus ad eumdem Imperatorem Lotharium ſcripſit (*b*) epiſtolam, hoc ipſum illi ſuadens, in qua inter alia iſta habet: Animabit inſuper honeſtas cauſæ, immò duplex provocabit neceſſitas;] *admirùm periclitantis Imperii in rebus Italiæ, & periclitantibus rebus Eccleſiæ*, quas idem tyrannus Rogerius invaſerat, Beneventumque ſibi ſubdiderat.] Pergit verò Bernardus: Non eſt meum hortari ad pugnam: eſt tamen (ſecurus dico) C Advocati Eccleſiæ arcere ab Eccleſiæ infeſtatione ſchiſmaticorum rabiem. Eſt Cæſaris propriam vendicare coronam ab uſurpatore Siculo. Ut enim conſtat Judaicam ſobolem Sedem Petri in Chriſti occupaſſe injuriam: ſic proculdubiò omnis qui in Sicilia ſe Regem facit, contradicit Cæſari.] Hæc & alia S. Bernardus. Reliqua autem in ſequentem annum. Sed quod magni fuit momenti, hoc eodem anno reconciliavit idem S. Bernardus Piſanos Imperatori, penes quem calumniis detractorum malè audire cœpiſſent. Qua de cauſa idem S. Bernardus has ad eumdem D Imperatorem pro Piſanis litteras dedit, recitandas à nobis, eò quòd contineant quæ, quantave hoc anno egerint Piſani claſſe adversùs Rogerium tyrannum Siculum. Hoc enim nomine decorare ſemper eumdem Rogerium idem S. Bernardus conſuevit. Epiſtola ſic ſe habet: (*c*)

b Bern. ep. 139.

Excitat S. Bernardus Imp. contra Rogerium.

c Bern. ep. 140.

XV. Miror cujus inſtinctu vel conſilio vigilantiæ veſtræ ſurripi potuerit, ut homines digni certè duplici honore & gratia, contraria à vobis audirent: Piſanos dico, qui primi & ſoli interim adhùc erexere vexillum adversùs invaſores Imperii. E Quàm juſtiùs in eos regia incanduiſſet indignatio, qui populum ſtrenuum & devotum quacumque occaſione offendere auſi ſunt; eo præcipuè tempore, quo accincti in multis millibus ſuis exierant oppugnare tyrannum, ulciſci injuriam domini ſui, & Imperialem defenſare coronam. Ut enim congruentiſſimè aſſignem huic genti, quod olim de ſancto David dicebatur; Quænam quæſo in omnibus civitatibus ſicut Piſa, fidelis egrediens, & regrediens, & pergens ad imperium Regis? Nonne hi ſunt, qui nuper re-

S. Bernardus conciliat Piſanos Lothario Imper.

gni

Piſanorum egregiæ laudes.

gni illum unicũ ac potentiſſimum hoſtem ab obſidione Neapolis fugaverunt? Nonnè hi ſunt, qui etiam (quod pene incredibile dictu eſt) uno impetu ſuo expugnaverunt Amalfiam, & Rebellum, & Scalam, atque Aiſurinam, civitates utique opulentiſſimas & munitiſſimas, omnibusque qui antehac tentaverunt, uſque ad hoc tempus (ut ajunt) inexpugnabiles? Quàm dignum, quàm æquum, quàm plenum ratione & juſtitia fuerat, ut fidelium terra interim ſaltem dum hæc actitarent, ab omni hoſte ſecura conſiſteret, tùm pro præſentia ſummi Pontificis, quem jamdudùm exulem Piſani apud ſe cum ſummo honore ſervabant, & ſervant: tùm pro ſervitio Imperatoria, pro quo & ipſi tunc temporis exulabant? Factum eſt autem per contrarium, ut gratiam qui offenderunt, & qui ſervierunt, iram mererentur. Sed vos fortaſſis adhùc iſta neſciebatis. Oportet ergò nunc, quando res eſt nota vobis, immò & decet & expedit, mutare vos & verbum & animum, ut viri regiis magis favoribus & muneribus honorandi, à veſtra parte de cætero, audiant & recipiant, prout meriti ſunt O quantum meruere Piſani: quantum adhùc mereri poſſunt! Sat eſt dictum ſapienti.] Hucuſque ad Lotharium Imperatorem S. Bernardus.

XVI. Quo pariter anno, nempè anno ſequenti, reditus ab Italia, idem ſcripſit ad Januenſes epiſtolam, dignã tàm ſancto, tàmque mirifico viro à quo ſcripta, & ad quam ſcripta, religioſiſſimã Republicam Januenſium: quam hìc deſcribendam jure putamus, perpetuum monimentum ſummæ gloriæ ejuſdem civitatis. Quòd enim Rogerius Dux Siciliæ (ſic ipſe Bernardus, numquam eum volens vocare Regem, quem ſchiſmaticus Papa tali eſſet dignatus honore) Legatos ad Januenſea miſiſſet cum muneribus: timens ne fidelis populus dolo ſchiſmatici Principis à rectitudine abduceretur in præceps; his eos voluit litteris admonuiſſe, quæ ſic ſe habent: (*a*)

a Id. ep. 129.

Januenſibus ſuis Conſulibus cum Conſiliariis & civibus univerſis Bernardus Abbas dictus de Claravalle, pacem & ſalutem & vitam æternam.

Epiſtola S. Bernardi ad Januenſes.

Quòd adventus noſter ad vos anno præterito non fuerit otioſus, Eccleſia paulò pòſt in ſua neceſſitate probavit, à qua & miſſi fueramus. Honorificè nos & ſuſcepiſtis, & tenuiſtis exiguum, quod apud vos fuimus, & quidem dignè vobis, ſed ſupra noſtræ humilitatis modum. Profectò ut non immemores, ſic non ingrati ſumus. Vicem rependat qui poteſt, & qui in cauſa fuit Deus. Nos enim unde illum recompenſemus venerationis cultum, ſed obſequium, ſed affectum plenum amoris & gratiæ? Non quòd noſtro delectemur favore, ſed veſtræ devotioni collætamur. O mihi dies illos feſtivos, ſed paucos! In æternum non obliviſcar tui, plebs devota, honorabilis gens, civitas illuſtris. Veſperè & mane & meridie (more utique Prophetæ) (*b*) narrabam, & annuntiabam; & erat tanta audiendi aviditas, quanta & audientium charitas. Portabamus verbum pacis; cùmque inveniſſemus filios pacis, requievit ſuper eos pax noſtra. Exieram planè ſeminare ſemen non meum ſed Dei, & cadens in terram bonam ſemen bonum, fructum fecit centuplum & tempeſtivum. Mira celeritas, quia magna neceſſitas. Nec tarditatem paſſus ſum, nec difficultatem, unà penè die & ſerens & metens, & reportans cum exultatione manipulos pacis. Hæc quippè meſſis, quam meſſui. Exulibus, captivis, compeditis, & carceratis evadendi atque repatriandi lætam reportavimus ſpem, metum hoſtibus, confuſionem ſchiſmaticis, gloriam Eccleſiæ, Orbi lætitiam. Et nunc quid reſtat, chariſſimi, niſi ut admoneamini de perſeverantia, quæ ſola meretur viris gloriam, coronam virtutibus? Prorsùs abſque perſeverantia, nec qui pugnat victoriam, nec victor palmam conſequitur. Vigor virium, virtutum conſummatio eſt, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium: ſoror eſt patientiæ, conſtantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unanimitatis vinculum, propugnaculum ſanctitatis. Tolle perſeverantiam, nec obſequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Denique non qui cœperit, ſed qui (*c*) perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit. Saul cùm eſſet parvulus in oculis ſuis, Rex (*d*) eſt ſuper Iſrael conſtitutus: non perſeverans in humilitate, & regnum amiſit, & vitam. Si cautela Samſon, ſi Salomonis devotio perſeverantiam retinuiſſent: nec is profectò privaretur ſapientia, nec ille viribus. Hoc ſummæ honeſtatis inſigne, hanc totius probitatis unicam fidamque cuſtodem cuſtodiri à vobis firmiter, hortor & precor. Cuſtodite diligenter, quod libenter audiſtis. Memento ſcriptum, (e) quia metuebat Herodes Joannem, & libenter eum audiebat. Sed beatus foret, ſi audita libenter æquè ſervaſſet. Denique non qui audiunt, ſed beati, inquit, qui (*f*) audiunt & cuſtodiunt verbum Dei. Servate proindè vos pacem fratribus veſtris Piſanis, fidem domino Papæ, fidelitatem Regi, vobis honorem. Hoc enim expedit, hoc decet, hoc juſtitia requirit.

b Pſal. 54.

Hortatur ad perſeverantiã.

c Matt. 10.

d 1. Reg. 15.

e Marc. 6.

f Luc. 11.

XVII. *Ut caveat à Rogerio Duce Siciliæ.*

Audivimus veniſſe ad vos Nuntios Ducis Rogerii: quid attulerint, quidve retulerint, nos neſcimus. Verùm ego juxta illud Poetæ (ut verum fatear) ſemper timui Danaos, & dona ferentes. Si quis fortè in vobis (quod Deus avertat) rem tàm fœdam committere deprehendatur, extendere videlicet manum ad turpe lucrum: hunc protinùs notate, & judicate hoſtem nominis veſtri, civium proditorem, ac venditorem communis honoris & honeſtatis. Si quis item ſuſurro in populo, diaboli ſibi aſſumens vicem, jurgia ſeminare, & pacem turbare velle reperiatur, quemadmodùm ille diſcordiæ ſemper

per

per eſt amator & auctor: huic rigidæ cenſuræ remedio citius obvietur, eo quippè peſſimæ, quo intimæ peſti. Hoſtilis exercitus vaſtat agros dumosque ſpoliat: prava autem conſilia corrumpunt bonos mores, & modicum fermentum totam maſſam corrumpit. Serite, plantate, negotiamini, ut antiqua mala non ſolùm non iteretis, ſed etiam de juſtis laboribus veſtris expiare & delere poſſitis; ſcriptum quippè eſt;
a Prov. 13. (a) Redemptio animæ viri propriæ divi-
b Luc. 11. tiæ. Et rurſùm: Date (b) eleemoſynam, & omnia munda ſunt vobis. Quòd ſi militare placet, & veſtræ fortitudinis ac ſtrenuitatis iterùm experiri vires, arma probare delectat: non equidem id præſumendum adversùs vicinos & amicos: cùm magis Eccleſiæ inimicos expugnare deceret, ſed & regni veſtri invaſam à Siculis defenſare coronam. Super illos ſanè & honeſtiùs acquireris, & juſtiùs poſſidebitis acquiſita. Deus pacis & dilectionis maneat ſemper cum omnibus vobis. Amen.] Hactenùs ſanctus Bernardus ad Januenſes.

XVIII. Eodem anno Adalberto Archiepiſcopus Trevirenſis mittit Legatum ad Innocentium Papam Archidiaconum Tullenſem,
c Apud S. Bern. epiſt. 176. cui ad ipſum litteras (c) dedit, quibus eum ea jactura Beneventi atque Capuæ facta per Rogerium (ut dictum eſt in fine anni ſuperioris) nonnihil animo conſter-
Archiep. Trevirenſ. conſolatio ad Innoc. natum corroborat. Inter alia autem hæc habet: Porrò noſtram Citramontanam Eccleſiam tàm in noſtro, quàm in Francorum regno noveritis fortem in fide, pacificam in unitate, devotam in veſtra obedientia, promptam ad ſervitium. Nequaquàm nos Beneventi, non Capuæ, non ipſius Romæ terret (Deo ſic judicante) amiſſio, ſcientes Eccleſiæ ſtatum non armis æſtimari, ſed meritis. Ipſius quippè, non alterius agnoſcimus voces illas in
d Pſal. 26. Pſalmo: (d) Si conſiſtant adversùm me caſtra non timebit cor meum: ſi ex[illegible] adversùm me prœlium, in hoc e[illegible] Propterea & nos, quia de Ec[illegible] non timebimus dum turba[illegible] transferentur montes [illegible] rietur tyrannus Siculus, [illegible] glorietur in malitia, quò[illegible] quitate: noſtra autem vir[illegible] te perficitur. Eccleſia quan[illegible]
e 2. Cor. 12. (e) Pauli magiſterio didicit [illegible]
f Prov. 1. Didicit è regione & à Salomon[illegible] proſperitas ſtultorum occidit eos [illegible]
g Job 5. cit (g) & ſtultum firma radice cùm [illegible] derit, ſtatim maledicere pulchritudini ejus. Ideò cum ſancto David ſeſe in utroque conſolatur, & hoſtium videlicèt caſu, &
h Pſal. 19. liberatione ſui. Ait ſiquidem: (h) Hi in curribus, & in equis: nos autem in nomine Domini Dei noſtri invocabimus. Ipſi obligati ſunt, & ceciderunt: nos autem ſurreximus & erecti ſumus. Hæc pauca vobis conſolandi gratia, de quibus certus ſui, fideli atteſtatione intimandum eſſe putavi, ad revelandam vel ex aliqua parte eam, quæ viſcera veſtra inceſ-

A ſanter affligit ſollicitudo omnium Eccleſiarum. Hoc quoque addo dominum Regem, *nempè Lotharium*, Deo eum confortante, fervere, & accingi ad liberatio- De præparatione Lotharii.
nem Eccleſiæ, & parare ſibi exercitum multum nimis. Nos quoque fideliter ad hoc ipſum pro viribus laborare, exhortari, & ſollicitare quos poſſumus. Et cùm tempus advenerit, non expenſis, non perſonæ propriæ parciturum.] Hæc Archiepiſcopus Trevirenſis ad Innocentium Papam.

XIX. Quod autem contigiſſet ſurreptione malorum ipſum decipi Innocentium, ut
B præter jus faſque è manibus ejus reſcriptum eliceretur adversùs optimè judicata per eumdem Trevirenſem Archiepiſcopum: ſanctus Bernardus ea, qua dono Spiritus dicendi libertate imbutus erat, ad eumdem Innocentium Papam pro eo litteras dedit, in quibus inter alia hæc habet de ira Dei, ſuper Romanam Eccleſiam ob injuſtitiaa vigilante; ait enim: S. Bernardus juſtè redarguit Innoc. Pap.
i Bern. ep. 178. (i) Pro his ac ſimilibua necdum avertitur furor Domini, ſed adhùc brachium ejus
k Jerem. 1. extentum, & virga illa apud (k) Ieremiam vigilans ſuper peccata noſtra. Et quidem iratus eſt Deus ſchiſmaticis, ſed Catho-
C licis nequaquàm propitius, &c.] Recenſet plura quæ indigerent in Galliis correctione, rurſumque additis ad iſtas aliis litteris hæc ait obſervatione digna de revocandis judiciis perperam factis & reſcriptis ſurreptione emiſſis: (l) Hoc,
l Bern. ep. 180. inquit, ſolet habere præcipuum Apoſtolica Sedes, ut non pigeat revocare, quod à ſe fortè deprehenderit fraude elicitum, non veritate promeritum. Rea plena æquitate & laude digna, ut de mendacio nemo lucretur, præſertim apud ſanctam & ſummam Sedem.] Iſta Bernardus quàm ſapientiſſimè.

XX. D Eodem anno, Kalendis Decembris Henricus Angliæ Rex, ubi regnaſſet annis trigintaquinque & menſibus quatuor minus diebus quatuor, ex hac vita mi-
m Vvillel. Malmesb. hiſt. novel. lib. 1. gravit. Ita Vvilelmus (m) Malmesburienſis, idemque recitat ſcriptam de obitu ejus epiſtolam Archiepiſcopi Rothomagenſis ad Innocentium Papam his verbis;

Domino & patri ſuo Innocentio Papæ ſervus Hugo Rothomagenſis ſacerdos obedientiæ debitum.

De obitu Henrici Angl. epiſt.
De domino meo Rege non ſine dolore memorando piæ paternitati veſtræ noti-
E ficandum duximus, quia ſubita præventus ægritudine, nos, miſſis quàm citiſſimè Legatis ſuis, ægritudinis ſuæ ſolatiis voluit intereſſe. Venimus ad ipſum, & cum ipſo plenum mœroribus confecimus triduum. Prout ei dicebamus, ipſe ore proprio ſua fatebatur peccata, & manu propria pectus ſuum percutiebat, & malam voluntatem dimittebat. Conſilio Dei & noſtro & Epiſcoporum emendationem vitæ ſuæ obſervaturum ſeſe promittebat. Sub iſta promiſſione pro noſtro officio, tertio eum, & per triduum abſolvimus.

vimus. Crucem Domini adoravit; Corpus & Sanguinem Domini devotè ſuſcepit; eleemoſynam ſuam diſpoſuit, ita dicendo: Solvantur debita mea, reddantur liberationes, & ſolidatæ, quæ debeo: reliqua indigentibus diſtribuantur. Utinam ſic feciſſent, qui theſauros ejus tenebant & tenent. Tandem illi auctoritatem de unctione infirmorum, quam Eccleſia à beato Jacobo Apoſtolo ſuſcepit, ſtudioſè propoſuimus, & ipſius pia petitione oleo ſancto eum inunximus: ſic in pace quievit. Pacem det ei Deus, quia pacem dilexit.] Hactenùs Rothomagenſis Archiepiſcopus ad Innocentium Papam.

XXI. Suſcepit regnum nepos ejus Stephanus favore & auxilio Henrici fratris ſui Vvintonienſis Epiſcopi, Apoſtolicæ Sedis Legati in Anglia: ſpe, inquit auctor, captus ampliſſima, quòd Stephanus avi ſui Vvillelmi in regni moderamine mores ſervaret, præcipuèque in Eccleſiaſtici vigoris diſciplina. Quapropter diſtricto ſacramento, quod à Stephano Vvillelmus Cantuarię Archiepiſcopus exegit de libertate reddenda Eccleſiæ & conſervanda, Epiſcopus Vvintonienſis ſe mediatorem & vadem appoſuit.] Juramentum eſt hujuſmodi tempore coronationis, quæ facta eſt xi. Kal. Januarii.

Stephani Regis Angliæ juramentum. Ego Stephanus Dei gratia, aſſenſu Cleri & populi in Regem Angliæ electus, & à Domino Vvillelmo Archiepiſcopo Cantuariæ, & ſanctæ Eccleſiæ Romanæ Legato conſecratus, & ab Innocentio ſanctæ Sedis Romanæ Pontifice poſtmodùm confirmatus, reſpectu & amore Dei ſanctam Eccleſiam liberam eſſe concedo, & debitam reverentiam illi confirmo. Nihil me in Eccleſia, vel in rebus Eccleſiaſticis ſimoniacè acturum, vel permiſſurum eſſe promitto. Eccleſiaſticarum perſonarum, & omnium clericorum, & rerum eorum juſtitiam & poteſtatem, & diſtributionem bonorum Eccleſiaſticorũ in manu Epiſcoporum eſſe perhibeo & confirmo. Dignitates Eccleſiarum privilegiis earum confirmatas, & conſuetudine earum antiquo tempore habitas inviolatè manere concedo & ſtatuo. Omnes Eccleſiarum poſſeſſiones & tenutas, quas die illa habuerant, qua Vvillelmus Rex avus meus fuit vivus & mortuus, ſine omnium calumniantium reclamatione eis liberas & abſolutas eſſe

A concedo. Si quid verò de habitis aut poſſeſſis ante mortem Regis, quibus modò careat, Eccleſia deinceps repetierit, indulgentiæ & diſpenſationi meæ vel diſcutiendum vel reſtituendum reſervo. Quæcumque verò poſt mortem Regis liberalitate Regum, largitione Principum, oblatione vel comparatione, vel qualibet tranſmutatione Fidelium collata ſunt, confirmo pacem me & juſtitiam in omnibus facturum, & pro meo conſervaturum promitto. Foreſtas, quas Vvillelmus Rex avus meus, & Vvillelmus II. avunculus meus inſtituerunt, & tenuerunt, mihi reſer-

B vo. Cæteras omnes, quas Henricus Rex ſuperaddidit Eccleſiis & regno, quietas reddo & concedo. Si quis autem Epiſcopus, vel Abbas, vel alia Eccleſiaſtica perſona ante mortem ſuam rationabiliter ſua diſtribuerit, vel diſtribuenda ſtatuerit, firmum manere concedo. Si verò morte præoccupatus fuerit, pro ſalute animæ ejus Eccleſiæ conſilio eadem fiat diſtributio. Dum verò ſedes propriis fuerint paſtoribus vacuæ, & ipſæ & omnes earum poſſeſſiones in manu & cuſtodia clericorum, vel proborum hominum ejuſdem Eccleſiæ committantur, donec

C paſtor canonicè ſubſtituatur. Omnes exactiones & meſcheningas, injuſtitias, ſive per Vicecomites, vel per alios quoslibet malè inductas funditùs extirpo. Bonas leges & antiquas & juſtas conſuetudines in murdris & placitis & aliis cauſis obſervabo, & obſervari pręcipio & conſtituo. Apud Oxeneford, anno Incarnat. Domini milleſimo centeſimo trigeſimoſexto, regni mei primo.] Ita qui à die Incarnationis Domini, & non à Kalend. Januarii annum numerare incipiebat. Porrò quæ ſcriptis præſtitit Rex, factis tranſgreſſus eſt, involvens ſe perjuriis. Quod auctor malis

D Conſiliariis ejus adſcribit.

Quòd autem in hoc à ſe præſtito juramento teſtetur regnum Anglorum ipſi eſſe confirmatum ab Innocentio Papa: id ſcias ea de cauſa dictum, quòd idem regnum eſſet feudatarium Romani Pontificis, adeò ut quilibet novus Rex acciperet confirmationem ab eodem Romano Pontifice. Teſtatur id etiam ſuis litteris Henricus Secundus, de quibus ſuo loco dicemus. Regnum Anglorum feudatariũ Romanæ Eccl.

E

JESU CHRISTI ANNUS 1136. INNOCENTII PAP. II. ANNUS 7. LOTHARII II. IMP. 4. JOANNIS COMNENI IMP. 18.

I. Rogerius Tyrannus per Cancellarium ſubigere ſtudet Monaſt. Caſſin. Milleſimus centeſimus trigeſimusſextus agitur Redemptoris annus, Indictione decimaquarta, quo Imperator cùm in Italiam deſcendiſſet, occupationibus Longohardiæ detinetur, quò minùs concitato adventu ſe conferret pugnaturus adversùs Rogerium, qui Apuliam atque Campaniã totam excepta Neapoli occupaverat, quamvis aſſiduis legationibus Innocentii Papæ, & Principis Capuæ, & aliorum mirum in modum urgeretur. Quod tamen nonniſi anno ſequenti præſtandi habuit facultate. Hæc omnia pluribus Chronicon Beneventanum ſimul & Caſſinenſe. Reliquerat Rogerius Rex Siciliæ Guarinum Cancellarium, qui licèt confœderatis ejus, negotium faceſſivit monachis Caſſinatibus. Iſti enim haud ex pruden-

tia,

Digitized by Google

a *Baruc.* 3. A tis, quæ ex Deo eſt, ſed quæ de terra, (*a*) in gratiam ejuſdem Rogerii ſecuti fuerant unà cum ipſo in ſchiſmate partes Anacleti pſeudopontificis, qnod ita benè conſultum putarent rebus monaſterii Caſſinatis, longè lateque per diverſas provincias Rogerio ſubditas conſtitutis. Sed Rogerius more tyrannorum, qui confœderatis benè utuntur, quouſque rem ſuam agunt, inda verò ut ſoli regnent, eos de medio tollunt: ad occupandum jurique ſuo ſubiiciendum monaſterium Caſſinenſi adjecit animum: At ne id tyrannicè facere videretur, ſe abſente (quod tyrannorum eſt) per miniſtrum ſuum perfici doloſè curavit. B Quid igitur ejus Cancellarius Gnarinus Capuæ reſidens egerit, audi ex Petro Caſſinenſe (*b*) diacono qui aderat, in Appendice ad Leonem Oſtienſem rem geſtam ita narrante:

b *Pet. diacon. Chron. Caſs. lib.* 4. *c.* 100.

II. Advocat fruſtra Abbatem Cãcellarius.

* deeſt ſ. Notario.

Inter hæc Regis Cancellarius, Guarinus nomine, qui tùm Capuæ præerat, *mandat, Abbatem uti ad ſe advocer, utque capiat venientem. Erat tunc Abbas Caſſinenſis nomine Senioretus. Abbas ire illùc jam exploratis inſidiis nolnit. Cancellarius commotus mandat dennò Abbati, ut ſibi Capuam pergenti feſtinus occurrat, ut unà de regni negotii tractetur. Abbas tunc gravi morbo laborans diſtulit; C duos tamen Fratres ante Nativitatem Domini Cancellario Beneventi conſtituto direxit, morbi aperiens cauſam. Tunc ille imperat, nt poſt peractam feſtivitatem ad ſe Capuam pergat, alioquin ipſe ad illum iret. In feſto autem S. Joannis Evangeliſtæ reverſi Fratres: quid itinere toto didicerant, pandnnt: Abbatem ſi eò pergat, capiendum. Abbas morbum itidem ſimulat. Cancellarins aſſumpto ſecum novo Electo Capuano, Caſſinum (ut diſpoſuerat) venit, Aquinenſis intercà Electus diaboli ſtimulis incitatus, Cancellario mandat, Caſſinenſem D Abbatem ad Imperatorem, Innocentiumq; ſuſcipiendos ſe præparare: ejus rei ut periculum faciat, Caſſinenſe ab eo monaſterinm petat. Videat quæ mandat, vera eſse non dubitet. Tabellarius Abbati omnia pandit, epiſtolam tradit. Abbas ea reſignata, vera eſse quæ ille diserat, reperit. Cancellario itaque apud S. Germanum Electus *Aquinenſis* occurrit. Abbati mandant, omni mora poſtpoſita, uti ad illos ob regni negotia ſimul tractanda deſcendat. Ille morbi canſam iterùm allegat. Miſſis tamen ſenioribus monaſterii, Aquinenſis Electi falſiſſimam calumniam juſtè redarguit & E confutavit. Cùm id Electus negaret, oſtendunt epiſtolam, patefaciunt indices. Confuſus ille, quid ad bæc reſponderet, ignorabat.

III. Dolo agit Rogerii Cancellarius.

Cœperunt his omiſſis, remiſsa ſimulatè ira, Caſſinenſes blandè alloqui, nihil ex his quæ ſibi dicta fuerant, credere, idque ſacramento firmare, Caſſinenſium fidem Regi, ſibique jam pridam exploratam eſse. Sed paulò pòſt quid animi habuerint, pandunt, dum apprehenſum tabellarium ſuppliciis gravibus excruciatum, privant luminibus. Electus *Aquinenſis* metu perterritus, & A civium minas expaveſcens, deducente ſe Canzolino, Aquinnm redit. Die altera, in ipſis Epiphaniæ Vigiliis aſcendentes ad monaſterium, poſt ſalutationem, verbis plurimis ultrò citroque habitis, remotis arbitris, cęperunt cum ſolo Abbate de monaſterii deditione agere; ſibique in præſentiarum tradi, inaudita temeritate depoſcere, ipſum, cum quibus vellet ex Fratribus, ſublato monaſterii theſauro cunctaque ſnpellectili ad arcem Bantram migrare jubebant, reliquos Fratres per cellas monaſterii hùc illùcque pergere; quatuor ſacerdotibus cum quatuor monachis, qui ad patris B Benedicti corpus officia ſacra peragerent, illic remanentibus: aſſerentes ſe monaſterio, regnoque conſulere: quippè fore ut Imperator & Pontifes comperto ex fama theſauro monaſterii, & ipſum ſpolient, & regnnm ea commoditate depellant. Sed ficta iſta erant, falſa, atque fucata. Namque illum, *theſaurum ſcilicèt*, inter eundem comprehendere, cunctaque diripere machinabantur.

IV. Quid ſtatuant Caſſin. Monachi in Anguſtia poſiti.

Accepta tàm injuſta nefariaque juſſione Abbas, id ſe, abſque Fratrum conſenſu facere poſſe abnegat. Tũ regreſſus Abbas ſeniores monaſterii convocaa, verba Cancel- C larii aperit: quid cuique videatur, interrogat. Omnium una ſententia fuit, Caſſinenſe cœnobium nulla omninò ratione, nullo pacto tradendum. Mori ſe malle, quàm Caſſinenſe monaſterium in jus poteſtatemque laicorum venire permitterent; extrema paratos eſſe experiri potius, quàm caput monaſticæ religionis adeò miſerabili conditioni ulterà ſubditum cernere. Id enim ſi duraret incolume, facilè ſalutem membra ſperarent; ſin verò id periret, omnia ſimul membra peritura. Hac deliberatione facta, inducto rursùs Cancellario cum Canzolino: Abbas nihil ea de re definiri poſſe aſſe- D ruit, pro rei novitate & magnitudine inducias petiit, dum omnes ipſius Congregationis Fratres convenirent, ſicque ſimul quid facto opus eſſet, deliberarent. Cancellarius amaritudinis felle commotus, nullam ſe deliberationi moram, nullas inducias dare, ſed ex Regia parte, ut quid ſtatuiſſent, reſponderent, Imperatorique dicerent. Tum Abbas percontari pergit hujuſce juſſionis regiæ cauſam. Ille protinùs ſimulatam edicit cauſam: ſe os eſſe & linguam Regis, illum per ſe loqui, & ſua jura diſponere. Scire ſe Lotharium cum Papa venturum. Explorare in hoc velle fidem ad E Regem, conſtantiamque monachorum. Ad hæc Abbas, paratos ſe eſſe omnia ſubire pro Rege pericula, monaſterium adversùs Regis adverſarios tueri. Cùm Cancellarius inquireret commoto felle, quo illud pacto contra Imperatorem defenſuri eſſent: audivit fortiores ex monaſterii fidelibus vocandos, & niſi ſufficerent, regios milites, ſicque Regem nulla Caſſinenſis monaſterii cauſa incommoda eſſe paſſurum. Exclamat indignans Cancellarins: En quibus defenſoribus putat ſe Caſſinenſis Abbas Imperatori obſiſtere: infidis, perjuris, & qui num-

A numquam beato Benedicto ſervavere fidem, qui Brunonem, Oderiſium, & Nicolaum Abbates expulerunt: qui Caſſinenſe cœnobium contra jus omne ceperunt: qui caſtrum Janulæ deſtruxerunt, contradicenteſque monachos ante B. Benedicti altare percuſſerunt. His dictis, cœpit & Abbatem conviciis urgere, monachos & laicos injuriis ac probris afficere, fallaces, perfidoſque appellare.

V. Tacentibus omnibus, diſceſſit tandem iratus ac tumidus, mandans ut ipſi deliberarent, ſibique reſponderent. Eo recedente, omnes in unum majores cum Abbate conveniunt, cauſam inter ſe conferunt, B trahuntque longa ſuſpiria. Ignorabant penè quid mallent, vivere an mori, atque inter anguſtias dicebant: Si monaſterium laicis damus: incurrimus animæ corporiſque diſcrimen; ſi non damus, non effugimus manus illorum. Sed melius eſt nobis incidere in manus hominum, quàm derelinquere legem Domini Dei noſtri, &

a 1. Macb. 3. (*a*) videre mala gentis noſtræ & Sanctorum.] Hic recordari oportuit malorum horum omnium cauſam præcipuam, ut filios

b Gen. 42. (*b*) Jacob, nimirùm hæc eos meritò pati, Ingens afflictio Caſſin. Monachorum. quòd peccaſſent in Innocentium legitimum Romanæ Eccleſiæ Pontificem, quem C in Rogerii gratia abjeciſſent, recepiſſentque ejus amore Anacletum pſeudopontificem, cujus gratiam interea per Lotharium Imperatorem conſequi poſſe ſperarent. Pergit verò auctor: Quæ dum ad cæterorum quoque perveniſſent notitiam: contritum eſt cor illorum; & extemplo contenebrati ſunt omnium oculi. Et verè tunc dies feſti in luctum converſi ſunt, & cantica in lamentationem. Hæc tandem omnium ſententia fuit, iſte conſenſus, vitam potiùs fundendam eſſe, quàm monaſterium laicis dandum. Placuit autem omnibus, Fratres ad Cancellarium mitti, D induciaſque poſtulate precibus, donec de tanto negotio conſultaturi conveniant. Animadverſum eſt à Fratribus, Cancellarium acceſſiſſe ad dormitorium, altitudinemque parietis menſum eſse, ut ſcalas parare idoneas poſset.

VI. Quāta mala intulerit Rogerius Caſſinatibus. Eo etiam tempore, dum Frater quidam Joannes nomine, naturæ debitum ſolveret, ac ſine motu & voce jamdiu jacuiſſet: ſubitò in ſe reverſus, vidiſse ſe, retulit, Benedictum patrem cum monachorum multitudine in Eccleſia ſtantem, Rogeriumque Regem Eccleſiam ingredientem, E omnemque Eccleſiæ Caſſinenſis theſaurum aſportantem: & cùm ad gradus majoris Eccleſiæ perveniſset, monachos illos impetu facto, illum enecaſse. Iſta cùm dixiſſet, adjecit vera eſſe: ſcietiſque dum mox ex hac luce migravero, eſſe ventura. Hæc ille tunc: nos omnia jam eveniſse perſpicimus. Omnis enim fermè theſaurus Eccleſiæ Rogerii factione ſublatus eſt. Facta ſunt iſta in Vigilia Epiphaniæ.

a Petr. diacon. Chron. Caſſ. lib. 4. c. 101. (*c*) Poſt hæc ſtatuit Abbas duodecim ex ſenioribus monachis, qui nudis pedibus ad Cancellarium pergerent, qui apud S. Germanum A cum Electo Capuano morabatur, inducias ad conſultandum de tanto negotio pòſcerent, ut reſpondere illi maturiùs poſsent. Illo autem abeunte, omnis Congregatio uſque ad monaſterii januam cum gemitu & luctu ſubſecuta eſt. Fratribus autem in Eccleſiam redeuntibus, quantæ illic lacrymæ ſuſæ ſint, referre quis poſſit? Omnes quippè proſtrati humi, tundentes in pavimento capita, miſericordiam Domini cum luctu cordiſque gemitibus implorabant, ut locum iſtum reſpicere ac tueri dignaretur. Inde ad patrem Benedictum converſi, quaſi præſentem cernerent, B dicebant: Eja Pater honeſtiſſime atque ſanctiſſime, tu præſentiorem te diſcipulis fore poſt carnis exceſsum, quàm ſi viveres, pollicitus es. Adeſto igitur nobis (per Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum te adjuramus) protege alumnos tuos, & locum iſtum ab omni adverſitate defende.

VII. Agunt precibus apud Deum Caſſinates. Poſt hæc ſumpto Crucis vivificæ ligno, & brachio S. Evangeliſtæ Matthæi, ſanctique Confeſsoris Chriſti Mauri, Fratres Litanias agere per monaſterii Eccleſias cœperunt. Cùmque in Eccleſia B Martini vota Domino perſolverent ſupplicationis, & laudis finitis ſuffragiis, egreſſi ad Eccleſiam S. protomartyris Stephani C divertetent, & dum ad aperiendas baſilicæ januas unus ex Fratribus præceſſiſset: invenit eas clavibus obſeratas. Frater enim, qui eamdem tenebat Eccleſiam, unus erat ex duodecim, qui ad Cancellarium ierant. Reverſus qui præceſserat Frater, denuntiat januas Eccleſiæ clauſas, primoſque redire admonebat. Alii rursùs atque alii currentes, januas clauſas repererunt, Fratribuſque renuntiare ſtuduerunt. Frater autem, qui crucem bajulabat, hortatus Fratres, ad januas contendit Eccleſiæ; moxque tactis leviter feris, divinitùs apertæ ſunt. D Recreati aliquantulùm Fratres, Deo gratias egetunt, ibique cum omni devotione & contritioue cordis, peractis Litaniæ ſuffragiis, ad patris Benedicti Eccleſiam reverſi ſunt, ſicque ipſius diei Miſsam cum gemitu & luctu peregerunt.] At dicet aliquis: Si ſchiſmatici erant hi, quomodo miraculo illo apertæ ſunt eis ſpontaneè fores Eccleſiæ? Dicam breviter, non ſimul ac Abbas vel Epiſcopus aliquis ſchiſmaticus eſt, neceſse eſt omnes ſibi ſubditos pariter eſse ſchiſmaticos, ſed illos tantùm, qui certò ſciunt ſuum errare Præſulem; cæteros autem non peccare, qui perſuaſibilibus rationibus E putant ipſum recta incedere via, & ſe verum ſequi paſtorem: nec tanta ineſt ipſis doctrina, vel adeò explorata rerum geſtarū cognitio, nec facultas exquirendi, cujus potiora ſint jura, hoſque ſuo ipſorum bona conſcientia reddi crimine liberos. Sicut & tunc eveniſse putamus, nimirùm, quòd etſi Abbas & ex præfectis aliquis apud Deum & ejus Eccleſiam rei fuerint patrati ſceleris, ſimpliciores tamen his ſubditi bona fide, & conſcientia pura cuncta gerentes, divinis tantùm rebus vacantes, omnis curioſitatis expertes, nullo modo (ut canones docent)

Digitized by Google

docent) rei fuerint tantī criminis: quorum numerum haud exiguum fuiſſe, jure poſſumus exiſtimare. Sed pergamus ad finem uſque inchoatam ſemel hiſtoriam de rebus geſtis per Cancellarium recenſere:

VIII. Cancellarius comperto quòd Fratres cum brachio B. Mauri per Sanctorum Eccleſias pergentes, omnipotentis Dei clementiam exorarent: elatus ſuperbia, multùm contra monachos fremens, minari cœpit, inciſurum ſe illis & nares & labrum, veſteſque medias uſque ad nates. Sicque (a) alter Rabaſces, ſive Nicanor blaſphemiæ (b) verba in Deum & Sanctos ejus vomens; caſſam fore ſpem, quam in beatis Benedicto & Mauro habebant, aſſerebat, perniciemque illis potiùs, quàm ſalutem allaturam. Poſt hæc vehementi indignatione concitatus, litteras omnibus per Campaniam, Samnium, Apuliam, Lucaniam, atque Calabriam ſcripſit, mandans, ut ad capiendum Caſſinenſe monaſterium quamprimùm variis inſtructi telis & machinis pergerent.] Et (c) inferiùs de niſibus Cancellarii: Omnes, inquit, dehinc cellæ monaſterii per Apuliam, Campaniam, Picenum, Samnium, Lucaniam, atque Calabriam captæ, & à noſtro jure ſubductæ ſunt.] Ecce (d) quomodò pondus & ſtatera judicia Domini ſunt. Qui enim ne iſta perderent, ſed defenſorem horum haberent tyrannum Siculum, delegerunt potiùs ab Eccleſia Catholica dividi, & inhærere ſchiſmatico Papæ: factum eſt, ulciſcente numine, ut ab eodem Rogerio talia tantaque paſſi ſint (ſiquidem abſtulit ipſe iſta omnia ipſis) ſed & ab eo privandi inſuper monaſterio Caſſinenſi, in tot ac tantas anguſtias (quas audiſti) conjecti fuerint.

a 4. *Reg.* 18.
b 1. *Mach.* 7.
Cancellarius ablaris bonis parat expugnare Caſſinum.
c *Petr. diacon. Chron. Caſſ. lib.* 4. c. 102. *in fi.*
d *Prov.* 16.

IX. At Deus licèt offenſus horum ducibus, prudentia quæ de terra eſt rem agentibus, attendens preces humilium ac Innocentium monachorum, & provocatus ſuperbia novi Sennacherib, in ejus ultionem exurgens, percuſſit eum morte, & perpetuis inferni cruciatibus condemnavit. Quod ſeverum judicium voluit haud dubiis ſignis fieri manifeſtum. Sed audi primum de morte Notarii ipſius, inde ſua: Abbas verò explorato Cancellarii conſilio de ſe perdendo, & capiendo monaſterio: Legatis ad Landulphum (erat hic Comes Aquinas) Imperatoris miſſis rogat, ut monaſterium tueatur. Noctu hæc omnia peracta ſunt, factiſque utraque ex parte juramentis, die tertia poſt Epiphaniæ ſolemnitatem inducti in monaſterium Pandulphi milites, munitioneſque illis traditæ ſunt. Poſtmodùm Landulphus adveniens, Abbati ac Fratribus conſtantiam agens, inimicis maximum injecit metum. Cancellarius enim cognito Landulphi adventu, Aquinum deſerens, Lirimque fluvium tranſiens Minianum perrexit, ibique morbo acerrimo vexatus, Notario juſſit, ut per omne Rogerii ſcriberet regnum, ut ad capiendum monaſterium cuncti conveniant. Quod ille dum implere ſatageret, ſubita morte defungitur.] Hæc de morte Notarii, ac de Cancellarii ſic inferiùs: Cancellarius verò, qui tanti mali caput atque auctor fuit, decimoſeptimo die poſtquàm hùc venerat, apud Salernum moriens, clamabat: Benedicte & Maure, cur me occiditis? Iſtaque crebrò repetens, vita exceſſit.] Sed poſt mortem judicium, ait Apoſtolus. At quodnam audi: (e)

Divina ultio in notariū Cancellarii.
e *Petr. diacon. Chron. Caſſ. lib.* 4. c. 103.

X. Eo etiam tempore (addit Petrus) Frater quidam, Creſcentius nomine, natione Romanus, vidit per viſum lacum nimiæ magnitudinis, igneique coloris, cujus undæ ad excelſa ferri videbantur. Inter eas undas vidit ipſius Cancellarii animam in aeris alta levari, ac poſtmodùm ad ima demergi. Duo juxta lacum aſſiſtebant monachi, qui, cujus eſſet illa anima, interrogare cœperunt. Sed Frater ſe neſcire profeſſus eſt. Ad quem is qui erat ſenior: Hæc, inquit, anima eſt Guarini Cancellarii, qui quoniam Caſſinenſi monaſterio infeſtus fuit, hæc talia patitur. Interrogatus à Fratre, quiſnam eſſet: ego, inquit, ſum Frater Benedictus. Evigilans autem Frater, quòd vidit, recitavit.] Et paulò pòſt hæc de Abbate. Tertio poſteà die Abbas moritur Idibus Februarii.] Et ipſe ad tribunal Dei vocatus, quam ſententiam tulerit, etſi ſcripta à Petro non ſit, à ſanctis Patribus tamen habetur altiùs decantata, nimirum, quòd qui in terris non novit Eccleſiam Catholicam matrem, nec in cœlis cognoſcere poſſit Patrem; & quòd qui cum Catholicis hìc non communicavit, nec ibi, cum Deo & Sanctis ejus communicādi ullatenùs facultatē habebit.

Obitus Guarini Cancellarii, & damnatio ejus.
Abbatis ſchiſmatici obitus.

XI. Hic autem, dum iſta per Cancellarium agerentur, Abbas qui adhùc vivebat, quid egit? non quod debuit. Par enim erat ad cor reverti, & cauſam ipſam tantorum malorum, quæ pateretur agnoſcere, & pœnitendo ſubmovere, ut ea amota jactari penitùs deſineret. Nimirùm ut intelligeret, offenſo numine, ſe ſuoſque in tanta pericula conjeciſse, quod jam ecce ſeptennio in ſchiſmate perduraſset, nec reſipiſcere ullatenùs cogitaret. Sed quid excogitat ſatus humana prudentia? Quòd ſciret in ſe inſenſum eſse Innocentium Papam, quem hactenùs deſpexiſset, eumdemque pollentem viribus Imperatoriis fore experturum ultorem; adeò ut ſi etiam Rogerii manus effugeret, non tamen vitare poſset, quem tamdiu refractaria obſtinatione provocaverat ipſum Innocentium Papam: illud aſtuta nequitia eſt meditatus efficere, ut Lotharium Imperatorem ſibi ſuiſque redderet benignum, & conſtitueret protectorem, eumdem verò adverſùs Innocentium Pontificem in ſua ipſorum cauſa Caſſinenſium concitaret, quo ea quæ eſſent juris Imperii vendicaret. Sicque legationem ad ipſum decerneret, qua ſignificaret, Caſſinenſe cœnobium eſſe Cameræ Imperii, ad eamque ejus ſpectare defenſionem contra Rogerium tyrannum primò, inde adverſùs Pontificem ipſum, Caſſinenſes monachos exagitantē excommunicationibus, omneſq; è loco diſpergere minitantem.

Legatio à Caſſinenſibus Miſsa ad Imp.

A Miſſos pro hoc ad Imperatorem Legatos Bertulphum Manſionarium natione Cimbrum, & Adenulphum Marſicanum monachos Caſſinenſes, tradit Petrus (*a*) diaconus, qui & inferiùs quæ reſcripſerit Lotharius Imperator ad Abbatem & monachos Caſſinenſes, ſic narrat: (*b*)

a Petr. diacon. Chron. Caſſ. lib. 4. c. 103.
b Idem cap. 108.

XII. Lotharii Imp. reſponſio grata Caſſinenſibus.

Sed ut ad ſuperiora redeamus, quo tempore Imperator Italiam ingreſſus eſt, epiſtolam Caſſinenſi Abbati ſcripſit, admonens religioſi Caſſinenſis Eccleſiæ nominis, unde religionis exemplum ac forma occiduum per orbem emanaverit, cujus maximè orationibus negotia regni ſtare conſideret: B ſic quod ob varios eventus rerum à Romana Eccleſia deſcivissent, cujuslibet perterriti metu, ad eum quem Patrem tota recognoviſſet Eccleſia, redirent. Se monaſterii curam ſuſcipere paratum, quod ab anteceſſoribus ſuis Imperatoribus ſciret fuiſſe ſemper obſervatum. Mandat item, ut cum eo propinquaret, Abbas illi cum ſapientioribus Congregationis occurreret, ut quæ eſſent monaſterio utilia, unà tractarent. Scripſit & Fratribus, ſe, quantum in ipſo eſſet, monaſterium honoribus & opibus ampliare intendere, ac pro tanti loci reverentia, qui ſemper ſingulari floruit præ cæteris religione, C Eccleſiam illam ut domum propriam, atque Imperii ſedem ſervare diſponere. Multùm enim cupere (ſi permittat Deus) memoriale ſuum apud patrem Benedictum honorificque inſigne relinquere. Richiza item Auguſta eodem tempore litteras Fratribus ſcripſit, ſignificans, magna ſe de patris Benedicti domo percepiſſe: atque ideò memoriam ſui in Caſſinenſi Eccleſia fieri obſecrans, ut Deus ipſorum precibus pacem Eccleſiæ ſuis temporibus reddat, ſe de amplianda ſemper monaſterii dignitate cogitare, modò Abbas ſibi & Auguſto cum ſapientioribus monachis tempeſtivè D occurreret, ut de his unà tractare potuiſſent.] Hæc Petrus, reliqua inferiùs, cùm Imperator ſe contulit in Apuliam.

XIII.

At licèt mortuus fuerit Cancellarius, Caſſinenſium perſecutio non ceſſavit, Canzolino Vicario rem agente, & Capuæ itidem commorante, qui morte Abbatis audita, monachis illis per litteras præcepit (*c*) ne Abbatem eligerent, niſi de omnibus Rogerius certior redditus eſſet. Quod cùm facere renuiſſent, ſed Abbatem elegiſſent Rainaldum Calamentanum, ſubdiaconum Anacleti pſeudopontificis, in ſchiſmate tamen contra alium ejuſdem nominis Rainaldum Hetruſcum: adverſùs eos E movit exercitum. Verùm cum eo paciſcitur id novus Abbas, accipiens ab eo conditiones, quas placuit illi præſcribere. Sed pars adverſa legatione convenit Imperatorem Ravennæ agentem, queſta de his quæ ab intruſo pateretur Abbate. Imperator autem conſolatus eſt eos litteris, præmiſitque Henricum generum ad Innocentium Papam, cujus ope & conſilio ſubveniret laborantibus monachis Caſſinenſibus. Sed quod Henrici ad Innocentium

c Id. c. 105.

Schiſmate inter ſe diviſi Caſſinates.

A Papam adventus ſono ſequenti aſſeritur in Chronico Beneventano ab auctore qui aderat, nos de ipſo ſuo loco agemus.

Hoc etiam tempore (quantum ex ordine epiſtolarum ſancti Bernardi licet argumentari) idem Sanctus redarguit Canonicos Eccleſiæ Lugdunenſis, quòd permoti quadam, quæ circumferretur, revelatione, celebrare cœpiſſent feſtum diem Conceptionis ſanctiſſimæ Dei Genitricis Mariæ: ea potiſſimùm permoto ſancto Bernardo ratione, quòd id nondum Romana Eccleſia feciſſet, nec faciendum indixiſſet, & temerarium valdè eſſet, quovis prætextu B quemlibet permoveri ad celebrationem dierum feſtorum, & novi quidpiam inducendum, ipſa Romana Eccleſia inconſulta: quo officio prætermiſſo, quod neceſſariò præſtandum fuiſſet, jure eſſent digni reprehenſione. Nam poſt longam ſcriptis proditam diſputationem hæc idem S. Bernardus in fine habet: (*d*) Nam ſi ſic videbatur, conſulenda erat priùs Apoſtolicæ Sedis auctoritas; & non ita præcipitanter atque inconſultè paucorum ſequenda ſimplicitas imperitorum. Et ante quidem apud aliquos errorem compereram, ſed diſſimulabam, parcens devotioni, quæ C de ſimplici corde & amore Virginis veniebat. Verùm apud ſapientes; atque in famoſa nobilique Eccleſia, & cujus ſpecialiter filius ſum, ſuperſtitione deprehenſa, neſcio an ſine gravi offenſa etiam veſtri omnium diſſimulare potuerim. Quæ autem dixi, abſque præjudicio ſanè dicta ſint ſanius ſapientis. Romanæ præſertim Eccleſiæ auctoritati atque examini totum hoc, ſicut & cætera, quæ ejuſmodi ſunt, univerſa reſervo, ipſius, ſi quid aliter ſapio, paratus judicio emendare.] Hæc S. Bernardus, in ſeipſo oſtendens, qui ſint legitimi Catholici hominis characteres, D nimirùm ad incudem Sedis Petri quæque probanda referre, antequàm recipiantur in uſum.

XIV De Conceptione Dei Genitricis celebrari cœpta.

d Bern. ep. 174.

Abſque Rom. Eccl. judicio nihil *præſumendû* novitatis.

XV.

Porrò hoc perfecit S. Bernardus, licèt diverſa ſenſerit, ut res ipſa accuratiùs examinaretur, atque differretur ad judicium Apoſtolicæ Sedis, ubi ex Scripturis ſacris proditis in medium teſtimoniis, præviis Fidelium precibus, Pontificio ſanciretur decreto, celebrandam eſſe in Eccleſia ſanctiſſimæ Dei Genitricis Conceptionem. Ita Bernardus in ſpiritu ſapientiæ & intellectus atque conſilii eminebat in Eccleſia Gallicana, ut eum conſulerent quique doctiſſimi, E Pariſienſis quoque Academiæ magiſtri præſtantiores: ut inter alios feciſſe liquet magiſtrum Hugonem de ſancto Victore, qui ſicut ſcientia, ita zelo Catholicæ veritatis cæteris æqualibus antecibat. Docet iſta ejuſdem S. Bernardi epiſtola (*e*) ad ipſum reddita. Quem contigit eodem quo æſtuabat zelo Fidei litteris redarguere his fermè diebus Joannem Archiepiſcopum Hiſpalenſem apoſtatam, qui, urgente dira tyrannide Chriſtianos Principe Arabe, cæteris ſibi ſubditis conſtantiſſimè in Fidei Chriſtianæ confeſſione perſtantibus, ipſe

e Id. ep. 77.

per-

perterritus barbari truculenti, ejus impul-
ſu Fidem negavit, maximo ſcandalo totius
Eccleſiæ. Et quod deterius, addidit hære-
ſim ſummæ impietati, dum aſſerere, & an-
tiquam hæreſim ab ipſo exordio naſcentis
Eccleſiæ condemnatam revocare non eru-
buit, ſatis nimirùm eſſe Fideli, ſi Chriſtum,
quem ore negaret, corde confiteretur. Quem
impium atque blaſphemum ipſe Hugo de
S. Victore, datis ad eum litteris, tùm do-
ctrina, qua pollebat, tùm divino Spiritu,
quo agebatur, potentibus ac vehementi-
bus redarguit. Extant ipſæ inter opera ejus
antiquitus ſcripta, quæ hactenùs aſſervan-
tur Romæ in bibliotheca ſanctæ Mariæ ſu-
per Minervam; quæ ſic ſe habent titulo
iſto in ſcripta epiſtola:
Joanni quondam Hiſpalenſium Archie-
piſcopo Hugo ſervus Crucis Chriſti.
XVI. Quid frater chariſſime, quid dicam ti-
Hugonis bi? Si cœperimus loqui tibi, forſitan mo-
de S. Vict. leſtè accipies. Vir ille fortis erat, & ma-
Epiſt. ad gnus, & omnium contemptor tormento-
Archiep. rum (*Job ſcilicèt*) & nemo illi loquebatur
Hiſpalenſ. verbum, quia videbant dolorem ejus eſſe
apoſtatam. vehementem. Quomodò igitur nos tibi
loqui poterimus in tanti doloris vehemen-
tia? Si tamen doles quantum tu dolendus
es, quid tibi faciemus? Tenebimus con-
ceptum ſermonem, quem cor noſtrum, &
anima noſtra, non (quomodò in illis)
impatientia loquendi, ſed vehementia do-
lendi parturire jam cœpit? Ergò tacere
poterit charitas, ut non erumpat, & cla-
met in doloribus ſuis, & in anguſtia tri-
bulationis ſuæ? Iam enim gladius perve-
nit uſque ad animam; & venit mors frau-
dulenta carni parcens, ut ſpiritum extin-
guat. Noſti frater quid dicere velim? De
anima tua cauſa agitur. Vide quid facias.
Chriſtus tibi opponit mortem ſuam: Chri-
ſtianus redemptionem ſuam. Quærit ille
emptum; iſte redemptum. Ille ſe pretium
pro te incaſſum dediſſe conqueritur; iſte
pretio redemptum perditum lamentatur.
Sed dicis: Ego conſcientiam meam novi;
nemo me terreat: Chriſtianum non facit
lingua, ſed conſcientia. Ego Chriſtum
diligo: ſufficit mihi: non ampliùs ille quæ-
rit: quod potiſſimùm meum eſt, illi de-
di. Cor meum habet: illud poſſideat. Di-
cant homines quod libet. Ipſe Dominus
novit, quia invitus nego: lingua hoc di-
cit, non conſcientia: ore quidem nego,
ſed corde confiteor:
Audi frater: Scriptura dicit: (*a*) Cor-
XVII. de creditur ad juſtitiam, ore autem con-
a *Rom.* 10. feſſio fit ad ſalutem. Quomodò ergo ſalu-
tem te habere putas, ſi confeſſionem non
habes? Chriſtum negas, & dicis te Spiri-
tum ſanctum habere. Quid eſt ergò quod
dicit Apoſtolus: (*b*) Nemo in Spiritu Dei
b 1. *Cor.* 12. loquens dicit anathema JESU. Si dicis
anathema JESU, Spiritum Chriſti quo-
modò habes? Si verò Spiritum Chriſti non
habes, utique non es Chriſti. Qui enim
c *Rom.* 8. Spiritum Chriſti non habet, inquit (*c*)
Scriptura, hic non eſt ejus. Audi rurſùm:
d *Luc.* 9. (*d*) Qui, inquit, me erubuerit, & ſermo-

A nes meos, hunc Filius hominis erubeſcet
cùm venerit in majeſtate ſua. Sed dicis:
Benè: Qui præ erubeſcentia Chriſtum ne-
gat, juſtè damnatur, juſtè à Chriſto non
cognoſcitur. Parum enim eſt hoc, vere-
cundiam Chriſto anteferre. Ego plus ha-
beo quod in excuſatione prætendam.
Non enim erubeſco, ſed timeo. Majus
eſt quod me terret: Novit ipſe, quia pati
non valeo: parcit ergo infirmitati, &
condeſcendit devotioni: non ad vocem at-
tendit, ſed reſpicit ad charitatem. (*e*) Ne- e *Epheſ.* 5.
mo carnem ſuam odio habuit. Timeo pro
carne mea, quam odire non poſſum. O fal-
B lax deceptio! Ergò tu carnem amabis, &
Creatorem blaſphemabis? Quid ergò ſibi
vult quod ait: (*f*) Qui amat animam ſuam f *Luc.* 14.
plusquàm me, non eſt me dignus? Si ani-
mam rectè plus amare non potes; carnem
poteris? Sed ais: Non plus carnem diligo,
plus enim Deum meum, quàm carnem
meam diligo. Videamus modò. Quod
plus diligis, hoc potiùs eligis. Dicit
Deus tuus: (*g*) Nolite timere eos, qui g *Matt.* 10.
occidunt corpus, animæ verò non habent
quid faciant. Hoc ergò dicit Deus: huic
caro contradicit. Vide modò: Quod plus
diligis, potiùs eligis. O qualis paſtor!
C Et quomodò quæſo animam tuam pone- XVIII.
neres pro ovibus tuis, qui nec pro ipſa
anima tua animam tuam ponis? Ecce tu
pro anima tua dare non vis carnem tuam:
& pro ovibus dares animam tuam? O qua-
lis paſtor! Non ſic fecit bonus ille paſtor,
(*h*) qui animam ſuam poſuit pro ovibus h *Joan.* 10.
ſuis, & pro grege ſuo mori dignatus eſt.
Quid tibi videtur? Si ſic ille, ut tu, mor-
tem timuiſſet, quæ putas ovis adhùc à
morte erepta fuiſſet? Putavit ille bonum
paſtorem eligere ovibus ſuis, qui venien-
te lupo non fugeret, neque ſub trepida-
tionis latebra ſeſe ovium periculo poſtha-
D bito occultaret. Venit lupus, oves ra-
pere non potuit: paſtorem non ſolùm ra-
puit, ſed abſtraxit. Mira res! ovis au-
det, & paſtor trepidat. O qualis paſtor!
Si talis futurus fuiſti, curam ovium qua-
re ſuſcepiſti? Si dignitatem accepiſti, bo-
nitatem quare non impendis (Bonus paſtor
animam ſuam ponit pro ovibus ſuis.)
Sed inquis: Petrus ore negavit: quia XIX.
tamen corde non negavit, reſpexit illum
Dominus, & vocatus eſt nomine ſuo ad
reſurrectionis gaudium cum aliis Apoſto-
lis. Hoc (ut audio) maximum eſt quod ad
excuſationem tuam prætendis. Reſpexit
E ergò Dominus Petrum negantem: Qua-
re? nempè ut faceret confitentem. Reſpe-
xit ad compunctionem, vocavit ad confeſ-
ſionem. Si ergò tu reſpectum Chriſti ha-
bes, ubi ſunt lacrymæ? Si autem lacryma-
ris, cur non confiteris? Si Petrum ſeque-
ris negantem, cur non imitaris & confiten-
tem, & amare flentem? Poſtremò frater,
ſi Chriſtianus es, ubi quæſo ſignum Re-
gis tui? Ego certè video alienum chara-
cterem in fronte tua. Scias quid futurum ſit
ſuper illos, qui beſtiæ characterem por-
tant. Servi Dei noſtri ſignati ſunt in fron-

Digitized by Google

tibus ſuis; nec poſſunt exterminii ſententiam evadere, niſi illi tantùm, qui in figura Thau crucis Chriſti ſignaculo muniuntur. Crux in pectore, fides in corde, crux in fronte, confeſſio in ore. Utrumque debetur, utrumque exigitur. totum Chriſtus ſibi vendicat. Cor ad fidem ſuam; os ad confeſſionem ſuam. Sed aſtat tortor: gladius exemptus eſt, & minans vibratur. Audi (a) Qui amat animam ſuam perdet eam: Et qui perdiderit animam ſuam in hoc mundo propter me, inveniet eam, & in vitam æternam cuſtodiet eam. Qui perdit propter me, recipiet à me. Ego commendatum ſervabo, ut melius reſtituam. Nihil trepides: capillus de capite tuo non peribit. Quid ſollicitaris de anima, qui de capillo etiam ſecuritatem accepiſti? Sed fortè dices mihi, quòd multi hodiè intra ſinum Eccleſiæ in fide & confeſſione Chriſti vivunt, qui ſi ſic interrogarentur, nullatenùs Chriſtum conſiterentur. Ad quod ego tibi voce prophetica reſpondeo, quia judicia Dei abyſſus multa. Non licet nobis ſcrutari profunda & occulta judiciorum Dei, & (b) inveſtigabiles vias ejus penetrare. (c) Miſerebor, inquit, cui miſereor, & miſericordiam præſtabo, cui miſericors fuero. Si ergò in oculis ejus placitum fuerit, ut quibuſdam parvulis ſuis, quos mater Eccleſia aut conceptos portat, aut nutrit editos, parcat, & ad iſtas graviores tentationum interrogationes venire non permittat: tu quis es, qui ei dicas, cur ita facis? Non tuam decet excellentiam, ut te in numero talium exiſtimandum intelligas. Inter magnos ſervos non quaſi parvulus, ſed cuſtos & proviſor parvulorum, locum acceperas. Tibi itaque quaſi magno ac forti, & ad primam, vel proximam conſecutionem idoneo dixit Jeſus: (d) Sequere me. Te igitur proximum poſt ipſum locum adeptum, ut eum ſequaris, admonuit, quatenùs tu poſteà tuis ſequacibus, quibus ad vitam Ducatum præbere debueras, fidenter dicere poſſes cum Apoſtolo: (e) Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.

a Marc. 8.
b Rom. 11.
c Exod. 33.
d Joan. 21.
e 1. Cor. 11.

XX. Si ergò Dominus te tamquàm ſervum magnum & fidelem ad imitationis ſuæ gloriam vocare voluit: vide jam obſecro quale hoc ſit, ut tu ad puſillos ejus, qui interim fovendi ſunt, non premendi, reſpiciens dicas: (f) Domine, hic autem quid? dixit hoc ille, quem tu imitari putas, cùm tamen per omnia non debeas, non intelligens dignitatem vocationis ſuæ, nec rectè intuens pietatem divinæ diſpenſationis; & idcircò juſtè increpationis ſententiam audivit, ut auſcultare diſceret, non judicare: (g) Sic inquit, eum volo manere, donec veniam, quid ad te? tu me ſequere. Hoc eſt frater, verbum, quod tu intentiſſimè ac diligentiſſimè audire debes, ut Regem tuum ſequaris, & conſequaris: ſequaris ad pœnam, conſequaris ad gloriam. Si pro Chriſto patiendum eſt: ſi ſe offert occaſio, excuſationem non habes. (h) Non enim ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Si autem & ſine paſſione negas; non ſolùm dico non excuſaris, ſed ampliùs dico quòd accuſaris. Miſer, ubi eſt anima tua ut non recogites qualis factus ſis, qualem perdideris gloriam? ad quantam miſeriam corruens & confuſionem? Aſpice temetipſum qualis ſis. Ubi eſt corona tua & gloria? Regem tuum dereliquiſti, Unaquæque gens deos ſuos ſequitur, & certè ipſi dii non ſunt, Tu verò Dominum Deum tuum dereliquiſti, & factus es vilis, opprobrium peſſimorum. O qualis paſtor Chriſtianorum? Quomodò paſces tu oves Chriſti, qui te ipſum perdidiſti? Lupo futuro paſcendæ oves datæ ſunt. O qualis paſtor? Erubeſce miſer & confundere: Chriſtianorum oculi in te verſi ſunt. De longè videris: latere non potes. Error tuus te notum & manifeſtum facit. Non potes evadere confuſionem, niſi oſtendas converſionem.] Hactenùs Hugonis ad lapſum Archiepiſcopum objurgatio. Habetur eadem epiſtola jam edita licèt nonnullis immutatis, tom. 3. operum ejuſdem Hugonis, lib. 1. Miſcellaneorum, tit 79. Proſequamur jam cætera quæ ſunt anni hujus.

f Joan. 21.
g Ibid.
h Rom. 8.

XXI. Pœnitentiæ atque obitus Ludov. Craſſi Regis Fràcorum.

Moritur hoc anno hoſpes & defenſor Innocentii Papæ Ludovicus Craſſus Rex Francorum, quem etſi viventem ſanctus Bernardus in epiſtola ad Honorium Papam valdè perſtrinxit, quòd eum bellici furores in religioſos monachos interdum delinquere adegerunt: pœnitentia tamen, qua diem clauſit extremum, cum pietate, religioneque valdè reddidit commendatum. Rem geſtam memoria quidem dignam deſcribit Sugerius Abbas ſancti Dionyſii, qui iis omnibus præſens erat, vir laudatiſſimus tùm S. Bernardi, tùm etiam Petri Cluniacenſis Abbatis dignis elogiis, qui ejuſdem Ludovici res geſtas conſcripſit, aitque: Qui ut erat in conſilio providus, ſibi ipſi conſulens, & miſeratus animæ ſuæ, Deo placens, frequenti confeſſionis & orationis ſibi devotione providebat, hoc unum toto animi affectu peroptans, apud ſanctos martyres protectores ſuos Dionyſium, ſociosque ejus ſe quomodocumque deferri (ægrotabat diarrherica) & ante ſacratiſſima eorum corpora regni & coronæ depoſitione, coronam pro corona, pro regalibus inſignibus, & Imperialibus ornamentis humilem B. Benedicti habitum commutando, monaſticum ordinem profiteri. Videant qui monaſticæ paupertati derogant, quomodò non ſolùm Archiepiſcopi, ſed & ipſi Reges tranſitoriæ vitam æternam præferentes, ad ſingularem monaſtici Ordinis tutelam ſecuriſſimè confugiunt.] Et inferiùs poſt enarratam morbi moleſtiam, quam patientiſſimè perferebat: Quærit, inquit, rejecto omni pudore ob reverentiam divinitatis, ... & Scotorum & Anglorum, coram devotiſſimè confiteri, & ſecuriſſimo Dominici

Cor-

Digitized by Google

Corporis & ſanguinis viatico exitum ſuum muniri. Cùm ipſum præparare feſtinant: Rex ipſe inopinatè ſe levans & præparans, veſtitus cameram, cunctis *adjuvantibus, obviam Corpori Domini JESU CHRISTI exiit, devotiſſimè aſſiſtit. Ubi videntibus cunctis tàm clericis quàm laicis, Regem exutos regnum deponit, peccando regnum adminiſtraſſe confitetur. Filium ſuum Ludovicum anulo inveſtit, Eccleſiam Dei, pauperes & orphanos tueri, jus ſuum unicuique cuſtodire, neminem in Curia ſua capere ſi non perpetualiter, . . ibidem delinquens fide obligat. Ubi etiam aurum & argentum & vaſa concupiſcibilia, & pallia, & palliatas culcitas, & omne mobile quod poſſidebat, & quo ei ſerviebatur, eccleſiis & pauperibus & egenis pro amore Dei diſtribuens, nec chlamydibus, nec regiis indumentis uſque ad camiſiam pepercit. Capellam autem ſuam pretioſam, textum pretioſiſſimum auro & gemmis ornatum, thuribulum aureum quadraginta unciarū, candelabra centum ſexaginta auri unciarum, calicem auro & pretioſiſſimis gemmis clariſſimum; capſas de * pallio pretioſas decem, pretioſiſſimum hyacinthum Athanæ Regis Ruthenorum filiæ, quem de ſua in manu noſtra reddens, ut coronæ ſpineæ Domini infigeretur, præcepit, ſanctis Martyribus per nos deſtinavit, & ſi quocumque modo ſubſequi poſſet, devotiſſimè ſpopondit.

*admirantibus

XXII. His igitur exoneratus, & Dei miſericordia perſuſus humillimè flexis genibus ante ſacratiſſimum Corpus & Sanguinem Domini noſtri JESU CHRISTI (qui enim mox Miſſam celebraverant, illùc & cum proceſſione devotè attulerant) in hanc oris & cordis veræ & Catholicæ confeſſionis vocem non tamquàm illitteratus, ſed tamquàm Theologus litteratiſſimus erumpit.

Confeſſio Regis Ludovici.

Ego peccator Ludovicus confiteor unum & verum Deum, Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, unam ex hac ſancta Trinitate perſonam, videlicèt Unigenitum & conſubſtantialem & coæternum Dei Patris Filium, de ſacratiſſima Maria Virgine incarnatum, paſſum, mortuum, & ſepultum, tertia die reſurrexiſſe, cælos aſcendiſſe, ad dextram Dei Patris conſidere, vivos & mortuos extremo & magno judicio judicare. Hanc autem ſacratiſſimi Corporis ejus Euchariſtiam illud idem credimus corpus, quod aſſumptum eſt de Virgine, quod diſcipulis ſuis ad conſœderandum & uniendum & in ſe commanendum contradidit. Hunc ſacratiſſimum ſanguinem illum eumdem, qui de latere ejus in Cruce pendentis defluxit, & firmiſſimè credimus, & ore & corde confitemur: hocque ſecuriſſimo viatico deceſſum noſtrum muniri, & contra omnem aeream poteſtatem certiſſima protectione defendi peroptamus. Cùm autem cunctis admirantibus facta primum peccatorum confeſſione, devotiſſimè Corpori & San-

A guini JESU CHRISTI communicaſſet: tamquàm illicò convaleſcere incipiens, ad cameram rediit, omnique regalis ſuperbiæ rejecta pompa, ſola linea culcita decubuit. Cùmque eum de tanto tantillum, & de tàm alto, tàm humilem, humano more me deflere conſpicaretur: Noli, inquit, chariſſime amice, ſuper me flere, quin potiùs exultando gaudere, quòd Dei miſericordia præſtitit me in ejus occurſum, ſicut vides, præparaſſe.] Subiicit his auctor de ejus adventu ad ſanctos martyres Dionyſium & ſocios, deque facta iterùm ibi exhomologeſi.

XXIII. De obitu Vvillelmi Ducis Aquit Nuntium.

B Intereà, inquit, ſubſecuti ſunt eum Nuntii Vvillelmi Ducis Aquitaniæ, denuntiantes eumdem Ducem ad ſanctum Jacobum peregrè profectum in via demigraſſe, ſed antequàm iter aggrederetur, & etiam in itinere moriens filiam nobiliſſimam puellam nomine Elionoram ejus filio deſponſandam, totamque terram ſuam eidem retinendam, & deliberaſſe & dimiſiſſe.] Extat ejuſdem Vvillelmi Aquitaniæ Ducis ſcriptum, ultimum ſuæ de his voluntatis elogium, quod hìc deſcribendum putavimus: ſic enim ſe habet:

Teſtamentum Vvillelmi Ducis Aquitaniæ.

In nomine ſanctæ & individuæ Trini-
C tatis, quæ eſt una Deitas. Hoc eſt teſtamentum, quod ego Vvillelmus Dei gratia cum domino Vvillelmo Epiſcopo facio in honorem Salvatoris mundi, & beatorum Martyrum, & omnium Confeſſorum, & Virginum, & maximè Virginis Mariæ. Cogitans de meis innumerabilibus peccatis, quæ ſuadente diabolo, temerariè perpetravi, & timens tremendi Judicii diem, videns bona quæ videmur tenere, ſicut fumum in aere inter manus noſtras evaneſcere, noſmet etiam in hac peregrinatione ſine peccato una hora non poſſe vivere, & ſatis parvo tempore ma-
D nere, & omnia quæ putamus poſſidere, eſſe caduca & ſuis poſſeſſoribus gravamen: commendo me Deo, quem relictis omnibus ſequi volo. Filias meas Regis domini mei protectioni relinquo, Elionoram collocandam cum domino Ludovico Regis filio, ſi Baronibus meis placuerit: cui Aquitaniam & Pictaviam relinquo. Petronillę verò filię meę poſſeſſiones meas & caſtella, quæ in Burgundia, ut proles Gerardi Ducis Burgundiæ, poſſideo. Itaque ne videar degenerare, ſed imitari ſancta veſtigia parentum meorum in bono opere, & commendare me Deo & Sanctis ejus, &
E in bonis operibus ſocietatem ſervorum Dei & benedictionem accipere: do omnibus monaſteriis dominationis meæ mille libras terræ diſtribuendas, prout Baronibus meis placuerit. Et quicumque hoc noſtrum teſtamentum diſrumpere tentaverit: excommunicatus à Deo & hominibus exiſtat. Qui verò in hoc adjutor fuerit: ſit omnibus particeps.

Signum Vvillelmi. Signum Eleonoræ. Signum Comitis Arvernenſis: Signum domini de Thoarcio. Signum Richeldi Baronis. Signum Brocardi Comitis. Signum

Pon-

Digitized by Google

A Pontii.] Sunt iſta excepta ex commentariis hiſtoricis Gallica lingua ſcriptis à Joanne Hayano Pictavienſi, Lutetiæ editis anno M.D.LXXXI.

XXIV. Sed illud mirum eſt, quod alii Scriptores recentiores aſſerunt hunc ipſum Vvillelmum Ducem Aquitaniæ, de quo plura ſuperiùs, poſt hæc diu multumque ſupervixiſſe, atque eremiticam vitam duxiſſe in Tuſcia, illicque ſancto fine quieviſſe: cùm idem qui ſupra Sugerius abſque dubitatione aliqua aſſerat, eumdem Vvillelmum in hac eadem peregrinatione in Hiſpaniam ad ſanctum Jacobum, in via eſſe de-

B functum, ut nuper audiſti. Quod ipſum & idem Sugerius etiam in vita Ludovici filii teſtatur iſtis diſertis verbis: His diebus Vvillelmus Dux Aquitaniæ apud S. Jacobum iter arripuit, qui volente Deo, antequàm ad terminum ad quem ſuæ peregrinationis accederet, peracta parte itineris expiravit: nullum virilis ſexus in Ducatu Aquitaniæ relinquens hæredẽ. Verumtamen duas filias habuit, &c.] Quid etiã Robertus his temporibus proximum auctor dicat de his magis expreſsè, ſub anni ſequentis laterculo, audi: Comes Pictavienſis Vvillelmus ad S. Jacobum in Gallicia orationis

De obitu Vvillelm. Ducis Antiquiorum aſſertio.

C cauſa proficiſcitur, & in ſexta feria Paraſceves in eccleſia B. Jacobi moritur, & ante altare ſepelitur, &c.] Subiicit de ejus filia Eleonora, ipſius juſſu jungenda ejuſdem Francorum Regis filio, deque patre ipſius, quem eodem anno defunctum tradit. Sunt ex recentioribus nonnulli qui affirmant, eumdem Vvillelmum Ducem nequaquàm reverà eſſe defunctum, ſed ita cum præcipuo ſuorum domeſticorum rem eſſe tranſactam, ut per fictionem ea de cauſa Dux mortuus eſſe diceretur, quo liber ab hoc mundo, poſſet ubi locorum vellet peregrinari: huncque locum eſſe Vvil-

D lelmum, qui in Tuſcia apud locum dictum, Stabulum Rodis, ſancto fine quieverit. Vulgata eſt hiſtoria iſta: ſed quæ nodos patiatur inſolubiles. Atque illum primùm, quomodò id potuit ignoraſſe Theobaldus Epiſcopus, qui & primordia ejuſdem converſionis ſe accepiſſe teſtatur ab ejus diſcipulo: & tamen verbum nullum habet de ſimulatione mortis. Alius eſt ille nodus ex Sugerii ſcriptis, & aliorum ejus temporis auctorum maximè ſtrictus: quonam modo, ſi poſt hæc tempora (ut habent ejus Acta) repertus & inventus eſt à ſuis vivere Vvillelmus Dux in

E Palæſtina vitam eremiticam ducens, & revocatus in Occidentem, cùm res tanta fuerit tamque inſolita & forſitan inaudita, mundo adeò admirabilis in tanto viro, digna mille Scriptoribus: tamen nullus hujus ſæculi reperiatur, qui iſtiuſmodi cataſtrophem memoriæ perpetuæ ſcriptorum conſervaverit monimentis. Cùm præſertim Sugerius, qui de ejus morte ſcripſerat, ſupervixerit diu poſt obitum ipſius Vvillelmi Ducis, perſeverans ſcribere res Ludovici Francorum Regis; & tamen nulla ampliùs ab eo facta

A ſit mentio de Vvillelmo, cui, ut ſic ſeipſum corrigeret de eo quod dixerat eſſe defunctum, neceſſariò id faciendum fuiſſet. Rursùm ſi videbat, & reverſus erat in Occidentem: quomodò prætermiſſus ut mortuus à Scriptoribus ejus temporis? cùm præſertim graviſſima cauſa illa verteretur de ejuſdem Ducis filia Eleonora nupta Ludovico Regi Francorum, dum repudiatur ab eodem Rege? Quæ tanta res exigebat ob ſui magnitudinem, ut revocaretur ad vitam, ſi licuiſſet, idem pater ejus Dux Aquitaniæ, qui eam ipſi nuptui dediſſet, quò filiæ ſubveniret oppreſſæ.

B Sed nulla uſquam de his vel levis mentio penes ſæculi ejus hiſtoricos haud ignobiles, qui omnes iſtiuſmodi rem adeò mirandam nec ſciviſſe noſcãtur. Hæc & alia ſunt, quibus reddor vehementer ſuſpectus de ejuſmodi hiſtoriæ veritate dubitans, ne plures Vvillelmi per errorem in unum conflati ſint à recentioribus ejus auctoribus. Sed proſequamur reliqua. Pergit Sugerius de obitu Francorũ Regis cætera recenſere.

Rex Ludovicus Pariſiis recidiva profluvii dyſenteria cùm graviſſimè fatigaretur, omninò deficiebat. Qui numquam ſuper his improvidus, accito venerabili Pari- XXV.

C ſienſi Epiſcopo Stephano (*cui primùm antea fuerat adverſatus, ut ex S. Bernardi litteris apparet*) & religioſo S. Victoris Abbate Hilduino, cui familiariùs confitebatur, eò quòd monaſterium ejus à fundamine conſtruxerat: & confeſſionem repetit, & exitum ſuum viatico Dominici Corporis muniri devotiſſimè ſatagit. Cùmque ſe deferri ad eccleſiam ſanctorum Martyrum faceret, ut quod votum ſæpiùs ſpoponderat, humillimè perſolveret: ægritudinis anticipatus anguſtiis, quod opere non potuit, corde & animo & voluntate complevit. Præcipiens ergò

D tapetum terræ, & cineres tapeto in modum crucis deponi: ibidem manibus ſuorum depoſitus, ſigno ſanctæ Crucis, præſentiam ſuam muneris trigeſimo regni adminiſtrationis, ætatis verò ferè ſexageſimo anno, Kal. Auguſti ſpiritum emiſit, &c.] Agit de ſepultura ex oppoſito Caroli Imp. collocata. Sed de his ſatis inſtitutum.

Obitus Ludovici Craſſi Regis Franc.

XXVI. Quod autem ad res pertinet Orientis, hoc anno moritur Bernardus Patriarcha Antiochenus, primus Latinorum Patriarcharum, cùm ſediſſet (Vvillelmus Tyrius (*a*) tradit qui fideliorem invenimus neminem) annis trigintaſex: qui & ipſum

Obitus Bernardi Patriarchæ Antiocheni.

E creatum tradit anno D.M.C. Cùm abſque conſenſu ſuffraganeorum Epiſcoporum, vel Cleri ejus eccleſiæ intruditur in eam ſedẽ homo militaris, prævides quidam Rudolphus cognomento Mamiſtanus Francus diœceſeos, Cenomanenſis, favore populi, quem largitionibus demeruerat, cujus favore (inquit (*b*) Tyrius) eccleſiam & palatium occupans, ſtatim ſine mora pallium de altari B. Petri, nulla ad Eccleſiam Romanam habita reverentia, ſibi aſſumpſit.] Qui igitur ita cum ſchiſmate cœpit exordiũ, in ſchiſmate pariter perſeveravit, detre-

a Vvill. Tyr. lib. 14. *c.* 10.

b Idem ibid.

ctans

Digitized by Google

A

ctans omninò ſubiici Eccleſiæ Romanæ Pontifici, quem diceret non ſibi ſuperiorem, ſed parem, quòd diceret (inquit

a *Idem lib.* 15. c. 3.

(a) Tyrius) utramque Petri eſſe Cathedram *Antiochenam & Romanam*, eamque quaſi primogenitam, inſignem prærogativa.] Ne autem ita temerè præſumpta inſania invaleſceret, Innocentius Papa ſimulac iſta cognovit, ad curandum iſtiuſmodi hominem tanta phreneſi laborantem, decernit. Legatum à latere in Orientem Albericum Epiſcopum Oſtienſem: de cujus legatione, quę idem auctor Tyrius Archiepiſcopus narrat, in medium afferemus.

Novus Intruſus Patriarcha Antioch. ſchiſmaticus.

XXVII.

Cogitur Patriarcha venire Romam.

B

Sed quæ iſta præceſſerunt, ab eodem auctore primùm audiamus, quomodò videlicèt coactus eſt venire Romam, ſupplexque gratiam implorare, qui faſtu arrogans ſe ſibi ſufficere, nec ullius egere jactabat. Ad humiliandum ergò ſuperbum hunc Deus cor Principis Antiocheni, paulò antè erga ipſum propenſioris, in eum convertit, qui ex amico in inimicum converſus, nullam prætermiſiſſe voluit ei nocendi occaſionem. Habentes igitur (in-

b *Idem lib.* 15. c. 12.

quit (*b*) Tyrius) ejus æmuli tantum ſtudiorum ſuorum cooperatorem, animoſius ejus impugnationibus inſiſtentes, Romam proficiſcuntur. Erant autem adverſarii ejus

C

Lambertus vir quidem litteratus, ejuſdem Eccleſiæ Archidiaconus, & honeſtæ converſationis, ſed ſæcularium modicam aut nullam habens experientiam: & Arnulphus quidam Calaber natione, nobilis genere, litteratus, & in ſæcularibus plurimùm circumſpectus. Hi interpoſitis appellationis vocibus, conſentiente & favente Principe, Romam profecti, eum etiam invitum, ſed per Principem compulſum, eamdem viam arripere cogerunt. Factum eſt itaque, quod Arnulphus præceſſerat, & in Siciliam compendioſo itinere profectus, conjunctis ſibi de amicis

D

& conſanguineis, quia de Calabria erat oriundus, ubi poſtmodùm fuit Conſentinus Epiſcopus (erat enim valdè nobilis, ut diximus) dominum Rogerium Apuliæ Ducem, cui notus erat, convenerat, dicens: Ecce Princeps egregie, in manus tibi optato, ſed & gratià dator hoſtium tuorum immaniſſimus, Antiochenorum Patriarcha, qui tibi & hæredibus tuis in perpetuum Antiochiam abſtulit, ſublimato in ea viro ignoto, contra juris ordinem. Ecce eum attulit tibi Dominus; & conſummata ejus peccata dederunt præſentem. Eja, expergiſcere, tracta quomodò eum habeas, certus quia per eum ad hæreditatem jure tibi legitimo ſucceſſionis debitam, iterùm tibi patere poterit introitus, qui tibi per eumdem negatus eſt

E

indebitè. His verbis motus Apuliæ Dux, ſicut vir erat ſolertiſſimus, in ſingulis maritimis urbibus locari præcipit inſidias, ut adveniens, ſtatim captus, & vinculis mancipatus in Siciliam protinùs dirigatur. Ille verò proſpera uſus navigatione, nihil tale veritus, Brunduſium applicans, juxta Ducis mandatum, ſublatis omnibus

A

quæ ſecum, tamquàm Princeps potentiſſimus, detulerat, ſed & diſperſa familia, vinctus traditur eidem Arnulpho in Siciliam ante Ducem pertrahendus. Hic primùm Arnulpho juxta deſideria datum eſt in hoſtem & impium perſecutorem ſuum pro libero deſævire arbitrio, & vices æqua lance reddere pro his quæ de manu ejus acceperat duplicia. Tandem in præſentia Ducis conſtitutus, habitiſque cum eo familiaribus colloquiis, & conventionibus interpoſitis, ſicut vir erat prudens & facundiſſimus, & honeſtiſſimam habens perſonam, receptis univerſis cum omni inte-

B

gritate quæ amiſerat, ſed & familia reſtituta, ſpondens quod in reditu per eumdem Ducem ſit habiturus regreſſum, cum omni honeſtate Romanam pergens, dimittitur.

XXVIII.

Quid actũ Romæ cũ Patriarcha

Romam verò perveniens, prima facie difficiles habuit ad dominum Papam introitus, tamquàm Romanæ perſecutor Eccleſiæ, & qui ſingularem Sedis Apoſtolicæ primatum comminuere, & infringere voluerit, ſedem æmulam contra Romanam erigens & parificans eccleſiam, tamquàm læſæ majeſtatis reus ab ingreſſu ſacri arcendus palatii, & à domini Papæ

C

colloquio ſuſpenditur. Porrò (*c*) tàm do-

c *Willel. Tyr lib.* 15. c. 13.

minus Papa, quàm univerſa Eccleſia procliviores erant ad hoc, ut dominum Patriarcham ſumpta qualibet honeſta occaſione gravarent; ejuſque adverſariis plurimum exhibebant favorem. Suſpectus enim eis habebatur, eò quòd vir dives eſſet, & magnificus, & ſedem cui præerat, Antiochenam videlicèt, Romanæ ſubiicere dedignabatur, ſed & eamdem in omnibus parificare contendebat, dicens: Utramque Petri eſſe Cathedram, eamque quaſi primogenitam, inſignem prærogativa. Unde multipliciter ad ejus gravamen ni-

D

tebantur. Tandem quorumdam amicorum uſus officio, interventibus tàm domini Papæ, quàm ſuis familiaribus ſemitas dirigentibus, admiſſus eſt ad domini Papæ & Curiæ ſolemniter congregatæ præſentiam, & cum multa ſuſceptus eſt magnificentia. Porrò ſemel & ſecundò eo in Conſiſtorium ingreſſo, ſumpta opportunitate, ejus adverſarii prodeunt in publicum, & oblatis libellis accuſatoriis, parati erant cum omni juris ſolemnitate ad accuſandum procedere.

XXIX.

Verùm cognoſcens tota Curia, quòd

E

qui ad accuſandum prodierant non erant eatenùs inſtructi, ut domino Papæ & ejus aſſeſſoribus plenam de objectis poſſent ibi fidem facere: ſignificatur ambobus, quòd interim quieſcant, quouſque dominus Papa aliquem de latere ſuo ad partes dirigat Antiochenas, qui ibi habita teſtium & inſtrumentorum copia, de cauſa pleniùs poſſit cognoſcere.

Intereà reſignato pallio, quod idem Patriarcha de altari Antiochenæ Eccleſiæ ſuę ſibi ſumpſerat auctoritate in injuriam (ut dicebatur) Sedis Apoſtolicæ, & Cardinalibus tradito, aliud ei *pallium* ſumptum

de

Digitized by Google

de corpore B. Petri, more ſolemni per priorem diaconorum traditur. Sic itaque mora, quantum negotium ejus exigere videbatur, Romæ habita, cum plenitudine gratiæ, ſalva tamen quæſtione, ſumpta licentia, ad Ducem Rogerium in Siciliam reverſus eſt. Qui redeuntem honorificè ſuſcipiens, poſtquàm mutuis colloquiis ſæpè & multum ad invicem plura, & quæ ſufficere videbantur, familiariter contulerunt, datis eidem à domino Duce galeis quotquot ad iter remeandum habuit neceſſarias, ſecundis uſus flatibus, in Syriam devectus, fauces Orontis attigit, qui fluvius Antiochiam præterfluit, qui locus vulgari appellatione, Portus S. Simeonis dicitur, ab Antiochia decem plus minusve modicum diſtans milliaribus. Poſtquàm ergò, ſicut dictum eſt, dominus Patriarcha Cœleſyriam advenit, & ſuæ ita vicinus factus eſt civitati, ſcribit Eccleſiæ ſuæ, ut die ſtatuta ei extra civitatem in loco prænominato cum proceſſione ſolemniter occurrant. Qui Principis favore freti, qui eum (ut prædiximus) odio inexorabili contra fidelitatis debitũ, quo eidem tenebantur aſtricti, perſequebantur, omninò facere, vel ei obedire negant. Sed & introitum civitatis per Principis violentiam penitùs interdicunt &c.] Pergit namque auctor narrare, quomodò idem Patriarcha civitate excluſus Antiochena, compulſus ſit extra in monaſteriis vitam ducere, quouſque Edeſſæ Comes recepit eum in ſua; quodque tandem amicorum interventu Princeps Antiochiæ placatus eumdem Patriarcham Antiochiam revocavit. Ita planè juſto Dei judicio, qui ſedem ipſam arripuit, ab ea repellitur, & qui in ipſo ingreſſu ſuperbiæ cornua erigens primam deſpexit Sedem, ejus ſupplex petere auxilium coactus fuit, ut poſſet tutò conſiſtere. At quoniam ſic à Curia dimiſſus eſt, ut ſequeretur eum Legatus ab Eccleſia Romana mittendus, qui accuſationes adverſariorum diſquireret: agendum modò de duabus legationibus, ab Apoſtolica Sede ea de cauſa in Orientem adornatis. Quòd enim ratione perſonæ, nempè tanti Patriarchæ, pertractanda eſſet, æquè magni ponderis & dignitatis viro decernitur iſtiuſmodi legationis munus. Deligitur ad tantum opus Archiepiſcopus Lugdunenſis, de quo iſta Tyrius: (a) Intereà Legatus Eccleſiæ Romanæ Petrus nomine, natione Burgundio, Lugdunenſis Archiepiſcopus, miſſus à domino Innocentio Papa, ut cauſæ prædictæ debitum finem imponat, venit in Syriam, apud Accon applicans. Erat autem vir vitæ venerabilis, ſimplex ac timens Deum, longævus & jam in ſenium vergens. Qui ſtatim ex quo Syriam intravit, Hieroſolymam devotionis gratia profectus eſt, unde ſub compendio digreſſus; urgentibus eum prædictis Lamberto *Archidiacono Antiocheno*, & Arnulpho *Calabro ejuſdem Eccleſiæ Decano*, ut Antiochiam, uti finem impoſiturus, acceleraret, Accon iterùm pervenit. Ubi gravi correptus ægritudine, antequàm procederet, veneno (ut dicitur) in potu miniſtrato, ſubitò deficiens, in fata conceſſit. Prænominati autem Patriarchę adverſarii Antiochiam properantes omnimodò deſtituti auxilio, ſpe quam de adventu Legati conceperant, fruſtrati, viæ, & laborum, quæ per tot pertulerant tempora, tædio fatigati; per interventores, quos ad hoc reputabant idoneos, pacem ſupplices poſtulant, accuſationi renuntiare, & parati fidelitatem exhibere. Lambertus in Archidiaconatum reſtituitur; Arnulphus verò nihil humanitatis inveniens, Principis iterùm fretus auxilio, ſolita longanimitate rursùm ad labores & iter accingitur. Romamque proficiſcens, iterùm opportunè & importunè pulſat. Tandemque precibus protervè inſiſtens, obtinet, ut prædictus Legatus, de quo nobis in præſenti ſermo eſt, in Syriam dirigatur:] nempe Cardinalis Oſtienſis, de quo Tyrius: (b)

Patriarcha non recipitur à ſuis Antiochen.

a *Vuillelm. Tyr. lib.* 15. *c.* 15.

Legatio Lugdun. Archiepiſcopi.

b *Id. l.* 15. *c.* 11.

XXX. Legatio Alberici Epiſc. Oſtienſis.

Dum hæc in expeditione geruntur, Legatus quidam Romanæ Eccleſiæ, Albericus nomine, Epiſcopus Oſtienſis, natione Francus, de Epiſcopatu Belluacenſi apud Sydonem applicuit.] Quoto anno Redemptoris non dicit. Sic igitur, quod duas iſtas legationes auctor nullo certo diſtinguat tempore, tantamque ejuſdem intruſi Patriarchæ cauſam, atque per Legatum res geſtas nulla conſignet temporis nota: nec nos id facere præſumemus, ſed ſub hoc anno cuncta, quæ plurium annorum curriculo eſſe conſummata oportuit, colligemus ex iis, quæ ſparſim ab eodem auctore reperiuntur conſcripta eſſe. Legatus igitur Apoſtolicæ Sedis Sydonem appulit eo tempore, quo Paneadis civitas obſidebatur à noſtris, quo & Legatus pervenit, nec indè diſceſſit, quouſque à civibus facta deditione, ea potiti ſunt noſtri. Inde (inquit (c) Tyrius) Deo gratias & hoſtias ſolemnes exhibituri, Hieroſolymam dominus Rex cum domino Principe Antiocheno, cum domino Patriarcha *Hieroſolymitano ſcilicèt*, & domino Legato contendunt. Completis autem ibi de more orationibus, & mora per dies aliquot Hieroſolymis habita, dominus Princeps, *Antiochenus videlicèt*, pertentata domini Legati mente, quid propoſiti adversùs Patriarcham ſuum *Antiochenum* haberet, & invitans eum, ut non tardaret venire, ſed fortis & de ejus auxilio certus veniret, Antiochiam reverſus eſt.] Et inferiùs: (d) *Legatus* completis orationibus, dominum Patriarcham *Hieroſolymitanum*, & univerſos regni pontifices ad Synodum convocans apud Antiochiam, pridie Kal. Decembris, illùc cum omni celeritate contendit.

c *Idem ibid.*

d *Idem ibid. c.* 15. 16.

XXXI. Concilium Antiochenum.

Die igitur ſtatuta affuerunt de diœceſi Hieroſolymitana dominus Vvillelmus Patriarcha, Gaudentius Cæſarienſis Archiepiſcopus, Anſelmus Bethlehemita Epiſcopus: affuit & dominus Fulcherus Tyren-

…enſis Archiepiſcopus, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ multùm devotus & fidelis, in quo tota ſpes Legato erat conſummationis negotii: erat autem vir magnanimus & diſcretus plurimùm. Affuit quoque cum duobus ſuffraganeis ſuis, Bernardo videlicèt Sidonienſe & Balduino Berythenſe. De provincia autem Antiochena, quoniam viciniores erant, affuerunt univerſi, quorum varia nimis & ab invicem diſſona erant deſideria. Nam Stephanus Tarſenſis Archiepiſcopus, Gerardus Laodicenſis, Hugo Gabulenſis Archiepiſcopus Canonicorum contra dominum Patriarcham fovebant cauſam. Franco autem Hieropolitanus, & Gerardus Coritienſis, Serloque Apameenſis, licèt ei ab initio adverſarius fuiſſet, converſus ad eum, domino Patriarchæ ſuum manifeſtè præſtabat patrocinium. Alii in neutram partem manifeſtè videbantur declinare. Die ergò præfixa, reſidentibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, ex more in Eccleſia Principis Apoſtolorum, & Pontificalibus induti, præſidente domino Legato, & vices domini Papæ obtinente, lectus eſt in publico mandatorum domini Papæ tenor. Quo perlecto diligentiùs, & pleniùs cognito, prodierunt in publicum accuſatores Arnulphus ſæpè dictus, & Lambertus Archidiaconus: qui licèt priùs cum domino Patriarcha conveniſſet in dolo, & beneficii ſui obtinuiſſet reſtitutionem; tamen converſus in arcum pravum, denuò ſe conſtituit accuſatorem. Adjunctique ſunt eis alii etiam complures, videntes non ſatis proſperè tempora domino Patriarchæ reſpondere. Hinc etiam erat illud manifeſtè verum deprehendere, quod Naſo proverbialiter dicendum tradidit;

Cùm fueris felix, multos numerabis amicos:
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

Procedentes igitur in publicum Auditorium accuſatores, paratos ſe dicunt ſecundùm juris regulas porrectis libellis accuſatoriis, ad accuſandum procedere, & ſubiicere, ſi deficiant, talionem. Erant autem capitula, ſuper quibus propoſuerant eum impetere, ſchedulis inſcripta. Quædam de enormi & indiſciplinato, & contra regulas ſanctorum Patrum ejus in Patriarchatum introitu. Quædam de ejus incontinentia, & operibus ſimoniacis. His inſtanter poſtulantibus, ut ſe præſentem exhiberet, mittuntur qui eum ad Synodum ſolemniter invitent; & ut ad objecta veniat reſponſurus, moneant: qui omninò venire refutavit. Ea itaque die nihil ampliùs proceſſum eſt in verbo illo, niſi quòd exhortatorios habuerunt ſermones ad invicem, ſicut moris eſt in talibus.

XXXII. Secunda ſeſſio. Secunda iterũ die convenientes denuò & ex ordine reſidentes, iterùm citatorio edicto dominum Patriarcham ſolemniter vocant. Qui ſicut & pridiè, omninò venire noluit. Interim Serlo Apameenſis Ar-

A chiepiſcopus in choro Pontificum ſine veſte reſidens nuptiali (non enim more aliorum indutus erat Pontificalibus) à domino Legato convenitur, quare reliquis fratribus non conſonaret; & quare ad accuſandum, ſicut aliquando fecerat, non procederet? Reſpondit: Quod aliquando feci, inconſulto calore, & contra ſalutem animæ meæ, detrahens patri meo, & more maledicti Cham, verenda patris diſcooperiens, operatus ſum: & nunc ab errore devio me, auctore Domino revocans, nec eum accuſare, nec judicare præſumptuoſè tentabo, ſed pro ejus ſtatu & B incolumitate paratus ſum uſque ad mortem decertare. Præcipitur ergò exire, & data in eum ſententia excommunicationis ſimul & degradationis, ſive juſtè, ſive aliter, ab omni officio ſacerdotali & Pontificali depoſitus eſt. Tantus enim timor domini Principis, in partem Legati nimiùm proclivis omnes invaſerat, ut jam nulla contradicendi libertas alicui præſtaretur. Incendebat eum Principem minus providum & indiſcretum quidam Petrus Armenius præſidii civitatis cuſtos, vir malitioſus ſupra modum, ſperans quòd ſi Patriarcham deponi contingeret, quemdam nepotem C ſuum Haimericum nomine, quem dominus Patriarcha in ſuam perniciem ejuſdem Eccleſiæ Decanum fecerat, poſſet per ſeductum Principem in ſedem illam provehere: quod & factum eſt: Serlo igitur ſive de facto, ſive de jure depoſitus, Antiochia egrediens, in ſuam diœceſim ſe contulit, perveniensque ad caſtrum Harenc, ægritudine præventus, & curarum anxius pondere lecto decubuit, & converſus ad parietem, & injuriæ enormitatem non ferens expiravit. Tertia demùm die iterùm convenientes, & reſidentes ex ordine, tertiò dirigunt qui dominum Patriarcham pe- Tertia ſeſſio.
D remptorio citent edicto, & ut veniat objectis reſponſurus moneant. Qui utrum conſcientiam veritus, an contra ſe Synodum invidioſè collectam ſciens, & Principis violentiam timens, pro certo compertum non habemus; venire ſicut & priùs, omninò negavit. Erat autem in palatio ſuo cum ſuis familiaribus, multo ſtipatus equitum & popularium comitatu. Convenerant enim ad ejus ſubſidium univerſi de civitate, qui niſi Principis timuiſſent potentiam, Legatum cum univerſis, qui in ejus depoſitione convenerant, urbe cum ignominia parati erant depellere. Videns E ergò Legatus, quòd ad ſe venire nolebat Patriarcha, de domini Principis confiſus patrocinio & viribus, in palatium aſcendit, ibique data in eum depoſitionis ſententia, anulum & crucem compulit violenter reſignare. Inde jubente Legato, Principi traditus, & vinculis miſerabiter alligatus, tamquàm vir ſanguinum ignominioſè tractatus, apud monaſterium S. Simeonis juxta mare in monte eminentiſſimo ſitum carceri mancipatus eſt.] Et infra: Catenatus in monaſterio diu detentus tandem elapſus, Romam profectus eſt.

eſt. Ibi aliquatenùs gratiam Sedis Apoſtolicæ aſſecutus, dum redire maturaret, veneno hauſto, ſceleris miniſtro porrigente, neſcimus quo, miſerabiliter interiit.] Hìc tandem finis hominis infeliciſſimi, qui ſibi ipſi auctor tot ærumnarum fuit. Sed proſequamur ejuſdem Legati reliquas res geſtas in Oriente. Pergit Tyrius: (a)

a Vvillel. Tyr lib. 15. c. 18.

XXXIII. Legatus igitur depoſito Patriarcha, & conſummatis apud Antiochiam pro quibus venerat negotiis, Hieroſolymam reverſus eſt, ubi uſque ad ſolemnitatem Paſchalem moram faciens, habito priùs conſilio cum Prælatis Eccleſiarum, tertia poſt ſanctum Paſcha die, unà cum domino Patriarcha & Epiſcoporum nonnullis templum Domini ſolemniter dedicavit. Affuerunt ibi dedicationis die multi tàm de partibus Ultramontanis, quàm de Ciſmarinis regionibus magni & nobiles viri, inter quos affuit & dominus Joſcelinus junior Comes Edeſſanus, qui tunc in ſolemnibus S. Paſchæ diebus magnificè nimis in civitate moram faciebat. Qua celebritate completa, convocatis Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis unà cum domino Patriarcha, Concilium celebravit in primitiva & Eccleſiarum matre ſancta Sion, tractans ibi cum eis de iis quæ inſtanti tempori videbantur convenire. Cui Synodo interfuit Maximus Armeniorum Pontifex, immò omnium Epiſcoporum Cappadociæ, Mediæ, & Perſidis, & utriuſque Armeniæ Princeps & doctor eximius, qui Catholicus dicitur. Cum hoc etiam de Fidei articulis, in quibus à nobis diſſentire videtur populus ejus, habitus eſt tractatus, & ex parte ejus promiſſa eſt in multis correctio. Quibus ritè peractis, prædictus Legatus ad Acconenſem rediens civitatem, inde parato navigio Romam reverſus eſt.] Hactenùs Alberici Oſtienſis Epiſcopi totius legationis periodus. Porrò iſta omnia hoc anno cœpta, quo Bernardus Patriarcha obiit, propagata eſſe uſque ad annum ſaltem milleſimum centeſimum triceſimumnonum oportuit. Nam primum adventum Patriarchæ Antiocheni Romam contigiſſe vidimus eo tempore, quo Innocentius Papa pacificè Romæ ſedere, quod non ante annum trigeſimumoctavum factum eſſe, ex iis quæ dicentur inferiùs, apparebit. Sed quoniam haud quæque res geſtæ certis annorum limitibus definitæ ab auctore reperiuntur, ut iiſdem nos annis reddidiſſe potuiſſemus; continuata eadem omnia una narratione oportuit abſolviſſe. Porrò (quod non prætermittendum) ad eumdem Albericum Cardinalem Epiſcopum Oſtienſem Legatum in Syria, extat tùm data epiſtola (b) Petri Cluniacenſis.

Dedicatur templum Hieroſol.

Concilium Hieroſolymitanum.

b Petr Clun. lib. 4 epiſt. 48.

I. Adventus Lotharii Imp ad Innocentium Papam.

Redemptoris annus agitur trigeſimusſeptimus ſupra milleſimum atque centeſimum, Indictione decimaquinta, quo Lotharius Imp. ſe contulit ad Innocentium Papam Viterbium; ubi habito ſimul colloquio iniere conſilium, ut Imperator Apuliam invaderet, Dux Henricus autem ejus gener unà cum Innocentio Papa Campaniam à Rogerio poſſeſſam aggrederetur. Hæc autem in Chronico Beneventano à Falcone præſente rerum inſpectore narrantur, quem ſequemur, cùm ſingulos fermè paſſus eorumdem Imperatoris atque Pontificis affectetur ſtylo licèt rudi, tamen veritate nitente; ſic enim habet: Anno milleſimo centeſimo trigeſimoſeptimo, & octavo anno Pontificatus domini Innocentii, menſe Martio, quintadecima Indictione, præfatus Apoſtolicus Innocentius, qui tunc Piſis morabatur, conſilio communicato, de civitate Piſana ad civitatem Viterbium advenit, præfatum Imperatorem allocuturus. Imperator igitur Henricum generum ſuum cum tribus millibus equitum ad Pontificem deſtinavit Innocentium, addens ut Romanos fines teneat, & Principi Roberto Principatum ſuum *Capuanū videlicèt* reſtituat: ipſe verò Marchas adire diſpoſuit.] Sed quoniam ambos ad diverſa tendentes ſtylus ſimul conſequi minimè valeat, Pontificis primùm, poſtea verò ſectabimur veſtigia Imperatoris:

II. Innocentius Papa accerſit S. Bernardū.

Innocentius igitur, uti Vicarius Chriſti, Petrique ſucceſſor, ſic rem agendam armis adverſùs tyrannum Siculum rerum Eccleſiæ invaſorem aggreditur, ut tamen, ſi penes eum vel alios Eccleſiæ Catholicæ hoſtes locus aliquis capeſſendæ rationis reliquus eſſe poſſet, eos potiùs religione quàm armis ſubigeret. Cujus rei præſtandæ cauſa præpotentem virum opere & ſermone Bernardum Claravallenſem Abbatem ad ſe litteris accerſivit, quo potiſſimùm ad ſuadendos, convincendoſque obduratos ſchiſmaticos uteretur. De hac vocatione viri ſanctiſſimi, qui ejus res geſtas conſcripſit Abbas Bonævallis, ſic narrat: (c) Intercà litteræ Apoſtolicæ virum Dei vocant, & ut adſit laboranti Eccleſiæ, ſupplicant Cardinales. Intermittuntur ſtudia (*ſuper* (d) *Cantica tunc Homilias elaborabat*) & quæ modò continua erant interpolatis diſcurſibus reſumuntur. Nulla vacatio ſupereſt, ſervus Dei aut orat, aut meditatur, aut legit, aut concionatur. Videns igitur excuſationes fruſtrà obtendi; convocatos à multis partibus Fratres diu profundèque ſuſpirans affatur.

c Vit. S. Bernar. lib. 2. c. 7.

d Bern. ep. 153.

Videtis Fratres, in quantis tribulationibus laboret Eccleſia. Pars quidem Petri in

Italia

Italia & in Aquitania, anctore Deo, eliſa, jam non parturit, ſed abortit. Enſati ſunt in his regionibus ſchiſmatis defenſores, Rnmæ magna pars nobilium Innocentium ſequitur, & favent ei multi Fidelium, qui tamen temerariæ multitudinis impetum formidantes, non audent publicè confiteri, quem Innocentio firmavere conſenſum. Conjuratos habet Petrus homines perditos, quos corrupit pecunia, & munitionibus eorum occupatis, non Simonis Petri fidem, ſed Simonis Magi repræſentat præſtigia. Contra unam gentem Occidente edomito ſupereſt lucta. Orantibus vobis & jubillantibus, Jericho (*a*) ruet, & cùm extenderitis ad Deum cum (*b*) Moyſe manus, Amalech victus auſugiet. Joſue (*c*) pugnat, & ut ad conſummationem victoriæ dies ſufficiat protelata. Soli ut ſtet, non tàm orat, quàm imperat, & meretur fides tàm Solis obedientiam, quàm de hoſte proſtrato victoriam. Nobis igitur pugnantibus vos ferte præſidinm, & auxilium de cœlo ſupplicibus animis implorate. Agite quæ agitis, & ſtate in gradu quo ſtatis; & licèt nihil vobis conſcii ſitis, judicio tamen veſtro non æſtimetis vos juſtos: quia ſolus Deus quos juſtificat, judicat, & perfectiſſimus quiſque judicii divini diſtrictum examen ignorat. Judicari autem ab humano die non multùm curetis, neque veſtra propria, neque aliena judicia approbantes, ſub timore Dei ſic ſtata, ut nec vos quempiam judicantes aliquando extollamini, nec aliorum curantes judicia eccidatis in nugas: ſingula verò proſequentes, vos ſervos inutiles reputetis. Eundum eſt autem, quò nos obedientia vocat, & hujus domus paternitatem, & veſtri cuſtodiam Deo, pro quo hunc laborem aſſumimus, confidentes de ejus clementia tradimus & commendamus. Hæc dicens & benedicens, flentibus univerſis diſceſſit.] Diſcedens ſanctus Bernardus, reliquit ſermones ſuper Cantica abſolutos vigintitres, ut appareet ex ſequenti ſermone vigeſimoquarto, quos ſtatim deſcriptos miſit ad amicum chariſſimum Bernardum de Portis Carthuſianum, ut ejuſdem ſancti Bernardi ad eum litteræ (*d*) ſcriptæ teſtantur: pro quo & ad Innocentium Papam ſcripſit, (*e*) cùm ab eo ad Epiſcopatum aſſumendus eſſet, rogans ne Longobardis daretur Epiſcopus eo præſertim tempore procelloſo.

a *Ioſue* 6.
a *Exod.* 17.
c *Ioſue* 10.
S. Bernardus vocatus ab Innocentio Papa recedità ſuis.
d *Bern. ep.* 154.
e *Idem ep.* 155.

IV. Recedens igitur à ſuis ſanctus Bernardus Romam verſus, cùm perveniſſet in Tuſciam, putans Piſis reperire Pontificem, ubi hactenùs commoratus eſſet; ubi audivit inde ipſum receſſiſſe, quo ſciebat Pontificem præceſſiſſe Innocentium, Viterbium venit, ibiq; paſſus eſt fratrem chariſſimum Gerardum ægrotantem, quod idē ipſe teſtatur in ſermone, (*f*) ſuper Cantica, quem in ejus obitu poſt reditum habuit: ubi hæc ejus verba: Recordor Domine pacti mei, & miſerationis tuæ, ut magis (*g*) juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum judicaris. Cùm pro cauſa Eccleſiæ anno præterito Viterbii eſſemus, ægrotavit ille, & invaleſcente languore, cùm jam proxima videretur vocatio; ego ægerrimè ferens comitem peregrinationis, & illum comitem in terra relinquere alienæ, nec reſignare his, qui mihi eum commiſerant, quoniam amabatur ab omnibus, ſicut erat amabilis valdè: converſus ad orationem cum fletu & gemitu: Expecta, inquam, Domine uſque ad reditum: reſtitutum amicis tolle jam eum ſi vis, & non cauſabor. Exaudiſti me Deus, convaluit; &c.] Sed & de commoratione facta Viterbii, idem ipſe S. Bernardus meminit in epiſtola centeſima quinquageſimaprima ad Philippum. Cùm autem ad Innocentium perveniſſet poſt dies aliquot, legavit eum Papa Romam, ad convertendum eos, qui adhùc in ſchiſmate permanſiſſent. De quo iſta auctor, qui ſuprà, in vita ipſius. (*h*) In cujus adventu tàm dominus Papa, quàm fratres lætati ſunt, & communicatis cum eo conſiliis, ſecundùm rerum proventus & ſtatum cauſarum Abbas alia via opus aggreditur, nec in curribus, nec in equis ſpem ponens, ſed colloquia quorumdam ſuſcipiens, ſciſcitatur, quæ ſit eorum facultas, qui fautorum animi, utrum errore an malitia ſeducti tantum ſcelus protrahant, & protelent.

f Id. in Cant. ſerm. 26. in fine.
g *Pſal.* 50.
Gerardi fratris S. Bernardi ægrotatio.
h *Vit. S. Bern. lib.* 2. *c.* 7.

V. Intelligit ex ſecretis, Clerum qui cum Petro erat, de ſtatu ſuo ſollicitum, ſcire quidem peccatum, ſed non audere reverti, ne perpetua notatus infamia, vilis inter cæteros haberetur; & malle ſub umbra honeſtatis interim ſic eſſe, quàm expelli à ſedibus ſuis, & publicæ mendicitati exponi. Eorum qui de Petri proſapia erant, hæc erat reſponſio: Quia jam credi eis à nemine poſſet, ſi demembrarent genus ſuum, & eum relinquerent, qui cognationis ſuæ caput eſſet & dominus. Cæteri juramento fidelitatis excuſabant perfidiam, nec aliquis ex ſana conſcientia parti illi conferebat ſuffragia. Denuntiabat itaque Abbas eis; colligationes impietatis eſſe ſacrilegas, & profanas conſpirationes legibus & canonibus condemnatas, juramentis non poſſe muniri; nec poſſe nec debere veritatis ſacramenta mendacio ſuffragari. Inſanire autem eos, qui rem illicitam ſacramenti patrocinio conſtare exiſtimant, cùm oporteat extraordinarias pactiones quocumque religionis obtentu ſancitas revocari in irritum, & anctoritate divina diſſolvi. Auditis his aliiſque viri Dei ſermonibus, defluebant à Petro, & quotidiè partis illius diſſociatis agminibus, vincula rumpebantur, ipſius quoque Petri animus tabeſcebat, quia ſe quotidiè minui, Innocentium verò creſcere minimè dubitabat. Defecerant pecuniæ, contabuerat Curiæ amplitudo, aruerant miniſteria domus, rarus menſam ejus frequentabat conviva, deliciæ in plebeja cibaria commutatæ, cultus obſequentium vetuſtate obſcurus; ſtipendiarii ære alieno oppreſſi, & tota domus effigies pallida diſſolutionem proximam indicabat.] Hæc de ſtatu ſchiſma-

Qualis ſtatus ſchiſmaticorū in urbe.

A ſchiſmaticorum in Urbe, ubi diu moram magno proventu Catholicorum ſanctus Bernardus protraxit. Quomodò autem poſt hæc, eodem tamen anno, inde ſit vocatus ad caſtra, ſuo loco inferiùs dicturi ſumus. Jam Innocentii Papæ & ejus qui cum eo erat, Henrici Ducis veſtigia aſſectemur, de quibus hæc habet in primis Beneventanum Chronicon: Apoſtolicus autem continuò poſt congreſſum cum Imperatore habitum Viterbii, ad Romanorum fines advenit, & civitatem Albanum & provinciam totam Campaniæ ſuæ obtinuit fidelitati. Romam quidem ingredi noluit, ne Romanorum negotiis impediretur.] Hæc ibi de Pontifice, de quo hæc B ampliùs Petrus diaconus his præſens in Chronicis (a) Caſſinatibus:

a Petr. diacon. Chron. Caſſ. lib. 4. c. 106.

VI. Eodem tempore Henricus Dux, gener Imperatoris, intravit Campaniam unà cum Papa Innocentio ab Imperatore tranſmiſſus. Igitur cùm in planicie Caſſini contigus caſtra poſuiſſent: Richardum Pontificis memorati capellanum & Caſſinenſis cœnobii monachum ad monaſterium mittunt; mandantque, ſi ſe ſuſcipere velint, & Innocentio Papæ obedire: ſe illos ut filios, ut fratres, ut ſocios dilecturos, mo- C naſteriumque ſub cuſtodia & protectione Imperatoris habituros. Non conſentiente Rainaldo, *Abbate nuper creato videlicèt*, Fratribuſque, illum monaſterio deturbare idcircò accipientibus: convocat ad Capitulum Fratres, hortatur ut in Rogerii fide permaneant, ac Petri Leonis filio pareant; auxilium illis non defuturum. Poſtremò fatetur Abbatiam ſe ab eis accepiſſe, eamque pro illorum arbitrio, ſive tenere, ſive dimittere paratum. Hæc ille.

Abbas intruſus Rejicit Innocen. Pap.

Jam verò Gregorium Adenulphi filium cum exercitu clàm advocaverat; cujus ope D monaſterium contra Papam, Ducem, atque monachos retinere poſſet. Ei advenienti fœderatus Abbas monaſterii munitiones tradit, impetuque facto, Pontificia Nuntios fugat. Apocriſarii Pontificis dum ad civitatem, quæ monti adjacet, perveniſſent: cives jurare Imperatori fidem ſuadent, ſicque ad caſtra redeunt. Rainaldus autem *Abbas* intra monaſterium cum Gregorio incluſus, ſata monaſterii vicina incidebat, vaſtabatque omnia, ne quid ad victum hominum vel jumentorum reliquum eſſet. Jam ferè undecim tranſierant

Paciſcitur intruſus cũ Henrico Duce.

E dies, cùm Dux monaſterii conſumi bona perſpiciens, ſimulque pugnæ præterire tempus, Rainaldum evocat, acceptoque aureo calice, & quadringentis libris obſidibus datis, Abbatiam illi, ſi in ejus fide permaneat, ex Imperatoris parte confirmat, & eum à ſe ſuiſque ſecurum reddens, Imperatoria vexillum intra beati Benedicti Eccleſiam induci, ac demùm in arce quæ Eccleſiæ imminet, ingenti cum laude præcepit imponi. Die altera movens caſtra, exercitum contra Capuam dirigit. Ibi Rabo Rahelis filius, & Goffridus Aquilanus venientes, ſe ſuoſque Pontificia ac Roberti Principis & Henrici Du-

A cis imperio ſubdunt. Hoc facto, Capuanus omnis Principatus Rogerii juſſa linquentes, Papæ veſtigiis advolvuntur, omnia imperata facturos pollicentes, plerique ob antiquam Roberti Principis amicitiam, alii ſpe præmii illecti, alii ut officio ſuo ſatisfacerent, dominoſque ſuos recognoſcerent, ad eos confluebant.

VII. Intereà Henricus unà cum Innocentio, reſtituto Roberto Principatu, ad pontem S. Valentini juxta Beneventum caſtra ponunt.] At iſta Beneventana ex Falcone, qui tunc iſta ſcribebat, ſunt accipienda, B qui cuncta per ſingulos fermè dies geſta recenſet, atque in primis de Imperatore, tentante Apuliam, & ſubiiciente eam ſibi iſta præmittit:

Præfatus autem Imperator ad flumen Piſcariæ adveniens, Paſcha Domini ibi celebravit: inde flumen tranſiens, civitatem Thermulenſem, & illius provinciæ Comitea obtinuit, & inde moto exercitu Apuliam ingreditur, & civitatem Sipontum & montem ſancti Angeli, octavo die intrantis menſis Maii comprehendit. Tantus itaque timor totam invaſit Apuliam, quòd univerſus populus uſque ad Barum C ad ejus Imperium aggregatus eſt. Et his actis, poſt captam civitatem S. Germani, atque Capuam, & reſtitutam eam Roberto, prædictus Apoſtolicus decimo Kalendas Junii Beneventum venit, & retrò montem ſancti Felicis prope Beneventum cum Henrico Duce prædicti Imperatoris genero caſtramentatus eſt. Qui continuò dominum Gerardum Cardinalem virum prudentem & diſcretum prope civitatem miſit Beneventanam, ut cum Beneventanis loqueretur, utrum cum eo pacis firmamentum ponere vellent. Venerunt itaque ad eum quidam de civibus Beneventanis, & D cum illis ſatis abundeque de civitatis concordia tractavit, & his actis, *reverſus* ad dominum Apoſtolicũ, omnia quæ dicta ſunt, expoſuit. Alio autem die adveniente, prædictus Apoſtolicus conſilio arrepto, caſtra indè amovit, die videlicèt ſabbathi, & ex parte dicti montis S. Felicis, tranſivit cum exercitu dicti Henrici Ducis ad planiciem S. Petri juxta flumen Sabbetum. Beneventanus autem populus nihil ex his quæ fiebant, agnoſcere poterat: quod ubi Beneventani noverunt, timore admodùm perculſi ſunt. Tunc Roſcemanus intruſus ab Anacleto Beneventanus Archiepiſcopus, E Romanæ Sedis adverſarius, cives ferè univerſos commovit, ut contra Apoſtolicum venientem inſurgerent, & ad eorum poſſe reſiſterent.

Imperator invadit & capit Apuliam.

VIII. Tunc abſque mora prædictus Gerardus Cardinalis vocari fecit Landulphum judicem Beneventanum, & Ludovicum medicum, & Malfredum de Grimoaldo Abbatem, ut de pacis fœdere loquerentur, & civitatem domino Papæ Innocentio redderent. Exierunt itaque illi vocati, & petitionibus Apoſtolici faventes ad civitatem revertuntur. Intereà quidam Beneventani ad horam, ferè nonam exeuntes,

Digitized by Google

A tes, cum Teutonicis pugnare cœperunt, putantes eis timorem incutere, & in fugam agere. Dux verò illorum audiens Beneventanos ita in ſe inſilire, ſuos armavit occultè, & poſuit in inſidiis, in quos Beneventani incurrentes, ab ipſis ſunt in fugam acti, cæſis ex eis nonnullis & vulneratis, aliis verò captis, quod magnam afflictionem civibus intulit. Die Dominico quidam de civibus veniunt ad Apoſtolicum, petentes ſuppliciter captivos, quos ſtatim ipſe Apoſtolicus juſsit abſolvi, reddique liberos ſuis. Quibus acceptis, facta eſt ex parte deditio civitatis.

Deditur Beneventũ Innoc. Pap.

B Nam exhibita ſunt juramenta fidelitatis eidem Innocentio Papæ ab iis, qui ad Innocentium ipſum venerunt. Cumque interea Teutonici provocati à quodam Beneventanorum primario, civitatem ingredi & perdere feſtinarent; occurrit Innocentius Papa, & per Ducem ipſorum Henricum compeſcuit eos, ſicque opera Papæ liberata eſt civitas è præda Teutonum. Tunc quoque accidit, ut Creſcentius Cardinalis partis Anacleti, qui tùm in Beneventana erat civitate pro eodem ſchiſmatico Papa, comprehenſus à civibus ductus ſit ad Innocentium Papam, cujus erat magnoperè adverſarius; ſicque intra civitatem mota ſunt à civibus arma adversùs eos, qui Anacleto faviſſent. Fugit pſeudoarchiepiſcopus timore actus. Tunc exhibita eſt ab Innocentio ea humanitas, ut exules in civitatem reverti liberos ſineret, inter quos fuit auctor Chronicorum horum, Falco dictus, ut ipſe teſtatur. His peractis, rebuſque benè diſpoſitis, rursùm tertiò idem Apoſtolicus Gerardum Cardinalem mittit in civitatem, qui à civibus juramentum fidelitatis exigeret, quod & factum eſt.

Creſcentius pſeudocardinalis datur Innocent.

C

IX. His ita peractis, Innocentius conſilio habito, iter arripuit, octavo Kalendas Junii ad Imperatorem. Veniens autem ante portam, Summam, cognominatam, invenit ibi populum ipſum expectantem, ad quos iſta locutus eſt: Gratias vobis agimus, quia concorditer & voluntate ſincera fidelitatem nobis præſtitiſtis. Rogo itaque fraternitatem veſtram & probitatem, ut pacem teneatis & conſtantiam juſtitiæ inter vos. Nam vita comite, dignam vobis retributionem impendemus. Civitatem verò modò intrare non poſſumus pro multis & variis negotiis, quæ cum domino Imp. definienda decrevi. At his divina clementia definitis, ad vos revertemur, & de civitatis utilitate tractabimus. Nunc verò fratrem noſtrum Gerardum Cardinalem vobiſcum morari permittimus, qui erga veſtras utilitates aſſiduò vigilabit, & pacem inter vos conſervabit. His & aliis dictis, Innocentius cœptum proſecutus iter, ad Imperatorem Lotharium venit, quem obſidentem Barenſem civitatem invenit. Sic igitur profuit Beneventanis præſentia Innocentii, ut qui furore Teutonico conſumendi fuiſſent, conſervarentur incolumes cum civitate, iis exceptis, qui ſpontè ſua ſeſe dederunt imprudenter in hoſtes.

Innocentius recuperat Beneventum.

D

E

A Cùm igitur Imperator Barim civitatem cepiſſet, & caſtellum ejus munitiſſimum poſt obſidionem quadraginta dierum pariter expugnaſſet, cæteras civitates Apuliæ in deditionem accepit, ſicque brevi tempore univerſa Lotharius Imperator eſt potitus Apulia. Ubi dum eſſet apud Melphim unà cum Innocentio Papa, apud lacum Penſilem audiſſe Imperatorem Caſſinenſes monachos à ſe vocatos, & diſceptationem ab eis habitam cum quibuſdam S.R.E. Cardinalibus menſe Julii, deſcribitur in Actis; (a) quorum cùm dubia ſit fides, dicemus de illis anno ſequenti, quo eadem Acta ſignata noſcuntur. Modò reliqua proſequamur. His igitur feliciter geſtis, ad expugnandum Salernum Imperator convertit exercitum, quam civitatem & ita perſtrinxit, ut ad deditionem coegerit.

X.

a Petr. diacon Chron. Caſſ. lib. 4. c. 109. 110.

B

Salernum deditur Imperatori.

Inter hæc accidit, ut Innocentius Papa de rebus hactenùs proſperè geſtis brevem epiſtolam ſcripſerit ad Petrum Abbatem Cluniacenſem, quæ hactenùs inter ejuſdem Petri epiſtolas conſervata ſic ſe habet: (b)

b Pet. Cluniac.

XI.

C Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Petro Abbati Cluniacenſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Super ſollicitudine, atque diligentia, quam erga nos & B. Petri negotia te exhibere cognovimus, omnipotenti Deo & tuæ devotioni gratias agimus. Benedictus igitur Dominus Deus Iſrael, qui viſitavit, & fecit redemptionem plebis ſuæ. Qui etiam ita nobiſcum magnificare dignatus eſt miſericordiam ſuam, ita fecit proſperum iter noſtrum, ut ab Urbe Roma uſque Barim vix aliqua civitas, caſtrumve remanſerit, quod B. Petro & nobis ſubjectum & obediens non exiſtat. Qua in re gaudemus divinæ manus antiqua coruſcare

D miracula, dum S. Eccleſia, quantò ampliùs ſub malleo tribulationis tundi conſpicitur, tantò altiùs * ſublevatur, & more aromatum, quò magis verberibus teritur, eò latiùs odoramenta ſuavitatis effundit. Et quidem optabile nobis erat, ſi quemadmodum nobis per litteras indicaſti, perſonæ tuæ poſſemus habere præſentiam, ut vel ſic labores noſtri diurni atque nocturni valerent Deo propitio mitigari. Sed quoniam æſtivi fervores, & aeris intemperies, nec non fragilitas complexionis tuæ id minimè patiuntur; charitatem tuam hortamur in Domino, quatenùs his omiſ-

* Sublimatur.

E ſis, unà cum ſacro Cluniacenſi collegio orationibus conſuetis inſiſtas, ut benignitatem, quam Conditor noſter voluit nobis hactenùs exhibere, felici conſummatione perficiat; & diutinis laboribus ſponſæ ſuæ atque Chriſtiani populi ſub jugo illius tyranni Siculi macerati, veſtris & aliorum Religioſorum precibus inclinatus, jam nunc optatum finem imponat. Quod profectò ſicut de ipſius pietate confidimus, velociter conſummabitur. De cætero præfatum Conventum per te in Domino ſalutantes nos, & fratres no-

…is & eorum orationibus commen- A . Data in territorio Potentienſi …lend. Auguſti.] Eſt locus in pro… Picentina haud longè à Salernitana …e.

…è verò idem Innocentius Papa venit cum imperatore Beneventum verſus, & in Avellina civitate conſidet die ſecunda menſis Auguſti. Ubi (inquit Falco) ipſe Apoſtolicus Innocentius Ducem ad defenſionem Apuliæ ordinare nomine ſuo ſatagebat, Imperator verò nomine ſuo contra voluntatem Apoſtolici ordinare volebat. Unde factum eſt, ut per triginta ferè dies adinvicem ea de re fuerit diſcordatum; ſed B ſapientium conſilio communicato, diſcordia talis deſtructa eſt. Quid multa? divina favente clementia, & ipſo Imperatore annuente, omnibuſque ſuis, prædictus Apoſtolicus ſuo nomine ad B. Petri fidelitatem, Comitem Rainulphum, virum utique prudentem & diſcretum, in Ducem elegit, & eo electo, vexillum ad honorem Ducatus Apoſtolicus & Imperator in conſpectu omnium ei tradiderunt & confirmaverunt.] Poſt biduum verò idem Imp. Lotharius unà cum Imperatrice Beneventum ſe contulit ipſis Kalendis Septembris, ubi dignè excepti ſunt: poſt triduum ve- C rò advenit Innocentius Papa, ubi à Clero & populo ſolemni pompa fuit exceptus.

…ſtat Rainulphũ Ducem Apuliæ.

XII. At quomodò ibi primum omnium Beneventanum creaverit Archiepiſcopum, more majorum, his verbis idem auctor, qui præſens aderat, ſic narrat: Altera die adveniente, idem Apoſtolicus in ſacro palatio ſedens, in conſpectu Cleri & populi Beneventani clamavit, ut ſi quis contra perſonam, & electionem Gregorii Beneventani Electi canonicè & rationabiliter opponere vellet, libera fronte opponeret, Sed clementia divina opitulante, & quia D Electus ipſe vitam ſuam religioſè cuſtodierat, nemo civium contra ejus electionem aliquid objecit. Apoſtolicus verò hoc aſpiciens, gratias Deo egit: ipſe de perſona Electi teſtificatus eſt, quòd honeſtè & religioſè vixiſſet; & eidem Electo præcepit, ut de peccatis ſuis confiteretur, & die Dominico adveniente, Spiritu ſancto cooperante, conſecrationem acciperet. Quid multa? Die adveniente Dominico, Apoſtolicus in Eccleſiam Epiſcopii deſcendit quinta die menſis Septembris, & Electum ipſum conſecravit. Cui conſecrationi Patriarcha interfuit Aquilejæ, & alii E Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates Teutonicorum, viri religioſi.] Hæc de conſecratione Archiepiſcopi Beneventani. Sexta autem die Septembris, quod petierunt Beneventani, obtinuerunt ab Imperatore, nempè ut Barones omnes circumpoſiti jurarent, relinquere Beneventanos immunes ab omnibus angariis, quas illi imponere conſueverant eorum poſſeſſionibus, ſub eorum dominiis conſtitutis.] His autem peractis, unà ſimul cum Imperatore Innocentium Papam Romam verſus iter

Ab Innoc. Papa creatur Archiepiſc. Benevent.

A capeſiſſe, idem auctor affirmat. Sed in itinere divertiſſe Caſſinum, Petrus habet in Chronico Caſſinenſi.

XIII. Quænam tunc inter Innocentium Papam & Imperatorem occaſione Caſſinenſium monachorum geſta fuerint, ex Appendice Petri diaconi ad Caſſinenſe (a) Chronicon videamus. Rainaldus Abbas aſſertus Caſſinenſis, qui vocatus venerat ad Imperatorem cum aliquibus ex ſuis, juſſus ab Innocentio Papa ſchiſma, quod hactenùs ſectatus fuerat, abjurare unà cum ſuis, quos ſecum duxerat. Juſſus verò redire ad ſuos, miſit (inquit Petrus) *Innocen-* B *tius* Pontifex cum dicto Rainaldo Balduinum presbyterum Cardinalem, præcipiens, ut filium Petri Leonis, *Anacletum ſcilicet pſeudopontificem*, à Caſſinenſibus monachis anathematizari faceret; ac Papæ ejuſque ſucceſſoribus obedientiam ab ipſis exigeret. Quod ita factum eſt.] Addit his Petrus, eumdem Rainaldum Abbatem accuſatum quòd Rogerio faveret, ab Imperatore compreſſum. Cùm ipſe Imp. (ſubdit Petrus) omnibus negotiis ritè ordinatis ad S Germani oppidum cum exercitu, Papa quoque comitante, pervenit; ibique Rainaldo tunc ſub cuſtodia degente, honori- C fica proceſſione ſuſceptus eſt. Et eo quidem die electus *Rainaldus* ipſe in ſecretario baſilicæ S. Salvatoris cuſtoditus eſt, poſtmodùm verò ad monaſterium ubi examinandus erat, ſub cuſtodia diligenti remittitur.

a *Petr. diacon. Chron. Caſſ. lib* 4. *c.* 119

XIV. Alia (*b*) die Imperator direxit Hannonē Abbatem cœnobii Luneburgenſis, & Petrum diaconum ad monaſterium, per eos Fratribus mandans, ne quid incompoſitum, aut indiſciplinatum in habitu, in inceſſu, ſeu locutione præferrent. Venturum ſe ad monaſterium cum Cardinalibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbati- D bus, Principibus, Ducibus, religioſiſque ex omni Imperio viris: ac ſi quidem inveniret Rainaldum tanto ordine indignum, confeſtim eum removeret, atque in beati Benedicti ſede idoneum præponere omni ſtudio quæreret. Ipſe verò coronam Patriciatus accepturus, in civitate remanſit. Quippè tunc Exaltationis ſanctæ Crucis agebatur celebritas, *nempè dies decimaquarta erat menſis Septembris*. Cùm verò illuxiſſet, Richiza Auguſta montem totum pedibus aſcendit, Papa in civitate remanente. Lotharius quoque Imperator innumero vallatus exercitu, Caſſinum perve- E nit, atque à Fratribus maximo cum honore ſuſceptus eſt. Obtulit autem ipſo die S Benedicto Pluviale optimum aureis liſtis ornatum, & planetam ejuſdem operis; candelabra quoque argentea duo librarum ferè tredecim; auri marcham unam, & novemdecim marchas argēti. Richiza autem Auguſta poſuit ſuper altare ſtolam phrygiam cum manipulo ſuo, & mitram auro decenter ornatā.

b *Idem cap.* 120.

XV. Eo etiam die, dum Imperator in Eccleſia conſiſteret, Rainaldus Fratres ad Capitulum convocans, oſtendere cœpit ſe ab eis electum, ad illorum nutum Abbatiam

dimiſ-

Digitized by Google

dimiſſurum, nihil opus eſſe pro hac re fatigari. Et cùm hæc & alia multa recipe-ret; quidam ex laicis Capitulum ingreſſi, arguere Fratres cœperunt, quòd Abbatem vellent in tanto diſcrimine conſtitutum relinquere. Fratres autem indignatione commoti, illos verberibus affectos Capitulo deturbant, clamantes illum ſe Abbatem ulteriùs nolle, qui monaſterium non monachorum, ſed laicorum præſidio tenere mallet. Dehinc ea die ante Solis occaſum Papa Innocentius Nuntio ad monaſterium miſso, mandat Fratribus per fidem & obedientiam, quam ſibi & beato Petro promiſerant, ut eidem Electo ulteriùs non obedirent; illumque ex ipſo cœnobio quamprimùm deturbare curarent. Obſervantibus præcepta ſua gratiam ſuam, contemnentibus perpetuum exilium indicens. Mane facto Haimericus diaconus Cardinalis Romanæ Eccleſiæ Cancellarius, & Gerardus Cardinalis ſanctæ Crucis, & Abbas Claravallenſis ab eodem Papa tranſmiſſi ſunt, qui Rainaldum ipſum examinarent, & à monaſterii cura amoverent.

XVI. Reſidente itaque Imperatore in Capitulo cum Imperii proceribus, conſidente quoque Peregrino Aquilejenſi Patriarcha, cum Archiepiſcopis, Epiſcopis, Cardinalibus, Abbatibus: juſſerunt Electum introduci, multa contra eum proferentes, rebellem, hoſtemque Imperii clamantes. Tunc quidem ſurgens in medium dicere cœpit, eum poſteaquàm cum Henrico Duce convenerat, hoſtem Pontificis atque Imperatoris claruiſſe. Contradicente illo, jubet Imperator utramque partem Capitulum egredi, ut cum Patriarcha & Cardinalibus inde conſultaret. Tunc Peregrinus Patriarcha, Haimericuſque diaconus Cancellarius dixerunt, illum tanto cœnobio præeſſe non poſſe multis ex cauſis: quòd ſcilicèt à filio Petri Leonis, *Anacleto nempè pſeudopapa*, ſubdiaconus ordinatus eſſet, ſacramentumque Rogerio Regi præbuiſſet; tùm quia contra præcepta canonum excommunicati eligere non potuiſſent: poſtremò quòd contra Eccleſiaſtica inſtituta ſubdiaconum elegiſſent, proferentes Eugenii Papæ capitulum ita ſcribentis: Abbates per monaſteria tales eligantur & ordinentur, qui ſacerdotali, vel levitico honore ſint præditi &c. Sed cùm Sol jam ad occaſum vergens noctem induceret terris, Imperatore jubente ſolutus conventus eſt. Cardinales autem cùm vidiſſent haud legitimè iſta ab Imperatore tractari, quæ Pontificia eſſent, receſſerunt, & ad Innocentium ſe contulerunt. Pergit Petrus:

XVII. Die (*a*) altera Imperatore reſidente in Capitulo cum Prælatis atque magnatibus, electus *Rainaldus* in medium ſurgens, cùm vellet objecta diluere, priuſquam verba finiret, ſurgentes Fratres, accuſare illum cœperunt, ſicut & priùs, dicentes electionem ejus ſeditioſè non canonicè fuiſſe celebratam. Hi autem qui ex parte ejus erant,

a *Petr. diacon. Chron. Caſſ. lib. 4. c. 21.*

eos mendacii inſimulabant. Sicque coram A omnibus variis ſe verborum contumeliis afficiebant. Imperator his motus ſurrexit, & manu ſilentium indicens, multùm ſe mirari dixit, tantam Congregationem adeò inordinatè loqui, negotiaque ſua tàm indiſciplinatè agere. Præcepit itaque rationabiliter negotia ſua exequerentur. His dictis reſedit, & reliquis conſidere juſſis, Congregationem ita affari cœpit: Electionem Abbatis tanta diſcordia ſe plenè examinare non poſſe, niſi ambæ ſeorſum partes audirentur. Juſſitque ut omnes Archiepiſcopi, Epiſcopi & Abbates, parſque, quæ Electo favebat, januis obſeratis convenirent.

B XVIII. Quod dum factū eſſet, Hanno Epiſcopus Baſilienſis dixit: Si quid contra Electum habetis, rationabiliter & non tumultuosè proferte. Tunc quidam ex eis illum accuſare cœperunt, quòd electionē ſuam munere linguæ, manus promiſſione redemiſſet. His ita proſequentibus, Pandulphus Veſtiarius exurgens dixit: Sunt quidem multa, quæ adverſùs Electum proferri poſſunt, ſed illud intolerabile, quòd à filio Petri Leonis ordinatus eſt, indignumque valdè ducimus, ut in tanta Eccleſia, quæ monaſteriorum omnium caput ac mater eſt, Abbas ſubdiaconus ſit, qui nec C Miſſarum ſolemnia celebrare, nec poſſit à delictis abſolvere. Tunc Anſelmus Epiſcopus: Multa, inquit, adverſùs Electum proferuntur, ſed hoc potiſſimùm ad deponendum illum objicitur, quòd, teſte Domino, (*b*) fundamentum, quod ſuper arenam collocatur, durare non poteſt. Unde ſi placet, ſepoſitis cæteris, hoc unum teneamus. Quod cùm placuiſſet, cæteris Fratribus egredi juſſis, Rainaldum cum ſuis ad ſe purgandum introduci præcipiunt. Et cùm diu moras traherent: mandat Imperator his, qui ad diſcutiendum D convenerant, ut electo ſuaderent, ſeipſum in poteſtate Imperatoris ac Pontificis poneret, ut quidquid illi ſtatuerent, hoc ipſe abſque dilatione ſequeretur. Ad hæc ille diu cunctatus, tandem conſenſit; ſeque illis liberè ex toto permiſit. Poſt hæc omnibus ad Imperatorem reverſis: Baſilienſis Epiſcopus geſta omnia cunctis per ordinē pandit. Demùm Imperatore ſciſcitante, quid, qui Electo faverant, iidem facere vellent: ad omnia paratos *Imperator* invenit, ſicque ſecundi diei conventus ſolutus eſt. Acta ſunt hæc quarta & quinta feria tertiæ hebdomadis menſe Septembrio, ſe-E cunda poſt feſtum ſanctæ Crucis die.

b *Matt. 7.*

XIX. Poſt hæc mittuntur ab Imperatore, qui Papæ Innocentio rei ſeriem indicent. Qui dum veniſſent, iratum valdè invenerunt, prohibitique ſunt ad eum ingredi, quia præſente Romano Pontifice, Imperator cum Optimatibus ſuis Caſſinenſis Abbatis examinationem facere præſumpſiſſet. Quamobrem Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Abbates, qui aſtiterant, officio privare minatus eſt. Reverſi autem qui miſſi fuerant, quæ apud Papam inveniſſent, Imperatori nuntiare ſtuduerunt. Impera-

Quid Innocentius in Imp. immiſcentem ſe judicio Eccleſ.

A tor iſta Pontifici mandare curavit: Quæ geſta erant, ſimpliciter, neque ad ejus injuriam, ſed ad honorem magis facta eſſe; omnia quippè ex ejus poteſtate pendere; quidquid ipſe decerneret, id omnes pro rato haberent. Atque ideò aliquos à latere ſuo dirigere, qui retractantes omnia, quod juſtum eſſet inde decernerent.] Ad hoc igitur, quòd ſic ſacerdotali conſtantia obſtitit Innocentius Imperatori eum redarguens; quòd cauſam Eccleſiaſticam, ipſo inconſulto, cognoſcendam ſuſcepiſſet, alludere videtur ſanctus Bernardus in epiſtola ad eumdem Innocentium Papam, B dum pluribus exemplis ejus commendat vigorem ſacerdotalem in reſiſtendo & redarguendo Principes ſæculi, ſic dicens: (a) Quid apud ſanctum Benedictum? Numquid regia indignatio prohibere potuit ſpiritum libertatis accenſum atque accinctum adversùs carnem & ſanguinem? &c.] ad hoc inquam alluſiſſe putamus, cùm nullus alius fuerit apud S. Benedictum Innocentio cum aliquo Rege congreſſus. Pergit verò Petrus: (b)

a Bern. ep. 150.

b Pet. diacon. Chron. Caſſ. lib 4. c. 122.

XX. His placatus Antiſtes, *Innocentius Papa videlicet*, ſexta feria quatuor temporum Haimericum Cancellarium, & Gerardum, C aliosque Cardinales eamdem electionem examinare direxit. Qui dum advenientes eam rem diutiùs diſcuterent; convenientes in Refectorium, omnes monaſterii Priores convenerunt, dicentes, Rainaldum omninò amovendum eſſe, quia fuiſſet ab excommunicatis ordinatus. Poſt hæc ſigillatim de perſona eligendi Abbatis tractare cœperunt. Ubi cùm variis ſententiis animadverterent, egreſſi in clauſtrum monaſterii, convocato Electo ex parte Apoſtolicæ Sedis præceperunt, ut à monaſterii cura quieſceret, quia ultrà jam D Abbas eſſe non poſſet. Sicque ad Papam redeuntes, geſta omnia referre ſtuduerunt. Sequenti die rursùs aſcendentes ad monaſterium, in Capitulo reſidere: ubi poſt factum à venerabili Claravallenſe Abbate ſermonem, Cardinales auctoritate Apoſtolica Rainaldo Abbatiæ officium interdixerunt, ſicque unà cum Imperatore, Prælatis, Imperiique proceribus ſurgentes, B. Benedicti Eccleſiam intrant, eumdemque Rainaldum Haimericus Cancellarius, & Peregrinus Aquilejenſis Patriarcha, & Gerardus Cardinalis evocantes, depoſitionis in eum tulere ſententiam. Sicque illorum juſſu, E aſtantibus omnibus, virgam & anulum & Regulam ſupra corpus ſanctiſſimi Benedicti depoſuit. Et Rainaldi quidem hic exitus fuit.

XXI. Poſt hæc (c) in capitulum convenientibus, Gerardus Cardinalis ita loqui orſus eſt: Noſtis amantiſſimi fratres, quia juxta Regulæ præceptum Abbas jubetur à Fratribus eligi. Sed vos licèt veſtra obligatio hac poteſtate privaverit, jamque ad Romanam Eccleſiam hujuſmodi electio pertineat: tamen ob unitatis bonum hac vos uti poteſtate per omnia volumus. Verùm ex præcepto Sedis Apoſtolicæ injungimus; ut duodecim ex omni Congregatione Fratres eligatis, qui unà nobiſcum dignum tanto officio eligant. Fratribus omninò renuentibus, electionemque liberam poſcentibus: cùm ad eam rem Cardinales flecti non poſſent, magna utrimque eſt orta diſſenſio. Pars enim quæ Rainaldo faverat, numquam ex eo cœnobio ſe Abbatem electuros: Cardinales contrà, numquam ut tanto monaſterio aliundè Abbas quæreretur, paſſuros conſiteri. Sed cùm pars neutra cederet, plurimis fruſtrà conſumptis verbis, Cancellarius iratus ex parte Romanæ Eccleſiæ interdixit, ne ullam omninò electionem facere auderent. Sicque ad Papam regreſſi, rei ordinem pandunt. Poſt hæc Imperator è ſuo latere ſtrenuos viros ad Innocentium dirigens, rogat ut monachis eligendi auctoritas reſtitueretur. Annuit votis precantis Pontifex, privilegiaque ſibi & præcepta monaſterii omnia ad legendum ex monaſterio mitti poſtulat. Factumque ita eſt. Relectis itaque coram Pontifice de Abbate eligendo Caroli Regis præceptia, Benedicti Septimi, Leoniſque Noni privilegiia, quibus continebatur, quomodò Henricus Pius Romano Pontifici Benedicto Septimo conſecrationem Theobaldi Abbatis Caſſinenſis, quem ipſe Imperator ordinaverat, conceſſit, & unum in eundo prandium, alterum in redeundo, reliqua Imperio Romano reſervavit. Idque ipſum Conradus & Henricus ſuus filius confirmaverunt. Lecto itidem præcepto Caroli, ut Abbas in Caſſinenſi cœnobio ille eligatur, quem digniorem Romanoque Imperio fideliorem inveniſſent: victus rationibus Pontifex, Caſſinenſis Abbatis electionem Fratribus, ordinationem Lothario Imperatori ejuſque ſucceſſoribus conceſſit, atque firmavit; ſibi verò, ſuiſque ſucceſſoribus Abbatis confirmationem, prandiumque in eundo Beneventum, ac redeundo reſervavit.] Subiicit his Petrus de electione Guibaldi Abbatis ex Abbate monaſterii Stabulenſis, conſentiente Pontifice, precibus Imperatoris, id magnoperè expoſcentis tandem flexo. Quorum occaſionem idem Petrus qui aderat, religionem ejuſdem Imperatoris commendans, hæc digna perpetua memoria (d) narrat:

c Idem ib. c. 124.

d Petr. diacon. Chron. Caſſ. lib. 4. c. 125.

XXII. Pietas Lotharii Imp.

Jam verò quis tanti Imperatoris clementiſſimum animum non admiretur? ſederat ad ſedandas diſſenſiones Fratrum in Capitulo à prima diei hora uſque ad veſperam, abſque cibo potuque perdurans, dum paci, unitatique conſuleret; nempè enim ſub Imperii chlamyde cœleſti militabat Regi. Nam ut ipſe teſtis ſum, in expeditione conſtitutus, ſummo diluculo Miſſam pro defunctis, dehinc pro exercitu, tertiam poſtremo diei Miſſam audiebat. Demùm viduis & orphanis eum Auguſta pedes lavans, tergebat crinibus; & oſculabatur, cibumque illis ac potum largè diſtribuens, quæſtiones & oppreſſiones eccleſiarum priùs relevans; ultimo in lo-

co

ce Imperii ponebat. Quamdiu verò in
Caſſinenſi Clauſtro remoratus eſt, ita om-
nes officinas monaſterii, ac ſi Abbas, vel
Decanus, circuibat, ſcire cupiens quomo-
dò quiſque ſub beati Benedicti magiſte-
rio viveret: ſactoque mane orans, mo-
naſterii eccleſias nudis pedibus circuibat.
Et hæc agens, numquam à conſortio Epi-
ſcoporum, & Abbatum avellebatur, & cum
ſapientibus ſermocinatio ejus. Erat pro-
fectò cæcorum baculus, eſurientium ci-
bus, miſerorum ſpes, lugentium conſo-
latio, atque ita in ſingulis eminebat vir-
tutibus, ut omnes perfectè haberet. Sa-
cerdotes honorabat ut patres, pauperes
fovebat ut filios, viduas ut matres. Erat
orationibus pervigil, lacrymasque cre-
berrimas contriti cordis Deo offerebat;
ſed hæc hactenùs.] At de profectione ip-
ſius ſubdit hæc inferiùs:

XXIII. Igitur ordinato Imperator monaſterio,
octavo poſtquàm illùc advenerat die, bea-
to Benedicto ſe ac Fratribus multùm com-
mendans, cum jam grandævus eſſet, ac
ferè centenarius, dierum ſuorum finem
imminere cognoſcens, ad civitatem S. Ger-
mani unà cum Guibaldo *novo Abbate* de-
ſcendit: Abbatemque Papæ commendans,
juxta veterem Aquinenſem civitatem ten-
toria fixit.] Recenſetque cuncta per eum-
dem Imperatorem tunc geſta pro indemni-
tate rerum monaſterii Caſſinenſis: Poſt
a *Id. c. 126.* hæc Imperator, ſubdit, (a) atque Apo-
ſtolicus feſtum S. martyris Chriſti Mauri-
tii in Eccleſia B. Petri Apoſtoli celebrans:
Guibaldum *Abbatem* cum Fratribus ad
prandium evocavit, dicens: Puto quia co-
medendi, bibendique vobiſcum hic mihi
erit ultimus dies: idque poſteà rei pro-
bavit eventus.] Nam ſequenti anno ex
hac vita migravit, ut ſuo loco dicturi ſu-
mus. Poſt hæc advenit Imperator cum In-
nocentio Papa in Urbem, ubi & compoſitis
rebus, inde receſſit in Tuſciam, reli-
qua autem de ipſo ſequenti anno. Abbas
autem recens, ubi rediens Rogerius Rex
Siciliæ univerſam Campaniam ſibi ſube-
git, cunctaque igne ferroque vaſtans, ei-
dem mortem eſt comminatus, ſponte ce-
dens inde diſceſſit, & in Germaniam ad
ſuos reverſus eſt antiquos monachos Sta-
bulenſes, inter quos à pueritia coaluiſſet.
Extant de his litteræ ipſius ad Imperato-
rem, cùm his premeretur anguſtiis. At
de his hactenùs. Quæ autem poſt diſceſ-
ſionem Lotharii è Campania, & reditum
Innocentii Papæ ad Urbem contigerint,
videamus.

XXIV. Inter hæc autem Rogerius Siciliæ Rex,
Venit poſt receſſum Imper. Rogerius ablata recuperaturus.
diu paratus ad prœlium, expectans diſceſ-
ſionem Imperatoris, quem ſciret reverten-
di iniiſſe conſilium atque firmaſſe propoſi-
tum; ubì comperit eum profectum eſſe,
Romamq; perveniſſe, inde in Galliam Ci-
ſalpinam profecturum: parata claſſe ad
oras Salernitani litoris appulit; moxque
alios populos ſponte venientes in deditio-
nem accepit, armis alios expugnavit, &
contra Robertum Capuæ Principem, qui ad
A Imperatorem confugerat, & eumdem il-
lùc duxerat cum exercitu, majori ira ſuc-
cenſus, Capuanam civitatem invadens,
eam captam ferro igneque vaſtavit, nec
locis ſacris parcens, eccleſias prædas mili-
tum dedit, & proh nefas! eorumdem
ludibrio expoſuit moniales. Tunc Bene-
ventani his auditis ſibi timentes, Legatis
miſſis, Rogerio ſe dedera, & Innocen-
tium abjurantes, Anacletum in Pontifi-
cem aſſumpſere. O rerum humanarum vo-
lucris inſtabilitas, & mortalium infida
fidelitas, & vana in continendo in officio
homine ſtudia Principum! Ecce eodem fer-
B mè momento converſa eſt Victoria in ca-
ptivitatem, libertas in vincula, jurata
ubique fidelitas in infidelitatem. Ut planè
apparuerit, vana prorſùs exiſtere ſtudia
hominum, quibus non aſpiret divina po-
tentia, qua tantummodò factum, ut pau-
cos poſt menſes extincto morte peſſimo
Antipapa, plenam mox acceperit Ec-
cleſia pacem, quam parere fruſtrà labora-
vit Imperatoris exercitus. Sed de his di-
cendum anni ſequentis exordio. Intereà
res geſtas à tyranno Siculo, (ſic eum ap-
pellare conſuevit S. Bernardus) proſequa-
mur, qui multiplici jure, fidelitate ſæpè
C jurata Feudatarius Romanæ Eccleſiæ,
nihil concupivit avidius, atque tentavit
audaciùs, quàm potiri ejuſdem Eccleſiæ
rebus, cujus deſierat eſſe filius, jam diu
ab ejus communione ſejunctus.

At quid auditis his Innocentius Papa? XXV.
Re ipſa expertus quàm vana ſalus homi-
nis, ſpe contra ſpem nitens in tanta deſ-
peratione rerum, contra furentes tyran-
ni Siculi impetus, adversùs ferociam ul-
toris & victoris exercitus unum objecit
hominem humilem, ſed Dei virtute po-
tentem, qui in fugam converteret ſanctæ
Romanæ Eccleſiæ victores hoſtes. Ejuſ-
D modi planè novit eſſe opera Dei, nimirùm
quòd infirma mundi eligat, ut confundat
fortia. Sic igitur imperio Chriſti gla-
dium exertum in defenſionem Eccleſiæ,
in vagina recondens, ad arma ſpiritualia
Deo potentia ſe convertit; ſumens ſcu-
tum fidei, eoque omnia tela nequiſſimi ſe-
curus excipiens, illæſus lædere adverſa-
rium feſtinavit. Quomodò iſta? Audi
S. Bernardum Claravallenſem Abbatem,
quem Romæ reliquerat ad reducendos
ſchiſmate devios ad Eccleſiam (ut audivi-
mus ſuperiùs eſſe narratum) ad Rogerium
tyrannum, ſpirantem minarum & cædis
E in omnes, qui eſſent Innocentii Papæ com-
munionis, pacis nuntium mittit. Quid
autem hac legatione ſit actum ut accipias,
primum omnium admonendum putamus,
duas ſimul legationes confundi ab auctore,
qui res geſtas ſancti Bernardi conſcripſit,
cùm videlicèt unà cùm ſancto Bernardo
miſſum eſſe Haimericum Cardinalem Can-
cellarium affirmat, & ex parte Anacleti
Petrum Piſanum itidem Cardinalem:
Nam iſta de miſſis ex parte utraque Cardi-
nalibus poſteà contigerunt, ut ex auctore
qui aderat & ea ſcriptis mandabat, Falcone
Be-

Digitized by Google

A Beneventano ſatis evidenter apparet. Miſſus eſt ergò primùm S. Bernardus, poſteà verò, petente Rogerio, Cardinales, cum videlicèt à Deo humiliatus, verba pacis, quæ contemnebat, audire libenter cœpit. Sed audiamus ipſum:

XXVI. Rogerius non audivit S. Bernardū pro pace agentem.

Intereà, inquit, Abbas de Claravalle vir valdè mirabilis & diſeretus ad Regem illum venerat, pro tanti diſſidii infeſtatione ſedanda inter Regem illum & Ducem Rainulphum fidelem Eccleſiæ, & pacem fœdere inter eos alligare conatus, ſed fruſtrà.] Nam cùm proximè utriuſque copiæ eſſent, & longè potentiores vires Rogerii, & jam pararentur ad prœlium: B repulſus eſt ab eo nuntius pacis. Sed quid attulerit belli exitus, audi ex eodem auctore: Rex ipſe exercitum ſuum diviſit, & ad bellandum viriliter ſtabilivit. Similiter & Dux ille ſapienter ſuos omnes ordinavit. Primùm quidem Regis acies ordinata ab eo aggreditur, & inter Ducis armatos intravit. Illicò acies illa Regis proſternitur. Rex autem, qui cum aliis aciebus ſuis armatus erat, Dei adveniente judicio, timore perculſus, primus terga vertens, in fugam converſus eſt.] Sicque potitus eſt victoria Rainulphus, qui ditiſſima hoſtium C caſtra diripuit, inſecutusque hoſtes ingenti eos ſtrage confecit. Sed ſicut fortis, ita ſapiens haud ſibi viribusq. ſuis adeò glorioſam licèt inſperatam victoriam tribuit, ſed Deo ipſi per ſancti viri Bernardi preces obtentam, tulit acceptam: nam audi quid in vita ipſius Bonævallis Abbas de his ſcripſerit (a)

a Vit. S. Ber. l. 2. c. 7.

XXVII. Vincitur Rogerius à Rainulpho precibus S. Bernardi.

Parato namque ad bellum innumerabili exercitu adversùs Rainulphum Ducē, idem Rex in campum armatas produxerat acies; cùm ſubito viſo Duce audacter obviā procedente territus fugit, effuſumque exercitum prædæ & cædibus expoſuit, & innumeris militibus captis & interfectis, invictus D Ducem ditavit opibus, gloria ſublimavit. Quæ quidem ei juxta verbum viri Dei omnia contigerunt. Cùm enim primus eorū qui vocati fuerant, Abbas ſanctus advenīēs, Regem in caſtris poſitū inveniſſet, per multos dies vicinas acies ne prœlium committerent, impedivit: denuntians Regi, quia ſi conflictum inieris, victus & confuſus abibis. Noviſſimè verò cùm ejuſdem Regis plurimùm creviſſet exercitus, ignorans quòd non in multitudine foret eventus belli: virum ſanctum quærentem ea quæ pacis erant, ulteriùs audire contempſit. At E ille Ducem Rainulphum, & Catholicorum aciem verbis potentibus adhortatus, ſicut Regi fugam, ſic illis victoriam pollicitus eſt & triumphum. Cùmque ad proximam villulam declinaſſet, & inſtaret orationi: repentè fugientium & inſequentium clamor auditur. Siquidem per eumdem locum fugientem Regis exercitum Rainulphus perſequebatur. Egreſſus itaque Frater quidam ex his, qui cum Abbate erant, uni ex militibus occurrit, & quid accidiſſet, interrogat. At ille (ſiquidem litteras noverat) Vidi, inquit, impium (b) ſuper

b Pſal. 36.

A exaltatum & elevatum ſicut cedros Libani, & tranſivi, & ecce non erat. Nec mora Dux ipſe ſecutus, ut monachum vidit, ſicut erat armatus, equo deſiliit, & ejus pedibus advolutus: Gratias, inquit, ago Deo & fideli ſervo ejus, quia non noſtris viribus, ſed ejus fidei collata hæc victoria eſt. Iterumque inſiliens equo hoſtes inſequebatur. Nec tamen hac plaga ſibi inflicta cœlitus correctus eſt animus Regis, nec detumuit procella, quam conglomerarat pravæ mentis elatio: ſed poſt fugam reverſis qui evaſerant, ſimulans alacritatem, regio ſe ornatu attollens, ſtipata mi- B litibus Curia, utramque partem præcipit accerſiri.] Quid hoc? audi vafrum conſilium. Ne à victore Rainulpho graviorem pateretur impreſſionem, ut eum ab inſecutione divelleret, & ſeipſum ad potentiores vires comparandas parare poſſet, aſtutè nimis illud excogitavit, nempè ut in ſuæ converſionis ſpem conjiceret adverſarios, ſicque ceſſaretur ab armis, & conflictus reduceretur ad Rhetorum argumenta; utque vitaret pugnam, diſputationem procurare ſe ſimulat. Quomodò autem iſta ſe habuerint, ex Chronographo Beneventano primùm hæc accipe:

Subdolè Rogerius miſcet diſputationem.

XXVIII.

C Cùmque præfatus Abbas de Claravalle vir valdè mirabilis & diſertus, de pacis fœdere & Eccleſiæ unitate cum nominato Rege confabularetur aſſiduè: Rex ipſe cum Abbate illo ſtabilivit, ut tres Cardinales ex parte Innocentii Papæ, qui ejus interfuiſſent electioni, ad Regem ipſum venirent, & tres ex parte Anacleti, & ordinem electionis utriuſque inſinuarent. Deinde ipſe Rex audito ordine utriuſque partis, juſtiorem quam putaret electionem eligeret, & ſic Spiritu ſancto favente, ad pacis perveniret cum totius regni magnitudine firmamentum; quam ſuo arbitrio D & ſententia confirmarent. Cognoverat enim, firmiterque crediderat, totius mundi Chriſticolas parti favere Innocentii, & ejus Pontificatum venerari, ſe verò ſolùm cum ſui regni latitudine diſſentire. His auditis, continuò ad Innocentium Papam & Anacletum delegatum eſt, & curſu rapido Regis poſitio deſtinatur. Placuit itaque eis, & conſilio firmato, à parte Innocentii Haimericus Cancellarius, & Gerardus Cardinalis vir valdè venerabilis Salernum ſimul cum prædicto Abbate de Claravalle ſuper hujuſmodi electione ventilanda venerunt. Ex parte verò Anacleti Mat- E thæus Cancellarius, & Petrus Piſanus Cardinales, & alius Cardinalis nomine Gregorius ſimiliter acceleravere.

XXIX.

His ita congregatis, Rex ipſe ut erat ſagacis animi providique conſilii, priùs partem Innocentii quatriduo uſque ad occaſum Solis mirabiliter & ultrà quàm credi poteſt examinavit: ſequenti autem quatriduo Anacleti partem ſimiliter perſcrutatus eſt. Studioſè igitur & diligenter partibus utriuſque electionis auditis: Rex ipſe Clerum omnem & populum civitatis Salernitanæ congregari mandavit, &

Epi-

Quæ duplici animo Rogerius inculcet,

A Epiſcopos & Abbates monaſteriorum qui convenerant, & coram eis taliter exorſus eſt: Domini & fratres, veſtram credimus non latere prudentiam, qua de re Cardinales iſtos partis utriuſque fecerim convocari: putavi enim, quantum noſtræ obtigit virtuti, tali & tanto negotio finem imponere, & juſtitiæ ſemitam evidenter ſectari. Sed quia multis quæſtionibus, variiſque reſponſionibus animus noſter impeditur: ſolus ego ſuper hoc tanto negotio finem imponere nequeo. Unde ſi dominis iſtis Cardinalibus videtur, ordinem utriuſque ſcribant electionis, & ab B utraque parte unus mecum in Siciliâ aſcendat Cardinalis, ubi favente Deo, Nativitatis JESU CHRISTI Salvatoris celebraturi ſumus feſtivitatem, ibique ſapientes Archiepiſcopos, Epiſcopos, aliosque inveniemus prudentis animi viros, quorum conſilio Anacleti partem uſque modò ſectatus ſum. Nunc itaque ipſorum & aliorum ſapientum conſilio, ſuper hoc negotio, divina inſpirante clementia, certiſſimum finem, quantum ad meam pertinet poteſtatem, imponemus. Cardinalis ad hæc Gerardus reſpondit: Sciatis reverà, quoniam ex parte noſtra ordinem partis C noſtræ non ſcribemus. Audiſtis enim ex ore noſtro ſeriem electionis, audiſtis omnia quæ circa nos geſta ſunt. Cardinalem quidem mittemus Guidonem de Caſtello, ſapientem virum atque diſertum, qui vobiſcum, ſicut petitis, in Siciliam veniat, ſi ſapientiæ veſtræ placuerit, & perficiatis, quo Spiritus ſanctus Paracletus cor veſtrum illuminet, & recto corde ad Eccleſiam & veritatis lumen perducat. Et his actis unuſquiſque ad propria remeavit. Ex parte verò Anacleti ſimiliter Cardinalis alius deſtinatur: cum quibus, paratis navigiis, Rex ipſe in Siciliam D transfretavit.] Hæc Faleo Beneventanus in Chronico,

XXX. Abbas autem Bonævallis Bernardus rem longè aliter tranſactam eſſe inter Petrum Piſanum, atque ſanctum Bernardum affirmat, nec duos vel tres, ſed unum tantùm ab alterutra miſſum parte teſtatur, nempè ab Innocentio Haimericum, & ab Anacleto Petrum Piſanum. Diſputationem verò habitam inter ſanctum Bernardum atque Petrum Piſanum in hunc modum: Prior itaque Petrus electionem domini ſui canonicam probare contendit, & verba ſua multis legum & canonum aſſer- E tionibus munit. Ac verò vir Dei non in ſermone, ſed in virtute regnum Dei eſſe intelligens: ſcio, inquit, Petre, te virum ſapientem & litteratum eſſe, & utinam ſanior pars & honeſtiora te occupaſſent negotia. Utinam te patronum cauſa felicior obtineret, & ſine dubio rationabilia allegantem nulla poſſet impedire facundia. Et nos quidem agreſtes, ligonibus magis quàm declamationibus aſſueti, ſi cauſa Fidei non urgeret, inſtitutum ſilentium teneremus. Nunc autem cogit nos charitas eloqui, quia tunicam Domini quam in

Quæ S. Bernardus pro cauſa Innoc. Papæ.

A tempore Paſſionis nec Ethnicus præſumpſit ſcindere, nec Judæus, fautore hoc domino Petrus Leonis lacerat & dirumpit (a) Una eſt Fides, unus Dominus, unum Baptiſma: nos neque duos dominos, neque geminam fidem, nec duo baptiſmata novimus. Ut ab antiquis ordiar, una Arca (b) tempore diluvii fuit, in hac octo animæ, cæteris omnibus pereuntibus evaſerunt, & quotquot extra Arcam inventi ſunt, perierunt. Arcam hanc typum habere Eccleſiæ, nemo eſt qui ambigat. Arca alia nuper fabricata eſt, & cùm ſint duæ, alteram neceſſe eſt eſſe adulteram, B & in profundum demergi. Arca quam regit Petrus *Leonis ſcilicet*, ſi ex Deo eſt, neceſſe eſt, ut Arca, quam regit Innocentius, obruatur. Peribit ergò Orientalis Eccleſia, peribit Occidens totus, peribit Francia, peribit Germania, Iberi, & Angli, & barbara regna in profundum pelagi demergentur. Religio Camaldulenſis, & Carthuſienſis, & Cluniacenſis, & Grandimontenſis, & Ciſtercienſis, & Præmonſtratenſis, aliaque innumerabilia ſervorum & ancillarum Dei collegia neceſſe eſt, ut ſub uno turbine corruant in abyſſum. Epiſcopos, & Abbates, & re- C liquos Eccleſiæ Principes collo præcipiti mola aſinaria alligata pelagus vorax excipiet. Solus ex Principibus mundi Arcam Petri intravit iſte Rogerius, & cæteris omnibus enecatis, ſolus ipſe ſalvabitur? Abſit ut totius mundi religio pereat: & ambitio Petri (cujus vita palàm eſt qualis extiterit) regnum cœlorum obtineat;

a *Epheſ.* 4.
b *Gen.* 6. 7. 8

XXXI. Ad hæc verba non ultrà ſe poterant qui præſentes aderant, continere, ſed abominati ſunt & vitam Petri & cauſam: Abbas autem tenens manum Petri, elevavit eum, & ſimul ipſe ſurrexit: Tu- D tiorem inquiens, ſi mihi credas, intrabimus Arcam. Et ſicut jam pridem mente conceperat, ſalutaribus illum aggrediens monitis, cooperante gratia Dei, protinùs perſuaſit, ut ad Urbem rediens, Innocentio Papæ reconciliaretur Soluta concione Rex necdum voluit obedire quia ſancti Petri patrimonium, quod in Caſſinenſi & Beneventana provincia ampliſſimum eſt, cupidus occupaverat, putabatque hujuſmodi ſuſpenſionibus aliqua à Romanis extorquere privilegia, per quæ in jus proprium deinceps ſibi ſtabiliretur hæreditas. Sic Herodes viſum Salvatorem contempſit E & quem deſideravit abſentem, contempſit præſentem.] Narrat poſt hæc miraculum quod Salerni, ubi hæc ſunt facta, eſt operatus in majorem deteſtationem Rogerianæ perfidiæ, his paucis:

S. Bernardus revocat Petrum Piſanum Cardinal. à ſchiſmate.

XXXII. Igitur circa curationem cujuſdam viri nobilis, & in urbe Salernitana notiſſimi, ſuccumbentibus medicis, quorum ibi præcipuè ars viget & ſtudium: eidem viro de medicorum auxilio deſperanti, noctu quidam per ſomnium apparens intimavit adveniſſe Salernum virum ſanctum, & in curationibus efficacem: hunc inquirere

Miraculum editum.

jubetur,

A jubetur, & de lavacro manuum ejus bibere. Quæſivit, invenit, aquam petiit, bibit, convaluit. Hoc verbum per totam urbem divulgatum, ad aures Regis, & procerum ejus pervenit. Cum omnium igitur populorum favore, ſolo Rege in malitia permanente, Abbas Romam revertitur; prædictum quoque Petrum Piſanum, & quoſdam alios reconciliat Eccleſiæ, & Innocentio Papæ confœderat.] Hic finis legationis ſancti Bernardi ad Rogerium Siciliæ Regem. Inter hæc autem ſuos Claravallenſes conſolatus eſt litteris, quarum eſt exordium: (*a*) Ex B vobis perpendite, quid patiar ego. Si vobis moleſta eſt abſentia mea; nemo dubitet mihi eſſe moleſtiorem,] & quæ ſequuntur. Alias adhùc addidit (*b*) poſt reconciliatos complures ſchiſmaticorum Catholicæ Eccleſiæ, tacens tamen illa, quæ gloriæ ſuæ eſſe poſſent, tantùm gloriatus in infirmitatibus ſuis. Eſt autem illarum exordium: Triſtis eſt anima mea uſque dum redeam, & non vult conſolari uſque ad vos.] Et poſt multa:

a *Bern. ep.* 243.

b *Id. ep.* 143.

XXXIII. Quo ſtatu S. Bernar. cùm hanc obiret legationem.

Sed & hac vice quàm neceſſaria Eccleſiæ Dei ſit vel fuerit præſentia parvitatis noſtræ, dicerem ad conſolationem ve- C ſtram, ſi non gloriam redoleret. Nunc autem melius eſt, ut hoc per alios cognoſcatis. Inſtantiſſima poſtulatione Imperatoris, Apoſtolicoque mandato, nec non Eccleſiæ ac Principum precibus flexi, dolentes & nolentes, debiles atque infirmi, & ut verum fatear, pavidæ mortis pallidam circumferentes imaginem, trahimur in Apuliam. Rogate quæ ad pacem ſunt Eccleſiæ, rogate quæ ad ſalutem ſunt nobis, ut iterùm vos videamus vobiſcum & vivamus & moriamur; & ſic vivite, ut obtineatis. Infirmus in arcto temporis, certè cum lacrymis & ſingultibus iſta di- D ctavi, teſte chariſſimo fratre noſtro Balduino, qui ſtylo ea excepit: quem Eccleſia vocavit ad aliud officium, & ad aliam dignitatem. Orate & pro ipſo tamquàm unico ſolatio meo, & in quo ſpiritus meus plurimùm requieſcit. Orate pro domino Papa, qui me pariter & univerſitatem veſtram paterno fovet affectu. Orate & pro domino Cancellario, *Harmerico Cardinali videlicèt*, qui mihi pro matre eſt, &c.]

De Balduino Piſano Archiepiſcopo.

Quod ad Balduinum pertinet exceptorem ſancti Bernardi, Piſanus hic patria erat, & Piſanæ Eccleſiæ creatus Ar- E chiepiſcopus, de quo hoc elogium Bernardus Abbas Bonævallis in vita (*c*) S. Bernardi: In Tuſcia Piſis natalis ſoli gloria & magnum Eccleſiæ lumen Balduinus effulſit.] Hæc ipſe, dum recenſet eos qui ex Ordine Ciſtercienſi ad Epiſcopatus diverſarum Eccleſiarum vocati fuiſſent ſub Innocentio Papa. Sed & Cardinalem hunc creatum fuiſſe; habet Petrus (*d*) diaconus in Chronico Caſſinenſi his verbis: Balduinus Cardinalis *interfuit ſcilicèt*, qui poſt Piſanus Archiepiſcopus fuit.] Et inferiùs: Miſit autem Pontifex cum

c *Vita S. Bern. lib.* 2. *c.* 8.

d *Petrus diac. Chron. Caſſ. lib.* 4. *c.* 110. *in prin.* & 119.

A dicto Rainaldo *Caſſinenſi Abbate* Balduinum presbyterum Cardinalem, præcipiens ut filium Petri Leonis à Caſſinenſibus monachis anathematizari faceret, ac Papæ ejuſque ſucceſſoribus obedientiam ab ipſis exigeret. Quod ita factum eſt.] Extat ſancti (e) Bernardi epiſtola officioſiſſima & affectuoſiſſima ad Balduinum Abbatem Reatini monaſterii, quem eumdem puto cum hoc qui ad Cardinalatus dignitatem aſſumptus eſt.

e *Bern. ep.* 201.

XXXIV. S. Malachias Archiep. Hiberniæ venit Romã ad Innoc. Pap.

Hoc eodem anno, cùm jam Innocentius Papa Romæ conſiſteret, contigit mirifici illius S. Malachiæ Archiepiſcopi Ar- B dinachæ, totius Hiberniæ Metropolitani Romam adventus ad ipſum Innocentium Roman. Pontificem pro pallio tùm ſuæ, tùm etiam alterius in eadem Inſula metropolitanæ Eccleſiæ. Sed & alia præcipua cauſa ejus Romam adventus aſſeritur à ſancto Bernardo ejuſdem vitæ ſcriptore, nimirùm ut Evangelium prædicaret auctoritate Romani Pontificis, quamvis Apoſtolatus ipſius innumeris miraculis viſus eſſet comprobatus à Deo. Sed Sanctum audi de Sancto ſcribentem: (*f*) Ipſe interdum ibat & exibat ſeminare ſemen ſuum, diſponens & decernens tota auctoritate de C rebus Eccleſiaſticis tamquàm Apoſtolus unus. Et nemo illi dicebat: In qua poteſtate hæc facis? videntibus cunctis ſigna & prodigia quæ faciebat; & quia: (*g*) Ubi ſpiritus Domini, ibi libertas. Viſum tamen ſibi, non tutè ſatis actitari iſta abſque Sedis Apoſtolicæ auctoritate. Et Romam proficiſci deliberat, maximèque quòd metropoliticæ ſedi deerat adhùc, & defuerat ab initio pallii uſus, quod eſt plenitudo honoris. Et viſum eſt bonum in oculis ſuis, ſi Eccleſia, pro qua tantum laborarat, quem hactenùs non habuerat, ſuo acquireret: ſtudio & labo- D re. Erat & altera metropolitica ſedes, quam de novo conſtituerat Celſus *prædeceſſor*, primæ tamen ſedi, & illiùs Archiepiſcopo ſubdita tamquàm Primati, & huic quoque optabat nihilominùs pallium Malachias, confirmarique auctoritate Sedis Apoſtolicæ prærogativam, quam beneficio Celſi adipiſci meruerat.] Quomodò autem ab Innocentio Papa digne exceptus fuerit, ita inferiùs idem ſanctus Bernardus enarrat:

f *Idem in vit. S. Malach.*

g 2. *Cor.* 3.

XXXV.

Erat, inquit, tunc temporis in Sede Apoſtolica felicis memoriæ Innocentius Secundus Papa, qui eum benignè ſuſcepit, E humanè ſatis illi ſuper longa peregrinatione compaſſus. Et primò quidem Malachias quod altius infixerat animo, cum multis lacrymis implorabat, licere ſibi vivere & mori in Claravalle permiſſu & benedictione ſummi Pontificis: Et petiit hoc, non oblitus ad quod venerat, ſed affectus quo venerat deſiderio Claræyallis. Non autem obtinuit, quod vir Apoſtolicus lucris potiùs uberioribus aucupandum decerneret. Nec tamen omninò fruſtratus eſt à deſiderio cordis ſui, cui mori ibi etſi non vivere, donatum eſt. Menſem inte-

grum

Digitized by Google

A grum fecit in Urbe, loca ſancta perambulans, & frequentans cauſa orationis. Cumque per id temporis ſæpè ac diligenter ab eo & ab iis qui cum eo erant, ſummus Pontifex inquiſiſſet eſſe patriæ, mores gentis, ſtatum Eccleſiarum, & quanta in terra Deus per eum operatus fuiſſet: paranti jam repatriare commiſit vices ſuas per univerſam Hiberniam, Legatum illum conſtituens. Significatum ſiquidem erat ei ab Epiſcopo Gilleberto, qui (ut ſuprà memoravimus) tunc Legatus extiterat, quòd jam non poſſet præ ſenio & debilitate corporis villicare. Poſt hæc petit Ma- B lachias confirmari novæ metropolis conſtitutionem, & utriuſque ſedis pallia ſibi dari. Et confirmationis quidem privilegium mox accepit: de palliis autem oportet (ait ſummus Pontifex) ſolemnius agi. Convocatis Epiſcopis & clericis & majoribus terræ, celebrabis generale Concilium, & ſic conniventia & communi voto univerſorum, per honeſtas perſonas requiretis pallium, & dabitur vobis. Deinde tollens mitram de capite ſuo (*mos namque erat non niſi mitratos Romanos Pontifices ad audientiam admittere petentes audiri*) impoſuit capiti ejus: ſed & ſtolam cum ma- C nipulo dedit illi, quibus uti inter offerendum ſolebat. Et ſalutatum in oſculo pacis, dimiſit eum Apoſtolica fultum benedictione & auctoritate.] Hactenùs de congreſſu ſancti Malachiæ cum Innocentio. Quomodò autem reverſo in Hiberniam concertandum ipſi fuerit cum hæretico Sacramentario, idem S. Bernardus inferiùs ita deſcribit errantis unius hiſtoriam, quæ ſaluti eſſe poſſit omnibus Novatoribus.

S. Malachias decernitur legatus in Hiberniâ.

XXXVI. Certamen Malachiæ cum Hæretico Sacramentario.

Fuit quidam clericus in Leſmor, probabilis ut fertur vitæ, ſed fidei non ita. Is ſciolus in oculis ſuis præſumpſit dicere, in Euchariſtia eſſe tantummodò ſacramen- D tum, & non rem ſacramenti, id eſt ſolam ſanctificationem, & non Corporis veritatem. Super quo à Malachia ſecretò & ſæpè conventus, ſed in caſſum, vocatus ad medium eſt, ſeorſum tamen à laicis, ut ſi fieri poſſet, ſanaretur, & non confunderetur. Itaque in conventu clericorum data facultas homini eſt, pro ſua ſententia reſpondendi. Cumque totis ingenii viribus, quo non mediocriter A * callebat, aſſerere & defendere conaretur errorem: Malachia contra diſputante, & convincente, judicio omnium ſuperatus, de conventu confuſus quidem exiit, ſed non correctus. Dicebat autem, ſe non ratione victum, ſed Epiſcopi preſſum auctoritate: Et tu, inquit, ò Malachia, ſine cauſa me hodiè confudiſti, ad verſus profectò veritatē locutus, & contra tuam ipſius conſcientiā.

* f. valebit

XXXVII.

Mœſtus Malachias pro homine ſic indurato, ſed magis Fidei dolens injuriam: timens periculum, Eccleſiam convocat, errantem publicè arguit, publicè monet ut reſipiſcat. Suadentibus hoc ipſum Epi- B ſcopis & univerſo Clero: cùm non acquieſceret, contumaci anathema dicunt, hæreticum proteſtantes. Nec ſic evigilans: Omnes, inquit, favetis homini potiùs quàm veritati. Ego perſonam non accipio, ut deſeram veritatem. Ad hoc verbum ſubſtomachans Sanctus: Dominus, inquit, fateri te veritatem faciat, vel ex neceſſitate. Quo reſpondente, Amen, ſolvitur conventus. Tali ille inuſtus cauterio fugam meditatur, infamis atque inhonorus fore non ſuſtinens. Et continuò ſua tollens exibat. Cùm ecce ſubita correptus infirmitate, ſiſtit gradum viribus- C que deficiens, eodem loco jactat ſe ſuper ſolum anhelus & feſſus. Fortè incidens in id loci vagabundus inſanus offendit hominem: Quidnam ibi agat, percunctatur. Reſpondet, gravi ſe infirmitate teneri, & neque procedere, neque redire valentem. Et ille: Infirmitas iſta haud alia, inquit, quàm ipſa mors eſt. Hoc autem non dixit à ſemetipſo; ſed pulchrè Dominus per inſanum corripuit eum, qui ſanis acquieſcere noluit conſiliis ſenſatorum. Et addit: Revertere domum, ego te juvabo Denique ipſo duce revertitur in civitatem, redit ad cor, & ad miſericor- D diam Domini. Eadem hora accitur Epiſcopus, agnoſcitur veritas, abiicitur error, confeſſus reatum abſolvitur, petit viaticum datur conciliato, & uno penè momento perfidia ore abdicatur, & morte diluitur. Ita mirantibus cunctis, ſub omni celeritate completus eſt ſermo Malachiæ, & Scripturæ pariter dicentis: (a) Quia vexatio dat intellectum auditui.] Hæc S. Bernardus. Sed progrediamur ad res anni ſequentis.

Hæreticus ſacramentarius damnatur & curatur.

a *Iſai.* 28.

JESU CHRISTI ANNUS 1138.	INNOCENTII PAP.II. ANNUS 9.	LOTHARII II. IMP. 6. JOANNIS COMN. IMP. 20.

I. Obitus Anacleti Pſeudopap.

SEquitur annus ſalutis humanæ milleſimus centeſimus trigeſimusoctavus, Indictione prima, quo die ſeptima Januarii homo peccati, invaſor Apoſtolicæ Sedis Petrus Leonis pſeudopapa, Deo vindice, ex hac vita divulſus, ad ſupernum horrificum tribunal judicandus atque condemnandus adducitur, accepturus cruciatum æternum. Hæc ab hujus temporis ſcriptore Falcone in Chronico Beneventano. Et cùm numerat annos ejus intru- E ſionis: Sedit, inquit, annis ſeptem, menſibus undecim, & diebus vigintiduobus.] De ipſo hæc alius itidem ejuſdem temporis ſcriptor Bernardus Bonævallis Abbas: (*b*) Advenerat tempus, in quo completa Amorrhæi malitia, Angelus percutiens gladium jam vibrabat, & pertranſiens domos, quarum ſuperluminaria ſanguis agni imbuerat: ad domum Petri Leonis veniens, ſalutare in ea non reperit ſignum. Percuſſit igitur miſerum: nec tamen illicò defungitur

b *Vit. S. Bern. lib.* 2. *c.* 7.

A

fungitur, ſed datur per triduum pœnitentiæ locus. Ille patientia Dei abutitur, & in peccato ſuo moritur deſperatus. Miſerabili pompa corpus ejus effertur, cadaver ejus in latebris ſepelitur, & uſque hodiè ſovea illa à Catholicis ignoratur.] Hæc ipſe. Sed audiamus S. Bernardum iſta de his ſcribentem ad Petrum Abbatem Cluniacenſem: (a)

a *Bern. ep.* 147.

II.

S. Bernard. epiſtola de obitu Anacleti.

Hæc planè gloria mea, & exaltans caput meum Eccleſiæ triumphus. Nam ſi ſocii fuimus laboris, erimus & conſolationis. Collaborandum fuit & compatiendum matri, ne de nobis quereretur, dicens: (b) Qui juxta me erant de longè ſteterunt, & vim faciebant qui quærebant animam meam. Deo autem gratias, qui dedit ei victoriam, honeſtavit eam in laboribus, & complevit labores illius. Triſtitia noſtra in gaudium, & luctus noſter verſus in citharam eſt. (c) Hiems tranſiit, imber abiit & receſſit. Flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis advenit. Amputatum eſt ſarmentum inutile, putre membrum. Ille, ille iniquus, qui peccare fecit Iſrael, morte abſorptus eſt, & traductus in ventrem inferi. Fecerat quippè (ſecundùm (d) Prophetam) pactum cum morte, & cum inferno fœdus inierat. Ideòque juxta (e) Ezechielem, factus eſt perditio, & non ſubſiſtit in æternum. Alius quoque omnium ſicut maximus, ita & peſſimus inimicus abſciſſus nihilominùs eſt: & is unus erat ex amicis Eccleſiæ, ſed illis, de quibus ſolet queri & dici: (f) Amici mei & proximi mei adversùm me appropinquaverunt & ſteterunt. Si qui reſtant, citò ſperamus de ſimilibus idem judicium. Propè eſt ut revertar ad Fratres meos, ſi vita comes fuerit, per vos (ſicut intendo) tranſiturus.] Hæc S. Bernardus.

b *Pſal.* 37.

B

c *Cant.* 2.

d *Iſai.* 28.

C

e *Ezech.* 7.

f *Pſal* 37.

III.

D

Sed quomodò Rogerii tyranni juſſu creatus ſit à ſchiſmaticis Cardinalibus Antipapæ ſucceſſor, in ſæpè citatis Chronicis Beneventanis ita deſcribitur: Cùm prædictus Anacletus mortuus eſſet, Cardinales ejus conſilio accepto à fratribus ipſius Anacleti, ad Regem miſerunt Rogerium, ipſique Anacleti mortem ſignificantes, quæſiverunt, ſi ei placeret, ut Papam conſtituerent. Rex itaque, ut domini Innocentii partem impediret, voluntati eorum aſſenſit, & Papam eligendi poteſtatem dedit. Qui Romam reverſi, fautoribus eorum congregatis, medio menſe Martio Gregorium Cardinalem presbyterum ſibi Papam, immò invaſorem conſtituerunt, Victoremque eum vocaverunt. Sed Dei clementia auxiliante, hæreſis illa & invaſio pauco tempore regnavit. Diebus autem non multis evolutis, fratres prædicti Anacleti tantam cognoſcentes turbationem, in ſe reverſi, Domino favente, cum prædicto domino Innocentio Papa pacis firmamentum compoſuerunt, & ipſi, & omnes Innocentii adverſarii ad ejus fidelitatem converſi ſunt. Et ſceleratus ille, qui ſub Victoris nomine apparuit, veſtem & mitram depoſuit, & ad voluntatem Pontificis Innocentii pervenit. Sicque gaudio magno, & gloria exultationis tota Romana civitas exultavit.

E

Subrogatus Anacleto Victor ſe abdicat.

A

Nam ipſe Innocentius ad unitatem & concordiam univerſam Eccleſiam, Domino auxiliante perduxit.] Hæc de his ibi. In vita autem S. Bernardi hæc de his breviter:

IV.

Attamen pars illius *Anacleti* Papam ſibi pro illo alterum ſtatuerunt, non tàm ex pertinacia ſchiſmatis, quàm ut opportuniùs per aliquam temporis moram Papæ Innocentio reconciliarentur. Quod ſine mora per manum ſervi ſui, *S. Bernardi ſcilicèt*, Chriſtus effecit. Nam & ipſe ridiculus Pontifex, Petri Leonis hæres ad eumdem virum Dei nocte ſe contulit, & ille eum nudatum quidem uſurpatis inſignibus ad domini Innocentii pedes adduxit. Quo facto civitas gratulabunda lætatur, Innocentio Eccleſia redditur, Romanus populus ut paſtorem & dominum Innocentium veneratur. Abbas Claræ-vallis in mira reverentia habetur, ab omnibus auctor pacis, & pater patriæ prædicatur. Procedentem viri nobiles proſequuntur, acclamat populus, matronæ ſequuntur, & omnes ei prompto animo obſequuntur. Sed quàm diu ille gloriam toleravit? quàm diu pace fruitus eſt poſt tantum laborem? nec diem pro anno recipere acquievit. Sedatis omnibus & compoſitis, vix quinque dies teneri potuit, qui ſeptem annis & ultrà pro reſarcienda eadem ſciſſione ſudavit. Euntem Roma proſequitur, deducit Clerus, accurrit populus, univerſa nobilitas comitatur: nec poterat ſine communi mœrore dimitti, qui colebatur amore communi. Igitur firmata pace, vir Dei regreditur, & duplex exhibens gaudium, cum exultatione univerſæ terræ ſuſcipitur.] Hæc Bernardus de reditu ſancti Bernardi. Sed jucundius erit ipſum ſanctum audire Bernardum, de his perbrevem ſcribentem epiſtolam ad Godefredum poſteà Lingonienſem Epiſcopum iſtis verbis: (g)

B

S. Bernard. pace firmata reverſus

C

D

g *Bern. ep.* 320.

V.

Fratri Godefredo Frater Bernardus ſalutem.

In octavis Pentecoſtes ipſa die complevit Deus deſiderium noſtrum, Eccleſiæ unitatem, & Urbi dando pacem. Nam illa die filii Petri Leonis omnes ſimul humiliaverunt ſe ad pedes domini Papæ; & facti homines ejus ligii, juraverunt ei ligiam fidelitatem. Clerici quoque qui in ſchiſmate erant, ſimul cum idolo quod erexerant; *Antipapa videlicèt*, humiliantes ſe ad pedes domini Papæ, obedientiam ei juxta morem promiſerunt, & facta eſt lætitia magna in populo. Hanc pacem niſi cum quadam ſecuritate, occulta tamen, diu à nobis expectaviſſemus, jam dudùm veniſſemus. De cætero jam nihil eſt quod nos hic detineat. Facio quod imperaſtis, Veniam, vertimus in, Venio. Ecce enim venio citò; etiam & merces mea mecum eſt, victoria Chriſti, & pax Eccleſiæ. Sea-

S. Bernardi epiſtola de rebus Romæ geſtis.

E

ta ſe-

Digitized by Google

ta feria poſt diem illum egreſſus eſt noſter de Civitate. Itaque venientes veniemus, cum exultatione portantes manipulos ſuos. Et hæc quidem verba pulchra ſunt, ſed pulchriora ſunt facta. Etenim tàm pulchra ſunt, ut quiſquis non lætatur in eis, aut ſtultus ſit, aut nequam. Vale.] Hactenùs ad Godefredum S. Bernardus.

VI. At nullam conciliant ſibi fidem, ea, quibus Petrus diaconus Caſſinenſis in fine libri quarti Chronicorum ita ſugillat Innocentium Papam ipſe ſchiſmaticus, dum
a Pet. diacon. Chron. Caſſ. lib. 4. c. ult. ait: (*a*) Innocentius verò magna in filios Petri Leonis illorumque complices effuſa pecunia, illos ad ſuam partem attraxit, &c.] Iſta inquam ſchiſmaticus, carpendi Innocentium nullam relinquens occaſionem vel argumentum. Illud autem tunc admiratione dignum accidit, quòd qui
Gilonis Card. obſtinatio. ſtabat à ſchiſmaticis Gilo Cardinalis Epiſcopus Tuſculanus, adhùc permanſit in ſchiſmate, quem aliàs (*b*) Petrus Cluniacenſis litteris admonitum, aliis additis
b Pet. Clun. lib. 4. ep. 4.
c Idem ib. ep. 30. (*c*) magnoperè (ut parerat) redarguit; ex Cluniacenſi enim cœnobio ad Cardinalatum provectus fuerat. Ad quem inter alia: Sed fortè ea ſpe, ut tunc innuebas, rem diſtuliſti, qua ſperabas ab Imperatore Lothario aut Petrum Leonis Innocentio Papæ præferri, aut utroque depoſito, in Apoſtolica Sede alium ſublimari. At nunc quid ultrà novarum rerum vel moliri, vel præſtolari poteris, quando & Lotharius mortuus eſt, & Petrus extinctus eſt, & Innocentius in Papam ac ſummum Pontificem primò ab Urbis parte, poſtmodùm à toto orbe, & tandem à tota Urbe ſublimatus eſt, & tota vanitatis ſpes divini oris gladio undique circumciſa eſt? &c.] Quòd autem Lotharium Imperatorem mortuum ait, ſequenti potiùs anno hanc ad eum datam eſſe epiſtolam apparet: ſiquidem Lotharius (ut dicetur) mortuus eſt in fine anni hujus. Sed ad ſanctum Bernardum recedentem ab Urbe revocemus orationem.

VII. At quid? Num aliquod ſecum ſaltem munuſculum detulit? utique & ingentis pretii; immò incomparabilis munera Romæ ſe accepiſſe gaviſus eſt. At quænam
d Vit. S. Bernar. lib. 4. c. 1. iſta fuerint, accipe ab auctore, (*d*) qui fideliſſimè res ab eo geſtas præſens etiam fortaſsè conſcripſit: ait enim: Rediens au-
Tulit ſecum S. Bernardus Reliquias Sanctor. tem Pater ſanctus ab Urbe, ex ſanctorum Apoſtolorum, Martyrumque corporibus xenia ſecum retulit pretioſa, haud modicum hunc ſibi reputans fructum eſſe laboris. Inter quæ beati Cæſarii dentem quonam modo receperit, memorandum. Cùm enim integrum ei prædicti Martyris caput exhiberetur, ut tolleret inde quod vellet: dari ſibi petiit dentem unum. Fruſtrà verò aliquamdiu Fratres, qui cum eo venerant, laborantes, conceſſum ſibi trahere penitùs non valebant. Fractis eorum cultellis duobus aut tribus quos applicuerant, nihilominùs adhùc dens immobilis permanebat. Tum ille: Orandum nobis, ait; nec enim habere poſſumus, niſi Mar-

A tyr ipſe concedat. Facta denique oratione, reverenter accedens, incredibili facilitate duobus tulit digitis, quod ferreis ante moveri non poterat inſtrumentis.] Hæc de his ibi. Quanta autem lætitia exceptus fuerit ab univerſis populis Gallicanis, idem auctor tradit, & quòd reverſus ad ſuos, intermiſſam expoſitionem in Cantica Canticorum rogatus ab ipſis reſumens, ſic primum ſermonem poſt reditum eſt exorſus, qui tamen junctus ſuperioribus, vigeſimusquartus enumeratus: Hoc demùm tertiò Fratres reditum ab Urbe noſtrum clementior oculus è cœlo reſpe-
B xit, & vultus tandem ſerenior deſuper arriſit nobis. Quievit Leonina rabies, finem accepit malitia, Eccleſia pacem recepit. Ad nihilum deductus eſt in conſpectu ejus malignus, qui eam per hoc fermè octennium diro ſchiſmate conturbarat. Num verò ego gratis de tantis periculis ero redditus vobis? Veſtris deſideriis donatus ſum, veſtris me profectibus paro: quorum vivo meritis, volo vivere ſtudiis & ſaluti &c.] Sed de negotiis ab eo in Urbe cœptis adhùc ſermo.

Antequàm autem ab Urbe recederet, VIII. Labores S. Bernardi pro Eccl. Lingonienſi.
occaſione vacantis Eccleſiæ Lingonien-
C ſis, ſub cujus diœceſi ſuum erat poſitum monaſterium, fuit ei plurimùm laborandum. Teſtatus eſt id ipſe in litteris datis poſteà ad (e) Innocentium Papam, *e Ber. epiſt. 164. 166. 167.*
quibus & rei geſtæ fidelis eſt intexta narratio iſtis verbis: Dum adhùc Romæ eſſemus, contigit illò venire dominum Archiepiſcopum Lugdunenſem. Venerunt & cum eo Robertus Decanus Eccleſiæ Lingonienſis, & Olricus Canonicus, quærentes licere ſibi & Capitulo Lingonienſi eligere ſibi Epiſcopum. Mandatum ſiquidem à domino Papa acceperant, nequaquàm præſumere hoc, niſi
D ad conſilium religioſorum virorum. Quod dum per me cuperent, & peterent obtinere: Abſit, inquam, niſi ſciam & certus ſim, quòd bonam idoneamque perſonam intendatis eligere. Reſponderunt propoſitum ſuum atque intentionem de noſtro pendere arbitrio, nihil aliud ſe facturos, niſi quod conſulerem, & ſpoponderunt. Verùm me non ſatis fidem accommodante, acceſſit ad perſuadendum Archiepiſcopus, pollicens firmiter id ipſum. Et addidit, quòd ſi ſecus clerici agere molirentur, quidquid aliud facerent, minimè ſe confirmaturum, nec
E ratum habiturum. Adductus eſt & dominus Cancellarius in teſtimonium. Nec contenti, adivimus etiam præſentiam domini Papæ, ut ejus favore & auctoritate quod inter nos convenerat, confirmaretur: priùs tamen habita inter nos collatione mutua ac diuturna ſuper facienda electione. Et de multis perſonis, quarum ibi mentio facta eſt, duabus tandem nominatis, à quibus nullus noſtrum penitùs diſſentiret, quamlibet illarum eligi placuiſſet. Itaque quod nobis complacuit, dominus Papa im-

mutabiliter obſervari præcepit, & tàm Archiepiſcopus, quàm clerici firmiter promiſerunt.] Sed quomodò poſt tot promiſſiones facta eſt nihilominùs electio, ipſo inconſulto S. Bernardo, demouſtrat, cùm hæc ſubiicit: Illis abeuntibus, ego poſt diſceſſum eorum dies paucos in Urbe ſacicus, ubi à domino meo impetrare potui facultatem redeundi ad Fratres, iter arripuimus, & tranſalpinantes, comperimus inſtare diem, qua foret ſacrandus homo in Epiſcopum Lingonienſem, de quo utinam meliora atque honeſtiora audiviſſemus. Nolo autem dicere quæ invitus audivi &c.] Interpoſitam tandem refert appellationem ad Apoſtolicam Sedem tùm ab Archidiacono Lingonienſi, tùm à Decano Lugdunenſi, & Fratribus Claravallenſibus: excuſaſse tamen ſe Lugdunenſem Archiepiſcopum dicit ob Principum contradictionem, omniaque fieri ob bonum pacis.

IX. Scripſit de his primùm S. Bernardus (ut diximus) iteratas litteras ad ipſum Innocentium Papam, & ſeorſum ad Cardinales, (*a*) ob oculos ponens labores & ærumnas, quas ob Eccleſiæ Romanæ pacem ipſe ſit paſsus: rogans ut (*b*) electio committatur perſonis non ſuſpectis. Ita in litteris ad Innocentium Papam ultimo loco datis. Quod & obtinuit ab ipſo Pontifice, ſicque ab electoribus deputatis electus eſt vir integerrimus, Prior videlicèt monaſterii Clarævallenſis, nomine Godefredus, de quo excuſare ſe oportuit S. Bernardum apud Ludovicum Francorum Regem, litteris aculeatis ad ipſum datis. (*c*) Quòd autem in (*d*) epiſtola ad Cardinales conqueri videtur de Abbate Cluniacenſi, ſicut & de Archiepiſcopo Lugdunenſi, dum ait: Ecce rediens à vobis, tribulationem & dolorem inveni, & nomen Domini invocavi, ſed non profuit: invocavi & veſtrum, & non valuit. Siquidem dii fortes terræ vehementer elevati ſunt, Lugdunenſis ſcilicèt Archiepiſcopus, & Cluniacenſis Abbas. Hi confidentes in virtute ſua, & in multitudine divitiarum ſuarum glorianțes, adversùm me appropinquaverunt & ſteterunt, & non adversùm me tantùm, ſed adversùm magnam multitudinem ſervorum Dei, adversùm vos quoque, adversùm ſeipſos, contra Deum, contra omnem æquitatem & honeſtatem. Denique impoſuerunt hominem ſuper capita noſtra, quem proh pudor! & boni horrent, & mali rident &c.] Quod inquam ita expoſtulet S. Bernardus: non diſputo de Lugdunenſi Archiepiſcopo: ſed quod ſpectat ad Cluniacenſem Abbatem (hic erat Petrus) idem ipſe de his ſatis locupletem ſcripſiſſe reperitur epiſtolam (*e*) apologeticam, dolens quòd calumniantibus idem ſanctus Bernardus præſtiterit aures, fidemque adhibuerit. Ad ipſam amando Lectorem. Quæ etſi non extaret, duæ aliæ epiſtolæ ejuſdem Petri eodem argumento datæ ad Innocentium Papam, eum culpa liberant, quarum (*f*) altera

a Bern. ep. 168.
b Idem ep. 169.
Godefredus electus Epiſcopus Linguníenſis.
c Idem ep. 170.
d Idem ep. 168.
e Petrus lib. 3. ep. 29
f Idem lib. 3. epiſt. 36.

A impetrare rogat licentiam Eccleſiæ Lingonienſi, ut ſecundùm canones, jure communi ſuum eligere poſſit Epiſcopum: altera, (*g*) us electum ab illis Abbatem quemdam Ordinis Cluniacenſis nullo pacto patiatur ab Abbatia ab eo benè inſtituta divelli. Quæ quidem epiſtola quoniam brevior eſt, haud hìc eam deſcribere recuſabo, ſic ſe habet:

g Idem lib. 4. epiſt. 28.

X. Summo Pontifici & noſtro ſpeciali Patri domino Papæ Innocentio, Frater Petrus humilis Cluniacenſis Abbas obedientiam & amorem.

Petrus Cluniac. Abbas Innoc. rogat ne admittatur electio lingon.

B Rumor ad nos uſque pervenit, quòd quidam paternitatis veſtræ auribus importuni exiſtant, ut domnus Vizeliacenſis Abbas de Vizeliacenſi monaſterio ad Lingonienſem Eccleſiam, de Abbate in Epiſcopum transferatur. Hos ne audiatis, & nos rogamus, & ipſa ratio implorat, nec tantùm implorat, ſed ut audacter & veraciter loquar, imperat & compellit. Imperat planè & compellit, quia cùm jure majeſtas Apoſtolica omnibus dominetur, ſoli tamen rationi ſubiici gloriatur. Qualem ille faciem loci illius auctoritate veſtra à nobis ibi poſitus invenerit, qualem jam reddiderit, ne longum faciam, C vos quidem audiſtis, ſed nos cognovimus: vos fortè noſtis, ſed nos melius. Super aridum & caliginoſum montem levatus in ſignum, ita cum pinguem religione, ſic eum luminoſum bono nomine reddidit, ut in partibus noſtris Vizeliacus, excepto Cluniaco, in noſtri Ordinis ſtudiis nullum patiatur habere priorem, verèque etiam de ipſo dici poſſit: (*h*) Mons coagulatus, mons pinguis, mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo. Quodque valdè difficile, & idcircò mirum eſt, labore hujus nec turba ibi ſecretum, nec clamor ſilentium, D nec ſtrepitus ordinem, nec mundus monachis poteſt auferre quietem. Unde veſtræ ſapientiæ providendum eſt, ne longo tempore & multo labore parta bona momento depereant. Quia & domus diuturno ſudore conſtructa, una die deſtrui, & arbor multis annis vix ad fructum provecta, ſubitò eradicari, & puer magna nutricum cura tandem in virum productus, uno poteſt ictu occidi. Hoc de Vizeliaco Abbate ſublata provenire timemus. Quòd ſi cum ratione & auctoritas juvare nos poteſt: recordamini primam curam debere vos veſtris. Et audite Apoſtolum dicen- E tem: (*i*) Operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domeſticos Fidei. Et (*k*) qui ſuorum curam negligit, & maximè domeſticorum: non eſt meum ſequentia adjungere, nec patri Apoſtolico ſaltem de Apoſtolo aliqua duriora proferre: ſcitis ipſi quid ſequatur. Hoc idcircò dixi, quia etſi Lingonienſis Eccleſia veſtra, multò magis Vizeliacenſis veſtra, multò magis Cluniacenſis veſtra. Quod igitur magis veſtrum eſt, auctoritate & ratione magis à vobis diligendum & conſervandum eſt. Quod tunc fiet, ſi domno Abbate in locum proprium reſtituto, nullum ad-

h Pſal. 67.
i Galat. 6.
k 1. Tim. 5.

verſa

verſa ſuadentem audieritis.] Hæc Petrus ad Innocentium. Quibus clariſſimè demonſtratur, calumniosè admodùm aſſertum S. Bernardo, opera nimirùm Abbatis Cluniacenſis monachum eligi curatum Cluniacenſem Epiſcopum Lingonienſem, ut audiſti ex ejuſdem S. Bernardi querelis, ad Cardinales Romanæ Eccleſiæ litteris cumulatis. Ceſſiſſe tamen ipſum Petrum importunitati petentium, ipſemet teſtatur in apologetica epiſtola ad ipſum ſanctum (*a*) Bernardum conſcripta. Certè quidem magnum ipſe Petrus ſpecimen edidit Chriſtianæ charitatis & obſervantiæ erga ſanctum Bernardum, quem mirificè coluit & amavit, & eidem in omnibus controverſiis didicit deferre. Teſtatur id ipſe Petrus in epiſtola ad ipſum eodem argumento conſcripta, ubi hæc verba: (*b*) Quantum ad eam charitatem ſpectat, quam vobis in abdito cordis mei jam ab antiquo reſervo; videtur mihi, quòd aquæ multæ (ut ſcriptum eſt) (*c*) non poterunt eam extinguere, nec flumina obruere. Quando enim extingui vel obrui poterit ſincerus erga vos & ignitus mei pectoris affectus quibuslibet ſiniſtri rumoris rivulis, cùm nec aquæ multæ decimarum (*quarum cauſa controverſias graviſſimas inter Cluniacenſes & Ciſtercienſes motas diximus*) potuerint eum extinguere, nec impetus Lingonienſium fluminum obruere? noſtis quod dico, Nec ob aliud dico, niſi ut conſtantis in amoris propoſito erga vos animi mei inſignia recolens, ſtabilem de cætero me eſſe poſse, prudentia veſtra præſumat &c.] Hæc ad ſanctum Bernardum Petrus, mea ſententia, ſanctitate, quæ per dilectionem operatur, ipſi non impar.

a Petrus Clun. lib. 3. epiſt. 29.

b Idem lib. 5. ep. 16.

Petrus Clunia. quantum detulerit S. Bernardo.

c Cant. 8.

XI. Extincto ſchiſmate Roma reſloret.

Comitati redeuntem ſanctum Bernardum ad propria, redeamus ad Innocentium, quem Romæ reliquimus, de quo iſta dicere pergit Bernardus Bonævallis Abbas in vita ſancti Bernardi: Intereà Romæ Innocentius poteſtativè agenda diſponit. Undique viſitatores occurrunt, alii cum negotiis, alii tantùm gratia congaudendi adveniunt. Proceſſiones per Eccleſias ſolemniter celebrantur: depoſitis armis, ad audiendum verbum Domini plebes accurrunt. Poſt multifarias egeſtates in brevi Civitas opulenta reſloret: quæ diſcordiæ tempore diſtracta fuerant, pax ſolidata revocat & reducit. Arantur ſolitudines, & deſerta pingueſcunt. Requieſcunt ſinguli ſub vite & ficulnea ſua: nocturnæ ſilent excubiæ, & apertis januis omnis timor excluditur. Dato tempore Innocentius Eccleſiæ ruinas reſtaurat, recolligit exules, eccleſiis antiqua ſervitia, depopulatas colonias expulſis reſtituit, inſuper & congrua dona largitur. Monaſterium etiam apud Aquas Salvias in S. Anaſtaſii martyris honore conſtituit. Quod quidem ibi priùs fuerat, ſed hoc tempore ſola Eccleſia, deerat habitator. Conſtructis itaque cœnobialibus manſionibus, & reformata Eccleſia, aſſignatis etiam ad alimonias domus agris & vineis, à Claravalle Abbatem & conventum Fratrum ſibi mitti dominus Papa petiit & obtinuit. Mittitur igitur Bernardus Piſanæ olim Eccleſiæ Vicedominus, & religioſi cum eo Fratres, qui ſecundùm beati Benedicti Regulam in eodem loco Domino deſervirent. Citò profecit illa plantatio, & aſſociatis ſibi viris indigenis, ſervorum Dei multiplicatus eſt numerus, & paſcua congra nutrimentis multiplex in brevi produxere peculium.] Hæc ipſe. Extant de his ejuſdem ſancti (*d*) Bernardi litteræ ad eumdem Innocentium Papam. Poſt hæc quid aggreſſus fuerit Innocentius, ſed Dei voluntate prohibitus ſit, narrat Falco in Chronicis Beneventanis.

Res geſtæ ab Innoc. poſt pacem Eccl.

d Bern. ep. 184.

XII. Nonmultis diebus evolutis, prædictus Apoſtolicus, conſilio accepto, Albanum venit, diſponens exercitu congregato ad Ducem Reipublicæ Rainulphum, pugnantem adversùs Rogerium, venire: ſed infirmitate percuſſus venire non potuit.] Porrò Rogerius neque extincto Anacleto, & ſubmoto Victore, recognoſcere adhùc voluit Innocentium ſummum Pontificem, ſed ſolus cum ſuis abſque capite manſit in ſchiſmate, nihil omittens crudelitatis, quam exerceret in loca, quæ armis ſibi ſubigere poſſet. Et inter alia Aliſanam civitatem abſque delectu ſacrorum locorum & perſonarum exercitui ferro flammaque delendam tradidit ea crudelitate, quæ omnem barbariem excederet. Deſcribuntur iſta omnia pluribus in iiſdem Chronicis Beneventanis: ſed ad inſtitutum hæc ſatis.

Rogerii crudelitas in Aliſanos.

Hoc eodem anno in fine ipſius, nempè tertio Nonas Decembris, moritur Lotharius Imperator, de quo Petrus Caſſinenſis diaconus: Apud Cluſam Liguriæ ſe contulerat *Imperator*, ibique Henricum Ducem Bavariæ generum ſuum Saxoniæ hæredem conſtituit, & diem clauſit extremum. Otto autem Friſingenſis ait, eum apud Tridentum morbo correptum, in ipſis montibus in viliſſima caſa diem obiiſſe: cujus corpus delatum eſt Moguntiam. Fuit interregnum quatuor menſibus. Quòd enim prole maſcula careret, quinam aſſumendus in Imperium eſſet, Comitiis generalibus fuit decernendum. Quiſnam autem electus fuerit ejus ſucceſſor in Imperium, dicemus anno ſequenti. Extat epiſtola Petri diaconi conſolatoria ad Richizam Auguſtam de morte Lotharii Imperatoris ejus conjuge, in antiquitus ſcripto codice Caſſinate.

Lotharii Imp. obitus.

XIII. Cujus Acta de diſputatione Cardinalium cum ipſo Petro coram Lothario Imperatore, ab aliquo pro arbitrio concinnata, cùm multipliciter arguantur falſitatis, indigna putamus quæ Annalibus intexantur. Ita Deus mentienti reſiſtit, ut quamvis vafer & callidus ſit qui orditur telam mendacii, ejus obſcuret veluti faſcino intellectum, ut videre non ſinat, quæ aliis ſunt perſpicua, ut ſic inde poſſit redargui falſitatis. Recenſentur ipſa in quarto libro Chronici Caſſinatis, quem Petrus

Acta quæ arguntur falſitatis.

poſuit Appendicem ad Leonem Oſtienſem. Eſt autem illorum (*a*) eaordium ejuſmodi:

a *Chron. Caſſ. lib.* 4. *c.* 110.

In nomine Domini & Salvatoris noſtri JESU CHRISTI, anno ab Incarnatione ejus milleſimo centeſimo trigeſimooctavo, Indictione prima, vii. Id. Iulii, anno Imperii domini Lotharii Cæſaris ſeptimo, reſidente eodem invictiſſimo Principe ad Aquas penſiles, &c.] Locus autem iſte, qui dicitur ab auctore, ad Aquas penſiles, ubinam fuerit, ab eodem ſuperiùs aſſeritur, (*b*) nempè fuiſſe prope Melſim; ait enim: Monachi accelerare fugam contendentes, Melſim primò, inde ad Lacum penſilem, ubi omnis Imperatoris exercitus cum Innocentio Papa conſederat, advenerunt.] Ibi verò contigit adeſſe Imperatorem non hoc anno, ſed ſuperiori, quo deſcendit cum exercitu in Apuliam, ut ſuo loco ſuperiùs eſt demonſtratum auctoritate Scriptorum ejuſdem temporis. Quomodò ergò à Petro præſens annus & anni præſentis Indictio ponitur, & certa dies conſignatur menſis Iulii ejus anni, quo nec Imperator, nec Pontifex fuere ad Aquas penſiles, ſed Romæ eo tempore degeret Innocentius, & Imperator Lotharius jam ab Urbe receſſiſſet verſus Galliam Ciſalpinam? Præterea quiſnam ibi ponitur Robertus Abbas Claravallenſis interfuiſſe unà cum Cardinalibus publicæ diſputationi: cùm non alius quàm ſanctus Bernardus fuerit hoc tempore Abbas Claravallenſis? Inſuper quomodò paſſurus fuiſſet Innocentius, Lotharium Imperatorem præfuiſſe judicem inter Cardinales & monachos Caſſinenſes, qui (ut vidimus) maximè indigno animo tulit, eumdem audiſſe cauſam monachorum inter ſe diſſidentium? Hæc ſunt & alia, quæ arguant, eadē illius aſſiaa Acta eſſe penitùs commenticia, ſicut ſunt magni dedecoris ſchiſmaticorum monachorum illorum, qui contra Romanã Eccleſiam eo modo diſſerere tanta procacia proponantur. Sic igitur Acta illa non anno Chriſti ſignanda erant trigeſimooctavo poſt milleſimum centeſimum, ſed trigeſimoſeptimo, non Indictione prima, ſed decimaquinta, non anno ſeptimo Lotharii Imperatoris, ſed quinto, & in aliis caſtiganda, ut diximus.

b *Idem lib.* 4. *c.* 109.

Acta à Petro ſcripta falſa redarguūtur.

XIV. Controverſ. inter Patriarch. Hieroſoly. Arch. Tyrenſ.

Quod ad res pertinet Orientis, hoc anni tempore, nempè poſtquàm Innocentius Romam reverſus eſt, agitari contigerunt controverſiæ illæ, occaſione Fulcheri Tyrii Archiepiſcopi cum Vvillelmo Hieroſolymorum Patriarcha obortæ, quæ à Vvillelmo itidem Tyrio poſteà Archiepiſcopo deſcribuntur: ac primùm, quomodò contigerit hominem Aquitanum profugum ex Galliis ad inſignem adeò Eccleſiam eligi Archiepiſcopum. Sic enim ait: (*c*) Subſtitutus eſt dominus Fulcherus *Tyrenſis Archiepiſcopus* bonæ memoriæ Aquitanicus; vir religioſus ac timens Deum, modicè litteratus, ſed conſtans & amator diſciplinæ. Hic apud ſuos Abbas extiterat Canonicorum Regularium in monaſterio, cui Cella, nomen. Sed poſtmodùm tempore prædicti ſchiſmatis, quod inter Innocentium Papam & Petrum Petri Leonis filium exortum eſt, ſavens prædicto Petro Gerardus Engoliſmenſis Epiſcopus Apoſtolicæ Sedis Legatus, alii parti præſtantes aſſenſum moleſtiis quamplurimis fatigabat. Quod vir vitæ venerabilis non ferens, ſumpta licentia à Fratribus, orationis gratia Hieroſolymam venit, tandemque in clauſtro Eccleſiæ Dominici Sepulchri regularem vitam & aſſiduitatem profeſſus, ad Eccleſiam Tyrenſem vocatus eſt. Rexit autem eamdem Eccleſiam ſtrenuè & feliciter annis duodecim, quartus ante nos, qui nunc eidem Eccleſiæ non electione meriti, ſed ſola Domini dignatione & patientia præſidemus. Qui poſtquàm à domino Hieroſolymitano Patriarcha Vvillelmo ſuæ munus conſecrationis accepit, exemplo prædeceſſoris ſui volens ad Eccleſiam Romanam pro obtinendo pallio properare: ab eodem Patriarcha & ejus complicibus paſſus eſt inſidias & violentiam, ita ut via & cum multa difficultate manus eorum poſſet effugere, & ad Eccleſiam Romanam pro cauſa prædicta pervenire, ſicut ea tenore litterarum domini Papæ Innocentii deprehenditur. Ait enim:

c *Vvillel. Tyr. lib.* 14 *c.* 11.

Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Vvillelmo Hieroſolymitano Patriarchæ ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Innocent. Pap. Epiſt. ad Patriarcham Hieroſolym.

Magiſterium totius Eccleſiæ & Eccleſiaſticæ inſtitutionis B. Petro Apoſtolorum principi cœleſti privilegio eſſe collatum, Evangelica declarat auctoritas. Et infra: Miramur autem, quoniam cùm Romana Eccleſia pro liberatione Orientalis Eccleſiæ tantoperè laboraverit, & filiorum multorum ſanguinem effundendo, corda tam Eccleſiaſticorum quàm ſæcularium ad ejus ſervitium excitaverit; nequaquàm prout convenit, eidem matri tuæ hac vice reſpondere curaſti. Parum enim tibi viſum fuerat, quòd venerabilem fratrem noſtrum Vvilialmum Tyrenſem Archiepiſcopum more prædeceſſorum ſuorum pro ſuſceptione pallii ad Romanam Eccleſiam venientem diſturbare præſumpſeris, ubi te erga eum à nobis redeuntem inhumanum, difficilemque & nimis aſperum exhibueris. Adeò quod nec antiquam dignitatem Tyrenſis Eccleſiæ ſibi reſtituere, nec de damnis ſibi illatis, aut etiam de Caipha ſive Porphyra juxta mandatum noſtrum infra tres menſes, poſt acceptionem noſtrarum litterarum juſtitiam facere volueris. Cùm utique ſatis indignum ſit, ut honor, qui ſibi, ſi ei obediret, ab Antiochena exhiberetur Eccleſia, à te vel tuis ſucceſſoribus ſubtrahatur. Præterea in ſubjectos illius nimis poteſtativè diceris te habere. Quocircà auctoritate Apoſtolica præcipimus, ſi ejuſdem matris tuæ piis opeas ſtudiis atque ſolatiis confoveri, ſi in tuis neceſſitatibus ejus patrociniis deſideras adjuvari, jam dictum Archiepiſcopum diligas & honores, & in nul-

lo

lo perturbare præſumas : quin potiùs de omnibus, de quibus apud te querimoniam depoſuerit, ſibi plenam juſtitiam intra quadraginta dies, poſtquàm præſentia ſcripta ſuſceperis, exhibere non differas, nec aliquid in ſubditos ſuos contra ſtatuta canonum præſumas. Alioquin timendum tibi erit, ne tàm ipſum quàm Suffraganeos ſuos à tua obedientia ſubtrahamus, eoſque intra manus noſtras retineamus. Datum xv. Kalendas Januarii.] Hæc Innocentius.

XV. Vidiſti Lector, non Græcos tantùm, ſed Latinos noſtros refractarios eſſe inventos adversùs Romanos Pontifices? ut non B mireris, ſi tanti ædificii moles corruerit, cujus compagines malè cohærerent Catholicæ unitati. Sunt & aliæ ejuſdem Innocentii Papæ litteræ ſcriptæ ad diverſos in cauſa Tyrenſis diœceſeos, quas idem Vuillelmus recitat. (a)

a *Vuillel. Tyr lib.* 14. c. 13.

Legatio Alberici Card. Oſt. in Angliá.

Hoc eodem anno Innocentius Papa altero oculorum reſpiciens extremas Orbis partes, ad componendas res Eccleſiæ Anglicanæ miſit à latere Legatum Albericum Cardinalem Epiſcopum Oſtienſem, qui celebravit Londoniæ Concilium, & ibi annuente Stephano Rege, Theobaldum Becenſem Abbatem creavit Archiepiſcopum Cantuarienſé. Hæc Rogerius in Annalibus.

JESU CHRISTI ANNUS 1139. INNOCENTII PAP. II. ANNUS 10. VACAT. IMP. OCCID. 1. JOANNIS COMN. IMP. 21.

I. Annus Redemptoris ſequitur milleſimus centeſimus trigeſimusnonus, Indictione ſecunda, quo Innocentius Papa in Germania ad electionem ſucceſſoris Lotharii Imperatoris Legatum à latere mittit Theodinum Epiſcopum Cardinalem. Agit de hac legatione (b) Otto Friſingenſis, aitque: Anno ab Incarnatione C Domini milleſimo centeſimo trigeſimooctavo, defuncto ſine filiis Imperatore Lothario, conventus generalis Principum Moguntiæ in proxima Pentecoſte indicitur. Quidam autem ex Principibus timentes, ne fortè in generali Curia Henricus Dux Noricorum, qui tunc præcipui & nominis & dignitatis in regno fuit, per potentiam prævaleret: circa mediam Quadrageſimam, conſilio habito in oppido Galliæ Confluentia, conventum celebrant, ibique Conradum Imperatoris Henrici ſororium, de quo ſuprà diximus, præſente * Theoduino Epiſcopo Cardinali, ac D S.R.E. Legato, ſummi Pontificis, ac totius Romani populi, urbiumque Italiæ aſſenſum promittente, nonageſimumquartum ab Auguſto Regem creant. Qui mox ad palatium Aquis veniens, à prædicto Cardinale (nam Colonienſis, qui id facere jure debuerat, noviter inthronizatus pallio carebat) cooperantibus Colonienſi & Trevirenſi Archiepiſcopis cum cæteris Epiſcopis, in Regem ungitur.] Hæc de promotione Conradi. De Henrici verò Ducis dejectione inferiùs. Porrò qui non niſi Imperatorum Occidentalium tantùm non Regum Romanorum annos præfigere chronographiæ conſuevimus, jam cùm deſunt Imperatores, notas numeri Regum Romanorum ad clariorem temporum ſignificationem ponemus, ſed cum ſuo titulo tantùm.

b *Ott. Friſ. lib.* 7. c. 22. 23. 24.

Conradus Rex creatur rejecto Henrico.

* al. Theodino

II. Itaque Conradus Rex (inquit Otto) in Pentecoſte Curiam in præfata civitate, ut condictum erat, cum maximo regni faſtigio, & maximo conventu Principum habuit, ubi omnes Saxones ſimul cum viduata Imperatrice Richiza venientes, ultrò ſe ſuæ ditioni ſubdidere. Solus ex Principibus Dux Henricus regalia ſervans aberat: ad quæ reddenda in feſtivitate Apoſtolorum Petri & Pauli dies ei præfigitur Ratiſponæ. Quò veniens, regalia quidem multis illectus promiſſis reddidit, ſed tamen ea minimè conſecutus, infecto pacis negotio, ſine gratia ejus receſſit. Cumque multis modis homo præpotens & animoſus, ſed nutu Dei humiliatus, miſericordiam peteret, nec impetraret: tandem judicio quorumdam Principum apud Herbipolim proſcribitur, ac proxima Nativitate Domini in palatio Goslarienſi Ducatus ei abjudicatur. Et mirum dictu, Princeps ante potentiſſimus, & cujus auctoritas (ut ipſe gloriabatur) à mari uſque ad mare, ideſt à Dania uſque in Siciliam extendebatur: in tantum brevi humilitatem venit, ut penè omnibus fidelibus & amicis ſuis in Bajoaria à ſe deficientibus, clàm inde egreſſus, quatuor tantùm comitatus ſociis, in Saxoniam veniret.] D Et inferiùs: Cùm Dux Henricus auctoritate ſoceri ſui Imperatoris, propriiſque viribus in tantum excreviſſet, ut omnes deſpiciens, nulli pro regno ſupplicare dignaretur: Dominus qui humilia reſpicit, & alta à longe cognoſcit, deponit potentes, & exaltat humiles, illum, *Conradum ſcilicèt*, humiliatum & penè deſperatum ad faſtigium regni provexit, hunc de alto, in gloria & potentia ſua gloriantem dejecit.] Et haud diu pòſt conſumptus mœrore, morte ſublatus eſt.

Henrici Ducis demerſio ex ſuperbia.

III. Creatus Conradus Rex Romanorum, ad E ſanctum Bernardum litteras ſcripſit, queſtus quòd olim faviſſet Lothario adversùs eum. Ad quem hæc breviter idem ſanctus Bernardus reſcripſit: (c)

c *Bern. ep.* 183.

Quę S. Bernardus ad Conradū.

Scripta veſtra & ſalutationes tàm devotus ſuſcipio, quàm modicus ſum ad illa, modicus dixerim dignitate, ſed non devotione. Querimoniæ Regis noſtræ ſunt, & maximè illa, quam dignanter exprimitis de invaſione Imperii. Regis dedecus, regni diminutionem numquam volui, volentes odit anima mea. Legi quippè: (d) Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdi-

d *Rom.* 13.

A ſubdita ſit: & qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Quam tamen ſententiam cupio vos, & omnimodis moneo cuſtodire in exhibenda reverentia ſummæ & Apoſtolicæ Sedi & B Petri Vicario, ſicut ipſam vobis vultis ab univerſo ſervari Imperio. Sunt quæ non putavi ſcribenda; præſens ea fortaſſis opportuniùs intimarem.] Hæc Bernardus ad Conradum.

IV. Eodem anno, proxima media Quadrageſima (idem inquit (a) Otto Friſingenſis Epiſcopus) Synodus maxima circiter mille Epiſcoporum Romæ, præſidente ſummo Pontifice Innocentio celebratur: B ibique poſt multa ſalutiſera decreta promulgata, ſchiſmatici, qui parti Petri Leonis ſaverant, damnantur.] Hæc tantùm de Synodo maxima Otto. Nos autem non ſine magno labore, quæ ad tàm celebre Concilium ſpectant, ſimul hinc inde colligere ſtuduimus. Atque primùm quod ad diem ſpectat, in ſcripto Chronico Beneventano hæc de ejuſdem Concilii certa die: Hoc anno præfatus Apoſtolicus Innocentius, octavo die intrante menſis Aprilis Romæ Synodum celebravit. Ad cujus ſacri conventus præſentiam Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Abbates innumeri convenerunt: C ibique inter cætera, quæ Spiritu ſancto mediante ſtatuta ſunt, vinculis excommunicationis alligavit Regem Rogerium prædictus Apoſtolicus Innocentius in præſentia omnium Catholicorum virorum, qui convenerunt, & omnes ejus ſequaces.] Hæc de Synodo. Extant canones hujus Concilii in libro cenſuum Vaticanæ Bibliothecæ, & alio codice Vaticano Decretorum collationis, ex quo (b) Gratianus aliqua capita intulit in Decretum. Quæ inde accepta hìc tibi ſubiicimus; ſunt numero canones triginta his verbis conſcripti:

a Otto lib. 7. c. 23.

Concilium Rom. Generale.

b Diſt 90. c. pen. 12. q. 2. c. illud 17. q. 4 c. ſi quis ſuadente diab. 22. q. 4. c. final. & alia plura.

V. 1. Statuimus, ut ſi quis ſimoniacè ordinatus fuerit: ab officio omninò cadat, quod illicitè uſurpavit.

2. Si quis Præbendam, vel Prioratum ſeu Decanatum, aut honorem, vel promotionem aliquam Eccleſiaſticam, ſeu quodlibet ſacramentum, ut puta, chriſma, vel oleum ſanctum, conſecrationes altarium, vel Eccleſiarum interveniente execrabili * ardore: malè acquiſito careat, & emptor atque venditor, & interventor nota infamiæ percellantur Et nec pro paſtu, nec ſub obtentu alicujus conſuetudinis ante vel poſt, à quoquam aliquid exigatur, vel ipſe dare præſumat: quoniam ſimoniacum eſt: ſed liberè & abſque imminutione aliqua collata ſibi dignitate atque beneficio perfruatur.

* emptionis.

3. A ſuis Epiſcopis excommunicatos, ab alio ſuſcipi, modis omnibus prohibemus. Qui verò excommunicato, antequàm ab eo qui eum excommunicaverit abſolvatur, ſcienter communicare præſumpſerit: pari ſententiæ teneatur obnoxius.

4. Præcipimus etiam, quòd tàm Epiſcopi quàm clerici in ſtatu mentis, in habitu A corporis Deo & hominibus placere ſtudeant & nec in ſuperfluitate, aut colore veſtium, nec in tonſura, intuentium, quorum forma & exemplum eſſe debent, offendant aſpectum, ſed potiùs, quam eos deceat ſanctitatem. Quòd ſi moniti ab Epiſcopis emendare noluerint, Eccleſiaſticis careant beneficiis.

5. Illud etiam quod in ſacro Chalcedonenſi conſtitutum eſt Concilio, irrefragabiliter conſervari præcipimus: ut videlicèt decedentium bona Epiſcoporum à nullo omninò hominum diripiantur, ſed ad opus Eccleſiæ & ſucceſſoris ſui in libera œconomi & clericorum permaneant poteſtate. B Ceſſet igitur de cætero illa deteſtabilis & ſæva rapacitas. Si quis autem hoc amodò attentare præſumpſerit, excommunicationi ſubjaceat. Qui verò morientium presbyterorum, vel clericorum bona rapuerint, ſimili ſententiæ ſubiiciantur.

6. Decernimus etiam, ut hi, qui in ordine ſubdiaconatus, & ſuprà, uxores duxerint, aut concubinas habuerint: officio atque beneficio careant. Cùm enim ipſi templum Dei, vaſa Domini, ſacrarium Spiritus ſancti debeant eſſe, & dici: indignum eſt eos cubilibus & immunditiis deſervire.

C 7. Ad hæc prædeceſſorum noſtrorum Gregorii VII. Urbani, & Paſchalis Romanorum Pontificum veſtigiis inhærentes interdicimus, ut nullus Miſſas eorum audiat, quos uxores, vel concubinas habere cognoverit. Ut autem lex continentiæ, & Deo placens munditia in Eccleſiaſticis perſonis & ſacris ordinibus dilatetur: ſtatuimus, quatenùs Epiſcopi, presbyteri, diaconi, ſubdiaconi, regulares Canonici & monachi, atque converſi, profeſſi, qui ſacrum tranſgredientes propoſitum, uxores ſibi copulare præſumpſerint, ſeparentur. Hujuſmodi namque copulationem, D quam contra Eccleſiaſticam regulam conſtat eſſe contractam, matrimonium non eſſe cenſemus. Qui etiam ab invicem ſeparati, pro tantis exceſſibus pœnitentiam agant condignam.

8. Id ipſum quoque de ſanctimonialibus fœminis, ſi quod abſit, nubere attentaverint, obſervari decernimus.

9. Prava autem conſuetudo (prout accepimus) & deteſtabilis inolevit, quod & monachi & regulares Canonici poſt ſuſceptum habitum & profeſſionem factam, ſpreta beatorum magiſtrorum Benedicti & Auguſtini Regula, leges temporales, & medicinam gratia lucri temporalis addiſcunt. Avaritiæ namque flammis acE cenſi, ſe patronos cauſarum faciunt: & cùm pſalmodiæ, & hymnis vacare deberent, glorioſæ vocis confiſi munimine, allegationum ſuarum varietate juſtum & injuſtum, faſque nefaſque confundunt. Atteſtantes enim Imperiales conſtitutiones abſurdum, immò opprobrium eſſe clericis, ſi periti ſe velint diſceptationum eſſe forenſium, * hujuſmodi temeratoribus graviter feriendis. Ipſi quoque Canonici & monachi, neglecta animarum cura, Ordinis ſui

propo-

propoſitum nullatenùs attendentes, pro deteſtanda pecunia ſanitatem pollicentes, humanorum ſe faciunt curatores corporũ. Cùmque impudicus oculus impudici cordis ſit nuntius: illa etiam, de quibus loqui erubeſcit honeſtas, non debet religio pertractare. Ut ergo Ordo monaſticus & canonicus Deo placens, in ſancto propoſito inviolabiliter conſervetur, ne hoc ulteriùs præſumatur, auctoritate Apoſtolica interdicimus. Epiſcopi autem, Abbates, & Priores tantæ enormitati conſentientes, & non corrigentes, propriis honoribus ſpolientur, vel ab Eccleſiæ liminibus arceantur.

10. Decimas eccleſiarum, quas in uſu pietatis conceſſas eſſe, canonica demonſtrat auctoritas, à laicis poſſideri auctoritate Apoſtolica prohibemus. Sive enim ab Epiſcopis, vel Regibus, vel quibuslibet perſonis eas acceperint, niſi Eccleſiæ reddiderint, ſciant ſacrilegii crimen committere, & periculum æternæ damnationis incurrere. Præcipimus etiam, ut laici, qui eccleſias tenent, aut eas Epiſcopis reſtituant, aut excommunicationi ſubjaceant. Innovamus autem & præcipimus, ut nullus in Archidiaconum, vel Decanum, niſi diaconus vel presbyter ordinetur. Archidiaconi, vel Præpoſiti, vel Decani, qui infrà ordines prænominatos exiſtunt, ſi inobedientes ordinari contempſerint, honore priventur ſuſcepto. Prohibemus autem, ne adoleſcentibus, vel infra ſacros ordines conſtitutis, niſi qui prudentia & merito vitæ clareſcant, prædict. concedantur honores. Præcipimus etiam, ne inducticiis presbyteris eccleſiæ committantur: & unaquæque eccleſia, cui facultas ſuppetit, propriũ habet ſacerdotẽ.

11. Præcipimus etiam, ut presbyteri, clerici, monachi, peregrini, & mercatores, ruſtici, euntes, & redeuntes, & in agricultura perſiſtentes, omni tempore ſecuri ſint.

12. Treugam autem Dei, ab occaſu Solis in quarta feria uſque ad ortum Solis in ſecunda feria, & ab Adventu Domini uſque ad octavas Epiphaniæ, & à Quinquageſima uſque ad octavas Paſchæ ab omnibus inviolabiliter obſervari præcipimus. Si quis autem frangere tentaverit, poſt tertiã commonitionem ſi non ſatisfecerit, Epiſcopus ſuus in eum ſententiam dictet, & ſcriptam vicinis Epiſcopis annuntiet. Epiſcoporum autem nullus excommunicatos in communionem ſuſcipiat, immò ſcripto ſuſceptam ſententiam quiſque confirmet. Si quis autem hoc violare præſumpſerit; ordinis ſui periculo ſubjacebit. Et quoniam funiculus triplex difficilè rumpitur, præcipimus, ut Epiſcopi ad ſolum Deum & ſalutem propriam habentes reſpectum, omni tepiditate ſepoſita, ad pacem firmiter tenendam mutuum ſibi conſilium & auxilium præbeant: ne hoc alicujus amore, aut odio prætermittatur. Quòd ſi quis in hoc opere Dei tepidus inventus fuerit, damnum propriæ dignitatis incurrat.

A 13. Porrò deteſtabilem & probroſam, divinis & humanis legibus per Scripturam in veteri ac novo Teſtamento abdicatam, illam, inquam, inſatiabilem fœneratorum rapacitatem damnamus, & ab omni eccleſiaſtici conſolatione ſequeſtramus: præcipientes, ut nullus Archiepiſcopus, nullus Epiſcopus, vel cujuſlibet Ordinis Abbas, ſeu quivis in ordine & Clero, niſi cum ſumma cautela uſurarios recipere præſumat: ſed in tota vita infames habeantur, & niſi reſipuerint, Chriſtiana ſepultura priventur.

14. Deteſtabiles autem illas nundinas, vel
B ferias, in quibus milites è condicto convenire ſolent, & ad oſtentationem virium ſuarum & audaciæ temerariæ congrediuntur, unde mortes hominum, & animarum pericula ſæpè proveniunt: omnimodo fieri interdicimus. Quòd ſi quis eorum ibidem mortuus fuerit, quamvis ei poſcenti pœnitentia, & viaticum non negetur: Eccleſiaſtica tamen careat ſepultura.

15. Item placuit, ut ſi quis, ſuadente diabolo, in ſacrilegii reatum incurrerit, ſive in clericum, vel monachum manus injecerit violenter; anathemati ſubjaceat. Et nullus Epiſcoporum illum præſumat ab-
C ſolvere niſi mortis urgente periculo, donec Apoſtolico conſpectui præſentetur, & ejus mandatum ſuſcipiat. Præcipimus etiam, ut in eos, qui ad eccleſiam, vel cœmeterium confugerint, nullus omninò manus mittere audeat. Quod qui fecerit, excommunicetur.

16. Indubitatum eſt, quoniam honores eccleſiaſtici ſanguinis non ſunt, ſed meriti, & Eccleſia Dei non hæreditario jure, non ſecundùm carnem ſucceſſores expectet; ſed ad ſua regimina, & officiorum ſuorum diſpenſationes honeſtas ſapientes & religioſas perſonas expoſcat.
D Propterea auctoritate prohibemus Apoſtolica, ne quis Eccleſias, Præbendas, Præpoſituras, Capellanias, aut Eccleſiaſtica officia, hæreditario jure valeat vendicare, aut * expoſtulare præſumat. Quod ſi quis improbus, aut ambitioſus attentare præſumpſerit, debita pœna mulctabitur, & poſtulatis carebit. *expoliare

17 Sanè conjunctiones conſanguineorum omninò fieri prohibemus: hujuſmodi namque inceſtus, quod jam ſtimulante humani generis inimico, in uſum verſum eſt, ſanctorum patrum inſtituta, & ſacroſancta Dei deteſtatur Eccleſia: leges etiam
E ſæculi de tali contubernio natos infames pronuntiant, & ab hæreditate repellunt.

17. Peſſimam ſiquidem & depopulatricẽ & horrendam incendiorum malitiam auctoritate Dei, & beatorum Apoſtolorum Petri, ac Pauli omninò deteſtamur & interdicimus. Hæc enim peſtis, hæc hoſtilis vaſtitas omnes alias deprædationes exuperat. Quæ quantum populo Dei ſit damnoſa, quantumque detrimentum animabus & corporibus conferat, nullus ignorat. Aſſurgendum eſt igitur & omninò laborandũ, ut tanta pernicies pro ſalute po-

puli

Digitized by Google

populi eradicetur & extirpetur. Si quis igitur poſt hujus noſtræ prohibitionis promulgationem, malo ſtudio, ſive pro odio, ſive pro vindicta ignes appoſuerit, vel apponi fecerit, appoſitoribus conſilium, vel auxilium tribuerit, excommunicetur. Et ſi mortuus fuerit incendiarius, Chriſtianorum careat ſepultura. Nec abſolvatur, niſi priùs damno cui intulit, ſecundùm facultatem ſuam reſarcito jurет ſe ulteriùs ignem non appoſiturum. Pœnitentia ei detur ut Hieroſolymis, aut in Hiſpania in ſervitio Dei per annum integrum permaneat.

19. Si quis autem Archieſcopus hæc relaxaverit, damnum reſtituat, & officio Epiſcopali abſtineat.

20. Sanè Regibus, & Principibus faciendæ facultatem juſtitiæ, conſultis Archiepiſcopis, & Epiſcopis, non negamus.

21. Presbyterorum filios à ſacri altaris miniſteriis removendos decernimus, niſi aut in cœnobiis, aut in canonicis religioſè fuerint converſati.

22. Sanè quia inter cætera unũ eſt, quod ſanctam maximè perturbat Eccleſiam, falſa videlicèt pœnitentia: confratres noſtros & presbyteros commonemus, ne falſis pœnitentiis laicorum animas decipiant, & in infernum pertrahi patiantur. Falſam autem pœnitentiam eſſe conſtat, cùm ſpretis pluribus de uno ſolo pœnitentia agitur: aut cùm ſic agitur de uno, ut non diſcedatur de alio. Unde ſcriptum eſt: (*a*) Qui totam legem obſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus, ſcilicèt, quantum ad vitam æternam. Falſa eſt autem pœnitentia, cùm pœnitens ab officio, vel curiali, vel negotiali non recedit, quod ſine peccatis agi nulla ratione prævalet; aut ſi odium in corde geſtetur; aut ſi cuilibet offenſo non ſatisfiat; aut ſi non offendenti offenſus indulgeat; aut ſi arma quis contra juſtitiam gerat.

23. Hos qui religionis ſpeciem ſimulantes, Domini Corporis & Sanguinis ſacramentum, baptiſma puerorum, ſacerdotium, & cæteros eccleſiaſticos ordines, & legitimarum damnant fœdera nuptiarum, tamquàm hæreticos ab Eccleſia Dei pellimus & damnamus, & per poteſtates exteras coërceri præcipimus. Defenſores quoque ipſorum ejuſdem damnationis vinculo innodamus.

24. Illud quoque adjicientes præcipimus, ut pro chriſmatis, olei ſacri, & ſepulturæ acceptione nullum venditionis pretium exigatur.

25. Si quis Præpoſituras, Præbendas, vel alia Eccleſiaſtica beneficia de manu laicali acceperit, indignè ſuſcepto careat beneficio. Juxta namque decreta ſanctorum Patrum, laici quamvis religioſi ſint, nullam tamen habent diſponendi de Eccleſiaſticis facultatibus poteſtatem.

26. Ad hæc pernicioſam & deteſtabilem conſuetudinem quarumdam mulierum, quæ licèt neque ſecundùm Regulam beati

A Benedicti, neque Baſilii, aut Auguſtini vivant, ſanctimoniales tamen vulgo cenſeri deſiderant, aboleri decrevimus. Cùm enim juxta Regulam degentes in cœnobiis, tàm in Eccleſia, quàm in refectorio atque dormitorio communiter eſſe debeant: propria ſibi ædificant receptacula, & privata domicilia, in quibus hoſpitalitatis velamine paſſim hoſpites & minus religioſos contra ſacros & bonos mores ſuſcipere nullatenùs erubeſcunt. Quia ergò omnis qui malè agit, odit lucem, ac per hoc ipſæ abſconditæ in injuſtorum tabernaculo opinantur ſe poſſe latere ante oculos Ju-

B dicis cuncta cernentis: hoc tàm inhoneſtum deteſtandumque flagitium ne ulteriùs fiat, omnimodis prohibemus, & ſub pœna anathematis interdicimus.

27. Similiter prohibemus, ut ſanctimoniales ſimul cum Canonicis, ſive monachis in Eccleſia, in uno choro conveniant ad pſallendum.

28. Obeuntibus ſanè Epiſcopis, quoniam ultra tres menſes vacare Eccleſiam, Patrum prohibent ſanctiones: ſub anathemate interdicimus, ne Canonici de ſede Epiſcopali ab electione Epiſcoporum excludant religioſos viros, ſed eorum

C conſilio honeſta, & idonea perſona in Epiſcopum eligatur. Quòd ſi excluſis eiſdem religioſis electio fuerit celebrata, quod abſque eorum aſſenſu & conniventia factum fuerit, irritum habeatur & vacuum.

29. Artem autem illam mortiferam & Deo odibilem baliſtariorum, & ſagittariorũ adversùs Chriſtianos & Catholicos exerceri de cætero, ſub anatemate prohibemus.

30. Ad hæc ordinationes factas à Petro Leonis, & aliis ſchiſmaticis & hæreticis, evacuamus, & irritas eſſe cenſemus.] Hactenùs canones Romani Concilii ſub Innocentio Papa Secundo.

D Cùm igitur cuncta (ut audiſti) fuerint abolita, quæ ab Antipapa ſtatuta fuiſſent & ordinata: ab eodem Innocentio Papa in ordinem redacti ſunt omnes Cardinales Petri Leonis, & inter alios Petrus Piſanus Cardinalis corypheus, qui (ut vidimus) per ſanctum Bernardum ad Eccleſiam revocatus fuerat. Hic igitur cùm Cardinalatu privatus eſſet, idem ſanctus (*a*) Bernardus pro eo has breves ad Innocentium Papam litteras dedit. VI.

a Bern. ep. 213.

Quis mihi faciet juſtitiam de vobis? Si haberem judicem, ad quem vos trahere poſſem, jam nunc oſtenderem vobis (ut

E parturiens loquor) quid meremini. Extat quidem tribunal Chriſti; ſed abſit, ut ad illud appellem vos, qui illic, ſi vobis neceſſarium & mihi poſſibile eſſet, vellem magis totis viribus ſtare, & reſpondere pro vobis. Itaque recurro ad eum, cui in præſenti datum eſt judicare de univerſis, hoc eſt ad vos. Vos appello ad vos: vos judicate inter me & vos. In quo, quæſo, puer veſter tàm malè meruit de veſtra paternitate, ut eum inurere & inſignire placeret nota & nomine proditoris? Numquid non me veſtrum Vicarium dignatio

veſtra

Digitized by Google

A veſtra conſtituit in reconciliatione Petri Piſani, ſi fortè illum Deus per me revocare à fæce ſchiſmatis dignaretur? Si negatis, probabo tot teſtibus, quot in Curia tunc temporis fuerunt. Numquid non denique poſt hæc, juxta verbum Domini mei, homo in ſuo ordine & honore receptus eſt? Quiſnam ergò conſtantiæ veſtræ ſuo conſilio, vel magis ſuo dolo ſurripuit indulta repetere, & quæ proceſſere de labiis veſtris, facere irrita? Et hoc ego dixerim, non ut Apoſtolicum reprehendam rigorem, & zelum igne Dei ſuccenſum contra ſchiſmaticos, qui in ſpiritu vehementi conterat naves Tharſis, B inſtar Phinees confodiat fornicantes, juxta illud: (*a*) Nonnè qui oderunt te Domine, oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? ſed ubi non eſt par culpa par planè non debet procedere pœna: nec convenit eadem involvi ſententia eum, qui peccatum, cum his quos magis peccatum deſeruit. Propter eum, qui ut peccatoribus parceret, ſibi ipſi non pepercit, auferte opprobrium meum: & reſtituendo quem ſtatuiſtis, veſtræ etiam tàm ſanæ & integræ opinioni conſulite. Super hoc jam alia vice ſcripſeram vobis, ſed quia C non eſt reſponſum mihi, puto non pervenit ad vos hoc ipſum quod ſcripſeram.] Hactenùs ipſe.

Pro Petro Piſan. privato Cardinalatu intercedit S Bernar.

a *Pſal.* 138.

VII. Quod autem ad eumdem Petrum Piſanũ ſpectat, magnæ fuiſſe Romæ auctoritatis hominem, ſignificant quæ Joannes Sareſberienſis hujus temporis ſcriptor candidiſſimus habet his verbis: Quot & quantos tumultus & ſtrages dedit illa colliſio, quando filius Petri Leonis adversùs Innocentium bonæ memoriæ II. domini Hadriani prædeceſſorem, cujus vitam & felicitatem in ævum in ſe protendat Dominus, conatus eſt ab Aquilone aſcendere? D Nonnè & ſtellarum partem ſecum traxit ruina ejus? Quis neſcit Ægidium Tuſculanum? quis Petrum Piſanum, cui nullus aut vix ſimilis erat in Curia? Quis recenſeat Epiſcopos: qui in tota ferè Italia corruerunt? Profectò dum illius ruinæ ſtabit ætate veſtra memoria, incredibile eſt quemquam adeò miſerè ambitioſum, ut Eccleſiam ſcindere non formidet.] Hæc ipſe. Quid autem factum ſit de ipſo Petro Piſano, neſcimus: illud ſanè compertum, Innocentium ad cautelam futurorum, omni ſpe reſtitutionis voluiſſe reliquos nudare ſchiſmaticos.

Damna ex Schiſmate.

VIII. E In hoc eodem magno, immò maximo Concilio Lateranenſi inter alia delata eſt accuſatio adversùs Arnaldum de Brixia recentem hæreticum, diſcipulum Petri Abailardi, de Arnaldo, ſive Arnoldo vel Arnolpho (ita variè nominatus reperitur.) hæc habet (*b*) Otto Friſingenſis ſui temporis rerum geſtarum ſcriptor: Acceſſit ad hujus ſeditioſi facinoris argumentum, quòd * Arnolphus quidam Brixienſis, de quo ſuprà dictum eſt, ſub typo religionis, & ut Evangelicis verbis utar, ſub ovina pelle lupum gerens, Urbem ingreſ- A ſus ad factionem illam, *nempè ut revocaret antiquum Senatum; cui & ſummam rerum committeret*, rudis populi animis præmolli dogmate ad animoſitatem accenſis, innumeram poſt ſe duxit, immò ſeduxit multitudinem. Arnaldus iſte ex Italia, civitate Brixia oriundus, ejuſdemque Eccleſiæ clericus, ac tantùm Lector ordinatus, Petrum Abailardum olim præceptorem habuerat: vir quidem naturæ non hebetis, plus tamen verborum profluvio, quàm ſententiarum pondere copioſus, ſingularitatis amator, novitatis cupidus, cujuſmodi hominum ingenia ad fabricandas hæreſes B ſchiſmatumque perturbationes ſunt prona. Is à ſtudio è Galliis in Italiam revertens, religioſum habitum, quo ampliùs decipere poſſet, induit, omnia lacerans, omnia rodens, nemini parcens, clericorum ac Epiſcoporum derogator, monachorum perſecutor, laicis tantùm adulans. Dicebat enim nec clericos proprietatem, nec Epiſcopos regalia, nec monachos poſſeſſiones habentes aliqua ratione poſſe ſalvari: cunctaque hæc Principis eſſe, ab ejuſque beneficentia in uſum tantùm laicorum cedere oportere. Præter hæc de ſacramento altaris, Baptiſmo parvulorum non ſa- C na dicitur ſenſiſſe. His aliiſque modis, quos longum eſt enumerare, dum Brixienſem Eccleſiam perturbaret, laicisque terræ illius, prurientes erga Clerum aures habentibus, Eccleſiaſticas malitioſè exponeret paginas, in magno Concilio Romæ ſub Innocentio habito ab Epiſcopo civitatis illius, viriſque religioſis accuſatur. Romanus ergò pontifex, ne pernicioſum dogma ad plures ſerperet, imponendum viro ſilentium decernit. Sicque factum eſt. Ita homo ille de Italia fugiens, ad Tranſalpina ſe contulit, ibique in oppido Alemanniæ Turego officium doctoris D aſſumens, pernicioſum dogma aliquot diebus ſeminavit &c.] Subiicit de rebus ab eo geſtis ſub Eugenio poſt obitum Innocentii, cùm Romam ſe contulit. Porrò non inanem Arnaldi prædicationem fuiſſe Romanis, ſed renovaſſe Senatum, & adversùs propinquos Tiburtinos prœlia cœpiſſe, inferiùs ſuo loco dicetur.

b *Otto Friſing. de rebus geſtis Frid. Imp. lib. 2. c. 20.*

*Arnaldus

Arnaldus de Brixia damnatus in Concil. Lateran.

IX. Sed haud ingratum erit Guntherum Ligurinum verſibus ita canentem audire, hujus temporis ſcriptorem eximium. (*c*)

c *Ligur. de geſt. Frid. I. lib. 3.*

Cujus origo mali, tantæque voraginis auctor
E *Extitit * Arnoldus, quem Brixia protulit ortu*
Peſtifero, tenui nutrivit Gallia ſumptu,
Edocuitque diu: tandem natalibus oris
Redditus, aſſumpta ſapientis fronte, diſerto
Fallebat ſermone rudes, Clerumque procaci
Infeſtans odio, monachorum acerrimus hoſtis,
Plebis adulator, gaudens popularibus auris,
Pontifices, ipſumque gravi corrodere lingua
Audebat

*Arnaldus

Audebat Papam, ſcelerataque dogmata vulgo
Diffundens, variis implebat vocibus aures.
Nil proprium Cleri, fundos & prædia nullo
Jure ſequi monachos, nulli Fiſcalia jura
Pontificum, nulli curæ popularis honorem
Abbatum, ſacras referens concedere leges.
Omnia Principibus terrenis ſubdita, tantùm
Committenda viris popularibus atque regenda,
Illis primitias, & quæ devotio plebis
Offerat, & decimas caſtos in corporis uſus,
Non ad luxuriam, ſive oblectamina carnis
Concedens, molleſque cibos, cultuſque nitorem,
Illicitoſque thoros, laſcivaque gaudia Cleri,
Pontificum faſtus, Abbatum denique laxos
Damnabat penitùs mores, monachoſque ſuperbos.
Veraque multa quidem, niſi tempora noſtra fideles
Reſpuerent monitus, falſis admixta monebat,
Et fateor, pulchram fallendi noverat artem,
Veris falſa probans, quia tantùm falſa loquendo
Fallere nemo poteſt: veri ſub imagine falſum
Influit, & furtim deceptas occupat aures.
Articulos etiam Fidei certumque tenorem
Non ſatis exacta ſtolidus pietate fovebat,
Impia mellifluis admiſcens toxica verbis.
Ille ſuam vecors in Clerum, Pontificemque,
Atque alias plures adeò commoverat urbes,
Ut jam ludibrio ſacer, extremoque pudori
Clerus haberetur. Quod adhùc, ni fallor, in illa
Gente nocet, multumque ſacro detruncat honori.
Mox in Concilio Romæ damnatus ab illo
Præſule, qui numeros vetitum contingere noſtros
Nomen ab innocua ducit laudabile vita.
Territus, & miſera confuſus imagine culpæ,
Fugit ab urbe ſua, Tranſalpiniſque receptus,
Quæ ſibi vicinas Alemannia ſuſpicit Alpes,
Nomen ab Alpino ducens (ut fama) Lemanno
Nobile Turegum, doctoris nomine falſo
Inſedit, totamque brevi ſub tempore terram

A *Perfidus impurè fœdavit dogmatis atra.*
Unde venenato dudùm corrupta ſapore.
Et nimiùm falſi doctrina vatis inhærens,
Servat adhùc uvæ guſtum gens illa paternæ.]

Hucuſque de his quæ ſub Innocentio facta ſunt, reliqua ſub Eugenio ſuo loco inferiùs.

Hoc eodem anno vix celebrato Concilio (quod præter ſententiam accidit) poſt ſacra Innocentio Papæ bellica tractanda fuerunt. Occaſio iſta præceſſit, quæ in Chronico Beneventano ſæpè citato exactè deſcribitur, nimirùm, quòd hoc anno, X.
B ultima die menſis Aprilis, cùm diem obiiſſet Rainulphus Dux Apuliæ S. R. E. feudatarius: Rogerius Rex Siciliæ, qui hunc ſolum timere didiciſſet, ad invadendam Apuliam magno comparato exercitu transfretavit, pervenitque Salernum ſeptima menſis Maji. Ita certis diebus cuncta deſcripta habentur in Chronico Beneventano à Falcone ejus temporis ſcriptore, iſta vidente. Sublato igitur obice Rogerius percurrit Apuliam, omnibus civitatibus ipſi ſe ſpontè dantibus præter Trojam ac Barum. Tunc autem Innocentius Papa audita morte Rainulphi Ducis, & Rogerius proditoriè
C Rogerii tyrannica invaſione, collectis copiis egreſſus ab Urbe, compoſiturus res capit Innoc.Pap.
cum Rogerio, uſque ad ſanctum Germanum ſe contulit, oppidum ad radices Caſſini montis: ibique conſtitutus Nuntios pacis, ſed doloſos ſuſcepit à Rogerio, & alios ipſe ad Rogerium ſincerè legavit. Cùm autem Pontifea id in primis ſatageret, ut Roberto Principi Capuanus Principatus redderetur, & ille negaret ſe facturum: idem Rogerius inſidians Pontifici, clàm filium miſit cum equitibus mille, qui Pontificem è loco in alium tranſmigrantem à tergo invaderet, atque ag-
D greſſum captivum duceret: quod permittente Deo, ex ſententia accidit. Capitur Pontifex, & non ſine ignominia ducitur ad Rogerium die decima menſis Julii. Ita Chronicon Beneventanum, ubi & hæc ſubiiciuntur: O quantus luctus & mœroris abundantia mentes Fidelium & civitates omnes invaſit! quod ſi pleniùs ſcribere vellem, nec tempus, nec dies ſufficerent.

Quid multa? continuò Rex ille per Legatos ſuos Pontifici Innocentio, quem captivum tenebat, ſuppliciter & ultrà quàm etedi poteſt, mandavit humiliter, ut paci & concordiæ manum apponat. Apo- XI.
E ſtolicus itaque ſe deſtitutum viribus & armis & deſolatum aſpiciens: precibus Regis & petitionibus aſſenſit, & capitularibus & privilegiis ex utraque parte firmatis; Rex ipſe & Dux filius ejus, & Princeps decimoſeptimo die ſtante menſis Julii, ante ipſius Apoſtolici præſentiam veniunt: & pedibus ejus advoluti, miſericordiam petunt. & ad Pontificis Imperium uſquequaque flectuntur. Continuò per Evangelia firmaverunt B. Petro & Innocentio Papæ, ejuſque ſucceſſoribus canonicè intrantibus fidelitatem defesre, & cætera quæ Pax inter Innoc.Pap. & Rogerium.

quæ conſcripta ſunt. Regi verò Rogerio ſtatim Siciliæ regnum per vexillum donavit.] Petiit hoc Rogerius ut titulum Regis Siciliæ, quem malè acceperat ab Anacleto pſeudopontifice, ab Innocentio Catholicæ Eccleſiæ legitimo Papa obtineret. Quod idem licèt in captivitate poſitus liberè præſtitit Innocentius, ſuſceptò ab eo pro ejuſdem inveſtitura regni juramento fidelitatis de more. Teſtatur hoc item Otto Friſingenſis, titulum regium ab Anacleto perperàm impertitum, per Innocentium legitimè conceſſum. Pergit Falco: Duci filio Rogerii Ducatum Apuliæ, Principi alteri filio ejus Principatum Capuæ largitus eſt. Die verò illa, in qua prædictus Apoſtolicus pacem cum Rege firmavit, beati Jacobi Apoſtoli feſtivitas celebrabatur, ſeptimo Kalendas Auguſti.] Hæc autem omnia perpaucis (a) Otto Friſingenſis ita perſtringit: Rogerius Innocentium Papam in Apuliam cum militia Romanorum venire volentem, flagitiosè in Chriſtum * Deum manum mittens ex inſidiis cepit, & regii nominis in Sicilia ab eo auctoritatem, & abſolutionem anathematis extorſit cum Ducatu Apuliæ, Calabriæ, ac Principatu Capuæ.] At ne videretur probare & confirmare quod feciſſet Antipapa, ad conferendam Rogerio regiam dignitatem uſum ſe exemplo prædeceſſoris Honorii Papæ, qui inſignierat eundem Rogerium titulo Ducis, profeſſus eſt in diplomate à ſe dato. Extat ipſum vi extortum Innocentii Papæ de titulo Regis eidem Rogerio hoc anno Julii menſe conceſſo diploma, quod deſcripſimus ex codice baſilicæ S. Petri in Vaticano, in quo epiſtolæ extant diverſorum Romanorum Pontificum: quod ſic ſe habet;

a Otto Friſing. lib. 7. c. 24. in fin.

* Domini

XII. Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei chariſſimo in Chriſto filio Rogerio illuſtri & glorioſo Siciliæ Regi, ejuſque hæredibus in perpetuum.

Diploma Innoc. Pap. ad Rogerium.

Quos diſpenſatio divini conſilii ad regimen & ſalutem populi ab alto elegit, & prudentia, juſtitia, aliarumque virtutum decore decenter ornavit: dignum & rationabile eſt, ut ſponſa Chriſti ſancta & Apoſtolica Romana mater Eccleſia affectione ſincera diligat, & de ſublimibus ad ſublimiora promoveat. Manifeſtis ſiquidem probatum eſt argumentis, quòd egregiæ memoriæ ſtrenuus & fidelis miles B. Petri Robertus Guiſcardus prædeceſſor tuus, Dux Apuliæ, magnificos & potentes hoſtes Eccleſiæ viriliter expugnavit, & poſteritati ſuæ dignum memoria nomen, & imitabile probitatis exemplum reliquit. Pater quoque tuus illuſtris recordationis Rogerius per bellicos ſudores & militaria certamina inimicorum Chriſtiani nominis intrepidus extirpator, & Chriſtianæ religionis diligens propagator, utpote bonus ac devotus filius, multimoda obſequia matri ſuæ S. R. E. impertivit. Unde & prædeceſſor noſter religioſus & prudens Papa Honorius nobilitatem tuam de prædicta generoſitate deſcendentem intuitus,

A plurimùm de te ſperans, & prudentia ornatum, juſtitia munitum, atque ad regimen populi te idoneum eſſe credens, valdè dilexit, & ad altiora provexit.

Nos ergò ejus veſtigiis inhærentes, & de potentia tua ad decorem & utilitatem ſanctæ Dei Eccleſiæ ſpem atque fiduciam obtinentes; regnum Siciliæ, quod utique (prout in antiquis refertur hiſtoriis) regnum fuiſſe non dubium eſt, tibi ab eodem anteceſſore noſtro conceſſum, cum integritate honoris regii & dignitate Regibus pertinente, excellentiæ tuæ concedimus, & Apoſtolica auctoritate firmamus. XIII.

B Ducatum quoque Apuliæ tibi ab eodem collatum, & inſuper Principatum Capuanum integrè nihilominùs noſtri favoris robore communimus tibique concedimus. Et ut ad amorem atque obſequium B. Petri Apoſtolorum principis, & noſtrum ac ſucceſſorum noſtrorum vehementiùs aſtringaris, hæc ipſa, id eſt regnum Siciliæ, Ducatum Apuliæ, & Principatum Capuæ, hæredibus tuis, qui nobis & ſucceſſoribus noſtris (niſi per nos & ſucceſſores noſtros remanſerit) ligium homagium fecerint, & fidelitatem quam tu juraſti, juraverint; tempore videlicèt competenti, & loco non

C ſuſpecto, ſed tuto nobis, & ipſis atque ſalubri, duximus concedenda; eoſque ſuper his, quæ conceſſa ſunt, Deo propitio manutenebimus. Quòd ſi per eos fortè remanſerit: iidem hæredes tui nihilominùs teneant, quod tenebant ſine diminutione. Cenſus autem, ſicut ſtatutum eſt, id eſt ſexcentorum ſchifatorum, à te tuiſque hæredibus nobis noſtriſque ſucceſſoribus ſingulis annis reddatur, niſi fortè impedimentum interveniat: removente verò te impedimentum, nihilominùs perſolvetur. Tua ergo, fili chariſſime, intereſt ita te erga honorem atque ſervitium matris S. R. E.

D devotum & humilem exhibere, ita temetipſum in ejus opportunitatibus exercere, ut de tàm devoto & glorioſo filio Sedes Apoſtolica gaudeat, & in ejus amore quieſcat. Si qua ſive Eccleſiaſtica, ſæcularis ve potentia huic noſtræ conceſſioni temerè contraire tentaverit; donec præſumptionem ſuam congrua ſatisfactione coerceat, indignationem Dei omnipotentis & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus incurrat, & quouſque reſipuerit, anathematis ſententia percellatur. Amen.

Ego Innocentius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

E Ego Albericus Oſtienſis Epiſcopus.

Haimericus S. R. E. diaconus Cardinalis. Datum in territorio * Mamanenſi per manum H. Cancell. ſexto Kalendas Auguſti, Indictione ſecunda, Incarnationis Dominicæ anno milleſimo centeſimo trigeſimonono, Pontificatus verò Domini Innocentii Papæ Secundi anno decimo.] Hactenùs diploma Innocentii. Quæ autem hæc ſint ſecuta, Beneventanum ſcriptum antiquum Chronicon ita docet:

* Marianenſi

XIV. His actis, Miſſæ ſolemnia celebravit Apoſtolicus ipſe, & habito ſermone, ſa-

gis

Digitized by Google

Quid Beneventi Innoc. Pap.

tis abundè de pacis continentia tractavit. Lætitia igitur & gaudii abundantia univerſos invaſit, cœlorum Regem magnificantes, ſuper pace firmata atque concordia lætati ſunt. Beneventanus itaque populus pacem audiens firmatam, & Regem voluntati Apoſtolici juramento alligatum, tanto gaudio & exultatione triumphat, ut ſi ex toto deſcriberem, deficerem tempore & locutione. Apoſtolicus igitur, pace firmata cum nominato Rege, Beneventum ingreſſus eſt die Kalendarum Auguſtarum, quem Beneventanus populus honore multo & devotione cordis ſuſcipiens, quaſi B Petrum in carne aſpiciens lætabatur, & valdè gaudebat. Rex autem foris civitatem Beneventanam caſtrametatus eſt. Qui Rex uſque ad portam ſancti Laurentii dominum Apoſtolicum eſt comitatus. Die verò ipſa ad veſperam Rex ipſam civitatem ingreditur, & Curiam domini Papæ aſcendens, cum eo aliquantulùm eſt moratus. Deinde ad Epiſcopium pergens, & beatæ Mariæ baſilicam & Bartholomæi Apoſtoli ingrediens, pro ſalute ſua oravit. Intravit quoque monaſterium ſanctæ Sophiæ, & ante altare ſancti Mercurii ſe proſtravit. Inde procedens clauſtra monaſterii & dormitorium & refectorium perambulavit; & monachorum orationibus ſe commendans, civitatem exivit per portam Summam, & ad caſtra gaudens remeavit. Roſſimanus autem, qui contra voluntatem Apoſtolici Archiepiſcopus à Petro Leonis fuerat conſecratus, jam aliàs expulſus, & iterùm reverſus, iterùm expulſus eſt, & miſer ipſe cum domino Rege feſtinavit. Et his actis caſtellum, quod ipſe Roſſimanus ad portam Summam fabricari juſſit, dominus Papa deſtruxit. Et in his diebus cives Neapolitani venerunt Beneventum, & civitatem Neapolitanam ad fidelitatem domini Regis tradentes, Ducem filium ejus duxerunt, & ejus fidelitati colla ſubmiſerunt.] Et inferiùs de eodem Innocentio Papa: Die verò Aſſumptionis ſanctæ Mariæ, & in paſſione ſancti Bartholomæi ad Epiſcopium deſcendit, & Miſſarum ſolemnia honorificè celebravit. Et his peractis, prædictus Apoſtolicus à Romanis ſæpè vocatus, ſecundo die ſtante menſis Septembris, Romam repedavit, relicto Gregorio Archiepiſcopo Beneventano in ſua Eccleſia, & Guidone diacono Cardinale conſtituto rectore ejuſdem Beneventanæ civitatis. Audiens autem populus Romanus domini Papæ Innocentii adventum, catervatim obviam exivit, & illum gaudio magno & honore ſuſcepit. Deinde eum hortabatur, ut pacem quam cum Rege poſuerat, conſilio eorum confringeret: Apoſtolicus autem nullo modo petitionibus eorum conſentire voluit. Dicebat quidem ſic Domino placuiſſe, quòd per ejus captionem pax hujuſmodi facta fuiſſet.] Hæc Falco de Innocentio.

XV. Et ſanè loco miraculi habitum eſt, quòd Innocentius Papa captivus ductus, & ſub libera poteſtate Regis, immò hactenùs tyranni crudeliſſimi conſtitutus, qui eum adeò provocaſſet, & per Lotharium Imperatorem ſæpè viciſſet, ac per Ducem Apuliæ Rainulphum ſæpè ſuperaſſet (omnium namque bellorum promotor ipſe ob recuperanda Eccleſiæ bona fuerat) nihilominùs ab eo omnem reverentiæ & honoris cultum acceperit, & fidelitatis juramentum pro inveſtitura regni Siciliæ, & à filiis pro Ducatu Apuliæ, & Principatu Capuano, quos jam illi ſibi armorum potentia vindicaſſent, & pacificè poſſiderent, tamquàm à victis & ſuperatis extorſerit. Cùm tanta fuiſſet in hanc uſque diem in tyranno ferocitas, & inſita natura crudelitas; adeò aucta eſt ipſa, ut hoſtibus nec quidem parceret defunctis. Nam addit (a) Otto Friſingenſis hujus ſæculi ſcriptor & veritatis amantiſſimus, quod Ducis Rainulphi nuper defuncti (nominat ipſum Reginaldum) necnon Brunonis Epiſcopi cadaver, quos viventes habuerat inimicos, è ſepulchro educta per plateas trahi juſſerit. Sed de cadavere Rainulphi Ducis ita exactè in Beneventano Chronico:

a Ott. Friſ. l.7.c.23.

XVI. Epiſcopus autem Trojanæ civitatis Vvillelmus, & populus civitatis, Legatos præfato Regi miſerunt, rogantes ut ingrederetur civitatem, & inter fideles ſuos amicos honeſtè maneret & ſecurus. Rex verò Legatis acceptis: Non civitatem, inquit, ingrediar, donec traditor ille Rainulphus inter vos manſerit. Continuò qui miſſi fuerant, in civitatem regreſſi, intentionem omnibus pateſaciunt. Cum eis autem & ſuos Rex ad hoc perficiendum miſit. Et licèt dolore commoti cives fuerint ex tanta Regis reſponſione: quatuor tamen militibus præceperunt, ut ſepulchro aperto, cadaver ipſius Rainulphi extraherent, illudque extra civitatem educerent, ut furore Regis ſedato, ad eos pacificus ingrederetur. Juſſerunt etiam inimici præfati Ducis cuidam militi nomine Gallicano, qui Ducis illius fideliſſimus fuerat, ut ipſe ob injuriam Ducis defuncti, & ejuſdem Gallicani dolorem, tumulum frangeret, & Ducis oſſa & pelle & fetore adhùc circumpoſita manu ſua extraheret. Qui Gallicanus timore coactus, ne tanti Regis furorem incurreret, fecit quod præceptum erat, & fune iiſdem alligato, eadem per plateas traxerunt iidem Ducis inimici uſque ad caſtellum extra civitatem, & in ſtagnum lutoſum & putridum projecerunt ipſum Ducis cadaver.] Hæc Falco, plura addens in deteſtationem tanti facinoris Chriſtiano homine prorsùs indigni, cùm & Ethnici complures ſuis hoſtibus honorifica erexiſſe ſepulchra inveniantur.

Immanitas Rogerii Regis.

XVII. Quòd igitur tàm crudelem hominem barbarum dirumque tyrannum reddiderit ſibi Innocentius captivus mitem, humanum, urbanum, piumque Regem, ut acciperet ab eo cultum, honorem & reverentiam, immò & juramento firmatam ſubjectionem, juratamque fidelitatem; quis tribuat

Grandè miraculum habitum ut captivus Papa tanta potuerit.

buat

buat humanæ prudentiæ, & non potiùs divinæ potentiæ? Qua factum, ut non ſicut (a) Samſon, qui è leonis mortui capite mellis ſavum accepit, ſed majori ipſe miraculo è vivente & rugiente leone prædam eliceret, quam teneret unguibus, eamarmaret & dentibus, & vinctus ipſe liret vincenti ac vincienti leges ſuæ præſcriberet libertatis; ipſique necteret vincula quæ vellet juramenti religione conſtricta. Ita planè vincere conſuevit Eccleſia, ut conculcata conſurgat, & depreſſa comprimat, atque humiliata extollatur in altum. Tunc & adgaviſi ſunt boni omnes bono pacis. Tunc & ad eumdem Rogerium de his litteris dedit (b) Petrus Cluniacenſis Abbas, de regio titulo ipſi ab Apoſtolica Sede collato per Innocentium gratulatus:

a *Iud.* 16.

b *Pet. Clun. lib.* 4. *epiſt.* 54.

Illuſtri & glorioſo Regi Siciliæ domino & amico Rogerio frater Petrus humilis Cluniacenſium Abbas ſalutem ab eo qui dat ſalutem Regibus.

c *Prov.* 8.

Congratulatur Rogerio de pace Petrus Clu.

Per me, ait Dei ſapientia, (c) Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt. De quorum numero quia vos eſſe cœleſtis cenſura cenſuit: eidem ſupernæ moderationi, quas poſſumus, gratias agimus. Non tantùm quia ſublimitatem veſtram magnis populis prætulit, ſed quoniam maximè eiſdem populis vos præferendo providit. Inde enim lætamur, inde in Domino gloriamur, inde celſitudinem veſtram, etſi vultu incognitam, vere dilectionis brachiis amplectimur: & ut ad honorem nominis ſui, ad ſalutem populi ſui omnipotens Salvator veſtram regalé potentiam magnificet & cóſervet, & humiliter & frequenter precamur. Quis enim non gaudeat, quis non totis viribus, ſi neceſſe fuerit, collaboret, ut poſt tantos bellorum & malorum turbines tàm *profondæ pacis bonum à Deo per vos Siculis, Apulis, Calabris, multiſque aliis gentibus collatum, conſerve ur, augeatur, dilatetur? Quis Eccleſiæ Dei ſe membrum agooſcens, de tantarum Eccleſiarum tàm inconcuſſa & ſtabili pace per vos (ut dixi) & reſtituta & conſervata in Domino non exultet? Quis audiens clericos, monachos, milites, ruſticos, onuſtos pecuniis & diverſis mercibus mercatores, omneque genus hominum in terra veſtra maventium, aut per eam tranſeuntium, tyrannorum, raptorum, inſuper ipſorum latronum omni timore ſublato, ſua omnia pacificè obtinere: quis, inquam, tanta bona per unum bonum Principem tot tantiſque hominum generibus impendi audiens, non quas poteſt Regi Regum gratias agat; & ut tali Regi regnum ab eo conſervetur & augeatur, imploret?

* *proficuæ.*

Iſta me (ut dixi) ad vos amandum primitus impulerunt: iſta ut inter magnos Reges, Romanos dico, Francos, Anglos, Hiſpanos, maximos Cluniacenſis Eccleſiæ amicos & benefactores vos quoque admitterem, coegerunt. Ea de cauſa jam ex multo tempore pro pace, pro honore, pro ſalute veſtra, & apud Deum precatorem, & apud homines prædicatorem me conſtitui, & ad idem agendum, tàm de noſtris, quàm de alienis, quos potui attraxi. Teſtis eſt horum conſcientia mea, teſtis Romanus Cancellarius, teſtis & ipſe dominus Papa, quem Piſis, quem Romæ, quem intra Gallias conſtitutum præſens verbis, abſens litteris de pace veſtra ſæpè conveni, & ne inimicis veſtris veſtram pacem, ejuſque perturbantibus crederet, & rogavi, & monui. Quod licèt diu latum, ſed nunc tandem ad effectum perductum, nos & omnes quicumque audire potuerunt, pacis amatores lætificat, & ad gratiarum actiones Deo perſolvendas invitat. Rogo ergò, & in quantum poſſum, vos ut chariſſimum & ſublimem amicum admoneo, ut hanc pacem paſtoris veſtri ac ſummi Eccleſiæ Dei magiſtri toto affectu amplectamini, toto annisu retinere ſtudeatis: quatenùs & ipſe *Innocentius ſcilicèt* de vobis, ſicut de optimo & ſpeciali filio, & vos de ipſo, ſicut de benigno & ſingulari patre in ſpiritualibus pariter & temporalibus gaudeatis.] Hucuſque de his Petrus ad Rogerium Regem. Miſit verò Rex Gaufredum monaſterii Cluniacenſium præfectum in Sicilia, quod unicum tùm extabat ejus Ordinis, ad ipſum Petrum cum litteris, cui & ad eum eas quas vidimus litteras reddidit, commendans in fine ſuos ibi poſitos Cluniacenſes.

XVIII. Quæ monuit S. Bernardus Rogerium.

d *Bern. ep.* 207.

Sed & ſanctus Bernardus, qui ante reconciliationem ipſius cum Romana Eccleſia, eum non niſi tyrannum nominare conſueverat, ubi iſta audivit de inita cum Eccleſia Romana concordia, ad eum ſcribens, ſalutaria monita impertitur, ſic exordiens: (d)

Longè lateque ſatis dilatata eſt magnificentia veſtra ſuper terram. Etenim gloria nominis veſtri quos fines non attigit? Sed audite conſilium diligentis vos: ſtudete quod in vobis eſt, hanc ipſam gloriam referre ad illum à quo eſt, ſi non vultis eam perdere, aut certè perdi ab ea. Hoc antem ſic fiet, ſi inter eos, quos regiæ magnificentiæ celebris opinio evocat de longinquo, diſcretionis oculum aperitis, manumque extenditis non tàm cupidis quàm egenis. Et verè beatus qui intelligit non ſuper cupidum, ſed ſuper egenum &c.] Commendat enim quemdam egentem, cujus cauſa eam ſcribit epiſtolam.

XIX.

Porrò idem Rex cogitans quæ Dei ſunt, magnoperè optavit in Sicilia Ciſtercienſes habere monachos, quos expetiit ab eodem S. Bernardo, quem cuperet præſentem adeſſe, & monaſterium ædificare. Cui in eo conſenſit ſanctus Bernardus, ut mitteret ad eum monachos Ciſtercienſes: ſed excuſat quòd ipſe non venerit, iſtis verbis: (e) Si me quæritis, ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Deus. Fertur namque mea humilitas inveniſſe gratiam apud regiam majeſtatem, ita ut quærat videre me. Et quis ego ſum, ut diſſimulem beneplacitum Regis? Accurro, & qui quærebar, ecca adſum, non in præſentia corporis infirma, in qua deſpexit Dominum Herodes; attamen in viſceribus meis.

e *Id. ep.* 208.

Miſſi Ciſtercienſes in Siciliã.

A Nam quis me ſeparabit ab his ? ſequar eos quocumque ierint ; & ſi habitaverint in extremis maris, non erunt abſque me. Habes Rex lumen oculorum meorum, habes cor meum & animam meam. Quid ſi modicum noſtri abeſt ? corpuſculum loquor, vile iſtud mancipium ; quod etſi voluntas exponeret, ſed retineret neceſſitas. Non valet ſequi volantem animum, quoniam infirmum eſt, & ſolùm penè illi ſupereſt ſepulchrum &c.] Miſit ergo petenti Regi Collegium monachorum Ciſtercienſium ſub regimine magiſtri Brunonis, viri admodùm probati atque ſelecti,

a *Id. ep. 209*

B ab eodem Bernardo (*a*) mirificè commendati.

XX.

Profecit ex his planè Rogerius, atque adeò, ut magnoperè à Petro Cluniacenſi meruerit commendari epiſtola ad eum ſcripta, ſed citrà adulationem ut ipſe teſtatur. Quam hìc ea parte recitandam putamus, ut ejus, cujus plurima retulimus mala, bona etiam à ſanctis viris decantata in medium afferamus. Sic enim ſe habet : (*b*)

b *Pet. Clun. lib. 5. ep. 34*

Glorioſo ac magnifico Principi Rogerio Siciliæ Regi frater Petrus humilis Cluniacenſium Abbas bonorum Regum dignitatem & gloriam.

Laudes Rogerii in regni regimine.

C Gratias omnipotenti Regi Regum, qui ſublimitatem veſtram inter univerſos Chriſtiani orbis Reges ac Principes quadam ſpeciali magnificentia gloriæ inſignivit, quadam glorioſi nominis fama ſingulariter exaltavit. In tantum ut cùm plures regii nominis habeatis conſortes, magnanimitate, prudentia, probitate nullos, aut penè nullos habere inveniamini pares. Indicat hoc Sicilia, Calabria, Apulia, & non modica ſui parte in quibuſdam aliis regionibus ſubjecta vobis Italia. Quæ cùm ante veſtra tempora, vel receptacula eſſent Sarracenorum, vel foveæ prædonum, vel ſpeluncæ latronum: nunc gratis miſericordis Dei incitante ſtudia veſtra, juvante labores veſtros, factæ ſunt pacis domicilium, tranquillitatis hoſpitium, & velut alterius pacifici Salomonis, pacificum ac jucundiſſimum regnum.

D Utinam (quod ſecretorum omnium cognitore Deo teſte non adulans dico) utinam, inquam, miſerabilis atque infelicis Tuſciæ partes felici veſtro imperio cum adjacentibus provinciis adjungerentur, & res perditiſſimæ pacifico regni veſtri corpori unirentur! Verè non tunc ſicut nunc res divinæ atque humanæ nullo ſervato

E ordine confunderentur, non urbes, non caſtra, non burgi, non villæ, non ſtratæ publicæ, non ipſæ Deo conſecratæ Eccleſiæ homicidis, ſacrilegis, raptoribus exponerentur. Non pœnitentes, non peregrini, non clerici, non monachi, non Abbates, non presbyteri, non ipſi ſupremi ordinis ſacerdotes, Epiſcopi, Archiepiſcopi, Primates, vel Patriarchæ in manus

A talium traderentur, ſpoliarentur, diſtraherentur. Et quid dicam ? verberarentur, occiderentur.

XXI.

Hæc planè univerſa multaque his ſimilia tàm nefanda, tàm execranda juſtitiæ regiæ gladio ſucciſa ceſſarent: urſorum, pardorum, luporum ungulæ rapaces languerent, & ut de beato ac magno viro Job dictum eſt: (*c*) Omnes beſtiæ agri, quæ nunc in prædam inſaniunt, pacificæ nobis eſſent. Sed luit adhùc ſcelerum pœnas, & gemit miſera terra ſub flagello divino, quia in his omnibus nondùm eſt averſus furor Dei, ſed adhùc manus ejus extenta. Spem

c *Job 5.*

B tamen maximam gero, & in JESU ſalutari meo omniumque ſuorum confido, quòd multorum id deſiderantium pauperum (*d*) deſiderium exaudiet Dominus, & præparationem cordis eorum audiet auris ejus. Sed ne fortè quorumdam hominum, & ex ſemetipſis alios metientium corrupta corda me in corde & corde loqui, aut venditorem olei ſuſpicentur: reprimendus eſt ſermo, ne ſi caſu ad aliquem talium epiſtola vobis miſſa pervenit, meditentur inania & ſuſpicentur falſa. Novit enim teſtis & conſcius meus in excelſis, me neque aliter loqui, quàm ſentio; neque ob aliud

d *Iſai. 5. 9. 10.*

C (ut & notum vobis ſit) id me ſentire quod ſentio; & ut regalis nobilitas veſtra magis ac magis animetur ad meliora, agnoſcens me iſta quæ dixi, multoſque mecum ſentire. Nam ut ſæpè majeſtati veſtræ mandavi, & verum eſt: his de cauſis ante viginti annos ſuper omnes Reges & Principes temporis noſtri, uno excepto, qui mortuus eſt, ut pacis amatorem & ſcelerum vindicem ſinceriter dilexi, & hujuſmodi affectum vobis uſque ad ultimum diem ſervare propoſui. Hac de cauſa in conſpectu Romanorum Pontificum, Regum, Principum, majorum, ſive mino-

D rum hæc atque ſimilia veſtra bona ſemper extuli, & perſonam veſtram regnumque omnipotenti Deo, religioſiſque tàm noſtris, quàm aliis congregationibus ſtudioſiſſimè commendavi. Sed de eis hactenùs.] Iſta Petrus, ſincero (ut vidiſti) corde de Rogerio fatetur ac prædicat.

Innocentius autem rebus ita compoſitis, lætus cum ſuis eſt reverſus in Urbem, ubi in gratiarum actionem Deo, Deique genitrici Mariæ, quavis fornice triumphali auguſtiorem erexit Eccleſiam à fundamentis. Hoc namque anno ſui Pontificatus decimo collabentem ve-

Baſilica Calliſti reſtituta.

E tuſtate baſilicam S. Mariæ trans Tiberim, memoria Calliſti Papæ erectoris, & aliorum poſitorum ibi Martyrum corporum, & fontis oleum ſcaturientis antiquo miraculo celeberrimam dejecit, & ea qua apparet hodiè amplitudine, fortitudine, atque decore inſigniter excitavit. Ita ejus Eccleſiæ docent vetera monimenta.

JESU

I. SEquituc quadrageſimus poſt centeſimum atque milleſimum annum, Indictione tertia, quo Innocentius Papa Guidonem de Caſtello ita cognominatum, S.R.E. Cardinalem Benevento revocatum, ubi civitatis rector fuerat conſtitutus, Joanne ſubdiacono in regimine civitatis loco ipſius relicto, mittit Legatum in Gallias. Eſt mentio de eadem legatione apud ſanctum Bernacdum, ad eumdem Guidonem ſcribentem adverſus Arnaldum Brixianum, jam damnatum hæreticum in Romano Concilio ab eodem Innocentio Papa, & poſt damnationem hinc inde fugatum. Qui cùm apud eumdem Legatum confugium habuiſſe diceretur: idem ſanctus Bernardus ad eum has acriores (quòd ſic cauſa exigeret) litteras dedit: (a)

Legatio Guidonis in Gallias.

a Bern. ep. 169.

II. S. Bernardus Guidonem legatum de Arnaldo arguit.

Arnaldus de Brixia, cujus converſatio mel, & doctrina venenum, cui caput columbæ, cauda ſcorpionis eſt, quem Brixia evomuit, Roma exhorruit, Francia cepulit, Germania abominatur, Italia non vult recipere, fertur eſſe vobiſcum. Videte quæſo, ne veſtra auctoritate plus noceat. Nam cùm & artem habeat & voluntatem nocendi: ſi acceſſerit favor veſter, erit funiculus triplex, qui difficilè rumpitur, ſupra modum (ut vereor) nociturus. Et unum exiſtimo de duobus (ſi tamen verum eſt, quòd vobiſcum hominem habeatis) aut minus ſcilicèt notum vobis eſſe illum; aut vos (quod eſt credibilius) de ejus correctione confidere: Et utinam id non fruſtrà. Quis det de lapide hoc ſuſcitare filium Abrahæ? Quàm gratum munus ſuſciperet mater Eccleſia de manibus veſtris vas in honorem, quod tàm diu paſſa eſt in contumeliam? licet tentare. Sed vir prudens cautus erit non tranſgredi præfinitum numerum ab Apoſtolo, qui ait: (b) Hæreticum hominem poſt unam & ſecundam correptionem devita, ſciens quia ſubverſus eſt, qui ejuſmodi eſt, & delinquit proprio judicio condemnatus. Alioquin familiarem habere, & frequenter admittere ad colloquendum, ne dicam ad convivandum: ſuſpicio favoris eſt, & inimici hominis fortis armatura. Securè annuntiabit, & facilè perſuadebit quæ volet domeſticus & contubernalis Legati Apoſtolicæ Sedis. Quis enim à latere domini Papæ mali quidpiam ſuſpicetur?

b Tit. 3.

Grāde periculum ſi Hæreticū apud ſe teneat legatus.

Sed & ſi in manifeſto perverſa loquitur: quis ſe facilè opponere audeat veſtro collaterali? Deinde videtis, qualia poſt ſe, ubicumque habitavit, reliquit veſtigia. Non ſine cauſa vigor Apoſtolicus hominem Italia ortum tranſalpinare coegit, repatriare non patitur. Quis verò exteraneorum, ad quos ejectus eſt, non eum omninò cuperet ſuis reddidiſſe? Et certè ſic ſe habere ad omnes, ut omnibus odio habeatur, approbatio judicii eſt, quod portat, ne quis dicat, ſurreptum fuiſſe domino Papæ. Quale eſt ergò ſummi Pontificis ſugillare ſententiam, & illam ſententiam, cujus rectitudinem ejus ipſius, in quem data eſt, etſi lingua diſſimulat, vita clamat? Itaque favere huic, domino Papæ contradicere eſt, etiam Domino Deo. Per quemcumque enim juſta ſententia juſtè detur, ab illo certum eſt proceſſiſſe, qui loquitur in Propheta: (c) Ego qui loquor juſtitiam. Confido autem de veſtra prudentia & honeſtate, quia viſis his litteris; de veritate certus, non abducemini amodò quidpiam aſſentire in hac re, niſi quod vos deceat, & Eccleſiæ Dei expediat, pro qua legatione fungimini. Diligimus vos, & ad veſtrum obſequium parati ſumus.] Hæc Bernardus, qui & eumdem perverſum hæreſiarcham in Eccleſia Conſtantienſi docentem exagitavit litteris ſuis ad Conſtantienſem Epiſcopum (d) datis, in quibus hæc inter alia prohetìcè ſcripta leguntur: Demùm cùm fuerit de illorum capeata benevolentia & familiaritate ſecurus: videbitis hominem apertè inſurgere in Clerum, fretum tyrannide militari; inſurgere in ipſos Epiſcopos, & in omnem paſſim Eccleſiaſticum ordinem deſævire. Quod contigit, cùm poſt obitum Innocentii Romam ſe contulit ſub Eugenio Papa, ut ſuo loco dicturi ſumus.

c Iſai. 63.

d Bern. ep. 195.

III. Hoc etiam pariter anno delata eſt accuſatio ad Innocentium Papam adverſùs Arnaldi magiſtrum, Petrum Abailardum, accuſantibus eum Epiſcopis ex Synodo, accuſante urgente ac perſtringente magis magiſque ſancto Bernardo Abbate Claravallenſi. Quomodò autem iſta ſe habuerint dicturi: inprimis, quod ad tempus ſpectat, ipſum audi ſanctum (e) Bernardum, ita querentem: Stulte mihi dudum requiem promittebam, ſi quidem Leonina rabies quieviſſet, & pax Eccleſiæ redderetur.] Sed ſecùs accidit, nam infertiùs: Leonem evaſimus, ſed incidimus in draconem, qui non minus forſan noceat ſedens in inſidiis, quàm ille rugiens de excelſo. Quamquàm non jam in inſidiis, cujus virulenta folia utinam jam laterent in ſceiniis, & non in triviis legerentur. Volant libri, & qui oderunt lucem, quoniam mali ſunt, impegerunt in lucem, putantes lucem tenebras. Urbibus & caſtellis inguruntur pro luce tenebræ, pro melle, vel potiùs in melle venenum paſſim omnibus propinatur. Tranſierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum. Novum cuditur populis & gentibus Evangelium, nova proponitur fides, fundamentum aliud ponitur præter id quod poſitum eſt.

e Id. ep. 189

Quando Petrus Abailardus Hereticus prodiit Arnaldo.

De virtutibus & vitiis non moraliter: De ſacramentis Eccleſiæ non fideliter: De arcano ſanctæ Trinitatis non ſimpliciter nec ſobriè diſputatur; ſed cuncta nobis in perverſum, cuncta præter ſolitum, & præterquam accepimus, miniſtrantur. Procedit Golias procero corpore nobili illo ſuo bellico apparatu circummunitus; antecedente quoque ejus armigero Arnaldo de Brixia. Squama ſquamæ conjungitur, & nec ſpiraculum incedit per eas. Siquidem ſibilavit apis quæ erat in Francia api de Italia, & venerunt in unum adversùs Dominum, & adversùs Chriſtum ejus &c.] Ecce tempus, nempè poſt extinctum ſchiſma Petri Leonis, & cùm Arnaldus ex Italia (ut audiſti) rediit in Franciam ad ſuum magiſtrum Petrum Abailardum, quando & cœptum eſt agi adversùs ejuſmodi hæreſes recèns emergentes.

IV.

At dicamus, quomodò ipſo primo egreſſu provocaverit S Bernardum ad diſputandum in publico Epiſcoporum & Abbatum conventu, ſicut alter Goliath (ut audiſti) inſultans agminibus Dei viventis, ratus nimirùm perfacilem ſibi fore ſuarum hæreſum promulgationem, ſi ejus qui colebatur ab omnibus doctiſſimus atque ſanctiſſimus, victor exiſteret. Nam captionibus inanis philoſophiæ eum à ſe vincendum nullatenùs dubitabat. Ut autem hoc præſtaret, adiit Metropolitanum, nempè Archiepiſcopum Senonenſem, qui ejuſmodi diſputationem indiceret eo colore, quòd ſi ipſe vinceretur, omninò cedens palinodiam recantaret. Cùm idem Archiepiſcopus, ut faſtum comprimeret inſultantis hæretici, ne gloriari poſſet, non inventum in Gallia, qui ſuis propoſitionibus contradicere ſe poſſe confideret: pollicitus eſt illi congreſſum, quem peteret, & conventum quem cuperet. Sicque ſuffraganeos ad Synodum vocans Epiſcopos, de his ſcripſit ad ſanctum Bernardum, ut ſe ad hæreticum expugnandum pararet. Sed audi iſta ab eodem ſancto Bernardo in dicta epiſtola ad Innocentium, cùm ſubiicit:

Provocatur S. Bernardus ad differendū cum Abailardo.

Denique, inquit, ſcripſit mihi, ſollicitante quidem ipſo, Archiepiſcopus Senonenſis, diem ſtatuens congreſſionis, quo ille in præſentia ejus & Coepiſcoporum ſuorum deberet, ſi poſſet, ſtatuere prava dogmata ſua, contra quæ ego mutire auſus fuiſſem. Abnui, tùm quia puer ſum, & ille vir bellator ab adoleſcentia; tùm quia judicarem indignum, rationem Fidei humanis committi ratiunculis agitandam, quam tàm certa ac ſtabili veritate conſtet eſſe ſubnixam. Dicebam ſufficere ſcripta ejus ad accuſandum eum, nec mea referre, ſed Epiſcoporum, quorum eſſet miniſterii de dogmatibus judicare. Ille nihilominùs, immò eò ampliùs levavit vocem, vocavit multos, congregavit complices. Quæ de me ad diſcipulos ſuos ſcripſerit, dicere non curo. Diſſeminavit ubique, ſe mihi die ſtatuto apud Senonas reſponſurum. Exiit ſermo ad omnes, & non potuit me latere. Diſſimulavi primùm: nec enim ſatis rumore populari movebar. Cedens tamen, licèt vix, ita ut flerem, conſilio amicorum, qui videntes, quomodò ſe quaſi ad ſpectaculum omnes pararent, timebant ne de noſtra abſentia & ſcandalum populo, & cornua creſcerent adverſario; & quia error magis confirmaretur, cùm non eſſet qui reſponderet, aut contradiceret &c.] Hæc de ſuo conſenſu ad conferendum manus cum novo hæretico tandem extorto.

V.

a Bern. ep. 187.

Scripſit de his intereà idem (a) Bernardus ad Epiſcopos, qui cauſæ Chriſti faverent, quo ſcirent omnes ſe invitum, ſed neceſſitate coactum ejuſmodi ſuſcepiſſe certamen. At quid tandem accidit? Audiamus ea ab eo qui interfuit, vel à fide digniſſimis teſtibus qui viderunt, accepit, Gofrido monacho Claravallenſi, qui ait: (b) Affuit dies, & Eccleſia copioſa convenit, ubi à Dei famulo Petri illius *Abailardi* in medium ſcripta prolata ſunt, & erroris capitula deſignata. Demùm illi optio data eſt, aut ſua eſſe negandi, aut errorem humiliter corrigendi, aut reſpondendi ſi poſſet obiiciendis ſibi rationibus pariter & ſanctorum teſtimoniis Patrum. At ille nec volens reſipiſcere, nec valens reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui qui loquebatur, ut tempus redimeret, Sedem Apoſtoliam appellavit. Sed & poſteà ab egregio illo Catholicæ Fidei Advocato, *Bernardo videlicèt* monitus, ut vel jam ſciens, in perſonam ſuam nihil agendum, reſpondere tàm libere quàm ſecurè, audiendus tantùm & ferendus omni patientia, non ſententia aliqua feriendus: hoc quoque omnimodis recuſavit. Nam & confeſſus eſt poſteà ſuis (ut ajunt) quòd ea hora, maxima quidem ex parte memoria ejus turbata fuerit, ratio caligaverit, & interior fugerit ſenſus. Nihilominùs tamen Eccleſia, quæ convenerat, dimiſit hominem, mulctavit abominationem, à perſona abſtinens, ſed dogmata prava condemnans.] Hæc ipſe. Sed audiamus ipſum ſanctum Bernardum ita ſcribentem in epiſtola citata ſuperiùs ad Innocentium: (c)

b Vita S. Bern. lib. 3. c. 5.

Congreſſus S. Bernardi cum Abailardo.

c Id. ep. 189

VI.

Occurri ad locum & diem imparatus quidem & immunitus, niſi quòd illud mente volvebam: (d) Nolite præmeditari qualiter reſpondeatis: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Et illud: (e) Dominus mihi adjutor: non timebo quid faciat mihi homo. Convenerant autem præter Epiſcopos & Abbates plurimi viri religioſi, & de civitatibus magiſtri ſcholarum, & clerici litterati multi, & Rex præſens erat. Itaque in præſentia omnium, adverſario ſtante, ex adverſo producta ſunt quædam capitula de libris ejus excerpta. Quæ cùm cœpiſſent legi, nolens audire exivit, appellans ab electis judicibus, quod non putamus licere. Porrò capitula judicio omnium examinata, inventa ſunt Fidei adverſantia, contraria veritati. Hæc pro me, ne levitate, aut certè temeritate uſus in tanto negotio putarer. Verùm tu ò ſucceſſor Petri judicabis, an debeat habere refugium

d Matt. 10.

e Pſal. 117.

gium Sedem Petri, qui Petri fidem impugnat. Tu, inquam, amice ſponſi providebis, quomodò liberes ſponſam à labiis iniquis & à lingua doloſa. Sed ut paulò audaciùs loquar cum domino meo; attende etiam tibi ipſi, amantiſſimè Pater,

Exhortatio ad Innoc. Pap.

& gratiæ Dei quæ in te eſt. Nonnè cùm eſſes parvulus in oculis tuis, ipſe te conſtituit ſuper gentes & regna? Ad quid, niſi ut evellas & deſtruas, & ædificas & plantes? Qui igitur tulit te de domo patris tui, & unxit te unctione miſericordiæ ſuæ: attende quæſo ex tunc & deinceps, quanta fecit animæ tuæ, quanta per te Eccleſiæ ſuæ, quanta in agro dominico, cœlo & terra teſtibus, tàm potenter, quàm ſalubriter evulſa ſunt & deſtructa; quanta rurſùm benè ædificata, plantata, propagata.

De appellatione Abailardi.

Suſcitavit Deus furorem ſchiſmaticorum in tuo tempore, ut tuo opere contererentur. Vidi ſtultū firma radice, & ſtatim maledictum eſt pulchritudini ejus. Vidi, inquam, vidi impium ſuperexaltatum, & elevatum ſicut cedros Libani; & tranſivi, & ecce non erat. Oportet

a I. Cor. 11.

autem ait, (a) hæreſes & ſchiſmata eſſe, ut qui probati ſunt, manifeſti fiant. Et in ſchiſmate quidem jam (ut dictum eſt) Dominus probavit te & cognovit te. Sed ne quid deſit coronæ tuæ, en hæreſes ſurrexerunt. Itaque ad conſummationem virtutum, & ne quid minus feciſſe inveniamini à magnis Epiſcopis anteceſſoribus veſtris: capite nobis, Pater amantiſſime, vulpes, quæ demoliuntur vineam Domini &c.] Hæc ſcripſit S. Bernardus ad Innocentium.

VII. Quippè qui ut audivit appellantem ad Apoſtolicam Sedem hæreticum hominem, ut ipſe Pontifex, & univerſa Romana Eccleſia de his omnibus certior redderetur: idem ſanctus Bernardus legavit Romam ad eumdem Pontificem Nicolaum monachum Ciſtercienſem, cujus eſt plurima laus in epiſtolis ad eum datis à Petro Cluniacenſi: huic inquam litteras dedit ad Innocentium ipſum, itemque ad (b) eumdem ſcripſit errores ejuſdem Abailardi atq; confutationes. Quòd, inquam, ille Sedem Apoſtolicam appellaſſet, & cauſa ibi cognoſcenda eſſet: voluit de omnibus eumdem Pontificem certiorem reddidiſſe, à quo eſſet ſententia expectanda. Sed ex perſona Rhemenſis Archiepiſcopi, & quorumdam aliorum Epiſcoporum ſcripſit alias eodem argumento (c) litteras ad eumdem Innocentiū Papam. Scripſit & ad S.R.E. Cardinales, & de eodem (d) epiſtolam ſcripſit (e) ad Guidonem de Caſtello, qui poſteà fuit Cœleſtinus Papa, anteà verò fuerat in philoſophia ejuſdem Abailardi diſcipulus: ne videlicèt ob antiquam amicitiam ejus ſuſciperet patrociniū, perſtingenſque errores ejus quàm enormes fuerint, hæc breviter habet in fine: Cùm de Trinitate loquitur, ſapit Arium: cùm de gratia, ſapit Pelagium: cùm de perſona Chriſti, ſapit Neſtorium &c.] Scripſit pariter ad Ivonem S.R.E. Cardinalem, & cùm de ejus animo pravo teſtificationem adderet, addit, jam anteà damnatum fuiſſe

b Bern. ep. 189.

c Idem ep. 191.

d Idem ep. 188.

e Idem ep. 192.

A unà cum opere ſuo coram Sedis Apoſtolicæ Legato. Sed adhùc ſecurum eſſe, inquit, quòd Cardinales & Romanæ Eccleſiæ clericos ſe habuiſſe diſcipulos glorietur. Etenim ipſe publicè profeſſus erat in Gallia, & ob celebre nomen ejus complures ad eum confluxerant diſcipuli litteris philoſophicis imbuendi. Scripſerunt tunc etiam poſt appellationem Abailardi ad Innocentium Papā Epiſcopi illi, qui interfuerant diſputationi, & præfuerant judices, has litteras:

Reverendiſſimo domino & dilectiſſimo Patri, Dei gratia ſummo Pontifici Innocentio R. Rhemenſis Archiepiſcopus, Joſcelinus

B Sveſſionenſis, Vuillelmus Catalaunenſis, A. Atrebatenſis Epiſcopi, debitæ ſubjectionis voluntarium obſequium.

Auribus occupatis ad plurima verbum facimus breve de prolixo negotio pro eo maximè, quòd id ipſum pleniùs & diffuſiùs continetur in litteris domini Senonenſis. Petrus Abailardus Chriſtianæ Fidei meritum evacuare nititur, dum totum quod Deus eſt, humana ratione arbitratur comprehendere. Aſcendit uſque ad cœlos, & deſcendit uſque ad abyſſos. Nihil eſt quòd lateat eum, ſive in profundum inferni, ſive in excelſum ſuprà. Homo eſt magnus in oculis ſuis, diſputans de Fide con-

C tra Fidem, ambulans in magnis & mirabilibus ſuper ſe, ſcrutator majeſtatis, hæreſium fabricator. Jamdudùm fecerat librum de ſancta Trinitate, ſed ſub Legato Romanæ Eccleſiæ igne examinatus eſt; quia inventa eſt in eo iniquitas. Maledictus qui reædificat ruinas Hierico. Surrexit à mortuis liber ille, & cum eo multorum hæreſes, quæ dormierant, ſurrexerunt, & apparuerunt multis. Denique jam extendit palmites ſuos uſque ad mare, & uſque Romam propagines ejus. Hæc gloriatio hominis illius, quòd liber ſuus in Curia

D Romana habet ubi caput ſuum reclinet. Hinc confortatus & confirmatus eſt error illius. Proinde cum fiducia prædicat verbum iniquitatis uſquequaque. Propterea cùm in conſpectu Epiſcoporum ſuper his eum argueret Abbas Claravallenſis, zelo juſtitiæ & Fidei armatus ille nec confeſſus eſt, nec negavit, ſed à die, à loco, & judice, quem ipſe ſibi elegerat, ſine læſione, ſine gravamine, ut prolongaret iniquitatem, Sedem Apoſtolicam appellavit. Epiſcopi, qui propter hoc unum convenerant, veſtræ reverentiæ deferentes, nihil in perſonam ejus egerunt: ſed tantummodò capitula, à ſanctis olim Patribus condemnata, medici-

E nali neceſſitate, ne morbus ſerperet, adjudicaverunt. Quia ergò hoc ille multitudinem trahit poſt ſe, & populum qui ſibi credat, habet: neceſſe eſt, ut huic morbo celeri medicina occurratis. Serò enim medicina paratur, cùm mala per longas convaluere moras. Proceſſimus nos in hoc negotio quouſque auſi ſumus Tuum, beatiſſime Pater, eſt, de cætero providere, ne aliqua hæreticæ pravitatis macula decor Eccleſiæ contaminetur. Tibi com-

miſſa eſt Sponſa Chriſti, ò amice Sponſi. Tuum eſt eamdem uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.

Reſcriptum verò Innocentii tale eſt.

Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus Henrico Senonenſi, Reinaldo Rhemenſi Archiepiſcopis, eorumque Suffraganeis, & chariſſimo in Chriſto filio Bernardo Claravallenſi Abbati ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Teſtante Apoſtolo ſicut unus Deus, una Fides eſſe dignoſcitur, in qua tamquàm immobili ſundamento, præter quod nemo aliud poteſt ponere, firmitas Catholicæ Eccleſiæ inviolata conſiſtit: inde eſt, quòd beatus Petrus Apoſtolorum Princeps pro eximia hujus Fidei confeſſione audire meruit: Tu es, inquam, beatus Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: Petram utique firmitatem Fidei, & Catholicæ unitatis ſoliditatem manifeſtè deſignans. Hæc ſiquidem eſt inconſutilis tunica Redemptoris noſtri, ſuper quam milites ſortiti ſunt, ſed eam dividere minimè potuerunt. Contra quam in initio fremuerunt Gentes, & populi meditati ſunt inania: aſtiterunt Reges, & Principes terræ convenerunt in unum. Verùm Apoſtoli duces Dominici gregis, & eorum ſucceſſores Apoſtolici viri, ardore charitatis, & zelo rectitudinis ſuccenſi, Fidem defendere, & eam in cordibus populorum proprii ſanguinis effuſione plantare non dubitaverunt. Demùm ceſſante perſecutorum rabie, imperavit ventis, & facta eſt in Eccleſia tranquillitas magna. Sed quia hoſtis humani generis ſemper circuit, quærens quem devoret, ad expugnandam ſinceritatem Fidei fraudulentam hæreticorum fallaciam ſubinduxit. Contra quos veri Eccleſiarum rectores viriliter inſurgentes, eorum prava dogmata cum ipſorum auctoribus condemnarunt. In magna namque Nicæna Synodo Arrius hæreticus eſt damnatus. Conſtantinopolitana Synodus Macedonium hæreticum debita ſententia condemnavit. In Epheſina Synodo Neſtorius condignam ſui erroris condemnationem recepit. Chalcedonenſis quoque Synodus Neſtorianam hæreſim, & Eutychianam cum Dioſcoro, & ejus complicibus juſtiſſima ſententia confutavit. Martianus præterea licèt laicus, Chriſtianiſſimus tamen Imperator Catholicæ Fidei amore ſuccenſus, prædeceſſori noſtro ſanctiſſimo Papæ Joanni ſcribens adversùs eos, qui ſacra myſteria profanare contendunt, inter cætera ſic loquitur, dicens: Nemo clericus, vel militaris, vel alterius cujuslibet conditionis, de Fide Chriſtiana publicè conetur in poſterum tractare. Nam injuriam facit judicio reverendiſſimæ Synodi, ſi quis ſemel judicata & rectè diſpoſita revolvere, & iterùm diſputare contendit: & in contemptores hujus legis tamquàm in ſacrilegos, pœna non deerit. Igitur ſi quis clericus erit, qui publicè tractare de religione auſus fuerit, à conſortio clericorum removebitur. Dolemus autem, quoniam ſicut ex veſtrarum litterarum inſpectione, & miſſis à fraternitate veſtra nobis errorum capitulis cognovimus, in noviſſimis diebus, quando inſtant periculoſa tempora, M. Petri Abailardi pernicioſa doctrina, & prædictorum hæreſes, & alia perverſa dogmata Catholicæ Fidei obviantia pullulare cœperunt. Verùm in hoc maximè conſolamur, & omnipotenti Deo gratias agimus, quòd in partibus veſtris pro patribus tales filios ſuſcitavit, & in tempore Apoſtolatus noſtri in Eccleſia ſua tàm præclaros voluit eſſe paſtores, qui novi hæretici ſtudeant calumniis obviare, & immaculatam ſponſam uni viro virginem caſtam Chriſto exhibere. Nos itaque, qui in Cathedra ſancti Petri, cui à Domino dictum eſt: Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos: licèt indigni reſidere conſpicimur, communicato fratrum noſtrorum Epiſcoporum Cardinalium conſilio, deſtinata nobis à veſtra diſcretione capitula, & univerſa ipſius Petri dogmata, ſanctorum canonum auctoritate cum ſuo auctore damnavimus, eique tamquàm hæretico perpetuum ſilentium impoſuimus. Univerſos quoque erroris ſui ſectatores, & defenſores à Fidelium conſortio ſequeſtrandos, & excommunicationis vinculo innodandos eſſe cenſemus. Datum Laterani duodecimo Kal. Auguſti.] Ita Innocentius, confirmans quæ geſta fuiſſent per Catholicos Epiſcopos in Synodo Gallicana. At quæ hæc ſecuta ſint, videamus.

VIII. Abailardus itaque proſecuturus appellationem, Romam verſus dirigens iter, divertit ad Cluniacenſe monaſterium, ubi libenter paſſus eſt ſe retineri à Petro venerabili ejuſdem monaſterii Abbate, qui pro eo, ut pœnitens poſſet Cluniaci monaſticam vitam profiteri, ad Innocentium Papam has litteras dedit: (a)

a Pet. Clun. l. 4. epiſt. 3.

Summo Pontifici & noſtro ſpeciali patri, domino Papæ Innocentio frater Petrus humilis Cluniacenſium Abbas obedientiam & amorem.

Petrus Abbas Clun. pro Abailardo cauſam agit.

Magiſter Petrus ſapientiæ veſtræ (ut credo) optimè notus, nuper à Francia veniens per Cluniacum tranſitum fecit. Quæſivimus quò tenderet: gravatum ſe vexationibus quorumdam, qui ſibi (quod valdè abhorrebat) nomen hæretici imponebant, majeſtatem Apoſtolicam ſe appellaſſe, & ad eam confugere velle reſpondit. Laudavimus propoſitum, & ut ad notum & commune refugium confugeret, admonuimus. Juſtitiam Apoſtolicam, quæ nulli umquam etiam extraneo, vel peregrino defuit, ſibi non defuturam diximus. Miſericordiam ipſam, ubi ratio poſtularet, ſibi occurſurâ promiſimus. Venit interim dominus Ciſtercienſis Abbas, & de pace ipſius & domini Clarevallenſis, cujus cauſa appellaverat, nobiſcum & cum ipſo pariter egit. Dedimus & nos operam paci ejus, & ut ad illum cum ipſo iret, hortati ſumus. Addidimus

Digitized by Google

mus hoc monitis noſtris, ut ſi qua Catholicas aures offendentia aut ſcripſiſſet, aut dixiſſet: hortatu ejus, & aliorum bonorum & ſapientum & à verbis ſuis amoveret, & à libris abraderet, & ſactum eſt ita. Ivit, rediit, cum domino Claravallenſi, mediante Ciſtercienſi, ſopitis prioribus querelis, ſe pacificè conveniſſe, reverſus retulit.

IX.
Poſt recantatam Palinodiá Abailardus efficitur monachus.

Interim à nobis admonitus, magis autem à Deo (ut credimus) inſpiratus, dimiſſis ſcholarum & ſtudiorum tumultibus, in Cluniaco veſtro ſibi perpetuam manſionem elegit. Quod nos ſenectuti ejus, debilitati ejus, religioni ejus congruere putantes, & ſcientiam ejus vobis ex toto non incognitam, magnæ Fratrum noſtrorum multitudini proficere poſſe credentes, voluntati ejus aſſenſimus, & ſi ſic benignitati veſtræ beneplacitum eſſet, benignè & cum gaudio nobiſcum, veſtris (ut noſtis) per omnia, remanere conceſſimus. Rogo igitur ego qualiſcumque veſter, rogat devotiſſimus vobis Cluniacenſis Conventus, rogat ipſe per ſe, per nos, per præſentium latores filios veſtros, per has, quas ut ſcriberem, rogavit litteras, ut reliquos dies vitæ & ſenectutis ſuæ, qui fortaſſè non multi ſunt, in Cluniaco veſtro eum conſummare jubeatis, & ne à domo, quam velut paſſer, ne à nido quem velut turtur, inveniſſe ſe gaudet, aliquorum inſtantia aut expelli, aut commoveri valeat, more quo omnes bonos colitis, & etiam iſtum dilexiſtis, ſcuto defenſionis Apoſtolicæ protegatis.] Hucuſque ad Innocentiū Petrus Abbas Cluniac.

Sed de ſententia interim lata hic inſuper recitandæ ſunt litteræ ipſius Innocentii Papæ ad Epiſcopos, & ad ſanctum Bernardum ſimul ſcriptæ, de ipſo videlicèt Petro Abailardo, & de Arnaldo de Brixia includendis, quæ per breves habentur in codice Vaticano, cujus titulus eſt, Liber antiquorum canonum.

X.

Innocentius ſervus ſervorum Dei Samſoni Rhemenſi Archiepiſcopo, Henrico Senonenſi, & Bernardo Abbati Clarævallenſi ſalutem & Apoſtolicam benedictioné.

Sententia lata Romæ adversùs Abailardum.

Præſentia ſcripta fraternitati veſtræ mandamus, quatenùs Petrum Abailardum, & Arnaldum de Brixia perverſi dogmatis fabricatores, & Catholicæ Fidei impugnatores in religioſis locis, ut vobis melius viſum fuerit, ſeparatim faciatis includi, & libros eorum, ubicumque reperti fuerint, igne comburi. Datum Laterani decimoſeptimo Kalendas Auguſti. Inſuper tranſcripta iſta nolite oſtendere cuipiam, donec ipſæ litteræ in Pariſienſi colloquio, quod propè eſt, præſentatæ fuerint ipſis Archiepiſcopis.] Hæc ibi. Hìa autem ſubiiciuntur in codice triginta capitula pro Eccleſiaſtica diſciplina ſervanda.

Qua pariter die idem Innocentius Papa alias dedit litteras de damnatione errorum ipſius Abailardi ad eoſdem Epiſcopos, ſimulque ad S. Bernardum Abbatem, ad cujus finem hæc de ſententia in eum lata: (a) Nos itaque, qui in beati Petri Cathedra (cui à Domino eſt dictum: (b) Et tu aliquando converſus, confirma fratres tuos) licèt indigni reſidere conſpicimur: communicato fratrum noſtrorum Epiſcoporum, & Cardinalium conſilio, deſtinata nobis à veſtra diſcretione capitula & univerſa ipſius Petri perverſa dogmata, ſanctorum canonum auctoritate cum ſuo auctore damnavimus; eique tamquàm hæretico, perpetuum ſilentium impoſuimus. Univerſos quoque errores damnantes, eorum ſectatores, & defenſores à Fidelium conſortio ſequeſtrandos, excommunicationiſque vinculo innodandos eſſe cenſemus. Datum Laterani decimoſeptimo Kalendas Auguſti.] Hæc Innocentius.

Damnati errores Abailardi.

Quem & acquieviſſe Abbatis Cluniacenſis petitioni, ut idem Petrus Abailardus in Cluniacenſi monaſterio monachus eſſet, certum eſt ex iis quæ idem Abbas affirmat. Et quod mirandum valdè eſt, quod & ſit rarò contingens, idem hæreticus pœnitens perſeverans uſque ad finem, magnum edidit ſpecimen ſanctitatis. Perſeverans enim in arctiſſima monaſtica obſervantia, demùm ſancto fine quievit, dignuſque habitus eſt, qui ab eodem venerabili Petro Cluniacenſi ſcripta epiſtola (c) poſt obitum magnoperè laudaretur. Scribens enim ad Eloyſam Abbatiſſam ejus quondam conjugem, quæ & ipſe doctrina excellens idem vitæ genus arripuiſſet, hæc poſt multa in laudem ipſius:

XI.
Petrus Abailardus profeſſor Cluniacen. Sancto fine quievit.

Conceſſum eſt de illo tuo; de illo inquā ſæpè ac ſemper cum honore nominando ſervo ac vero Chriſti philoſopho magiſtro Petro, quem in ultimis vitæ ſuæ annis eadem divina diſpoſitio Cluniacum tranſmiſit; & eam in ipſo & de ipſo ſuper omne aurum & topazium munere chariore ditavit. Cujus ſanctæ humili ac devotæ inter nos converſationi, quod quantumve Cluniacus teſtimonium ferat, brevis ſermo non explicat. Niſi enim fallor, non recolo vidiſſe me illi in humilitatis habitu & geſtu ſimilem, in tantum ut nec Germanus abjectior, nec ipſe Martinus benè diſcernenti pauperior appareret. Cumque in magno illo Fratrum noſtrorum grege, me compellente, gradum ſuperiorem teneret: ultimus omnium veſtitu incultiſſimo videbatur. Mirabar ſæpè, & in proceſſionibus eo me cum reliquis pro more præcedente, penè ſtupebam; tanti tamque famoſi nominis hominem ſic ſemetipſum contemnere, ſic ſe abiicere poſſe. Et quia ſunt quidam religionis profeſſores, qui ipſum quem gerunt habitum religioſum, nimis eſſe cupiunt ſumptuoſum: erat ille prorsùs parcus in iſtis, & cujuſque generis ſimplici veſte contentus, nihil ultra quærebat. Hoc & in cibo, hoc & in potu, hoc & in omni cura corporis ſui ſervabat, & non dico ſuperflua, ſed & cuncta niſi valdè neceſſaria tàm in ſe, quàm in omnibus verbo pariter & vita damnabat. Lectio erat ei continua, oratio frequens, ſilentium juge, niſi cùm aut Fratrum familiaris collatio, aut ad ipſos in

con-

a Apud S. Bern. epiſt. 194.
b Luc. 22.
c Pet. Clun. l. 5. ep. 20.

conventu de divinia publicus ſermo enm loqui urgebant. Sacramenta cœleſtia, immortalis Agni ſacrificinm Deo offerendo, ut poterat, frequentabat: immò poſtquàm litteris .& labore meo Apoſtolicæ gratiæ redditus eſt, penè continuabat. Et quid multá? Mens ejus, lingua ejua, opus ejus ſemper divina, ſemper philoſophica, ſemper eruditoria meditabatur, dncebat, fatebatur.

XII. Tali nobiſcum vir ſimplea & rectus, timens Deum & recedens à malo, tali inquam per aliquantum temporis converſatione ultimos vitæ ſuæ dies conſecrans Deo, panſandi gratia (nam plus ſolito ſcabie, & quibuſdam corporia incommoditatibus gravabatur) à me Cabilonem miſſus eſt. Nam propter illius ſoli amœnitatem, qua cunctis penè Burgnndiæ noſtræ partibus præeminet, locum ei habilem prope urbem quidem, ſed tamen Arari interfluente provideram. Ibi juxta qnod incommoditas permittebat, antiqua ſua renovans ſtudia, libris ſemper incumbebat, nec, ſicut de Magno Gregorio legitur, momentum aliquod prætetire ſinebat, quin ſemper aut oraret, aut legeret, aut ſcribecet, ant dictaret. In his ſacrorum operum exercitiis eum adventus illius Evangelici viſitatoris reperit, nec ut multos dormientem, ſed vigilantem invenit. Invenit eum verè vigilantem, & ad æternitatis nuptias, non ut ſatuam, ſed ut ſapientem virginem evocavit. Attulit enim ille ſecum lampadem plenam oleo, hoc eſt, conſcientiam ceſertam ſanctæ vitæ teſtimonio. Nam ad ſolvendum commune mortalium debitum morbo correptus, coque ingraveſcente, in brevi ad extrema perductus eſt. Tunc verò quàm ſanctè, quàm devotè, quàm Catholicè primò Fidei, dehinc peccatorum confeſſionem fecerit; quanto inhiantis cordis affectu Viaticum peregrinationia ac vitæ æternæ pignus, Corpus ſcilicèt Redemptoris Domini accepeeit, quàm fideliter corpus ſuum & animam hic & in æternum ipſi commendaverie, teſtes ſunt religioſi Fratres, & totus illius monaſterii, in quo corpus S. martyris Marcelli jacet, conventus. Hoc magiſter Petrus fine dies ſuos conſummavit, & qui ſingulari ſcientiæ magiſterio toti penè Orbi terrarum notus & ubique famoſus erat, in illius diſcipulatu qui dixit: (a) Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, mitis & humilis perſeverana, ad ipſum (ut dignum eſt credere) ſic tranſivit.] Hæc Petrus, qui & ejns epitaphium in fine ita deſcriptum miſit:

Petrus Abailardna ſancto fine quievit.

a Matt. 11.

Petri Abaillardi Epitaphium.

Gallorum Socrates, Plato maximus Heſperiarum,
Noſter Ariſtoteles, Logicis quicumque fuerunt
Aut par, aut melior: ſtudiorũ cognitus Orbi
Princeps, ingenio varius, ſubtilis & acer.
Omnia vi ſuperans rationis, & arte loquendi
**Abelardus erat. Sed tunc magis omnia vicit,*

* al. Abaiſardus

A *Cùm Cluniacenſem monachum, moremque profeſſus,*
Ad Chriſti veram tranſivit philoſophiam.
In qua longæva benè complens ultima vitæ,
Philoſophis quandoque bonis ſe connumerandum
Spem dedit, undenas Majo renovante Kalendas.]

Porrò Eloyſa Abbatiſſa olim conjux ejuſdem Petri, & ipſi ſcientia haud impar, poſt obitum ſollicita de exiſtimatione viri, rogavit per litteras eumdem Petrum, ut viri abſolutio facta ab Apoſtolica Sede omnibus innoteſceret; ait enim: (b) Placeat B etiam vobis aliud mihi ſigillum mittere, in qno magiſtri *Petri videlicèt* abſolutio litteris apertis continetur, ut ſepulchro ejus ſuſpendatur.] Hæc ipſa, quæ defuncti viri corpus acceperat.

b *Apud Petr. Clun. l. 6. epiſt. 23.*

Eodem quoque anno ſicut pietate, ita & doctrina præſtantior ex hac vita migrat Hugo de S. Victore celeberrimus doctor, cujus ſuperiùs mentio facta eſt. Ita in Appendice ad Sigebertum per Robertum de Monte, rerum ſæculi hujus ſcriptorem conſtat. Apponimus nos ejus Epitaphium, quod legitur in ejus ſepulchro in Eccleſia S. Victoris in ſuburbio Pariſienſi his verſi- C bus:

Hugonis de S. Vict. obitus, & Epitaphiũ.

Conditur hoc tumulo doctor celeberrimus Hugo,
Quem brevis eximium continet urna virum.
Dogmate præcipuus, nullique ſecundus amore,
Claruit ingenio, moribus, ore, ſtylo.]

XIII. Porrò in ejuſdem monaſterii clauſtro ſepulchrum coutinetur Richardi de S. Victore clariſſimi ejuſdem temporis Theologi, qui etſi iiſdem cum Hugone vixit temporibus; quonam anno ex hoc ſæculo deceſſerit, haud nobis compertum. Quæ- D dam viri præſtantiſſimi ad ſanctum Bernardum ſcripta, ut, De tribus apptopriatis perſonis in Trinitate tractatus, Libellus de Verbo incarnato, & Declarationes nonnullarum difficultatum divinæ Scripturæ, planè demonſtrant, magnam inter eos familiaritatem interceſſiſſe. In ejus autem ſepulchro hujuſmodi legitur epitaphium:

Richardi de S. Victore Epitaphium.

Moribus, ingenio, doctrina clarus & arte,
Pulvereo hic tegeris, docte Richarde, ſitu.
Quem tellus genuit felici Scotica partu:
E *Te fovet in gremio Gallica terra ſuo.*
Nil tibi parca ferox nocuit, quæ ſtamina parvo
Tempore tracta gravi rupit acerba manu.
Plurima namque tui ſuperant monimenta laboris,
Quæ tibi perpetuum ſunt paritura decus.
Segnior ut lento ſceleratas mors petit ædes,
Sic propero nimis it ſub pia tecta gradu.]

Digitized by Google

In calce operum ejus, editionis Lugdunenſis, anno Domini MDXXXIV. dicitur plenus dierum tranſiiſſe ex ex hac vita ſexto Idus Martias, ſed annus non exprimitur. Ita planè claruit idem cœnobium S. Victoris hoc ſæculo viris inſignibus, Pariſienſis Accademiæ doctoribus, iiſdem Canonicis regularibus Ordinis ſancti Auguſtini, quos Ludovicus Craſſus hujus regnantis his diebus Ludovici pater verificè coluit: in quorum gratiam martyri ſancto Victori templum paulò ante conſtruxit, ut ibidem poſita ita ſignificat ejus inſcriptio:

Illuſtris genitor Ludovici, Rex Ludovicus,
Vir clemens, Chriſti ſervorum ſemper amicus,
* Inſtitui * *Inſtituis, fecit paſtorem Canonicorum,*
In cella veteri trans flumen Pariſiorum.
Hanc vir magnanimis, almi Victoris amore.
Auro, reliquiis ornavit, rebus, bonore.
Sancte Dionyſi, qui ſervas corpus humatum,
Martyr & Antiſtes Ludovici ſolve reatum.
Chriſti centeno cum mille decem & tribus anno,
Templum boc Victoris ſtruxit regalis bonoris.]

Jam verò è funeribus emergentes, quæ ſunt reliqua anni hujus proſequamur.

XIV. Rogerii Filius invadit res Eccleſ. Eodem anno Princeps Capuæ Rogerii Regis filius invaſit Piſcariam, & adjacentia loca, quaſi ſpectarent ad Capuæ Principatum: quibus nonnihil commotus eſt Innocentius Papa. Sed Rogerius ipſe ex Sicilia veniens, res componere ſtuduit: cujus expetentis ejuſdem Innocentii Papæ colloquium, idem Innocentius congreſſum, prætenſis aliquibus impedimentis, ſubterfugit. Diſplicuit & illud magnoperè eidem Papæ, quòd idem Rex edicto prohibuerat, ne moneta Romana in ejus regno expenderetur, ſed ea tantùm, quam ipſe cuderet: quod quidem ingens attulit tùm ſubditis, tùm externis etiam damnum. Poſt hæc idem Rex Neapolitanam civitatem recens ſibi deditam primùm ingreſſus eſt, apparatu regio exceptus à civibus, metirique faciens ejuſdem circuitum civitatis, bis mille trecentorum ſexagintatrium paſſuum circuitus eſt inventus. Tradit iſta Falco Beneventanus in Chronico à ſe ſcripto de rebus Beneventanis ſui temporis, quod & in hunc uſque annum perduxit, cœptum ab anno Redemptoris milleſimo centeſimo duodecimo, quinta Indictione, Paſchalis Papæ Pontificatus decimotertio: qua ſublata lucerna, remanent quæ ſunt reliqua Pontificatus Innocentii ſubobſcura. In Chronico dicto, Domini de Ceccano, quod in monaſterio Foſſæ novæ aſſervatur, habetur, hoc anno veniſſe Rogerium Siciliæ Regem & filios ejus, & expugnaſſe

A Soram, Arcem, & oppida interjacentia uſque Ceperanum.

XV. De Vuilelmo intruſo Eboracenſe. Hoc anno pugnandum fuit Innocentio Papæ adversùs Vuillelmum bis intruſum, & à Rege primùm; deinde à Legato in Anglia, in Archiepiſcopatum Eboracenſem, cujus Eccleſiæ fuerat Theſaurarius: contra quem legitimè electus fuit Henricus Murdac. Hæc Rogerius in Annalibus. Porrò Henricus iſte ille eſt, ad quem extat S. Bernardi (a) epiſtola, divini ſpiritus favore dictata, cùm eum ad ſolitudinem invitavit: Extant & aliæ ejuſdem S. Bernardi epiſtolæ diverſæ pro eodem adversùs

a *Bern. ep.* 106.

B eumdem Vuillelmum intruſum. Siquidem improbus homo neſandis ſceleribus infamatus, ſententiæ Innocentii non acquieſcens, ubì ſenſit eum eſſe defunctum, à ſucceſſore ipſius Cæleſtino ſurripuit conſecrationem, & ad eamdem Eccleſiam eſt ituitionem. Qua de cauſa declamandum fuit eidem S. Bernado, ad ipſum Cæleſtinum ſcribenti epiſtolam ducenteſimam trigeſimamquartam, in qua poſt alia abominanda in eum invecta, his agit verbis de ipſius intruſionibus: Sint ne obedituri huic, & ſacramenta accepturi ab homine bis intruſo? primò quidem per Regem, deinde per

C Legatum? Quippè qui illum in ſanctuarium Dei contra jus & ſas, contra mandatum ſummi Pontificis, in injuriam ſummæ Sedis & totius Romanæ Curiæ, cùm non potuit per oſtium, fodit argenteo, ut ajunt, ſarculo, unde impudenter intruſit &c.] De iiſdem idē S. Bernardus ad Cardinales Romanæ Curiæ ſub eodem Cæleſtino Papa dedit acerrimas (b) litteras, quarū eſt exordium: Omnibus ſcribendum fuit de eo quod ſpectat ad omnes. Nec vereor ne fortè præſumptionis arguar, quippè qui licèt omnium minimus, tamen Romanæ Curiæ injuriam à me non judico alienam.

b *Id. ep.* 235

D Urimur aſſiduè, dico vobis, urimur graviter nimis, ita ut nos tædeat etiam vivere. In domo Dei videmus horrenda, & quia corrigere non poſſumus, ſaltem ſuggerimus his ad quos ſpectat, &c.] At licèt clamans & exclamans Bernardus, nihil tamen profecit, quò minùs turpiſſimus intruſus ſub Cæleſtino Pontifice ſederit.

Quo defuncto, cùm illi Eugenius ſucceſſiſſet; rursùs ſuis litteris contra eumdem intruſum itidem ſanctus Bernardus egit, tertiò ad eum (c) ſcribens. In quarum primis: Nonnè, inquit, Eboracen-

c *Idem ep.* 237. 238. 239.

E ſis ipſe eſt, cui te præſente, cùm adhùc eſſes quaſi unus ex nobis, fratres tui reſtiterunt in faciem, eò quòd reprehenſibilis erat? Sed ſperavit in multitudine divitiarum ſuarum, & prævaluit in vanitate ſua. Certum eſt tamen quòd non intravit per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliundè &c.] Secundis autem ad eumdem Eugenium litteris fortiùs urget eum, ut in ipſum damnationis ſententiam jacularetur; ait namque: Quis enim in manu forti ſagittas mittere poteſt, niſi filius excuſſorum; Qui locum Petri tenet, po-

teſt uno ictu extinguere Ananiam, uno Simonem Magum. Et ut planiùs, quod loquimur, fiat; peremptoriam dare ſententiam ad depoſitionem Epiſcoporum, ſolius Romani Pontificis noſcitur eſſe, pro eo nimirùm, quod etſi alii multi vocati ſunt in partem ſollicitudinis, ſolus ipſe plenitudinem habet poteſtatis. Solus proinde (ſi dicere audeam) in culpa eſt, ſi culpa non feritur, quæ ferienda eſt &c.] Præſtitit Eugenius quod ſanctus Bernardus quam juſtiſſimè litteris expetierat, damnavit & ejecit intruſum. Qui, quoad vixit Eugenius, ſic manſit extorris: eo verò defuncto (inquit Rogerius in Annalibus) ſub ejus ſucceſſore Anaſtaſio, defuncto Henrico Murdae legitimo Archiepiſcopo Eboracenſi, idem Vuillelmus Romam ſe contulit, & inveniens gratiam apud eum, reſtitutus eſt eidem, qua juſtè fuerat privatus Eccleſia. At anno ſequenti, qui fuit Redemptoris milleſimus centeſimus quinquageſimusquartus, ſuſceptus in ſedem, proditione ſuorum clericorum appoſito veneno in ablutione Calicis poſt ſumptum ſanguinem, eo poto, mortem infelix hauſit. Hìcque finis hominis non meritis, ſed divitiis ad Eccleſiam Dei ſibi aditum aucupantis. Quæ plurium annorum curriculis actitata, & ſub tribus Romanæ Ecclesiæ Pontificibus agitata hìc in unum collecta poſuimus, quo uno intuitu fiat Lectori perſpicua hiſtoria non contemnenda, quæ tot S. Bernardi ſudoribus madeat, & epiſtolis ſcriptis eluceat.

Auctoritas Rom. Pontif.

Vuillelmi finis infelix.

At ſicut judicem ex noviter repertis monimentis, revocate quam tulit ſententiam, A decet: ita conceſſum ſit nobis eadem ratione, quæ ſcripta ſunt de Vuillelmo Eboracenſi Archiepiſcopo, quantumlibet auctoritate, & teſtificatione ſancti Bernardi, & aliorum abſque diſpendio probatæ fidei ipſorum, novis adinventis probationibus, novo examine agitare. Non ſolùm enim (a) Neubrigenſis, qui iiſdem temporibus vixit, & de his exactam perveſtigationem adhibuit, ut veritatem rerum geſtarum aſſequi poſſet, ſed & alii auctores favent Vuillelmi Eboracenſis Archiepiſcopi cauſæ, atque adeò, ut eumdem inter Sanctos Eccleſiæ Anglicanæ B connumerent: quibus fidem adhibens haud dubiam Molanus reſtitutor & illuſtrator Martyrologii Uſuardi, eumdem Vuillelmum ſuo loco repoſuit inter Sanctos; natali die ipſius, nempè octava die menſis Junii. De eo acta citantur (b) Eboracenſia ab Harpesfeldio, quibus aſſentiuntur abſque controverſia recentiores, inter quos eſt Joannes Capgravius, qui ſcripſit vitas Sanctorum Angliæ, & poſtremo loco Polydorus Virgilius in hiſtoria Anglicana, anno Chriſti milleſimo centeſimo quinquageſimoquarto. Quibus omnibus traditio ipſa Eccleſiæ Anglicanæ conſentiens, nos C pariter ſecum trahit in eamdē ſententiam; ita tamen ut nihil derogatum velimus ſanctitati Bernardi, qui favit cauſæ: quam putavit eſſe juſtiſſimam, falſa deceptus inſinuatione eorum, quorum exiſtimatio apud eum haud dubiæ fidei eſſet. Interdum enim contigiſſe ſe decipi falſa relatione petentium, ſuis ipſe teſtatur epiſtolis.

a *Neubrig. l.1.c.17.26.*

b *Act. Eborac. lib. 5. c. 16. Harpeſfeld apud Alan. Copum hiſtor. Angl. l.14. c.41.*

JESU CHRISTI ANNUS 1141. INNOCENTII PAP. II. ANNUS 12. CONRADI REG. ROM. 3. JOANNIS COMNENI IMP. 23.

I.

Bellū Tiburtinum.

ANnus Redemptoris milleſimus centeſimus quadrageſimusprimus, Indictione quarta ordine ſequitur, quo bellum Tiburtinum magis ac magis ingraveſcit; uſque adeò ut illi Romanos abſque ordine militari ab Urbe progreſſos in fugam ignominioſam converterint. Accidit namque his temporibus, ut finitimæ civitates Italiæ obſtinato animo adversùs invicem confligerent, Lucenſes adversùs Piſanos in Tuſcia, in Longobardia Patavini adversùs Veronenſes, Mediolanenſes implacabili odio Comenſes perdere co- E narentur, & ſi quæ aliæ adversùs alias iiſdem furiis inſanirent; quibus ſactum, ut peregrinis ad Urbem commeantibus perdifficilis pateret tranſitus, quia ſive à latronibus, ſive militibus pati diriſſima cogerentur. Tiburtini igitur occaſione ſchiſmatis haud parere Pontifici aſſueti, per pacem redigi in obedientiam indignantes, reſiſtere Innocentio auſi ſunt. Qua contumelia ſe affici Romani videntes, dum eorum clandeſtinas paterentur jugiter incurſiones: indignatione commoti valdè, D ad ſubjugandos ſibi propinquiores populos omne ſtudium impendere ſunt aggreſſi. Sed imperitos militiæ fuiſſe & longè degeneres ab antiquo militantium robore, redarguerunt eventa: dum adverſarios quaſi imbelles contemnentes, ab iiſdem ipſis adeò turpiter fugati ſunt Tiburtinis quod Deus ad comprimendum faſtum ipſorum permiſit. At verò cùm non eſſet impunita relinquenda Tiburtinorum audacia, & reſiſtens Eccleſiæ contumacia: Innocentius ad eos expugnandos Eccleſiæ E vires omnes intendit, quos obſeſſos diu arctèque conſtrictos, compulit ad deditionem, qui & Romanos in eos plus ſatis ſævire volentes compreſſit. Cujus occaſione & à Pontifice reſilientes, veterem Reipublicæ formam meditantes, & reſtituere aggredientes, ad Senatores deſcribendos ſunt reverſi, reſiſtente tamen illis in omnibus Innocentio. Hæc uſque ad ejuſdem Innocentii Papę obitum perducta fuiſſe, Otto Friſingenſis enarrat, ſummatimque recenſet his verbis: (c)

Ad deditionē Tiburtini coacti.

c *Ott. Friſ. l.7.c.27.*

II.

Dum hæc aguntur in Gallia & Germania,

Digitized by Google

Romani antiquam aggrediũtur reſtituere rempub.

nia, Romanus Pontifex Innocentius, qui jam per multum temporis Tiburtinos excommunicaverat, ac aliis modis preſſerat, coanguſtatos ad deditionem acceptis obſidibus, ac jurejurando interpoſito coegit. Populus verò Romanus volens ut eos per obſides & ſacramentum ad duriſſima præcepta, ideſt, ut muris ruptis, omnes provinciam cederent, cogeret: dum nobiliſſimus ac liberaliſſimus Sacerdos tàm irrationabili & inhumanæ petitioni annuere nollet; ſeditionem *iidem Romani* movent, ac in ipſo impetu in Capitolio convenientes, antiquam Urbis dignitatem renovare cupientes, ordinem Senatorum, qui jam per multa curricula temporum deperierat, conſtituuos, & rursùm cum Tiburtinis bellum innovant. Cauſa verò tantæ immanitatis fuit, quòd in priori anno, dum cum Pontifice ſuo in obſidione præfatæ civitatis morarentur, civibus egreſſis & cum ipſis manum conferentibus, multis amiſſis ſpoliis, turpiter in fugam converſi ſunt. Idcircò nulla, niſi quam diximus, conventione uſque hodiè ſe poſſe placari aſſerunt. Verùm ſapientiſſimus Antiſtes prævidens, ne fortè Eccleſia Dei, quæ per multos annos ſæcularem Urbis honorem à Conſtantino ſibi traditum potentiſſimè habuit, hac occaſione quandoque perderet: multis modis tàm minis, quàm muneribus, ne ad effectum res procedat, impedire conatur. Sed invaleſcente populo, dum proficere non poſſet, lecto cubans, juxta quoſdam, de futuris viſione ſibi monſtrata, in pace quievit.] Hæc ipſe de rebus geſtis uſque ad obitum Innocentii, qui contigit poſt annum ſequentem.

III.

Peſtilentem auram iſtam laicis inſufflavit Arnaldus de Brixia novus hæreſiarcha, de quo ſuperiùs. Dum enim Romæ eſſet, jactare iſta tunc cœpit, laicorum eſſe omnia temporalia, & ea à clericis injuſtiſſimè detineri. Quo nomine Politicorum hæreticorum patriarcham atque principem ſe conſtituit. Audiebatur libenter ab illis, qui affluentiam bonorum clericis ac monachis inviderent. Quo inflati vento Romani, ita inſtabili motu agitabantur, & meditabantur prorsùs inania, convenientes in unum adversùs Dominum, & adversùs Chriſtum ejus dicentes (quod in Pſalmis (a) eſt) Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis jugum ipſorum.] Sed & impletum eſt, quod propheticè Vates cœleſtis mox ſubdidit: Qui habitat in cœlis irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos.]

a *Pſal.* 2.

Hoc eodem anno orta eſt diſſenſio (ut habet Auctarium ad Sigebertum) inter Papam Romanum & Francorum Regem Ludovicum, unde Eccleſia Gallicana turbatur. Defuncto enim Alberico Bituricenſi Archiepiſcopo, miſſus eſt Petrus à Papa Innocentio eidem Eccleſiæ paſtor conſecratus; ſed à Rege Ludovico repudiatus, eò quòd ſine ejus aſſenſu fuerat conſecratus, in civitatem minimè recipitur. Cujus partes quia propter reverentiam, ſeu voluntatem Papæ Comes Theobaldus fovere credebatur, ſimultas quæ ſopita videbatur, inter Regem & ipſum cœpit repullulare.] Hæc ibi hoc anno. Quæ autem hæc ſequuta ſint, dicentur anno ſequenti.

JESU CHRISTI ANNUS 1142. INNOCENTII PAP.II. ANNUS 13. CONRADI REG.ROM.4. JOANNIS COMN.IMP.24.

I. Ivo Card. Legatus in Gallias mittitur.

SEquitur annus milleſimus centeſimus quadrageſimus ſecundus, Indictione quinta, quo (ut eſt apud Sigebertum) decernitur ab Innocentio Papa Ivo presbyter Cardinalis S. R. E. Legatus in Gallias, tum ob cauſam Archiepiſcopi Bituricenſis, de quo anno ſuperiori, tùm etiam ob injuſtè dimiſſam uxorem à Radulpho Comite, & aliam ſuperinductam. De his enim hæc Robertus apud Sigebertum hoc anno.

Radulphus Viromandorum Comes uxorem ſuam dimittit, & ſororem Reginæ Petronillam ducit. Propter quod inſtantia Comitis Theobaldi mittitur Romanæ Sedis Ivo Legatus, qui & Radulphum Comitem excommunicavit, & Epiſcopos Laudunenſem Bartholomæum, Noviomenſem Simonem, Petrum Silvanectenſem, qui divortium illud fecerant, ſuſpendit.] Hæc ibi.

Cùm autem hæc adeò nefanda de Comite Radulpho ſanctus Bernardus intellexiſſet, percitus zelo offenſæ Chriſtianæ legis, ad Innocentium Papam hæc ſcribens, eumdem tanti ſceleris interpellat ultorem: (b)

b *Bern. ep.* 216.

Scriptum eſt: (c) Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet. Surrexerunt viri audaces, qui non timuerunt conjunctos à Deo contra Deum disjungere. Neque id ſolùm, inſuper & adjecerunt conjungere non conjungendos, addentes prævaricationem. Lacerantur ſacræ Eccleſiæ, ſcinduntur (proh dolor!) veſtes Chriſti, idque ad cumulum doloris, ab his, à quibus reſarciri debuerant. (d) Amici tui Deus & proximi tui adversùm te appropinquaverunt & ſteterunt. Nam qui mandatum tuum tranſgrediuntur, non ſunt alieni, non ſunt extranei à ſanctuario tuo, ſed eorum locum tenent, quibus dixiſti: (e) Si diligitis me, mandata mea ſervate. Comitem Radulphum & uxorem ejus Deus conjunxerat per miniſtros Eccleſiæ, & Eccleſia per Deum, qui dedit poteſtatem talem hominibus. Quomodò quos Eccleſia conjunxit, disjunxit camera? In quo fa-

c *Matt.* 19.

d *Pſal.* 37.

S. Bernar. excitat Innocen. Pap. adversùs contemptores ſacrarũ Legum.

e *Joan.* 14.

cto

A ctо illud ſolùm convenienter proviſum eſt, quòd in tenebris facta ſunt opera tenebrarum. Qui enim malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus à luce. Quid meruit Comes Theobaldus? Quid peccavit homo ille? Si peccatum eſt, quod diligit juſtitiam, & odit iniquitatem, non poteſt excuſari. Si peccatum eſt quod reddit Regi quæ Regis ſunt, & quæ ſunt Dei Deo, non poteſt excuſari. Si Archiepiſcopum Bituricenſem ſuſcepit ad imperium veſtrum: hoc eſt maximum & primum peccatum. En ſanguis iſte de manu ejus exquiritur. Qui retribuunt mala pro bonis, detrahunt ei; B quoniam ſequitur bonitatem. Multi clamant ad vos in toto corde ſuo, ut injuriam filii veſtri, & oppreſſionem Eccleſiæ digna animadverſione vindicetis, & artifices hujus ſceleris cum ipſo eorum capite, cui quidquid libuit, licuit, Apoſtolico vigore coerceatis, ut in verticem ipſius iniquitas ejus deſcendat.] Hucuſque ad Innocentium S. Bernardus.

II. His igitur acceptis litteris Innocentius (ut diximus) Ivonem presbyterum Cardinalem Legatum in Galliam miſit; qui eumdem Radulphum excommunicatione mulctavit, & regnum ſubjecit in- C terdicto, & conſultores ſuſpendit Epiſcopos, & cœtera quæ opus erant, canonicè explevit, ut idem ſanctus Bernardus ſequentibus declarat epiſtolis (a) in delinquentes. Quòd autem Rex omnia iſta accepta tuliſſet ſancto Bernardo, atque etiam Comiti Theobaldo, ac queſtus eſſet per litteras ſcriptas ad ſanctum Bernardum: reſcripſit ipſe, excuſans ſe atque pariter Comitem Theobaldum. Extant (b) litteræ, quarum eſt exordium: Libenter quidem, &c.] Sed & cùm ex illis nihil Rex proficeret, ſed in deteriora deficeret; D idem ſanctus Bernardus ad Regis ipſius Conſiliarios Joslenum Sveſſionenſem Epiſcopum, & Sugerium ſancti Dionyſii Abbatem (c) litteras dedit, quarum eſt exordium: Scripſeram Regi, &c.] Quibus in ſui excuſationem & Theobaldi cùm multa afferat, quæ Rex in deterius magis magiſque lapſus adversùs Eccleſias perpetrarit, monens ipſos Conſiliarios, ut ei reſiſterent, hæc ad finem habet: Denique eſto quòd omninò malè meruit Comes, ſed Eccleſia Dei quid meruit? Quid, inquam, meruit non jam ſola Bituricenſis Eccleſia, ſed & Catalaunenſis; etiam & Rhe- E menſis, etiam & Pariſienſis? Habeat Rex adversùs Comitem jus: ſed de quo jure, obſecro, de quo jure præſumit, ut Eccleſiarum poſſeſſiones, & terras devaſtet, ut Chriſti ovibus paſtores præfici non permittat, ut his quidem electorum promotionem prohibeat, aliis verò (quod hactenùs inauditum eſt) dilationem electionis indicat, donec univerſa conſumpſerit, donec diripuerit pauperum facultates, donec penitùs deſoletur terra? An vos ei conſulitis talia? Mirum valdè, ſi contra ve-

a Bern. ep. 117. & 122.

b Idem ep. 120.

c Idem ep. 122.

Agit S. Bern. cum Conſiliariis Regiis.

A ſtrum conſilium fiunt hæc: mirum magis, & malum ſi veſtro conſilio fiunt. Etenim conſulere talia, manifeſtè ſchiſma fabricare eſt, Deo reſiſtere, Eccleſiam ancillare, & novam in ſervitutem Eccleſiaſticam redigere libertatem. Si quis Dei fidelis, ſi quis Eccleſiæ filius eſt, profectò ſtabit & opponet ſe, quoad poterit, murum pro domo Dei. Nam & vos ipſi ſi pacem deſideratis Eccleſiæ, ſicut oportet filios pacis: quomodò non dico, tractatis ea, ſed vel intereſtis conſiliis tàm malignis? Quidquid enim mali fecerit: meritò non Regi juveni, ſed Conſiliariis ſenibus im- B putatur.] Hæc ad eos S Bernardus.

III. Quibus mirum in modum offenſus, in primis ipſe Sveſſionenſis Epiſcopus, acerbiores ad eumdem S. Bernardum litteras reddidit, quibus inter alia ipſum talia ſcribentem, ſpiritu blaſphemiæ afflatum eſſe redarguit. Ad quem quidem iſta digna perenni memoria idem S. Bernardus reſcripſit, ſale ſapientiæ Chriſtianæ condita, quæ ſic ſe habent: (d)

Conſiliarius in S. Bernardũ calumnioſè agit.

d Bern. ep. 223.

Bernardus Josleno Sveſſionenſi Epiſcopo ſalutem in Domino, & non in ſpiritu blaſphemiæ.

Minimè quidem ego ſpiritum blaſphe- C miæ habere me arbitror; ſed nec cuiquam maledixiſſe, aut maledicere velle me, ſcio, principi præſertim populi mei. Cœterùm quidquid illud ſit, quo ſe læſam veſtra dignitas judicat, peto veniam. Scio enim qui dixit: (e) Blaſphemamur & obſecramus. Dico ergò cum beato Job: (f) Quæ locutus ſum, utinam non dixiſſem, & ultrà non addam. Jam domino Abbati ſancti Dionyſii pro communi querimonia ſcribens, utrique veſtrum reſponderam, & putaveram me feciſſe ſatis. Et quoniam ut video, nondum quievit indignatio ve- D ſtra, quæ forſitan adversùs Eccleſiæ conculcatores juſtiùs incanduiſſet, etiam vobis dico: ſchiſmaticos vos, aut fomites eſſe ſcandali, nec dixi, nec ſcripſi, nec credidi, & dico ſecurus, nec vereor quòd me mea pagina arguat mendacii. Scrutamini eam, ſi placet, & ſi ita inveneritis: reum me fatebor grandis ſacrilegii, & reverà ſicut notatis, ſpiritu blaſphemiæ agitatum illa ſcripſiſſe.

S. Bernard. ad Sveſſionen. Epiſc. excuſatio, & admonitio.

e 1. Cor. 4.

f Job 39.

IV. Ne tamen humilis ſatisfactio ſpiritum videatur excludere libertatis: dolui fateor & doleo, quòd nondum vos ea libertate, qua deceret, comperimus Chriſti ulciſci injurias, Eccleſiæ defendere libertatem. E Dolor iſte compulit me ſcribere dura, non tamen illa quæ impingitis. Putaveram ſiquidem & adhuc putarem, niſi timerem vobis in hoc eſſe moleſtus, nequaquàm ſufficere, quòd ſchiſmatis non eſtis auctores, niſi, & eos qui ſunt, cujuſcumque dignitatis ſint, tota libertate pro viribus coerceatis, & eorum conſilium atque conſortium execretis. Putarem, inquam, gloriam vobis eſſe, ſi dicere poſſetis & vos: (g) Odivi Eccleſiam malignantium, & cum impiis non ſedebo. Numquid ſolùm decebat ze-

g Pſal. 25.

lus

lus ille Prophetam, & non hodiè quoque à Domini ſacerdote requiritur, de quo dicebat: (*a*) Nonnè qui oderunt te Domine oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Optarem ſanè (& ſalva veſtra ſerenitate id quoque eloquar) hunc aculum vos exercuiſſe in puerum Regem, qui non tàm pueriliter, quàm crudeliter ſine cauſa irrita fecit & veſtra ſana conſilia, & ſua pacta: ſine cauſa regnum ſuum conturbat, bella ubique cœlis terriſque ſuſcitat; Eccleſias vaſtat, ſacra temerat, exaltat iniquos, bonos perſequitur, perimit innocentes. Hæc, inquam, vellem vos dolere, his contradicere, & reſiſtere, quod in vobis eſt: ſed meum non eſt magiſtrum docere Joſtenum, minus autem reprehendere Epiſcopum, qui magis me & alios peccantes redarguere, & errantes corrigere debet. En quantum vos timeo. Clauſam habetis epiſtolam, qui de priore aperta malè ſuſpicati eſtis. Nam ego quidem nihil adhùc aliud cogitavi, niſi quod ad diverſos ſcribentem neceſſe eſt, juxta conſuetudinem, epiſtolam cera non claudere. Jam & pro hoc quoque veniam peto.] Hucuſque ſanctus Bernardus. Qui tamen nihil cum Conſiliariis, nec cum Rege profecit, quia in dies in graviores atque deformiores dilaberetur exceſſus: de quibus dicendum anno ſequenti.

a Pſ. 138. — Peccata Ludovic. Regis.

A B C (marginal section letters)

V. Eodem tempore, cùm agitaretur cauſa eadem Bituricenſis Eccleſiæ, Petrus Cluniacenſis Abbas pro Ludovico Rege iſta ad Innocentium Papam ſcripſit:

Summo (*b*) Pontifici & noſtro ſpeciali Patri domino Papæ Innocentio Frater Petrus humilis Cluniacenſium Abbas obedientiam & amorem.

b Pet. Clu. lib. 5. epiſt. 8.

Si quid minus ſapienter dixero: rogo ut pietas paterna ſupportet. Nam fortaſſis ineptum eſſe poterit, ſed indevotum erga vos eſſe non poterit. Pro domino Rege Franciæ, magno nobili & ſpeciali filio veſtro benignitatem Apoſtolicam deprecor, ut quia non ſolùm Rex eſt, non ſolùm magnificus rector Chriſtiani populi eſt, ſed etiam quia opus manuum veſtrarum eſt, quem ad regnum provexiſtis, quem ſacris manibus veſtris inunxiſtis, quem Gallis noſtris potentiorem patribus Regem deſignaſtis: ſi quid fortè adhùc ut ætate juvenis inconſultè agit, ei condeſcendatis, & ejus fortè errorem ſapientiæ veſtræ velamine contegatis. Eſt enim patris, ut filii, & maximè tanti, & errorem emendet, & honorem conſervet. Hoc pro diſſidio, quod inter ipſum & dominum Bituricenſem Archiepiſcopum eſt, dico. Eſt enim ſicut ſenſi, res non levis, & ne de gravi incœpto graviorem vergat in exitum, multùm cavenda. Spiritus autem conſilii, qui ſpirat ubi vult, qui per vos Eccleſiæ ſuæ per totum orbem diffuſæ aſſiduè conſulit, etiam nunc per vos regno Franciæ, non vili portioni Eccleſiæ ſuæ conſulat, & tàm de his, quàm de omnibus unctio ejus cor veſtrum edoceat.] Hucuſque de cauſa Regis: ſubiicit verò de cauſa Luxovienſis monaſterii, fruſtrà ad reformationem per eumdem Innocentium revocati. Hoc enim dederat in mandatis idem Pontifex eidem Petro, ut eoſdem Luxovienſes ad interlapſum vetus revocaret monaſticum inſtitutum. De cujus miſerando ſtatu hæc lugenda habet: In deteriorem ſtatum quam prius fuerat, relapſum, omni penè monaſtica religione & obſervantia deſtitutum, parùm à ſæcularibus differre. In tantum, ut quòd priſcis temporibus cuncta Galliarum monaſteria anteibat: nunc penè univerſa vix à longè ſequi videatur.]

Petr. Clun. Agit pro Rege apud Innoc.

D

Luxovien. Monach. collapſa obſervantia.

Quod ad res pertinet Orientis, Fulco (*c*) Hieroſolymorum Rex, lapſus equo, hoc anno moritur; Balduinum annorum tredecim relinquens regni ſucceſſorem: cujus adminiſtrationem mater ipſa Regina Meleſendis ſuſcepit: ad quam extant litteræ (*d*) ſancti Bernardi. Porrò quod factum id dicat Tyrius ſub Eugenio Papa, ſibi ipſi adverſatur; dum non niſi anno milleſimo centeſimo quadrageſimoquinto Eugenius ſedere cœpit.

c Vvil le. Tyri lib. 16 c. 4.

Fulco Rex Hieroſol. moritur; Bald. ſuccedit.

d Bern. ep. 289.

JESU CHRISTI ANNUS 1143.	INNOCENTII PAP. II. ANNUS 14.	CONRADI REG. ROM. 5. MANUELIS IMP. 1.

I. Ivo Card. Legatus moritur.

ANNUS Redemptoris milleſimus centeſimus quadrageſimuſtertius ſequitur Indictione ſexta, quo Ivo Cardinalis Legatus in Galliis ex hac vita migravit: cujus occaſione ſanctus Bernardus apud Innocentium Papam calumniam paſſus eſt, quaſi in pauperes ejus bona diſſipaſſet, potiùs quàm legitimè erogaſſet. Quamobrem in ipſum nonnihil commotus eſt atque ſuccenſus. Hac de indignatione Pontificis ubi idem ſanctus Bernardus accepiſſet, epiſtolam apologeticam ad ipſum ſcripſit, qua ſuam cauſam deſcendens, & ſe potenter excuſans, oſtendit ſe nihil in eo peccaſſe, ut ejus indignationem commeruerit. Sed audi tu ipſam: (*e*)

E

e Idem ep. 218.

Domino, & Patri reverendiſſimo Innocentio Bernardus nihilum id quod eſt.

II. S. Bernardus calumniam paſſus ſcribit ad Innoc. Pap.

Putabam me aliquando aliquid vel modicum eſſe, ſed nunc ut ſentio, prorsùs ad nihilum redactus ſum, dum neſcivi. Nec enim me dixerim omninò nihilum tunc fuiſſe, cùm oculi domini mei ſuper puerum ſuum eſſent, & aures ejus ad preces meas; cùm, omne quod ſcriberem,

obviis manibus accepiſſet, & vultu hilari perlegiſſet, benigniſſimè atque pleniſſimè ad omuia poſtulata reſpondens. Modò autem me meritò, non modicum dico, ſed nihilum, qnoniam ab heri & nudiustertius avertit faciem ſuam à me. Cur hoc? quid pecesvi? multùm fateor, ſi pecuniam Cardinalis Ivonis bonæ memoriæ meo arbitrio diſtributa fuit, & non ad nutum ipſius. Quod utique ad aures domini mei fuiſſe perlatum, mihi relatum eſt. Sed confidn, quia nunc hujus rei veritatem cognoſcetis, & veritas liberabit me. Non ſum tàm hebes, ut ignorem Eccleſiæ eſſe, quidquid ille rerum ſuarum non dederit. Sed jam audite ſimpliciter veritatem. Si inventum ſuerit in ore meo mendacium: ipſum os meum condemnabit me.

Quando homo exuit hominem, abſens eram, immò & valdè remotus; audivi autem ab his qui affuerunt, quòd ipſe fecerit ſuum teſtamentum; & quod fecit, fecit & ſcribi; & de rebus ſuis quæ voluit, quibus voluit ipſe diviſit. Quod reſiduum fuit, duobus Abbatibus aſſiſtentibus tunc ſibi, & mihi pariter qui abſens eram, dividendum commiſit, eò quòd nobis nota eſſent loca pauperiora ſanctorum. Porrò Abbates illi domum venientes, & non invenientes me (detinebar enim tunc temporis ex veſtro mandato pacis quærendæ negotiis) nihilominùs pecuniam, ſicut eis viſum eſt, diviſerunt, me non ſolùm non connivente, ſed neſciente quid fecerint. Cedat jam ſi placet, manifeſtæ indignatio veritati; nec mihi deinceps frons rugetur, aut ſupercilium deponatur; ſed ſolita redeat ſerenitas blando & benigno vultui, ac ſuo denuò ſole læta facies induatur.

III. Reſilire ſtatuit S. Ber à litt. dandis ad Papam.

Nam quod item comperi, diſplicuiſſe me in multis ſcriptitationibus meis: hoc me jam metuere non oportebit, quoniam facilè emendabo. Scio, ſcio, præſumpſi pluſquam oportuit, parùm attendens, quis cui ſcriptitare præſumerem. Sed ad id quidem audendum veſtra me armarat benignitas, non negabitis: urgebat deinde charitas amicorum. Etenim perpauca pro me ſcripſi, ſi benè memini. Sed ne quid nimis. Dabo, ſi potero, zelo meo de cætero temperamentum ſcientiam, & ponam digitum meum ſuper os meum. Tolerabilius enim offendam aliquos amicorum, quàm multis precibus defatigem chriſtum Domini. Et nunc quoque non ſum ſcribere auſus vobis de imminentibus Eccleſiæ periculis, & gravi ſchiſmate quod timemus, ac plurimis quæ ſuſtinemus incommodis. Scripſi autem ſanctis Epiſcopis veſtro lateri adhærentibus. Ab ipſis audire poteritis, ſi ſcire placuerit, quæ ſcripſerim ego.] Hactenùs ad Innocentium S. Bernardus. Eſt ultima epiſtolarum ejus, quas ad ipſum ſcripſit.

Accidit planè ſecundùm illud Sapientis: (a) Calumnia conturbat ſapientem,] ut ſanctus Bernardus ob calumniatores apud Innocentium Papam æſtimatione minueretur, adeòque ut tot tantiſq; exhibitis per eumdem Sanctum officiis & beneficiis oblivioni traditis, jam nulla eorum habita ratione, exciderit ipſe è gratia ejus. An autem acceptis his ab eo litteris Innocentius æquiori erga eum animo fuerit, haud nobis compertum habetur. At ſi in terra iſta aruerunt ſata Bernardi, ſtante vento urente: certè alibi quidem collegit ad vitam æternam, quæ non humano, ſed divino intuitu ab eo ſunt jactata ſemina in terram viventium. Sic diſcant homines non ſperare in Principibus, neque in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus.

a *Ecclеſ. 7.*

B

IV. Sed quanto diſcrimini eſſet expoſita Eccleſia Gallicana, niſi Innocentius Papa parceret Regi bis litteris, datis ad quatuor Cardinales Epiſcopos, videlicèt ad Albericum Oſtienſem Epiſcopum, Stephanum Prænestinum, Igmarum Tuſculanum, & Gerardum Cancellarium aperuit. Sunt iſtæ, de quibus ſcripſerat ad Innocentium, quæ ſic ſe habent: (b)

b *Bern. ep. 229.*

Quantum malum ſchiſma in Eccleſia ſit, & quàm ſit deteſtandum, & omnimodis devitandum; evidenter quondam oſtendit famoſa & horrenda mors virorum illorum, quos ob iſtiuſmodi peſtem terra deglutiens, (c) vivos tranſmiſit ad inferos. Oſtendit & illa perſecutio Guibertina, ſive Burdini temeritas, quos noſtra jam tempora experta ſunt, inter regnum & ſacerdotium dividentes plaga penè incurabili, & caſtigatione crudeli. Oſtendit & illa, quæ nuper adhùc poſt multam, & multifariam Eccleſiæ vexationem & vaſtationem, tandem Deo miſerante, finem accepit rabies Leonina. Meritò proinde Salvator in Evangelio: (d) Væ, inquit, homini illi, per quem ſcandalum venit: Væ nobis qui vivimus, plangere quæ pertulimus, dolere quæ ſentimus, timere quæ expectamus. Et quod pejus eſt, ad tàm malum habitum humanæ res devenerunt, ut nec rei humiliari velint, nec judices miſereri. Dicimus iniquis: (e) Nolite iniquè agere: & delinquentibus: Nolite exaltare cornu, & non audiunt nos, quia (f) domus exaſperans eſt. Supplicamus his, quorum eſt peccata arguere, peccantes ſervare, ne calamum (g) quaſſatum conterant, & linum fumigans non extinguant: & magis in ſpiritu vehementi conterunt naves Tharſis. Si denuntiamus filiis cum Apoſtolo, (h) ut obediant patribus per omnia: quaſi aerem verberamus. Si patribus loquimur, (i) ne ad indignationem provocent filios; in nos potiùs eorum indignationem provocamus. Nec delinquentes ſatisfacere, nec rectores ſeu correctores condeſcendere ullatenùs acquieſcunt: omnes ſuum ſtomachum ſequuntur, & totis viribus funem in diverſa trahentes rumpunt.

c *Num. 16.* De Schiſmate imminente epiſtol. S. Bernar.

d *Luc. 17.*

e *Pſal. 74.*

f *Ezech. 2.*

g *Iſai. 4*

h *Coloſſ. 3.*

i *Ephеſ. 6.*

V. Heu necdum recenti Eccleſiæ plagæ cicatrix occalluit, & rursùm ſcindere parant, rursùs corpus Chriſti affigere Cruci, rurſus fodere latus innoxium, rursùs veſtimen-

to

Digitized by Google

ta dividere, atque ipſam (quod in ipſis eſt) tunicam inconſutilem, quamvis fruſtra, dirumpere ſatagunt. Si qua in vobis ſunt viſcera pietatis, tantis vos opponite malis, ne in illa præcipuè terra ſciſſura fiat, in qua ſolent (ſicut optimè noſtis) ſciſſuræ aliæ reſarciri. Nam ſi auctor ſcandali ore (a) ſingulariter Judicis tremendo addicitur maledicto; quibus putamus benedictionibus dignos hujus nequitiæ fugatores & propugnatores?

a *Matt.* 18.

De duobus non excuſamus Regem. Nam & juravit illicitè, & perſeverat injuſtè. Verùm id non voluntate, ſed verecundia. Nam probro ducitur (ſicut optimè noſtis) apud Francigenas juramentum ſolvere, quamlibet malè publicè juratum ſit: quamvis nemo ſapiens dubitet, illicita juramenta non eſſe tenenda. Verumtamen ne in hoc quidem excuſari poſſe fatemur. Neque enim excuſare nos, ſed veniam poſtulare ſuſcepimus. Vos videte, an excuſare aliquatenùs eum poſſit ira, ætas, majeſtas. Poterit ſine dubio, ſi miſericordiam judicio ſuperexaltandam decernatis; quatenùs videlicèt talis aliqua conſideratio in Rege & puero habeatur, ut hac ei vice tali quidem tenore parcatur, quod tale aliquid de cætero non præſumat. Parcatur ſanè dixerim, ſi fieri poſſit, ſalva in omnibus Eccleſiæ libertate, ſimul & Archiepiſcopo debita veneratione ſervata, quem manus Apoſtolica conſecravit. Hoc ipſe Rex humiliter petit, hoc noſtra univerſa Citramontana nimiùm jam afflicta Eccleſia ſuppliciter deprecatur. Alioquin damna manus morti, tabeſcentes & areſcentes præ timore & expectatione, quæ ſupervenerunt univerſo Orbi. Siquidem deprecatio mea ſuper hoc ab anno priore, & peccatis meis exigentibus, deprecationem meam non exauditio, ſed indignatio; indignationem autem deſolatio penè univerſæ terræ ſecuta eſt. Si quid zelo urgente erupit, quod non fuit, aut ſecus quàm fuit dicendum: ſit quæſo apud vos quaſi nō dictum. Ubi verò dixi quod oportuit, & ubi oportuit dici: ſit non fruſtrà dictū.] Hucuſque S. Bernardus ad Epiſcopos.

Quæ in Regē obiiciantur.

VI. Sed eodem pariter anno Ludovicus Rex Francorum magis exaſperatus, in Comitem Theobaldum furorem convertens, in ejus Comitatum arma movit, illudque crudelitate ſumma memorabile facinus perpetravit, de quo ita apud Sigebertum hoc anno: Ludovicus Rex Vitriacum caſtrum Comitis Theobaldi capit, ubi igne admoto, Eccleſia incenſa, & in ea mille trecentæ animæ diverſi ſexus & ætatis ſunt igne conſumptæ. Super quo Rex Ludovicus miſericordia motus, ploraſſe dicitur. Ea hac de cauſa peregrinationem Hieroſolymitanam aggreſſus à quibuſdam exiſtimatur.] At non iſta tantùm, ſed alia pleraque nefanda idem Rex ſolutus timore Dei pro perturbati animi voluntate geſſit, quæ ſanctus Bernardus, ſcribens ad eum (b) litteras, redarguit. Habet enim hæc inter alia:

Ludovicus debacchatur in comitatū Theobaldi.

b *Bern. ep.* 221.

VII. "At quidquid vobis de regno veſtro, de anima & corona veſtra facere placeat: nos Eccleſiæ filii matris injurias, contemptum & conculcationem omninò diſſimulare non poſſumus, quæ illi præter illa, quæ in eam jam præceſſiſſe miſerabiliter plangimus, iterùm de novo partim inferri, partim imminere ſentimus. Profectò ſtabimus & pugnabimus uſque ad mortem, ſi ita oportuerit, pro matre noſtra armis quibus licet, non ſcutis & gladiis, ſed precibus fletibuſque ad Deum. Et ego quidem, qui me memini præter quotidianas preces, quas pro pace & ſalute veſtra atque regno, coram Domino ſupplex, ipſo teſte, fundebam: etiam apud Sedem Apoſtolicam litteris & nuntiis cauſam veſtram egiſſe (fateor) uſque penè ad propriæ conſcientiæ læſionem & ipſius ſummi Pontificis juſtam (quod diffiteri non debeo) contra me indignationem. Ego, inquam, aſſiduis veſtris, quos innovare quotidiè non ceſſatis, exceſſibus provocatus, dico vobis, incipio pœnitere ſuper inſipientia mea priori, quæ plus juſto veſtræ adoleſcentiæ hucuſque favi. Et de cætero pro mea exiguitate non deero veritati. Non tacebo, quòd cum excommunicatis iteratò fœdus, & ſocietatem inire fatagitis: quod in necem hominum, combuſtionem domorum, deſtructionem Eccleſiarum, diſperſionem pauperum, raptoribus & prædonibus (ſicut dicitur) adhæretis, juxta illud Prophetæ: (c) Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas: quaſi non ſatis per vos mala facere valeatis. Non ſilebo, quòd illicitum illud maledictumque juramentum inconſultiſſimè uſurpatum à vobis contra Bituricenſem Eccleſiam (pro quo heu tot, & tanta mala jam nunc meritò provenerunt) non ita tandem corrigitis, ut Chriſti ovibus apud Catalaunum paſtorem præfici non ſinatis: inſuper & fratri veſtro, ejuſque militibus ſagittariis baliſtariiſque domos Epiſcopales contra jus & fas inhabitandas, & res Eccleſiæ in hujuſmodi nefandos uſus profligandas, audacter nimiùm exponitis. Dico vobis, non erit diu inultum, ſi hæc ita facere pergitis. Et ideò domine mi Rex, amicabiliter moneo vos, & fideliter conſulo vobis, ut citiùs ab hac malitia deſiſtatis, ſi fortè jam ferire paratis manum, Ninivitæ Regis exemplo, pœnitentia & humilitate prævenire poſſitis. Dura loquor, quia duriora vobis formido. Sed mementote à Sapiente dictū: (d) Meliora eſſe vulnera amici, quàm fraudulenta oſcula inimici.] Hæc ad Regem Bernardus, alter noſtri temporis Elias, non parcens Regi per devia gradienti: ad quem rurſus eodem argumento aliam unà cum Hugone Antiſiodorenſi Epiſcopo ſcripſit (e) epiſtolam. Pro quo cùm (ut vidimus) ſcripſiſſet ad Innocentiū Papam, rogans ut indulgeret ipſi, & paterno amore pateretur, quę peccaſſet in Apoſtolicā Sedē, ejus præcepta implere nolens: quod ipſe ſe Rex nec ſic reſipuerit, ſed magis magiſq; deſiperet, & deteriora in dies addere non prætermitteret; hæc pro ſui excuſatione ad Stephanum Cardinalem

S. Bernardus pro læſa Eccleſia conſurgit in Regem.

c *Pſal.* 49.

d *Prov.* 27.

e *Bern. ep.* 225.

a *Id ep.* 224. A Epiſcopum Prænêſtinum Papæ (*a*) legenda conſcripſit, qui ipſi Papæ non ampliùs à ſe ſcribendum fore (ut vidimus) animo propoſuerat:

VIII. b *Hierem.* 18. Loquitur (*b*) Hieremias ad Deum pro adverſariis ſuis ita dicens; Recordare Domine, quòd ſteterim in conſpectu tuo, ut loquerer pro eis bonum, & averterem indignationem tuam ab eis. Et infert: Propterea, inquit, da filios eorum in famem, & deduc eos in manus gladii: & adhùc alia in hunc modum æquè gravia imprecatur illis. Quod propterea nunc apud veſtram reverentiam memorandum putavi, quoniam ſimile mihi aliquid cum Propheta video accidiſſe.

Bern. ad Stephanū Cardinalē cōtra Reg. Franc.

Vos enim ſcitis, quomodò ego quoque pro Rege ſteterim in conſpectu domini mei: corpore quidem abſens, ſed præſens ſpiritu, ut loquerer pro eo bonum; bona ſiquidem pollicebatur. Nunc autem ipſo reddente pro bono malum, cogor contraria ſcribere. Pudet erroris & falſæ ſpei, quam de eo conceperam, & gratias ago, quòd pro eo ſimpliciter ſupplicans, non fuerim exauditus. Putabam me deferre Regi pacifico: & ecce invenio, graviſſimo hoſti Eccleſiæ aſſentaſſe. Conculcantur apud nos ſancta, Eccleſia turpiter ancillatur. C Nam & electiones Epiſcoporum prohibentur fieri, & ſicubi id præſumptum à clericis fuerit, Electus epiſcopari non ſinitur. Denique ſedet in triſtitia Eccleſia Pariſienſis, proprio deſtituta paſtore; & nemo eſt qui de ſubſtituendo alio mutire audeat. Non ſufficit ſpoliari bonis præſentibus domos Epiſcopales: etiam in terras, & in homines manus ſacrilega circumquaque deſævit, totius inſuper anni ex eis ſibi redditus vendicando. Veſtra Catalaunenſis fecit quidem electionem, ſed qui electus eſt, ecce jam diebus multis debito honore fruſtratur, D & ſcitis quam non abſque gravi gregis Dominici detrimento. Commiſit Rex germano ſuo Roberto vices Epiſcopi, & ille in cunctis terris, rebuſque Eccleſiæ poteſtativè verſans, & pro vice ſua ubique haud ſigniter agens infert cœlis quotidianas hoſtias, non planè pacificas, clamores pauperum, lacrymas viduarum, planctus orphanorum, gemitus compeditorum, & ſanguinem interfectorum. Verùm anguſtus eſt malitiæ ejus ille Epiſcopatus: Rhemenſem invadit, atque in terra ſanctorum iniqua gerit, non clericis, non monachis, non ſanctimonialibus parcens. E Denique ſanctæ Mariæ, ſancti Remigii, ſancti Nicaſii, ſancti Theodorici terras fructiferas, & villas populoſas ita in ore gladii devaſtavit, ut penè in ſolitudinem redegerit univerſas. Frequens in omnium auribus vox:

c *Pſal.* 82. (*c*) Hæreditate poſſideamus ſanctuarium Dei. Sic Rex emendat, quod in Eccleſiam Bituricenſem Herodiano juramento commiſit.

IX. Præterea Rex, nobis quidem non parum laborantibus, pacem cum Comite Theobaldo fecerat, firmæ, ut putavimus, amicitiæ A fœdus inierat: & ecce occaſiones quærit, quomodò recedat ab amico. Atque hoc grande crimen, quod impingitur Comiti, quia cum Baronibus Regis de liberis ſuis contrahit matrimonia. Suſpecta eſt illi dilatatio charitatis, nec ſe putat Regem, ſi ſe amaverint Principes. Coniiciat prudentia veſtra quid animi erga ſubditos gerat, qui de odio atque diſcordia, ſi fuerit inter ſuos, ſe æſtimat fortiorem. Videat & perpendat, ſi eſt hic homo à Deo, qui in ſuorum magis mutua ſimultate quàm charitate confidit, cùm charitas ſit Deus. Quod minimè faceret, ſi ſapientiam illius haberet, qui ait: B (*d*) Fortis eſt ut mors, dilectio, dura ſicut infernus æmulatio. Præterea ergo pacis cōventiones, & conſtitutiones manifeſtè tranſgreditur, nec tenet pacta ſua, quæ diſtinxerunt labia ſua. Deniq; revocavit in domum ſuam, & ad conſilium ſuum virum adulterū & excommunicatum, *nempè Radulphum Comitem*, quem ex conſtituto ejecerat, & pro exercenda majori malitia, aliis multis nequam æquè excommunicatis, perjuris, incendiariis, homicidis Rex & Advocatus Eccleſiæ adverſùs Eccleſiæ (quod non eſt dubium) amatorem & defenſorem denuò ſociatur, juxta illud Prophetæ: (*e*) Si videbas C furem, currebas cum eo; & cum adulteris portionem tuam ponebas. Ad hæc cogit ſuo more Epiſcopos ad maledicendum benedicendis, & iterùm benedicendum maledicendis. Et quoniam non obtemperatur pro ſuo libitu ſibi: circuit mare & aridam, ut inveniat juratores, quorum perjuriis, quos fortaſſis Deus conjungit, per homines ſeparentur. Qua fronte obſecro, tantoperè aliis præſcribere de conſanguinitate laborat homo, cum ſua (quod palàm eſt) tertio conſanguinitatis gradu fermè permanens conſobrina? Et quidem inter filiū Comitis Theobaldi, & Comitis Flandrenſis filiam, & item D inter Comitem Sveſſionenſem, & filiam Comitis Theobaldi, ſi conſanguinitas ſit, neſcio (ſcienter enim illicita matrimonia nec laudavi umquam nec laudo) ſed ſciatis vos, & ſciat dominus meus, prohiberi horum nuptias. Si quo modo conjungi fas fuerit, exarmare Eccleſiam eſt, & multam illi ſubtrahere fortitudinem. Nec aliam puto adverſantium ipſis nuptiis intentionem, niſi ut in terris præfatorum Principum non poſſint habere refugium, quicumque ſudebunt contradicere ſchiſmati quod minantur. Hucuſq; zelus meus. Non poſſum enim ego emendare, quod potui redarguere, E potui & commonere eum qui poſſit. Zelus domini mei faciet hoc. Ipſum duxi neceſſarium in magno Eccleſiæ labore atque periculo compellandum, & per nullum dignius, quàm per vos, qui ejus lateri & ſpiritui adhæretis. Apud quem quæſo habete me excuſatum, quòd Regem mutato, mutaverim ſtylum, qui ad ipſum Deum Dei Prophetam dixiſſe ſcitis: (*f*) Cum viro innocente innocens eris, & cum perverſo perverteris.] Hæc Bernardus ad Innocentium per Stephanum Cardinalem inſinuanda.

Querela de diſſolutis per Regem matrimoniis.

d *Cant.* 8.

e *Pſal.* 49.

f *Pſal.* 17.

Porrò

X. Porrò Innocentius hoc tempore adverſùs Romanos Senatum reſtituere ſatagentes laboravit uſque ad mortem: ſiquidem in his laboribus diem clauſis extremum octavo Kal. Octobris, cùm (ut ait (a) Otto Friſingenſis) invaleſcente populo, dum perficere non poſſet, ut eos ſcilicèt impediret, lecto cubans, in pace quievit, cùm ſediſſet annos treſdecim, & menſes ſeptem. Hic autem inter alia religioſa opera pro Eccleſiis impenſa, reſtauravit collapſum tectum Lateranenſis baſilicæ, ad quod opus miſſæ ſunt trabes è Calabria à Rogerio Siciliæ Rege, qui & alia munera eidem Eccleſiæ contulit. Hæc ex ſcripto codice Archivi Lateranenſis, ubi itidem legitur, ipſum ſepultum fuiſſe in eadem baſilica in porphyretico mauſoleo, in quo olim ſepultus fuerat Hadrianus Imperator. Idemque Pontifex baſilicam S. Mariæ, quæ dicitur Calliſti trans Tiberim, reſtauravit, & apſidem ex muſivo picturis ornavit, ut verſus in ea intexti eodem opere uſque hodiè docent. Item tectum baſilicæ S. Pauli reſarcivit, & Eccleſiam muris munivit; inſuper & Eccleſiam S. Stephani in monte Cęlio vetuſtate labantem reparavit.

Obitus Papæ Innoc.

a Otto Friſ. l.7.c.27.

A B

XI. De eodem inſuper Pontifice hæc in Vaticano codice ſcripta leguntur: Hic beatus Pontifex annualem cenſum, centum videlicèt librarum Papalis monetæ Iudicibus & Advocatis Romanæ Urbis de Camera ſua conſtituit, & eos ejuſmodi juramentum exhibere mandavit.

Juramentum Advocatorum. Juramentum quod præſtiterunt Advocati conſtituti à Papa Innocentio Secundo.

In nomine Domini Amen. Ego N. Advocatus juro, quòd ab hac hora in anteà placita vel negotia Romanorum, in quibus Advocatus ero, vel Patronus Romanos malitioſè non impugnabo vel defendam: ſed pro conſcientia à Deo mihi præſtita, ſecundùm conſtitutiones & leges ac bonos mores ea tractabo. Et poſtquàm juſtitia de iiſdem cauſis à me cognita fuerit, ſi requiſitus fuero; judicibus patefaciam, & eis in ipſo judicio aſſenſum meum adbibebo. Pretium exinde non accipiam, nec per me, nec per interpoſitam perſonam ſuſcipi permittam. Et ſi ſuſceptum fuerit, poſtquàm ſcivero, infra xv. dies illud reddi faciam. Et patrocinium meum alicui habenti cauſam, ſi ab eo rogatus fuero, malo ſtudio non negabo: ſalvis beneficiis quæ habemus ab Eccleſiis, vel aliis, & exceptis ſententiis valentibus duodecim denarios, quæ gratìs & ſine exactione nobis offeruntur. Hæc omnia obſervabo bona fide, ſine fraude & malo ingenio, quamdiu Papa Innocentius, vel ſucceſſores ſui cenſum centum libras valentem denariorum Papalium nobis Advocatis & Judicibus annis ſingulis ſolvere perſeverabunt.] Hæc ibi. Et in fine: Hic ordinationes fecit permultas per Decembrem & alios menſes, & diaconos in eis creavit decem & octo, presbyteros viginti, & Epiſcopos ſeptuaginta duos, quos per diverſa loca conſtituit.] Hæc ibi. Reliquit nondum penitùs abſolutam quam reſtituebat baſilicam Calliſti, titulo ſanctæ Mariæ nobilitatam, quam germanus ejus Epiſcopus Albanenſis abſolvit: qui & corpus ejus in eadē baſilica intra majorem portam ſepelivit, hoc ſepulturę ſimplici indito Epitaphio.

C

Epitaphiū Innoc. Pap. HIC REQVIESCVNT VENERABILIA OSSA SANCTISSIMÆ MEMORIÆ DOMINI INNOCENTII PAPÆ SECVNDI DE DOMO PAPARESCORVM, QVI PRÆSENTEM ECCLESIAM AD HONOREM DEI GENITRICIS MARIÆ SICVT EST A FVNDAMENTIS SVMPTIBVS PROPRIIS RENOVAVIT.

Cætera legi non poſſunt, quæ notis numeri videntur appoſita. Porro ipſius Innocentii imaginem muſivo opere expreſſam invenies in apſide à dextro ipſius latere, quæ referat hominem ætate virentem.

D

XII. Elapſo autem die ab obitu Innocentii, Guido de Caſtello presbyter Cardinalis tituli S. Marci, creatus eſt ſummus Pontifex, nominatuſque Cæleſtinus Secundus. Quod enim imminebat à Romanis civile bellum ob Senatum reſtitutum in priſtinum conſervandum, in cauſa fuit, ut Cardinales abſque mora ſine diſſenſione & controverſia unanimi conſenſu convenerint, atque crearint citò Pontificem. extat Petri Cluniacenſis de electione ejuſdem Cæleſtini ad ipſum ſcripta epiſtola iſtis verbis: (a)

Cæleſtinus Pap. II. creatur.

E

b Pet. Clun. l.5.ep.17. Univerſali Pontifici & ſpeciali Eccleſiæ Cluniacenſis patri domino Papæ Cęleſtino Frater Petrus humilis Cluniacenſiū Abbas ſincerum amorem & plenam obedientiam.

Benedictus Dominus Deus noſter, qui memor verbi ſui, in quo nobis ſpem dedit, more ſuo nullatenùs ſe oblitum verborum ſuorum etiam hoc tempore monſtravit, quibus ſuos ab ipſis recedens conſolari dignatus eſt, dicens: (b) Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi. Apparet hoc in innumeris ſuæ gratiæ donis: apparet hoc nunc ſpecialiter & in vobis, quem his noſtris diebus ſummum Pontificem, animarum noſtrarum cuſtodem, totius Eccleſię ſuę adhùc in terris peregrinantis, hoc eſt unicæ columbę inter corvos gementis Pręſulem propitia mortalibus divina benignitas cōceſſit. c Matt. 28.

Non hoc (ut jam nobis relatum eſt) humanus faſtus, non ſibi providens humana cupiditas, non Romanus turbo ſæpè auditus, Orbemque terrarum ſuo impulſu concutere ſolitus effecit; ſed adverſa pacificans, diverſa uniens, diſciſſa redintegrans, Spiritus ille qui ubi vult ſpirat, velut in ſibilo auræ tenuis, juxta verbum Domini factum ad Eliam, leniter adimplevit, Gaviſi ſumus audientes iſta, & in immenſum cor noſtrum exhilaratum eſt, agnoſcentes,

Pacifica creatio Cæleſtin. II.

ſcentes, non in armis, non turribus, non minacibus agminibus rem divinam tutati, ſed ſola miſericordis Domini manu & ſuavi protectione ad pacem compoſitam eſſe. Agnovimus verè quod agnoſcendum erat, imperaſſe Chriſtum ventis & mari, & factam eſſe inſolitam tranquillitatem: ſtatuiſſe procellam maris in auram, & ſiluiſſe fluctus ejus. Et hoc quis non miretur? Quis inquam hoc non miretur, à tempore Alexandri Secundi Papæ, per Gregorium, Urbanum, Paſchalem, Gelaſium, Calliſtum, Honorium, Innocentium ſummos Eccleſiæ Dei ac præclaros Pontifices, quantum ad eorum promotionem pertinet, Eccleſiaſticam pacem pertranſiſſe; ſed in nullo eorum præter vos quieviſſe? Nec adeò lapidei ſumus, ut non ſentiamus, nec adeò bruti, ut non intelligamus eum, ſine cujus nutu, ut legitur, nec paſſer ad terram, nec ſolium cadit arboris: non ſine cauſa, non ſine certo inexhauſtæ ſapientiæ conſilio hanc pacem eorum primordiis ſubtraxiſſe, veſtris contuliſſe: quam eſſe illam puto, & hanc vobiſcum ſemper durare confido, de qua in Pſalmis Propheta: (a) Secundùm multitudinem, inquit, dolorum meorum in corde meo conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Credo enim & ſpero in Deo ſalutari meo, quòd qui principiis veſtris dedit tàm amabilem pacem: dabit & fini ſuo tempore commendabilem laudem. Lætabitur ſub umbra alarum ejus vobis amodò ſubditus Orbis terrarum, & ſe tantos Fidei ſuæ patres, Apoſtolicos viros, Confeſſores dico, & quod majus eſt, Martyres, vel quod excellentius eſt, ipſos Apoſtolorum ſummos Petrum & Paulum, immò ipſum Chriſtum in vobis ſolo ſe habere gloriabitur. Gaudebit, & jam ineffabiliter gaudet, licèt non numero, tamen virtutibus, puſillus grex veſter Cluniacenſis, qui obedientiam, qui ſubjectionem, qui (quod majus eſt) dilectionem, quia per ſeipſum non poteſt, ore proprio per has litteras vobis ingerit, & ſe totum licèt abſens, Sanctitatis veſtræ pedibus ſubiicit.

a Pſal. 93.

XIII. Certitudinem electionis veſtræ, & collati à Deo Apoſtolatus ſerò accepi: ideircò tardè reſcripſi. Nam diu variante fama, vix in vigilia ſancti Andreæ epiſtolam veſtram mihi & Conventui miſſam ſuſcepi, atque die ipſa publicè in Capitulo lectam tàm litteratis quàm illitteratis (quos Converſos vocamus) expoſui. Audita eſt & verè ſuſcepta ab omnibus filiali affectu; quod vobis melius ore proprio, vel nuntiorum proximè per Dei gratiam indicabo. Habeo enim omnimodam voluntatem veniendi ad vos, & novum quidem Patrem, ſed antiquum amicum amore & honore debito viſitandi. Faciam hoc ſi congruè potuero, ſi non, per noſtros, cùm proximè vacaverit, Chriſti juvante gratia, viſitabo. Commendo interim paternitati veſtræ negotium Fratris præſentium latoris, ut illud benignè & ad commodum Eccleſiæ ejus, quantum juſtitia permiſerit, audiatis & definiatis. In fine quas poſſum gratias ago, quod ſicut mihi relatum eſt, & in litteris veſtris legi, quaſdam alias cauſas beatæ memoriæ prædeceſſori veſtro directas benignè accepiſtis, ſicque definiſtis, ut in ſententia ſucceſſoris non ſit lugenda ſancti mors prædeceſſoris.] Hucuſque Petrus.

Ad hunc eumdem Cæleſtinum Papam extant litteræ ſancti (b) Bernardi pro electo Eboracenſi adversùs intruſum hominem nefandiſſimum, de quo etiam litteras idem dedit ad S. R. E. Cardinales. (c)

b Bern. ep. 224.

c Id. ep. 235

XIV. Pax compoſita inter Franc. Reg. & Papam.

Hoc pariter anno diſſidia fuiſſe compoſita inter Regem Francorum & Romanum Pontificem, teſtatur Robertus in Chronico appendice ad Sigebertum: quibus autem conditionibus ignoratur.

Conc. Lódonien.

Itemque eodem anno Londoniæ in Anglia celebratur Concilium pro libertate Eccleſiaſtica exule jamdiu reſtituenda, de quo Rogerius in Annalibus his verbis: Anno gratiæ milleſimo centeſimo quadrageſimotertio, qui erat annus octavus regni Regis Stephani, Rex Stephanus interfuit Concilio Londoniæ in media Quadrageſima. Quo quia nullus honor vel clericis, vel Eccleſiæ Dei à raptoribus deferebatur, & æquè capiebantur & redimebantur clerici ut laici: tenuit idem Vvintonienſis Epiſcopus Urbis Romanæ Legatus Concilium apud Londonium, clericis pro tempore neceſſarium, in quo ſancitum eſt, ne qui alicui clerico violentas manus injecerit, ab alio poſſit abſolvi, quàm ab ipſo Papa, & in præſentia ipſius. Unde clericis aliquantum ſerenitatis vix tandem illuxit.] Hæc Rogerius.

Hoc eodem anno ex hac vita ſublato Radulpho Antiocheno Patriarcha, propinato illi veneno, in locum ipſius ſubrogatus eſt Haimericus Decanus ejuſdem Eccleſiæ: Ita ex Tyrio.

XV. Moritur Joannes Imp. Manuel. ſuccedit.

Quod item ad res pertinet Orientis; hoc anno menſe Aprilis moritur Joannes Imperator, relinquens Manuelem filium ſuum hæredem Imperatorem. Ita quod tempus ſpectat, Nicetas, qui ejus Imperio tribuit annos vigintiquatuor & menſes octo. Idem (d) Otto Friſingenſis. Ex quibus corrigas errorem illapſum in (e) Vvillelmum Tyrium, dum apud ipſum legitur ipſe Joannes defunctus anno milleſimo centeſimo trigeſimooctavo, imperaſſe annos vigintiſeptem: ineſt enim utrobique error, qui ex dictis auctoribus & aliis arguatur; immò ab ipſomet Tyrio, qui cùm ut alii, Joannis ingreſſum ponat anno milleſimo centeſimo decimooctavo: ſi eidem numero addas, quos ponit Joannis Imperii annos vigintiſeptem, non trigeſimooctavo, ſed quadrageſimoquinto poſt centeſimum milleſimum eum defunctum oportuiſset aſſerere; cùm tamen anno trigeſimooctavo apud ipſum legatur Joannes eſse defunctus. Porrò quod ad genus mortis pertinet ejuſdem Joannis Imperatoris, nonniſi divina contigiſse vindicta hiſtorici omnes tàm Græci quàm Latini affirmāt. Cùm enim

d Otto Friſing. lib. 7. c. 28.

e Tyr. lib. 15. c. 23. in fine.

Digitized by Google

enim à Latinis abripere Antiochiam pertentaſſet, & quamvis monitus ab Innocentio Romano Pontifice per Legatum Epiſcopum Gabulenſem, minimè deſtitiſſet, immò acerbiùs deſævisſet etiam in viros ſanctiſſimos (ut teſtatur Otto) eremum incolentes: factum eſt, ut poſt obitum duorum filiorum, quo potuiſſet à cœptis deſiſtere ita admonitus, ſuæ ipſius ſagittæ venenatæ vulnuſculo, cùm in venatione ea, pharetra everſa, caderet, ſibi ipſi mortem intulerit. Poſt autem ejus obitum Manuel ipſe patris judicio comprobatus regendas ſumpſit habenas Imperii. Huic novo Imperatori Conradus Rom. Rex matrimonio junxit ſororem conjugis ſuæ. Intercurrerant ea de re jam ad patrem Joannem Imperatorem litteræ per nuntios Embriconem Herbipolenſem Epiſcopum, & Robertum Principem Capuanum, & aliæ poſteà ad eumdem Manuelem Comnenú miſſæ. Recitat eas Otto Friſingenſis. (a)

a Ott. Friſ. de geſt. Frider. lib. 1. c. 23. 24.

XVI. Leonis Patriarchæ obitus.

Hoc eodem anno ipſis primordiis Manuelis Comneni Imperatoris moritur Leo Stypiota Patriarcha Conſtantinopolitanus, ut teſtatur Nicetas Choniata. De eodem Leone Theodorus Balſamon meminit, dum interpretatur ſancti Baſilii epiſtolam Canonicam ad Amphilochium, & in canone octogeſimotertio agit adversùs eos, qui more Gentium exercent vaticinia ac veneficia, quorum occaſione ſubiicit hanc narrationem: Cùm enim beatæ in Domino vitæ conjux domini Alexii Comneni filii incliti Imperatoris in gravem morbum incidiſſet, & medici de ejus ſanitate deſperaſſent propter multiplicium morborum contrarietatem: quidam Ethnici ſe eam curaturos profeſſi, utpotè quæ magicis artificiis laboraret: effecerunt ut multæ & admirandæ ejus fœminæ, & viri etiam exanimarentur. Cùm autem proiiciebant imagines ex cera factas; & ſatanicè eorum contrectationem & inventionem ſignificabant, atque alia multa gravia fecerunt in Dei contemptum, & multorum hominum ſupplicium; & ipſi quidem impii, cùm rem afficere non potuiſſent, evanuerunt. Nobiliſſima autem illa mulier non modò nihil adjumenti adepta eſt, ſed etiam diuturno morbo vexata vita exceſſit, maloà ſe ſuſcepto viatico, divinorum ſcilicèt canonum adversùs ſe indignatione, quam Deus propter alia ejus bona opera allevare dignetur. Poſt ejus autem mortem tempore ſanctiſſimi Patriarchæ domini Leonis * Styppæ, nonnulli quidem ejus cognati & etiam ſubditi graviter puniti ſunt, ut qui ſæpiſſimè vaticinati eſſent, & ſatanicæ nefariæ operationi toto animo credidiſſent. Alii autem mediocri ſupplicio curati ſunt, ut qui non ſæpè, nec ex animo malum illud ſecuti eſſent. Eſt itaque canon attendendus, & Dei judicio relinquenda ægrotantium cura, qui ſolo verbo diſſolutas carnes aſtringit & colligat; nec tradere ſe oportet ſatanicis impoſturis, quæ non ſolùm corporum ſanitatem auferunt, ſed etiam animarum.] Hæc Balſamon occaſione Leonis Patriarchæ ejuſdem canonis acerrimi vindicis. Extat ejuſdem Leonis decretum de nuptiis duorum fratrum in Codice juris Orientalis, nec non Arſenii, qui poſt ipſum Patriarchã vixit, licèt in catalogis Patriarcharum Conſtantinopolitanorum nulla de eo fit mentio. At Nicetas affirmat ſubrogatum poſt Leonem Michaelem monachũ monaſterii Acuti, ſic dicti, virum (ut ait) virtute celebrem, & noſtris litteris eruditum.] Hic ipſe dictus eſt etiam cognomento Oxytas, quòd ex Oaya inſula, in qua ſuum erat monaſterium, eductus eſſet. In ſerie Patriarcharum ponitur hic ſediſſe annos duos & menſes octo, indeque ſe abdicaſſe, ut ſuo loco inferiùs dicturi ſumus.

* al. Stypiotæ

JESU CHRISTI ANNUS 1144. | LUCII PAP. II. ANNUS 1. | CONRADI REG. ROM. 6. MANUELIS IMP. 2.

I. Cæleſtini II. Pap. obitus.

Milleſimus centeſimus quadrageſimusquartus, Indictione ſeptima, ſequitur annus, quo Cæleſtinus Papa, ubi ſediſſet menſibus quinque & diebus decem & tribus, obiit octavo Idus Martii. Ita Vaticanus codex de vitis Pontificum, ubi & iſta notata habentur: Hic fecit ordinationem per menſem Decembrem, in qua creavit diaconos ſeptẽ, presbyteros per diverſa loca, & Epiſcopos per diverſa loca..... Defunctus eſt apud Palladium octavo Idus Martii, & in Eccleſia Lateranẽſi tumulatus.

Lucii Pap. II. creatio.

Cùmque vacaſſet Sedes die una, ſuffectus eſt in locum ipſius Gerardus Camerarius presbyter Cardinalis tituli ſanctę Crucis in Hierusalem, ex ordine Canonicorum regularium, cujus primordia hæc deſcribuntur in dicto codice Vaticano: Hic fuit ex provincia Æmiliæ, patria Bononienſis, ex patre Viſeo. Hic aſſumptus eſt à domino Papa Honorio in titulo ſanctæ Crucis, & creatus Romanæ Eccleſiæ Bibliothecarius, ſuamque Eccleſiam ſicut bonus paſtor, tàm in ædificiis, quàm in poſſeſſionibus multùm ac plurimùm augmentavit, & divitem de pauperrima fecit. Fabrica autem ipſius Eccleſiæ à ſummo uſque deorſum in melius reformata, & Clauſtrum cum omnibus officinis de novo ædificavit, & Conventum ibidem Canonicorum regularium, Deo auctore, conſtituit. Hunc autem præclarum virum pro ſcientia & vitæ ſuæ meritis Papa Innocentius poſt mortem Haimerii Cancellarii arctiùs ſibi aſtrinxit, & Cancellarium Apoſtolicæ Sedis conſtituit, atque in obitu ſuo tamquàm præcipuo & digniori Eccleſiæ membro bona Eccleſiæ commiſit. Hic tamquàm

vir

vir prudens & fortis, habito cum Eccleſiæ fidelibus conſilio, Senatores, qui contra prohibitionem prædeceſſoris ſui Papæ Innocentii Capitolium conſcendere, Senatum abjurare coegit:] tamen ab hoc anno tempus reſtituti Senatus eos numerare conſueviſſe; ipſorum publica monimenta docent inferùs recitanda.

Tempus reſtituti Senatus.

Repentina ægritudine occupatus convaluit, ut patet ex litteris ejuſdem Lucii, quibus narrat ſibi etiam laborandum adversùs Rogerium Siciliæ Regem, quem patiebatur infeſtum: de his enim & aliis hæc ſcripſit ad Petrum Cluniacenſem Abbatem: (a)

a Pet. Clun. l. 5. ep. 19.

II. Lucius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Petro Cluniacenſi Abbati ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem:

Lucii Pap. epiſtola de rebus ſuis.

Dilectionis tuæ litteras debita benignitate ſuſcepimus, & petitiones tuas, quæ nobis & fratribus noſtris rationabiles viſæ ſunt, libenter admiſimus. De ſtatu verò noſtro te ſollicitum cognoſcentes, ſcire te volumus, quia omnipotens Dominus ſua nos gratia viſitavit, caſtigans caſtigavit, ſed morti non tradidit. Per ipſius miſericordiam convaleſcimus, & priſtinam ſanitatem in brevi nos recepturos ſperamus. Ad colloquium Regis Siciliæ condeſcendimus; & quia ad honorem Dei & Eccleſiæ ſuæ firmam pacem cum eo facere non potuimus: inſtanti tamen ipſius violentia nos cogente, treugam cum eo compoſuimus. Placet autem nobis, ut ſicut litteris tuis nobis ſignificaſti, treſdecim de Fratribus tuis, quàm citius poteris, ad nos tranſmittas: quia nos, Domino auxiliante, eos honeſtè recipere, & ad honorem Dei & Cluniacenſis Eccleſiæ collocare curabimus. Sanctam Congregationem veſtram pro nobis orantem gratia divina cuſtodiat, & ab omnibus peccatis abſolvat. Datum Laterani decimo Kalendas Octobris.] Hæc Lucius Papa ad Petrum Abbatem Cluniacenſem. Quæ autem ſtabilita fuerint inter Regem Rogerium & Romanum Pontificem pacta, dicetur inferiùs ex litteris Romanorum ad Conradum. Porrò Petrus ipſe, ubi idem Lucius creatus eſt Pontifex, ad eum in Urbem venerat, eoque ſalutato rediens Cluniacum, de reditu ſuo & ſtudio Cluniacenſium erga eum, deque monachis illi mittendis ad eumdem Papam epiſtolam (b) ſcripſerat, quæ extat: ad quam Papa recitatas ſuperiùs litteras reddidit.

b Idem l. 5. ep. 18.

III. Miſit ex juſſione ejuſdem Pontificis treſdecim monachos Cluniacenſes Petrus, ac per ipſos (c) litteras dedit ad eumdem Lucium Papam, quibus eos mirum in modum commendavit, rogans, ne dividerentur ab invicem. Hos ergò Lucius Papa collocavit Romæ in famoſo monaſterio S. Sabbæ, ut apparet ex ejuſdem Petri (d) litteris ad Eugenium Lucii ſucceſſorem Romanum Pontificem, cùm & oſtendit eoſdem monachos indè fuiſſe pulſos atque verberatos, ab Eugenio autem Papa benignè ſuſceptos. Sunt hæc ejus ad Eugenium verba: Unde hoc tàm antiquo uſu; quàm jam experta erga nos in expulſione fratrum noſtrorum de S. Sabba, paſtorali dilectione ac ſtudio veſtro, quos ejectos ſuſcepiſtis, deſolatos aluiſtis, verberatos conſoviſtis, &c.] A quibuſnam talia paſſi ſint, præterquàm ab Arnaldiſtis Romanis, non invenimus. Extant & aliæ (e) ejuſdem Petri ad eumdem Lucium Papam commendatitiæ litteræ pro Aurelianenſi Epiſcopo.

c Idem l. 5. ep. 23.

d Idem l. 5. ep. 24.

Datũ Cluniac. monaſterium S. Sabbæ.

e Idem l. 5. ep. 21.

Hujus Pontificis tempore Alfonſus Portugalliæ Dux pietatis ergo ſuum Ducatum conſtituit Romanæ Eccleſiæ vectigalem annuo cenſu unciarum auri quatuor. Teſtatur id Innocentius Papa Tertius epiſtola centeſima libri primi epiſtolarum ejus. Ita quidem, dum Romani rebellant, & adverſantur, longè poſiti Principes ab extremis terræ laudant & prædicant Romanam Eccleſiam; & cùm reſiliunt illi, iſti accurrunt ſpontanea ſubjectione.

Dux Portugalliæ voluntario cenſu ſubjicit Ducatum Roman. Eccl.

IV. Quantum autem à Romanis rebellantibus vexatus fuerit Lucius Papa, litteræ ejus ad Conradum Regem oſtendunt, quas recitat (e) Otto Friſingenſis hujus temporis auctor, qui & iſta præmittit: Per idem tempus Lucius Papa, vir pro manſuetudine & humilitate ſui officio ſacerdotali dignus, Cæleſtini, qui non plenè ſex menſibus ſederat, ſucceſſor, gravem à civibus perſecutionem paſſus, humiles ad Regem Conradum, tàm ſuam oppreſſionem continentes, quàm de incolumitate & proſperitate ejus Deo gratias agentes, ipſumque ad patrocinium Romanæ Eccleſiæ invitantes, litteras mittit in hunc modum:

e Otto Friſ. l. 7. c. 31.

Lucius Papa interpellat Conradum adversùs Romanos.

Lucius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei chariſſimo filio Conrado Romanorum Regi illuſtri ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Omne datum optimum, &c. Populus enim Romanus nullas inſaniæ ſuæ metas ponere volens, Senatoribus quos antè inſtituerant, Patricium adjiciunt, atque ad hanc dignitatem Jordanem Petri Leonis filiũ eligentes, omnes ei tãquàm Principi ſubjiciũtur.] Hucuſq; ex Lucii epiſtola Otto, quibus iſta ſubjicit, dicens: Deinde Pontificem ſuum adeunt, ac omnia regalia ejus tàm in Urbe quàm extra poſita, ad jus Patricii ſui repoſcunt; eumque more antiquorum ſacerdotum de decimis tantùm & oblationibus ſuſtentari oportere dicentes, de die in diem animam juſti affligere non timuerunt.] Hæc ipſe. Subjicit autem de ejus obitu, ſed de eo, ſuo loco anno ſequenti.

Ab obitu namque Cæleſtini hoc anno (ut ait idem Otto in Friderico) invaleſcere cœpit iſtiuſmodi rebellio Romanorum adversùs Pontificem, eademque hæreſis dicta Politicorum, ſive alio nomine (ſi ab ejus hæreſiarcha denominare magis placeat) Arnaldiſtarum, ab Arnaldo Brixiano, ſub Innocentio (ut dictum eſt) vulgari cœpta; damnata verò cum auctore ab eodem Pontifice in Concilio Lateranenſi. Quomodò autem idem hæreſiarcha poſt obitum Lucii ſe ad Urbem contulerit, ſuo

Romani degeneres hæreſim ſectantur Arnaldi.

loco

looo dicendum. Ea erant tempora infeliciſſima, cùm Romani ipſi, quorum fides in univerſo Orbe jam à tempore Apoſtolorum annuntiata ſemper fuit, reſilientes modò à Pontifice dominandi cupidine, ex filiis Petri, & diſcipulis Chriſti, ſunt ſoboles & alumni peſtilentiſſimi Arnaldi de Brixia. Ut non mireris, ſi in Romanos hujus temporis ſanctus Bernardus (ut ſuo loco dicetur) vehementer commotus, adversùs eos ferreo ſtylo acuto valdè pugnarit. Verùm cùm tu Romanos audis, ne putes omnes eadem inſania percitos, & furore agitatos: nam complures ex nobilium Romanorum familiis, iis relictis, pro Pontifice rem agebant, quamvis multa paterentur ab iſtis. Hæc ut intelligas, ſunt hic recitandæ litteræ eorumdem delirantium hæreticorum, qui ut ſe excuſarent, & ad ſe favorē allicerent Chriſtianorum Principum, potiſſimùm verò Regis Romanorum Conradi: hæc ſe ipſius nomine facere, pro ipſo laborare, litteris ſignificarunt, quas recitat Otto Friſingenſis in Friderico a: hìc autem ſuo loco ad fidem pleniorem rerum geſtarum reddendæ, quibus idem qui eas recitat (a) Otto, iſta præmittit:

a Ott. Friſ. de geſt. Frider. lib. 1. c. 27. 28.

V. His diebus* Arnoldus quidam religionis habitum habens, ſed eum minimè (ut ex doctrina ejus patuit) ſervans, ex Eccleſiaſtici honoris invidia Urbem Romam ingreditur, ac Senatoriam dignitatem, equeſtremque ordinem renovare ad inſtar antiquorum volens, totam penè Urbem, ac præcipuè populum adversùs Pontificem ſuum concitavit. Unde & ad eorumdem temeritatis, vel potiùs fatuitatis corroborationem ab eis ad Principem deſtinatum tale reſcriptum invenitur:

*Arnaldus

Romanorum Arnaldiſtarum epiſtola ad Conradum Reg. Rom.

Excellentiſſimo atque præclaro Urbis & Orbis totius domino Conrado Dei gratia Romanorum Regi ſemper Auguſto, Senatus populusque Romanus ſalutem, & Romani Imperii felicem & inclytam gubernationem.

Regali excellentiæ per plurima jam ſcripta noſtra facta & negotia diligenter expoſuimus, & quomodò in veſtra fidelitate permaneamus, ac pro veſtra Imperiali corona exaltanda & omnimodò augenda quotidiè decertamus. Ad quæ quia regalia induſtria (ut poſtulavimus) reſcribere dignata non fuit: planè tamquàm filii, & fideles de domino & patre ſatis miramur. Nos enim quidquid agimus, pro veſtra fidelitate, & honore facimus. Et quidem regnum & Imperium Romanorum veſtro à Deo regimini conceſſum exaltare atque amplificare cupientes, in eum ſtatum, quo fuit tempore Conſtantini & Juſtiniani, qui totum Orbem vigore Senatus & Populi Romani ſuis tenuere manibus, reducere, Senatu pro his omnibus Dei gratia reſtituto, & eis, qui veſtro Imperio ſemper rebelles erant, quique tantum honorem Romano Imperio ſurripuerant, magna ex parte conculcatis: quatenùs ea quæ Cæſari & Imperio deberentur, per omnia & in omnibus obtineatis, vehementer atque unanimiter ſatagimus atque ſtudemus. Et ob hujus rei effectum, bonum principium ac fundamentum fecimus. Nam pacem & juſtitiam omnibus eam volentibus obſervamus, fortitudines, idest turres & domos potentum Urbis, qui veſtro Imperio unà cum Siculo & Papa reſiſtere parabant, & quaſdam in veſtra fidelitate tenemus, quaſdam verò ſubvertentes ſolo coæquavimus. Sed pro his omnibus, quæ veſtræ dilectionis fidelitate facimus, Papa, Frangipanes, & filii Petri Leonis, homines, & amici Siculi, excepto Jordane, noſtro fidelitate in veſtra vexillifero & adjutore: Ptolomæus quoque, & alii plures undiquè nos impugnant, ne liberè (ut decet) Imperialem regio capiti valeamus imponere coronam. At nos, quoniam amanti nullus labor gravis eſt, licèt inde plurima damna ſuſtineamus: pro veſtro amore, & honore gratanter patimur. Scimus namque nos à vobis proindè præmium ſicut à patre, accepturos, vosque in eos ſicut in Imperii hoſtes, vindictam daturos.

VI. Cùm tanta igitur noſtra in vobis fidelitas ſit, tantaque pro vobis ſuſtineamus: precamur ne ſpes iſta nobis deficiat, ne regia dignitas nos veſtros fideles & filios deſpiciat. Neque ſi in regalibus auribus aura ſiniſtra de Senatu, & nobis flaverit, in eam intendat, aut reſpiciat, quia qui de nobis veſtræ altitudini mala ſuggerunt: de veſtra & noſtra (quod abſit) diſſenſione lætari volunt, & utroſque, ut ſoliti ſunt, callidè opprimere moliuntur. Sed circa hæc, ne fiant, regalis prudentia, ut decet, ſollicita ſit & provida. Reminiſcaturque veſtra ſolertia, quot & quanta mala Papalis Curia, & dicti quondam cives noſtri Imperatoribus, qui fuerunt ante vos, fecerint; & nunc deteriora vobis cum Siculo facere tentaverunt. Sed nos Chriſti gratia in veſtra fidelitate viriliter eis reſiſtimus, ac plures ex illis ab Urbe ſicut peſſimos hoſtes Imperii, ut ſunt, pepulimus. Appropinquet itaque nobis Imperialis celeriter vigor: quoniam quidquid veltis in Urbe obtinere, poteritis. Et ut breviter ac ſuccinctè loquamur: potenter in Urbe, quæ caput Mundi eſt (ut optamus) habitare, toti Italiæ ac regno Teutonico, omni clericorum remoto obſtaculo, liberiùs & melius, quàm omnes ferè anteceſſores veſtri, dominari valebitis. Sine mora ergò, precamur, ut veniatis; & interim de ſtatu veſtro, quem ſemper deſideramus ſalubrem & proſperum, de his regalibus litteris ac nuntiis nos lætificare dignemini. Sumus enim per omnia veſtræ voluntati ſemper obtemperare parati. Sciatis præterea, quia pontem Milvium extra Urbem parum longè, per tempora multa pro Imperatorum contrario deſtructum, nos, ut exercitus veſter per eum tranſire queat, ne Petri Leonis per Caſtel-

Rom. Arnaldiſtæ vocant Romam Conradum.

ſtellum S. Angeli vobis nocere poſſint, ut ſtatuerant eum Papa & Siculo, magno conamine reſtauramus, & in parvi temporis ſpacio, muro fortiſſimo & ſilicibus, juvante Deo, complebitur.

VII. Quibus pactis inita cum Rogerio concordia.

Concordiam autem inter Siculum & Papam hujuſmodi eſſe accepimus. Papa conceſſit Siculo virgam & anulum, dalmaticam & mitram atque ſandalia. Et ne ullum mittat in terram ſuam Legatum, niſi quem Siculus petierit. Et Siculus dedit ei multam pecuniam pro detrimento veſtro, & Romani Imperii, quod Dei gratia veſtrum exiſtit. Hæc omnia ſollicitè veſtra animadvertat, optime Rex, prudentia.] Salutationem autem ſequenti pentaſticho impertiunt:

Salutatio.

Rex valeat, quidquid cupit, obtineat, ſuper hoſtes
Imperium teneat, Romæ ſedeat, regat Orbem
Princeps terrarum, ceu fecit Juſtinianus.
Cæſaris accipiat Cæſar, quæ ſunt ſua Præſul,
Ut Chriſtus juſſit, Petro ſolvente tributum.

Nos de cœtero Legatos noſtros precamur ut benignè recipiatis, & quod vobis dixerint, credatis; quia ſcribere cuncta nequivimus. Sunt enim nobiles viri Guido Senator, Jacobus filius Sixti procuratoris, & Nicolaus eorum ſocius.] Hucuſque Romanorum Arnaldiſtarum litteræ ad Conradum.

VIII. Conradus deſpexit legationē Arnaldiſtarum.

Quanti autem eas fecerit Conradus, idem Otto ſic docet: At Chriſtianiſſimus Princeps hujuſmodi verbis ſive næniis præbere aures abnuit. Quinnimò venientes ad ſe ex parte Romanæ Eccleſiæ viros magnos & claros, quorum unus Guido Piſanus ejuſdem Curiæ Cardinalis & Cancellarius erat, renovationemque antiquorum privilegiorum ſuorum poſtulantes, honorificè ſuſcepit & honeſtè dimiſit.] Hactenùs de his Otto. Audiſti Lector, ex adverſariorum teſtimonio, non omnes Romanos, Arnaldiſtas fuiſſe hæreticos, immò nobiliores tum temporis permanſiſſe conſtantes gloria confeſſionis illuſtres. Licèt enim à concivibus plurima paterentur, ab Eccleſia tamen nullatenus defecerunt: ut inter alios Frangipanum familia, quæ perſtans in fide diluit eam quam contraxerat dedecoris notam tempore Gelaſii Secundi, cui (ut vidimus) hoſtiliter eſt adverſata; ſic & filii magni illius Petri Leonis, uno (ut audiſti) Jordane excepto, inter Arnaldiſtas profitente. Quod autem in eadem epiſtola nulla de ipſo Petro Leonis parente mentio fiat, quem haud pridem ſubſcripſiſſe novimus publicis monimentis: conjici ſatis poteſt, eum his diebus ex hac vita migraſſe, ſepultumque fuiſſe in atrio baſilicæ ſancti Pauli; ubi in tabella marmorea parieti impoſita ſupra ſepulchrum legitur ejuſmodi epitaphium:

Romani glorioſi confeſſores.

Epitaph. Petri Leonis.

P *Præterit ut ventus Princeps, ſeu Rex opulentus,*
E *Et nos ut fumus, pulvis, & umbra ſumus.*
T *Tot, tantiſque bonis pollens Petrus ecce Leonis,*
R *Reſpice quàm modico nunc tegitur tumulo.*
V *Vir fuit immenſus, quem proles, gloria, cenſus*
S *Suſtulit in vita, non ſit ut alter ita.*
L *Legum ſervator, patriæ decus, Urbis amator,*
E *Extruxit celſis turribus aſtra poli.*
O *Omnia præclara mors obtenebravit amara;*
N *Nominis ergò Dei gratia parcat ei.*
I *Innius in mundo fulgebat ſole ſecundo,*
S *Separet hunc nobis nunc polus atque lapis.*

In ipſo ſepulchro.

Te Petrus & Paulus conſervent Petre Leonis,
Dent animam cælo, quos tàm devotus amaſti.
Et quibus eſt idem tumulus, ſit gloria ſecum.]

Sed oratio petat externa.

IX. Ultio in eos, qui Eccleſ. in munitionem converterunt.

Hoc eodem anno, flagrante bello civili in Eccleſia Anglicana, divina ultio adversùs profanatores Eccleſiarum multipliciter eſt demonſtrata. Res tunc geſtas ſic narrat Rogerius in Annalibus: Menſe autem Auguſti miraculum juſtitia ſua dignum virtus divina monſtravit. Duos namque, qui monachis evulſis, Eccleſias Dei converterant in caſtella, ſimiliter peccantes ſimili pœna mulctavit. Robertus namque Marmium vir bellicoſus hoc in Eccleſia de Conventre perverſus egerat. Porrò Gaufredus (ut diximus) in Eccleſia Rameſienſi ſcelus idem patraverat. Inſurgens igitur Robertus Marmium in hoſtes, inter ingentes ſuorum cuneos coram ipſo monaſterio ſolus interfectus eſt, & excommunicatus, morte perenni depaſcitur. Similiter Gaufredus prædictus Conſul novus inter acies ſuorum conſertas à quodam pedite viliſſimo ſolus ſagitta percuſſus eſt. Et ipſe quidem vulnus ridens, poſt aliquot dies tamen ex ipſo vulnere excommunicatus occubuit. Ecce Dei laudabilis & omnibus ſæculis prædicanda ejuſdem ſceleris eadem vindicta. Dum autem Eccleſia illa pro caſtello teneretur,

ebul-

Digitized by Google

ebullivit ſanguis à parietibus Eccleſiæ & clauſtri adjacentis, indignationem divinam manifeſtans, ſceleratorum exterminationem denuntians. Quod multi quidem viderant, & ego ipſe quidem meis oculis inſpexi. Quia igitur improbi dicebant Deum dormire; excitatus eſt Deus & in hoc ſigno, & in ſignificato.

X. *Alia de his prodigia.*

Eodem quippè anno & Arnulphus filius Ganfredi Conſulis, qui poſt mortem patris Eccleſiam incaſtellatam retinebat, captus eſt, & per hoc exulatus. Et princeps militum ſuorum in hoſpitio ſuo ab equo corruens, effuſo cerebro expiravit. Princeps autem peditum ſuorum Reimerius nomine, cujus officium fuerat frangere Eccleſias, vel incendere: dum mare cum uxore ſua tranſiret (ut multi perhibuerunt). navis immobilis facta eſt. Quod monſtrum nautis ſtupentibus, ſorte data rei cauſam inquirentibus, res cecidit ſuper Reimerium. Quod cùm ille nimirum totis contradiceret viribus; ſecundò & tertiò ſors jacta, in eum devenit. Poſitus igitur in ſcapha eſt, & uxor ejus, & pecunia ſceleratiſſimè acquiſita; & ſtatim navis curſu velociſſimo, ut priùs fecerat, mare ſulcat. Scapha verò cum nequiſſimis ſubita voragine circumducta in æternum abſorpta eſt.] Hucuſque Rogerius de Eccleſiatum violatoribus.

XI. *Sanctæ Crucis ope liberatur exercitus Chriſtianorum.*

Quod ad res pertinet Orientis, (a) hoc anno, qui ſecundus numeratur Balduini pueri Regis, exercitus Chriſtianorum ſub ſpe potiundi Boſtro metropoli Arabum, inſidiis circumventus, in extremis periculis conſtitutus, virtute ſacratiſſimæ Crucis eripitur, & duce cœleſti nuntio incolumis ad propria reſtituitur. Rem geſtam pluribus narrat Vvillelmus Tyri Archiepiſcopus, ex quibus hæc reddere ſatis ad inſtitutum; (b) Videntes porrò hoſtes quòd ſic non proficerent, ad alia ſe convertunt molimina. Erat ſanè regio tota vepribus & frutetis humilibus, cardonibus aridis, & ſinapis ſilva, veteribus ſtipulis & frugibus jam maturis obſita: his omnibus ignem ſubiiciunt, vento noſtris obvio fomitem & vires miniſtrante. Hic incendii vicinioris afflatu, fumique occurrentis nube denſiſſima noſtris ingeminatur moleſtia. Cùm ecce ad venerabilem virum dominum Robertum Nazarenum Archiepiſcopum, qui Crucem Dominicam bajulabat, omnis populus cum clamore & ejulatu converſus, poſtulabat cum lacrymis, dicens: Ora pro nobis pater, & per hoc vivificæ Crucis lignum, quod manibus geſtas, in quo noſtræ ſalutis auctorem credimus pependiſſe, erue nos ab his malis: nam diutiùs ſuſtinere non poſſumus. Erat autem populus in modum fabrorum ferrariorum officinas exercentium, vento agitante fuliginem, tàm facie quàm toto corporis habitu nigredine factus decolor, & tàm æſtatis quàm incendiorum caumate duplicato, ad ſupremum afflictus ſiti, ſupra vires laborabat. Ad has itaque gementis populi voces vir Deo amabilis contritus corde, & animo valdè compatiens, ſalutare lignum erigit contra incendia, quæ illi totis viribus procurabant, & invocato deſuperius auxilio, ſtatim affuit virtus divina, & in momento converſis in oppoſitum flatibus, incendia terra ſimul cum fumi caligine in hoſtes, qui noſtrum præcedebant exercitum, ſe dirigunt: & quæ in noſtram paraverant læſionem, in ſuam vident retorta perniciem. Stupent hoſtes novitate miraculi, & ſingularem reputant Chriſtianorum fidem, quæ tàm præſens à Domino Deo ſuo pro votis impetraret beneficium.] Et paulò inferiùs. Cùm in alia inevitabilia Chriſtianorũ exercitus incidiſſet diſcrimina, ut errarent omnes in invio & non in via; & anguſtiis locorum intercludendi, ab ingruentibus hoſtibus omnes cædendi eſſent: prævio ignoto duce, nempè cœleſti nuntio, eodemque ſignifero, per alias vias eſt ſecurè deductus Hieroſolymam uſque. Qui & admirabili perfunctus miniſterio, ab omnium mox evanuit oculis. Sicque ſacratiſſimæ Crucis adminiculo, in expeditione omnium periculoſiſſima cum Rege omnis exercitus divina virtute eſt liberatus.

a *Vvill. Tyr. l. 16. c. 8.*

b *Id. l. 16. c. 11. 12. 13.*

JESU CHRISTI ANNUS 1145. — EUGENII PAP. III. ANNUS 1. — CONRADI REG. ROM. 7. MANUELIS IMP. 3.

I. *Lucii Pap. obitus.*

CHriſti Domini & Dei noſtri anno milleſimo centeſimo quadrageſimoquinto; Indictione octava, quinto Kal. Martii, Lucius Papa ex hac vita migravit, cùm ſediſſet menſes undecim, dies verò quatuordecim. In codice Vaticano, qui inſcribitur de privilegiis Romanæ Eccleſiæ, inter res geſtas Lucii, de ejus obitus occaſione hoc aſſeritur: ipſum cum Romanos ad nova ſtudia concitatos depellere conaretur à Capitolio, incerto lapidis ictu percuſſum fuiſſe, atque non poſt multos dies ægrotaſſe, eoque morbo ex hac vita migraſſe. At nihil de ictu lapidis Otto ejus temporis auctor, ſed hæc tantùm: Ipſe Lucius quotidianis cruciatibus *de ejuſmodi Romanorum rebellione videlicet*, ac tedio vitæ affectus, infra anni ſpacium Pontificatus ſui diem obiit. Rurſùs de ipſo hæc in ſcripto codice Vaticano: Hic dedit baſilicæ ſancti Salvatoris Lateranenſi Eccleſiam ſancti Joannis ante portam Latinam cum omnibus capellis atque tenimentis ſuis. Dedit etiam eidem Eccleſiam ſancti Nicolai in Hoſpitali cum omnibus tenimentis ſuis: item textum Evangeli-

gelicum ex auro & argento operosè factum. Dedit etiam ampullas ad ſervitium altaris optimas & mirabiles. Hic fecit ordinationem unam menſe Decembri, in qua creavit diaconos, presbyteros, & Epiſcopos per diverſa loca, ex quibus Nicolaum diaconum ſancti Laurentii in Damaſo creavit Bibliothecarium, quo munere ipſe functus erat, virum in primis litteris Hebraicis peritiſſimum: qui de emendatione divinæ ſcripturæ commentarium edidit. Moritur in monaſterio ſancti Gregorii ad Clivum Scauri, & ſepelitur in Lateranenſi baſilica. Non vacavit Sedes, ſed repentè (ut ait ſanctus Bernardus) ob periculum imminens fuit ſucceſſor electus.

II. Eugenii Papæ III. creatio.

Etenim poſt obitum Lucii, ob tumultuantes Romanos Arnaldiſtas convenerunt unanimes Cardinales metuentes in Eccleſiam monaſterii ſancti Cæſarii, illicque Dei nutu, haud de gremio ea more aliquem eligendum putarunt ex Cardinalibus in Romanum Pontificem, ſed convertentes oculos in Abbatem monaſterii S. Anaſtaſii Trium Fontium, Ordinis Ciſtercienſis, eidem haud pridem ſub Innocentio Papa Secundo à ſancto Bernardo præfectum, Bernardum itidem nominatum, patria Piſanum, virum probitate inſignem, & prudentia in negotiis obeundis locupletem, tempore perditiſſimo, quo hujuſcemodi bello civili Urbs flagraret, putarunt fore aptiſſimum: quem cùm ſagaciſſimum fuiſſent experti, pari conſenſu ſumma concordia elegerunt. Quæ autem mox poſt electionem ſint ſecuta, ea ſæpè citato ſcripto codice Vaticano ſic accipe:

III. Eugenius Pap. fugam capeſſit.

Electus deductus eſt ad Lateranenſe palatium, & in Apoſtolica Sede ſecundùm morem poſitus eſt, & nominatus Eugenius Papa Tertius. Qui cùm proxima die Dominica conſecrationis munus apud ſanctum Petrum, ſicut conſuetudinis ordo poſcebat, & diſpoſitum fuerat, deberet ſuſcipere: prætcognito Senatorum perverſo conſilio, quo ejus electionem violenter retractare diſpoſuerant, niſi eorum voluntatem faceret, & uſurpatum Senatum eis Apoſtolica auctoritate confirmaret: noctis ſilentio Urbem cum paucis fratribus exiit, & ad Arcem Monticelli ſe in tutum recepit. Congregatis verò alia die cunctis patribus, qui diſperſi fuerant propter metum furentis populi, proceſſit ad Farfenſe monaſterium in Sabinis poſitum cum domeſtica familia, & conſecrationis gratiam in ſequenti Dominica pro plenitudine ſui Apoſtolatus, ſecundùm morem Eccleſiæ, Domino auctore, ſuſcepit. Exiit ergo rumor iſte, ſicut vox lætitiæ ad omnes gentes, & de tam ſancta promotione univerſa Eccleſia exultavit, dicens cum Pſalmiſta: (a) Benedictus Deus in donis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis: quoniam ex inſperato exaltavit humilem, (b) & ſublimavit cornu chriſti ſui.] At quid Arnaldiſtæ Romani? Ubì viderunt tùm Eugenium, tùm Cardinales omnes ex eorum manibus elapſos eſſe: converterunt ſe ad demolitionem atque deprædationem ipſorum domorum. Ita quidem teſtatur ſanctus Bernardus in epiſtola ad Romanos ipſos hoc anno data, quam ſuo loco inferiùs reddituri ſumus: nec non etiam Otto Friſingenſis ejuſdem temporis ſcriptor fama celebris aſſirmat.

a Pſal. 144.
b 1. Reg. 2.

Ipſe verò ſanctus Bernardus, ubì audiſſet certo nuntio famam de ſui Abbatis in Pontificem electione: expectabat ſe de his ab eo reddi litteris certiorem; ſed cùm fuga, & alia plura ingruentia tunc negotia eumdem Eugenium occupatum detinerent, rupit ipſe ſilentium, ad eumdemque Eugenium has planè aureas litteras dedit: (c)

c Bern. ep. 237.

IV. S. Bern. ad Eug. Pap. de ejus creatione epiſtol.

Amantiſſimo Patri, & domino Dei gratia ſummo Pontifici Eugenio Bernardus Claræ-vallis vocatus Abbas, modicum id quod eſt.

Auditum eſt in terra noſtra, & celebri ſermone vulgatum verbum hoc, quod factum eſt de vobis à Domino. Preſſeram ſtylum hactenùs, rem tacitus conſiderabam. Expectabam enim litteras veſtras, & præveniri à vobis in benedictionibus dulcedinis. Expectabam virum fidelem, qui veniret à latere tuo qui diceret cuncta per ordinem, quid, quomodò vel qualiter actum eſſet. Expectabam ſi quis fortè de filiis meis reverteretur, qui leniret dolorem patris qui diceret. (d) Joſeph filius tuus vivit, & ipſe dominatur in tota terra Ægypti. Hinc eſt quòd litteræ iſtæ non ſunt voluntatis, ſed neceſſitatis, & amicorum extortæ precibus, quibus negare non poſſum modicum illud quidquid reſiduum eſt vitæ meæ. Quia tamen ſemel cœpi, loquar ad dominum meum: jam enim filium dicere non audeo, quia filius in patrem, pater mutatus eſt in filium. Qui poſt me venit, ante me factus eſt: ſed non invideo, quia quod mihi deerat, in eo me habere confido, qui non ſolùm poſt me, ſed etiam per me venit. Nam ſi dignaris, quodammodò per Evangelium ego te genui. Quæ eſt ergò ſpes noſtra & gaudium noſtrum, & corona gloriæ? nonnè vos ante Deum? Denique filius ſapiens gloria eſt patris. Amodò tamen non vocaberis filius? ſed vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit. (e) Hæc eſt mutatio dexteræ Excelſi, & multi in mutatione iſta gaudebunt. Nam quemadmodùm olim: (f) Abram in Abraham, Jacob in Iſrael: & ut de tuis magis prædeceſſoribus tibi proponam: Sicut Simon in (g) Cepham, (h) Saulus in Paulum: ſic filius meus Bernardus in patrem meum Eugenium, læta prorsùs & utili, ut ſperamus, tranſlatione promotus eſt. Digitus Dei eſt iſte, (i) ſuſcitans de pulvere egenum, & de ſtercore erigens pauperem: ut ſedeat cum Principibus, & ſolium gloriæ teneat.

d Geneſ. 45.
e Pſal. 76.
f Geneſ. 17.
g Marc. 3.
h Act. 13.
i Pſal. 112.

Su-

Supereſt, ut facta hac commutatione tui, ipſa quoque quæ tibi commiſſa eſt Domini tui ſponſa mutetur in melius: & jam nequaquàm Sarai, ſed Sara de cætero nominetur.

V. Monitio ſalutaris. Intellige quæ dico: dabit enim tibi Dominus intellectum. Si amicus ſponſi es, ne dixeris dilectam ejus principem meam, ſed principem; nil tuum in ea vendicans, niſi quòd pro ea ſi oportuerit, etiam animam dare debes. Si Chriſtus te miſit, æſtimabis te non miniſtrari, ſed miniſtrare veniſſe: & miniſtrare non ſolùm ſubſtantiam, ſed ipſam quoque animam, ſicut præfatus ſum. Verus ſucceſſor Pauli dicet cum Paulo: a 2. Cor. 1. (a) Non quia dominamur fidei veſtræ, ſed adjutores ſumus gaudii veſtri. Petri b 1. Pet. 5. hæres audiet Petrum dicentem: (b) Neque ut dominantes in Cleris, ſed forma facti gregis. Sic enim jam non ancilla, ſed libera etiam & formoſa ſpecioſiſſimi ſponſi per te in deſideratos adſciſcetur amplexus: Alioquin per quem alium hæc tàm debita libertas ſperabitur; ſi & tu (quod abſit) in Chriſti hæreditate quæras quæ tua ſunt, qui jam, & antè didiceras, non dico tua non retinere, ſed nec tuus eſſe? Ergò fiduciam talem habens in te, qualem in nullo prædeceſſorum tuorum à multis retrò temporibus viſa eſt habuiſſe, exultat meritò ubique, & gloriatur in Domino omnis Eccleſia Sanctorum: & ſpecialiter illa, Sic congaudet ut timeat S. Bern. cujus uterus te portavit, & cujus ubera tu ſuxiſti. Quid ergò? Nonnè & mihi licet gaudere cum gaudentibus? Numquid non ero unus de numero lætantium? Exultavi, fateor, ſed cum tremore. Exultavi, ſed in ipſo exultationis meæ articulo timor & tremor venerunt ſuper me. Ego enim etſi nomen patris depoſui, ſed non timorem, ſed non anxietatem, poſtremò nec affectum, nec viſcera patris. Conſidero gradum, & caſum vereor: conſidero faſtigium dignitatis, & intueor faciem abyſſi jacentis deorſum. Attendo celſitudinem honoris, & è vicino periculum reformido, pro eo quod ſcriptum eſt: c Pſal. 48. (c) Homo cùm in honore eſſet, non intellexit. Quod quidem ad cauſam magis, quàm ad tempus arbitror eſſe referendum: ut ſic intelligatur dictum. Cùm in honore eſſet non intellexit, ac ſi diceretur. Honor abſorbuit intellectum.

VI. Et quidem elegeras abjectus eſſe in domo Dei tui, & recumbere in noviſſimo loco in convivio ejus, ſed placuit dicere ei qui te invitavit: d Luc. 14. (d) Amice aſcende ſuperiùs, itaque aſcendiſti in altum: noli altum ſapere, ſed time: ne fortè contingat ſerò miſerabilem illam emittere vocem: e Pſ. 101. (e) A facie iræ & indignationis tuæ elevans alliſiſti me. Altiorem quippè locum ſortitus es, ſed non tutiorem, ſublimiorem, non ſecuriorem. Terribilis Locus Petri Rom. Eccl. prorsùs, terribilis eſt locus iſte. Locus, inquam, in quo ſtas, terra ſancta eſt, locus Petri eſt, locus Principis Apoſtolorum, ubi ſteterunt pedes ejus. Locus illius eſt,

A quem conſtituit Dominus dominum domus ſuæ, & principem omnis poſſeſſionis ſuæ. Si fortè declinaveris à via Domini, ſepultus eſt in eodem loco, ut ſit tibi contra te in teſtimonium. Meritò tali paſtori, tali nutricio commiſſa eſt Eccleſia, cùm adhùc tenera, adhùc in cunabulis eſſet: cujus docta magiſterio & exemplo adducta, omnia terrena calcaret, ut potè qui excuſſerat manus ſuas ab omni munere: qui dicebat de corde puro & conſcientia bona: (f) Argentum & aurum non eſt mihi. Hæc hactenùs. f Act. 3.

Cauſa Epiſcoporũ Angl. Cæterùm cauſa, quarè ante tempus ſcripſerim vobis, hæc eſt. Vvintonienſis Epiſcopus & Eboracenſis Archiepiſcopus non B gradiuntur uno ſpiritu cum Cantuarienſi Archiepiſcopo, ſed incedunt ſibi ex adverſo: & hæc vetus eſt de legatione querela. Verumtamen quis eſt ille, & qui ſunt illi? Nonnè Eboracenſis ipſe eſt, cui te præſente, cùm adhùc eſſes quaſi unus ex nobis, fratres tui reſtiterunt in faciem, eò quòd reprehenſibilis erat? Sed ſperavit in multitudine divitiarum ſuarum, & prævaluit in vanitate ſua. Certum eſt tamen, quòd non intravit per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliundè. Si paſtor fuiſſet; diligendus erat, ſi mercenarius, tolerandus. Nunc autem cavendus & re- C pellendus, utpotè fur & latro. Quid dicam de domino Vvintonienſi? Opera quæ ipſe facit, teſtimonium perhibent de eo. Porrò Archiepiſcopus Cantuarienſis, cui adverſantur, vir religioſus eſt & ſuaveolentis opinionis. Pro ipſo petimus, ut reſpondeat ei juſtitia ſua. Verùm illorum iniquitas ſuper eos ut ſit, ſicut ſcriptum eſt: (g) Iuſtitia juſti ſuper eum erit: & impietas impii erit ſuper eum. Cùm acceperis g Ezech. 18. tempus, ſecundùm opera manuum illorum retribues illis: ut ſciant Prophetam eſſe in Iſrael.

D Quis mihi det antequàm moriar, videre VII. Eccl. reformatio exoptata. Eccleſiam Dei ſicut in diebus antiquis: quando Apoſtoli laxabant retia in capturam, non in capturam, argenti vel auri, ſed in capturam animarum? Quam cupio illius te hæreditare vocem, cujus adeptus es ſedem? h Act. 8. (h) Pecunia, inquit, tua tecum ſit in perditionem. O vox tonitrui! ò vox magnificentiæ & virtutis, ad cujus terrorem confundantur & convertantur retrorſum omnes qui oderunt Sion! Hoc vehementer expectat, & omninò expetit à te mater tua: hoc filii matris tuæ puſilli cum majoribus deſiderant, hoc ſuſpirant, ut omnis planta- E tio, quam non plantavit Pater cœleſtis, tuis manibus eradicetur. Ad hoc enim conſtitutus es ſuper gentes & regna, ut evellas & deſtruas, & ædifices & plantes. Multi audito hoc verbo, dixerunt apud ſe; i Matth. 3. & Luc. 3. (i) Iam ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. Multi k Cant. 12. dicunt in corde ſuo: (k) Flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis advenit, in quo ſarmenta ſterilia recidentur, ut ea quæ prævalent, uberiùs fructũ afferãt.

Confortare igitur, & eſto robuſtus: manus tuas in cervicibus inimicorum tuorum.

Citæ mortis cogitatio commendatur.

A rum. Vindica tibi animi tui conſtantia & vigore ſpiritus partem, quam dedit extra fratres tuos tibi omnipotens Pater, quam & tulit de manu Amorrhæi in gladio & arcu ſuo. In omnibus tamen operibus tuis memento te eſſe hominem, & timor ejus, qui aufert ſpiritum Principum, ſemper ſit ante oculos tuos. Quantorum in brevi Romanorum Pontificum mortes tuis oculis aſpexiſti? Ipſi te prædeceſſores tui, tuæ certiſſimæ & citiſſimæ deceſſionis admoneant, & modicum tempus dominationis eorum paucitatem dierum tuorum nuntiet tibi. B Jugi proinde meditatione inter hujus tranſeuntis gloriæ blandimenta memorare noviſſima tua, quia quibus ſucceſſiſti in Sedem, ipſos ſine dubio ſequeris ad mortem.] Hactenùs ad Eugenium ſanctus Bernardus. Ad electores verò S.R.E. Cardinales has litteras dedit: (*a*)

a Bern. ep. 256.

VIII. *Ad S.R.E. Cardin. S. Bern. epiſt.*

Dominis & Patribus reverendis Cardinalibus & Epiſcopis omnibus qui ſunt de Curia, puer ſanctitatis eorum.

Parcat vobis Deus, quid feciſtis? ſepultum hominem revocaſtis ad homines: fugitantem curas, & turbas curis denuò impl icuiſtis, & immiſcuiſtis turbis. C Feciſtis noviſſimum primum, & ecce noviſſima illius periculoſiora prioribus. Crucifixus mundo per vos revixit mundo: & qui elegerat abjectus eſſe in domo Dei ſui, ipſum vos in dominum omnium elegiſtis. Cur conſilium inopis confudiſtis? cur pauperis hominis & mendici & compuncti corde judicium perturbaſtis? Currebat benè, Quid vobis viſum eſt ſepire vias ejus, avertere ſemitas, greſſus involvere? Quaſi deſcendere de Hieruſalem, & non magis aſcenderet de Jericho, ſic incidit in latrones. D Et qui ſe tamquàm violentis quibuſdam diaboli manibus, carnis illecebris & gloriæ ſæculi potenter excuſſerat, non tamen valuit effugere manus veſtras. Nam ideircò Piſam deſeruit, ut reciperet Romam? Num qui in una Eccleſia non ſuſtinuit Vicedominatum, dominatum in omni Eccleſia requirebat? Quid igitur rationis ſeu conſilii habuit, defuncto ſummo Pontifice, repentè irruere in hominem ruſticanum, latenti injicere manus, & excuſſa è manibus ſecuri & aſcia, vel ligone, in palatium trahere, levare in cathedram, induere purpura & byſſo, accingere gladio ad (*b*) faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis: E ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis? Sic non erat inter vos ſapiens & exercitatus, cui potiùs iſta convenirent?

b Pſ. 149.

IX. *Pontificiũ munus.*

Ridiculum profectò videtur, pannoſum homuncionem aſſumi ad præſidendum Principibus, ad imperandum Epiſcopis, ad regna & Imperia diſponenda. Ridiculum an miraculum? Planè unum horum. Non nego, non diffido poſſe fuiſſe hoc etiam opus Dei, qui facit mirabilia magna ſolus, præſertim cùm audiam uſquequaque ex ore multorum, quoniam à (*c*) A Domino factum eſt iſtud. Sed nec ego oblitus ſum judiciorum Dei antiquorum, & Scripturæ, plurimos recenſentis ex privata, ſeu etiam ruſticana vita olim aſſumptos in voluntate Domini ad regendum populum ejus. Denique nonnè (ut unum è pluribus memorem) tali quodam modo elegit David ſervum ſuum, & ſuſcepit eum de gregibus ovium, de poſt (*d*) fœtantes accepit eum? Ita inquam, ita & de noſtro Eugenio in beneplacito Domini potuit contigiſſe. B Non ſum ſecurus tamen, quoniam filius delicatus eſt, & tenera verecundia ejus aſſueta potiùs otio & quieti, quàm tractandis quæ foris ſunt: timendumque ne non ea auctoritate qua oportuerit, ſui Apoſtolatus officia exequatur. Quid putatis gerere animi nunc hominem illum, qui de ſecreto internæ contemplationis, & amica ſolitudine cordis tamquàm infans è gremio & ſinu matris ſubitò proturbatus, tractum ſe ad medium videt, & quaſi ovem ad victimam ductum ad tam inſueta & inſuavia? Niſi Dominus ſupponat manum ſuam, heu, neceſſe eſt obruatur & opprimatur onere inſueto & nimio, quod & gigan- C tinis (ut ajunt) vel ipſis quoque angelicis humeris formidabile videatur.

c Pſ. 117.

d Pſ. 77.

X.

Verumtamen quia ſic factum eſt, & ſicut multi dicunt, à Domino factum eſt: veſtra intereſt chariſſimi, veſtris ferventibus ſtudiis fidelibuſque obſequiis ſollicitè confovere quod veſtris manibus conſtat elaboratum. Si qua ergò conſolatio in vobis, ſi qua virtus charitatis in Domino, ſi qua miſeratio pietatis, ſi qua compaſſionis viſcera, aſſiſtite, & collaborate illi in opere, ad quod aſſumptus eſt per vos à Domino. Quæcumque ſunt vera, quæcumque pudica, quæcumque juſta, D quæcumque ſancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ: hæc ei ſuggerite, hæc ſuadete, hæc agite, & Deus pacis erit vobiſcum.] Hactenùs ad Cardinales ſanctus Bernardus.

XI.

At quæ poſt hæc Romani Arnaldiſtæ egerint adversùs Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales conſilio ejuſdem Arnaldi, ſe horum favore in Urbem intrudentis, hic ex Ottone ejus temporis auctore prodamus, qui ait: (*e*) Circa principia Pontificatus Eugenii peſtifer Arnaldus Urbem ingreſſus; cùm eam contra Pontificem ſuum in ſeditionem excitatam invenisſet, E viri ſapientis haud ſedactus conſilium, de hujuſmodi dicentis: Ne in ejus ignem ligna ſtruas: ampliùs eam in ſeditionem excitavit, proponens antiquorum Romanorum exempla, qui ex Senatus maturitatis conſulto, & ex juvenum animorum fortitudinis ordine, & integritate totum Orbem terræ ſuum fecerint. Quare reædificandum Capitolium, renovandam dignitatem Senatoriam, reformandum Equeſtrem ordinem docuit. Nihil in diſpoſitione Urbis ad Romanum ſpectare Pontificem: ſufficere ſibi Eccleſiaſticum judicium habere. In tantùm verò

e Otto de rebus Frid. lib. 2. c. 20.

hujus

hujus venenoſæ doctrinæ cœpit invaleſceſcere malum, ut non ſolùm nobilium Romanorum, *ipſis videlicèt adverſantium*, ſed Cardinalium diruerentur domus & ſplendida palatia; verùmetiam de Cardinalibus reverendæ perſonæ inhoneſtè ſauciatis quibuſdam, à furenti plebe tractarentur.] Hæc Otto. Reliqua autem quæ ſubiicit, ad tempora Hadriani Papæ ſunt referenda.

XII. Quæ ſub Eugenio tenet Arnaldus. Quæ verò ſub Eugenio beſtia iſta auſa eſt, cecinit etiam iſtis verſibus Ligurinus in Friderico: (*a*)

a *Ligur. in Frideric. lib.* 3.

Aſt ubi de medio ſublato Præſule ſummo,
B *Eugenius ſacræ ſuſcepit jura Cathedræ;*
Ille Petri ſolidam cupiens convellere petram,
Ut caput infirmum per cætera membra dolorem
Diffundit, Romana petit temerarius auſu
Mœnia ſacrilego, totamque nefarius Urbem
Inficit, impuri corruptam ſemine verbi;
Et populi tantas in Clerum concitat iras,
Ut penitùs nullum ſummo deferret honorem
Pontifici, Clerumque odio vexaret iniquo.
Et ſi quis, cui mens æqui & reverentior eſſet,
Et meliora pio flagrarent viſcera voto,
Fortè refragari ſeu diſſuadere furorem
Auſus erat, ſeſeque novis opponere monſtris;
Omnibus ereptis, ſubverſa funditùs æde,
Corporis afflictu, ſeu tandem ſanguine fuſo
Clericus, aut etiam popularis facta luebat,
Quin etiam titulos Urbis renovare vetuſtos,
Patricios recreare viros, priſcoſque Quirites,
D *Nomine plebejo ſecernere nomen Equeſtre,*
Jura Tribunorum, ſanctum reparare Senatum,
Et ſenio feſſas, mutaſque reponere leges,
Lapſa ruinoſis & adhuc pendentia muris
Reddere primævo Capitolia priſca nitori,
Conſiliis, armiſq; ſua moderamina ſummæ
Arbitrio tractare ſuo. Nil juris in hac re
Pontifici ſummo, modicum concedere Regi
Suadebat populo. Sic læſa ſtultus utrque
Majeſtate reum geminæ ſe fecerat aulæ.

XIII. Otto autem rurſùs alibi de his, quæ ad hæc Eugenii tempora ſpectant: (*b*) Viterbium veniens, ibi per aliquod tempus moE ram fecit. At Romanus populus cum Patricio ſuo Jordane in furorem verſus, Præfecturæ dignitatem abolentes, omnes Principes ac nobiles ex civibus ad ſubjectionem Patricii compellunt, & non ſolùm quorumdam illuſtrium laicorum turres, ſed & Cardinalium ac clericorum domus ſubruentes, prædam immenſam diripiunt. Eccleſiam etiam beati Petri omnium eccleſiarum caput ſacrilegè & profaniſſimè incaſtellare non metuunt, peregrinos cauſa

b *Otto Friſing. lib.* 7. *c.* 31.

A orationis advenientes, ad oblationem quæſtus gratia, plagis & verberibus cogunt, ac quoſdam ex ipſis offerre nolentes, in ipſa porticu & veſtibulo templi nefario ſuſu occidere non verentur.] Hactenùs de Arnaldo atque Arnaldiſtis hujus temporis Otto.

His igitur adeò nefandis longè latèque per Orbem ſparſis, trans Alpeſque tranſmiſſis, ſanctus Bernardus ad eumdem populum Romanum ab Arnaldo ſeductum has litteras dedit:

Nobilibus & optimatibus atque univerſo populo Romano Frater (*c*) Bernardus XIV.
B Claræ-vallis vocatus Abbas, declinare à malo, & facere quod bonum eſt.

c *Bern. ep.* 242.

S. Bernardus redarguit Romanos.

Sermo mihi eſt ad te, popule ſublimis & illuſtris, cùm ſim vilis exiguaque perſona, ac nullius penè momenti homuncio. Id quidem verecundum, atque oneroſum mihi conſideranti, quis quibus ſcribam, ſimulque quàm aliter hoc alius indicare poſſit. Sed levius reor verecundia apud homines periclitari, quàm condemnari apud Deum ſilentio, veri taciturnitate, & abſconſione juſtitiæ. Ipſe enim dicit: (*d*) Annuntia populo meo ſcelera eorum. Erit mihi etiam in teſtimonium ante
C faciem Domini, ſi dicere potero: (*e*) Juſtitiam tuam non abſcondi in corde meo, veritatem tuam & ſalutare tuum dixi. Pro hujuſmodi ſanè non vereor, quamvis verecundia reluctante, pro mea ignobilitate ſcribere de longinquo ad populum glorioſum, atque his litteris tranſmontanis ſui ipſorum periculi atque peccati commonere Romanos, ſi fortè audiant & quieſcant. Quis ſcit ſi convertantur ad precem pauperis, qui non cedunt potentium minis, non omni armaturæ fortium? Nonnè quondam in Babylone ad vocem pueri junioris unius, omnis ille populus, qui à ſenibus
D iniquis judicibus ſeductus fuerat, reverſus eſt ad judicium, & ſic ſervatus eſt ſanguis innoxius in die illa? Ita nunc quoque etſi adoleſcentulus ſum ego & contemptus (adoleſcentulus dico non annorum paucitate, ſed meritorum) potens eſt tamen Deus dare etiam voci meæ vocem virtutis, per quam fiat, ut & is populus, quem nihilominùs conſtat eſſe ſeductum, ad judicium revertatur. Mea ergò defenſio ad eos, qui mihi hanc forte ſuccenſendum indignandumve putaverint, hæc ſit. Si neque hoc ſatis eſt, etiam iſtud adiicio. Communis eſt cauſa, & non eſt diſtinctio
E puſilli & magni. Dolore nempè in capite eſt, ac per hoc minimè alienus nec à minimis quidem vel extremis quibuſque corporis partibus, nec à me ergò. Pervenit profectò uſque ad me, quamvis omnium minimum, dolor maximus iſte, quia maximus eſt, & quia cùm ſit capitis, non poteſt non eſſe, & corporis, cujus membrum ſum ego. Numquid non dolente capite, clamat lingua pro omnibus corporis membris, in capite ſe dolere, & omnia per ipſam ſuum caput, ſuumque capitis fatentur incommodū.

d *Iſai.* 58.

e *Pſal.* 39.

Digitized by Google

XV. Dimitte proinde, quæſo dimittite, ut
plangam paululum apud vos dolorem
meum, nec meum tantùm, ſed & totius
Eccleſiæ. Nonnè ipſius vox eſt hodiè per
a 4. Reg. 4. univerſum mundum, (a) Caput meum do-
leo, caput meum doleo? Quis namque vel
noviſſimus Chriſtianorum in toto ſit Or-
be, qui non glorietur hoc capite, quod am-
bo illi glorioſi Principes terræ, alter amiſ-
ſo, alter ſubmiſſo in cruce capite, ſuo
triumpho exultarunt, ſuo ſanguine orna-
verunt? Ad omnem itaque ſpectat Chri-
b Pſal. 18. ſtianum injuria Apoſtolorum: (b) & ſicut
in omnem terram exivit ſonus eorum;
ſic læſio eorundem ab omnibus uſquequa-
que ſentitur, uſquequaque plangitur &
doletur.

Objurgatio ſevera ſed juſta. Quid vobis viſum eſt, ò Romani, of-
fendere Principes mundi, veſtros autem
ſpeciales patronos? Cur Regem terræ, cur
Dominum cœli furore tàm intolerabili,
quàm irrationabili in vos pariter provoca-
tis, dum ſacram & Apoſtolicam Sedem di-
vinis regalibuſque privilegiis ſingulari-
ter ſublimatam auſi ſacrilego inceſſere,
ſuoque minuere honore contenditis, quam
vel ſoli contra omnes, ſi oportuiſſet, de-
fendere debuiſtis? Sic ſtulti Romani non
C judicantes, neque quod honeſtum eſt di-
ſcernentes, caput veſtrum atque omnium,
quod in vobis eſt, deturpatis, pro quo ma-
gis nec veſtris ipſis cervicibus parcendum
à vobis foret, ſi neceſſitas exegiſſet? Patres
veſtri Urbi Orbem ſubjugaverunt, vos
Urbem properatis Orbi facere fabulam. En
Petri hæres Petri Seda & Urbe à vobis ex-
pulſus eſt. En rebus & domibus ſuis, ve-
ſtris manibus ſpoliati ſunt Cardinales at-
c Oſee 7. que Epiſcopi miniſtri Domini. (c) O po-
pule ſtulte & inſipiens, ò columba ſeducta
non habens cor! Nonnè ille caput, & illi
oculi tui erant? Quid ergò nunc Roma,
D niſi ſine capite truncum corpus, ſine oculis
frons effoſſa, facies tenebroſa? Aperi gens
miſera, aperi oculos tuos, & vide deſola-
tionem tuam jamjamque imminentem.
Quomodò in brevi mutatus eſt color opti-
d Thren. 4. mus, (d) facta eſt quaſi vidua domina Gen-
tium, princeps provinciarum? Verùm initia
malorum ſunt hæc, graviora timemus.

XVI. Numquid non propè interitum es, ſi per-
ſiſtis? Revertere revertere Sunamitis, re-
vertere ad cor tuum: agnoſce jam, vel ſe-
rò, quæ, quanta, à quibus patiaris, vel paſſa
ſis. Recordare qua cauſa, quo fine, per quos,
& in quos uſus, non longè ante hos dies
E cunctarum quæ in te ſunt Eccleſiarum om-
nis ornatus, & cenſus profligatus eſt, quid-
quid in altaribus & in altarium vaſis, quid-
quid in ipſis ſacris imaginibus auri, & ar-
genti reperiri tunc potuit, manibus im-
piorum direptum & aſportatum eſt. Quid
ex his omnibus tu in tuis nunc marſupiis
Aſpera ſed juſta reprehenſio. invenis? Porrò decor domus Domini irre-
cuperabiliter periit. Et nunc quid, tibi vi-
ſum eſt iterare malitiam, innovare denuò
ſuper te dies malos? Quid modò vel lucri
amplioris, vel certioris ſpei arridet tibi?

A Niſi quòd in eo noviſſima tua cernuntur
incautiora prioribus, quod tunc quidem
non ſolùm multi de plebe, ſed etiam de
Clero, & Principibus nonnulli per Orbem
in ſchiſmate illo faverunt tibi: nunc verò
ſicut manus tuæ contra omnes, ſic manus
omnium contra te. Mundus eſt à ſanguine
tuo, mundus omnis præter te ſolam, & fi-
lios tuos, qui in te ſunt. Væ ergo nunc ti-
bi, popule miſerande, & væ duplo quam
ante non ab exteris nationibus, non à feri-
tate barbarorum, non à millibus armato-
rum: væ tantum à facie tuorum tibi, væ à
domeſticis & amicis, à clade inteſtina, à cru-
B ciatu præcordiorum, à torſionibus viſcerũ.

Agnoſcis ne jam, quia non omnes paci- XVII.
fici, qui domeſtici, nec omnes amici, qui
videntur? Etſi alias noveramus, ſed nunc
per te manifeſtiùs edocemur omnem veri-
tatem illius ſermonis Domini, quem di-
xit, (e) Quoniam inimici hominis dome- e Matt. 10.
ſtici ejus. Væ fratri à fratre in medio tui,
& filiis à parentibus. Væ non à gladiis,
ſed à labiis iniquis & à lingua doloſa. Uſ-
quequo malè in malo vos alterutrum con-
fortatis: & gladiis labiorum invicem ſter-
nitis, invicem perditis, ut ab invicem con-
ſumamini? Congregamini oves diſperſæ,
C redite ad paſcua, redite ad paſtorem & Epi-
ſcopum animarum veſtrarum: redite præ-
varicatores ad cor. Quod loquor non quaſi
hoſtis convicians, ſed quaſi amicus objur-
gans. Habet vera amicitia nonnumquam
objurgationem, adulationem numquam:
ſed jungimus & obſecrationem.

Obſecramus pro Chriſto, reconciliami- XVIII. Salubris exhortatio.
ni Deo, reconciliamini Principibus veſtris
(Petrum loquor & Paulum) quos utique
in Vicario & ſucceſſore ſuo Eugenio ſuis
ſedibus & ædibus effugaſtis. Reconcilia-
mini, inquam, Orbis Principibus; ne for-
tè incipiat pro eis pugnare Orbis terræ
D contra inſenſatos. An neſcitis, quia his
offenſis nihil omninò valetis, his propitiis
nihil omninò timetis? Non, inquam, non
timebis ſub horum tutela millia populi
circumdantis te, Urbs inclyta, civitas
fortium. Reconciliare proinde illis ſimul
& millibus Martyrum, qui quidem apud
te, ſed contra te ſunt propter grande pec-
catum, quod peccaſti, in quo & perſiſtis.
Reconciliare etiam omni Eccleſiæ Sancto-
rum, qui ubique terrarum, audito hoc ver-
bo, ſcandalizati ſunt. Alioquin pagina iſta
contra te in teſtimonium erit: ſed & ipſi
Apoſtoli & Martyres tui ſtabunt in magna
E conſtantia adversùs eos, qui ſe anguſtiave-
runt, & qui abſtulerunt labores eorum. Sed
jam finam loquendi omnes pariter audia-
mus. Annunciavi juſtitiam, prænunciavi
periculum, veritatem non tacui, hortatus
ſum ad meliora: ſupereſt, ut aut de veſtra
citiùs correctione lętemur, aut de juſta im-
minenti damnatione certi inconſolabili-
ter lugeamus, areſcentes & tabeſcentes
præ timore, & expectatione, quæ ſuper-
venient univerſæ Urbi.] Hucuſque Sanctus
Bernardus in ſpiritu vehementi, ſed ſan-
cto.

Qui etiam contra eoſdem Arnaldiſtas Romanos & iſtam ad Conradum Regem tunc ſcripſit epiſtolam, magiſtralem illam quidem, Bernardo dignam, & eo ad quem
a *Bern. ep. 243.* ſcribitur, orthodoxo Rege, quæ ſic ſe habet. (*a*)

XIX. S. Bernardus hortatur Conradum Reg. ad defenſionē Eccl. Nec dulciùs, nec amicabiliùs, ſed nec arctiùs omninò regnum ſacerdotiumque conjungi, ſeu complantari invicem potuerunt, quàm ut in perſona Domini ambo hæc pariter convenirent, utpotè qui factus eſt nobis ex utraque tribu ſecundùm carnem ſummus & ſacerdos & Rex. Non ſolùm autem, ſed & commiſcuit ea nihilominùs ac confœderavit in ſuo corpore quod eſt populus Chriſtianus, ipſe caput illius: ita ut hoc genus hominum Apoſtoli-
b *1. Petr. 2.* ca (*b*) voce genus electum, regale ſacerdotium appelleretur. In alia quoque ſcriptura, quotquot ſunt prædeſtinati ad vitam, nonnè omnes Reges & ſacerdotes no-
c *Matt. 19.* minantur? Ergò (*c*) quæ Deus conjunxit, homo non ſeparet. Magis autem quod divina ſanxit auctoritas, humana ſtudeat adimplere voluntas, & jungant ſe animis qui juncti ſunt inſtitutis: invicem ſe foveant, invicem ſe defendant, invicem onera
d *Prov. 18.* ſua portent. Ait Sapiens: (*d*) Frater adjuvans fratrem, ambo conſolabuntur. Quòd ſi alterutrum ſe (quod abſit) corroſerint & momorderint; nonnè ambo deſolabuntur? Non veniat anima mea in conſilium eorum, qui dicunt, vel Imperio pacem & libertatem Eccleſiarum, vel Eccleſiis proſperitatem & exaltationem Imperii nocituram. Non enim utriuſque inſtitutor Deus in deſtructionem ea connexuit, ſed in ædificationem. Si hoc ſcitis: quouſque vos communem contumeliam, communem diſſimulatis injuriam? Nonnè ut Apoſtolica Sedes; ita & caput Imperii Roma eſt? Ut ergò de Eccleſia taceam, num honor Regi eſt, truncum in manibus tenere Imperium? Et quidem ignoro, quid vobis ſuper hoc conſulant ſapientes veſtri & Principes regni: ſed ego in inſipientia mea loquens, quod ſentio non tacebo.

XX. Eccl. ſtatus qualis ſemper. Eccleſia Dei ab exortu ſui uſque ad hæc tempora pluries tribulata eſt, & pluries liberata eſt. Denique audite quid ipſa de ſe loquatur in Pſalmo. Ipſius enim vox
e *Pſal. 128.* eſt: (*e*) Sæpè expugnaverunt me à juventute mea, etenim non potuerunt mihi. Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem ſuam.
f *Pſal. 124.* Certus eſto, ò Rex, (*f*) quoniam nec nunc quoque relinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem juſtorum. Non
g *Iſa. 59.* (*g*) eſt abreviata manus Domini, nec facta impotens ad ſalvandum. Liberabit & hoc tempore abſque dubio ſponſam ſuam, qui ſuo ſanguine redemit eam, ſuo ſpiritu donavit, donis cœleſtibus exornavit, ditavit nihilo minus & terrenis. Liberabit, inquam, liberabit, ſed ſi in manus alterius, viderint regni Principes, idne honor Regis, regnive utilitas ſit. Non eſt utique. Quamobrem accingere gladio tuo

A ſuper femur tuum potentiſſimè, & reſtituat ſibi Cæſar quæ Cæſaris ſunt, & quæ ſunt Dei Deo. Utrumque intereſſe Cæſaris conſtat, & propriam tueri coronam, & Eccleſiam defenſare. Alterum Regi, alterum convenit Eccleſiæ Advocato.

Victoria, ſicut in Domino confidimus, præ manibus eſt. Superbia & arrogantia Romanorum plus quàm fortitudo eorum. — XXI. Certam victoriam ſpondet.
Quid enim? Numquid quiſpiam magnus vel potens, verbi gratia, Imperator aut Rex fœdam rem iſtam in Imperium pariter ſacerdotiumque præſumit? Sed populus hic maledictus & tumultuoſus, qui
B ſuas neſcit metiri vires, cogitare finem, conſiderare proventum, in inſipientia ſua furore ſuo auſus eſt hoc grande ſacrilegium attentare. Abſit ut vel ad momentum ſtare poſſit ante faciem Regis popularis manus, vulgi temeritas. Factus ſum inſipiens, qui cùm ſim vilis ignobiliſque perſona, tamquàm aliquis magnus conſiliis tantæ magnitudinis tantæque ſapientiæ me ingeſſi, & de re magna. At quò ignobilior atque abiectior, tantò liberior ſum ad loquendum, quod charitas ſuggerit. Unde & adhùc addo in eadem inſi-
C pientia mea: Si quis aliud quàm locutus ſum vobis (quod non credimus) ſuadere conabitur, is profectò aut non diligit Regem, aut parùm intelligit, quid regiam deceat majeſtatem: aut certè quæ ſua ſunt quærit, & non valdè quæ vel Dei, vel Regis ſunt, curare convincitur.] Hæc ad Conradum Romanorum Regem S. Bernardus contra Romanos illos Arnaldi furore bacchantes.

Inter hæc autem accidit ſecundùm illud divinum oraculum Veritatis ore pronunciatum de prædeſtinatione Sanctorum: — XXII. Legationes externorum ad Sedē Apoſtolicam.
(*h*) Venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Ja- — h *Matth. 8.*
D cob, & filii regni ejicientur in tenebras exteriores.] Quod dum Romani reſiliunt, accurrant populi è longinquo, cùm negant iſti qui propè, profiteantur qui longè ſunt poſiti; ut ita ſaltem erubeſcant omnes, qui oderunt Sion. Vidiſti anno ſuperiori ab Occidentis extremo limite ad Papam accurriſſe honorificentiſſima legatione Portugaliæ Principem, inferentem in Romanam Eccleſiam dono provinciam, annuo cenſu conſtitutam eidem ſpontaneè vectigalem, tunc cùm inhærentes lateri, ſed rebelles animo Romani illi hæretici Arnaldiſtæ temporali dominio
E exuendam Sedem ipſam Apoſtolicam conclamarent. Accidit modò (quod non poteris niſi vehementiſſimè admirari) quod eodem hoc ipſo tempore, quo à ſuis civibus fugatur & expellitur ab Urbe Eugenius Papa: legationibus Borealium, Occidentalium, atque Orientalium frequentatur, dum extorris ab Urbe, profugus Viterbii conſideret. Quis infelix ignorans, ſeu potiùs negans Deum, caſui tribuet iſta, & non providentiæ Dei? quam qui negat, ſententia ſapientū, Deum negare pariter intelligatur:

Frequentes legationes ad Eugenium.

Qui igitur ſui Principatus in terra Petrum conſtituit ſucceſſorem, ſuper Sedem ejus & ſedentes deſuper ſucceſſores invigilare, ut intelligerent inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſaperent; & quòd non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſraël: vocat ab Oriente Legatos, qui Chriſtum Domini venerentur, pervenientes ad eum eo tempore, cùm contemnerent, deſpicerent, fugarent, inſuper & perſequerentur qui proximè ejus lateri filii inhærebant. Sed audies iſta ab auctore ejus temporis, qui rei geſtæ ſeriem ſcripſit, (a) Ottone Friſingenſi Epiſcopo, probitate inſigni, & veritatis cultore exactiſſimo, qui ea quæ poſt conſecrationem Eugenii Papæ contigerunt, primùm narrans quæ ſunt ſuperius recitata de Arnaldiſtarum Romanorum graſſatione in Cardinalium ædes; poſtmodùm cùm agit de ipſius Pontificis commoratione Viterbii (ubi eum contigit ad finem uſque anni hujus commorari) oſtendit illic eumdem Eugenium viſitatum legationibus diverſarum Borealium provinciarum. Quando enim & idem ipſe Friſingenſis Eccleſiæ Epiſcopus Viterbium etiam acceſſit, & inviſit eumdem Pontificem; venerunt ad eum & legationes ex ultimis Orbis finibus, ex Anglia, itemque ex Oriente, nempè ex Armenia & Syria. Agemus de ſingulis.

a Otto Friſ. l. 7. cap. 31. 32. & 33.

XXIII. Legatio ex Anglia. Ex Anglia quidem hoc anno ad Eugenium Papam recèns creatum venit Alexander Epiſcopus Lincolnienſis, qui benignè acceptus eſt ab ipſo Eugenio Papa, cujus benignitas & affabilitas mirificè commendatur à Rogerio in Annalibus, ubi hæc habet: Eodem anno Epiſcopus Lincolnienſis Alexander iterùm Romam petens, ſuſceptus eſt honorificè ab Eugenio Papa novo, viro ſumma dignitate condigno. Cujus mens ſemper benigna, cujus diſcretio ſemper æqua, cujus facies ſemper non ſolùm hilaris, ſed etiam & jucunda.] Hæc de Eugenio Rogerius hujus temporis ſcriptor accuratiſſimus. Tunc quoque temporis, cùm Viterbii Eugenius conſiſteret, Orientales ex Armenia atque Syria legationes accepit, prout ab eo qui præſens aderat, (b) Ottone, qui & ea quæ vidit, etiam fideliſſimè ſcripſit, refertur.

b Idem ibid.

Legatio Armenæ Eccl. Ea tempeſtate Legati Armeniorum Epiſcoporum, eorumque Metropolitani, quem ipſi Catholicon, ideſt Univerſalem, propter infinitum, ideſt, ampliùs quàm mille Epiſcoporum ſub ſe habentem numerum vocant, Legati ab ultimo penè Oriente, ſummum Pontificem Viterbii, laborioſum iter per annum & ſex menſes complentes, adeunt: eique ex parte illius Eccleſiæ ſubjectionem omnimodam eum conſalutando offerentes, cauſas viæ nobiſcum aliis multis præſentibus apud veterem aulam aperiunt, quæ tales erant. Inter ipſos & Græcos quædam de ritu ſacrificii habitudo eſt in quibuſdam, in aliis verò diſcrepantia. Ponunt enim fermentatum panem ſicut illi, aquam autem vino non admiſcent, ſicut nos & illi. Prætereà Nativitatem Domini Epiphaniæ continuantes, duas illas feſtivitates unam faciunt. Pro his & aliis, dum inter ſe diſſentirent, Romanam Eccleſiam judicem eligentes, conſultum veniunt, formamque ſacrificii juxta conſuetudinem ejus ſibi tradi depoſcunt.

XXIV. Inſtituuntur Armeni divina viſione. Quos Romanus Antiſtes gratanter ſuſcipiens, Miſſarum ſolemniis ac ſacrificiis ſecretis adhibuit, diligenterque ea quæ fiebant ibidem, eos animadvertere monuit. Quod dum facerent, intentique ſacro altari aſtarent, unus ex eis Pontificali dignitate præditus, ſicut poſtmodùm in plena Curia retulit, in beati Martini octava, quando dedicatio Eccleſiæ beati Petri celebrari ſolet, ſummo Pontifice divina myſteria agente, ſplendido fulgore radium Solis ſuper caput ejus coruſcare, & in ipſo duas columbas aſcendentes & deſcendentes vidit. Cùmque diligentiùs hàc illàcque oculos circumferret, nullumque aditum, per quem lux illa transfunderetur, inveniret; deificum hoc eſſe cognoſcens, ac ad obedientiam Romanæ Sedis ampliùs accenſus, cunctis quæ viderat, aperuit. At venerabilis Pater non ſuis hoc meritis attribuens, ipſius potiùs fide cœlitùs hoc ſibi monſtratum æſtimabat, ut videlicèt Eccleſia, à qua ipſe miſſus fuerat, ſacramentorum virtutem veritatis luce perfuſam cognoſceret, ac deinceps quali ea reverentia & forma tractare deberet, addiſceret. Retulit etiam præfatus Epiſcopus, quòd in confinio Armeniæ quædã gentes eſſent, quæ fœtus ſuos fœtentes generarent, eoſque ſtatim ad aquas Armeniorum lavandos tranſmitterent. Quos cùm illi baptiſmatis unda tingentes, innatum eis fœtorem propellerent, mox tamen remiſſi, ad paganiſmi ritum & ſpurcitiam redibant. Quod utrum faciendum eſſet; item Romanam Eccleſiam conſuluerunt.

XXV. Legatio ex Syria ad Eugenium Papam. Vidimus etiam ibi tunc prætaxatum de Syria Gabulenſem Epiſcopum, cujus præcipuè opera ad plenum Antiochia Romanæ Sedi ſubeſſe cœpit, tàm de Patriacha ſuo Antiocheno, & de Principis matre Balduini Hieroſolymitani quondam Regis filia querimoniam facientem, quàm de ſpoliis Sarracenis ablatis, jure antiquitatis exemplo Abrahæ decimas (qui eas Deo recognoſcens victoriam, de ſuis ſpoliis Melchiſedech dedit) exigentem, ac ſuper hoc Apoſtolicæ Sedis auctoritatem requirentem. Audivimus eum periculum tranſmarinæ Eccleſiæ poſt captam Edeſſam lacrymabiliter conquerentem, & ob hoc Alpes tranſcendere ad Regem Romanorum & Francorum pro flagitando auxilio volentem.] Hæc de Syri Epiſcopi legatione. Subjicit ejus narrationem de rebus Æthiopiæ Regis Presbyteri Joannis vulgò nominati.

XXVI. Sic igitur deficientibus Romanis Arnaldiſtis, univerſus terrarum Orbis confluit veluti ex condicto ad Eugenium Papá, vocante eo, cui curæ eſt regimen Eccleſiæ, Chri-

ſto Do-

Digitized by Google

ſto Domino noſtro. Tunc illud accidit, ut in tanta negotiorum frequentia ipſe Eugenius non potuerit penitùs vitare ſurreptionem litigantium, quo factum eſt, ut lata tunc quædam ſententia ab eo, revocanda fuerit poſteà per Innocentium Tertium Papam. Ait enim ipſe Innocentius, (a) Perſpeximus, quòd primo menſe ſui Pontificatus fuerit ab eo ſententia promulgata, quando non plenè de meritis ipſius cauſæ videbatur inſtructus, illa nitens præcipua ratione, quòd privilegium Urbani Secundi ex parte veſtra productum, ſubjectum fuerit falſitati, cujus tenorem nos in Regiſtro ejus invenimus incorruptum.] Hæc Innocentius.

a c. Tum ex litteris de integr. reſtit. in 6.

Rolandus electus Cancellarius S.R.E.

Ut autem ejuſmodi ſurreptiones, quibus decipi ſolent ſæpè Pontifices quamvis prudentes, Eugenius Papa, quantum poſſibile eſſet, vitare poſſet: illud remedium quod magis opportunum videretur, adhibendum putavit, nimirùm ut fidiſſimum haberet Cancellarium Cardinalem. Ad quod munus delegit intimum amicum, Canonicum Piſanum, Rolandum nomine, ad quem ſanctus Bernardus (b) litteras dedit, in quibus hæc inter alia:

b Bern. ep. 334.

XXVII.

Benedictus Deus, qui ſe undùm ſuam miſericordiam Eugenium noſtrum, immò ſuum, prævenit in benedictionibus dulcedinis, parare ſcilicèt lucernam Chriſto ſuo, & præmittere virum fidelem in adjutorium ejus, & noſtram quoque plurimam conſolationem. Nam cùm moleſta eſſet amico amici vocatio & abſentatio, cujus nimirùm præſentia frui delectatur in Domino: jam tunc (ut manifeſtè video) cogitabat ipſe cogitationes pacis, & non afflictionis, & dicebat: (c) Quod ego facio, tu neſcis modo, ſcies autem poſteà. Quamobrem ſollicitus ſis chariſſime pro eo, cui te conſolatorem & conſiliarium ordinavit Deus, & obſerva cautè ſecundùm datam tibi ſapientiam, ne fortè inter tàm multiplicium negotiorum tumultus, malignorum fraude circumveniri poſſit, ut ſurripiatur ei verbum, quod indignum ſit Eugenii Apoſtolatu, &c.] Iſta Bernardus. At quod dictum ait ipſi: Quod ego facio, tu neſcis modò, ſcies autem poſteà,] potuit alluſiſſe ad prædictionem futuri Pontificatus, quo idem Rolandus foret initiandus. Pontifex enim poſtea fuit, & vocatus Alexander Tertius, ab Eugenio primò in diaconum SS. Coſmæ & Damiani, deinde in presbyterum tituli ſancti Marci cooptatus. At nec ſic planè ſatis conſultum, quia mendacia inſerrentur in Curiam: ut ſæpè queritur idem ipſe ſuis epiſtolis. Ubi quæſo ſine zizaniis ſeges Dominica?

c [illegible]

S. Bernardi Vaticinium.

XXVIII. Eug. Pap. pro exped. Orientali agit.

Hoc anno, auditis legationibus è Syria, miſſis de damnis illatis ab Infidelibus, Edeſſa capta, Antiochia atque Hieroſolymis in diſcrimen adductis: de expeditione Occidentalium in Terram ſanctam agitari cœptum. Eugenius ſiquidem Papa non curans quæ ſua eſſent, ſed quæ

A Dei eſſe ſciret: non ad ſui liberationem exilii adversùs Romanos Occidentalium Chriſtianorum Principum arma convertenda putavit, ſed adversùs Sarracenos res Chriſtianorum in Oriente invadentes & poſſidentes, fore movenda omni conatu, Pontificia auctoritate laborat, primum omnium ſcribens ad Ludovicum Francorum Regem. Perfacile namque fuit ad tergiginſum opus impellere ipſum, qui jam voverat eamdem inire ad ſancta loca peregrinationem: de quo iſta (d) Otto Friſingenſis.

d Ott. Friſ. de geſt. Frider. lib. 1. c. 34.

XXIX. Ludovicus agit pro expeditione in Terrā ſanctā.

B Ludovicus dum occultè Hieroſolymam eundi deſiderium haberet, eò quòd frater ſuus Philippus eodem voto aſtrictus, morte præventus fuerat adiutiùs protelare nolens propoſitum, quibuſdam ex Principibus ſuis vocatis, quid in mente volveret aperuit. Erat tunc temporis in Gallia cœnobii Claræyallenſis Abbas quidam Bernardus dictus, vita & moribus venerabilis, religionis ordine conſpicuus, ſapientia, litterarumque ſcientia præditus, ſignis & miraculis clarus. Hunc Principes vocandum, ab eoque quid de hac re fieri oporteret, tamquàm à divino oraculo conſulendum decernunt. Vocatur præfatus

C Abbas, conſiliumque ipſius ſuper prædicta expoſcitur Principis voluntate. Ille de tàm grandi negotio ea propriæ auctoritatis arbitrio reſponſum dare frivolum judicans, ut ad Romani Pontificis audientiam & examen deferatur, optimum eſſe reſpondit. Itaque miſſa ad Eugenium legatione totum illi negotium aperitur. Qui anteceſſorum ſuorum exempla revolvens, quod videlicèt Urbanus hujuſmodi occaſione tranſmarinam Eccleſiam, duaſque Patriarchales ſedes, id eſt Antiochiam & Hieroſolymam ab obedientia Romanæ Sedis ſciſſas, in pacis unitatem receperit, vo-

D tis prædicti Regis, pro dilatando Chriſtianæ religionis ritu annuit: auctoritate prædicandi, animoſque cunctorum ad hoc commovendi, prænominato Abbati, qui apud omnes Galliæ ac Germaniæ populos, ut Propheta vel Apoſtolus habebatur, conceſſa. Unde ejus ſcriptum tale ad Regem, Principeſque ſuos directum invenitur.

XXX. Eug. Papæ Apoſt. litteræ pro expeditione in Terrā ſanctā.

Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei chariſſimo filio Ludovico illuſtri, & glorioſo Francorum Regis, dilectis filiis Principibus, & univerſis Dei Fidelibus per Galliam conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

E Quantum prædeceſſores noſtri Romani Pontifices pro liberatione Orientalis Eccleſię laboraverunt: antiquorum relatione didicimus, & in geſtis eorum ſcriptum reperimus. Prædeceſſor etenim noſter felicis memorię Papa Urbanus, tamquàm tuba intonuit, ad ipſius deliberationem S.R.E. filios de diverſis mundi partibus ſollicitare curavit. Ad ipſius ſiquidem vocem Ultramontani, & præcipuè Francorū Regni fortiſſimi & ſtrenui bellatores, & illi etiam de Italia, charitatis ardore ſucceuſi convenerunt,

runt, ut maximo congregato exercitu, non ſine magna proprii ſanguinis effuſione, divino eos auxilio comitante, civitatem illam, in qua Salvator noſter pro nobis pati voluit, & glorioſum ipſius ſepulchrum paſſionis ſuæ nobis memoriale dimiſit, & quamplures alias, quas prolixitatem vitantes, memorare ſuperſedimus, à Paganorum ſpurcitia liberarent. Quæ per gratiam Dei & patrum veſtrorum ſtudium, qui per intervalla temporum eas defendere, & Chriſtianum nomen in partibus illis dilatare pro viribus ſtuduerunt, uſque ad noſtra tempora à Chriſtianis detentæ ſunt, & aliæ urbes Infideliũ ab ipſis viriliter expugnatæ.

XXXI. Edeſſæ captivitas deploratur.

Nunc autem noſtris & ipſius populi peccatis exigentibus (quod ſine magno dolore & gemitu proferre non poſſumus) Edeſſa civitas, quæ noſtra lingua Rohais dicitur; quæ etiam, ut fertur, cùm quondam in Oriente tota terra à Paganis detineretur, ipſa ſola ſub Chriſtianorum poteſtate Domino ſerviebat, ab inimicis Crucis Chriſti capta eſt, & multa Chriſtianorum caſtella ab ipſis occupata: ipſius quoque civitatis Archiepiſcopus cum clericis ſuis, & multi alii Chriſtiani ibidem interfecti ſunt; & Sanctorum reliquiæ in Infidelium conculcationem datæ ſunt & diſperſæ. In quo quantum Eccleſiæ Dei & toti Chriſtianitati periculum immineat: & nos cognoſcimus, & prudentiam veſtram latere non credimus. Maximum namque nobilitatis & probitatis indicium fore cognoſcitur, ſi ea, quæ patrum ſtrenuitas acquiſivit, à vobis filiis ſtrenuè defendantur. Verũtamen ſi (quod abſit) ſecus contigerit: patrũ fortitudo in filiis imminuta probatur.

Hortatur Pontifex Francos.

Univerſitatem itaque veſtram in Domino commonemus, rogamus, atque præcipimus, & in peccatorum remiſſionem injungimus, ut qui Dei ſunt, & maximè potentiores & nobiles, viriliter accingantur, & Infidelium multitudini, quæ ſe tempus victoriæ ſuper nos adeptam lætatur, ſic occurrere, & Eccleſiam Orientalem tanta patrum veſtrorum (ut prædiximus) ſanguinis effuſione ab eorum tyrannide liberatam ita defendere, & multa captivorum millia confratrum noſtrorum de ipſorum manibus eripere ſtudeatis, ut Chriſtiani nominis dignitas veſtro tempore augeatur, & veſtra fortitudo, quæ per univerſum mundum laudatur, integra & illibata ſervetur. Sit vobis etiam in exemplum bonus ille (a) Mathathias, qui pro paternis legibus conſervandis, ſeipſum cum filiis & parentibus ſuis morti exponere, & quidquid in mundo poſſidebat, relinquere nullatenùs dubitavit; atque tandem, divino cooperante auxilio, per multos tamen labores tàm ipſe quàm ſua progenies de inimicis viriliter triumphavit.

a 1. Mach. 2

XXXII.

Nos autem veſtrorum quieti & ejuſdem Eccleſiæ deſtitutioni paterna ſollicitudine providentes, illis, qui tàm ſanctum, tàmque pernecesſarium opus & laborem devotionis intuitu ſuſcipere, & perficere decreverint, illam peccatorum remiſſionem, quam præfatus prædeceſſor noſter Papa Urbanus inſtituit; auctoritate nobis à Deo conceſſa, concedimus & confirmamus. Atque uxores & filios eorum, bona quoque & poſſeſſiones ſub ſanctæ Eccleſiæ, noſtra etiam & Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum Eccleſiæ Dei protectione manere decernimus.

Quæ concedantur cruce ſignatis.

Auctoritate etiam Apoſtolica prohibemus, ut de omnibus quæ, cùm crucem acceperint, quietè poſſederint; nulla deinceps quæſtio moveatur, donec de ipſorum reditu, vel obitu certiſſimè cognoſcatur.

Præterea, quoniam illi, qui Domino militant, nequaquàm in veſtibus pretioſis, nec cultu formæ, nec canibus, vel accipitribus, vel aliis, quæ portendant laſciviam, debent intendere: prudentiam veſtram in Domino commonemus, ut qui tàm ſanctum opus incipere decreverint, ad hæc non intendant, ſed in armis, equis, & cæteris, quibus Infideles expugnent, totis viribus ſtudiũ & diligentiã adhibeãt.

Quicumque verò ære premuntur alieno, & tàm ſanctum iter puro corde inceperint: de præterito uſuras non ſolvant, & ſi ipſi vel alii pro eis occaſione uſurarum aſtricti ſunt; ſacramento, vel fide Apoſtolica eos auctoritate abſolvimus.

Liceat eis etiam terras, ſive cæteras poſſeſſiones ſuas, poſtquàm commoniti propinqui ſive domini, ad quorum feudum pertinent pecuniam commodare aut noluerint, aut non valuerint: Eccleſiis, vel perſonis Eccleſiaſticis, vel aliis quoque Fidelibus liberè ſine ulla reclamatione impignorare.

Indulgentia plena conceſſa.

Peccatorum remiſſionem & abſolutionem juxta præfati prædeceſſoris noſtri inſtitutionem, omnipotentis Dei & beati Petri Apoſtolorum Principis auctoritate nobis à Deo conceſſa talem concedimus, ut qui tàm ſanctum iter devotè inceperit & perfecerit, ſive ibidem mortuus fuerit; de omnibus peccatis ſuis de quibus corde contrito & humiliato confeſſionem ſuſceperit, abſolutionem obtineat, & ſempiternæ retributionis fructum ab omnium* remuneratione percipiat. Datum Vetrallæ Kalend. Decembris.] Eſt Vetralla oppidum haud longè à civitate Viterbienſi. Quæ verò de expeditione iſta ſecuta ſint, dicetur pro temporis ratione anno ſequenti.

* remuneratore

XXXIII.

Quid autem de Pontifice actum? Utique quod Chriſtus pollicitus fuerat, dicens: (b) Primò quærite regnum Dei & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis,] dum Eugenius laborat pro liberatione Terræ ſanctæ: Deus expugnat inimicos ejus, Romanos ipſos, de quibus hæc habet idem auctor: (c) Quos venerabilis Pontifex, percuſſo priùs cum quibuſdam fautoribus ſuis anathematis gladio Jordane *creato ab ipſis Patricio*, adjuncta Tiburtinis Romanorum antiquis hoſtibus militia coercuit, tandemque pacem petere coegit:] adeò ut Eugenius redierit in Urbẽ, ibi Natalem diem

b Matth. 6.

c Otto Friſ. Chron. l. 7. c. 31. in fin.

diem Domini ſolemniter celebrarit. De A ejus ad Urbem regreſſu & ingreſſu hæc idem auctor inferiùs: (a) At Eugenius cum Romanis hoc tempore pacem fecit, ut Patriciatus dignitatem exfeſtucarent, *abolerent ſcilicèt*, & Præfectum, *qui videlicèt arbitrio Pontificis eo munere fungeretur*, in priſtinam dignitatem reciperent: Senatores verò ex ejus auctoritate tenerent. Sicque in Urbem rediens, Nativitatem Domini ibidem celebravit, incipiente anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo quadrageſimoſexto.] Ita incipientibus annum ab ipſo ſolemni die Dominicæ Nativitatis, id factum ſequenti anno dicetur: B incboantes autem annum ab ipſis Kalendis Januarii; hoc ipſo anno rem geſtam legitimè conſignabunt. In ſcripto autem codice Vaticano ita ingreſſus Eugenii in Urbem narratur.

a *Idem ibid. c.* 34.

Reditus Eugenii Pap. in urbem.

Factum eſt igitur, Deo auctore, gaudium magnum, in tota Urbe ex inopinato accurſu ipſius Pontificis. Occurrit ei maxima frequens populi multitudo cum ramis; ad ejus veſtigia continuo accurrentes, poſt pedum oſcula elevabantur ad oris oſcula. Procedebant ſigniferi cum bandis, ſequebantur Scriniarii & judices. Judæi C quoque non deerant tantæ lætitiæ, portantes cum humeris ſuis legem Moſaicam. Univerſus enim Romanus Chorus pſallebat in unum dicens: (b) Benedictus qui venit in nomine Domini. Sic itaque cum magno populi gaudio idem Pontifex Lateranenſe palatium conſcendere meruit.] Hæc ibi.

b *Matt.* 23.

XXXIV.
Petri Abb. Clun. adventus in urbem ad Eugen. Papam.

Sed & in eo hoc anno idem Eugenius Papa magnoperè laboravit, ut diſſidentes & concertantes inter ſe implacabili bello Tuſciæ civitates, mutua concordia ſimul conciliaret. Placuit uti ad tantum opus digniſſimo viro Petro Abbate Cluniacenſi: qui non renuens, ea de cauſa hoc anno ſe D ad Eugenium contulit. Erat quippè vir ſanctitate præcipuus, erga ſanctam Romanam Eccleſiam ſtudioſiſſimus, quem non Eugenius tantùm, ſed ejus prædeceſſores omnes plurimi fecerint, percharus in primis ſancto Bernardo, ut mutuæ inter illos datæ epiſtolæ docent. Qui cùm ipſum Romam profecturum audiſſet, commendatitias ad Eugenium litteras dedit, in quibus plura de ipſo laude digna, & inter alia iſta: (c) Nam ſi neſcitis: iſte eſt qui manus ſuas extendit ad pauperes Ordinis noſtri; iſte eſt qui ex poſſeſſionibus Eccleſiæ ſuæ, quantum E cum pace poteſt ſuorum, libenter frequenterque largitur ad victum.] Porrò etſi inter duos magnos iſtos viros altercatio aliqua interceſſit, cùm quiſque ipſorum veritatem tueri ſe crederet: tamen non tantùm charitas læſa non eſt, ſed ſicut ignis exagitationibus magis incenditur, ita majoribus contentionibus magis magiſque aucta, in flammas ſemper vehementioris amoris erupit. Poſiti ambo in exemplum in Eccleſia Dei Religioſis omnibus, de mutua inter ſe pacis & charitatis unitate in

c *Bern. ep.* 277.

controverſiis oriri ſolitis ſervanda. Sed jam proſequamur hiſtoriam.

XXXV.

Porrò autem ipſam ſui Romam adventus cauſam refert ipſe Petrus, ubi ait: (d) Septem deinde annis exactis, cùm ad Urbem proficiſceret, cauſa reformandæ pacis inter Piſanos & Lucenſes, &c.] De bellis inter has civitates conflatis hoc tempore, meminit Otto Friſingenſis, ubi ait: (e) Piſani & Lucenſes propter nimiam viciniæ opportunitatem indeſeſſo furore bellantes, ruinæ ſuæ omnes Tuſciæ vires implicuere. Nam & Florentini unà cum Marchione Tetræ Ulrico, uſque ad ipſas portas Senenſium procedentes, ſuburbia ejus cremaverunt: Senenſes verò numero & viribus impares ſe cognoſcentes Florentinis, Lucenſium auxilium flagitant. Lucenſes tàm pro ipſis, quàm pro Comite Guidone Guerra, qui & ipſe cum Florentinis atrox bellum gerens eos adierat, Florentinos hoſtes pronunciant. Illi autem Piſanis adjuncti non ſolùm Lucenſes bello attentant, ſed & caſtella, oppida, agros præfati Comitis incendio & rapina devaſtant. Senenſes etiam, qui ad vaſtandos agros eorum egreſſi fuerant, inſidiis à tergo poſitis, vix paucis fuga elapſis captivant. Porrò ex Piſanis & Lucenſibus non tantùm plurimi ferro cæſi, compendio mortis miſeriam miſerabiliter terminavere, ſed & innumerabiles utrobique comprehenſi, ac longa (ut ipſe vidi) carceris inedia & ſqualore macerati, omnibus præeuntibus lacrymabile humani caſus in ſe ſpectaculum præbent.] Hæc vidit Otto & refert de rebus Tuſcis. Ut intelligas, quàm magnam ſubierit Petrus provinciam in tractanda inter eos pace tempore aſperrimi belli.

d *Petr. Clun. l.* 2. *mirac. c.* 25.

e *Otto Friſ. l.* 7. *c.* 29.

Etruria flagrat inteſtino bello.

XXXVI.

At ſtatum Tuſciæ admodùm deplorandum ob inteſtina bella inter primarias civitates in primis deplorat vehementer idē ipſe Petrus in (f) epiſtola eodem anno data, cùm eſſet receſſurus ab Urbe ad Rogerium Regem Siciliæ, excuſans, non fuiſſe ſibi facultatem ipſum conveniendi, ut inſtituerat. Recitavimus eam alia occaſione ſuperiùs, ſed hìc illa tantum repetenda, quibus optare ſe dicit, ut præeſſet ipſe Tuſciæ, quo ejus ſevera juſtitia ceſſarent mala, quæ jugiter perpetrarentur; ait enim: Utinam (quod ſecretorum omnium cognitore Deo teſte non adulans dico utinam inquam miſerabilis & infelicis Tuſciæ partes felici veſtro Imperio cum adjacentibus provinciis adjungerentur, & res perditiſſimæ pacifico regni veſtri corpori unirentur: verè non tunc, ſicut nunc, res divinæ atque humanæ, nullo ſervato ordine confunderentur, non urbes, non caſtra, non burgi, non villæ, non ſtratæ publicæ, non ipſæ Deo conſecratæ Eccleſiæ homicidis, ſacrilegis, raptoribus exponerentur. Non pœnitentes, non peregrini, non clerici, non monachi, non Abbates, non presbyteri, non ipſi ſupremi ordinis ſacerdotes, Epiſcopi, Archiepiſcopi,

f *Petr. Clun. l.* 5. *ep.* 34.

Deplorat Petrus Tuſciæ ſtatū.

ſcopi, Primates, vel Patriarchæ in manus talium traderentur, ſpoliarentur, diſtraherentur, & quid dicam? verbersrentur, occiderentur. Hæc planè univerſa, multaque his ſimilia tàm nefanda, tàm execranda juſtitiæ regiæ gladio ſuccisa ceſſarent, &c.]

XXXVII. Placentini de Petro Benemeriti.

Hæc ipſe Petrus, qui & in itinere incidit in latronem Marchionem Opizonem, à quo eſt ſpoliatus, ſed opera Placentinorum in integrum reſtitutus. Rem geſtam commemorat paucis idem ipſe in epiſtola ad Eugenium Papam, cùm ei commendat populum Placentinum, ubi hæc

a Idem l. 6. ep. 45.

B inter alia: (*a*) Ante quinquennium, quando videndi & viſitandi vos gratia Romam pergebam, ſuper injuria mihi, immò & vobis à Marchione Opiaone illata fecerint, quantum inde doluerint, quanta vi fugitantem, & latibula quærentem beſtiam de fovea ſua ad publicum protraxerint, quidquid ſorbuerat, totum uſque ad obolum revomere compulerint, ſatisfacere tàm ipſum, quàm ſceleris ſocios, pro arbitrio meo vellent, nollent, coegerint &c.]

Venit in Urbem Petrus, antequàm primus Eugenii (ut dictum eſt) annus elaberetur; **C** fuitque iſte primus ejus ſub Eugenio Papa in Urbem adventus, ut teſtatur in epiſtola ad ſanctum Bernardum, hoſpitatuſque eſt in monaſterio ſanctæ Mariæ Novæ apud ejus loci Cardinalem. An autem Nuntius pacis, pacem inter diſſidentes civitates conciliaverit; nihil invenimus: ſed excuſſiſſe potiùs pulverem de pedibus ſuis contra eos pacem reiicientes, ex iis, quæ tunc reverſurus in Galliam, ſcripſit ad Rogerium Siciliæ Regem, quæ audiſti nuper, planè poſſumus intelligere.

XXXVIII. Petri hoſpitium.

At quid ſibi tunc Romæ cùm hoſpitaretur in dicto monaſterio ſanctæ Mariæ **D** Novæ, memoria dignum contigerit, ſcriptis teſtatum reliquit vir veritatis cultor admirabilis, in poſteriori libro miraculorum, quæ ſuo tempore acciderant, quæ ipſe viderat, vel certa teſtificatione

b Pet. Clun. l. 1. mirac. c. 25.

probata, ab aliis didicerat: (*b*) adeò ut levitatis redargui ea jure non poſſint, quæ libris illis intexuit. Hæc ut intelligantur, quæ præmittit, ſunt breviter ingerenda: primùm nempè, quod paulò antè diſceſſum, monachum unum ex ſuis, Vvillelmum nomine, Priorem officio, virum eximiæ ſanctitatis à quodam ipſi **E** ſubdito peſſimo monacho, qui diſciplinam averſaretur, contigit veneno necari. Ita creditum, quod verum, licèt de interfectore nulla adhùc potuerit haberi quæſtio à primario judice ipſo Abbate Petro, cùm ipſe jam in Urbem urgentibus cauſis acceleraret adventum. At ubì ventum in Urbem, per eumdem ipſum Vvillelmum necatum Deus voluit certa aſſertione manifeſtari ſacrilegum homicidam. Quomodò id acciderit, ab ipſo Petro ſic accipe.

Vvillelmus defunctus apparet Petro Abbati.

A In primordiis Pontificatus domini Papæ Eugenii, ad viſitandum tàm ipſum quàm communem matrem Romanam Eccleſiam, Romam adii. Illùc perveniens, apud Cardinalatum ſanctæ Mariæ Novæ, quod juxta antiquum Romuli templum conſtructum eſt, hoſpitium ſuſcepi. Ibi dum nocte quadam quieſcerem: Ecce vir venerandæ vitæ dominus Vvillelmus, qui nuper de vita exceſſerat, mihi dormienti viſus eſt in ſomno aſtare.] Et poſt multa, quibus de nece ipſi illata agit, ſic pergit: Quem cùm viderem, valdè gaviſus ſurrexi, & multo cum affectu amplecti eum **B** & oſculari cœpi. Licèt autem altus ſopor cæterorum ſenſuum officia occupaſſet: vigebat tamen velut in vigilante memoria, meque dormire dormiens non ignorabam. Nec illud mente exciderat, illum qui videbatur, in ſomnis videri: nec eram immemor, ante non multum temporis mortuum, & dolo quem ſuprà ſcripſi, extinctum. Quodque magis mirum eſt, & illud neſcio qua vi occulta naturæ ſtatim menti occurrit, non poſſe mortuum diu cum vivente morari, nec prolixum ſermonem miſcere. Unde priuſquàm recedere virtute inviſibili cogeretur, interro**C**gare illum feſtinanter de quibuſdam decrevi. Quæ tamen, ut non phantaſtica, ſed vera, quæ apparebat viſio videretur, nequaquàm priùs præmeditatus fueram, ſed tunc ea dormiens nutu, ut arbitror, Dei noviter menti occurrentia, cogitare incipiebam. Quatuor ergò quædam, quæ neſcio undè dormienti occurrebant, interrogando ei propoſui.

XXXIX. Quæ per viſum acs cepit.

Quomodò inquam vobis eſt, domine Prior? vocans eum non ex proprio nomine, ſed ex officio. Ad quod ille breviter, ut fuerat ſemper breviloquus, ac bis vel ter ex more verba replicans, reſpondit: **D** Multùm, ait, mihi benè eſt, multùm mihi benè eſt. Huic primæ interrogationi ſecundam ſubjunxi: Vidiſtis adhùc Dominum? & ille: Aſſiduè video, aſſiduè video. His duabus & tertiam addo: Eſtne, inquam, certum, quod de Deo credimus? eſtne abſque dubitatione vera Fides, quam tenemus? Nihil ait, ita verum, nihil ita verum. Et quartò: Verum eſt, ſjo, quod fama refert, verum eſt, quod multi opinantur, quoſdam, quos ipſi non ignoratis, fraude ſua ac veneficio vos occidiſſe? Verum eſt, inquit, verum eſt. His dictis & ipſe diſparuit. Et **E** ego evigilans, ea quæ videram, recolere & admirari incipiebam. Interim dum hæc agerem, & viſa memoriæ commendarem; rurſùm ſomno opprimor. Et ſicut in hiemalium noctium prolixitatibus (nam dies Adventus Domini tunc inſtabant) iterùm caput ad dormiendum compono. Nec mora, adeſt qui ſuprà, & ſe eo modo, quo priùs oſtendit. Occurro & egò illi non ſegniùs quàm ante, & viſionis præmiſſæ omninò immemor amplecti eum & oſculari, ut priùs, cœperam.

Google

peram. Quid multa? nihil plus minuſve in animo meo, nihil plus minuſve in ore meo, in hac ſecunda viſione fuit, quàm in prima fuerat. Eadem quæ ſuprà, interrogo: eadem quæ ſuprà audio de ſtatu ſuo, de viſione Dei, de certitudine Chriſtianæ Fidei, de morte ſua, ordine quo præmiſi, à me interrogatus, eadem, nec pauciora reſpondit. Huic tamen ſecundæ viſioni in fine aliquid additum eſt. Mox enim ut dixit, ſe verè dolo falſorum fratrum extinctum: in fletus amariſſimos, ut mihi in ſomnis videbitur, prorupi: & quia jam de facto non dubitabam, tantum nefas inſatiabilibus lacrymis deplorabam. In fletibus illis evigilans, oculos humectos, genaſque meas recentibus lacrymis repen-

A

tes inveni. Ut verò hujus viſionis vel ſomnii indubia veritas commendaretur, regreſſus ab Urbe, atque ad Galliam noſtram rediens, & Cluniacū perveniens, quæ de morte ſancti viri ſuſpicatus fueram, ipſius nefarii parricidæ publica confeſſione vera fuiſſe probavi, &c.] Audiſti viſionem potiùs quàm ſomnium, utpotè veritate conſtans, & divinitùs, ut appares, immiſſum. Cujus quidem generis ſæpè reperies à ſanctis Patribus recitata, nec quidem contemptui habita, ſed ut oracula divinitùs allata ac recepta: & inter alios (quod memoria ad præſens ſoggerit) S. (*a*) Auguſtinus hoc

B

fecit, cùm Gennadii medici recitat ſomnium, à Deo ejus cauſa ſalutis immiſſum, ſuperiùs (*b*) à nobis itidem enarratum.

a *Aug. ep.* 100.

b *Supra tomo* 5. *anno* 412, *in fin.*

JESU CHRISTI ANNUS 1146. EUGENII PAP. III. ANNUS 2. CONRADI REG. ROM. 8. MANUELIS IMP. 4.

I. Eugen. rurſùs infeſtatur à Romanis.

SEquitur Redemptoris annus milleſimus centeſimus quadrageſimusſextus, Indictione nona, quo Eugenius Papa iterùm à Romanis Arnaldiſtis exagitari cœptus, cogitur è Lateranenſi palatio decedens trans Tiberim ſe conferre. Id enim Otto Friſingenſis iſtis verbis: (*c*) A populo Romano pro excidio Tiburtinorum in tantum de die in diem ſollicitatur, ut à Lateranenſi palatio, improbitatem eorum non ſuſtinens, ad Transtiberinam regionem migrans, animam ſuam vitæ ſuæ tædere conſiteretur.] Hæc Otto. Erat Transtiberim munitio ſancti Angeli, quam filios Petri Leonis Pontificis amicos tenere, ſuperiùs dictum eſt, inquam ſe Eugenium recepiſſe ad evitandum populi inſanientis furorem, exiſtimamus.

c *Otto l.* 7. *Chron. c.* 34.

Pro expeditione indictū Carnota Conc.

Intereà autem in Galliis fervet opus parandæ expeditionis in Terram ſanctam; cujus cauſa promovendæ ſtatuitur certa dies, certuſque locus Concilii celebrandi. Dies indicitur tertia Dominica poſt Paſcha, & locus deputatur Carnotum civitas. De his enim ita S. Bernardus in epiſtola ad (*d*) Petrum Abbatem Cluniacenſem: Epiſcopi Franciæ unà cum domino Rege & Principibus tertia Dominica poſt Paſcha apud Carnotum venturi ſunt, & de verbo hoc tractaturi: ubi utinam mereamur habere præſentiam veſtram. Quia enim magnis omninò magnorum virorum conſiliis hoc verbum conſtat egere: gratum profectò obſequium præſtabitis Deo, ſi negotium ejus à vobis non duxeritis alienum, &c.] Multis quidem eum invitat; ſed indictum jam ab ipſo omnium Priorum Cluniacenſium Capitulum, ne ire poſſet, eum detinuit, ut ejus litteræ ad S. Bernardum redditæ docent, in quibus hæc inter alia: (*e*) Quem enim Chriſtianum, in Chriſto ſuo aliquam ſpem habentem fama tàm lamentabilis non moveret, quæ, ut ex litteris etiam domini Abbatis ſancti Dionyſii comperi, jam penè ubique di-

d *Pet. Clun. l.* 6. *ep.* 19.

e *Idem ibid. epiſt.* 20.

vulgatum eſt, Fratres templi, Regem Hieroſolymitanum, ipſam inſuper Dominicam ac ſalvatricem Crucem in urbe Antiochena cum aliis multis obſeſſos: ac niſi manus Domini in brachio extento citò

C

ſuccurrat, omnes in brevi captivandos? Quem non moveat, ne fortè Terra illa ſancta à jugo impiorum, tantis patrum laboribus, tanto Chriſticolarum ſanguine ante non multum temporis eruta, rurſùm impiis & blaſphemis ſubdatur? Quem non moveat, ſi tàm ſalubris peccatorum pœnitentium via, quæ (ut dignum eſt credere) innumera peregrinantium millia à quinquaginta jam annis inferis abſtulit, cœlo reſtituit, nequam Sarracenorum obice obſtante claudatur? Abſit, abſit, &c.]

II. Carnotenſe Concil. agitur pro decernenda expeditione.

D

Extant de his ipſæ Sugerii Abbatis S. Dionyſii tunc datæ litteræ ad eumdem Petrum Cluniacenſem, invitantis ipſum ad indictum ea de cauſa Concilium; & ipſius Petri ad eum ejuſdem argumenti redditæ litteræ, quibus & ſignificatur, idem Concilium fuiſſe generale ex omniū Galliarum provinciis, Epiſcopis, & Archiepiſcopis. Convenerunt igitur undique ex Galliis Carnotum Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Abbates, aſtitit & Rex unà cum Principibus regni. Quid actum ibi? illud in primis planè mirandum, quod obſtupefaciet omnes audientes: dum videlicet ibi totius belli Dux ipſe S. Bernardus

E

omnium conſenſu deligitur, qui Principem militiæ agat, cui milites omnes & Principes ipſi ſubjicerentur. Hoc decretum in Concilio conſenſu omnium. Hæc ne tu putes fabulam: deſcribendæ hic ſunt litteræ S. Bernardi ad Eugenium Papam de his agentis, primumque ſtudium Eugenii ex ſcriptis ab eo litteris commendantis, eumdemque ad ulteriora hortantis, atque ad poſtremum quid actum in Carnotenſi Concilio, enarrantis. Sic enim ſe habent: (*f*)

f *Bern. ep.* 256.

Non

III. Bern. epiſt. de rebus geſtis in Carnotenſi Concil.

Non eſt leve verbum quod ſonuit, triſte ſatis & grave eſt. Et cui triſte? imò cui non triſte? ſoli filii iræ iram non ſentiunt, nec triſtantur triſtibus, ſed lætantur & exultant in rebus peſſimis. De cætero communis triſtitia eſt, quia communis eſt cauſa. Benè feciſtis juſtiſſimum zelum noſtræ Gallicanæ Eccleſiæ collaudando, & corroborando auctoritate litterarum veſtrarum. Non eſt (dico vobis) in cauſa tàm generali & tàm gravi tepidè agendum, ſed ne timidè quidem. Legi apud quemdam ſapientem: Non eſt vir fortis, cui non creſcit animus ipſa rerum difficultate. Ego autem dico: Fideli homini magis & inter flagella fidendum. Intraverunt aquæ uſque ad animam Chriſti, tacta eſt pupilla oculi ejus. Exerendus eſt nunc uterque gladius in paſſione Domini, Chriſto denuò patiente, ubi & altera vice paſſus eſt. Per quem autem, niſi per vos? Petri uterque eſt, alter ſuo nutu, alter ſua manu, quoties neceſſe eſt, evaginandus. Et quidem de quo minus videbatur, de ipſo ad Petrum dictum eſt: (a) Converte gladium tuum in vaginam. Ergo ſuus erat & ille, ſed non ſua manu utique educendus. Tempus & opus eſſe exiſtimo, ambos educi in defenſionem Orientalis Eccleſiæ. Cujus locum tenetis, zelum negligere non debetis. Quale eſt hoc, principatum tenere, & miniſterium declinare? Vox clamantis: Venio Hieroſolymam iterùm crucifigi. Ad quam vocem etſi alii tepidi, alii & ſurdi ſint, ſucceſſori Petri diſſimulare non licet. Loquetur & ipſe: (b) Etſi omnes ſcandaliſati fuerint, ſed non ego. Nec terrebitur damnis prioris exercitus, quibus magis reſarciendis operam dabit. Numquid ideò non debet facere homo quod debet, quia Deus facit quod vult?

De duobus Petri gladiis.

a Joan. 18.

b Matt. 26.

Rom. Pontif. eſſe in hoc opus incumbere.

IV. Ego verò pro tantis malis, tamquàm Chriſtianus & fidelis, meliora ſperabo, & omne gaudium æſtimabo, quòd in varias tentationes incidimus. Reverà panem doloris comedimus, & potati ſumus vino compunctionis. Quid diffidis, amice ſponſi, quaſi non more ſuo vinum bonum ſervaverit uſque adhùc benignus & ſapiens ſponſus? Quis ſcit, ſi convertatur & ignoſcat Deus, & relinquat poſt ſe benedictionem? & certè ſic operari, ſic judicare ſuperna divinitas ſolet. Scienti loquor. Quando autem magna bona mortalibus provenerunt, quæ non magna prævenerint mala? Nam ut cætera taceam, nonnè illud unicum & ſingulare beneficium noſtræ ſalutis præceſſit mors Salvatoris? Tu ergò, amice ſponſi, amicum te in neceſſitate probato. Si triplici illo amore, de quo tuus (c) interrogatus eſt prædeceſſor, tu quoque toto corde, tota anima, tota virtute Chriſtum diligis, ut oportet: nihil reſervabis, nihil diſſimulabis in tanto periculo ſponſæ ejus, ſed quidquid habes virium, quidquid zeli, quidquid ſollicitudinis, quidquid auctoritatis,

c Joan. 21.

A quidquid poteſtatis impendes. Singulare periculum ſingularem exigit operam. Fundamentum concutitur, & tamquam imminenti ruinæ totis eſt niſibus occurrendum. Et hæc propter vos fidenter quidem, ſed fideliter dicta.] Subdit autem de his quæ geſta eſſent in conventu illo Carnotenſi, his verbis:

V. S. Bernard. eligitur belli Dux primarius.

De cætero verbum illud, quod jam (ni fallor) audiſtis: quomodò videlicèt in Carnotenſi conventu (quonam judicio ſatis miror) me quaſi in ducem & principem militiæ elegerunt: certum ſit vobis, nec conſilii mei, nec voluntatis meæ fuiſſe
B vel eſſe, ſed nec poſſibilitatis meæ (quantum metior vires meas) pervenire uſque illùc. Quis ſum ego, ut diſponam caſtrorum acies? ut egrediar ante facies armatorum? Aut quid tàm remotum à profeſſione mea, etiam ſi vires ſuppeterent, etiam ſi peritia non deeſſet? ſed neque hoc meum eſt, veſtram docere ſapientiam. Noſtis hæc omnia. Tantùm obſecro per illam charitatem, qua mihi ſpecialiter debitor eſtis; ne me humanis voluntatibus exponatis, ſed ſicut ſingulariter vobis incumbit, divinum conſilium perquiratis, & operam detis, ut ſicut fuerit voluntas in
C cœlo, ſic fiat.] Hucuſque ad Eugenium Papam S. Bernardus, in ſpiritu quidem ardoris eum hortando, & ſpiritu humilitatis ejus conſilium rogando de his quæ eſſent agenda.

At quid hæc Eugenius Papa? Satis viſum, ſi S. Bernardus tuba ſacerdotali indiceret bellum, & ſive verbis docens, ſive concionibus, ſive ſcriptis litteris, ubi adeſſe non poſſet, Chriſtianum populum excitaret. Quod & quàm feliciſſimè præſtitit, & utiquè ſequentibus ſignis, quibus Dei voluntas evidens cunctis fieret, atque hoc Dei opus eſſe, cui ipſe tot ſi-
D gnis, quot litteris ſubſcribere videretur. Nam audi quæ de his tunc ſcripta ſunt à Gofrido in vita (d) S. Bernardi verbis iſtis, poſt declaratum de his Eugenii Papæ ipſi exhibitum munus, prædicandi & annuntiandi bellum ſacrum Fidelibus: Evidenter enim, inquit, verbum hoc prædicavit Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Sed quantis & quàm multiplicibus ſignis? quanta vel numerare, nedum narrare, difficile foret. Nam & eodem tempore ſcribi cœperant, ſed ipſa demùm ſcriptorem numeroſitas ſcribendorum, & materia
E ſuperavit auctorem: nimirùm cùm aliquando una die viginti, ſeu etiam plures ab incommodis variis ſanarentur, nec facilè ab hujuſmodi dies ulla vacaret. Denique plures eo tempore Chriſtus per ſervi ſui tactum & orationem, ex ipſis etiam matrum uteris cæcos videre, claudos ambulare, aridos convaleſcere, ſurdos fecit audire, & mutos loqui, mirabilius reſtituente gratia, quod minus præſtitum fuerat à natura.] Hæc ipſe. At quantum profecerit, vix credi poteſt. Quiſnam no-

Eugen. dat plenam facultatem S. Bernardo prædicandi expeditionē.

d Vit. S. Bernard. lib. 3. c. 4.

A nomen nō daret ſacræ militiæ, cùm tāto tonitru audiretur vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia? Vis ſcire quantum profecerit, audi iſta in fine epiſtolæ ad eumdem Eugenium Papam ita ſcribentem: (*a*) De cætero, inquit, mandaſtis & obedivi; & fæcundavit obedientiam præcipientis auctoritas. (*b*) Siquidem annuntiavi & locutus ſum, & multiplicati ſunt ſuper numerum. Vacuantur urbes & caſtella, & penè jam non inveniunt quem apprehendant ſeptem mulieres virum unum, adeò ubique viduæ vivis remanent viris.] Hæc ad Eugenium Papam ſanctus Bernardus, & quidem florida.

a *Bern. ep.* 246.
b *Pſal.* 39.

VI. B Ita planè. Quod enim auctoritate Apoſtolica indictum eſt bellum, Epiſcoporum Concilio probatum, Sanctorum prædicationibus annuntiatum, ſignis & miraculis comprobatum, cauſa (quod prætermiſeram) juſtiſſima promulgatum, atque ut apparet, undique ſanctificatum (quod faciendum monuit Jeremias:) (*c*) Quid minus habuit, ut non faverit ipſi Deus, qui voluit ipſum? Sed terribilis planè Deus in conſiliis ſuper filios hominum] ait (*d*) Pſalmus. Fuit ſanè (quod diximus) voluntas Dei & utique bona, ſed an beneplacens, C in omnibuſque perfecta: hoc exactè inquirendum, monet Apoſtolus ad Romanos ſcribens cùm ait: (*e*) Reformamini in novitate ſenſus veſtri, ut probetis quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens & perfecta,] in bono probando opere; bona utique Dei voluntas acceſſit, ſed in offerente non ſibi Deus complacuit, nec fuit voluntas Dei in eo. Non ergò reſpexit ad offerentem, licèt bona quæ eſſent, offerret, ſicut nec ad Cain, nec ad (*f*) munera ejus. Quid enim ab offerente requiritur Evangelica lege? Vade priùs (inquit (*g*) Dominus) reconciliare fratri tuo] multò magis patri tuo, magis magiſque verò patribus tuis. Quotnam D autem ſanctos Epiſcopos ſuarum ſedium Rex eſſe ipſe fecit extorres, & ſuis privavit paſtoribus Eccleſias: jam tu ipſe audiſti ex litteris ejuſdem S. Bernardi ſuperiùs recitatis. At dixerit quiſpiam: emendavit Rex iſta. Immò certum eſt non correxiſſe, & adhùc ea de cauſa Eccleſias interdicto perſeveraſſe ſubjectas. Eſt de his evidentiſſimum teſtimonium, quod Eugenius Papa ſeverè admodùm Apoſtolica cēſura punierit Rhemenſem Archiepiſcopum qui eò quòd Carnoti, ubi conventus ille pro expeditione Hieroſolymitana ageretur, diceretur celebraſſe Miſſam in loco interdicto, & ſo- E lemni ritu coronaſſe ipſum Regem, cujus rei cauſa eumdem Archiepiſcopum privaverit pallio. Quod tamen diſplicuit mirum in modum ſancto Bernardo, timenti ne Rex ejuſmodi occaſione ſuccenſus, à propoſito reſiliret: quam ob cauſam has tunc ad Eugenium litteras dedit: (*h*).

c *Hier.* 6.
d *Pſal.* 65.
Bellum ſacrum legitimè indictum.
e *Rom.* 12.
f *Geneſ.* 4.
g *Marc.* 5.
Peccata à Rege non correcta.
h *Bern. ep.* 243.

VII. Amantiſſimo Patri & domino Eugenio Dei gratia ſummo Pontifici Bernardus Claravallenſis Abbas modicum id quod eſt.

Parcat vobis Deus, quid feciſtis? faA ciem hominis verecundiſſimi confudiſtis, & cujus laus eſt in Eccleſia, ipſum in facie Eccleſiæ humiliaſtis; lætificaſtis omnes inimicos ejus, ſed quantos vos contriſtaſſe putatis? Non eſt modus condolendi, quia amicorum non eſt numerus. Dilectus à Deo & hominibus grandis criminis luit pœnas, nullius convictus, nullius confeſſus. Tenemus, Phinees ſentimus zelum; Iſraelites perfoditur, ſed non cum Madianitide. Imponitur ei quod Regem coronavit: ſed in hoc non exiſtimat exceſſiſſe ſe tenorem privilegiorum ſuorum. Obiicitur quòd ſcienter divina præſumpſerit B celebrare in Eccleſia interdicta. Negat. Suo tempore probabitur illud, purgabitur iſtud. Eſto autem, putemus omnia conſtare, quæcumque in abſentem adverſarius ejus licuit, aut libuit loqui: debuitne hoc ſolo exceſſu, cujus cætera laudabilia extiterunt, tàm durè feriri, tàm ſeverè animadverti? ſemel exceſſiſſe etiam virtus poterat reputari, ſi de veſtro, non de vultu inimicorum ejus judicium prodiiſſet.

S. Bernardus pro Rhemenſi Archiep. rogat Eugeniū Pap.

VIII. Deinde quid in arcto illo fieri oportebat? Dies celebris, ſolemnis Curia, juvenis Rex, & quod his majus eſt, Dei negotium de Hieroſolymitana ſcilicèt expedi- C tione, propter quod omnes convenerant. Prorsùs hæc omnia, Miſſarum, & coronæ regiæ ſolemnis, debitique honoris fruſtrationem nullatenùs admittebant. Sed nec ipſi Bituricenſi Archiepiſcopo omninò expediebat, ut honor Regis per eum impediretur. Quæ cùm ita ſe habuerint, æſtimamus locum miſericordiæ non deeſſe, ubi tanta neceſſitas typum excuſat contumaciæ. Numquid poteſtatem habetis tantum percutere, & nequaquàm ſanare? Noſtis qui dixerit: (*i*) Percutiam, & ego ſanabo. Abſit, ut cujus tenetis vicem, non uſurpetis & vocem, vocem præcipuè pietatis. Er- D gò ſola hac vice redeat ſagitta Jonathæ retrorſum, & ſi neceſſe fuerit, in me magis mittatur. Tolerabilius fateor, habuiſſem interdici mihi Miſſarum celebrationem, quàm Archiepiſcopo pallii uſum.

Excuſatur & delictū.
i *Deut.* 32.

Eſt etiam quod non mediocriter veſtro pio rigori obviat in hac parte, quòd filio veſtro Regi Ludovico poſſit hinc non parvæ offenſionis & irritationis occaſio dari, cùm ipſe ſibi tota mali hujus videatur eſſe occaſio. Quod planè tempore iſto non expedit, ne bonum, quod veſtro hortatu bono & magno animo cœpit, dignum (quod abſit) non habeat exitum, ſi in ſcandalo & E animi perturbatione hoc egerit.] Pergit dicere de copioſo proventu ea prædicatione collecto, quem nuper recitavimus.

IX. Sic igitur vides, Lector, non extincta, nec emendata, quæ Regem vidimus deliquiſſe, & præcipuè in cauſa Bituricenſis Archiepiſcopi, ex qua diſſidium ſumpſit originem, Quomodò ergo Deo placere poſſit, ſi Princeps altera manu pro Eccleſia pugnet, altera contra Eccleſiam prœlietur? At numquid non de his S. Bernardus & ſummus Pontifex Regem redarguerunt? Sanè quidē, & impenſo ſtudio, opportunè &

Expeditio Ludovici cur infeliciter ceſſerit.

Digitized by Google

importunè agentes apud ipſum litteris, ut ſuperiùs eſt pluribus demonſtratum. Quid ergò? Num quia ea corrigere prætermiſit, excludendus fuit ab hoc opere, quod vehementi ſtudio peragendum ſuſcepit? minimè gentium, ſed hortandus magis magiſque, ſi fortè Deus ad alia peragenda lumen ſuæ gratiæ impertiret. At dicet aliquis, ampliſſimum Jubilæum ab Eugenio Papa ipſi aliiſque ea de cauſa conceſſum, an non ſatis ad expianda maxima quæque delicta? ſanè quidem, ſi veram pœnitentiam ſatisfactio comitetur. Hæc præmiſiſſe, neceſſarium duximus; ne mens humana in ſcandalum impingat, quo juſtificans homines, Deum impiè aut impudenter accuſet, ſi non egreſſus eſt Deus in virtutibus noſtris, ſed reliquit in manibus inimicorum ſuorum. Pergamus jam enarrare rerum geſtarum hiſtoriam.

X. Annuntiato per ſanctum Bernardum pro expeditione verbo Dei in Gallia, conventus alius generalis indicitur, in quo illi, qui militiæ nomen dederant, crucem acciperent. De quo iſta (a) Otto Friſingenſis habet: Excitatis ad tranſmarinam expeditionem multorum animis, tandem Curia generalis apud Verzelacum Galliæ oppidum, ubi beatæ Mariæ Magdalenæ oſſa recondita ſunt, indicitur, convocatis ex diverſis Galliæ provinciis, Optimatibus, viriſque illuſtribus. Ibi Ludovicus Francorum Rex crucem à prætaxato Abbate cum multa mentis alacritate ſumens, militiam tranſmarinam profeſſus eſt cum Theodorico Flandrenſi, & Henrico Theobaldi Bleſenſis filio Comitibus, & aliis de regno ſuo Baronibus, viriſque nobilibus.] Hæc Otto. At iſta feliciter promoviſſe, non ſatis viſum ſancto Bernardo: alias quoque penetrat regiones.

a *Otto Friſing. de rebus geſtis Frid. lib. 1. cap. 36. & Ber. ep. 322*

S. Bernardus ad Germaniæ populos hortatio.

Itaque inſiſtens commiſſo ſibi operi ab Eugenio, ubi prædicatione præſens eſſe non potuit, ſcriptis litteris ad perſuadendum efficaciſſimis affuit, quarum adhuc aliquot reliquæ ſunt, ut inter alias quas dedit (ut habet Otto) ad Francos Orientales & Bajoarios, vel (ut apud ſanctum Bernardum legitur) ad Spirenſem Eccleſiam. Ad diverſos enim eædem dabantur, non eodem tantùm argumento, ſed interdum totidem verbis: ſic enim ſe habet.

XI. Domini & patribus chariſſimis Archiepiſcopis, Epiſcopis, & univerſo Clero & populo Orientalis Franciæ & Bajoariæ Bernardus Claravallenſis vocatus Abbas, ſpiritu fortitudinis abundare.

Bern. exhortatio ad Franc. & Bajoar.

Sermo mihi ad vos de negotio Chriſti, in quo eſt utique ſalus noſtra. Hæc dico, ut excuſet indignitatem perſonæ loquentis auctoritas Domini, excuſet & conſideratio propriæ utilitatis. Modicus quidem ſum, ſed non modicè cupio vos in viſceribus JESU CHRISTI. Ea nunc mihi ratio ſcribendi ad vos ea cauſa, ut univerſitatem veſtram litteris audeam convenire. Agerem id libentiùs viva voce, ſi ut voluntas non deeſt, ſuppeteret & facultas. Ecce nunc, fratres, tempus acceptabile, ecce nunc dies copioſæ ſalutis. Commota eſt ſiquidem & contremuit terra, quia cœpit Deus cœli perdere terram ſuam. Suam in qua viſus eſt, & annis pluſquàm triginta homo cum hominibus converſatus eſt: ſuam utique, quam illuſtravit miraculis, quam dedicavit ſanguine proprio, in qua primi reſurrectionis flores apparuerunt. Et nunc, peccatis noſtris exigentibus, Crucis adverſarii caput extulere ſacrilegum, depopulantes in ore gladii Terram benedictam, Terram promiſſionis. Propè eſt, ſi non fuerit qui reſiſtat, ut in ipſam Dei viventis irruant civitatem, ut officinas noſtræ redemptionis evertant, ut polluant loca ſancta, Agni immaculati purpurata cruore. Ad ipſum proh dolor, religionis Chriſtianæ ſacrarium inhiant ore ſacrilego, lectumque ipſum invadere & conculcare conantur, in quo & propter nos Vita noſtra obdormivit in morte.

XII. Quòd expeditio iſta ſit ſalutis occaſio.

Quid facitis viri fortes? quid facitis ſervi Crucis? Itane dabitis ſanctum canibus, & margaritas porcis? Quam multi illic peccatores confitentes peccata ſua cum lacrymis veniam obtinuere, poſtquàm patrum gladiis eliminata eſt ſpurcitia Paganorum? Videt hoc malignus & invidet, dentibuſque frendet & tabeſcit. Excitat vaſa iniquitatis ſuæ, nec ulla quidem tantæ pietatis ſigna aut veſtigia relicturus, ſi quando fortè (quod Deus avertat) obtinere valuerit illa ſancta Sanctorum. Verùm id quidem omnibus ſæculis deinceps inconſolabilis dolor, quia irrecuperabile damnum, ſpecialiter autem generationi huic peſſimæ infinita confuſio & opprobrium ſempiternum. Quid tamen arbitramur, fratres? Numquid (b) abbreviata eſt manus Domini, aut impotens facta eſt ad ſalvandum, quòd ad tuendam reſtituendam ſibi hæreditatem ſuam exiguos vermiculos vocat? Numquid non poteſt mittere Angelorum pluſquam duodecim legiones, aut certè tantùm dicere verbo, & liberabitur terra? Omninò ſubeſt ei cùm voluerit, poſſe. Sed dico vobis, tentat vos Dominus Deus veſter. Reſpicit ſuper filios hominum, ut ſi fortè ſit, qui intelligat, & requirat, & doleat vicem ejus. Miſeratur enim dominus populum ſuum, & lapſis graviter providet remedium ſalutis. Conſiderate quanto ad ſalvandos vos artificio utitur, & obſtupeſcite. Intuemini pietatis abyſſum, & confidite peccatores. Non vult mortem veſtram, ſed ut convertamini & vivatis; quia ſic quærit occaſionem non adversùm vos, ſed pro vobis. Quid eſt enim niſi exquiſita prorsùs & inventibilis ſoli Deo occaſio ſalvationis, quòd homicidas, raptores, adulteros, perjuros, cæteriſque obligatos criminibus, quaſi gentem, quæ juſtitiam fecerit, de ſervitio ſuo ſubmonere dignatur Omnipotens? Nolite diffidere peccatores, benignus eſt Dominus. Si vellet punire vos, ſervitium veſtrum non modò non expeteret, ſed nec ſuſciperet quidem oblatum. Iterùm dico, penſate divitias bonitatis Dei altiſſi-

b *Iſ. 50.*

altiſſimi, conſilium miſerationis attendite, neceſſitatem ſe habere, aut facit, aut ſimulat, dum veſtris cupit neceſſitatibus ſubvenire. Teneri vult debitor, ut militantibus ſibi ſtipendia reddat, indulgentiam delictorum & gloriam ſempiternam. Beatam ergò dixerim generationem, quam apprehendit tàm verbis indulgentiæ tempus, quam invenit ſuperſtitem annus iſte placabilis Domino, & verè Jubilæus. Diffunditur enim hæc benedictio in univerſum mundum, & ad ſignum vitæ certatim convolant univerſi.

XIII. *Ab honore & utili.* Quia ergò fœcunda eſt terra veſtra virorum fortium, & robuſta noſcitur juventute referta, ſicut laus eſt veſtra in univerſo mundo, & virtutis veſtræ fama replevit Orbem terrarum: accingimini & vos viriliter, & felicia arma accipite Chriſtiani nominis zelo. Ceſſet priſtina illa non militia, ſed planè malitia, qua ſoletis invicem ſternere, invicem perdere, ut ab invicem conſumamini. Quæ miſeros tàm dira libido excitat, quòd proximi corpus gladio, cujus fortaſsè & anima perit, transverberent? ſed nec effugit, qui glorietur: & ipſius animam pertranſibit gladius, cùm ſolum hoſtem gaudeat occidiſſe. Illi ſe dare diſcrimini, inſaniæ eſt, non virtutis; nec audaciæ, ſed amentiæ potiùs eſt adſcribendum. Habes nunc fortis miles, habes vir bellicoſe, ubi dimices abſque periculo; ubi & vincere gloria, & mori lucrum. Si prudens mercator es, ſi conquiſitor hujus ſæculi, magnas quaſdam tibi nundinas indico, vide ne pereant. *Jubilæum indictum.* Suſcipe Crucis ſignum, & omnium pariter, de quibus corde contrito confeſſionem feceris, indulgentiam obtinebis. Materia ipſa ſi emitur, parvi conſtat; ſi devoto aſſumitur humero, valet ſine dubio regnum Dei. Benè ergò fecerunt, qui jam cœleſte ſignaculum ſuſceperunt, benè cæteri faciunt. Sed nec ad inſipientiam eis, ſi feſtinent & ipſi apprehendere, quod & eis in ſalutem exiſtat.] Pergit poſt hæc monere, ne Judæos interficerent, neque effugarent. Demùm verò hæc pro cautela ad finem ponit:

XIV. *Quæ cavenda, ſalubriter monet.* Illud quoque admonitos vos eſſe eſt neceſſe, fratres dilectiſſimi, ut ſi quis fortè amans primatum gerere inter vos, expeditione ſua regni voluerit exercitum prævenire, nullatenùs audeat: & ſi à nobis miſſum ſe ſimulet, non eſt verum: aut oſtendat litteras tamquàm à nobis datas, ſed omninò falſas, ne dicam furtivas eſſe dicatis. Viros bellicoſos & gnaros talium duces eligere eſt, & ſimul proficiſci exercitum Domini, ut ubique habeat robur, & non poſſit à quibuslibet violentiam ſuſtinere. Fuit enim in priori expeditione, antequàm Hieroſolyma caperetur, vir quidam Petrus nomine, cujus & vos, ni fallor, ſæpè mentionem audiſtis. Is populum qui ſibi crediderat, ſolum cum ſuis incedens tantis periculis dedit, ut aut nulli, aut pauciſſimi eorum evaſerint, qui non corruerint aut fame, aut gladio. Propterea omninò timendum eſt, ſi ſimiliter & vos feceritis, ne contingat & vobis ſimiliter, quod avertat à vobis Deus, qui eſt benedictus in ſæcula. Amen.] Hactenùs ſanctus Bernardus. Qui non ſolùm ejuſdem argumenti, ſed totidem fermè verbis immutatis, vel decurtatis perpaucis, litteras ad alias civitates mittere conſuevit, ut apparet ex illis datis ad Brixienſes in Gallia ciſalpina populos, quas repertas in ſcripto codice, in quo eſt vita SS. Fauſtini & Jovitæ, & aliis, hic deſcribendas curavimus, quæ ſic ſe habent:

XV. Manfredo Brixienſis Eccleſiæ Epiſcopo, necnon Conſulibus, militibus, & univerſis populis ſub eo conſtitutis, Frater Bernardus Claræ-vallis vocatus Abbas ſpiritu fortitudinis abundare.

Ad Brixienſes exhort. S. Bernardi. Sermo mihi ad vos de Chriſti negotio eſt, qui eſt utique veſtra ſalus. Excuſet proinde exiguitatem perſonæ loquentis conſideratio propriæ utilitatis. Licèt enim exiguus ſim, & nullius momenti homuncio, cupio tamen omnes vos in viſceribus JESU CHRISTI. Et ecce nunc tempus acceptabile, & dies copioſæ ſalutis. Commota eſt & contremuit terra, quia cœli Dominus cœpit perdere terram ſuam. Suam, quam tricenaria eſt inhabitatione dignatus: ſuā, quam dedicavit proprio ſanguine: ſuam, quam honoravit gloria reſurrectionis. Et nunc peccatis exigentibus Crucis adverſarii caput extulere ſacrilegum, depopulantes in ore gladii Terram benedictam, Terram promiſſionis. Heu propè eſt, ut in ipſam irruant civitatem Dei viventis & virtutum, ut officinam noſtræ redemptionis evertant, polluant ſancta loca, Agni immaculati purpurata cruore. Proh dolor, ad ipſū præcipuum Chriſtianę religionis ſacrariū, vitæ theſaurum, divitias ſalutis, inhiant ore ſacrilego, & radicitùs conantur evellere, & diſſipare lectum, in quo propter nos Dominus majeſtatis obdormivit in morte.

XVI. Quid facitis viri fortes? quid facitis ſervi Crucis? Itane dabitur ſanctum canibus, & margaritæ porcis? Si ſemel ſtripuerint ſancta illa Sanctorum, ubi jam plurimi peccatores adepti ſunt veniam delictorum; certum eſt, ne ulla quidem eos ſigna ac veſtigia relicturos. Verùm id quidem omnibus ſæculis incomparabilis dolor, quia irrecuperabile damnum; ſpecialiter autem huic generationi infinita confuſio, & opprobrium ſempiternum. Numquid* tantum arbitramur, quòd abbreviata ſit manus Domini, & facta impotens ad ſalvandum, quod exiguos terræ vermiculos vocat ad tenendam hæreditatem ſuam? Numquid non mittere poteſt Angelorum pluſquàm duodecim legiones, aut certè tantùm dicere verbo, & liberabitur terra? Omninò ſubeſt ei, cùm voluerit poſſe. Sed dico vobis, tentat vos Dominus Deus veſter. Reſpicit ſuper filios hominum, ſi fortè quis intelligat, & requirat, & doleat vicem ejus. Miſeratur enim populum ſuum Deus, & lapſis graviter providet remedium ſalutare. Conſiderate quanto ad ſalvandos vos artificio utitur, & obſtupeſcite. In-

* tamen

tremini pietatis abyſſum, & redite in ſpem peccatores. Non vult mortem veſtram, ſed ut convertamini & vivatis; qui ſic quærit occaſionem, non adverſùm vos, ſed pro vobis. Quid eſt enim niſi exquiſita prorsùs & inventibilis ſoli Deo ſalvationis occaſio, quòd homicidas, raptores, adulteros, & perjuros, cæteriſque obligatos criminibus, quaſi gentem quæ juſtitiam fecerit, de ſervitio ſuo ſubmonere dignatur Omnipotens?

Confidite peccatores, quia benignus eſt; & ſi vellet punire vos, ſervitium veſtrum non tantummodò non expeteret, ſed ne ſuſciperet quidem. Teneri vult debitor, ut ſibi militantibus ſtipendia reddat, veniam peccatorum, & gloriam ſempiternam. Secura plane & fructuoſa militia, ubi ſit & victoria glorioſa, & mors ipſa felicior. Beatam dixerim generationem, quam apprehendit tàm uberis indulgentiæ tempus, quam ſuperſtitem invenit verè Jubilæus hic annus, annus placabilis Domino. Diffunditur hæc benedictio in univerſum terram, & ad ſuſcipiendum ſignum vitæ certatim convolant univerſi. Quia ergò fecunda eſt virorum fortium terra veſtra, & robuſta noſcitur juventute referta; ſicut eſt laus veſtra in univerſo mundo, & virtutis veſtræ fama replevit Orbē: accingimini & vos viriliter, & felicia arma corripite Chriſtiani nominis zelo, ad faciendam vindictam in nationibus, & increpationes in populis. Valete. Amen.] Hactenùs ad Brixienſes, & ad alias civitates ubique terrarum.

XVII. Sed ut revertamur ad ſuperiora, quidnam ſit, quod in recitata ante iſtam epiſtola ad Germaniæ populos, monet in fine ut abſtineant ab internecione Judæorum, diſces ab Ottone, qui aderat, aitque: (a) Inter hæc Radulphus monachus, vir quidem religionis habitum habens, religioniſque ſeveritatem ſolerter imitans, ſed litterarum notitia ſobriè imbutus, eas partes Galliæ, quæ Rhenum attingunt, ingreditur, multaque populorum millia ex Agrippina, Moguntia, Vvormatia, Spira, Argentina, aliiſque vicinis civitatibus oppidis, ſeu vicis ad accipiendam crucem accendit. Hoc tamen doctrinæ ſuæ non vigilanter interſerens, quòd Judæi in civitatibus, oppidiſque paſſim manentes, tamquàm Chriſtianæ religionis hoſtes trucidarentur. Quod doctrinæ ſemen in multis Galliæ Germaniæque civitatibus vel oppidis tàm firmiter radicem figens germinavit, ut plurimis ex Judæis hac tumultuoſa ſeditione necatis, multi ſub Principis Romanorum alas tuitionis cauſa confugerent. Undè factum eſt, ut non pauci ex ipſis hujuſmodi immanitatem fugientes, in oppido Principis, quod Noricum, ſeu Nurenberg appellatur, aliiſque municipiis ejus ad conſervandam vitam ſe reciperent. At præfatus Claravallenſis Abbas hujuſmodi doctrinam præcavendam docens, ad Galliæ, Germaniæque populos nuntios, ſeu litteras deſtinavit, quibus ex auctoritate ſacræ paginæ luculenter oſtendit, Judæos ob ſcelerum

a Otto Friſing. de geſt. Frid. lib. 1, c. 37.

De Judæis necandis prava dānatur opinio.

A ſuorum exceſſus non occidendos, ſed diſpergendos fore &c.]

XVIII. Extat autem epiſtola ejuſdem S. (b) Bernardi ad Henricum Archiepiſcopum Moguntinum adverſùs eumdem Radulphum eremitam, necem Judæorum prædicantem, qua eum pluribus notis ſugillat infamiæ. Nam poſt exordium hæc habet: Homo ille, de quo agitur in litteris veſtris, neq; ab homine, neque per hominem, ſed neque à Deo miſſus venit. Quòd ſi ſe monachum aut eremitã jactat, & ex eo ſibi aſſumit libertatem vel officium prædicationis: poteſt ſcire & debet, quòd monachus non habet docentis, B ſed plangentis officium, quippè cui oppidum carcer eſſe debet, ſolitudo paradiſus. Hic verò à contrariis, & ſolitudinem pro carcere, & oppidum habet pro paradiſo. O homine ſine pectore, ò hominem ſine fronte, cujus ſtultitia elevata eſt ſuper candelabrum, ut appareat omnibus, qui ſunt in domo! Tria ſunt in eo reprehenſione digniſſima, uſurpatio prædicationis, contemptus Epiſcoporum, homicidii approbata libertas.] Et poſt multa in confutationem hæreſis hæc de ipſo: Tua doctrina non eſt tua, ſed ejus qui miſit te, patris. Sed credo ſufficit tibi, ſi ſis ſicut magiſter tuus. Ille C enim erat homicida ab initio, ille mendax, & pater mendacii. O monſtruoſa ſcientia! ò ſapientia infernalis, contraria Prophetis, & Apoſtolis inimica, ſubverſio pietatis & gratiæ! O immundiſſima hæreſis! ò meretrix ſacrilega, quæ impregnata de ſpiritu falſitatis, concepit dolorem & peperit iniquitatem. Libet, ſed non licet ultrà progredi. Ad ultimum, ut omnia quæ ſentio ſuper his, breviter comprehendam: homo eſt magnus in oculis ſuis, plenus ſpiritu arrogantiæ, verba & opera ejus prætendunt, quod conatur ſibi facere nomen juxta nomen magnorum qui ſunt in terris; D ſed non habet ſumptus ad perficiendum. Vale.] Hucuſque de Radulpho novæ hæreſis auctore Bernardus.

b Bern. ep. 323.

Adverſùs Radulphū Hæreticū.

XIX. Rursùm verò, quod ad inferendam Judæis necem pertinet, Petrus inſuper Cluniacenſis Abbas (c) ſcribens ad Ludovicum Francorum Regem, pro eadem expeditione promovenda, de Judæis pariter agens, eos non occidendos quidem exiſtimat, ſed impunitos non relinquendos de exceſſibus ſuis, quibus bona Chriſtianorum vel uſuris exhauriant, vel emendo furto rapta poſſideant; quibus eos juſtè expoliandos ſuadet, iiſdemque militantes pro E Chriſto alere milites. Ut autem iis temporibus penes omnes Judæi execrabiliores haberentur præter antiquam maledictionem, qua tenetur omne genus eorum aſtrictum, recentia acceſſerunt demerita, & præſertim ea quæ hoc anno ab eis ſunt ſceleſtiſſimè p. ſpetrata: quæ cùm innotuiſſent Orbi, Fideles omnes in eos ſunt vehementer incenſi. Siquidem hoc anno Judæi implacabili odio, quo cum Chriſto Chriſtianos omnes ſemper ſunt perſecuti, execrandum facinus perpetrarunt, quod à Roberto de Monte in appendice ad Sigebertum

c Petr. lib. 5. ep. 33.

Petr. Clun. Abbas quid de Judæis.

ita

A ita paucis deſcribitur: Apud Norvicum Angliæ civitatem Judæi crucifixerunt puerum quemdam Chriſtianum nomine Vuilleimum: quem etiam foras civitatem ab eis ſepultum divina lux (ut ferunt) ſuper eum emicans declaravit: ſicque à Fidelibus inventus, honorabiliter eſt in Eccleſia poſitus.] Crevit ob ejuſmodi eorum ſcelera in Judæos odium immenſum, quo cæderent eos Chriſtiani milites frequenter. Sed & quod ſtylo diſerto eos exagitavit Petrus Abbas Cluniacenſis: crevit magis, adeò ut de omnibus Judæis necandis data fuerit ea occaſio proclamandi, quam B nuper vidimus per S. Bernardum eſſe repreſſam.

XX. Sed redeamus ad eumdem Bernardum operi inſiſtentem. Ipſe quidem præter alios hoc anno inſumptos labores, ubi ad finem præſens inclinaret annus, ſe contulit in Germaniam, ut Conradum Romanorum Regem in expeditionem Hieroſolymitanam ad decorum Chriſti ſignaculum (ut cum Francorum Rege fecerat) ſuſcipiendum hortaretur. De quo iſta Friſingenſis Antiſtes, & ipſe unus ex cruce ſignatis: (a) Igitur innumerabilibus in Occidentali Gallia ad tranſmarinam expeditionem excitatis, Bernardus prædicationis nomine movendum Orientale Francorum regnum aggredi diſponit, tàm ob hoc, ut animum Principis Romanorum ſacræ exhortationis verbo ad accipiendam crucem emolliret, quàm ut Radulpho occaſione Judæorum crebras in civitatibus ſeditiones populo contra dominos ſuos moventi ſilentium imponeret. Audiens hoc Princeps, Generalem Curiam in Nativitate Domini apud Spiram civitatem celebrandam indixit. Quò veniens prædictus Abbas, Principi cum Friderico fratris ſui filio, aliiſque Principibus & viris illuſtribus crucem accipere perſuaſit, plurima in publico vel occulto faciendo miracula, Moguntiam quoque veniens, Radulphum in maximo favore populi morantem invenit. Quo accerſito præmonitoque, ne contra monachorum regulam per Orbem vagando, propria auctoritate verbum prædicationis aſſumeret; tandem ad hoc eum, ut ſibi promiſſa obedientia, in cœnobium ſuum tranſiret, induxit, populo graviter indignante, & niſi ipſius ſanctitatis conſideratione revocaretur, etiam ſeditionem movere volente.] Hactenùs de Bernardi rebus geſtis anni hujus in Gallia atque Germania.

a Otto Friſ. de geſt. Frider. l. 1. c. 39

Bern. res geſtæ in Germania.

XXI. At non ſimplex in terram ſanctam tantum indicta fuit à Papa Eugenio expeditio, ſed duplex, altera (ut dictum eſt) in Palæſtinam, altera adversùs boreales Paganos adhùc populos, diverſæque iis dabantur pro teſſera militari ſanctæ Crucis imagines. Quod habes expreſſum ab eodem Ottone Friſingenſi, qui aderat, dum ait: (b) Saxones verò, quia quaſdam gentes ſpurcitiis idolorum deditas vicinas habent, ad Orientem proficiſci abnuentes, cruces itidem, eaſdem gentes bello attentaturi, aſſumpſerant, à noſtris in hoc diſtantes; quod non ſimpliciter veſtibus aſſutæ cruces ſcilicèt, ſed à rota ſubterpoſita in altum protendebantur.] Hæc Otto, qui iſta tunc præſens inſpiciebat. Sed qui tunc ſcribebat Saxo Grammaticus, de iſta expeditione in boreales Paganos ſicut luculentiùs, ita & locupletiùs tractat, aitque: (c) Per eadem tempora Romanus Antiſtes barbaricæ tempeſtatis procella rem divinā penè obrutā everſamque conſpiciens: datis per Europam epiſtolis, univerſos Chriſtianæ credulitatis hoſtes ab ejus cultoribus oppugnari præcepit. Singulæ autem B Catholicorum provinciæ confinem ſibi barbariem inceſſere jubebantur. Ne ergò Dani privatæ militiæ rebus publicæ religionis officia detractarent; ſumptis ſacræ peregrinationis inſignibus, imperium amplectuntur. Igitur Canutus ac Sveno invicem obſidibus datis, depoſitiſque inimicitiarum exercitiis, rei melius gerendæ gratia pacem pro tempore ſtatuunt, revocatumque à ſuis viſceribus ferrum, ad ſacrorum vindictam convertunt. Diſcordiam itaque à regni æmulatione profectam ſociæ expeditionis fœdere caſtigantes, junctis C viribus Sclaviam petunt, Germanis ex condicto diverſam ejus invadentibus plagam.] Erant hi Saxones, ut audiſti ex Ottone nuper: nam & paulò inferiùs idem Saxo hæc ſubdit: Occurrunt in litore Saxones, & ipſi vindicandæ religionis cupientiſſimi, militiæ ſocii Danis futuri:] ſed quàm parùm felicem exitum habuerit expeditio iſta, ad ſociale bellum converſis Principibus, idem Saxo pluribus narrat. At non in boreales tantùm Paganos, ſed & in Sarracenos illos, qui adhùc loca quamplurima Hiſpaniæ poſſidebant, expeditionem navalem motam eſſe, Dodechinus tra- D dit in Chronico anno ſequenti. Quod autem in Paganos idolorum cultores perfici hoc anno non potuit, feliciter poſtrà peractū per Vualdemarum filium S. Canuti martyris Daniæ Regis ſuo loco dicturi ſumus.

b Idem l. 1. c. 40. in fin.

Duplex indicta expeditio.

c Saxo Gram. l. 14.

In Sclavos expeditio.

In Sarracenos expeditio.

XXII. Quod autem nuper audiſti ſanctum Bernardum conteſtatum eſſe, ne litteras tamquàm à ſe miſſas acciperent, quas ſcire deberent penitùs eſſe falſas: ſciendum eſt, quòd his diebus idem ſanctus Bernardus paſſus eſt ab uno ſuorum intimorum monachorum fallacias, qui falſis litteris tamquàm ab ipſo ſcriptis, falſoque ſigillo uſus, pro animi arbitrio, prout ſibi expe- E dire videretur, ad diverſos datis, uſus erat. Latuit falſarius aliquamdiu ſub hypocriſis velamento: demùm Dei voluntate detectus eſt. De his & queſtus eſt apud Eugenium Papam, (d) ſcribens, ac dicens: Periclitati ſumus in falſis fratribus, & multæ litteræ falſatæ ſub falſato ſigillo noſtro in manus multorum exierunt, & quod magis vereor, etiam uſque ad vos dicitur falſitas pervolaſſe. Hac neceſſitate abiecto illo novello, quod cernitis de novo utimur, continente & imaginem noſtram, & nomen. Figuram aliam tamquàm ex noſtra parte jam non recipiatis, niſi fortè pro Epi-

De Nicolao falſario.

d Bern. ep. 284.

A ſcopo Clarimontis, cui ſub altero ſigillo litteras dedi, cùm necdum iſtud haberem.] Hæc ipſe. At quid impoſtor falſarius? ſicut Bernardus vetus ſigillum abjecit & novum formavit; ita ipſe, rejecto illo, quod ampliùs non eſſet in uſu, novum in ſimilitudinem illius quod formandum curarat ipſe Bernardus, effigiandum curavit, ut idem ipſe ſanctus Bernardus affirmat in aliis litteris ad Eugenium Papam.

XXIII. At quiſnam fuerit iſte perverſiſſimus homo, qui adeò immane ſcelus præſumpſerit, aliis litteris ad eundem Eugenium datis ſic aperit: (a) Nicolaus iſte exiit à

a Idem ep. 298. Bernar. ad Eug. quid de Nicolao falſario.

B nobis, quia non erat ex nobis. Exiit autem, fœda poſt ſe relinquens veſtigia. Et ego longè antè hominem noveram, ſed expectabam, ut aut Deus eum converteret, aut inſtar Judæ ipſe ſe proderet. Quod & factum eſt. Præter libros, denarios, & aureos multos, in ipſo exitu ejus inventa ſunt ſuper eum ſigilla tria, unum ejus proprium, alterum Prioris, tertium noſtrum ipſumque non antiquum, ſed novellum, quod & ob ipſius dolos & furtivas ſurreptiones mutare nuper coactus fueram. Hoc enim eſt, quod vobis tacito nomine ſcripſiſſe me memini, quia videlicèt periclitati ſumus in falſis fratribus.

C Quis poſſit dicere, ad quem multas perſonas ſub nomine meo, me ignorante, quæ voluit, ſcripſit? Quis mihi det, ut ipſa Curia veſtra ad purum purgetur fæce mendaciorum ejus? Quis mihi det, ut vel eorum innocentia, qui mecum ſunt, ſatis valeat excuſari apud circumventos & præventos impudentiſſimis ejus mendaciis? Vobis quoque aliquoties in eadem falſitate ſcripſiſſe, & non ſemel, partim convictus, partim & confeſſus eſt. De turpitudinibus ejus, quibus terra ſordet, & factæ ſunt omnibus in parabolam, ſuperſedeo polluere labia mea & veſtras aures.

D Si ad vos venerit (nam hoc gloriatur, & amicos ſe habere confidit in Curia) mementote Arnaldi de Brixia, quia ecce plus quàm Arnaldus hic. Nullus perpetua dignior concluſione, nihil ei perpetuo ſilentio juſtius.] Hæc ad Eugenium Bernardus.

XXIV. *Quis iſte Nicolaus falſarius fuerit.* Qui dum & nomine ipſum notat, & coloribus pingit, nempè comparans Arnaldo de Brixia, ipſum fuiſſe doctum inſinuans, quique plurimùm obeſſe poſſit Eccleſiæ Dei, niſi perpetuo ſilentio os ipſius obſtrueretur; quique etiam talis eſſet, qui in ſcribendo ejuſdem S. Bernardi ſtylum imitaretur, adeò ut tantùm ſigillo litteris addito, ipſius ore credi potuiſſent eſſe dictata:

E planè in eam ſententiam adducor ut exiſtimem, hunc illum eſſe Nicolaum monachum Ciſtercienſem, S. Bernardo conjunctum, virum doctrina inſignem, & ſcribendi peritia præſtantem, qui ex Cluniacenſibus tranſiiſſet ad Ciſtercienſes; quem Petrus Cluniacenſis plurimùm coluit, atque (b) litteris frequentavit, talem eum eſſe exiſtimans, qualis foris per litteras appareret. De ipſo enim ad S. (c) Bernardum alias litteras dedit, ut ad

b Pet. Clun. l.6. ep. 7. 31. 35. 37. 47.
c Idem ibid. ep. 5. 30. 36.

A ſe mitteret eum litterarum conſortio amantiſſimum; & Bernardi ad Petrum reſponſiones extant, & ejuſdem Petri de ipſo ad alios (d) Ciſtercienſes. Inſuper & ejuſdem Nicolai ad ipſum Petrum epiſtolæ datæ binæ habentur, (e) quibus cùm ſignificetur, ipſum fuiſſe eidem S. Bernardo charum, ſummèque conjunctum, quàm benè imitatus eſſet ejus ſcribendi ſtylum, ex ipſis ſatis apparet, quarum alterius eſt exordium: (f) Patri ſuo domino Cluniacenſi frater Nicolaus. Indica mihi quem diligit anima mea. Quando veniam & apparebo ante faciem tuam? Quando videbo te?

d Pet. Clun. l.6. ep. 1. 52.
e Idem ibid. ep. 38. 39.
f Idem ibid. ep. 34.

B quando conſolaberis me? conſolaberis, inquam, quia conſolatio abſcondita eſt ab oculis meis, donec videam & deſideratam & deſiderandam præſentiam tuam: & triſtis eſt anima mea uſque ad te, &c.] Ut meritò ipſe (g) Petrus melleas ejus litteras dicat, ſummèque laudet, his ſcilicèt verbis: (h) Si talis, inquit, eſt ſtylus tuus: qualis eſt animus tuus? ſi talis littera tua: qualis lingua tua?] Et alia plura de laude litterarum ejus, ut planè Bernardum redoleret ſtylo, cui eſſet longè moribus impar, ac planè contrarius. Ita ſanè in hac miſera vita tenebris obvoluta, falſitatibus plena

g Idem ibid. ep. 35.
h Idem ibid. ep. 37.

C ſæpè periclitari contingit in falſis fratribus, ſed verum illud, quod Veritas dixit: (i) Nihil occultum quod non ſciatur.] Et certum illud (k) Job, quòd gloria hypocritæ ad inſtar puncti. Quod autem tantus eſſet, ut ſententia S. Bernardi Arnaldum de Brixia ſuperaret hæreſiarcham, nec de eo alia uſquam mentio: fortè accidit, ut Eugenius Papa (ut viſum ipſi Bernardo) perpetuo carceri hominem manciparit, perpetuoque ſilentio condemnarit. Sed de his hactenùs.

i Matt. 10.
k Job 20.

XXV. *Pulcherus Patriarcha Hieroſol.* Hoc eodem anno Vuillelmus Patriarcha Hieroſolymitanus, ubi abſolviſſet in

D ſede annos quindecim, ex hac vita deceſſit: in cujus locum ſubrogatus eſt Fulcherus Tyri Archiepiſcopus, de quo ſuperiùs dictum eſt. Hæc ex (l) Vuillelmo. Porrò Tyriæ metropoli (inquit idem auctor) ſubſtitutus eſt vir miræ ſimplicitatis & manſuetudinis, timens Deum, & recedens à malo, cujus memoria in benedictione eſt apud Dominum, & homines, dominus Petrus Dominici Sepulchri Prior, de citeriore natus Hiſpania, de civitate Barcinona, nobilis ſecundùm carnem, ſed ſpiritu nobilior, cujus vita & converſatio longiores & diligentiores poſtulant tra-

l Vuill. Tyr. l.16. c.17.

E ctatus, ſed nos hiſtoria revocat, ut omiſſis ſpecialibus, de publicis edDiſſeramus.] Hæc ipſe. Porrò exploſum fuiſſe narrat Radulphum Cancellarium cui Rex favebat, ſed reſiſtebat Joannes Piſanus ejuſdem Tyrenſis Eccleſiæ Archidiaconus, qui, inquit, poſteà fuit Cardinalis S. R. E. tituli ſanctorum Silveſtri & Martini.] Subdit verò, quòd cùm Radulphus biennio ſediſſet intruſus, Eugenii Papæ ſententia fuerit indè demotus.

Petrus vir egregiæ ſanctitatis Tyri Archiepiſcopus.

XXVI. *Obitus Oxytæ.* Hoc eodem anno Michael Oxyta Patriarcha Conſtantinopolitanus, cùm ſediſſet annos

Digitized by Google

nos duos & menſes octo, ut habet Græca ſeries Patriarcharum Conſtantinopolitanorum, ſe abdicavit: de quo iſta habet Nicetas Choniata his verbis: Is Michael ſummus ſede ultrò ceſſit, & in Oxyam inſulam rediit, in qua vitæ inopis & ſimplicis inſtitutum à puero fuerat amplexus. Ibi in templi veſtibulo proſtratus, cuivis monacho collum calcandum præbuit, quod contra quam ſibi expediret, adamatam à primis annis quietem repudiaſſet, nulloque cum fructu thronum ſublimem conſcendiſſet.] Hæc Nicetas, qui de ejus ſucceſſore mox ſubiicit iſta:

A

Coſmus verò tùm in numero diaconorũ erat, patria Æginetа, & quamvis eruditiſſimus, virtutum tamen choro erat illuſtrior. In primis benignitate erga pauperes erat inſignis, quæ tamquàm in pretioſo monili gemma radians, ſic ipſa inter virtutes cœteras elucebat. Adeò ut aliquando pallium & tunicam, & lineam calyptrã capitis pauperibus, miſericordis motus diſtribueret, nec de ſuo tantùm largiretur, ſed alios etiã, ut pauperum inopiæ ſubvenirent, impelleret.] Hæc de Coſmo Nicetas. In ſerie Patriarcharum Conſtantinopolitanorũ menſes tantùm decem hic ſediſſe ponitur.

Coſmus Patriarcha.

B

JESU CHRISTI ANNUS 1147. EUGENII PAP. III. ANNUS 3. CONRADI REG. ROM. 9. MANUELIS IMP. 5.

I. Legati duo decernuntur pro expeditione in terrã ſanctam.

ANNUS incipit Redemptoris milleſimus centeſimus quadrageſimus ſeptimus, Indictione decima, quo ab Eugenio Papa duo è latere decernuntur Legati S. R. E. Cardinales pro expeditione in Terram ſanctam, alter qui proficiſceretur cum Ludovico Francorum Rege, & iſte fuit Guido Florentinus presbyter Cardinalis tituli ſancti Chryſogoni; alter verò, qui in Conradi Regis exercitu eo munere fungeretur, iſteque fuit Theodinus Cardinalis Epiſcopus Portuenſis. Hæc hujus temporis ſcriptor Vvillelmus Tyrius Archiepiſcopus.

Conradus Rex Rom. cum ſuis crucem accepit.

Porrò Conradus Rex Romanorum indicto generali conventu ad menſem Februarium, ibi cum ſuis militiæ teſſeram crucem accepit. De his autem unus ex illis cruce ſignatus (a) Otto Friſingenſis ita ſcribit: Poſt hæc Princeps Bajoariam ingreditur, ibique menſe Februario generalem Curiam celebravit, ducens ſecum vice Clarævallenſis Abbatis Eboracenſem Abbatem Adam: virum religioſum & honeſtè eruditum. Qui Miſſarum ſolemnia ex more celebrans, invocataque ſancti ſpiritus gratia, ambonem aſcendit, ac lectis Apoſtolicæ Sedis & Clarævallenſis Abbatis litteris, brevi exhortatione facta, penè omnibus qui aderant, præfatam militiam profiteri perſuaſit. Neque enim perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, vel artificioſa, juxta præcepta Rhetorum oratione, circuitus inſinuatione egebat, cunctis qui aderant, ex priori rumore excitatis, ad accipiendam crucem ultrò accurrentibus. Accepere eadem hora crucem tres Epiſcopi, videlicèt Henricus Ratiſponenſis, Otto Friſingenſis, Reginbertus Potavienſis, & Dux Noricorum Henricus frater Regis, de ordineque Comitum, nobilium, virorum illuſtrium innumerabiles. Tanta etiam, mirum dictu, prædonum & latronum advolabat multitudo, ut nullus ſani capitis hanc tàm ſubitam, quàm inſolitam mutationem ex dextera Excelſi provenire non cognoſceret; cognoſcendo, attonita mente non ſtupeſceret. Guelpho quoque Henrici prioris Ducis frater de nobiliſſimis regni Optimatibus, in ipſa Nativitatis Dominicæ nocte, in propria villa Bitengou eamdem militiam cum multis profeſſus fuerat. Sed & Dux Boemorum Labeslaus & Styrenſis Marchio Odoacer, & Carinthiæ illuſtris Comes Bernardus non multò pòſt cum multo ſuorum comitatu cruces accepere.] Et inferiùs: (b)

a Otto in Frid. lib. 1. c. 40.

C

b Idem ibid. c. 42. 43.

II. Igitur non ſolùm ex Romano Imperio, ſed etiam ex vicinis regnis, id eſt Occidentali Francia, Anglis, Pannonia, innumeris populis ac nationibus hac expeditionis fama ad ſumendam crucem commotis, repentè ſic totus penè Occidens ſiluit, ut non ſolùm bella movere, ſed & arma quempiam in publico portare, nefas haberetur.] Ita cruce ſignatis illis omnibus (ut idem ait auctor) in Aſcenſione Domini Conradus Rex iter Orientem verſus capeſſit, quẽ multa infortunia ſecuta ſunt, quæ deſcribuntur ab ipſius peregrinationis comite Ottone Epiſcopo (c) Friſingenſi. Pervenit Conradus poſt multa incommoda ad Conſtantinopolitanæ urbi proximam regionem die ante Nativitatem Dei Genitricis Mariæ. Porrò totum quod fuit reliquum hujus anni, & partem ſequentis, antequàm appellerent in Palæſtinam, conſumpſerunt noſtri in itinere multis moleſtiis afflicti. Dicemus de ipſorum adventu in Syriam anno ſequenti.

Profectionis tempus in terram ſanctam.

D

c Idem ibid. c. 45.

III. Detinuit aliquantiſper Ludovicum Regem in Gallia adventus Eugenii Papæ, qui vitans Romanorum Arnaldiſtarum jugem perſecutionem, in Gallias ſe conferendi more majorum conſilium iniit. Expectavit ipſum Ludovicus Pariſiis, excepitque honorificentiſſimè. Sed quid turbarum acciderit, Acta Vvillelmi Abbatis ita ſignificant: (d) Accidit deinde, ut Eugenius Pontifex ſeſe in Gallias conferret. Cùmque Lutetiæ appropinquaret, Ludovicus Rex & Pariſienſis Epiſcopus cum multa Cleri populique frequentia ei obviam procedentes, illum honorificè exceperunt, atque ad beatiſſimæ Mariæ Virginis Eccleſiam cum ingenti gaudio deduxe-

Eug. Pap. ſe confert in Gallias.

E

d Apud Sur. tom. 2. die 6. Apr.

Digitized by Google

xerunt. Paucis deinde elapſis diebus voluit idem Pontifex in Eccleſia beatæ Genovefæ myſteria divína peragere, quia Apoſtolica dicebatur. Ubi eò ventum eſt, orta eſt contentio inter ſummi Pontificis & hujus Eccleſiæ Canonicorum miniſtros, adeò ut ad pugnos res proceſſerit, & non ſolùm Pontificis miniſtri, ſed etiam ipſe Rex Ludovicus, qui illos compeſcere voluit, à Canonicorum illorum famulis verberatus ſit. Tanta autem nefariæ rei indignitate permotus Pontifex, cum Ludovico Rege tractavit de improborum hominum inſolentia dignè caſtiganda. Viſum eſt autem in eorum locum alios ſubrogare homines religioſos, nempè monachos illos, quos Nigros vocant: neque tamen Canonicos illos per vim ſuis Præbendis ſive ſacerdotiis privare volebant (erant enim inter eos non pauci nobiles & litterati) ſed permittere, ut illis, quoad viverent, fruerentur. Verùm ubi iſtud Pontificis & Regis propoſitum ad aures Abbatis S. Victoris perlatum eſt: Pontifici & Regi valdè ſupplices preces ille obtulit, ut Ordinis ſancti Auguſtini profeſſores in eam Eccleſiam introducerentur: multiſque oſtendit rationibus, contumaces illos faciliùs ad horum vitam regularem, quàm ad monachorum habitum & conſuetudinem traductum iri. Pontifex & Rex his auditis, cùm jam exploratam haberent bonam famam illius Abbatis & Fratrum ejus, eorumque inſtitutum præ multis aliis prædicari non neſcirent, domum quoque S. Victoris ſuavem eximiæ charitatis de ſe odorem ſpargere: Abbatis precibus aſſenſere. Atque die ſequenti electus eſt in Abbatem Odo Prior homo ſanctæ converſationis, atque totius religionis amator indefatigabilis, adjunctique ſunt ei duodecim Canonici viri probi & bonæ æſtimationis, qui in Eccleſia ſanctæ Genovefæ commorarentur. Atque ex eo tempore in præſens iſthic Canonicorum ſancti Auguſtini inſtitutum in ea Eccleſia conſervatur ex privilegio Pontificis Eugenii, & Regis Chriſtianiſſimi Ludovici.] Hucuſque de his ibi.

Canonici Regulares ſuffecti.

IV. At nec prætereundum ejuſdem Eugenii Papæ judicium in cauſa Prioratus S. Genovefæ, cùm paulò pòſt decedente Odone Abbate, Guarinus Prior in Abbatem electus eſt. Cùm verò qui electus erat, vellet in Abbatia illa, quæ regia dicebatur, regio aſſenſu firmari: obnitentibus aliis, & præſertim Vvillelmo, qui poſteà Abbas Roſchildenſis in Dania creatus mira claruit ſanctitate: ejuſdem Actis (a) ab ejus diſcipulo ſcriptis, quid judicaverit coram Rege Papa Eugenius, hìc enarrandum: Abbate Odone è vita decedente, Guarinus ejus monaſterii Prior Abbas creatur: erat enim vir doctus & probus, & in rebus agendis providus & circumſpectus. Ille modis omnibus Priorem volebat inſtituere quemdam de Fratribus, nec alii Fratres abhorrebant. At ille jam eligendus reclamabat, dicens, in regia Ab-

a *Extant apud Sur. to. 2. die 6. April.*

Quid Eug. Pap. judicaverit in cauſa Regiæ Abbatiæ.

A batia meritò per Regem debere conſtitui officiales (ſic enim vocant eos qui ejuſmodi functionibus præpoſiti ſunt.) Ea res malè habuit Fratres, dixeruntque illi: Si vis ex noſtro inſtituto Prioratum ſuſcipere, nos non refragabimur: ſi verò tranſgredi vis terminos, quos poſuerunt patres noſtri: numquam eò pertinges. Ille in ſententia manſit pertinax: eſtque in Regis palatio ab ipſo Rege, Ordinis conſtitutiones ignorante, factus Prior. Cùm autem vellet, pulſata campana convocare Fratres ad menſam: B valdè id moleſtè tulere Fratres. Nec ferre potuit tantam inſolentiam vir Dei Vvillelmus, ſed zelo Dei, Ordinis, & juſtitiæ accenſus, illum à campana pulſanda removit, Superioremque adhibuit.

V. Eo nomine accuſatus apud Abbatem, tamquàm qui manum violentam injeciſſet in Priorem, publicam juſſus eſt agere pœnitentiam: nec id facere recuſavit, licèt palàm teſtaretur, ſe nulla eum affeciſſe injuria, atque ab officio Prioris non Priorem abegiſſe, ſed inſtituti prævaricatorem. Diſplicuit autem Fratribus ea Abbatis in Vvillelmum prolata ſententia; remque totam C ſummo Pontifici, qui apud Senonas tunc erat, indicarunt. Pontifex verò cum inſtituti prævaricatione, cum Vvillelmi injuſta damnatione non leviter commotus, Abbati S. Genovefæ mandavit, ut citra moram unà cum Vvillelmo ad ipſum aſcenderet. Paruit ille, veniénſque ad Pontificem, temeritatis & immoderationis arguitur. Porrò Vvillelmus ab ejus ſententia abſolvitur. Mandatque Pontifex ſeveriſſimè, ne deinceps officiales contra Ordinis inſtituta eligantur.] Hæc ibi. Sed proſequamur reliqua de profectione Francorum exercitus in Oriente.

D His peractis (inquit Sugerius in vita Ludovici Regis) ipſe Rex Francorum Ludovicus hebdomada ſecunda poſt feſtum Pentecoſtes peregrinationem aggreſſus, infinitis & expeditis notum militibus per Hungariam profectus, tranſito Boſphoro occurſu Conradi excipitur, &c.] Habes plures qui iſta ſcribunt, Nicetam Græcum auctorem, Vvillelmum Tyrium de bello ſacro, & Sugerium Abbatem S. Dionyſii, in vita Ludovici Regis Francorum copioſè iſta tractantem.

Verùm corrigendi ſunt errores, qui in notas temporis irrepſerunt, ſtatuendusque certus annus horum profectionis, petenE daque veritas ab Auctoribus, qui interfuerunt. Ipſe namque Sugerius Abbas ſancti Dionyſii, qui proficiſcente Rege, regni ipſius relictus eſt adminiſtrator, dum exactè cuncta deſcribit, hæc de profectione ipſius Regis ait: Anno igitur ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo quadrageſimoſeptimo, in hebdomada ſecunda poſt feſtum Pentecoſtes, priùs ordinatis rebus, ad iter peregrinationis tantæ neceſſariis, venit Rex, ut moris eſt, ad Eccleſiam S. Dionyſii, à Martyribus licentiam accepturus, & ibi poſt celebrationem Miſſarum baculum peregrinationis, & vexillum B. Dionyſii, quod Ori flambe, Galli-

De tempore profectionis.

cè

cè dicitur, valdè reverenter accepit, ſicut moris eſt antiquorum Regum, quando debent ad bella procedere, vel votum peregrinationis adimplere. Et tunc movit directè cum magno comitatu Prælatorum & Baronum, &c.] Hæc de tempore Sugerius. Dodechinus, qui in navali expeditione, & ipſe unus ex illis fuit, hoc eodem anno profectionem contigiſſe teſtatur. Id ipſum auctor in Appendice ad Lambertum, itidem Robertus de Monte diſertis verbis in Appendice ad Sigebertum. Id ipſum quoque colligis ex Ottone Friſingenſi, qui & ipſe cum Imperatore profectus eſt Hieroſolymam.

VI.

a Vvill. Tyr. l. 16. c. 22. in fin.

Ex quibus omnibus atque aliis tu corrigas errorem illapſum in (*a*) Vvillelmum Tyrium, dum cladem, quam accepit hoc anno Imperator à Soldano Iconii proditione Græcorum, contigiſſe afferit anno ſuperiori, milleſimo centeſimo quadrageſimo ſexto. Sumptus videtur error ex Sugerii loco corrupto, dum eadem clades allata eodem anno in codice depravato contigiſſe legitur: quem auctorem Tyrius legiſſe noſcitur. Hæc de his quæ ad tempus ſpectant; cætera ſi cupis, eumdem Sugerium conſule, atque Vvillelmum, itemque Nicetam, cujus firmiſſima conſtat auctoritate, ne quis à Latinis æmulationis gratia commentum exiſtimet, Conradi Imperatoris exercitum dolo Græcorum, arte Pelaſga, Manuele ad agente Conſtantinopolitano Imperatore, à Turcis fractum, peſſumdatum, ac perditum. Accipe tu Lector Nicetæ verba: Breviter ut dicam, nullum mali genus fuit, quod Imperator non vel ipſe in eos machinaretur, vel aliis machinandi auctor eſſet; nempè ut calcem farinæ Græci miſcerent, ut ſcilicet eorum poſteri perpetuis monimentis ab adjuvandis Romanis deterrerentur. Idem & Turci imitati ſunt, Manuelis litteris ad bellum Alemannis faciendum concitati.] In quorum manus proditione ductorum neſcientes trucidandi ſunt traditi. Hæc de rebus Orientalibus ſummatim ſat dixiſſe.

De proditione Græcorum.

VII.

Hæreſis Giliberti defertur ad Apoſt. Sedem.

b Otto Friſing. in Frideric. lib. 1. c. 46. & 47.

Eodem anno ad judicium Pontificium defertur hæreſis Giliberti Epiſcopi Pictavienſis, de quo iſta habet (*b*) Otto Friſingenſis: Fuit illis in diebus in Aquitania Galliæ civitate Pictavis, Epiſcopus Gilibertus nomine: hic ex eadem civitate oriundus, ab adoleſcentia uſque ad ultimam ſenectutem in diverſis Galliæ locis philoſophiæ ſtudium colens, re & nomine magiſtri officium adminiſtrarat; noviterque ante hos dies ad culmen pontificale in præfata civitate ſublimatus fuerat, conſuetus ex ingenii ſubtilis magnitudine ac rationum acumine, multa præter communem hominum morem dicere. Is igitur cùm quadam vice conventum de ſua diœceſi clericorum magnum celebrans, ſermoni, quem fortè gratia exhortandi habebat, quædam de fide ſanctæ Trinitatis interſereret; à duobus Archidiaconis ſuis, Arnaldo & Calone, tamquàm contrà Catholicæ normam Eccleſiæ doctrinam inſtituens, ad ſumma Pontificis Romanæque Sedis examen, interpoſita appellatione, vocatur.

VIII.

Sic utrique viam carpunt, Romanoque Pontifici Eugenio ab Urbe in Gallias tendenti, Senis civitate Tuſciæ occurrunt. Quibus Romanus Antiſtes auditis, cauſaque viæ cognita, breviter reſpondit, ſe Gallias introire, ibique de hoc verbo, eò quòd propter litteratorum virorum copiam ibidem manentium opportuniorem examinandi facultatem haberet, pleniùs velle cognoſcere. Archidiaconi in Gallias redeunt, ac conſulto Bernardo ſupra memorato Abbate *Claravallenſi*, cum in commodum cauſæ ſuæ adversùs Epiſcopum inclinant. Erat autem prædictus Abbas, tàm ex Chriſtianæ religionis fervore zelotypus, quàm ex habitudinali manſuetudine quodammodò credulus, ut & magiſtros, qui humanis rationibus, ſæculari ſapientia confiſi nimiùm inhærebant, abhorreret, & ſi quidquam ei Chriſtianæ Fidei abſonum de talibus diceretur, facilè aurem præberet.] Hæc Otto, qui poſteà clariùs rebus perſpectis recantavit palinodiam, quòd plus æquo Giliberto faviſſet, cujus cauſa ita S. Bernardo, ut vides, nonnihil derogaſſe videri poſſet. Sed qui ex his magis laudandus fuiſſet, ut qui nequaquàm novitates in Fide Catholica pati poſſet, & humana ingenia, quæ ſuis viribus divina petentia, elata ſuperbia haud eſſent humilibus conſentientia, abhorreret, ne ea quæ ſolerent ſui æſtimatione gravida parere hæreſes monſtruoſas: quod & tàm in Arnaldo & Abailardo, quàm in Giliberto eventa infelicia declararunt. Sed proſequamur inchoatæ hiſtoriæ curſum.

S. Bernard. adversùs Gilibertũ concitatur.

IX.

Ubi S. Bernardus ea per Archidiaconos audivit de Giliberto, unà cum eis naviter egit, ut promulgatæ quæ dicerentur ab eodem Giliberto hæreſes damnarentur; nec deſtitit quouſque id quod zelo Fidei Catholicæ eſſet aggreſſus, omninò perficeret, hoc propenſiori cura apud Eugenium Papam agens, ut idem Gilibertus coram ipſo Pontifice in diverſis conventibus, primùm Antiſiodori, deinde Pariſiis, poſtremò in pleniori Concilio Rhemis ſe ſiſtere cogeretur, reſponſurus ad eas quibus impeteretur objectionibus. Quænam fuerint illæ, idem qui ſuprà Otto Friſingenſis enarrat, his primùm præmiſſis de ejuſdem Giliberti ab adoleſcentia inſtitutione: (*c*) Prætaxati Archidiaconi adſcito ſibi tantæ auctoritatis & æſtimationis viro, Abbate Bernardo, Epiſcopum Gilibertum, eadem, qua prædictum Petrum, via damnare attentabant, ſed nec eadem cauſa, nec ſimilis erat materia. Iſte enim ab adoleſcentia magnorum virorum diſciplinæ ſe ſubjiciens, magiſque illorum ponderi quàm ſuo credens ingenio, qualis primò fuit Hilarius Pictavienſis, poſt Bernardus Carnotenſis, ad ultimum Anſelmus & Radulphus Laudunenſes germani fra-

c Otto Friſ. in Frid. l. 1. c. 50

Giliberti vitæ inſtitutio.

Digitized by Google

fratres; non levem ab eis, ſed gravem doctrinam hauſerat, manu non ſubitò ferulæ ſubducta, à ſcientiæ haud cenſura morum vitæque gravitate diſcordante, non jocis vel ludicris, ſed ſeriis rebus mentem applicarat. Hinc erat, ut tàm geſtu, quàm voce pondus ſervans ſicut in factis, ſic in dictis ſe oſtenderet difficilem, ut numquam puerilibus, vix autem eruditis & exercitatis quæ ab eo dicebantur, paterent animia.] Hæc de Giliberti inſtitutione vitæ. Sed quod antiquitus dictum, re ipſa probatum inventum, nimirùm philoſophos patriarchas fuiſſe hæreticorum, in Giliberto fuit experimento hoc tempore infeliciter innovatum, cùm ea Ariſtotelicis topicis quædam de divinitate & Deo, quem ſeparabat à divinitate, ſive in concionibus, ſive familiaribus colloquiis temerè effutire ſit auſus.

X. Ottonis de Giliberto laudato pœnitentia.

Sed qui iſta de Giliberto cum laude, non (ut par erat) cum deteſtatione idem Otto ſcripſit, quem & excuſare pluribus laboravit, eodem ipſo libro de rebus Friderici Imperatoris, idem ipſe ex hac vita migraturus, rebus teſtamento diſpoſitis; etiam hunc *hiſtoriarum* codicem (inquit (a) Radevicus Canonicus Friſingenſis) manibus ſuis offerri præcepit, eumque litteratis & religioſis viris tradidit, ut ſi quid pro ſententia magiſtri Giliberti (ut patet in prioribus) dixiſſe viſus eſſet, quod quempiam poſſet offendere, ad ipſorum arbitrium corrigeretur; ſeque Catholicæ Fidei aſſertorem, juxta ſanctæ Romanæ immò & univerſalis Eccleſiæ regulam profeſſus eſt. Deinde multa priùs cordis contritione, & humili confeſſione reatum ſuum recognoſcens, ſumptis ſacroſanctis myſteriis, in medio multitudinis ſanctorum tàm Epiſcoporum, quàm Abbatum Domino ſpiritum reddidit.] Hæc Radevicus de Ottonis pœnitentia de Giliberto defenſo atque laudato. Porrò autem quinam fuerint errores, quibus ab adverſariis idem Gilibertus impeteretur, & apud Eugenium Papam accuſaretur in duobus prioribus judiciis adversùs eum cahibitis, idem Otto ſic narrat: (b) Is itaque primò Antiſiodorum, pòſt Pariſios vocatus eſt. Erant inter cætera quæ illi objiciebantur de divina Majeſtate quatuor capitula.

a Radev. in Frid. lib. 2. c. 11.

b Otto Friſ. in Frid. l. 1. c. 50. 52.

Hæreſum capita Giliberto objecta.

Quòd videlicèt aſſereret, divinam eſſentiam non eſſe Deum.

Quòd proprietates perſonarum non eſſent ipſæ perſonæ.

Quòd theologicæ perſonæ in nulla prædicarentur propoſitione.

Quòd divina natura non eſſet incarnata.] Hæc quæ de Deo pergit: Et præter hæc alia minora, ideſt:

Quòd meritum humanum attenuando, nullum mereri diceret præter Chriſtum.

Quòd Eccleſiæ ſacramenta evacuando, diceret, nullum baptizari, niſi ſalvandum, & cætera in hunc modum.] Hæc Otto de ipſo, qui tamen quid actum fuerit in conventu Antiſiodorenſi, in quo pri-

A mùm juſſus eſt cauſam dicere, non meminit, ſed tantùm cùm coactus eſt ad audientiam venire Pariſios. Quæ hæc ipſa, hoc ipſo anno geſta eſſe, ſequenti verò Rhemenſe Concilium indictum ad Dominicam poſt mediam Quadrageſimam dici poteſt. Haud enim rerum geſtarum patitur ratio, ut iſta omnia ſimul tribus menſibus agi potuerint, nempè advenire Eugenium in Gallias, celebrarique ab eo Antiſiodorenſem, Pariſienſemque conventum, nec non generale Rhemenſe Concilium, ſed hoc potiùs ſequenti anno habitum eſſe, idem (c) Otto ſatis oſtendit; B cùm de ipſo acturus, ſic exorditur poſt Pariſienſem enarratum conſeſſum: Igitur volvente tempore, *nempè elapſa ejus anni curriculo*, Rhemis præſidente ſummo Pontifice Eugenio, eſt celebratum Concilium, &c.] Hæc de tempore rerum geſtarum ad firmam ſtatuendam chronologiam dicta ſint: jam de conſeſſu Pariſienſi quæ ſcribat idem (d) Otto, ſic paucis habeto:

c *Idem ibid.* c. 55.

d *Idem ibid.* c. 51. 52. 53 & 54.

XI. Conventus Pariſienſis adversùs Gilibertum Epiſcopũ.

Itaque præſidente cum Cardinalibus, Epiſcopis, aliiſque viris venerabilibus & eruditis in jam dicta civitate Pariſiis ſummo Pontifice Eugenio: prædictus Epiſco- C pus Gilibertus Conſiſtorio præſentatur, de his capitulis reſponſurus. Producuntur contra eum duo magiſtri Adam de Parvoponte, vir ſubtilis & Pariſienſis Eccleſiæ Canonicus recenter factus, Hugo de Campo florido Cancellarius Regis, aſſerentibus eis, & quaſi ſub ſacramento pollicentibus, ſe aliqua ea his de proprio ejus ore audiſſe, non ſine multorum qui aderant admiratione: viros magnos, & in ratione diſſerendi exercitatos pro argumento juramentum afferre. Ibidem dum hinc indè multa ſibi objicerentur, pluriumque impulſationibus ad reſponſionem D de re tàm ineffabili cogeretur: inter cætera dixiſſe traditur: Audacter confiteor Patrem alio eſſe Patrem, alio Deum, nec tamen eſſe hoc & hoc. Cujus dicti obſcuritatem tamquàm verborum profanam novitatem tàm impatienter magiſter Joslenus Sveſſionenſium Epiſcopus excepit, ut juxta proverbium, medium vitando incurreret ripam, &c.] Proſequitur proliaiùs ejus ſententiæ explicationem: ad regulas topicas Ariſtotelis, Evangelium aptare laborans, adjicit ad excuſandum Gilibertum prolixiorem tractatum.

Quid demùm per Eugenium delibera- E tum de revocanda eadem cauſa ad generale Concilium, ita idem Otto ſubjicit: Dum ita per aliquot dies jam ſæpè dictus Epiſcopus coram ſummo Pontifice de fide ſua in civitate Pariſiis diſcuteretur: ſentiens Papa, utpotè vir cautus & religioſus, cauſæ difficultatem, protelandam eam uſque ad univerſale Concilium adjudicavit, &c.] De eo ſuo loco dicturi ſumus anno ſequenti, reliqua de hoc conventu Pariſienſi auditurus eris ex epiſtola Gaufredi inferiùs recitanda poſt Rhemenſe Concilium.

Poſt

XII. Legatio Alberici Epiſcopi Oſtienſ. ad Toloſanos.

Poſt hæc autem eodem anno, urgente cauſa, Albericus S.R.E. Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis ab Eugenio electus Legatus in provinciam Toloſanam adversùs Henricum hæreticum Petrobruſianum, qui illam provinciam vehementer impiis hæreſibus labefactarat: eumdem ſanctum Bernardum ſecum duxit. De cujus legatione hîc modò dicendum, & admirandis operibus, quæ Deus in deteſtationem & confutationem hæreticæ pravitatis per eumdem ſanctum Bernardum ad confirmandam Catholicam veritatem operatus eſt. Deſcribit rem geſtam ejuſdem temporis auctor (a) Gaufridus monachus Claravallenſis, qui & oculis hæc etiam vidiſſe potuit, cùm ipſe (b) teſtetur penè omnibus quæ de ſancto Bernardo ſcripſit, ſe præſentem fuiſſe. Videbis Lector, ab auctore iiſdem fermè coloribus pingi cum hæreſibus ſuis hæreticum nefandiſſimum, quibus noſtri temporis Orthodoxi ſcriptores deſcribere conſueverunt recentiores noſtri ſæculi hæreſiarchas omnium impuriſſimos, eaſdem cum illo fæces hæreſum è cloaca, in quam abierunt, revocantes.

a Gofrid. l. 3. S. Bern. c. 5.
b Idem in præf. lib. 3. vit. S. Bern.

Tempus Henricianæ hæreſis.

Atque primùm quod ad tempus ſpectat, Henricum innotuiſſe hoc tempore & plures ſeduxiſſe, atque adversùs eum tùm Petrum Cluniacenſem, tùm S. Bernardum ſcripſiſſe, ex eo poſſumus intelligere, quòd cùm numeret annos viginti Petrus Cluniacenſis ejus prædeceſſoris Petri de Bruis hæreſiarchæ, quem exerſiſſe diximus anno Redemptoris milleſimo centeſimo vigeſimoſexto; poſt quem annum, ſi numeres annos viginti abſolutos, ad hoc uſque tempus eumdem oportuit perveniſſe, abſumptumque (ut dictum eſt) flammis periiſſe. Cùmque idem Petrus Cluniacenſis numeret annos quingentos ferme (ut ait) & quinquaginta ab Heraclio imperatore, qui (e) anno decimo poſt ſexcenteſimum imperare cœpit paulò poſt Gregorii Papæ obitum, uſque ad tempus, quo ille adversùs Henricum ſcribebat: planè ad hæc tempora reſpectum habuiſſe ſatis apparet. Sicut & ſanctus Bernardus oſtendit, qui cùm de eodem Henrico cavendo epiſtolam (d) ſcripſerit ad Ildephonſum Comitem S. Ægidii: ſenè ante ſequentem annum ad eum ſcripſiſſe oportuit: nam eo anno in expeditione Hieroſolymitana eum eſſe defunctum, affirmat Robertus de Monte in Appendice ad Sigebertum. Hæc de his quæ ad tempus ſpectant.

c Pet. Clun. l. 1. ep. 2. & l. 5. ep. 16.
d Bern. ep. 240.

XIII. De ipſo autem Henrico poſt cineres prædeceſſoris invaleſcēte, iſta habet ipſe Petrus Cluniacenſis in breviori epiſtola adversùs eos conſcripta: Sed poſt rogum Petri de Bruis, quo apud ſanctum Ægidium zelus Fidelium flammas Dominicæ Crucis ab eo ſuccenſas, eum concremando ultus eſt; poſtquàm planè impius ille de igne ad ignem, de tranſeunte ad æternum tranſitum fecit; hæres nequitiæ ejus Henricus cum neſcio quibus aliis doctrinam diabolicam non quidem emendavit, ſed

A immutavit, & ſicut nuper in tomo, qui ab ore ejus exceptus dicebatur, ſcriptum vidi: non quinque tantùm, *hæreſum ſuarum* ſed plura capitula edidit, &c.] At quænam iſta fuerint, idem inferiùs, poſt baptiſmum, quod Henriciani negarent infantium, atque templa ſuperfluè fabricari: & quòd dicerent, inquit, Crucem Domini honorandam vel adorandam non eſſe: aſſeritis Corpus Domini in ſacramento altaris Eccleſiam non habere: ſacrificii matis vanum eſſe orare pro defunctis.] Hæc communia cum Petro de Bruis: adjecerit Henricus ipſe, quod ſubjicit: Additis, inquit, irrideri Deum canticis

B Eccleſiaſticis.] Adversùs autem hæc ſingula ita diſputat fortiter, confutat validè, potenterque rejicit ipſe Petrus, ut pudeat quemlibet Novatorum iſta denuò revocaſſe in obſervantiam, quæ confutata, damnata, omninòque proſcripta ſcriptis Sanctorum, & virtute miraculorum viderint.

XIV. Legatio Alberici Card. Epiſ. Oſtienſ.

Adversùs igitur ejuſmodi monſtrum conficiendum Eugenius Papa legationem decernens, quem præſtantiorem novit in ſacro Collegio S. R. E. Cardinalium Albericum Cardinalem Epiſcopum Oſtienſem Legatum delegit. Qui ſanctum Bernar-

C dum, necnon Gaufredum Carnotenſem Epiſcopum, & alios Epiſcopos viros ſanctitate præſtantiſſimos ſecum duxit: Inſignis planè legatio atque digna, ut de ipſa cuncta, quæ reperimus, Annalibus inteximus. Atque primùm quæ præceſſerunt, cùm ipſe ſanctus Bernardus adversùs beſtiam adhùc longè poſitus pugnans, eam litterarum ſuarum jaculo potentiſſimo appetivit, adversùs eumdem Henricum ſcribens ad Ildephonſum Comitem S. Ægidii. Quæ quidem epiſtola Dei beneficio adhùc extat tamquàm gladius in Sanctuario aſſervatus, quo Goliath præ-

D ciſum eſt caput: quæ & ſimul ad conficiendos reliquos Dei hoſtes ſit potens, accipe Lector dignum viri ſanctiſſimi monimentum, ſic enim ſe habet: (e)

e Bern. ep. 240.

XV. S. Bernardi epiſtola ad Ildephonſum Com. contra Henricum.

Quanta audivimus & cognovimus mala, quæ in Eccleſiis Dei fecit, & facit quotidiè Henricus hæreticus? Verſatur in terra veſtra ſub veſtimentis ovium lupus rapax; ſed ad Domini deſignationem à fructibus ejus cognoſcimus iſtum. Baſilicæ ſine plebibus, plebes ſine ſacerdotibus, ſacerdotes ſine debita reverentia ſunt, & ſine Chriſto* deinde Chriſtiani. Eccleſiæ ſynagogæ reputantur, Sanctuarium Dei ſanctum

E eſſe negatur. ſacramenta non ſacra cenſentur, dies feſti feſtivis fruſtrantur ſolemnis. Moriuntur homines in peccatis ſuis, rapiuntur animæ paſſim ad tribunal terrificum, heu, nec pœnitentia reconciliati, nec ſacra communione muniti. Parvulis Chriſtianorum Chriſti intercluditur vita, dum baptiſmi negatur gratia, nec ſaluti propinquare ſinuntur, Salvatore licèt piè clamante pro eis: (f) Sinite, inquit, parvulos venire ad me.] Et poſt deteſtationem erroris pergit exclamans. Proh dolor! auditur tamen à pluribus, & populum, qui

* denique

f Matt. 19.

ſibi

ſibi credat, habet. O infeliciſſimum populum! Ad vocem unius hæretici ſiluerunt in eo omnes propheticæ & Apoſtolicæ voces, quæ de convocanda in una Chriſti Fide è cunctis nationibus Eccleſia, uno veritatis ſpiritu cecinerunt. Ergò feſellerunt divina oracula, falluntur omnium oculi & animi, qui quod legunt prædictum, intuentur impletum. Quam certè manifeſtam omnibus veritatem ſolus iſte ſtupenda, & prorsùs Judaica cæcitate aut non videns, aut invidens adimpletam, ſimul neſcio qua arte diabolica perſuaſit populo ſtulto & inſipienti, de re manifeſta nec ſuis credere oculis, feſelliſſe priores, errare poſteros, totum mundum etiam poſt effuſum Chriſti ſanguinem perditum iri, & ad ſolos, quos decipit, totas miſerationum Dei divitias: & univerſitatis gratiam perveniſſe.] Ita ſanctus Bernardus ex divino verbo argumentationam deducens, quod cùm ex eo conſtet coadunationem eſſe univerſalis Eccleſiæ, in qua ſit veritas, ſitque ipſe Chriſtus: planè qui extra eam invenitur, extraneum eſſe, ſit neceſſe, in quo nec veritas, nec Chriſtus, nec ulla gratia eſſe poſſit; quæ non niſi in Eccleſia inſit. Poſt hæc autem ſuæ ipſius ad eos profectionis ita reddit rationem:

XVI. Dat rationem ſui adventus S. Bernardus.

Et nunc hujus rei gratia, licèt in multa corporis infirmitate, iter arripui ad has partes, quas potiſſimùm ſingularis ferus depaſcitur, dum non eſt qui reſiſtat, neque qui ſalvum faciat. Quippè de tota Francia pro ſimili effugatus malitia, has ſolas ſibi invenit expoſitas, in quibus fiducialiter ſub tuo dominatu in gregem Chriſti toto furore bacchatur. Quod tuone honori congruat, Princeps illuſtris, ipſe judicato. Nec mirum tamen ſi ſerpens ille callidus decepit te, quippè ſpeciem pietatis habens, cujus virtutem penitùs abnegavit. Sed nunc audi quis ille ſit. Homo apoſtata eſt, qui relicto Religionis habitu (nam monachus extitit) ad ſpurcitias carnis & ſæculi, tamquàm canis ad ſuum vomitum, eſt reverſus. Præ confuſione autem habitare inter cognatos & notos non ſuſtinens, vel potiùs non permiſſus ob magnitudinem criminis, ſuccinxit lumbos ſuos, & iter, quà neſciebat arripuit, factus gyrovagus & profugus ſuper terram. Cùmque mendicare cœpiſſet, poſuit in ſumptu Evangelium: nam litteratus erat; & venale diſtrahens verbum Dei, evangeliſabat, ut manducaret. Si quid ſuprà victum elicere poterat à ſimplicioribus populi, vel ab aliqua matronarum in ludendo aleis, aut certè in uſus turpiores turpiter effundebat. Frequenter ſiquidem poſt diurnum populi plauſum, nocte inſecuta cum meretricibus inventus eſt prædicator inſignis, & interdum etiam cum conjugatis.

XVII. Unde Pſeudoapoſtolus Henricus.

Inquire, ſi placet, vir nobilis, quomodò de Lauſana civitate exierit, quomodò de Cenomanis, quomodò de Pictavi, quomodò de Burdegali. Nec pater ei uſpiam reverſionis aditus, utpotè qui fœda poſt ſe

A ubique reliquerit veſtigia. Tu de tali arbore tandem bonos ſperabas fructus? Terræ profectò in qua eſt, fecit fœtere odorem in univerſa terra, quia non poteſt juxta ſermonem Domini, (a) arbor mala fructus bonos facere. Hæc ergò (ut dixi) cauſa adventus mei.] Audiſti Lector, pſeudoapoſtolus undè venerit, & ad quid venerit, nempè ex religione apoſtata, ut ſolutis quibuslibet, quibus tenebatur aſtrictus, ne difflueret in carnis opera, vinculis: & ad perficienda mala cuncta quæ vellet liber ut eſſet; hanc carnis libertatem docebat filios hominum. At dum ſanctus Ber-

a Matth. 7.

B nardus deſcribit Henricum, planè iiſdem coloribus pingere viſus eſt noſtri temporis infelices hæreſiarchas, ex apoſtaſia pariter prodeuntes, & in luxuriæ gurgitem, ut in lutum porcos, ſeſe præcipites dantes. Aperta igitur ſui adventus cauſa, & auctoritate qua veniat, ut ſui Apoſtolatus legitimi demonſtret inſignia, ita ſubjicit de pontificia ad eos miſſa legatione:

S. Bernardi Apoſtolatus.

Nec à me ipſo nunc venio, ſed vocatione pariter & miſeratione Eccleſiæ trahor; ſi fortè ſpina illa, & parva ipſius, dum adhùc parva ſunt, germina de agro Dominico extirpari queant, non mea, qui nullus ſum,

C ſed ſanctorum, cum quibus ſum Epiſcoporum manu, tua quoque potenti dextera cooperante. In quibus præcipuus eſt venerabilis Oſtienſis Epiſcopus, ab Apoſtolica Sede ad hoc ipſum directus, homo qui magna fecit in Iſrael, & victoriam dedit Eccleſiæ ſuæ in multis per illum Dominus omnipotens. Tua intereſt, vir inclyte, honorificè ſuſcipere illum, & eos qui cum ipſo ſunt: ac ne tantus labor tantorum virorum pro tua potiſſimùm, tuorumque ſalute ſuſceptus inefficax ſit, ſecundùm poteſtatem deſuper datam tibi, operam dare.] Hucuſque ſanctus Bernardus ad Il-

D dephonſum Comitem, de quo iſta anno ſequenti Robertus de Monte: Ildephonſus Comes ſancti Ægidii navali exercitu Palæſtinam applicuit, & cùm magnum quid facturus ſperaretur, Reginæ (ut ajunt) dolo malo potatus, apud Cæſaream Palæſtinæ moritur.] At legationem proſequamur, quam ſuſcepimus pertractandam.

XVIII.

Quæ autem reliqua ſunt de ipſa, audiamus à Goſrido teſte fideli, qui ait: (b) In partibus Toloſanis Henricus quidam olim monachus, tunc apoſtata vilis, peſſimæ vitæ, pernicioſæ doctrinæ, verbis perſuaſibilibus gentis illius occupaverat levitatem.]

b Gofrid. in vita S. Ber. lib. 3. c. 5.

E Et infrà: Hac neceſſitate vir ſanctus iter arripuit, ab Eccleſia regionis illius ſæpiùs jam ante rogatus, & tunc demùm à reverendiſſimo Alberico Oſtienſi Epiſcopo & Legato Sedis Apoſtolicæ perſuaſus pariter, & deductus. Veniens autem, cum incredibili devotione ſuſceptus eſt à populo terræ, ac ſi de cœlo Angelus adveniſſet. Nec moram facere potuit apud eos, quòd irruentium turbas reprimere nemo poſſet, tanta erat frequentia diebus ac noctibus adventantium, benedictionem appetentiũ, flagitantium opem. Prædicavit tamen in

civi-

civitate Toloſa per aliquot dies, & in cæteris locis, quæ miſer ille frequentaſſet ampliùs, & graviùs infeciſſet, multos in fide ſimplices inſtruens, nutantes roborans, errantes revocans, ſubverſos reparans, ſubverſores & obſtinatos auctoritate ſua premens & opprimens, ut non dico reſiſtere, ſed ne aſſiſtere quidem & apparere præſumerent.

Cæterùm etſi tunc fugit hæreticus ille, & latuit; ita tamen impeditæ ſunt viæ ejus, & ſemitæ circumſeptæ, ut via alicubi poſteà tutus, tandem captus & catenatus Epiſcopo traderetur. In quo itinere plurimis etiam ſignis in ſervo ſuo glorificatus eſt Deus, aliorum corda ab erroribus impiis revocans, aliorum corpora à languoribus variis ſanans.

Miracula in teſtimonium veræ fidei.

Eſt locus in regione eadem, Sarlatum nomen eſt illi, ubi ſermone completo, plurimos ad benedicendum panes (ſicut ubique fiebat) Dei famulo offerebant. Quos ille elevata manu, & ſigno Crucis edito, in Dei nomine benedicens: IN HOC, inquit, SCIETIS VERA ESSE QVÆ A NOBIS, FALSA QVÆ AB HÆRETICIS SVADENTVR SI INFIRMI VESTRI GVSTATIS PANIBVS ISTIS, ADEPTI FVERINT SOSPITATEM. Timens autem venerabilis Epiſcopus Carnotenſium magnus ille Gaufredus, ſiquidem præſens erat, & proximus viro Dei: Si bona, inquit, fide ſumpſerint, ſanabuntur. Cui pater ſanctus, de Domini virtute nihil hæſitans: Non hoc ego dixerim, ait, ſed verè qui guſtaverint, ſanabuntur: ut proindè veros nos & veraces Dei nuntios eſſe cognoſcant. Tàm ingens multitudo languentium, guſtato eodem pane convaluit, ut per totam provinciam verbum hoc divulgaretur, & vir ſanctus per vicina loca regrediens, ob concurſus intolerabiles declinaverit, & timuerit illò ire.] Audiſti Lector, viri ſanctiſſimi fidem firmam de Orthodoxa Fide, quam tuebatur, & ſecuritatem certam, certitudinemque ſecuram de veritate Catholicæ Fidei, quam prædicabat; ut libera promiſſione, nulla licèt fide petentis opitulante, ſpondeat in confirmationem Catholicæ veritatis à Deo exhibenda fore miracula? Vidiſti, quòd obediente Deo voci hominis in Catholici dogmatis comprobationem, Deus fidei ſancti viri probe reſponderit, ut quæcumque voluerit, ipſe fecerit? In qua quidem viri ſanctiſſimi digniſſima actione perſpicuè non Henriciana tantùm hæreſis tunc damnationem accepit, ſed recentiores omnes Novatores Sacramentarii eadem cum Henrico penitùs ſentientes, ſe noverint divino calculo in oſtenſione ſignorum, ſuæ pariter damnationis ſententiam accepiſſe. Ut jure ſe intelligant, Deo probante, in Henrico & cum Henrico eſſe damnatos; nos autem cum Eccleſia Catholica certam & perpetuam victoriam conſecutos.

XIX. Sed non prætereamus, quomodò Deus reſponderit legitimo Bernardi Apoſtolatui tunc in primo per ipſum edito Toloſæ miraculo. Subdit enim hæc auctor: (a) Primum ſanè miraculum, quod per famulum ſuum in urbe Toloſa Chriſtus exhibuit, paralytici cujuſdam clerici curatio fuit: Hunc in domo Regularium clericorum S. Saturnini, quorum unus ipſe erat, ad petitionem Abbatis & Fratrum, circa noctis crepuſculum viſitans homo Dei, moribundum invenit hominem, qui extremum ſpiritum trahere videretur. Conſolatus itaque miſerum, & data benedictione, egrediens (ſicut poſteà confeſſus eſt) loquebatur in corde ſuo fidelis ſervus ad Dominum tàm fiducialiter quàm fideliter, dicens: Quid expectas Domine Deus? Generatio hæc ſigna quærit. Alioquin minus apud eos noſtris proficimus verbis, niſi abs te fuerint confirmata ſequentibus ſignis. Eadem hora exiliit paralyticus de grabato, & accurrens ſecutus & conſecutus eſt eum, ſacra veſtigia devotione qua debuit, amplexatus. Cui ſubitò procedenti obvians ex Canonicis unus expavit & exclamavit, ſiquidem phantaſma putabat. Quando enim de lectulo eum crederet ſurgere potuiſſe? Egreſſam magis à corpore ejus animam phantaſticè ſibi apparuiſſe arbitratus, aufugit. Sed ipſa demùm tàm ei, quàm cæteris rei veritas fidem fecit. Egreditur exinde ſermo inter fratres, curritur ad ſpectaculum tam jucundum. Ipſe etiam inter primos accurrit Epiſcopus & Legatus; inde pergitur ad Eccleſiam: eo ipſo qui convaluerat præeunte conclamatur in laudes Dei, eodem pariter concinente &c.] Pergit dicere de multiplicitate ſignorum, ex quibus populus, qui converſus fortè fuerat in arcum pravum, damnans hæreticum unà cum hæreſi, eſt reverſus ad Fidem Catholicam, ſicque factum, ut legatio iſta optimum finem fuerit conſecuta. Cùm verò fuiſſet jam reverſus ſanctus, Bernardus ex legatione iſta, atque accepiſſet fidei conſtantiam Toloſanorum; hortans eos, ut qui errores illos ſparſiſſent in populum, perſequi non ceſſarent, iſta gaudens ſcripſit ad ipſos: (b)

a Vit. S. Bern. lib. 3. c. 6.

In teſtimonium ſanatus paralyticus.

b Bern. ep. 241.

XX. Quid ad Toloſanos poſteà S. Bernardus.

In adventu chariſſimi fratris & Coabbatis noſtri Bernardi de Grandiſilva exultavimus & delectati ſumus in his quæ dicta ſunt nobis ab illo de conſtantia & ſinceritate fidei veſtræ in Deum, de perſeverantia dilectionis & devotionis in nos, de zelo & odio adverſùs hæreticos.] Et inferiùs: Veritate nimirùm per nos manifeſtata, non ſolùm in ſermone, ſed etiam in virtute, deprehenſi ſunt lupi, qui venientes ad vos in veſtimentis ovium, devorabant plebem veſtram ſicut eſcam panis, ſicut oves occiſionis. Deprehenſæ vulpes, quæ demoliebantur pretioſiſſimam vineam Domini civitatem veſtram: deprehenſæ, ſed non comprehenſæ. Propterea dilectiſſimi perſequimini & comprehendite eos, & nolite deſiſtere, donec penitùs depereant &c.] In fine autem hæc admonuit dicens: Hoc

etiam moneo vos chariſſimi, quod & dicebam vobis cùm præſens eſſem, ut nullum eſtraneum, ſive iguotum prædicatorem recipiatis, niſi qui miſſus à ſummo, ſeu à veſtro permiſſus pontifice prædicaverit. Quomodò, inquit, (*a*) prædicabunt, niſi mittantur? &c.] De legatione hac ſatis. Porrò hoc eodem anno defunctum eſſe ipſum Albericum Epiſcopum Oſtienſem Legatum, virum præſtantiſſimum doctrina, & vitæ ſanctitate conſpicuum, colligitur ex Gaufredi Ciſtercienſis epiſtola, anno ſequenti recitanda poſt Rhemenſe Concilium, cui intereſſe non potuerit idem Albericus, nuper morte præventus.

a *Rom.* 10.

XXI. Hæreſis Apoſtolicorũ dicta.

B Fuit autem eidem ſancto Bernardo his diebus pugnandum adverſùs alios novos hæreticos, qui cùm certo carerent auctore à quo denominari poſſent, ſe ipſos Apoſtolicos appellarunt, eò difficiliùs curandos, quòd penes ruſticos & illiteratos homines eſſet ejuſmodi peſtis. De his namque hæc ipſe S. Bernardus: (*b*) Nunc autem videte, ſi non propriè dæmonum, & non hominum ludificatio hæc, ſecundùm quod prædixerat Spiritus. Quære ab illis ſuæ ſectæ auctorem: neminem dabunt. Quæ hæreſis non ex hominibus habuit proprium hæreſiarcham? Manichæi Manem habuere principem & præceptorem,

b *Bern. in Cant. ſerm.* 66.

C Sabelliani Sabellium, Arriani Arrium, Eunomiani Eunomium, Neſtoriani Neſtorium: ita omnes cæteræ ejuſmodi peſtes, ſingulæ ſingulos magiſtros homines habuiſſe noſcuntur, à quibus originem ſimul duxere & nomen. Quo nomine iſtos titulove cenſebis? nullo: quoniam non eſt ab homine illorum hæreſis &c.] Sed quòd auctore carerent & nomine, ſeipſos nominavere Apoſtolicos. Idem docet inferiùs dum hæc ait ſanctus Bernardus: Non ignoro quòd ſe & ſolos corpus Chriſti eſſe glorientur: ſed ſibi hoc perſuadeant, qui illud

D quoque perſuaſum habent, poteſtatem ſe habere quotidiè in menſa ſua corpus Chriſti, & ſanguinem conſecrandi ad nutriendum ſe in corpus Chriſti & membra. Nempè jactant ſe eſſe ſucceſſores Apoſtolorum, & Apoſtolicos nominant, nullum tamen Apoſtolatus ſui ſignum valentes oſtendere.] Hæc de nomine, & ſua ipſorum æſtimatione ſanctus Bernardus. De conditione autem ipſorum iſta ſuperiùs: Ruſticani homines ſunt, & idiotæ, & prorſùs contemptibiles. Sed non eſt (dico vobis) cum eis negligenter agendum: multùm enim proficiunt ad impietatem &c.]

XXII.

E Porrò de inſania Manichæorum videri poſſunt iidem prodiiſſe: ſiquidem plura cum illis communia habent, atque illud primum ſecretum cum perjuro, quod Manichæorum (*c*) erat, uſurpantes, de quibus idem ſuperiori ſermone. Denique ſi infixere (ut dicitur) latebras ſibi: firmaverunt ſibi ſermonem nequam, iſtiuſmodi ſcili et.

e *Idem ſer.* 65.

Apoſtolici ex Manichæorũ fontibus derivati.

Jura, perjura, ſecretum prodere noli.] Enimverò alias ne tenuiter quidem jurare nullatenùs acquieſcunt propter illud de

A Evangelio: (*d*) Nolite jurare neque per cœlum, neque per terram &c.] Quorum de juramento cavendo inſaniam pluribus damnat & confutat idem ſanctus Bernardus. Sed & præter hoc de Manichæis, quod omnes qui de Eccleſia ſunt, canes eſſe cenſerent & porcos, ut idem ſubdit: de Manichæorum quoque ſchola erat, quòd conjugium abhorrerent, cùm tamen impudiciſſimis ſeſe luxuriis jugiter inquinarent. Ad hæc inſuper ex eadem ſchola Manichæorum illud erat, abſtinere à carnibus & omnibus, quæ ex carne generantur. Sed & non niſi ex moribus Manichæorum illud

d *Iacob* 5.

B prodibat, quòd tales eſſe hæretici ne convinci poſſent; ut Orthodoxi in Eccleſiam cum Catholicis convenirent. Nam de his idem Sanctus: Cùmque pateat opus, non apparet auctor: ita per ea quæ in facie ſunt, cuncta diſſimulat. Denique ſi fidem interroges, nihil Chriſtianius: ſi converſationem, nihil irreprenſibilius, & quæ loquitur, factis probat. Videas hominem in teſtimonium fidei ſuæ frequentare Eccleſiam, honorare presbyteros, offerre munus ſuum, confeſſionem facere, ſacramentis communicare. Quid fidelius? Jam quod ad vitam moreſque ſpectat; neminem concutit, neminem circumvenit, neminem ſupergreditur.

C Pallent inſuper ora jejuniis, panem non comedit otioſus, operatur manibus, undè vitam ſuſtentat.] Hæc quidem ad formam Manichæorum eſſe compoſita, ſi legas ſuperiùs in Annalibus, cùm de ipſis eſt actum, de ipſis ſcripta invenies. Prodibat inſuper & de Manichæis quod ſubiicit: Mulieres relictis viris, & item viri relictis uxoribus ad iſtos ſe conferunt, promiſcuos & clandeſtinos conventus agentes, mutuò ſeſe omni ſpurcitia polluunt, cùm tamen votum præferant caſtitatis. Adhùc illud, quod Teſtamentum vetus non reciperent,

D ſed Evangelium tantùm: (*e*) ex Manichæorum iſtos ſchola prodiiſſe quis non intelligat? Sed adhùc audi ex eodem ſancto Bernardo alias his admiſtas hæreſes, communes cum noſtri temporis Novatoribus, ut iſtis ſe genitos eſſe parentibus ruſticanis & impiis glorientur: (*f*) Irridet, inquit, nos quia baptizamus infantes, quòd oramus pro mortuis, quòd Sanctorum ſuffragia poſtulamus.] Et paulò pòſt: Porrò mortuos viventium fraudantes auxiliis: viventes nihilominùs Sanctorum qui deceſſerunt, ſuffragiis ſpoliantes.] Et inferiùs poſt iſta confutata ſubiicit: Non

e *Bern. ibi.*

f *Bern. in Cant. ſerm.* 66.

E credunt autem ignem purgatorium reſtare poſt mortem, ſed ſtatim animam ſolutam à corpore, vel ad requiem tranſire, vel ad damnationem.] Et adhùc effutiebant illud: Peccatores ſunt Apoſtolici, *nempè Romani Pontifices*, Archiepiſcopi, Epiſcopi, presbyteri: ac per hoc nec dandis, nec recipiendis idonei ſacramentis.] Hæc qui recitat, pariter & confutat per ſingula idem ſanctus Bernardus. Quem ſcientia divinitùs illuſtratum, in virtute miraculorum multiplicium à Deo miſſum & probatum, atque egregia vitæ ſanctitate imbutum,

Aliæ horum hæreſes communes cũ novatoribus noſtri temporis.

Dei

Dei amicum fuiſſe eùm certo ſciam: ipſi peniti ſſimè inhærendo, qui inhæſit Deo, ſecurus exiſto; deplorans ex Chriſtiana charitate perditiſſimos Novatores, qui hos nefandiſſimos ſectantes brutos hæreticos, iiſdem planè immenſa cæcitate percuſſi plus deferant, quàm Bernardo. Ut jure cum Ieremia ſit exclamandum: (a) Obſtupeſcite cœli ſuper hoc.] Cùm videlicèt reliquerint iſti venam aquarum viventium Dominum, & foderint ſibi ciſternas diſſipatas olim in Manichæis.

a Ierem. 2.

Quod ad res ſpectat Orientis: eodem anno Coſmus Patriarcha Conſtantinopolitanus ubi decem menſes ſediſſet, obiit, ſucceſſitque in locum ejus (ut habet Græca ſeries Patriarcharum Conſtantinopolitanorum) Chariton ex monacho, qui ſedit menſibus (ut ibidem ponitur) undecim.

JESU CHRISTI ANNUS 1148.	EUGENII PAP. III. ANNUS 4.	CONRADI REG. ROM. 10. MANUELIS IMP. 6.

I. Appulſus exercitus in Paleſtinam.

Milleſimus centeſimus quadrageſimuſoctavus ſequitur annus, Indictione undecima inchoatus, quo Francorum exercitus ſub Rege Ludovico, qui anno ſuperiori poſt Aſcenſionem Domini è Gallia ſolverat, in Syriam propè Antiochiam, circa mediam Quadrageſimam, fractus maris tempeſtatibus appulit, atque Hieroſolymam pervenit Dominica Paſſionis. Conradus autem Romanorum Rex Paſchali hebdomade Palæſtinum litus attigit, & poſt paucos dies ad ſanctam civitatem pervenit. Hæc de tempore (b) Otto Friſingenſis Epiſcopus, qui cum Conrado Rege cruce ſignatus, eam laborioſiſſimam peregrinationem ſuſcepit, atque confecit. Porrò orta contentione inter Principes, unius anni trivere tempus, & nihil penitùs dignum memoria peregerunt; cùmque proximè accepturi eſſent Damaſcum in deditionem; inconſultè nimis circumventi proditionibus, ſolvere obſidionem. Sed hæc tu pete, ſi pleniùs ſcire cupis, à Sugerio, atque Tyrio: nam hæc nobis ſatis ad inſtitutum.

b Otto in Frid. lib. 1. c. 58.

II. Rhemenſe Concil. ab Eugenio celebratū.

Quo ipſo anno, media Quadrageſima, indictum Rhemis ab Eugenio Papa generale Concilium celebratur. De tempore ita fidem certam facit idem qui ſuperiùs Otto, cùm ait: (c) Igitur, volvente tempore, cùm eadem mediana Quadrageſima adveniret, *ad quod tempus ſcilicèt indictum fuerat Rhemenſe Concilium*, dumque à Turcis populi diſperſi Hieruſalem tendentes, per altum navigaremus æquor: in baſilica Dei genitricis ſemperque Virginis Mariæ Rhemis, præſidente ſummo Pontifice Eugenio, ſedit Concilium.] Hoc quod ad certum tempus Rhemenſis Concilii declarandum ex Ottone, ſed & à Roberto in Appendice ad Sigebertum idem omninò aſſeritur, hoc ipſo anno quadrageſimooctavo poſt milleſimum & centeſimum contigiſſe à Papa Eugenio Rhemis undecimo Kalend. Aprilis Concilium celebrari: In quo, inquit, hæreticus quidam de Britannia adductus damnatur, qui ſe prophetam, vel magnum quemlibet, & nomine ſuo alludens (Eon enim dicebatur) eum qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem, ſe eſſe dicebat, & de ſuis quoſdam quidem Angelos, alios autem Apoſtolos faciebat, & propriis Angelorum, ſeu Apoſtolorum nominibus appellabat. Quo planè ſigno & ipſum ex Manichæorum officina prodiiſſe, poſſumus intelligere ex iis quæ dicta ſunt ſuo loco de Manichæis. Qui (pergit Robertus) in Concilio damnatus, ſub cuſtodia Rhemenſis Archiepiſcopi non multò pòſt defunctus vita pariter caruit & memoria.] Hæc Robertus: eadem ferè (d) Otto Friſingenſis, qui tamen eum traditum Sugerio Abbati ſancti Dionyſii cuſtodiendum, quod curaret ipſe, Rege abſente regnum, affirmat: quem nec hæretici nomine putat fuiſſe dicendum, ſed fatui, niſi quòd non huic ſoli, ſed hæreticis omnibus fatuitas ſit juſtiſſimè adſcribenda. Cæterùm ne levitatis arguendus ſit tàm nobilis Patrum conſeſſus, quòd inſanum hominem introduci voluerit in plenam Synodum: primò dicendum, Apoſtolum ad hos etiam non contemnendos omninò Eccleſiam obligaſſe, dicentem: (e) Debitores ſumus ſapientibus & inſipientibus.] Deinde quòd magnam homo iſte multitudinem ſeduxiſſet, & adhùc complures ex illis obſtinaciſſimi in errore perſiſterent, ipſorum ratio habenda erat. Hæc autem ut accipias, locupletiùs de impoſtore agendum. Auditurus namque eris miranda Lector, quibus obſtupeſcas, narrata ab auctore hujus ſæculi Vvillelmo Neubrigenſi, qui res ab eodem perditiſſimo homine geſtas ad Rhemenſe Concilium perductas ſic refert: (f)

c Idem ib. c. 55.

Inſanus Hæreticus condemnatur.

d Idem ib. c. 54. & 55.

e Rom. 1.

f Vvillel. Neubrig. lib. 1. c. 19.

III. De Eudone ſive Eon Hæretico.

Circa idem tempus Eugenius Papa Romanus ad Sedis Apoſtolicæ regimen ex vitæ regularis diſtrictione aſſumptus, Eccleſiaſticæ ſtudio diſciplinæ in Gallias veniens, generale Concilium inſtituit Rhemis: in quo dum ſederet cum omni frequentia Epiſcoporum, atque nobiliū, oblatus eſt ei quidam vir peſtifer, qui ſpiritu plenus diabolico, præſtigiali aſtutia tàm multos ſeduxerat, ut fretus ſequentium numero per diverſa loca formidabilis aberraret, Eccleſiis maximè monaſteriiſque infeſtus. Diu itaque multumque debacchatus, tandem à Rhemenſi Archiepiſcopo captus eſt, ſapientia vincente malitiam, & ſancto Concilio exhibitus. Eudo is dicebatur, natione Brito, agnomen habens de Stella, homo illiteratus & idiota, ludificatione dæmonum ita dementatus, ut cum ſermone Gallico, Eon diceretur, ad ſuam perſonam perti-

pertinere crederet, quod in Eccleſiaſticis exorciſmis dicitur, ſcilicèt per eum qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. Ita planè fatuus, ut Eon, & cùm neſciret diſtinguere, ſed ſuprà modum ſtupenda cæcitate crederet ſe eſſe dominatorem & judicem vivorum & mortuorum: eratque per diabolicas præſtigias tàm potens ad capiendas ſimplicium animas, ut tamquàm ex muſcis aranearum opere irretitis, ſeductam ſibi multitudinem aggregaret: quæ tota illum, tamquàm dominum dominorum individuè ſequeretur. Et interdum quidem mira velocitate per diverſas provincias ferebatur, interdum verò morabatur cum ſuis omnibus in locis deſertis & inviis, rurſumque inſtigante diabolo erumpebat improviſus, Eccleſiarum maximè ac monaſteriorum infeſtator.

IV. Accedebant ad eum plerumque noti ejus & propinqui: erat enim non infimi generis, ſive ut eum familiari auſu corriperent, ſive ut, quomodò ſe circa eum res haberet, cautiùs explorarent. Videbatur autem eſſe circa eum ingens gloria, apparatus, faſtuſque regius, & qui cum eo erant, ſollicitudinis laboriſque expertes, pretioſè indui, ſplendidè epulari, & in ſumma lætitia agere videbantur in tantum, ut plerique qui ad corripiendum eum venerant, conſpecta ejus non vera, ſed phantaſtica gloria corrumperentur. Fiebant enim, ſed phantaſticè per dæmones: à quibus ſcilicet miſera illa multitudo, non veris & ſolidis, ſed aereis potiùs cibis in locis deſertis alebatur. Nam ſicut poſtmodùm per quoſdam audivimus, qui in ejus fuerant comitatu, eoque ſublato tamquàm agentes pœnitentiam, per Orbem vagabantur, in promptu ejus erant, quotieſcumque volebat, panes, carnes, piſces, & quique cibi lautiores.

V. De præſtigiis hominis Hæretici. Verùm quòd iidem cibi non ſolidi, ſed aerii fuerint, ſubminiſtrantibus inviſibiliter ſpiritibus aeriis hujus, ad capiendas magis, quàm paſcendas animas: hinc elucet, quòd quantamcumque ex cibis illis repletionem modico ructu exinanitam tanta mox ſequebatur eſuries, ut eoſdem cibos illicò repetere cogerentur. Quicumque fortè ad eos accedens, ex cibis eorum vel modicum guſtaſſet: ex participatione menſæ dæmoniorum mente mutata, ſpurciſſimæ multitudini continuò adhærebat. Et quicumque ab eis aliquid in qualibet ſpecie accepiſſet, periculi expers non erat.

Denique fertur, quemdam militem propinquum illius peſtiferi acceſſiſſe ad eum, & ſimpliciter monuiſſe, ut abjurata nefanda ſecta illa per communionem Chriſtianæ gratiæ, proprio generi redderetur. Ille hominem aſtutè ſuſpendens, oſtendit ei in multiplici ſpecie phantaſticarū opum amplitudinem, ut blandiente viſarum rerum illecebra caperetur. Propinquus, inquit, noſter es, ſume de noſtro, quod & quantum vis. Verùm homo prudens cùm verba correptionis in ventum fudiſſet, exivit ut abiret. Armiger verò ejus conſpectum miræ pulchritudinis accipitrem in

A propriam perniciem concupivit. Quo petito & accepto, dominum ſuum jam abeuntem cū lætitia ſequebatur. Cui ille: Abjice citò quod portas, non enim eſt avis, ut videtur, ſed dæmon ſic transformatus: cujus verbi veritas poſt modicum claruit. Cùm enim inſipiens nollet audire monentem: primò conqueſtus quod accipiter ille unguibus ſibi pugnum fortius ſtringeret: mox ab eodem per manum in aerem ſublevatus deinceps non comparuit.

VI. Capitur Eon Hæreticus. Sanè cùm peſtifer ille ita debaccharetur (ut dictum eſt ſæpiùs) à Principibus ad veſtigandum & perſequendum eum exercitus B fruſtrà mittebatur: quæſitus enim non inveniebatur. Tandem verò fraudatus ope dæmonum, cùm non ampliùs per illum debacchari finerentur (non enim niſi à ſuperioribus poteſtatibus juſto Dei judicio relaxantur) levi negotio à Rhemenſi Archiepiſcopo comprehenſus eſt, & populus quidem ſtolidus qui eum ſequebatur, dilapſus eſt. Porrò diſcipuli, qui ei arctiùs adhærebant, ejuſque cooperatores extiterant, cum ipſo capti ſunt.

Stulta profeſſio hæretici hominis. Cùm ergò ſtaret in conſpectu Concilii, interrogatus à ſummo Pontifice quiſnam eſſet, reſpondit: Ego ſum ille qui C venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. Habebat autem in manu ſua baculum inuſitatæ formæ, in ſuperiori ſcilicèt bifurcum. Interrogatus quid ſibi vellet baculus ille: res, inquit, grandis myſterii eſt. Quamdiù enim ſicut nunc videtis, duobus cœlum capitibus ſuſpicit: duas Orbis partes Deus poſſidet, tertiam mihi partem cedens. Porrò ſi eadem duo ſuperiora capita baculi ſubmittam uſque ad terram, & inferiorem ejus partem quæ ſimplex eſt, erigam, ut cœlum ſuſpiciat, duabus mundi partibus mihi retentis, tertiam tantummodo D partem Deo relinquam. Ad hæc riſit univerſa Synodus, deriſitque hominem tàm profundè datum in reprobum ſenſum. Juſſus autem ex decreto Concilii, ne peſtis iterùm ſerperet, diligenter cuſtodiri, tempore exiguo ſupervixit.

VII. Diſcipulorum ejus nomina & pœna. Diſcipuli verò ejus, quos magnis inſignierat nominibus, alium ſcilicèt vocans Sapientiam, alium Scientiam, alium Judicium, & in hunc modum cæteros, cùm ſanam doctrinam nulla ratione reciperent; potiùs obſtinatiſſimè de falſis gloriarentur vocabulis: in tantum, ut ille qui Judicium dicebatur, ſuis detentori- E bus ultricem infelici fiducia comminaretur ſententiam. Curiæ potiùs & poſteà ignibus traditi ardere potiùs, quàm ad vitam corrigi maluerunt. Audivi à quodam venerabili viro, qui interfuit dum hæc agerentur, quòd audierit illum, qui Judicium dicebatur, cùm ad ſupplicium duceretur, crebrò dicentem: Terra findere: tamquàm ad oris ejus imperium terra aperienda eſſet, & devoratura ſicut Dathan & Abiron, hoſtes ejus. Tanta vis ſemel inſitæ cordibus erroris fuit.] Hactenùs Neubrigenſis. Sed jam ad ejuſ-

dem

Digitized by Google

ad ejuſdem Rhemenſis Concilii Acta revocemus orationem.

VIII. Cauſæ principium perlatæ ad Conciliũ.

Inter alia autem, perlatas ad Synodum Regum cauſas eſſe ſic narrat: Venerunt ad prædictum Concilium cum bulla aurea Nuntii junioris Romanorum Regis Henrici, tàm de ſublimatione ſua ad Imperium Romano Pontifici ſignificantes, quàm de tribus fratribus *Ducatus* Poloniæ, qui ejecto quarto & ſeniore, Ducatum intra ſe diviſerant, ac de Epiſcopis illius Provinciæ, qui ſuper hoc patri ipſorum juramentum præſtiterant, quærimoniam facientes.] Sed quid de his in Concilio fuerit definitum, dicere prætermittit.

Inſuper autem ſtatutos fuiſſe in eadem Synodo complures canones ſpectantes ad diſciplinam Eccleſiaſticam in uſum priſtinum revocandam, ex ſancto Bernardo, qui ex illis aliquot recitat in libris de Conſideratione ad Eugenium, poſſumus intelligere, dum quarto anno à tempore iſto conqueritur apud ipſum Pontificem, non ſervari, quæ in proximo præcedenti Rhemenſi Concilio ſtatuta fuiſſent.

At primum omnium ante canones addiſciplinam Eccleſiaſticam pertinentes deſcribendum eſt, quòd Eugenius ipſe poſt Concilium Rhemenſe Symbolum Fidei promulgandum ſtatuit contra errores Giliberti. Sed anteà hic recenſendos errores ipſos, uti leguntur in codice Gallicano, operæpretium exiſtimamus, his verbis.

Aſſerciones Giliberti Porretani Pictavienſis Epiſcopi.

IX. Errores Giliberti.

Quòd divina natura, quæ divinitas dicitur, Deus non ſit, ſed forma qua Deus eſt, quemadmodùm humanitas homo non eſt, ſed forma qua eſt homo.

Quòd cùm Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus unum eſſe dicuntur, non niſi una divinitate eſſe intelligantur, nec converti poſſit, ut unus Deus, vel una ſubſtantia, vel unum aliquid, Pater & Filius, & Spiritus ſanctus eſſe dicatur.

Quòd tres perſonæ tribus unitatibus ſint tria, & diſtinctæ proprietatibus tribus, quæ non ſunt ipſæ perſonæ, ſed ſunt tres æternæ, & ab invicem à divina ſubſtantia in numero differentes.

Quòd divina natura non ſit incarnata.] His propoſitis, hæc ſequuntur:

Anno Domini milleſimo centeſimo quadrageſimooctavo Symbolum iſtud ſub Eugenio Tertio Papa in Rhemenſi Concilio firmatum eſt à Patribus provinciarum.

Fidei Symbolũ contra errores Giliberti.

Credimus & confitemur ſimplicem naturam divinitatis eſſe Deum, nec aliquo ſenſu Catholico poſſe negari quin divinitas ſit Deus, & Deus divinitas. Sicubi verò dicitur, Domini ſapientia ſapientem, magnitudine magnum, divinitate Deum eſſe, & alia hujuſmodi: credimus non niſi ea ſapientia, quæ eſt ipſe Deus, ſapientem eſſe: non niſi ea magnitudine, quæ eſt ipſe Deus, magnum eſſe: non niſi ea æternitate, quæ eſt ipſe Deus, æternum eſſe: non niſi ea unitate unum, quæ

A eſt ipſe: non niſi ea divinitate Deum, quæ eſt ipſe, ideſt ſeipſo, ſapientem, magnum, æternum, unum, Deum.

Cùm de tribus perſonis loquimur, Patre & Filio & Spiritu ſancto, ipſas unum Deum, unam divinam ſubſtantiam eſſe fatemur. Et è converſo cùm de uno Deo, una divina ſubſtantia loquimur: ipſum unum Deum unam divinam ſubſtantiam eſſe tres perſonas confitemur.

Credimus & confitemur ſolum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum æternum eſſe, nec aliquas omninò res, ſive relationes, ſive proprietates, ſive ſingularitates, vel unitates dicantur, vel
B alia hujuſmodi adeſſe Deo, quæ ſint ab æterno, & non ſint Deus.

Credimus & confitemur, ipſam divinitatem, ſive ſubſtantiam divinam, ſive naturam divinam dicas, incarnatam eſſe, ſed in Filio.] Hucuſque Symbolum Fidei poſt idem Rhemenſe Concilium promulgatum. Statuti ſunt enim priùs canones decem & ſeptem, quorum duo nacti ſumus exemplaria, alterum Vaticanum, Gallicanum verò alterum, miſſum Romam ad Gregorium Papam Decimumtertium à Jacobo Amioto Epiſcopo Antiſiodorenſi, ſed
C deſiderantur in Vaticano canones Fidei ſpectantes ad damnationem errorum Giliberti, quos ex Gallicano poſuimus. In reliquis autem, ſi quæ inventa ſunt admodùm levia ab invicem diſcrepantia, ponuntur in margine. Poſt canones verò ſancitos, dimiſſa Synodo, cum delectis inſignioribus doctrina Epiſcopis ſeorſum convenit Eugenius Papa ad imponendam manũ poſtremam erroribus Giliberti, cùm & ab eodem Pontifice prædictum firmatum eſt Symbolum, quod nos honoris cauſa, ut factum reperimus in codice Gallicano, primo loco poſuimus, & poſt ip-
D ſum canones, uti ſequuntur.

De duobus exemplar. Concilii Rhem.

1. Qui ab Epiſcopis ſuis anathematis ſententia condemnantur, quoniam à communione Eccleſiaſtica removentur, diabolicæ dignoſcuntur ſubjici poteſtati. Non enim eſt homo qui ligat, ſed Chriſtus, qui hanc miniſtris ſuis tribuit poteſtatẽ. Ideòque à ſuis Epiſcopis excommunicatos ab aliis ſuſcipi modis omnibus prohibemus. Epiſcopus autem qui ſententiam promulgaverit, eam vicinis Epiſcopis annuntiet. Qui verò excommunicato, donec ab eo qui eum excommunicaverat, vel ab auctoritate Sedis Apoſtolicæ abſolvatur, ſcien-
E ter communicare præſumpſerit, eadem excommunicationis ſententia ipſum teneri cenſemus. X.

2. Præcipimus (*a*) etiam, ut tàm Epiſcopi, quàm clerici, neque in ſuperfluitate, ſeu inhoneſta varietate colorum, aut fiſſura veſtium, neque in tonſura, intuentium, quorum forma & exemplum eſſe debent, offendant aſpectum, ſed potiùs ita in ſuis actibus errata condemnẽt, ut amorem innocentiæ converſatione demonſtrẽt, ſicut dignitas exigit ordinis clericalis. Quòd ſi moniti ab Epiſcopis ſuis infra undecim

dies non obtemperaverint, Eccleſiaſticis beneficiis eorumdem Pontificum auctoritate priventur. Epiſcopi verò ſi præfiaam pœnam irrogare neglexerint: quia inferiorum culpæ ad nullos magis referendæ ſunt, quàm ad deſides negligenteſque rectores: tàm diu à Pontificali officio abſtineant, donec pœnam à nobis conſtitutam clericia ſibi ſubjectis imponant, nec eam niſi præcedente congrua ſatisfactione relaxent.

3. Præterea quod à patribus noſtris propenſiori cura novimus conſtitutum, nos quoque præcipimns obſervari: ut qui in ordine ſubdiaconatus sнt ſuprà uxores duxerint, aut concubinas habuerint, officio atque Eccleſiaſtico beneficio careant.

a 18. q. 2. c. 25. 4. Ad majorem (a) autem domus Dei decorem adjicientes ſtatuimus, ut ſanctimoniales & mulierea quæ Canonicæ nominantur, & irregulariter vivuot; juxta beatorum Benedicti & Auguſtini regulã, vitam ſuam in melius corrigant & emendent: ſuperfluitatem & inhoneſtatem veſtium recidant, & in clauſtro ſint aſſiduè permanentes, communi choro, refectorio, & dormitorio ſint contentæ, & relictis Præbendis & aliis propriis, earum neceſſitatibus de communi provideatur. Quòd ſi uſque ad proximum Apoſtolorum feſtum non adimpleverint: ea tunc in earum Eccleſiis, donec hoc noſtrum mandatum adimpleant, divina prohibemus officia celebrari; & ſi qua ipſarum mortua fuerit, Chriſtianorum careat ſepultura. Prohibemus etiam, ne in earumdem Collegiis aliqua quæ niſi regulariter victura fuerir, recipiatur.

b c. decernimus de Judiciis. 5. Decernimus (b) autem, ut laici Eccleſiaſtica terminare negotia non præſumaot, & Epiſcopi, Abbates, Archidiaconi, & alii Eccleſiarum Prælati de negotiis Eccleſiaſticis, vel de aliis quæ ſpiritalia eſſe noſcuntur, aliquorum laicorum judicio non diſponant; nec propter eorum prohibitionem Eccleſiaſticam dimittant juſtitiam exercere.

6. Auctoritate quoque Apoſtolica prohibemus, ut nullus Advocatus, præter jus & beneficium antiquitùs conſtitutum ſibi aliquid arripere vel uſurpare præſumat; * G. caret Subadvocatos verò & * exactores eorum modis omnibus ab Eccleſiarum infeſtationibus removeri præcipimua. Quòd ſi quis contra hanc prohibitionem ſententiam à nobis promulgatam de cætero attentare præſumpſerit, Chriſtianorum careat ſepultura.

c 27. q. 1. c. 40. 7. Quia (c) verò continentia, & Deo placens munditia in Eccleſiaſticis perſonis & ſanctis ordinibus dilatanda eſt; ſanctorum Patrum, & prædeceſſoris noſtri Papæ Innocentii veſtigiis inhærentes ſtatuimus; quatenùs Epiſcopi, presbyteri, ſubdiaconi, regularea canonici, monachi, atque converſi profeſſi, qui ſacrum tranſgredientes propoſitum uxores ſibi copulare præſumpſerint, ſeparentur: hujuſmodi namqoe copulationem, qoam contra Eccleſiaſticam regulam conſtat eſſe contractum; matri-

A monium non eſſe cenſemus. Qui etiam ab invicem ſeparati, pro tantis exceſſibus condignam pœnitentiam agant. Id ipſum quoque de ſanctimonialibus, ſi quod abſit, nubere tentaverint, obſervari præcipimus.

8. Divinarum legum manifeſta eſt diſciplina, & ſanctorum Patrum decreta ſanxerunt, uti decimas Eccleſiarum, quas in uſus pietatis conceſſas canonum demonſtrat auctoritas; laici n n debeant poſſidere. Nos quoque ne id fiat, modis omnibus prohibemus, ſive ab Epiſcopis, ſive à Regibus, vel quibuslibet perſonis acceperint, niſi Eccleſiæ reddiderint, ſacri-
B legii crimen committunt, & periculum æternæ damnationis incurrunt.

9. Illud (d) etiam duximus annectendum, ut nullus in Archidiaconum niſi diaconus vel presbyter ordinetur. Archidiaconi verò, Decani, vel Præpoſiti, qui infra ordines prænominatos exiſtunt, ſi inobedientes ordinari contempſerint, ſuſcepto honore priventur. Prohibemus autem, ne adoleſcentibus, vel infrà ſacros ordinea conſtitutis, ſed qui prudẽtia & merito vitæ clareſcunt, prædicti concedantur honores. d diſt. 6. c. 3.

10. Præcipimus (e) etiam, ne presbyteris conducticiis Eccleſiæ committantur, & e 1. q. 2. c. 5. & ult.
C unaquæque Eccleſia, cui facultas ſuppetit, proprium habeat ſacerdotem, nec ab ejus regimine alicujus, niſi Epiſcopi, in cujua parochia fuerit, vel Archidiaconi, aut canonico judicio depellatur. Cui de bonia Eccleſiæ tantum beneficii præbeatur, unde convenienter valeat ſuſtentari.

11. Præcipimus (f) quoque, ut presbyteri, clerici, monachi, converſi, peregrini, mercatores, ruſtici euntes, & redeuntes, & in agricultura exiſtentes, & animalia cum quibus arant, & oves omni tempore ſint ſecuræ. Si quis autem hoc noſtrum ſtatutum violare præſumpſerit: Epiſcopus, in f c. 2. de treg. & pace.
D cujua parochia fuerit, omni tepiditate ſepoſita, canonicam de ipſo juſtitiam faciat.

12. Temerariã (g) quoque militum audaciam, qui ad deteſtabiles nundinas vel ferias ex condicto ſolent ad oſtenſionem ſuarum virium convenire, unde mortes * corporum & animarum ſæpiùs provenerunt, omninò ſibi interdicimus. Quòd ſi quis ibidem cæſus, vel mortuus fuerit, pœnitentia ei & viaticum non negetur; Eccleſiaſtica tamen careat ſepultura. g de torneam c. 1. * G. hominum & pericula.

13. Nihilominùs (h) præſentia ſcripti ſerie, ſtatuta prædeceſſoris noſtri felicis memoriæ Papæ Innocentii confirmantes, h 16. q. 4. c. 29.
E decernimus, ut ſi quis ſuadente diabolo tanti ſacrilegii reatum incurrerit, quod in clericum, vel monachum violentas manus injiciat, anathemati ſubjaceat, & nullus Epiſcoporum illum præſumat abſolvere, niſi mortis urgente periculo, donec Apoſtolico conſpectui præſentetur, & ejus mandatum ſuſcipiat.

14. Hac etiam conſona ſanctorum Patrum definitione ſancimus, ut in eos qui ad Eccleſiam, vel cœmeterium confugerint, nullus manus mittere audeat. Quod ſi fecerit, anathema ſit.

Inno-

Digitized by Google

a 23. q. 8. c. 32.

15. Innovamus (a) etiam, ut ſi quis malo ſtudio, ſive pro odio, ſive pro vindicta ignem appoſuerit, vel apponi fecerit, aut appoſitoribus conſilium, vel auxilium ſcienter tribuerit: excommunicetur. Et ſi mortuus fuerit incendiarius, Chriſtianorum careat ſepultura. Nec abſolvatur, niſi priùs damno cui intulit, ſecundùm facultatem ſuam reſarcito, juret ſe ulteriùs ignem non appoſiturum. Pœnitentia ei detur, ut Hieroſolymis, aut in Hiſpania in ſervitium Dei per annum permaneat. Si quis verò Archiepiſcopus, vel Epiſcopus hoc relaxaverit, damnum reſtituat, & per annum ab officio pontificali abſtineat. Sanè Regibus & Principibus facultatem faciendæ juſtitiæ non negamus.

16. Præcipimus etiam, ut per chriſmatis, & olei ſacri, & ſepulturæ acceptionem, nullum pretium exigatur.

17. Illud etiam quod à prædeceſſore noſtro Papa Innocentio ſtatutum eſt, innovantes, ordinationes factas à filio Petri Leonis, & & aliis ſchiſmaticis & hæreticis, evacuamus, & irritas eſſe cenſemus.

Quia etiam Apoſtolica ſedes, quod rectum eſt, conſuevit attenta conſideratione & defendere, & quod devium eſſe invenerit evitare: præſentis decreti auctoritate præcipimus, ut nullus omninò hominum hæreſiarchas & eorum ſequaces, qui in partibus Gaſconiæ, aut Provinciæ, ... vel alibi commorantur, manuteneat vel defendat: nec aliquis eis in terra ſua receptaculum præbeat. Si quis autem vel eos de cætero retinere, vel ad alias partes proficiſcétes eorum errori conſentiens recipere fortè præſumpſerit, quo iratus Deus animas percutit anathemate feriatur, & in terris eorum donec condignè ſatisfaciant, divina celebrari officia interdicimus.] Hactenùs ex codice Vaticano. Sed audiamus querelas S. Bernardi, Eugenium compellantis verbis iſtis de neglectu canonum ejuſdem Rhemenſis Concilii: (b)

b Bern. de Conſid. l. 4.

XI. Querela S. Bernar. ad Eug. Pap. de neglectu canon. Cóc. Rhemenſ.

Mihi, inquit, in promptu eſt (ut multa & innumera prætermittam, quæ paſſim neglecta jacent) nonnulla etiam ex his, quæ plantavit dextera tua, convulſa monſtrare. Nonnè os tuum in Rhemenſi Concilio ſubjecta capitula promulgavit? Quis ea tenet? quis tenuit? Falleris, ſi teneri putas: ſi non putas, ipſe peccaſti, aut ſtatuens, quæ non tenerentur, aut quod non tenentur, diſſimulans. (c) Præcipimus, aiſti, ut tàm Epiſcopi, quam clerici neque in ſuperfluitate, ſeu inhoneſta varietate colorum, aut ſciſſura veſtium, neque in tonſura intuentium (quorum forma & exemplum eſſe debent) offendant aſpectum; ſed potiùs ita in ſuis actibus errata condemnent, & amorem innocentiæ converſatione demonſtrent, ſicut dignitas exigit ordinis clericorum. Quòd ſi moniti ab Epiſcopis ſuis intra quadraginta dies non obtemperaverint: Eccleſiaſticis beneficiis eorumdem pontificum auctoritate priventur. Epiſcopi verò ſi præfatam pœnam irrogare neglexerint; quia inferiorum cul-

c Conc. Rhemenſ. c. 2.

A pæ ad nullos magis referendæ ſunt, quàm ad deſides negligenteſque rectores: tamdiu ab officio pontificali abſtineant, donec pœnam à nobis conſtitutam clericis ſibi ſubjectis imponant.

Illud etiam (d) duximus annectendum, Ut nullus in Archidiaconum, vel Decanum, niſi diaconus & presbyter ordinetur; Archidiaconi verò, Decani, & Præpoſiti, qui infra ordines prænominatos ſunt, ſi inobedientes ordinari contempſerint, honore ſuſcepto priventur.

d Ibid. c. 9.

XII.

Prohibemus (e) autem, ne adoleſcentibus, vel infra ſacros ordines conſtitutis, B ſed qui prudentia, & vitæ merito clareſcunt, prædicti concedantur honores.] His verò recitatis, hæc ſubjicit: Verba tua hæc, tu ſanxiſti: quid effectui mancipatum? Adhùc adoleſcentes, adhùc qui infra ſacros ordines ſunt, in Eccleſia promoventur. Quod ad primum capitulum pertinet, luxus veſtium interdictus, ſed non reſtrictus: pœna dictata, ſed minimè ſecuta eſt. Jam quartus annus eſt, ex quo datum mandatum audivimus, & neminem adhùc clericorum privatum beneficio, neminem Epiſcoporum ſuſpenſum ab officio, luximus. At luctu amariſſimo dignum quod C ſecutum eſt. Quid hoc? Impunitas incuriæ ſoboles, inſolentiæ mater, radix impudentiæ, tranſgreſſionum nutrix &c.] Queritur enim de his pluribus. Porrò ex hujuſmodi ſancti Bernardi textu corrige Decretum Gratiani, ubi ſub nomine Innocentii Secundi in Concilio Romano recitatus habetur ejuſmodi canon de non (f) promovendis iiſdem adoleſcentibus, niſi dixerimus, idipſum ab Innocentio in Romano Concilio conſtitutum, quod poſteà ab Eugenio in Rhemenſi Concilio fuit iteratum.

e Ibid.

f 3 diſt. 60.

XIII.

His abſolutis, introducta eſt in Concilium D Giliberti Epiſcopi Pictavienſis cauſa, in qua idem Gilibertus expertus eſt ſanctum Bernardum vehementiſſimum contradictorem. Qui cùm adeò perſtringeret illum, ut omninò convinceret ipſum hæreticum: Eugenius Papa conſulens tanti Epiſcopi famæ, id ſeorſum poſt dimiſſum Concilium faciendum duxit. Teſtatur hoc Gofridus in vita ipſius ſancti Bernardi, cùm ait: (g) Igitur in Concilio, quod in urbe Rhemorum Papa venerabilis Eugenius celebravit, egit cominus adversùs hunc Gilibertum Eccleſiæ ſanctæ ſuo tempore ſingularis athleta Bernardus: primò quidem E totum, quod ille verborum cavillationibus occultare nitebatur, eliciens; deinde verò tàm ſuis ratiociniis, quàm Sanctorum teſtimoniis biduana diſputatione redarguens. Conſiderans ſanè, nonnullos ex his qui præſidebant, jam quidem animadvertentes blaſphemiam in doctrina, adhùc tamen avertentes injuriam à perſona; accenſus eſt zelo, & domeſticam ſibi Eccleſiam ſeorſum convocat Gallicanam. Communi denique conſilio à Patribus decem provinciarum, aliis autem Epiſcopis & Abbatibus plurimis, dictante viro Dei, novis dog-

g Vit. S. Ber. l. 3. c. 5.

Giliberti damnantur errores,

dogmatibus opponitur Symbolum novum. Cui eriam ſubſcribuntur nomina ſingulnrum, ur eorum videlicèr omnium ſicut irreprehenſibilis fides, ſic irreprehenſibilis zelus cæteris innoreſcat. Ira demùm Apoſtolico judicio, & auctoritate univerſalis Eccleſiæ error ille damnatur. Epiſcopus Gilibertus an aidem damnationi conſentiat, interrogatur: conſentiens & publiceè refutans quæ priùs ſcripſerat & affirmaverar, indulgenriam ipſe conſequitur, maximè quòd ab initio cautns fuiſaet ea lege eamdem ingredi diſceptationem, ut promitteret ſine ulla ſeſe obſtinatione pro Eccleſiæ ſanctæ arbitrio correcturnm liberè ſuam opinionem] Hactenùs Goſridus. Ex quibus planè illud indueitur, eumdem Gilibertum licèr hæretica ſenſeris, hæreticum non fuiſse, eum pertinaeia, quæ ſecundùm ſanctum Auguſtinum de Civitate Dei, facit quemquam hæreticum, omninò caruarir, & hac de cauſa non fuerir pœna mulctatos privatinne Epiſcoparus, quo privandus omninò fuiſset ex præſeripto ſacrarum legum, ſi convictus fuiſaet hæreticus, immò & hæreſiarcha.

Gilibertus cur hereticus non dicendus,

XIV. At quoad Symbolum novnm, quod aſserit tunc à ſancto Bernardo fuiſse conſcriptum, atque ab Epiſcopis ſubſcriptum; quænam controverſia ejns cauſa excitata fuerit & tumnltns obortus à S.R.E Cardinalibns adversùs Eugenium Papam, præſtat audire ab ejus temporis ſcriptore Ottone Friſingenſi, rem ipſam locupletiùs proſequente, qui ait: (a) Iraque finita Synodo, ſalntiferiſque ad innovationem ſeu confirmationem antiquorum ibidem promolgatis decretorum capitulis, prudentiora & viciniorea ad cauſam Epiſcopi Gilberti terminandam reſervantur. Decurſa mediana Quadrageſimæ hebdomida, ſacroque Dominicæ Paſſionis tempore inchoante, Epiſcopus Pictavinus, manente adhùc ſummo Pontifice Rhemis, curſùs ad judicium trahirur, in cubiculo, ubi urbis Epiſcopus cum ſenioribus ſedit, vocatur, & ab eo, quid de fide ſanctæ Trinitatis ſentiat, ſubtiliter interrogatur &c.] Subiicit diſputationem de his tunc habitam coram Eugenio Papa, ipſo etiam interloquente; atque demùm, quæ ſanctus Bernardus ſcribenda curarit capita Catholicæ Fidei adversùs Giliberti errores, quæ Goſridus nominat Symbolum novum, adversùs novos errores ab eodem ſancto Bernardo conſcriptum, de quo iſta Otto habet: Quam auctoritatem cùm determinare vellet Claravallenſis Abbas, aliqua verba, quæ Cardinalibus diſplicerent protulit, Epiſcopo Pictavino dicente: Et hoc ſcribatur. Ad quod ille reſpondir: Scribatur ſtylo ferreo in ungoe adamantino. Moxque ad publicum progreſſus, omnes quos poterat convocavit. Ibi cum Archiepiſcopis, viriſque religioſis & eruditis contra quatnor prædicta, quæ Pictavino Epiſcopo imponebanrur capitula, fidem ſuam in hunc modum ipſe cum aliis, & alii cum ipſo expoſuerunt:

a Otto Friſing. in Frid. lib. 1. c. 56. 57.

Auditur poſt ſynodum Gilibert,

Quæ ſcribi voluit S. Bernarnardus adversùs Gilibertum.

XV. Credimus ſimpliciter naturam divinitatis eſſe Deum, nec aliquo ſenſu Catholico poſſe negari, quin divinitas ſit Deus, & Deus divinitas. Si verò dicitur, ſapientia ſapientem, magnitudine magnum, æternitate æternum, unitate unum, divinitate Deū eſſe, & alia hujuſmodi: credimus non niſi ea ſapientia, quæ eſt ipſe Deus, ſapientem eſſe: non niſi magnitudine, quæ eſt ipſe Deus, magnum eſſe: non niſi æternitate, quæ eſt ipſe Deus, æternum eſſe: non niſi unitate quæ ipſe eſt, unum eſſe: non niſi ea divinitate Deum quæ ipſe eſt, ideſt ſeipſo, ſapientem, magnum, æternum, unum, Deum.

Cùm de tribus perſonis, Patre, Filio, & Spiritu ſancto loquimur, Ipſas unum Deum, unam divinam ſubſtantiam fatemur eſſe. Et è converſo cùm de uno Deo, unaque divina ſubſtantia loquimur: ipſum unum Deum unam divinam ſubſtantiam eſſe tres perſonas profitemur.

Credimus ſolum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum æternum eſſe, nec aliquas omninò res, ſive relationes, ſive proprietates, ſive ſingularitates, vel unitates dicantur, & ejuſmodi alia à Deo eſse, quæ ſint ab æterno, & non ſint Deus.

Credimus ipſam divinitatem, ſive ſubſtantiam divinam, ſive naturam divinam dicas, incarnatam, ſed in Filio eſse.] Iſta ſunt, quæ S. Bernardus unà cum Epiſcopis Gallicanis tunc ſcribi & ſervari præcepit, tamquàm antidotum adversùs propinatos Giliberti errores. At quæ horum cauſa oborta tunc eſt controverſia inter S. R. E. Cardinales, qui aderant, adversùs Eugenium Papam, ab eodem Ottone ſic accipe: (b)

b Otto Friſing. de geſt. Frid. lib. 1. c. 57.

XVI. Quod Gallicanæ Eccleſiæ factum tàm graviter ſacer Cardinalium Senatus accepir, ut cum magna motis indignatione Curiam intraret, ac tamquàm unum corpus effecti, uno omnes voce Pontifici ſuo dicerent: Scire debes, quod à nobis per quos tamquàm per cardines univerſalis Eccleſiæ volvitur axis, ad regimen totius Eccleſiæ promotus, à privato univerſalis pater affectus, jam deinceps te non tuum, ſed noſtrum potiùs eſse oportere: nec privatas & modernas amicitias antiquis & communibus præponere, ſed omnium utilitari conſulere, Romanæque Curiæ culmen ex officii tui neceſſitudine curare & obſervare debere. Sed quid fecit Abbas tuus, & cum eo Gallicana Eccleſia? Qua fronte, quo auſu cervicem contra Romanæ Sedis primatum & apicem erexit? Hæc eſt enim ſola, quæ claudit, & nemo aperit: aperit, & nemo claudit. Ipſa ſola de Fide Catholica diſcutere habens, à nullo, etiam abſens, in hoc ſingulari honore præjudicium pati poteſt. Sed ecce Galli iſti etiam faciem noſtram contemnentes, ſuper capitulis, quæ his diebus, nobis aſſidentibus, agitata ſunt, tamquàm definitivæ ſententiæ ultimam manum apponendo, nobis inconſultis, fidem ſuam ſcribere præſumpſerunt. Certè ſi in Oriente, utpotè Alexandriæ, vel Antiochiæ, coram omnibus

Cardinales in Eugeniū Pap. commoti.

nibus Patriarchis hujuſmodi tractaretur negotium: nihil firma ſtabilitate ſolidum ſine noſtra definiri valere auctoritate. Quinimmò juxta antiquorum Patrum inſtituta vel exempla, Romano ſervaretur examini terminandum. Quomodò ergò iſti in noſtra præſentia uſurpare audent, quod etiam remotioribus, & majoribus nobis non licet? Volumus igitur huic tàm temerariæ novitati celeriter aſſurgas, ipſorumque contumaciam punire non differas.] Iſta ad Eugenium Papam univerſum ſacrum Collegium Cardinalium.

XVII. Ac planè quot Cardinales, tot dixeris Paulos, reſiſtentes in faciem Petro, reprehendentes eum, qui connivere his creditus; omninò quidem ipſis reprehenſibilia videbatur, dum definire quid de Fide nullius ſit alterius hominis, quantumlibet vitæ laudabilis, etiam ſi dono polleat miraculorum, uti ſanctus Bernardus erat. Nam quantumlibet ſanctiſſimus eſſet, quòd adhùc in carne moraretur, longè erat inferior Angelo, cui nequaquàm hanc prærogativam tribuendam putavit Apoſtolus, ut de Fide quid poſſet cælitùs definire ſub anathematis pœna. Etenim idem ipſe qui dixit: (a) Neſcitis quia & Angelos judicabimus?] His verbis in Angelos anathema potenter intorquet, dicens: Etſi Angelus de cœlo evangelizet vobis præterquàm quod evangelizavimus vobis: anathema ſit.] Quod autem dixit in Angelum, ut multò magis deberet de quolibet intelligi homine, mox ſic generalius repetit: Sicut prædiximus, & nunc iterùm dico: Si quis vobis annuntiaverit, præter id quod accepiſtis: Anathema ſit.] Non igitur Angelo, vel alicui Sanctorum hoc à Deo tributum eſt privilegium, ſed Romanæ Eccleſiæ in perſona Petri, cui tantam Chriſtus eſt pollicitus & tribuit dignitatem. Quomodò autem his perſtrictus Eugenius Papa, ſatisfaciendum curaverit Cardinalibus, ita idem Otto rem geſtam proſecutus diſtinctè enarrat, dicens:

a Galat. 1.

XVIII. Quos Romanus Pontifex blando mitigans eloquio, Abbate ad ſe vocato, de hoc facto, qualitate ve facti ſolerter inquirit. Cui ille humiliter & cum reverentia reſpondit, ſe, vel dominos Epiſcopos nihil de præfatis capitulis definiſſe: ſed quia ab Epiſcopo Pictavino audierat, ut fides ſua ſcriberetur: idcircò quia ſolus nollet, illorum auctoritate ac teſtimonio ſimpliciter ſe quod ſentiret expoſuiſſe. Hocque tàm humili, quàm modeſto ipſius reſponſo prædicta Cardinalium indignatio conquievit: ita tamen, ut præfatum ſcriptum tamquàm inconſulta Curia prolatum, velut auctoritatis pondere carens, pro Symbolo in Eccleſia, quod in Conciliis contra hæreſes congregatis fieri ſolet, non haberetur:] niſi ab ipſa Romana Eccleſia confirmaretur. Quod & factum, atque omnium una ſententia confirmatum. Sic itaque cuncta per Cardinales objecta, ſolida veritate conſtantia eſſe noverunt, quibus nemo Catholicè ſapiens contradicere

Humili excuſatione S. Bern. & ſociorũ res cõponitur.

A poſſet. Quod autem ſic ſanè ſobrièque ſapuerint, ſicut & rectè cum ſancto Bernardo Epiſcopi Gallicani, ut reprehenſioni acquieverint, nec ſchiſma conflarint, neque Cardinales ita commoti diſceſſionem fecerint ab Eugenio, ipſe auctor Otto, de his Deo gratias agens, mox ſubdit: Benedictus per omnia Deus, qui ſic Eccleſiæ ſuæ ſponſæ ſuæ providit, ut nec vel ſumma membra à capite ſuo diſſiderent, vel tantus religioſarum & diſcretarum perſonarum numerus Gallicanæ Eccleſiæ aliquod judicii pondus à Sede Romana reportans, ſchiſmatis non parvi occaſio eſſet. Hæc pauca ex multis de illo Concilio dixiſſe ſufficiat.]

B

XIX. Cæterùm quod pertinet ad ſancti Bernardi quatuor capita, idem Otto ſubiicit iſta: De primo tantùm Romanus Pontifex definivit (ut puta majoris momenti, in quo & totius quæſtionis cardo verteretur) ne aliqua ratio in Theologia inter naturam & perſonam divideret; neve Deus divina eſſentia diceretur ex ſenſu Ablativi tantùm, ſed etiam Nominativi.] Et de Giliberto ipſo mox iſta: Epiſcopus verò præmiſſam ſummi Pontificis ſententiam reverenter excipiens, Archidiaconis ſuis in gratiam receptis cum ordinis integritate & honoris plenitudine, ad propriam diœceſim remeavit.] Cæterùm etſi ſuum correxit errorem Epiſcopus, ex diſcipulis tamen fuerunt nonnulli, qui in ea permanentes perverſitate, hæreticis meritò meruerunt annumerari: adverſùs quos ipſe S. Bern. in Canticis diſputans, ait ad finẽ: (b) Sed hæc minimè jam contra ipſum loquimur *Gilibertum* (quippè qui in eodem conventu ſententiæ Epiſcoporum humiliter acquieſcens, tàm hæc, quàm cætera digna reprehenſione inventa proprio ore damnavit) ſed propter eos, qui adhùc librum illum contra Apoſtolicum utique promulgatum ibidem interdictum tranſcribere & lectitare feruntur, contentioſiùs perſiſtentes ſequi Epiſcopum, in quo ipſe non ſtetit, & erroris, quàm correctionis magiſtrum habere malentes.] Hæc ſanctus Bernardus, atque de his hactenùs.

Eugen. Papa definitio.

C D

b Bern. in Cant. ſerm. 89.

XX. Ad poſtremum hîc (quod polliciti ſumus) reddenda eſt epiſtola Gaufredi monachi Ciſtercienſis, data ad Cardinalem Albanenſem, poſt plura annorum curricula rogantem eum, quem ſciret interfuiſſe eidem Rhemenſi Concilio, ut cuncta quæ actitata eſſent ab Eugenio Papa in cauſa ejuſdem Giliberti, ſive Gisleberti Pictavienſis Epiſcopi, ad ipſum ſcriberet. Quod & præſtitit ita ſcribens:

E

Amantiſſimo patri & domino A. Dei gratia Albanenſi Epiſcopo, domini Papæ Vicario, Frater Gaufredus de Claravalle minimus id quod eſt.

Gaufredi epiſt. hiſtorica de rebus geſtis in cauſa Giliberti.

Injunxerat veſtra paternitas venerabilis Fratri noſtro, & veſtro ſpeciali filio Auguſtino, ut de mandato veſtro mihi imponeret, vobis per epiſtolam diligenter notum facere, qualiter in Rhemenſi Concilio, quod dominus Papa beatæ memoriæ

Euge-

Eugenius Tertius celebravit ſuper quibuſdam capitulis, in expoſitione Pictavienſis Epiſcopi magiſtri Gisleberti cognomento Porretani, deprehenſis & reprehenſis, tractatum: quid & quemadmodùm tandem fuerit judicatum. Unde vobis ſi tardiùs videor obedire, non miretur veſtra ſerenitas; quoniam ante vigiliam feſtivitatis omnium Sanctorum verbum aliquod parvum vel grande ſuper hoc non audivi. Eadem die ſtylum & tabulas apprehendens cœpi ſcribere, quod optarem vobis, ſi poſſem, celeriùs intimare.

Eodem igitur anno, quo prædictus Pontifex Eugenius Romanæ Eccleſiæ Cathedram ſcandens, non mediocrem primò ſtatim audito flagitioſis intulit metum, & honeſtis omnibus è regione fiduciam: magnus quidam vir & bonorum memoria dignus Arnaldus nomine, & cognomine, † Qui non ridet, in Eccleſia Pictavienſi ſub prædicto Epiſcopo officium Archidiaconale gerebat, non illius adeptus munere, ſed ab ejus prædeceſſore promotus. Difficilè ſiquidem talis arbor fructum ejuſdem protuliſſet. Accidit autem, ut ab eodem Archidiacono ſatis fideli pariter & diſerto ſuper quibuſdam capitulis Fidei familiariter, ut credimus, ante commonitus, nec aquieſcens, in Eccleſia demùm palàm argueretur. Appellatum denique eſt ad Romanam Eccleſiam, & coram prænominato Papa eadem quæſtio ventilata. Qui in Gallias deſcenſurus, utramque partem ſibi præcepit in ſolemnitate Paſchali Pariſiis præſentari. Affuit beatiſſimus pater noſter ſanctus Bernardus cum eodem Papa in eadem ſolemnitate Pariſius, cui omne negotium Chriſti, ubicumque eum contigiſſet adeſſe, tamquàm omninò proprium, nemine ſuper hoc ambigente, protinùs incumbebat. Facta eſt inquiſitio, ſecundùm prædictum codicem expoſitionis (textus in multis depravatus) ſuper Boetium ab eodem Epiſcopo requiſitum: ad manus ſe non habere reſpondit. Inventa eſt tamen apud ſcholares particula quædam, ubi inter cætera continebantur hæc verba: Si homo, cui diverſa conferre ut ſit, præ abundanti unius formæ, ut puta ſapientiæ, dicitur ipſa ſecundùm illud, tu quantus quantus, nihil niſi ſapientia es: multo magis Deus, cui diverſa non conferre ut ſit, dicitur eſſe ſapientia ſua, bonitas ſua, & cætera. In hunc modum producta eſt in medium hæc ſcriptura, & diſputabat ſanctus Bernardus adverſùs Epiſcopum, dicens grave verbum & enorme videri, quo dicebatur, diverſa non conferre Deo ut ſit, quaſi conferat unum. Illam quoque ſimilitudinem locutionis emphaticæ procul eſſe à Deo, nec ſicut quilibet hominum, ſapientia ſua dicitur; ſed verè & ſubſtantivè dicam eſſe ſapientiam ſuam, eſſentiam ſuam, divinitatem ſuam, & non quemadmodùm Davus dictus eſt ſcelus. Negabat autem Epiſcopus docuiſſe, vel credidiſſe aliquando ſe, vel litteris commendaſſe, quòd divinitas non

† Locus decurtatus & corruptus, deſunt multa de Giliberto: nã quæ ſequuntur dicta ſunt de ejus accuſatore.

S. Bern. diluit aſſertionea Giliberti.

A eſſet Deus, quòd forma, vel eſſentia eſſet in Deo, quæ non eſſet Deus, & ampliùs aliquid faciens, diſcipulos ſuos Epiſcopum quemdam Ebroicenſem generoſum ſatis, Rothomagenſem Archiepiſcopum poſt futurum, Rotoldum nomine, & magiſtrum Ivonē Carnotenſem teſtes produxit, quòd illud dogma non tenuerit, nec crediderit, invitus quamvis, ut ſatis tunc animadvertimus, ſed ſuorum ſtimulatione compulſus, propter verba tamen libelli ſui quæ præmiſimus, & quia aliud alii aſſerebant, injunxit ei ſummus Pontifex, quatenùs ante Concilium, quod eodem anno in civitate Rhemorum celebrare proponebat, eumdem ſibi libellum tranſmitteret ſtudioſè ſcrutandum, & paratus eſſet in eodem Concilio ad objecta pleniùs reſpondere.

B

Accidit autem, ut expoſitionem illam ſæpè dictus dominus Eugenius ab Epiſcopo ſibi directa venerabili cuidam Abbati Præmonſtratenſi Godeſcalco de monte ſancti Eligii, qui poſtmodùm factus eſt Atrebatenſis Epiſcopus, traderet perſcrutandam. Qui diligenter, utpotè vir diſertus, notavit capitula, & ex libris ſanctorum Catholicorum Patrum auctoritates paucas manifeſtè contrarias ſcripſit in ſchedula, quas ad idem Concilium veniens, domino Papæ cum libello Pictavienſis Epiſcopi præſentavit. Tulerat autem de medio Dominus anno ipſo columnam grandem Eccleſiæ domnum Albericum Oſtienſem, cum omni reverentia memorandum, qui legatione functus in Aquitaniam, ſuper vita pariter & doctrina illius Giliberti tanta didicerat, ut ipſe ſibi aliter, quàm oportuerat conſcius, ab ejuſdem Oſtienſis Epiſcopi ferventiſſimo zelo præcæteris ejuſdem temporis Cardinalibus trepidaret. Nec defuere qui crederent, quòd ſi advixiſſet idem vir, Pictavienſis ille, quæ auſus eſt confiteri, præſente eo nullatenùs præſumpſiſſet. Ventum eſt ad diſcuſſionem capitulorum, quæ prædictus Abbas Godeſcalcus notaverat: ſed quia ipſe nimis erat elinguis, liber ille cum Sanctorum teſtimoniis ei contrariis à domino Papa traditus * patri noſtro ſancto Bernardo Claravallenſi. Aderant viri magni nec mediocriter litterati Gaufredus de Oratorio, Burdigalenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, cujus in Pictavienſi Eccleſia Epiſcopus ſuffraganeus erat, Milo Morinenſis Epiſcopus religione & ſcientia ſatis inſignis, Joslenus Sueſſionenſis Epiſcopus, tàm ſæculari quàm litterali ſcientia præditus, Sugerius Abbas ſancti Dionyſii, cui Francorum Rex Ludovicus Hieroſolymam proficiſcens, totius regni commiſerat adminiſtrationem. Hi & alii plures cum beato Bernardo prædicta capitula rationibus pariter & Scripturæ ſacræ teſtimoniis arguebant, niſi quòd prædictus Gaufredus minus cæteris loquebatur, de induſtria parcens homini, & judicio ſe reſervans, ſicut humiliter eſt confeſſus, & pœnitentiam egit, audiens dominos

C

D

E

XXI.

Gilibertus timet Albericum Card. Oſtien.

*deeſt ſ. eſt

Car-

Digitized by Google

A Cardinales, quorum principales faviſſe reo, & evidenter etiam foviſſe conſtabat, ſuper auditis objectionibus ſeſe promittere judicaturos.

XXII. Ingredientibus verò nobis Conſiſtorium, prima die cum magnorum voluminum corpora per clericos ſuos Pictavienſes feciſſet afferri, & non paucas auctoritates Eccleſiæ in ſola ſchedula haberemus: occaſione accepta calumniabantur fautores illius hominis, quòd decurtata teſtimonia proferremus, cùm ille codices integros exhiberet, ubi poſſet intelligi, quemadmodùm verbis propoſitis præcedentia vel B ſequentia adhærerent. Prolatum tamen capitulum de ejus codice in hæc verba: Cùm dicitur Deus, pertinet ad ſubſtantiam, non quæ eſt, ſed qua eſt. Quòd dum alii atque alii clamantes auctorem arguerent, & adverſùs eum adhùc tergiverſantem non immeritò cauſarentur: ſanctus Bernardus ad Epiſcopum ait: Quid neceſſe eſt circa hujuſmodi verba diutiùs immorari? non aliundè procedit ſcandali hujus origo, niſi quòd plures credere vos, credunt, & docere, quod divina eſſentia vel natura divinitas ejus, ſapientia, bonitas, magnitudo, non eſt Deus, ſed eſt forma, C qua eſt Deus. Hoc ſi creditis, palàm dicite, aut negate. Auſus eſt dicere, forma Dei & divinitas, qua Deus eſt, & ipſa non eſt Deus. Ecce, ait ſanctus Bernardus, tenemus quod quærebamus, ſcribatur iſta confeſſio. Præcepit ſumus Pontifex, & domnus Henricus Piſanus tunc Romanæ Eccleſiæ Subdiaconus, futurus poſteà Claravallenſis monachus, & ex Abbate ſancti Anaſtaſii ſanctorum Nerei & Achillei presbyter Cardinalis, ad ejus mandatum porrexit & attulit chartam calamum, & incauſtum. Cùm autem ſcriberet ipſam confeſſionem: & vos, ait D Epiſcopus ad Abbatem, ſcribite, quod divinitas eſt Deus. Nec concitatus ille reſpondit: Scribatur, inquiens, ſtylo ferreo in ungue adamantino, vel ſculpatur in ſilice, quod divina eſſentia, forma, natura, deitas, bonitas, ſapientia, virtus, potentia, magnitudo verè eſt Deus.

S. Bern. agit cum hæretico.

XXIII. Diſputatum eſt deinde ſuper eodem capitulo, & euſque proceſſum eſt, ut diceret Sanctus, quòd ſi forma illa Deus non eſt, melior Deo eſt, cùm ex ea Deus habeat eſſe, ipſa autem nec ab eo ſit, nec ab eo habeat quidquam. Quod potiſſimum credidi meE morandum propter eam ſpecialiter cauſam, quia diſputatione completa, Eccleſiæ Rhemenſis armarium mox ingreſſus plures exinde tuli codices, & in libro beati Auguſtini de Trinitate inter alia plura teſtimonia, eadem penè verba, quæ ſanctus Bernardus objecerat, reperi in hunc modum: Deus magnus eſt non niſi ea magnitudine, quæ eſt quod ipſe: alioquin illa erit major magnitudo quàm Deus. Cæterùm cum de primo capitulo prima die diſputaretur, ego fui qui objeci eidem Epiſcopo, audientibus univerſis, quòd verba illa quæ modò profitebatur, eodem anno Pariſiis coram domino Papa, & majori parte majorum quæ aderant perſonarum, penitùs abnegaſſet, & teſtes produxiſſet, quòd talia numquam crediderat, numquam docuerat. At ille multùm confidens, & ampliùs forſitan quàm poſteà voluiſſet, quia negare non poterat ſe negaſſe: Quidquid tunc dixerim, modò, ait, hoc dico. Ego verò ſuſpirans graviter quòd viderem coram tantis judicibus paulò minùs impunè tanta præſumi: ergò ſicut Rex, inquam, veſtrum dictum & dedictum habetis.

XXIV. Et factum eſt, ut diſputantibus perſonis quæ aderant, ſuper primo capitulo prædicto occurreret ſecundum, profitente prædicto Epiſcopo, quòd nec unus Deus, nec unum aliquid ſit tres perſonæ, licèt tres perſonæ ſint unus Deus, id eſt una divinitate, & ſint unum, id eſt uno. Et adverſùs hoc capitulum diutiùs eſt diſputatum, poſtquàm ſuggerente ſancto Bernardo, & domino Papa præcipiente, ipſum etiam cum priore litteris eſt commendatum. Cui evidens ſatis oppoſita eſt auctoritas Athanaſii in hæc verba: Supernarum virtutum carmina unum tria, & tria unum eſſe confirmant. Sequenti die codices tantos attulimus ad diſputationem, ut obſtupeſcerent fautores Epiſcopi, & à nobis audirent, quia ecce ſchedulas non habemus. Faciebat Epiſcopus in libris beati Hilarii, & de corpore canonum in quorumdam Græcorum epiſtolis verba minus intelligibilia, præſertim in tanta feſtinatione, ac in tanta ac tali multitudine lectitari; nec deerant qui pro eo ſe opponerent, licèt parùm intelligentes. Addita ſunt eodem die capitula duo prioribus, & litteris pariter commendata. Quod perſonales proprietates, & æternarum rerum multitudinem copioſam Epiſcopus idem veraciter eſſe ſine initio profiteretur, quarum tamen nulla Deus eſſet, nulla à Deo.

De cap. 2. diſputatio.

XXV. Quartum fuit capitulum, quòd natura divina naturam non ſuſcepit humanam, ſed perſona Filii naturam noſtram ſuſcepit, contra illud beati Gregorii: Quia venit ad nos calceata divinitas humanitate: & beati Auguſtini in libro primo de Trinitate. Ergò quia forma Dei accepit formam ſervi, utrumque Deus & utrumque homo. Item ejuſdem ſuper Evangelio Joannis in Tractatu ſeptuageſimoquinto: Semetipſum exinanivit, & homo &c. quis niſi idem ipſe Chriſtus Jeſus? ſed hic jam ſunt omnia, & Verbum in forma Dei, quæ accepit formam ſervi; & anima & caro in forma ſervi, quæ accepta eſt à forma Dei. Et Leo Papa: Suſcepit nos illa natura, quæ nec noſtris ſua, nec ſuis noſtra conſumeret. Exinde poſtquam diutiùs diſputatum eſt ſub eo tenore, diſceſſum eſt, ut dicerent domini Cardinales, quia ecce audivimus quæ propoſita ſunt, deinceps judicabimus qualiter debeat definiri. Quod verbum eatenùs movit corda multorum,

rum, nt ſequenti die apud ſanctum Bernardum convenirent Archiepiſcopi decem, Epiſcoporum quoque & Abbatum ac magiſtrorum plurima multitudo. Et quia judicium ſibi ſoli videbantur reſervaſſe quos noverant ferè omnes errantis potiùs quàm erroris fautores: providere oportere, cum capitulis illis Giliberti Epiſcopi, ſuæ & fidei ſymbolum mitti, ut ſcirent pleniùs undè judicarent. Scripſerunt ergò capitula totidem quàm expreſſiùs potuere illius verbi, ſuam confeſſionem contrariam in omnibus, & per omnis proponentes, quam de communi omnium convenientia, non ſine multa deliberatione dictatam judicaturis facerent exhiberi. Nec tamen verebantur, ne contrarium aliquid judicarent; ſed credebant, nonnullos eorum ad hoc tendere; ut ſine aliqua definitione Concilium ſolveretur. Propter quod eidem ſcripturæ, quam noviſſimam vobis mittimus, ſubſcripta ſunt nomina ſingulorum, qui aderant Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, & magiſtrorum de conſenſu & convenientia univerſorum.

XXVI. Electi offerunt cõfeſſ. fidei Catholicę.

Et electæ ſunt tres perſonæ, Epiſcopi duo reverendiſſimi, Hugo Antiſiodorenſis, & Milo Morinenſis, & Sugerius Abbas S. Dionyſii, qui eamdem ſcripturam domino Papæ & Cardinalibus præſentarent, & dicerent eis: Pro veſtra reverentia ſuſtinuimus minus dignos acceptione ſermones, donec tandèm audivimus, quòd de eis judicare velletis. Offerimus ergò & nos vobis noſtram confeſſionem, ut non de parte, ſed de partibus judicetis. Tenetis confeſſionem hominis illius ſcriptam: convenit ut teneatis & noſtram. Verumtamen ille vobis ſub hoc tenore tradidit ſuam, ut paratus eſſet corrigere, ſi quid vobis aliud videretur. Nos hujuſmodi conditionem penitùs excludentes, ſic vobis noſtram offerimus, ut noveritis quòd in hoc ſumus, in hoc perſeverabimus, nihil penitùs mutaturi. Quibus ſine cunctatione dominus Papa reſpondit, & univerſis qui miſerant eos, renuntiare præcepit, quòd ab eadem confeſſione eorum in nullo prorsùs Romana Eccleſia diſſentiret, etſi ſtare viſi fuerant aliqui pro perſona, ſed non ſtabant aliquatenùs pro doctrina. Inde fuit quòd in inſigni palatio, cui nomen eſt Thau, Eccleſia univerſa convenieñs, & interrogatus Epiſcopus Pictavienſis capitulis ſingulis liberè renuntiavit, hæc eadem verba locutus: Si vos aliter creditis, & ego, ſi aliter dicitis, & ego, ſi aliter ſcribitis, & ego. Ibidem dominus Papa auctoritate Apoſtolica, de aſſenſu totius Eccleſiæ quæ convenerat, capitula ipſa damnavit, diſtrictè præcipiens, ne eumdem librum legere, vel tranſcribere etiam ſic reprobatum quis auderet, niſi priùs eum Romana Eccleſia correxiſſet. Cùmque reſponderet Epiſcopus: ego corrigam ad arbitrium veſtrum: non vobis ait, hæc correctio committetur.

XXVII. Erant & alia, quæ in ſcholis ſuis dicebatur auditoribus ſuis frequenter idem

A Epiſcopus tradidiſſe, licèt nos diſſimularemus; pro multitudine tamen ſcholariũ, qui teſtimonium perhibebant ab eo andiviſſe multoties, hæ coram omnibus ſciſſæ & diſcerptæ fuerunt chartæ, quæ dicebantur ejus ſententias continere. Quin igne petito ad comburendum eas: dixerunt quidam ſufficere ſi ſcinderentur. Quænam fuerint illa capitula, nec tùm ſcire curavi, nec adhùc ſcio. De cœtero ſuper capitulis aliis, de quibus mandatum veſtræ dignationis accepi, diligenter conſiderans in libro Gloſſarum Pſalterii, quas idem G. Porretanus compoſuit ſuper verſum,
B ſum, Adorate ſcabellum pedum ejus, ita ſcriptum inveni: Caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnem accepit Chriſtus. Hæc ſine impietate adoratur à nobis, quia nemo carnem ejus ſpiritnaliter manducat, niſi priùs adoret.] Hucuſque verba ſunt Auguſtini. Quibus continuò addidit G. declarationem, quod eſt additamentum eorum: Non illam dico adorationem, quæ latria eſt, quæ ſoli Creatori debetur, ſed illam, quæ in dulia dignior eſt: dulia enim adoratio eſt, quæ etiam creaturæ exhibetur; quæ duas habet ſpecies, unam quæ hominibus indifferenter, alteram quæ

De aliis erroribus Giliberti.

C ſoli humanitati Chriſti exhibetur. In libro etiam Gloſſarum ejus in epiſtola ſancti Pauli ſuper illum locum: Propter quod Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, ita eſt commentatus: Quibuſdam videtur hoc nomen datum homini, quod nulla ratione convenit: hoc enim nomen eſse Filium Dei, hoc nomen eſse Deum, quod non per ſolam appellationem, ſed per naturam ſuper omne nomen eſt, quod non poſt paſſionem ſuam, ſed potiùs à Patre, à quo habet omnia, cùm generaretur, accepit. Hoc ergò non homini datum, niſi fortè quis dicat
D per adoptionem omne datum: ſed adoptivo Deo non flectitur omne genu, nec eſt in gloria Dei Patris: nam nato ex Deo hoc competit. Dicit tamen Apoſtolus: Dedit illi nomen &c. Quod ideò dico, quia natus accepit ut per crucem manifeſtaretur, qui à Patre, dum generaretur accepit. Horum ergò capitulorum nihil ejuſdem Concilii tempore audieramus, nihil penitùs noveramus.

Sapit Neſtoriũ Gilibertus.

XXVIII. Videntur autem his contraria hæc quæ ſequuntur in ſcripturis beati Leonis Papæ, quorum auctoritatem ſacris canonibus confirmatam optimè novit veſtra di-
E ſcretio. Dicit enim in ſermone Paſchali: Non ſic creatura in ſocietatem ſui Creatoris aſſumpta eſt, ut ille habitator, & illa eſſet habitaculum; ſed utrumque Deus de potentia ſuſcipientis, uterque homo de humilitate ſuſcepti. In utraque igitur natura idem eſt Dei Filius, & nihil eſt alterius naturæ, quod non ſit utriuſque. Item in nullo dividentes viſibilem ab inviſibili, corporeum ab incorporeo, & Verbum in Chriſto hominem, & Chriſtum adoremus in Verbo. Infra: Utrumque fideliter credite, utrumque fideliter adorate, & unitate

Ver-

Digitized by Google

Confutatio enormiſs. erroris Giliberti.

Verbi & carnis non ſit ulla diviſio. Idem in ſermone de Natali: Ab illo tempore, quo Verbum caro factum eſt, nec Deum illum ſine hoc quod homo eſt, nec hominem ſine hoc liceat cogitare quod Deus eſt, cùm nihil aſſumpto divinum; nihil aſſumenti deeſſet humanum. Nec enim divinis humana præjudicant, nec humana divinis: ipſe eſt caro qui Verbum. Idem ad Flavianum Epiſcopum: Sententia eſt Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ: Qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus. Quid autem eſt ſolvere Jeſum, niſi humanam à Verbo ſeparare naturam? Auguſtinus in definitionibus Eccleſiaſticorum dogmatum: Homouſion Patri & homini adoratur ab Angelis, & omni creatura, ſicut Pater & Spiritus ſanctus; non homo propter Deum, vel Chriſtus cum Deo, ſed homo in Deo, & in homine Deus. Idem de prædeſtinatione Sanctorum: Ille homo ut à verbo in unitatem perſonæ aſſumptus filius Dei unigenitus eſſet, unde hoc meruit? Nam & ipſum Dominum gloriæ, in quantum homo factus eſt Dei Filius, prædeſtinatum didicimus in Apoſtolo. Prædeſtinata iſta naturæ humanæ tanta, tàm celſa, & ſumma ſubvectio, ut quo attolleretur altiùs non haberet. Hieronymus in Breviario Pſalmorum ſuper, Adorate ſcabellum pedum ejus: Licèt quidem aſſumptus ſit homo, & ad comparationem Dei omnis creatura ſcabellum pedum ejus eſt; tamen hoc ipſum ſcabellum ſociatum eſt Deo, & de ſedili ſuo, videte quam rem audeam loqui: Ego ita adoro ſcabellum, ſicut & thronum. Ego non intelligo aliud ſedentem, & aliud ſcabellum, ſed totum in Chriſto thronus eſt. Quomodò ſit neſcio, & tamen credo quod ſit. Sufficit mihi ſcire quod ſcriptum eſt, quod credo: Fideles dicimur, non Rationales.

XXIX. Confutatio quarti cap. Giliberti.

Contra capitulum quartum, ſecundùm quod præſcripſimus, ſenſit Leo Papa ſcribens ad Flavianum Epiſcopum ita: Hoc, inquit Apoſtolus, ſentite in vobis &c. uſq; in gloria Patris, aſſumpti non aſſumentis provectio eſt quod dicitur, Deus illum exaltat. Idem ſcientes, quod ſempiterna Filii deitas nullo apud Patrem crevit augmento, prudenter advertite, quod nec cui dictum eſt, terra es, & in terram ibis, eidem in Chriſto dicitur ſede à dexteris meis. Idem ad Conſtantinopolitanos: Dicant adverſarii veritatis, quando omnipotens Pater, vel ſecundùm quam naturam Filium ſuper univerſa provexit, vel cui ſubſtantiæ cuncta ſubjecit. Deitas enim Verbi par in omnibus & conſubſtantialis eſt Patri: ſed minor erat provehente qui crevit: in natura hominis accepit à Patre, quod in natura deitatis etiam ipſe donavit. Item ad Leonem Auguſtum, & ad Palæſtinos: Exaltationem, qua illum exaltavit Deus, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ad eã intelligimus pertinere formam, quæ ditanda erat tantæ glorificationis augmento. Item: Quidquid ergo accepit, in tempore ſecundùm hominem accepit, cui quæ non habuit, conferuntur. Forma autem ſervi in gloria divinæ poteſtatis evecta eſt, nec intereſt, ex qua Chriſtus ſubſtantia nominetur, vel adoretur. Hieronymus in Breviario ſuper epiſtolam ad Philippenſes: Si ità aſſumptus homo humiliari dignatus eſt, divinitas, quæ ſe humiliare non poteſt, eum qui humiliatus fuerat, meritò exaltavit. Sed & illi donatum eſt nomen, quod ante non habuit. Unde rectè locus hic ſecundùm humanam naturam intelligendus eſt. Idem ſuper, Dixit Dominus Domino meo: Iſtum locum Salvator in Evangelio expoſuit, dicens: Si Chriſtus eſt, inquit, filius David, quomodò in ſpiritu vocat eum Dominum? huic Domino, cui præcipitur ut ſedeat: Deus enim non ſedet, aſſumptione corporis ſedet: huic ergò præcipitur ut ſedeat qui homo eſt, qui aſſumptus eſt. Auguſtinus contra Maximinum: Donavit illi nomen &c. homini donavit iſta, non Deo. Ac deinde in qua forma crucifixus eſt, ipſa exaltata eſt, ipſi donatum eſt nomen quod eſt ſuper omne nomen, homini Chriſto ſecundùm carnem mortuo, reſurgenti, aſcendenti; donatur enim nomen, quod eſt ſuper omne nomen. De cætero ut epiſtola finem deinceps ſortiatur, ſi placuerit veſtræ diſcretioni ſuper prioribus capitulis quatuor pleniùs edoceri: in ſermonibus B. Bernardi ſuper Cantica canticorum diligentior de eiſdem diſputatio continetur. Optamus & oramus ut benè ſemper in Domino valeat veſtra paternitas. Recommendamus vobis Fratres noſtros de Foſſa nova. De proſperitate veſtra, & ſtatu Eccleſiæ ſanctæ certitudinem ſatis vellemus audire.] Pergit verò:

XXX. Appendix ad epiſtolam.

Vix perfecta erat epiſtola hæc ab eo, cui tradita fuerat ad ſcribendum, & ecce eadem hora voluntas Domini fuit, ut mihi occurreret quod volebam. Ab altero ſiquidem Fratre, priuſquàm mihi præſens epiſtola redderetur, ſcriptura alia diu quæſita jam penitùs deſperanti mihi exhibita eſt, quam ſuper eiſdem capitulis ante annos penè quadraginta edideram cum ipſo Symbolo, quod domino Papæ, & Romanæ Eccleſiæ ex parte decem Archiepiſcoporum, & omnium Epiſcoporum penè, qui in illa adhùc die Rhemis inventi ſunt cum Abbatibus maximis atque plurimis; & magiſtris ſcholarum, & ſubſcriptis nominibus ſingulorum, per ſuperiùs memoratas perſonas fuerat præſentatum. Unde ſatis exultans, illam quoque ſcripturam adiiciens huic epiſtolæ, tamquàm chariſſimo domino meo vobis utramque filiali devotione transmitto.

De damnatione iterata Abailardi.

Audivi etiam, quòd ſuper damnatione Petri Abailardi diligentia veſtra deſideret pleniùs noſſe ſimiliter veritatem, cujus libellos piæ memoriæ dominus Innocentius Papa Secundus in Urbe Roma, & in Eccleſia beati Petri incendio celebri concremavit, Apoſtolica auctoritate hæreticum illum denuntians. Nam & ante plures annos venerabilis quidam Cardinalis & Legatus Romanæ Eccleſiæ Cono nomine, regularis quondam Canonicus Eccleſiæ

A ſancti Nicolai de Arvaſia, Theologiam ejus, Sueſſione Concilium celebrans, ſimiliter concremaverat, ipſum Petrum præſentem arguens, & convictum de hæretica pravitate condemnans. Unde veſtro ſi placuerit deſiderio, per libellum de vita ſancti Bernardi, & per ejus epiſtolas miſſas ad Curiam ſatis fiet. Inveni tamen in Claravalle libellum cujuſdam Abbatis nigrorum monachorum, quo errores ejuſdem Petri notantur: quem & olim me vidiſſe recordor, ſed à multis annis, ut cuſtodes librorum aſſerunt, ſtudioſè quæſitus B primus quaternio non potuit inveniri. Propter quod propoſiti noſtri eſt in Franciam deſtinare ad monaſterium, cujus Abbas extitit, qui eumdem librum compoſuit, & ſi recuperare potero, tranſcribi facere codice totum & mittere vobis. Credo enim quòd veſtræ inquiſitioni ſufficere debeat, ut cognoſcatis, quæ, quemadmodùm, quare ſint condemnata.] Hactenùs Gaufredi epiſtola ad Epiſcopum Cardinalem Albanenſem.

XXXI.

De his quæ ſpectant ad Rhemenſe Concilium, dum agimus, etiam illud dicere non prætermittimus, magno ceſſiſſe C lucro (a) Raymundo Toletano Archiepiſcopo, quòd vocatus cum aliis ab Eugenio Papa, venerit ad Rhemenſe Concilium. Nam in via prope Pariſios ingrediens baſilicam ſancti Dionyſii, didicit primò, quòd ipſi fuerat incompertum, eſſe ibi reconditum corpus ſancti Eugenii Archiepiſcopi Toletani martyris, ejus epitaphio id his litteris indicante: HIC SITUS EST EVGENIVS MARTYR PRIMVS ARCHIEPISCOPVS TOLETANVS.] Quo factum eſt, ut ſub Alphonſo Rege ſocero hujus Ludovici Regis Francorum D anno milleſimo centeſimo quinquageſimoſexto brachium ejuſdem Eugenii à Rege ad ſocerum illud expetentem miſſum fuerit in Hiſpaniam, exceptumque ſumma reverentia, ipſi Alphonſo & filiis ſuccollantibus ſacram ſarcinam. Reliqua verò ſacri corporis oſſa noſtro tempore, concedente Carolo Nono Francorum Rege, pari religioni cultus accepit, qui per Legatos petierat Philippus Secundus Rex Catholicus, ſpectaculum edens tanto Principe dignum hoc præſertim tempore, Deo gratiſſimum, cùm Hagiomachorum inſanit in Orbe Chriſtiano dementia, & furit inſa- E nia, ita de ipſis Catholico Rege glorioſiſſimè triumphante.

a Scriptores rerum Hiſp. & noviſſimè Joãnes Mariana.

De corpore S. Eugenii mart.

XXXII.

Abſoluto Rhemenſi Concilio, cùm Eugenius Papa (inquit (b) Theodorus Abbas in rebus geſtis ſanctæ Hildegardis) per Adalberonem Trevirorum Archiepiſcopum devocatus, Treviris morabatur; viſum eſt pontifici Moguntinæ civitatis, & majoribus Cleri ad Apoſtolici cognitionem eſſe veniendum, quatenùs ipſius auctoritate noſceretur, quid de compertis *ſancta Hildegardis virginis monialis viſionibus* recipiendum aut refutandum foret. At Papa ſummæ diſcretionis, auditu tantæ novitatis attonitus, cùm Deo ſciret om-

b Apud Sur. to. 5. die 17. Sept.

Quid Treviris cum S. Hildegar. de Eugen. Pap.

A nia eſſe poſſibilia, rem diligentiùs inveſtigare geſtiens, venerabilem Virduni Præſulem, & cum eo Adalbertum Primicerium, aliaſque perſonas idoneas dirigit ad cœnobium, ſub quo eadem virgo tot annis degebat incluſa, ut ſine ſtrepitu, vel curioſitatis acumine, quid rerum eſſet, ab ipſa ſciſcitarentur. Quibus humiliter inquirentibus, cùm illa ſimpliciter, quæ de ſe erant, aperuiſſet, ad Apoſtolicum redierunt, & magna ipſius, magna cunctorum aſtantium expectatione, quæ audierant, re- B tulerunt.

His Papa recognitis, jubet repræſentari ſcripta beatę Hildegardis, quæ ſibi de prefato cœnobio perlata ſuſceperat, & ea manibus propriis tenens, ipſeque recitatoris vice functus, Archiepiſcopo & Cardinalibus, omnibuſque qui de Clero aderant, publicè legit, ac reſponſa virorum, quos ad hæc indaganda miſerat, pronuntians: omnium mentes & voces in laudem Conditoris & congratulationem excitavit. Aderat etiam ibidem ſanctę recordationis Bernardus Abbas Clarævallis, quo mediante, cæteriſque annitentibus, monebatur ſummus C Pontifex, ne tàm inſignem lucernam ſilentio tegi pateretur, ſed gratiam tantam, quam tempore ipſius Dominus manifeſtare vellet, ſua auctoritate confirmaret. Ad hæc reverendus Pater Patrum, tàm benignè quàm ſagaciter aſſenſum præbens, litteris ſalutatoriis beatam virginem viſitavit, in quibus conceſſa ſub Chriſti & beati Petri nomine licentia proferendi quæcumque per Spiritum ſanctum cognoviſſet, eam ad ſcribendum animavit, ſed & locum, quo illa fovebatur, honoravit, datis ad Abbatem, & Fratres cœnobii gratulatoriis ex ſuo nomine litterarum apicibus.] Hæc de his ibi.

Probat Eugen. Pap. res Hildegardis.

D Viſitatio iſta & examinatio de Hildegarde facta majorem illi conciliavit exiſtimationem, de qua Joannes Sareſberienſis hæc habet libro primo epiſtolarum ſancti Thomæ, epiſtola centeſima ſeptuageſimaprima in fine: Viſiones & oracula beatæ illius & celeberrimæ Hildegardis, quę apud vos ſunt, *mittite ſcilicèt*. Quæ mihi ex eo commendata eſt & venerabilis, quòd eam dominus Eugenius ſpecialis charitatis affectu familiariùs amplectebatur. Explorate etiam & reſcribite, an ei ſit de fine hujus ſchiſmatis aliquid revelatum. Prædixit enim, in diebus Papæ Eugenii, quòd non E eſſet niſi extremis diebus pacem & gratiam in Urbe habiturus.] Hæc Joannes Sareſberienſis.

Quomodò autem poſt hæc Romam verſus Eugenius convertens iter, Claravallenſe monaſterium inviſit, ſic accipe à Bernardo Abbate Bonævallis, qui aderat: (c) Eugenius interim celebrato Rhemis Concilio, Claramvallem humiliter viſitat, & gloriam Pontificatus Romani pauperum præſentat aſpectibus. Mirantur omnes in tanta altitudine humilitatem immobilem, & in tàm excellenti culmine propoſiti ſancti permanere virtutem, ut altitudine ſociata humilitas, pro officio exte-

XXXIII.

Eugenius viſitat monaſterium Claravallenſe.

c Vit. S. Ber. lib. 2. c. 8.

A exteriùs ſplendeat, ut per virtutem nequaquam interiùs inaneſcat. Adhærebat carni ejus lanea tunica, & diebus ac noctibus cuculla veſtitus, ſic ibat, ſic cubabat. Intus monachi habitum retinens, extra ſe Pontificem & motibus & veſtibus exhibebat, rem difficilem agens, diverſarum in uno homine proprietatem exprimens perſonarum. Segmentata ei circumferebantur pulvinaria, lectus ejus palliis opertus cortina ambiebatur purpurea. Sed ſi revolveres operimenta, invenires ſuperjectis laneis comploſa ſtramina, & paleas conglobatas. Homo in facie, Deus videt in corde, ipſe verò bona coram Deo & hominibus providebat. Alloquitur fratres non ſine lacrymis, miſcens ſermonibus avulſa à corde ſuſpiria, hortatur & conſolatur, & ſe inter eos fratrem & ſocium, non dominum exhibet vel magiſtrum. Cùmque eum ibi morari diutiùs non pateretur magna eum proſequens habitantium multitudo, ſalutatis Fratribus, iter in Italiam dirigens abſceſſit, & ad Urbem pervenit.] Hæc ibi de Eugenio Papa. Sed qui Claramvallem viſitavit, Ciſtercium cunabula totius Ordinis non præteriit.

XXXIV. Quodnam autem tunc contingerit per ſanctum Bernardum miraculum fieri, accipe: (a) Eodem anno (inquit idem auctor) apud Ciſtercium juxta morem Abbatibus congregatis: prædictus Papa venerabilis affuit, non tàm auctoritate Apoſtolica præſidens, quàm fraterna charitate reſidens inter eos, quaſi unus ex eis. Ubi cùm ad cellulam in qua jacebat, facto veſpere & conventu ſoluto, Dei famulus divertiſſet, ſurdum ei puerum obtulerunt. Erat autem puer ille de vicinia eadem, & ſicut poſteà didicimus, ex longo ante tempore vigilans in cuſtodia gregis ſui, ſubito terrore percuſſus amiſerat prorsùs auditum. Orans itaque Pater ſanctus, & puero manus imponens, utrum audiat, ſciſcitatur. At ille mira devotione proclamans, Audio, domine, audio, tàm firmiter amplexatus eſt eum, ut vix ab eo poſſet avelli. Auditum eſt verbum, oblatus eſt ſummo Pontifici, aliiſque perſonis, celeberrimumque hoc miraculum fuit.] Hæc ibi.

a *Idem lib. 4. c. 4.*

Antequàm autem Eugenius Papa è Galliis recederet, controverſiam arduam obortam inter Theobaldum Cantuarienſem Archiepiſcopum, & Bernardum Epiſcopum ſancti Davidis ejus refugientem obedientiam componere laboravit. Hæc ut intelligas, ex Annalibus Anglorum iſta opus eſt audias, quæ ſic ſe habent: (b)

b *Roger. per poſter. an. 1199. inſ. Cauſa Eccl. Menevenſis.*

XXXV. Rex Henricus Vualliam regno ſuo ſubjugavit, & ideò prædictam Menevenſem Eccleſiam, & alias Vuallíæ Eccleſias ſuffraganeas Menevenſis Eccleſiæ, Eccleſiæ regni ſui, ſcilicet Cantuariæ ſubiicere cupiens, Bernardum clericum de Camera ſua, quem in Menevenſi Eccleſia Vuilfrido Epiſcopo ſubrogari procuravit, apud Cantuariam per regiam violentiam conſecrari fecit: & hic fuit primus Menevẽſis Eccleſiæ Epiſcopus à Cantuarienſi Archiepiſcopo conſecratus, & poſt eum David, & Petrus à Regibus Angliæ compulſi, ſimiliter à Cantuarienſi Archiepiſcopo ſunt conſecrati, præſtitis ſacramentis contra canones extortis de non ſuſcitanda lite ſuper jure metropolitico contra Cantuarienſem Eccleſiam in perpetuum. Bernardus tamen defuncto Henrico Rege Primo, movit quæſtionem ſuper jure Eccleſiæ ſuæ metropolitico contra Theobaldum Cantuarienſem Archiepiſcopum. Unde Papa Eugenius in hac forma ſcripſit Theobaldo Cantuarienſi Archiepiſcopo:

B Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Theobaldo Cantuarienſi Archiepiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Venerabilis frater noſter Bernardus Epiſcopus ſancti David, ad noſtram præſentiam veniens, Eccleſiam ſancti David olim metropolim fuiſſe aſſeruit viva voce, & eamdem dignitatem ſibi à nobis reſtitui poſtulavit. Cum autem circa petitionem iſtam invigilans, diu in Curia noſtra commoratus eſſet; tu frater Archiepiſcope, tandem eo præſente, ex adverſo conſurgens, in præſentia noſtra adversùs eum querelam C depoſuiſti, quòd debitam tamquàm primo Metropolitano obedientiam ſubtraxiſſet, tibique inobediens & rebellis exiſteret, cùm à prædeceſſore tuo, tamquàm à Metropolitano primo conſecratus eſſet, & viva voce, & ſcripto Cantuarienſi Eccleſiæ profeſſionem feciſſet, & in multis poſteà, tamquàm alii Suffraganei tibi obediſſet, & aſtitiſſet. Ille verò conſecrationem negare non potuit; ſed profeſſionem ſe feciſſe, & obedientiam exhibuiſſe omninò negavit. Quod tu audiens, duos teſtes in medium produxiſti, teſtimonium perhibentes, quòd ipſe illis videntibus & audientibus, D poſt conſecrationem ſuam & viva voce, & ſcripto Cantuarienſi Eccleſiæ profeſſionem feciſſet. Nos igitur auditis utriuſque partis rationibus, & diligentiùs inquiſitis, & teſtibus tuis ſtudioſè examinatis: communicato fratrum noſtrorum conſilio, juramenta eorum recepimus, & ut ipſe Epiſcopus tibi, tamquàm primo Metroplitano, obedientiam & reverentiam exhibeat, juſtitia dictante præcepimus. Unde, quoniam ſingulis Eccleſiis, & Eccleſiaſticis perſonis ſuam dignitatem, & juſtitiam volumus conſervare, beati Lucæ feſtivitate proximi ſequentis anni, tibi & E ipſi diem præfiximus, ut tunc, præſentibus partibus, de dignitate Eccleſiæ ſancti David, & libertate ſua, rèi veritatem cognoſcamus; & quod juſtum fuerit, auctore Domino, exinde ſtatuamus. Datum Meldis tertio Kalendas Julii. Epiſtolam autem iſtam prædictus magiſter Giraldus invenit in regiſtro Eugenii Papæ.

XXXVI. Accidit autem inter hæc, ut Archiepiſcopus Cantuarienſis rediens ex Rhemenſi Concilio in Angliam, gravem perſecutionem paſſus ſit à Stephano Angliæ Rege, ex ex cauſa, inquit ſanctus Thomas ejuſdem

Theobald. Cant. Archiep. quę paſſus ob Rom. Eccleſ.

Eccleſiæ Archiepiſcopus, quòd contra prohibitionem ejuſdem Regis vocatus ab Eugenio Papa, ad Rhemenſæ Concilium veniſſe. Alia quoque interceſſit perſecutionis cauſa, nempè quòd prohibente Romano Pontifice, filium Regis Euſtachium noluit coronare. Hæc ſanctus Thomas in commendationem ſanctæ Eccleſiæ Cantuarienſis Antiſtitum, quòd addictiſſimi ſemper fuerint Apoſtolicæ Sedi, etiam contra Regum Angliæ id prohibentium voluntatem. Quid verò egerit Eugenius Papa adversùs Regem eumdem, monitis Pontificiis non parentem, idem ſanctus Thomas in fine ejuſdem epiſtolæ ad Boſonem Cardinalem datæ, hæc habet:

Rex Stephanus ab anteceſſoris noſtri perſecutione non deſtitit, antequàm piæ recordationis dominus Eugenius, omni ceſſante appellationis obſtaculo, in caput ejus anathematis, & in terram interdicti ſententiam præcepit ab omnibus Epiſcopis auctoritate Apoſtolica exerceri. Lupus enim ab ovili facilè non arcetur, niſi clamorem canum terreatur & baculo.] Hæc ſanctus Thomas epiſtolarum libro primo epiſtola centeſima trigeſimaſexta. Et libro quarto epiſtola decimaquarta ad Alexandrum Papam iſta etiam refricat de Eugenio Papa, in Stephanum Regem Angliæ juſtè permoto; ait enim: Numquid eram Archiepiſcopus, quando pater ejus Nuntios beati Eugenii terram illam intrare prohibuit? Numquid eram Archiepiſcopus, quando Gregorius S. Angeli diaconus Cardinalis tyrannidē hujus prævidens, perſuaſit domino Eugenio, ut Euſtachium filium Regis Stephani coronari permitteret, dicens, faciliùs poſſe teneri arietem per cornua, quàm cauda leonem? Hæc vobis hiſtoria nota eſt.] Hæc ad Alexandrum ſanctus Thomas. At quæ tunc nota erat hiſtoria, remanſit obſcura, niſi quod illud (quod ſummum eſt) liquet, nempè reſiſtente Eugenio Papa, non licuiſſe coronari Euſtachium filium Regis Stephani: qui & anno quinquageſimoſecundo poſt milleſimum centeſimum, ipſa die ſancti Laurentii, cùm invaderet terram ſancti Eadmundi martyris, ſubitâ morte præreptus eſt, ita Deo ulciſcente in ſacrilegum Regis filium.

XXXVII. Poſt hæc autem in Galliis & Anglia ſtabilita idem Eugenius Papa inde recedens, rectâ via, abſque aliqua digreſſione Romam verſus iter dirigens, & ſi non Romam, ubi manere non licuit, ſaltem ad Romanæ Eccleſiæ loca propè Urbem poſita pervenit menſe Octobris, ut colligitur ex ſancto Bernardo in Malachia, de quo ait, quòd cùm veniſſet Claramuallem, ut Eugenium Papam pro pallio alloqui poſſet: invenit eum diu ante ex Gallia diſceſſiſſe: Jam, inquit, Eugenius abierat, & erat Romæ, vel propè Romam.] Porrò, ut ex eodem ſancto Bernardo colligitur, adventus Malachiæ in Claramvallem contigit quatuor, vel quinque dies ante ſolemnitatem ſancti Lucæ, nempè decimatertia,

A vel decimaquarta menſis Octobris, cùm poſt quatuor vel quinque dies ægrotans idem ſanctus Malachias diem obiit quarto Nonas Novembris hoc ipſo anno, ætatis ſuæ quinquageſimoquarto. De quo panegyrim in die depoſitionis, quæ extat, habuit ſanctus Bernardus eidem charitate conjunctiſſimus, ejuſque ſanctitatis cultor addictiſſimus, atque virtutum prædicator ampliſſimus; cujus & vitam ſcripſit ſicut fideliter ita & copioſè, auctore dignam. Extant ejuſdem ſancti Bernardi ad ipſum Malachiam (a) epiſtolæ tres, cùm videlicèt ex Hibernia miſiſſet ſanctus Malachias

B quoſdam ex ſuis erudiendos inſtitutionibus Ciſtercienſibus. Fuit inter alios unus ex iis nomine Chriſtianus, quem benè probatum idem Bernardus remiſit in Hiberniam ad alios inſtituendos. Hic autem magnarum virtutum vir poſt mortem Malachiæ in locum ipſius in Archiepiſcopatu ſeceſſit ex Abbate monaſterii Mellifontis, ut Robertus affirmat in Chronico: Vir, inquit, plurima ſanctitate præditus, qui ejuſdem ſancti viri Archidiaconus extiterat, & primus Abbas de Ordine Ciſtercienſi in Hibernia alumnus (ut dictum eſt) monaſterii Claræ vallenſis.

Obitus S. Malachiæ Epiſcopi in Hibernia.

a Bern. ep. 315. 316. 317.

C XXXVIII. Cæterùm rediens Eugenius in Italiam, antequàm Romam perveniret, Brixiæ audivit, quæ præter alia execranda, ipſo abſente, novus hæreticus adversùs Romanam Eccleſiam præſumpſiſſet Arnaldus. Etenim parum ſibi viſum, Romanos laicos à Pontifice & Cardinalibus ſeparare quæſiſſe; clericos ſubditos eiſdem Cardinalibus titulorum Rectoribus ab iis divellere laboravit. Quod & iiſdem facilè perſuaſit, negantibus ſe ipſis eſſe ſubjectos, & obedire teneri. Adeòque error invaluit, ut ad ipſum evellendum non ſatis virium, licèt ſummoperè laboraverit, habuerit idem Eu-

D genius Papa, ſed ſucceſſoribus ſuis Hadriano, & poſt eum Alexandro Tertio fuerit inſudandum, ut ejuſmodi inventum diaboli per nefarium hæreſiarcham promulgatum adversùs Romanam Eccleſiam prorsùs auferrent. Quorum trium Romanorum Pontificum decreta ſimul poſita in codice Vaticano hìc tibi curavimus; ſic enim ſe habent.

Eugenius Tertius Univerſo Romano Clero, ut capellani promittant obedientiam Rectoribus titulorum.

Fallax & invidus humani generis inimicus per Arnaldum ſchiſmaticum, quaſi

E per membrum proprium, hoc effecit, ut quidam capellani unitatem Eccleſiæ, quæ ſectionem non patitur, quantum in eis eſt, dividentes, ipſius Arnaldi ſequantur errorem: & Cardinalibus atque Archipresbyteris ſuis obedientiam & reverentiam promittere & exhibere debitam contradicant. Ne igitur vires dare præfati ſchiſmatici pravis actionibus per ſilentium de cætero videamur, per præſentia vobis ſcripta mandamus atque præcipimus, quatenùs præfatum Arnaldum, tamquàm ſchiſmaticum modis omnibus devitetis. Quòd ſi aliqui

cleri-

clerici Dei & ſanctæ Eccleſiæ contemptores, ejus errorem poſt præſentium acceptionem ſequi præſumpſerint: ſcire vos volumus, quia tàm officio, quàm beneficio Eccleſiaſtico reddemus eos penitùs alienos. Datum Brixiæ Idibus Julii.

Idem Archipresbytero Tituli ſancti Marci. De eodem.

Super controverſia obedientiæ exhibendæ, quæ inter vos, & capellanum de Pinea agitari dignoſcitur: Eccleſiæ ſancti Marci proſpicere cupientes, per præſentia vobis ſcripta mandamus, quatenùs cum diſtrictiùs moneatis, ut ſecundùm antiquam & rationabilem conſuetudinem veſtræ Eccleſiæ obedientiam promittere nullatenùs contradicat. Si verò veſtris monitis ſuper hoc obedire contempſerit, ſententiam, quam in ipſum & præfatam Eccleſiam de Pinea juſtè tuleritis, nos auctore Deo ratam habebimus.

Hadrianus Quartus Rectoribus Romanæ fraternitatis. De eodem.

XXXIX. Ad audientiam noſtram pervenit, quòd clerici ſancti Petri ad Vincula in quadam capella ſua, Eccleſia videlicèt ſanctæ Mariæ in Candiatore, quia ejuſdem Eccleſiæ populus manum obedientiæ jam dictæ Eccleſiæ presbytero, illi videlicèt ſancti Petri exhiberi contradicit, divina prohibuerunt officia celebrari. Quia igitur ſuſtinere non poſſumus, nec debemus, ut Eccleſia ſancti Petri ad Vincula ſuo jure debeat defraudari: per Apoſtolica vobis ſcripta mandamus, quatenùs prædictum populum diſtrictè commoneatis, ut à contradictione illa penitùs de cætero ceſſet, & quòd Eccleſia ſancti Petri habet in cæteris ſuis capellis, in iſta ei ſubtrahere non præſumat. Et niſi ab hujuſmodi levitate ceſſaverit, interdictum volumus relaxari, ut in prædicta Eccleſia ſanctæ Mariæ officia divina liceat celebrari. Alioquin pœnam, quam in officiis patiuntur, eos decernimus ſuſtinere. Datum Beneventi xv Kalendas Aprilis.

Alexander ſervus ſervuorum Dei, VII. Cardinalibus ſancti Petri, atque omnibus aliis, ut capellæ ſuis ſint ſubditæ titulis.

Jus Eccleſiarum à ſanctis Patribus canonicè conſtitutum neceſſariò ad memoriam compendioſè credimus revocandum, qualiter ſcilicèt XXVIII. titulis, eorumque ſacerdotibus tota Urbs diſtributa ſit, quatenùs poſteris noſtris, quaſi epilogo comprehenſa, lucidiora ſint: tùm quia diligentia veſtra à noſtra dignata eſt expetere parvitate, quid inde reconſtituendum ſentiremus: tùm quia noſtra memoria in tantam capellæ provectæ ſunt elationem, ut nullam penitùs ſuis titulis reverentiam exhibere dignentur. Proinde quod malorum perditum ire ſtuduit incuria ſacerdotum: nos ſumma cura, ut poſſibile eſt, matricalibus reparemus Eccleſiis. Placuit tamen nihil de his temerè definire, ſed diverſorum Patrum ſententiis, quorum auctoritas plurimis approbata declaratur Conciliis, & ut in ſanctis invenitur canonibus, ad uſum priſtinum revocare.

A Capellæ igitur, quæ juribus propriis titulorum à ſanctis Patribus adſcribuntur, omni ratione ſuo ſubjugandæ ſunt capiti, adeò ut quiſque Cardinalis haud ſecus aliquid in eis, quæ ſunt ſuo ſubditæ titulo, diſponat & judicet, quàm Epiſcopi in ſuo Epiſcopio facere cognoſcuntur. Si verò quæritur unde talis uſus Romanæ inolevit Eccleſiæ: Dionyſium Papam diligenter attendamus dicentem. Severo Epiſcopo ſcribit; dicens: De Eccleſiis verò parochianis, unde Apoſtolicam Sedem conſulere voluiſti, qualiter ſint cuſtodiendæ per Cordubenſem provinciam, ac ſacerdotibus B dividendæ: nihil tuæ charitati potui melius intimare, quàm ut ſequaris, quod nos in Romana Eccleſia nuper egiſſe cognoſcitur. Eccleſias verò ſingulas ſingulis presbyteris dedimus, parochias & cœmeteria ejus diviſimus, & unicuique jus proprium habere ſtatuimus. Patet igitur Romanam priùs habuiſſe Eccleſiam, quod Epiſcopi indè adipiſcentes uſque in hodiernum retinent diem, & quòd omnes capellas ſuo ſubditas Epiſcopio, quaſi jus proprium vendicant, ab hac Eccleſia accepere. Sed jam dignum eſt, ut quod ſocordia atque inſolentia ſacerdotum multis C perditum ivit temporibus, per illos qui à nobis acceperunt, ad nos redeat, & operæpretium eſt, ut ſi quid à capite in membra deſcenderit, cùm neceſſe ſit, idem à membris in caput aſcendat. Reſcindatur itaque malorum uſus ſacerdotum, & quod Epiſcopi de ſuo habent Epiſcopio, qui hoc de Romana acceperunt Eccleſia: illud idem Cardinales ſingulorum titulorum de capellis ſuæ ſubditis Eccleſiæ habeant.] Hactenùs de his in codice, in quo alii canones & decreta ſummorum Pontificum leguntur.

Hoc eodem anno ab eodem Eugenio XL. D Papa Legato à latere miſſo in Daniam Nicolao Anglico S.R.E Cardinali Epiſcopo Albanenſe, qui poſteà fuit (a) Hadrianus Papa Quartus, ad eam provinciam metropoli illuſtrandam, ab eodem Concilium eſt habitum, de quo Joannes Olaus his verbis meminit: Effecit Nicolaus ea legatione, ut apud Norvegianos Archiepiſcopalis ſedes cum plenitudine põtificię poteſtatis erigeretur: quod etiam anno Chriſti milleſimo centeſimo quadrageſimooctavo apud Suecones celebrato Lincopiæ Cõcilio provinciali peragere cupiens, Gothis & Sveonibus de urbe, & perſona, tanto muneri idonea E concordare nequeuntibus, ſpe ſua fruſtratus abſceſſit, ordinato priùs ſancto Henrico Epiſcopo Upſalenſi. Jam enim Svecia tempore Amundi filii Olavi Schotkonung Archiepiſcopum ex Polonia acceperat, qui in controverſiam cum Gothis & Archiepiſcopo Bremenſi de præeminentia devenerat. Gothi enim potiùs Bremenſi, quàm Upſalenſi Archiepiſcopo obediendum putabant. Ob quam diſſenſionem Archiepiſcopalis dignitas in Svecia ad aliquot annos intermiſſa fuit. Proinde Nicolaus, ne ea legationis ſuæ parte in

a *Io. Olaus lib. 18. c. 17. 18. & lib. 19. c. 6.*

Legatio ad Danos per Nicolaũ Card. Albanenſem.

Digitized by Google

A toto fruſtraretur, pallium Archiepiſcopalis dignitatis apud Æſchillum Lundenſem Archiepiſcopum depoſuiſſe dicitur, ut illi conferret quem Gothi & Sveones conformibus ſuffragiis elegiſſent. Sed nullus Sveonum Archipræſulum hactenùs inventus eſt, qui ſe Lundenſi pontifici in accipiendis Archiepiſcopalibus inſignibus ſubmittere ſuſtinuerit. Et illa titularia dignitas, ſi quando conceſſa foit, in Æſchillo extincta evanuit.] Et inferiùs addit, (a) Upſalenſem Eccleſiam confirmatam eſſe metropolim ab Alexandro Papa Tertio. Scripſit autem de iſta legatione

B uſque ad obitum Eugenii etiam (b) Saxo Grammaticus. Egit & de eadem Vvillelmus (c) Neubrigenſis.

a Id. ibid. b Saxo Gram. l. 14. c Vvillelm. Neubrig. l. 2. c. 6.

XLI.

Hoc eodem anno Rogerius Siciliæ Rex ingentem parat claſſem adversùs Græcorum Imp. Emmanuelem: qui id audiens, & timens, primum omnium divinum ſibi numen conciliare laborat, quod à ſe graviter offenſum recenti delicto illo, quo graviſſimam totius Imperii ſui Eccleſiis perſecutionem indixerat, malè ſibi conſcius ſatis intelligebat. Quodnam autem fuerit crimen hujuſmodi, quod adeò exulceraſſet conſcientiam Imperatoris, recen-

C ſet ita (d) Nicetas Choniata, eam tantùm pertingens partem facinoris, quæ ſpectaret ad monachos:

d Nicet. in Manuel. l. 7.

Immobilia aufert ab Eccl. Emman. Imp.

Cùm enim monachos poſſeſſionibus & negotiis turbatos, & tranquillitate animi & Dei cultu excidere intelligeret: nullas eis vineas, nullos agros, nullas poſſeſſiones, quas nec eorum profeſſio admittit, aſſignavit; ſed ex Fiſco tantùm pendi juſſit, quantum ad victum & cultum opus eſſet. Videtur nimirùm immodicam cupiditatem ſtruendi monaſteria improbaſſe, & exemplum prodere poſteris voluiſſe, quò pacto templa condenda, & quæ vivendi

D ratio eremitis pauperibus, & à terrenis rebus ſe abſtrahentibus proponenda ſit. Tantum autem abfuit, ut eorum inſtitutum laudaret, qui monaſticam vitam profeſſi & opibus affluunt, & multitudine curarum magis diſtrahuntur, quàm ii, qui hujus vitæ deliciis occupantur: ut ſanctionem Nicephori Phocæ fortiſſimi & cordatiſſimi Imperatoris, olim abolitam de non augendis monaſteriorum latifundiis, quaſi poſtliminiò revocarit, neque patrem, avum, cæteroſque cognatos ſuos omnes, qui monaſteriis ampliſſima prædia donarant, incuſare deſtiterit: non quòd de ſuis opibus

E Deo aliquid conſecraſſent, ſed quòd rem bonam malè adminiſtraſſent. Nam cùm monachis habitationes in abditis & deſertis locis, in antris & montium cacuminibus aſſignandæ eſſent; & Conſtantinopolis tamquàm Sirenum cantus vitanda; gloriola ductos, incruſtata ſua ſepulchra & vario marmore exornata iis, qui templa ingrediantur, ſpectanda propoſuiſſe, & mortuos quoque coronari ſe & hilari ſplendidoque vultu conſpici voluiſſe, & in foro ac triviis monaſteria ædificaſſe: & ibi nullo cum delectu virtutis, velut in cavea con-

A cluſiſſe eos, qui monachos non ultrà tonſum capillum, & mutatum habitum, promiſſamque barbam exprimerent. His igitur de cauſis, ſive ut monaſticam ſanctimoniam nutantem, ac potiùs humi ferè proſtratam fulciret, ſive metuens, ne ipſe ea facere diceretur, quæ reprehenderet, rationem à ſuis majoribus diverſam eſt ſecutus.] Hæc Nicetas de his quæ ſpectarent ad monachos.

XLII.

At quantomlibet hiſce coloribus facti turpitudinem honeſtare curaſſet: vexatio, quæ juxta (e) Iſaiam, dat intellectum auditui; reddidit ipſum Imperatorem pru-

e Iſai. 28.

B dentiorem; continuòque paravit medicamentum morbo, quo inflicto vulnus Eccleſiæ ſanaretur. Siquidem Auream bullam promulgandam curavit, quam etiam ab effectu MEDICATRICEM appellavit. Eſt de ea, aliiſque eodem argumento conſcriptis mentio apud Theodorum Balſamonem, qui & recitat eas, quas & habes deſcriptas in codice juris Orientalis, hoc præpoſito de tempore titulo:

Emiſſa eſt Aurea bulla Imperatoris noſtri domini Manuelis Comneni, menſe Februario, Indictione undecima, annò VI. M. VIC. LVI. quæ Medicatrix dici-

C tur, utpotè quæ fortaſsè medeatur titulis & juribus omnium Eccleſiarum, quæ claudicant, Epiſcopatuum ſcilicèt, & metropolium, & ipſius magnæ Eccleſiæ, quæ etiam ad verbum ſic habet:

Qui poſt Moſem fuit electi illius populi Imperator Jeſus, Jerichuntis (f) feſtinaos munimenta ac propugnacula diruere, ſacerdotibus juſſit in circuitu tuba canere, & ſic murorum propugnacula mirabiliter dejecerit. Imperio autem meo, quod novo populo à Deo electo præeſt poſt illum principem populi ſervatorem & ducem, alium Moſem, inclytum dico Imperii mei domi-

Conſtitutio Medicatrix.

f Joſ. 6.

D num & genitorem, veluti quædam Jerichuntina mœnia, diruere properanti communis Chriſtianorum inimici propugnacula, * Occidentalis dico draconis, qui in Sicilia tyrannidem exercet, & illinc adversùs Romanum Imperium latenter prorepit, veluti ſpiritalibus quibuſdam tubis, veſtris Antiſtitum Deum nobis quotidiè placantium precibus, ad illum diruendum adjuvantibus opus eſt. Sed & ipſe divinus Moſes, (g) quando cùm Amalec prœlium commiſit, ſacerdotibus utrimque innixus, ſic eum fugavit & vicit. Sicut ille ergò, meum quoque Imperium Antiſti-

* Rogerium Siciliæ Regem intelligit.

g Exod. 17.

E tum ſuſtentaculo indigens, ad aciem adversùs novum hunc Amalec propoſitam, & veluti quamdam lucis columnam novum hunc Iſrael præcedentem, & ejus greſſus dirigentem preces eorum habere volens; hanc præſentem Auream bullam omnium Eccleſiarum matri, novæ Sion, Dei Sapientiæ habitaculo, & iis, qui ſunt in omnibus inſulis, & in Oriente, & Occidente Antiſtitibus donavit, eorum pro Imperio preces magis confirmans. Rectè enim ſcit meum Imperium, Regem non ſervari per multam potentiam, & gigan-

tem

tem non ſervatum iri in multitudine ro-
boris ſui : mendax autem equus ad ſalu-
a *Pſal.*32. zem , ut dicam cum (*a*) Propheta & Pſal-
mographo, & Dei Patre.

XLIII. Volens enim , ut firmitas & ſtabilitas
Eccleſiæ , quæ omnibus præeſt , ſervetur ,
& omnibus dictis Antiſtitibus ſanctarum,
quæ ubicumque ſunt , Eccleſiarum , &
ſecuritatem titulorum ac jurium , quæ
illis adſunt , in ipſorum immobilium poſ-
ſeſſione firmiùs conſtituens : & præterea
corrigens , ſi quid in eorum juribus clau-
dicet , & mero jure ſit deſtitutum ; non ſo-
lùm hoc, ſed & ſi quod jus conſequi debeat
B ad ejuſmodi immobilium, dominium, poſ-
ſeſſionem, & proprietatem, id fortaſsè priùs
factum non eſt ; hanc Imperii mei bullam
Auream , ejus quod deeſt , MEDICA-
TRICEM illis tradidit , quæ veluti per-
fectum , & integrum , & omninò inconcuſ-
ſum jus ejus oſtendit , per quam confirmat
quidem , & tutius facit , quodcumque jus
adeſt ſanctis Eccleſiis, eique quæ illis præ-
ſidet , in ipſarum immobilibus cujuſmo-
dicumque fuerint , & ubicumque ea ſita
ſint : & quod bonum eſt , melius facit Im-
perii mei ſententia & calculo . Quidquid
autem eſt in eis , in quibuſcumque quia
C ſpectatum id dixerit , ſive in Aureis bullis
diverſorum Imperatorum , ſive in ſigillis,
ſive in ſimplicibus juſſionibus , ſive in re-
ſolutionibus , ſive in Actis claudicans , &
aliquatenus ab eo , quod eſt exactum , &
à debita conſequentia deficiens regalium
juſſionum , & legum corrigit ; & decernit
dictis ſanctiſſimis Eccleſiis nullum ex ea
re præjudicium in æternum afferri ; ſed
quod in eis eſt infirmum & imbecillum ,
eſſe firmiſſimum , & nulla juris allegatione
oppugnandum ab eo, qui velit aliquid pro
Fiſco (ſeu publico) dicere , ut quod præ-
ſenti Imperii mei bulla Aurea confirme-
D tur , & validè corroboretur . Et ut ex mul-
tis eorum ; quæ cuipiam in mentem veni-
re poſſint, pauca quædam Imperium meum
memoria repetat : ſi fortè donatio ipſius
paroecorum ſit ſine certa quantitate , aut
menſurarum terræ , vel autergia alia in-
novarint in hujuſmodi poſſeſſionibus , for-
tè quæ ipſis donata non fuerunt ; aut do-
nata quidem fuerunt , juſſiones autem de
his factæ non ſunt revocatæ : vel in priùs
deſignatis donatis ipſis juſſiones de priùs
definitis non ſunt revocatæ ; aut juſſionum
principalium , quæ ipſis tributæ ſunt , ali-
quæ nullo modo inſinuatæ fuerunt : aut
E fuerunt quidem inſinuatæ in aliquo ſecre-
to , non tamen competente ; aut inſinuatæ
perierunt , exempla autem earum fide di-
gna reperiuntur , aut Acta , quæ procede-
re debebant , non proceſſerunt : vel quæ
proceſſerunt , non ſunt inſinuata ; aut quæ
fieri debuerunt rationum computationes ,
factæ non ſunt : aut fortè quamlibet aliam
ob cauſam , ſive ex parte , ſive in totum
jura ſæpè dictis ſanctis Dei Eccleſiis , &
matri omnium claudicant , & inde firmi-
tatem ſuam non habent : etſi non , quæ id
faciat cauſa , nominatim expreſſa ſit : aut

A fortè alia ipſis exhiberi debuerunt jura de
hujuſmodi immobilibus , velut quibuſ-
dam omninò procedentibus in ipſis (nam
ſi documentum de quopiam ex poſſeſſis à ſe
immobilibus nequaquam acquiſierint , ni-
hil à præſenti Aureæ bullæ oratione juva-
buntur) nulla in re hæc omnia , & quæ-
cumque alia cuipiam pro Fiſco certanti in
mentem quandoque venerint , lædere um-
quam ſanctiſſimas Eccleſias , & Sapientiæ
Dei templum , reliquaſque metropoles ,
Archiepiſcopas , Epiſcopas potuerunt in
iis immobilibus ; quæ (ut dictum eſt) ad
ipſas pertinent , ex qualibuſcumque do-
B cumentis . Nam ſi nullum acquiſiverunt
umquam jus in aliquibus fortè immobi-
libus , quæ habent , nullam ex præſenti
Aureæ bullæ oratione ſentient utilitatem :
ſicut nec in quibus Fiſcus ad hodiernum
uſque diem poſſeſſionem habuit ex juſta
quapiam cauſa . In his enim omnibus juris
obſervabitur exacta diſciplina. Si quis igi-
tur voluerit per avaritiam , aut quampiam
aliam cauſam ea contemnere, quæ hac Au-
reæ bullæ mei Imperii oratione definita
ſunt ; primum quidem ſanctæ Trinitatis
ſplendorem , cum ad tremendum ſiſtemus
tribunal , non conſpiciat : excidat autem
C & Chriſtianorum parte , ut Judas duode-
nario . Et præter hæc execrationem ſibi
conciliet primogenitorum ſanctorum ju-
ſtorum & deiferorum patrum, qui ab ævo
præmortui fuerunt .] Hactenus bulla Au-
rea , Medicatrix , nomine nuncupata . Re-
citat eamdem Theodorus Balſamon , alia
tamen translatione Latinè redditam ha-
bens .

At quod generatim de omnibus Eccle- XLIV.
ſiis , ut immobilia poſſidere poſſint , hoc
anno ſtatuit Emmanuel Imperator , poſtcà
verò caviſse lege voluit de bonis immobi-
libus magni templi, ejuſdemque primarii,
D Sapientiæ dicti . Extat ipſa conſtitutio in
eodem citato codice (*b*) juris Orientalis , b *lib.*1.*c.*2.
incipit : Et illi quidem antiquo & celebri
Salomonis ſapientiæ templo , &c.] Atque
deinde ejuſdem generis, ſed ſpecialem pro
bonis immobilibus monaſteriorum conſer-
vandis firmam robuſtamq; admodùm edi-
dit conſtitutionem , cujus eſt exordium :
Imperialis mea ſublimitas , &c.] Habetur
in eodem codice , (*c*) atque etiam apud (*d*) c *Idem c.* 4.
Theodorum Balſamonem. *Sic igitur* quod d *In Synod.*
ſemel peccaſset , triplici confeſſione (ſic *Sept.c.*12.
nominaverim tres de his conſtitutiones
ejus) voluit deleviſse , atque penitùs ab-
E rogaſse , exemplo paterno admonitus , qui
quod deliquiſset in ſacra vaſa eccleſiarum,
belli tempore , ſumens ea ad uſum belli :
continuò correxit conſtitutione contraria
promulgata , quam Tomo ſuperiori , ſuo
loco poſuimus , ſpecimen edens optimi
Principis , qui nequaquàm , ut perverſi ,
perperàm facta tueri voluerit , ſed fuerit
ſanctione triplici deteſtatus .

Quod ſpectat ad ſucceſſionem Conſtan- XLV.
tinopolitanæ Eccleſiæ Epiſcoporum , hoc
eodem anno Chariton Patriarcha Conſtan-
tinopolitanus , ubì ſediſset menſibus un-
decim .

Digitized by Google

decim, moritur. De ſucceſſore quis fuerit, conſtat erratum in Græca ſerie Patriarcharum, dum poſt Charitonem ponitur Theodoſius, quem Niceta teſtante liquet tempore obitus Manuelis Imp. vixiſſe anno Domini milleſimo centeſimo octogeſimo. At poſt Charitonem ponendum eſſe Lucam, ſynodalia Acta ſignificant, quibus manifeſtum eſt ſub Manuele Lucam ſediſſe: ex quibus corrigas eos, qui antè Michaelem ponunt.

Hic cognomento dictus eſt Chryſoberges, cujus extant Acta ſynodalia notata Indictione decimaquarta ſub Imperatore Comneno, qui eſt annus Redemptoris milleſimus centeſimus quinquageſimusprimus. Ita in codice juris Orientalis, libro tertio. At ſub qua Indictione decimaquarta contigerit eam Synodum celebrari, cùm ſub ejuſdem Emmanuelis Imperio ejuſdem numeri Indictionem contingat tertiò repeti, ex annis ab origine Mundi notatis à Balſamone conſtat, tùm in Nomocanone Photii titulo decimotertio, De laicis cap. 2. de eadem agens Synodo, celebratam dicit anno 6695. ita notato numero barbaria notis, in quibus erratum apparet, cùm is annus tempora Manuelis Imp. excedat, ſub quo certum eſt Synodum celebratam: unde puto reſtituendum 6675. loco 6695. quo anno incidit poſita ibi Indictio decimaquarta, eritque annus Redemptoris milleſimus centeſimus ſexageſimusſextus. Sanè quidem diu vixiſſe Lucam in ſede Patriarchali, argumento ſunt ea, quæ de ipſo frequenter ingerit Theodorus Balſamon. Interim unum vel alterum hic deſcribemus memoria dignum ex Synodi Actis: ac primùm cùm agit de canone octogeſimoquinto Sextæ Synodi in Trullo.

XLVI. De Agarenorum baptiſmo.

Tempore autem ſanctiſſimi Patriarchæ domini Lucæ ſynodicè aſſuerunt Agareni, & cùm ab eis poſtularetur, ut baptizarentur: dixerunt, quòd in ſuis regionibus anteà baptizati fuerant. Et interrogati reſponderunt eſſe conſuetudinem, ut omnes Agarenorum infantes ab orthodoxis ſacerdotibus baptizarentur: non tamen admiſſi fuerunt. Audierat enim quòd baptiſmus, quem Infideles à Chriſtianis petunt, non bona affectione, & Orthodoxo propoſito petitur, ſed propter corporalem medicinam. Perſuaſum eſt enim Agarenis, fore ut ſui liberi à dæmone vexentur, & tamquàm canes malè oleant, niſi baptiſmum Chriſtianum aſſequantur. Quamobrem non ut omnium animæ ſordium mundatorem, divinæque lucis & ſanctificationis præbitorem baptiſmum poſtulant, ſed tamquàm beneficium & incantationem. Quidam autem eorum, dicebant, ſe matres habere Orthodoxas, ſeque earum cura ac ſtudio fuiſſe baptizatos. Sed nec ii exauditi ſunt, quoniam teſtes non adducebant, &c.]

XLVII.

Rursùs autem quo ſtatu eſſet Orientalis Eccleſia hoc tempore, in his quæ ſpectant ad jura Eccleſiaſtica, ipſamque immunitatem Eccleſiæ & libertatem conſervandam, ex eodem Theodoro Balſamone videamus, ubi tractat de canone decimoquinto Concilii Carthaginenſis, quo agitur de non trahendo clerico ad laicorum tribunal. Quibus oſtenditur, ad ima prorsùs demerſa jam fuiſſe omnia Eccleſiaſtica privilegia, unde opus fuit, ulciſcente numine, Imperatores privari Imperio, & redigi in ſervitutem, cùm cogerent Eccleſiam ſibi ipſis ſubiici ſervituti. Sed audi Theodorum Hodiè autem, inquit, hæc negliguntur, propter quam cauſam, neſcio. Multi enim non ſolùm laici, ſed etiam ſacrati Epiſcopos, & clericos, & monachos ad civilia judicia attrahunt; nec Imperatoris quidem mandatum de ea re exhibentes, & neque incompetentis judicis præſcriptio, ſeu exceptio prodeſt iis, qui rei aguntur. Eos enim cogunt vel invitos judicio contendere; nec ſacrati qui eos traxerunt, aliquid penitùs damni ſenſere; ſed nec monachi, vel clerici, adversùs quos in foro Eccleſiaſtico agitur, ſi id quidem recuſaverint, civilem autem examinationem petiverint: ulla in re puniti ſunt. Quemadmodùm nec clerici, vel monachi, qui in ſæculare judicium tracti ſunt, & in eo litigare non recuſarunt. Cùm autem Panteputus monachus ille Meletius, qui præfectus monaſterii dictus eſt, ad ſynodale judicium tractus, ipſum ut ſibi non gratum recuſaſſet, & cauſam ad ſæculare judicium traduxiſſet per mandatum Imperiale: ſanctiſſimus Patriarcha dominus Lucas id ægrè ferens, plurimum ſtudium adhibuit, ut corrigeretur quod factum fuerat. Audivit autem à civilibus judicibus, quòd Imperatoria poteſtas omnia facere poteſt, & quemadmodùm primo loco potuit dare Imperator judicem pro judicando Epiſcopo, vel alio ſacrato, adversùs quem agitur; ita & per tranſpoſitionem judicium Eccleſiaſticum ex legitima obſervatione in civile traduxerit. Sed etiam ſi is qui hic dicitur monaſterii præfectus exauditus eſt, ſynodale judicium recuſans, & ſine præjudicio conſervatus eſt.] Hæc Theodorus de infelici ſtatu Orientalis Eccleſiæ, ſed Imperii infeliciſſimo, cùm ulciſcens Dominus tandem ab eorum Imperatorum manibus evulſit Imperium; ut ſciant Principes Occidentales, pro ipſis rem agi ab Epiſcopis, cùm quod ſuum eſt vendicant ab eorum manibus cenſuris Eccleſiaſticis.

Omnis immunitas Eccleſ. ſublata in Oriente.

JESU

I. Romani Arnaldiſtæ Eugenii Papæ perſecutores.

SEquitur annus Redemptoris milleſimus centeſimus quadrageſimusnonus, Indictione duodecima, quo res Eugenii Papæ Romanorum Arnaldiſtarum agitationibus fluctuarunt, de quibus hæc tantum Robertus in Chronico: Papa Eugenius in Italiam regreſsus, cum Romanis vario eventu confligit. Præter hæc autem nihil: ſicque inopia Scriptorum perobſcuræ hujus anni res geſtæ Eugenii cum Romanis remanſerunt.

Conradi reditus in Italiam.

Quo anno Conradus Rex, qui Hieroſolymis anno præterito fuerat, rediens, Conſtantinopolim ſe contulit, ibiq; iniens fœdus cum Emmanuele Imperatore adversùs Rogerium Siciliæ Regem, ejus cum claſse navigans, in Italiam venit, & quidem viribus militaribus conſumptis, exercitibus perditis, rebus ipſis longè aliter, quàm mente conceperſet, contrariis eventibus deploratis. Quem cum Eugenius in Longobardiam perveniſse audivit, his eſt litteris (a) conſolatus, quas recitat Otto Friſingenſis ejus in peregrinatione Comes:

a Apud Ott. in Frid. l. 1. c. 61.

II

Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei chariſſimo in Chriſto filio Conrado Dei gratia Romanorum Regi illuſtri ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Eugenii litteræ ad Conradũ Regem.

Cùm in hoc mundo cuncta mutabilitatis ordo corrumpat: ſicut nec proſperis elevari, ita nec frangi adverſis, confidentes de divina miſeratione, debemus, quia Dei & hominum mediator admiranda diſpenſatione conſuevit omnem filium quem recipit, adverſitatibus flagellare, ut dum ipſum per amorem ad æterna præmia vocat, D * præſens mundus ejus animum perturbationes, quas ingerit, à ſeipſo repellat, tantoque faciliùs ab hujus ſæculi amore recedat, quantò magis impellitur dum vocatur. Quod in Iſraelitico populo, Moyſe vocante, & Pharaone ſignatur. Moyſes namque tunc ad vocandum miſſus eſt, cùm Pharao duris eum operibus perurgebat, quatenùs alter vocando pertraheret, alter impelleret ſæviendo, ut plebs in ſervitio turpiter fixa, vel provocata bonis, vel impulſa moleſtiis moveretur. Hoc itaque rationis debito incitati, diſcretionem tuam commonemus & exhortamur in Domino, E quatenùs tribulationes, quas tibi & exercitui tuo omnipotens Deus irrogavit, patienter ſupportes, & in eo ſpem tuam conſtituas, qui quem vult, permittit affligi, & confidentes in ſe misericorditer liberare conſuevit. Si enim patientiam & humilitatem in adverſis perfectè tenueris: per deſertum hujus vitæ ſub protectione columnæ nubis, & ignis, id eſt patientiæ ſolatio, & charitatis ardore intrepidus perduceris.

III. Quia igitur perſonam tuam vera charitate diligimus, & de te valdè confidimus, ſi poſt tuum reditum ſine dilatione de his quæ ad honorem ſanctæ Eccleſiæ, & regni ſpectare noſcuntur, tecum mutuis potuiſſemus tractare colloquiis, nobis utique gratum fuiſſet. Verùm quia id nobis temporis qualitas denegavit, & de tua ſalute ſumus B ſollicitì: quoſdam de fratribus noſtris, poſtquàm te ad Longobardiæ partes, auctore Domino, incolumem perveniſſe accepimus, ſicut per venerabiles fratres noſtros Artuvicum Bremenſem Archiepiſcopum, & Anſelmum Hamelburgenſem Epiſcopum tibi ſignificavimus, ad tuam ſerenitatem duximus deſtinandos, ut affectum & benevolentiam, quam erga te gerimus, tibi exponerent; & quod de te audire cupimus, ipſorum relatione noſceremus. Quibus dedimus in mandatis, ut tibi tamquàm chariſſimo filio noſtro & Catholico Principi, atque ſpeciali Romanæ ſanctæ Eccleſiæ C defenſori, ipſius Eccleſiæ ſtatum & noſtrum exponerent. Qui ſiquidem in Tuſciam uſque progreſſi, ex quo te ad Theutonicas partes pertranſiſſe noverunt, longitudinem viæ, & difficultatem itineris propter æſtatis intemperiem metuentes, ad noſtram præſentiam redierunt. Cæterùm quia ſtatum tuum, & dilecti filii noſtri Henrici junioris Regis, quem poſt diſceſſum tuum paterno affectu dileximus, & in poſterum actiones ejus proſperari in Domino præoptamus, cognoſcere cupimus: cùm fratres noſtri propter æſtatis fervorem laborẽ tanti itineris perficere non valerent, per fide-D lem noſtrum Franconem latorem præſentium, & Apoſtolica ſcripta tuam excellentiam viſitantes, nobilitatem tuam monemus & exhortamur in Domino, quatenùs ea quæ circa te & ipſum geruntur, & ſtatum regni per eumdem Franconem nobis ſtudeas intimare, & hoc tempore devotionem, quam erga matrem tuam S. R. E. geris, oſtendas, ut noſtro reſpondere affectui congruè videaris, & B. Petri Apoſtolorum principis interceſſionibus, cui te totum debes exponere, Creatoris noſtri largiorem debeas gratiam promereri. Datum in Tuſculano octavo Kalendas Julii.] Hæc de his quæ ad E Conradum in Germaniam redeuntem.

IV. Ludovici reditus in Galliam.

Quod verò ſpectat ad reditum Ludovici Francorum Regis: mare navigans, capitur à navibus Emmanuelis Conſtantinopolitani Imperatoris, ſed eripitur à claſſe Regis Siciliæ. Res geſta ita breviter narratur à Roberto de monte in Appendice ad Sigebertum: Ludovicus Rex Francorum à Palæſtina navigans, ut in patriam rediret, Græcorum naves incurrit. Cùmque ab eis Imperatori Curſolium obſidenti præſentandus deduceretur: Georgius dux navium Regis Siciliæ eos aggreditur, ſiquidem

dem vaſtatis & ſpoliatis Græcorum provinciis, uſque ad ipſam urbem regiam Conſtantinopolim accedós, ſagittas aureas in palatium Imperatoria ejecerat, & incenſis ſuburbania, de fructu bortorum Regia violenter tulerat. Unde rediens naves Grecorum incurrit, captum Ludovicum Regem eripuit, ſed captos Regis obtentu dimittit.] Et paulò poſt: Ludovicus à Rogerio Siciliæ Rege, necnon à Papa honorificè ſuſcipitur, atque deducitur.] Hactenus ibi de reditu Ludovici. Qui ubi in Galliam pervenit, de nova expeditione cogitari cœptum, de qua idem auctor hoc eodem anno in fine: Habitia per Franciam conventibus, annuente etiam Papa Eugenio, ut Abbas Claræ-

B vallis Hieroſolymam ad alios provocandos mitteretur: grandis iterùm ſermo de profectione tranſmarina celebratur, ſed per Ciſtercienſes monachos totum caſſatur.] Quod enim infelix admodùm extitiſſet prioris exitus, eamdem tentare expeditionem iterùm, viſum eſt admodùm importunum, ac præter rationem.

V.

In S. Bern. cumulantur detractiones.

Quòd igitur Ciſtercienſes monachos obſtitiſſe auctor affirmat: occaſio illa fuit, quòd cùm prior expeditio malè ceſſiſſet; in auctorem ejus ſanctum Bernardum obloquentium omnium linguæ convertebantur, quaſi ſua prædicatione obſequentem ipſi populum decepiſſet, qui eos ad interitum abſque utilitate miſiſſet. Quamobrem horum detractione non parum quidem derogatum eſt exiſtimationi ejuſdem ſancti Bernardi utriuſque exercitus promotorem. Excuſavit autem eum Otto Epiſcopus Friſingenſis unus ex peregrinis illis, aitque poſt multa: (a) Si dicamus ſanctum illum Abbatem, Bernardum ſcilicèt, Spiritu Dei ad excitandos nos afflatum fuiſſe, ſed nos ob ſuperbiam laſciviamque noſtram ſalubris mandata non obſervantes, meritò rerum perſonarumque diſpendium deportaſſe: non ſit à rationibus, vel antiquis exemplis diſſonum. Quamquàm & ſpiritus Prophetarum non ſemper ſubſit Prophetis.] Sed hæc de obtrectatoribus audi à Gofrido in vita ipſius: (b) Nec tacendum, inquit, quod ex prædicatione itineris Hieroſolymitani grave contra eum quorumdam hominum vel ſimplicitas, vel malignitas ſcandalum ſumpſit, cùm triſtior ſequeretur effectus. Quod tamen verbum dicere poſſumus, ab eo quidem

a Otto Friſ. in Frid l. 1. c. 60. in fin.

b Vit. S. Ber. l. 3. c. 4.

E initium non ſumpſiſſe. Cùm enim multorum jam animas permoviſſet audita neceſſitas, à Rege Francorum ſemel & iterùm propter hoc expetitus, Apoſtolicis etiam litteris monitus, nec ſic acquievit ſuper hoc loqui, vel conſilium dare, donec per ipſius tandem ſummi Pontificis generalem epiſtolam juſſus ab eo eſt, tamquàm Romanæ Eccleſiæ lingua, exponere populis atque Principibus. Cujus epiſtolæ tenor fuit, ut in pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum iter arriperent, aut liberaturi fratres, aut ſuas pro

A illis animas poſituri. Hæc & hujuſmodi ſuper hoc poterant veraciter dici; ſed dicendum potiùs id quod potiùs fuit. Evidenter enim verbum hoc prædicavit, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Sed quantis & quàm multiplicibus ſignis? quanta vel numerare, nedum narrare difficile foret. Nam & eodem tempore ſcribi cœperant, ſed ipſa demùm ſcriptorum numeroſitas ſcribendorum & materia ſuperavit auctorem, nimirùm cùm aliquando una die viginti, ſeu etiam plures ab incommodis variis ſanarentur,

B nec facilè ab hujuſmodi dies ulla vacaret. Denique plures eo tempore Chriſtus per ſervi ſui tactum & orationem ex ipſis etiam matrum uteris cæcos videre, claudos ambulare, aridos convaleſcere, ſurdos fecit audire, & mutos loqui, mirabiliùs reſtituente gratia, quod minus præſtitum fuerat à natura.

Nec tamen ex illa profectione Orientalis Eccleſia liberari, ſed cœleſtis meruit impleri & lætari. Quod ſi placuit Deo, tali occaſione plurimorum eripere ſi non Orientalium corpora à Paganis, Occidentalium animas à peccatis: quis VI.

C audeat dicere illi: Quid feciſti ſic? Aut quis rectè ſapiens, illorum ſortem magis non doleat, qui ad priora, vel pejora fortè prioribus ſcelera redierunt, quàm eorum mortem, qui in fructibus pœnitentiæ purgati, variis tribulationibus Chriſto animas reddiderunt? Alioquin quamlibet dicant Ægyptii, dicam filii tenebrarum, qui veritatem nec videre valeant, nec proferre: (c) Callidè eduxit eos, ut interficeret in deſerto. Patienter tolerat Salvator opprobrium, quod tantarum animarum ſalute compenſat.] Et infrà. Accidit autem, ubi primùm de ejuſdem

c Exod. 32.

Editū miraculum in teſtimoniū Dei volūtatis.

D exercitus diſſipatione lamentabilis intra Gallias inſonuerat rumor, ut illuminandum Dei famulo filium cæcum offerens pater, multis precibus vinceret excuſantem. Et imponens Sanctus puero manum, orabat ad Dominum, quatenùs ſi ab eo verbum prædicationis illius exierat; ſi prædicanti Spiritus ejus affuerat: in illius illuminatione oſtendere dignaretur. Dum verò poſt orationem præſtolaretur effectum: quid facturus ſum? ait puer. Video enim. Attollitur illicò clamor aſtantium: plures enim non modò ex Fratribus, verùm è ſecularibus aderant, qui

E ut puerum videre videntem, multipliciter conſolati, Deo gratias referebant.] Huc uſque de his Gofridus. Poterant quidem tanta iſta obſtruere ora loquentium iniqua, attamen ſicut nec Redemptori tot ab eo edita profuere miracula, quin in eum calumniæ atque blaſphemiæ jacerentur, immò etiam morti turpiſſimæ traderetur: ita nec ſatis ſancto Bernardo, ejuſmodi miraculo ſuſpicionem de præſumpta temeritate purgaſſe, quin de iis ipſis jugiter calumniam pateretur, adeò ut fuerit ipſi neceſſe pro ſe ipſo ſcribere Apologiam

poſt

a *Bern. de Conſid. l. 3. in fin.* poſt biennium, nempè (*d*) anno quarto à Concilio Rhemenſi (ut ipſe numerat) cùm libros de Conſideratione ſcripſit ad Eugenium Papam, in cujus tractatus libro ſecundo, ejus exordio, iſta in ſui defenſionem habet:

VII. Incidimus, ut ipſe noſti, in tempus grave, quod & ipſi penè vivendi uſui videbatur indicere ceſſationem, nedum ſtudiis; cùm ſcilicèt Dominus provocatus peccatis noſtris, ante tempus quodammodò viſus ſit judicaſſe Orbem terræ, in æquitate quidem, ſed miſericordiæ ſuæ oblitus. Non pepercit populo ſuo, non ſuo nomini. Nonnè dicunt in Gentibus:
b *Pſal. 113.* (*b*) Ubi eſt Deus eorum? Nec mirum. Eccleſiæ filii, & qui Chriſtiano cenſentur nomine, proſtrati ſunt in deſerto, aut interſecti gladio, aut fame conſumpti. Effuſa eſt contentio ſuper Principes, & Dominus errare fecit eos in invio & non in via. Contritio & infelicitas in viis eorum, pavor & mœror, & confuſio in penetralibus Regum ipſorum. Quàm confuſi pedes evangelizantium pacem, annuntiantium bona? Diximus, pax, & non eſt pax: promiſimus bona, & ecce turbatio. Quaſi verò temeritate in opere iſto, aut levitate uſi ſimus. Cucurrimus planè in eo, non quaſi in incertum, ſed te jubente, immò per te Deo. Quare ergo jejunavimus, & non aſpexit? Humiliavimus animas noſtras, & neſcivit? Nam in his omnibus non eſt averſus furor ejus, ſed adhùc manus ejus extenta. Quàm patienter interim adhùc audit voces ſacrilegas, & Ægyptios blaſphemantes:
c *Exod. 32.* Quia (*c*) callidè eduxit eos, ut occide-
d *Pſal. 118.* ret in deſerto? Et quidem (*d*) judicia Dei vera quis neſciat: At judicium hoc abyſſus tanta, ut videar mihi non immeritò pronuntiare beatum, qui non fuerit ſcandalizatus in eo. Quomodò tamen humana temeritas audet reprehendere, quod minimè comprehendere valet? Recordemur ſupernorum judiciorum quæ à ſæculo ſunt, ſi fortè ſit conſolatio. Nam qui-
e *Ibidem.* dam ita dixit: (*e*) Memor ſui judiciorum tuorum à ſæculo Domine: & conſolatus ſum. Rem dico ignotam nemini: & nunc nemini notam. Nempè ſic ſe habent mortalium corda, quod ſcimus cùm neceſſe non eſt, in neceſſitate neſcimus. Moyſes educturus populum de terra Ægypti, meliorem illis pollicitus eſt terram. Nam quando ipſum aliter ſequeretur populus ſolam ſapiens terram? Eduxit: eductos tamen in terram, quam promiſerat, non introduxit. Nec eſt quòd ducis temeritati imputari queat triſtis & inopinatus eventus: omnia faciebat, Domino imperante, Domino cooperante, & opus confirmante ſequentibus ſignis. Sed populus ille, inquis, duræ cervicis fuit, ſemper contentiosè agens contra Dominum, & Moyſen ſervum ejus. Benè illi increduli & rebelles; hi autem quid? ipſos interroga. Quid me dicere opus eſt, quod fatentur ipſi? Dico ego unum: Quid

S. Bernardi Apologia pro indicta expeditione.

A poterant proficere, qui ſemper revertebantur cùm ambularent? Quando & iſti per totam viam non redierunt corde in Ægyptum? Quod ſi illi ceciderunt, & perierunt propter iniquitatem ſuam: miramur iſtos eadem facientes, eadem paſſos? ſed numquid illorum caſus adversùs promiſſa Dei? ergo nec iſtorum. Neque enim aliquando promiſſiones Dei juſtitiæ Dei præjudicant, & audi aliud.

Peccavit (*f*) Beniamin, accinguntur reliquæ Tribus ad ultionem, nec ſine nutu Dei. Deſignavit denique ipſe ducem prœliaturis. Itaque prœliantur freti, & VIII. f *Jud. 20.*
B manu validiori, & cauſa potiori, & quod his majus eſt, favore divino. At quàm terribilis Deus in conſiliis ſuper filios hominum? Terga dedere ſceleratis ultores ſceleris, & paucioribus plures. Sed recurrunt ad Dominum, & Dominus ad eos: Aſcendite, inquit, & aſcendunt denuò, denuòque fuſi & confuſi ſunt. Ita Deo primùm quidem favente, ſecundò & jubente, juſti juſtum certamen ineunt, & ſuccumbunt. Sed quo inferiores certamine, eo fide ſuperiores inventi ſunt. Quid putas de me facerent iſti, ſi meo hortatu iteratò aſcenderent, iteratò ſuccumberent?
C Quando me audirent monentem tertiò repetere item, repetere opus, in quo ſemel, & jam ſecundò fruſtrati forent? Et tamen Iſraelitæ unam & alteram non reputantes fruſtrationem, tertiò parent & ſuperant. Sed dicunt forſitan iſti: Unde ſcimus, quod à Domino ſermo egreſſus ſit? Quæ ſigna tu facis, ut credamus tibi? Non eſt, quòd ad iſta ipſe reſpondeam; parcendum verecundiæ meæ. Reſponde tu pro me, & pro te ipſo, ſecundùm ea quæ audiſti, & vidiſti, aut certè ſecundùm quod tibi inſpiraverit Deus.

Rationem aperit ſcribendæ Apologiæ.

IX. Sed fortè miraris, me proſequi iſta,
D qui aliud propoſueram. Facio non oblitus propoſiti, ſed quòd à propoſito non judicem aliena, nempè de Conſideratione (ut memini) ſermo mihi ad tuam dignationem. Et ſanè magna iſta res & egens conſideratione non minima. Quòd ſi res magnas à magnis conſiderari oportet: cui æquè, ut tibi, id ſtudii competit, qui parem ſuper terram non habes? ſed tu ſecundùm ſapientiam & poteſtatem datam tibi deſuper, facies de hoc. Non eſt meæ humilitatis dictare tibi, ſic vel ſic fieri quidquam: ſufficit intimaſſe, oportere aliquid fieri, unde & Eccleſia conſoletur,
E & obſtruatur os loquentium iniqua. Hæc pauca vicæ Apologiæ dicta ſint, ut ipſa qualiacumque habeat conſcientia tua ex me, unde habeat me excuſatum & te pariter, & ſi non apud eos, qui facta ex eventibus æſtimant, certè apud te ipſum. Perfecta & abſoluta cuique excuſatio teſtimonium conſcientiæ ſuæ. Mihi pro minimo eſt, ut ab illis judicer, qui dicunt (*g*) bo- g *Iſai. 5.*
num malum, & malum bonum, ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem. Et ſi neceſſe ſit unum fieri è duobus: malo in nos murmur hominum, quàm in Deum eſſe.

Bonum

Bonum mihi, ſi dignetur me uti pro clypeo: libens excipio in me detrahentium linguas maledicas & venenata ſpicula blaſphemorum, ut non ad ipſum perveniant. Non recuſo inglorius fieri, ut non irruatur in Dei gloriam. Quis mihi det gloriari in voce illa: (a) Quoniam propter te ſuſtinui opprobrium, operuit confuſio faciem meam: Gloria mihi eſt, conſortem fieri Chriſti, cujus illa vox eſt: (b) Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me.] Hucuſque ſancti Bernardi Apologia adverſus detrahentes & murmurantes. Qui etſi conſcientia ſua tutus & quietus, quòd tamen ob peccata populi periclitaretur publica cauſa Dei, & civitas ſancta eſſet expoſita Infidelibus, dedenda aliquando hoſtibus: dolor vehemens occupabat animum ipſius, non ſolùm quòd inanis ceſſerat primus acceſſus, ſed quòd non eſſet qui de altero iterando loqui præſumeret. Quem ſic mœrentem Deus voluit per alium conſolari, unum ex diſcipulis ſuis, Abbatem Caſæmarii (eſt in Hernicis prope Verulas monaſterium celebre valdè, de quo ſuperiùs) qui has ad eumdem ſanctum Bernardum eodem argumento (c) litteras dedit:

a *Pſal. 68.*
b *Ibidem.*
c *Apud S. Bern. epiſt. 333.*

X. Dilecto patri ac venerabili domino Bernardo Dei voluntate ac gratia Claræ-vallis Abbati reverendiſſimo Frater Joannes miniſter ſuus, qualiſcumque Caſæmarii Abbas, feliciter currere, ac feliciùs Chriſti pietate conſummare.

Memor dulcedinis ac familiaritatis, quam mihi indigno pietas veſtra quondam exhibuit, aperire cogitationes mei cordis paternitati veſtræ, quaſi coram poſitus, præſumo, veſtra magis de manſuetudine confiſus, quàm de offenſa ſuſpectus. Spero namque affectionem ac dilectionem quam erga vos habeo, pietatem veſtram non latere. Et ſi aliquid etiam ſtultum dicerem: confido vos benignè ac manſuetè, quaſi patrem filio ignoſcere. Dictum eſt mihi, pater chariſſime, quòd de hac re, quæ non ita proſperè, ut forſitam volebatis, contigit (de via verò Hieroſolymæ loquor) multùm triſtamini, eò quòd Eccleſia Dei vel gloria, non ſicut deſiderabatis, accrevit. Quapropter quod mihi pro hoc diu cogitanti Deus (ut credo) in corde miſit, vobis humiliter ſuggero, nimirùm perpendens, quòd ſæpè parvo cuilibet Dominus aliquid oſtendit, quod alicui magno, & multis donis repleto videre nequaquàm concedit, ſicut Moyſi ſancto (d) facie ad faciem cum Deo loquenti Jethro alienigena conſilium dedit.

d *Exod. 33.*

Videtur itaque mihi, quòd omnipotens Deus de hac via multum fructum fecit, non tamen eo ordine, quo ipſi viatores arbitrabantur. Siquidem ſi hoc quod cœperant, ſicut decet Chriſtianos, juſtè ac religioſè proſequi vellent: Dominus cum eis eſſet, ac magnum fructum per eos perfeciſſet. Sed quoniam ipſi ad mala ſunt devoluti; & hoc nequaquàm Dominum, qui auctor viæ fuerat, à principio latere potuit, ut ſua providentia in ſui diſpoſitione non falleretur, malitiam eorum in ſuam convertit clementiam, & miſit eis perſecutiones & afflictiones, quibus purgati ad regnum pervenire poſſent. Denique confeſſi ſunt nobis, qui redibant, quòd vidiſſent multos ibi morientes, qui libenter ſe mori dicebant, neque velle reverti, ne ampliùs in peccatis reciderent. Sed ne in dubium veniat quod dico, quaſi patri meo ſpirituali in confeſſione aperio; quod patroni loci noſtri beati Joannes & Paulus ſæpiùs nos viſitare dignati ſunt. Quos ego ſuper hac re interrogari feci, & hujuſmodi ſententiam reſponderunt. Dicebantque multitudinem Angelorum qui ceciderant, de illis qui ibi mortui ſunt, eſſe reſtauratam. Hoc autem ſcitote, quòd magnam veſtri memoriam habuerunt, finemque veſtrum citò venturum prædixerunt. Quia igitur benè res, etſi non ſecundùm hominum deſiderium, tamen ſecundùm Dei propoſitum evenit: veſtræ erit prudentiæ, in ipſo de hac re conſolari, cujus ſolius gloriam quæritis & deſideratis. Idcircò namque vobis & exhortandi & operandi gratiam in hoc negotio dedit, quia bonum quod inde facturus erat, prævidit. Ipſe igitur curſum veſtrum feliciter compleat, noſque vobiſcum in ſua gloria conſtituat.] Hæc Joannes Abbas Caſæmarii, & puto ſecundùm ſermonem propheticum haud diu ante ejuſdem ſancti Bernardi obitum.

Sed audiendus eſt etiam de his Rogerius, in Annalibus Anglorum plura locutus in deteſtationem Chriſtianorum militum, qui ſuperbia turgidi, luxuriis immundi, ſacræ militiæ nomen dedere, & conſumpti ſunt, quoniam Deus ſprevit eos. Qui quomodò per pauperes, & humiles eodem tempore magna fecerit, iſta ſubjicit, dicens:

Intereà quidam exercitus navalis virorum non potentum, nec alicui magno duci innixi, niſi Deo omnipotenti, quia humiliter profecti ſunt, gratiam Dei meruerunt, & magnam probitatem oſtenderunt. Civitatem namque in Hiſpania famoſam, quæ vocatur Ulyxipona, & aliam, quæ vocatur Almade, & regiones adjacentes à multis paucis, Deo cooperante, bellantes obtinuerunt. Verè Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Exercitus enim Francorũ Regis, & Imperatoris ſplendidior, & major fuerat, quàm ille prior, qui Hieroſolymam conquiſierat, & à pauciſſimis contriti ſunt, & quaſi telæ aranearum diſterminati ſunt, & demoliti. His autem pauperibus, de quibus prædixi, nulla multitudo reſiſtere poterat, ſed quantò eis plures inſurgebant, debiliores efficiebantur. Pars autem eorum maxima venerat ex Anglia.] Hucuſque Rogerius, ſcribens ſui ſæculi hiſtoriam.

Hoc eodem anno (quod notat Robertus in XI.

Germanus Regis Franc. fit monachus Ciſterciensis.

tus in Appendice ad Sigebertum) magna admiratione hominum, Henricus frater Ludovici Regis Francorum abdicans ſe à ſæculari conſuetudine, monachus efficitur Ordinis Ciſtercienſis. Sed haud diu permiſſus in ea quam delegerat vita degere: nam Bellovacenſis Epiſcopus electus, eam Eccleſiam cogitur adminiſtrare. De hujus converſione opera ſancti Bernardi procurata, hæc habet Goſridus in vita (*a*) ipſius: Accidit enim, ut veniens idem Henricus *germanus Regis* ad hominem Dei, *Bernardum videlicet*, ſuper quodam ſæculari negotio locuturus, Conventum etiam Fratrum viſitans, eorum ſeſe orationibus commendaret. Cui pater ſanctus inter verba ſanctæ exhortationis: Confido, ait, in Domino, nequaquàm in eo te moriturum, in quo nunc poſitus es, ſed velociter experimento proprio probaturum, quantum tibi iſtorum proſit oratio, quam expetiſti. Quod eodem poſtmodùm die non abſque multorum admiratione completum eſt, & de tanti juvenis converſione cœnobium omne exultatione repletum. Lugentibus autem ſociis, & familia tota, ac ſi mortuum illum cernerent, ejulantè; præ cæteris Andreas quidam Pariſienſis Henricum ebrium, Henricum vociferabatur inſanum, nec conviciis, nec blaſphemiis parcens. E contrà ſanè idem Henricus pro illius potiſſimùm converſione Dei hominem dare operam precabatur. Cui vir ſanctus audientibus multis: Dimitte, ait, hominem, modò anima ejus in amaritudine eſt, nec pro eo multùm ſollicitus ſis, quia tuus eſt ille. Cùmque ampliùs ſpe concepta Henricus inſtaret, ut loqueretur Andreæ: ſeveriùs intuitus eum vir Dei: Quid hoc eſt, ait, numquid non jam dixi tibi: Tuus eſt ille? Audiens hæc Andreas (aſtabat enim & ipſe) ſicut plurimùm improbus erat, & à ſacra converſatione vehementer abhorrens, talia ſecum (ut hodieque fatetur) tacita cogitatione volvebat, In hoc nunc ſcio falſum te eſſe prophetam. Hoc enim certus ſum, quia locutus es verbum, & non fiet. Hoc tibi ego coram Rege & Principibus in celebri quocumque conventu improperare non parcam, ùt tua omnibus falſitas innoteſcat. Cœterùm quàm admirabilis Deus in conſiliis ſuper filios hominum, ridens eorum vana conamina, ut propoſitum ſuum quando & quomodò ipſe voluerit, impleatur? Siquidem die altera ibat Andreas mala omnia imprecans monaſterio, ubi dominum dimittebat, ipſam quoque deſiderans vallem funditùs ſubrui cum habitatoribus ſuis. Nec parùm moti ſunt & mirati qui prædictum viri ſancti de ipſo audierant verbum, cùm taliter videretur abire. Sed non diu puſillanimitatem eorum & fidem modicam tentari paſſus eſt Deus. Illa tantùm die procedens, & repellens quodammodò gratiam Dei: nocte proxima victus, & quaſi vinctus, trahente ſe & vim faciente Spiritu Dei, diem expectare non potuit, ſed exurgens ante diluculum, velociterque rediens ad monaſterium, alterum nobis Saulum, vel magis de Saulo Paulum alterum exhibebat.] Hæc ipſe auctor.

a Vit. S. Bern. lib. 4. c. 3.

XII. *Eligitur Henricus in Episc. Bellovacensem.*

Contigit autem, poſtquàm idem Henricus profeſſus eſt monaſticam vitam, mori Epiſcopum Bellovacenſem, atque ab iis ad quos ſpectabat electio, eligi ipſum in ejuſdem civitatis Epiſcopum. Verùm cùm probè ſcirent electores longè abeſſe, ut ipſe acciperet Epiſcopatum, actum eſt apud Romanum Pontificem Eugenium, ut ejus litteris cogeretur è monaſterio trahi ad Epiſcopatum. Scripſere æquè omnes, nec non idem Eugenius Papa ad ſanctum Bernardum, ut dimitteret Electum ad Eccleſiam ſuam. Porrò Bernardus quid agendum ſibi eſſet, conſuluit Petrum Abbatem Cluniacenſem, (*b*) qui reſpondit videri ſibi multis argumentis à Deo eſſe eam electionem. Quod ubi ipſe Henricus accepiſſet, litteris his conqueſtus eſt cum ipſo Petro, quæ ſic ſe habent. (*c*)

b Petr. Clun. lib. 6. Epiſt. 2.

c Id. ibid. ep. 3.

Inter Patres reverendiſſimo, & inter amicos chariſſimo domno Petro Abbati Cluniacenſium Frater Henricus ſive jubente, ſive permittente Deo, Bellovacenſis Electus, ſe ipſum, & ſi quid ampliùs poteſt.

Litteræ Henrici ad Petrum Cluniac.

Parcat vobis omnipotens Deus, quid eſt, quod feciſtis? Sepultum hominem revocaſtis ad homines, & conſilio veſtro, cui nimiùm creditum eſt, expoſitus ſum, & repoſitus in terribile curarum pelagus, ut me iterùm honoris altitudo reſorbeat. Neſcivi, anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab, quas ſuſcepi regendas, regi, non regere opus habens. Manus meas miſerunt ad fortia: opus eſſet fortitudine. Speculator domui Iſrael factus ſum: opus eſſet prudentia. Sapientibus & inſipientibus debitor factus ſum: opus eſſet juſtitia. Prædicator populo Dei datus ſum: opus eſſet temperantia, ne fortè cùm aliis prædicavero, reprobus (quod abſit) inveniar. Sed quæ ſunt iſta? & quis ſum ego? vel ubi iſta? & ubi ego? Domine pater & Deus vitæ meæ; imperfectum meum viderunt oculi tui. Domine vim paſſus ſum: reſponde pro me, quia ſola obedientia coegit me, ſine qua, juxta virum ſanctum, infidelis quiſque eſſe convincitur, etiam ſi fidelis eſſe videatur. Et quia nemo majori fiducia utitur, quàm qui ex affectu diligit: nunc vos, quaſi portionem animæ meæ convenio, deponens apud vos familiarem & dolentem querelam. Quid vobis viſum eſt, ut litteris veſtris ad dominum Abbatem miſſis, faceretis ſtultitiam meam elevari ſuper candelabrum? Credidiſti quidem domine, propter quod locutus es; nec fallere, nec falli voluiſti, ſed non evaſiſti ſecundùm. Verumtamen quoquo modo factum ſit, & quorſum vertat exitum rei Dominus Deus noſter: ego veſter ſum, & ad veſtrum ſervitium, ſi dignamini, præparatus. Me accipite in ſervum, in amicum, in filium, & illi ſanctæ multitudini, cui Deo auctore præeſtis, ſpecialem & uterinum monachum,

(ne dicam Epiſcopum) ſempiterno fœdere ſociate.] Hucuſque germanus Regis in ſchola Chriſti benè inſtitutus, docente ſpiritu, ad Chriſtianam humilitatem. Porrò ubi (ut decebat Apoſtolicum virum) adminiſtrare cœpit Eccleſiam, ipſum Re- A gem Ludovicum germanum ſuum expertus eſt adverſarium, ut ſanctus Bernardus teſtatur in litteris (a) ad Eugenium Papam pro ipſo datis, in quibus inter alia: Ipſe & frater ſuus (b) Rex non ambulant in uno ſpiritu &c.]

a *Bern. ep.* 228.
b *Id. epiſt.* 305.

JESU CHRISTI ANNUS 1150. | EUGENII PAP. III. ANNUS 6. | CONRADI REG. ROM. 12. MANUELIS IMP. 8.

I. Eugen. Pap. quàm benignè excipit Petrum Abb. Cluniac.

ANnus Redemptoris milleſimus centeſimus quinquageſimus, Indictione decimatertia inchoatur, quo de Eugenio B Papa hæc habentur in ſcripto Chronico Foſſæ novæ: Eugenius Papa Ferentinum venit menſe Octobris, & multos Archiepiſcopos & Epiſcopos ordinavit. Tarracina capta eſt ſexto Kalendas Decembris.

Convenit hoc anno eumdem Eugenium Papam Petrus Abbas Cluniacenſis, qui ſcripſit epiſtolam ad S. Bernardum de adventu ſuo in Urbem, & congreſſu cum eodem Eugenio Papa, & quidem memoria dignam de cultu, quo idem Pontifex proſequi conſueverit viros ſanctitatis nomine claros. Urgentia enim ſui Ordinis negotia C & magni momenti eumdem venerandum Abbatem traxerunt iterùm hoc tempore Romam, cùm jam Eugenius ante biennium ex Galliis ſe contuliſſet non in Urbem, ſed in vicina loca. Habet enim iſta: (c) Læta planè in via cuncta reperi, ſed lætiora apud Patrem inveni, *Eugenium ſcilicet*. Bonum illum habui in principio, meliorem in proceſſu, optimum in fine; immò (ut quod verius ex corde haurio fatear) optimum ſemper. Cùmque vultus ille illius, in quo verè Apoſtolicus vigor & forma relucet, pro varietate cauſarum, perſonarum, & eventuum mutaretur, & aliis atque aliis nunc jucundum, nunc D nubilum diſcretiſſimè ſe præberet: mihi tamen numquam in diverſa mutatus eſt. Qualem veniens reperi, talem recedens reliqui. Notabam ſæpè auſteriorem vel mœſtiorem quàm frequenter induere aliis de cauſis cogebatur ſpeciem: ipſum aut privatim, aut publicè me alloquente, de judicis forma in patris gratiam commutare. Præferebar omnibus etiam majoribus gradu, nec Patriarchalis dignitas, cùm etiam Ravennas adeſſet, præire, me ipſum plerumque impellente, ſinebatur. Senatui Romanorum, Epiſcoporum, vel Cardinalium E non tantùm adjungebar, ſed & quandoque adjungi cogebar. Excludebantur univerſi non Romani à Romania conſiliis: ſolus aut penè ſolus ad myſteria jurata vocabar. Iſta in publico.

c *Pet. Clun. lib. 6. ep. 47*

II. Jam ſecretiora & remota ab aliis colloquia quis explicet? Dico, dico quod verum eſt: nemo me putet aliter loqui quàm ſentio. Ut aliquid arrogantius dicam, hoc apud me fas non eſt. Numquam amicum fideliorem, numquam fratrem ſinceriorem, numquam patrem puriorem in hujuſmodi colloquiis expertus ſum. Auris patiens ad audiendum, lingua prompta & efficax ad reſpondendum, non ut major minori, ſed ut aut par pari, aut quandoque ut inferior ſuperiori. Nihil faſtus, nihil dominium, nihil majeſtas; ſed totum ſibi hominem æquitas, totum humilitas, totum ratio vendicabant. Si quid vel ibi, vel alibi petii: aut indultum eſt, aut rationabiliter ita ut queri non poſſem, negatum. Hæc dicens non glorior, ſed veſtra vota in me per ipſum impleta declaro. Et novum quidem non eſt, Cluniacenſe monaſterium in qualicumque paſtore ſuo à ſummo Pontifice honorari; ſed novum eſt nihil ſiniſtri in ejus actu, nihil in verbis, nihil in ipſo geſtu erga ipſum potuiſſe notari. Videram eum primo anno Apoſtolatus ipſius Romæ, poſteà videram Cluniaci, videram Antiſiodori, videram Catalauni, videram Rhemis, videram alibi, ſed talis nunc apparuit, quaſi numquam vidiſſem. Qualem deinde totius Romanæ Curiæ erga me ac noſtra ſtatum invenerim, ſuccinctè refero, ut amicorum fidelium, ut dulciſſimorum fratrum, ut ex mero & ſincero corde quantum agnoſci potuit, familiarium. Veſtri omnes, maximè ſingularis ille vir dominus Oſtienſis, non minus, non inferiùs mihi aſtitit, quàm vobis, ſi præſentes eſſetis, aſtaret. Ad illum explicandum, quia brevis ſermo non ſufficit, parco litteris: ſed per Dei gratiam, cùm præſens fuero, non parcam verbis.] Hucuſque Petrus de rebus cum Eugenio Papa tranſactis.

III. Porrò cauſam præcipuam cur ad eum venerit, annuit in epiſtola ad ipſum Eugenium, in qua hæc inter alia ait. Ab Hugone quodam, cognomento Diſcalciato, cœptum erat ædificari caſtrum quoddam ſuper Cluniacenſe monaſterium: (d) Queſtus, inquit, fueram inde, ut noſti, apud vos: & veſtra providentia duro anathemati illud ſubmiſerat.] Hæc ipſe, cùm queritur ab eodem Hugone eſſe perfectum opus, & derideri ipſos Cluniacenſes monachos, adverſùs quos munitionem erexiſſet.

d *Petr. lib. 6. ep. 46.*

At quid Deus ipſe? numquid non vindictam fecit de hujuſcemodi præſumptione, qua Princeps ſervos Dei quoquomodo perturbare auſus eſt? Utique memorabilem planè vindictam exercuit, cunctis ſæculis decantandam, ſecundùm illud Davidicum: (e) Viam fecit ſemitæ ſuæ,] per quam tranſeuntes viderent & admirarentur judicium Dei, nempè caſtellum illud terræmotu abſorptũ chaſmate terræ & loco

e *Pſal.* 77.

ipſius

A ipſius lacum profundiſſimum excreviſſe in exemplum Judicii magni Dei. Quando id factum ſit, Robertus in Appendice ad Sigebertum hæc habet anno Redemptoris milleſimo centeſimo quinquageſimoſexto his verbis: Factus eſt terræmotus xv. Kalendas Martii maximè in Burgundia, adeò ut ter in nocte feſtivitatis ſanctæ Priſcæ virginis ſentiretur apud Cluniacum, & quoddam caſtellum, quod erat deſertum, haud procul à Cluniaco ſitum, abſorptum iret in abyſſum, & ſpacium in quo caſtellum fuerat, impleretur aquis inæſtimabilis profunditatis.] Hæc Robertus.

IV.

Funera filiorũ Regis Siciliç.

B Hoc eodem anno (ut auctor eſt Romualdus Archiepiſcopus Salernitanus in Chronico) Rogerius orbatus majoribus natu filiis, Vvillelmum Principem Capuanum relictum ſibi filium coronari voluit Regem Siciliæ. Quod cùm biennio ante ipſius Rogerii obitum contigiſſe tradat, utique hoc anno id factum oportuit. De funeribus autem filiorum & conjugis ita ipſe anno ſuperiori:

Coronatur Vvillel. Rex Siciliæ.

Primo Albidia illuſtris Regina uxor ejus, ea qua tot filios habuerat, mortua eſt, & filia ejus: poſt hæc alii filii, nempè Tarentinus Princeps, & Anſuſus Campanorum Princeps, & Henricus mortui C ſunt: noviſſimè autem Rogerius Dux Apuliæ primogenitus ejus mortuus eſt anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo quadrageſimonono, Indictione duodecima, vir quidem ſpecioſus, miles ſtrenuus, pius, benignus, miſericors, & à ſuo populo multum dilectus. Rex autem Rogerius tot flagellis afflictus, conſtanti animo pii Patris flagella ſuſtinuit. Et quia ſolùm Vvillelmum Capuanorum Principem habebat ſuperſtitem, veritus, ne eumdem conditione humanæ fragilitatis amitteret: Sibiliam ſororem Ducis Burgundiæ duxit D uxorem, quæ non multò pòſt Salerni mortua, & apud Cavenſe monaſterium ſepulta eſt.

Conſtantia Filia Rogerii Regis.

Tertiò Beatricem filiam Comitis de Reteſte in uxorem accepit, de qua filiam habuit, quam Conſtantiam appellavit. Biennio autem antequàm moreretur, Vvillelmum filium ſuum Capuanum Principem in Regem Siciliæ fecit inungi, & ſecum juſſit pariter conregnare.] Hactenùs de his Romualdus.

V.

a Pet. Cluniac. lib. 6. ep. 18.

Extat Petri Cluniacenſis Abbatis (a) epiſtola, qua conſolatus eſt Rogerium ipſum in funeribus filiorum, & exhortatus eſt eum adversùs Græcorum Imperatorem, E de Chriſtianorum exercitibus adeò malè merentem. Sic enim ſe habet:

Petri Cluniac. Abb. ad Rogerium Sic. Regẽ epiſt.

Magnifico Principi domino Rogerio Regi Siciliæ Frater Petrus humilis Cluniacenſis Abbas ſalutem præſentem, & regnum ſempiternum.

Quantum ſublimitatem veſtram diligamus, quantum actus veſtros proſperari & in Domino & in ſæculo velimus: novit ille qui novit omnia. Audientes obitum filiorum veſtrorum valdè doluimus: & tàm pro ſoſpitate veſtra, quàm pro animabus il-

A lorum Miſſas celebrari, orationes ad Deum fundi, eleemoſynas fieri in Conventu noſtro præcepimus. Non ſolùm autem tunc, ſed & ſæpè diebus ſolemnibus, & majoribus Capitulis noſtris inter alios Reges, amicos & benefactores noſtros, veſtri memoriam frequentamus. De cætero notum facimus regiæ magnitudini veſtræ, nos multùm dolere de inimicitiis, quæ inter vos & dominum Regem Teutonicorum, ſeu Imperatorem Romanorum verſantur. Multùm enim tàm ego, quàm multi alii diſcordiam illam ſentimus obeſſe regnis B Latinis, & Chriſtianæ Fidei propagationi. Nam cùm multa, ſicut frequenter audivimus, augmenta Eccleſiæ Dei bellica virtute veſtra de terris inimicorum Dei, hoc eſt Sarracenorum, proveniant; longè ut credimus majora provenirent, ſi firma pax & concordia vos & Regem ſupradictum unirent.

VI.

Eſt & aliud quod longè magis accendit animos noſtros, & animos penè omnium Gallorum noſtrorum, ad amandam & quærendam pacem veſtram. Illa ſcilicèt peſſima, inaudita, & lamentabilis Græcorum & nequam Regis eorum de peregrinis noſtris, hoc eſt exercitu Dei viventis, C facta proditio. Ut enim juxta quod in mente mea video loquar: ſi neceſſe eſſet, quantum ad monachum pertinere poteſt; non recuſarem mori, ſi mortem tantorum, tàm nobilium, immò penè totius Galliæ & Germaniæ miſerabili fraude extinctum florem juſtitia Dei per aliquem ſuorum dignaretur ulciſci.

Hortatur ad ultionem.

Neminem verò ſub cœlo Principum Chriſtianorum video, per quem tàm benè, tàm congruè, tàm efficaciter, ſicut per vos, opus hoc tàm ſacrum, tàm cœlo & terræ optabile poſſet impleri. Nam per gratiam Dei (quod non adulans dico) juxta quod ex præteritis operibus veſtris, & ex verbis multorum conji- D cio: ad tantum bonum iſtud perficiendum, aliis Principibus & animo ſagacior, & opibus ditior, & virtute exercitatior, & ipſo inſuper loco propinquior eſtis. Exurge igitur bone Princeps, quod voce quidem mea, ſed tàm meis, quàm omnium votis dico: exurge in adjutorium populo Dei zelare, ſicut Machabæi, legem Dei: ulciſcere tot opprobria, tot injurias, tot mortes, tantum tàm impiè effuſum ſanguinem exercitus Dei. Paratus ſum ego pro jam dicta pacis cauſa, mox ut ſe opportunitas præbuerit, Imperatorem ſupradictum adire, & adhibi- E tis mecum quos potero, totis viribus, omni ſtudio de pace tàm Deo amabili, inter vos & ipſum reformanda & confirmanda tractare. Reſcribam Deo volente vobis ſtatim poſt colloquium quod invenero, & cuncta vobis litteris patefaciam.] Hactenùs Petri litteræ ad Rogerium Siciliæ Regem. Porrò currenti calcaria addidit ipſe. Spoliatam Corinthum, Corcyramque inſulam ab eo captam, præter alia quæ ſunt recenſita, habet Robertus de Monte in Appendice ad Sigebertum.

I. Moguntin. & Colonien. Archiep. Romã ſe conferunt ad dicendam cauſam.

MIlleſimus centeſimus quinquageſimusprimus annus ſequitur Redemptoris, Indictione decimaquarta, quo duo primarii Germaniæ Archiepiſcopi, Colonienſis & Moguntinus ad dieeudam cauſam, Romam ab Eugenio Papa vocati, comparent; amboque muneribus onuſti, argenti copia onerati, ut donarent ea Eugenio Papæ, tunc quidem ob multiplices expenſas cauſa belli civilis cum Romanis effuſas egentiſſimo, At ipſe nihil penitùs ex eis attingens, eadem in Germaniam eos reportare coegit, cauſaque utriuſque examinata, Colonienſem innocentem inventum abſolvit; Moguntinum autem dimiſit obnoxium pleniori judicio, cujus cauſa legatio ab eodem Eugenio Papa in Germaniam mittenda eſſet: quod & factum eſt, ut ſuo loco dicturi ſumus. Porrò ejuſdem Moguntini cauſa jam à tempore expeditionis promovendæ ad Terram ſanctam, anno videlicèt milleſimo centeſimo quadrageſimoſeptimo, cœpta cognoſcitur, cùm litteris ſuis apud ſanctum Bernardum quereretur, ſe calumniis deprimi adverſariorum. Ad quem reſcribens ipſe ſanctus Bernardus, hæc de his habet: (a)

a *Bern. ep.* 323.

Depoſitum querelæ veſtræ apud nos ſignum eſt & pignus dilectionis, & præcipuæ humilitatis indicium. Quis enim ego ſum, aut quæ domus patris mei, ut ad me referatur Archiepiſcopi contemptus, & metropolitanæ ſedis injuria? Nonnè ego ſum puer parvulus, ignorans introitum & egreſſum meum? Verumtamen nou ignoro verbum veritatis uſquequaque, quod ex ore Altiſſimi procedit: (b) Neceſſe eſt ut veniat ſcandalum. Væ autem illi per quem venit.] Hæc de his tunc Bernardus. De adventu autem utriuſque Romam ad Sedis Apoſtolicæ judicium, & abſtinentia Eugenii Papæ ab eorum muneribus, hæc idem Bernardus habet in libris de Conſideratione, anno ſequenti (ut dicetur) ad eumdem Eugenium ſcriptis: in quorum tertio libro, ubi in deteſtationem avaritiæ Epiſcoporum plura dixiſſet, hæc in ejuſdem Eugenii commendationem habet:

b *Matt.* 18.

II. Eugen. Pap. reſpuit munera Archiepiſcop.

Hic locus avaritiam carpit, à quo vitio immunis ſatis tua opinio eſt: an & opus, tu videris. Vidimus tamen (ut oblata pauperibus taceam, quæ tangere non acquieſcis) Germanicos detinuiſſe ſaccos, ſed pretio, non maſſa. Argentum reputatum eſt fœnum, ſammarii non levati ſarcinis, onuſti nihilominùs repatriant vel inviti: nova res. Quando hactenùs aurum Roma refudit? & nunc Romanorum conſilio id uſurpatum non credimus. Duo venerunt, ambo locupletes, & ambo rei: ſiquidem unus Moguntinus, Colonienſis alter. Alteri gratia gratis reddita eſt; alter indignus eredo, cui gratia redderetur, audivit: Cum quali veſte intraſti, cum tali egredieris. O vocem magnificam! vocem prorsùs Apoſtolicæ libertatis! Quid minus ab illa hæc habuit: (c) Pecunia tua tecum ſit in perditionem: niſi quòd illa plus zeli, iſta plus modeſtiæ ſonuit?] Hæc de his Bernardus: reliqua inferiùs ſuo loco. Adhùc de rebus Eugenii Papæ, hoc anno, in ſcripto Chronico Foſſæ novæ hæc notata habentur: Hoc anno milleſimo centeſimo quinquageſimoprimo ivit Caſtrum, & dedicavit ibi Eccleſiam ſanctæ Crucis decimo Kal. Maii, & ſexto Kal. Novembris dedicavit Eccleſiam monaſterii Caſæmarii, Ordinis Ciſtercienſis in agro Verulano, & reverſus eſt Signiam.]

c *Act.* 8.

Dedic. Eccl. monaſt. Caſæmarii.

III. Hoc item anno habetur in Gallis Synodus Epiſcoporum, in qua diſcuteretur cauſa divortii inter Ludovicum Francorum Regem & Elionoram filiam Ducis Aquitaniæ, de quo ſuperiùs. De hoc autem Epiſcoporum conventu hæc Sugerius Abbas ſancti Dionyſii qui interfuit, habet: Intereà aliqui venerunt ad Regem, de cognatione ſua progeniti, qui ortum & derivationem parentelæ ſuæ noverant, & dixerunt (ſicut & verum erat) quòd inter ſe & Elionoram uxorem ſuam erat conſanguinitatis affinitas talis, quòd inter eos de jure lex matrimonialis non poterat convenire: & inde per juramentum probationem legitimam offerebant. Quibus Rex ſic reſpondit: Quòd contra Deum & contra legem Eccleſiæ eam nolebat habere, volens per omnia ſtatuta Eccleſiæ, & legem matrimonii inviolabiliter obſervare. Et ut iſtius rei veritas poſſet veraciùs indagari, die Martis ante feſtum Paſchatis Floridi in caſtro Baugenciaci Hugonem Archiepiſcopum Rothomagenſem ..... & quartum Lanfredum Burdigalenſem cum pluribus ſuis Coepiſcopis & Baronibus Franciæ fecit ſolemniter convenire. Ante quorum præſentiam ſteterunt illi, qui genus inter Regem & Reginam ſe probaturos obtulerant, qui etiam ejuſdem generis erant parentes, & cognati, & per juramentum ſuum dixerunt, quòd Rex & Regina ſe cognatione contingebant, & quòd ſecundùm Deum, & legem conjugalem debebat inter eos divortium celebrari. Quo ſufficienter probato, in præſentia Prælatorum fuit inter eos per conſenſum partium matrimonium diſſolutum &c.] Subjicit de alio viro, cui nupſit Elionora, & alia uxore, quam duxit Ludovicus, nempè Conſtantiam filiam Regis Hiſpaniæ: hiſque narratis finem imponit ſcribendi res Ludovici, ut qui ipſe finem vivendi fecit. Nam de ipſo Robertus in Appendice ad Sigebertum, ipſum hoc anno eſſe

Synodus Gallicana pro divortio Regis.

Sugerii Abb. S. Dionyſii obitus.

eſſe defunctum, affirmat, qua ratione non ſequenti anno, quo ponitur ab eodem Roberto, ejuſmodi divortium fieri contigit. Nam Sugerius, qui de eo ſcribit, jam mortuus erat, nempè (ut dictum eſt) anno præſenti. Vir hic erat nomine celebris, de quo ſæpè dictum eſt ſuperiùs. Ad quem in extremis fermè laborantem extat ſancti Bernardi Abbatis Claræuallenſis (*a*) epiſtola, brevis quidem, ſed tanto viro digna, quam ipſe conſulas.

a Bern. ep. 266.

IV. Contigit pariter eodem fermè tempore per Legatos ab Eugenio Papa ſeu potiùs ab Hadriano, ut dicetur, in Germaniam miſſos ſolvi conjugium Friderici Sveviæ Ducis, qui poſt Conradum ſucceſſit in regnum Imperiumque Romanum, cum uxore ſua ob conſanguinitatem inter eos intercedentem. Teſtatur id (*b*) Otto Friſingenſis qui aderat rebus cunctis. Ad Conradum Regem duos Cardinales Legatos hoc anno miſſos Jordanem & Octavianum (*c*) Otto teſtatur, de quorum altero ex ſancto Bernardo dicturi ſumus paulò inferiùs.

b Otto Friſing. in Frid. lib. 2. c. 11.
c Idem lib. 1. c. 63. & lib. 2. c. 1.

Archiepiſcopatus quatuor in Hibernia conſtituti.

Hoc eodem anno idem Eugenius Papa Joannem Paparonem Cardinalem Legatum à latere in Hiberniam miſit, ut in eam Inſulam quatuor deferret pallia, quæ numquam illùc delata fuerant, conſtituitq; quatuor Archiepiſcopatus, primum apud Armarc, ſecundum apud Caſſel, tertium apud Diveline, quartum apud Connath. Hæc Rogerius in Annalibus, ſui temporis res geſtas proſecutus. Extat & in Vaticana bibliotheca plenior deſcriptio de Eccleſiis ſingulis aiſdem metropolibus ab eodem Pontifice tunc ſubjectis, & per eumdem Legatum proſecutione completis, cui deſcriptioni ejuſmodi præfixus eſt titulus. Tempore domini Eugenii Papæ Tertii facta eſt diviſio totius Hiberniæ in quatuor metropoles per Joannem Paparonem presbyterum Cardinalem tituli ſancti Laurentii in Damaſo, Apoſtolicæ Sedis Legatum] Meminit hujus Joannis Paparonis Legati ſanctus Bernardus ſumma cum laude, ſicut è contrà ingenti deteſtatione exagitat Legatum item à latere Jordanem Cardinalem miſſum in Germaniam ad Conradum Regem Romanorum hoc eodem anno, ut teſtatur Otto Friſingenſis, qui aderat. De cujus infamiſſima functione idem ſanctus Bernardus hæc deferenda Eugenio Papæ (*d*) ſcribit ad Cardinalem Oſtienſem:

d Bern. ep. 290.

V. Legatio Jordanis infamis.

Pertranſiit Legatus veſter de gente in gentem, de regno ad populum alterum, fœda & horrenda veſtigia apud nos ubique relinquens. A radice Alpium, & regno Teutonicorum per omnes pene Eccleſias Franciæ & Northmanniæ & circumquaque circumiens, uſque Rothomagum vir Apoſtolicus replevit non Evangelio, ſed ſacrilegio. Turpia fertur ubique commiſiſſe, ſpolia Eccleſiarum aſportaſſe, formoſulos pueros in Eccleſiaſticis honoribus, ubi potuit, promoviſſe, ubi non potuit, voluiſſe. Multi ſe redemerunt, ne veniret ad eos. Ad quos pervenire non potuit: exegit & extorſit per nuntios. In ſcholis, in Curiis, in triviis fabulam ſe ipſum fecit: ſæculares, religioſi, omnes malè loquuntur de eo. Pauperes, & monachi, & clerici conqueruntur de eo. Homines quoque ſuæ profeſſionis ipſi ſunt, qui magis exhorrent & famam ejus & vitam. Hoc teſtimonium habet, & ab his qui intus, & ab his qui foris ſunt. Non ſic dominus Joannes Paparonus, nō ſic, cujus laus eſt in Eccleſia, quippè honorificantis ubique miniſterium ſuum. Legite litteras has domino meo. Ipſe viderit, quid de tali homine faciendum ſit. Ego liberavi animam meam. Dico tamen præcipitatione, qua ſoleo: Bonum eſt ei, ſi purget ipſe Curiā ſuam, & ſi liberet conſcientiam ſuā: Decreveram iſta tacere, ſed venerabilis Prior Montis Dei ad hoc me impulit, & animavit, ut ſcriberem. Et ſcitote minus me dixiſſe, quàm publicè prædicatur.] Nobilis erat Romæ Familia Paparona, quod & monimenta baſilicę ſanctę Mariæ Majoris opere texellato teſtantur: ſed diebus noſtris defecit in Franciſco Paparone ornatiſſimo viro, non ſine dolore bonorum omniū.

Joannis Paparonis honeſta legatio.

VI. Martyriū Henrici Epiſcopi Finlandię.

Hoc eodem anno ſanctus Henricus Finlandiæ Epiſcopus, & totius illius gentis Apoſtolus, ubì eos magna ex parte ad Chriſtianam Fidem convertiſſet: graſſatione impiorum necatus, martyrii coronam eſt conſecutus. Cujus præclarum agonem & Apoſtolicum munus pro Chriſto ſuſceptum & conſummatum, (*e*) Joannes Olaus deſcripſit in ſua metropoli Upſalenſi, & in commentariis de rebus Gothicis.

e Ioan. Ola. de reb. Goth. lib. 19. c. 3. in fin.

De Gratiano collectore.

Hoc item anno Gratianus monachus Benedictinus collegit ampliori ſtudio librum Decretorum, & per diſtinctiones ac quæſtiones ritè diſpoſuit. Ita quidem codex Vaticanus habet: Decretum Gratiani monachi ſancti Felicis Bononienſis Ordinis ſancti Benedicti, compilatum in dicto monaſterio anno Domini milleſimo centeſimo quinquageſimoprimo, tempore Eugenii Papæ Tertii.] Hæc eadem in Pomœrio Eccleſiæ Ravennatis. Porrò in eodem codice quæ dicuntur Paleæ; recentiori ſcriptura eſſe exaratæ noſcuntur, ut apparet omninò alterius quàm Gratiani opus illud eſſe. De patria autem Gratiani in eodem Pomœrio ponitur, ſed depravatè legitur de Claſſa civitate Tuſciæ, ut corrigendum ſit, de Cluſio. Sed mendum idem legitur apud Mattheum Vveſtmonaſterienſem hoc eodem anno, dum ait: Eodem anno milleſimo centeſimo quinquageſimoprimo Gratianus monachus de Guiſa civitate Tuſciæ natus, Decretum, compoſuit ſecundum Hug. 2. q. 6. c. forma.] Hæc ibi. Quòd autem alii affirmaverint ipſum fuiſſe monachum Claſſenſem prope Ravennam, ubi monaſterium de Claſſa fortè dictum; ſed quod nec eſt illud in Tuſcia, nec civitas eſt, dum de patria ejus agitur à citatis auctoribus, diverſa ratio eſt, ut per Claſsa, ſeu Guiſa in Tuſcia civitatem, Claſſenſe intelligere voluerint monaſterium. Sed hæc aliis accuratiùs conſideranda relinquimus.

I. Ad Eug. Pap. ſcripti libri de conſideratione.

ANnus ſequitur Redemptoris milleſimus centeſimus quinquageſimusſecundus, Indictione decimaquinta, idemque numeratur quartus à Concilio Rhemenſi, quo S. Bernardus (ut ipſe teſtatur) ſcripſit ad Eugenium Papam aureos illos quinque libros de Conſideratione. Ex quibus arguas manifeſti erroris eos omnes, qui putarunt eoſdem ipſo exordio ejus Pontificatus ad Eugenium eſſe ſcriptos. Ipſe enim S. Bernardus dum agit in eis de ſacris canonibus in Rhemenſi Concilio ſtatutis per ipſum Eugenium, atque dolet, eos nequaquàm cuſtoditos & obſervatos à clericis, hæc ait: (a) Jam quartus eſt annus, ex quo datum mandatum audivimus: & neminem adhùc clericorum privatum beneficio, neminem Epiſcoporum ſuſpenſum ab officio, luximus.] Scripſit autem eos libros Bernardus, ipſo Eugenio expetente, ut ipſe in eorum præfatione teſtatur illis verbis: Sed intervenit tua dignatio, qua hoc ipſum non præcipis ſed petis, cùm præcipere magis te deceat.] Quibus libris non Eugenium tantùm, ſed Pontifices omnes ad benè miniſtrandum Pontificatum informat. Nam inferiùs: Quod tibi, inquit, ſcribitur, ſoli prodaſſe non decet.] Multa deplorat, quæ corrigenda ab ipſo eſſent, & inter alia frequentes legationes, ſed ſine fructu, lucri tantummodò cauſa, ut de his qui mitterentur ſæpè Legati in Hiſpaniam, de quibus ait: (b) Veſtri, qui terram Auſtri tàm ſæpè viſitant, ecce hi ſciunt, & poſſunt dicere tibi. Eunt & redeunt per medium illorum, aut tranſeunt ſecus: ſed quid boni adhùc cum illis egerint, necdum audivimus. Et forſitan audiſſemus, niſi præ auro Hiſpaniæ ſalus populi viluiſſet.] Deplorat etiam frequentiores, captioſas, & inutilas appellationes: dolet inſuper Concilia celebrari, ſed inde nihil utilitatis hauriri: miniſtrorum quæ ſua ſunt quærentium, non quæ Jeſu Chriſti, luget multitudinem.

a Bern. de Conſid. l. 4.

b Idem l. 3.

II. Quales Romani Arnaldiſtæ.

Quarto autem libro in Romanos, quibus præerat, orationem convertit, quos jugiter pateretur infeſtos. Quæ antequàm tu Lector legas, provoco te ad ea quæ ſunt ſuperiùs dicta in exordio ejuſdem Eugenii Pontificatus, nempè non omnes Romanos fuiſſe hujuſmodi, qui ſic deſcriberentur à S. Bernardo, ſed eos tantùm, qui Arnaldi de Brixia amplexati hæreſim, dicti ſunt Arnaldiſtæ, cùm alioquin (ut vidimus) nobilior pars longè ab his diſcreparet, & inhæreret ſummo Pontifici, quo fit, ut populares illos iſta Bernardi deſcriptio tangat: (c) Quid de populo loquar? populus Romanus eſt. Nec breviùs potui, nec expreſſiùs tamen aperire de tuis parœcianis quid ſentio. Quid tàm notum ſæculis, quàm protervia & faſtus Romanorum? Gens inſueta paci, tumultui aſſueta, gens immitis, & intractabilis, & uſque adhùc ſubdi neſcia, niſi cùm non valet reſiſtere. En plaga! tibi incumbit cura hæc, diſſimulare non licet. Rides me, forſitan fore incurabilem perſuaſus. Noli diffidere, curam exigeris, non curationem.] Et inferiùs: Scio induratum cor populi hujus, ſed potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. (d) Quis ſcit, ſi revertatur, & ignoſcat, convertat & ſanet eos?] Ita planè, atque propheticè. Nam Robertus in Appendice ad Sigebertum hoc ipſo anno iſta habet in fine: Eugenius Papa cum Romanis pace facta, Urbem ingreditur, ibique cum eis hoc anno primitùs commoratur.] Poſt reditum è Galliis ſcilicèt.

c Idem l. 4.

d Joel 2.

Romani conciliati cum Eugenio Papa.

III. Conradi Regis obitus & ſubrogatio Friderici.

Hoc ipſo anno xv. Kalend. Martii moritur Conradus Rex Romanorum, non abſque ſuſpicione veneni propinati ſuaſione Rogerii Siciliæ Regis à medicis, quos ex Italia acceperat: qui & reliquit regalia non filio ætate ſatis minori Friderico, ſed fratris ſui filio itidem Friderico nominato Svevorum duci: quod & generalibus Comitiis fuit à Principibus approbatum. Hæc pluribus Otto. Extat ejuſdem Imp. ejuſmodi epitaphium impreſſum cum aliis antiquis monimentis Eccleſiæ Viennenſis.

Qui veſtes geritis pretioſas, qui ſine fine
Non profecturas accumulatis opes.
Diſcite quàm paucis opibus poſt funera ſitis
Contenti, ſaccus ſufficit, atque lapis.
Conradus jacet hic, qui tot caſtella, tot urbes
Poſſedit, tumulo clauditur iſte brevi.
Mente Dei famulus, Princeps habitu, trabeatus
Exterius, veſtis aſpera ſubtus erat.
Qua jacet, eccleſia gemmis reparavit & auro,
Andreæ ſancti promeriturus opes,
Is Rex Conradus monachos ſtabilivit ibidem,
Corpore qui fertur dudũ tumulatus ibidẽ.]

Sed Otto qui aderat, Magdeburgi. Porro idem qui ſupra Otto de ſepultura Conradi dum agit, hæc de Henrico Imperatore inter Sanctos haud pridem relato obiter attigit: In Eccleſia Babenbergenſi juxta tumbam Imperatoris Henrici ejus loci fundatoris, qui nuper auctoritate Romanæ Eccleſiæ in loca ſancta levatus, pro Sancto habetur, regio cultu eum ſepelivit. Erant tùm in Germania apud Conradum duo Legati Cardinales Jordanes & Octavianus, quos nuper idem Conradus exceperat.] Hæc Otto qui aderat. De tempore obitus Conradi & electionis Friderici corrige ex (e) Ottone Gunterum, qui factum ponit anno ſalutis M. C. LIV.

Legatio Jordania & Octaviani Card.

e Otto Friſ. in Frid. l. 1. c. 63. & l. 2. c. 1.

Quòd autem idem Otto meminit hic de Henrico Imp. inter Sanctos relato, extant

de ea

Digitized by Google

A
de ea re in Chronico Babenbergenſi Eugenii Papæ litteræ, quæ ſic ſe habent:

Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Egelberto Epiſcopo, & dilectis filiis, Canonicis Bambergenſis Eccleſiæ ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Sicut per litteras & nuntios veſtros vobis mandaſſe meminimus, venerabiles fratres noſtros, N. ſanctæ Rufinæ Epiſcopum, & N. praabyterum Cardinalem pro diverſis negotiis ad partes illas de noſtro
B
latere delegavimus, eiſque viva voce injunximus, ut ad Eccleſiam veſtram accederent, atque de vita & miraculis Henrici Regis rei veritatem diligenter inquirerent, & litteria ſuis nobis ſignificarent. Nunc autem eorumdem fratrum noſtrorum, & multorum religioſorum, & diſcretorum virorum atteſtatione, de caſtitate ipſius, de fundatione Bambergenſis Eccleſiæ, & multarum aliarum, quarumdam quoque Epiſcopalium ſedium reparatione, & multiplici eleemoſynarum largitione, de converſione Regis Stephani & totius Hungariæ, Domino cooperante, per eum facta;
C
de glorioſo etiam ipſius obitu, pluribuſq; miraculis poſt ejus obitum, ad ipſius corporis præſentiam divinitùs oſtenſis, multa cognovimus. Inter quæ illud præcipuum & memorabile plurimùm attendentes, quòd cùm diadema, ſceptrumque Imperii ſuſcepiſſet, non Imperialiter, ſed ſpiritualiter vixit. In thoro etiam legitimo poſitus (quod paucorum fuiſſe legitur) integritatem caſtimoniæ uſque in finem vitæ conſervavit. Quæ quidem nos omnia ſimul perpendentes, atque devotionem veſtram & Eccleſiæ Bambergenſis, quæ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſoli ſubeſſe dignoſcitur,
D
diligenter conſiderantes: tametſi hujuſmodi petitio niſi in generalibus Conciliis admitti non ſoleat, auctoritate tamen S.R.E. quæ omnium Conciliorum firmamentum eſt, petitionibus veſtris acquieſcimus, atque ejuſdem memorabilis viri, cujus exaltationem requiritis, fratrum noſtrorum Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, qui præſentes aderant, communicato conſilio, memoriam inter Sanctos de cetero fieri cenſemus, & anniverſarium ipſius diem ſolemniter celebrari conſtituimus. Veſtra itaque intereſt, ſic in S. R. E. obedientia & fidelitate perſiſtere, & ei di-
E
gnæ devotionis obſequiis reſpondere, ut ampliori B. Petri & noſtra gratia digni inveniamini. Datum trans Tiberim ſecundo Idus Martii.

Electo Friderico, ab eo legatio decernitur ad Eugenium Papam, miſſique ſunt Hillinus Trevirenſis Electus, & Eberardus Babenbergenſis Epiſcopus, viri (inquit (a) Otto) prudentes & litterati.] Poſt hæc autem inita eſt concordia inter ipſum Romanum Pontificem Eugenium atque Fridericum Regem quibuſdam adhibitis conditionibus. Extant ejuſdem contractus in bibliotheca Vaticana in volumine, quod Cencius Cameralis inſeri-

a Otto in Frid. lib. 2. c. 4.

A
bitur, antiqua documenta, quæ hic tibi deſcribenda curavimus, quæ ſic ſe habent:

V.

Venerabili in Chriſto domino Eugenio Dei gratia Apoſtolicæ Sedis Pontifici Fridericus eadem gratia Romanorum Imperator Auguſtus filialem dilectionem & debitam in Chriſto reverentiam.

Conventionis inter Fridericũ & Eugenium diploma.

Regiæ majeſtatis dignitas poſtulat, quæ ad pacis & concordiæ bonum ſpectare noſcuntur, attenta ſollicitudine ſtabilire, & ut inter ſacerdotium & regnum indiſſolubili charitate bonum ipſum perpetuò per-
B
ſeveret, diligenti ſtudio, & exacta diligentia laborare. Hujus itaque rationis proſpectu concordiam inferiùs annotatam, quæ inter vos, & nos (auctore Deo) ſtatuta eſt, ſicut ab utraque parte ſtabilita eſt & ordinata, ne aliquid arbitrio noſtro immutaſſe videamur, per eadem verba præſentis ſeriei ſcripti præcepimus annotari.

In nomine Domini Amen. Hæc eſt concordiæ forma & conventionis inter dominum Papam Eugenium, & dominum Fridericum Romanorum Imperatorem conſtituta, mediantibus Gregorio ſanctæ Mariæ trans Tiberim, Hubaldo S. Praxe-
C
dis, Bernardo S. Clementis, Octaviano S. Cæciliæ, Rolando S. Marci, Gregorio S. Angeli, Guidone S. Mariæ in Porticu, & Bernardo Abbate de Claravalle ex parte domini Papæ: Anſelmo verò Hamburgenſi, Hermanno Conſtantienſi Epiſcopis, Odelrico de Inſpruch, Guidone Guerra, & Guidone Baldratenſi Comitibus ex parte domini Regis. Dominus ſiquidem Rex unum de majoribus miniſterialibus regni fecit in anima Regis jurare, & ipſe propria manu data fide in manu Legati domini Papæ promiſit, quòd ipſe nec treugam, nec pacem faciet cum Romanis, nec cum Rogerio Re-
D
ge Siciliæ, ſine libero conſenſu & voluntate Romanorum, & domini Papæ Eugenii, vel ſucceſſorum ſuorũ, qui ſubſcriptæ concordiæ cum eodem Rege Friderico tenere voluerunt, & pro viribus laborabit Romanos ſubjugare domino Papæ, ſicut melius umquam fuerunt à centum retrò annis. Honorem Papatus, & regalia B. Petri, ſicut devotus & ſpiritualis Advocatus S.R.E. contra omnes homines pro poſſe ſuo ſervabit & defendet, quæ non habet, recuperare pro poſſe juvabit, recuperata defendet, Græcorum quoque Regi nullam terrã ex iſta parte maris concedet. Quòd ſi fortè ille invaſe-
E
rit, pro viribus regni, quantò citiùs poterit, ipſum ejicere curabit. Hæc omnia faciet, & obſervabit ſine fraude, & malo ingenio.

Quæ Frid. Rex Papæ promittat.

VI.

Dominus verò Papa Apoſtolicæ auctoritatis verbo unà cum prædictis Cardinalibus in præſentia præſcriptorum Legatorum domini Regis promiſit, & obſervabit, quòd eum ſicut B. Petri chariſſimum filium honorabit, & venientem pro coronæ ſuæ plenitudine, ſine difficultate & contradictione, quantum in ipſo eſt, Imperatorem coronabit, & ad manutenendum, augendum, & dilatandum honorem Imperii, pro debito officii ſui juvabit, & quicumque juſtitiam aut honorem regni conculca-

Quæ Papa promittat Imp.

re, aut

re, aut ſubvertere auſu temerario præſumpſerit, dominus Papa à regiæ dignitatis dilectione præmonitus, eos ad ſatisfactionem canonicè commonebit. Quòd ſi Regi ad Apoſtolicam monitionem de jure & honore regio juſtitiam exhibere contempſerint, excommunicationis ſententia innodentur. Regi etiam Græcorum ex iſta parte maris terram non concedet: quod ſi ille invadere præſumpſerit, dominus Papa viribus beati Petri eum reiicere curabit. Hæc omnia ex utraque parte ſine fraude & malitia ſervabuntur, niſi fortè libero & communi conſenſu utriuſque immutentur. Teſtes autem, quorum nomina ſubſcripta videntur, Arnoldus Colonienſis Archiepiſcopus, Hermannus Conſtantienſis Epiſcopus, Anſelmus Hamburgenſis Epiſcopus, Arditio Cumanus Epiſcopus, N. Curienſis Epiſcopus, Vvibaldus Stabulenſis Abbas, Albertus Colonienſis Decanus, magiſter Henricus Notarius, Gotifredus Viterbienſis Capellanus Regis. Ex laicis, quorum Vulpbo Dux, N. Marchio, Hermannus de Baden Comes, Ulricus de Luzemburch Comes, Anſelmus miniſterialis & Camerarius Regis. Signum domini Friderici Romanorum Imperatoris invictiſſimi. Ego Arnoldus Cancellarius recognovi. Datum Conſtantiæ, decimo Kalendas Aprilis, Indictione decimaquinta, anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo quinquageſimoſecundo, regnante domino Friderico Romanorum Rege glorioſo, anno verò regni ejus primo.]

VII.

a *Otto Friſ in Frid. l. 2. c. 6.*

Fridericus intrudit in Eccl. Magdeburgenſ. alium Epiſcopum.

Accidit autem poſt iſta, ut Magdeburgenſis Eccleſia (inquit idem (*a*) Otto) quæ Saxoniæ metropolis eſſe dignoſcitur, paſtore ſuo viduata, ad electionem faciendam reſedit, dumque alii ejuſdem Eccleſiæ Præpoſitum Gerardum, alii Decanū elegerunt, diviſis hinc inde perſonis Regem *Fridericum* adhùc in Saxonia morantem adire diſponunt. Quos dum multis modis ad unitatem & vinculum pacis Princeps reducere ſatageret, ac proficere non valeret, alteri parti, ideſt Decano cum ſuis perſuaſit, ut Guicmannum Cicenſem Epiſcopum virum adhùc juvenem ſed nobilem eligerent: eique accerſito regalia ejuſdem Eccleſię conceſſit.] Quonam jure id fecerit, ita idem ſubiicit auctor: Tradit enim Curia, & ab Eccleſia eo tempore, quo ſub Henrico V. de inveſtitura Epiſcoporum deciſa fuit inter regnum & ſacerdotiū controverſia, ſibi conceſſum autumat, quod obeuntibus Epiſcopis ſi fortè in eligendo partes fiant, Principis arbitrii eſſe Epiſcopum quem voluerit ex primatum ſuorum conſilio ponere, nec Electum aliquem ante conſecrandum, quàm ab ipſius manu regalia per ſceptrum ſuſcipiat.] At iſta ad excuſandas excuſationes in peccatis ſunt appoſita, cùm non fuerit, nec eſſet facultatis cujuſquam Regis vel Imperatoris, à ſede in ſedem abſque cauſa, Sede Apoſtolica inconſulta, Epiſcopum poſſe transferre. Fuerunt iſtæ primitiæ novi Regis, indices futurorum. Quomodò

A autem his auditis, Eugenius Papa commotus fuerit & reſtiterit regiæ tantæ præſumptioni, ita idem Otto narrat: (*b*)

b *Id. ibid. c. 8.*

VIII.

Hanc rem quàm graviſſimè Romanus Pontifex acceperit: tàm ex litteris, in quibus nonnullis Epiſcopis, qui pro eo ob amorem Regis Romanæ Eccleſiæ ſcripſerant, reſpondit; quàm ex Cardinalium, qui poſtmodùm ad Tranſalpina directi ſunt, viva voce præcepimus. Litterarum autem talis tenor fuit.

Eug. Pap. epiſt. contra intruſum Magdeburgenſem.

Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus Eberardo Salzburgenſi, Artuvico Bremenſi, & Hillino Trevirenſi Archiepiſcopis, Eberardo Babenbergenſi, Hermanno Conſtantienſi, Henrico Ratiſponenſi, Ottoni Friſingenſi, Conrado Patavienſi, Danieli Pragenſi, Anſelmo Hamelburgenſi, & Burchardo Eichſtadenſi Epiſcopis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Litteras, quas pro cauſa Magdeburgenſis Eccleſiæ veſtra nobis prudentia delegavit, debita benignitate ſuſcepimus. In lectione autem & cognitione earum ſtupore nimio & admiratione repleti ſumus, eo quòd longè aliud in eis, quàm vobis ex officio pontificatus immineat, perſpeximus contineri. Cùm enim in Eccleſiæ vertice ſitis ex divina providentia conſtituti, ut de medio ejus quæ fuerint nociva, propellere, quæ utilia, debeatis attento ſtudio conſervare: in cauſa iſta, ſicut ex ſuggeſtione litterarum veſtrarum nobis innotuit, non quod expediat Eccleſiæ Dei, quod ſacrorum canonum ſanctioni concordet, quod exinde cœleſti arbitrio approbetur, ſed quod terrenis Principibus placeat, attendiſtis. Et qui eorum animos à minus recta deflectere debuiſtis intentione, atque ubi eſſet via Domini, demonſtrare; non perſuaſiſtis quod rectum eſt, nec ſtetiſtis murus pro domo Iſrael, quinimò ipſis (ut ait (*c*) Propheta) parietem ædificantibus vos (quod ſine grandi admiratione vix dicimus) liniviſtis illum luto abſque palea. Non ita ſentiebat Princeps Apoſtolorum, qui ex fidei ſuæ confeſſione, ut totius Eccleſiæ ſuæ fundamentum eſſet, accepit; ſed comminantibus ſæculi filiis, & Apoſtolis, ſi prædicarent in nomine JESU, mortis exterminium intentantibus, confiſus de Domini virtute, reſpondit: (*d*) Oportet obedire magis Deo quàm hominibus. Vos autem ne à terrenis videamini Principibus diſſentire, illi cauſæ favorem veſtrum impenditis, cui & Eccleſiaſticæ auctoritas conſtitutionis, & ſupernæ voluntatis examen pro certo redditur obviare.

c *Ezech. 13.*

d *Act. 5.*

IX.

Cùm enim translationes Epiſcoporum ſine manifeſtæ utilitatis & neceſſitatis judicio divinæ legis oraculum non permittat, cùm etiam multò ampſior, quàm in aliis electionibus, Cleri & populi eas debeat prævenire concordia; in facienda translatione de venerabili fratre noſtro Guicmanno Cicenſi Epiſcopo, nihil horum eſt, ſed ſolus favor Principis expectatur; & nec inſpecta neceſſitate illius Eccleſiæ,

nec

nec conſiderata utilitate perſonæ, Clero nolente, immò (ut dicitur) ex parte maxima reclamante, in Magdeburgenſi eum dictis Eccleſia ſupplantandum. Super quo tantò ampliùs admiramur, quantò perſona illa, cujus gravitatis ſit atque ſcientiæ, ab anteactis agnovimus, ac proinde quantum Eccleſiæ illi ſit utilis, non penitùs ignoramus. Quoniam igitur, quicumque temporalis auræ flatibus agitentur, nos in illius petræ ſoliditate fundati, quæ in fundamento meruit Eccleſiæ collocari; ſicut non debemus, ita nec volumus omni vento circumferri doctrinæ, aut à ſacrorum canonum rectitudine impulſu aliquo deviare: per præſentia vobis ſcripta mandamus, quatenùs cauſæ iſti favorem ulteriùs non præſtetis, & apud chariſſimum filium noſtrum Fridericum, quem Deus hoc tempore, pro ſervanda libertate Eccleſiæ in eminentiam regni evexit, efficere veſtris exhortationibus ſtudeatis, ut & ipſe à ſua ſuper hoc intentione deſiſtat, & contra Deum, contra ſacros canones, contra regiæ dignitatis officium, eidem cauſæ favorem ſuum ulteriùs non impendat, ſed Eccleſiæ Magdeburgenſi, ſicut & aliis Eccleſiis regni à Deo ſibi commiſſi, liberam facultatem, quem voluerint ſecundùm Deum eligendi relinquat, & electionem ipſam poſtmodùm favore ſuo (ſicut decet majeſtatem regiam) proſequatur. Nos enim ſi, quod de ſupradicto fratre noſtro facere nititur, videremus ratione fulciri, nec voluntati ejus, nec poſtulationi veſtræ ducemus aliquatenùs obviandum; contra Deum autem & ſacrorum canonum ſanctiones nulli omninò petitioni poſſumus præbere conſenſum. Datum Signiæ decimoſexto Kalendas Septembris.] Iſta Eugenius, qui & anno ſequenti duos à latere Legatos in Germaniam miſit ad depoſitionem quorumdam Epiſcoporum, ut idem auctor affirmat: (a) dicemus de ea legatione ſuo loco anno ſequenti.

a *Ott. Friſ. in Frid. l. 2. c. 9.*

X. Hoc eodem anno Indictione prima jam inchoata defunctum eſſe Rogerium Siciliæ Regem, habet Romualdus Archiepiſcopus Salernitanus in Chronico, licèt alii poſt biennium id accidiſſe tradant, ut Robertus de Monte. Succeſſit Vvillelmus filius, de quo inferiùs.

Rogerii obitus.

Hoc anno, qui inter Scriptores Eccleſiaſticos hoc ſæculo floruit, Potho presbyter, inchoaſſe reperitur opus de Domo Dei, quod & quinque libris abſolvit, de quo iſta Alexander Braſſicanus ad Bernardum Cardinalem Epiſcopum Tridentinum ex verbis ipſius. Hoc anno quo mortuus eſt Rex Conradus, hoc eſt milleſimo centeſimo quinquageſimoſecundo, ego Frater Potho indignus presbyter Prumienſium ad contemplandū decorem Domus Dei mentis oculos attentiùs ſublevans, quantum in ipſum intellectum perſpicere mihi datum fuit, ſecundùm exemplar cœleſtium, præſens opuſculū ſcribere aggreſſus ſum.] Quid autem per Domum Dei intellexerit, ipſe ejuſdem operis exordio ita declarat: Domus Dei quæ in terris conſtruitur, ad ſimilitudinem cœleſtis habitationis quæ eſt æterna, conſtruitur. Hæc nimirum Domus Eccleſia eſt, columna & firmamentum veritatis, quæ in unitate indiviſa firmatur, quæ una columba, una, perfecta, Deo unicè dilecta, Scriptura teſte declaratur. In tota hac Domo ſolus beatus Petrus cum ſuis ſucceſſoribus plenitudinem poteſtatis accepit. Unde quicumque in partem ſollicitudinis vocati ſunt, ut ea quæ in partem gerenda ſuſceperunt, provida diſpenſatione gubernent: ejus auctoritate roborandi, ejus exemplo informandi ſunt, qui in plenitudine poteſtatis toti Eccleſiæ præeſſe dignoſcitur, &c.] Contra ſchiſmaticos, quibus præſens ſæculum abundavit, ab auctore opus eſſe elucubratum apparet: & qui tunc aggreſſus eſt in opus, cùm Fridericus regnare cœpit, planè Dei conſilio factum videtur, ut unà cum veneno & antidotum pararetur.

Rom. Eccl. Domus Dei.

JESU CHRISTI ANNUS 1153. — EUGENII PAP. III. ANNUS 9. — FRID. REG. ROM. 2. MANUELIS IMP. 11.

I. SEquitur ordine temporum milleſimus centeſimus quinquageſimus tertius, Indictione prima, quo Eugenius Papa quarto Idus Aprilis Canonicis baſilicæ ſancti Petri conceſſit quartam partem oblationum, quæ ex more fierent in altari maximo ſuper Confeſſionem ſancti Petri, & eorum quæ inſerentur in arcam. De qua conceſſione ejuſmodi diploma ſcribendum curavit, cujus autographum in bibliotheca ejuſdem Eccleſiæ aſſervatur:

Diploma Eug. Pap. darum Canonicis S. Petri.

Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Bernardo presbytero Cardinali ſancti Clementis & Eccleſiæ B. Petri Archipresbytero, atque cæteris ejuſdem Eccleſiæ Canonicis tàm præſentibus quàm futuris canonicè ſubſtituendis in perpetuum.

Beatorum Petri & Pauli tàm eminens eſt, tàm glorioſa ſocietas, ut & ambo ſint Doctores Gentium, auctores Martyrum, principes ſacerdotum. Et cùm inter univerſos Apoſtolos peculiari quadam prærogativa præcellant, æqualitatis in cœlo meritis diſparitatem non ſentiunt. Petro ab ipſo Salvatore noſtro Domino Jeſu Chriſto claves regni cœlorum ſunt commiſſæ: Paulus à Deo electus eſt, ut de multitudine Gentium regnum cœlorum impleat ſua prædicatione. Petrus petra eſt & fundamentum Fidei, & ne ruamus, in ſoliditate nos firma ſuſtentat. Paulus, ne pravo hæreticorum dogmate vulneremur,

mora-

moralitatis honeſtate & invincibili ratione Fidei nos armat. Petrus principatum tenens, ex poteſtate ligat & ſolvit: Paulus diligens prædicator, ne quid reprehenſibile vel ligatione dignum in nobis appareat, mirabili nos exhortatione præmunit. Petrus firmamentum noſtrum eſt ac domus fortitudinis, & in fide ejus plantati & radicati ſumus: Paulus vas electionis prædeſtinatos à Deo & electos, cœleſtis tubæ ſonoritate vocavit, & pro nobis ſine intermiſſione orans, ne à Fide & veritate deviemus, apud Deum interveniendo nos protegit.

II. Cùm igitur ii duo maxima luminaria Dei Eccleſiam illuſtrantia pari & amicabili ſplendore & fraterno amore præfulgeant, æquitatis & juſtitiæ perſuadet ratio, ut nos, qui licèt indigni Chriſti vices in terris agimus, & in ejuſdem Apoſtolorum Principis cathedra reſidere conſpicimur, domeſticam beati Petri familiam paterno diligamus affectu, & pia eam proviſione in ſuis neceſſitatibus adjuvemus. Hujus itaque rationis debito provocati, dilecti in domino filii, quartam partem omnium oblationum, quæ de altari ejuſdem beati Petri Apoſtoli, & tàm de arca, quàm de omnibus miniſteriis ipſius Eccleſiæ, præterquàm de miniſterio beati Leonis proveniunt, vobis ex conſenſu fratrum noſtrorum Epiſcoporum & Cardinaliū Sedis Apoſtolicæ auctoritate concedimus, & præſentis ſcripti pagina confirmamus: ita videlicèt, ut ſemper cùm volueritis, facultatem liberam habeatis eamdem oblationem in veſtris manibus retinendi atque cuſtodiendi, ſeu aliis quibus volueritis, cum noſtro atque noſtrorum ſucceſſorum conſenſu vendendi, ſalva in omnibus aliis & retenta in noſtris & ſucceſſorum noſtrorum manibus ipſius Eccleſiæ libera diſpoſitione atque cuſtodia.

III. Hoc autem ideò facere dignum duximus, ut vos die ac nocte ſtudiosè in Dei laudibus deſudantes, tàm in Miſſarum celebratione, quàm in matutinis & aliis Horis pro vivorum ac defunctorum ſalute attenta diligentia & honeſtè decantandis, prædictam beati Petri Eccleſiam obſequio debito veneremini, & Dei Fideles Apoſtolorum Limina devotione debita viſitantes, locum ipſum in majori devotione ac veneratione ſemper habeant. Decernimus ergò, ut nulli omninò hominum fas ſit hujus noſtræ conceſſionis paginam temerario auſu infringere, ſeu quibuslibet modis perturbare. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica, ſæculariſve perſona id attentare præſumpſerit: ſecundò tertiòve commonita, niſi præſumptionem ſuam congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri JESU Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem hanc noſtram conſtitutionem eidem loco ſervantibus, ſit pax Domini noſtri JESU Chriſti, quatenùs & hìc fructum bonæ actionis percipiant, & in futurum præmia æternæ pacis inveniant. Amen, Amen, Amen.

✠ Ego Eugenius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

† Ego Conradus Sabinenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

† Ego Igmarus Tuſculanus Epiſcopus ſubſcripſi.

† Ego Hugo Oſtienſis Epiſcopus ſubſcripſi.

† Ego Gregorius presbyter Cardinalis tit. S. Calliſti ſubſcripſi.

† Ego Guido presbyter Cardinalis tit. S. Chryſogoni ſubſcripſi.

† Ego Hubaldus presbyter Cardinalis tit. ſanctæ Praxedis ſubſcripſi.

† Ego Manfredus presbyter Cardinalis tit. ſanctæ Savinæ ſubſcripſi.

† Ego Aribertus presbyter Cardinalis tit. ſanctæ Anaſtaſiæ ſubſcripſi.

† Ego Hubaldus presbyter Cardinalis tituli ſanctæ Crucis in Hieruſalem ſubſcripſi.

† Ego Guido presbyter Cardinalis tit. Paſtoris ſubſcripſi.

† Ego Jordanus presbyter Cardinalis tit. ſanctæ Suſannæ ſubſcripſi.

† Ego Octavianus presbyter Cardinalis tit. ſanctæ Cæciliæ ſubſcripſi.

† Ego Aſtaldus presbyter Cardinalis tit. ſanctæ Priſcæ ſubſcripſi.

† Ego Rolandus presbyter Cardinalis tit S. Marci ſubſcripſi.

† Ego Gerardus presbyter Cardinalis tituli ſancti Stephani in Cœlio monte ſubſcripſi.

† Ego Joannes Paparo presbyter Cardinalis tituli ſancti Laurentii in Damaſo ſubſcripſi.

† Ego Joannes presbyter Cardinalis tituli SS. Joannis & Pauli tit. Pammachii ſubſcripſi.

† Ego Cencius presbyter Cardinalis tituli ſancti Laurentii in Lucina ſubſcripſi.

† Ego Henricus presbyter Cardinalis tituli SS. Nerei & Achillei ſubſcripſi.

† Ego Oddo diaconus Cardinalis ſancti Georgii ad Velum aureum ſubſcripſi.

† Ego Guido diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Porticu ſubſcripſi.

† Ego Hyacintus diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Coſmedin ſubſcripſi.

† Ego Joannes diaconus Cardinalis SS. Sergii & Bacchi ſubſcripſi.

† Ego Gerardus Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Via lata ſubſcripſi.

† Ego Odo diaconus Cardinalis ſancti Nicolai in carcere Tulliano ſubſcripſi.

† Ego Bernardus diaconus Cardinalis ſanctorum Coſmæ & Damiani juxta templum Romuli ſubſcripſi.

Datum

Datum Romæ apud ſanctum Petrum per manum Boſonis, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſcriptoris, quarto Idus Aprilis, Indictione prima, Incarnationis Dominicæ anno milleſimo centeſimo quinquageſimo tertio, Pontificatus verò domini Eugenii Tertii Papæ anno nono. Locus † plumbi.

IV. Poſt hæc autem eodem anno decernitur ab Eugenio Papa legatio in Germaniam, ad judicandum Archiepiſcopum Moguntiuum. Fuerunt delecti ad hoc munus obeundum duo Cardinales Bernardus presbyter & Gregorius diaconus, ut (a) Otto Friſingenſis qui aderat, tradit. Id autem cùm ſanctus (b) Bernardus accepiſſet, ad eos de eodem Moguntino iſta breviter ſcripſit:

a *Otto in Frid. lib. 2. c. 9.*
b *Bern. ep.* 302.

S. Bernard. intercedit pro Henrico.

Dominis & Patribus reverendis Apoſtolicæ Sedis Legatis puer ſanctitatis eorum Bernardus Claræ-vallis vocatus Abbas, per omnia Deo placere, & gratos fructuoſæ ſuæ legationis manipulos reportare.

Etſi corpore remoti, ſed affectu & bona voluntate vobis appropiavimus, optantes & orantes duci actus & ſtudia veſtra ad omne quod decet & expedit. Inde eſt, quòd audientes, miſerandum illum Archiepiſcopum Moguntinenſem vocatum ad veſtram præſentiam, ibique reſponſurum adverſariis ſuis, auſi ſumus veſtram pro eo interpellare bonitatem. In hoc enim credimus honorificari miniſterium veſtrū, ſi (quatenùs ſalva juſtitia licet) parieti inclinato & maceriæ depulſæ humeros veſtræ auctoritatis ſupponitis, nec calamum quaſſatum conteri, nec linum fumigans (quod in vobis eſt) extingui permittitis. Sentiat, obſecramus, ſibi profuiſſe & precem noſtram, & ſuam ſimplicitatem, ob quam fertur à falſis fratribus circumventus potiùs, quàm inventus in aliquo dignus depoſitionis.] Hæc ſanctus Bernardus in ipſius excuſationem & commendationem.

V. Deponitur Henricus Archiepiſ. Moguntinus.

Cæterùm liquet, ipſum unà cum aliis fuiſſe per eoſdem Legatos ab Epiſcopali dignitate depoſitum. Ita namque hoc anno in Chronico Dodechinus in Appendice ad Marianum his verbis: Henricus Archiepiſcopus Moguntinenſis in Pentecoſte ex præcepto Eugenii Papæ depoſitus eſt, & Arnoldus Cancellarius electus eſt.] Ita ipſe per Eugenium actum aſſerens, quod per ejus Legatos factum ſciret. Cœterùm juſtè, an injuſtè, diverſa eſt aſſertio diverſorum. Excuſandam eſſe ſimplicitatem, ingeſſit S. Bernardus: Conradus Epiſcopus in Chronico Moguntinenſi itidem ipſum innocuum prædicat. Otto tamen Epiſcopus Friſingenſis & ipſe ſicut ſcientia ita vita integerrimus, moribuſque puriſſimus, noxium eum aſſerit, qui de hac legatione verba faciens, de Legatis ſic meminit: (c) At Rex *Fridericus videlicet*, in proximo Paſcha Babenberg coronam geſtans, duos Cardinales, videlicet Bernardum presbyterum, & Gregorium diaconum ad depoſitionem quorumdam Epiſcoporum ab Apoſtolica Sede deſtinatos ſecum habuit. Proximam dehinc Pentecoſten Vuormatiæ ſeriaus, Henricum Moguntiæ Sedis Archiepiſcopum, virum pro diſtractione Eccleſiæ frequenter correptum, nec correctum, per eoſdem Cardinales depoſuit, ac Arnoldum Cancellarium ſuum per quorumdam ex Clero & populo, qui illùc venerant, electionem ei ſubrogavit.] Hæc de his Otto.

c *Otto in Frid. lib. 2. c. 9.*

VI. Arnoldus perſecutor Henrici Archiepiſ. Moguntini.

Conradus autem Epiſcopus, qui poſt centum annos Chronicon ſcripſit Moguntiacum (ut ipſe teſtatur) ab exordio rem geſtam cum narrat, omnem culpam rejicit in Arnoldum ejuſdem Archiepiſcopi proditorem, atque in Legatos Apoſtolicæ Sedis pecunia corruptos; ſic enim ait: Præſidente tunc *Eccleſiæ Moguntinæ* quodam Henrico Archiepiſcopo, viro utique pacifico ac benigno, quia veritatis & pacis amator erat, lites & incommoda excitavit. Nam quia ſemper ei erat cordi, ut Clerus honore debito gauderet, populus juſtitia regeretur, terra pace publica exultaret: ecce accuſatur apud Papam, quòd ſomnolentus & inutilis haberetur. Quod vir venerabilis ut cognovit, ſolemnes Nuntios pro ſua excuſatione ad ſummum Pontificem decrevit protinùs deſtinare. Miſit ergò omnium ſuorum ſecretiſſimum cognitorem quemdam Arnoldum clericum, quem ipſe Archiepiſcopus ad Præpoſituram majorem promoverat jam recenter, tamquàm eum, qui non poſſet eſſe immemor beneficii tàm noviter conſecuti, & propterea eidem jam Præpoſituram ſancti Petri etiam contulerat, inſuper & Cathesarium conſtituit civitatis Moguntinenſis. Erat autem idem Arnoldus miri ingenii & facundiæ, atque congeſtor pecuniæ infinitæ. Is itaque veniens ad Curiam Romanam, pontificatumque ambiens Moguntinenſem, primùm ſibi Cardinales pecunia favorabiles acquiſivit, deinde duos ſpecialiter pecunia corrumpens, qualiter de ſua propria promotione ageret, & poſtmodùm conſummaret, cum illis familiariùs pertractabat. Tandem ab illis inſtructus, & de ſe certificatus, cœpit in ſuum dominum accuſationis jacula dirigere, quem venerat excuſare. Breviter tantum in ſua proceſſit audacia & effecit, ut duos Legatos deſtinati peteret hujus rei cognitores & judices, obtinuitque eoſdem duos quos corruperat.

VII. Vuormatienſe judicium adverſùs Henricum Archiepiſcopum Moguntinum.

Tandem tractu temporis multa intervenerunt facta, quæ referre ſicut ſcribentibus eſſet onerosum, ita legentibus tædioſum. Veniunt ergò Legati Vuormatiā, Henricus Epiſcopus citatus comparet, nihil prætendere poterat pro ſe, quod admittere vellent judices, ſive Legati ſupradicti. Præſidentes autem Judicio in loco, qui Neuhuſen vocatur, Henricum laudabilem virum ab Epiſcopatu amovent Moguntinenſi, Arnodum ſubſtituunt. Dicebatur autem, quòd Fridericus Imperator huic negotio aſſenſum præbuerit, ſed occultum.

Digitized by Google

tuim. Venerabilis vir Henricus tàm manifeſta perverſitate turbatus, ipſos perverſos alloquitur in hunc modum. Si ad Sedem Apoſtolicam appellàrem contra veſtrum iniquum proceſſum: Papa forſan ipſe nihil ampliùs attentaret, & nihil mihi accreſceret, niſi labor corporis, amiſſio rerum, & afflictio ſpiritus, & eviſceratio mentis, & evacuatio gratiæ. Appello ergò ad Dominum JESUM Chriſtum tamquàm Judicem juſtiſſimum, vos citò ad ejus tribunal, ibi vobis coram ſummo Judice me reſponſurum exhibeo. Non enim juſtè, nec ſecundùm Deum, ſed mercede corrupti, ſicut placuit, judicaſtis. At illi: Cùm tu præceſſeris, nos ſequemur. Hæc autem ridentes & deridantes dixerunt. Acta ſunt hæc anno gratiæ * M.C.V.

* corrig. M. C. LIII.

VIII.

Obitus Henrici quondam Archiepiſ. Mogunt.

Dominus Henricus abiit ad quoddam Clauſtrum Ciſtercienſis Ordinis, non monachus effectus, ſed in conſueto habitu vitam ducens. Arnoldus non moram faciens, cùm fuiſſet, ut moris eſt, ab Imperatore regalibus inveſtitus. Moguntiam venit, ibique ſolemniter eſt ſuſceptus. Poſt annum ferè & dimidium venerabilis Henricus Præſul defunctus, Deo ad quem appellaverat, totum proceſſum lacrymabiliter aſſignavit.] Hæc de obitu. Verùm in tempus obitus mendum irrepſiſſe puto. Si quidem Dodechinus affirmat, hoc eodem anno Kal. Septembris eumdem Henricum eſſe defunctum. De judicio Dei adversùs Cardinales exhibito hæc inferiùs, ut libuit, idem Conradus ſcribit:

Confictũ terribile judicium de duobus Legatis Apoſtol. Sedis.

Rem refero, fratres, omnibus illius ſæculi notiſſimam. Mors venerabilis Henrici multis innotuit, pervenit etiam ad aures illorum Cardinalium, qui ab Epiſcopatu eum amoventes, ſe promiſerant ſecuturos, & ludentes ad alterutrum dixerunt: Ecce præceſſit, ſuo tempore nos ſequemur. Et ecce tranſiit tempus breve, & ambo una die moriuntur. Nam unus ſedens in ſede naturæ, ut purgaret ventrem: omnia inteſtina ſua in cloacam ejecit, & animam miſerabiliter exhalavit: alius manuum ſuarum digitos articulatim abmordens, & de ore expuens, deformatis manibus, quaſi ſe ipſum devorans, expiravit. O Deus ultionum Domine, Deus ultionum Dominus, hoc eſt juſtum exercens judicium. Et in his omnibus non eſt averſus furor ejus, ſed adhùc manus ejus extenta. Audita ſunt hæc in terra noſtra & fama celebri divulgata, nec à quoquam aliud dicebatur, quàm, Benedictus Dominus, qui venerabilis Henrici juſtè injuriam vindicavit.] Sed quæ ultio eſt ſecuta ipſum Arnoldum auctorem malorum omnium, ſuo loco ex eodem auctore Conrado dicetur. Ob privationem Henrici & ingreſſum Arnoldi Moguntinam Eccleſiam ſchiſmate ſciſſam eſſe, atque magnoperè peſſumdatam per annos decem & octo, idem auctor affirmat. Audiſti finem hominum (ſi non arguantur hæc falſa) juſtitiam pervertentium, de quibus ſi quis ſcandalum patiatur, quòd tales habuerit Romana Eccleſia Cardinales: provoco eũ ad Chriſti collegiũ duodecim tantummodò Apoſtolorũ, inter quos unus ex eis mercimonio triginta denariorum Chriſtum prodidit, & non ab aliquo extrinſecus accidente paſſus eſt quid hujuſmodi, ſed ſibi ipſi manus intulit in ſuſpendium, ex quo medius crepuit, & diſrupta ſunt omnia viſcera ejus. Bonis permixtos ſemper fuiſſe & fore pòſt indè malos, neceſſitate naturæ contingit, ſicut & illud ex eodem fonte dimanans, quia: Neceſſe eſt ut veniant ſcandala.]

IX. Iſta quidem dicta ſunt, ſi (ut aſſeritur à Conrado) res ita ſe habuit. At quid ſi eum apertiſſimi mendacii arguerimus? Equidem ut res tanta prætermiſſa noſcatur ab hujus temporis Scriptoribus omnibus, ſcribatur verò poſt ſæculum ab auctore recentiori: ſuſpicionem falſitatis haud mediocrem affert. Sed quomodò ipſum mendacium convincatur, accipe. Licèt quomodò nominati fuerint iſti duo Cardinales Legati, Conradus taceat: Otto (a) tamen Friſingenſis, qui his omnibus aderat, agens de eorum legatione, eoſdem proprio nomine exactè conſignat, alterumque eorum Bernardum presbyterum Cardinalem, alterum verò Gregorium diaconum nominat. Cardinales verò iſtos ambos, quos poſt annum ferè & dimidium poſt Henricum malè periiſſe, Conradus affirmat (licèt hoc eodem anno ipſum Henricum diem obiiſſe, ſit certius demonſtratum) conſtat diutiùs ſupervixiſſe: nam ipſe Bernardus presbyter Cardinalis tituli ſancti Clementis poſt tempus à Conrado præſcriptum vixiſſe reperitur, eumdemque alias legationes in Germaniam itidem agitaſſe, publica monimenta teſtantur, nempè litteræ Hadriani Papæ ad Imperatorem, & Imperatoris ad eum. Sed & qui Appendicem appoſuit ad Ottonem, Radevicus ejuſdem temporis ſcriptor, idipſum affirmat. Nec eſt quòd alius ab iſto Bernardus presbyter Cardinalis inveniatur in Actis horum Pontificum vel aliis monimentis, in quibus omnium nomina recenſentur: ſed unus hic tantùm Bernardus presbyter Cardinalis tituli ſancti Clementis, de quo ſuo loco inferiùs dicendum erit. Vixit autem his diebus alius Bernardus, at non presbyter, ſed magnæ ſanctitatis diaconus Cardinalis ſanctorum Coſmæ & Damiani, de quo Joannes (b) Saresberienſis in Polycratico iſtis verbis: Bernardus Claravallenſis monachus & ſanctorum Coſmæ & Damiani diaconus Cardinalis Romæ degens, in excelſis ſingulariter habitavit, excutiens manus ſuas ab omni munere, ut nondum natus ſit, cujus aurum, vel argentum in munus acceperit.] Sed de his rursùm inferiùs in Hadriano. Sed & Gregorius diaconus alter Legatorum poſt præſcriptum à Conrado tempus ſupervixiſſe, pariter inferiùs invenitur, unde ipſe mendacii argui poſſit.

a *Otto in Frid. lib. 1. c. 6.*

b *Joan. Saresb. lib. 5. c. 15.*

X. Hoc eodem anno octavo Idus Julii Eugenius

Digitized by Google

Obitus Eugenii. genius Papa diem obiit Tibure, cùm ſediſſet annos octo, menſes quatuor, & dies treſdecim. De quo iſta in vetere codice Romanorum Pontificum Vaticanæ bibliothecæ: Hic recuperavit Tarracinam, Setiam, Narniam, & Arcem Fummonis, quæ à dominio beati Patri jam diu alienata fuerant. Hic univit (a) Epiſcopatum Velitrenſem cum Oſtienſi & Sanctæ Rufinæ. Fecit hic ordinationes per menſem Decembrem, in quibus diacones decem, preſbyteros undecim, & Epiſcopos ſexaginta unum creavit. Defunctus eſt apud Tibur dicta die octava Idus Julii, & inde per ſtratam publicam & mediam Urbem, atque in Vaticanum cum totius Cleri & populi Romani frequentiſſima turba, maximo luctu, communique omnium immenſa triſtitia deportatus eſt, & in ipſa beati Petri Eccleſia coram majori altari tumulatus.] Hæc ibi de Eugenio Papa, quem pluribus illuſtratum miraculis teſtatur Goſtidus hujus temporis ſcriptor in fine vitæ ſancti Bernardi.

a *Hoc item apud Sigeber. Chron. ann. 1181.*

XI. Porrò idem Eugenius inter alia magnam inde laudem commeruit, quòd munerum abſtinentiſſimus erat; de quo iſta præter aſſerta à S. Bernardo, habet Joannes (b) Sareſberienſis in Polycratico. Amplectendæ memoriæ, & imitandæ ſanctitatis ſummus Pontifex Eugenius, quem vidiſti, nullum omninò munus hominis litigantis recipiebat, aut cui litem crederet imminere. Unde cùm in adventu ſuo Prior quidam modicæ facultatis, cujus cauſam nondum audierat, el marcham auri devotione multa inſtanter offerret: Nondum, inquit, domum ingreſſus es, & jam vis corrumpere dominum? Corruptionem namque vir ſanctus eſſe dicebat, quod offerebatur judici lite pendente.] Hæc de Eugenio Joannes Sareſberienſis. Egregia de his memoria adhùc extat Tarracinæ in arce in media turri, in pariete meridie verſus his verbis:

b *Ioan. Sareſb. lib. 5. c. 15.*

EVGENIVS PAPA III. HOC OPVS GLORIÆ IPSIVS MEMORIAM REPRÆSENTANS FIERI IVSSIT. QVI MIRA ANIMI........ ET HONESTI STVDIO PRÆDITVS. REGALIA MVLTA LONGO TEMPORE AMISSA BEATO PETRO RESTITVIT. QVORVMDAM VITIVM IN MODVM HONESTATIS REDEGIT. NE QVID * A QVOQVAM PETERENT NEVE QVID A QVOQVAM ANTE DECISAM CAVSAM ACCIPERENT. POST DECISAM OBLATVM QVID VERECVNDE, ET CVM GRATIARVM ACTIONE SVSCIPERENT. Sed de ſucceſſore.

* Judices

XII. Anaſtaſius Papa IV. Die verò ſequenti, ſexto Idus Julii, convenientibus Patribus, ſumma concordia elegerunt in Romanum Pontificem Conradum civem Romanum ex regione Suburræ, filium Benedicti, Canonicum regularem, Epiſcopum Cardinalem Sabinenſem, qui & nomine mutato, dictus eſt Anaſtaſius ejus nominis Quartus; de quo Otto Friſingenſis: (c) Eugenius Papa vir juſtus & religione inſignis ab hac luce tranſiens, Anaſtaſio homini veterano, & in conſuetudine illius Curiæ exercitato Sedem reliquit.] Hæc ipſe. Qui & hoc anno ab eodem Anaſtaſio miſſum eſſe Gerardum Cardinalem Legatum ad Fridericum Regem pro cauſa Magdeburgenſis Eccleſiæ narrat. Quid autem factum ſit, dicetur ſuo loco, anno ſequenti.

c *Otto in Frid. lib. 2. c. 10.*

XIII. S. Bernardi obitus. Hoc eodem anno, decimotertio Kalendas Septembris ſanctus Bernardus Abbas Claravallenſis, anno ſuæ ætatis circiter ſexageſimotertio, ex hoc mundo migrat in cœlum. Ita namque ejus felicem obitum Goſtidus monachus Claravallenſis quadruplici chronographia conſignat, dicens: (d) Facta ſunt hæc eodem anno, quo beatus Papa noſter Eugenius Tertius, ejuſdem Patris ſancti in converſatione ſancta filius ab hac luce, vel ab hac magis caligine migravit ad lucem, cujus merita in ipſa, cui inſigniter præfuit Urbe miraculis pluribus illuſtrata coruſcant, ſucceſſore ejus Anaſtaſio Romanæ Eccleſię pręſidente; regnantibus autem in Romanorum Imperio Friderico illuſtri, in Francorum regno piiſſimo Rege Ludovico filio Ludovici, principatum Eccleſiæ univerſæ ac totius creaturæ viſibilis & inviſibilis monarchiam tenente Dei filio IESU Chriſto, anno ab Incarnatione ſua milleſimo centeſimo quinquageſimotertio.] Hæc de tempore. In ſuis autem lucubrationibus pervenerat in Canticorum tractatione ipſe Sanctus ad illum verſum: (e) In lectulo meo quæſivi quem diligit anima mea.] Perducens ultimum ſermonem ad ea Apoſtoli verba: (f) Non ſumus filii noctis neque tenebrarum, &c.] Cùm haud pridem ſcripſiſſet ad Andream avunculum ſuum militem Templi, ultimam verò ad Arnoldum Abbatem Bonævallis dediſſet epiſtolam de his quæ pateretur ægrotans. Poſtremum autem opus ejus fuit, cùm tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio; & (g) Metenſe bellum deploratiſſimum ex inſperato compoſuit, pacemque proſcriptam revocavit. Nam è lectulo ubi tenebatur ægrotans, aliquantulùm relevatus, ad opus charitatis progredi coactus, eò fortior, quò infirmior apparuit.

d *Gofr. in vit. S. Ber. lib. 5. c. 1.*

e *Cant. 3.*

f *1. Theſ. 5.*

g *Vit. S. Ber. lib. 5. c. 1.*

XIV. Verè Apoſtolicus vir, immò verus Apoſtolus miſſus à Deo potens opere & ſermone, illuſtrans ubique & in omnibus ſuum Apoſtolatum ſequentibus ſignis, ut planè (h) nihil minus habuerit à magnis Apoſtolis. Hic vivens jam centum ſexaginta monaſteria ubique terrarum erexit. Sed iſta minora cenſenda reſpectu illorum, quę extra clauſtra in diverſis Orbis Eccleſiis, potiſſimùm verò pro Romana eſt operatus Eccleſia. Qui & apud Imperatores, Reges, alioſque Principes pro omnium ſublevatione, atque ipſorummet Principum

h *2. Cor. 12.*

Dignæ laudes S. Bernardi.

ſalute tot tantaque peregerit. Et qui dicendus ſit totius Eccleſiæ Catholicæ ornamentum ſimul ac fulcimentum; Gallicanæ verò in primis Eccleſiæ prædicandus ſit ſummum decus, ſumma gloria, ſumma felicitas. Cujus memoria feliciſſima in benedictione & ſanctificatione ad morum informationem & diſciplinam, & in condemnationem hæreticorum in ſancta Eccleſia jugiter perſeveret. Porrò plura atque diverſa à diverſis affixa ſunt ejus ſepulchro epitaphia, quæ ad finem vitæ ipſius cuſa leguntur, quæ tu conſulas pro arbitrio. Inter auctores autem ipſorum primum locum tenet egregius temporis hujus Poeta Adam Canonicus regularis monaſterii S. Victoris Pariſienſis, quem ut tamquàm ex unguibus tu leonem agnoſcas, accipe quod in ejus Clauſtro extat epitaphium à ſe ſibi ſcriptum memoria dignum:

A *Hæres peccati, natura filius iræ,*
Exiliique reus naſcitur omnis homo.
Unde ſuperbit homo, cujus conceptio culpa,
Naſci pœna, labor vita, neceſſe mori?
Vana ſalus hominis, vanus decor, omnia vana:
Inter vana nihil vanius eſt homine.
Dum magis alludit præſentis gloria vitæ,
Præterit, immò fugit; non fugit, immò perit.
Poſt hominem vermis, poſt vermem fit cinis, heu, heu!
Sic redit ad cinerem gloria noſtra ſimul.
B *Hic ego qui jaceo, miſer & miſerabilis Adam,*
Unam pro ſummo munere poſco precem.
Peccavi fateor, veniam peto; parce fatenti,
Parce Pater, Fratres parcite, parce Deus.]

Adami de S. Victore Epitaph.

Iſta in laudem laudatoris ſancti Bernardi redundent.

JESU CHRISTI ANNUS 1154. | ANASTASII PAP. IV. ANNUS 1. | FRIDER. REG. ROM. 3. MANUELIS IMP. 12.

I. Legatio Anaſtaſ. Pap. ſpreta.

ANnus incipit Redemptoris milleſimus centeſimus quinquageſimusquartus, Indictione ſecunda, quo Gerardus Cardinalis Legatus miſſus anteà ad Fridericum, re infecta dimiſſus cum dedecore, moritur in via. Jam anno ſuperiori dictum eſt, hanc fuiſſe legationem miſſam in Germaniam ad abſolvendam cauſam Magdeburgenſis Eccleſiæ, quam (ut vidimus) Eugenius Papa moriens benè inchoatam reliquerat. Sed hæc de Gerardo, & quid poſt hæc per Anaſtaſium geſtum fuerit, (a) Otto ita narrat: A quo *Anaſtaſio* dum Cardinalis quidam Gerardus nomine ad terminandam Magdeburgenſis Electi cauſam miſſus fuiſſet, ac Principem in eadem civitate Natale Domini celebrantem adiiſſet, cùm quædam ibi ſecus illius nutum tractare vellet, indignationem ejus incurrens, infectis negotiis pro quibus venerat, mandatis ſeverioribus inglorius redire coactus, in via etiam vita deceſſit. Verùm Princeps miſſis ad Anaſtaſium cum Guicmanno *novo Archiepiſcopo ab ipſo intruſo* Nuntiis, non ſolùm facti ſui ratihabitionem, ſed etiam pallium obtinere eum fecit, non ſine quorumdam ſcandalo; qui ne umquam id fieret, immobiliter fixum Romanos tenere, à proprio ipſorum ore audierant. Exhinc non ſolùm in ſæcularibus, ſed & in Eccleſiaſticis negotiis diſponendis auctoritas Principis plurimùm crevit.] Cùm decrevit religio in animo ejus, & temeritas in violandis juribus Eccleſiaſticis in dies magis magiſque aucta, annis fermè ſingulis, ſuæ ipſius in Eccleſiam contumaciæ ſpecimen Chriſtiano indignum Principe daret.

a Otto Friſing. in Frid. lib. 2. c. 10.

II. Anaſt. Pap. obitus.

Moritur hoc anno in fine ipſius, Anaſtaſius Papa, nimiæ facilitatis reprehenſus: de quo ea, quæ in codice Vaticano Romanorum Pontificum reperimus ſcripta, prodamus in lucem, videlicèt: Iſte Anaſtaſius Papa Quartus inventa corpora SS. Rufinæ & Secundæ collocavit juxta Baptiſterium Lateranenſis Eccleſiæ à latere ejuſdem prope apſidem, & contra eamdem apſidem recondidit corpora ſanctorum Cypriani & Juſtinæ, necnon reliquias ſanctæ Luciæ Virginis. Fecit etiam palatium apud ſanctam Mariam Rotundam. Dedit Lateranenſi baſilicæ Eccleſiam ſancti Laurentii in Campo Martio cum omnibus domibus tàm ſub palatio quàm juxta palatium cum omnibus tenimentis ejus & pertinentiis. Dedit eidem Eccleſiæ Lateranenſi calicem argenteum cum patena operosè factum, penſantem marchas quadraginta, thuribulum argenteum penſans marchas ſeptem, candelabra argentea penſantia undecim, optimam planetam albam cum auriphrygio admirabili, & pallia diverſa, & plura alia ad ornatum altaris & Eccleſiæ. Obiit Romæ quarto Nonas Decembris, & tumulatus eſt in ipſa Lateranenſi Eccleſia in porphyretico ſepulchro.] Hæc ibi. At ſedes diem tantùm vacavit.

III. Hadriani IV. creatio.

In locum autem Anaſtaſii ſubrogatus eſt Hadrianus natione Anglicus ex Epiſcopo Albanenſi, Nicolaus dictus, de quo iſta in eodem Vaticano codice habentur. Fuit natione Anglicus de Caſtro ſancti Albani, Nicolaus nomine, qui pubertatis ſuæ tempore, ut in ſtudiis litterarum proficeret, egrediens de terra ſua & cognatione ſua, pervenit ad Arunlatam, ubi cùm in ſcholis litteris vacaret, à Domino factum eſt, ut ad Eccleſiam beati Rufi accederet, & in ea Religionis habitum, facta canonica profeſſione, ſuſciperet. Proficiens autẽ, Deo auctore, de bono in melius, Prioratum in ipſa domo priùs obtinuit, & poſtmodùm

A modùm Abbatiæ apicem de communi Fratrum volnntste conſcendit. Accidit autem, nt pro incumbentibus Eccleſiæ ſibi commiſſæ negotiis ad Apoſtolicam Sedem veniret, & peractis omnibus cauſis, pro quibus venerat, cùm redire ad propria vellet; beatæ memoriæ Eugenius eum retinuit, & de communi fratrum ſuorum conſilio in Albanenſem Epiſcopum conſecravit. Proceſſu verò modici temporis, cognita ipſius honeſtate, & prudentia, de latere ſuo eum ad partes Norvegiæ Legatum Sedis Apoſtolicæ deſtinavit, quatenùs verbum vitæ in ipſa provincis prædicaret, & ad faciendum omnipotenti Deo animarum lucrum B ſtuderet. Ipſe verò tamquàm miniſter Chriſti, & fidelis ac prudens diſpenſator myſteriorum Dei, gentem illam barbaram & rudem in lege Chriſtiana diliganter inſtruxit, & Eccleſiaſticis eruditionibns informavit. Divina itaque diſpenſatione Apoſtolatus ſui diem præveniens, defuncto Papa Eugenio, & Anaſtaſio in ejus locum ordinato, ad Matrem ſnam ſanctam Romanam Eccleſiam, auctore Domino, remeavit, relinquendo pacem regnis, legem barbaris, quietem Eccleſiis, ordinem clericis & diſciplinam, & Deo populum ac- C ceptabilem, ſectatorem bonorum operum.

Tranſeunte autem modico temporis intervallo obiit Anaſtaſins Papa. In ſecundo die convenientibus in unum pro eligendo ſibi Paſtore cunctis Epiſcopis & Cardinalibns apud Eccleſiam beati Petri, non ſine divini diſpenſatione conſilii factum eſt, nt in ejus perſonam unanimiter concordarent; & Papam Hadrianum à Deo electum tàm clerici quàm laici pariter conclamantes, eum invitum & renitentem in Sedem B Petri inthronizarent, Deo auctore, tertio Nonas Decembris, Do- D minicæ Incarnationis anno M.C. LIV. Indictione tertia *cœpta menſe Septembris*. Erat autem vir valdè benignus, mitis & patiens, in Græca & Latina lingua peritus, ſermone facundus, eloquentia politus, in cantu Eccleſiaſtico præcipuus, prædicator egregius, ad iraſcendum tardus, ad ignoſcendum velox, hilaris dator, eleemoſynis largus, & omni morum compoſitione præclarus.] Hæc ibi, reliqua inferiùs ſuis locis.

Legatio ad Reg. Siciliæ.

Poſt hæc autem Hadrianus Papa audito adventu Salernum Vvillelmi Regis Siciliæ (inquit ſæpè citatum ſuperiùs Ro- E mualdi Chronicon) Henricum Cardinalem SS. Nerei & Achillei ad eum miſit, quem Rex recipere nolnit, ſed Romam redire præcepit, eò quòd in litteris Apoſtolicis, qnas Regi portabat, Papa eum non Regem, ſed Vvillelmnm dominum Siciliæ nominabat. De quo facto Hadrianus Papa & tota Romana Curia contra Regem turbata eſt & commota.]

V. Obitus Stephani Reg. Angl. & Henrici II. creatio.

Moritur hoc anno Anglorum Rex Stephanus, de quo ſanctus Bernardus in Malachia ait, ob diſſenſiones inter ipſum & Eugenium Papam vetuiſſe Epiſcopis, ne A ſe conferrent ad Romanum Pontificem. Succeſſit autem in regnum Henricus Dux Northmanniæ filius Mathildis Imperatricis, qui repudiatam à Ludovico Rege Francorum Elionoram in uxorem duxerat. Hic rebus compoſitis, anno ſequenti in Angliam transfretavit, ubi fuit mira omnium concordia receptus in Regem. Hæc Robertus in Appendice ad Sigebertum.

Hic ipſe Henricus Rex Angliæ, ubi acceperat Hadrianum gentilem ſuum creatum eſſe Romanum Pontificem, ad eum B has litteras dedit, quæ inter epiſtolas Petri Bleſenſis cuſæ habentur: (a)

a Petr. Bleſ. ep. 165.

Ep. Reg. Angl. ad Hadrian. Pap.

Aures noſtras aura dulcis afflavit; quia ſicut accepimus, creationis veſtræ novitas tamquàm aurora rutilans deſolationis Romanæ Eccleſiæ tenebras propulſavit. Gaudet Sedes Apoſtolica viduitatis ſuæ ſolatium conſecuta: gaudent omnes Eccleſiæ lucem novam oriri videntes, & ipſam uſque ad perfectam diem creſcere præſtolantes. Sed gaudet præcipuè noſter Occidens, quod velut oriens novum lumen influere promernit Orbi terræ, & Solem Chriſtianitatis, qui verſus Orientem C nuper occubuit, divino munere Occidens reſtauravit. Nos itaque, Pater ſancte, honori veſtro magnificè collætantes, & divinæ majeſtatis magnificentiam devotis inde laudibus proſequentes, Paternitati veſtræ, de cujus fervore filiali devotione confidimus, vota noſtra familiariùs aperimus. Si enim carnalis filius carnales affectus patri fidenter aperit, quantò fidentius ſpiritualis ſpiritualia poteſt deſideria reſerare? Sanè inter cæteras affectiones noſtras non mediocriter affectamus, quòd cum divina dextera reverentiſſimam perſonam veſtram, tamquàm lignum vivificum in D medio paradiſi ſpiritualiter plantandnm duxerit, & de terra noſtra in ſuum Pomœrium tranſplantandum: ſummoperè ſtudeatis fructuoſis operibus & doctrinis Eccleſias omnes ita reficere, quòd beatam dicant omnes generationes veſtræ Beatitudinis nationem. Illud quoque ſincero corde ſitimus, quòd ſpiritus procellarum, qui dignitatum culmina vehementiùs conſuevit perflare, numquam à ſanctitatis ſtudio vos avellat: ne quod abſit, altius dignitatis faſtigium gravius præcipitium ſubſequatur. Sed & illud intimè affectamus, ut cùm univerſarum Eccleſiarum ordina- E tio ad vos pertineat, tales ordinare curetis ſine dilationis diſpendio Cardinales, qui onus veſtrum ſciant, & velint, & valeant ſupportare: non reſpicientes ad patriæ propinquitatem, generis qualitatem, aut potentiæ quantitatem, ſed quòd Deum timeant, avaritiam odeant, juſtitiam ſitiant, & zelo ferveant animarum. Nec modicum noſtrum movet affectum, ut cum Eccleſiis ſupra modũ officiat indignitas miniſtrorum, ſumma ſollicitudine vigilare curetis, cùm ſuper dignitatũ, vel Præbendarũ collatione veſtram contingent requiri providentiam, ne quis indi-

gnus irruat io patrimoniom Crucifixi. Cùm autem felix Terra, felicis redemptionis origine, cooverſatiooe, ac Sanguine Chriſti conſecrata, quam Chriſtiana devotio præcipuè venerari teoetur, tantis, ſicut oculata fide noviſtis, perturbatur nationum incurſibus, abomioationibus polluitor; deſiderio deſideramus, quòd ad ipſius liberationem veſtræ ſollicitudinis vires acciogatis. Illod autem olim illuſtre Imperium Conſtantinopolitanum nuoc graviter deſolatum, quis affectare non debeat, ut veſtra providente prudentia cooſolationem recipiat opportunam? Siquidem & honoris veſtræ conſiderationis, & commoditatis communis æmulatione affectare debemus, ut qui promotione divina univerſali præſidetis Eccleſiæ, circa omnium Eccleſiarum informationem ac reformationem aſſiduè vigiletis. Confidimus autem in Domino, & ſperamus, qoòd ſicut de virtute in virtutem, & de honore in honorem divinitùs ſublimati, ſecundùm ipſorum exigeotiam locere curaſtis; ſic ad Apoſtolicæ ſublimitatis apicem evocati ſubjectas Eccleſias illoſtrare ac inflammare curabitis, ut non ſit, qui ſe abſcondat à veſtro lumine & calore: relicturi talia poſt deceſſum veſtrum veſtigia ſanctitatis, quòd terra nativitatis veſtræ, quæ de felici jucundatur origine, de felici fine poterit feliciùs io Domino gloriari. Demùm Paternitatem veſtram & ſpeciali confidentia requirimus & rogamus, quateoùs noa & familiares noſtros, & ſtatum regni noſtri in ſermonibos & orationibus veſtris ſpecialiter habere dignemini commendatos.] Hactenùs Rex Angliæ ad Hadrianum Papam.

VI.
Fridericus cum exercitu deſcendit in Italiam.

Poſt hæc autem hoc anoo Fridericus Rex menſe Octobri a cum exercitu in Italiam deſcendit, atque ad evitandum tyranni oomen, quòd in tranſitu milites ob peouriam locis ſacris damnum haud mediocre intuliſſent, collecticia pecunia ſatisfaciendum curavit. Rem geſtam eodem tempore cooſignatam Otto Friſiogenſis qui aderat, ſic narrat: (a) Denique miles per clauſtra montium traoſiens, ob difficultatem locorum victui neceſſaria invenire nequiens, dum penuriam magnam (quod in exercitibus moleſtum eſſe ſolet) pateretur, nonnulla ſacra loca violarat. Ad hæc, qoamvis prædictam neceſſitudinis excuſationem habere viderentur, expianda, Rex in toto exercitu collectam fieri jubet, & ſic noo modicam coadunatam pecuniam per quoſdam religioſos viros duobus Epiſcopis, Tridentino ſcilicèt, & Brixinorenſi remittendam; ac per ſingula Sanctorum loca, quæ damnum paſſa fuerant, divideodam ſtatuit; pulchrè communi utilitati conſulens, pulchrè rectoris officium implens; ut maxima adorſurus negotia, ante omnia Rectorem & Plaſmatorem omnium, ſine quo nihil benè inchoatur, nihil proſperè conſummatur, placandum, ejuſque offenſam à populo ſuo avertendam intenderet.] Hæc ipſe Otto, qui res bellicas ab eo in Italia geſtas exactè pergit deſcribere, quem conſulat qui iſta cupit. Extat & Laudenſe ſcriptum antiquum Chronicon hoc anoo inchoatum ab auctore temporis hujus Ottone Morena qui præſens aderat, & abſolutum ab ejus filio Acerbo Morena de rebus geſtis à Friderico Imperatore in Italia uſque ad annum Redemptoris milleſimum centeſimum ſexageſimumoctavum. Sed quòd ſchiſmaticæ eſſet factionis homo, & addictiſſimus ſchiſmatico Imperatori, ſæpè altero pede claudicare cognoſcitur.

a *Otto in Frid. lib. 2. c. 11.*

Laudenſe Chronicon.

VII.

Hoc ipſo anno (b) vir Apoſtolicus ſanctitate clarus Vvicelinos Epiſcopus Aldemburgenſis, qui in Olſatia atque Vvandalia annis triginta Evangelium prædicavit antequàm crearetur Epiſcopus, uberesque ex ſuo Apoſtolatu fructus collegit, miraculis quoque celebris ex hac vita deceſſit.

b *Crant. hiſt. Eccl. Sax. lib. 6. c. 36. & ſupra c. 12. 13.*

Hoc itidem anno, ſexto Kalendas Iulii ex hac vita in cœlum migrat ſanctus Lambertus Epiſcopus Vencienſis in Gallia, qui ex monacho Lerinenſi ad regimen ejus Eccleſiæ à Deo vocatus, mira claruit ſanctitate, eademque plurimis miraculis illuſtrata. Res ab eo præclarè geſtæ ſcriptis mandatæ ſunt ab ejus æquali, qui complures ex illis ipſe vidit.

S. Lamberti obitus.

Quod ad res pertinet Orientales, hoc tempore (c) Almaricus Patriarcha Antiochenus infenſus redditur Rainaldo Principi Antiocheno, à quo tractatur ignominioſè nimis: nam in carcerem detruditur, & capite melle delibuto, muſcis exponitur ſub ardentiſſimo ſole. Liberatur tamen opera Baldoini Regis Hieroſolymorum. Sed ultus eſt Deus ſacrilegium, ingenti immiſſa penuria, traditoque eodem Principe in manus hoſtium. Sed hæc pluribus Tyrius.

c *Vvillelm. Tyr. lib. 18. c. 1. & 18.*
Patriarcha Antioc. quãta paſſus à Principe.

JESU CHRISTI ANNUS 1155. | HADRIANI PAP. IV. ANNUS 1. | FRIDERICI IMP. 1. MANUELIS IMP. 13.

I.
Hadrianus Papa coronat Frider. Imp.

Milleſimus centeſimus quinquageſimusquintus annus ſalutis agitur, Indictione tertia; quo Fridericus Imperator coronatur ab Hadriano Papa Romæ in baſilica ſancti Petri, decimoquarto Kalendas Julii. Sed quæ iſta præceſſerunt, & tractata ſunt inter ipſum & Hadrianum Papam, ſunt exactè deſcribenda: atque primùm quæ Romæ ſunt geſta, ex dicto ſæpè Vaticano codice, io quo ejuſdem Hadriani Papæ res ſunt conſignatæ, prodamus in locem. Quæ autem à Romanis Arnaldiſtis iterùm in Urbe bellum civile miſcentibus, atque ipſo Arnaldo, qui tempore Eugenii (ut vidimus) ſeſe turbulentus infudit in Urbem, & ſub Hadriano

quoque

quoque idem repetiit, ſunt perpetrata, ibi ita narrantur:

Arnaldus Hæreſiarcha denuò turbat Urbem.

In diebus (inquit auctor) illis, *Hadriani Papæ ſcilicèt*, Arnaldus Brixienſis hæreticus Urbem intrare præſumpſerat, & erroris ſui venena diſſeminans, mentes à ſimpliciſſima veritatis via ſubvertere conabatur: pro cujus expulſione ſupradicti Eugenius & Anaſtaſius Romani Pontifices plurimùm laboraverunt, ſed favore & potentis quorumdam perverſorum civium, & maximè Senatorum, qui tunc ad regimen à populo fuerant inſtituti, antedictus hæreticus munitus & tutus contra inhibitionem Hadriani Papæ in eadem Civitate procaciter morabatur, atque ipſi Hadriano, cæteriſque Patribus inſidiari cœpit, & publicè atrociter adverſari.

II. Ob Card. vulneratū Urba ſubjicitur interdicto.

Venerabilem namque virum domnum Gerardum presbyterum Cardinalem tituli ſanctæ Pudentianæ ad præſentiam ipſius Pontificis euntem, quidam ex ipſis hæreticis auſu temerario in Via ſacra invadere præſumpſerunt, & ad interitum vulneraverunt. Quapropter Pontifex ipſe civitatem Romanam interdicto ſuppoſuit, & uſque ad quartam feriam majoris hebdomadæ univerſa Civitas à divinis ceſſavit officiis. Tunc verò præfati Senatores compulſi à Clero & populo Romano acceſſerunt ad præſentiam ejusdem Pontificis, & ad ipſius mandatum, ſupra ſancta quatuor Evangelia juraverunt, quòd prædictum Arnaldum hæreticum, & alios ipſius ſectatores de tota Urbe Romana & ejus finibus expellerent, niſi ad mandatum & obedientiam ipſius Papæ redirent. Sic itaque ipſis ejectis, & civitate ab interdicto abſoluta, repleti ſunt omnes gaudio magno, laudantes Dominum pariter & benedicentes.

Romani reconciliati Hadriano Papæ.

In craſtinum autem, videlicèt in die Cœnæ Domini, concurrentes undique de more ad animæ peccatorum remiſſionis gratiam percipiendam, & ex peregrinis venit ad glorioſam Civitatem maxima populorum multitudo: cùm idem glorioſus Pontifex cum fratribus ſuis Epiſcopis & Cardinalibus, ac procerum immenſa turba de civitate Leonina, ubi à tempore ordinationis ſuæ fuerat commoratus, cum honorificentia magna exivit, & tranſiens per mediam Civitatem, univerſo ſibi populo congaudente, ad Lateranenſe palatium cum jucunditate pervenit, ibique die ipſo & ſequenti, feſta feria, & Sabbatho ſancto, Paſcha quoque, ac ſecunda, tertia, & quarta feria divina myſteria ſolemniter celebravit; atque in Lateranenſi palatio, ſecundùm antiquam conſuetudinē Paſcha cum diſcipulis ſuis feſtivè comedit. Celebrato itaque cum lætitia feſto, ſinguli ad propria cum gaudio redierunt.] Hæc ibi auctor præſens aſſiſtens (quiſquis fuerit) illorum temporum ſcriptor anonymus.

III. Vvillelmus Rex Siciliæ excommunicatur.

Inter hæc autem Hadrianus Papa novum Regem Siciliæ Vvillelmum ſolemniritu excommunicatione percellit Quænam ejus culpa præceſſerit, ita in eiſdē Hadriani Papæ rebus geſtis narratum invenimus: Eo tempore Vvillelmus Rex, Siciliæ contrà matrem & dominam ſuam ſacroſanctam Romanam Eccleſiam procaciter cornua erexit, & congregato exercitu, terram beati Petri fecit hoſtiliter invadi. Beneventanam itaque civitatem aliquamdiu ejus exercitus obſedit, & burgos ejus incendit. Deinde fines Campaniæ violenter ingrediens, Villam cepit, & caſtrum Babucum, aliaque immunita loca nihilominus expugnavit. Poſt has ergò & alias offenſas prædictus Hadrianus Papa Petri gladium exerens, ipſum Regem excommunicationis gladio percuſſit.] Habet vetus Chronicon monaſterii Foſſæ novæ in Latio, hoc anno per exercitum ejuſdem Regis crematum Ceperanum Kal. Junii, tertio Nonas ejuſdem incenſum Babucum, indeque Fruſinonem, & xii. Kal. Septembris combuſtum oppidum Arcis.

Intereà Fridericus Teutonicorum Rex magno cum exercitu Longobardiam intravit, & civitatem Terdonenſem diu obſedit: qua ſubjugata, celeriter properabat ad Urbem, & tanta feſtinantia, ut meritò credi poſſet magis hoſtis accedere quàm patronus.] Ita codex Vaticanus, in quo deſcripta ſunt Acta Hadriani Papæ, ubi & quæ ſequuntur:

IV. Fridericus in Urbem advētat.

Hoc igitur cognito, Hadrianus Papa, qui apud Viterbium reſidebat, deliberato cum fratribus ſuis & Petro Urbis Præfecto, atque Ottone Frangipane conſilio: miſit ei obviam Jacobum tituli ſanctorum Joannis & Pauli, & Gerardum tituli ſanctæ Pudentianæ presbyteros, & Gregorium diaconum ſanctæ Mariæ in porticu Cardinales, quibus & certa capitula dedit, & formam præfixit, qualiter cum ipſo pro Eccleſia deberent componere. Qui accepto mandato, cum feſtinatione proficiſcentes, eum apud S. Quiricum invenerunt, & accedentes ad ipſum, ab eo honorificè ſunt recepti, & in tentorium deducti. Poſt ſalutationem verò litteras ei Apoſtolicas porrexerunt, atque domini Papæ expoſuerunt mandata.

Arnaldus Hæreſiarcha in manus Pōtificis venit.

In quibus continebatur inter cætera, ut redderet eiſdem Cardinalibus Arnaldum hæreticum (in manus enim ipſius devenerat) quem Vicecomites Campaniæ abſtulerant à magiſtro Gerardo Cardinali diacono S Nicolai apud Otriculos, ubi eum ceperat, quem tamquàm prophetam in terra ſua cum omni honore habebant. Rex verò auditis domini Papæ mandatis, continuò miſſis apparitoribus, cepit unum de Vicecomitibus, aliiſque valdè perterritis, eumdem hæreticum in manus Cardinalium ſtatim reſtituit.] Quid autem poſt factum de Arnaldo, ex Ottone Friſingenſi illud conſtat, eumdem deveniſſe in manus Petri Urbis præfecti, ipſumque ab eo dignum in Urbe accepiſſe ſupplicium; ait enim: (a) Hæc & his ſimilia cum multis diebus, ideſt à morte Cæleſtini uſque ad hæc *Hadriani ſcilicèt Papa* inceſſanter & irreverenter *ab Arnaldo* agerentur tem-

a *Otto Friſ. in Frid. l. 2. c. 20.*

A tempora, cùmque ſententia paſtoenm juſtè in eum & canonicè prolata, ejus judicio tamquàm omninò auctoritatis vacua contemneretur; tandem in manus quorumdam incidens in Tuſciæ finibus captus, Principis examini, *Friderici ſcilicèt*, reſervatus eſt. Et ad ultimum à Præfecto Urbis ligno adactus, ac rogo in pulverem redacto cadavere, ne à ſtolida plebe corpus ejus venerationi haberetur, *cinis* in Tiberim ſparſus.] Hic finis nefandiſſimi hæreſiarchæ Urbis & Orbis perturbatoris, quem & hiſce (a) carminibus Ligurinus cecinit vates:

a *Lig. in Frid. l. 3.*

Arnaldi finis decantatus.

B *Unde etiam tamdem (neque enim reor eſſe ſilendum)*
Ne de funeſto repetatur poſtrà ſermo,
Judicio Cleri, noſtro ſub Principe victus,
Appenſuſque Cruci, flammaque cremante ſolutus
In cineres, Tiberine, tuas eſt ſparſus in undas,
Ne ſtolidæ plebis quem fecerat improbus error,
Martyris oſſa novo cinereſve foveret honore.]

Hæc ipſe. Pergunt autem Hadriani Acta:

V. Cæterùm ante adventum ipſorum Cardinalium idem Rex miſerat Arnoldum C Colonienſem, & Anſelmum Ravennatenſem Archiepiſcopos ad præſentiam ſupradicti Pontificis, ut de ipſius coronatione cum eo tractarent, & de aliis inſimul convenirent. Ideò reſponſum Cardinalibus dare non potuit, niſi priùs Archiepiſcopos quos miſerat, recepiſset. Pontifex autem, qui propter nimium ſuſpectum Imperatoris adductus, ad Urbevetanam civitatem natura loci munitiſſimam tranſire, & illic Imperatorem diſpoſuerat expectare: pro repentino & inopinato ejus adventu, in majorem ſuſpicionem cecidit. Sed cùm ad locum illum tutiſſimum jam ſecurè non D poſset tranſire; ad civitatem Caſtellanam feſtinanter aſcendit, æquè præſidium inexpugnabile. Ubi, ſi de perſona ejus Rex malè cogitaſset, iram illius ſecurè declinaret, & iniquos illius cogitatus facilè poſset eludere. Archiepiſcopi ſecuti ſunt eum, exponentes bonam Regis voluntatem, quam erga eum & totam Romanam Eccleſiam habebat, & alia quæ erant ipſis impoſita, nihilominùs oſtendentes. Quibus Pontifex de conſilio fratrum ſuorum dixit: Niſi priùs recepero fratres meos Cardinales, quos ad Regem delegavi, nullum reſponſum vobis dabo. E

VI. Cardinales Legati eodem modo à Friderico dimiſſi, & Archiepiſcopi à Pontifice infecto negotio redeuntes obviaverunt ſibi, dicentes ad invicem, quòd propter eorum abſentiam reſponſum ab utraque parte dilatum fuerat. Ideòque habito inter ſe deliberationis conſilio, ſimul venerunt ad præſentiam Regis in campo Viterbienſi, ubi Rex caſtra poſuerat. Venerat autem ad eum Octavianus tituli ſanctæ Cæciliæ presbyter Cardinalis, non miſſus à Pontifice, ſed dimiſſus, jam parans ſeditionem ex ſchiſmaticis. Poſtquàm verò dicti Cardinales intraverunt ad Regem, ut haberetur conſilium ſuper eorum legatione de ſatisfaciendo mandato Romani Pontificis; idem Octavianus quod hauſerat virus vomere cœpit, & pacem turbare: ſed brevi oratione validè repreſſus eſt à fratribus Cardinalibus, & ſicut dignus erat, multa eſt confuſione reſperſus.] Erat hic Romanus, genere nobilis, nempè ex Tuſculanorum Comitum progenie oriundus, alter Judas, utpotè qui in Pontificem, ipſamque Romanam Eccleſiam, & collegium Cardinalium ſemper, cùm B potuit, aliquid moliri conatus eſt, ut quæ dicentur inferiùs, manifeſtiùs declarabunt. Quæ autem hæc ſint ſecuta: ita eadem Acta ſignificant:

Octavianus Card. perturbator arguitur.

VII. Tandem adverſario confutato, & ſalubri conſilio comprobato, Rex omnium procerum, & militum ſuorum Curiam maximam congregavit, & in præſentia eorumdem Cardinalium allata ſunt ſacra pignora, Crux & Evangelia, ſuper quæ nobilis quidam miles de cæteris electus, cùm juratus & tertiò jurare juſſus eſset in animam ſuam, & ejuſdem Regis: juravit vitam & membra non auferre, ſed con- C ſervare Papæ Hadriano, & Cardinalibus ejus omnia ſibi debita jura, nec malam captionem facere, nec honorem, nec bona ſua auferre ab eis, nec auferri permittere. Sed & ſi quis auferre vellet, omnimodè prohibere, & contradicere. Poſt illatam verò injuriam pro poſse ſuo & abdicare facere & emendare, atque conſervare. Hoc itaque juramento (ſicuti dictum eſt) & à Rege præſtito, & à Cardinalibus ipſis cum alacritate recepto, accepta licentia, concito gradu Cardinales ſunt reverſi ad ſummum Pontificem, univerſa quæ fecerat ſibi & fratribus ſuis, cum di- D ligentia referentes. Placuit ergò ſummo Pontifici & ejus collateralibus, quòd talis ſecuritas ei à Rege data, & per conſilium Principum ſuorum firmiter eſt roborata. Ideòque omni mala ſuſpicione ſublata de medio, regiæ petitioni de imponenda ipſi Imperii corona benignè annuit, & ut ſe invicem viderent, locus congruus, & dies certus ab utraque parte ſtatutus eſt.

A Friderico præſtitutum juramentum fidelitatis Papæ.

VIII. Perrexit igitur Rex cum exercitu ſuo in territorium Sutrinum, & caſtrametatus eſt in campo Craſſo: Pontifex autem civitatem Nepeſinam deſcendit. Et ſecundo E die, occurrentibus multis Teutonicorum Principibus, complurima laicorum & clericorum multitudine ad ſæpedictum Regem cum Epiſcopis & Cardinalibus uſque ad ipſum tentorium cum jucunditate eſt deductus. Cùm autem Rex de more eidem Papæ officium ſtratoris non exhiberet, Cardinales turbati & valdè perterriti, abierunt retrorſum, & in prædictam civitatem Caſtellanam ſe receperunt, relicto Pontifice in territorio Regis. Quocircà dominus Papa turbatus, & quid ſibi foret agendum, incertus, licèt triſtis, deſcendit,

Occurſus Pontificis cum Rege.

& in

& in præparato ſibi faldiſtorio ſedit. Tunc Rex ad ejus veſtigia procidit, & deoſculatis pedibus, ad pacis oſculum accedere voluit: cui idem Pontifex protinùs locutus eſt in iſta verba.

Ut Reges & Imperatores Romani inſerviant Papæ.

Quandoquidem tu mihi illum conſuetum & debitum honorem ſubtraxiſti, quem prædeceſſores tui Orthodoxi Imperatores pro Apoſtolorum Petri & Pauli reverentia prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus exhibere uſque ad hæc tempora conſueverunt: donec mihi ſatisfacias, ego te ad pacis oſculum non recipiam. Rex autem reſpondit, & dixit, ſe hoc facere non debere. Ea propter, remanente ibidem exercitu, totus ſequens dies ſub iſtius rei varia collocutione decurrit. Tandem requiſitis antiquioribus Principibus, qui cum Rege Lothario ad Papam Innocentium venerant, & priſca conſuetudine diligenter inveſtigata, ex relatione illorum, & veteribus monimentis judicio Principum decretum eſt, & communi favore totius regalis Curiæ roboratũ, quòd idem Rex pro Apoſtolorum prædictorum reverentia prædicto Papæ Hadriano exhiberet ſtratoris officium, & ejus ſtreguam, *ſuppedaneum ſcilicet*, teneret ad conſcendendum in equum.

Rex implet munus ſtratoris.

Alia igitur die Regis mota ſunt caſtra, & in territorium Nepeſinum juxta locum, qui dicitur Tabuls, fuerunt tranſlata, ſicut à Principibus fuerat ordinatum. Rex Fridericus præceſſit aliquantulùm, & appropinquante domino Papa tentorio Regis, per aliam viam tranſiens deſcendit, & occurrens Rex ei, quantum eſt jactus lapidis, in conſpectu exercitus officium ſtratoris cum jucunditate implevit, & ſtreguam fortiter tenuit. Tùm verò Pontifex eumdem Regem ad pacis oſculum primò recepit.] Hactenùs Acta de rebus extra Urbem effectis. Ita quidem obſequentem ſe in omnibus piè ſanctèque præbuit Pontifici Fridericus, ne prætermittamus in eo quæ ſunt laudanda laudare, ſicut & conſuevimus deteſtari in eodem, quæ abhorrent à pietate.

IX. *De legatione à Rom. miſſa.*

Jam verò Romanorum Arnaldiſtarum legationem ad eumdem Fridericum Regem tunc allatam audiamus, referente eam Ottone Epiſcopo Friſingenſi, qui ait: (a) At Romanorum cives de Principis adventu cognoſcentes, prætentandum ipſius animum legatione adjudicarunt. Ordinatis ergò Legatis induſtriis & litteratis, qui eum inter Sutrium & Romam adirent, accepto priùs de ſecuritate viatico, ſicque præſentatis regalia excellentiæ Conſiſtorio viris, taliter adorſi ſunt.

a Otto Friſ. l.2.c.21.

Oratio legatorum Romanorum.

Urbis Legati nos, Urbis non parvum momentum, Rex optime, ad tuam à Senatu populoque Romano deſtinati ſumus excellentiam. Audi ſerenâ mente, benignis auribus, quæ tibi ab alma Orbis domina deferuntur Urbe, cujus in proximo, adjuvante Deo, futurus es Princeps Imperator & dominus. Pacificus ſi veniſti, immò quia (ut arbitror) veniſti, gaudeo.

A Orbis Imperium affectas, coronam præbitura gratanter aſſurgo, jocanter occurro. Cur enim ſuum viſitaturus populum non pacificè adveniret, non glorioſa munificentia reſpiceret, qui indebitum clericorum excuſſurus jugum, ipſius magna ac diutina expectatione præſtolatus eſt adventum? Revertantur opto, priſtina tempora; redeant rogo, inclytæ Urbis privilegia: Orbis Urbs ſub hoc Principe recipiat gubernacula, refrænetur hoc Imperatore, ac ad Urbis reducatur monarchiam Orbis inſolentia. Tali rector Auguſti ſicut nomine, ſic induatur & gloria.

B Scis quòd Urbs Roma ex Senatoriæ dignitatis ſapientia, ac Equeſtris ordinis virtute ac diſciplina à mari uſque ad mare palmites extendens, non ſolùm ad terminos Orbis dilatavit, quin etiam inſulas extra Orbem poſitas Orbi adjiciens, principatus illic propagines propagavit. Non illos procelloſi fluctus æquorum, non hos ſcopuloſæ & inacceſſibiles rupes Alpiũ tueri poterãt; Romana virtus indomita cuncta perdomuit. Sed exigentibus peccatis, longè poſitis à nobis Principibus noſtris, nobili illo antiquitatis inſigni (Senatum loquor) ex inerti quorumdam deſidia neglectui dato, dormitante prudentia, vires quoque minui neceſſe fuit. Aſſurrexi tuæ ac divæ Reipublicæ profuturum gloriæ ad ſacroſanctum Urbis Senatum, Equeſtremque ordinem inſtaurandum, quatenùs hujus conſiliis, illius armis, Romano Imperio, tuæque perſonæ antiqua redeat magnificentia. Numquid hoc placere non debebit tuæ nobilitati? Nonnè etiam remunerabile judicabitur tàm inſigne facinus, tàmque tuæ competens auctoritati? X.

C

Audi ergò Princeps patienter & clementer pauca de tua ac de mea juſtitia, priùs autem de tua quàm de mea. Etenim ab Jove principium. Hoſpes eras, civem feci: advena fuiſti, ex tranſalpinis partibus Principem conſtitui. Quod meum jure fuit, tibi dedi. Debes itaque primò ad obſervandas meas bonas conſuetudines, legeſque antiquas mihi ab anteceſſoribus tuis Imperatoribus idoneis inſtrumentis firmatas, ne barbarorum violentur rabie, ſecuritatem præbere, officialibus meis, à quibus tibi in Capitolio acclamandum erit, uſque ad quinque millia librarum expenſam dare, injuriam à Republica etiam uſque ad effuſionem ſanguinis propellere, & hæc omnia privilegiis munire, ſacramentique interpoſitione propria manu confirmare.

D

E

Ad hæc Rex tàm ſuperbo quàm inuſitato orationis tenore juſta indignatione inflãmatus, curſum verborum illorum de ſuæ Reipublicæ ac Imperii juſtitia, more Italico longa continuatione, periodorumq; circuitibus ſermonem producturum interrupit, & cum corporis modeſtia, oriſque venuſtate regalem ſervans animum, ex improviſo non improviſè reſpondit.

XI. *Quid Fridericus ad Legatos Roma miſſos.*

Multa de Romanorum ſapientia ſeu fortitudine hactenùs audivimus, magis tamen de ſapientia. Quare ſatis mirari non poſſumus,

ſumus, quòd verba veſtra plus arrogantiæ tumore inſipida, quàm ſale ſapientiæ condita ſentimus. Antiquam tuæ proponis Urbis nobilitatem, divæ tuæ Reipublicæ veterem ſtatum ad ſidera ſuſtollis. Agnoſco, agnoſco, ut & tui Scriptoris verbis utar, fuit, fuit quondam in hac Republica virtus; quondam dico, atque ò utinam tàm veraciter, quàm libenter, nunc dicere poſſemus. Senſit Roma tua, immò & noſtra viciſſitudines rerum: ſola evadere non potuit æterna lege ab Auctore omnium ſancitam cunctis ſub lunari globo degentibus ſortem. Quid dicam? Clarum eſt, qualiter primo nobilitatis tuæ robur ab hac noſtra Urbe translatum ſit ad Orientis urbem regiam, & per annorum curricula ubera deliciarum tuarum Græculus eſuriens ſuxerit. Supervenit Francus, verè nomine & re nobilis, eamque quæ adhùc in te reſidua fuit, ingenuitatem fortiter eripuit. Vis cognoſcere antiquam tuæ Romæ gloriam, Senatoriæ dignitatis gravitatem, tabernaculorum diſpoſitionẽ, Equeſtris ordinis virtutem & diſciplinam, ad conflictum procedentis intemeratam ac indomitam audaciam? Noſtram intuere Rempublicam, penes nos cuncta hæc ſunt. Ad nos ſimul omnia hæc cum Imperio dimanarunt. Non ceſſit nobis nudum Imperium, virtute ſua amictum venit, ornamenta ſua ſecum traxit. Penes nos ſunt Conſules tui, penes nos eſt Senatus tuus, penes nos eſt miles tuus. Proceres Francorum ipſi te conſilio regere, Equites Francorum ipſi tuam ferro injuriam propellere debebunt.

XII. Gloriaris me per te vocatum eſſe: me per te primò civem, poſt Principem factum: quod tuum erat à te ſuſcepiſſe. Quæ dictis novitas, quàm ratione abſona, quàm veritate vacua ſit, æſtimationi tuæ prudentumque relinquatur arbitrio. Revolvamus modernorum Imperatorum geſta, ſi non divi noſtri Principes Carolus & Otto nullius beneficio traditam, ſed virtute expugnatam, Græcis ſeu Longobardis Urbem cum Italia eripuerint, Francorumque appoſuerint terminis. Docent hæc Deſiderius & Berengarius tyranni tui, in quibus gloriabaris, quibus tamquàm Principibus innitebaris. Eos à Francis noſtris non ſolùm ſubactos & captos fuiſſe, ſed & in ſervitute ipſorum conſenuiſſe, vitam finiſſe, vera relatione didicimus. Cineres ipſorum apud nos reconditi evidentiſſimum hujus rei repræſentant indicium. Sed dicis: Vocatione mea veniſti. Fateor, vocatus fui. Redde cauſam, quare vocatus fuerim. Ab hoſtibus pulſabaris; nec propria manu, Græcorumve mollitie liberari poteras: Francorum virtus invitatione adſcita eſt. Implorationẽ potiùs quàm vocationem hanc dixerim. Implorasti miſera felicem, debilis fortem, invalida validũ, anxia ſecurum. Eo tenore vocatus (ſi vocatio dicenda eſt) veni. Principem tuum militem meum feci, teque deinceps uſque in præſentiarum in meam ditionem tranſfudi. Legitimus poſſeſſor ſum: eripiat quis ſi poteſt, clavam de manu Herculis. Siculus, in quo confidis, fortè hæc faciet? Ad priora reſpiciat exempla. Nondum facta eſt Francorum ſive Teutonicorum manus invalida: Deo largiente, vitaque comite, & ipſe temeritatis ſuæ quandoque capere poterit experimenta.

XIII. Juſtitiam tuam quam tibi debeam, exquiris. Taceo quòd Principem populo, non populum Principi leges præſcribere oporteat. Prætermitto, quòd quilibet poſſeſſor poſſeſſionem ſuam ingreſſurus, nullum conditionis præjudicium pati debeat. Ratione contendamus. Proponis (ut mihi videtur) trium ſacramentorum exactionem. De ſingulis reſpondeo. Dicis me debere jurare, ut leges anteceſſorum meorum Imperatorum eorum privilegiis tibi firmatas, & bonas conſuetudines tuas obſervem. Apponis etiam, quòd patriæ uſque ad periculum capitis tuitionem jurem. Ad iſta duo ſimul reſpondeo. Ea quæ poſtulas, aut juſta ſunt, aut injuſta. Si injuſta ſunt, nec tuum erit poſtulare, nec meum concedere: ſi juſta, recognoſco me hæc & debendo velle, & volendo debere. Quare ſuperfluum erit voluntario debito, & debitæ voluntati ſacramentum apponere. Quomodò enim tibi tuam juſtitiam infringerem, qui quibuslibet infimis, etiam quod ſuum eſt, ſervare cupio? Quomodò patriam, & præcipuè Imperii mei ſedem uſque ad periculum capitis non defenderem, qui & ipſius terminos non ſine ejuſdem periculi æſtimatione (quantum eſt in me) reſtaurare cogitaverim? Experta eſt hoc Dania nuper ſubacta, Romanoque reddita Orbi, & fortaſsè plures provinciæ, pluraque ſenſiſſent regna, ſi præſens negotium non impediſset.

XIV. Ad tertium venio capitulum. Affirmas pro pecunia quadam juramentum præberi à mea debere perſona. Proh nefas! A tuo, Roma, exigis Principe, quod quilibet lixa potiùs petere deberet ab inſtitore. A captivis hæc penes nos exiguntur. Num in captivitate detineor? Num vinculis hoſtium urgeor? Nonnè multo & forti ſtipatus milite inclytus ſedeo? Cogetur Princeps Romanus contra ſuam voluntatem cujuslibet præbitor eſse, non largitor? Regaliter & magnificè hactenùs mea cui libuit, & quantum de nis, & præcipuè benè de me meritis dare conſuevi. Sicut enim à minoribus debitum ritè expetitur obſequium, ſic à majoribus meritum juſtè rependitur beneficium. Hunc, quem alibi à divis parentibus meis acceptum ſervavi morem, civibus cur negarem, Urbemque meo introitu lætam non facerem? ſed meritò non juſta injuſtè petenti cuncta juſtè negantur. Hæc dicens, & non ſine condigna mentis indignatione orationem terminans conticuit.

XV. Porrò quibuſdam ex circumſtantibus inquirentibus ab his qui miſſi fuerant, an plura dicere vellent: paulìſper deliberantes, in dolo reſponderunt, ſe priùs ea quæ audierant, concivibus ſuis referre, & tunc demùm ex conſilio ad Principem redire

Redeunt Legati Romanorum in Urbem.

dire

dire velle: Sic accepto commeatu, à Curia egredientes ad Urbem cum feſtinatione revertimur. Rex dolum præſentiens, conſulendum ſuper hoc negotio patrem ſuũ Romanum Pontificem decernit. Cui ille: Romanæ plebis, fili, adhùc melius experieris verſutiam. Cognoſces enim in dolo eos veniſſe, & in dolo ſediſſe, ſed Dei nos adjuvante clementia dicentis: (a). Comprehendam ſapientes in aſtutia ſua, prævenire eorum poterimus verſutas inſidias. Maturato igitur præmittantur fortes & gnati de exercitu juvenes, qui Eccleſiam beati Petri Leoninumque occupent caſtrum. In præſidiis equites noſtri ibi ſunt, qui eos cognita voluntate noſtra, ſtatim admittent; Prætereà Octavianum Cardinalem presbyterum, qui de nobiliſſimo Romanorum deſcendit ſanguine, fideliſſimum tuum eis adjungemus. Sicque factum eſt. Eliguntur proxima nocte penè uſque ad mille armatorum equitum lectiſſimi juvenes, ſummoque diluculo Leoninam intrantes Urbem, Eccleſiam beati Petri, veſtibulum, & gradus occupaturi obſervent. Redeunt ad caſtra nuntii, hæc læta reportantes. Hucuſque Otto. In (b) litteris ipſius Friderici ad eumdem Ottonem de rebus à ſe geſtis hæc adiiciuntur: Octaviano Cardinale presbytero conducente, maxima pars militiæ noſtræ nocte per portam parvulam juxta ſanctum Petrum intravit, & ſic monaſterium ſancti Petri præoccupavit:] Inde Otto cætera de Imperatoris coronatione ſummatim perſtringit, quæ paulò latiùs in Actis ipſius Hadriani Papæ ita narrantur:

a 1. Cor. 3.

b Apud Otton. ante lib. 1. de rebus geſtis Frid. Imp.

XVI. Hadrianus cum Friderico Romã venit.

Poſt hæc autem verſus Urbem ſimul procedentes, pro eo quòd ab eis populus Romanus diſcordabat (licèt munitionem beati Petri in poteſtate ſua Pontifex detineret) placuit tamen, ut in manu valida civitatem Leoninam Rex intraret. Poſitis igitur extemplo caſtris, & deliberato feſtinanter conſilio, atque diſpoſitis quæ ad coronationem opus erant: eadem die ante horam tertiam Rex ad gradus ſancti Petri armatorum maxima multitudine ſtipatus acceſſit: ibique depoſitis veſtibus, quas gerebat, ſolemniori ſe habitu induit, & ad Eccleſiam beatæ Mariæ in Turri, in qua eum ante altare Pontifex expectabat, profectus eſt. Et manus imponens, conſuetam profeſſionem, & plenariam ſecuritatem (ſecundùm quod in Ordine continetur) publicè exhibuit ipſi Pontifici. Relicto ibidem Rege Pontifex ad altare beati Petri conſcendit. Cujus veſtigia Rex cum proceſſione ſubſequens ad altare per portas argenteas orationem intra Eccleſiam in Rota porphyretica ſuper eumdem Regem dixit primus Epiſcopus Cardinalis, alius ex Epiſcopis dixit aliam, tertiam verò tertius Epiſcopus dixit, & unctionem ante confeſſionem beati Petri nihilominùs contulit.

XVII. Miſſaque incœpta, & Graduali poſt Epiſtolam decantato, Rex ad Pontificem co-

A ronandus acceſſit, & præſentatis Imperialibus ſignis, gladium, ſceptrum, atque Imperii coronam de manibus ejuſdem Papæ ſuſcepit. Quo facto, ſtatim tam vehemens, & fortis Theutonicorum conclamantium in vocem laudis, & lætitiæ vox emiſſa concrepuit, ut terribile tonitruum de cœlo crederetur cecidiſſe.] Tempus autem coronationis Friderici Otto Friſingenſis ita conſignat: (c) Cum benedictione debita imperii coronam accepit anno regni ſui quarto, menſe Junio, xiv. Kalendas Julii, cunctis qui aderant, acclamantibus, Deumque ſuper tàm glorioſo facto glorificantibus.] Amplius his verò B ipſe Fridericus in epiſtola ad Ottonem de rebus à ſe geſtis hæc habet de die: Miſſa celebrata ad altare ſanctorum Apoſtolorũ Petri & Pauli in honore ſanctæ Mariæ Virginis, quia Sabbathum erat, benedictionem coronæ Romani Imperii largiter ſuper caput noſtrum effudit.] Hæc ipſe. Pergunt Acta. His igitur ante horam nonam in pace & tranquillitate peractis: populus Romanus, qui clauſis portis apud caſtrum Creſcentii reſidebat armatus, ignorans quæ facta fuerant, ſine conſilio & deliberatione majorum, ad civitatem Leo- C ninam paulatim aſcendit, & eorum qui remanſerant in porticu, ſpoliis violenter detractis, omnes quos reperit uſque ad Imperatoris caſtra perſequendo fugavit.

Fridericus coronam accepit.

c Otto in Frid. lib. 2 c. 22.

XVIII. Prœlium inter Romanos & Germanos

Invaleſcentibus autem clamoribus, eorumdemque reſonante inopinato tumultu, Teutonicorum exercitus ad arma velociter convolavit: ſtrictis mucronibus ab utraque parte acriter dimicatur. Quid plura? cæſi ſunt multi, & plurimi capti. Tandem populus ipſe non ſine multorum ſuorum jactura intra portas ipſius caſtri ſeipſum recepit. Pontifex autem ſicut beni- D nigniſſimus Paſtor ac pius Pater ſuper tanto exceſſu valdè triſtis, eidem populo, tamquàm ſuo gregi debita charitate compaſſus eſt. Cujus caſum relevare deſiderans, pro liberatione ſuorum omnium apud ejuſdem Imperatoris clementiam diutiùs laboravit, & affectuoſas preces inſtanter facere non ceſſavit, donec univerſos Urbis captivos de manibus Teutonicorum ereptos in poteſtatem Urbis Præfecti Petri reſtitui fecit.

Egreditur Papa cum Imp. in Sabinos.

De cætero autem Imperator ſimul ac Pontifex exeuntes de finibus Urbis, per E campeſtria juxta Tiberim proceſſerunt ad vadum de Manliano, ibique fluvium ipſum cum exercitu tranſeuntes, intraverunt Sabinenſem Comitatum, & per Farfam & Caſtrum Depoli tranſitum facientes, in vigilia beati Petri pervenerunt ad pontem Lucanum, in quo nimirùm loco pro tàm glorioſæ ſolemnitatis celebritate moram facere decreverunt. Et ut Eccleſia Dei & Imperium decore ampliori elateſcerent, cum deliberatione ſtatutum, ut ad laudem Dei, & exultationem Chriſtiani populi prædictus Romanus Pontifex &

Imperator

Imperator ad Miſſarum ſolemnia in illa die pariter coronati procederent. Dignum namque ſatis erat, ut illorum duorum Principum Apoſtolorum ſolemnia, duo ſummi Urbis Principes, cum lætitia & magno gaudio celebrarent eorum, qui ſuſcepta Domino poteſtate ligandi atque ſolvendi, portas cœli claudunt & aperiunt quibus volunt.

XIX. Tiburtini dedunt ſe Imp.

Tunc verò Tiburtini tamquàm perfidi & contumaces à dominio & juriſdictione beati Petri ſe ſubtrahere cupientes, poſtpoſita fidelitate, quam domino Papæ Hadriano, atque ejus ſucceſſoribus juraverant, ad præſentiam ipſius Imperatoris accedere præſumpſerunt, & clavibus civitatis ei aſſignatis, ſeipſos cum civitate Tiburtina juri & dominio ejus tradiderunt. Quod factum Pontifex cum tota Romana Eccleſia nimiùm graviter & omninò intolerabiliter ferens, ſuper tanta injuria B. Petro abſque aliqua rationabili cauſa illata cum eodem Imper. conqueſtus eſt, & ut civitatem ipſam, quæ ab antiquo jure beati Petri eſſe dignoſcitur, ſibi reſtitueret, ipſum tamquàm proprium Romanæ Eccleſiæ Advocatum attentiùs exoravit. Auguſtus autem habito cum Principibus ſuis conſilio, & cognita rei veritate: illicò civitatem ipſam ipſi reſtituit, & per litteras quæ inferiùs annotantur, eiſdem Tiburtinis injunxit, quatenùs eidem Papæ, tamquàm domino & patri ſuo fideliter obediant, & ſervire omninò ſtudeant. Ita quidem, ne ſicut Romanos, ita & Romanum adversùs ſe Pontificem concitaret, in cujus manu eſſe Principem Capuæ, Ducem Apuliæ, & ipſum denique juncto fœdere Regem Siciliæ commovere. Præceptio autem facta tunc Tiburtinis ita ſe habet:

Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus univerſis civibus Tiburtinis gratiam ſuam & bonam voluntatem &c.

Frid. Imp. conſtitutio ut Tiburtini obediant Papæ.

Univerſitatem veſtram noſſe volumus, quòd ob beati Petri principis Apoſtolorum reverentiam, dilectiſſimo atque in Chriſto reverendiſſimo Patri noſtro Hadriano Papæ civitatem dimiſimus Tiburtinam, ſalvo tamen ſuper omnia jure Imperiali. Hujus rei gratia omnes & ſingulos Tiburtinos a fidelitate, quam nuper nobis juraſtis, abſolvimus, attentiùs vobis præcipiendo mandantes, quatenùs eidem venerabili Papæ fideliter aſſiſtatis, devotè ſerviatis, atque ſicut domino veſtro devotè obedire ſtudeatis, ſcientes, ſicut jam dictum eſt, à juramento fidelitatis, quod nuper feciſtis, vos abſolutos, ſalvo in omnibus jure Imperiali &c.] Et quidem laude digniſſima. Pergunt Acta:

XX.

At quoniam æſtivus calor jam nimis excreverat, & maxima multitudo ipſius exercitus propter intemperiem inſueti aeris, vel mortis periculum, vel exitialem infirmitatem incurrebat; communis voluntas, & inſtans petitio Principum fuit, ut Imperator ad propria (quod & factum eſt) ſine dilatione rediret.] Hæc Acta.

Felices progreſſus Friderici Imp.

Otto autem conflictum inter Romanos & Germanos pluribus proſecutus eſt, & reliqua, quæ redeunti Imperatori contigerunt in via, cùm ei dimicandum fuit adversùs Spoletinos, ab eodem Imperatore ſuperatos, & adversùs latrones fauces Alpium obſidentes, aliaque nonnulla, quæ tu ſi cupis, pro arbitrio eumdem Ottonem conſulas, & de his etiam epiſtolam ejuſdem Imperatoris. Incredibile dictu, quàm proſpera cuncta ceſſerint Imperatori, quouſque de Romana Eccleſia benè meritus eſt. Nam audi ipſum in epiſtola ad Ottonem iſta prædicantem cùm agit de reditu ſuo: Inde venimus Spoletum, & quia rebellis erat, & Comitem Guidonem Guerram, & cæteros Nuntios noſtros in captivitate tenebant, aſſultum ad civitatem fecimus. Mirabile & inſcrutabile judicium Dei. A tertia uſque ad nonam minutiſſimam civitatem, quæ penè centum turres habebat, vi cepimus, igne videlicèt & gladio, & infinitis ſpoliis acceptis, pluribus igne conſumptis, funditùs eam diſtruximus. Inde euntes verſus Anconam, Palæologum nobiliſſimum Principem Græcorum, & Maroducum ſocium ejus, cum cæteris Nuntiis Conſtantinopolitanis obvios habuimus. Qui ut in Apuliam iremus, & hoſtem utriuſque Imperii Vvillelmum potentia virtutis noſtræ contercre vellemus, infinitam pecuniam nobis dare ſpoponderunt. Quia verò militia noſtra propter multos labores, & bella nimis atrita fuit: placuit magis Principibus redire, quàm in Apuliam deſcendere.] Sed ad res geſtas Hadriani Papæ revocetur oratio.

XXI. Vocatur Hadrianus Pap in Cãpaniam.

Quænam autem fuerint anni hujus Hadriani Papæ rerum geſtarum reliqua, ex iiſdem Actis ſic accipe: Eodem tempore prædictus Rex Siciliæ, poſtquàm excommunicationis ſententia percuſſus eſt, in contemptu cæpit haberi à ſuis, & cùm ſalubria fidelium ſuorum conſilia de ſatisfactione præſtanda contemneret, in ſua elatione & fatuitate ferè ſolus remanſit. Quippè majores ejus, Comites, ac Barones in majoribus Apuliæ civitatibus, ubì à tanta cum perverſitate revocare nullatenùs potuerunt; eo relicto, Nuntios ſuos ad dominum Papam Hadrianum, tamquàm ad principalem dominum deſtinarunt, rogantes, ut ad illas partes dignaretur accedere, & terram eam, quæ beati Petri juris eſſe dignoſcitur, & perſonas, ac eorum bona in manu & poteſtate ſua reciperet. Tunc Pontifex ſuper his habito cum fratribus conſilio, congregata Comitum & aliorum Baronum nobilium tàm de Urbe quàm de Campania, & aliis circumjacentibus locis decora militia: circa feſtum ſancti Michaelis menſis Septembris, deſcendit ad ſanctum Germanum, ubi recepta fidelitate & homagio à Roberto Principe Campano, & Andrea Comite, aliiſque illarum partium nobilibus, præmiſit eos ante faciem ſuam, ut præpara-

para-

Digitized by Google

parারent viam ei & prava in directa facerent, & aſpera in vias planas. Ipſe verò poſt aliquot dies per caſtrum Mignani, & per Capuanam civitatem tranſitum faciens, uſque ad Beneventum, Domino comite proceſſit, & omnes ferè illarum partium Barones, eorumque terras, & circumpoſitas civitates ad fidelitatem B. Petri & ſuam, tamquàm principalis dominus in eadem civitate recepit.

XXII. Vvillelmus Rex Siciliæ reſipiſcit.

Intereà Imperator Græcorum de theſauro pecuniam per quemdam Principem ſuum nomine Palæologum miſit Anconam. Scripſit eidem Pontifici, rogans & petens ab eo, ut de civitatibus Apuliæ, quæ ſitæ ſunt in maritimis, tres eidem Imperatori eo tenore concederet, ut ipſe ad expugnandum dictum Regem, & de tota Sicilia expellendum ſufficientes eidem Pontifici vires tàm in pecunia, quàm in militibus & aliis armorum præſidiis indeficienter conferret. Pro iis ergò, quæ contra dictum Regem quotidiè tractabantur, Vvillelmus erroris ſui pœnitentia ductus, ad matris ſuæ ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & domini & Patris ſui ejuſdem Romani Pontificis obedientiam redire cum omni humilitate diſpoſuit. Quocircà Electum Catanenſis Eccleſiæ cum quibuſdam de majoribus aulæ ſuæ ad præſentiam ipſius Pontificis acceſſurum uſque Salernum tranſmiſit. Quibus plenariam poteſtatem dedit, ut gratiam & pacem domini Papæ ab eo humiliter quærerent, & ſatisfactionem plenariam, quæ continetur inferiùs, cum firma ſecuritate ipſi præſtarent.

XXIII. Conditiones propoſitæ à Vvillelmo Papæ.

Inprimis petebat abſolvi ſecundùm Eccleſiæ morem; deinde homagium & fidelitatem eidem Pontifici facere promittebat, & quod omnes quoque terræ ſuæ Eccleſias cum plenaria libertate reſtitueret, tria caſtra pro illis dandis, Paludum videlicèt, Montem Fuſculum, & Muronem cum pertinentiis ſuis in propriam hæreditatem Eccleſiæ Romanæ daret. Romam præthereà, quæ tunc adverſabatur Pontifici, ſuis armis & pecunia eidem domino Papæ ſubjugaret: poſt recuperatam domini Papæ & ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ gratiam, tantum pecuniæ, quantum Græci obtulerant, largiretur. Auditis itaque Pontifex hujuſmodi oblationibus, venerabilem virum Hubaldum presbyterum Cardinalem tituli ſanctæ Praxedia tunc Oſtienſem Epiſcopum dominus Papa tranſmiſit Salernum, quatenùs à præfatis Nuntiis inquireret, ſi ea quæ fuerunt promiſſa, veritate certa innitterentur: & quod inveniret, ſibi referret. Factum ita eſt, & redeunte Epiſcopo Cardinali, omnia quæ promiſſa ex parte Regis fuerant, inventa vera ſunt, & ad complendum parata. Bonum igitur viſum eſt eidem Pontifici, ut tàm utilis concordia, & cum tàm magno honore Eccleſiæ compoſita in deberet admitti, Sed quia major pars fratrum alta nimis & omninò incerta ſantiens, conſentire nullatenùs voluit diſturbatum eſt totum quod oblatum fuerat, & penitùs refutatum.] Repugnabant enim Cardinales illi qui addicti erant Imperatori, & non niſi quod ipſi placere ſcirent, probandum putabant: in reliquis autem ſe adverſarios objiciebant. Quod ſæpè factum ab eis in maximum Romanæ Eccleſiæ detrimentum.

XXIV.

At quamvis quæ ex Actis Hadriani Papæ ſunt recitata, vera omninò eſſe reperiantur; multa tamen in eis prætermiſſa eſſe noſcuntur memoria digna. Viſum eſt totius rei geſtæ ſeriem petere à certo auctore hujus temporis accuratè ſcriptam, à Vvillelmo nimirùm Tyrio (a) Archiepiſcopo, in quo tamen aliqua ſunt elucidatione digna: qui rex geſtas ſic auſpicatur ab ovo: His diebus inter dominum Papam Hadrianum (de quo prædiximus) & Regem Siciliæ dominum Vvillelmum domini Rogerii bonæ memoriæ filium graves ex cauſis quibuſdam ortæ erant inimicitiæ, & in guerram noxiam rex prodierat, ita ut ſententiam excommunicationis dominus Papa in eum jacularetur.] Et paulò pòſt: Intereà Rex Siciliæ Beneventanam urbem, Eccleſiæ Romanæ familiare domicilium principibus ſuis mandat obſidere, & urgentiſſimis anguſtiis ejus præcipit arctari habitatores. Quod verbum dominus Papa moleſtè ferens ſupra modum vicem ei æqua lance volens refundere, Principes proprios contra eum nititur armare: nec in ea parte fraudatus eſt deſiderio ſuo. Nam potentiſſimum regni ſui Comitem, ejuſdem regis amitæ filium, Robertum videlicèt de Baſſavilla, cum multis aliis viris nobilibus, quibus auxilium, conſiliumque Romanæ Eccleſiæ perpetuò non defuturum pollicebatur, contra eum inſurgere perſuaſit. Exules quoque quos tàm ipſe quàm pater ejus de regno ejiciens, bonis fecerat extorres paternis, viros inclytos & armis potentes, dominum videlicèt Robertum de Surrento Principem Campanum, Comitem quoque Andream de Rupe canina, & alios multos exhortationibus ſuis provocaverat, ut in regnum redirent, & ad jure hæreditario ſibi debitas accederent poſſeſſiones, Romanam Eccleſiam eis in perpetuum non defuturam, in verbo Pontificali ſpondens eis firmiſſimè. Utrumque nihilominùs, Imperatorem videlicèt Romanorum & Conſtantinopolitanum, alterum ore ad os & manifeſtè, quia adhùc erat in Italia, alterum verò per litteras, ſed occultè ad occupandum Siculum regnum ſollicitat.]

a Tyr. l. 18. c. 2.

Diſcordiæ inter Reg. Siciliæ, & Pap.

XXV. Controverſia inter Hoſpitalarios & Patriarch.

Poſt hæc autem, antequàm cætera proſequatur auctor, digreditur ad profectionem Patriarchæ Hieroſolymitani in Italiam, ad conveniendum Hadrianum Pontificem, dum in his bellicis occupationibus occupatus detineretur. Cauſam autem ejus profectionis fuiſſe narrat controverſiā inter ipſum & milites Hoſpitalarios ratione decimarū obortam, cujus cauſa fuit ipſi cum ſuis ſummus Pontifex conveniendus, eò quòd (ut præmiſit) iidem Hoſpitala-

talarii privilegio Pontificio exempti eſſent à juribus Patriarchæ & ſubjecti tantummodò Romano Pontifici ; qui de ipſis & in ipſos jus diceret: Poſtquàm ergò (pergit (*a*) Tyrius) ſæpè ac ſæpiùs tàm dominus Patriarcha, quàm reliqui Eccleſiarum Prælati apud eoſdem Fratres ſua jura repoſcendo non proficiebant (ut præmiſimus) ad Romani Pontificis hinc indè proceſſum eſt auditorium. Aſſumens ergò dominus Patriarcha ſibi, licèt longævus eſſet & ferè centenarius, de Eccleſiarum Prælatis dominum Tyrenſem Archiepiſcopum, & de Suffraganeis ejus dominum Fridericum Acconenſem Epiſcopum, Almaricum Sidonienſem Epiſcopum, dominumque Balduinum Cæſarienſem Epiſcopum, dominum Renerum Sebaſtenum Epiſcopum, dominum Herbertum Tiberiadenſem Epiſcopum, vernalis temporis gratia reſpirante, cùm primùm mare flatibus exagitatum hybernis, ſpirante Favonio, cœpit ſe reddere placabilius, iter aggreſſi, auctore Domino, Hydruntum Apuliæ urbem maritimam proſpero curſu attigerunt.

a Id. c.6.7.

XXVI. Adventus Patriarch. Hieroſ. in Italiam.

Intereà dum Pontifices Orientis unà cum domino Patriarcha fines attigiſſent Apuliæ (ut præmiſimus) Conſtantinopolitanus Imperator verbum domini Papę proſecutus, immiſſis de Principibus ſuis cum infinita pecunia, conſentientibus eis illarum partium proceribus, regionem violenter invaſerant, ita ut poſtquàm dominus Patriarcha cum ſuis ab Hydrunte uſque Brundusium perveniſſet, domini Imperatoris familia urbem prædictam, tradentibus eam civibus, jam recepiſſet in ſuam, ſolo præſidio civitatis, in quo pauci erant, in fidelitate domini Regis perſeverante. Comes quoque Robertus, de quo ſuperiùs fecimus mentionem, cum iis qui partes ſuas tàm Regis odio, quàm ejus gratia ſequebantur, Tarentum, Barium, egregias metropoles, & omnem maritimam regionem uſque ad regni terminos violenter occupaverat. Prædicti verò magni & inclyti viri, Robertus, Princeps Capuanus, & Comes Andreas univerſam Campaniam, quæ vulgari appellatione dicitur, Terra laboris, uſque ad Salernum, & uſque Neapolim, & uſque ſanctum Germanum ſibi vendicaverant; eratque tota regio in tanto motu, ut nuſquam quies, nuſquam ſecuritas eſſet tranſire volentibus. Romanorum etiam Imperator dominus Fridericus circa partes Anconitanas cum exercitibus ſuis moram faciens, tàm in legionibus, quas in Italiam introduxerat, cladem patiebatur, ut deficientibus majoribus & nobilioribus Imperii Principihns, via decimus quiſque ſupereſſet. Unde eos qui ſupererant, ad propria redire volentes, cohibere non valens, ipſe quoque ad reditum, licèt invitus accingebatur. Multæ enim ſupererant negotia, & maximè contra eumdem Siculum Regem, quæ ejus exigebant præſentiam.] Hoc ipſum erat tempus, quo

A Vvillelmus deprecabatur quàm inſtantiſſimè pacem, nec audiebatur, ut dictum eſt ſuperiùs. Preſſus enim tot tantiſque undique hoſtibus iiſdemque potentibus, reſpirandi ſibi neque dabatur locus. Quæ autem poſt hæc ſequuta ſint, ſuo loco ſequenti anno dicentur.

XXVII.

Modò autem unà cum Vvillelmo Tyrio proſequamur res geſtas à Patriarcha Hieroſolymitano, cum pluribus Epiſcopis ab Hieroſolymis ad Hadrianum Pontificem properante: (*b*) Dominus porrò Patriarcha (inquit Tyrius) cum ſuis conſortibus itineris anxiè deliberabat, qua via ad dominum Papam in tanto tumultu poſſet

a Tyr. l.18. c.7.8.

B accedere: undique enim prœlia, undique ſeditiones omnem videbantur aditum præcluſiſſe. Aſſequetions quoque quidam Regis Siciliæ Cancellarius urbem obſedit Beneventanam, Nuntiiſque domini Patriarchæ qui ad hoc miſſi fuerant, ut ei à prædicto Cancellario ducatum implorarent, omninò negavit per partes illas tranſitum, quæ tamen vis multò cæteris erat compendioſior. Tandemque habito quorumdam prudentum conſilio, viam maritimam ſecutus, cum omni comitatu ſuo Anconā pervenit: miſſis inde ex latere ſuo

C quibuſdam Epiſcopis, qui dominum Imperatorem Romanorum, jam, ut diximus, ad propria redeuntem, verbis ejus ſalutarent, & pro negotiis ejus ad dominum Papam litteras obtinerent Imperiales. Quod & factum eſt, licèt ipſe *Imperator* urbem Senogallias, & Piſaurum jam pertranſiſſet pro redeundo ſollicitus.

XXVIII.

At verò dominus Patriarcha cum ſuo comitatu Romam verſus iter dirigens, dominum Papam à civitate Narnienſi egreſſum, quaſi fugientem proſequebatur. Tandem Romam veniens, ibique per dies aliquot facta mora; cùm ei nuntiatum eſſet,

D apud urbem Ferentinum dominum Papam greſſum fixiſſe, illùc incunctanter properat, ut de negotio pro quo venerat, experiri tentaret. Dicebant quidam (*nempè Papæ adverſarii, à quorum ipſe ore pendebat*) dominum Papam, ut eum tædio afficeret, & gravaret ſumptibus, eum ſtudio ſe declinare: nam muneribus infinitis corruptus, in partem Hoſpitalariorum dicebatur ſe dediſſe proclivem, qui jam ad eum multò antè prævenerant. Alii dicebant urbis Beneventanæ gratia, quæ obſidione claudebatur, ut diximus, cum tàm maturato adveniſſe itinere. Illud tamen erat

E evidens, favorem ſuum & familiaritatem ſuorum Hoſpitalariis nimis induſiſſe; dominum verò Patriarcham cum ſuis quaſi adulterinos filios faſtu quodā & indignatione à ſe repellere quaſi indignos. Poſtquàm igitur *Patriarcha* ad prædictam urbem pervenit, obtulit ſe de more Apoſtolicis aſpectibus: ubi & malè receptus & pejus habitus, invitis ex plurima parte Cardinalibus, certum de domini Papæ mentis conceptu, & dubitatione reportant argumentum. Ille tamen quorumdam prudentum amicorum ſuorum fretus

conſilio,

Digitized by Google

conſilio, totum hoc diſſimulans, ſicut homo ſeverus erat, dominum Papam frequentabat, diebus feſtis aſſiduus erat in Conſiſtorio, Epiſcoporum ſuorum cœtu venerabiliter circumſeptus: cui etiam Advocatorum turba, quoties opus erat, jugis aſſiſtebat, officium adimplere parata.

XXIX. Data igitur utriſque partibus audientia, cùm jam per multos dies utrimque inutiliter eſſet decertatum; videns dominus Patriarcha, & per quoſdam familiares amicos ſuos intelligens, quòd non proficeret: ſumpta licentia, conditionem referens deteriorem, confuſione indutus & reverentia, aggreſſus eſt ad propria redire. De tanta autem Cardinalium turba vix reperti ſunt duo vel tres, dominus videlicet Octavianus, dominus Joannes de ſancto Martino, qui ejuſdem domini Patriarchæ, dum eſſet Tyrenſis Archiepiſcopus, Archidiaconus fuerat, qui Chriſtum ſequentes, ejus miniſtrum in cauſa ſua piè vellent fovere. Alii omnes abeuntes poſt munera, ſecuti ſunt vias Balaam filii Boſor.] En vides Lector, quàm fuerit Patriarcha deceptus, qui nefarios homines, factioſos, Pontifici adverſarios prædicat ſanctos, reliquos verò magni nominis Cardinales ex vitæ ſinceritate & litteris undique conſpicuos ita infamiæ nota reliquerit ſcriptis inuſtos. Sed qui boni, qui verò mali fuerint, adeò ſuis ipſorum factis univerſo Chriſtiano Orbi declaratum eſt, ut illi non indigeant commendatione, iſtis inutilis ſit prorùs omnis defenſio. Pergit verò Tyrius: (a) Dominus verò Papa, urgentibus eum curis domeſticis, tranſcurſi Campania, Beneventum pervenit.] Quæ autem poſt hæc acciderint, ſuo loco dicturi ſumus anno ſequenti.

a Vuillel. Tyr. lib. 18 c. 8.

XXX. Hoc eodem primo ſui Pontificatus anno, ipſo ingreſſu in Pontificium thronum, Hadrianus Papa, quòd ſuarum partium eſſe ſciret, univerſalis Eccleſiæ populum in Catholicam coagmentare concordiam, pacem & unitatem in primis omnibus inſinuare: ad Græcos ſæpè ſciſſura diviſos ſolidæ unitati compaginandos, Legatos miſit ad Conſtantinopolitanum Imperatorem Emmanuelem, quibus inter alia pro eadem ſancienda firma concordia litteras dedit ad Baſilium Achridenum Theſſalonicenſem Archiepiſcopum, hujus temporis in Orientali Eccleſia magni nominis virum. Has Dei beneficio hactenùs conſervatas, & in Orientalis juris codice cuſas, hìc deſcribendas putavimus; ſic enim ſe habent, hoc in codice inſcriptæ titulo: (b)

b Extat in cod. juris Orient.

Hadrianus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerando fratri Theſſalonicenſium Archiepiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

XXXI. Hadriani Pap. epiſtola ad Archiep. Theſſalonicen.

Ex quo per invidiam, hoſtem antiquum, Conſtantinopolitana ſedes à ſacroſancta Romana & Apoſtolica (quod ſine lachrymarum inundatione vix famur) Eccleſia ſeipſam ſeparavit, & hominis inimicus proprium malitiæ venenum effudit, & à matris obedientia liberi ſeceſſerunt, unitatiſque locum binarius ſubiit: laborem multum & ſtudium, qui nos præceſſerunt beati Petri ſucceſſores adhibuerunt, ut ſchiſma de medio tolleretur; & unitati Eccleſiæ, qui ſe ab ea ſepararunt, redderentur. Quamobrem & nos, qui hoc tempore Apoſtolicæ Sedis curam ſuſcepimus, ut Deo placet, pro omnibus Eccleſiis, quæ ſunt intra terrarum Orbem conſtitutæ, quamvis beati Petri virtutibus par nihil habeamus, miniſterio tamen fungi cogimur. Ad id credidimus attendendum, ne connumeremur (quod abſit) iis, quos per Prophetam Dominus reprehendit, dicens: (c) Quod ejectum eſt, non introduxiſtis, quod infirmum, non ſanaviſtis, & quod periit, non quæſiviſtis, & quod confractum, non obligaſtis. Ideòque ad introductionem liberorum in locum Eccleſiæ & unitatis, inventionemque (d) admiſſæ drachmæ properemus, & Apoſtolico præcepto incitati in eos, qui doctrinæ ſermones aſpernantur, ut perſuaſum habeamus, moderari & Fidelium admonitionem tempeſtivè intempeſtivè factam. Et illius exemplo edocti, qui erat gloriæ Dominus, & omnia in ſua poteſtate habens (e) inclinare fecit cœlos, & deſcendit, acceptaque ſervi forma, (f) ſeipſum exinanivit, ut ovis amiſſa ſuo gregi reſtitueretur. Unde frater in Chriſto, dilectionem tuam his litteris admonemus, ut hanc rem diligenter cures. Nam (g) una ſola eſt Eccleſia, & una ſola ſanctificationis Arca, in quam unumquemque Fidelium è diluvio ſervari oportet: & circa unionem ejus modis omnibus labores: tuſque cogitet prudentia, ut Eccleſia Dei non poſſit diviſa conſiſtere, ut omnem animam viventem è præſentis diluvii procellis, (h) intra unam Arcam Eccleſiæ congregari oporteat ad beatum Petrum omnium Fidelium gubernatorem.

c Ezech. 34.

d Luc. 15.

e 2. Tim. 4.

f Pſal. 17.

g Pſal. 2.

h Geneſ. 7.

XXXII. Traditum eſt, quonam modo ſancti Patres, divino Spiritu illuminati, omnium Eccleſiarum primatum ſacroſanctam Romanam Eccleſiam abſolutè obtinere juſſerint, & ad ejus ſententiam omnium judicium referri præſcripſerint, & ad tollendam de medio diviſionem, ad unionem Eccleſiæ ad conjunctionem diviſi parietis, propter Dei dilectionem, propter animæ ſalutem, & propter fruitionem gloriæ, quæ non marceſcit, vigilanter adverte: Primùm apud te ipſum, deinde in aliis, quatenùs divina gratia largitur, da operam, ut grex cum Eccleſia uniatur, & qui ſe ipſos Dominicas oves confitentur, ad gregem B. Petri revertantur, qui (i) Domini juſſu eorum curam ſuſcepit. Nos quidem in hoc non temporariam laudem ſpectamus, non prætereuntem gloriam quærimus, qui pa-

i Joan. 21.

A paſcendi ſuſcepimus officium (ſervos nos omniũ Dei ſervorum confitemur) ſed cùm Dominum & magiſtrum noſtrum, ut unum mortuum reſuſcitaret in corpore, profectum fuiſſe, & lachrymatum legimus ad ſepulchrum, & dixiſſe, (a) Lazare, exi foras: judicamus indignum, ſi Domini retineamus talentum, & quos poſſumus, in anima reſuſcitare negligamus. Quod ſupereſt, dilectos filios noſtros Balduinum & Balditzioninum præſentes tabellarios ad dilectiſſimum filium noſtrum Emmanuelem Imperatorem Conſtantinopolitanum à religioſo cœtu miſſos, dilectioni tuæ ſtudioſè commendamus, rogantes ut per dilectionem Dei, beatique Petri & Sedis Apoſtolicæ, & pietatis cultum, aſpectu gratioſo in eorum neceſſitatibus conſolationem adhibeas. De tua valetudine cupimus per litteras fieri certiores.] Hactenùs Hadrianus Papa ad Archiepiſcopum Theſſalonicæ.

a Idem 11.

B Ad hæc autem ipſe Baſilius iſta reſpondet;

XXXIII. Baſilii Archidiac. Archiep. Theſſ. ad Hadr. Pap. epiſt.

Legimus tuam epiſtolam, ſanctiſſime Papa, ex qua perſpeximus ingenii tui ſublimitatem, humilitatis profunditatem, latitudinem tuæ erga Deum dilectionis & C affectionis, per quam non coanguſtatur Apoſtolicum cor tuum, quin potiùs viſcera dilatantur ad ſuſcipiendum acquirendumque omnium Eccleſiarum Chriſtianos. Vocem tuam agnovimus per litteras, alloquentem nos ad aures mentiſque intima; audivimus loquentem ut patrem, ut paſtorem, vel potiùs Archipaſtorem. Nam quaſi pater filios, qui te abalienati videntur, ſub paternos ſinus tuos cogis, eorumque ſollicitudinem habes; quaſi paſtor autem, ut oves errantes revocas; quaſi paſtorum paſtor, paſtoralem tuam & divinitùs infuſam ſcientiam nos doces, ne greges negligamus, ſed totis viribus proſpiciamus, D ut ei, quod malè habet, ſedulò medeamur. Audivimus revocantem ad ſeipſum, & ad vocem tuam converſi ſumus. Planè ſi alienos à tua ſanctitate filios nos ipſos exiſtimaſſemus, aut longè à paſtorali cura tua ſeparari voluiſſemus, nequaquàm agnoviſſemus ut paternam vocem, neque ad paſtorem receptui canentem converſi fuiſſemus. Nam juxta verbum Domini, nemo unquam (b) noſcet extraneorum vocem, ſed potiùs ab ea fuget.

b Idem 10.

XXXIV. Quid igitur ad nos errantis ovis ſimilitudo, ſanctiſſime Papa? Quid imago E amiſſæ drachmæ? Nos enim è ſinu tuo excidiſſe negamus, & filiorum appellationem, aut paſtoralem curam non refugimus, ut tale convicium nobis exprobretur. Tutò autem ac firmiter Dei gratia ſtetimus in beati Petri confeſſione, & quem ille confeſſus eſt & prædicavit, confitemur & prædicamus; nihil ex ſynodalibus ſanctorum Patrum decretis innovantes, nec adiicientes Evangelicis & Apoſtolicis verbis ad unum apicem uſque vel jota unum. Didicimus enim à Gentium præcone, quàm

A gravis impendeat iis pœna, qui talia audent. Etſi enim ego, inquit, (c) vel Angelus de cœlo annuntiaverit vobis præter id, quod accepiſtis: anathema eſto. Hoc metuentes, viviſicam & incruentam hoſtiam, ut qui accepit à Domino nobis tradidit, ſic exhibemus, Iudaicam quidem humilitatem, & Legis umbram ſuperaſcendentes: cum Jeſu autem, & ejus Diſcipulis in ſublimia gratiæ palatium conſcendentes, & panem comedentes, non afflictionis (ut Lex (d) ait) ſed lætitiæ, & cor (e) reverà confirmantem.

c Galat. 1.

d Deut. 16.

e Pſ. 103.

B Quod ſi, ut paſtores illi, deſipuimus (quod abſit, nec tantum in nos poſſit malignus) de quibus Jeremias Propheta lamentans ait: (f) Sacerdotes non dixerunt, Ubi eſt Dominus? & qui Legi adhærebant neſciverunt me: & paſtores in me impii fuerunt: Si tales tibi videbamur, ſanctiſſime Pater: quonam pacto poſſes nos aliter nominare quàm oves errantes, & drachmam perditam, & multorum dierum mortuum in ſepulchro jacentem? verùm ne eam de nobis opinionem concipias. Neque enim aliud novimus fundamentum, (g) quàm quod ſubſtructum eſt: eademque tecum prædicamus & docemus ego, iique omnes qui ad C magnam Apoſtolicamque ſedem Conſtantinopolitanam pertinemus. Et unus, qui in utriſque Eccleſiis perſonat ſermo Fidei, idemque ſacrificatur Agnus, qui tollit peccata mundi Chriſtus, inter Occidentales Antiſtites, qui ſub tuum principale culmen agunt, & nos qui ab oriente Sole ſublimi Conſtantinopolitana ſede ſacerdotii accepimus ſplendorem, quamvis parva quædam offendicula in medio interjecta nos ſepararint, & ex uno eodemq; ſpiritu multos fecerint. Quæ omninò tollere de medio, & velut lapides, juxta (h) propheticum ſermonem, è via proiicere, unitatemq; Eccle- D ſiarum ſine offendiculo conſtituere, tuæ ſanctitatis erit: quæ Chriſti exemplo, velut è cœlo, proſpiciens, diſtantia in unum congregare vult & poteſt. Nos enim pauci ſumus, & parvo gregi præſumus, mediocrem quidem, & ut guttam, dicendi facultatem habentes, virtutis autem ne quidquam participes, etiam ſi tua ſanctitas contrarii perſuaſione decepta, maxima quædam de nobis ſuſpicata ſit ex dilectione quorumdam, qui hìc peregrinati nos allocuti ſunt.

f Jerem. 2.

g 1. Cor. 3.

h Thren. 4.

XXXV. Tua autem integritas, undique perfecti Chriſti, tàm ſede, quàm peritia, & vitæ ſplẽdore imaginem & ſimilitudinem referens, E poterit omninò diſſidio cauſam præbentia ſcandala removere, & Eccleſiis unionem ſoliditatemque reſtituere. Habet autem ad hoc ſanctitas tua unanimem & adjutorem potentiſſimum, & inter Imperatores maximum ac ſummum pietate, qui & viribus inexpugnabilis, & prudentia excellens, & inter omnes bonos, qui umquam admirationi fuerunt, celeberrimus: cujus nutui & nos parebimus, & ſervi Dominicæ voluntati obſequemur.] Huc uſque Baſilii Archiepiſcopi Theſſalonicæ ad Hadrianum

drianum Papam reſponſio per epiſtolam, qua ſe non abſciſſum ab Eccleſiæ Catholicæ unitate profitetur, licèt quibuſdam ritibus diſcreparet Orientalis Eccleſia ab Occidentali; ſecundùm & illud, quod habet hujus pariter ſæculi ſcriptor claſſicus Petrus Abbas Cluniacenſis in epiſtola ad ſanctum Bernardum, docetque his verbis: (a) Teſtes ſumus & nos temporis noſtri, qui Romanam Eccleſiam & totam Latinam linguam offerre Deo ſalutare ſacrificium azymi panis videmus, cùm Græca Eccleſia & maxima Orientis pars ac barbaræ, ſed Chriſtianæ gentes ſacrificare de fermentato dicantur. Cùm hoc ita ſit; nec antiqui, nec moderni propter tàm celebres & famoſas uſuum diſſonantias à charitate mutua deſciverunt; quia nihil quod fidem, vel charitatem læderet, in his omnibus invenerunt.] Hæc Petrus. Sed & audi S. Bernardum de his ita ſcribentem ad Eugenium: Ego addo & de pertinacia Græcorum, qui nobiſcum ſunt, & non ſunt, juncti Fide, pace diviſi. Quamquàm & in Fide claudicaverunt à ſemitis rectis.] Ita quidem etiam penes doctos & Catholicæ Fidei ſtudioſos Græcorum Antiſtites iſta perſuaſiſſima fuere ſemper. At cùm regimen Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ imperiti, refractarii, nugaces, gloriæ Latinorum æmuli ſuſcepere: ex diverſitate ſacrorum rituum; dogmatum quoque ſacrorum diverſitatem exiſtimantes, hoſtes implacabiles effecti, perſecutionem adverſùs Latinos Orientem petentes odio immenſo hactenùs excitare non deſiſtunt. Sed de his ſatis, redeamus ad Hadrianum.

a Pet. Clun. lib. 5. epiſt. 16.

Diverſitas rituum non ſcindit Eccleſiam.

XXVI. Contigit autem his primordiis Pontificatus ejus ad ipſum veniſſe gentilem ſuum Joannem Anglum, patria Sareſberienſem, cùm idem Pontifex ærumnis preſſus, cum eo ſermonem habuit de gravi moleſtia quam ſubiret in adminiſtratione Pontificatus; quæ ipſe Joannes digna putavit, ut perpetuitati ſcriptorum monimentis conſecrarentur. Ait enim: (b) Dominum Hadrianum, cujus tempora felicia faciat Deus, hujus rei teſtem invoco, quia Romano Pontifice nemo miſerabilior eſt, conditione ejus nulla miſerior. Et licèt nihil aliud lædat, neceſſe eſt ut citiſſimè vel ſolo labore deficiat. Fatetur enim in ea Sede ſe tantas miſerias inveniſſe, ut facta collatione præſentium, tota præcedens amaritudo, jucunditas & vita feliciſſima fuerit. Spinoſam dicit Cathedram Romani Pontificis, in tantum acutiſſimis uſquequaque conſertam aculeis, tantæque molis, ut robuſtiſſimos premat, terat, & comminuat humeros. Coronam, & phrygium clara merito videri, quoniam ignea ſunt. Se nunquam à natali ſolo Angliæ malle exiſſe, aut in clauſtro beati Rufi perpetuò latuiſſe dicit, quàm tantas (niſi quia divinæ diſpenſationi reluctari non audet) intraſſe anguſtias. Dum ſupereſt, ipſum interroga, & crede experto. Hoc etiam mihi ſæpiſſimè adjecit, quòd cùm de gradu in gradum à clauſtrali clerico per omnia officia in Pontificem ſummum aſcenderit, nihil umquam felicitatis, aut tranquillæ quietis vitæ priori adjectum eſt ab aſcenſu. Et ut verbis ejus utar (nihil enim eùm præſens ſum, ſui gratia vult apud ſe abſconditum eſſe ab oculis meis) in incude, inquit, & malleo ſemper dilatavit me Dominus, ſed nunc oneri, quod infirmitati meæ impoſuit, ſi placet, ſupponat dexteram, quoniam mihi importabile eſt. Nonnè ergò miſeria digniſſimus eſt, qui pro tanta pugnat miſeria? Sit ſanè ditiſſimus qui eligitur, ſequenti die pauper erit, & infinitis ferè creditoribus tenebitur obligatus. Quid ergò erit ei, quem nulla vocat electio, ſed repugnante in membris Chriſto, ambitio cæca, & cruenta non ſine ſanguine fraterno intrudit? Hoc quidem eſt Romulo ſuccedere in parricidiis, non Petro in cōmiſſi diſpenſatione ovilis.] Ita Joannes.

b Joan. Sareſb. in Policr. lib. 8. c. 23.

Congreſſus Joan. Sareſb. cū Had. Pap.

Habet hæc demùm de Hadriano in fine anni hujus Chronicon Foſſæ novæ: Poſteà venit Apoſtolicus cum Cardinalibus VII. Idus Octob. Soram, & dedicavit ibi Eccleſiam ſanctæ Mariæ.] Quæ adhùc perſtat Eccleſia Cathedralis.

JESU CHRISTI ANNUS 1156. | HADRIANI PAP. IV. ANNUS 2. | FRIDER. REG. ROM. 2. MANUELIS IMP. 14.

I. SEquitur annus Redemptoris milleſimus centeſimus quinquageſimusſextus, Indictione quarta, quo Hadrianus Papa Beneventi obſeſſus unà cum ſuis à Vvillelmo Siciliæ Rege, ut liberare ſe cum ſuis ac civitatem poſſet, ſubire cogitur pacis conditiones indignas. Sed quæ illa præceſſerint, ab hujus temporis auctore Vvillelmo Tyrio ſic accipe: (c) Intereà Rex Siciliæ dominus Vvillelmus audiens, & crebris edoctus legationibus, quòd in partibus Apuliæ Comes Robertus de Baſſavilla unà cum Græcis regionem occupaſset violenter, in Campania verò Princeps Capuanus, & Comes Andreas latè ſua diffuderint imperia; dominus quoque Papa in Beneventum ſe receperat, unde omnibus prædictis vires, & animos miniſtrabat; congregatis ex univerſa Sicilia & Calabria militaribus copiis, cum ingentibus expeditionibus in Apuliam pervenit. Ubi ſtatim circa Brunduſium, fugiente Comite Roberto, primo Marte ſudit Græcorum copias, & attrito penitùs eorum exercitu, duces eorum captos vinculis mancipavit, gazas quoque quas intulerant valdè multiplices, ſuis intulit tàm potenter quàm feliciter ærariis. Inde recepta univerſa regione, quæ ab eo defecerat, & populis gratia reſtituta, Beneventum obſidet, ubi tàm

c Tyr. lib. 18. c. 8.

Rex Sicil. Vvillel. malus malas condit, cogit ſubire Pont.

A dominum Papam cum ſuis Cardinalibus, quàm cives univerſos affecit moleſtiis, ut & victus deficeret, & de ſalute redderet valdè ſollicitos. Ubi Nuntiis intervenientibus, conditionibus occultis reformata eſt pax inter eos, excluſis omnibus aliis à fœdere, qui domini Papæ juſſionibus tantis ſe laboribus immerſerant & periculis.

II. Videntes ergò prædicti nobiles viri, quòd contra ſpem accidiſſet eis, & quòd dominus Papa non obtenta eis domini Regis gratia, pacem ſibi & Romanæ Eccleſiæ, ipſis excluſis, fecerat, ſollicitì, anxii pro ſe cœperunt diſquirere, quonam modo poſſent ſanos & incolumes extra regnū ſe facere. B Comes itaque Robertus, & Andreas, cum quibuſdam aliis nobilibus viris in Lombardiam properantes, ad dominum Imperatorem ſe contulerunt. (a) Princeps verò Capuanus cæteris infelicior, dum Garilianum navigio tranſire parat, à ſuis vectoribus, cùm ſuos jamjam tranſituros expectaret, captus eſt, & Regis fidelibus traditus, in Siciliam deductus eſt, ubi continuo carcere, & cæcitate violenter inducta, miſerabiliter vitam finivit.] Hucuſque Tyrius. At quomodò potuit Hadrianus liberaſſe alios, qui nec ſeipſum, C nec ſuos liberare potuit, niſi conditionibus indignis valdè ſuſceptis, quas nullus hactenùs Pontifex à quibuſvis implacabilibus Romanæ Eccleſiæ hoſtibus ſuſcepiſſet tanta jactura Eccleſiaſticæ libertatis?

a id etiam Ligur. lib. 3. & 4.

Quomodò autem & per quos S. R. E. Cardinales iſta tractata ſint, petendum eſt ex ejuſdem Hadriani Pontificis vitæ Actis, in quibus iſta ſcripta leguntur:

III. Prædictus dominus Hadrianus venerabiles viros, Hubaldum tituli ſanctæ Praxedis, item Julium tituli ſancti Marcelli, & Rolandum tituli ſancti Marci Sedis D Apoſtolicæ Cancellarium, presbyteros Cardinales ad Regem direxit, quatenùs ex parte beati Petri eumdem commonerent: ut ab ejus offenſis omninò ceſſaret, de illatis damnis ſatisfaceret, & jura matris ſuæ ſacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ ipſi pacificè conſervaret. Quibus benignè ſuſceptis, atquè tractatis, poſt mutuam collocutionem, & diverſorum altercationem capitulorum, Rex ipſe cum eodem Papa, eis mediantibus, concordavit. Et veniens Rex ipſe ad Eccleſiam ſancti Marciani juxta Beneventum poſitam, ad pedes ejuſdem E Pontificis humiliter ſe proſtravit, & ligium homagium, & fidelitatem coram circumſtantium maxima Epiſcoporum, Cardinalium, Comitum, Baronum, & aliorum multitudine, Ottone Frangipane juramentum pro eo interponente, ipſi fecit. Recepto itaque dicto Rege ad pacis oſculum, collatis magnis muneribus ex auro & argento & ſericis pannis Pontifici, ejuſque fratribus, & toti ejus Curiæ, ab invicem læti & cum gaudio diſceſſerunt.] Hucuſque de his Acta. At de his omnibus, quæ cum Hadriano Papa à Rege Siciliæ Vvillelmo per vim & metum tranſacta ſunt, extant di-

A plomata tùm Regis, tùm etiam ipſius Hadriani Pontificis, ex duobus exemplaribus petita, altero Vaticanæ (b) bibliothecæ, altero baſilicæ ſancti Petri ſcripto codice, quorum habita collatione, hic tibi ipſum regium diploma, quod integrum perſeverat, primo loco poſuimus: ſic enim ſe habet:

b Collect. Plat. lib. 1. fol. 8.

IN NOMINE DEI ÆTERNI & Salvatoris noſtri JESU Christi. Amen.

Vvillelmi Reg. Sicil. diploma ad Hadr. Pap.

Domino Hadriano Dei gratia Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſummo Pontifici, chariſſimo domino, & Patri noſtro Reverendo, B ejuſquè ſucceſſoribus Vvillelmus eadem gratia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ.

Noſtræ ſemper conſuetudinis extitit, animum noſtrum in triumphis & maximis humiliare ſucceſſibus, & tunc nos attentiùs ad omnipotentis Dei obſequium, & cultum manſuetudinis exponere, cùm ad majorem proſperitatem, & gloriam nos vidimus pervenire: tales in tranquillis & proſperis rebus erga noſtri Redemptoris obſequium inveniri volentes, ut perceptorum à Rege omnium Regum beneficiorum non appareamus ingrati, & maC jores ſucceſſus atque victorias de brachio virtutis Dei jugiter ſperare poſſimus. Hujus quidem noſtræ conſuetudinis conſideratione inducti, cæſis & comprehenſis in manu bellica ad laudem & gloriam nominis Dei Græcis & barbaris nationibus, quæ regnum noſtrum nulla earum vi, ſed proditorum noſtrorum doloſitate intraverant, devictis & fugatis de finibus regni noſtri turbatoribus pacis, & proditoribus noſtris, humiliandos nos ſub omnipotenti manu Dei decrevimus, & ad cultum humilitatis propenſiùs intendenD dum.

IV. Diſcordiis igitur illis quæ inter Romanam Eccleſiam fuerant agitatæ, finem congruum imponere cupientes; cùm appropinquaviſſemus civitati Beneventi, & inimici noſtri ante faciem indignationis noſtræ fugiſſent, venerabiles Cardinales veſtros Hubaldum tituli ſanctæ Praxedis, & Julium tituli ſancti Marcelli presbyteros Cardinales, & cum eis Rolandum tituli ſancti Marci presbyterum Cardinalem, & Cancellarium veſtrum, quos ad noſtram præſentiam direxiſtis, eo quo decuit honore ſuſcepimus, & deſiderium ac moniE ta veſtra de bono pacis ex ore ipſorum libenti animo audientes, ipſis, & Majone magno Ammirato Ammiratorum dilecto fideli & familiari noſtro, & Hugone Panormitano, & Romualdo Salernitano venerabilibus Archiepiſcopis, & Vvillelmo Calsno Epiſcopo, & Marino Cavenſi Abbate fidelibus noſtris mediantibus, in hunc vobiſcum per eos pacis devenimus concordiæquè tenorem; videlicèt ut de capitulis illis, de quibus inter majeſtatē in veſtram & nos controverſia vertebatur, quod ſubſcriptum eſt, obſervetur.

De appellationibus quidem ita. Si aliquis

quis clericus in Apulia, & Calabria, & aliis terris quæ Apuliæ ſunt affines, adverſùs alium clericum de cauſis Eccleſiaſticis querelam habuerit, & à Capitulo, aut Epiſcopo, vel Archiepiſcopo ſuo, ſeu alia Eccleſiaſtica perſona ſuæ provinciæ non poterit emendari, liberè tunc ſi voluerit, ad Eccleſiam Romanam appellet. Tranſlationes in Eccleſiis fient, ſi neceſſitas, aut utilitas Eccleſiæ aliquem de una Eccleſia ad aliam vocaverit, & vos, aut veſtri ſucceſsores concedere volueritis. Conſecrationes & viſitationes liberè Romana Eccleſia faciet Apuliæ, vel Calabriæ civitatum, ut voluerit, aut illarum partium quæ Apuliæ ſunt affines, civitatibus illis exceptis, in quibus perſona noſtra, vel noſtrorum hæredum in illo tempore fuerit, remoto malo ingenio, niſi cum voluntate noſtra, noſtrorumque hæredum. In Apulia, & Calabria, & partibus illis quæ Apuliæ ſunt affines, Romana Eccleſia liberè legationes habebit. Illi tamen, qui ad hoc à Romana Eccleſia fuerint delegati, poſſeſſiones Eccleſiæ non devaſtent. In Sicilia quoque Romana Eccleſia conſecrationes & viſitationes habeat, & ſi de Sicilia perſonas aliquas Eccleſiaſtici ordinis vocaverit, magnificentia noſtra, noſtrorumque hæredum pro Chriſtianitate facienda, vel pro ſuſcipienda corona, remotò malo ingenio, retinebit quas providerit retinendas. Cœtera quoque ibidem habebit Romana Eccleſia, quæ habet in aliis partibus regni noſtri, excepta appellatione & legatione, quæ niſi ad petitionem noſtram & hæredum noſtrorum, ibi non fient. De Eccleſiis & monaſteriis terræ noſtræ, de quibus Romanę Eccleſię quæſtio mota fuit, ſic fiat: Vos quidem & veſtri ſucceſſores in eis habebitis eas, quæ in cœteris Eccleſiis, quæ ſub noſtra poteſtate conſiſtunt, ſolitæ ſunt accipi conſecrationes & benedictiones à Romana Eccleſia; & debitos inſuper, & ſtatutos ei cenſus exolvent. De electionibus quidem ita fiat: Clerici conveniant in perſonam idoneam, & illud inter ſe ſecretum habebunt, donec perſonam illam excellentiæ noſtræ pronuntient, & poſtquàm perſona celſitudini noſtræ fuerit deſignata, ſi perſona illa de proditoribus, aut inimicis noſtris, vel hæredum noſtrorum non fuerit, aut magnificentiæ noſtræ non extiterit odioſa, vel alia in ea cauſa non fuerit, pro qua non debemus aſſentire, aſſenſum præſtabimus.

VI. Profectò vos nobis, & Rogerio Duci filio noſtro, & hæredibus noſtris, qui in regnum pro voluntaria ordinatione noſtra ſucceſſerint, concedetis Regnum Siciliæ, Ducatum Apuliæ, Principatum Capuæ, cum omnibus pertinentiis ſuis, Neapolim, Salernum, & Malphiam cum pertinentiis ſuis, Marchiam, & alia quæ ultra Marſicam debemus habere, & reliqua tenimenta, quæ tenemus, à prædeceſſoribus noſtris hominibus ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ jure detenta, & contra omnes homines adjuvabitis honorificè manutenere. Pro quibus omnibus vobis veſtriſque ſucceſſoribus, & S. R. E. fidelitatem juravimus, & vobis ligium homagium fecimus, ſicut continetur in duobus ſimilibus Capitularibus, quorum alterum penes veſtram majeſtatem ſigillo noſtro aureo, alterum verò ſigillo veſtro ſignatum penes nos habetur. Et cenſum ſexcentorum ſchifatorum de Apulia & Calabria, quingentorum verò de Marchia, vel æquivalens in auro vel argento nos ac noſtros hæredes Romanæ Eccleſiæ ſtatuimus annis ſingulis ſoluturos, niſi fortè impedimentum aliquid interceſſerit, quo ceſſante, cenſus ex integro perſolvetur. Omnia verò prædicta, quæ nobis conceſſiſtis, ſicut nobis, ita etiam & hæredibus noſtris concedetis, quos pro voluntaria ordinatione noſtra ſtatuerimus, qui ſicut nos, vobis veſtriſque ſucceſſoribus & Eccleſiæ Romanæ fidelitatem facere, & quæ præſcripta ſunt, voluerint obſervare. Ut autem quæ ſupradicta ſunt, tam veſtro quàm veſtrorum ſucceſſorum tempore obtineant perpetuam firmitatem, nec noſtris, aut noſtrorum hæredum temporibus alicujus valeant præſumptione turbari: præſens ſcriptum per manum Matthæi noſtri Notarii ſcribi, ac bulla Aurea noſtro Typario impreſſa inſigniri, ac noſtro ſignaculo decorari juſſimus. Datum ante Beneventum per manus Majonis magni Ammirati Ammiratorum, anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo quinquageſimoſexto, menſe Junii, quartæ Indictionis, anno verò regni domini Vvillelmi Dei gratia magnifici & glorioſiſſimi Regis Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ † ſexto feliciter. Amen. ✠

† Ex quo à patre Rogerio coronatus, cœpit regnare cum eo. Romualdus Chron. & Hugo Falcand. in princ. hiſt.

Confirmavit iſta ſuo diplomate Hadrianus Papa obſeſſus, ut vidimus, neceſſitate compulſus: quod ſicut invenimus abbreviatum in multis, ita deſcribemus ex codice baſilicæ S. Petri in Vaticano verbis iſtis:

Hadrianus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei chariſſimo in Chriſto filio Vvillelmo illuſtri & glorioſo Siciliæ Regi, ejuſque hæredibus, quos pro voluntaria ordinatione ſua ſtatuerit in regnum, in perpetuum.

VII. Hadr. Pap. ad Reg. Sicil. diploma.

Licèt ex injuncto nobis à Deo Apoſtolatus officio univerſi Chriſti Fideles paternæ charitatis brachiis debeamus amplecti, atque ad pacem eos & concordiam invitare: Reges tamen & ſublimiores quaſque perſonas tantò ampliùs diligere & honorare debemus, atque de bono pacis eos tantò ſtudioſiùs commonere, quantò Eccleſiæ Dei, & fidelibus Chriſtianis major inde fructus ſpiritualiter ac temporaliter dignoſcitur provenire. Conſtat, chariſſime in Chriſto fili Vvillelme, glorioſe Siciliæ Rex, te inter Reges & celſiores perſonas ſeculi eximiis operibus, potentia, opibuſque clarere, ita ut ex vigore juſtitiæ, quam in terra ſub tua ditione conſtituta conſervas, ex ſecuritate pacis, qua omnes per eamdem conſtituti lætantur, & ex terrore, quem inimi-

inimicis Chriſtiani nominis per opera magnifica incuſſiſti, uſque ad extremos angulos fama tui nominis & gloria protendatur. Quod ſiquidem nos, dilectiſſime in Chriſto fili Vvillelme eximie, diligentiùs attendentes, & inſpicientes pariter, quantæ utilitates Romanæ Eccleſiæ valeant provenire, ſi celſitudo tua per firmam pacem ei & concordiam conjungatur: dum in civitate Beneventana ſecuri & liberi cum fratribus noſtris eſſemus, ad pacem tecum habendam diligenti ſtudio decrevimus intendere. Miſimus ergò ad excellentiam tuam quoſdam fratrum noſtrorũ, ſcilicèt, *ut ſuprà*, & propoſuimus per eos noſtrum de bono pacis & concordia deſiderium, & incitavimus attentiùs, & monuimus excellentiam tuam ad pacem. Et illins inſpirante virtute, qui ad cœlum iturus Diſcipulis ſuis ait: (a) Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis; talem animum tuum invenimus, qualem filii pacis & Catholici Principis decuit inveniri. Et mediantibus præfatis filiis noſtris, &c. *ut ſuprà*. In hanc formam pacis libera & ſpontanea voluntate noſtra devenimus, Ut videlicèt de capitulis illis, de quibus inter nos & excellentiam tuã controverſia eſt, per omnia, &c.] *ut ſupra in proximè ſcripta Regis eſt concluſione*. Pergit: Ut autem quæ ſuprà diximus, tàm noſtro, quàm ſucceſſorum noſtrorum tempore perpetuam obtineant firmitatem, & nec tuis, nec tuorum hæredum temporibus alicujus valeant præſumptione turbari: nos ea de communi conſilio & voluntate fratrum noſtrorum auctoritate Apoſtolica confirmamus, & valitura in perpetuum præſentis ſcripti pagina communimus, & tàm à nobis, quàm à noſtris ſucceſſoribus perpetuis temporibus ſtatuimus obſervanda. Nulli ergò omninò liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis & confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare voluerit: omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus indignationem incurrat. Amen, Amen, Amen. Datum *eadem die qua & ſuperior*.] Ita in ſcripto codice. Verùm illud ſcito, coactum fuiſſe iis ſcriptis profiteri Hadrianum, ſe eſſe ſecurum & liberum, cùm illa promitteret, ne actus ex eo infirmari poſſet: tamen obſeſſum Beneventi (ut patet ex Tyrio, & aliis ejus temporis Scriptoribus) liquet feciſſe neceſſitate coactum, ob idque nullius ponderis eſſe potuiſſe, cùm alioqui renuntiare juribus Pontificiis, nempè appellationibus deferendis, nec poſſe ipſos Pontifices, Nicolaus Papa Primus affirmet.

a *Joan.* 14.

VIII. At iſta omnia, quæ contra Eccleſiaſticam libertatem, urgente neceſſitate, per vim & metum extorta ſunt ab Hadriano Romano Pontifice per Vvillelmum cognomento Malum Siciliæ Regem: ſub Innocentio Papa Tertio novis pactis, honeſtioribus conditionibus interpoſitis, ſunt penitùs caſſata, atque protaùs abolita, ipſa verò libertas Eccleſiaſtica ſuo robore integrata, atque in priſtinum reſtituta, ut ſuo loco pluribus dicturi ſumus.

Cœterùm ſatis manifeſto fuit poſteà declaratum experimento, malè à Regibus conſuli rebus regni cum Eccleſiæ detrimento. Siquidem florentiſſimum regnum Siciliæ in illud fuit extremum diſcrimen inductum, ut deſecerint hoc eodem ſæculo regni ſucceſſores virilis ſexus ex Northmannis, & tranſierit ad Svevos. Sic ſic Deus vindex peccatorum patris in filios uſque in tertiam & quartam (b) generationem: in ipſa prima generatione, nempè in filio ſucceſſore execrandum ultus & ſcelus, ut in ipſo defecerit regnum gentis Northmannorum, & tranſierit ad eos, qui Northmannorum excidia ante omnia procurarint. Sed nec ipſum ſceleris auctorem Vvillelmum dira dirum vindicta præteriit, cùm tot in eum excitarit immanes tyrannos, ut uno ſublato, alter non deficeret priore ſceleſtior, immò plures & nequiores oborirentur, quorum inſidiis caperetur, atque in carcerem truderetur, filio primogenito ipſius Rogerio conclamato ab ipſis Rege, quem ipſe pater jam liberatus à plebe necarit, ut ſic ipſe regnare poſset; indueretque rurſùm purpuram non murice, ſed filii ſanguine tinctam. Sed & ſceleris architectus Majo Ammiratus ſuperiùs nominatus, cæde crudeliſſima periit. Hæc omnia à fideliſſimo teſte, qui aderat, quàm exactiſſimè ſcripta habes, Hugone Falcando, qui cuncta hæc ſcripto volumine eſt proſecutus. Sic, ſic, inquam, ſuo ipſius exemplo Vvillelmus ſancitam reliquit poſteris diſciplinam, maximum parare ſibi damnum, qui ſervitutis Eccleſiæ mercimonio libertatem regni deteriorem omni ſervitute requirat.

b *Exod.* 20. Maximum ſibi damnum Vvillelm. Rex parit.

Diſplicuit mirum in modum iſta Romani Pontificis cum Siciliæ Rege concordia Imperatori, quod ſcilicèt ea pace nactus videretur eſse præſidium, ad quod confugeret, cùm quid moleſtum in eum, univerſamque Romanam Eccleſiam idem ſtatueret Imperator, qui eum ipſius Regis carentem protectione poſset habere ſubjectum. Itidem & Cardinales partibus ſtudentes Imperatoris idipſum poſteà publicis litteris iſtis ſunt profeſſi, quas recitat Radevicus his verbis: (c) IX.

c *Radevic.* *l.* 1. *c.* 52.

Ex quo contra honorem Eccleſiæ Dei & Imperii amicitia inter dominum Papam Hadrianum & Vvillelmum Siculum apud Beneventum facta eſt, diſſenſio & diſcordia non modica inter Cardinales S. R. E. non ſine cauſa oborta eſt: nobis ſcilicèt, qui honorem & dignitatem ſanctæ Dei Eccleſiæ & Imperii nullatenus diminui volebamus, amicitiæ, quæ facta fuerat in detrimentum Eccleſiæ & Imperii, nequaquàm conſentientibus; aliis verò, qui pecunia & multis promiſſionibus obcæcati jã dicto Siculo tenebantur aſtricti, conventionem ipſam taliter, ut diximus, fabricatã nequiter defendentibus, & quamplures in partem ſui erroris attrahentibus, noſtro

cona-

conatui, & voluntati totis niſibus pertinaciter reſiſtentibus. Proinde procedente tempore cùm jam fama ferret, Imperatorem Italiam intraſſe, & plurimam ejus partem ſuæ poteſtati ſubjugaſſe, prædicti fratres Siculo aſtricti dominum Papam ſollicitare & circumvenire omni ſagacitate cœperunt, qualiter aliqua occaſione aſſumpta, dominus Imperator, & omnes ſequaces ejus excommunicationi ſubderentur, & nos ad id faciendum unà cum eis juramento aſtringeremur. Nos autem è contrà diximus, potiùs Siculum excommunicandum, qui omnia jura Eccleſiæ tàm ſpiritualia, quàm temporalia violenter abſtulerat, quàm Imperatorem, qui Eccleſiæ Romanæ & Imperii jura fideliter laborabat recuperare, & Eccleſiam de ſervitute ad libertatem reducere &c.] At quàm egregiè mentiti ſint iſti, ſæpiùs poſteà ſignificaverunt eventa, cùm nihil magis in animo firmum idem Imperator haberet, quàm Romanam Eccleſiam ſuæ ipſius & ſucceſſorum ſuorum ſubjicere ſervituti, omnique libertate nudare.

Diſplicuit, inquam, Imperatori liberum habere ſacrorum canonum vindicem Romanum Pontificem, quem & timeret paſſurum fore cenſorem tranſgreſſionum ſuarum, quæ adeò erant enormes, ut abſque ſcandalo totius Chriſtiani Orbis non poſſent omitti ſine vindicta inferenda ab Apoſtolica Sede.

X. Hoc ipſo anno (habet Dodechinus in Chronico) Fridericus Imperator Agnetem Principis Burgundiæ filiam uxorem duxit, repudiata priori legitima uxore apud Conſtantiam. Unde in Eccleſia graviſſimum exortum eſt ſchiſma.] Hæc ipſe. Divortium autem factum fuiſſe per Legatos Apoſtolicæ Sedis, tradunt Otto Friſingenſis, necnon Gunterus Ligurinus: cauſam autem interceſſiſſe jus conſanguinitatis, quo impediretur ejuſmodi contrahi matrimonium. Uxorem verò quam duxit, non Agnetem, ſed Beatricem fuiſſe dictam, iidem auctores affirmant, qui aderant. Celebratas autem fuiſſe nuptias hoc anno poſt Pentecoſten, idem qui ſuprà Otto teſtatur. (a) Sed redeamus ad Hadrianum, de quo hæc Acta:

a *Otto de reb. Frid. lib. 2. c. 29.*

Egrediens benigniſſimus Papa de civitate Beneventana, & de finibus Samnii, verſus Urbem Romam iter direxit. Tranſiens verò per montem Caſſinum, & per Marſicana montana, venit in civitatem Narniam. Et quoniam civitatem Urbevetanam, quæ per longiſſima ultrò tempora ſe à juriſdictione beati Petri ſubtraxerat, cum multa diligentia & ſtudio nuper acquiſiverat, & dominio Eccleſiæ ſubjecerat: bonum ſibi & fratribus ſuis viſum eſt, ut ad civitatem ipſam accederet, & ſua eam præſentia honoraret: nam uſque ad ejus tempora, ſicut ab omnibus dicebatur, numquam Romanum Pontificem eam civitatem intraſſe, vel aliquam in ea temporalem poteſtatem exercuiſſe conſtabat. Ea propter Clerus & populus, & milites ejus loci majori deſiderio & ampliori veneratione ipſum Pontificem receperunt, & bonis omnibus pluſquàm poterant, honorarunt. Ipſe verò aliquamdiu ibi moram faciens, majores, & minores tamquàm beati Petri familiam affectuosè honorabat, & in eorum gratulabatur aſpectu. Appropinquante igitur hyemis tempore, ad amœnum & populoſum Viterbii caſtrum deſcendit, & exinde ad Urbem & Lateranenſe Conſiſtorium cum gloria & honore debito remeavit.] Hucuſque Acta, anni hujus periodum claudentia. Additur his ex Chronico Foſſæ novæ, hoc anno Soram civitatem fuiſſe prædæ datam atque combuſtam à militibus Regis Vuillelmi ob necem Simonis, qui eidem præerat nomine Regis: cives autem ſalvos factos in arce natura loci municiſſima, ſuper montem poſita, dicta Sorella, quæ diu obſeſſa licèt, capi tamen non potuit. Hæc autem facta ponuntur ante reditum Hadriani Pontificis in Urbem.

Hoc eodem anno, dum in partibus Beneventanis moraretur Hadrianus Papa, inviſit eum Joannes Sareſberienſis ejus gentilis, de quo dictum eſt anno ſuperiori, vir doctrina & probitate notiſſimus (fuit iſte à ſecretis ſancti Thomæ Archiepiſcopo Cantuarienſi illuſtri martyri) atque cum eo magna animi libertate ſermonem miſcuit. Quem item ipſe in Policratico ſuo ſcriptum reliquit, noſque hic reddere non erit incongruum: ut intelligatur, S. R. E. multorum ſemper ſubjectam fuiſſe calumniis, cùm tamen numquam ipſi defuerint, quæ eſſent rectè intuentibus laude digniſſima; ut horum exemplo poſſumus intelligere: (b) *Jo. Sareſb. cum Hadr. Pap. congreſſus.*

Memini me, inquit, cauſa viſitandi dominum Hadrianum Pontificem Quartum, qui me in ulteriorem familiaritatem admiſerat, profectum in Apuliam. Manſique cum eo Beneventi fermè tres menſes. Cùm itaque, ut fieri ſolet inter amicos, ſæpè plurimis conferremus; & ipſe quid de ſe & Eccleſia Romana ſentirent homines, à me familiariùs & diligentiùs quæreret: ego apud eum uſus ſpiritus libertate, mala quæ in diverſis provinciis audieram, patèter expoſui. Sicut enim dicebatur à multis, Romana Eccleſia, quæ mater omnium Eccleſiarum eſt, ſe non tamen exhibet aliis, quàm novercam. Sedent in ea Scribæ & Phariſæi, ponentes onera importabilia in humeris hominum, quæ digito non contingunt. Dominantur in Clero, nec formam fiunt gregi, qui recto calle pergit ad vitam: pretioſam ſupellectilem congerunt, auro, & argento onerant menſas, ſibi etiam ab avaritia nimis parci. Nam pauper aut nullus, aut rarus admittitur, quem interdum non tàm Chriſtus, quàm vana gloria introducit. Conteutiunt Eccleſias, lites excitant, colliduut Clerum & populum, laboribus & miſeriis afflictorum nequaquàm compatiuntur, Eccleſiarum lætantur ſpoliis, & quæſtum omnem reputant pietatem: juſtitiam non

b *Policrat. lib. 6. c. 24.*

Quæ jactarentur adversùs Romanam Cur.

non tàm veritati, quàm pretio reddunt: omnia namque cum pretio hodie, ſed nec cras aliquid ſine pretio obtinebis. Nocent ſæpiùs, & in eo dæmones imitantur, quod tunc prodeſſe putantur, cùm nocere deſiſtunt, exceptis paucis, qui nomen & officium paſtoris implent. Sed & ipſe Romanus Pontifex omnibus gravis & ferè intolerabilis eſt.

XIII. Præterea omnes arguunt, quòd ruentibus & collabentibus Eccleſiis, quas patrum conſtruxit devotio, altaribus quoque incultis, palatia extruit, & ipſe non modò purpuratus, ſed deauratus incedit. Palatia ſplendent ſacerdotum, & in manibus eorum Chriſti ſordidatur Eccleſia. Provinciarum diripiunt ſpolia, ac ſi theſauros Crœſi ſtudeant reparare. Sed rectè cum eis agit Altiſſimus, quoniam & ipſi aliis, & ſæpè viliſſimis hominibus dati ſunt in direptionem. Et ut opinor, dum ſic in invio erraverint, numquam deerit eis flagellum Domini. Os ſiquidem Domini locutum

a *Matt.* 7. eſt: (*a*) Quia quo judicio judicaverint, judicabuntur, & ſua menſura remetietur eis. Antiquus dictum mentiri non novit. Hęc, inquam, Pater, loquitur populus, quandoquidem vis ut illius tibi ſententias proferam.

Sententia veritati propinquior. Et tu, inquit, quid ſentis? Anguſtiæ inquam ſunt undique. Vereor enim ne mendacii, vel adulationis contraham notam, ſi ſolus populo contradixero. Sin autem, reatum vereor majeſtatis, ne tamquàm qui os meum in cœlum poſuerim, crucem videar meruiſſe. Verumtamen quia Guido Clemens ſanctæ Potentianæ presbyter Cardinalis populo teſtimonium perhibet, ei uſquequaque contradicere non præſumo. Aſſerit enim in Romana Eccleſia quamdam duplicitatis eſſe radicem, & fomentum avaritiæ, quæ caput & radix eſt omnium malorum. Neque id quidem in angulo, ſed conſidentibus fratribus, ſancto Eugenio præſidente, quando adversùs innocentiam meam Ferentini gratis excanduerant, hoc publicè proteſtatus eſt. Unum tamen audacter conſcientia teſte profiteor, quia nuſquam honeſtiores clericos vidi, quàm in Eccleſia Romana, aut qui magis avaritiam deteſtentur. Quis Bernardi Redonenſis ſanctorum Coſmæ & Damiani diaconi Cardinalis continentiam contemptumque pecuniæ non miretur? Nondum natus eſt à quo munus acceperit. Quod tamen à communione fratrum ſinceriore jure proveniebat; interdum accipere perſuaſus eſt. Quis non ſtupeat Epiſcopum Præneſtinum, qui ſcrupulum conſcientiæ metuens, & à participatione bonorum communium abſtinebat? Plurium tanta modeſtia, tanta gravitas eſt, ut Fabricio non inveniantur inferiores, quem agnita ſalutis via, modis omnibus antecedunt.] At licèt bonus Chriſti odor in Eccleſia numquam deſit:

b *Eccl.* 10. muſcæ tamen (*b*) morientes perdunt odorem unguenti. Sed pergit: Quia ergò inſtas, urges, præcipis, cùm certum ſit, quòd Spiritui ſancto mentiri non licet, fa-

A teor, quia quod præcipis, faciendum eſt, etſi non ſitis omnibus operibus imitandi. Nam qui à doctrina veſtra diſſentit, aut hæreticus, aut ſchiſmaticus eſt. Sed Deo propitio ſunt, qui non omnium veſtrum opera imitentur. Paucorum ergò labes ſinceris maculam, & univerſali Eccleſiæ ingerit. Et in ea opinione frequentiùs moriuntur, ne totam corrumpant Eccleſiam. Sed & boni rapiuntur interdum, ne malitia immutentur, & quia Roma corrupta apud Deum his reperitur indigna.

XIV. Admonitio facta Pontifici. Tu ergò quia id habes officii, quære & inſere humiles; vanæ gloriæ & pecuniæ

B contemptores. Sed timeo nedum pergis quærere quæ vis, ab imprudente amico audias quæ non vis. Quid eſt Pater, quòd aliorum diſcutis vitam, & te ipſum minimè perſcrutaris? omnes applaudunt tibi, Pater omnium vocaris & dominus, & capiti tuo infunditur omne oleum peccatoris. Si ergò Pater es, quare à filiis munera & retributiones expectas? Si dominus, quare Romanis tuis timorem non incutis, & temeritate repreſſa, eos ad fidem non revocas? At Urbem vis Eccleſiæ tuis muneribus conſervare. Numquid eam ſic Silveſter muneribus acquiſivit? In invio Pater es, & non in via.

C Eiſdem eſt conſervanda muneribus, quibus eſt acquiſita. Quod gratis accepiſti, gratis dato. Juſtitia Regina virtutum eſt, & erubeſcit quovis pretio permutari. Si gratioſa futura eſt, ſit gratuita. Nequaquàm proſtituatur ad pretium, quæ corrumpi non poteſt. Integra eſt, & ſemper incorrupta. Dum premis alios, & tu graviùs opprimeris.

Riſit Pontifex, & tantæ congratulatus eſt libertati; præcipiens, ut quotiens ſiniſtrum aliquid de ipſo meis auribus inſonaret, hoc ei ſine mora nuntiarem. Et cùm plurima nunc pro ſe, nunc contra ſe reſpondiſſet, apologum hujuſmodi mihi

D propoſuit; ait ergò: Accidit, ut adversùs ſtomachum membra omnia totius corporis conſpirarent, tamquàm adversùs eum, qui voracitate ſua labores omnium exhauriret. Non ſatiatur oculus viſo, nec auribus auditu, laboribus inſiſtunt manus; pedes ac itinere callum induunt, ipſaque lingua utiliter ſermonem & ſilentium moderatur. Omnia denique membra publicis invigilant commodis, & in tanta ſollicitudine omnium & labore, ſolus quieſcit venter, & cùm omnia parata fuerint, quæ labor multiplex acquiſivit, ſolus omnia devorat & conſumit. Quid multa? Condixerunt

De cauſa cogendæ pecuniæ. E ut à laboribus abſtinerent, & gravi inedia conficerent illum inertem & publicum hoſtem. Exacta eſt ſic una dies, ſecuta eſt altera tædioſior: tertia adeò pernicioſa fuit, ut ferè omnibus defectum indiceret. Urgente itaque neceſſitate, fratres iterùm in unum convenerunt, acturi de ſalute ſua, & hoſtis publici ſtatu. Cùm verò omnes aſſiſterent, oculi languerunt, pes molem corporis non erexit, torpebant brachia, ſed & ipſa lingua iners, & deficienti palato ſociata, cauſam communem exponere non præſumpſit. Ad cordis ergò conſilium

omnia

Digitized by Google

omnia redierunt, ibique habita deliberatione ratio patefecit, quoniam hæc mala ingerebat, qui antè denuntiatus fuerat publicus hoſtis. Ex quo enim ei tributa ſubtracta ſunt, & ipſe quaſi publicus diſpenſator, omnibus alimenta ſubduxit. Et quia nemo poteſt ſine diſpendiis militare, cùm ſtipendia non procedunt, debilitatur & frangitur miles. Sed nec in diſpenſatorem poterat culpa refundi, qui quod non acceperat, minimè potuerit aliis erogare, longèque tutius eſſe, ut ei quod diſtribuat, miniſtretur, quàm illo evacuato, omnia membra eſuriant: factumque eſt ita. Suadente ratione impletus eſt B venter, refocillata membra, & pax omnium reformata. Abſolutus eſt itaque ſtomachus, qui licèt vorax ſit, & avidus alieni, non ſibi tamen petit, ſed aliis, quæ eo inanito nequeunt ſuſtentari.

XV. Tale eſt, inquit, frater, ſi rectè attendas, in corpore Reipublicæ, ubi licèt plurimùm appetat magiſtratus, non tàm ſibi quàm aliis coacervat. Si enim exinani- A tus fuerit, nihil eſt quod membris valeat impartiri: Nam ſtomachi in corpore, & Principis in Republica idem officium eſt &c.] Hæc ob collectionem decimarum, quas in omnibus Provinciis Romani Pontifices colligere ſolerent, loco quarum ſucceſſerunt Annatarum ſolutiones, quæ cujuſcumque ingreſſu Sedis, taxata ſumma ſolvuntur: Noli ergò (inquit Hadrianus) neque noſtrum, neque ſæcularium Principum duritiam metiri, ſed omnium utilitatem attende.] Hactenùs congreſſus atque familiaris collatio Joannis cum Hadriano Pontifice.

B Quod pertinet ad rés Orientalis Eccleſiæ, hoc eodem anno, qui numeratur Tertii Balduini Regis Hieruſalem decimusquartus, juſtè ulciſcente numine, ob non ſervatam à Rege Chriſtiano fidem pactam Infidelibus, exercitus Chriſtianorum ſemper vincere ſolitus, ignominioſè proſternitur in Palæſtina. Res geſta exactè deſcribitur à Vvillelmo Tyrio Archiepiſcopo. (a)

a Vvill. Tyr. l. 18. c. 11. 12. 13. 14.

I. MILLESIMUS centeſimus quinquageſimus ſeptimus ſurgit annus, Indictione quinta, quo inter Hadrianum Papam, & Fridericum Imperatorem novarum diſſenſionum occaſio eſt oborta. Hæc Otto de ſancto Blaſio, qui ea facta ſcribit anno ſuperiori in Appendice. Sed Radevicus, qui res tunc geſtas à Friderico annis ac menſibus exactè conſignat, iſta hoc anno contigiſſe, ſatis apertè ſignificat, ut de his rectè intuenti nulla dubietas oriri poſſit. Miſſa eſt ab Hadriano legatio, D datæ ſunt litteræ, ex quibus ingens eſt conflata diſcordia.

Diſcordia orta inter Imper. & Pap.

Quænam autem, qualesve fuerint iſtiuſmodi litteræ Hadriani Papæ ad Imperatorem, quarum cauſa ipſe adversùs eumdem Pontificem vehementer commotus eſt, inſpiciendæ ſunt, ſed priùs de Legatis miſſis à Pontifice, quinam fuerint, ex ipſo Radevico Canonico ejuſdem temporis ſcriptore accurato; ſed erga Fridericum propenſiore, hæc accipe: (b)

a Radev. in Frider. lib. 1. c. 8.

Perſonæ Nuntiorum erant Rolandus tituli ſancti Marci presbyter Cardinalis & Cancellarius ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Bernardus S. Clementis presbyter Cardinalis, ambo divitiis, maturitate, & gravitate inſignes, & penè omnibus aliis in Romana Eccleſia auctoritate majores. Cauſa verò adventus eorum ſpeciem ſinceritatis videbatur habere, ſed fomentum & occaſionem malorum latuiſſe, poſtmodùm evidenter deprehenſum eſt. Principe ergò die quodam à ſtrepitu & populi tumultu declinante in cujuſdam Oratorii privatiore receſſu, prædicti Nuntii in conſpectu ejus deducti, ab eoque ut oportebat, ſicut qui boni ſe Nuntii bajulos aſſe- C rerent, benignè & honeſtè recepti ſunt: exordium autem ſermonis illorum in fronte ipſa notabile comparuit, quod tale fuiſſe dicitur. Salutat vos beatiſſimus pater noſter Papa Hadrianus, & univerſitas Cardinalium ſanctæ Romanæ, ille ut pater, illi ut fratres, paucisque interpoſitis, litteras quas ferebant, protulere. Quas & aliarum, quæ in hac turbulentia hinc indè diſcurrebant, reſcripta litterarum idcircò operi interſerere curavi, ut quivis Lector, qui in partem declinare vo- D luerit, non meis verbis, vel aſſertionibus, ſed ipſarum partium propriis ſcriptis tractus, & vocatus liberè eligat, utri parti ſuum velit accommodare favorem. Tenor denique litterarum talis erat.

Legatio miſſa ab Hidr. ad Imperatorem.

II. Hadrianus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Friderico illuſtri Romanorum Imperatori ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Quid in Archiepiſ. Londonienſ. commiſſum.

Imperatoriæ majeſtati paucis retroactis diebus recolimus ſcripſiſſe, illud horrendum & execrabile facinus, & piaculare flagitium, tempore noſtro commiſſum in Teu- E tonicis partibus, ſicut credimus, aliquando intentatum, excellentiæ tuæ ad memoriam revocantes, non ſine grandi admiratione ferentes, quòd abſque digna ſeveritate vindictæ uſque nunc tranſire paſſus ſis tàm pernicioſi ſceleris feritatem. Qualiter enim venerabilis frater noſter E. Londonenſis Archiepiſcopus, dum à Sede Apoſtolica remearet, à quibuſdam impiis & ſceleſtis (quod ſine grandi animi mœrore non dicimus) in partibus illis captus fuerit, & adhùc in cuſtodia teneatur: qualiter etiam in ipſa captione prædicta,

dicta, viri impietatis, ſemen nequam, fi-
lii ſcelerati in eum & in ſuos evaginatis
gladiis violenter exarſerint, & eos ablatis omnibus, quàm turpiter atque inhoneſtè tractaverint, & tua ſereniſſima celſitudo cognoſcet, atque ad longinquas & remotiſſimas regiones fama tanti ſceleris jam pervenit. Ad cujus utique vehentiſſimi facinoris ultionem, ſicut is, cui bona placere, mala verò diſplicere credimus, conſtantiùs exurgere debuiſti, & gladium, qui tibi ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum eſt divina proviſione conceſſus, in cervicem deſævire oportuit impiorum, & graviſſimè conterere præſumptores.

Perſtringit Papã Frid. Imp. ex memoria beneficiorũ.

Tu verò idipſum ita diſſimulaſſe diceris, ſævitiam neglexiſſe, quòd eoſdem non eſt quare pœniteat commiſiſſe reatum, quia impunitatem ſacrilegii quod geſſerunt, jamjam ſentiunt inveniſſe. Cujus quidem diſſimulationis & negligentię cauſam penitùs ignoramus, quoniam nos in aliquo ſerenitatis tuæ gloriam offendiſſe, conſcientiæ ſcrupulus animum noſtrum non accuſat, ſed perſonam tuam ſicut chariſſimi & ſpecialis filii noſtri & Principis Chriſtianiſſimi, quem in Apoſtolicæ confeſſionis petra non ambigimus per Dei gratiam ſolidatum, ſincera ſemper dileximus charitate, & debitæ tractavimus benignitatis affectu. Debes enim, glorioſiſſime fili, ante oculos mentis reducere, quàm gratanter, & quàm jucundè alio anno, mater tua ſacroſancta Romana Eccleſia te ſuſceperit, quanta cordis affectione tractaverit, quantam tibi dignitatis plenitudinem contulerit & honoris, & qualiter Imperialis inſigne coronæ libentiſſimè conferens, benigniſſimo gremio ſuo tuæ ſublimitatis apicem ſtuduerit confovere, nihil prorsùs efficiens, quod regiæ voluntati vel in minimo cognoſceret obviare. Neque tamen pœnitet nos, deſideria tuæ voluntatis in omnibus impleviſſe: ſed ſi majora beneficia excellentia tua de manu noſtra ſuſcepiſſet, ſi fieri poſſet, conſiderantes quanta Eccleſiæ Dei & nobis per te incrementa poſſint & commoda provenire; non immeritò gauderemus. Nunc autem quia tàm immenſum facinus, quod in contumeliã univerſalis Eccleſiæ & Imperii tui noſcitur etiam commiſſum, negligere ac diſſimula revideris; ſuſpicamur utique ac veremur, ne fortè in hanc diſſimulationem & negligentiam propter hoc tuus animus ſit inductus, quòd ſuggeſtione perverſi hominis zizania ſeminantis adverſus clementiſſimam matrem tuam ſacroſanctam Romanam Eccleſiam, & nos ipſos indignationem (quod abſit) aliquam conceperis, vel rancorem.

III. Ob hoc igitur, & ob alia omnia negotia, quæ cognoſcimus imminere, duos de melioribus & charioribus, quos circa nos habemus, dilectos ſcilicèt filios noſtros Bernardum ſancti Clementis presbyterum Rolandum ſancti Marci presbyterum Cardinalem & Cancellarium noſtrum, viros utique religione, prudentia, & honeſtate conſpicuos ſerenitati tuæ de latere noſtro ad præſens duximus deſtinandos, excellentiam tuam rogantes attentiùs, quatenùs eos tàm honorificè quàm benignè recipias, honeſtè tractes, & ea quæ ipſi ſuper hoc, & ſuper aliis ad honorem Dei, & ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ad decus etiam & exaltationem Imperii pertinentia, ex parte noſtra Imperatoriæ propoſuerint dignitati, ſicut ſi ab ore noſtro procedant, abſque ulla hæſitatione ſuſcipias, & ipſorum verbis, tamquàm ſi ea contingeret nos proferre, fidem non dubites adhibere.] Hactenùs Hadriani Papæ litteræ ad Imperatorem.

Has quidem ſumma laude digniſſimas prædicabit, qui ex præſcripto divinarum Scripturarum, quæ ſunt optimi paſtoris munera, accuratè requirat, diligenter examinet, atque ſtudiosè perpendat: nimirùm quòd percitus zelo exurgat ex adverſo pro liberatione ſpoliati, atque vinculis adhùc alligati, in carcere detenti Epiſcopi, peregrinantis ad ſacra limina Apoſtolorum, ut eriperet eum, cui non erat adjutor. Et quis negare poſſit, acrioribus fuiſſe perurgendum litteris Imperatorem, qui priores eodem ſcriptas argumento penitùs contempſiſſet, nihil veritus erigere contra Deum Imperatoriam majeſtatem, ſecundùm illud: (a) Loquebar de teſtimoniis tuis in conſpectu Regum, & non confundebar: Attamen tanta iſta omni veritate conſtantia, omni ratione patentia non excommunicationis cenſura vindicaſſe, ſed litteris ſignificaſſe tantùm, & monuiſſe per primarios viros Apoſtolicæ Sedis Legatos ad hoc ipſum præcipuè miſſos, laudabunt omnes, quibus eſt oculus ſimplex nulla erroris ſuperinducta caligine: nam cui oculus nequam (juxta ſancti Evangelii (b) ſententiã) totum quod videt obſcurum. Sed planè accidit, ut quod aſſeritur de animali deformi, turbare illud pedibus limpidam aquam, ne ſuam in ea elucentem intueri cogatur imaginem: ita Princeps ageret per contemptum, quidquid in litteris de ſacrilegii immenſitate ineſſet expreſſum paternæ correctionis, in Hadrianum Pontificem excitans fluctus diſſenſionum, atque turbarum, ipſius primùm aulicis ſpirantibus adverſis flatibus. At quomodò iſta, à Radevico ſic accipe: (c)

a Pſal. 118.

b Matt. 6.

Quam injuſtè Imp. commotus in Pont.

c Radevic. lib. 1. c. 10.

IV. Talibus litteris lectis, & per Reinaldum Cancellarium fida ſatis interpretatione diligenter expoſitis, magni Principes qui aderant indignatione commoti ſunt, quia tota litterarũ continentia non parum acredinis habere, & occaſionem futuri mali jamjam fronte ſua præferre videbatur. Præcipuè tamen univerſos accenderat, quòd in præmiſſis litteris inter cætera dictum fuiſſe acceperant, dignitatis & honoris plenitudinem ſibi à Romano Pontifice collatam, & inſigne Imperialis coronæ de manu ejus Imperatorem ſuſcepiſſe, nec ipſum

Aulicorum turbatio ex litteris Hadr. Põt.

pœnite-

Digitized by Google

pœnitere, ſi majora beneficia de manu ejus ſuſcepiſſet, habita conſideratione, quanta Eccleſiæ Romanæ per ipſum poſſent incrementa & commoda provenire. Atque ad horum verborum ſtrictam expoſitionem, ac præfatæ interpretationis fidem auditores induxerat, quod à nonnullis Romanorum temerè aſſirmari noverant, Imperium Urbis, & regnum Italicum donatione Pontificum Reges noſtros hactenùs poſſediſſe, idque non ſolùm dictis, ſed & ſcriptis, atque picturis repræſentare, & ad poſteros tranſmittere. Unde de Imperatore Lothario in Palatio Lateranenſi ſuper hujuſcemodi pictura ſcriptum eſt:

Rex venit ante fores, jurans priùs Urbis honores,
Poſt homo fit Papæ, ſumit quo dante coronã.

Talis pictura, taliſque ſuperſcriptio Principi, quando alio anno circa Urbem fuerat, per fideles Imperii delata cùm vehementer diſplicuiſſet, amica priùs invectione præcedente, laudamentum à Papa Hadriano accepiſſe memoratur, ut & ſcriptura pariter atque pictura talis de medio tolleretur, ne tàm vana res ſummis in Orbe viris litigandi & diſcordandi præbere poſſet materiam.

V. His omnibus in unum collatis, cùm ſtrepitus & turba inter Optimates regni de tàm inſolita legatione magis ac magis invaleſceret, quaſi gladium igni adderet, dixiſſe ferunt unum de Legatis: A quo ergò habet, ſi à domino Papa non habet Imperium? Ob hoc dictum eò proceſſit iracundia, ut unus eorum, videlicèt Otto Palatinus Comes de Bajoaria (ut dicebatur) propè exerto gladio cervici illius mortem intentaret. At Fridericus auctoritate præſentiæ ſuæ interpoſita, tumultum quidem compeſcuit; ipſos autem Legatos ſecuritate donatos ad habitacula deduci, at primo mane via ſua proficiſci præcepit, addens in mandatis, ne hàc, vel illàc in territoriis Epiſcoporum, ſeu Abbatum vagarentur, ſed recta via, nec ad dexteram, neque ad ſiniſtram declinantes, reverterentur ad Urbem.] Hæc ipſe. Ita ubi vis viget, & ratio violentia compreſſa proſternitur. Quid juſtius, quidve opportunius potuit ac debuit ſuggeri per Legatum, quàm illud: A quo ergò habet, ſi à domino Papa non habet Imperium? Nam quomodò ejuſdem Pontificis ſit eligere Imperatorem, vel eligendum concedere, quem confirmet, & coronet: conſule tu, quæ latiſſimè ſunt dicta ſuperiùs anno Redemptoris D. CCCC. XCVI. quibus confutentur, quæ Guntherus, & in eo Novator Scholiaſtes delirat. Pergit auctor:

VI. Litteræ circulares Frid. contra Pontificem.

Ipſis itaque ſine efficacia revertentibus id quod factum fuerat ab Imperatore, per univerſum regni ambitum providè litteris declaratur, quarum hic tenor fuit.

Cùm divina potentia, à quo omnis poteſtas in cœlo & in terra, nobis Chriſto ejus regnum & Imperium regendum commiſerit, & pacem Eccleſiarum Imperialibus armis conſervandam ordinaverit: non A ſine maximo dolore cordis conqueri cogimur dilectioni veſtræ, quòd à capite ſanctæ Eccleſiæ, cui Chriſtus pacis & dilectionis ſuæ characterem impreſſit, cauſæ diſſenſionum, ſeminarium malorum, peſtiferi morbi venenum manare videntur. De quibus (niſi Deus avertat) totum corpus Eccleſiæ commaculari, unitatem ſcindi, inter regnum & ſacerdotium ſchiſma fieri pertimeſcimus. Cùm enim nuper in Curia Biſuntii eſſemus, & de honore Imperii & ſalute Eccleſiarum debita ſollicitudine tractaremus; venerunt Legati Apoſtolici, aſſerentes ſe talem legatio- B nem noſtræ afferre majeſtati, unde honor Imperii non parvum accipere deberet incrementum. Quos cùm prima die adventus ſui honorificè ſuſcepiſſemus, & ſecunda (ut mos eſt) ad audiendam legationem eorum, cum Principibus noſtris conſediſſemus: ipſi quaſi de mammona iniquitatis inflati, de altitudine ſuperbiæ, de faſtu arrogantiæ, de execrabili tumidi cordis elatione legationem Apoſtolicis litteris conſcriptam nobis præſentaverunt, quarum tenor talis erat.

VII. Quod præ oculis mentis ſemper deberemus habere, qualiter dominus Papa in- C ſigne Imperialis coronæ nobis obtulerit, neque tamen pœnitentia moveretur, ſi majora excellentia noſtra ab eo beneficia ſuſcepiſſet. Hæc erat illa paternæ dulcedinis legatio, quæ unitatem Eccleſiæ & Imperii confovere debuit, quæ vinculo pacis utrumque colligare ſtuduit, quæ ad utriuſque concordiam & obedientiam animos audientium allexit. Certè ad vocem illam nefandam, & omni veritate vacuam, non ſolùm Imperialis majeſtas debitam indignationem concepit, verùm omnes Principes qui aderant, tanto furore & ira ſunt repleti, quòd ſine dubio illos duos iniquos D presbyteros mortis ſententia damnaſſent, niſi hoc noſtra intercepiſſet præſentia.

Porrò quia multa paria litterarum apud eos reperta ſunt, & ſchedulæ ſigillatæ ad arbitrium eorum adhuc ſcribendæ, quibus ſicut hactenùs conſuetudinis eorum fuit, per ſingulas Eccleſias Theutonici regni conceptum iniquitatis ſuæ virus reſpergere, altaria denudare, vaſa domus Dei aſportare, cruces excoriare nitebantur: ne ultrà procedendi facultas eis daretur, eadem qua venerant via, ad Urbem eos redire fecimus. Cùmque per electionem Principum à ſolo Deo regnum & Imperium E noſtrum ſit, quod in paſſione Chriſti Filii ſui duobus gladiis neceſſariis regendum Orbem ſubjecit; cùmque Petrus Apoſtolus hac doctrina mundum informaverit, (a) Deum timete, Regem honorificate: quicumque nos Imperialem coronã pro beneficio à domino Papa ſuſcepiſſe dixerit, divinæ inſtitutioni & doctrinæ Petri contrarius eſt, & mendacii reus erit.] Hæc ipſe. At quid horret Imperator dictum à Pontifice, pro beneficio collatam eſſe à Romano Põtifice coronam Imperii? num eam aliundè potuit accepiſſe? an non eſt illius auferre ex

(a) 1. Petr. 2.

cauſa,

A ſauſa, & dare pro meritis cui vult? Quæ tu Lector, ne putes eſſe vana; rurſùm provoco te ad ea quæ ſunt dicta ſuperiùs anno Chriſti octingenteſimo, & octingenteſimo ſeptuageſimoſexto, octingenteſimo octogeſimo primo, atque domùm copioſiùs anno nongenteſimoſexto, quibus apertiſſimè demonſtratur, beneficio Papæ Imperium conferri, abſque cujus voluntate ſi quis accipiat, non Imperator, ſed dicendus tyrannus ſit & invaſor Imperii. Pergit verò Fridericus in ſuis litteris:

VIII. Quia verò hactenùs honorem ac libertatem Eccleſiarum, quæ jam diu indebitæ B ſervitutis jugo depreſſa eſt, à manu Ægyptiorum ſtuduimus eripere, & omnia eis dignitatum ſuarum jura conſervare intendimus: univerſitatem veſtram ſuper tanta ignominia nobis & Imperio condolere rogamus, ſperantes, ne honorem Imperii, qui à conſtitutione Urbis & Chriſtianæ religionis inſtitutione ad veſtra uſque tempora glorioſus, & imminutus extitit, fidei veſtræ indiviſa ſinceritas tàm inaudita novitate, tàm præſumptuoſa elatione imminui patiatur, ſcientes, omni ambiguitate remota, quòd mortis periculum ante vellemus incurrere, quàm noſtris C temporibus tantæ confuſionis opprobrium ſuſtinere.] Hactenùs litteræ Imperatoris ad Principes & Epiſcopos.

Frid. tegit variis prætextibus impietatē. Quarum nomine eſt planè, ut gratias ſummas agamus, & benè precemur eidem Radevico, qui ejuſmodi ſcriptorum monimenta reliquit, ex quibus Lector veritatem ipſam haud per tranſennam, ſed toto cœlo patentem intueatur: nimirùm ipſum Fridericum nihil præterea tanto ſtudio laboraſſe, quàm quod præſtitit, cùm data occaſio fuit, ut ſcilicèt Eccleſiam Dei ſchiſmate ſcinderet. Audiſti per litteras circulares ad hoc ipſum univerſum D terrarum Orbem (quantum ipſi licuit) invitantem, & inducentem: ſparſit modò ſemina, meſſuit ſuo tempore, cùm implacabili ſciſſione non ab Imperio tantùm diviſit Eccleſiam, ſed & ab ipſa Clerum ſchiſmate ſcidit. Audiſti Imperatorem legationem ab Apoſtolica Sede miſſam univerſo Chriſtiano Orbi ſuis litteris ſignificantem, ſed ſubdolè reticentem cauſam ejuſdem legationis mittendæ. Nam ubi mentio vel levis aliqua de cauſa, nempè de eo, quod perpetratum eſt immane facinus, horrendum ſacrilegium adversùs peregrinantem ex Anglia ſan- E ctum Epiſcopum ad limina Apoſtolorum, contra jus gentium, jus divinum, contra civiles & canonicas leges præſumptum, relictum impunitum, non vindicatum, nec emendatum, ipſo ſacro Antiſtite in vinculorū & carceris adhùc anguſtiis tabeſcente?

IX. Edictum Imp. contra peregrinantes Romam. At quàm facta perperàm litterarum Apoſtolicarum interpretatio, quam iiſdem litteris promulgavit? Quid in litteris Hadriani ſonuit faſtus & arrogantiæ, dum quod Romæ geſtum per ipſum eſſet, ſimpliciter explicavit? nimirum (ut repetam verba ipſa in litteris ſcripta) quod anno ſuperiori ſancta mater Eccleſia eum quàm gratanter, & quàm iucundè ſuſceperit, quàea cordis affectione tractaverit, quantā ipſi dignitatis plenitudinem contulerit & honoris, & qualiter Imperialis inſigne coronę libentiſſimè conferens, benigniſſimo gremio ſuo ejus ſublimitatis apicem ſtuduit confovere, nihil prorsùs efficiens, quod regiæ voluntati vel in minimo cognoſceret obviare.] Hæc in litteris Hadriani. Sed quod factum ſimpliciter eſt expreſſum, quid habet mendacii, quid erroris vel falſitatis? vel quod ita ſubjicitur: Neque tamen pœnitet nos deſideria tuę voluntatis in omnibus impleviſſe: ſed ſi majora beneficia excellentia tua de manu noſtra ſuſcepiſſet, ſi fieri poſſet, conſiderantes quanta Eccleſiæ Dei & nobis per te incrementa poſſint & commoda provenire; non immeritò gauderemus.] Hæc tunc Hadrianus. Sed de his planè pro merito reddendæ immortales gratiæ, & non probroſa adeò exprobratio rependenda ex calumnioſa interpretatione fuiſſe. Et illud. Quo jure Legatos ipſos non de his quæ feciſſent, ſed quæ facere potuiſſent, tanquàm factis ſacrilegii redarguere: nempè quòd nudaturi altaria forent, & cruces auro tectas excoriaturi, infamans ita eos ibi locorum. At quando, vel à quibus id actum per Sedis Apoſtolicæ Legatos ubi aliqua mentio? Eodem pariter furore percitus edictum promulgavit, ne quis ordinis clericalis vel monachalis peregrinari Romam præſumeret. Inſuper & viarum cuſtodes ad hoc poſuit, ne quis ex eis Romam ullaterùs pergere poſſet. Quod tamen vulpes illa excuſabat, dicens, id factum, ne Eccleſiæ diſpendiis gravarentur, neve Clauſtrales ejuſmodi peregrinationibus deſererent diſciplinam. Sed de his inferiùs in litteris Germaniæ Epiſcoporum. Hæc oportuit, omni deducto velamento prætextuum diverſorum, ob oculos legentium nudata poni, quibus diri exordia ſchiſmatis innoteſcant. At proſequamur redeuntes Romam Legatos Apoſtolicæ Sedis, de quibus Radevicus ſic pergit, (a) quæ & (b) Gunterus carmine cecinit:

a Radev. in Frid. lib. 1. c. 15.

b Gunth. Ligur. l. 6.

X. Diſſenſio inter Cardin. Cùm hæc agerentur, Legati Sedis Apoſtolicæ Rolandus & Bernardus reverſi, quantas injurias ſuſtinuerint, in quo periculo fuerint, exponunt, gravibus graviora adjicientes, ut in ultionem eorum, quæ ſe pertuliſſe dixerunt, Romanæ Urbis Epiſcopum provocarent. In hoc negotio Clerus Romanus inter ſe diviſus eſt, ut pars eorum partibus faveret Imperatoris, & eorum qui miſſi fuerant, incuriam, ſeu imperitiam cauſarentur: quædam verò pars votis ſui Pontificis adhæreret. Unde de hac tempeſtate dicturi (ſicut ſupra diximus) Lectorem non noſtris verbis niti volumus; ſed ponentes epiſtolas hinc indè directas, ex eis colligat quam partem tueatur, cuive fidus velit permanere. Nobis autem indulgentiam petimus, qui potiùs utramque perſonam,

Digitized by Google

ſonam, ſacerdotalem ſcilicèt & regalem, reverentia debita veneramur, quàm temerè de altera judicare præſumamus.] Ita ipſe, quòd ſciret, quàm periculoſæ ſe ſubiiceret aleæ, qui viventium adhùc Principum res geſtas haud laudandas conſcriberet, cautè admodùm ipſis ſua facta per litteras à ſe ſcriptas loquentibus, epiſtolarem nectens hiſtoriam. Pergit verò: Exemplar itaque litterarum à ſummo Pontifice ad Archiepiſcopos & Epiſcopos ſuper his directarum tale fuit.] Ad eos Epiſcopos Germaniæ, qui erant apud Imperatorem, iſta ſcribens:

XI. Hadr. Pap. litteræ cōtra Frider. Imp.

Quoties aliquid in Eccleſia contra honorem Dei, & ſalutem Fidelium attentatur: fratrum & Coepiſcoporum noſtrorum & eorum præcipuè, qui Spiritu Dei aguntur, cura debet exiſtere, ut ea, quæ malè geſta ſunt, gratam Deo correctionem debeant invenire. Hoc autem tempore (quod abſque nimio mœrore non dicimus) chariſſimus filius noſter Fridericus Romanorum Imperator tale quid egit, quale temporibus anteceſſorum ſuorum non legimus perpetratum. Cùm enim nos duo de melioribus fratribus noſtris, Bernardum tituli ſancti Clementis, & Rolandum Cancellarium noſtrum tituli ſancti Marci presbyteros Cardinales ad ipſius præſentiam miſiſſemus: ipſe, cùm primùm ad ejus præſentiam pervenerunt, alacriter viſus eſt eos recepiſſe. Sequenti verò die, cùm redirent ad eum, & litteræ noſtræ in ejus auribus legerentur, accepta occaſione cujuſdam verbi, quod ipſarum litterarum ſeries continebat (inſigne videlicet coronæ beneficium tibi contulimus:) in tantam animi commotionem exarſit, ut convicia, quæ in nos & Legatos noſtros dicitur conjeciſſe, & quàm inhoneſtè ipſos à præſentia ſua recedere, ac de terra ſua velociter exire compulerit: & audire opprobrium, & lamentabile ſit referre. Eia autem ab ipſius præſentia excedentibus, facto edicto, ne aliquis de regno veſtro ad Apoſtolicam Sedem accedat, per omnes fines ejuſdem regni cuſtodes dicitur poſuiſſe, qui ad Sedem Apoſtolicam venire voluerint, violenter debeant revocare.

XII. Super quo facto licèt aliquantum perturbemur; ex hoc tamen in nobis ipſis majorem conſolationem accepimus, quòd ad id de veſtro & Principum conſilio non proceſſit. Unde confidimus eum à ſui animi motu, conſilio & perſuaſione veſtra facilè revocandum. Quocircà, fratres, quoniam in hoc facto non ſolùm noſtra, ſed veſtra & omnium Eccleſiarum res agi dignoſcitur: charitatem veſtram monemus & exhortamur in Domino, quatenùs opponatis vos murum pro domo Domini & præfatum filium noſtrum ad viam rectam quàm citiùs reducere ſtudeatis, attentiſſimam ſollicitudinem adhibentes, ut à Reinaldo Cancellario ſuo, & Palatino Comite, qui magnas blaſphemias in præfatos Legatos noſtros, & matrem veſtram ſacroſanctam Romanam Eccleſiam evomere præſumpſerunt, talem & tàm evidentem ſatisfactionem faciat exhiberi; ut ſicut multorum aurea amaritudo ſermonis eorum offendit, ita etiam ſatisfactio multos ad viam rectam debeat revocare.

XIII. Non acquieſcat idem filius noſter conſiliis iniquorum, conſideret noviſſima & antiqua, & per illam viam incedat, per quam Juſtinianus & alii Catholici Imperatores inceſſiſſe noſcuntur. Exemplo ſiquidem & imitatione illorum, & honorem in terris, & felicitatem in cœlis ſibi poterit cumulare. Vos etiam, ſi eum ad rectam ſemitam reduxeritis: & beato Petro Apoſtolorum Principi gratum dependetis obſequium, & vobis & Eccleſiis veſtris conſervabitis libertatem. Alioquin noverit antedictus filius noſter ex admonitione veſtra, noverit ex promiſſionis Evangelicæ veritate, quòd ſacroſancta Romana Eccleſia ſuper firmiſſimam petram, Deo collocante, fundata, quantocumque ventorum turbine quatiatur, in ſua firmitate, protegente Domino, in ſæculum ſæculi permanebit. Nec autem (ſicut noſtis) deceret eum tàm arduam viam abſque veſtro conſilio attentaſſe. Unde credimus, quòd auditis admonitionibus veſtris, faciIlimè poterit ad frugem ſanioris ſtudii, ſicut vir diſcretus, & Imperator Catholicus, revocari.] Hæc ad Germaniæ Epiſcopos Hadrianus. Porrò illi quantumlibet vita laudabiles fuerint, quo nomine aliquis ex iis laudatur à Radevico; tamen quòd Germano ſuo addictiſſimi eſſent Imperatori, hac nube privatæ affectionis offuſi, haud facilè veritatis puriſſimæ eſſe compotes potuerunt, moremque in omnibus gerentes Imperatori, aliquid contra eum dici, vel dicere noluerunt. Pergit verò Radevicus: (a)

a Radevic. l. 1. c. 16.

XIV. His litteris, talique legatione percepta Præſules Alemanniæ, communicato in unum aſſenſu & conſilio, Sedi Apoſtolicæ in hæc verba reſcribunt.

Epiſcopi Germaniæ quæ reſcribant ad Rom. Pontif.

Quamvis ſciamus, & certi ſimus, quòd Eccleſiam Dei fundatam ſuper firmam petram neque venti, neque flumina tempeſtatum poſſint dejicere: nos tamen infirmiores & puſillanimes, ſi quando hujuſmodi contigerint impetus, concutimur, & contremiſcimus. Inde nimirùm graviter conturbati ſumus, & conterriti ſuper his, quæ inter veſtram ſanctitatem, & filium veſtrum devotiſſimum dominum noſtrum Imperatorem, magni mali, niſi Deus avertat, Seminarium præbitura videntur. Equidem à verbis illis, quæ in litteris veſtris continebantur, quas per Nuntios veſtros prudentiſſimos & honeſtiſſimos dominum Bernardum, & dominum Rolandum Cancellarium venerabiles presbyteros Cardinales miſiſtis, commota eſt univerſa Reſpublica Imperii noſtri, aures Imperialis potentiæ ea patienter audire non potuerunt, neque aures Principum ſuſtinere. Omnes ita continue-

runt aures ſuas, quòd nos, ſalva gratia veſtræ ſanctiſſimæ paternitatis, ea tueri propter ſiniſtram ambiguitatis interpretationem, vel conſenſu aliquo approbare, nec audemus, nec poſſumus, eò quòd inſolita & inaudita fuerunt uſque ad hæc tempora. Litteras autem, quia nobis miſiſtis, debita cum reverentia ſuſcipientes & amplectentes, commonuimus filium veſtrum dominum noſtrum Imperatorem, ſicut juſſiſtis, & ab eo reſponſum (Deo gratias) accepimus tale, quale decebat Catholicum Principem, in hunc modum.

XV. Duo ſunt, quibus noſtrum regi oportet Imperium, leges ſanctæ Imperatorum, & uſus bonus prædeceſſorum & patrum noſtrorum: iſtos limites Eccleſiæ nec volumus præterire, nec poſſumus: quidquid ab his diſcordat, non recipimus.

Anacephaleoſis ep. Frider. ad Hadrianū.

Debitam Patri noſtro reverentiam libenter exhibemus, liberam Imperii noſtri coronam divino tantùm beneficio adſcribimus, electionis primam vocem Moguntino Archiepiſcopo, deinde, quod ſupereſt, cæteris ſecundum ordinem Principibus recognoſcimus. Regalem unctionem Colonienſi, ſupremam verò, quæ Imperialis eſt, ſommo Pontifici. Quidquid præter hæc eſt, ex abundanti eſt, à malo eſt. Cardinales in contemptum dilectiſſimi & reverendiſſimi Patris noſtri & conſecratoris à finibus terræ noſtræ coegimus non exire, ſed cum his & pro his, quæ & ſcripta, & ſcribenda ferebant in dedecus & ſcandalum Imperii noſtri, ultrà eos prodire pati noluimus. Introitum, & exitum Italiæ nec clauſimus edicto, nec claudere aliquo modo volumus peregrinantibus, vel pro ſuis neceſſitatibus rationabiliter, cum teſtimonio Epiſcoporum & Prælatorum ſuorum Romanam Sedem adeuntibus, ſed illis abuſionibus, quibus omnes Eccleſiæ regni noſtri gravatæ & attenuatæ ſunt, & omnes penè Clauſtrales diſciplinæ emortuæ & ſepultæ, obviare intendimus. In capite Orbis Deus per Imperium exaltavit Eccleſiam: in capite Orbis Eccleſia non per Deum (ut credimus) nunc demolitur Imperium. A pictura cœpit, ad ſcripturam pictura proceſſit, ſcriptura in auctoritatem prodire conatur. Non patiemur, non ſuſtinebimus, coronam anteponemus, quam Imperii coronam unà nobiſcum ſic deponi conſentiamus. Picturæ deleantur, ſcripturæ retractentur, ut inter regnum & ſacerdotium æterna inimicitiarum monimenta non remaneant. Hæc & alia, utpotè de concordia Rogerii & Vvillelmi Siculi, & aliis quæ in Italia facta ſunt, conventionibus, quæ ad plenum proſequi non audemus, ab ore domini noſtri Imperatoris audivimus. Abſente autem Palatino Comite, & in præparatione expeditionis in Italiam præmiſſo, à Cancellario ibidem adhùc præſente aliud non audivimus, niſi quod humilitatis erat & pacis, præter quod eis pro periculo vitæ, quod à populo imminebat, pro viribus ſuis aſtiterit, cunctis qui ibi aderant, hujus rei teſtimonium ei perhibentibus. De cætero ſanctitatem veſtram ſuppliciter rogamus & obſecramus, ut noſtræ parcatis infirmitati, ut magnanimitatem filii veſtri, ſicut bonus paſtor, leniatis ſcriptis veſtris, ſcripta priora ſuavitate melliſta dulcorantibus: quatenùs & Eccleſia Dei tranquilla devotione lætetur, & Imperium in ſuæ ſublimitatis ſtatu glorietur, ipſo mediante & adjuvante, qui mediator Dei & hominum factus eſt homo Chriſtus Jeſus.] Hæc ad Hadrianum Papam Germaniæ Epiſcopi. Ad quorum excuſationem nihil eſt prætereà quod dici poſſit, niſi illud Apoſtoli: (*a*) Teſtimonium perhibeo illis, quòd zelum, ſive æmulationem Dei habent, ſed non ſecundùm ſcientiam.] Quæ ſi deficit in ſacerdote, haud leve peccatum, cùm velex eo tantum divina ſententia à ſacerdotio ſit pellendus (*b*) ſcientia carans, dicente per Oſeam prophetam: Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te ne ſacerdotio fungaris mihi.] Si enim tales fuiſſent, ipſum Imperatorem redarguiſſent, quòd inconceſſa tentaret, quæ eſſent alterius juris invaderet, quod acceptum beneficium Apoſtolicæ Sedis, ingratitudine nimia non ipſi, ut par eſſet, acceptum ferret, & gratias ageret, & non tantæ ipſi connivisſent ingratitudini. His acceptis litteris benignus Pontifex, tolerans patienter, ex earum præſcripto ſtuduit litteris placare iratum licèt injuſtè Imperatorem. Quales nam fuerint illæ, dicturi ſumus anno ſequenti pro temporis ratione.

a Rom. 10.

b Oſee 4.

Imparitiæ redarguūtur ipſi Epiſcopi.

XVI. Corpora Sanctorū Bartholomæi & Paulini refoſſa.

Quod ad res urbanas pertinet (inquit Robertus in appendice ad Sigebertum) circa hoc tempus inundatione Tiberis facta non modica, Romæ in quadam inſola ejus fluminis, in eccleſiola antiqua inventum eſt in quodam ſacrophago corpus beati Bartholomæi Apoſtoli totum integrum, excepto corio, quod remanſit Beneventi, quando Otto Imperator capta ea civitate corpus prædicti Apoſtoli tranſtulit Romam, ſicut tabulæ æreæ ſcriptæ demonſtrant litteris Græcis & Latinis, quæ repertæ fuerunt in corpore Apoſtoli. Repertum eſt etiam in eadem Eccleſia corpus ſancti Paulini Nolani Epiſcopi.] Hæc Robertus ſuorum temporum res geſtas proſecutus.

Digitized by Google

I. Legatio miſſa ab Hadr. pro concilian. Imp.

ANno Redemptoris milleſimo centeſimo quinquageſimooctavo, Indictione ſexta, Hadrianus Papa ad placandum iratum Imperatorem legationem decernens; litteras placabiles ad ipſum dedit. Quinam autem hac ſint legatione perfuncti, & per eosquid geſtum, Radevicus de omnibus, probè inſtructus ex litteris hincinde tunc miſſis, exactè deſcribit his verbis:

a Radev. in Frider. lib. 1. c. 17.

(a) Feliciter ergò procinctum movens *Fridericus*, ac apud Auguſtam Rhetiæ civitatem ſuper ripam Lici fluminis caſtra ponens, confluentem ex diverſis partibus militem per ſeptem dies operitur. Intereà Romanus Antiſtes *Hadrianus* de adventu Principis certior effectus, (nam Legati ejus, videlicèt Rainaldus Cancellarius, & Otto Palatinus Comes, quorum ſuprà meminimus, jamdudùm Italiam intraverant) in melius mutato conſilio, ad leniendum ejus animum Nuntios mittit, Henricum videlicèt Cardinalem presbyterum tituli ſanctorum Nerei & Achillei, & Hyacinthum Cardinalem diaconum ſanctæ Mariæ in Schola Græca, viros prudentes in ſæcularibus, & ad Curialia negotia pertractanda prioribus miſſis multò aptiores.] Et inferiùs: (b)

b Radev. lib. 1. c. 21.

II. Hisdiebus Henricus & Hyacinthus ſupradicti Nuntii Hadriani Papæ Ferrariam venerant, auditoque quòd Legati Imperatoris Mutinam rediiſſent: non ſperantes ipſos ſibi occurrere, humilitatis formam præbentes, quod inſolitum anteà fuerat, ad eos pergunt, expoſitaque cauſa legationis, quòd ſcilicèt ea quæ pacis eſſent, & honori Imperio, in mandatis haberent, dimittuntur. Jam verò adventum illorum per omnes partes illas, ubi arcta montium tranſituri erant, fama nuntiaverat, multoſque mortalium rerum alienarum cupidos id contra eos animaverat, quòd penè neminem latebat, majeſtatem Imperialem Romanis infenſam exiſtere; quòdque vitio aviditatis quiſque ardebat, ac ſi regiæ voluntati obſequeretur, temerarius intendebat, ſperans in hoc caſu latrocinium honeſtiori nomine poſſe palliari. A Ferraria itaque Veronam, à Verona per Vallem Tridentinam iter agunt, habentes ſecum gratia majoris ſecuritatis venerabilem Epiſcopum Tridentinum Albertum. Sed prævaluit auri ſacra fames, quæ quos arripuit, nihil umquam honeſtum, nil moderatum ſentire, vel appetere permittit. Nam Fridericus & Henricus Comites, quorum in illis partibus non parum poterat violentia, tàm Cardinales, quàm Epiſcopum captos, ſpoliatos in vinculis ponunt, donec Romanos quidam datus in obſidem nobilis vir germanus Hyacinthi, Epiſcopum autem evidenter divina potentia liberavit. Hanc tamen immanitatem Henricus nobiliſſimus Dux Bajoariæ & Saxoniæ ob amorem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & honorem Imperii non multò pòſt probè vindicavit. Namque & vadem eripuit, & Comites multis malis attritos ad deditionem & ſatisfactionem coegit.

Legati Sed. Apoſt. capti ſpoliati & in vinculis tenti.

B

III. c Idem c. 22.

Friderico (c) igitur *Imperatore* (ut jam dictum eſt) caſtra in campeſtribus Auguſtæ civitatis metato, ad ſuam eoſdem Legatos admittit præſentiam, eiſque clementer receptis, cauſam adventus exquirit. Illi reverenter ac demiſſo vultu, voce modeſta tale ſuæ legationis aſſumunt principium: Præſul S. R. E. veſtræ excellentiæ devotiſſimus in Chriſto Pater ſalutat vos, ſicut chariſſimum & ſpecialem ſancti Petri filium: ſalutant etiam vos venerabiles fratres noſtri, clerici autem veſtri univerſi Cardinales, tamquàm dominum & Imperatorem Urbis & Orbis.] At verba iſta

C

ſunt Radevici, non Legatorum. Aliis namque ab his diverſis eos uſos verbis Gunterus affirmat, recitatque verſibus iſtis:

Totaque Romani nunc maxima Curia Cleri
Te velut eximium Regem dominumque ſalutant.

Vide igitur quantum privata affectio potuerit in Radevico, verba pro arbitrio concinnante. At quid obeſt, ſi verè ipſa totidem verba ab ipſo reddita dixerimus Radevico? Nonnè & ad Chriſtianæ humilitatis exemplum Pontifex ipſe ſe nominat ſervum ſervorum Dei? Pergit verò: Quan-

D

ta dilectione S. R. E. amplitudinem & honorem Imperii veſtri amplectatur, quàm ſine conſcientia peccati veſtram ſatis invita ſuſtinuerit indignationem; & ſcripta præſentia, & in ore noſtro poſitæ vivæ vocis officium declarabit. Poſt hæc verba litteras offerunt, quæ venerabili Ottoni Friſingenſi Epiſcopo ad legendum ſimul & interpretandum datæ ſunt, viro utique, qui ſingularem habebat dolorem de controverſia inter regnum & ſacerdotium. Exemplar litterarum hoc eſt:

Hadrianus Epiſcopus ſervus ſervorum

E

Dei &c.

IV. Litteræ Hadr. ad Imp. pro concordia.

Ex quo univerſalis Eccleſiæ curam, Deo, prout ipſi placuit, diſponente ſuſcepimus, ita in cunctis negotiis magnificentiam tuam honorare curavimus, ut de die in diem animus tuus magis ac magis in amore noſtro & veneratione Sedis Apoſtolicæ debuiſſet accendi. Unde ſine grandi admiratione non ferimus, quòd cùm audito ex ſuggeſtione quorumdam, animum tuum aliquantulùm contra nos fuiſſe commotum, duos de melioribus & majoribus fratribus noſtris, Rolandum ſcilicèt Cancellarium tituli S. Marci, & Bernardum tituli

ſancti Clementis presbyteros. Cardinales, qui pro tuæ majeſtatis honore in Romana Eccleſia ſollicitiſemper extiterant, pro voluntatis tuæ cognitione ad tuam præſentiam deſtinavimus: aliter quàm Imperialem decuerit honorificentiam, ſunt tractati. Occaſione ſiquidem cujuſdam verbi, quod eſt, Beneficium, tuus animus (ſicut dicitur) eſt commotus; quod utique nedum tanti viri, ſed nec cujuslibet minoris animum meritò commoviſſet.

Licèt enim hoc nomen, quod eſt, Beneficium, apud quoſdam in alia ſignificatione, quàm ex impoſitione habeat, aſſumatur: tunc tamen in ea ſignificatione accipiendum fuerat, quam nos ipſi poſuimus, & quam ex inſtitutione ſua noſcitur retinere. Hoc enim nomen ex bono & facto eſt editum, & dicitur Beneficium, apud nos, non feudum, ſed bonum factum. In qua ſignificatione in univerſo ſacræ Scripturæ corpore invenitur, ubi ex beneficio Dei, non tamquàm ex feudo, ſed velut ex benedictione, & bono facto ipſius gubernari dicimur & nutriri. Et tua quidem magnificentia liquidò recognoſcit, quòd nos ita benè & honorificè Imperialis dignitatis inſigne tuo capiti impoſuimus, ut bonum factum valeat ab omnibus judicari. Unde quòd quidam verbum hoc, & illud, ſcilicèt (contulimus tibi inſigne Imperialis coronæ) à ſenſu ſuo viſi ſunt ad alium retorquere: non ex merito cauſæ, ſed de voluntate propria, & illorum ſuggeſtione, qui pacem regni & Eccleſiæ nullatenùs diligunt, hoc egerunt. Per hoc enim vocabulum (contulimus) nihil aliud intelleximus, niſi quod ſuperiùs dictum eſt, impoſuimus.

V. Sanè quod poſtmodùm perſonas Eccleſiaſticas à debita ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ viſitatione, ut dicitur, revocare juſſiſti: ſi ita eſt, quàm inconvenienter actum ſit: tua, fili in Chriſto chariſſime, diſcretio (ut credimus) recognoſcit. Nam ſi aliquid apud nos amaritudinis habebas, per Nuntios & litteras tuas nobis fuerat intimandum; & nos honori tuo curaviſſemus, ſicut filii chariſſimi, providere. Nunc igitur, quoniam ad commonitionem dilecti filii noſtri Henrici Bajoariæ & Saxoniæ Ducis, duos de fratribus noſtris, Henricum tituli ſanctorum Nerei & Achillei, & Hyacinthum ſanctæ Mariæ in Coſmedin * diaconos Cardinales, prudentes ſiquidem & honeſtos viros, ad tuam præſentiam deſtinavimus, celſitudinem tuam monentes & hortantes in Domino, * quatenùs eos honeſtè & benignè recipias; & quod ab eis ex parte noſtra tuæ magnificentiæ fuerit intimatum, à ſinceritate cordis noſtri noverit tua excellentia proceſſiſſe. Ac per hoc cum eiſdem filiis noſtris, mediante jam dicto filio noſtro Duce, ita celſitudo tua ſtudeat convenire: ut inter te ac matrem tuam ſacroſanctam Romanam Eccleſiam nullius diſcordiæ ſeminarium debeat remanere.] Huc uſque Hadriani Papæ litteræ per Legatos redditæ Imperatori. Pergit verò Radevicus r(a)

* diaconũ

* rogamus

r Radev. lib. 1. c. 23.

Pax inita inter Imp. & Pap.

Lectis & benigna interpretatione expoſitis litteris, Imperator mitigatus eſt, clementiorque factus; quaſdam cauſas alio loco memorandas, quæ ſeminarium diſcordiæ præſtarent, ſi non congrua emendatio interveniret, Legatis per capitula diſtinxit: quibus ad nutum Principis, & per omnia benè reſpondentibus, Præſulemque Romanum in nullo regiæ dignitati derogare, ſed honorem, ac juſtitiam Imperii ſemper illibatam conſervare pollicentibus, pacem & amicitiam tàm ſummo Pontifici, quàm omni Clero Romano reddidit, eamque ſigno pacis & oſculo abſentibus per præſentes deſtinavit; ſicque hilariores facti Legati, donatique regalibus muneribus divertunt in civitatem.] Pergit auctor res bellicas proſequi, deditionem Mediolanenſium, & alia, quæ noſtri non ſunt inſtituti.

VI. Ita quidem ſicut ſanctiſſimus, ita & prudentiſſimus Hadrianus, ut furentem conciliaret Imperatorem, dans ex commonitione Apoſtolica locum iræ, exemplo pariter Apoſtolico cedens ad tempus, ita vocem, Beneficium, eſt interpretatus, ut concitatam diſcordiam ſopiret magis quàm augeret; & ſi poſſet, pacem ejus culpa exulem in Eccleſiam revocaret. Sed ad breve tempus iſta ſubſiſtere potuerunt. Ubi enim haud altis radicibus pax intus plantata in corde ſubſiſtit, tamquàm fœnum tectorum, velociter quolibet æſtu urgente tentationis, areſcit. Sed de his anno ſequenti, reliqua Pontificis proſequamur.

Legatio a Hadr. Pap. in Longobardiã.

Miſit hoc eodem anno idem Hadrianus Papa Legatos à latere duos Cardinales Arditium & Ottonem ad uniendos pace atq; concordia diſſidentes inter ſe Longobardos. Meminit hujus Legationis Otto Morena in Laudenſi Chronico, aitque efficere non potuiſſe Legatos, ut Mediolanenſes ignoſcerent Laudenſibus, qui facti extorres civitatem Mediolanenſibus diripiendam reliquerunt. At hæc pluribus auctor, ex quo & quæ ſequuntur.

VII. Hoc eodem anno à Friderico Imperatore collectus eſt conventus Roncaliæ (eſt is locus inter Placentiam & Cremonam) ubi diſceptari voluit de Imperii regalibus; quænam illa eſſent. Res tunc in eo geſtæ ſcriptæ ſunt ab Ottone Morena Laudenſi, qui iis intererat, in Chronico Laudenſi, quod tunc elaboravit; ſic enim ait:

Coventus Roncaliæ habitus.

Intereà dominus Imperator in Roncalia colloquium in ſancto Martino proximo veniente maximum ſe conſtituit habiturum, præcepitque omnibus ferè Italiæ Principibus, atque civitatum Conſulibus, ut ipſi colloquio intereſſent. At quod etiam quatuor principales legis doctores, videlicèt dominos Bulgarum, & Martinum Goſiũ, ſeu Jacobum, atque Hugonem de porta Ravegnana, Bononiæ magiſtros intereſſe fecit. Iſtorum autem quatuor doctorum, & quamplurimorum aliorum fuit dominus Guarnerius doctor antiquior. Ad quem, cùm in extremis laboraret, acceſſerunt ſui ſcholares, dicentes: Domine quem vultis

post

Digitized by Google

poſt mortem veſtram doctorem nobis conſtituere? Quibus ipſe reſpondit per duo carmina infraſcripta.

Bulgarus os aureum, Martinus copia legum,
Hugo mens legum, Jacobus eſt quod ego.

Et ſic dominus Jacobus fuit doctor. Poſt iſta cùm dominus Fridericus Imperator ſemel equitaret ſuper quodam ſuo palafredo in medio dominorum Bulgari & Martini, exquiſivit ab eis: utrum de jure eſſet dominus mundi? Et dominus Bulgarus reſpondit, quòd non erat dominus quantum ad proprietatem: dominus verò Martinus reſpondit, quod erat dominus. Et tunc dominus Imperator cùm deſcendiſſet de palafredo, ſuper quo ſedebat, fecit eum preſentari dicto domino Martino. Dominus autem Bulgarus hoc audiens, dixit hæc elegantia verba: Amiſi equum, quia dixi æquum: Quod non fuit æquum.] Sed de his inferiùs. Pergit auctor:

VIII. Quid cum Doctoribus Bononienſibus.

Omnes prædicti convenere ad colloquium nono Kalendas Decembris ultra Padum prope Eccleſiam ſancti Petri de Cōturbia, in milleſimo centeſimo quinquageſimooctavo anno, Indictione ſeptima *inchoata*. Cùm autem Imperator, univerſique Principes, ac civitatum Conſules ibi inſimul conveniſſent: in primis vocavit Imperator eos prædictos Bononienſes magiſtros, juſſitque eis, quòd ipſi indicarent ſibi in veritate omnia jura regalia, quæ ratione Imperii in Lombardia ad ipſum ſpectarent, & ſua eſſe deberent. Qui reſpondentes Imperatori, dixerunt, ſe hæc nolle ſine conſilio facere aliorum judicum univerſarum Lombardiæ civitatum ibi tunc exiſtentium. Imperator itaque duos uniuſcujuſque civitatis Lombardiæ judices elegit, juſſitque eis, quòd ipſi omnes cum prædictis quatuor Bononiæ magiſtris ad conſilium irent, omniaque jura regalia quæcumque eſſent, diligenter inveſtigarent, ut cùm à conſilio recederent, ſub nomine fidelitatis, quam ſibi juraverant, ea omnia recto tramite (prout melius poſſent) publicè demonſtrarent. Ipſi autem judices cum vigintiocto, exceptis Bononiæ magiſtris, ſtatim ut Imperator juſſerat, ad conſilium euntes, de omnibus regalibus juribus inter ſe diligentiùs contulerunt. Qui poſtmodùm ad Imperatorem redeuntes, coram omnibus Principibus, omnibuſque civitatum Lombardiæ Conſulibus narraverunt in ſcriptis omnia jura, quæ ei jure regali noverant pertinere.

IX. Regalia adjudicata Imperatori.

Hoc autem ſic peracto, dominus Hubertus Mediolanenſis Archiepiſcopus unà cum Conſulibus Mediolani, omneſque alii præſentes Lombardiæ Epiſcopi, Comites, Marchiones, Duces, cæterique Italiæ Principes, ac omnium Lombardiæ civitatum Conſules ibi aſtantes, publicè in colloquio ipſo ſurgentes, in manu ipſius Imperatoris omnia, quæ prædicti judices jura regalia eſſe dixerant, refutaverunt, & ei fidem de ipſis omnibus fecerunt; ſtatimque Imperatore eis omnibus ſub nomine fidelitatis firmiter præcipiente, ne ipſi ampliùs de ipſis rebus intromitterent: omnes, & unuſquiſque tamen per ſe ampliùs de ipſis rebus non intromiſſuros, unanimiter ſpoponderunt. Inſuper etiam veram & perpetuam pacem ibi omnes inter ſe, & cum omnibus aliis perſonis deinceps ſe firmiter tenere juraverunt. Et in hoc Mediolanenſes privavere ſe de multis rationibus & dignitatibus, obtentis à diverſis Pontificibus & Imperatoribus, & promiſerunt ponere ſignum Aquilæ ſuper campanile Eccleſiæ majoris in ſignum fidelitatis, ac etiam quòd liberarent centum nonaginta Papienſes, quos habebant incarceratos. Ac etiam præcepit eis Imperator, ut ſervarent pacem perpetuam ſuis vicinis. Tametſi hoc Mediolanenſes atque Cremonenſes paucioribus ſeptem menſibus ſervaverunt, immò ante hoc ſpacium Laudenſibus, cùm nullum malum adhùc illis intuliſſent, pacem ipſam violavere. Deinde Mediolanenſes, Cremonenſes, Papienſes quoque & Placentini de ſtando & per omnia attendendo ipſius Imperatoris præcepto, ei tùm multos obſides tradiderunt. Ibique ipſe dominus Imperator multas leges quas fecerat, in ſcriptis redigi fecit; multaque etiam præcepta hortatu ſuorum Principum cuſtodiri præcepit. His itaque ſic peractis, cùm Imperator omnia ſe benè peregiſſe, & Imperium ſuum ſicut ſe decebat, in pace quieta obtinere putaret, quamvis in contrarium ſibi paulò pòſt contigerit, de Roncalia tamen diſceſſit.] Huc uſque de conventu Roncaliæ celebrato. Meminit ejuſdem Radevicus, qui & aliquas ibi leges conſtitutas affirmat.

X. De antiquioribus Jureconſul. judicium

Sed quòd de quatuor inſignioribus legum doctoribus, qui Bononiæ publicè hoc tempore profitebantur, mentio facta eſt, nempè de Bulgaro, Martino, Joanne, atque Jacobo, ſicut Bulgarus omnes excelluit, & probitate inſignis enituit, ita Martinus parùm feliciter munus abſolvit, atque haud laudabili exiſtimatione dimanavit ad poſteros, ut de ipſo Jaſon illud uſurpet: Martinum nihil unquam ſani, verique dixiſſe. Ut tu intelligas, Lector, quis, qualiſve fuerit, qui tanta tribuit Imperatori. Sed & cervicoſus eſt habitus, ut quam ſemel defendendam ſuſcepiſſet opinionem, quantumlibet erroneam & ſingularem, numquam dimiſerit, ſed obſtinatè omni conatu tueri perſeverarit: adeò ut in vulgare proverbium ejus durities apud Jureconſultos in hanc uſque diem pertranſierit, ut Martinum appellent, qui ſuæ ipſius ſententiæ ſingulari pertinaci ſtudio inhæreſcat. Contrà verò, quem præ cæteris à Guarnerio laudatum audiſti Jacobum, hunc cognomento, De regione dictum, ſummoperè laudavit defunctum epiſtola ſua Petrus (a) Bleſenſis, quam potiùs publicum dixeris epitaphium, tanti viri gloriam immortalitati conſecrans. Cùm tamen neſcio quomodò hunc tanta luce coruſcum non viderit, qui recentiorum Jureconſultorum vitas conſcripſit: nam penitùs prætermiſit.

a *Pet. Bleſ. ep. 173.*

I. Quomodò diſcordia renovata inter Imp. & Roman. Pont.

QUI ſequitur annus Redemptoris milleſimus centeſimus quinquageſimus nonus, Indictione ſeptima, inter Imperatorem atque Romanum Pontificem diſcordiis iteratis, fuit rerum difficilium agendarum moleſtiis Romanæ Eccleſiæ infeſtiſſimus. Quænam iſta fuerint, ab auctore qui habebat præ oculis, ſunt petendà, nempè Radevico qui aderat, ſicque narrare pergit: (a) Friderico in hibernis agente, Hadrianus Romanæ Urbis Antiſtes quorundam inſtinctu, ea quæ jam inter ipſum & Imperatorem apud Auguſtam ſopita fuerant, refricare cœpit, & denuò meminiſſe, modò Nuntiorum ſuorum injuriam, modò eorum qui pro colligando fodro directi fuerant, inſolentiam, & Caſtellanorum ſuorum gravamen incuſans, ſe pro bonis mala ſuſcepiſſe, Imperatorem beneficiis ſuis ingratum exiſtere. Proinde occaſionem quærens, cùm audiſſet, quòd regalia Principi tàm ab Epiſcopis & Abbatibus, quàm à civitatibus, & proceribus recognita fuere; litteras in fronte quidem leniores, diligentiùs verò conſideratæ acriori commonitione plenas ſuper hoc negotio dirigit, eaſque quidam indignus & vilis nuntius præſentans, antequam recitatæ fuiſſent, diſparuit. Qua de re commotus caloreque juvenili ad vicem rependendam accenſus, meditationem concipit, non quidem per abjectam, ſed per honoratam illi reſpondere perſonam.

a Radevic, l.2, c.15.

Jam anteà miſſus fuerat ad Sedem Apoſtolicam Epiſcopus Vercellenſis, amicam deferens petitionem, quatenùs Guidonem nobilem juvenem filium Comitis Guidonis Blandratenſis, cujus ſuprà mentionem fecimus, quem loco Anſelmi Princeps in Ravennate Eccleſia ſubrogari fecerat, ibidem confirmaret & ordinaret. Nam idem juvenis † infra ſacros ordines adhùc exiſtebat, & clericus Romanæ Eccleſiæ pridem factus, ac in ſubdiaconum à Papa Hadriano conſecratus, non niſi ejus conniventia & aſſenſu in aliam Eccleſiam transferendus putabatur. Cùm autem hoc à Romano Pontifice, volente in irritum revocare quod factum fuerat, negaretur: mittitur denuò Hermanus Verdenſis Epiſcopus in idipſum; ejuſque negotium etiam effectu caruit. Quòd ſi quis pleniùs ſcire deſiderat, epiſtolas utrimque directas conſulat, quorum talia ſcripta inveniuntur.

† malè infrà ſacros ordines ponis ſubdiaconatum.

II. Litteræ Imper. de promoven. do Guidone ad Ravenn. Eccl.

Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus Hadriano Romanæ Eccleſiæ venerabili Pontifici.

Dilecto & fideli noſtro Anſelmo bonæ memoriæ Ravennenſis Eccleſiæ venerabili Epiſcopo defuncto, ne Curia noſtra diutiùs tanto careret Principe, operam dare curavimus, loco ejus talem ſubrogare perſonam, quæ pro tempore ad reſarcienda Eccleſiæ illius damna, & ad noſtrum peragendum ſervitium apta videretur. Ante omnia autem præ oculis mentis habentes, & aure non ſurda audientes quod ſcriptum eſt. (b) Honore invicem prævenientes; filium Comitis Blanderatenſis, quem vos in clericum Romanæ Eccleſiæ & filium noſtra petitione aſſumpſiſſe recordati ſumus: vieiſſim ad honorem veſtrum & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ altiùs ſublimari intendimus, in ea præſertim Eccleſia, quam poſt ſanctam Romanam Eccleſiam, aut maximam, aut unam de maximis habemus, noſtræque voluntatis propoſito, divina favente clementia, in electione illius perſonæ concorditer & voluntariè univerſa Ravennas convenit Eccleſia, præſentibus viris honeſtiſſimis, Legato noſtro & veſtro, hinc Hyacinto Cardinali, inde Hermanno Verdenſi Epiſcopo. Scientia autem & moribus in perſonam præfati Electi unà cum genere convenientibus, propter reverendum veſtræ paternitatis teſtimonium commendabilior & acceptior eadem perſona nobis jam facta eſt, quam utique etiam diligi à vobis, & honorari gaudemus, & volumus, ea tamen ratione & ordine, quo patres filios ſuos ſolent diligere, quos ſuo tempore & manumittunt, & domui ſuæ providere permittunt. Et quidem decentiſſimum eſt, ſanctam Romanam Eccleſiam, tamquàm matrem omnium Eccleſiarum, filios qui ſunt fructus ventris, aggregare, & aggregatos ad decorem domus Dei per domos & familias diſtribuere. Quibus etiam noſtrum Imperium tamquàm ab utero & gremio matris noſtræ progredientibus debeat, & velit congruum honorem impendere. Proinde altiori conſideratione veſtra perpendat diſcretio, quid in hac cauſa tàm veſtræ quàm noſtræ majeſtati & honeſtati conveniat.] Hactenùs Imperatoris ad Hadrianum Papam epiſtola, cui idē auctor mox ſubiicit illā, quam Pontifex reddidit Imperatoris, iſtis ſcilicèt verbis:

b Rom. 12.

Hadrianus ſervus ſervorum Dei chariſſimo in Chriſto filio Friderico illuſtri Romanorum Imperatori ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

III. Epiſt. Hadriani de non promovendo Guidone.

Qualiter ſuperni Conditoris intuitu, & tàm excellentiæ tuæ, quàm dilecti filii noſtri Guidonis Blanderatenſis Comitis interventu dilectum filium Guidonem ſubdiaconum noſtrum, ejuſdem Comitis filium olim in familiaritatem & in noſtrum conſortium receperimus; qualiter etiā intuitu probitatis ejuſdem atque pro honore & utilitate ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, tamquàm ſi in diaconum jam fuerit ordinatus, Eccleſiam ei ſpecialiter, aſſignaverimus: & nos profectò memores, ſumus

A mus à ſerenitatis tuæ memoria non credimus excidiſſe. Nunc autem honeſtatem ipſius conſiderantes, & profectum ſcientiæ, ſi ei vita comes fuerit, attendentes; intelligentes etiam quanta per eum, ac per nobiles & potentes parentes ipſius ſacroſanctæ Romanæ Eccl. adhùc poterint commoda provenire, & ad quantum dignitatis apicem in eadem Romana Eccleſia ipſe valeat, vita generi concordante, conſcendere, cùm à Sede Apoſtolica in ſubdiaconatus officium ſit promotus, & ei tamquàm ſi jam diaconus eſſet (ſicut ſuperiùs dictum eſt) à nobis ſit Eccleſia ſpecialiter aſſignata: communicato fratrum noſtrorum conſilio, à noſtro latere tàm pretioſum pignus, juxta petitionem excellentiæ tuæ, non potuimus removere; ſed ipſum opportunitate accepta, Deo auctore, in Rom. Eccleſia ad honorẽ ejuſdẽ Eccleſiæ & Imperii intendimus ordinare, ut vel in ea, prout divina gratia propoſuerit, quandoque ad ſublimiora conſcendat, vel exinde ad alterius Eccleſiaſticæ faſtigium dignitatis ipſum contingat, auxiliante Domino, pervenire. Convenientius ſiquidem eſt, ut qui filius & clericus eſt Rom. Eccleſiæ, ab ejus gremio non recedat; & ipſa ei circa ſe locum dignitatis conferens, eidem inde provideat altiora. Ipſa etenim viros & moribus & ſcientia adornatos, præditos honeſtate, & ſanguinis nobilitate præclaros ad ſe libenter evocat, & eos aliundè conſuevit admittere, non ſe talibus, cùm ipſos in gremio ſuo habeat, facilè ſpoliare. Quia igitur hoc decentius eſſe conſpicimus, & honorabilius exiſtere arbitramur, confidentes etiam Imperatoriæ majeſtati hoc potiùs debere placere, & gratum atque acceptum eſſe: poſtulationem tuam in hac parte non duximus admittendam, credentes atque ſperantes, quòd ex quo noſtram ſuper hoc cognoveris voluntatem, tu ipſe noſtram intentionẽ & propoſitum commendabis.] Hucuſque ad Imp. Hadrianus Papa. Pergit autem Radev. (a):

a *Radevic. l.2.c.18.*

IV. Princeps ergò & ipſe, accepta occaſione, ſuam hoc modo ſolatur indignationem. Jubet Notario, ut in ſcribendis chartis nomen ſuum præferens, Romani Epiſcopi ſubſecundet, & dictionibus ſingularis numeri ipſum alloquatur. Qui mos ſcribendi cùm antiquitùs in uſu eſſet communi, à modernis ob quamdam perſonarum reverentiam & honorem putatur immutatus. Ajebat ſiquidem Imperator, aut Papam debere ſervare ſuorum anteceſſorum ad perſonam Imperialem ſcribendi conſuetudinem; aut ſeipſum antiquorum Principum morem in ſuis epiſtolis oportere obſervare. Hæc itaque cauſa ſermonum & nunciorum majorem inter eos ſimultatis fomitem miniſtravit.] Non extant litteræ Friderici ad Hadrianum iis contumeliis inſignes, ſed quas reſcripſit ad ipſum Pontifex, habentur in Appendice ad Radevicum, his verbis conſcriptæ ex Nauclero, qui ſe eas in Hirſangienſi cœnobio Spirenſis diœceſis repeciſſe, teſtatus eſt:

V. Hadrianus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Friderico Romano Imperatori ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Lex divina (b) ſicut parentes honorantibus longævitatem promittit, ita maledicentibus patri & matri ſententiam mortis intendit. Veritatis autem voce docemur, (c) quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur. Quapropter, dilecte in Domino fili, ſuper prudentia tua non mediocriter admiramur, quòd B. Petro & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ non quantam deberes, exhibere reverentiã videris. In litteris enim ad nos miſſis nomen tuum noſtro præponis: in quo inſolentiæ, ne dicam arrogantiæ notam incurris. Quid dicam de fidelitate B. Petro & nobis à te promiſſa & jurata; quomodò eam obſervas, cùm ab iis qui dii ſunt, & filii excelſi omnes, Epiſcopis videlicèt, homagiũ requiris, fidelitatem exigis, & manus eorum ſacratas manibus tuis innectis, & manifeſtè factus nobis contrarius, Cardinalibus à latere noſtro directis non ſolùm Eccleſias, ſed & civitates regni tui claudis? Reſipiſce ergò, reſipiſce, tibi conſulimus. Quia cùm à nobis conſecrationem & coronam merueris, dum inconceſſa captas, ne conceſſa perdas, nobilitati tuæ timemus.] Hæc Hadrianus ad Fridericum, qui ad eum tunc iſta reſcripſit:

b *Exod.* 20.

c *Matt.* 10.

Quærela Hadr. Pap.

VI. Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus Hadriano Eccleſiæ Catholicæ Pontifici omnibus illis adhærere, quæ cœpit Jeſus facere & docere.

Lex juſtitiæ unicuique quod ſuum eſt reſtituit. Non enim parentibus noſtris derogamus, quibus in hoc regno debitum exhibemus honorem, à quibus videlicèt primogenitoribus noſtris & regni dignitatem ſuſcepimus & coronam. Numquid tempore Conſtantini Silveſter regalis aliquid habuiſſe dignoſcitur? ſed ejus pietatis conceſſione libertas reſtituta eſt Eccleſiæ, pax reſtituta eſt: & quidquid Papatus veſter habere dignoſcitur, largitione Principum obtinet. Unde cùm Romano Pontifici ſcribimus, jure antiquo & nomen præponimus, & ad juſtitiæ normam eidem nobis ſcribenti concedimus. Revolvite Annales, & ſi lectum neglexiſtis, quod aſſerimus, illic invenitur. Ab iis autem qui Dei ſunt per adoptionem, & regalia noſtra tenent, cur homagium & regalia ſacramenta non exigamus? cùm ille noſter & veſter inſtitutor ab homine Rege nihil accipiens, ſed omnia bona omnibus conferens, qui pro ſe (d) & Petro cenſum Cæſari perſolvit, & exemplum vobis dedit, ut ita faciatis, doceat vos dicens: (e) Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde. Aut igitur regalia noſtra nobis dimittant, aut ſi hæc utilia judicaverint: quæ Dei Deo, quæ Cæſaris Cæſari perſolvant. Cardinalibus utique veſtris clauſæ ſunt Eccleſiæ, & non patent civitates; quia non videmus eos prædicatores, ſed prædatores; non pacis corroboratores, ſed pecuniæ raptores, non Orbis reparatores, ſed auri inſatiabiles corraſores. Cùm autem viderimus eos,

Quæ in Pontificem Frideric. Imp.

d *Idem* 17.

e *Idem* 11.

quales

qu s les requirit Eccleſia, portantes pacem, illuminantes patriam, aſſiſtentes cauſæ humilium in æquitate: neceſſariis ſtipendiis & commeatu eos ſuſtentare non differemus. Humilitati autem, quæ eſt cuſtos virtutum, & manſuetudini non minimam notam inuritis, cùm hujuſmodi quæſtiones religioni non multùm conferentes ſæcularibus perſonis proponitis. Provideat itaque paternitas veſtra, ne dum talia movet, quæ indigna ducimus, offendiculum ponat illis, qui velut ad imbrem ſerotinum ori veſtro aures ſuas arrigere feſtinant. Non enim non poſſumus reſpondere auditis, cùm ſuperbiæ deteſtabilem beſtiam uſque ad Sedem Petri reptaſſe videmus. Paci Eccleſiæ benè ſemper providentes, benè ſemper valete.

VII. Audiſti Lector, Imperatorem ad tempora Conſtantini revocare originem privilegiorum Apoſtolicæ Sedis? Et cur non magis ad Chriſtum? ut probat, & docet abundè Nicolaus Papa, ſcribens ad Michaelem Auguſtum, & alii Romani Pontifices, cùm de his fuit ipſis agendum adversùs alios Imperatores, eadem ipſa ex rerum ignorantia reſricantes. At quid provocat Fridericus ad Annales Hadrianum Romanum Pontificem? utinam ipſe conſuluiſſet quos citat Annales, haud certè progenitoribus ſuis acceptum tuliſſet Imperium, ſed tantùm Apoſtolicæ Sedi, ſine cujus nutu nihil prodeſt genitum eſſe ex Imperatore ut quis poſſit fieri Imperator, ſed tantùm quem elegerit, vel eligendum conceſſerit ipſe Papa, ut pluribus eſt demonſtratum in notatis ſuperiùs locis, anno videlicèt octingenteſimo, atque pleniùs nongenteſimo nonageſimoſexto. Ad quæ loca Lectorem provoco, ne eadem hic ſint non ſine tædio repetenda.

Addita adhùc ſunt iis alia diſcordiarum fomenta, quæ idem Radevicus ubi ſuprà, narrare ſic pergit: (*a*) Hæc itaque cauſa ſermonum & nuntiorum majorem inter eos ſimultatis fomitem miniſtravit, in tantum, ut quædam litteræ deprehenſæ dicerentur à Sede Apoſtolica directæ, quæ Mediolanenſes, & quaſdam alias civitates rurſùs ad defectionem hortarentur. Hujus negotii veritatem tenor ſubjectarum epiſtolarum declarabit, quæ à diverſis perſonis hinc indè miſſæ ſunt.] Atque primo loco ponuntur quæ tunc ſcriptæ fuerunt à presbytero Cardinali Henrico tituli ſanctorum Nerei & Achillei ad Epiſcopum Bambergenſem, pro pace integranda inter Imperatorem & Pontificem, quæ ſic ſe habent; (*b*)

a Radevic. lib. 1. c. 18.

b Id. ibid.

VIII. Henrici Card. pro pace Querenda ep.

Venerabili patri & fratri & amico chariſſimo Eberardo Dei gratia Babenbergenſi Epiſcopo Henricus eadem gratia S.R.E. presbyter Cardinalis tituli SS. Nerei & Achillei ſalutem in Domino.

Sicut virtus Imperatoria ex eorum qui ſibi aſſiſtunt, diſcretione monſtratur; ita & ipſi, quorum munitur conſilio, propriæ conſcientiæ & honeſtati debent attendere; quia & ipſorum honor ſic ad dominos ſpectare videtur, ſicut & domini detrimentum in eos proculdubiò refunditur & redundat. Ea propter, dilecte pater & venerande frater & amice chariſſime, veſtram non tàm docemus, quàm monemus prudentiam, ut Imperialis dignitatis excellentiam, quantum in vobis eſt, in ea quæ ad pacem ſunt, & ad honeſtatem ſpectant, jugiter ſuadeatis. Subtilius enim & ſincerius in his quæ ad Deum pertinent, & juſtitiæ libertatem, ratio & diſcretio veſtra intelligit & cognoſcit, quam alii Principes, quantumcumque nobiles ſint, qui tamen ſacros canones, & ea quæ olim à Patribus diſpoſita & ordinata ſunt, nō noverunt. Interfuiſtis ipſe, ſicut unus ex nobis, fideliſſimus mediator eis, quæ cum domino Imperatore de pace Eccleſiæ & ipſius ordinata ſunt in Alemania, & eis quæ altera die nos ſecum fideliſſimè, & ipſe nobiſcum benigniſſimè de eadem pace tractavimus. Nunc autem ex litteris, quas celſitudini ſuæ poſt reditum meum domino meo placuit deſtinare, quæ videlicèt nec ſtylum, nec antiquam conſuetudinem Imperialium litterarum obtinebant, timemus multùm, ne ſit in diverſa mutatus, & alia modo ſibi ſit facies, ſenſuſque diverſus. Replevit cor meum amaritudine, & faciem meam confuſione mutatio hæc. Quidquid honoris & jucunditatis & gloriæ apportaveram mecum, ex litteris illis videtur eſſe ſepultum atque obnubilatum. Ideò dilectiſſime frater & amice chariſſime, Epiſcopalis dignitas & ſacerdotii ordo, in quo vos providentia divina conſtituit, moneant diſcretionem veſtram, & inſtruant, ut ad honorem Dei ſtetis & veſtrum, & pro honeſtate & libertate Eccleſiæ, ut in antiquis limitibus Eccleſiæ integritas conſervetur, ne temporibus veſtris, novis conſiliis honeſtas uſque modò turbata turbetur. Satis turbatum eſt, quidquid ſecundùm conſilium veſtrum putabamus efficere. Et dicimus vobis, quamdiu per homines rerum divinarum ignaros negotia portabuntur, ſtabiliri pax incepta non poterit; ſed ſi præſentia veſtra, & domini Præpoſiti Magdeburgenſis ſummam de pacis labore ſuſceperit: zelus Dei & ſcientia, qua præminetis uterque, finem pacificum ad honorem Dei & Eccleſiæ, & Imperatoris noſtri gloriam, per induſtriam veſtram & ſtudium veſtrum facillimè poterit obtinere. Alioquin ſi tempore iracundiæ repertus non fuerit, qui reconciliationi intendat, & in cujus verbis poſſint iſta ſcandala complanari: res ipſa forſan aliud exiget; & quod hodiè integrum eſt, major vehementia neceſſitatis dirumpet.] Hucuſque Henricus Cardinalis noſtri tituli decus & ornamentum: qui & anxius revocandæ eanſis pacis, alias ad eumdem Epiſcopum litteras addidit, quibus iſta quæ ſequuntur, amaro animo ipſe reſpondit. Recitat eas litteras Radevicus his verbis: (*c*)

c Ibidem.

IX. Henrico ſanctorum Nerei & Achillei Dei gratia presbytero Cardinali &c. Eberardus Babenbergenſis Eccleſiæ eadem gratia Epiſcopus, ſi quid eſt, orationis & ſervitii omnimodam devotionem.

Litteris veſtræ paternitatis lectis, & re-

Quæ ad Henricum Eberardus.

A lectis, admirari ſatis non potui, quod eſſet illud verbum, immò quod eſſet illud, Væ, de quo ſcripſeratis mihi, cùm adhùc à me proſsùs eſſet abſconditum. Quæritans autem inveni quod volui, & unde multùm dolui, teſte Deo, & multùm doleo. Audivi, & conturbatus, & triſtatus ſum. Contremuerunt omnia oſſa mea, adhæſit cutis oſſibus meis. Et quidem intellexi, & cognovi, quòd bono ſemini non meo, ſed veſtro, pacis & concordiæ conſilio inimicus homo ſuperſeminaverit zizania. Omnia mala à bonis principiis orta ſunt. Sicut in ſacro eloquio: (a) Paravit Dominus vaſa mortis, ſagittas ardentes effecit, ita & in Imperialibus geſtis ac dictis ſimul ac ſcriptis pleraque reperiuntur, quæ alios ſeducunt, alios ædificant. Annales quandoque revolvuntur, apices Imperiales recitantur, fortè in ea forma, quæ illi ætati, & tàm bonitati, quàm ſimplicitati temporum illorum competebat, hominibus tunc in directum loquentibus, neque numerum numero commutantibus, neque perſonas præpoſterantibus. Nunc verò mutata ſunt omnia. Sed non expalleſcat aurum, nec mutetur color optimus, nec diſpergantur lapides Sanctuarii in capite omnium platearum. Si qua exorbitatio conſuetudinis modernæ facta eſt, his exemplis facta eſt, & hac occaſione, quia flamma ſopita denuò quodam vento reſuſcitata eſt per litteras, quas dominus Papa nuper direxit domino Imp. ſuper ea quæſtione, quæ vertitur inter Brixienſes & Bergomenſes, de contentione duorum caſtrorum: quas quidam pannoſus & velut hoſtis & inſidiator domino Imperatori deſpectivè quodammodò obtrusit, & ultrà non comparuit, quæ videbantur duriores, & quaſi interdicti vim in ſe continentes, ne dominus Imperator cauſæ illius judicium ſibi aſſumeret.

a Pſal. 7.

X. Hæc autem ſcribo vobis, non ut quæram palliare, quæ pallianda non ſunt, ſed ut vos, & alii prudentes, & timentes Deum faciliùs morbo ſubveniatis, cauſa morbi cognita. Hinc indè dicimus, & ſcribimus quotidiè. Venite, venite: Veniemus, veniemus. Sedemus (ſalva multa veſtra ſanctitatis reverentia dictum ſit) ſedemus & oſcitamus; ſedemus inquam, ut ait quidam in Romana Republica, nocte diem, die noctem expectantes, & jam prudentes & ſcientes perimus. De me dico vobis (ut ruis loquar auribus) nolo mali nuntii eſſe bajulus: neque veniam, ut audiam vel referam amaras hiſtorias; verba verbis obviant, quaſi pila minantia pilis. Ubi eſt ſapientia, ubi prudentia in regno & ſacerdotio? Separet nos Deus ab his, de quibus dicitur: (b) Omnis ſapientia eorum devorata eſt. Non dicatis nobis ultrà, Venite; ſed potiùs vos claves habentes ſcientiæ nos prævenite; non invitati venite, & docete filios veſtros, non in amaritudine ſpiritus, ſed in lenitate & multa manſuetudine: Parcat illis Deus, qui oleum quaſi camino addentes, inter patrem & filium, inter regnum & ſacerdotium ſeminant diſcordias. Inſipiens factus ſum, vos coegiſtis me. Veniant pro Deo, nuntii boni, portantes pacem, tamquàm ſcientes, & docentes nos: inſtate opportunè, importunè. More ſolito ſcribantur litteræ, adjuvante Domino: Flebile principium, medium, finis ſcilicèt vertetur in gaudium. Dominus Imperator, ſuperveniente Nuntio veſtro, propter quædam ſecreta negotia ſubitò à caſtris diſceſſit. Ideò ego meis inſinuationibus certum reſponſum ab eo elicere, neque vos litteras

b Pſal. 107.

B ejus incontinenti habere potuiſtis. Qualis ſit, vos ſcitis. Diligentes ſe diligit, aliis alienum ſe facit, quia nondum perfectè didicit etiam inimicos diligere.] Hactenùs Epiſcopus Babenbergenſis, qui & ad Romanum Pontificem iſta ſcripſit itidem pro concilianda concordia: (c)

c Radevic. l. 2. c. 20.

XI. Eberardi ad Hadr. Pap. Epiſc.

Cùm & tacendi & loquendi tempus ſit: quando commune inſtat periculum, deſperationis potiùs, quàm religionis eſt, ſervare ſilentium: omnium eſt conclamare, in unum concurrere, ac ferre præſidium. Quando autem impetus hoſtilis, aut incendium ingruerit civitati: præſertim C eorum intereſt, qui vigiles civitatis ſunt, eos qui in arce ſunt, ipſum quoque patremfamilias expergefacere ad ſubveniendum in neceſſitatis articulo. Hac officii mei conſideratione & ſpecialis debiti, quo teneor multis rationibus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ego licèt minimus Epiſcoporum, qui nec ſum dignus vocari Epiſcopus, tàm impudenter, quàm imprudenter exclamo ad vos, reverendiſſime Pater & domine, hoc in tempore, quo nobis infirmioribus videtur imminere, quòd multum pertimeſcimus periculum, & quidem ab illa olla, quam (d) ſuccenſam ab D Aquilone vidit olim Propheta. Ignis quidàm per ſcintillas occultas cœpit erumpere, ſed adhùc in fumo eſt, & Deo gratias, nondùm in flammam eluxit. Inter vos domine, & filium veſtrum dominum noſtrum Imperatorem verbo tenus adhùc aliquid perturbationis eſt, timendum valdè, & metuendum, ne verba verbis obviantia ſua colliſione flammam tandem excutiant, quæ ſe latiùs diffundat in ſacerdotio & regno, quod Deus avertat. Ipſe filius veſter, ſicut noſtis, dominus noſter eſt; vos autem quomodò Chriſtus, magiſter, & Dominus. Nemo noſtrum E audet dicere hinc vel indè: Cur hoc facitis, aut dicitis? Optamus tantùm, & rogamus ea, quæ ad pacem ſunt.

d Jerem. 1.

XII Quòd ſi liceret, ſalva reverentia, verba ſingula trutinare, & rationem ſingulorum exigere (in inſipientia dico) non, ut arbitror, expediret, quia potiùs ignis ſine mora diſcutiendus eſt, quàm de igne, qua de parte venerit, diſceptandum. Suprà me eſſe ſcio quæ loquor, ſed in ſimplicitate cordis mei coram eo, qui ſuper omnes & ſecretorum eſt conſcius, hæc loquor; & ex quo cœpi ſemel, loquar adhùc vobis

confi-

A confidenter tamquàm Patri & domino, omiſſis illis, quæ aliter & aliter, ſecundùm varias auditorum, & interpretum mentes poſſunt accipi. Dignetur ex integro ſcribere veſtra paternitas placidè ac benignè filio veſtro domino noſtro Imperatori, & ad ſe paterno affectu eum revocare, promptum ad exhibendam vobis omnem reverentiam. Samuel David ſuum amplectatur, nec dimittat à ſe ſeparari, ut nulla ſciſſura chlamydis fiat, quatenùs Deus honoretur, & Eccleſia Catholica tranquilla devotione lætetur.] Hæc ad Papam Hadrianum Epiſcopus Babenber- B genſis Eberardus, de quo idem auctor: (a) Erat enim idem Epiſcopus religione & ſcientia præditus, vitæque purioris inſtitutionibus inſtructus. Cùmque ad fidem Imperii & honorem præ cæteris diligentiam habere cognitus eſſet, apud quamplurimas terras opinio de eo celeberrima pervulgata eſt. Ejuſque ſtudium circa Scripturæ ſenſus, ac quæſtionum diſcuſſionem, tàm attentè verſabatur, ut inter prœlia commanens, diverſas & ingentes curas earum ſedula meditatione ſolaretur. Cùm autem omnes Epiſcopos, ſeu cujuſlibet ordinis Eccleſiaſtici viros Imperator C diligeret, eoſque ampliori honore dignos duceret: ſpecialiter tamen memorati viri, ſicut prudentiſſimi, nitebatur conſilio, eumque dignum æſtimavit, in cujus arbitratu & diſcretione operas ſuas locaret, & onus ſimul ac honorem communicaret.] Hæc ipſe. At quæ narravimos, facta ſunt hoc anno ante Paſchale tempus, ut ejuſdem auctoris aſſequimur verbis.

a *Radevic.* l.2.c.29.

Laudes Eberardi Epiſc. Babenberg.

XIII.

Alia legatio miſſa ab Hadr. ad Imp.

Quomodò autem poſt hæc venerit legatio ab Hadriano Papa in caſtra ad Imperatorem, & quid attulerit, quidve geſtum ſit, ita idem Radevicus proſequitur: *(b)* Præter alios Principes nobiles atque ſa- D pientes interfuere ſuæ collationi & negotio Sedis Apoſtolicæ Legati, videlicèt Octavianus tituli ſanctæ Cæciliæ presbyter Cardinalis, Henricus tituli ſanctorum Nerei & Achillei, Vvillelmus Cardinalis diaconus, anteà Papienſis Archidiaconus, & Guido Cremenſis diaconus Cardinalis, miſſi à Papa Hadriano, quorum itineris cauſas, ſimulque Nuntiorum Senatus populique Romani, reſcriptum litterarum venerabilis viri Eberardi Babenbergenſis Epiſcopi ſubter annotatum continet, quod tale eſt.] Quo videlicèt de E rebus, quæ ad pacem pertinent, pertractatis Epiſcopum Saltzburgenſem reddidit certiorem his verbis:

b *Id. c.* 30.

Reverendiſſimo patri & domino Eberardo Saltsburgenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo Eberardus Babenbergenſis gratia Dei, ſi quid eſt, cum oratione qualicumque ſervitium devotiſſimum.

Scio, pater ſanctiſſime, ſacræ pietatis affectu vos compati meis laboribus, & animæ mihi ſalutem & corpori quietem concupiſcere. Ut autem noveritis, quoad compati vos mihi oporteat: dico vobis, quòd jam tædeat animam meam vitæ meæ, A duo ferens onera in animo meo graviſſima, quòd & cinctus ducor quò nolo; & quàm diu durare debeat, ignoro, veſtris & aliorum Fidelium orationibus adjuvari deſiderans, ut ab illis ſeparer, quibus juravit (c) Dominus in ira ſua: Si introibunt in requiem meam. Super hæc tempora periculoſa inſtare videntur, & propè eſt, ut inter regnum & ſacerdotium moveatur diſcordia. Et quidem Cardinalibus à domino Papa ad dominum Imperatorem tranſmiſſis, domino videlicèt Octaviano, & domino Vvillelmo quondam Papienſi Ar- B chidiacono, poſt lene principium & ingreſſum quaſi pacificum, capitula duriſſima propoſita ſunt, verbi gratia.

c *Pſal.* 95.

XIV.

Capitula ab Imper. ſervanda.

Nuntios ad Urbem, ignorante Apoſtolico, ab Imperatore non eſſe mittendos, cùm omnis magiſtratus inibi beati Petri ſit cum univerſis regalibus.

De dominicalibus Apoſtolici † fodrum non eſſe colligendum, niſi tempore ſuſcipiendæ coronæ.

† al. ſoderũ, ideſt ſenum & paleã. Sic lege in Conſtitutione ejuſdẽ Imper. de Pace Conſtãtię, pro, Sodriũ, & ita pariter legas ſuperiùs Tom. XI. Annal. pagin. 692. A. verſ. 8. Edit. Rom. pro feudũ. In margin. varia lectione malè addita.

Epiſcopos Italiæ ſolùm ſacramentum fidelitatis ſine hominio facere debere domino Imperatori.

Neque Nuntios Imperatoris in palatiis C Epiſcoporum recipiendos.

De poſſeſſionibus Eccleſiæ Romanæ reſtituendis, & tributis Ferrariæ, Maſſæ, Ficodenſis, totius terræ Comitiſſæ Mathildis, totius terræ quæ ab Aquapendente eſt uſque Romam, Ducatus Spoletani, inſularum Sardiniæ & Corſicæ, Domino autem Imperatore ſuper his juſtitiam & conſilium conſtanter offerente, ſi & ipſi juſtitiam vellent facere & recipere: illis verò recipere tantùm volentibus & non facere, hac ratione, quòd dominum Apoſtolicum cauſæ ſubiicere, ac judicio ſiſtere non poſſent.] Hæc à Le- D gatis Apoſtolicæ Sedis. Quæ autem contra Pontificem ſunt propoſita ita Radevicus:

Et è contrario, domino Imperatore multa proponente de rupta concordia, quæ in verbo veritatis ſibi compromiſſa fuerat, de Græcis, de Siculo, de Romanis ſine communi conſenſu non recipiendis.

De Cardinalibus quoque ſine permiſſione Imperiali liberè per regnum tranſeuntibus, & regalia Epiſcoporum palatia ingredientibus, & Eccleſias Dei gravantibus.

E De injuſtis appellationibus, & cæteris quamplurimis brevitatem ſuperantibus.

Propoſita ab Imper. contra Pótif.

Cùm Apoſtolicus per Nuntiũ & litteras Cardinalium prædictorum ex conſenſu Imperatoris ſubmonitus, Cardinales alios ad hæc omnia complananda requiſitus, his qui adeant Nuntiis ſuis, & Curiæ Principibus nollet adjungere: unitatis & concordiæ verbum diu deſideratum, peccatis noſtris exigentibus, evacuatum eſt.

Legatio Romanorũ ad Imp.

Et dum hæc agerentur, Nuntii Romanorum, *Senatus ſcilicèt populique Romani*, ſupervenientes, & ea quæ pacis ſunt, rogan-

gantes, benè recepti ac dimiſſi ſunt. Rogatu tamen Cardinalium dominus Imperator Nuntios ad dominum Papam, & ad Urbem miſſurus eſt, ut cum Apoſtolico ſi ipſe voluerit, primo loco pax fiat; ſin autem, cum Senatu & populo Romano. Dominus Imperator in magna eſt gloria, dominam Imperatricem & Ducem Bajoariæ & Saxoniæ cum aliis ſuperventuris Principibus & copiis exercitus expectans, & quoſdam de melioribus ex Mediolano & Brixia in vinculis retinens. Valete.] Hucuſque epiſtola Epiſcopi Babenbergenſis de rebus hactenùs geſtis cum Legatis Apoſtolicæ Sedis. Quæ autem iſta ſint ſecuta, idem auctor ſic ſubdit:

XVI. *Quæ ad Card. Imp. reſpondet.*

Imperator ad hæc verba Cardinalium tale dedit reſponſum: Quamvis non ignorem, ad tanta negotia non ex animi mei ſententia, ſed ex conſilio Principum me reſpondere debere, ſine præjudicio tamen ſapientum hoc abſque conſultatione reſpondeo: Epiſcoporum Italiæ ego quidem non affecto hominium, ſi tamen & eos de noſtris regalibus nihil delectat habere. Qui ſi gratanter audierint à Romano Præſule: Quid tibi & Regi? conſequenter quoque eos ab Imperatore non pigeat audire: Quid tibi & poſſeſſioni? Nuntios noſtros non eſſe recipiendos in palatiis Epiſcoporum aſſerit: Concedo, ſi fortè aliquis Epiſcoporum habet in ſuo proprio ſolo & non in noſtro palatium. Si autem in noſtro ſolo & allodio ſunt palatia Epiſcoporum, cùm profectò omne quod ædificatur ſolo cedat, noſtra ſunt & palatia. Injuria ergò eſſet, ſi quis Nuntios noſtros à regiis palatiis prohiberet. Legatos ab Imperatore ad Urbem non eſſe mittendos affirmat, cùm omnis magiſtratus inibi B. Petri ſit cùm univerſis regalibus. Hæc res, fateor, magna eſt & gravis, graviorique & maturiori egens conſilio. Nam cùm divina ordinatione ego Romanus Imperator & dicar, & ſim: ſpeciem tantùm dominantis effingo, & inane utique porto nomen, ac ſine re, ſi Urbis Romæ de manu noſtra poteſtas fuit excuſſa.] At quid iſta de Urbis dominio, & regalibus, aliiſque juribus, quod aſſerit, debita Imperatori? Numquid non extant ipſæ litteræ liberæ donationis Imperatorum Francorum, quinetiam Germanorum, & Ottonis Primi, quæ ſuperiùs ſunt recitatæ anno Redemptoris nongenteſimo ſexageſimoſecundo? conſule tu ipſas Lector, & videbis quàm deliret iſta miſcens Fridericus Imperator. Pergit verò Radevicus:

XVII. Hæc Auguſto & his ſimilia præfatis capitulis argutè reſpondente, conſilium initur, ut ex parte ſummi Pontificis Cardinales ſex, & ex parte Principis ſex Epiſcopi religioſi, prudentes, & qui Deum timeant, eligantur, tantorum negotiorum hinc inde cognitionem accepturi, tantamque litem congruo fine deciſuri. Verùm ut ſuprà taxatum eſt, ex parte Romanorum etiam hoc conſilium dicitur fuiſſe evacuatum. Super hoc quoque capitulo audi epiſtolam

A Imperatoris, directam Eberardo Saltzburgenſi Archiepiſcopo in hunc modum. (a)

a *Radevic. l. 2. c. 31.*

Imp. epiſt. ad Eberardum.

Quandoquidem fidelitatis tuæ conſtantiam, quam pro conſuetudine exhibere ſoles Imperio, frequenter experti ſumus: quæ apud nos ſunt diſcretioni tuæ ſignificamus, & prudentiæ tuæ conſilium advocamus. Venerunt ſiquidem ad nos duo Cardinales à Papa miſſi ad hoc, ut inter nos & illum fieret concordia. Dixerunt igitur, quòd Papa illam requireret pacem atque concordiam, quæ inter Papam Eugenium, & nos facta fuerat & ſcripta Nos B reſpondimus: quòd pacem quidem inviolabiliter hucuſque tenuiſſemus: de cætero autem neque eam tenere, neque ea teneri vellemus, quoniam ipſe prior eam violaſſet in Siculo, cui ipſe ſine nobis reconciliari non debuiſſet. Adjecimus tamen, quòd omnem juſtitiam dare & accipere parati eſſemus, ſive ſecundùm humana, ſive ſecundùm ſcripta divina. Si verò juſtitia gravis videretur, conſilio Principum & religioſorum pro amore Dei & Eccleſiæ libenter nos ſupponeremus. Placuit verbum noſtrum Cardinalibus. Dixerunt tamen, niſi priùs cognita Papæ voluntate ſuper hoc, ſe ni- C hil poſſe, vel audere. Miſſis Nuntiis, verbum noſtrum cognovit Papa; mandavitque ſicut priùs, aliam ſe nolle concordiam, quàm illam, quæ inter Papam Eugenium & nos facta fuiſſet. Nos ſupradicto modo hoc recuſavimus, & in præſentia & teſtimonio omnium Teutonicorum & Longobardorum Epiſcoporum, & laicorum Principum, & Baronum, & Vavaſſorum omnem juſtitiam atque conſilium obtulimus, ut & nos acciperemus juſtitiam. Præſentes ibidem fuerunt Romanorum civium Legati, qui cum indignatione mirabantur ſuper his quæ audierunt. Mandavit D enim Papa nova & gravia & numquam priùs audita, quæ ſine conſilio tuo & aliorum fidelium Imperii pertractari non poſſunt. Hæc diſcretioni tuæ communicavimus, ut ſi qua tibi ſuper his occurrerint, noſſe veritatem non ſit inutile. Rogamus etiam, ut ſi neceſſe fuerit, & nos tibi (b) mandaverimus: ad nos pro tanto negotio venire non differas.] Hæc Imperator.

b *Id. c. 43.*

XVIII. *Hadr. Pap. obitus & res geſtæ.*

At impoſuit his finem Deus obitu ipſius Hadriani Papæ, qui Kalendis Septembris (ut idem auctor affirmat) Anagniæ cùm eſſet, ex hac vita migravit. Sed inde graviora prœlia ex ſchiſmate inſurrexere, de E quibus antequàm agamus, quæ reperiuntur reliqua rerum geſtarum Hadriani Papæ uſque ad obitum, deſcribamus. In eodem codice Vaticano, in quo Acta ejus ſuperiùs recitata deſcripta habentur, iſta quæ ſequuntur, in fine leguntur: Hic beatus Pontifex in Eccleſia S. Petri tectum Oratorii ſanctorum Proceſſi & Martiniani, quod diſſipatum invenit, reſtauravit. Et ſuper Oratorium ſancti Joannis in Fonte murum à tribus lateribus erigens, navi ejuſdem Eccleſiæ coæquavit. In Lateranenſi quoque palatio ciſternam valdè ne-

ceſſa-

ceſſariam, & multùm copioſam fecit fieri, & alia ædificia præ nimia vetuſtate conſumpta in eodem palatio reſarcivit. In Eccleſia ſanctorum Coſmæ & Damiani majus altare, lapide ſuperpoſito illi lapidi, quem beatus Felix Papa conſecraverat, propriis manibus, mediante Quadrageſima, conſecravit.

XIX. Hic beati Petri patrimonium in magnis poſſeſſionibus & ædificiis plurimùm auxit. Comparavit autem caſtrum* Corolanum à Baccaleonis pro quadraginta libris, duo quoque optima molendina, poſita apud ſanctam Chriſtinam, ab Hildebrādo & Bernardo filiis Ugolini Comitis de Calmagnano pro centum undecim libris ejuſdem monetæ. Nihilominùs comparavit etiam Roccam ſancti Stephani cum medietate* proximi ab iiſdem Comitibus pro centum quadragintaocto libris* afferam & quinque ſolidorum, eo tenore quo ſcriptum eſt in publico inſtrumento. Recepit etiam eorumdem Comitum terrarum ditionem, ſicut continetur in publico eorum inſtrumento, quod eſt in Archiviis poſitum, & in propriam beati Petri hæreditatem acquiſivit. Fecit & munitionem in caſtro Radicoſano turribus munitam, & alto foſſato defenſam, & locum Orcheſtrum, quod erat ſpelunca latronum, pro pace & ſecuritate illius terræ populavit, & muris & turribus non ſine multis expenſis munivit. In ponte Lucano capellam fieri fecit, in qua calicem ſex unciarum, campanam, libros, ſacerdotalia indumenta pro Miſſarum celebratione donavit, emitque à diverſis poſſeſſiones, quas eidem capellæ tribuit. Atque demùm hic fecit ordinationes multas per menſem Decembrem & Martium, in quibus creavit diaconos ſeptem, presbyteros quinque, & Epiſcopos per diverſa loca numero maximo. Defunctus eſt autem apud Anagniam Kalendis Septembris, cùm ſediſſet annos quatuor, & menſes octo, dies viginti quatuor. Inde Romam vectus, in Eccleſia beati Petri juxta Eugenii Papæ Tertii ſepulchrum honorificè tumulatus eſt.] Hæc ibi de Hadriano.

* al. Coranum

XX. De cujus obitus cauſa accipe ridiculum, quod apud Urſpergenſem finxit ſchiſmaticus aliquis: Factum eſt, inquit, ut cùm præfatus Hadrianus apud Anagniam denuntiaret excommunicationem contra Imperatorem, paucis diebus evolutis, cœpit procedere refrigerandi gratia cum ſuis. Cùmque veniſſet ad quemdam fontem, hauſit de potu illius, & continuò, (ut dicitur) muſca os ejus intravit, & gutturi ejus adhæſit, nulloque artificio medicorum avelli potuit, quoadusque ſpiritum exhalaret.] Hæc ibi de obitu ſanctiſſimi Hadriani Papæ. Sed planè nugas eſſe, vel inde ſentias, quod falſum omninò eſt, quod ibi in primis aſſeritur Imperator excommunicatus fuiſſe ab Hadriano: cùm id nunquam poterit quis aſſerere, cæteris Scriptoribus omnibus ejus temporis repugnantibus: Nam audi Dodechinum

Refellitur fabula de morte Hadriani Pap.

A hujus temporis auctorem de rebus geſtis hoc anno: Hadrianus Papa Imperatorem pro conjugii diſſidio excommunicare diſpoſuerat, ſed menſe Septembris morte præventus eſt.] Hæc ipſe. Porrò hujus de muſca fingendæ fabulæ occaſio indè manavit, quòd (ut teſtatur (a) Vvillelmus Tyrius temporis hujus ſcriptor) ipſe Hadrianus Papa mortuus eſt morbo anginæ. Sic igitur hoſtes ejus obitu exultantes, deriſus cauſa ſcomma illud de muſca jactarunt.

a Vvill. Tyr. l. 18. c. 26.

Ad hæc inſuper, ne quid excidat de tanti Pontificis memoria, hic deſcribemus B ex codice Vaticano diploma datum ad Henricum Anglorum Regem, de rebus Hiberniæ in meliorem ſtatum religionis reſtitutis, ſed quoto ſui Pontificatus anno, incertum. Quod ſic ſe habet:

Hadrianus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei chariſſimo in Chriſto filio illuſtri Anglorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

XXI. Laudabiliter & fructuosè de glorioſo nomine propagando in terris, & æternæ felicitatis præmio cumulando in cœlis tua magnificentia cogitat, dum ad dilatandos Eccleſiæ terminos, ac declarandam indoctis & rudibus populis Chriſtianæ Fidei C veritatem, & vitiorum plantaria de agro Dominico extirpanda, ſicut Catholicus Princeps, intendis, & ad id convenientius exequendum, conſilium Apoſtolicæ Sedis exigis & favorem. In quo facto, quantò altiori conſilio & majori diſcretione procedis, tantò in eo feliciorem progreſſum te præſtante Domino, confidimus habiturum, eò quòd ad bonum exitum, ſemper & finem ſoleant attingere, quæ de ardore Fidei & religionis amore principium acceperunt. Sanè Hiberniam, & omnes inſulas, quibus ſol Juſtitiæ Chriſtus illu- D xit, & quæ documenta Fidei Chriſtianæ ceperunt, ad jus beati Petri, & ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ (quod tua & nobilitas recognoſcit) non eſt dubium pertinere. Unde tantò in eis libentiùs plantationem fidelem, & germen gratum Deo inſerimus, quantò id à nobis interno examine diſtrictiùs proſpicimus exigendum. Significaſti ſiquidem nobis, fili in Chriſto chariſſime, te Hiberniæ inſulam, ad ſubdendum illum populum legibus, & vitiorum plantaria inde extirpanda, velle intrare, & de ſingulis domibus annuam unius denarii beato Petro velle ſolvere penſio- E nem, & jura Eccleſiarum illius terræ illibata & integra conſervare.

Hibernia ſub dominio S. Petri.

XXII. Nos itaque pium & laudabile deſiderium tuum cum favore congruo proſequentes, & petitioni tuæ benignum impendentes aſſenſum, gratum & acceptū habemus, ut pro dilatandis Eccleſiæ terminis, pro vitiorum reſtringendo decurſu, pro corrigendis moribus, & virtutibus inſerendis, pro Chriſtianæ religionis augmento Inſulam illam ingrediaris, & quod ad honorem Dei, & ſalutem illius terræ ſpectaverit, exequaris: & illius terræ popu-

lus

Denarius S. Petri ex Hibernia. lus honorificè te recipiat, & ſicut dominum veneretur; jure nimirùm Eccleſiaſtico illibato & integro permanente, & ſalva beato Petro & ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ de ſingulis domibus annua unius denarii penſione. Si ergò quod concepiſti animo, effectu duxeris complendum, ſtude gentem illam bonis moribus informare, & agas tàm per te, quàm per illos quos adhibes, quos fide, verbo, & vita idoneos eſſe perſpexeris, ut decoretur ibi Eccleſia, plantetur & creſcat Fidei Chriſtianę religio, & quæ ad honorem Dei, & ſalutem pertinent animarum, per te taliter ordinentur, ut à Deo ſempiternæ mercedis cumulum conſequi merearis, & in terris glorioſum nomen valeas in ſæculis obtinere.] Hucuſque in codice Vaticano.

XXIII. Sed & illud Hadrianus reliquit poſteris admirandum exemplum, quòd nec obolum quidem erogarit in ſuos propinquos, adeò ut nec matri ipſi aliquid voluerit impendiſſe, quam alendam reliquit eleemoſynis Cantuarienſis Eccleſiæ. Teſtatur id Joannes Sareſberienſis ex verbis Alexandri Papæ ita in epiſtola (a) ad ſanctum Thomam: Quid fecit, inquit, pro vobis Cantuarienſis Eccleſiæ amator Hadrianus, cujus mater apud vos algore torquetur & inedia?]

a Epiſt. S. Thomæ & aliorum li. 2. epiſt. 24. cod. Vatic.

Nec prætereundum, ſtatuiſſe Hadrianum Papam, ut Lundenſis Archiepiſcopus primatum gereret ſuper regnum Sveciæ, quod & confirmavit Innocentius Papa Tertius. Extant de his litteræ ejuſdem Innocentii, (b) licèt Lugdunenſem pro Ludenſi legat.

b Innoc. lib. 1. ep. 421.

Inter has turbas & altercationes Imperatoris cum Romano Pontifice, contigit captivos fieri duos S.R.E. Cardinales, fungentes legatione in provincia Ciſalpina: quod ut audivit Fridericus Imperator, mortuum eſſe Hadrianum Pontificem, de iis benè mereri ſtuduit, ut poſſet eos habere in electione novi Pontificis ſuis partibus faventes, ſicque eos cum aliis liberos in Urbem abire juſſit. Quod factum, ut majeſtate ſua dignum idem Fridericus datis de his litteris ad Cònſtantinopolitanum Imperatorem, ſummoperè prædicavit. Extant ipſæ in Græco codice citato ſæpè ſuperiùs Federici Metii Thermularum Epiſcopi, datæ tempore Sedis vacantis his verbis:

XXIV. *Frider. Imper. ad Manuel. Imp. Epiſtola.* Orbis mutilatio propter diſſenſiones & ſchiſmata, & totius humani generis turbulentiæ, quæ propter Eccleſiæ viduitatem, antiqui ſerpentis effuſo veneno, emerſerunt & irruerunt, pro electione magni ſacerdotis, non ſolùm communibus ſuffragiis, ſed etiam magna cum ſolertia facienda, & habenda, ſpiritum & animum noſtrum quaſi deſpondere nos compulerunt, ut per frequentes, & præſtantes, & inſignes Apocriſarios & Legatos noſtræ ſerenitatis ad Cardinales egerimus propterea, ut de hujuſmodi magni ſacerdotis electione diligentiſſimè cogitarent. Et ne juſta præberetur occaſio aliqua iis, qui tantum bonum impedire vellent, eò quòd detineretur à nobis magiſter Oddo ſancti Nicolai in carcere Tulliano reverendiſſimus Cardinalis; non ſolùm ipſum, verùm etiam alios Eccleſiæ Prælatos præſtantiſſimos dimittendos etiam decrevimus.

Nunc verò rem novam, non ſolùm hæſitatione, verùm etiam ſtupore dignam vobis & reliquis Orbis Principibus hæc noſtra epiſtola ſignificatura progreditur, quòd ſcilicèt reverendiſſimum Præneſtinum Epiſcopum, qui adversùs Imperatoriam majeſtatem & nomen ita apertè ſe objecit, & obſtitit, quamprimùm abſolvimus & dimiſimus præter omnium hominum opinionem. Stupebunt profectò, ut credimus, Principes bellicoſi, viri fortes. Cæſarum memoriæ, incomparabilibus decoratæ magnificentiis, in libris ſcriptæ veterum Annalium & Chronicorum evolvantur & perſcrutentur, ſingulorum Principum vita & geſta perquirantur, nihil tale adeò inſperatæ clementiæ æquale nobis quiſquam inveniet diligens indagator. Licèt enim legatur fortaſsè multorum Principum nobilis ira, aperta clementia, & illuſtris humanitas, propterea quòd dextera victoria victoriis & trophæis ornata, hoſtibus proſtratis pepercerit, & ita eos, qui eorum exaltationi ſe objecerunt, benignè dimiſerint, & à ſevero juſtitiæ gladio adversùs damnatos abſtinuerint; nihilominùs illorum ſinguli, vel imbecillum aliquem, vel nullius pretii & valoris ſontes ipſos cùm judicaverint, eos libenter dimiſerunt; vel quia belli imminentis occaſione propter eam, quam promiſerunt, ſontium dimiſſionem, finem impoſuerunt. XXV.

Quòd verò nos adhùc ſimultate permanente, adeò nobile membrum Eccleſiæ, tanti conſilii virum, & perſpicuæ fortitudinis & virtutis, noſtris conſiliis gratis adverſantem, & ſe obiicientem, & ſe objecturum, ut ab omnibus ſperabatur, licèt nos neque omninò crederemur tale quid, ut eum ſcilicèt dimitteremus; neque præteritarum rerum memoria, neque præſentium ſecuritas & cautela nobis ſuadebat: nihilominùs in ſtatera noſtrarum cogitationum, juſtitiæ ſeveritatem clementia fecit declinare, & impetum noſtræ indignationis fregit, & vicit; & miſericordia, quam de generis humani diſſenſionibus habemus, nos cohibuit, & detinuit, & Chriſtianæ Reipublicæ publicum commodum privati noſtri commodi cauſam ſuperavit; cùm pro dicti Epiſcopi Præneſtini abſolutione & liberatione non dubitemus quin Eccleſiæ Dei paſtoris ſui ſolatio deſtitutæ, de optimo paſtore, nobis & Imperio non ingrato deligendo curam gerere: quod præter omnium opinionem, & multorum conſilium & mentem, inter omnia, quæ à nobis maximè deſiderantur, tamquàm pacis & quietis cupidiſſimis jucundiſſimum contingeret: XXVI.

Nec nobis hoc indignum ullo pacto, vel inutile credimus, ſi cum noſtra matre Eccleſia pacis maximè cupidos nos eſſe aſſerimus, & concordiæ fatemur eſſe æmulato- XXVII.

Digitized by Google

latores, cujus affectatores eſſe Reges & Principes, frequenter ſimulare ſolent, dum inter ſe contendunt. Compatimur nos proptereà Orbis laboribus & calamitatibus, quodammodò ruinam minantis propter univerſorum diſſenſiones & diſſidia. Compatimur naviculæ Petri, quæ propter frigeſactam hominum fidem, & propter ferventem hæreticorum iniquitatem maris & undarum furore & impetu agitata conteritur, & ſubmergitur. Nec miretur veſtra celſitudo, ſi me, curatorem videlicet Eccleſiæ, ſi me præcipuum filium matris viduæ, ejuſdem matris ſuſpiria ex imo emiſſa pectore emollierunt, ut depoſitis **B** juribus, quibus fortaſsè humana prudentia mentem adhibuiſſet, & matri filium, & fratrem fratribus, præcipuè verò pro tanti commodi ſpe abſolvere, & dimittere decreverim. Quis enim in tantorum malorum conſideratione, quis in ſpe tanti futuri gaudii, propter detentionem, vel abſolutionem, & dimiſſionem uniuſcujuſvis perſonæ quantumvis conſpicuæ, poſſet cor ſuum obdurare? præcipuè verò, quia ab omnibus & ſingulis Cardinalibus, qui in Urbe Roma & in ſimplicitate & puritate commorantur, firma & infallibilis ſpes ſit nobis pollicita, quòd reſtituto fra- **C** tre & ſocio ſuo Collegio, ſalutaris nobis & univerſo Orbi, & deſiderabilis erit de magno ſacerdote deligendo deliberatio. Faxit Deus, ut quemadmodùm non ſolùm in liberatione prædicti magiſtri Oddonis, verùm etiam aliorum, quos ſerenitas noſtra indubitata compaſſione abſolvit, alacres nos præbuimus, ita etiam nos à noſtro deſiderio non fruſtremur, neque fidei publicæ integritas & religio, quam ex hujuſmodi Patrum conſtantia animo concepimus, profanetur ullo pacto.] Hactenùs epiſtola Imperatoris de dimiſſis Cardinali- **D** bus Romam, qui tamen noſcuntur ſtetiſſe contra ſchiſmaticum Papam pro Alexandro legitimo ſucceſſore, licèt electioni minimè intereſſe potuiſſe ob temporis brevitatem intelligantur.

XXVIII. Alexander Pap. Tertius creatur.

Surreſſit igitur Hadriano Papæ legitimus Pontifex Alexander ejus nominis Tertius dictus, ex Rolando Cardinali Cancellario tituli ſancti Marci presbytero, cujus immenſæ laudes à laudatiſſimo viro ſancto Bernardo ex ejus epiſtola ſunt ſuperiùs recitatæ. Intruditur autem contra ipſum in ſchiſmate Octavianus ille presbyter Cardinalis tituli ſanctæ Cæciliæ, cujus jam diſſenſionum cum fratribus vidimus **E** ſuperiùs in Hadriano impreſſa veſtigia. Iſta autem quomodò ſe habuerint, ex Actis ipſius Alexandri, ab ejus temporis auctore fideli ſatis conſcriptis, quæ codex Vaticanus continet, hæc in medium afferamus. Sic ſe habent:

Primordia Alexandri.

Alexander Tertius natione Tuſcus, patria Senenſis, ex patre Rainutio, qui anteà dictus fuit Rolandus presbyter Cardinalis tituli S. Marci, & Apoſtolicæ Sedis Cancellarius, ſedit annos decem & octo. Qui cùm eſſet in Eccleſia Piſana Canoni- **A** cus, clericus magni nominis, & charus haberetur ab omnibus, ad hanc ſanctam Romanam Eccleſiam à beato Eugenio eſt vocatus. Quem ubi, Deo auctore, cognovit virum idoneum, primò eum diaconum SS. Coſmæ & Damiani, deinde in titulum ſancti Marci presbyterum Cardinalem ordinavit: & tandem quia ſemper de bono creſcebat in melius, Cancellarium Sedis Apoſtolicæ conſtituit. Erat enim vir eloquentiſſimus, & divinis & ſacris Scripturis & humanis ſufficienter inſtructus, & in eorum ſenſibus ſubtiliſſima exercitatione probatus; vir quoque ſcholaſti- **B** cus, & eloquentia polita facundus, vir ſiquidem prudens, benignus, patiens, miſericors, mitis, ſobrius, caſtus, & eleemoſynarum largitionibus aſſiduus, atque aliis operibus Deo placitis ſemper intentus. Ideò fecit eum Dominus creſcere in plebem ſuam, & dedit ei ſacerdotium magnũ.

XXIX. Electio Canonica Alexandri Papæ.

Sepulto igitur Hadriano Papa, Epiſcopi & Cardinales, tractaturi de ſubſtituendo ſibi Paſtore, pridie Nonas Septembris in beati Petri Apoſtoli Eccleſia convenerunt pariter, & per trium dierum ſpacium ad invicem de ipſa electione, ſicut moris eſt, pertractantes, tandem omnes quotquot **C** fuerunt, præter Octavianum tituli ſanctæ Cæciliæ, Joannem tituli ſancti Martini, & Guidonem tituli ſancti Calliſti presbyteros Cardinales, in perſonam dicti Rolandi Cancellarii, auctore Domino, unanimiter concordarunt, & invocata ſancti Spiritus gratia, in eum aſſentiente Clero & populo Romano in Romanum Pontificem, Alexandrum Papam Tertium nominarunt, & elegerunt. Duo autem, quos nominavimus, Joannes & Guido, attendentes ad Octaviani electionem, ſecundariò eum procaciter nominarunt. Joannes Epiſcopus unà cum Oſtienſi, Portuenſi, & Sabi- **D** nenſi Epiſcopis, cæteriſque diaconibus, & presbyteris Cardinalibus per manus priorum diaconorum, juxta priſcum Eccleſiæ ritum electum ſuum Alexandrum fugientem excuſantem inſuper & omninò reluctantem, Papali manto, Deo favente, induerunt.

XXX. Octavianus Pont. invadit.

Unde Octavianus, qui ad Apoſtolicam jam diu Cathedram aſpiraverat, ubi ſeipſum vidit ſpe concepta fraudari; in tantam veſaniam, audaciamque prorupit, quòd mantum ipſum tamquàm arrepticius à collo ejus propriis manibus violenter abſtulerit, & ſecum inter tumultuoſus fremi- **E** tus aſportare tentaverit. Porrò unus ex Senatoribus qui aderant, cùm tantum facinus inſpexiſſet, contremuerunt renes ejus, & audacter in ſævientem inſiliens, mantum ipſum de manibus ejus eripuit. Ipſe verò dolore cordis tactus intrinſecus: illicò ad Capellanum ſuum, qui ad hoc inſtructus venerat & paratus, intorſit oculos, clamans ut phreneticus, & innuens, ut mantum quod ſecum portaverat, celeriter ſibi afferret. Quo ſine mora delato, cùm adeſſet, pallium abſtrahens caput inclinavit, & per manum ejuſdem Capellani, atque

alterius

alterius clerici ſui (heu proh dolor!) mantum impudenter ſumpſit. Sed divino judicio contigit, quòd ea pars manti, quæ operire anteriora debuerat, videntibus cunctis atque ridentibus, poſteriora contexit. Et cùm ipſemet vellet hujuſmodi ludibrium ſtudioſiùs emendare, quia manti caputium, extra ſe raptus, non poterat invenire, inferiores fimbrias collo, ſicut potuit, applicavit. In hoc igitur manifeſtè apparuit, quòd ſicut tortæ erat intentionis & obliquæ; ita mantum ex tranſverſo & obliquo, in teſtimonium ſuæ damnationis acceperat. Torta itaque ipſius ambitione totaliter procedente, reſerantur portæ ipſius Eccleſiæ, quæ à Senatoribus firmatæ fuerant, & armatorum catervæ, quas pretio conduxerat, illicò in auxilium ipſius ſchiſmatici, evaginatis gladiis cum magno ſtrepitu cucurrerunt. Et quoniam

Card. tenentur inclusi.

ſolatio Epiſcoporum & Cardinalium omninò carebat, armatorum turbæ ipſum undique circumdabant. Fratres verò inſpicientes tàm execrabile facinus, & à ſæculis inauditum; timentes etiam ne ab eiſdem conductis armatis adorare erectum idolum cogerentur: in munitionem dictæ Eccleſiæ cum ſuo Electo ſeſe pariter receperunt, ibique novem diebus, ne poſſent ullo modo exire, Octavianus eos fecit quorumdam Senatorum conſenſu, quos pecunia oblata corruperat, die noctéque armata manu cum omni diligentia cuſtodiri.

XXXI.

Interea populus Romanus ſuper hoc immani crimine cùm jugiter exclamaret, & in tanti hujus mali auctores Senatores inſurgeret vehementer; prædictorum fratrum conventus cum ſuo Electo de illius munitionis cuſtodia eſt ereptus, ſed in arctiori & tutiori loco apud Transtiberim per eoſdem Senatores, recepta inde pecunia, fuit malitioſè translatus. Cùm autem ibi ferè per triduum moram feciſſent,

In Octavianũ declamant

ſuper tantam iniquitatem & manifeſtam proditionem commota eſt univerſa Civitas. Clamabant & pueri contra ipſum, ut invaſorem, dicentes: Ecce maledicte, fili maledicti, non eris utique tu Papa, Alexandrum volumus, quem elegit Deus. Mulieres quoque blaſphemantes, ipſum hæreticum appellantes, eadem verba repetebant, & alia deriſoria verba decantabant, nominantes eum lingua vulgari, Smantacompagnum. Accedens autem tunc Brito quidam, audacter dixit ei hæc metricè:

Quid facis inſane, patriæ mors, Octaviane,
Cur præſumpſiſti tunicam dividere Chriſti?
Poſtmodò pulvis eris, es & modò, cras morieris.

XXXII. Eripiuntur Cardinales è cuſtodia.

Erat autem in Clero magna triſtitia, in Judicibus dolor, in ſenibus mœſtitia, & in plebe admiratio nimia. Unde factum eſt, quòd populus Romanus immanitatem tantæ iniquitatis ampliùs ſuſtinere non valens, cum Hectore Frangipane, & aliis nobilibus Romanis venit ad locum, ubi fratres tenebantur incluſi, compellens jam di-

A ctos Senatores, ut ipſius munitionis portas celeriter aperirent, & eoſdem fratres cum domino Alexandro abſolutos & liberos abire permitterent. Sic igitur ſuffragantibus beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli meritis, à violentia perſequentis erepti, & ſuæ ſunt redditi libertati. Tranſeuntes autem per ipſam Urbem, cum laudibus, campanis etiam undique pulſantibus, & jucundè cum exercitu comitantibus etiam multis Romanis militibus cum frequentia peditum, in Vigilia beati Matthæi Apoſtoli proſperè ad Nymphas per Dei gratiam pervenerunt.

XXXIII. Conſecratio Alexãdri Papæ.

B Ubi ipſa Dominica die, convocatis fratribus in unum cunctis, videlicèt, Gregorio Sabinenſi, N. Oſtienſi, B. Portuenſi, F. Albanenſi, T. Signienſi, T. Tarracinenſi Epiſcopis, Cardinalibus quoque presbyteris, & diaconibus, ſimulque Abbatibus, Prioribus, Judicibus, Advocatis, Scriniariis, & Primicerio cum ſchola Cantorum, nobilibus quoque & plurima parte populi Romani, dominus Alexander per manus Oſtienſis Epiſcopi, ad quem ſolùm conſecratio Romani Pontificis pertinet, præeunte Spiritus ſancti gratia, conſecratus eſt in ſummum Pontificem, & ſe- C cundùm ſolitum Eccleſiæ morem, regno de more inſignitus, mitra turbinata ſcilicèt cum corona.

Initiatur pſeudopap. ſchiſmaticus Octavianus.

Porrò jam dictus Octavianus, dum apud ſanctum Petrum fuit, Joannes de Morſone, & Guido Cremenſis, cæcitate ſuarum tenebrarum obvoluti (quoniam ſicut ſcriptum eſt, (a) Peccator cùm in profundum venerit, contemnit) à damnabili ſua præſumptione non reſipiſcunt, ſed illum eumdem, quem in ſtatuam ſibi erexerant, tamquàm obſtinata perfidia venerantur, & Eccleſiæ unitate relicta (heu pro dolor!) ad ejus veſtigia incurvantur. Ipſa verò An- D tichriſti tempora præfigurans, uſque adeò erectus eſt ſuper ſe, ut in templo Dei ſederet tamquàm ſit Deus, umbra Papali oſtendens ſe tamquàm ſit verus Papa. Sanè multi abominationem hujuſmodi ſtante in loco ſancto non ſine lacrymis corporeis oculis inſpexerunt, tundentes pectora & dicentes: Completum eſt modò, quod Anaſtaſius, Papa videlicèt, de hoc præambulone Antichriſti dixiſſe narratur: Fili maledicte & excommunicate, non habebis ultrà iſtud Papale mantum, quod tantum deſideras & impudenter capetis, niſi in tuam ruinam, & confuſionem multorum.

a Prov. 18.

E Cæterùm cùm per ſpacium quatuor hebdomadarum tàm per ſe, quàm per milites, & conſanguineos ſuos inceſſanter fatigaretur pro convocãdis ad ſe Epiſcopis: tandem quidam Malphitanus Epiſcopus fugitivus in finibus Anconæ latitans, cum Epiſcopo Ferentini, qui domino Alexandro Papæ adverſabatur, & Joanne Epiſcopo Tuſculano, qui priùs conſenſerat in Alexandrum, & poſtmodùm retrorſum abiit, eumdem Octavianum auſu temerario execravit magis quàm conſecravit. Hoc autem tàm perniicioſum flagitium

A Eccleſiæ Dei ipſe Octavianus (ſicut poſtmodùm clamavit, nullatenùs incipere attentaſſet, niſi à Friderico Imperatore ad occupandum atque eripiendum Papatum, favorem & audaciem habuiſſet, neque umquam in eum ſe ingeſſiſſet. Quoniam ne Papalem Cathedram poſſet aſcendere, fidelitatis juramento; non ſine certis indiciis tenebatur aſtrictus.

XXXIV. Legationē mittit Alex. Pap. ad Imp. Frid.

Intereà dominus Alexander cum fratribus ſuis ad Tarracinam deſcenderet, volens cognoſcere quid acturi eſſent in facto Eccleſiæ, in quo Otto Palatinus, & Guido Blanderanus Comes, quos eodem tempore idem Imperator ad beatæ memoriæ B Hadrianum Papam tranſmiſerat, licèt veritatem ipſius facti cognoſcerent, & de canonica electione domini Alexandri nullatenùs dubitarent: timentes tamen offendere dominum ſuum, quem cognoverant Octaviano valdè amicum, & præſenſerant animum ejus commotum adversùs Romanę Eccleſiæ Papæ fautores, & quòd vires præſtebat Octaviano, ſimulatoriè & fraudulenter incedebant cum Alexandro. Dum autem hæc agerentur, deliberat cum fratribus ſuis communicato conſilio Pontifex Nuntios cum Apoſtolicis litteris ad eumdem C Imperatorem, in partibus Longobardiæ obſidentem Cremam, humiliter deſtinare, cupiens eum ad amorem Eccleſiæ in omni patientia & lenitate revocare, ſecundùm beati Pauli Apoſtoli dictum; (a, Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum. a Rom. 12.

Ille verò nimio faſtu ſuperbiæ inflatus, non ſolùm legere litteras ſprevit, ſed tamquàm inſanus Nuntios ipſos, niſi Dux Vvelpho cum Duce Saxoniæ ipſi reſtitiſſent, ſuſpendere nequiter voluit. Quorum conſilio & ſuaſione Principum, quamvis tandem eoſdem Nuntios coram ſe venire, & litteras Pontificis demùm legi D permiſerit; nihil tamen ad eos dignatus eſt reſpondere lætum.] At ſi ſcriptæ ab Alexandro litteræ ad Imperatorem non extent; alias tamen ab ipſo tunc datas ad Gerardum Epiſcopum & Canonicos Bononienſes recitat Radevicus, quibus ſicut res geſtæ uſque ad præſens tempus ſe habuérunt, exactè deſcribuntur, conformes iis, quæ ſunt à nobis ex Vaticano codice recitatæ, in quarum confirmationem hìc ipſæ deſcribendæ ſunt, quæ ſic ſe habent: (b) b Radevic. in Frid. lib. 2. c. 51.

Alexander ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Gerardo Epiſcopo, & dilectis E filiis Canonicis Bononienſis Eccleſiæ, & legis doctoribus, cæteriſque magiſtris Bononiæ commorantibus ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

XXXV. Epiſt. Alexand. Pap. ad Bonon.

Æterna & incommutabilis providentia Conditoris ſanctam & immaculatam Eccleſiam à ſuæ fundationis exordio ea ratione voluit & ordine gubernari, ut unus ei paſtor & inſtitutor exiſteret, cui univerſi Eccleſiarū Prælati abſque repugnantia ſubjacerent, & membra tamquàm ſuo capiti cohærentia ei ſe mirabili quadam unitate conjungerent, & ab ipſo nullatenùs diſſi-

A derent. Qui verò Apoſtolis ſuis pro eorum fidei firmitate promiſit, dicens: (c) Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi: ille proculdubiò Eccleſiam ſuam, cujus ipſi Apoſtoli magiſterium aſſumpſerunt, ſua promiſſione fraudari nullo modo patietur, ſed eam in ſuo ſtatu & ordine (licèt ad inſtar naviculæ Petri fluctuare aliquando videatur) perpetuò faciet permanere. Unde quamvis hoc tempore tres falſi fratres, qui à nobis quidem exierunt, ſed non fuerunt de nobis, transfigurantes ſe in Angelos lucis, cùm ſint ſatanæ, inconſutilem Chriſti tuni- B cam (quam utique ipſe quidem ex perſona (d) Pſalmographi à leonibus petit, & à framea erui, & de manu canis orat ac poſtulet liberari) ſcindere & laniare laborent; Chriſtus tamen auctor & caput Eccleſiæ, eam velut unicam Sponſam ſuam provide gubernatione tuetur, & navem egregii Piſcatoris, licèt ſæpiùs quatiatur à fluctibus, non permittit naufragium ſuſtinere. c Matt. 28. d Pſal. 21.

XXXVI. Rerū geſtarū narratio.

Porrò cùm anteceſſor noſter bonæ memoriæ Hadrianus Papa Kalendis Septembris Anagniæ debitum naturæ ſolviſſet, & de terris ad cœlum, de imis migraſſet, Domino vocante, ad ſuperna; eo Romam C adducto, & pridie Nonas Septembris in Eccleſia beati Petri, præſentibus ferè omnibus fratribus, ſatis honeſtè, ſicut moris eſt, tumulato; cœperunt fratres, & nos cum eis ſecundùm Eccleſiæ conſuetudinem, de ſubſtituendo Pontifice in eadem Eccleſia ſtudioſiùs cogitare. Et tribus diebus de ipſa electione tractantes, tandem in perſonam noſtram, inſufficientem huic oneri, & tantæ dignitatis faſtigio minimè congruentem, omnes quotquot fuerunt, tribus tantùm exceptis, Octaviano ſcilicèt, Joanne de ſancto Martino, & Guidone Cremenſe (Deo teſte, quia men- D dacium non fingimus, ſed merem ſicut eſt loquimur veritatem) concorditer atque unanimiter convenerunt; & nos aſſentiente Clero ac populo, in Romanum Pontificem elegerunt. Duo verò, Joannes & Guido, quos prænotavimus, tertium Octavianum nominantes, ad ejus electionem pertinaciter intendebant. Unde & ipſe Octavianus in tantam audaciem, inſaniemque prorupit, quòd mantum, quo nos reluctantes & renitentes, quia noſtram inſufficientiam videbamus, juxta morem Eccleſiæ Oddo prior diaconorum induerat; tamquàm arrepticius à collo noſtro propriis E manibus violenter excuſſit, & ſecum inter tumultuoſos fremitus exportavit.

XXXVII.

Cæterùm cùm quidam de Senatoribus tantum facinus inſpexiſſent; unus ex eis Spiritu divino ſuccenſus, mantum ipſum de manu eripuit ſævientis. Ipſe verò ad quemdam Capellanum ſuum, qui ad hoc inſtructus venerat & paratus, illicò flammeos oculos fremebundus inflexit, clamans, & innuens, ut mantum, quem fraudulenter ſecum portaverat, feſtinanter afferret. Quo utique ſine mora delato; idem Octavianus, abſtracto pileo, & ca-

pite

inclinato, cunctis fratribus, aut loco in-
dè, aut voluntate remotis, mantum
per manus ejuſdem Capellani & ejuſdem
clerici ſui ambitioſus aſſumpſit, & ipſe
idem (quia non erat alius) in hoc opere
Capellano & clerico extitit coadiutor.
Verùm ex divino credimus judicio conti-
giſſe, quòd ea para manti, quæ tegere ante-
riora debuerat, multis videntibus & riden-
tibus, poſteriora tegebat: & cùm ipſe idem
hoc emendare ſtudioſiùs voluiſſet, quia ca-
putium manti extra ſe raptus non poterat
invenire, collo fimbrias circumduxit, ut
ſaltem mantus ipſe appenſus ei quodam-
modò videretur. Sicque factum eſt, ut ſi-
cut tortæ mentis erat, & intentionis obli-
quæ; ita ex tranſverſo & obliquo mantum
fuerit in teſtimonium ſuæ damnationis
indutus.

XXXVIII Cardinalium carcer. Quo facto portæ Eccleſiæ, quæ firma-
tæ fuerant, reſerantur, & armatorum cu-
nei, quos ſicut ex re apparuit, pecuniæ lar-
gitione conduxerat, evaginatis gladiis
cum immenſo ſtrepitu cucurrerunt, & pe-
ſtis illa mortifera (quia Cardinales Epi-
ſcopos non habebat) armatorum caterva
militum vallabatur. Fratres verò facinus
tàm immenſum, & à ſæculis non auditum
ex inſperato videntes, & formidantes, ne à
conducticiis militibus trucidarentur: ſeſe
in munitionem Eccleſiæ nobiſcum pariter
receperunt, ibique novem diebus conti-
nuis, ne exindè liberè exiremus, fecit nos
quorumdam Senatorum aſſenſu, quos pe-
cunia oblata corruperat, die nocteque ar-
mata manu cum omni diligentia cuſtodi-
ri. Sanè populo inceſſanter & jugiter accla-
mante, & in Senatores pro tanta impie-
tate multa immanitate fremente, de cu-
ſtodia fuimus illius munitionis erepti, ſed
in arctiori, & tutiori loco apud Tranſti-
berim nos iidem Senatores, recepta inde
pecunia, poſuerunt. Cùmque moram ibi-
dem fermè per triduum feciſſemus, uni-
verſo populo tantam proditionem atque
malitiam de cætero non ſuſtinente, Sena-
tores cum nobilibus & populo venientes,
nos & fratres noſtros per Urbem magni-
ficè & honorificè cum immenſis laudibus &
præconiis, campania etiam in tranſitu no-
ſtro pulſantibus, conduxerunt, & ſic tandem
à violentia perſequentis erepti, & noſtræ
redditi libertati, ſequenti die Dominico
venerabilibus fratribus noſtris Gregorio
Sabinenſi, Hubaldo Oſtienſi, Bernardo,
Vualtero, Julio, & B. Epiſcopis, Cardinali-
bus quoq; Abbatibus, Prioribus, Iudicibus,
Advocatis, Scriniariis, Primicerio, & ſcho-
la Cantorum, nobilibus etiā, & quadā parte
de populo Urbis apud Nympham non longè
ab Urbe inſimul congregatis, munus con-
ſecrationis accepimus, & ſicut in Romana
Eccleſia moris eſt, ibidem Pontificali regno
magnificè fumus ac ſolemniter coronati.

XXXIX. Cæterum prædictus Octavianus, cùm
pro conſecratione, immò execratione ſua,
dum & in Urbe eſſet, & poſtquàm laten-
ter Urbem exivit, multos Epiſcopos con-
vocaſſet, nullum prorsùs præter unum, Fe-
rentinatem videlicet Epiſcopum, habere
potuit pro ſua temeritate & veſania con-
firmanda. Quoſdam tamen Epiſcopos Im-
perialibus minis, quoſdam violentia lai-
cali, quoſdam verò pecuniis & blanditiis
allicere voluit, ſed nil, Domino impe-
diente, profecit. Unde nec adhùc inveni-
re poteſt (licèt omnibus modis enitatur)
qui ei manus execrationis imponat, & ſe
tantæ faciat præſumptionis & impietatis
auctorem. Verùm memorati Joannes &
Guido cæcitatis tenebris obvoluti (quo-
niam ſcriptum eſt: (a) Peccator cùm ve-
nerit in profundum malorum, contem-
net) nec ſic à ſua præſumptione damnabi-
li reſipiſcunt, ſed eumdem Octavianum,
quem ſibi in ſtatuam erexerunt, obſtina-
ta perfidia venerantur, & eum relicta uni-
tate Eccleſiæ, præſumunt uſque hùc, tam-
quàm idolum, aut ſimulachrum adorare.
Ipſe autem Antichriſti tempora præfigu-
rans, uſque adeò erectus eſt ſupra ſe, ut
etiam in templo Dei ſederit, oſtendens
ſe tamquàm ſit Deus: & multi abomina-
tionem deſolationis ſtantem in loco ſan-
cto, non ſine multa lacrymarum effuſione
corporeis oculis inſpexerunt.

De conſecratione Octaviani ob penuriā Epiſcoporum.

a Prov. 18.

XL. Sanè nos infirmitatem noſtram, & vir-
tutum indigentiam cognoſcentes, no-
ſtrum in Dominum jactamus cogitatum;
ſperantes, & de Chriſti miſericordia pleniùs
confidentes, quòd Eccleſiam ſanctam ſuam
pro qua ipſe idem in ſubſtantia noſtræ mor-
talitatis apparuit, ut eam ſibi non haben-
tem rugam aut maculam exhiberet, opta-
ta faciet in tranquillitate lætari; & pro-
cellarum omnium inundatione ſedata, ni-
hil erit, quod jam ei poſſit obſiſtere, ubi
unicus ejus Sponſus voluerit nubiloſa que-
que & noxia propulſare. Nunc igitur, quia
nos de noſtrorum meritorum qualitate
diffidimus, & de honeſtate & religione
veſtra plenam habemus fiduciam: veſtris
& univerſalis Eccleſiæ precibus infirmi-
tatem noſtram petimus adjuvari, chari-
tatem veſtram per Apoſtolica ſcripta ro-
gantes & commonentes attentiùs, ut ſicut
viri Catholici, vos pro domo Domini
muros inexpugnabiles opponatis, & in de-
votione, ac fidelitate matris veſtræ ſacro-
ſanctæ Romanæ Eccleſiæ immobiliter per-
ſiſtentes, ab ejus unitate nullatenùs rece-
datis. Quòd ſi præfatus vir impietatis ad
partes veſtras aliqua damnationis ſuæ ſcri-
pta tranſmiſerit, ea ſicut reſpuenda ſunt
reſpuatis, & tamquàm vana & ſacrilega
contemnere, & abiicere ſtudeatis.

XLI. Octavianus cū ſuis excommunicatus ab Alex. Pap.

Noverit inſuper diſcretio veſtra, quòd
nos ſuprà nominatum Octavianum apoſta-
ticum & ſchiſmaticum in octavo die à
conſecratione noſtra (hunc enim termi-
num ei reſipiſcendi, & ad unitatem ma-
tris Eccleſiæ redeundi præfiximus) tam-
quàm inobedientem & contumacem, &
illos qui ei manus præſumerent non dici-
mus conſecrationis ſed execrationis im-
ponere; & de communi fratrum noſtrorum
Epiſcoporum & Cardinalium voluntate at-
que conſilio, accenſis candelis, & cœtu
cle-

clericorum in Eccleſia congregato, vinculo anathematis & excommunicationis aſtrinximus, & eos cum ſuo auctore diabolo condemnavimus.] Hucuſque Alexandri litteræ ad Bononienſes; quæ tamen imperfectè videntur. Magni namque momenti eſſe duxit Alexander prævenire ſuis litteris Bononienſes, eò quòd illâ civitas tunc vigebat lectoribus, jus utrumque publicè profitentibus, & inter alios quos ſuperiùs nominavimus, Gratiano, qui Decreti libri auctor ſumma æſtimatione fulgebat. Porrò id genus litterarum ex more, mutatis titulis, ab Alexandro ad diverſas per Catholicum Orbem Eccleſias eſſe miſſum, ad rerum geſtarum certiorem ſignificationem; non eſt ut quis ponat in dubium.

Sed Antipapa ipſe Octavianus, qui ſe magno faſtu Victorem Papam fecerat nominari, cùm inauguratus eſt Pontificali dignitate, ſuas etiam ſive ad Imperatorem, cujus fulciebatur auxilio, ſive ad alios, de ſua promotione, ſeu potiùs invaſione litteras dedit, & quidem hujuſmodi, quæ dictatæ fuiſſe à patre mendacii, ex mendaciorum immenſa congerie cognoſcantur. Et quonam modo niſi portentoſis mendaciis, tale portentum potuit videri & apparere forinſecus legitimè factum? Audi ergo tu, Lector, ipſius Octaviani litteras his diebus datas ad omnes orthodoxos Epiſcopos, Principes, & ad eos præcipuè, qui apud Imperatorem in Curia verſarentur. Recitat eas idem qui ſuprà Radevicus his verbis: (a)

a Radevic. in Frider. l.2.c.50.

XLII. Litteræ Antipapæ de ſua invaſione.

Victor ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & chariſſimis filiis, Abbatibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, & cæteris Principibus, & egregiæ familiæ Imperiali, in ſacratiſſima Curia domini Friderici ſereniſſimi ac invictiſſimi Romanorum Imperatoris commorantibus, ſalutem & Apoſtolicam benedictioné.

Quàm, & in quantum Eccleſiaſtici ſtatus decorem, & honorem Romani Imperii, & nobilitatem omnium bonorum hactenùs ſincerè dilexerimus, & quæ mutuæ charitatea ſint invicem frequenter exhibitæ: nequaquàm credimus à veſtræ magnitudinis excidiſſe memoria. Nunc autem tantò propenſioris dilectionis efficaciam vobis & Imperio cupimus exhibere, quantò, Deo auctore, ad majorem conſcendimus dignitatem. Quapropter univerſitatem veſtram, de qua plenè confidimus, plurimùm deprecamur, ut pro beati Petri Apoſtolorũ principis reverentia, & antiquę dilectionis conſtantia, quę inter nos inviolabiliter perſeverare dignoſcitur, dominum Imperatorem invictiſſimum commonendo rogetis, quatenùs Imperio ſibi à divina clementia commiſſo, & Eccleſiæ Dei ſponſæ JESU Chriſti, cujus Advocatus & defenſor divinitùs eſt conſtitutus, providere & ſubvenire non tardet, ne in tanta diſcordia adverſariorum malitia nequiter prævalere, navicula beati Petri procellis & tempeſtatibus ſuo tempore quaſſari, & decus Imperiale valeat aliquatenùs obnubilari.

XLIII.

Inſuper univerſitati veſtræ dignum duximus intimandum, qualiter ad Apoſtolatus officium, Domino concedente, vocati fuerimus. Felicis memoriæ Hadriano prædeceſſore noſtro viam univerſæ carnis ingreſſo, & in beati Petri baſilica tumulato, convenimus omnes de electione ſummi Pontificis tractaturi. Poſt longam verò collationem, & diutinam deliberationem, divina tandem inſpirante clementia, electione venerabilium fratrum noſtrorum Epiſcoporum, presbyterorum S. R. E. Cardinalium, Cleri quoque Romani petitione, ejuſdem populi aſſenſu, etiam Senatoriæ dignitatis honoratorum inſuper Capitaneorum, ad ſummum Pontificatum, annuente Deo, canonicè ſumus electi, & in Sede Apoſtolica collocati, ac deinde prima Dominica menſis Octobris benedictionis conſecrationem, & noſtri officii accepimus plenitudiné. Quocircà univerſitatem veſtram humiliter deprecamur, quatenùs nos apud ipſum precibus adjuvetis, à quo omnis eſt poteſtas & honor dignitatum. Si autem ex parte illius Rolandi quondam Cancellarii, per conſpirationem & conjurationem contra Eccleſiam Dei & Imperium. Vvillelmo Siculo aſtricti, qui die duodecima poſt electionem noſtram ſe fecit intrudi (quod à ſæculis non eſt auditum) ad vos ſcripta pervenerint; tamquàm mendacio plena, & à ſchiſmatico, & hæretico deſtinata reſpuatis; & aures veſtras nequaquàm illis ulterius præbeatis. Data Signiæ quinto Kalendas Novembris.] Audiſti, Lector, patentia adeò cęlo terraque mendacia per pſeudopontificem, captantem auram Curiæ Imperatoris, ingeſta; audi modò quam partis Octaviani Cardinales aucti numero duorum ampliùs (quomodò, neſcimus) ſcripſere epiſtolam circularem, quæ ſic ſe habet:

b Ibidem.

XLIV. Litteræ ſchiſmaticorũ Cardin.

Venerabilibus in Chriſto fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Ducibus, Principibus, Præpoſitis, Prioribus & cæteris Eccleſiarum Prælatis, ad quos iſtæ litteræ pervenerint, Igmarus Tuſculanus Epiſcopus prior Epiſcoporum, Joannes tituli ſanctorum Silveſtri & Martini, Guido Cremenſis tit. S. Calliſti S. R. E. presbyteri Cardinales, Rimundus diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Via lata, & Si ...... ſanctæ Mariæ in Dominica, & Sublacenſis Abbas perpetuam in Domino ſalutem:] Ita inſcriptio, ex qua cùm ad ſummũ quinque numerentur Cardinales, qui faverint ſuis ſuffragiis Octaviano: an non ex paucitate ipſorum convincitur patens intruſio, atque invaſio ipſius Octaviani? cùm tamen nec quatuor vel quinque, ſed trium dumtaxàt ſuffragio Cardinalium (ut vidiſti) arripuerit ipſe Pontificatum. Sed audi litteras ipſas:

Ex quo contra honorem Eccleſiæ Dei &c.]

Digitized by Google

&c.] Quæ ſuperiùs anno milleſimo centeſimo quinquageſimoſexto ſunt alia occaſione narrata de his, quæ ſpectant ad conventiones initas cum Rege Siciliæ, uſque ad ea quæ ſubiiciuntur inferiùs de conſpiratione cum ipſo Vvillelmo Rege, quo nomine accuſant Cardinales partis adverſæ iſtis verbis:

Quid factum prætenderent ante obitũ Hadriani.

Ubi tunc demùm manifeſta conſpiratione præfati Vvillelmi fautores in præſentia domini Papæ *Hadriani* ſacramento firmaverunt, perſonam Imperatoris excommunicationi ſubiiciendam; & ex tunc in anteà ejus honori & voluntati uſque ad mortem immutabiliter contraire. Et ſi contingeret dominum Papam vita decedere, neminem ſe niſi de illis qui conjuraverant, in Pontificem eligere, circumpoſitos inſuper Epiſcopos, ne alicui electo, *niſi* in quem Siculi ſecta conſentiret, in conſecratione manus imponerent, juramento nihilominùs conſtrinxerunt. Poſtmodùm jam ſæpè dicto Patre noſtro Hadriano Anagniæ Kalendis Septembris defuncto, omnes illùc convenimus, & cùm de corpore ſive ibidem tumulando, ſive Romam deferendo non parva contentio oriretur: tandem Romam corpore deportato, priùs in verbo veritatis tale pactum unanimiter fecimus, & ſcripto mandavimus, quale nunc ſequitur.

XLV. Conventio facta inter Cardin. in electione Põtif.

In nomine Domini Amen. Convenerunt Epiſcopi, presbyteri, diaconi Cardinales ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & promiſerunt ſibi invicem in verbo veritatis, quòd de electione futuri Pontificis tractabunt ſecundùm conſuetudinem iſtius Eccleſiæ, ſcilicèt, quòd ſegregentur aliquæ perſonæ de eiſdem fratribus, qui audiant voluntatem ſingulorum, & diligenter inquirant, & fideliter deſcribant. Et ſi Deus dederit, quod concorditer poſſimus convenire, benè; ſin autem, nullus procedat ſine communi conſenſu, & hoc obſervetur ſine fraude & malo ingenio.

Tali pacto in verbo veritatis firmato, poſt humatum corpus, in Eccleſia beati Petri ad eligendum Pontificem convenimus, & juxta prædictam conſuetudinem perſonas, quæ ſingulorum voluntates diligenter inquirerent, & audirent ac deſcriberent, ſegregavimus. Sed cùm propter conſpirationem adverſæ partis electio lentè procederet, tertia die ferè tranſacta, ad hoc tandem deventum eſt, quòd quatuordecim Cardinales ex adverſo, qui ſacramento conſtricti tenebãtur, Rolandum Cancellarium nominaverunt. Nos autem novem numero, qui nefandi juramenti exortes eramus, venerabilem fratrem noſtrum Octavianum prebyterum Cardinalem, virum utique honeſtum & religioſum ad regimen Apoſtolicæ Sedis, & ad concordiæ & pacis unitatẽ inter Eccleſiam & Imperium reformandam ac conſervandam, dignum & utilem eſſe cognoſcentes elegimus.

De Octaviani electione.

Cùm res taliter ageretur, & partem contrariam pactum, quod in verbo veritatis firmatum fuerat, penitùs tranſgredi volentem ſentiremus: pactum ſupradictum illis ad memoriã reducentes, A auctoritate Dei omnipotentis, & omnium Sanctorum, atque noſtra eis penitùs interdiximus, ne abſque communi conſenſu omnium (ſicut in pactione continetur) ullatenùs aliquem immantarent, & Rolandum Cancellarium eadem auctoritate ne ſuſciperent, nihilominùs prohibuimus. Qui dum verba & admonitiones noſtras viliſpenderent, & Rolandum Cancellariũ manto feſtinarent induere: nondum tamen illo induto: nos illorum malitiæ potiùs contraire, quàm conſentire volentes, & quod malè conabãtur, minimè permittentes, ad petitionẽ populi Romani, electione univerſi Cleri, aſſen- B ſu etiam totius ferè Senatus, & omnium Capitaneorum, Baronum, nobilium, tàm intra Urbem quàm extra Urbem habitantium noſtrum Electum manto induimus, & inthronizatum in Sede B. Petri collocavimus. Inde ad palatium ejuſdem, acclamante univerſo populo, hymnum Deo cantante Clero, & omnibus ſolemniter adimpletis, honorificè deduximus.

XLVI. Quæ de Alexandri electione ſchiſmatici mentiti ſint.

Adverſæ verò partis Cardinales retrocedentes, in caſtrum beati Petri ſe contulerunt, ibique per dies octo & ampliùs incluſi permanſerunt. Inde poſtmodùm per Senatores educti, extra Urbem ſe- C ceſſerunt, & duodecima poſteà die (quod à ſæculo non eſt auditum) in caſtro nomine Ciſterna, intra Ariciam & Tarracinam, Rolandum Cancellarium immantaverunt, & in ſequenti Dominica execraverunt. Ac continuò mittentes Nuntios per univerſam Italiam, Epiſcopis, ne ad conſecrationem noſtri Electi venirent, penitùs diſſuaſerunt, minantes illis excommunicationem, & depoſitionem in perpetuum. Qui tamen in prima Dominica menſis Octobris, auctoritate Dei honorificè conſecratus eſt.

Rem, qualiter facta eſt, veſtræ frater- D nitati inſinuavimus, nihil præter veritatem annectentes, teſte Deo, qui falli non poteſt: & ſi Angelus de cœlo aliud evangelizaret, à veritate penitùs aberraret. Verumtamen multa quæ facta ſunt omittentes, iſta, prout breviùs poſſumus, vobis ſignificamus, ne prolixiore pagina aures veſtras oneraremus. Hæc itaque animadvertat veſtra fraternitas, quam devotiſſimè obſecramus & admonemus, & modis omnibus quibus poſſumus exhortamur in Domino, quatenùs neque per ſermonem, neque per epiſtolam à veſtro ſenſu moveamini, ſed in veritate nobiſcum firmi & im- E mobiles permaneatis.] Hactenùs ſchiſmaticorum Cardinalium litteræ, ita ponentium mendacium fiduciam ſuam. At potuit ad tempus veritas iſtiuſmodi obſcurari tenebris, non autem extingui penitùs, quin clarioribus lucis radiis emergens in denſa noctis caligine, Solis inſtar ſuo tempore illuſtrarit univerſam Eccleſiam. Hæc quidem iſti numero longè inferiores, probitate poſteriores, juſta cauſa deteriores, tantummodò audacia tentanda quælibet inconceſſa potentiorea, ad quæque falſa commentanda callidiores, eadem-

que

quæ litteris committenda impudentiores.

XLVII. At qui ex parte Catholica erant S. R. E. Cardinales, legitimi promotores Alexandri veri Catholicæ Eccleſ. Antiſtitis, haud defuerunt officio, quin cuncta quæ geſta eſſent, univerſa ſignificarent, ipſumque commonerent Imperatorem datis ad eum litteris, quas recitat ex parte licèt maxima mutilatas in Appendice (a) Radev. iſtis verbis, nominibus ſingulorum expreſſis in titulo.

a Radevic. l.2.c.53.

Episcop. presbyt. & diac. Card. litteræ ad Frid. Imp.

Friderico Dei gratia glorioſo, illuſtri, magnifico, & ſublimi Romanorum Imperatori Gregorius Sabinenſis, Hubaldus Oſtienſis, Julius Prœneſtinus, Bernardus Portucuſis, Vualterus Albanenſis Epiſcopi;] omnes denique præter unum Tuſculanum faventem genito ex familia Comitis Tuſculani. Poſt hos verò numerantur presbyteri Cardinales in hunc modum: Hubertus tituli ſanctæ Priſcæ, Joannes tituli SS. Joannis & Pauli, Henricus tituli ſanctorum Nerei & Achillei, Hildebertus tituli baſilicæ duodecim Apoſtolorum, Joannes tituli ſanctæ Anaſtaſiæ, Bonadica tituli ſancti Chryſogoni, Albertus tituli ſancti Laurentii in Lucina, & Vuillelmus tituli S. Petri ad Vincula;] omnes qui tunc erant presbyteri Cardinales præter duos vel tres. Poſt hos recenſitos prebyteros Cardinales diaconi ita ſcribuntur: Oddo ſancti Greorgii ad Velum aureum, Romanus ſanctæ Luciæ ad Septemſolia, alias in ſeptem ſolia. Hyacinthus ſanctæ Mariæ in Coſmedin, Oddo ſancti Nicolai in Carcere Tulliano, Ardericus ſancti Theodori, Bonifacius ſanctorum Coſmæ & Damiani, C.... ſancti Hadriani, P.... ſancti Euſtachii, & Joannes diaconi Cardinales:] Omnes quot erant, præter recitatos ſuperiùs in litteris adverſariorum. Ut jam vel hoc titulo tantùm manifeſtiſſimum cujcumque reddi poſſet, Alexandrum ab eis electum legitimum fuiſſe S R. E. Papam. Sed ipſam audiamus epiſtolam:

XLVIII. Alex. Pap. Card. litteræ ad Frid.

Quantò excellentiæ veſtræ major à Deo collata eſt & attributa poteſtas, & quantò ſublimiorem inter mortales dignitatis locum conſtat vos obtinere; tantò ampliùs Imperialem convenit majeſtatem, ſacroſanctam Romanam Eccleſiam, ſpecialem & unicam matrem veſtram in omnibus honorare, & ei ſemper, & præſertim neceſſitatis tempore ſalubriter atque utiliter providere. Quid autem diebus iſtis in eadem Eccleſia Romana contigerit, & quàm inauditum facinus ab his, quos filios reputabat, aliquantis diebus tranſactis fuerit perpetratum: dignum, immò digniſſimum eſt, nos Imperiali celſitudini noſtris litteris aperire. Nuper ſiquidem, cùm dominus noſter bonæ memoriæ Hadrianus Papa Kalendis Septembris apud Anagniam debitum naturæ ſolviſſet, & de terris ad cœlum, de imis migraſſet, vocante Domino, ad ſuperna: tres falſi fratres, Octavianus ſcilicèt, & Joannes de ſancto Martino, & Guido Cremenſis, qui à nobis quidem exierunt, ſed non fuerunt de

A nobis, transfigurantes ſe in Angelum lucis, cùm ſint ſatanæ &c.] Prout poſita ſunt ſuperiùs in litteris Alexandri Papæ. Poſt quæ hæc in fine habet:

Ad hæc noverit ſublimis gratia veſtra, quòd Otto Palatinus Comes occaſione de intruſione Octaviani ſuſcepta, præfatum dominum noſtrum *Alexandrum Papam*, & nos omnes plurimùm infeſtavit, & Eccleſiam Dei niſus eſt ſcindere, & multipliciter abſque rationali cauſa turbare. Campaniam ſiquidem atque Patrimonium beati Petri cum intruſo atque apoſtatico Octaviano violenter intravit, & terram

B ipſam ſtuduit ei quibuſcumq; modis ſubjugare. Nos itaque, & tota Eccleſia Dei nobiſcum, majeſtatem veſtram ſuppliciter exoramus, ut tàm violenta intruſione, ita ſicut eſt, intellecta & diligenter inſpecta, qualiter vobis ad ſalutem animæ veſtræ & honorem Imperii ſuper tanto negotio ſit procedendum, diligenter attendatis. Conſiderate & advertite, qualiter circa ſacroſanctam Romanam Eccleſiam, & circa unicum Sponſum ejus Dominum noſtrum JESUM Chriſtum (ſine quo nec regnum poteſt aliquis obtinere terrenum, nec acquirere ſempiternum) o-

C portet vos habere, & qualiter eam ab impugnatoribus, & præſertim à ſchiſmaticis & hæreticis ex Imperialis officio dignitatis protegere debeatis modis omnibus ac tueri. Nos ſiquidem vos, ſicut ſpecialem defenſorem & patronum Eccleſiæ Romanæ modis omnibus honorare intendimus, atque ad augmentum gloriæ veſtræ, quibus modis poſſumus, cum Deo aſpiramus. Rogamus autem & inſtantiùs ſupplicamus, ut matrem veſtram S. R. E. diligatis & honoretis, & ad pacem & tranquilitatem ipſius, quibus modis Imperialem convenit excellentiam, intendatis, &

D tantam præfati invaſoris atque ſchiſmatici iniquitatem nullatenùs foveatis.] Hæc ſunt, quæ reperiuntur ſcripta in epiſtola Cardinalium.

At Fridericus propenſiſſimus erga Octavianum nihil non molitus eſt, quo illi poſſet ſtabilire ſedem, cujus rei perficiendæ cauſa, iniquitatem meditatus eſt in corde ſuo, inſtitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odivit, prætextum inveniens concordandi Eccleſiam, Concilium indicit penes ſe celebrandum, ita impietatem quoquo modo velamine contegens pietatis: de quo Radevicus, erga ſuum Impera- XLIX.

E torem ſtudioſus ait: (b) Fridericus ancipiti malo novi ſchiſmatis permotus, conſilio Principium, decrevit dare operam, ne quid exinde ſeu ſtatus Eccleſiæ, ſeu Reſpublica Imperii detrimẽti caperet. Audiens itaque utrumque electum in Epiſcopatus ordinẽ conſecratum, alterum ab altero excommunicationis ſententia condemnatũ, ſine judicio Eccleſiæ controverſiam terminari poſſe non putavit. Auctoritatem autem congregandi Concilii exemplo antiquorum Imperatorum, verbi cauſa Juſtiniani, Theodoſii, Caroli ſibi congruere

b Radevic. l.2.c.24.

putans,

A putans, litiſque deciſionem legitimam eſſe non poſſe, niſi partibus hinc indè congregatis conſiderans, ad citationem amborum venerabiles viros & prudentes Danielem Pragenſem, & Hermannum Verdenſem Epiſcopos dirigit cum litteris, quarum exemplar hoc eſt &c.] Ita quidem illi, ſed non ut Romanæ Eccleſiæ hoſtes Imperatores, qualem ſe eſſe Fridericus multis (ut vidiſti) argumentis oſtendit, id feciſſe aliquando legitimè dici poſſunt, nec niſi ſuadente parte Catholica, videlicèt legitimo annuente Pontifice, nec in ſe adeò indubitata & perſpicua ſicut iſta, B Concilia congregaſſe noſcuntur. Quomodò autem vocaverit ad Synodo Alexandrum Papam ipſe Imperator, ſic accipe: (a)

a Idem c. 55.

L. Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus Rolando Cancellario, cæteriſque Cardinalibus, qui cum elegerunt Romanum Pontificem, ſalutem & omne bonum.

Frid. litteræ ad Alex. pro convẽtu cogendo.

Quoniam divina præordinante clementia Romani Imperii gubernacula ſuſcepimus, oportet ut in omnibus viis noſtris ipſius legem cuſtodiamus, cujus munere, cujus voluntate dignitatis noſtræ apicem C adepti ſumus. In hoc itaque ſacratiſſimo propoſito conſtituti, cum omnibus Eccleſiis in Imperio noſtro conſtitutis debeamus patrocinari, ſacroſanctæ Romanę Eccleſię tantò propenſiùs debemus providere, quantò ipſius cura & defenſio à divina providentia videtur nobis eſſe commiſſa ſpecialiùs. Ea propter de diſcordia, quæ in ſubſtituendo Romanum Pontificem inter vos ſuborta eſt, plurimùm dolemus, timentes, ne occaſione hujus ſchiſmatis Eccleſia Chriſti ſanguine redempta debeat dilacerari; præſertim cùm robur Eccleſiæ foris titubare videatur, quoniam unitas ipſius ſciſſura domeſtica interiùs dilania- D tur. Ut autem huic peſti competens & Deo gratum exhibeamus remedium, religioſorum virorum conſilio generalem Curiam & conventum in octava Epiphaniæ Papiæ indiximus celebrandam, ad quam evocavimus totius Imperii noſtri & aliorum regnorum, ſcilicèt Angliæ, Franciæ, Hungariæ, Daciæ Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, & viros religioſos, ac Deum timentes, quatenùs remoto omni ſæculari judicio, hoc tàm magnum Eccleſiæ negotium Eccleſiaſticarum tantùm perſonarum ſententia ita ſopiatur, ut & E Deo debitus exinde honor deferatur, & Eccleſia Romana ſua integritate & juſtitia non poſſit à quoquam privari, vel ſtatus Urbis, quæ caput Imperii noſtri eſt, inquietari.

LI. Proinde eruditioni veſtræ mandamus, & ex parte Dei omnipotentis, & totius Eccleſiæ Catholicæ præcipimus, ut ad eamdem Curiam ſive conventum veniatis, & Eccleſiaſticarum perſonarum ſententiam audituri & recepturi. Teſtis enim nobis eſt Deus, quia in hac Curia nec amore nec odio alicujus perſonæ quidquam aliud A quærimus, quàm honorem Dei, & Eccleſiæ ſuæ unitatem. Quòd ſi ad tàm celebrem Eccleſiæ conventum examinationis cauſa venire volueritis: chariſſimi Principes noſtri & Eccleſiæ Catholicæ Hermannus Verdenſis, Daniel Pragenſis, Patres & Epiſcopi venerabiles, quos de palatio noſtro ad vos tranſmiſimus unà cum Comite Palatino conſanguineo noſtro, aliiſque Legatis noſtris, ſecurum vobis conductum præſtabunt. Si verò juſtitiam Dei & Eccleſiæ in tàm ſolemni conventu recidere nolueritis: videat Deus & judicet. Nos autem ipſius favente gratia, qui B dat ſalutem Regibus, juſtitiam Dei, quæ nullum magis quàm Imperatorem Romanum decet, proſequemur.] Hactenùs ad Alexandrum Papam Imperator.

Porrò litteræ (pergit Radevicus) quibus ad tantam diſcuſſionem Tranſmontanos Epiſcopos invitavit, iſtæ pro exemplo ſufficiant:

Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus Herimanno Briſienſi Epiſcopo ſalutem & omne bonum.

LII. Frid. Imp. exemplum litterarum ad omnes Epiſc. Ultramontanos.

Quòd in paſſione ſua Chriſtus duobus gladiis contentus fuit, hoc in Romana C Eccleſia, & in Imperio credimus mirabili providentia declaraſſe, cùm per hæc duo rerum capita & principia totus mundus tàm in divinis, quàm in humanis ordinetur. Cùmque unus Deus, unus Papa, unus Imperator ſufficiat, & una Eccleſia Dei eſſe debeat: quod ſine dolore dicere non poſſumus, duos Apoſtolicos in Romana Eccleſia habere videmur. Defuncto itaque Hadriano Papa in Kalend. Septembris, Cardinales, qui columnæ immobiles eſſe videbantur, quibus ſancta & univerſalis firmiſſimè inniteretur Eccleſia, non quæ Dei ſunt, ſed ſua quærentes, & D unitatem Eccleſiæ ſcindentes, duos Pontifices elegerunt, & ambos conſecraverunt. Pro tanta namque & tàm pernicioſa Eccleſiæ jactura, tota nimirùm Italica Eccleſia conturbatur, & diſſenſiones, ſchiſmate orto in capite, jam in inferiora membra defluxiſſent, & totum Eccleſiæ corpus defœdaſſent, niſi nos conſilio & auxilio religioſorum virorum, qui Spiritu Dei aguntur, tàm impudicæ iniquitati juſtitiæ rigorem oppoſuiſſemus. Ne itaque in tantæ diſcrimine diſcordiæ univerſalis Eccleſia periclitari poſſit, Romanum Imperium, quod ad remedium tàm perni- E cioſi morbi divina clementia providit, univerſorum ſaluti debet ſollicitè providere, & ne tanta mala in Eccleſia Dei præmineant, futuris caſibus ſolerter obviare.

LIII. Coadunatis itaque in unum omnibus Epiſcopis tàm Italicis, quàm Teutonicis, cæteriſque Principibus, ac viris religioſis, qui zelum Dei & Eccleſiæ habere videbantur, quod facto opus eſſet, diligentèr inveſtigavimus ex decretis Romanorum Pontificum, & ſtatutis Eccleſiæ veraciter accipientes, quòd exorto ſchiſmate in Romana Eccleſia ex duorum Apoſto-

lico-

licorum diſſenſione, ambos vocare, & ſecundùm ſententiam & conſilium Orthodoxorum litem decidere deberemus. Ex conſilio itaque omnium qui aderunt Epiſcoporum, cœterorumque Principum Curiam ſolemnem & generalem conventum omnium Eccleſiaſticorum in octava Epiphaniæ Papiæ celebrandam indiximus, ad quam ambos, qui ſe dicunt Romanos Pontifices, vocavimus, omneſque Epiſcopos Imperii noſtri & aliorum regnorum, Franciæ videlicèt, Angliæ, Hiſpaniæ, atque Hungariæ; ut eorum in præſentia noſtra juſto declaretur examine, quis illorum regimen univerſalis Eccleſiæ de jure debeat obtinere. Quia verò ad unitatem Eccleſiæ reformandam ſapientia admodùm nobis neceſſaria eſt, ut ea nequaquàm carere valeamus: dilectionem tuam attentiſſimè rogamus, & rogando commonemus, quatenùs pro fidelitate Eccleſiæ & Imperii ad prædictam Curiam, omni occaſione remota, venias, ut in adventu tuo unitas & pax & tranquillitas Eccleſiæ reformetur. Interim autem prædictæ ſciſſuræ in neutram partem aſſenſum tuum declines, nec tamquàm juſtam & rationabilem aliquatenùs recipias. Data Cremæ, decimo Kalendas Novembris.] Ita Imperator. Eædem etiam litteræ, mutato nomine, ad ſingulos miſſæ ſunt Epiſcopos.

Audiſti, Lector, Imperatorem parantem (ut præ ſe fert in prooemio) judicium Eccleſiaſticum, reverà ſæcularem Curiam, ejuſmodi conventum, & non more majorum Concilium vocare, in quo ſic ipſe præſideret Epiſcopos auditurus, ut tamen ſententiam eſſet de Romano Pontifice pronuntiaturus. Id quidem ſignificaſſe viſus eſt, illis verbis: Secundùm ſententiam & conſilium Orthodoxorum litem decidere deberemus.] Sed de his fortalsè à ſuis prudentioribus redargutus, ceſſit Epiſcopis ſententiæ promulgationem, ut ſuo loco videbimus anno ſequenti, quo contigit hujuſcemodi conciliabulum Papiæ celebrari: modò reliqua proſequamur, quæ ſunt anni hujus hiſtoriæ.

LIV. Arrogantia Germaniæ Epiſc. Scriptis his litteris ad Alexandrum Pontificem, Imperator quos audiſti Legatos ſive Nuntios nominatos Epiſcopos ad eumdem Pontificem miſit. Quidnam ii, cùm pervenerunt ad Alexandrum, & quid Alexander ad eos, ex Actis ipſius ſuperiùs citatis hæc accipe, dum ſic incipit auctor ab ejuſmodi Friderici legatione: Cogitans autem Imperator, libertatis privilegium ab ipſo Domino Eccleſiæ ſuæ ſanctæ conceſſum poſſe irritare, & juxta voluntatis ſuæ arbitrium Papam in Sede Apoſtolica ponere: duos ex fautoribus ſuis Verdenſem & Pragenſem Epiſcopos ad fratres, qui cum domino Alexandro venerant, in civitatem Anagniam deſtinavit, ſcribens non ſicut Advocatus & Defenſor Eccleſiæ, ſed ſicut ſuperior judex & dominus, ſuper eos poteſtatem habens: Venerunt ipſi feſtinanter ſub typo ſuperbiæ, & intrantes palatium ſederunt coram Pontifice cum Patribus & Fratribus, aliiſque multis tàm laicis quàm clericis, ſed nullam exhibuerunt eidem Pontifici reverentiam. Et recitaverunt ea, quæ à domino ſuo impoſita eis fuerant, & bullatas ex auro ejus litteras addiderunt, in quibus hoc inter cœtera continebatur expreſſum: quòd ipſe Imperator, audita diſſenſione, quæ in Romana Eccleſia emerſerat, perſonas Catholicas de quinque regnis convocaverat, ideòque præcipiebat eis ex parte generalia Eccleſiæ, ut in octava Epiphaniæ apud Papiam convenirent ad ejus præſentiam, audituri & recepturi, quod in ea Curia dictaretur.

LV. His auditis, turbati ſunt fratres undique gravioribus malis, timor eis & nimia ſollicitudo vehementer eſt injecta. Hinc namque maximè terrebat imminens perſecutio Principis tàm potentis: hinc Eccleſiæ libertas infringi videbatur. Illud prætereà fratrum animos non mediocriter contriſtabat, quòd idem Imperator Octavianum in ſuis litteris Romanum Pont. & Alexandrum Rolandum Cancellarium nominabat. Super iis ergò diu à fratribus tractatum eſt, & longa diſceptatione diſputatum. Deliberatum eſt tandem, & inſpirante Domino, à quo cuncta bona proveniunt, in Fidei Catholicæ unitate, & obedientia ſummi Pontificis ita omnes confirmati, & unanimiter ſunt roborati, ut pro manutenenda Eccleſiæ libertate, ſi neceſſitas immineret, altiſſimis ſe periculis unuſquiſque ſpontè offerret. Tunc inſtantibus pro reſponſo prædictis, qui à Rege miſſi fuerant Epiſcopis, Alexander Papa coram multitudine clericorum & laicorum eis in hunc modum dixit:

LVI. Quid ad nuntios Imper. reſpondet Alex. Pap. Nos recognoſcimus dominum Imperatorem ex collato ſibi dignitatis debito Advocatum & ſpecialem ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Defenſorem. Unde ipſum (ſi per eum non ſteterit) præ cæteris Principibus Orbis intendimus honorare, & præ omnibus ei primatum deferre, in quibus Regis Regum honor nullum capiat detrimentum. Ubi verò quidquam occurrit, quod abſque ſummi Regis offenſa effectum habere nequeat, ſi honorandus terræ Imperator videtur, ille potiùs à nobis timeatur, & illius honor in primis conſervetur, qui eſt Rex Regum, & Dominus dominantium, & qui animam & corpus perdere, atque in æternam ignis gehennam mittere poteſt. Miramur itaque, illum ſincerè (ut convenit) diligentes, & excellentiam ejus honorare propenſiùs volentes, ab eo nobis, immò beato Petro & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, honorem debitum denegari. In litteris enim, quas ex parte ipſius nobis, noſtriſque fratribus detuliſtis, hoc inter cætera tenebatur expreſſum: Quòd ipſe audita diſſenſione, quæ in ipſa Eccleſia emerſerat, de quinque regnis perſonas Eccleſiaſticas convocaverat, &c. ut ſuprà

uſque

A ſque ibi: Hia auditis. Nimirùm longè à conſuetudine prædeceſſorum ſuorum receſſiſſe videtur, & dignitatis ſuæ terminum exceſſiſſe, dum ſine conſcientia Romani Pontificis Concilium convocavit, & nos ad præſentiam ſuam, ſicut homo ſuper nos poteſtatem habens, præcepit convenire.

Sanè beato Petro, & per eum ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, cujus ipſe per Deum magiſter extitit & fundator, hoc privilegium legitimè à Domino JESU Chriſto, ſanctiſque Patribus traditum eſt, & per proſpera & adverſa etiam cum ſanguinis effuſione cùm oportuit, uſque ad B hæc tempora conſervatum, ut univerſarum Eccleſiarum cauſas ipſius auctoritate diſcuteret ac finiret, ipſa verò nullius umquam judicio ſubjaceret. Unde quia nunc ab eo contra privilegium Eccleſiæ inculcatum fieri videmus, per quem deberet ab aliorum impugnatione defendi; & quia ita ſcriptum eſt mali, ſicut cuilibet abjectæ perſonæ: hoc abſque admiratione digna nimia ferre non potuimus, nec debemus. Ad Curiam verò ejus, vel ad ſententiam accedere, canonica traditio, & reverenda Patrum auctoritas non permittit. Unde cùm nec in minoribus C Eccleſiis advocati earum & ſingulares Principes, vocationes, diſceptationes, ac deciſiones hujuſmodi cauſarum ſibi aut Curiis ſuis uſurpent, ſed ſuorum Metropolitanorum, aut Apoſtolicæ Sedis ſemper notitiam & definitionem habere expectent: divina videtur animadverſione digniſſimum, & ab omni Eccleſia tantò durius arguendum, quantò amplius ad univerſalis Eccleſiæ periculum redundaret, ſi per ignorantiam noſtram, aut puſillanimitatem ſpiritus à capite (quod avertat Deus) diebus noſtris iſte morbus inciperet, & nos Eccleſiam, pretioſo ſanguine D Chriſti redemptam, in ſervitutem redigi ſineremus. Ergò pro cujus libertate tuenda Patres noſtri proprium ſanguinem effuderunt, & nos ipſi ad eorum exemplum, exigente neceſſitatis articulo, extrema audemus pericula ſuſtinere.

Conſtantia Alexandri Papæ.

LVII.

Octavianus ab Imper. honoratur ut Papa.

Habito itaque hoc reſponſo, indignati ſunt prædicti Epiſcopi qui miſſi ſunt; & contumaciter redeuntes, ad Octaviani præſentiam apud Signiam acceſſerunt; & ad pedes ipſius procidentes, adoraverunt eum. Idipſum quoque fecit Otto Palatinus Comes, quem cum Teutonicis Imperator cunctis delegaverat ad partes Ur- E bis. Tunc verò non mediocriter eſt elevatum cor ipſius hæreſiarchæ, vehementer extollens ſe ſuper ſe tamquàm inſanus & cæcus, non ſciens, quòd ſecundùm beati Petri & Cyriaci martyris dictum, Schiſmatici ſemper inter initia ferventer incrementa habuerunt: cùm autem non poſſunt quod illicitè cœperunt detinere; ſtatim paulò pòſt cum prima ſua æmulatione deficiunt. De hujuſmodi ambitioſis Propheta loquitur dicens: (a) Verumtamen propter dolos diſpoſuiſti eis mala, projeciſti eos dum allevarentur. Quomodò facti ſunt in deſolationem, ſubitò defecerunt, & perierunt propter iniquitates ſuas, velut ſomnium ſurgentium, &c. Tales autem Joannes Apoſtolus execratur & percutit dicens: (b) Exierunt ex nobis & non erant ex nobis; ſi fuiſſent ex nobis, manſiſſent nobiſcum, &c.]

a Pſal. 72.

b 1. Joan. 2.

Jam vidiſti Lector, ab Imperatore præjudicatum ante judicium, dum per ſuos Legatos recepit in Papam Octavianum invaſorem, quem ab eis adorandum voluit, & ut legitimum Pontificem ſalutandum; adeò ut nullum jam ſubeundum reliquum eſſet judicium Alexandro Papæ, ob idque nullo modo (quamvis aliæ omnes cauſæ ceſſaſſent) in adverſariorum manus conjicere ſe deberet. Porrò qui Antipapam recepit in legitimum Eccleſiæ Romanæ Pontificem Imperator, plurimùm laboravit, ut Reges unà ſecum in eumdem errorem adduceret; pertentavit autem Regem Anglorum, ſed fruſtrà: prævenerat enim eum Arnulphus Lexovienſis Epiſcopus, vir cùm primis eruditus, & magnæ apud Regem æſtimationis. De cujus officiis apud Regem pro Alexandro, extant datæ ad ipſum ſummum Pontificem litteræ, dignæ quidem tanto Præſule, quæ ſic ſe habent jam unà cum aliis ipſius epiſtolis typis cuſæ, illo titulo:

LVIII.

Ad dominum Papam Alexandrum de promotione ſua Arnulphi Epiſcopi Lexovienſis epiſtola.

Arnulphi Epiſc. Lexovienſis ad Alexan. Pap. epiſt.

Benedictus Deus & pater Domini noſtri JESU Chriſti, qui Eccleſiam ſuam, immaculatam ſcilicèt Sponſam dilecti Filii ſui mirabili ſemper benignitate diligit & conſervat. Licèt enim ipſam aliquibus quandoque vexari patiatur injuriis; facit tamen cum tentatione proventum, ut poſſit ſuſtinere, nec umquam portas inferi adverſùs eam prævalere permittit. Neque enim expedit, ut continuæ proſperitatis ſtatus eam inſolentem reddat, vel otioſitas negligentem; ſed humilitatem conſervet afflictio, & vexatio tribuat intellectum. Et ei quidem omnia cooperantur in bonum, dum ipſa tamquàm aurum in fornace probatur: & ad augmentum coronæ cuncta proficiunt, dum eam vis adverſitatis fortiorem reddit, & malignitatis infeſtatio cautiorem. Ipſe verò miſerator & miſericors Dominus ad tempora tribulationis viros virtutis & conſilii providet & præformat, qui temeritatis audaciam repellere valeant, & malignitatis aſtutiam noverint declinare. Quod in ſanctæ & glorioſæ recordationis Innocentio Papa ſatis evidenter apparuit, qui extollentem ſe adverſùs omne quod dicitur, aut quod colitur Deus, dejecit hæreticum, quem nobilitas generis, quem divitiarum cumulus, quem peccatrix eloquentia, quem prudentia ſæcularis, quem denique ſæcularium hominum favor publicus attollebat. Prævaluit in athleta Dei veritas falſitati, & humilitati robuſtæ ſuperba ceſſit ambitio, & de iniquitate juſtitia triumphavit.

Laudes Innocènt. Pap. II.

Vidi-

A Vidimus ſiquidem ipſum exaltatum & elevatum ſicut cedros Libani: & tranſivimus, & ecce non erat; quæſivimus, & non eſt inventus locus ejus, quia nec inter mortuos tumulum, neque titulum meruit ſepulturæ. Dominus autem ſublimavit cornu chriſti ſui, ut in eo unitas Eccleſiæ reformari poſſet, & regnum ipſius omnibus dominari.

LIX. Memini ego, nec id à veſtra reor excidiſſe memoria, quanta ad mandata ejus Principes reverentia moverentur, quàm ſublimis extiterit, quantaque majeſtate refulſerit Eccleſia, quantum in diebus ejus religio munda & immaculata profecerit, B adeò ut plures hodiè Religioſorum deſerta contineant, quàm ferarum olim habuerint beſtiarum. Arbitrabatur ille ad regendos homines utendum potiùs ſobriæ ſeveritatis diſciplina, quàm remiſſæ miſericordiæ lenitate, Deo potiùs quàm hominibus placere deſiderans, ne ob gratiam hominum, coram Deo poſſet contemptibilis apparere. Unde & virtus ejus ſemper inter adverſa major enituit, nec tanta poſtmodùm proſperitatis ejus inſignia claruerunt, quanta præcedentis adverſitatis adhùc magnalia celebrantur. Neque enim C confidebat in homine, neque carnem ponebat brachium ſuum; ſed potiùs confidebat in Domino, & erat Dominus fiducia ejus.

LX. Quomodò ſchiſmatici picti in Lateran. palatio. Porro ſchiſmata hæc in Eccleſia Romana frequentiùs accidiſſe, etiam Lateranenſis palatii picturæ demonſtrant, ubi Catholicorum Patrum pedibus pro ſcabello ſchiſmatici præſumptores adſcripti ſunt, ubi ſuperborum & ſublimium colla ſapientia propria virtute conterit & conculcat. Quod ſanè ea ratione factum, ut ſanctis Patribus cedat ad gloriam victoriæ teſtis adſcriptio, in qua præſumptores illi vel D compreſſionis pœnam ſuſtinent, vel præſumptionis veniam deprecantur. Unde & ſancti Apoſtolatus veſtri Cathedra ſine ſcabello eſſe non debuit, ſed nobiliore ſcabello debuit illuſtrari. Neque enim incerta vobis eſt, aut longinqua victoria, ſed humilitas verecundiæ veſtræ punitur ad tempus, quæ congregatis in Spiritu ſancto Patribus diſtulit obedire. Pari etenim culpæ tenetur obnoxius, qui vocationem Domini prævenit, vel recuſat oblatam. Re- Alexand. diſtulit acceptare Pontific. dibit tamen in proximo, Deo volente, ſerenitas, & modica hæc ad radios veri Solis nebula diſſolvetur, redintegrata uni- E tate Catholica, ab omni parte pedibus veſtris univerſitas fidelis occurret. Interim autem quæcumque cæteros ſtudia removentur, quibuſcumque deſideriis profana trahatur arbitrio, quantacumque temeritate deteſtabilis erumpat invidia; ego minor licèt omnibus, non minore tamen gaudio quàm cæteri gloriam veſtræ promotionis amplector, & vos Apoſtolum Chriſti, Petri Vicarium, Paſtorem & Epiſcopum omnium, qui Chriſtiano nomine cenſentur, agnoſco, & vobiſcum Catholicam profiteor unitatem.

LXI. A Gaudeo itaque, quoniam deſideratus dies, dies ſcilicèt exultationis illuxit, quo reverà reſtitutam credimus virtutibus gratiam, virgam vitiis, terrorem Principibus, Eccleſiæ libertatem. Gaudeo, inquam, quia ex hoc nunc ſermo Dei non erit alligatus, ſed verbum ejus, quod in ore veſtro verum eſt, quod impoſſibile credebatur, facili conſummabit effectu. Properaſſem igitur jam ad pedes veſtræ Beatitudinis amplectendos, ut ariditatem meã quaſi copioſior de proximo benedictionis veſtræ rigaret ubertas, niſi me zelus utilitatis veſtræ maximè tenuiſſet. Ex quo ete- Arnulphus pro Alex. agit apud Reg. Angl. B nim promotionis veſtræ auribus noſtris veritas, & oppoſitæ præſumptionis error innotuit, feſtinavi ad noſtri notitiam Principis id perferre, ut vacantem animum ejus favore veſtro, quibus debebam perſuaſionibus occuparem, ne nos qualibet occaſione malignitatis aſtutia præveniret. Facilius etenim eſt animos occupare vacantes, quàm ipſos à conceptis affectibus revocare. Hæſit ille aliquamdiu, ſed ſtatim operante Spiritus ſancti gratia confirmatus, nullum ſe alium, quàm vos ſuſcepturum hilari conſtantia, conſtantique ſimul hilaritate promiſit.

LXII. Rex Angl. propenſior erga Alex. Pap. C In quo cùm proximè de differenda veſtra ſuſceptione Imperatoris litteras accepiſſet, cui diſcurrentibus invicem litteris & Legatis, plurima videtur charitate conjunctus: ne preces ejus ſpreviſſe, & in præjudicium ejus feſtinaſſe videretur, generale quidem ſuppreſſit edictum; ſed nequaquàm manus aut linguam à litterarum nominiſque veſtri veneratione continuit, neque quemquam noſtrum voluit continere. Arbitratus eſt ſiquidem minus valituram pro vobis edicti jactantiam, quàm operis veritatem. Firma apud eum eſt & indubitata veſtri Apoſtolatus auctoritas, at- D que in quamcumque partem cor prædicti Principis fuerit inclinatum, ille procul dubiò non ſequetur errantem. Mei autem ſtudii erit, omnes circa eum quaſi vigilias obſervare, ne ora loquentium iniqua convaleant, ſed ipſe in veſtra, ſicut ſemel incepit, obedientia perſeveret. Felicem enim me inquam, ſi umquam in hoc vel in alio beneficentię veſtræ gratus inveniar, ut devotionis meæ ſaltem inter cæteros aliquando velit veſtra dignatio reminiſci. Veſtrum quoque eſt, quoties refulget occaſio, provincias omnes frequentibus viſitare mandatis, ut E ab omni parte nomini veſtro & obedientiæ pariter aſſueſcant: quia non erit qui vel litteras non recipere, vel mandatis audeat obviare.] Hucuſque ea quæ extat in codice Arnulphi ad Alexandrum epiſtola, ad quem idem Pontifex reſcripſit anno ſequenti menſe Aprilis poſt celebratum conciliabulum Papienſe. Ponemus ejus litteras ſuo loco inferiùs. Intereà autem Alexander Papa ex ejuſdem Arnulphi ſententia Legatos à latere miſit ad diverſas provincias, de quibus hæc habent Acta vitæ ipſius ſuperiùs ſæpè citata:

Miſſi

LXIII. Alex. Pap. Legatos in Provincias mittit.

Miſſa ſunt ergò ad partes Galliarum & Hiſpaniarum Antonius tituli ſancti Marci, Vvillelmus tituli ſancti Petri ad Vincula presbyteri, & magiſter Oddo diaconus Cardinalis ſancti Nicolai in Carcere: ad partes autem Orientales Joannes tituli ſanctorum Joannis & Pauli; ad Hungaros verò legavit Julium Præneſtinum Epiſcopum, & Petrum ſancti Euſtachii diaconum Cardinalem. Ad Imperatorem quoque Conſtantinopolitanum Tiburtium cum Arderico ſancti Theodori diacono.

Reges recipiunt Alex. Pap.

Divulgata itaque veritate jam dictæ electionis, & indubitanter cognita, Ludovicus Chriſtianiſſimus Francorum Rex, B cujus regnum numquam in ſchiſmate pollutum recolitur, unà cum Henrico Anglorum Rege dominum Alexandrum in Patrem & animarum ſuarum Paſtorem, Deo auctore, receperunt. Reges quoque Hiſpaniarum, Siciliæ, Hieruſalem, Hungariæ, & Græcorum Imperator cum Patriarchis, Epiſcopis, Principibus, & univerſo Clero & populo eis ſubjecto ad ipſum Pontificem pari modo convenerunt, recognoſcentes in toto ipſum Papam, Chriſti Vicarium, & B. Petri Catholicum ſucceſſorem. Solus Fridericus, Imperator dictus, C cum complicibus ſuis in erroris ſui pertinacia, & obſtinatione ſua remanſit, vehementer impugnans, & acriter perſequens eumdem Pontificem, & alios Eccleſiarum Prælatos, qui cum eo viriliter ſtabant.] Hactenùs Acta de legationibus ab Alexandro Papa in diverſis Orbis partes directis, atque receptis.

De Legatis ad Regem Angliæ miſſis magna cum laude meminit Arnulphus in epiſtola ad Cardinales, in qua quot verba, tot numeres Aleſandri Papæ triumphos. Scripſit enim idem Arnulphus ad omnes ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales egregiam epiſtolam, hiſtoricam quidem D ipſam, qua narrat Reges ad Alexandri Catholici Antiſtitis cultum obedientiamque converſos, & alia plura Annalibus digna: ſed ante omnia exaggerans damnat perperàm factam per Octavianum Pontificatus invaſionem. Sic enim ſe habet, ejuſmodi præmiſſo titulo:

LXIV. Arnulphi Epiſcop. ad Card. S.R.E. Ep.

Ad Cardinales Romanæ Eccleſiæ de electione domini Papæ Alexandri.

Quàm utilis apud Principes noſtros ad agnitionem ſancti Apoſtolatus reverendiſſimi domini & Patris noſtri Alexandri Papæ diligentia noſtræ devotionis extiterit, E ad notitiam veſtram fidelium relatione perveniet, aut pervenit. Neque enim neceſſaria mihi eſt in hac parte jactantia, ut rei vobis veritas innoteſcat, quoniam me etiam diſſimulante, latere non poterit, quòd Northmannia tota mirata eſt, & ipſa de longinquo nihilominùs Anglia recognovit. Benè autem mihi, quia jam fructum diligentiæ hujus præmiumque laboris accipio, quoniam mihi ſalva eſt gloria mea, teſtimonium ſcilicèt conſcientiæ meæ, penes quam gratiæ Apoſtolicæ plenitudinem & indubitatam divinæ benedi- A ctionis percipio veritatem. Gaudeo itaque, ſciens me reverà matris meæ gremio contineri, ipſiuſque ſacris foveri complexibus, & ſinceris uberibus allactari. Gaudeo, inquam, cognoſcens, quàm obſtinato ſchiſmatici miſerandæ cæcitatis claudantur errore, quorum oculos circumfuſæ lucis radii non illuſtrant, ſed ipſe potiùs excedens manifeſtæ fulgor claritatis offundit. Judicati ſunt, debitamque commiſſi reatus excepere ſententiam, quos Eccleſia tamquàm degeneres ſatanæ tradidit in interitum carnis, & à Catholica depulit unitate. Neque caret executione ſententia, ſed indilato B mancipatur effectui, cùm eos interim & conſcientia torqueat, & imminens quotidiè prævalentis Eccleſiæ triumphus affligat.

LXV.

Porrò benigniùs Eccleſiæ ſuæ Sapientia divina providit, manifeſtam faciens omnibus veritatem, ut nec ſimplicitas ignorantiam, nec malignitas probabile quid libet valeat allegare. Si enim eos, quos ab unitate Catholica profana ſejunxit ambitio, numerus, vel opinio, vel quælibet electionis forma defenderet: aliqua fortaſſis erroris materia contrahi potuiſſet. Sed tres tantùm de tota univerſitate ſeducti ſunt, & hi C ſanè, quos magis ſupportare videbatur Eccleſia, quàm in aliquo de eorum induſtria gloriari, quia ſcilicèt eos nec virtutis elegantia, nec litterarum peritia commendabat. Numquid enim is, qui inter eos ætate præcedebat & ordine (Tuſculanum loquor) horam quietis & prandii ſolitus obſervare, Epicurus alter reputabatur, in omnibus non omnium negligens, niſi alicujus fortè quod oblata ſperati proventus auſpicatio præveniret? Quod adeò verum eſt, ut cæteris laborantibus, ſolus præmaturè, ſicut dicitur, ab electione diſceſſerit, quoniam hora prandii videbatur inſtare, ne avi- D dus deſiderio ſuo fraudaretur exactor, & inania adversùs negligentes manus inciperent viſcera murmurare. Alius affectatæ Cancellariæ confuſus opprobrio, & alienæ prælationis honore dejectus, conceptum de invidia perſonale odium in Eccleſiam convertere temeraria malignitate præſumpſit. Tertius verò ſolius inter alios peritiæ privilegio carnis exultans, arbitratus eſt nihil negandum ſanguini, nihil ſacris Canonibus deferendum. Neque enim poteſt debitam eis exhibere reverentiam, quos ignorat. Ideòque ſimilem ſibi brutum brutus elegit, ut in utroque ſibi invicem de E pari litterarum imperitia reſponderet.

LXVI.

Sed nec Apoſtolicæ ſeveritatis eos diſciplina terrebat, ne eorum præcipitem cohiberet audaciam, & vagos temerariæ cupiditatis frænaret excurſus. Hic numerus, hæc tanta peritia, hoc tàm venerabile ſanctumque collegium, Eccleſiam Dei, immaculatam ſcilicèt Sponſam dilecti Filii ſui, renitẽtibus univerſis, affectavit ad propriam pertrahere voluptatem, & à dextris Regis ad deteſtabiles ſatanæ transferre complexus. Viſa tamen totius ferè univerſitatis cõcordia deſperati, ad unitatẽ ſtatim redi-

A redituri fuerant vel inviti: ſed ſtupentibus ipſis, ideòque ceſſantibus, ſchiſmatici majoris diutiùs effrænata non tulit ambitio, præparatoque furtim, ſicut dicitur, pluviali de manibus offerentis arrepto, in humeros ſuos tanta feſtinatione conjecit, ut hærentibus collo fimbriis, pavimentum lamberet pars ſuperior indumenti. Sic indutus ad Cathedram, nullo adhùc etiam prædictorum comitante, cucurrit; nomen ipſe ſibi Victoris acclamans, & ad ſuffragandum ſibi & decantandas laudes præparator impudenter exhortans. Mirum ſpectaculum, nec manifeſto carens futuræ veritatis auſpicio, ſcilicèt quòd hic ei in B ruinam quandoque vertetur aſcenſus, ſicut ipſa præſumptæ chlamydis inverſa converſio præſignabat.

LXVII. Intereà reſeratis Eccleſiæ foribus, infame illud * Maledictorum genus irrupit: hoc enim cognationis illius vetus agnomen eſt, de qua ad effundendam benedictionem in omnes gentes Pontifex dicebatur aſſumi, Qualiter autem de ſtirpe maledictionis poſſit benedictio propagari, facilè non apparet, præſertim per illum, in quo vetuſtæ maledictionis opprobrium, merita contractæ noviter execrationis at- C tollunt. Diſcurrentibus igitur armatis, cœpit per Eccleſiã quaſi quædam theatralis ſcena diſponi, dum parietes fulgor illuſtraret armorum, & laſciva quaſi triumphantium acclamatio reſultaret. Horum manibus denique pluviali compoſito, ad palatium uſque perductus eſt, comitantibus his, paucisque ſacerdotibus, quorum infamis quæſtus eſt ſimplicitatem peregrinorum eludere, & aſſiduis altare beati Petri ſacrilegiis infeſtare. Porrò hæc initia ejus non ſunt meliore gaviſa proceſſu, ſi quis vel emendicatæ execrationis ordinem, vel redemptam laicæ gratiam poteſtatis exqui- D rat. Nonnè enim ſacrilegii facinus de majori cumulum iniquitate contraxit, cùm ſimoniacam conſtet interceſſiſſe per omnia pravitatem, ſicut refuſa Senatui populoque Romano pecunia, publicisque palàm ædificiis impenſa convincit? Sed & hoc immanius eſt, quòd redemptam ſanguine Chriſti, proſtituit libertatem, quatenùs Eccleſia, quæ jure ſuo cunctis ſemper eſt dominata Principibus, Officialis ſui manciparetur obſequio; quo & incomparabilis privilegium majeſtatis amitteret, & ad miſerabilem ſtatum conditionis noviſſimè deveniret. Et nos quidem non potuimus hæc E oculis præſentibus intueri, ſed veritas ad nos per eos qui viderunt, fideli relatione pervenit. Quod autem publicè geſtum eſt, multorum nobis teſtimonio potuit confirmari, præſertim cùm teſtes prærepta dignitatis honore præfulgeant, & ſimplex abſolutam reddat concordia veritatem.

* Pro Benedictorũ ex Comitibus Tuſculanis Benedicti dicti Pontifices hic notantur, de quibus dictum ſuis locis ſuperiùs.

LXVIII. Hac igitur parte de qualitate negotii, & perſonarum meritis æſtimata: jucundum mihi eſt ad partem alteram oculos animumque convertere, & opus eorum qui elegerunt, per ſingulas partes toto mentis gaudio contemplari, eiſque referre gratias, qui ſancto collegio veſtro prudentiam contulit & virtutem, qua & ſerpentis declinare malitiam, & graſſantis ſuperbiæ valuiſtis repellere pravitatem. Sed neque nomen partis tantillæ eorum meretur exceptio, nec univerſitatem noſtram partis decet appellatione cenſeri, quia perditorum ſegregatio numerum non minuit electorum, nec detrimentum ſentit area domini, ſi granis manentibus paleæ ventilabro purgante diſcedunt. Igitur omnia recenſenti manifeſtum, quod ſanctitatis zelus conſecravit initia, proceſſum juncta prudentiæ fortitudo direxit, patientia debito conſummabit effectu, pacem Deo volente, perſeverantiæ fides inconcuſſa præſtabit. Nihil hic carnale, nihil terrenum, nihil veſtri ad privatam utilitatem oculi reſpexerunt, ſed ad commune bonum, & honorem Eccleſiæ totis vos conſtat anhelaſſe deſideriis, totis viribus inſudaſſe. Prædicabitur itaque nomen veſtrum, & à mari uſque ad mare excellentiæ veſtræ gloria perſonabit; formamque dabit poſteris & exemplum, ne à juſtitia, & veritate perſecutionis cujuslibet terrore diſcedant. Ad hæc Spiritus quoque teſtimonium perhibet ſpiritui noſtro, quia nobiſcum ſchiſmaticum illum publica omnium conſcientia reſpuit & condemnat, & electum nobis Antiſtitem ſinceræ charitatis & reverentiæ brachiis amplexatur. Opera ſiquidem illius manifeſta ſunt, opera ſcilicèt maledictionis & ſcandali; opus autem iſtius in benedictione eſt, & favor ejus in gentes quotidiè convaleſcit. Corda enim omnium nobiſcum ſunt, eorum etiam, quorum linguæ nobis qualibet ſæculari neceſſitate reclamant; adeò ut ſi nondum de corporibus, de cordibus tamen omnium verum ſit, Eccleſiam triumphaſſe.

LXIX. Nonnè enim in eos, qui ab hac fidei unitate diſſentiunt, ultio divina manifeſtè procedit, & voluntas ejus evidentibus indiciis declarata pateſcit? Nonnè Princeps ille, *nempè Fridericus*, cui ſimilem à multo tempore Roma non habuit, cujus Dominus apprehendiſſe dexteram dicebatur, cujus ferè uſque ad remota Orientis terror exceſſerat, à die ſuſceptionis Octaviani divino cœpit judicio reprobari, adeò ut hi, quos antè ſecuros mœnia non reddebant, congredi cominùs auſi ſint, & ei de proſperitate ſucceſſuum inſultare? Reverà digitus Dei eſt hic, dexteræ Excelſi repentina mutatio, parcentis adhùc, & in ira corripere differentis. Utinam ſaperet, & intelligeret, & noviſſima provideret, quia tot detrimenta præſentium quædam ſunt indicia futurorum.

Omnibus igitur ab initio ritè perſpectis, domini & patres mei, magna vos convenit exultatione gaudere, quòd de omni carne ſingulariter eſtis ad hoc tempus electi, per quos Fidei veritas, per quos forma juſtitiæ, per quos Eccleſiæ libertas inconvulſa ſervetur. Quòd enim nos in hac vobiſcum unitate conſiſtimus, quòd hæreticam pravitatem cum ſuo deteſtamur auctore: vo-

bis

bis debetur gratia, qui cœpiſtis, à quibus nos auctoritatem duximus & exemplum. Ipſi itaque duces noſtri, ipſi reverà de fortiſſimis Iſrael eſtis, quibus lectulus (a) Salomonis datus eſt propter timores nocturnos fidelibus excubiis ambiendus. Ad vos, velut ad lucernam ſuper candelabrum poſitam, Orientalis pariter & Occidentalis concurrit Eccleſia, ſed & ad inſulas quæ procul ſunt, ſonus veritatis exivit, à quibus, tamquàm à finibus terræ, plerique jam per diſcrimina multa venerunt audire ſapientiam Salomonis. Licèt enim nos plurima locorum ſpacia disjungant, charitas ſemper indiviſa conjungit, quos unus ſpiritus, una fides, una confeſſio dirigit ad ſalutem. In hac decrevimus vobiſcum conſtantia permanere, in hac vobiſcum vivendum eſt, in hac, cùm voluntas divina decreverit, moriendum: quia neque mors, neque vita, neque aliquid umquam ab hujus nos ſententiæ profeſſione ſejunget.

a Cant. 3.

A B

Interim ſi domino noſtro & vobis noſtram non poſſimus præſentiam exhibere, aliqua tamen ex parte ſupplet devotio charitatis abſentiam, quoniam venerabilibus patribus noſtris Sedis Apoſtolicæ Legatis aſſiſtimus, cum eis toto ſtudio ſanctæ Romanæ Eccleſiæ utilitatibus inſiſtentes. In quibus tanta refulget Apoſtolicæ ſanctitatis & doctrinæ perfectio, ut eis plus gratiæ merita contrahant, quàm terroris reverentia diſciplinæ. Viri ſunt, quorum ſanctitatem miratur populus, ſapientiam Clerus uſquequaque collaudat, ad virtutem ſeveritatis Principes expaveſcunt. Ad ſummam, tanta omne opus ſuum manſuetudine temperant, ut neque ſeveritas diſciplinæ pereat, & in omni parte ſanctæ Romanæ Eccleſiæ gratia convaleſcat.

Quales Legati ab Alex. miſſi.

C

LXX. Porrò ſuper facto illo, in quo Regem Francorum adversùs eos ſcandalizatum audiſtis, prorsùs excuſabiles ſine omni dubitatione credatis, qui numquam ad conſenſum diſpenſationis illius pertrahi potuiſſent, niſi eos inexpugnabilis neceſſitas, & inæſtimabile bonum recompenſationis illicò venturæ traxiſſet. Convenerant ſiquidem ex mandato Regum venerabiles de regno utrinſque perſonæ, ut de Romani Pontificis ſuſceptione tractarent, de quo nihil adhùc publicè fuerat conſtitutum. Stabant itaque fratres illi, cauſam Eccleſiæ non ſine magno diſcrimine proſequentes, quoniam apud pleroſque favor iniquitatis convaluerat, adeò ut qui manifeſtæ repudium veritatis ſuggerere non audebant, differendum potiùs, ſæculari quadam aſtutia prædicarent: eventum ſcilicèt rei dubiæ potiùs expectandum, quàm ſubiiciendam fortuitis caſibus tantorum Principum majeſtatem. Non oportere eos temeritate nimiæ feſtinationis involvi, quos ſecuriùs illæſos ſola poterat expectatio conſervare, Romanam Eccleſiam ſemper oneroſam extitiſſe Principibus, jugum aliquando data occaſione ponendum, donec cupiditatis pœnas ambitio deteſtanda luiſſet. Solven-

D

Conatus adverſantium.

dum morte alterutrius quæſtionis incertum, atque interim poſſe religionem Epiſcoporum per ſingula regna ſufficere, donec divina voluntas ſignis evidentioribus appareret. Accedebat Legatorum Imperatoris & Cardinalium, maledicti ſcilicèt Joannis, & Guidonis inſtantia, quibus dari videbatur de modica dilatione triumphus, ſi fratres veſtros vel ad modicum tempus quælibet occaſio ſuſpendiſſet.

LXXI. Prætereà cùm animos Regum in favorem domini noſtri omnium conſcientia crederet inclinatos: in partes Imperatoris ceſſiſſe dilatione præſtita crederentur, & paulò minùs detrimenti ſuſpicio, quàm notitia fortè veritatis afferret. Sed & Rex Francorum rei definitionem Regis Anglorum voluntati commiſerat, nihil ſe facturum publicè conteſtatus, niſi quod ipſius ei ſententia prædictaſſet. Prævaluerat itaque conſilium dilationis, ut quantò ſpacioſius, tantò utilius utrique Regi poſſet eſſe conſultum, atque interim aliqua poſſent de ipſis eventibus auſpicari. Quia igitur de arbitrio Regis Anglorum tota cauſa pendebat: exaudiendus erat potiùs, quàm ſeveritatis alicujus auſteritate terrendus, de cujus ſimplici favore in momento Francorum, Anglorum, Hiſpaniæ, Hibarniæ, & noviſſimè etiam Norvegiæ regna cepiſtis. Sed & unde quis oriturum ſuper eo præſumpſiſſet offenſam, quod ab initio pro bono pacis, ſcripto etiam interveniente, Regum ſanctitas, religio Præſulum, Principum fides, populi congratulatio devota firmavit, nec rei efficientiam communibus regulis, ſed quod magis accelerari poſſet, Eccleſiaſticæ potiùs indulgentiæ deſtinavit? Quòd ſi quid de indulgentia contra eaſdem regulas conſtat eſſe delictum: nihil tamen criminis intereeſſit, vulnuſque modicum totius corporis ſanitas aſſervata compenſat. Hic certè zelus eorum, hæc fuit diſpenſationis intentio, quam non ultronea voluntas obtulit, ſed importunitas neceſſitatis extorſit: quoniam ſi ea die ſermo non fuiſſet conſummatus in bonum, proculdubiò fratres veſtri repulſam diutinam vel perennem ſub dilationis imagine reportaſſent.] Hucuſque Arnulphus ad S.R.E. Cardinales. Seorſum verò ad duos ſibi arctiori vinculo familiaritatis conjunctos, utpotè ſibi notiores ex legatione apud Anglorum Regem paulò antè perfuncta, perbrevem hanc dedit epiſtolam, hoc ipſo prænotatam titulo:

Angl. Regi cur à Legatis delatum.

E

Ad Joannem Neapolitanum & Vvillelmum Papienſem Card.

LXXII. Audita ſanctæ Romanæ Eccleſiæ turbatione, condolui, quia dolorem matris audire ſine compaſſione non poteram filius ſpecialis. Mihi enim dolor ille ſpecialiùs incumbebat, quem ipſa ſemper hactenùs tanta charitas dilexit, tanta familiaritate dignata eſt, tot beneficiis & honoribus illuſtravit. Poſtmodùm autem audito, in cujus perſona omnium ferè vota convenerant, mœrorem gaudio, plorationem cithara, vocem planctus organo commutavi.

Arnulphi ejuſdem privatæ litteræ de ſuo erga Alex. Pap. ſtudio.

Arnulphi pro Alex. ſtudium. Gaviſus ſi quidem ſum paucos à generali concordis deſciviſſe, quorum numerus nihil aut parum unitati Catholicæ poterit derogare. Gaviſus, inquam, quia ei rerum ſumma commiſſa eſt, per quem facilè reſtauranda libertas Eccleſiæ creditur & honeſtas. Porrò mea non fuit interim otioſa devotio, ſed apud eos, in quorum oculis Deus mihi dedit aliquid auctoritatis & gratiæ cauſam Eccleſiæ peroravi, & Principem noſtrum Regem Anglorum, in favorem Patris hujus primus & ſolus, adhibito quod oportuit inſtantiæ, confirmavi. Profectò veniſſe jam ad pedes Apoſtolicæ beatitudinis amplectendos, & miſcendum deſiderabile cum veſtra charitate colloquium, niſi belligerante in partibus noſtris Principe, multis me importunitatibus neceſſitas improba detineret. Veſtræ itaque benignitatis erit & gratiæ, abſentiam meam interim apud eum veſtra ſupplere præſentia, obſequiumque meum, ſi aliqua videbitur parte opportunum, offerre, quoniam ad omne quod paucis mihi fuerit apicibus indicatum, paratus ſum ei & vobis tota devotione totam impendere facultatem.] Hæc Arnulphus, atque ſatis quoad legationem ab Alexandro in Angliam miſſam.

LXXIII. Quod autem ad legationem miſſam ab eodem Alexandro in Orientem ſpectat, Vvillelmus Tyrius Archiepiſcopus ſuo ſtylo eam proſecutus, hæc de ipſa habet: (a) Per eoſdem dies quidam Joannes vir admodùm litteratus, Romanæ Eccleſiæ presbyter Cardinalis tituli ſanctorum Joannis & Pauli, miſſus à domino Alexandro Papa ad partes Orientales Legatus, apud Biblium cum quibuſdam Januenſibus applicuit. Volens igitur impetrata licentia, tamquàm Legatus in regnum introire: prætentavit domini Regis & aliorum Principum tàm eccleſiaſticorum, quàm ſæcularium mentes, quidnam de ejus ingreſſu ſentirent. Diviſus enim erat (ut prædiximus) occaſione ſchiſmatis oborti penè Orbis univerſus, aliis domino Alexandro Papæ, aliis parti oppoſitæ faventibus. Unde poſt multam deliberationem mandatum eſt ei ex parte *Regis*, ut ſubſiſteret, nec in regnum præſumeret ingredi, quouſque cum Prælatis Eccleſiarum & regni Principibus pleniore deliberatione ei de communi conſilio mandaretur, quid eum facere oporteret. Interim ergò convocatis apud Nazareth tàm domino Patriarcha, quàm reliquis Eccleſiarum Prælatis, de Principibus quoque nonnullis cum domino Rege aſſiſtentibus: cœperunt deliberare, quid in tanta ambiguitate facto eſſet expedientius. Omnes enim Orientis pontifices de utroque Patriarchatu in neutram partem manifeſtè declinaverant: in occulto tamen aliis huic, aliis illi ſuum favorem præſtantibus.

a Tyr. lib. 18. c. 29. De Legatione ab Alex. miſſa in Orientem.

LXXIV. Factum eſt autem, ſicut in talibus ſolet contingere, quòd diſſentientibus ab invicem, & votis eorum in plura diſtinctis, aliis dicerent, quòd dominus Alexander & ejus Legatus ſuſciperetur, utpotè cauſam fovens potiorem; quorum princeps erat dominus Petrus prædeceſſor noſter Tyrenſis Archiepiſcopus. Alii è converſo domini Victoris cauſam præferentes, & eum ſemper regno amicum & tutorem fuiſſe aſſerentes: Legatum in nullo modo recipiendum eſſe cenſebant. Rex autem mediam viam quamdam ſequens cum ſuis Principibus & Eccleſiarum quibuſdam Prælatis, timens ne Epiſcopi inter ſe dividerentur, & ſcinderetur Eccleſia: perſuadebat neutram partium recipiendam eſſe: Legato verò, ſi tamquàm peregrinus orationis gratia abſque inſignibus legationis ad loca ſancta vellet accedere, dandam eſſe licentiam, & concedendam libertatem moram in regno faciendi uſque ad primum tranſitum; ex tunc ei redeundum eſſe. Allegabat etiam, & dictorum ſuorum cauſam ſubjungebat & rationem, dicens: Schiſma recens eſt, necdum Orbi innotuit, uter eorum cauſam foveat potiorem: periculoſum autem eſſe, in re dubia partem ſibi ex ſententia deligere, & de re incerta definitivam præcipitare ſententiam. Præterea nec Legato opus eſſe in regno, qui Eccleſias & monaſteria gravet impenſis, extorſionibus attenuet. Hæc erat domini Regis ſententia: quæ licèt utilior videretur; tamen prævaluit eorum ſententia, qui Legatum eſſe recipiendum aſſerebant. Vocatus igitur in regnum venit; multiſque quibus adventus ejus placuerat, poſtmodùm fuit oneroſus.] Quòd ſcilicet ſolerent Legati per provincias miſſi decimas Sedi debitas Apoſtolicæ exigere ab Epiſcopis & Abbatibus monaſteriorum. Sic igitur receptus Alexandri Legatus, cum eo & in eo pariter totus Oriens orthodoxos Alexandrum in univerſale totius Eccleſiæ viſibile caput accepit.

Receptus tandem Alex. Papa Legatus.

Moritur hoc anno inſignis virtutibus & doctrina Otto Epiſcopus Friſingenſis, cujus cœptam hiſtoriam proſecutus eſt Radevicus. Subduxit magna miſericordia Deus virum ſanctum, ne in ſenectute ſua ſchiſmaticorum communicatione infici poſſet, qui inhærebat Imperatori. Sed & Robertus Abbas Ordinis Ciſtercienſis in Anglis ſanctitate clarus ex hac vita migravit hoc anno ſeptima Junii, cujus res præclarè geſtæ extant. (*b*)

Ottonis & Roberti funera.

Hoc item anno defuncto Fulchero Hieroſolymorum Patriarcha, ſubrogatus eſt in locum ejus (c) Amalricus nonus Latinorum ordine numeratus.

b *Apud Sur. die 7. Junii.*
c *Vvillem. Tyr. lib. 19. cap. 1.*
Amalricus Patriarch. Hieroſol.

I. SEXAGESIMUS ſupra milleſimum centeſimum ſequitur annus, Indictione octava, quo indictum conventiculum, ſeu conciliabulum Papienſe ab Imperatore celebrandum octava Epiphaniæ, dilatum fuit uſque ad diem feſtum Purificationis ſanctiſſimæ Dei genitricis Mariæ. Ita qui aderat (a) Radevicus.

a Radevic. l.2.c.62. in fin.

B Poterat ſanè (inquit Vvillelmus Neubrigenſis hujus temporis ſcriptor fidelis & accuratus) ſciſſura illa citò reſarciri, poterat multitudini paucitas cedere atque uniri, niſi Fridericus Imperator veteri odio Rolandi Alexandrum non ferens, partem Octavianum ſuendam fovendamque modis omnibus ſuſcepiſſet. Denique ſuæ ditionis Epiſcopos, ſcilicèt Italicos & Teutonicos præcepit Papiam convenire, tamquàm ad diſcuſſionem & examen, cujuſnam partis merita præponderarent: re autem vera, ut Alexandri parte depreſſa, partem alteram approbantes, dicti Victoris præmaturam C victoriam celebrarent:] Hæc de cauſa congregandi conciliabuli per Fridericum.

II. Quomodò autem Alexander licèt vocatus, prudenter venire penitùs recuſaverit, idem Neubrigenſis ſic narrat. Dictus quidem Victor tamquàm ſubiturus judicium affuit: Alexander verò præjudicium, quod ei ſub nomine judicii parabatur, non ſolùm cautè, ſed etiam liberè recuſavit. Itaque ex Teutonico ſimul & Italico regno Epiſcopi Imperiali juſſione cum ingenti multitudine Prelatorum inferioris ordinis Papiæ congregati in gratiam Imperatoris, D qui cū ſuis Ducibus terribilis aderat, quæcumque cauſam Alexandri juvare poterant cùm pro eo nemo allegaret: vel ſilentio ſupprimentes, quod pro parte altera minus de veritate ſuppetebat, arte ſuppleverunt.] Hæc ſummatim Neubrigenſis de rebus in conventiculo geſtis. Sed ipſa quæ extant ejus Acta, quòd maximi momenti res ſit, hìc deſcribamus ex Radevico, qui præſens exiſtens res in eo geſtas Cæſari favens ſcripſit, ſic incipiens: (b) Tempus erat, quo Concilium Papiæ indictum, celebrandum fuerat, idque de univerſis regni partibus, videlicèt Ciſalpinis & Tranſalpinis, in E unum collecti Archiepiſcopi, & Epiſcopi, aliique Eccleſiarum Prælati pendula expectatione operiebantur. Tunc Auguſtus commonens omnes jejuniorum & orationum ſubſidiis Eccleſiæ Catholicæ cauſam Deo commendare; cum ſacerdotibus & omni populo auxilium divinum fida Sanctorum interceſſione poſcebat. Deinde convocato in unum Concilio, cùm reſediſſet, ait ad Epiſcopos: Quamvis noverim, ex officio ac dignitate Imperii penes nos eſſe poteſtatem congregandorum Conciliorum, præſertim in tantis Eccleſiæ periculis

b Id. c. 64.

Conciliabulum Papienſe.

Scita admonitio Frider. in conventiculo Papienſi.

(hoc enim Conſtantinus & Theodoſius, necnon Juſtinianus, ſeu recentioris memoriæ Carolus Magnus, & Otto Imperatores feciſſe memorantur) auctoritatem tamen definiendi hujus maximi & ſummi negotii veſtræ prudentiæ, veſtræque poteſtati committo. Deus enim conſtituit B vos ſacerdotes, & poteſtatem vobis dedit de nobis quoque judicandi. Et quia in his quæ ad Deum ſunt, non eſt noſtrum de vobis judicare: tales vos & taliter in hac cauſa hortamur habere, tamquàm ſolius Dei de vobis expectantes judicium. Cùm hæc dixiſſet, ipſe ſe Concilio ſubtraxit, examen totum Eccleſiæ & Eccleſiaſticis, qui ibi innumerabiles erant, committens perſonis. Erant autē circiter quinquaginta Archiepiſcopi, & Epiſcopi, Abbatum, & Præpoſitorum non erat præ multitudine æſtimatio. Legati quoque diverſarum terrarum aderant, ſpondentes, quidquid à Synodo decretum foret, indubitan- C ter à ſuis recipiendum.] Hæc Imperator, atque ſcitè quidem in his præbens de ſe ſpecimen Chriſtianiſſimi Principis, ſed aſtutè admodùm, cùm jam ante judicium Epiſcoporum præjudicaſſet, declarando videlicèt, Alexandrum intruſum, dum eum per Legatos, ac litteras ſprevit, & per eoſdem probans Octavianum Pontificem, Pontificalibus honoribus coluit. Quod autem ad numerum ſpectat Epiſcoporum, quis non putaſſet, ex quinque regnis vocatis Epiſcopis conventum hunc exceſſurum fuiſſe ſexcentorum numerum Epiſcoporum? Atta- D men quinquaginta tantùm eidem interfuiſſe Radevicus teſtatur: licèt adhùc longè minorem Epiſcoporum numerum ſubſcriptum reperies eidem conventiculo. Ex quibus poſſis intelligere, reliquos omnes retroceſſiſſe, ubì audierunt favere Imperatorem ſchiſmatico, dum adoratione præmiſſa judicium antevertiſſet. Pergit Radevicus de rebus in Conciliabulo geſtis: (c)

c Radevic. l.2.c.65.

III. Reſidentibus itaque Epiſcopis & Clero univerſo, ſeptem diebus cauſa ventilata eſt: tandamque domino Octaviano, qui cùm præſens adveniſſet, & haberet qui par- E tem ſuam defenderent, ceſſit litis victoria, & pro ipſo Concilium ſive Curia dedit ſententiam, condemnato Rolando & reprobato. Qui citatus legitimè, Concilio ſe præſentare, contumaciter abnuiſſe dicebatur. Sæpiùs autem Lectorem admonitū eſſe cupimus, ut in hoc facto, ad diſquirendam rerum veritatem non noſtra dicta conſulat, ſed litteris & ſcriptis, quæ ad manus noſtras venerunt, & huic operi inſerendæ viſæ ſunt, innitatur, ſuo ſervans arbitrio, quando de hac controverſia & litis deciſione, Conciliique judicio ſufficienter ſibi

Damnato Alexandro probatur Octavianus.

fides facta videatur,] Ita auctor, rerum ambignus, conſcientia repercuſſus, quòd ſciret Acta conciliabuli haud firma ſoliditate ſubſiſtere, dum de judicando judicio Epiſcoporum, liberum vult eſſe Lectorem. His autem ſcripta quædam, Octaviani arte procurata, & pro arbitrio ejus commenta in Synodo recitata legenda ſubjicit, quæ ſic ſe habent, titulo iſto prænotata: (a)

a Id. c. 66.

IV. Epiſtola Canonicorum ſancti Petri Romæ pro parte Victoris.

Invictiſſimo & glorioſiſſimo domino ſuo Friderico Romanorum Imperatori & ſemper Auguſto, & venerabilibus Patribus in Chriſti nomine congregatis, fratres qui Romæ ſunt, baſilicæ ſancti Petri principis Apoſtolorum Canonici, Angeli magni conſilii præſentiam, & Spiritus ſancti conſolantem gratiam.

Canonicorum S. Petri epiſt. pro Octaviano.

b 1. Theſſ. 5.

Patres ſanctiſſimi, quos Deus elegit ad conſolationem mœrentium, & delinquentium correctionem, ſicut ait Apoſtolus: (b) Corripite inquietos, conſolamini puſillanimes: intendite precibus noſtris, & ad dolorem noſtrum leniendum conſolationis manum extendite. Tanta eſt enim, tàm diffuſa mœroris noſtri materia, ut undè debeamus exordium ſumere, difficulter poſſimus invenire. Verùm quia materia doloris eſt & mœroris: à luctu & mœrore ordiri decrevimus. Attendite ergò & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor noſter, cùm videamus matrem noſtram Romanam Eccleſiam quondam fulgentem, à filiis ſuis, immò alienis (quia mentiti ſunt ei, (c) quos enutrivit, & exaltavit, ipſi autem ſpreverunt eam) contumelioſè eviſceratam & membris ex parte mutilatam, in cœno jacentem, contumeliam, jacturamque ſuam nec ſentientem Unde cum (d) Jeremia plorante ſuæ Hieruſalem deſtructionem, plorantes dicimus: Non crediderunt Reges terræ, & univerſi habitatores Orbis, quoniam ingrederetur hoſtis & inimicus per portas Hieruſalem. Verè Hieruſalem erat mater noſtra Romana Eccleſia, quæ cunctis ad ſe venientibus, & quærentibus pacem dabat. Nunc autem & dolentes dicimus ut olim illa: (e) Peccatum peccavit noſtra Hieruſalem, propterea inſtabilis facta eſt; nec immeritò propter peccata Prophetarum ejus, & iniquitates ſacerdotum ejus erraverunt cæci in plateis, facies Domini diviſit eos, & verè. (f) Vultus enim Domini ſuper facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum. Unde plurimo rubore diffundimur. Verè peccatum peccavit hoc tempore noſtra Hieruſalem, invidia & odio, & iniquitatibus multis. Quæ quia per omnia longum eſt enarrare; ad oſtendendam Romanam electionem, & cauſam diſcordiæ declarandam, propoſitum convertemus.

c Iſai. 1.

d Thren. 4.

e Tren. 1.

f Pſal. 33.

V. Quæ ante electionẽ contigiſſe dicantur.

Domino igitur Papa Hadriano felicis memoriæ, prima vigilia Kal. Septembris viam univerſæ carnis ingreſſo, convenit illicò maxima multitudo, cum quibus & Senatores affuerunt, quorum conſilio cor-

A pus Romam delatum eſt. Inter Cardinales verò contentione creſcente, convenit tandem inter eos, ut Romam redirent, & concordem electionem facerent de aliquo Cardinalium. Quod ſi non poſſent, quærerent extraneam perſonam. Quòd ſi nec ſic poſſent convenire, ab electione quieſcerent, donec invenirent idoneum virum, quem concorditer eligere deberent, & hoc unanimiter ab omnibus confirmatum eſt. Poſt hoc autem ſtatim Romam redierunt. Dominus Octavianus, & quidam alii acceſſerunt ad obſequium defuncti: quidam verò alii præmiſerunt auctorem ſcelerum Boſo-

B nem primogenitum Satanæ, ut munitionem B. Petri occuparet, cujus cuſtodes fidelitatem ei juraverunt, domino Papa Hadriano vivente, cumque poſteà ſubſequentes eamdem munitionem conſcenderunt. Dominus autem Tuſculanus palatiũ aſcendit, dominus Octavianus, & dominus Rolandus Cancellarius ad domos noſtras venerunt, & quidam alii. Vocati autem iſti ab illis qui munitionem obſervabant, reſponderunt, ſe numquam aſcenſuros in munitionem, Boſonem verentes, ne ſicut eis relatum fuerat, à juratis Boſonis caperentur, & dominus Cancellarius: Vadam, in-

C quit, & eos ad vos deſcendere faciam. Ivit cum eo diaconus de Carcere *Tulliano videlicet*, nec redierunt: & ſic per biduum de loco, ubi electionem facerent, convenire nequiverunt.

VI. Quæ in electione contigiſſe dicantur.

Tandem die Sabbathi deſcendentibus illis de munitione, aſcenderunt omnes poſt altare beati Petri, & cœperunt de electione tractare. Cùmque convenire non poſſent, dixerunt iſti, qui concordiam & pacem Eccleſiæ deſiderabant: Date nobis electionem, & eligemus unum de vobis; aut habeatis vos electionem, & eligite quem vultis de nobis unum. Et noluerunt. Sur-

D rexit tandem velut iratus Otto diaconus ſancti Georgii, & Adebaldus Craſſus Cardinalis ſanctorum Apoſtolorum, & Joannes Neapolitanus, & accepto manto voluerunt immantare dominum Rolandum Cancellarium: ſed ſaniori & meliori parte Cardinalium, ex parte Dei omnipotentis, & beatorum principum Apoſtolorum Petri & Pauli, atque totius Eccleſiæ auctoritate prohibente, non potuerunt. Facta autem hac prohibitione, iterùm eum immantare attentaverunt, & non potuerunt, & Cancellarium cum manto nullo modo tetigerunt: per eos tamen non ſte-

E tit, quin immantaretur: Cæterum Clerus Romanus, qui in Eccleſia beati Petri pro electione ſummi Pontificis convenerant, audito clamore cucurrerunt, circumdantes dominum Ottonem, qui erat cum Cardinalibus juxta altare beati Petri, & clamaverunt omnes, dicentes: Dominum Octavianum eligite, per quem ſolum Eccleſia pacem poteſt habere. Tunc petitione populi Romani, & electione totius Cleri conſentiente, & deſiderante univerſo Capitulo baſilicæ beati Petri, dominus Octavianus Cardinalis à ſaniori parte Cardina-

dinalium electus eſt, & manto indutus, ac in Sede beati Petri poſitus abſque omni contradictione, cantantibus omnibus, Te Deum laudamus, in jubilo. Deinde ſicut mos eſt, domini Cardinales & Clerus Romanus totus qui præſens erat, & qui poſteà confluxerat, populique Romani para maxima pedes ejus oſculati ſunt. Quod videns dominus Cancellarius, & qui ei, ſicut dicebatur, juramento erant aſtricti, nec clamaverunt, nec aliquo modo contradixerunt; ſed inclinato capite redeuntes, munitionem, quaſi ſpe ſua fruſtrati, conſcenderunt. Tunc domini Cardinales, Clerus, Judices, Scrinarii, Senatores, populuſque Romanus dominum electum ſignis & bandis præcedentibus, ad palatium uſque eum jucunditate perduxerunt, Romano more clamantes,* Papa Vittore S. Pietro l'elegge.

* Lingua Italica.

VII. Quid de electione Alex. mendaciter attulerunt.

In craſtinum autem quidam de Clero Romano aſcenderunt munitionem, & oſculata manu domini Cancellarii, cœperunt eum & qui cum eo erant rogare, ut paci Eccleſiæ provideret. Quidam autem de diaconis Curiæ reſpondit eis velut indignans: Heri pedes domini Octaviani, qui fratrem ſuum dominum Cancellarium exuit manto, & ſe induit, eſtis oſculati, & modò venitis ad nos? Et dominus Cancellarius: Noli, ait, domine Cardinalis, dicere quod verum non eſt. Dominus Octavianus numquam exuit me manto, quia numquam indutus fui, ſicque per totam hebdomadam illam domino Cancellario & ſuis in Eccleſia beati Petri morantibus; nono die deſcendentes trans Tyberim, eo die & altero morantes, undecimo exierunt, & pervenerunt ad Ciſternam Neronis, in qua latuit Nero fugiens Romanos inſequentes. Juſtè Ciſternam adierunt, (a) quia dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas. Et ibi die altero, qui duodecimus erat ab electione domini Victoris, induerunt Cancellarium ſtolam & pallium erroris, in deſtructionem & confuſionem Eccleſiæ: ibiq; primùm cantabant: Te Deum laudamus.

a Jerem. 2.

VIII. Apoſtrophe ad Epiſcopos cōgregatos.

Quis veſtrum, ò ſanctiſſimi Patres, audivit talia? Quantum in eis eſt, biceps hodiè facta eſt Romana Eccleſia. Nunc tacendum non eſt, ut dominus Otto Palatinus Comes, & dominus Guido Comes de Blanderata, & dominus Heribertus Præpoſitus viri prudentiſſimi, Imperatoriæ majeſtatis Legati vicem recipiant referendi, quid in domino Cancellario & ſuis repererint. Qui cum nota retulerint, domini Epiſcopi, & domini Imperatoria Legati quid hincinde humilitatis & veritatis cognoverint, pleniùs poterunt enodare. In Urbe quoque, cùm Romanus Clerus ad Eccleſiam beati Petri, ipſis præſentibus, convenirent, quid de facto iſto perſenſerint, quoniam præſentes eſſe credimus, referant ipſi. Et ad hoc comprobandum duos de fratribus noſtris, Petrum Chriſtianum Eccleſiæ noſtræ Decanum, & Petrum Guidonis Camerarium S. R. E. ſubdiaconum ſanctitati veſtræ tranſmittimus, ut de his omnibus veritatis teſtimonium etiam viva voce perhibeant. In Cœna Domini eſtis, in qua redemptionis humanæ ſacramenta peregit. Duos gladios Apoſtoli ſe habere profeſſi ſunt; quos & vos habetis: quid in eis, & per eos agere debeatis, nullus veſtrum ignorat. Ibi dictum eſt à Chriſto: (b) Satis eſt. Et nos qui Chriſti veſtigia ſequi debemus, vobis dominis noſtris dicimus, huic operi finem facientes: Satis eſt. Omnipotentia ſapientia Patris, qui novit & poteſt unire vota & voluntates omnium, doceat vos omnes & uniat ad confuſionem Babylonicam deſtruendam, & ſimoniam de Eccleſia propellendam, & pacem toti mundo deſiderabilem in integrum reformandam.] Hactenùs epiſtola Canonicorum, ſummam infamiæ notam ſuæ ipſorum æſtimationi tanta mendaciorum aggregatione compoſita irrogantium. Pergit autem Radevicus: (c)

b Luc. 22.

c Radev. li. 2. c. 67.

IX. Quæ recitata in cōciliabulo.

Actio Concilii, quæ verbis ſimplicibus in ſcriptum redacta item ponenda videbatur, videlicèt: Hæc ſunt capitula, quæ in Concilio Papiæ ſuper electionem domini Papæ Victoris canonicè probata ſunt. Dominus Octavianus & nemo alius Romæ in Eccleſia beati Petri, petitione populi, & conſenſu ac deſiderio Cleri, à Cardinalibus manto indutus eſt ſolemniter, & præſente Cancellario, & non contradicente, in Cathedra beati Petri collocatus eſt, & à Cardinalibus & Clero Romano, Te Deum laudamus, ſolemniter ei cantatum eſt, & nomen ei, Victor, impoſitum eſt. Ibi multitudo Cleri & populi Romani venit ad pedes ejus. Tunc Scriniarius ſecundùm antiquam Romanorum conſuetudinem aſcendens in altum, voce magna clamavit ad populum, dicens: Audite cives Romani, & cœtus Reipublicæ: Secunda feria pater noſter Hadrianus mortuus eſt, & proximè ſequenti Sabbato, dominus Octavianus Cardinalis ſanctæ Cæciliæ in Romanum Pontificem electus, & immantatus eſt, & in Cathedra beati Petri collocatus eſt, & Papa Victor eſt nominatus. Placet vobis? Reſpondit magna voce Clerus, & populus: Placet: ſecunda & tertia vice interrogatus populus, ſi placeret: clara voce reſpondit: Placet. Deinde cum bandis & aliis Papalibus inſignibus dominus Papa cum laudibus in palatium deductus eſt.

His itaque ritè peractis, Capitulum beati Petri ſtatim venit ad pedes ejuſdem Papæ Victoris, & obedivit, ac debitam ei reverentiam exhibuit Clerus, & populus, multitudo magna ſimiliter obedivit.

De obedientia præſtita à Clero Romano.

X.

Sequenti verò die proxima, rectores Cleri Romani accedentes ad dominum Cancellarium & ad Cardinales, qui cum eo erant, voluerunt cognoſcere, ſi immantatus eſſet, ſicut quidam dicebant. Et non invenerunt eum immantatum, neque aliqua ſpecie dignitatis variatum. Et habito

cum

cum eo & Cardinalibus ſuis colloquio, cognoverunt ab ore ejus & ſuorum, quòd numquam fuerit immantatus, & quod hoc ei falsò imponebatur. Quo audito & cognito, rectores ad pedes domini Papæ Victoris venerunt, & obedientiam & reverentiam exhibuerunt. De omnibus ſupradictis capitulis teſtes fuerunt Petrus Chriſtianus Decanus baſilicæ beati Petri, & omnes fratres ejus, & duo rectores Cleri Romani, Blaſius ſcilicèt presbyter, & Manerius presbyter, & novem Archipresbyteri Romanæ Urbis, & quatuor alii tàm diaconi, quàm ſubdiaconi.

Deinde Prior Lateranenſis & ſui Canonici obedierunt.

Clerici de Patriarchia ſanctæ Mariæ Majoris obedierunt.

Abbas de Patriarchia ſancti Pauli per ſuos nuntios obedivit, & in ſignum obedientiæ de bonis Eccleſiæ ſuæ illi miſit.

Abbas de Patriarchia ſancti Laurentii cum ſuis monachis obedivit.

Abbas Cirengii obedivit.

Abbas ſancti Silveſtri cum ſuis monachis obedivit.

Abbas ſancti Alexii in monte Aventino cum ſuis monachis obedivit.

Abbas ſancti Blaſii cum ſuis monachis obedivit.

Conventus ſancti Sabæ obedivit.

Conventus ſanctæ Mariæ in Capitolio obedivit.

Conventus monachorum ſanctorum Coſmæ & Damiani obedivit.

Abbas ſancti Valentini obedivit.

Magiſter Fratrum Templi Hieroſolymitani in monte Aventino cum ſuis fratribus obedivit.

Cardinalia ſancti Marcelli obedivit.

Clerici de Cardinalia ſanctorum Apoſtolorum obedierunt.

Clerici de Cardinalia ſancti Petri ad Vincula obedierunt.

Clerici de Cardinalia ſancti Silveſtri obedierunt.

Clerici de Cardinalia ſancti Sixti obedierunt.

Clerici de Cardinalia ſanctæ Sabinæ obedierunt.

Clerici de Cardinalia ſanctæ Balbinæ obedierunt.

Cardinalia ſancti Cyriaci apud Thermas Diocletiani obedivit.

Clerici de Cardinalia ſanctę Marię trans Tiberim obedierunt.

Clerici de Cardinalia ſanctæ Mariæ in porticu obedierunt.

Clerici de Cardinalis ſancti Nicolai in Carcere obedierunt.

Monaſterium ſanctæ Agathæ obedivit.

Archipresbyter ſancti Apollinaris obedivit.

Archipresbyter S. Triphonis obedivit.

Archipresbyter ſancti Bartholomęi obedivit.

Eccleſia ſancti Celſi obedivit.

Eccleſia ſanctæ Mariæ in monaſterio obedivit.

A Eccleſia ſanctæ Mariæ in Pallaria obedivit.

Eccleſia ſancti Salvatoris de Curte obedivit.

Archipresbyter ſancti Vincentii cum ſuis obedivit.

Archipresbyter ſanctæ Catharinæ cum ſuis obedivit.

Archipresbyter ſancti Thomæ de Parione obedivit.

Archipresbyter ſanctæ Anaſtaſiæ cum ſuis obedivit.

Archipresbyter ſancti Salvatoris de Campo cum ſuis obedivit.

B Archipresbyter ſanctæ Mariæ in monte celſo *alias Monticello* cum ſuis obedivit, & multæ aliæ Eccleſiæ & monaſteria obedierunt, quas vix enumerare valemus.

Poſt promotionem domini Victoris Canonici beati Petri miſerunt ad Rolandum Cancellarium Canonicos ſuos, qui viderent, an eſſet immantatus, ſicut quidam credebant, aut aliquo modo promotus. Unde bis miſſi inquiſitores, bis retulerunt, eum non eſſe immantatum, nec aliqua promotionis ſpe ic variatum. Sequenti verò die, ut omnis dubitatio tolleretur, C miſerunt Canonici quoſdam de ſuis, ut menſæ Cardinalium, qui intererant, intereſſent, & viderent, ſi ſaltem in menſa locum digniorem ſolito obtineret, aut etiam benedicendo menſam primus eſſet, vel aliquo modo inter Cardinales loco, vel dignitate, ſeu veſte dignior haberetur. In quibus omnibus nullo modo ſenſerunt eum promotum, vel mutatum. Atque in hunc modum perſcrutati ſunt Canonici ſtatum Cancellarii per ſingulos continuos octo dies. XI.

Baſſo & Joannes de Romano dicunt: Poſtquàm Cancellarius, ſedente domino D Victore in Cathedra, in munitionem ſe recepit, Ioannes Phizutus clericus, & Ioannes de Buccalata laicus voluerunt immantare Cancellarium. Qui cum injuria repulit eos, dicens: De me non facietis ridiculum. Ibi eſt Papa, ite ad eum, & obedite ei. Presbyter Blaſius, & presbyter Manerius rectores Romani dicunt, ſe cum tribus aliis rectoribus Cleri, ſequenti die poſt promotionem domini Victoris acceſſiſſe ad Cancellarium, & ad omnes Cardinales qui cum eo erant, & non viderunt eum immantatum, nec aliquo modo promotum. E Et antequàm diſceſſiſſent, audierunt duabus vicibus ab ore Cancellarii, quòd nec erat, nec fuit immantatus. In præſentia etiam ipſorum rectorum, qui ibi erant, teſtificatus eſt Otto Cardinalis de Carcere *Tulliano*, quòd dominus Octavianus nullam violentiam, vel injuriam intulit Cancellario. Item dixit Otto, pro nihilo adſcribitur hoc domino Cãcellario, quia nullus ei mantum abſtulit, quia numquam habuit. His omnibus ita peractis & cognitis, rectores iſti iverunt ad dominum Victorē, & obedientiam ei fecerunt, & præceperunt Clero, ut ei obediret; quod & factum eſt. XII.

Preſ-

Digitized by Google

XIII. Alii falſi teſtes.

A Presbyter Barro & presbyter Joannes Capellani de Cardinalis Cancellarii dixerunt, ſe ſequenti die poſt promotionem domini Victoris ad Cancellarium acceſſiſſe, & dixiſſe ad eum ſic: Audientes vos immantatum eſſe, gaudebamus, & nunc quia aliter videmus, dolemus. Qui dixit eis: Pro me nolite gaudere, vel dolere, quia ego nec fui, nec ſum immantatus. Ite & obedite ei, quem videtis immantatum. Hæc verba taliter ab ore Cancellarii proceſſiſſe, commiſit presbyter Barro, & presbyter Joannes quibuſdam ex noſtris clericis præſentibus, ut jurent in animabus eorum, ita verum eſſe. B Clerici de Cardinalis S. Chryſogoni dixerunt, ſe ſequenti die poſt promotionem domini Victoris acceſſiſſe ad Cardinalem ſuum, qui erat cum Cancellario, & interrogaſſe eum, dicentes: Omnes clerici vadunt ad pedes domini Papæ; quid faciemus & nos? Qui reſpondit: ite ad eum ſicut alii. Multi ex noſtris dicuntur vidiſſe Cancellarium undecima die ab Urbe exiſſe ſine manto, ſine ſtola, ſine albo equo, & ſine omnis habitus mutatione, cum pellibus nigro pallio coopertis, & cum nigro almutio uſque ad Ciſternam. Joannes de Romano dicit, audiviſſe Joannem Neapolitanum, & Bonam- C diem, & quoſdam alios Cardinales dicentes apud Ciſternam. Quoniam modò ſumus ſine paſtore, & ſine capite, faciamus nobis dominum, & poſteà immantaverunt eum, & cantaverunt ei, Te Deum laudamus, apud Ciſternam.

XIV. Alii adhùc falſi teſtes.

Joannes de S. Stephano, & Vvolſeraminus dicunt ſe audiviſſe, quòd Papa Hadrianus dixit ad eos, cùm de Urbe exiret: Octavianus inquit, quem ego miſi in Longobardiam, vult excommunicare Mediolanenſes; ſed ego mandavi Mediolanenſibus, ut non curent de eo, ſed fortiter ſe habeant tàm ipſi, quàm Brixienſes con- D tra Imperatorem, & ego cum eis diſpoſui, quòd Imperator propter eorum impedimenta non poterit Romam venire. Item etiam cum Cardinalibus ita diſpoſui, quod Octavianus non erit Papa poſt mortem meam. Gimundus & Vvolſeraminus dicunt ſe audiſſe ab ore Epiſcopi Sabinenſis, quòd libenter rediret ad dominum Victorem, ſed ita adjuratione eſt adſtrictus, quod ſine perjurio non poteſt. Epiſcopus Alatrinus in præſentia domini Guidonis Cremenſis Cardinalis, & Gimundi, & Joannis Cajetani, & aliorum multorum dixit: Non poſſum ad dominum Victo- E rem venire, quia talem ſecuritatem feci Cancellario & ſuis apud Anagniam, quòd non poſſum ad eos venire uſque ad Kalendas: poſt Kalendas autem veniam. Interim tamen habeo eum pro domino & paſtore meo. Itaque Kalendis tranſactis, cùm infirmitate teneretur, miſit domino Victori obedientiam per clericum quemdam, quem habemus præſentem. De omnibus ſupradictis capitulis teſtimonium perhibuerunt prædicti rectores Cleri Romani, & novem Archipresbyteri ſuperiùs

A memorati, & alii multi honeſti & religioſi clerici Romani, & Petrus Urbis Præfectus, & Stephanus de Thebaldo, & Stephanus Northmannus, & Joannes de ſancto Stephano, & Joannes Cajetanus, & Vvolſeraminus de Gidocica, & Gimundus de domo Petri Leonis, & multi alii illuſtres Romani & nobiliſſimi, qui omnibus his interfuerunt, & omnia viderunt & tractaverunt.] Hactenùs teſtimonia de Papatu Victoris.

XV.

Mirum dictu, ut ex his Octaviano ab Epiſcopis illis quinquaginta confirmatus ſit titulus Pontificius, ut diceretur Papa B Urbis & Orbis. Sed planè accidit ſecundùm illud Davidicum: (a) Mentita eſt iniquitas ſibi.] Etenim, etſi certa veraque fuiſſe probari potuiſſent, quæ audiſti eſſe depoſita per falſiſſimos teſtes, & quæ pro arbitrio ſunt ab eis concinnata mendacia: nec ex his quidem affirmari potuit, Octavianum legitimum eſſe Papam, cui Cardinales non niſi tres ſuffragiis affuiſſent: cùm vigeret Conſtitutio Nicolai Papæ Secundi ſuperiori Tomo deſcripta, prohibens omninò, ne ſine Epiſcopis Cardinalibus electio Romani Pontificis fieri poſſit, per quos alii Cardinales presbyte- C ri ac diaconi adhiberentur, reliquis ſtantibus juribus pro eorumdem Romanorum Pontificum electione à prædeceſſoribus conſtitutis, quorum auctoritate majoris partis Cardinalium deberet adhiberi conſenſus. At in Victore refragantibus omnibus Epiſcopis Cardinalibus, uno excepto Tuſculano, & contradicentibus omnibus presbyteris & diaconis Cardinalibus, duobus dumtaxàt exceptis; quomodò potuit iſtiuſmodi Victoris ſic facta intruſio vel invaſio, dici legitima electio? omitto dicere de Oſtienſi Epiſcopo, per quem deberet conſecrari legitimè electus Papa, & D alia plura quæ requiri deberent in legitima Pontificis electione, de quibus omnibus nec unum quidem inveniri poteſt in Octaviani eſſe adhibitum electione.

a Pſal. 26.

Redarguitur Epiſc. judicium de electione Octaviani.

XVI. Quod Alex. electio canonica fuerit in omnibus.

In Alexandri autem electione omnia ſanctè, piè, ritè, atque legitimè facta noſcuntur, ut nihil penitùs deſiderari potuerit. Quæ cuncta adeò vera certaque offuſum Cimmeriis tenebris iſtiuſmodi conciliabulum, opera principis tenebrarum collectum, & moderatum, tàmque clara luce perſpicua non vidit, eiſdem planè cum Pharaone Ægypti tenebris obvolutis Epiſcopis illis omnibus, qui tantum E delinientes parietem corruentem abſque temperamento (quod datur vitio falſis prophetis à verò & per Deum miſſo ſancto (b) Propheta) hujuſmodi pervulgandam in Orbem terrarum ſententiam conſcripſere: quam idem qui ſuprà recitat Radevicus illis verbis: (c) Reſcriptum generale à Synodo præſidentibus per partes mundi directum, hoc eſt.

b Ezech. 13

c Radevic. l. 2. c. 70.

Epiſt. ſynodalis encyclica.

Quia Sedis Apoſtolicæ turbatio Chriſtianorum animos admodùm ſauciavit: nos qui ad reſecanda ſchiſmata, & pacem Eccleſiæ reformandam Papiæ fuimus congregati,

Digitized by Google

A gati, qualitatem cauſæ, modumque negotii, & ſacri Concilii diſpenſationem univerſitati veſtræ plenariè duximus intimandum, quatenùs per ſcripta præſentia mera veritate monſtrata; auditorum animi falſitatem, quam fortè conceperant, vehementer expellant, & amodò per ſcripta ſchiſmatica non ſeducantur. Cùm igitur Orthodoxorum Papiæ congregatorum univerſitas in nomine Domini conſediſſet, cauſa per ſeptē dies continuos, omni remoto ſæculari judicio, legitimè & canonicè agitata, ac diligenter inſpecta, ſufficienter, & canonicè in conſpectu Concilii per teſtes
B idoneos eſt comprobatum, dominum Papam Victorem, & nullum alium in baſilica beati Petri à ſaniori parte Cardinalium, petitione populi, & conſenſu ac deſiderio Cleri fuiſſe electum, & ſolemniter immantatum. Quod præſente, & non contradicente Rolando quondam Cancellario in Cathedra beati Petri fuit collocatus, & quòd ibi ei à Cardinalibus & Clero Romano, Te Deum laudamus, glorioſè decantatum, & inde ad palatium cum bandis & aliis Papalibus inſignibus eſt deductus: & Clerus & populus ſecundùm conſuetudinem interrogatus per Scriniarium, ſi pla-
C ceret, tribus vicibus, voce clara reſpondit, Placet. Probatum eſt etiam, quòd Rolandus duodecima die poſt domini Victoris promotionem ab Urbe egreſſus apud Ciſternam, in quo Nero Imperator quondam ab Urbe profugus latitavit, primò eſt immantatus. Probatum eſt quòd in ſecundo die, poſt promotionem domini Victoris, Rolandus interrogatus à Rectoribus, & Clero Romano, ac clericis de ſua Cardinalia, ſi domini Victori eſſet obediendum: expreſsè confeſſus eſt, ſe nunquam fuiſſe immantatum, & expreſsè dixit: Ite & obedite ei, quem imman-
D tatum eſſe videtis. Super his capitulis fuerunt teſtes, & ſub ſtola, tactis ſacroſanctis Evangeliis, juraverunt, dominus Petrus Chriſtianus Decanus baſilicæ beati Petri, & in perſona ſua, & omnium fratrum ſuorum. Juraverunt etiam venerabiles Archipresbyteri & rectores Cleri Romani, Blaſius & Manerius presbyteri, Joannes presbyter gentilis, Aimerardus Archipresbyter, Beratdus Archipresbyter, Joannes Archipresbyter, Benedictus diaconus, magiſter Ptolemæus Archipresbyter, magiſter Gerardus, & Nicolaus, & alii honeſti clerici Romani.
E Prætereà Petrus illuſtris urbis Præfectus, Stephanus de Thebaldo, Stephanus Northmannus, Gimundus de domo Petri Leonia, Joannes de Stephano, & alii Principes & nobiles Romani, qui ad vocationem ſereniſſimi Imperatoris venerant, in conſpectu Concilii ſuper jam dictis capitulis ex maxima parte teſtimonium ſimiliter perhibuerunt, & jurare voluerunt. Sed nos, quia religioſorum presbyterorum multorum teſtimonium ſufficiens & abundantiſſimum habebamus: duximus laicis in hac parte parcendum.

XVII.

De citatione facta adverſæ parti.

Deinde venerabiles Epiſcopi Hermannus Verdenſis, Daniel Pragenſis, & Otto Palatinus Comes, & magiſter Heribertus Præpoſitus, quos dominus Imperator ex conſilio vigintiduorum Epiſcoporum, & Ciſtercienſis, & Claravallenſis Abbatum, aliorumque religioſorum tunc præſentium Romam delegaverat, ut partes ante Concilii præſentiam Papiam evocarent; in conſpectu Concilii teſtimonium perhibuerunt, quod Rolandum Cancellarium & partē ejus trinis edictis per intervalla peremptoriè & ſolemniter ad præſentiam Eccleſiæ Papiæ congregandæ, remoto omni ſæculari judicio, vocaverunt. Et quòd Rolandus Cancellarius & ſui Cardinales viva voce & ore proprio judicium, vel examen aliquod Eccleſiæ ſe nolle recipere, manifeſtè dixerunt. Vidimus etiam ſcripta Henrici Piſani Cardinalis *tituli ſanctorum Nerei & Achillei*, ad dominum Imperatorem directa, in quibus expreſsò continebatur, quòd nullum vellent Eccleſiæ ſubire judicium, vel examen. Super hæc omnia idem Henricus, & Otto Cardinalis ſancti Nicolai de Carcere Tulliano, qui temporē Concilii & ante apud Januam morabantur, & Joannes Anagninus Cardinalis, & Joannes Phezerus S.R.E. ſubdiaconi, qui tunc apud Placentiam erant, per octo dies à Concilio toto ſunt expectati, & per litteras & per Nuntios Concilii ſunt vocati, & contempſerunt venire.

Sententia pro Victore contra Alex. Pap.

Ex his igitur omnibus ſufficienter inſtructi, & veritate hinc indè plenariè declarata, placuit reverendo Concilio, ut electio domini Victoris, qui tamquàm agnus manſuetus & innocens venerat Eccleſiæ judicium humiliter ſuſcepturus, approbaretur & confirmaretur; & electio Rolandi penitùs caſſaretur. Et factum eſt ita. Electione itaque domini Victoris, remoto omni ſæculari judicio, ſancti Spiritus gratia invocata, confirmata, atque recepta, Chriſtianiſſimus Imperator poſt omnes Epiſcopos, & poſt omnem clerum ultimus, conſilio & petitione Concilii electionem domini Victoris recepit & approbavit, & poſt eum omnes Principes, & innumerabilis hominum multitudo, quæ præſens erat, tribus vicibus interrogata, ſi eis placeret, reſpondit cum gaudio magna voce, Placet.

XVIII. Imper. Victorem veneratur pſeudopapam.

Sequenti die proxima, id eſt prima ſexta feria Quadrageſimæ, dominus Victor cum proceſſione ab Eccleſia ſancti Salvatoris extra civitatem, in qua fuerat ejus hoſpitium, ad Catholicam Eccleſiam glorioſè deductus eſt. Ibi religioſiſſimus Imperator ante januas Eccleſiæ eum ſuſcepit, & deſcendenti de equo ſtrepam humiliter tenuit, & apprehenſum per manum uſque ad altare conduxit, & pedes ejus eſt oſculatus. Et nos omnes Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Abbates, & omnes Principes cum univerſa multitudine, quæ præſens erat, pedes Apoſtolicos ſupinus oſculati.

Pro-

Excommunicatio contra adversá partem.

A Proxima autem die ſequenti, id eſt Sabbatho, habito generali Concilio, dominus Papa, & nos cum illo, Rolandum Cancellarium ſchiſmaticum, & ejus principales fautores, accenſis candelis anathematizavimus, & tradidimus eum Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini.

Illud etiam diſcretionis veſtræ prudentiam volumus non latere, manifeſtè eſſe deprehenſum, quòd Rolandus Cancellarius & ejus ſequaces quidam Cardinales, vivente adhùc Papa Hadriano conjuraverunt. Fuit autem tenor conjurationis, quòd ſi eis viventibus Papam B Hadrianum mori contingeret; Cardinalem unum de illis eligerent, qui in eadem conjuratione eſſet aſtrictus.

XIX. Exhortatio ad recipiendum Victorem.

De cætero ex parte Dei omnipotentis, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & omnium Sanctorum, & virorum Orthodoxorum, qui divino intuitu ad reſcindenda ſchiſmata convenerunt, univerſitatem veſtram humiliter imploramus & monemus in Chriſto, ut ea quæ Eccleſia Dei Papiæ congregata ad honorem Creatoris, & Sponſæ ſuæ matris veſtræ ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ tranquilli-C tatem, & ad ſalutem omnium Chriſtianorum fideliter ordinavit; vos omni dubio & ambiguitate remota, irrefragabiliter rata & firma teneatis, orantes, ut Redemptor noſter Chriſtus IESUS univerſalem Pontificem, & Papam noſtrum Victorem, de cujus ſanctitate, & religione omninò confidimus, per tempora longa conſervet, & præſtet ei omnimodam tranquillitatem & pacem, ita quòd per eum Deus omnipotens honoretur, & Eccleſia Romana, omniſque Chriſtiana religio gratum Domino accipiat incrementum.

D Ut autem omnia actio pleniùs legentibus elucеſcat, dignum duximus, ut omnium noſtrorum conſenſus & nomina ſubſcribantur.

Subſcriptio Epiſc. & Principum.

Ego Peregrinus Aquilejenſis Patriarcha cum meis Suffraganeis interfui & conſenſi.

Ego Arnoldus Archiepiſcopus Moguntinus cum quatuordecim Suffraganeis interfui & conſenſi.

Ego Arnicus Bremenſis Archiepiſcopus cum Suffraganeis meis interfui & conſenſi.

Ego Hillinus Trevirenſis Archiepiſcopus cum meis Suffraganeis conſenſi.] At E hoc eſſe mendacium apertiſſimum convincitur ex litteris Babenbergenſis Epiſcopi inferiùs recitandis. Pergunt Acta de facta ſubſcriptione:

Ego Reinaldus Colonienſis Archiepiſcopus cum meis ſuffraganeis conſenſi.

Ego Vvicmannus Magdeburgenſis Archiepiſcopus cum meis Suffraganeis conſenſi.

Biſuntinus Archiepiſcopus per Legatum & Epiſcopum Baſilienſem conſenſit.

A Arelatenſis Archiepiſcopus conſenſit.

Lugdunenſis Archiepiſcopus cum ſuis Suffraganeis conſenſit.

Viennenſis Archiepiſcopus cum ſuis Suffraganeis conſenſit.

Henricus Rex Anglorum per litteras & Legatos ſuos conſenſit.

Rex Hungarorum per litteras & Legatos ſuos conſenſit.

Rex Boemorum conſenſit.

Rex Danorum conſenſit,] abſens per litteras, vel poſteà, cùm ad Imperatorem in finibus Galliarum morantem ſe contulit, ut dicetur ſuo loco inferiùs.

B Pergit auctor:

Guido electus Ravennas conſenſit.

Epiſcopus Firminus conſenſit.

Epiſcopus Ferentinus conſenſit.

Mantuanus conſenſit.

Bergomenſis conſenſit.

Faventinus conſenſit.

Abbatum verò & Archipreſbyterorum multitudo innumerabilis multorum regnorum interfuit & conſenſit.

Longobardorum inæſtimabilis multitudo interfuit & conſenſit.

Univerſi ferè Principes Romani Imperii, tàm Teutonici, quàm Italici, tam C in Urbe, quàm extra Urbem interfuerunt, & aſſenſum cum ingenti deſiderio præbuerunt.] Hucuſque conciliabuli ſynodalis epiſtola.

His ſubiicienda eſt epiſtola Imperatoria, tunc data ad Epiſcopos Germaniæ, qui eidem conciliabulo non interfuerunt. Recitatur ab eodem Radevico iſtis verbis: (a) XX.

a Radevic. l.2.c.71. ſed corrige 76.

Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus dilectiſſimo ſuo Eberardo venerabili Saltzburgenſi Archiepiſcopo, & Suffraganeis ejus, Alberto Friſingenſi Epiſcopo, Hartmanno Brixi-D nenſi, & Romano Gurcenſi, totique provinciæ Saltzburgenſi gratiam ſuam, & omne bonum.

Frid. epiſt. de rebus geſtis in Conventu Papienſ.

Si ſacro Concilio Papiæ interfuiſſetis, omnia quæ ibidem, vel in Romana Eccleſia facta ſunt, oculata fide cognoſcere poſſetis. Ne autem ab his, qui pravis deſlationibus & mendaciis jam ferè totum Orbem reſperſerunt, veritas poſſit obnubilari, vel veſtra ſinceritas trahi in contrarium: quantò breviùs poſſumus, ſeriem totius rei ſine aliqua falſitatis commixtione mera veritate vobis ſignificare dignum duximus. Luce clarius conſtat, E quòd Papa Hadriano adhùc vivente, Rolandus Cancellarius, & quidam Cardinales non attendentes illud Dominicum: (b) Sit ſermo veſter, Eſt, Eſt, Non, Non, conſpiratione facta cum Vvillelmo Siculo priùs ab eis excommunicato, & cum cæteris hoſtibus Imperii, Mediolanenſibus, Brixienſibus, Placentinis, ne fortè per mortem Papæ Hadriani tàm iniqua factio evaneſceret; juramenti vinculo invicem ſeſe conſtrinxerunt, ut defuncto Papa, nullus alius ei ſubſtitueretur, niſi qui in eadem conſpiratione cum eis con-

b Matth. 5.

A conveniſſet. Hac de cauſa duodecimo die
poſt electionem domini Victoris Papæ, eo
ſedente in ſede beati Petri, jam dicti con-
ſpiratores egreſſi ab Urbe ad Ciſternam
Neronis, derelinquentes venam aquarum
viventium, ſe contulerunt, & idolum ſi-
bi Rolandum Cancellarium erexerunt, di-
centes hunc eſſe Simonem Petrum, qui
Apoſtolicæ dignitatis apicem tàm neſaria
invaſione attingere præſumebat. Quòd
hæc conſpiratio facta fuerit, & ille jam
dictus Rolandus per eam hoc modo intra-
verit, non eſt ficticium, ſed religioſis
viris ab illo, qui ſacit manifeſta conſilia
B cordium, mirabiliter eſt declaratum.

XXI. Dum hæc Romæ agerentur, & nos quid
ſuper tanto ſchiſmate agendum eſſet, vi-
ros religioſos, Archiepiſcopos videlicèt,
& Epiſcopos conſultaverunt: ſupervene-
runt quaſi miſſi à Deo Tarantaſinus Ar-
chiepiſcopus, Abbas Claravallenſis, Ab-
bas Morimundenſis, & alii Abbares nu-
mero decem, poſtulantes pacem Medio-
lanenſibus. Qui recepto à nobis verbo,
dum Mediolanum pro inveſtiganda eorum
voluntate redirent, acceperunt ab eis tale
reſponſum: Domini Patres, nos tene-
mur aſtricti juramento domino Papæ &
C Cardinalibus, quòd non debeamus re-
dire ad gratiam Imperatoris ſine eorum
voluntate, & ipſi è contrà ſine noſtra vo-
luntate nullam pacem facere poſſunt. Re-
ſponderunt ei Abbates: Vos de cætero
non tenemini domino Papæ, quia mor-
tuus eſt. Et illi ſtatim ſubjunxerunt: Si
mortuus eſt Papa, nos ideò non ſumus ab-
ſoluti, quia nihilominùs tenemur Cardi-
nalibus, & ipſi tenentur nobis. Hæc prædi-
cti patres Abbates in reſponſis à Medio-
lanenſibus acceptis teſtificati ſunt coram
multis religioſis viris. Præter hæc multa
experimenta factæ conſpirationis per litte-
D ras in via deprehenſas accepimus, ſicut
nuntius iſte pleniùs vidit & audivit. Sanè
ex conſilio Orthodoxorum, ſicut alia vi-
ce meminimus vobis mandaſſe, genera-
lem conventum religioſorum Papiæ indi-
ximus, ad quem ambos, qui ſe dixerunt
Romanos Pontifices, non ad judicium ſæ-
cularе, ſicut ora mendacium aſtruunt, ſed
ad examen Eccleſiæ per duos venerabiles
Epiſcopos, Verdenſem videlicèt & Pra-
genſem, convocavimus. Alter verò, eò
quòd puriorem haberet conſcientiam, do-
minus Victor videlicèt, judicio Eccleſiæ
ultrò ſe obtulit, altero videlicèt Rolan-
E do, contumaciter renitente, & dicente,
quia cùm ipſe omnes deberet judicare, ip-
ſe à nullo vellet judicari.

XXII. Habito itaque venerabili Concilio, in
quo Patriarcha Aquilejenſis, & multi Ar-
chiepiſcopi, & Epiſcopi religioſi conve-
nerant, per octo continuos dies maxima
gravitate, diligentiſſima examinatione,
ſemota omni laica perſona, tractatum eſt,
quis ex duobus ſummi Pontificatus apicem
de jure deberet obtinere. Poſt longam ita-
que deliberationem, quia illa neſandiſſi-
ma conſpiratio, Deo & Eccleſiæ admo-

A dùm odibilis manifeſtis indiciis non ſo-
lùm probata, verùm in facie totius Eccle-
ſiæ coràm poſitæ revelata eſt, & in domi-
no Victore nihil reprehenſibile inventum
eſt, niſi quòd pauciores numero Cardi-
nales omninò à conſpiratione illa extor-
res eum pro bono pacis inter regnum &
ſacerdotium conciliando elegerunt, &
invocata ſancti Spiritus gratia, Eccleſia
Dei Rolandum Cancellarium conſpirato-
rem & ſchiſmaticum, diſcordias, & li-
tes, & perjuria, bona eſſe evangelizan-
tem condemnavit, & dominum Victorem
Papam in patrem ſpiritalem & univerſa-
B lem Pontificem confirmavit. Quem nos
Eccleſia duce ſecuti approbamus, & uni-
verſalis Eccleſiæ patrem & rectorem, coo-
perante divina clementia, fore denuntia-
mus. Hoc itaque factum divinis ſuffui-
tum præſidiis, & in Apoſtolica ſtabilitate
ſupra petram, Chriſtum videlicèt, fir-
miter fundatum, à veſtra beatitudine pro
pace totius Eccleſiæ, & ſalute Imperii ap-
probari, & ab omni Eccleſia veſtræ ſan-
ctitati commiſſa teneri & conſervari ro-
gamus, & præoptamus. Data Papiæ de-
cimoquinto Kalendas Martii.] Ponitur
inferiùs à Radevico & epiſtola Baben-
C bergenſis Epiſcopi, de eadem cauſa ſchiſ-
matis inter Victorem & Alexandrum,
ad eumdem Archiepiſcopum data his ver- a *Radevic. l.2.c.71.*
bis: (a)

Reverendiſſimo patri & domino Ebe- XXIII.
rardo Saltzburgenſis Eccleſiæ Archiepi-
ſcopo Eberardus Babenbergenſis gratia
Dei, ſi quid eſt, tàm devotum, quàm
debitum cum oratione ſervitium.

Convenientibus in unum Papiæ Epi- Eberardi
ſcopis circiter quinquaginta, diuque ven- Epiſc. Ba-
tilata quæſtione Papatus, cùm dilatio pri- benberg.
mò penè omnibus complacuiſſet uſque ad Saltzburg.
majorem rei notitiam, & aliud generalius Archiep.
D Concilium: prævaluit tandem pars domi-
ni Victoris, juſtificata ab altera parte mul-
tis modis, quia conjuratio contra Impe-
rium, factum illud præceſſerat: quia do-
mini Victoris immantatio prior, illa po-
ſterior, quo ſolo Innocentius Anacleto
prævaluit, cùm Anacletus plures & ma-
ximæ ſcientiæ & auctoritatis haberet ele-
ctores. Deinde quòd ad hoſtes Imperii
pars illa ſe tranſtulerit, obligata Siculo,
Mediolanenſibus, Brixienſibus, Placen-
tinis, per ſacramentum, quod ſanæ do-
ctrinæ adverſari videtur: & cùm ſubditos
à juramentis fidelitatis debitè abſolvat,
E & ſervire Imperatori prohibeat quoſcum-
que, & ſic diſceſſioni viam præparet, quod
peſſimum eſt, ſicut opere ipſo clareſcit, &
ſcriptis undique per Italiam directis tàm
civitatibus quàm Epiſcopis.

His malis principiis finem deteriorem XXIV.
promittentibus, perpetuam videlicèt di-
ſcordiam inter regnum & ſacerdotium,
& diſceſſionem ab invicem, dum pars illa
cum omni ſecuritate conductus nec venire
voluiſſet, nec etiam procuratores pro ſe
mittere ad ſubeundum judicium, & exci-
piendam ſententiam: dominum Victorem
rece-

A recepimus ſpe pacis & concordiæ inter regnum & ſacerdotium. Longo tamen examine præmiſſo de tempore, & ordine electionis ſuæ, de bis qui ejus electioni conſenſerunt primitùs, & poſtmodùm retrò abierunt, Cardinalibus numero novem, teſtificante ſuper his omnibus Capitulo beati Petri & Clero Romano, ſcriptis, & viva voce Nuntiorum ſub jurejurando. Nuntius Regis Francorum promiſit pro eo neutrum ſe recepturum, uſque dum Nuntios Imperatoris recipiat. Nuntius Regis Anglorum idem velle, & idem nolle promiſit tàm in his quàm in aliis. Arelatenſis, Viennenſis, Lugdunenſis, B Biſuntinus per litteras, & per Nuntios conſenſerunt. Solus Trevirenſis de regno noſtro ſupereſt in parte illa de numero Archiepiſcoporum, qui non conſenſerint: ejus tamen Suffraganei omnes conſenſeſerunt. Uſque ad vos ſolùm perventum eſt. Angelus magni conſilii dirigat vos ſecundùm beneplacitum ſuum, & cuſtodiat vos in omnibus viis veſtris. Præter hæc Præpoſitus multa manifeſtabit vobis, quæ non licet ad præſens homini loqui. Congaudete mihi, qui dimiſſionem accepi, & ad propria redeo.] Hactenùs Babenbergenſis Epiſcopus. C Ultimo verò loco ponitur à Radevico epiſtola, ad hæc eadem ſpectans, Præpoſiti de Bertherſgaden ad eumdem Saltzburgenſem Archiepiſcopum. Deſcribemus hìc ipſam, ne mala fide alias deſcripſiſſe, alias verò præteriiſſe pro arbitrio videri poſſimus. Sic ſe habet: (a)

a *Radevic. lib.2.c.72.*

XXV.

Domino ſuo in Chriſto reverendo Eberardo Saltaburgenſi Archiepiſcopo frater Henricus, dictus Præpoſitus de Bertherſgaden, cum devotis orationibus debitæ ſubjectionis obſequia.

Epiſt. ad Eberard. de rebus geſtis in Conc.

Si cuncta quæ audivimus & vidimus, ſcribere deberemus; non chartam, ſed D volumen facere videremur. Verùm ſummam eorum, quæ de duorum electione Romanorum Pontificum acta ſunt, breviter paternitati veſtræ notificamus. Curia, quæ in octavis Epiphaniæ Papæ fuerat indicta, uſque ad ſextam feriam proximam ante caput jejunii, quia in deſtructione Cremæ dominus Imperator detinebatur, eſt dilata. In qua conſidentibus domino Patriarcha, Archiepiſcopis, & diverſarum terrarum ferè quinquaginta Epiſcopis, Legatis quoque Regis Franciæ, & Archiepiſcoporum, Arelatenſis ſcilicèt, Lugdunenſis, Viennenſis, Biſuntini, atque Trevirenſis, & Raven- E natis electi: Cardinales, & clerici qui pro parte Victoris aderant, in medium proceſſerunt, & utrinque ſeriem electionis expoſuerunt. Super qua continuis quinque diebus ab Epiſcopis & aliis prudentibus viris copioſè diſputatum cùm fuiſſet: ſexta tandem die in publico Conſiſtorio electionis capitula denuò propoſita ſunt, & ſingula à Canonicis Eccleſiæ beati Petri, & Rectoribus Romani Cleri, ſacramento ſuper ſancta quatuor Evangelia præſtito, confirmata.

A Pars autem altera nec ipſa venit, nec reſponſales (qua de cauſa, neſcimus) conventui direxit. Recitatæ ſunt inſuper litteræ quamplures bullatæ, ab Alexandro & Cardinalibus, qui cum ipſo ſunt, Epiſcopis & civitatibus Longobardiæ directæ, ſed à fidelibus domini Imperatoris captæ. Ex quarum tenore machinationes eorum & molimina contra Imperium patenter ſunt deprehenſa. Unde quia dilatio non parvum tàm Eccleſiæ, quàm Imperio videbatur minari periculum, præſertim quia non erat, qui prædictis aſſertionibus contradiceret, cùm utraque nimirùm pars non B ad Curiæ, ſed ad Eccleſiæ fuiſſet examinationem vocata: Epiſcopi partis Victoris, quæ ipſum undecim diebus, antequàm Alexander immutaretur, immantatum fuiſſe, & in Sede beati Petri, adverſa parte præſente, abſque reclamatione ſediſſe, præſtito (ut dictum eſt) ſacramento probaverat, aſſenſum præbuerunt, & eumdem Victorem ut Apoſtolicum in Eccleſia ſolemniter ſuſcipientes, ſolitam ei reverentiam exhibuerunt. Facta ſunt hæc, domino Imperatore, & fidelibus Imperii annitentibus, propter cauſas memoratas. Quapropter ipſemet eidem confirmato Pontifici C ante fores Eccleſiæ deſcendenti conſuetum detulit honorem. Secunda verò poſt hæc die ſæpè jamdictus dominus Victor, celebrato Synodi officio, alterius partis principem cum quibuſdam ſuis fautoribus, Epiſcopis ſcilicèt Oſtienſe, & Portuenſe, eò quòd conſecrationis manum eidem præſumpſerant imponere, Cardinalibus etiam Henrico Piſano, Joanne Neapolitano, & Hyacintho, anathematis vinculo, extinctis candelis, innodavit. Excommunicavit autem Henricum Piſanum, *presbyterum Cardinalem tituli ſanctorum Nerei & Achillei*, idcircò, quòd mandato ejus ma- D giſter Raymundus Cardinalis deſpoliatus, & atrociter cæſus fuerit. Præpoſitum etiam Placentinum, quia dominum Tuſculanum armata manu invaſerit, & deſpoliatum multis contumeliis affecerit, ſimili ſententiæ involvit. Vuillelmum præterea Siculum, atque Mediolanenſes, pro invaſionibus Eccleſiarum & Imperii, ad canonicam vocavit ſatisfactionem.

XXVII.

Interfuerunt his omnibus Metropolitani, dominus Patriarcha, Moguntinus, Colonienſis, Magdeburgenſis, Bremenſis, cum nonnullis Suffraganeis ſuis, & maxi- E ma pars Epiſcoporum Longobardiæ, quorum plurimi affectuoſum & plenarium prædictæ confirmationi tribuerunt aſſenſum. Dominus verò Patriarcha, & quidam alii, ſalva in poſterum Catholicæ Eccleſiæ cenſura, propter memoratas Imperii neceſſitates obedierunt. Abſentes omnes, quos prænotavimus, Archiepiſcopi pro ſe & ſuis Suffraganeis plenariè conſenſerunt, excepto Trevirenſe, qui cùm iter cepiſſet, infirmitate præpeditus, excuſatorias tantummodò litteras direxerat. Præſentes autem ejus Suffraganei Tullenſis, & Vir-

Digitized by Google

Legationes ad diverſos miſſæ.

Virdunenſis pro ſe & Conſuffraganeo ſuo Metenſe in integrum ſpoponderunt. Domini Babenbergenſis, Patavienſis, & Ratiſponenſis Patriarcham ſunt imitati. Pro confirmandis omnibus quæ facta ſunt, mittuntur Legati, dominus Colonienſis in Franciam, Virduuenſis in Hiſpaniam, Pragenſis in Hungariam. Si interim alia ſcripta, quorum quædam vidimus, meram de his veritatem minus continentia ad manus veſtras devenerint: ſciat ſanctitas veſtra, quòd, ut pro parte potuimus, ſinceram de his veritatem ſignificavimus, pleniùs autem præſentes inſinuabimus.] Hucuſque Præpoſiti litteræ, qui tametſi rerum ob oculos poſitarum prout geſtæ ſunt, fidelis ſit aſſertor, tamen quòd vera omnia illa eſſent, quæ à ſe ſcripta fuiſſent, nimis imprudens eſt confirmator.

XXVIII. Sententia limitata præcipuorum Antiſtitum.

Habes ex his, paulò ſapientiores primarios Antiſtites, nempè Patriarcham Aquilejenſem, Germaniæ Epiſcopos Babenbergenſem, Patavienſem, atque Ratiſponenſem, eumdem Patriarcham imitatos, ita (ut ait) propter memoratas Imperii neceſſitates ſubſcripſiſſe, ut tamen ſuam ipſorum ſententiam ſubjecerint cenſuræ in poſterum ab Eccleſia Catholica faciendæ. Sed felix illa neceſſitas, quæ coegit tunc temporis ſanctiores Epiſcopos, nempè Trevirenſem atque Saltaburgenſem, ab his longè abeſſe. De Trevirenſi vidimus, jam in via ab ægritudine præoccupatum, ſiſtere gradum fuiſſe coactum: de Salzburgenſi autem iſta ſubiicit Radevicus: (a) Quare autem tàm crebræ litteræ Eberardo Saltzburgenſi Archiepiſcopo ſuper geſtis Concilii directæ ſint, hæc cauſa fuit. Cùm ad concilium iter cepiſſet, & per Forum Julii, & per Marchiam Veronenſium, uſque ad civitatem Vicentinorum perveniſſet, gravi correptus infirmitate, gradum ſiſtere, domumque redire coactus eſt. Sanè cùm tanti viri fecimus mentionem, de vita & moribus ejus quædam memorabimus, quæ quamvis ut lucerna ſuper candelabrum poſita in domo noſtræ provinciæ clariſſimè luceret, ab his tamen, qui longè poſiti ſunt, invida bonis fama difficiliùs ſubtrahet, ſi ſcribendo celebretur.

a Radevic. lib. 2. c. 73.

XXIX. Laudes Archiepiſ Saltabur.

Erat autem idem vir venerabilis, ætate maturus, ſacræ paginæ litteris decentiſſimè inſtructus, fide præcipuus, religione ſingularis, humanitate & pietate adeò communis, ut verè dicere poſſet: (b) Omnibus omnia factus ſum, ut omnes lucrifacerem. In largitionibus liberalis, in eleemoſynis, & ſuſcipiendis peregrinis ſtudioſius in tantum, ut ſumptus in obſequium pauperum monaſteriorum, & peregrinorum quotidiè expenſus non ſolùm palatio ſuo, verùm etiam toti Epiſcopio videretur oneroſus. Ipſe autem hujuſcemodi pondere minimè gravabatur, cùm hęc incommoda bonæ famæ (quam ipſe tamen minimè affectabat) & æternæ retributionis mercede compenſaret. Pauperum ſqualores minimè abhorrebat, à leproſis ſe tangi & contrectari paſſus eſt: quin etiam ipſe

b 1. Cor. 9.

A eos interdùm tangere, manuſque eorum oſculari non verebatur. Nec ſufficere credidit, ſi in miniſterio pauperum, famulorum uteretur officiis, niſi ipſemet habitu ſuccinctus manibus ſuis interdum cibum apponeret, poculum porrigeret, aquam non ſolùm lavandis manibus, ſed & pedibus infunderet. Cùmque non ſolùm in verbo perfectam doctrinam, ſed etiam in opere conſummatæ diſciplinæ præberet exemplum: meritò de eo dicebatur, quod olim de quodam Sanctorum: Quia hic eſt, qui quale habet verbum, talem habet vitam; & qualem habet vitam, tale habet verbum;
B quomodoque docet, agit, & quæ agit, hæc docet. His & aliis pluribus virtutibus, & divinæ gratiæ donis plures quidem ad ſui imitationem, univerſorum autem ad dilectionem ſui provocarat affectum. Sed hæc hactenus.] Sicque Deus dilectum ſuum fidelem miniſtrum nolens ſchiſmaticorum inquinari ſordibus, ne ad conciliabulum illud ſatanæ ſe conferret, percuſſit infirmitate, qua reſtitit, atque reſiliit.

Virtutes Eberardi Archiepiſ. Saltaburg.

Sed quæ prævidit propheticè de ipſo ſanctus Abbas, deſcripta habentur (c) in vita ipſius; Præfuit in vicino Abbas, nomine Eppo, cujus vita magna, probitas
C major, familiaritas maxima cum patre noſtro pollebat. Hunc invenit Deus, cui de ſchiſmate futuro poſt multos annos contra Papam Alexandrum prædiceret, quàmque firma anchora ſolius tunc Eberardi ex omnibus Alemanniæ Epiſcopis ſtaret. Ad horum formam vidit per ſomnium prædictus Abbas. Et ecce vidua quædam. Vidua videbatur, & viduam Rex quidam impugnabat, & qui viduam adjuvaret non erat, niſi de Juvavo monachus quidam. Hic Eberardus videbatur. Hic obſtare ſolus pro vidua videbatur. Lucta hæc luctæ imago utrimque fervebat, donec mu-
D tatus eſt, & in chalybem mutatus eſt monachus. Proportionaliter ferrum duritiam, duritia invincibilem ſignabat. Furebat autem non minus in illum, quàm in viduam Rex, donec & ipſe in canem verſus apparuit. Qui habet aures audiendi audiat argumentum à ſimili. Quod intelligens qui viderat, retulit in auribus Abbatis, & dixit: in veritate Juvavo præſidebis, & erit tempus, quo ſolus Eccleſiaſticis Alpinam ſuſtinentes. Sufficit tempori illi malitia ſua.] Ipſe namque, nec non Brixienſis Antiſtes ſteterunt murus firmiſſimus pro domo Domini, de quibus in Actis ejuſdem
E Eberardi hæc leguntur:

c Antiqua lect. Caniſii tom. 6. pag. 1197.

Atqui Juvavenſem, & Brixienſem Epiſcopos cunctorum mortalium, quos tunc novimus, ſanctiſſimos nemo cùm neſciat: in tanta partium caligine, quæſtione, & conqueſtione, in tanta omnium dubitatione, tantorum veſtigia patrum tutò ſequi nos poſſe credimus. Poſt longam nempè conſiderationem Metropolitea noſter, ſolus ex omnibus Epiſcopis Alemanniæ præfatum Brixienſem Epiſcopum Hartmannum reverendiſſimum poſt ſe trahens, Papam Alexandrum laudavit.

d Antiqua lect. tom. 2. pag. 296.

Unde

A Unde nobia poſtmodùm inter multos audientibus aliam rationem non dedit, niſi quia tota Eccleſia cum his, & his regnia in Alexandrum conſenſit, juſtiorem hunc æſtimamus. Quod quaſi præſagus futurorum dixit, exitus poſt multos annos probavit. Sic Auguſti tunc ſolus ſata impediens, non tamen Auguſti in ſe manus commovit. Quàm diverſè, quantis adverſis prædeceſſores ſui rem tantam in Cæſares Henricos præſumpſerant? Et ecce plua Henricis hic. * Furebat bilem, & nuntium noſtrum Eberardum Auguſtus, & ſuam ipſius animam pertanſivit gladius: ſed ubì in

* Locus corruptus.

B præſentiam veniſſet, revarentia ſanctitatis ejus ſpiritum reprimebat. Dignitas quædam angelica in vultu, & pondus tale oculos ac mentem obibat, ut niſi timere pluſquàm mortalē, & contremere, & parcere, & venerari nó poſſent. Hæc de ſemetipſo confiteri Princaps ſolebat. Oderat nimis ſemper ſanctiſſima anima proſperitatem ſuam, & temporalem gloriam, ardebatque prædicta vel qualibet occaſione quælibet adverſa, ſive exilium, ſive etiam mortem ſuſtinere pro Domino; ſed ſic eum volebat manare donec veniret, &c.]

XXX. Radevicus cur finem ſcribendi ſecerit.

C Præter hæc omnia ſciendum, quòd qui res geſtas hujus temporis tradebat; hic ſtetit ipſe auctor Radevicus, qui ad ipſum Fridericum duos libros Appendices ad Ottone Friſingenſem conſcripſit, in quarum poſterioris poſtrema parte laudes celebrans ipſius Imperatoris, libens volenſque finem ſcribendi fecit, conſcientia repercuſſus. Ubi enim audivit, ipſum ſententia Alexandri anathemate eſſe mulctatum, detectiſque mendaciis, jam in Eccleſia Catholica Catholicum recipi atque coli Pontificem Alexandrum, deſtitit ulteriùs progredi, & ejuſdem Friderici res geſtas ſcriptis proſequi, quem videret per devia

D errantem extra Eccleſiam cum ſchiſmaticis rem agentem, eoſdemque indeſeſſo ſtudio protegentem. Eadem quoque cauſa (ut apparet) Guntherum cohibuit nobilem hujus temporis poetam, qui de rebus à Friderico geſtis metricè ſed hiſtoricè decem in hunc uſque ejus Imperii annum libros conſcripſit, cùmque ulteriùs proſequi (ut ipſe profitetur) inſtituiſſet, turpitudine rerum omninò conticuit: nam & cùm ſingulas hucuſque res geſtas ab eodem Imperatore laudans heroico carmine cecíniſſet, conciliabulum iſtiuſmodi Papienſe omninò prætcriit. Sad quòd à parte Ca-

E tholicorum ipſe firmiter ſtaret, non deſuit officio, & quantum licuit, conſulere veritati, dum eadem ſua ſcriptione maniſeſtè probavit Alexandri Papæ electionem, improbavit verò Victoris, hiſce verſibus de utroque ſic agens: (a)

a Ligur. in Frid. lib. 10

Gunthcrus quid de duobus electis Pótificib.

Temporis ejuſdem tractu; nondumque reverſis,
Quos ad Romuleam Fridericus miſerat Urbem:
Conſiliis magnæ, multumque domeſtica Romæ
Funera Romani Paſtoris Anagnia vidit.

A *Quem tamen inde ſuam tranſlatum Clerus in Urbem*
Sede ſacra Petri ſepelivit honore fideli.
Ante tamen tumulo quàm membra exanguia Præſul,
Subderet, exorto geminas jam ſchiſmate partes,
Manſuramque diu litem de Sede reliquit.
Nam cùm de tanti rationem Clerus haberet
Succeſſore viri, ſtudiis melioribus ultrò
Rolandus petitur, qui Cancellarius ante
Sanguine conſpicuus, veteri mox nomine verſa

B *Factus Alexander, per tempora multa ſuperſtes*
Eccleſiæ pacem ſedato ſchiſmate eandem
Vidit, & optato tunc demùm fine quievit.
Altera pars ſacra Octavi te Sede locatum
Auſpiciis decepta ſuis, ignara ſuperni
Judicii, falſo Victorem nomine dixit.]

Hæc Ligurinus, ſed qui, ut apparet, finito ſchiſmate iſta ſcripſit. Sic igitur ubi Scriptoribus ſcribendi felicia defecit argumentum, deſiſtere illi potiùs, quàm adulando mentiri, vel vera dicendo, ipſi Friderico diſplicere putaverunt. Sed jam

C cætera proſequamur.

XXXI. Edictum Imp. ut omnes recipiant Octaviani.

Subſecuta ſunt poſt hæc atrocia Imperatoris edicta, nimirùm, ut qui beſtiam à ſe propoſitam non adoraret, exilii pœnis afficeretur. Mentio hujus edicti habetur in Actis ipſius Alexandri Pontificis hiſce verbis: Sic itaque in perniciem animæ ſuæ Imperator, & in ruinam multorum, tunicam Chriſti, unitatem videlicèt Catholicæ Fidei ſcindere tentans: ipſe priùs inclinavit ſe ad pedes illius, & alios quos poſſet, ad ipſum coegit. Quo facto, per totum ſibi ſubjectum Imperium edictum miſit, Ut Eccleſiarum Prælati ad ſtatuam

D quam erexerat, adoraturi accederent. Quod quicumque agere nollent: de terra ſua non reverſuri exirent. Hujus autem verbum durum & aſperum inſonuit per totam Italiam. Tunc omnes qui ſpiritu fervebant, elegerunt exilium potius pati ac perſecutionem pro Deo, & manutenenda fidei unitate, quam pacificè adhærere ſchiſmaticis, & honoribus abundare cum divitiis hujus ſæculi. Facta eſt ergò maxima in Eccleſia turbatio, fugientibus Catholicis, deſerentibuſque Eccleſias proprias, & patriam ſuam. In quorum loca violenter intruſi ſunt Octaviani complices. Non

E his ceſſit Alexander Papa: ſed quò perſecutio vehementior excitabatur, ipſe robuſtior apparebat. Parat judicium verè Apoſtolicum, citat Imperatorem, non parentem percellit anathemate. Hæc enim eadem Acta ita deſcripta continent:

Alex. Pap. excommunicat ſchiſmat.

Cùm autem beatus Alexander Papa eumdem Imperatorem benignè ac frequenter admonitum, à ſua perfidia non poſſet ullatenùs revocare; cum Epiſcopis & Cardinalibus in Cœna Domini apud Anagniam ipſum tamquàm principalem Eccleſiæ perſecutorem excommunicationis

vincnlo ſolemniter innodavit, & omnes qui cum eo juramento fidelitatis tenebantur aſtricti, ſecundùm antiqnam prædeceſſorum Patrum conſuetudinem, ab ipſo juramento abſolvii; atque in Octavianum, & ejus complices jam diu prolatam excommunicationis ſententiam innovavit. Et quoniam ipſi ſchiſmatici de juſtitia & veritate diffidentes, Prælatos Eccleſiarum, & Principes Urbis exquiſitis mendaciorum figmentis circumvenerant, & in partem erroris ſui inducere attentaverant; utile conſilium domino Papæ viſum eſt, ut aliquot de fratribus ſuis in diverſas mundi provincias ex latere ſuo deſtinare deberet, per quorum ſtudium & laborem ſuper facto electionis Apoſtolicæ declaratio fieret, & univerſitas Fidelium in unitate Catholica, cognita veritate ſolidaretur.] Hæc Acta de excommunicatione Friderici Imperatoris. Cæterùm non penitùs excommunicatum fuiſſe adhùc Fridericum ab Alexandro, ſed tantummodò in ipſum comminationem de excommunicatione pronuntiatam, quæ dicturi ſumus inferiùs, declarabunt.

XXXII. Severum Chriſti judicium adversùs ſchiſmaticos.

Qui igitur præeſt Eccleſiæ Chriſtus, cui omne judicium dedit Pater, Deus ultionum dominum oſtendit ſe inimicis ſuis, qui abuſi ſunt miſericordia ejus. Cœptum eſt namque judicium à domo Dei, cùm ſchiſmatis hujus anteſignanus, conſultor peſſimus Archiepiſcopus Moguntinus Arnoldus, ſicut primus omnium Germanorum Epiſcoporum, ſubſcripſit ſententiæ latæ in Alexandrum; ita primus omnium de perfidia pœnas dedit, & quidem memorabiles: de quo hoc anno Robertus in Appendice ad Sigebertum hæc habet: His geſtis, *in conciliabulo, videlicèt Tapienſi*, Arnoldus Præſul Moguntinus revertitur, & in nativitate divi Joannis Baptiſtæ à Moguntinis occiditur in monaſterio ſancti Jacobi.] Hæc ipſe breviter. Sed præſtat iſta audire à Conrado Epiſcopo in antiquo Chronico rerum Moguntiacarum, ubi ejuſmodi lugubris facti tetram tragœdiam latiùs eſt proſequutus, his verbis incipiens à monitoribus ſuis.

Per plures admonitus Arnoldus eſt prænominatus, ut ſe cautiùs obſervaret. Qui fertur ſuis monitoribus reſpondiſſe: Canes Moguntinenſes mordere non norunt, nec aliquid valent, quàm latratibus deterrere: à corde carentibus timeantur. Erat quidam Abbas in clauſtro, Eberbach Ordinis Ciſtercienſis, qui ipſum Arnoldum pro ſuis exceſſibus ſæpè litteris arguit, & imminentia pericula intimavit. Erat quædam ſancta virgo nomine Hildegardis, quæ per ſpiritum vidit ipſum Arnoldum citiùs moriturum. Scripſiſſe quoque dicitur ei in hæc verba: Pater proſpice tibi, canibus enim ſunt ſunes abſtracti, qui inſequuntur te. Non tamen acquievit monitis aliquorum. Accidit ut in vigilia Joannis Baptiſtæ poſt prandium de quodam oppido Bingen civitati Maguntinenſi appropinquaret, ac in clauſtro mona-

Populus Moguntinus cõſpirat in Arnoldũ Archiep.

A chorum juxta muros civitatis ad ſanctum Jacobum in monte Specioſo (ſic enim dicitur) ſe locaret. Et ecce Maguntinenſes uſque in craſtinum ſeſe armant, & conſtituunt, ut cùm in ipſo die ſancti Joannis audita fuerit campana, quilibet ſit paratus; & factum eſt ita. Venit dies, & maturiùs ſolito prandent omnes; pulſatur campana, & à maximo uſque in minimum univerſa civitas congregatur. Præſul Arnoldus ſe jam dederat quieti, & audito campanæ ſonitu, ultrà quàm credi poſſit, vehementer expavit, & timor irruit ſuper eum; amiſſoque rationis gubernaculo, quid poſſet **B** facere, ignorabat. Obſtruxit autem repagulum, & lapidibus & lignis, quibus poterat, januas omnes monaſterii memorati.

XXXIII.

Turba autem turbata ex adverſo omnes portas & feneſtras, vel quoſcumque alios exitus obſervabat, ne evaderet quem quærebant. Jam ignem ad officinas admovebant: vix & cum multa difficultate monachi receſſum obtinuerunt. Et dum monaſterium fumo plenum flammis per circuitum premeretur; ipſe Præſul turrim monaſterii aſcendens miſericordiam deprecatur, & ſi quem offendiſſet verbo vel facto, ſatisfacturum ſe ſuppliciter pollicetur. **C** Sed turba viſo pontifice clamare cœpit furiosè, nec poterant ſupplicantis verba præ tumultu turbatæ turbæ intelligi, vel audiri: ſed admoto igni ad turrim, in qua ſtabat, ipſum de turri deſcendere compellebant, flamma jam monaſterio dominatur. Videns ergò monachos obtenta ſecuritate abſcedere, tentat, ſi fortè & ipſe cum eis, & inter eos poſſit evadere. Aſſumpto itaque habitu monaſtico occultari tentat, ut & ignem qui invaluerat, & gladium evaderet, quem timebat. Apertis Eccleſiæ valvis, cum monachis ferè abſceſſerat; ſed à quodam eſt cognitus, & detentus infe**D**lix. Quidam primò gladium vibrans collo Epiſcopi immerſit: alter in fronte eum percutiens, mucrone ab aure uſque ad aurem ſuperiorem partem capitis ad inferiùs diviſit. Sicque factum eſt, ut alii contis, alii fuſtibus, alii gladiis, alii lapidibus mactantes ſolo tenus præcipitarent. Jacentem ſic, & vulneribus, & ſanguine deformatum vulgus nequam & perverſum veſtibus ſpoliarunt; quidam anulos de digitis abſtulerunt. Reliquiæ quędam, quas collo pendentes ſolitus erat ferre, ab aliis ſunt ablatæ. Hæc autem circa horam nonam **E** parum ante veſperas ſunt peracta. Nec poterant clerici ab ipſis malefactoribus aliquatenùs obtinere, ut ſaltem occiſus in loco traderetur debito ſepulturæ. Sic ergò jacebat in campo ſuper foſſam civitatis, ubi canum, & luporum tranſitus habebatur, deſiderantes eum, & ab hujuſmodi beſtiis devorari. Tribus diebus ſic nudus toto corpore manens, veniunt aliquæ maledictæ fœminæ, caſeorum, & ovorum, atque olerum venditrices, mercatrices, meretrices, ſaxiſque dentes pontificis contuderunt; aliæ verò ſtipites ardentes, & titiones fumantes ejus gutturi infixerunt,

Trucidatur à ſuis Moguntinis Arnoldus Archiep.

A fiaerunt, adiiicientes linguis & labiis maledicta. Poſt diem tertium Canonici ſanctæ Mariæ ad Gradus jam incognoſcibilem & fœtentem furtim ſublatum deferunt in ipſam Eccleſiam, lacrymoſis ſuſpiriis ſepeliendo.] Et poſt exclamationes auctoris in Moguntinos iſta patrantes, idem mox ſubdit: Acta ſunt hæc anno milleſimo centeſimo ſexageſimo.] In vindictam ſuæ intruſionis iſta promeritus, quæ, Deo ultore, non priùs, ſed hoc accepit anno poſt damnatum ſua ſententia Alexandrum Romanum Pontificem, in exemplum terribilis judicii magni Dei.

XXXIV.

B Subiicit auctor de intruſo poſt mortem Arnoldi à ſacrilegis parricidis Rudolpho, & ipſo ſacrilego, qui venturus pro ſede illa obtinenda Romam, cùm ob expenſas ſibi parandas aureæ crucis brachium amputaſſet, in via diem clauſit extremum. Creatus eſt tandem ab ipſo Clero legitimè Moguntinus Archiepiſcopus Conradus conſanguineus Imperatoris. Sed hic poſthabens Imperatorem, & intruſum ab eo Antipapam, recepit Alexandrum dumtaxat, quem legitimum cognovit, & ſecutus eſt Papam, ad eumque inviſendum Romam ſe contulit: cujus cauſa ab Imperatore multa paſſus ab eodem auctore aſſeri- C tur. Cùm & Moguntinam civitatem denudatam mœnibus in vindictam necati Epiſcopi, ab Imperatore, & deſtitutam paſtore contigit dira pati, quæ ab eodem deſcribuntur auctore. Nam per annos decem & octo ſchiſma in illa perduravit Eccleſia, ſequentibus aliis Conradum, communionem Alexandri legitimi Pontificis nactum; aliis ſectantibus intruſum ab Imperatore alium, nomine, etſi non opere, Chriſtianum, Papæ Victori ſchiſmatico inhærentem, Archiepiſcopum falsò aſſertum: cui Deus ſua miſericordia in fine tan- D dem tribuerit, ut pœnitens erroris in communione Alexandri clauderet diem extremum. Sed de his dicendum inferiùs, ſuiſque locis agemus de aliis malorum horum omnium architectis, quos ultio divina exitu miſerando ſubtraxit.

Conradus Archiep. Mogũtin. ſectator Alex. Papæ.

XXXV.

Quòd ſi omnium malorum auctorem tardiùs vindicta mulctavit Fridericum Imperatorem, ſcias à Deo factum, quò præclarior eſſet de ſæpè expugnato tyranno triumphus. Nam ſicut de Pharaone Dominus ait: (a) Indurabo cor ejus, & perſequetur vos, & glorificabor in Pharaone, & omni exercitu ejus, ſcientque Ægyptii, quia ego ſum Dominus:] ita planè perſimili ſuæ ſeveritatis judicio ad gloriam ſui E nominis, ipſius verò opprobrium & ignominiam ſervavit Fridericum Imperatorem viribus potentiſſimum, fraudibus verò vaferrimum deceptorem: ut quod de Behemoth ſcribitur in Job: (b) Illudes ei quaſi avi.] Et per Pſalmographum (c) Formaſti draconem ad illudendum ei:] ludibrio expoſitum, poneret in exemplum cunctis Principibus cornua erigentibus adversùs ſanctam Eccleſiam, cùm viderint ſuperbiſſimum Imperatorem contumacem,

Frider. Imp. inſtar Pharaonis in Eccl. poſitus.

a Exod. 14.

b Job 40.

c Pſal. 103

A ſæpè victum atque proſtratum ad pedes Alexandri Papæ accidere, atque eos exoſculari, & lambere. Sed de his ſuo loco inferiùs dicendum erit.

XXXVI.

In tanto autem infelicium Epiſcoporum naufragio non defuit quis ſtaret ex adverſo. Fuit iſte magnus hujus temporis Eccleſiæ fulgor, Petrus Tarentaſiæ Archiepiſcopus, potens opere, potenſque ſermône, undique mirandus. Hic ipſe hoc anno venit cum aliis ſervis Dei ad caſtra Imperatoris, rogare pacem ab eo pro Mediolanenſibus: & cùm omnes provinciarum Gallicanarum, quæ illi proximæ erant, Præſules de- B diſſent turpiter manus, ac ſubſcripſiſſent impiæ illi ſententiæ, pro Octaviano contra Alexandrum pronuntiatæ: reſiliit iſte ſolus, magis verò redarguit, & pro Alexandro vexillum prædicationis creait. Sed audi Gaufredum Abbatem, qui res ab eo geſtas fideliſſimè eſt proſecutus: (d) In diebus ejuſdem Præſulis vicinas provincias, & Romanii Imperii ea maxima parte Eccleſias ſchiſmatica rabies occupavit. Solus ipſe ea Metropolitania, vel propè ſolus regionũ illarum & ſchiſmaticis palàm reſtitit, & immunis perſtitit in Eccleſia ſua. Sed & plurimos ex circumpoſitis revocavit ad Ca- C tholicam unitatem, vicinas undique provincias penetrans, liberè prædicans clericis & populis, plenis auctoritate ſermonibus improbos & obſtinatos hæreticæ arguens pravitatis. Nihilominùs tamen devotis eum colebat Imperator officiis, non minori ei reverentia obſequens, quàm ſervitia Catholicos perſequens cæteros circumquaque. Nec deerant qui indignarentur, qui cauſarentur, qui conarentur animum Principis adversùs eum potiùs exacerbare, dicentes: Quid ſibi vult, Imperator bone, quid actitas? Numquid deſtruere non eſt cauſam tuam, ſic colere, ſic honorare eum, D qui ſic impugnat, ſic impetit eam? Ille nos deteſtatur, nos execratur, nos hæreticos denuntiat, nos anathematizat; & tu velut Angelum Domini eum ſuſcipis, publicè, & privatim ejus prædicans ſanctitatem. His & hujuſmodi verbis, quantum tamen audebant, crebrò pulſabant ariete Imperatorii robur pectoris filii diffidẽtiæ, filii ſcelerati.

Petrus Archiep. Tarantaſiæ cõtra Imp. prædicat Papam Alexand.

d Apud Sur. tom. 3. die 8. Maii c. 24.

XXXVII.

Cui ſuggeſtioni Herbertus quidam Chryſopolitanæ incubator Eccleſiæ præ cæteris inſiſtebat, iterùm atque iterùm aſſeverans, non ſeſe ſatis mirari poſſe, quibus ille præſtigiis Imperatorem tanta prædi- tum ratione totaliter dementaſſet. Multos enim Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Abbates, etiam ſibi quondam chariſſimos pro E eadem cauſa idem Imperator in exilium egerat; Ciſtercienſis Ordinis Fratrum non modò perſonas aliquas, ſed numeroſa collegia ab eodem Herberto & ſimilibus, & quos tamen ſimiles habuit, ſuis extrudi cœnobiis non prohibuerat; & hujus unius ſeſe ſuffragiis quàm ſuppliciter commendabat. Fertur etiã, quòd eidem nequiſſimo monita peſſima ſuggerenti dignum memoria, dignum dederit admiratione reſponsũ: Si hominibus, ut merẽtur, contrariũ me exhibeo,

Herbert ſchiſmaticꝰ improbĩ conatus.

tunc velis, ut evidenter opponere me inci- A
(a Exod. 7.) piam Deo?] Ita quidem Fridericus, ut (a)
Pharao Moyſem, verebatur & colebat in-
vitus, percitus timore, Petrum de quo rur-
ſùm inferiùs dicendum erit. Erat ipſe hoc
anno agens in ſuo Archiepiſcopatu annos
vigintiduos, hominibus etiam impiis re-
verendus.

Vides, Lector, magnam Dei providen-
tiam in regenda Eccleſia ſua. Qui enim in
ſchiſmate Petri Leonis paravit lucernam
Chriſto ſuo, nempè (ut vidiſti) ſanctum
Bernardum, verè lucernam ardentem atque
lucentem miſit in auxilium legitimi Roma-
ni Pontificis Innocentii, quo tanto viro præ- B
curſore, ubique terrarum parans illi viam,
poſuit prava in directa, & aſpera in vias
planas: noluit Alexandrum ejuſmodi care-
re ſubſidio, ex eadem pharetra educens ſa-
gittam electam, ad faciendam vindictam in
nationibus, & increpationes in populo;
Diſcipulum ſiquidem ejuſdem ſancti Ber-
nardi, monachum Ciſtercienſis Ordinis,
profeſſum in monaſterio Bonævallis, &
ex Abbate, quem diximus, tempore ejuſ-
dem ſancti Bernardi creatum Archiepi-
ſcopum Tarentaſium, paravit ad opus in
auxilium Alexandri. Dedit & alios plures,
ut ea quæ ſequuntur, oſtendent. C

XXXVIII. (Alex. Papa de rebus geſtis in Concil. Papienſ. monet Arnulphum.) Inter hæc autem Alexander Papa poſt in-
fame concilium Papienſe reſcribens ad Ar-
nulphum Lexovienſem Epiſcopum, de his,
quæ geſta eſſent in conciliabulo Papien-
ſi, eum reddidit certiorem: ex quibus
multa auditurus eris, quæ præ pudore ſchiſ-
matici ipſi reliquere obvoluta, immò ſe-
pulta ſilentio, ſed & quòd eidem Epiſco-
po egregiè rem agenti pro Catholica ve-
ritate, delegat vices ſuas. Extat ipſa qui-
dem Alexandri reddita ad ipſum epiſtola,
jamque cuſa unà cum aliis Arnulphi litte-
ris, quæ ſic ſe habet:

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum D
Dei venerabili fratri Arnulpho Lexovienſi
Epiſcopo ſalutem & Apoſtolicam bene-
dictionem.

Litteras à tua nobis prudentia deſtina-
tas tantò hilariori mente ſuſcepimus, quan-
tò de uberiori pinguedine charitatis & am-
pliori fervore devotionis eas novimus pro-
ceſſiſſe. Quas & nos ipſis attentè ſatis ac
diligenter inſpeximus, & ut conceptæ dile-
ctionis integritas, & probatæ fidei certitudo
in tenebris non lateret, ſed fieret ignoranti-
bus manifeſta, eas in fratrum noſtrorum au-
ditorio publicè fecimus recitari. Ipſæ profe-
ctò & devotiſſimi continebant puritatem E
animi; nec minus luculentam profundi pe-
ctoris eloquentiam redolebant. Novimus
autem, & immemores non exiſtimus, qua-
liter, ſicut & ipſa tua ſcripta plenariè con-
tinebant, divæ ac reverendæ memoriæ In-
nocentio Papæ anteceſſori noſtro ſchiſma-
ticus ille, qui & generoſitate naturæ, re-
rum copia terrenarum, prudentia ſæculari,
& gratia labiorũ, mira æſtimatione redde-
batur inſignis, nefaria temeritate ſuccrevit,
& innocentem noxius, fortis debilẽ, arma-
tus inermẽ, ſchiſmaticus catholicũ impu-
gnabat. Ceterùm ad quem finẽ res ipſa, Deo
miſerante, pervenerit, devoti & fideles Ec-
cleſiæ filii per gloriam meritorum, mali ve-
rò per ſuppliciorum gravamina cognove-
runt. Quid etiam de aliis ſimilia præſu-
mentibus anteà ſæpenumero contigiſſet, tu
tàm ſecundè, quàm eleganter in illis eiſ-
dem litteris expreſſiſti. Temporibuſque
noſtris optimus Deus voluit hæreſes ſuſci-
tare, ut qui probati ſunt, manifeſti fiant,
& ut per noſtram & aliorum Catholicorum
ſtudium & laborem granis à paleis in area
Domini ſegregatis, ſchiſmata & hæreſes
conterantur. Credimus ſiquidem, & de
gratia divina confidimus, quòd in proxi-
mo ſedatis fluctibus procellarum, & ven-
torum turbine propulſato, dies nobis ſe-
renus & fulgidus arridebit, & calcatis
inimicis Eccleſiæ, tranquilla in portu Pe-
tri navicula reſidebit.

Perſolvimus autem gratias omnium Cõ- XXXIX.
ditori, laudum præconia referentes, quòd
magnificum illum & ſereniſſimum Orbis
Principem Henricum Regem Anglorũ au-
divimus firmum & ſtabilem in Catholicæ
unitate Eccleſiæ permanere, & quòd per
tuam præſertim inductionem idem in ſan-
cto propoſito animum ſolidavit. Rogamus
ſanè, ut ita vigil ſemper circa eum & ſol-
licitum perſeveres, ne per frequentes ve-
xationes Imperatoris, & Nuntiorum ſuo-
rum, à devotione Eccleſiæ, & noſtra, quod
abſit, velit modo quolibet declinare. Vo-
lumus quidem te apud eumdem Regem, &
Epiſcopos, atque adjacentes perſonas,
quaſi quemdam Apoſtolum & Nuntium
veritatis in illis partibus experiri. Cir-
cumpoſitos quoque & vicinos Epiſcopos,
& tàm Eccleſiaſticas, quàm ſæculares per-
ſonas, nobiles præcipuè ac potentes, ad
hoc ipſum efficaci ſtudio & omni diligen-
tia exhorteris. Nos enim perſonam tuam
quàm ſincera charitate in Domino dili-
gamus, atque ad honorem & exaltatio-
nem tuam, quàm prompto animo deſidere-
mus intendere; per illum dilectionis fer-
vorem, quem circa te & ante promotio-
nem noſtram habuimus, diſcretionis tuæ
prudentiam non credimus ignorare.

Prætereà qualiter Fridericus Romano-
rum Imperator, avorum ſuorum ſcelera-
tiſſima veſtigia ſubſecutus, circa ſacro-
ſanctam Eccleſiam Romanam in præſenti
ſe habeat, & olim habuerit, & qualem circa
eam animum gerat, qui utiq; ſpecialis ejus
patronus deberet & defenſor exiſtere, mul-
tis rerum indiciis à longis retrò tempo-
ribus ad notitiam tuam non ambigimus
perveniſſe. A tempore ſiquidem anteceſſo-
ris noſtri piæ recordationis Hadriani Pa-
pæ, & ab exordio dignitatis ſuæ cepit ſan-
ctam Rom. Eccleſiam, tamquàm tyrannus,
opprimere, & non mediocriter infeſtare.
Archiepiſcopos namque, & Epiſcopos à Se-
de Apoſtolica redeuntes, in ignominiam &
detrimentum Eccleſiæ plerumque capi tur-
piter & inhoneſtè præcepit, eoſque fecit
carceris cuſtodiæ mancipari. Nos quo-
que in minori officio conſtitutos, qui
eum

cum venerabili fratre noſtro B. tunc Portuenſi Epiſcopo ad eum fuimus delegati, qualiter apud Biſuntium ipſe tractaverit, & quàm indignè receperit, non opus eſt nos in præſenti referre, quia credimus te id ipſum plenariè cognoviſſe. Vivente etiam prædicto anteceſſore noſtro, patrimonium beati Petri violenter invaſit, & eamdem Romanam Eccleſiam oſus eſt modis omnibus conculcare, ita quod à pluribus dicebatur, & quaſi fama communis habebat, quoniam eo ſuperſtite Octavianum, qui ſemper fuit domeſticus Eccleſiæ inimicus, ordinare Apoſtolicum, immò apoſtaticum, ſi opportunitatem acciperet, intendebat. B

XL. Quia verò illo vivente omnipotens Deus non permiſit eum conceptam veſaniam exercere, poſt mortem ejus opportunitate concepta, prædictum Octavianum ſchiſmaticum, ſimoniacum, & manifeſtiſſimum invaſorem, qui cum tribus tantùm malitiæ ſuæ complicibus, ſicut tota penè mundus agnovit, poſt canonicam & unanimem electionem noſtram mantum arripuit, & ita ſe damnabili præſumptione intruſit, in tanta iniquitate modis omnibus manu tenuit, & quidquid ille fecit, ſolo favore, potentia, & auctoritate ipſius, & Nuntiorum ſuorum, qui in Urbe præſentes extiterant, eum feciſſe abſque ambiguitate tenemus. Unde ad confirmationem ipſius, immò ut omnem videretur in Eccleſia Dei auctoritatem habere, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & alios Eccleſiarum Prælatos apud Papiam, contra ſacrorum inſtituta canonum, prout ei placuit, convocavit. Ille autem, ſicut homo, qui nec in Deo, nec in juſtitia confidebat, in ipſius Imperatoris præſentia per aliquot dies, velut pro certo accepimus, inſignia Pontificatus abjecit, ſicut etiam in noſtro & fratrum noſtrorum conſpectu, dum Romæ olim nos teneret incluſos, ſuam malitiam recognoſcens, facere voluit, ea quidem conditione ſervata, ut nos ei poſtmodùm reddere deberemus. Cùmque nos ea recipere ſub hac conditione nollemus, ipſe in ſua pertinacia, & damnabili præſumptione permanſit. C D

XLI. Octavianus accepit inveſtituram Papatus ab Imp. Cæterùm, ut prædictus Imperator Eccleſiam Dei ſuę videretur ſubjugare & ſuppoere ditioni, & eam in ſupremam redigere ſervitutem, memorato apoſtatico, ſicut dictum eſt, Pontificalia inſignia reddidit, & eum de Papatu, quod eſt à ſæculis inauditum, per anulum, prout dicitur, inveſtivit. Quoſdam etiam Epiſcopos, aliis diſcretioribus & honeſtioribus occultè de illo conciliabulo fugientibus, & reverentiam exhibere laicali violentia, tyrannica oppreſſione coegit. Sic enim Reges & Principes diverſarum partium ſibi intendit tùm ſpirituali tùm materiali gladio ſubjugare, ſi in hac parte, quod abſit, nefandiſſimum ejus propoſitum prævaleret. Ad hæc, juxta prudentiæ tuæ conſilium, Rothomagenſi Archiepiſcopo, ejuſque Suffraganeis, & aliis per Northmanniam con- E

A ſtitutis, exhortationis litteras deſtinamus. De cætero memoratum Fridericum Imperatorem, pro eo quòd Octavianum ſchiſmaticum recepit, & ei pertinaciter adhærere præſumit, cum eodem Octaviano, & cum aliis principalibus fautoribus ſuis, nos de communi fratrum noſtrorum conſilio, in Cœna Domini publicè ac ſolemniter excommunicaſſe cognoſcas. Dat. Anagniæ Kal. Aprilis.]

His acceptis Arnulphus ab Alexandro litteris, ut partes creditæ ſibi legationis impleret, ad Archiepiſcopos, & Epiſcopos Galliæ, de his quæ geſta eſſent in conciliabulo Papienſi, litteras dedit, quas ob plenam rerum geſtarum ſignificationem hic deſcribendas operæpretium duximus; ſic enim ſe habent:

Ad Archiepiſcopos, & Epiſcopos Galliæ.

Quanta tempeſtate laboret Eccleſia, atque in quanto videatur periculo conſtituta, veſtra, quos hic dolor tangit, prudentia non ignorat. Et filii quidem Babylonis proſpiciunt & exultant, qui quaſi certum auſpicantes de procellarum quantitate naufragium, ad diripiendas ſarcinas & ipſa navigii tabulata concurrunt. Nobis autem ſecuritatem præſtat divina promiſſio, qua portas inferi adversùs eam prævalere non ſinit, ſed vexationis injurias victoriæ certitudo compenſat. Neque enim deſperationi locus eſt, ubi cauſam rectitudo commendat, & virtutem patientiæ firmat interim conſcientia veritatis. Cauſæ ſiquidem noſtræ nec ignota veritas eſt, nec incerta juſtitia, ſed res luce clarior, & pravitatis nube negotium purgat, & omni judicium abſolvit errore. XLII.

Si enim perſona perſonæ comparetur, noſtram perfectio ſcientię, & omnium virtutum format integritas, quod non magis noſtræ, quàm adverſariæ quoque partis teſtimonio confirmatur. Alteri verò ſi nobilitas generis, & quæſita ob hoc ipſum potentium gratia ſubtrahatur, non erit unde ad majeſtatis Apoſtolicæ faſtigium audeat aſpirare. Sed & ſi facta electionum invicem conferantur, electionem noſtram omni ordine, omni ſolemnitate, omni denique ratione ſubnixam; alteram plenam impudentia conſtat, & omnis rationis adminiculo deſtitutam. Numquid enim unius Epiſcopi, ipſiuſque quem oſtis, & duorum Cardinalium toti Eccleſiæ præjudicabit auctoritas, & reprobata univerſitate Catholica, intra quaternitatis hujus anguſtias coarctata credetur? Numquid conſecrationi, ritè ac ſolemniter per eam, cujus intereſt, multitudinem celebratæ, ea quæ poſtmodùm per paucas ipſaſque emendicatas manus contracta eſt, poterit prævalere? Numquid impudentiam conjecti ſibi propriis manibus indumenti minax redemptorum ſatellitum violentia conſecrabit? Certum ſiquidem eſt; Octavianum Eccleſiam beati Petri, cùm ibi celebranda foret electio, armatorum copia compleviſſe, ut quod d. ueri-

meritis ſuis, & ſanctorum Patrum gra-
A tia ooo ſperabat, ſtrictis in cervices reſi-
ſtentium gladiis uſurparet.

XLIII. Denique conſenſu omnium in perſonam
ſanctiſſimi Patria Alexandri firmato, dum
ipſe laudabili verecundia renuit & excu-
ſat, impoſitumque ſibi manibus ferè om-
nium pluviale repellit, diſſimulare ulte-
riùs ambitio non potuit vel differre; ſed
effuſa temeritate, oullo adhùc Cardina-
liom, ſicut dicitur, proſequente, cucurrit ad
cathedram, ea oimirùm fiducia, quod in-
vitis armatis oon poſſet ab inermibus a-
moveri. Pari quoque palatium feſtinatione
B coofcendit, ut primua utramque cathedram
videretur inſediſſe, & quem jure oon po-
terat, ſaltem de feſtinatione ſortiretur a-
ſceoſum: quo prędicti tres eum de tota uni-
verſitate ſecuti ſunt. Alii gladiis diſcur-
rentibus territi, cum electo ſuo in muni-
tionem proximam conceſſerunt, ubi eos ad-
verſarius ille novem diebua obſeſſos gla-
diis tenuit & incluſos, exiguam ſicut po-
teraot alimoniam toto illo tempore men-
dicantes. Unde etiam ſibi mentiendi cau-
ſam componit ioiquitaa, aſſerens, Octavia-
num priuſquàm alter eligeretur, per no-
vem diea Apoſtolatus cathedram ſolita-
C rium inſediſae, qnaſi ille ab initio, licèt re-
nuerit, oon ſuiſset electus, uniuaque vio-
lenta poſſeſſio ſanctificare injuſtitiam, &
ambitionia audaciam valeat eapiare.

XLIV. Porrò illi de carcere beneficio Senatus
educti, ad locum, quo Apoſtolica inſignia
ſervabantur. Domino miſerante, perducti
ſunt, ut electio manciparetur effectui, &
Electua gratiam conſecrationis per manum
Oſtienſis Epiſcopi, ad quem hoc jure ſpe-
ciali pertinebat, acciperet. Denique Car-
dinalea, & Epiſcopi, qui per diverſas pro-
vinciaa legationia fungebantur officio, ad
eum pari devotione converſi ſuot: to-
D tique jam Eccleſiæ Dei indubitatæ tran-
quillitatis ſereoitaa arrideret, niſi homo
ille ad præparatum Imperatoris auxilium
transfugiſſet. Verùm ille gloriæ ſuæ, & non
Dei ſedulus æmulator, deſiderii complen-
di, quod de proavorum eaemplo coocepe-
rat, occaſionem lætabundua accepit. Noſtis
enim prædeceſſorea ejua ad ſubjgandam di-
tioni ſuæ Romanam Eccleſiam à longis re-
trò temporibus aſpiraſſe, ipſoſque adversùs
eam ſemper vel ſuſcitaſſe, vel foviſſe ſchiſ-
maticos, quò magis jure ejus, cui ipſi mi-
niſterium debent, affectatum poſſent impe-
rium exercere, eamque ad ſuam converſo
E ordine non diſponere, ſed evertere voluo-
tatem. Benè tamen, qnoniam quiſquis ad
hanc de confidentia poteſtatia illius proru-
pit audaciam, in ruinam ſibi factus eſt, cę-
teris in exemplum, quò confuſa deincepa
ceſſaret elatio, & ſua Eccleſiæ Dei digni-
taa & reverentia ſervaretur. Cæterùm hic
blanda ſchiſmatici deſperaotis humiliatio-
ne ſeductus eſt, dum ille perſonam ſuam
arbitrio ejus eaponit & cauſam, neque ſe
quidquam fore, niſi de ſola ipſius volun-
tate præſumit. Unde & ad pedea ejua ip-
ſa dicitur Apoſtolatus inſignia reſignaſ-

A ſe, poſteàque de manu ipſius inveſtitu-
ram accepiſſe per anulum, ot veteri ſcili-
cèt quæſtione compoſita, regnum planè
de ſacerdotio, de ſpiritualibus tempora-
lia, de Eccleſiaſticis viderentur ſæcula-
ria triumphaſſe. Indignum facinua, om-
nibuaque ſæculis deteſtanda malitia, or-
dinationem ſcilicèt divioam qualibet ce-
meritate convertere, & redemptam ſan-
guine Chriſti perimere libertatem.

Prædictua itaque Prioceps negotiom XLV.
ſuum tamquàm ſob umbra pietatia exer-
cens, Eccleſiaſticum congregavit ſæcula-
ri poteſtate conventum, ut præſumptio-
B nem ſchiſmatici illius proprio roboraret
aſſenſu, & qoos poſſet ad obedientiam il-
lius tyrannicæ poteſtatis terroribus in-
clinaret, ea ſiquidem intentione, ut utri-
uſque gladii virtute comminuta priſtinam
reformet Imperii majeſtatem, & utrioſque
invicem cooperante potentia, omnia re-
gna propriæ ſubiiciat ditioni. Porrò illi,
quoa ſchiſmatico conciliaverat neceſſitaa,
aut voluntas, falſitatia & blaſphemiæ ſym-
bolum conſcripſeruot, ot quod de verita-
te non poſſunt, ſaltem conquiſitæ mul-
titudinia ſuffragio prævalere credantur.
Quod ſcriptum ſi fortè contigerit ad ſa-
C pientiæ veſtræ venire conſpectum, multa
plenum falſitate credatis, licèt etiam, ſi
abſolutam contineret in omnibus verita-
tem, nihil, quod ibi diſpoſitum ſit, ali-
quem de jure ſortiretur effectum. Neque
enim arbitrium dici poteſt, ad quod vo-
luntaria partium compromiſſio non aſtrin-
git; nec judicialia ſententia, quæ nec ab
ordinaria juriſdictione, nec à delegata
procedit. Sed & cauſam communem pri-
vata auctoritate decidere qua arrogantia
præſumpſerunt, nobisqoe tamquàm infe-
rioribus imponere magiſtratum, quos di-
vina bonitas pares ordine, & eadem ſpecta-
D biles conſtituit dignitate? Sed neque cauſa
dici dabet, ubi inter conſentientea nullum
potuit eſſe litigiū, neque ſine cootradictio-
ne quæſtio vel formari potuit, vel abſolvi.

Ad hæc, ſi quod de Octaviano factum XLVI.
eſt, ab ioitio fortè non valuit, ex poſt fa-
cto iſtorom oullo jure valuit confirmari,
cùm ipſe jam ab eo, qui poterat, condem-
nationis ſeotentiam, debitique pœnam ana-
thematia eacepiſſet. Scio ſapientiam veſtrā
validioribua argumeotis, potioribuaque
rationibus abundare, ut Papienſe illud con-
ciliabulum nullios reputetis extitiſſe mo-
menti, & vobia etiam minus intelligeotium
E ſimplicitas valeat edoceri. Benedictus au-
tem pater miſericordiarum, & Deus totius
conſolationia, qui Eccleſiæ Gallicanæ ſo-
litam miſericordiam benigniùa impeodit,
ut eam ſemper & agnitione veritatis illu- Gallicanæ
ſtret, & pedes ejua à juſtitiæ tramite nul- Eccl. laus.
lateoùs aberrare permittat. Sicut enim
omoes, quos ad oppreſſiooem Romanæ
Eccleſiæ rabida Teutonici furoris prove-
xit invidia, virtus Altiſſimi manifeſta de-
jecit ſic omoibus, quos devotio Gallica-
na ſoſcepit, victoriam ſemper contulit &
triumphū. Cùmque multis conſtet, cęteras
regio-

Digitized by Google

regiones abundaſſe portentia: ſola Gallia monſtra non habuit, ſed ſinceritate Fidei, doctrinæ veritate, virtutum quoque titulis, & plurima operum exhibitione præfulſit. Unde nunc quoque perſonarum penitùs qnalitate diſcuſſa, factiſque electionum pleniùa exploratia, in perſonam ſanctiſſimi Patris Alexandri, de verè Catholiei & ſereniſſimi Regia ſui beneplacito convenerunt, litteraſque ejus & Nuntioa paſſim & ſuſcipiunt, & honorant. Sed quia inter ipſum & Principem noſtrum, Deo volente, noviter eſt reformats concordia: placuit ob gratiam ipſius ad momentum differre publicandæ ſuſceptionis edictum, donec iſte noſter Eccleſiam regni ſui conſuluiſſe poſſet, & quod mente concepit, aſſenſua veſtti conniventia confirmaſſe. Neque enim prudentiam regalis excellentiæ decuit aliqnid ſuper tanto negotio, inconſulta veſtra ſapientia, definire, ne gloriam ſuam alteri dediſſe videretur, & reverentiam veſtram minoris, quàm debuit, æſtimaſſe. Quæ tamen ſuper hoc ipſius ab initio voluntas extiterit, multis declaravit indiciis & expreſſit; qnoniam Patris Alexandri Nuntios & litteras cum reverentia ſemper excepit & gratia, nullumque ſe alium ſuſcepturum, adhibita ſæpè coram omnibus aſſeveratione, prædixit.

Concordia inter Reg. Franciæ & Angliæ.

XLVII. Rex Angliæ deteſtatus eſt Octavianũ ſchiſmaticum.

Porrò litteras Octaviani oblatas renuit manu regia, velut immundum aliquid ſordidumque contingere, ſed in contemptum ejus ligneæ tabellæ, quam ipſe de pulvere ſuſtulit, manibus offerentia impoſitas, ipſe ſtatim coram Nuntio poſt dorſum ſuum quàm ſubliminùs potuit, riſu multitudinis, quæ aderat proſequente, projecit. Ex hia igitur manifeſtum eſt, voluntatem ejus in favorem domini Alexandri, ſine omni ambiguitate firmatam, ipſumque veſtram magis ob reverentiam quæſiſſe conſilium, quàm pro abſolvenda qualibet ſuper hoc negotio quæſtione. Solent enim Principes dominique terrarum majora negotia quadam ſemper mora ſuſpendere, ut dilatione creſcat auctoritas, & major lætitia deſideria protracta conſummet. Super quo planè cùm in idem favor Principis veritaſque concurrant; manifeſtè vobis viam reſponſionis gratia divinæ bonitatis aſſignat. Oportet tamen vos propter aliquos, qui inter vos ſunt, ſollicitè providere, qui ſe ſchiſmatico illi dicunt cognatione conjunctoa: ne malignitas fortè prævaleat, & eam quæ ex Deo eſt, ſupplantet carnis affectio charitatem. Sed cùm univerſitas veſtra convenerit, nolite quorumlibet expectare ſententias, nec eorum timeatis offenſam, ſed conceptum ſtatim in virtute ſpiritus uſurpate ſermonem, ne diſſimulatio veſtra pravitati præſtet audaciam, veſtroque ſilentio blaſphemiſrum primitia convaleſcant. Tempeſtivius igitur zelus juſtitiæ per eos veſtrum de libertate conſcientiæ, & confidentis veritatia erumpat, ut quaſi quodam ſpirituali tonitruo terreatur iniquitas, & præparata ad ſubverſionem Fidei fallacia ſuffocetur. Dominus mentes veſtras in bonum ſua pietate dirigat & confirmet, ut Eccleſiæ ejus ſtudio veſtro reformetur integritas, & quæ vos tantis ultrò beneficiis & honore prævenit, gratos in opportunitate ſentiat & fideles.] Hucuſque Arnulphus ad Galliarum Epiſcopoa, egregiam navans operam pro Catholico Antiſtite adversùm ſchiſmaticum invaſorem. Quæ autem hæc ſequuta ſint, dicemus anno ſequenti.

Inter alios Galliarum Epiſcopos, qui electionem Alexandri Pontificia provexerunt, & protexerunt, fuit præcipuus Uvillemus Archiepiſcopus Senonenſia, ad quem iſta Petrus Bleſenſis: (a)

a Petr. Bleſenſ. ep. 28.

Vos enim eſtis, in cujua conſilio & auxilio potiſſimam ſuæ ſalutis anchoram navicula beati Petri conſtituit, cùm inter ſchiſmaticæ perſecutionia fluctus periculoſiùs æſtuaret. Vobis contulit Deus in pueritia ſuper ſenea intelligere, & futuram naturæ canitiem maturiore morum ſenio prævenire. Fluxos adoleſcentiæ motus in vobis ratio magiſtra cohibuit, ut omni laſciviæ libertate præciſa, nec forma, nec nobilitas, nec opum exuberantia, nec poteſtas, nec cetera, quibus pudicitia expugnatur, propoſitum intervertcrent caſtitatis, ſed modeſta in omnibus converſatio plus Angeli, quàm hominis exhiberet. Cæteras virtutes, quibus miraculosè fulgetis, ſub ſilentio præterimus: nec enim noſtra præconia mendicat is, cujus honeſtatem, & prudentiam ſama celebris latiſſimè promulgavit.] Hæc de Vvillelmo Petrua (b) cujua teſtificatione conſtat, de Senonenſi translatum ad Rhemenſem Eccleſiam, ubi pro ſancto Thoma Cantuarienſi Archiepiſcopo ſtrenuè egit. Tales erant, qui pro Alexandro adversùs ſchiſmaticoa inire certamen.

b Id. ep. 122.

XLVIII. De ignominioſo ſilentio Cardin. Papien. in conciliabulo ſchiſm.

Cæterùm ne quid prætermittatur, ſpectat & ad ipſum, de quo hoc anno agitur conciliabulum Papienſe, quod Vvillemua ſancti Petri ad Vincula presbyter Cardinalia, Papienſia dictus, quòd Papiæ natus eſſet, neſcimus qua occaſione, Papiæ erat apud ſuoa, dum ejuſmodi agitaretur conventiculum ſchiſmaticorum. Qui cùm non (ut par erat) Imperatori in faciem reſtitiſſet, nec Epiſcopis illùc confluentibus adverſatus eſſet, ſed tacuiſſet omninò: non caruit ſuſpicione tacitæ conniventiæ, ob idque etiam ingentem infamiæ notam contraxit: quæ tunc refricata eſt, cùm petente Henrico Anglorum Rege, idem Cardinalia Papienſia Legatus miſſus eſt ab Alexandro Papa in cauſa ſancti Thomæ Archiepiſcopi Cantuarienſis, qui eum ejuſmodi notatum infamia habere judicem penitùs recuſavit: in quem & iſta de ipſius tanta ignominiæ nota reſperſo ſilentio, ad Conradum Archiepiſcopum Moguntinum habet poſt multa, in hominis deteſtationem ſumma animi amaritudine inculcata: (c Res nefanda & nimia ſui crudelitate horribilis, ſui maligni-

c Lib. 5. ep. 21. Cod. Vatic.

Digitized by Google

gnitate odibilis, ſui facilitate contemptibilis, ſui iniquitate damnabilis in æternum. Sufficere debuerat Papienſi, Italiam ſubvertiſſe, niſi & Orbem cum Eccleſiæ libertate ſua cura perimeret, &c.] His junge quod habet & Joannes Saresberienſis ad Joannem Pictavenſem Epiſcopum:

a *Joan. Saresb. ep. 26. ead. l. at.*

(*a*) De Vvillelmo Papienſe quod ab initio creditum eſt, nunc clariùs elucеſcit: quia quàm magnanimus, quàm fidelis in cauſa Eccleſiæ Romanæ coram Friderico Papiæ inventus eſt: talis & tantus in cauſa Eccleſiæ Anglicanæ (ſi licitum fuerit) inveniretur, præſidente, vel aſſentiente Henrico.] Et rursùs idem ad eumdem:

b *Joan. Saresb. l. 2. ep. 48.*

(*b*) Et quidem de altero, *Legatorum ſcilicèt*, nemo miratur, cujus fides ad Deum & Eccleſiam ab ea die innotuiſse debuit, qua in hæreticorum Concilio Papienſi, ubi Octavianus hæreſiarcha receptus eſt, Friderico mutus aſſedit. Et ſi plures opinentur, eum expreſſum dediſſe conſenſum. Nonnè proverbialiter tritum eſt, quòd taciturnitas imitatur conceſſionem?] Et paulò pòſt: Cęterùm Francorum proverbio in ipſum inditur: Quia malè corporis cooperimenta coaptat, cujus verenda & nates patent.] Et de eodem idem Joannes Saresberiẽſis ad Alexandrum Papam: (*c*) Non creditur à prudentioribus alterutrius regni, quòd ille quem Rex à ſanctitate veſtra petivit ex nomine, modò ſit aut fide purior, aut charitate ferventior, aut virtute conſtantior, quàm fuerit Papiæ inter amicos, & cognatos, & notos, ubi ſiluit, videns ab hæreticis, qui convenerant, cauſam Fidei condemnari, & Apoſtolicæ ſedi graviſſimum de ſchiſmaticorum conſenſu roborato ſubinferri diſpendium.] Hactenùs ipſe.

c *Id. ep. 98.*

En vides, Lector, quàm deteſtabile & opprobrioſum in Cardinali S. R. E. ſilentium habeatur, dum aliquod inferri Eccleſiæ damnum videt & tacet, ut audiſti de Cardinali Papienſe Vvillemo, qui cùm eſſet vir eloquentiſſimus, tunc laboraſſe creditus eſt angina Demoſthenis. Declamavit autem poſteà, ubi nullus metus urgeret. Sed de his anno ſequenti.

1. Legatio ex Anglia ad Alex. Pap.

ANnus ſalutis incipit milleſimus centeſimus ſexageſimusprimus, Indict. nona, quod & Alexandri Papæ annus ſecundus abſolvitur menſe Septembris, & tertius inchoatur: cùm Alexander Papa legationem accepit ex Anglia pro canonizatione Eduardi Regis Anglorum, jam elapſis centum fermè annis ab obitu ejus. Qui exactiſſimè indagatis, quæ ad ſolemnem ſpectarent ritum inter Sanctos receptionis: permotus ejus vitæ ſanctitate, accedentibus multiplicibus ab eo editis vivente & poſt mortem miraculis, ſecundùm antiquum Romanæ Eccleſiæ uſum, ipſum retulit in album Sanctorum; proque his Apoſtolicas litteras dedit iſtis verbis: (*d*)

d *Extat in Append. ad vit. S. Eduardi Sur. tom. 3.*

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus Archiepiſcopis, Epiſcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & aliis Eccleſiarum Prælatis per Angliam conſtitutis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Canonizatio S. Eduardi Regis Angl.

Illius devotionis conſtantiam & fidei firmitatem, quam circa matrem veſtram ſacroſanctam Romanam Eccleſiam exhibetis, diligentiùs attendentes; in id propoſitum voluntatis adducimur, ut vos ſicut chariſſimos fratres, & ſpeciales Eccleſiæ filios ſincera charitate in Domino diligamus, propenſiùs honoremus, & poſtulationes veſtras, quantum cum Deo poſſumus, libenti animo admittamus. Inde utique fuit; quòd ſuper petitione, quam de Eduardo glorioſo quondam Rege Anglorum canonizando, & in Sanctorum cathalogo adſcribendo tàm chariſſimus in Chriſto filius noſter Henricus illuſtris Anglorum Rex, quàm vos ipſi nobis inſtantiùs porrexiſtis, ſollicitam cum fratribus noſtris deliberationem habentes, libro miraculorum inſpecto, quæ, dum in carne mortali viveret, & poſtquàm de præſenti ſæculo eſt aſſumptus, omnipotens Dominus per ſuam miſericordiam declaravit: viſis etiam litteris anteceſſoris noſtris piæ memoriæ Innocentii Papæ, veſtris quoque teſtimoniis inde receptis: quamvis negotium arduum & ſublime non frequenter ſoleat niſi in ſolemnibus Conciliis de more concedi; de communi tamen fratrum noſtrorum conſilio, juxta votum & deſiderium prædicti filii noſtri Regis, ac veſtrum, corpus ipſius Confeſſoris ita glorificandum cenſuimus, & debitis præconiis adorandum in terris, ſicut eumdem Confeſſorem Dominus per ſuam gratiam glorificavit in cœlis. Unde videlicèt inter ſanctos Confeſſores de cætero numeretur, quod hoc ipſum apud Deum ſignis meruit ac virtutibus obtinere. Quia igitur decet honeſtatis veſtræ prudentiam eum piè colere, & toto ſtudio venerari, quem auctoritate Apoſtolica venerandum veſtra poſtulavit devotio, & colendum: univerſitatem veſtram per Apoſtolica ſcripta monemus & exhortamur in Domino, quatenùs eum ita deinceps ſtudeatis debitis obſequiis honorare, ut ipſius interceſſionibus apud diſtrictum Judicem mereamini veniam obtinere, & glorioſum in æterna beatitudine præmium invenire. Datum Anagniæ ſeptimo Idus Februarii.] Hoc videlicèt anno. Quod inde colligitur, quòd cùm auctor inferiùs dicat poſt biennium peractam eſſe ejuſdem Sancti translatio-

Canonizationes eſſe ſolere infrequẽtes.

lationem & aſſerat eam fieri contigiſſe tertio Idus Octobris, anno Redemptoris milleſimo centeſimo ſexageſimotertio, anno ejuſdem Alexandri Papæ quarto inchoato: utique hoc anno præceſſiſſe dictam canonizationem, opus ſit affirmare, qua ſui benè conſecravis exordia Pontificatus.

a *Iſai* 62.

Ecce ſecundùm illud Iſaiæ: (*a*) Dominus auditum faciet ab extremis terræ,] verbum veritatis, ſancto Spiritu illud inſonante. (*b*) Audite inſulæ, & attendite populi de longè, Dominus vocavit me:] Hoc recepit audiens nontium Rex Anglorum cum univerſa Eccleſia Anglicana, ſpernenſque Legatos Antipapæ & Imperatoris, Legatos ipſe miſit ad Alexandrum, quem colebat unicum Chriſti Vicariom, & tamquàm à Chriſto petiit, ut quem ille inter ſanctos recepiſſet in cœlô, Eduardum colendum in terris, Apoſtolicis litteris promulgaret. Petiit & accepit, & tamquàm redivivus Rex ſanctiſſimus virtute miraculorum prædicat Alexandrum Catholicum in Eccleſia Papam. Quod accidit admirandum, dum qui longè erant politi, confitebantur conſtanter & profitebantur, qui prope in meditullio Urbis, locisque propinquis, fluctuabant, agitari potentia Imperatoris. Ad quos conſolidandos in Catholica unitate Alexander magnum illum Petrum Tarentaſiæ Archiepiſcopum, de quo anno ſuperiori dictum eſt, Romam accerſit. Quid autem per eum actum, accipe ex Gaufredo, qui priùs quæ contigere paulò ante diſceſſum, ad hæc ſpectantia ita narrat: (*c*)

b *Ibid.*
Eccl. Angl. prima omnium recipit Alex. Pap.

Alex. Pap. vocat Roma S. Petrum Archiep. Tarent.

b *Gaufr. in vita ipſius cap.* 25. 26. *apud Sur. tom.* 3. *die* 8. *Maji.*

II.

Extat in diœceſi Chryſopolitana cœnobium, quod Bethania nominatur. Illò venturum Tarentaſienſem Archiepiſcopum Herbertus *Chryſopolitanus intruſus & ſchiſmaticus Epiſcopus* audiens, præmiſit, nuntians eadem die ſeſe venturum. Expavit Abbas, & cum multa anxietate in occurſum properaos viri ſancti, ignorare ſeſe quid ageret cauſabatur. Cui ille: Angulus, ait, nobis quantuluſcumque ſufficiet, ne turberis. Verumtamen divina pro ea ultio militavit, & ægritudine occupatus apoſtata, quod diſpoſuerat, non implevit. Exinde vir beatus ad Imperatorem acceſſit, in civitate Chryſopoli conſtitutum; ubi etiam ab oppreſſione Catholicorum, maximè Religioſorum, quantum potuit, ejus animum revocavit, Regis iram rugitui ſimilem leonino, monitis ſimul & interceſſione compeſcens. Convenit autem ſolita devotione populus civitatis ad eum, & innumera etiam de vicinis locis undique multitudo confluxit. Quibus inter cætera de prædicto *Herberto* hæretico verbum faciens, nec ipſius malitiam veritus, nec præſentiam Imperatoris, per quem erat intruſus; orationem indixit omnibus generaliter, ut manus Domini accelerarct ab illius tyrannide Eccleſiam liberare, vel mutando hominem, vel mulctando, ut converteretur ad pœnitentiam, vel de

S. Petrus Archiep. Tarent. exagitat ſchiſma.

A medio tolleretur. Oratum eſt, & infra quatuor aut quinque dies miſeram idem ſchiſmaticus animam exhalavit. Accidit tamen, ut *idem Herbertus* intercà viſitatus à reverendo Bellevallenſi Abbate, ad primum gratulari videretur adventum: convcotus autem de confeſſione peccatorum, & admonitus de pœnitentia, pugillum ſtrinxit, & applicans ori, buccinabat in eó. Poſt modicum vero deponens manum quam ſtrinxerat, ore canebat. Erubuit Abbas, quòd non poſſet aliud obtinere reſponſum, & agnoſcens judicium Dei, non ſine multa confuſione re-
B ceſſit. Necdum vir ſanctus de civitate exierat: & jam in plauſtro boum Herberti cadaver efferebatur infauſtum, clamante populo, & dicente: Benedictus Deus, qui tradidit impium.] Pergit Gaufredus de ejus in Urbem profectione:

Hereberti ſchiſmatici interitus.

Idem quoque vir ſanctus à Catholico Papa reverendiſſimo Alexandro Tertio accerſitus, per Italiam & Tuſciam magnificè conſolabatur Catholicos, & ſchiſmaticorum facies ignominia & confuſione replebat, cùm in ipſis urbibus, ubi pſeudoepiſcopi præſidebant, palàm & publicè eamdem hæreſim condemnaret,
C univerſo populo devotiſſimis illum obſequiis proſequente; immò etiam Domino ſignis variis ſermonem confirmante. Nec perſonæ alterius ſummos Pontifex tantum honorem exhibuit, nec Romana Eccleſia eo tempore Epiſcoporum aliquem ſic admirata eſt, ſic reverita, ſic amplexa. Soli reſpiciebant ad manus ejus, ut munera conſequerentur egeni: nam ſpiritalis gratiam muneris omnes pariter affectabant. Et quemadmodùm multo tempore per Burgundiam & Lotharingiam actitarat, per regiones Italiæ, Tuſciæ, & Campaniæ in adventu, in ſtatu, in reditu ſuo cele-
D berrimæ ſanctitatis ejus auctoritas in conſcientiis propriis coram Deo fiduciam maximam, coram hominibus reverentiam & conſtantiam præbens Catholicis, ſchiſmaticos nihilominùs confundebat intus & foris. Auſus eſt tamen quidam tyrannus perſequi redeuntem, perſonam ejus injuriis afficere cogitans, vel de equitaturis circiter quinque, vel de ſupellectili tenuiſſimam facere prædam. Cujus inter currendum ruit equus in præceps, & fracto crure ſolo decobuit. Expavit homo, & in ſe rediens, gratias egit pro damnatione quam meruit, damno ſeſe potiùs
E eſſe mulctatum, non minori devotione procedens ad proſequendum & obſequendum, quàm furore priùs ad perſequendum fuarat animatus. Secutus denique & tunc primùm conſecutus eſt, pedibus ejus advolvitur, humiliter ſatisfacit: nec ſatis illi quidquid facit, miſericordiæ ejus tribuens, quòd pro ſeſſore equus occubuit, &c.] Subiicit de pluribus miraculis, per virum ſanctiſſimum editis, quæ omnia teſtimonia haud dubia fuerunt unitatis Catholicæ cum Deo in cœlis, & cum Alexandro Papa in terris.

III.
S. Petrus Archiep. Tarent. Romam proficiſcitur.

Tyrannus ſuo damno Sanctū inſequitur.

Piæ-

IV.

a Apud Sur. to. 3. die 26. Junii.

Carthuſiani & Ciſtercienſes laborant pro Alex. Pap.

Præter hæc antem, quæ ab eodem Petro pro Catholico Pontifice Alexandro naviter gerebantue; adbùc in opus adeò gratnm Deo indeſeſſo ſtudio incumbebant Carthuſiani atque Ciſtercienſes monschi, de quibus in rebus geſtis ſancti Anthelmi Epiſcopi Bellicenſis ab auctore ejus temporis iſta ſcribuntur: (*a*) Ordo Carthuſianus primus ante omnes in Eccleſia Occidentali, quemadmodùm ſatis conſtat, Alexandrum pro Catholico & vero Pontifice habendum, eique præſtandam obedientiam, confirmavit. Ecquis autem ejus rei auctor fuit? Nimirùm Anthelmus, & cum eo Ganſredus, ſapiens & egregia B facundia vir, atque in divinis Scripturis eruditiſſimus. Horum ſtudio labore & opera effectum eſt, ut diu nutantes confirmati Prinres, ceterique Carthuſiani inſtituti Fratres Pontifici Alexandro obedientiam promitterent. Atque ii ipſi permultos Eccleſiaſtici ordines Prælatos, & ſubditos illorum in ſchiſma propendentes, aut nutabundos & dubios, ab errore revocarunt, & in ſana ſententia confirmarunt, Alexandrum Catholicum probantes, Octavianum reprobum reprobautes, reum condemnantes, & ſchiſmaticnm cum C ejus fautoribus execrantes. Imperator igitur, qni non niſi ſua voluntate & auctoritate Pontificem creari volebat, cujus adminiſter erat non dominus: iſtud de Anthelmo reſcivit, veræque Fidei cultorem & defenſorem non ſolùm odio habuit, ſed etiam condemnavit, cùm illi ua nec maledicere eiſet nec benedicere. Interim verò præeuntibus Carthuſianis ac Ciſtercienſibus, Alexander Pontifex à Gallis, Hiſpanis, Britannis brevi receptus eſt. Quæ quidem inter cætera nos referre voluimus, ut perſpicuum fieret, quanto animi fervore juſtitiam & veritatem D æmulatus ſit Chriſti ſervus Anthelmus, Deusque laudetur & glorificetur, qui Sanctos ſuos adjuvando, claros & celebres reddit.] Hæc de propagatione Catholicæ communionis Antiſtitis Alexandri, ubique terrarum cum Chriſti fidelibus viri ſancti opera procurata.

V.

Alex. Pap. accedit ad Urbem & recedit.

At quod ad res Urbanas ſpectat, hoc anno Alexander Papa reverſus eſt Romam; ſed quòd Octavianus generis nobilitate polleret, & affinium potentia fortior appareret, haud diuturnæ quietis potuit eſſe ibidem commoratio, cùm præſertim vigerent in ea partes Imperatoris, ea de E cauſa de Romanis ipſi benè mereri omni ſtudio ſatagentis. Quomodò autem hoc anno idem Pontifex ubi ſe Romam contulit, inde recedens Gallias cogitarit, ejuſdem vitæ Acta ſic docent: In ſecundo ſui Pontificatus anno Alexander Papa ad Urbem reverſus eſt, ubi Eccleſiam ſanctæ Mariæ Novæ, auctore Domino, ſolemniter dedicavit. Quòd verò diutiùs ibidem propter ſchiſmaticorum ſeditionem quietè non potuit remanere; precibus Romani populi victus ad partes Campaniæ remeavit. Et quoniam Imperialis

A perſecutio adversùs Eccleſiam circa Urbem in tantum excreverat, quòd omne patrimonium beati Petri, præter civitatem Urbevetanam, Tarracinam, Anagniam, atque munitionem Caſtri ab Aquapendente uſque ad Ceperanum per Teutonicos & ſchiſmaticos violenter occupatum fuerat, & detentum: conſilium habuit cum Eccleſiæ fidelibus, ut ad partes Galliæ cum fratribus ſuis per mare tranſitum faceret.

VI.

Naufragium abſque jactura hominum vel bonorum.

Ordinato itaque in Urbe Vicario domino Julio Præneſtino Epiſcopo, & diſpoſitis aliis, quæ videbantur Eccleſiæ B neceſſaria, intraturus mare cum fratribus ſuis, Tarracinam perrexit. Ubi invenit quatuor galeas Regis Siciliæ optimè præparatas, quas illùc ad ejus ſervitium deſtinaverat. In quibus domeſtica familia Pontificis, & fratrum ſuorùm cum ſarcinis neceſſariis vix intraverat, cùm validus ventus ſubitò irruit, & mare quietum in validam tempeſtatem convertit, ipſaſque naves inter undarum procellas & turbines conquaſſatas ad ſua litoris impulit; ibique abſque morte hominum & aliarum rerum damno ſunt diſſolutæ, & omninò confractæ.] Non enim illic portus erat, C ſed ſtatio tantùm malè fida carinis. Etſi Paulo orante in naufragio (quod factum eſt prope Melitam inſulam) nullus omninò periit hominum navigantium: liberaliorem tamen expertus eſt Alexander Petri perſonam gerens, clementiam Dei, ut non hominum tantùm, ſed nec in ſarcinia aliquod diſpendium pateretur. Quomodò autem extremis diebus menſis Decembris navim ipſe conſcendens in Galliam navigarit, dicturi ſumus anno ſequenti, quo appulſus ejus in Galliam contigit.

VII.

Rex Siciliæ & Alex. Pap. amici.

Audiſti, Lector, propenſum ſtudium D Vvillelmi Siciliæ Regis erga Alexandrum Romanum Pontificem, & quidem, etſi ceterùm malus, probus in hoc & providus, ut fœdere ſibi jungeret Alexandrum; quem niſi habuiſſet amantem, Majonis tyrannide involutus facilè regni diſpendium paſſus eſſet. Nam audi Hugonem Falcandum iſta, quæ præſens videbat, ſcribentem: Alii quoque nihilominùs aſſerebant, Notarium Matthæum, Majonis familiarem, Alexandro Papæ, qui tunc Romanæ præſidebat Eccleſiæ, multam pecuniam detuliſſe, idque ope & conſilio Joannis Neapolitani, qui unus E erat Cardinalium, impetraſſe, ut amoto Rege Siciliæ, Ammiratus in ejus locum ſuccederet, ad exemplum cujuſdam Regis Francorum, cui depoſito, eò quòd inutilis videretur, Romanus Pontifex Pipinum Caroli patrem ſubſtituit:] At etſi hæc per Joannem tentata fuerint, Alexandrum haud in id induci potuiſſe, ſignificarunt eventa. Siquidem ambo ſimul ſeſe mutuis benevolentiæ officiia frequentarunt ad obitum uſque, ut quæ dicturi ſumus, oſtendent. Sed Alexandri reliqua proſequamur.

Iturus

Legatio præmiſſa ad Reges pro pace.

Iturus in Gallias Alexander Papa, quòd audiſſet eas provincias rursùm perturbari cœptas bellorum tumultibus inter Ludovicum Francorum & Henricum Angliæ Reges: magnum virum præcurſorem miſit ſanctum Petrum Archiepiſcopum Tarentaſiæ, de quo ſuperiùs dictum, per quem feliciter tàm arduum negotium confectum eſt. De quo Robertus in Appendice ad Sigebertum hæc habet: *Hoc eodem anno*, Majo menſe pax facta eſt inter Reges Henricum Angliæ & Ludovicum Franciæ, renovatis prioribus pactis, & confirmatis & pacificatis, quæ partes utrorumque adjuverunt.] Hæc ipſe. Sed quòd maximum bonum ex pace iſta ſit ſubſecutum, idem auctor hoc item anno paulò inferiùs narrat; nempè ab utroque Rège ſeorſum unoquoque in ſua provincia collectos Epiſcopos, Synodos habitas, in quibus ſingulis uno ſpiritu eademque ſententia Alexander Papa eſt cognitus atque probatus ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus, damnatus verò Octavianus invaſor: ait enim: Menſe Julio Henricus Rex Anglorum congregavit omnes Epiſcopos Northmanniæ, & Abbates, & Barones apud Novum mercatum. Et Ludovicus Rex Francorum adunavit ſuos Bellovaci, & ibi tractatum eſt de receptione Papæ Alexandri, & refutatione Victoris; & conſenſerunt Alexandro, reprobato Victore.] Hæc ibi Robertus, duo Concilia ſub duobus Regibus celebrata breviter ita perſtringens. Quæ quidem opera ſancti Petri Archiepiſcopi procurata fuiſſe legatione fungentis, haud dubium eſſe poteſt, quòd ejus muneris eſſet iſta præſtare.

Duo concilia ſub duobus Regibus celebrata pro Alex. Pap.

VIII. Ut autem de veritate tantæ rei Epiſcopi Franciæ atque Angliæ vocati ad Synodum pleniorem poſſent cognoſcere, atque decernere, opera amborum Regum Franciæ & Angliæ factum eſt, ut ab utraque parte legationes adeſſent, quarum unaquæque pro cauſa quam ageret, peroraret. Quinam miſſi fuerint Legati ſive ab Alexandro, ſive à Victore, Vvillelmus Neubrigenſis ita deſcribit, ab exordio rem aggrediens: Illuſtres quoque Francorum & Anglorum Reges modis omnibus ſollicitare curavit *Fridericus videlicèt Imperator*, ut ad perpetuandam amicitiam mutuam, ſibi in hac parte concordes exiſterent, in acceptando videlicèt Octaviano in Romanum Pontificem, exploſo penitùs Alexandro. Illi verò inflexi, ſententia cautè ſuſpenſa, donec rei tàm ſcrupuloſæ penitùs veritatem agnoſcerent; celebrem & ipſi ex utroque regno Epiſcoporum & nobilium loco & tempore congruo conventum fecerunt. Aderant à parte Octaviani duo principales ejus complices, qui ejus fuerant electores, ſchiſmatiſque auctores, Guido ſcilicèt Cremenſis, & Joannes de ſancto Martino Cardinalis: nam Igmarus Tuſculanus Epiſcopus manus illi execrationis auſus imponere, jam vitaverat hominem. Aderant & à parte domini Alexandri tres Cardinales, ſcilicèt Henricus Piſanus,

Fruſtrà tētat Imper. Reges Franc. & Angliæ.

titulo hic erat presbyter Cardinalis ſanctorum Nerei & Achillei, Joannes Neapolitanus, Vvillelmus Papienſis, *pariter ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales*. Surgens ergò ille Cremenſis in conſpectu Regum & Præſulum, coram univerſa quæ convenerat multitudine Cleri & populi, pro parte ſua, & contra adverſam totis ingenii atque facundiæ viribus allegavit. Qui cùm peroraſſet, ſurgens Vvillelmus Papienſis vir eloquentiſſimus, perſpicuis orationibus objecta eliſit, & ferè quidquid ille pro ſe dixerat, in ipſum ita retorſit, ut propriis irretitus captuſque ſermonibus videret. Denique in illo altercationis mutuæ quaſi duello totius ita negotii veritas claruit, ut neuter ulteriùs Princeps cunctaretur, repudiata parte Octaviani, Dominum Alexandrum recipere, & eum regnis ſibi ſubditis ei de cætero in iis, quæ Dei ſunt, tamquàm Patri parere. Prænominatis ergò ſchiſmaticis cum confuſione & dedecore diſcedentibus, Principes & pontifices noſtri, lata ſolemniter in ſchiſmaticos excommunicationis ſententia, ſolverunt conventum. Interim dominus Papa Alexander in terra Regis Siciliæ, cujus fideli favore fruebatur, tutus conſiſtens, opportunitatem tranſeundi in Gallias præſtolabatur, parebatque ei in his quæ ad curam ſpectant paſtoralem, totus Orbis Latinus, exceptis provinciis Alemanniæ ditionis; Imperator enim ex privata ſimultate ſemel in reprobum ſenſum datus, & vel à ratione vinci, indecorum Imperatoriæ reputans majeſtati, multo tempore diſtulit palmam dare perſpicuæ veritati.] Hactenùs Neubrigenſis. His viſis, aſſectemur veſtigia Legati Sedis Apoſtolicæ Petri Archiepiſcopi Tarentaſiæ, quem miſſum vidimus ab Alexandro Papa in Gallias, quò ipſe venturus eſſet, præcurſorem, quomodò ſecundum Apoſtolum non fuerit (*a*) in ſermone tantùm, ſed in virtute in Spiritu ſancto, & in plenitudine multa:] in oſtenſione ſignorum videlicèt. Accipe iſta à Gaufredo Abbate, qui quæ vidit, ſcripſit, & quæ audivit à viris fide probatis, monimentis conſignata reliquit: (*b*)

Cœpit ergò *Petrus* cum viris perfectioribus ſpiritualis collationis habere tractatum, utilius fore exiſtimans, pauculos quos habebat equos, venundari, & pretium dari pauperibus, ut pedes gradiens, quod conſumere illi cum ſuis cuſtodibus conſueverant, miſericordiæ magis operibus deputaret. Feciſſetque voto ſatis, niſi ſuggeſtio rationabilis, & confeſtim occurrens neceſſitas obſtitiſſet. Siquidem perſuaſum eſt ei, in ſua quidem provincia id obſervari poſſe; ſed excipiendum ab ejuſmodi profeſſione propoſiti, ut ſolitò uteretur animalium vehiculo, ſi remotas adire provincias procauſa inevitabili cogeretur. Nec ſine divino nutu exceptionem ejuſmodi ſacro Præſuli perſuaſiſſe videtur vir eximius, & inter amicos chariſſimus, tunc Altætumbæ, poſtmodùm Clarævallis Abbas Henricus, nunc Albanenſis Epiſcopus,

a 1. Theſſ. 1.

b Apud Sur. tom. 3. die 8. Maii ibi c. 34. 35. 36. 37. 38. 39.

Digitized by Google

inter inſignes columnas Romanæ Eccleſiæ loco celebri conſtitutus. Adhùc enim ſermo manebat in ejuſmodi deliberationis ambiguitate ſuſpenſus: & ecce Nuntius domini Papæ, ecce litteræ, ecce mandatum, ut ad Reges Francorum & Anglorum ſibi reconciliandos ſub quanta poterit acceleratione feſtinet; ex quorum inimicitiis Eccleſiarum deſtructio, depopulatio regionum, & innumerabilium ſtrages hominum procedebat. Nec videbatur aliud præſtolandum, quàm quod dicitur: (a) Fortis impegit in fortem, & ambo pariter corruerunt. Hujus neceſſitatis intuitus, & Apoſtolicæ auctoritatis reverentia, cui in omnibus & per omnia ſemper obtemperavit, Præſulem ſanctum deſcendere fecit in Gallias.

S. Petrus mittitur ad Reges Legatus.

a Jerem. 46.

X. Ingreſſus itaque monaſterium Senonenſis diœceſis, quod Pruliacum dicitur, & in eo circa ſpacium menſis unius infirmitate detentus, plurima tamen ægrotis beneficia præſtitit ſanitatum. Et cùm maximus undique & ubique ad eum concurſus fieret populorum: Nolite, ait Sanctus ad Fratres, de victualium diſtributione moveri, dabit Dominus horreis veſtris benedictionem, ut cognoſcatis ejus virtutem, qui pro beneplacito ſuo multiplicat, quæ pro ſui nominis gloria erogantur. Sic audiſſe, ſic credidiſſe, ſic experimento tùm probaſſe ſeſe teſtati ſunt, per quorum manus conficiebantur panes, & diſtribuebantur: ut cùm vix viderentur duplicati poſſe ſufficere, minor ſolito numerus abundaret. Semel ſiquidem in hebdomade minus coquebant in clibano, quàm cæteris menſibus antè ſolebant.

S. Petrus multiplicat panes.

Miles quidam regionis illius, impetrandæ benedictionis obtentu, & ſignorum gratia ad hominem Dei multos concurrere videns: compaſſus filio non videnti, optat ut ejus ſuffragantibus meritis videns fiat ex cæco, qui ſuis, ut verebatur, promerentibus culpis cæcus factus eſt eo vidente. Cæcum itaque filium extulit domo ſua, ſed Pruliacenſi cœnobio intulit jam videntem. Obvius enim factus eſt vir fidelis eunti, panem referens à beato Præſule benedictum. Nec moras tulit, magnanimus factus in fide, ſed de mica panis collyrium novum conficiens, oculos filii cum divini nominis, & ejuſdem Præſulis invocatione linivit. Cooperantibus ergò ſibi virtute fidei, & benedictionis effectu, ad unctionem primam ſacri collyrii aperti ſunt oculi ejus, & vidit, & gaviſus eſt ſe videre. Sic gratulabundus illuminatum filium pater oſtendit, quem ſperavit illuminandum fore: & qui veniebat oblaturus preces, exhibiturus pervenit gratiarum potiùs actiones.

Cæcus illuminatur.

XI. Corbolium dicitur oppidum Regis Franciæ, quod Sequana fluvius alluit, in Pariſiacenſi diœceſi conſtitutum. Hujus præpoſito grandis erat non modò gratia apud dominum ſuum, ſed & in palatio locus. Quem in occurſum Præſulis ſancti mittere ſtuduit Rex devotus, præcipiens

A non modò humanitatis officia, ſed debitam reverentiam à ſuis omnibus ei in locis omnibus, quantum pateretur, impendi. Sic in oppido ſupradicto humilis ſervus Chriſti de mandato Regis in regia domo ſuſcipitur. Nec poterat uſpiam licèt debili, præ multitudine concurrentium, neceſſaria requies exhiberi. Erat autem ſpiritus fortis, ſpiritus promptus in infirma carne & ætate jam pigra. Eidem ſanè præpoſito erat clauda à nativitate filia jam quinquennis, ſicut apparuiſſe videtur, ſic nata fuerat ad gloriam Dei, & ſervi fidelis honorem. Cujus ſacris oblata veſtigiis, poſt
B orationem & manus impoſitionem erecta eſt, & novos faciens egreſſus, pedibus ſuis ambulavit, pro ætate magnificans Deum, & ſuo gratias referens erectori. Sic devotos hoſpites exhilaravit dupliciter hoſpes bonus: nec modò ſubiit admiratio pro virtute, ſed familiarius gaudium pro perſona.

Clauda nativitate ſanatur.

XII. Tranſeamus Pariſienſium vota permaxima, concurſus intolerabiles, & moleſtos, qui exhibebantur, honores: expectant Reges, expectant Principes, multitudo incredibilis præſtolatur pro verbo pacis, & adventu tanti Præſulis, juxta Calvum montem in con-
C finio Franciæ & Northmanniæ congregata. In cujus occurſum non tàm currit quàm advolat Rex Anglorum, & ad conſpectum longiùs poſiti equo deſilit, immò ruit, amplectitur pedes, cappam detrahit undique laceratam, undique decurtatam. Nec particulas tollit, ut cæteri conſueverant, quamvis ægrè ferret Antiſtes. In hoc ſolo nil ſua ſibi auctoritas poterat ſuffragari, nil prohibitio, nil indignationis oſtenſio, nil intentatio maledicti. Cauſari Patres, qui ſimul venerant (ſiquidem animum Regis exploratum ire volebant) inter regias gazas ſemicinctis quid facient vetuſtis? Quibus ille
D tale dedit non ſine multorum atteſtatione reſponſum: Aliter vobis loquendum fuerat, ſi ſciretis de ipſius cingulo, quod præteritis annis accepi, quanta ægrotantibus remedia, quanta provenerint beneficia ſanitatum.

Rex Anglorum mirificè coluit S. virum.

XIII. Circa eadem loca conſederat Archiepiſcopus cum perſonis magnis, habens de reformanda pace tractatum: & ecce vidua pauper ſuum magis & filiæ ſuæ incommodum ſentiens, quàm Regum inimicitias, vel pericula reputans regionum, increpantibus aliis, aliis prohibentibus irruit, mutam à nativitate filiam ſecum trahens. Nec in tanta frequentia perſonam humilem Ar-
E chiepiſcopus aſpernatur, non altum ſapiens, nec in alto. Inclinatur ad ſupplicem, & oratione præmiſſa, infuſum proprio ſputo pollicem mittit in os puellæ, linguæ ejus & labiis imprimens ſignum Crucis. Sic præcipiente eo, verba quæcumque prædiceret, poſt eum ſimiliter reſonabat: ſic deinceps eſt locuta, ſic loquens reddita matri ſuæ. Nec mora vicissitudinem redhibens alteri filius, claudam attulit in aſello. Cujus ille renes, & debiles membra conſignans, in partem ſecedere fecit, & divinam miſericordiam præſtolari. Poſt

Muta curatur.

pau-

Clanda ſanatur.

pаululum filio ſuadente ut aſcenderet aſinum & rediret: Mina, ait, potiùs, mina aſinum & præcede. Sic præceſſit ille, & ſanata illa ſecuta eſt, multis eum multa admiratione proſequentibus eam.

XIV. Altera die cum Rege Francorum Ludovico, & Anglorum juniori Rege, & Flandrenſi Comite, multis undique circumſtantibus, ſuper eodem negotio, pro quo venerat, familiariter conferebat. Interim mater filii jam duodennis, ſed ab annis ſeptem eadem mater cæci ad cuneum illum cum filio ſupplex & gemebunda pervenit. Videns autem vir ſanctus, quòd à miniſtria Regum miſeræ mulierculæ negaretur B acceſſus: ab iiſdem protinus eam ſibi cum filio præcepit exhiberi. Cujus neceſſitate comperta, tenens pueri crinem, & miſericorditer blandiens: quid optaret, interrogabat. Cui ille: domine ut videam. Protulit nummum pontifex, & in manum pueri dedit illum. Intinctis etiam digitis in ſaliva oris ſui, ſuper oculos ejus, & verticem capitis ſignum Crucis edidit, & pauliſper oravit. Intuebantur Reges cum cæteris, & mirabantur, invicem colloquentes, invicem conquirentes, an jocus foret, quod vir ſanctus ſeriùs actitabat. Intereà C cœpit puer paulatim viſum recipere, cœpit nummum quem tenebat, cœpit homines intueri, cœpit gratulabundus & laudans dicere matri ſuæ: Video mater, video, video arbores, video omnes, & omnia quæ circumſtant. Ad hæc illa, velut ad altare ſacroſanctum, conversa ad Præſulem, flexis genibus, porrectis manibus, & directis in eum oculis, orationi ſtudioſiùs inſiſtebat. Auditum eſt, & compertum, quia cæcus viſum recepit. Ipſe quoque Francorum Rex diligentiùs inquiſita & cognita certiùs veritate, non diſſimulavit flexo genu virtutem in puero adorare divinam, caput D ejus, oculoſque deoſculans, & honorans oblatione propria manum ejus. Nec mirum, quòd mira devotio in cæteris etiam ſecuta eſt ſancti Regis exemplum, tantum miraculum proſecuta.

Alius cæcus illuminatur.

XV. Advenit intereà caput Jejunii Quadrageſimalis, & in cœnobio Mortui maris officium illud ſolemne reverendiſſimus celebravit Antiſtes. Impoſuit etiam cineres capiti Regis Angliæ benedictos, & ſuorum, qui propter hoc ad monaſterium illud advenerant ipſo die. Cæterùm miles quidam ante multum tempus baliſtæ jaculo in tempore vulneratus, & ex tunc altero oculo nihil penitùs videns, multa E precum inſtantia poſtulabat ejus reſtitutionem. Excuſare cœpit vir Dei, & graviùs ſolito homini diſſuadere, ne ſupra vires ſuas vel merita ſua exigeret tale aliquid ab humilitate ſua. Inſtitit tamen & perſtitit, nulla diſſuaſione deſperans, sed magnanimior factus in fide. Itaque tangitur, benedicitur, & emittitur, præſtolaturus miſericordiam Dei: exiit, expectavit, advertit, & paulatim luce reddita utroque vidit oculo, ſicut olim. Feſtinavit quoque ad Regem, gaudium ſuum domino ſuo ſine

A dilatione communicans. Sermo procedit in publicum, & opus bonum pulchriùs eluceſcit in commune deductum. Ex multarum denique perſonis ſcelerum devota reſonat & ſolemnis gratiarum actio, & vox laudis.] Hæc ſunt, quæ in ipſius acceptæ ab Alexandro Catholico Papa legationis munere operatus eſt Deus in ſervo ſuo, ad inſinuandam, atque omnibus declarandam ex ſacramento Catholicæ unitatis per divina illa chariſmata legitimam Alexandri Papæ electionem: Secundùm illud Davidicum: (a) Sicut unguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron, & deſcendit uſque ad oram veſtimenti ejus. Sicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion. Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, & vitam uſque in ſæculum.] Pacatis Regibus, ab unoquoque eorum (ut audiſti) pro Catholico recipiendo Pontifice Aleſandro, Concilium hoc eodem anno eſt celebratum. Quibus ita diſpoſitis benè rebus, Alexander Papa navigavit in Gallias anni ſequentis exordio.

Miles oculo ſanatur.

a Pſ. 132.

XVI. Hoc item anno pſeudopapa Octavianus, Victor dictus, unà cum Imperatore & Epiſcopis atque Principibus Laudæ conciliabulum habuit, de quo Otto Morena in Laudenſi à ſe ſcripto Chronico, & ipſe inhærens ſchiſmatico, iſta habet:

Conciliabulū Laudenſe.

Sequenti verò die, in quo fuit tunc feſtum ſanctorum Gervaſii & Prothaſii, per dominum Papam inceptum eſt ſacrum Concilium, quod à principio Papiæ, deinde Cremonæ fieri diſpoſitum fuerat, poſtremum tamen ad honorem Laudenſium ex voluntate Imperatoris Laudæ eſt celebratum. In quo dominus Imperator cum ſuis Principibus, & Rex Boemiæ, & dominus Pellegrinus Aquilejenſis Patriarcha, & dominus Guido electus Ravennæ Archiepiſcopus, & multi Epiſcopi, & magna copia Priorum, Abbatum, Præpoſitorum, aliorumque clericorum, qui venerant ad Synodum, ſeu Concilium, unanimiter confirmavere electionem, quæ in prædicto anno Papiæ jam facta fuerat de ipſo domino Papa Victore. Fuere autem in ipſo Concilio recitatæ litteræ excuſatoriæ Regis Daniæ, & Regis Norvegiæ, & Regis Hungariæ, & Regis Boemiæ, & ſex Archiepiſcoporum, & viginti Epiſcoporum, multorumque Abbatum tàm Claravallenſium, quàm aliarum Congregationum, atque Præpoſitorum: in quibus omnibus litteris continebatur, ipſos Reges cum univerſis eorum provinciis, & prædictos Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, & Præpoſitos velle ſe tenere præfatum dominum Victorem pro Papa & domino, & ſe velle ratum habere totum, quod dominus Victor ſtatuit in ipſo Concilio cum aliis ſibi præſentibus.] Sed veritate cognita, reſilierunt ex iiſdem plurimi. Pergit auctor:

In ipſo etiam Concilio fuere excommunicati dominus Hubertus Mediolanenſis Archiepiſcopus unà cū Conſulibus Medio-

Digitized by Google

lani, & Epiſcopus Placentinus, & Epiſcopus Briſienſis, & Placentiæ & Brixiæ Conſules, omneſque ipſorum conſiliarii, ac etiam omnes illi, qui interfecerunt Moguntinum Archiepiſcopum, & qui in ejus morte conſenſerunt, & Epiſcopus Bononienſis .... depoſiti fuere irrecuperabiliter. Epiſcopus verò Paduanus, & Epiſcopus ... uſque ad Kalend. Auguſti termino eis dato ab officio ſuſpenduntur. Et hæc acta ſunt in die Jovis, cùm Concilium uſque ad ipſam diem perduraſſet, in qua die fuit tunc *feſtum* ſancti Jacobi Alphei.] Hęc auctor addictus Victori pſeudopapæ, contra Catholicum Pontificem Alexandrum.

XVII. Hoc eodem anno in Dania Rege creato Vvaldemaro, per eum idololatris Rugianorum eſt ſublata, & aliorum finitimorum populorum, cultuſque Chriſtianæ religionis mirificè propagatus, adhibito ad opus Abſalone ſuo collectaneo, Epiſcopo Roſchildenſi. Quæ cuncta cùm exactiſſimè ſicut & ornatiſſimè deſcribantur à Saxone Grammatico; tamen cum abſque ulla temporum nota, ceu abſque oculis, ejus in tenebris cæcutit hiſtoria: aliundè eſt nobis aperienda ad tempora inſpicienda feneſtra. C Extant res geſtæ Vvillelmi Roſchildenſis Abbatis ab ejus diſcipulo quàm fideliſſimè ſcriptæ, ex quibus iſta depromimus: (*a*)

a Apud Sur. tom. 2. die 6. April.

Vvaldemarus Rex Daniæ creatus.

Anno à nato Salvatore milleſimo centeſimo ſexageſimoprimo regnum Daniæ obtinuit Vvaldemarus, Canuti Regis & martyris filius, qui Vvandalos à regni ſui finibus propulſavit. Nam ſæpè illos infeſtos patiebatur, utriuſque ſexus homines, & prædam multam ſecum abducentes. Tandem verò etiam Chriſtianæ religioni eos coegit colla ſubmittere. Per id tempus Roſchildenſi Eccleſiæ cum multa laude præſidebat Abſalon Epiſcopus, vir magni D conſilii, Cleri decus, mœrentium & afflictorum conſolator, Religioſorum pius

Abſalonis Epiſcopi Roſchilden. dignę laudes.

A amator, totius populi rector modeſtus, advenarum & pauperum benignus ſuſtentator, Vvandalorum ſtrenuus debellator, religionis Chriſtianæ ornamentum, exemplar ſobrietatis, forma pudicitiæ, veræ nobilitatis & probitatis inſigne ſpeculum, lucerna fulgens in templo Dei, ejuſque columna fortis & immobilis. In ejus diœceſi erat cœnobium Canonicorum in inſula, quam Ezchil vocant, non longè diſtante ab oppido Roſchildenſi, mari undique cincta, & ipſe quidem locus peramœnus erat, pratis virentibus, & diverſis nemorum arboribus oblectans oculos animoſque illic B degentium. Attamen id temporis pauci illic morabantur Fratres, & ii ipſi fruſtrà Regulares dicti, cùm à Regulari diſciplina multùm deflexiſſent.

XVIII. Cernens autem venerabilis Epiſcopus Abſalon illorum mores à religione prorſùs abhorrere, mœrebat animo, ferebatque indignè, diabolica fraude deceptos vitam prorsùs mundanam vivere. Cœpit itaque ſecum crebrò pertractare, qua ratione poſſet illi Eccleſiæ conſulere, atque illic degentium mores in melius reformare. Redit tandem in memoriam familiaritatis & amicitiæ, quæ illi olim intercesſerat C cum Vvillelmo viro religioſo, cùm Pariſiis litteris operam daret. Scienſque illum virtutibus & ſanctis moribus ornatum, deliberavit illi ad ſe accito tradere locum memoratum: mittitque illic Saxonem Præpoſitum Roſchildenſem, virum honeſtum (*is eſt ille, qui cognomento Grammaticus dictus hiſtoriæ Danicæ libros ſexdecim ſcriptos reliquit*) qui à ſanctæ Genovefæ collegio petat dominum Vvillelmum cum aliis tribus Fratribus mitti in Daniam, quibus etiam locum opportunum ſe Epiſcopus daturum pollicebatur.] Quomodò autem idem Vvillelmus ſua ſanctitate D illas provincias illuſtravit, auctor latè proſequitur. At de converſione Gentiū & idololatriæ evulſione dicēdū inferiùs ſuo loco.

S. Vvillelmus Pariſiis vocatur in Daniam.

JESU CHRISTI ANNUS 1162. | ALEXANDRI PAP. III. ANNUS 3. | FRIDERICI IMP. 8. MANUELIS IMP. 20.

I. SEquitur annus milleſimus centeſimus ſexageſimusſecundus, Indictione decima, quo Alexander Papa perſecutionem vitans Friderici Imperatoris, in Galliam navigavit. Quanam autem neceſſitate compulſus, audi Neubrigenſem: (*b*) Cùm E enim illi, *Alexandro videlicet*, ut ſuperiùs dictum eſt, præter terras Alemaniæ Imperatoris ſubditas poteſtati, totus in his quæ Dei ſunt, Orbis pareret Latinus; vias tamen obſidentibus Octaviani ſatellitibus, & vel eum adeuntes, vel redeuntes ab eo, ſi qui fortè incidèrent, rebus omnibus ſpoliatos carcerali quoque cuſtodiæ mancipantibus, rariſſimus ad illum poterat eſſe acceſſus, unde nec ipſe poterat, ut volebat & decebat, fungi ſummo ſacerdotio, & longius Apoſtolicæ brachium oſtendere poteſtatis. Hujus rei gratia mari ſe credens, & cum ingenti periculo provincias adiens Occidentis, occurrentibus ei Præſulibus & nobilibus Gallicanæ Eccleſiæ, multorum deſideriis expectatus advenit.] Hæc de ratione Alexandri navigationis in Gallias Neubrigenſis. At quomodo iſta ſingula ſe habuerint, Acta vitæ ejus antiquitùs ſcripta, & in Vaticana bibliotheca recondita docent. Hæc planè una conſolatio reliqua, quòd voluminibus epiſtolarum ejus deperditis, ex quibus tanti Pontificis res præclarè geſtæ illuſtrare magnoperè potuiſſent Annales: ex iiſdem Actis Pontificatus ejus tamquàm lucerna, pertenui lucem licèt, eædem non remanſerint prorsùs obſcuræ. Habentur hæc ibi.

Alex. Pap. in Gallias navigatio.

b Neubrig. lib. 2. c. 14.

Præ-

Digitized by Google

II. Præterea diſpoſitum iter Pontificis eo A tempore ſic diſturbatum & impeditum eſt: ſed modico ſpacio temporis reparatis omnibus, & præparatis aliis, quæ ad ipſum iter neceſſaria videbantur: infra octavas Nativitatis Dominicæ juxta montem Circeum in faucibus Legulæ cum fratribus ſuis mare intravit, & in feſto S. Agnetis, remigante Domino, apud Genuam applicuit. Ubi contra prohibitionem Friderici Imperatoris ac perſecutoris Eccleſiæ, ab univerſo Clero & populo cum honore & gloria ſuſceptus eſt, atque tractatus. Exivit ergò è Genua in Dominica Paſſione, & B cum omni jucunditate navigans venit ad inſulam de Liguriis in ſabbatho Palmarum: ubi præ nimia tempeſtate maris coactus eſt Reſurrectionem Domini celebrare. Sequenti verò quarta feria pervenit ad Eccleſiam Magalonam, in qua majus altare, auctore Domino, ſolemniter dedicavit. Et quoniam locus eo tempore pro ſuſcipiendis hoſpitibus nimiùm erat arctus; & multitudo maxima Prælatorum adventum ipſius Pontificis extra inſulam nimio præſtolabatur affectu: ad populoſam montis Peſſulani villam aſcendere dignum duxit.

Janvenſes optime de Alex. Põt. meriti.

III. Albo itaque palafreno, & cæteris Pon- C tificalibus inſignibus de more paratis, Alexander Papa equum præ nimia populorum frequentia vix aſcendere potuit, & viam in directum tenere. Tanta enim cunctorum ad ejus veſtigia concurrentium improba & importuna erat impreſſio, ut beatum eſſe ſe crederet, qui vel fimbriam chlamydis ejus non ſine multo conamine poſſet attingere. Occurrente igitur ſibi domino villæ ipſius cum Baronibus, & decora militia, & officium ſtratoris per milliarium exhibente, cum proceſſione eamdem villam intravit. Ubi inter Chriſtianos nobiles, qui accedebant ad ejus veſti- D gia, quidam Sarracenorum induſtrius Princeps cum ſociis ſuis reverenter acceſſit; & deoſculatis pedibus ejus, fixit genua coram eo, & inclinato capite tamquàm ſanctum & pium Chriſtianorum Deum, ipſum Pontificem adoravit. Locutus eſt autem ipſe Pontifici ex parte domini ſui Mahometanorum Regis, qui miſerat eum ad partes illas pompaticè, in lingua ſua barbarica, ſed per interpretem cuncta expoſuit, quæ dicere voluit. Cui Pontifex benignè & diligenter reſpondit, ipſumque plurimùm honoravit, & circa pedes ſuos inter honoratos conſidere fecit honorificè. E Videntes autem hæc univerſi qui aderant in conſpectu ejuſdem Pontificis, valdè mirabantur, & dicebant ad invicem illud propheticum: (a) Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſervient ei.] Vidiſti, Lector, Dei opera: non ſolùm Chriſtianos Reges, & Sarracenos aſſurgere, & legatione honorifica venerari Catholicum Papam, cùm illum impius Imperator dirè perſequitur. Pergunt Acta: Adveniente autem Dominica die, Pontifex ad majorem Eccleſiam celebraturus acceſſit, & undique virorum & mulierum univerſa multitudine confluente, poſt ſermonem ad populum, poſt juridicæ electionis ſuæ narrationem, & ſchiſmaticorum procacem perfidiam, in perſonas Octaviani hæreſiarchæ, & eorum complicum excommunicationis ſententiam ſolemniter innovavit.

Ingreſſus Alexandri in monte Peſſulan.

a Pſal. 71.

Alexander Papa de ſua electio ne ſermonē habuit.

IV. Eo tempore in tota Aquitania, & circumpoſitis locis valida fames in tantum excrevit, ut præ nimia ciborum indigentia infinita hominum multitudo morte inevitabili deperiret. Unde univerſos Gallos tremor vehementer invaſit, ne ipſorum terras ſimilis cruciatus invaderet. Qua de cauſa Pontifex adventum ſuum Regi Francorum ſignificare curans, duos ex fratribus, videlicèt A... Portuenſem Epiſcopum, & I... diaconum Cardinalem in ſancta Maria in Coſmedin, ad ejus præſentiam delegavit, quatenùs veritate ejus adventus præcognita certificaretur, ad quas regiones ſui regni de ipſius conſilio accederet moraturus. Quos idem Rex pro beati Petri reverentia reverenter ſuſcepit, & honeſtè tractavit; & habito conſilio, ad dominum Alexandrum, quem in patrem & paſtorem animæ ſuæ jam ſuſceperat, eos cum læto reſponſo, & multa jucunditate remiſit. Eis itaque ad præſentiam domini ſui, & collegium fratrum ſuorum redeuntibus, expoſitis iis quæ in reſponſo ab ipſo domino Rege acceperant; gaviſi ſunt omnes gaudio magno. Exivit ergò Pontifex à Monte Peſſulano in proximo menſis Junii, & per Alexiacum atque Miniacum, & * Anicanoum tranſitum faciens, Alverniæ partes intravit, & in Vigilia Aſſumptionis beatæ Mariæ apud Claromontem cum omni proſperitate, Domino auctore, pervenit.

Nuntii ad Regē Frác. de adventu Pont.

V. Intereà Fridericus videns, totum mundum poſt Alexandrum currere, orthodoxos Reges & Principes Orbis ei tamquàm Romano Pontifici honorem & reverentiam exhibere; erubeſcebat in ſeipſo, & propria eum accuſante conſcientia, confundebatur, & terrebatur. Verecundabatur autem ab incepto malo deſiſtere, quia præ cæteris ſuis anteceſſoribus fortis ac potentiſſimus erat, & ferè jam totam Italiam ſibi ſubjugaverat. Ex altera verò parte dubitabat plurimùm ac timebat de amiſſione Imperialis Curiæ, ſi dominus Alexander Papa ſuis temporibus prævaleret. Poſitus ergò in tantæ ambiguitatis lubrico; apud ſe cogitavit, ſicut homo hujus ſæculi prudentiſſimus, ſagax, & callidus, qualiter poſſet Alexandrum, & idolum ſuum Victorem judicio univerſalis Eccleſiæ pariter dejicere, & perſonam tertiam in Romanum Pontificem ordinare. Et quoniam unicuique proprium eſſe ſolet, ut qualis ipſe fuerit, tales ſibi conjungere velit: adſcivit Comitem Henricum Trejenſem, de quo maximè confidebat, & revelans ei cogitatus ſuos, traxit ipſum ad ſuam voluntatem, & coadjutorem & cooperatorem ſuæ deliberationis fecit. Comes autem taliter ab Imperatore inſtructus, & taliter infor-

Quæ doloſè meditatus ſit Imperator.

informatus, ad propria rediis, & accedens ſicut tentator ad dominum ſuum Regem Francorum, virum ſiquidem pium, & columbinæ ſimplicitatis, fraudulenter ſuggeſſit ei ex parte ipſius Imperatoris bonum ſimulatum de reformanda pace Romanæ Eccleſiæ, in hæc verba:

VI. *Obtentu pacis congreſſus indicitur.* Vult Imperator inſtructus contemplatione divini amoris hoc bonum opus vobiſcum hoc modo agere, ut vos duo majores Principes Orbis conveniatis in unum apud Avenionem, in confinio regni veſtri, & Imperii ſui, cum majoribus perſonis tàm clericis, quàm laicis Imperii, & regni veſtri. Et ipſe quidem adducet ſecum Octavianum cum ſequacibus ſuis, & vos Alexandrum cum ſuis nihilominùs habeatis. Poſtquàm verò vos duo cum utraque parte in præſentia tantorum virorum conveneritis, & electio utraque diligenter audita fuerit, per illic congregatam Eccleſiam Gallicanam, Italicam, & Teutonicam decernatur de utroque quod melius & utiliùs videbitur ſtatuendum & ordinandum.

Circumvenitur Rex pius à doloſo Imp. Et quoniam bonus viſus eſt ſermo iſte de reformanda pace Eccleſiæ prædicto Regi, ſicut vero Iſraelitæ, in quo non eſt dolus, quoniam ab ipſa diſcordia mala plurima per omnes Eccleſias pullulabant: in bona ſimplicitate ſua conſenſit perſuaſionibus ipſius Comitis, promittens ei, ut ex parte ſua Imperatori ſecuritate præſtaret ſuper iis, quæ ſibi ſuggeſſerat. Cùm igitur hæc à domino Rege Comes impetraſſet: illicò rediit ad Imperatorem in Lombardia exiſtentem, & fecit ei juramentum ex parte Regis, ſicut dictum eſt ſuperiùs. Exiit ergò malus ſermo per univerſas Italiæ civitates, dolentibus Catholicis & timentibus in facto ipſo, niſi Dominus conſilium ipſum præmeditatum adversùs antiquam Eccleſiæ libertatem infatuaret. Appropinquante autem ſtatuta die, cum univerſa multitudine Principum ſuorum & militum armatorum Imperator Fridericus acceſſit ad locum, & Octavianus cum ſchola complicum ſuorum ſecutus eſt eum quoque. Rex Francorum cum Primatibus, Epiſcopis, atque Baronibus ſuis ad eumdem locum nihilominùs feſtinabat, & Alexandrum Pontificem apud Salvianum habuit obviam: in quo loco ſe invicem honorantes, ut ſimul ad colloquium ipſum proficiſceretur, per biduum tractaverunt.

VII. Sed quoniam omninò videbatur indignum, & ſanctorum Patrum ſtatutis contrarium, ut ſanctiſſimus Pontifex & prima Sedes aliquod deberet humanum ſubire judicium: viſum eſt omnibus, ut de melioribus Eccleſiæ Romanæ mitterentur illùc ea tantummodò cauſa, ut per omnes electio domini Alexandri canonica monſtraretur, & electionem Octaviani tamquàm poſteriorem, nullius fuiſſe momenti, nihilominùs probaretur. Miſſi ſunt ergò à Pontifice Romano A.... Portuenſis Epiſcopus, H.... tituli ſanctæ Crucis, I.... ſanctæ Anaſtaſiæ, & I.... ſanctæ Mariæ in Coſmedin, & R.... ſancti Theodori diaconi Cardinales cum Rege ad ſupradictum locum. *Mittuntur Cardinales ad Imp. & Regem.* Et illis abeuntibus, Pontifex cum reliquis fratribus Aquitaniæ ad monaſterium Dolenſe devenit. Rex autem comitatus à principalibus perſonis ſuis, poſtquàm pervenit apud Divionem, proceſſit uſque ad Montem Saonis, qui Teutonicos à Francigenis dirimebat, expectans, quid ſibi de cauſa ipſa Imperator vellet proponere.

Querela Octaviani apud Imperatorē. Tunc hæreſiarcha Octavianus videns Eccleſiæ Romanæ perſonas cum Eccleſia Gallicana contra opinionem ſuam veniſſe, & adverſùm ſe conſtantiſſimè ſtare: valdè perterritus eſt, & de facto ſuo cœpit penitùs deſperare. Quocircà vertens ſe ad Imperatorem, dixit ei: Ille adverſarius meus dedignatus eſt hùc venire, & tu cauſam meam, quæ in conſpectu tuo judicata eſt in concilio Papienſi, & approbata, permittis iterùm judicari & pertractari. Tunc Imperator attendens verba ipſius Octaviani, valdè turbatus eſt viſus, & adversùs Regem Francorum loquens, ei per internuntios in hæc verba prorupit: Ecce videris me jam decepiſſe, & contra juramentum conventionis manifeſtè veniſſe, cùm illum Papam, ſicut promiſiſti, in hunc locum non adduxiſti.

VIII. *Quæ ad querelas Imp. Rex Francorū reſpondit.* Cui Rex, habito cum ſuis conſilio, in hunc modum reſpondit. Quamvis abſentiam Pontificis juſtè ac rationabiliter valeamus excuſare; ne tamen honori commiſſi mihi regni, aut famæ aliquo modo derogetur, & ne fallaciæ notam juſtè vel injuſtè poſſim incurrere: ego abſque mora ipſum Pontificem cum ſuis fratribus abſque dolo & fraude ad hunc locum vocabo, & adeſſe faciam. Miſit itaque Rex citiſſimè, ſicut promiſerat, Nuntios ad Alexandrum, ut cum ſuis fratribus ſine mora ad eum veniret, niſi vellet eum in captione Imperatoris, prout inter eos conſtitutum fuerat, detineri.

Alex. Pap. cum ſuis in anguſtia poſitus magna. Quo audito, Pontifex & fratres ejus attendentes, Regem Francorum doloſis eirconventionibus fuiſſe deceptum: valdè in ſeipſis turbati ſunt; & proſpicientes graviſſima ſibi undique imminere pericula, magno timore timuerunt. Si enim illùc, humanum judicium ſubituri, pergerent: Eccleſiæ libertatem per violentiam periclitari cernebant. Quòd ſi non irent: pro detentione Regis circa jusjurandum & conventionem, quam cum Imperatore fecerat, perſonarum captivatio eis, & rerum immineret ſpoliatio. Videbatur ſanè maxima ipſius Imperatoris potentia, terribilis, & nimiùm formidanda: quippè qui Daciæ & Boemiæ Reges cum Ducibus & Principibus ſuis, & cum magna multitudine armatorum militum, ſicut credebatur, illùc ſecum adduxerat; & de prædicto Pontifice, & de Francorum Rege malà jamdiu cogitaverat, ut in ipſo colloquio poſſet juxta ſuum deſiderium conſummare.

IX. Sed pius & miſericors Dominus, qui non

Regis Anglorum opportunus adventus.

non derelinquit ſperantes in ſe, & prava diſſipat conſilia Principum, non eſt paſſus eumdem Pontificem, & pium Regem Francorum in anguſtia maxima poſitos tentari ſupra id, quod poſſent; ſed ex inſperato fecit cum tentatione proventum. Excitavit ſpiritum glorioſi Regis Anglorum, ut in ſubventionem domini ſui, & Francorum Regis cum maxima multitudine virilium pugnatorum adverſùs eumdem Imperatorem animoſitate nimia feſtinaret. Immiſit etiam Deus tantum famis cruciatum in exercitum illius, ut præ nimia ciborum penuria unus panis modicus ab eſurientibus emeretur pretio unius marchæ argenti. Unde quia ipſe Imperator nec moram ibidem facere, nec malum, quod in corde geſtabat, poterat exercere: occaſionem recedendi ab ipſo honeſtiorem, quam potuit, celeriter ſtuduit invenire. Igitur per Rainaldum Cancellarium, & alios fautores ſuos egregio Regi Francorum locutus eſt in hæc verba:

Arrogans Nuntium Imp. Friderici ad Regem Franc.

Mandat vobis dominus noſter Fridericus Imperator Romanorum & ſpecialis Romanæ Eccleſiæ Advocatus, quòd ad nullos eccleſiarum Prælatos de cauſa electionis Romani Pontificis judicium facere pertinet, niſi ad eos tantùm, qui ſub Romano Imperio exiſtunt: ideòque bonum videtur & juſtum, ut cum Epiſcopis & Clero veſtro ad eumdem Imperatorem tamquàm amicum & ſocium accedere, & illius ſententiam audire debeatis.

X. Quibus verbis auditis, Rex modicum ſubridens, reſpondit ei in hunc modum: Miror prudentem virum vana mihi & fabuloſa verba miſiſſe. An ignorat prædictus Imperator, quòd Dominus noſter JESUS Chriſtus, cùm eſſet in terris, beato Petro, & per eum univerſis ſucceſſoribus ejus oves ſuas paſcendas commiſit? Nonnè audivit in Evangelio ab eodem Dei Filio eidem Principi Apoſtolorum dictum: (a) Simon, diligis me? paſce oves meas. Numquid ſunt hîc Francorum Reges, vel aliqui Prælati excepti? An Epiſcopi regni mei non ſunt de ovibus, quas Filius Dei beato Petro commiſit? Et his dictis, vertit habenas equorum cum contemptu, & ſtatim ad arma cum Baronibus, & reliqua militia ſua conſurgens, debiliora regni ſui loca munivit, & tamquàm vir prudens & fortis ad ſedem ſuam cum gloria remeavit, propitiante Domino. Fratres verò, Cardinales ſcilicèt, qui miſſi fuerant à Pontifice, ad ipſius præſentiam cum gaudio remeantes, narraverunt omnia, quæ ad honorem Dei, ex colloquio & induſtria glorioſi Regis orthodoxi facta fuerant. Unde & exultantes, gratias egerunt Domino noſtro JESU Chriſto, qui cum eis miſericordiam fecerat, & eos de manibus tàm potentis hoſtia liberare dignatus fuerat. Imperator autem remanens in erubeſcentia ſua confuſus, coactus eſt multa famis inedia exercitum ad propria remittere: & ipſe ad regnum Teutonicorum non ſine magna triſtitia remeavit.

a Joan. 21.

Franc. Rex ſcito reſponſo redarguit arrogantiam Imp.

XI. In diebus illis prædictus Rex Anglorum dominum Alexandrum Papam in Bobienſi monaſterio commorantem corporali præſentia viſitavit, & ad ejus veſtigia humiliter procidit: ſed & poſt oſcula pedum aureis oblatis muneribus, ad oſcula Pontificis eſt receptus, & mox in præparato ſibi faldiſtorio ſedere declinans, circa Pontificis pedes in terra voluit cum ſuis Baronibus humiliter conſidere. Poſt triduum verò lætificatus plurimùm de jucunda viſione ipſius Pontificis, & largitis rurſùm magnis muneribus ſibi & fratribus ſuis, cum lætitia receſſit ab eo. Pontifex autem facta dedicatione majoris altaris præfati monaſterii, verſus Turonum iter arripuit, & ad ipſam civitatem in feſto beati Michaelis Archangeli, cum omni proſperitate, Domino auxiliante, pervenit. Ubi cum fratribus ſuis moram diutiùs fecit, & Nativitatem Domini ſolemniter celebravit.] Hactenùs ibi de rebus geſtis, ad præſentem annum ſpectantibus. Quæ quidem non ex iiſdem Actis tantum certam vendicant ſibi fidem, ſed etiam teſtimonium accipiunt & auctarium ex Roberto de Monte in Appendice ad Sigabertum, ſcriptore fideliſſimo, ſuorumque temporum res geſtas ſumma brevitate perſtringente, ſed ſub nota numeri anni ſequentis, errore librarii fortaſſè dimoti: additque maximè memoranda, quæ in recitatis deſiderantur Actis; ait enim:

Rex Anglorum humili obſequio colit Alexandrũ Papam.

XII. Fridericus Imperator Alemannorum, & Ludovicus Rex Francorum cùm ſuper fluvium Sagonnam, qui antiquitùs Arar vocabatur, de pace tractaturi convenire debuiſſent; repentè mutato animo propter ſchiſma Octaviani, cujus partes Imperator adjuvabat, infecto negotio ad propria redierunt. Exinde parvo ſpacio temporis interjecto, Ludovicus Rex Francorum, & Henricus Rex Anglorum ſuper Ligerim apud Tociacum convenientes, Alexandrum Papam Romanum honore congruo ſuſceperunt, & uſi officio ſtratoris, pedites dextra lævaque frænum equi ipſius tenentes, eum uſque ad præparatum papilionem perduxerunt: quo mediante, Deo favente, pax inter eos firma reſtituta eſt.] Hæc Robertus in Chronicis. Qui & hoc ipſo anno eumdem Regem Francorum ex Leonora conjuge auctum filia tradit, eamque baptizatam per Henricum presbyterum Cardinalem, tituli (ut vidimus) ſanctorum Nerei & Achillei, Legati munere fungentem in Galliis. Porrò Robertus ipſe, ut dictum eſt, hæc omnia recitata ſuperiùs ſcribens, non ſolùm ejus temporis eorum quæ audivit, ſed quæ vidit, ſcriptor fuit. Siquidem idem ipſe in obitu ipſius Alexandri Papæ, anno videlicèt Redemptoris M. C. LXXXI. de ſeipſo teſtatur, ſe præſentem fuiſſe Concilio Turonenſi, anno

Duo Reges humili obſequio inſerviunt Alexandro Pap.

anno ſequenti ab eodem Alexandro Pontifice celebrato, anno, (ut ibi ait) milleſimo centeſimoſexageſimotertio. Ex quibus certiùs reddatur, notas annorum numeri in ſuis Chronicis (quod diximus) interverſas, dum præter alia, adhùc ibi poſitum legitur idem Concilium Turonenſe ab Alexandro anno milleſimo centeſimo ſexageſimo quarto celebratum, quod ſexageſimotertio habitum, ipſius certa aſſertione deſcribitur Quod & abſque aliqua dubitatione habetur exploratiſſimum.

XIII.

a Prov. 21.

Quanta Deus exhiberi voluerit Aleſandro.

Vidiſti, Lector, ſpectaculum, à Roberto auctore ſpectante deſcriptum, à Deo (ſic dixerim) præparatum. Siquidem (*a*) Cor Regis in manu Dei. Cùm videlicèt duo potentiſſimi Reges inter ſeipſos jugiter diſſidentes, aſſiduè prœliantes, ad cultum & venerationem veri Pontificis Alexandri convenere pacifici, eidem adeo humili obſequio inſervire concordes, ſpectaculum tale Deo, Angelis, & hominibus exhibentes, quale hactenùs numquam viſum in Orbe: ut duo ſimul convenerint potentiſſimi Reges, qui ejuſmodi concordes, eodem tempore, unà conjuncti præſtiterint famulatum, cùm alter ipſorum à dextris, à ſiniſtris verò alter fræno equi pedites ipſi inſervierint Pontificii, quouſque eum ad præparatum ab ipſis perducerent habitaculum: eo ipſo tempore, quo implacabili odio, indefeſſo ſtudio, inſatiabili crudelitate ipſum Alexandrum perſequitur Fridericus. Certè quidem, etſi alias ſæpè à ſingulis ſeorſum ſive Regibus, ſive Imperatoribus ejuſmodi viderimus exhibitum Romanis Pontificibus miniſterium: ut autem ad hoc duo unà ſimul cōvenerint adeò magni Principes, hactenùs inauditum à ſæculo. Ita planè cùm ſtaret Imperator adversùs Dominū, & adversùs chriſtum ejus, dicens: (*b*) Dirumpamus vincula eorum; & projiciamus à nobis jugum ipſorum, cujus pondere obedientiæ premimur: ejus rei cauſa quod ſequitur, contigit: Qui habitat in cœlis, irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos.] Contrà verò eo duplici dignum honore judicaverit ipſum, qui benè præeſt Eccleſiæ, Alexandrum, ita de ſuperbiſſimo Imperatore humillimo Piſcatoris ſucceſſore, ſed Chriſti Vicario Regum obſequio triumphante.

b Pſal. 2.

XIV.

Quod autem ex Actis Alexandri Papę recitatum audiſti ſuperiùs, etiam Regem Daciæ ſive Daniæ ad conventum illum ductum ab Imperatore; ex Saxone Grammatico recitanda hic eſt de eodem Rege Danorum hiſtoria ad hæc ſpectans. Fuit iſte Vvaldemarus Rex, S. Canuti Regis martyris filius. Porrò idem auctor præſens rerum inſpector, qua arte Imperator ad ſe eumdem Regem Danorum pellexerit, ita narrat: (*c*) Per idem tempus ſchiſmaticorum legatio, confictis juſtitiæ argumentis Danorum ſuffragia pertentabat, quorum Rex aſſertionis dubius, cognoſcendæ veritatis gratia Scribam ſuum Radulphum origine Britannum, lingua quam animo promptiorem ad Cæſarem deſtinat. A quo per ſummam venerationis ſimulationem exceptus, non minus ab Octaviano honorificè exceptus eſt, ita ut inter eos quaſi quoddam culturæ ejus litigium atque officiorum contentio foret. Octavianus tamen, cui iniquiſſimorum ſuffragiorum conſenſus auctoritatis umbram tribuerat, Cæſarem, quem majeſtate anteire videbatur, etiam adulandi comitate vincebat. Nam ſacerdotem, qui cum Radulpho quotidiè ſacras preces decurreret, providit, ne divina ab eo ſine ſocio parùm celebriter agerentur. Nec officiis eum coluiſse conſentus, obſequiis beneficia ſociavit. Siquidem in re divina agenda anuli uſum ei indulſit, pontificalis ordinis inſigne aliquanto obſcuriori gradui tribuens. Ita neſcias, dantis, an accipientis beneficium ridiculoſior dementia fuerit. Hujus audita legatione, Cæſar dolenter ſe dividuæ religionis ſtatum ferre aſſeverabat; neutri tamen parti acclamaturum, quoad publicum Eccleſiæ decretū acceperit. Tunc demùm ei, quam univerſorū ſententia probaverit, aſſenſurum. In cujus rei ſpeculationem nuper à ſe totius Italiæ majores concilii nomine contractos fuiſſe, Octavianum æquitatis fiducia cauſam ſuam humiliter generalis Eccleſiæ judicio ſubſtraviſſe; Rolandum verò pravitatis conſcientia conteſtum, non ſolùm contumaciter ſuperſediſſe, ſed etiam dixiſſe, majorem ſe eſſe, quàm ut cujuſpiam cenſuræ parere debeat. Cujus controverſiæ finiendæ gratia terrarum Reges ſecum adeſſe oportere, publicæ religionis negotium communibus ſtudiis inſpecturos. E quibus penè omnes in adverſæ partis præſidium conceſſiſſe; ſibi verò neminem ex his ſuffragiorum ſocietatem præbere. Quamobrem ſe magnoperè prudentiſſimi Danorum Regis alloquium affectare, partium ſuarum moderationem ejus potiſſimùm ſententiæ crediturum, quippè quem animi virtus, & generis ſanctitas tantæ rei judicem depoſcant. Prætereà attendendum eſſe, quantum pietatis opus ederet, ſi tot animarum ſalutem, ancipiti judicio fluctuantem ſententiæ ſuæ ſagacitate ſervaret. Super hæc omnia, ſi tàm religioſi itineris laborem ſuſcipiat, ſe ei in præmium fatigationis unam ex Italiæ provinciis cum totius Sclaviæ præfectura daturum. Talibus Radulphum Cæſar hortamentis aggreſſus, non pauciora litteris, quas per eum in Daniam deſtinarat, complexus eſt.

c Saxo Gram. l. 14.

De Legatione miſſa à Rege Danorum ad Imperatorem.

XV.

Regreſſus inde Radulphus, Cæſaris, Octavianique charitatem in Regem uberrimam prædicabat. Rex promptiùs quàm prudentiùs familiaris aſſertione ſuſcepta, nec tàm religioni conſulere, quàm exterarum gentium mores cognoſcere avidus petendi Cæſaris cupidinem concipit. Ea tempeſtate Bernardus quidam ab Octaviano Legatus in Daniam profectus pontificum ſuffragiis inhiabat: verùm paucorum favore

Bernardus Legatus Octaviani in Daniā.

A exceptus; ut univerſos adſciſceret, datis per provinciam epiſtolis, Concilium ſimulat; quod tenui frequentia habitum, majori ludibrio quàm gloria celebravit. Eo Rex apud Sleſvicum dimiſſo, eximiis Cæſaris illectionibus captus, Abſaloni *Roſchildenſium Epiſcopo* inſulis excubanti propoſitum aperit, eumque viæ comitem depoſcit. Tunc Abſalon fidem Cæſaris, aſtutiamque damnando, fallaces ejus promiſſiones fideli ſpe excipiendas negabat. Quin etiam ſine religionis violatu familiaritatis ejus uſum haberi non poſſe, quòd ſchiſmaticæ factionis acrior quàm juſtior
B defenſor exiſteret. Se verò tùm commeatuum inopem, tùm etiam longinquæ peregrinationis laboribus imparem memorabat. Rex, quoad ſibi commeatus ſuppeterent, ei non defuturos reſpondit Abſalon, quantiſcumque commeatibus abundaret, haudquaquam ſe ſalutem ſpiritus ſui neglecturum affirmat. Rex non ſe minus animæ ſuæ ſtudioſum teſtatus, ob hoc maximè ejus comitatum affectare reſpondit, ut ſi juſtitia poſceret, per eum ab Octavianæ partis ſocietate faceſſeret. Adhùc Abſalone profectionem abnuente, publicæque religionis hoſtes adeundos negante,
C hactenùs eum à ſe præ cæteris cultum aſſeverabat, cujus ſi nunc ope deficeretur, ſe nihil ulteriùs ex eo commodi ſperaturum. Tunc Abſalon, exprobratam ſibi ab eo ingratæ mentis labem judicans: ad deſerendam, inquit, tui nominis amicitiam nullis corporis periculis adduci potero; at cùm de animæ negotio agitur, humano timori divinum præferre fas eſt. Ego verò tametſi circumſtantia damna pervideam; tamen ut animæ tuæ veſtigium ab errore prohibeam, meam periculis implicare non metuam.

Abſalon Epiſcopus curat liberare Regẽ Daniæ à ſchiſmate.

XVI. Profectio Regis Daniæ ad Imperat.

Tunc Rex aſſumpto eo, viros genere
D & honeſtate juxtà nobiles, ſcilicèt è Sialandia Sunonem & Esbernum, è Fionia Tacham & Eſgerum comites adſcivit; Buriſius dumtaxàt, ne quid interim in patria novaret, ex neceſſariis aſſumptus. Nec defuere, quos ex Jutia profectionis participes legeret. Attingentibus Eidoram Principis Holſatiorum Adulphi ignotus eques obvius extitit; interrogatuſque, an ipſos proſecuturus veniſſet, dominum ſuum hujus rei præſtandæ gratia tranſitum eorum in vicino præſtolari denuntiat. Cujus ductui fidendum vetantibus arbitris: Rex perinde ac ingenuo duce fretus, primus pontem equo tranſgreditur, profectionis aviditate metum pariter monituſque contemnens. Hunc
E cæteri ſubſequentes, ſententiam ſuam quàm Regem deſerere maluerunt. Procedentes paululùm Adulphus excepit, ſalutatumque Regem benigniſſimis verbis, amiciſſimoque vultu proſequitur. Cui cùm occurſum ſuum ob vetera odia onuſtum magis quàm gratum ſentiret, ut iram obſequiis flecteret, apud Ekeho oppidum ſuis eum impenſis excipere ſtatuit. Sed Rege beneficium ſpernente; ne quis ei neceſſaria venditaret, edixit. Tunc Danis domeſticos cibos ſumentibus; confectas epulas per miniſtros inferendas curavit: ſicque demùm verecundia ſuperatos munificentia ſua uti coegit. Interrogatus tandem, an Regis proceſſum tutari poſſet: poſſe ſe quidem, quoad Bremam veniatur, aſſeruit. Albia pertranſito cùm Bremam verſum contenderetur: Esbernus profectionis ſtoliditatem animadvertens, quamque vanum iter caperent, non ſegniter contemplatus, Fratrem Abſalonem, alioſque Danicæ nobilitatis proceres conſilio illuſtres clàm cæteris accerſitos obſecrat, Regem arrepti itineris emenſione prohibeant, quod præſertim ſine duce conficiat, neque eum tàm periculoſi propoſiti executorem exiſtere patiantur. Quod Abſalon inane tentatu judicans, propoſito Regem ceſſurum negabat, dicendo monitorem non ſolùm operam perditurum, ſed etiam ſenſurum, quantum odii pertinax error piæ monitioni referre ſoleat. Tunc Esbernus: Tametſi me, inquit, graviſſimas monitorum pœnas è veſtigio daturum pernoſcerem, quæ ad Regis ſalutem pertinere deprehenderim, ſilentio diſſimulare non paterer. Adeſtote ergo mecum, & in Regis admonitionem, ſi linguam abnuitis, aures præbete. Enimverò cùm honeſtatis periculum obverſatur, offenſam Principis, utilia ſuadendo, quàm amicitiam inaniter blandiendo contrahere malo. In his etenim melius ex reprehenſione ira percipitur, quàm ex adulatione gratia conciliatur Abſalon haud fratrem Rege faciliorem intelligens, cùm neutrum à propoſito revocabilem cerneret: fratris tamen adeundo Regem ſocium geſſit, ſi quid iræ ex dictis ejus conciperetur, mitigaturus, cæteris ne intereſſe quidem tutum ducentibus.

XVII.

Tunc Esbernus mirari ſe, inquit, quo impetu Rex tantum iter, duce vacuus, ingrederetur, ſuam autem patriæque ſalutem in unius Cæſaris perfidis præcordiis depoſiturus. Videri enim, quòd liberam gentis ſuæ cervicem, nulliſque barbarorum obſequiis aſſuetam, per fœdam & ignobilem ſervitutem miſerabili Teutonicorum jugo ſubigere cupiat. Quid autem ſtultius eſſe, quàm nullo impendente periculo, ultrò ad deditionem procurrere, ſummamque libertatem extrema ſervitute mutare: inſuper regno precario quàm potenter præeſſe malle? Itaque Cæſarem, cùm Daniam ſuæ ditionis effecerit, miraturum, quòd tàm validam gentem antè promiſſis ſuperaverit, quàm armis tentaverit. Rex paucis iram exprimere ſolitus, quippè raras voces turbatus edere conſueverat. Etſi te, inquit, adeò metus perurgeat, ut viæ comes eſſe non audeas; me quidem trepidationis tuæ ſocium non habebis. Virtute enim quam familia comitatior, ſine te propoſitum exequar, nec adduci potero, ut teterrimis ignaviæ tuæ monitis conſentire ſuſtineam.

Rex revocari à propoſito non poteſt.

neam. Ita ſalutares Esberni monitus regiæ feſtinationis impetus aſpernatus eſt: quos ſi imitari voluiſſet, ſupplex Cæſari manus deformiter non dediſset. Adeò quem temeritatis incurſus tranſverſum abripit, rectæ rationis æſtimatio deſerit. Ingreſsos Bremam civitatis Antiſtes omnibus humanitatis numaris inſtructiſſimus, clementiaque & liberalitate conſpicuus, impenſioribus liberalitatis officiis proſequendos ſuſcepit. Inde de ductu dando ſollicitatus, comitandi ſibi Regem, non ductandi ſe eſse reſpondit. Complures quoque Saxoniæ Principes, quò tutius Curiam peterent, regiis ſe ſodalitatibus, devinxerunt: adeò ut de Danorum familia ac Rege exiſtere putarentur. Itaque creſcente ejus comitatu, cùm multitudo ſpeciem hoſtilis exercitus reddere videretur, perterrefacti incolæ, cum uxoribus ac liberis divinis ſemet penatibus intulerunt, à ſacrarum ædium hoſpitiis auxilium quæſituri. Eo comperto, Rex præmiſit, qui gentis trepidationem pacis denuntiatione corrigerent, ſibique commeatuum emptionam fieri juberent. Cùm ad urbem Metis veniſſet, oppidanis ob advenarum frequentiam emendorum pretia aggravantibus, injuriam Senatui conqueſtus, effecit ut neceſsaria tùm ſibi, tùm etiã comitatui tolerabili pretio venderentur. Igitur ſinceritatis & juſtitiæ ejus rumore increbreſcente: Germanicæ matres parvulos ſuos in ejus adventum offerendos curabant, ratæ eos regio contactu, perinde ac cœleſti aliquo beneficio feliciora naturæ incrementa ſumpturos, ac proſperioribus educationis auſpiciis nutriendos. Nec minus ſuperſtitioſi agreſtes, qui jaciendorum ſeminum grana, quò melius adoleſcerent, dexteræ ejus diſjicienda præbebant.

XVIII. Quo Curiam ingreſso, Præſes Saxoniæ Henricus, veteris amicitiæ recordatione, caſtra ſua majore ex parte ejus adventui ceſſit, hoſpitalitatemque ei ſuis ſumptibus erogavit. Die poſtera Abſalon cum Radulpho miſsus, apud Cæſarem, Latinæ vocis admodùm rudem, per interpretem Colonienſis Antiſtitis mandata proſequitur. At Cæſar in primis moram Regis tarditatemque cauſatus, injurioſum, quòd antè non venerit, ajebat, aſſerendo eum ob regnum, quod Romani Imperii beneficio gerat, ſibi ſervitiorum debitorem exiſtere. Tunc Abſalon: Decuiſse, inquit, Cæſaris fidem, ut hæc potiùs ante itineris ingreſsum Regi proponeret, ad quod eum tantis promiſſionibus impuliſset. Cæſar ſimulata admiratione, per quem Regi promiſsa feciſſet, interrogat. Abſalon demonſtrato Radulpho: Hic eſt, inquit, qui credulam Regis ſimplicitatem promiſsorum tuorum commentis illexit. Eoque negationem Cæſaris repellere non audente, ſeriem totius promiſſionis ediſſerit. Inficiante id Cæſare, reducem Regi dari depoſcit. Ille plus ſe negotii ejus reditui tributurum, quàm adventui impenderit, negat. Simili modo die poſtero Regis legatio excepta. Quo agnito, Rex ſalutaris monitus ſpreti pœnitentia afflictus, tametſi mucronem cervici ſuæ applicatum aſpiceret: ante ſe eam ferro, quàm patriam ſervituti ſubjecturum aſſeverabat. Æſtuante eo, opiſque modum impenſiùs diſquirente: Abſalon liberationis viam à ſe repertam profeſſus, non ampliùs illic Regi, quàm in patria trepidandum aſſeruit. Siquidem trans pontem, quo Gallorum regnum à Germanico ſecerneretur, venationis ſimulatione ſæpiùs eum obequitare debere, ac demùm cùm conſuetudine ſuſpicionem viciſſet, cum potiore familiæ parte aliquod è finitimis Galliæ oppidis petere, haud dubitaturum, quin à Rege Francorum ornatiùs in patriam dimitteretur. Cujus conſilii executionem Cæſar arte prævenit. Siquidem vim Regi inferre veritus, cùm ejus famulatum, coactionibus impetrare nequiret, beneficio mercari tentavit. Univerſos quippè Germaniæ Principes ſacramento adactos jurare compulit, ſe ejus ditioni Sclaviam ſubſtraturos. Quòd ſi parum perficerent, ſeipſum id, cùm primum ex Italia reverteretur, executurum ſpopondit: eaque fraude ad obſequia ſibi paciſcenda ambas Regis *Daniæ* manus pertraxit. Cæterùm e non Curiam communi Principum more petere, non in Romani Imperii præſidium copias ductare, ſolaque ſpecie non re Cæſari parere conceſſum. Filio verò poſt eum proximè regnaturo liberum fore paternas conditiones abiicere, ne ad omnem Danorum gentem hæreditarium manaret obſequium. Cujus ſervitii pudorem minuere videbatur Gallorum ditioni in conſimili famulatus genere Britanniæ Regis inclinata majeſtas.

XIX. Conciliabulũ ſchiſmaticorũ.

Poſt hæc Octavianus, vocato concilio, quàm juſtis ſuffragiis in adipiſcendo ſacerdotio uſus fuerit, loquaciùs quàm veriùs aſtruere conabatur: Rolandum verò honorem, quem oblatum repudiaſſet, vetitum occupaſſe: ſeque cauſam ſuam generali pontificum cognitioni inſpiciendam præbente, illum impietatis conſcientia canonicæ diſcretionis judicium formidare. Præterea ad conciliandos ſibi pontificum animos, eorum dignitatem benignia decretorum ſanctionibus adornavit, haud priùs Romanam ad Sedem provocandum conſtituens, quàm ſi lia ipſorum pronuntiatione finiri non poſſet. Finiente eo, Cæſar provinciarum Reges hujus controverſiæ finiendæ gratia ad colloquium à ſe invitatos dicebat, eorum ſententiæ repugnare nefas ducturo. Quos ideò non adeſſe, quod in Romani Imperatoris injuriam Romæ Pontificem creare cupiant, alienæ civitatis jus ſuis ſuffragiis adminiſtrare conantes. Poſt hæc Reginaldus Coloniæ urbis Antiſtes religionis cauſam dicere adorſus: quanto injuriæ pondere Romani Imperatoris æquitatem provincialiũ

Re-

Quam illiberaliter habitus Rex Daniȩ ab Imp.

Regum temeritas attentaret (*ita ſugillans Reges Francorum & Anglorum*) argumentando demnnſtrare pergebat. Nam ſi controverſiam in eorum civitatibus de Pontificatu ortam Cæſar ſuis ſuffragiis finire vellet; haud dubium id gravium injuriatum loco ducerent, cùm ipſi ſimile in Urbe Roma perpetrare conentur. Quam aſſertionem tàm valido rationia præſidio ſubnixam putavit, ut nunc Latialiter, nunc Gallicè, Germaoiceque fando, ternis actionem vocibua iteraret. Sed quantum hac oratione gentis ſuæ favorem illexit; tantum noſtræ ſuffragia deturbavit. Aſſenſis itaque pontificibus, cùm Octaviauns, qui ſibi falſum Victoris nomen inſcripſerat, accenſis luminibus, adveraùm Alexandrum, ejuſque ſuffragatores ſolemni execratione uſurus videretuc: Vvaldemarus, *ipſe Rex Daniæ*, hortante Abſalone, ne ſacrilego ejus facinori intereſſet, concione exceſſit; adverſæque partis juſtitiam æmulatus, præſentis Curiæ errorem, quam abſentis rectitudinem poſtponere præoptavit. Cujus egreſſum ſecutus Abſalon, cùm ab Octaviano ſuperſedere rogaretur, ab ejua veſtigiis ſe, cujus comitandi gratia advenerit, nullo jure prohiberi perdocuie. Eoque reſponſo execrabili pontificum collegio liberatus, ne ſchiſmaticis errore laberetuc, effecit. Die poſtero Octavianus Livonem Othonienſium Electum vehementer ab Abſalone p ohibitum falſa pontificis unctione proſcquitur.] Hactenùs de ſchiſmaticorum conciliabulo Saxo. In quo illud patratum eſt abſurdiſſimum, & à ſacris canonibus alienum, traditionique Eccleſiaſticæ adverſum penitùs, ut Imperator quæſierit ſuffragio Regum de legitimo Papa dirimere contcoverſiam. In quo divina virtus manifeſtè noſcitur operata, ut Danorum Rex, quia antehac ſchiſmatieus ſuerat, in ipſo conciliabulo ſeſe in Catholicum converſum oſtenderit. Sed quæ iſta ſecuta ſint de eodem Rege laude digna, ita Saxo proſequitur:

XX. Inde ad oppidum Biſuntinum conceſſum eſt, ubi equorum pabulo non ſuppetente, Regeque emendi ejus facultatem ſibi non fieri conquerente: Cæſar eum qui ſtabulo præerat, neceſſaria Danis expedire præcepit. Qui mox eorum ſatellitibus ſecum eductis, in vico eminùs ſito, quibus egerent, capienda demonſtrat. Qui cùm earum conſuetudinum ignari, equorum alimeota ab oppidanis inermea depoſcerent, voceſque ſuas ſagittis & jaculis repelli conſpicerent; depoſitis precibus, prœlium ordiuntur. Capto itaque vico, cùm latiùs crebreſcente fumigio facem oppidia ſubjectam agnoſcerent, ſimilia ſibi licere rati, confeſtim expugnationi incendium addiderunt. Quæ res incredibili Regem angore permovit. Interiectis diebus, cùm Cæſar, quem vindictæ modum à Maguntinis proprii pontificis interfectoribus exigere deberet, in concione perquireret; Vvaldemarus *Rex Daniæ* iterata ſuperiori querela, equis annona defectis, venalium alimentorum ſubſidia poſtulabat. At Cæſar circumjacentem provinciam conjugis ſuæ patrimonium eſſe teſtatus, fruſtrà eum emptu affectare dicebat, quod raptu petere licuiſſet. Contrà Vvaldemarus, Regem ſe, non prædonem eſſe proclamana, commeatus latrocinio quæſiturum negabat, aut quod domi iniquum duxerit, apud exteroa approbaturum. Quamquàm enim ejuſmodi violentia neceſſitate excuſabilis videretur permiſſis uti, paſſus non eſt, ne domeſticæ æquitatia manſuetudinem peregina auſteritate corrumperet. Cujus ſanctitatem univerſi Germaniæ Principea maximo planſu comprobantes, ſeque mutua admiratione invicem contuentes, beatos ajebant, quos tanti viri integritaa regendoa curaret.] Hactenùs de Regis Daoiæ hoc anno rebus geſtia, occaſione ſchiſmatia Octaviani Antipapæ firmandi ab Imperatore vocati.

Regia Daniæ æquitas Germanis admiranda.

XXI. Eodem anno Londini in Anglia generale Concilium celebratur, convenientibus omnibus Epiſcopis ad ſubrogandum metropolitanum Angliæ totius Antiſtitem, Cantuarienſem Archiepiſcopum, defuncto feria ſecunda Paſchæ Theobaldo Archiepiſcopo, cùm ſediſſet annis vigintiduobus. Convenit ſimul & Rex ad hoc ipſum, communibuſque omnium votia electus eſt Thomaa ex Cancellario. Hæc ex Actia vitæ ejus, ſcriptia ab Eduardo ejus æquali prolixè ſatis, quæ in compendium redacta jam euſa (a) habes; ſed extant alia, ab auctoribus quatuoc, iiſdem ipſius Thomæ diſcipulis, oempè Hereberto ipſius clerico, Vvillelmo Cantuarienſi, Ioanne Sareſberienſi, & Alano Abbate Deoche tribua libria conſcripta, quæ habentur in Vaticana bibliotheca unà ſimul cum collectione epiſtolarum ad hæc negotia ſpectantium, auctorum diverſorum: inter quas plurea ejuſdem ſancti Thomæ, & Alexandri Papæ extant epiſtolæ, omneſque ſimul quinque libria partitæ atque digeſtæ opera ejuſdem Joannis Sareſberienſis, omni theſauro preſtantiores, ea quibus præſens Annalium Tomus magis ac magis debeat illuſtrari. Eatat codex ipſe in Vaticana bibliotheca.

Conc. Londin. in Anglia, ubi S. Thom. creatus Archiepiſ. Cant.

a Apud Sur. tom. 6. die 29. Dec.

Reſragatum autem eſſe magnoperè ſanctum Thomam, ne eligeretur Archiepiſcopus, teſtatur Herebertus, cujus iſta ſunt verba: Proteſtatur Thomas adveraùs Regem, ne eum, Epiſcopum Cantuarienſem eligeret, aliàs eum ipſi fore adverſarium & contrarium inimicum propter Eccleſiaſticam libertatem.] Subiicit bis iſta Joannes Sareſberienſis: Cùm diu reluctatus eſſet, urgente & inſtante Henrico Piſano presbytero Cardinali SS. Nerei & Achillei Legato, tandem acquievit. Moxque miſſi ſunt Nuntia ad Romanum Pontificem Alexandrum, qui tunc degebat in Monte Peſſulano, iidemqne poſtularunt & palliū quod & ob tanti viri reverentiam conceſſum ab eodem Pontifice acceperunt.] Porrò

S. Thomæ Nuntii pro pallio ad montē Peſſulan.

conſe-

conſecratus Epiſcopus, habitum induit monaſticum ea de cauſa, quòd experimentis multis declaratum fuiſſet, eos, qui non monachi cathedram illam aſcendiſſent, à Deo male mulctatos eſſe.

XXII. In his enarrandis, quæ tempore ejus ſedis intereeſſere immenſæ tribulationes & anguſtiæ, quæ non modò ipſum Thomam ſedemque ipſius Cantuarienſem, ac univerſam Angliam, ſed Alexandrum Pontificem, atque Romanam Eccleſiam, totumque Catholicum Orbem magnoperè perturbarunt, obruimur Scriptorum copia, ut vix ſine immenſo labore poſſimus emerge- A re. Nam non modò Eduardus & auctores illi quatuor, qui iſta ſcripſere, atque alii ejúſdem temporia Scriptores copioſiſſimâ ſua ipſorum ſcriptione inferunt uberrima in Annales rerum argumenta ſcribendarum; ſed quadriogentæ quinquagintaquatuor epiſtolæ, à diverſis in eadem cauſâ conſcriptæ, in primis verò ab Alexandro Papa, ipſoque Thoma ad diverſos datæ, ut ex tis epiſtolaris hiſtoria cæteria præſtantior concinnetur, exubetantem ac ſupereffluentem planè ingerunt ſcribendi materiam, quæ ſtylum obruat, ut ipſa pariat inopiam abundantia, B

De coſtactione epiſtolarum S.Thomæ, Alexandri Pap.& aliorum.

I. Milleſimus centeſimus ſexageſimuſtertius Indictione undecima annus venit, quo Alexander Papa celebravit in Gallia Concilium Turoneſe. De quo dicturi, quæ præceſſerunt, priùs inſinuanda, de quibus iſta in primis ejuſdem Alexandri vitæ Actis: Adveniente autem Quadrageſima, colloquium habiturus Alexander Papacum Rege Fraocorum, ad Pariſienſemcivitatem propetavit. Quam cùm ingreſſurus eſſet, tamquàm pius & mitis Rex cum Baronibus & militibus ſuis per duas Leucas illi occurrit: quo viſo ſtatim deſcendit, ad ſtreguam ejus feſtinanter accurrens, humiliter deoſculatus eſt pedes ipſius, & ſtatim ad ejus oſcula cum devotione fuit receptus. Deinde ſingulariter procedentes intraverunt prædictam civitatem. Cui Clerus cum maxima & decora proceſſione obviam venit, & Pontificem & ejus fratres Cardinales deduxit in gaudio & exultatione ad majorem Eccleſiam. Manſit autem in dicta civitate per ipſam Quadrageſimam, & Paſchale in ea feſtum celebravit.] Meminit idem ipſe Alexander Papa hujuſmodi ſuæ commorationis Pariſienſis in diplomate canonizationis ſancti Bernardi, his verbis: Contigit olim, dum eſſemus Pariſiis conſtituti, & magni quidam ac venerabiles viri de canonizando ſanctæ recordationis Bernardo quondam Clarevallenſi Abbate facerent mentionem, optantes utique & piis precibus ſuggerentes, ut in Concilio, quod de proximo erat Turonis celebrandum, digno huic & laudabili voto celerem daremus effectum. Cùmque nos eidem negotio favorabili ſatis intenderemus affectu, ſupervenit multitudo & frequentia petitorum, qui in diverſis provinciis rem ſimilem poſtulabant. Unde cùm nos videremus, non poſſe congruenter omnibus ſatisfieri: ſtatutum fuit pro ſcandalo devitando, etiam in hoc differri, quod oportebat pro tempore cæteris denegari.] Hæc ipſe de iis, quæ Turonenſe Concilium præceſſerunt, de quo rursùm iſta in ejuſdem Alexandri vitæ Actis:

Alexand. Papa Pariſios venit ad Regé.

Canonizationes frequétiores denegatæ.

II. Et quoniam tempus Concilii celebrandi imminebat, quod in octavis Pentecoſtes Turonum convocaverat: exivit de Pariſiis, & tranſiens per Carnotum, ad Turonis civitatem celeriter remeavit. Anno igitur Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo ſexageſimotertio, Indictione undecima, anno quarto ſui Pontificatus, quarto Kal. Junii ſupradictus Alexander Papa in Eccleſia ſancti Martini Turone Concilium celebravit, in quo ſecum interfuerunt Cardinales numero decem & ſeptem, & Epiſcopi centum & vigintiquatuor, Abbates quatuor centum & quatuordecim, & aliorum tàm clericorum, quàm laicorum maxima multitudo. Atque inter alios inſignes Eccleſiæ Præſules interfuit ſanctus Thomas Archiepiſcopus Cantuarienſis, anno ſuperiori (ut vidimus) ad eam regendam cathedram ex munere Cancellariæ aſſumptus, quem præter morem Alexander Papa ejuſmodi excepit honorificentia. Fecit enim, ut omnes Cardinales occurrerent ei extra urbem illam, præter duos tantùm, qui ſoliti eſſent ei ſemper aſſiſtere: idemque obtinuit quæcumque ab ipſo Pontifice petiiſſet, nempè ſuæ Eccleſiæ privilegiorum confirmationem.] Hæc in vita ipſius, à quatuor dictis auctoribus ſcripta, Ne quid autem pereat de fragmentis Actorum Concilii hujus, quod integrum in omnibus Actis ſimul reperire non licuit: hic deſcribendam putamus orationem, quam in eodem Turonenſi Concilio habuit jubente Papa Arnulphus Epiſcopus Lexovienſis. Extat inter ejus epiſtolas haud pridem euſas: ante quam poſita habetur epiſtola data ad Ægidium Rothomagenſem Archidiaconum, inde verò quod ſequitur:

Conc. Turonen. celebratur ab Alex. Pap.

Sermo habitus in Concilio Turonenſi,

III. Hodiernum ſermonem, domini & Patres mei, mihi domini noſtri, qui præſidet, Romani videlicèt Pontificis injungit auctoritas. Et ego quidem munus injunctum magis de neceſſitate obedientiæ, quàm de animi voluntate ſuſcipio: Mallem ut in alium declinaſſet iſta dignatio, cujus & vita commendabilior eſſet, & major tàm ſcientiæ, quàm eloquentiæ plenitudo: Quis

Sermo Synodicus.

Quis enim ego ſum, qui in auribus tot, tàm prudentium, tàm venerabilium perſonarum quemlibet mihi debeam uſurpare ſermonem? Sed & quis ego ſum, qui mandato Romani Pontificis audeam obviare? Anguſtiæ mihi ſunt undique: inter verecundiam & neceſſitatem conſtitutus ſum. Altera me monet ut ſileam: altera quaſi quadam violentia pertrahit ad loquendum. Obediendum enim eſt ſine mora, ſed verecundia linguam reprimit, obſtruit intellectum, & à facie reverentiæ veſtræ ſtupore quodam reddit pavidum & confuſum. Scio enim quia tria ſolent in B prædicatore requiri, ſanctitas converſationis, plenitudo ſcientiæ, fæcundior eloquentiæ vena. Sanctitas converſationis inquiritur: quia niſi fuerit prædicatoris commendabilis vita, non erit ejus prædicatio gratioſa. Cujus enim vita contemnitur, reſtat ut & prædicatio contemnatur. Timere habet, ne fortè incipientem loqui ſtatim vox divina reprimat & condemnet: (*a*) Quare tu enarras juſtitias meas, qui projeciſti ſermones meos retrorſum? *a Pſal. 49.* Perfectio ſcientiæ quæritur, ut habeat prædicator, unde poſſit de theſauro cordis ſui proferre nova & vetera, & eruditum noverit expectantibus explicare C ſermonem, & ſecundùm perſonarum qualitates temperare quod dixerit: ut ſciat quibus debeat lac potum dare non eſcam, quibus ſolidiorem cibum habeat miniſtrare. Eloquentia deſideratur: ad quid? Quia ſicut ſi non habuerit ſcientiam, non habebit quid dicat, ita niſi habuerit eloquentiam, non habebit quomodò dicat. Utrumque autem neceſſarium eſt, & habere quid dicas, & ſcire quomodò dicas. Sententiarum ſiquidem excellentia ſermonis elegantiam quærit, ut verborum dignitas rerum majeſtati reſpondeat, & ſibi invicem quaſi concentu quodam res & verba concur- D rant. Ita eſt, ut ſermo prædicatoris omnia acceptione dignus ſit, requiritur in prædicatore religio ad reverentiam ſermonis, ſcientia ad doctrinam, eloquentia, ut commendet ad gratiam: ut ſcilicèt ſermo ſanctus ſit, prudens ſit, illuſtris ſit.

Excuſatio. Ego verò, qui vobis producor in medium, nihil habeo penes me niſi conſcientiam peccatricem, minorem ſcientiam, eloquentiam imperfectam. Et ideò opportuniùs mihi fuerat ſilere, quàm loqui, paſci quàm paſcere, & aures vobis potiùs exhibere, quàm linguam. Nulla mihi in meme ipſo E fiducia eſt, ſed ad ſanctitatem præcipientis, & merita veſtra convertor: quibus intercedentibus aliquid mihi fortaſſis largietur gratia illius qui dixit: (*b*) Aperi os tuum, & ego adimplebo illud. *b Pſal. 80.* Os meum obedientiæ neceſſitas aperit, utinam gratia ejus per merita veſtra ſermone adimpleat opportuno.

IV. In omni itaque ſermone, domini & Patres mei chariſſimi, videtur mihi, quia circa id quod principaliter intenditur, duo ſunt ſtudioſiùs obſervanda, cauſa ſcilicèt & tempus. Et cauſam quidem ratio ſub- A miniſtrat; tempus autem opportunum reddit occaſio: occaſio autem eſt opportunitas, ſumpta ex tempore: ſicut viro placuit eloquenti, ita eſt. Niſi id quod dicitur, cauſam de ratione contrahat evidentem, ipſum ducitur otioſum: ſi importunè dictum fuerit, reputatur infeſtum. Quæ autem otioſa vel infeſta ſunt, raro deſideratos aſſequuntur eventus. Et ideò cùm multa de ſcriptis ſanctis poſſent utiliter ac probabiliter in commune proferri: ad ea potiſſimùm ſermo convertendus eſt, ad quæ nos & urgens neceſſitas impellit, & evidens invitat utilitas. Ad quid? Ad B tentandum vobiſcum de unitate & libertate Eccleſiæ Dei. Sine his enim duabus non poteſt Eccleſia ſalva conſiſtere; ſed nec conſiſtere quidem. *De S. Eccleſiæ unitate & libertate.* Quia niſi Eccleſia habuerit unitatem, non erit una: ſi una non fuerit, non erit. Omne enim quod eſt, ideò eſt, quia unum eſt: quod autem unum non eſt, amittit pariter cum unitate ſubſtantiam. Item niſi habuerit libertatem, miſera erit: pro eodem autem ei eſt, miſeram eſſe, & non eſſe. Immò deterius eſt miſeram eſſe, quàm non eſſe. Melius, inquit, ei erat, ſi natus non fuiſſet homo ille, de Juda dictum eſt. Quoniam melius C erat ei, natum non eſſe, quàm ad ejuſmodi miſeriam natum eſſe. Ideò domini & Patres chariſſimi, ut ſtatus Eccleſiæ conſervetur incolumis, oportet unitati ejus & libertati ſollicitè provideri.

V. *Quibus malis urgeatur Eccleſia.* Utraque enim his diebus, hac tempeſtate, ſicut nos miſerabiliter experimur, multis urgetur incommodis, multis injuriis infeſtatur. Quia alteram ſcindere nititur ſchiſmaticorum ambitio; alteram quærit auferre violentia tyrannorum. Utrumque tamen eis per Dei gratiam impoſſibile erit. Impoſſibile ſiquidem eſt, ſpirituale Eccleſiaſticæ unitatis ſcindere ſacramen- D tum, quod inter Chriſtum & Eccleſiam, ipſo Patre auctore, indiſſolubili fœdere connexum eſt & firmatum. Impoſſibile eſt ſuam Eccleſiæ Dei tollere libertatem, quam Dominici ſanguinis conſecravit effuſio. Licèt enim paleæ de area Domini quandoque ventilabro levitatis aut vanitatis avolent, & abſcedant; propter abſceſſum tamen earum non minuitur fructus areæ, ſed purgatur. Item licèt principes tenebrarum adversùs Eccleſiam Dei vehementer inſurgant: portæ tamen inferi adversùs eam prævalere non poſſunt. Ita, domini mei, ſalva nobis ſemper eſt unitas, E ſalva ſemper eſt libertas Eccleſiæ: quia neque tunica inconſutilis ſcindi poteſt, neque Chriſti ſanguis in irritum devocari. Et licèt exierint à nobis aliqui, qui nobiſcum erant, ſed de nobis non erant: non eſt ſciſſa tamen veritas unitatis propter eos, quos ſeparavit à nobis propriæ malitia pravitatis. Et licèt ii, quos diximus, tyranni terrarum circa temporalia bona, & ipſa etiam corpora noſtra deſæviant, ut edant carnes noſtras: infirmantur & cadunt. Et ſic circa diripiendas inutiles ſarcinas occupantur. Eccleſia tamen Dei nihilo-

nihilominùs quæ diſponenda ſunt, libera poteſtate diſponit: immò etiam ipſos quaſi ſervos nequam ſpirituali poteſtate retrudit in carcerem, ubi eos nimirùm quaſi compedibus quibuſdam, vinculo anathematis, & opprobrio perpetuæ maledictionis aſtringit. In quo etiam laudabile videtur operari virtus divina miraculum, dum nobis in unitate noſtra & libertate degentibus, ipſi ſe ſolos ab unitate Catholica ſeparant, & deteſtandæ ſubiiciunt ſervituti. Nos tamen charissimi Patres & domini, non debemus malum pro malo reddere, neque vinci à malo, ſed vincere in bono malum.

VI. Munus Epiſcoporum.

Et ideò ad revocationem eorum qui foris ſunt, ſumma charitate debemus intendere, ut ipſi unitati noſtræ poſſint, Domino miſerante, connecti: quatenùs ii, qui quietem Eccleſiaſticæ libertatis impugnant, meliore ducti conſilio reſipiſcant, & tam de revocatione eorum, quàm iſtorum pœnitentia creſcat fecunditas unitatis, & inconcuſſa ſervetur deſiderandæ tranquillitas libertatis. Ad hoc ſcilicèt omnem nos convenit diligentiam adhibere, omnem propter hoc ſuſtinere vexationem, omne periculum experiri; hoc enim ſpeciale debitum noſtræ profeſſionis. Epiſcopi ſumus, ad hoc ſacramentis Eccleſiaſticis ſanctificari volumus, ditari beneficiis, honoribus illuſtrari. Ex ea etiam cauſa hìs primas obtinemus in Concilio cathedras, primos in cœnis recubitus, ſalutationes in foro. Ex eadem cauſa populorum nobis multitudines inclinantur, ut de manu noſtra partem aliquam commiſſæ nobis benedictiones accipiant. Quærunt enim accipere de plenitudine noſtra, quod nos accepimus de plenitudine Chriſti.

a Pſ. 132.

Ordo Hierarchicus in Eccleſia.

Hic ordo eſt: Unguentum præcedit in capite, à capite deſcendit in barbam, (a) barbam quidem Aaron: à barba uſque in oram veſtimenti defluxit. A capite ſcilicèt Chriſto in barbam, nempè Prælatos Eccleſiæ, à Prælatis in populum, in ſubjectos. In capite autem omnis perfectionis eſt plenitudo, omnis perfectio plenitudinis. In ipſo enim inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, ſolidè ſcilicèt & perfectè: in ipſo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi: in ipſo totus Spiritus Patris: Nihil ibi perfectioni detractum eſt, nihil ibi plenitudini derogatum. Et de plenitudine iſta nos omnes accepimus majores & minores. De plenitudine quidem, ſed non plenitudinem ipſam: ſibi enim plenitudinem reſervavit: circa nos autem diviſiones gratiarum factæ ſunt. Unus autem Spiritus, qui operatur omnia in omnibus, non omnia in ſingulis: dividit enim ſingulis prout vult. Ubi enim vult ſpirat, & quantum vult inſpirat. Nos autem in medio conſtituti inter Chriſtum & populum, privilegium gratiæ conſecuti ſumus, & prærogativam dignitatis adepti. Privilegium gratiæ, quia priùs, & copioſiùs nobis infunditur, quod à nobis in alios transfundatur. Prærogativam dignitatis, quo-

A niam ſuperiores & propinquiores ſumus. Superiores, quoniam conſtituti ſumus principes ſuper omnem terram: Conſtitues eos, inquit, principes ſuper omnem terram. De Apoſtolis dictum eſt utique & de nobis, qui loca Apoſtolorum minoribus reverà meritis, ſed majoribus conſolationibus obtinemus.

VII. Epiſcopalis potentia.

Qualis autem eſt hic principatus noſter? utique ſublimis & fortis: Nimis, inquit Propheta, honorati ſunt amici tui Deus: nimis confortatus eſt principatus eorum. Propinquiores ſumus; amicos ſiquidem nos appellat, & ad argumentum propin-
B quioris amicitiæ indultas nobis, non partem, ſed copiam totius familiaritatis oſtendit: (b) Jam non dicam, inquit, vos ſervos, ſed amicos meos, quia omnia quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis. (c) Verum eſt, nobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei; cæteris autem in parabolis, ut videntes non videant, & audientes non intelligant. Nos habemus oculos intuendi, & aures audiendi. Multæ & magnæ ſunt circa nos dignationes tuæ, bone JESU, multa & inæſtimabilia beneficia tua. Gratia tua ultrò nos prævenit & ſubſequitur: nihil, aut parum eſt, quod meri-
C. tis noſtris arrogare poſſimus, cùm tu gratiam per gratiam ſemper effuſa munificentia largiaris. Quid ergò retribuemus tibi? (d) Quid retribuam, inquit, Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Quærit ne ſibi reſtitui? quærit reverà: quoniam gravis etiam exactor eſt. Non convertit debitorem ſuum in ſortem tantùm, ſed etiam in uſuras: Quare, inquit, (e) non poſuiſti pecuniam meam ad menſam, ut cùm redirem, utique cum uſuris eam exegiſſem à te? Quia ergo ſibi retribui quærit, conſulamus Prophetam, quid tantæ majeſtati digne poſſit
D in cauſam retributionis offerri. Expedit nobis, ut qui nos de qualitate noſtri principatus edocuit, nihilominus de quantitate retributionis edoceat.

b Joan. 15.

c Luc. 8.

d Pſ. 115.

e Luc. 19.

VIII.

Oportet enim, ut quod nomine retributionis offertur, ad honorem cedat, accedat ad gratiam: alioquin non parit gratiam, ſed offenſam. Audiamus ergò quid dicat: (f) Conſtitues eos principes ſuper omnem terram. Ecce meritum ejus circa nos. Quid autem ſibi retribui quærat, conſequenter adjungit: Memores erunt nominis tui Domine. Memoriam nominis ſui tantùm ſibi quærit nomine retributionis offerri. Cujus
E nominis? nempè multa nomina habet. Habet quædam nomina de veteri Inſtrumento ſignificationis abſconditæ; habet quædam ad novum ſpecialius pertinentia Teſtamentum, ſuavitatem redolentia, exhibentia gratiam. Quæ quamvis conſtet originem traxiſſe de veteri; plus tamen celebritatis & frequētiæ de præſenti novitate ſumpſerunt. Quæ ſunt illa? JESUS, Chriſtus. JESUS interpretatur ſalvator, Chriſtus unctus: Ubi unctio, ibi ſuavitas. Manifeſtè nomen illud Chriſtus ſuavitatē redolet unctionis; JESUS ſalutis gratiam repromittit.

f Pſ. 44.

Quid Deo retribuendum.

Credo tamen, quòd in hoc loco Prophe-

ta

A ta aliud nomen quærat intelligi, quoniam nomina illa propter ſuavitatem & gratiam, devotionem quidem & fiduciam præſtant; hic verò alterius cujuſdam nominis memoriam quærit, cujus ſeveritas nobis cautelam diligentiæ, & timorem reverentiæ
Timor Dei.
donet. Quod eſt illud? Deus. Deus interpretatur, timor. Ipſe autem in hoc loco timentes eſſe nos exigit & prudentes. Commiſit enim nobis hæreditatem ſuam,
a Pſ. 60.
quam niſi timentibus non committit: (a) Dediſti, inquit, hæreditatem timentibus nomen tuum, Domine. Hæreditas autem ejus illa eſt, quam ipſe à Patre merito &
b Pſal. 2.
B poſtulatione paſſionis accepit: Poſtula, (b) inquit, à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Hæreditas autem hæc univerſitas Fidelium eſt, quæ nomine cenſetur Eccleſiæ, quæ Catholicam continet unitatem. Hanc fidei noſtræ credidit, hanc ſollicitudini commendavit. Ad curam igitur & cuſtodiam ejus cum omni timore omnem nos oportet diligentiam adhibere. Nulla nos abſterrere debet comminatio, nulla perſecutio retardare. Participes conſolationum facti ſumus? juſtum eſt, ut ſocii ſimus etiam tribulationum. Ex adverſo ſtare nos convenit, & opponere noſmetipſos murum pro domo Iſrael. Quod
C ſanè nobis non facile quidem, ſed poſſibile tamen erit, ſi conſtanter in unitate Catholica conſenſerimus permanere.

X.
Conſortiũ fraternitatis.
Porrò fratres ſumus ex eodem patre Chriſto, & ex eadem matre Eccleſia, per regenerationem aquæ & Spiritus, de filiis iræ tranſlati in adoptionem gloriæ filiorum Dei. Bonum itaque eſt, quia utile, jucundum, quia delectabile, nos hac ſpirituali fraternitate conjunctos in unitate conſiſtere, ut ſit ſcilicèt nobis, ſicut in primitiva Eccleſia multitudini credentium, cor unum & anima una. Sit in nobis unus ſpiritus, una Fides. Unitas enim
D Fidei concordiam parit: concordia mater eſt unitatis. Unitas verò Fidei tribuit libertatem. Ex Fide ſiquidem vita nobis &
c Hebr. 10.
d 1. Joan. 5.
e Hebr. 11.
victoria eſt: Juſtus, (c) inquit, meus ex Fide vivit. Et hæc (d) eſt victoria, quæ vincit mundum, Fides noſtra. Sed & (e) Sancti per fidem vicerunt regna: regnum ſatanæ, regnum mundi, regnum cœlorum. Et de regno quidem mundi, & regno ſatanæ manifeſtiùs: ſed & regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Ita omnia regna unitas Fidei, & Fides unitatis expugnat.

In unitate virtus.
E Totis itaque ſtudiis debemus inſiſtere, & alter alterum cohortari, ut ſtemus ſimul. Quia ſi ſteterimus ſimul, alteri ab altero plus fiduciæ & virtutis accreſcet. Si ſteterimus ſimul, adverſariis noſtris non tantùm reſiſtere poterimus, ſed & cum fiducia provocare. Si ſteterimus ſimul, Eccleſia Dei apparebit terribilis ut caſtrorum acies ordinata: Stemus, inquit ille (f) Propheta,
f Iſa. 50.
ſtemus ſimul. Quis eſt adverſarius meus? quis contradicit mihi? accedat ad me. Quia aliquem ſibi ſenſerat fideliter aſſiſtentem, cum fiducia loquebatur. Nos quoque, do-

A mini & Patres mei, habemus aliquos nobis fideliter aſſiſtentes. Habemus enim aſſiſtentem nobis gratiam civium ſupernorum; habemus aſſiſtentia nobis merita & orationes veſtras; habemus aſſiſtentem nobis fidem & devotionem Catholicorum Regum, qui unitatem Catholicam nobiſcum & verbo profitentur, & operibus exequuntur. Omnes ferè, quicumque cenſentur nomine Chriſtiano. Comparatione verò tantæ multitudinis modica eſt unius exceptio; unus ſiquidem excipitur, & ipſe ſolus. Væ autem ſoli: quia ſi ceciderit, non habet ſublevantē.

XI.
De Friderico Imp. Prophetia.
Sed & ipſe per miſericordiam Dei convertetur & vivet; quoniam ipſe eſt inter
B Principes terræ multa prudentia & virtute laudabilis, niſi gloriam ſuam divinę glorię præponere decreviſſet. Utinam humilietur ſub potenti manu Dei, & principatum Eccleſiæ ſuo præeſſe Principatui recognoſcat: utinam intelligat, quia ſi Chriſtum, Sponſum ſcilicèt Eccleſiæ Dominum confitetur, neceſſe habet & Eccleſiam, quæ Sponſa eſt, nihilominùs dominam confiteri. Præterea ſpecialem cauſam habet, qua ſanctam Romanam Eccleſiam dominam recognoſcere debet: alioquin manifeſtiſſimè poterit reus ingratitudinis apparere. Si enim ad vete-
C res recurramus hiſtorias, certum erit, prædeceſſores ejus Imperium non de alio jure, quàm de ſola S.R.E. gratia percepiſſe. Nihil igitur plus juris vendicare Principes poſſunt, quàm quod in eos contulit dignatio largientis. Præterea habemus aſſiſtentem nobis etiam Chriſtum. Neque enim Eccleſiam ea nobis conditione tradidit, ut relinqueret: ſemper aſſiſtit: Non relinquam, (g) inquit, vos orphanos: vado & venio
g Joan. 4.
ad vos, vobiſcum uſque ad conſummationem ſæculi permanſurus. Adjutor itaque & protector nobis eſt in ſalutem.

XII.
Cum adjutorio itaque tot aſſiſtentium
D nobis nulla nos debet abſterrere comminatio, nulla perſecutio revocare; immò ſtare debemus ex adverſo, & opponere noſmetipſos murum pro domo Iſrael. (h) Fidelis autem Deus, qui non patietur vos
h 1. Cor. 10.
Exhortatio ad pugnam.
tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere. Immò etiam ad confidentiam victoriæ obtinendæ ſuo nos invitat exemplo: Confidite, inquit, ego vici mundum. Si ſemel victus eſt, non erat invincibilis mundus: facilius nobis erit victoria victum vincere, quàm invictum. Chriſtus vincendum aggreſſus eſt & devicit. Dicebatur
E aliquando: (i) Vide Domine & conſidera, quoniam erectus eſt inimicus: nunc autem dicitur, quoniam dejectus eſt inimicus. Fiducialiter aggredi poſſumus jacentem & victum: quia ſi dejectus eſt, non reſurget, ſi victus, non præſumet. Nulla ipſius
i Thren. 1.
ex hoc nunc reſurrectio, vel præſumptio prævalebit. Timeo tamen, ne aliquis fortè ſubmurmuret, præſumptuoſum dicens æmulari tantæ perfectionis exemplum. Facile, inquit, erat Chriſto mundum vincere qui creaverat mundum. Omnipotens enim nomen ejus, cui idem eſt & velle &

Digitized by Google

poſſe; mihi non ita, quoniam infirmus A
ſum, & conturbata ſunt omnia oſſa mea.
Omne ſcilicèt robur naturæ meæ peccati
corruptione concuſſum, & ideò ſubſtan-
tia mea tamquàm nihilum coram ipſo.

XIII. Sed nequaquàm, domini & Patres mei,
diffidendum, nequaquàm deſperaudum eſt;
quia ſicut verba Chriſti nobis ad doctri-
nam, ita opera proponuntur ad formam.
Et ſicut per doctrinam impoſſibile no-
bis eſt ſcientiæ illius plenitudinem ob-
tinere, ita per exempla ad æqualitatem
virtutum ejus non poterimus pervenire. Sed
licèt attingere non valeamus eminentiam
majeſtatis; proficere tamen poterimus B
ad aliquam ſaltem ſimilitudinem ſanctita-
tis. Proderit imitari, etſi nemo valeat
adæquari. Citra perſectionem ejus ſubſi-
ſtit noſtra perfectio. Proſequi debemus,
etſi conſequi non poſſimus. Non eiſdem
paſſibus, ſed eodem tramite, eiſdem eſt
veſtigiis inſiſteudum. Quòd ſi aliqua etiam
Ab exemplo. de hominibus exempla quærantur; multos
homines victores mundi poterimus inve-
nire. Videamus Apoſtolum, hominem
ſcilicèt peccatorem, ſicut & nos, non
quantum nos, qui (*a*) dicat ſe minimum
a 1. Cor. 15. Apoſtolorum, & indignum vocari Apo-
ſtolum, quoniam perſecutus eſt Eccleſiam C
b 2. Timo. th 4. Dei; (*b*) Bonum, inquit, certamen certa-
vi, curſum conſummavi, fidem ſervavi: de
cætero repoſita eſt mihi corona juſtitiæ.
Certavit Apoſtolus, de certamine victo-
riam, de victoria conſecutus eſt coronam.
Cucurrit & conſummavit curſum, ideò-
que bravium aſſecutus eſt; idem bravium,
quod corona. Tu autem quis es, qui quæ-
ris coronam ſine victoria, vel ſine concerta-
tione victoriam? Impoſſibile eſt de facto,
ſine concertatione viciſſe; improbabile eſt
de jure coronam ſine victoria poſtulare.
Neque enim coronabitur, niſi qui legi-
timè certaverit. Lex autem certaminis D
perſeverantia eſt. Qui enim perſevera-
verit uſque in finem, hic ſalvus erit:
idem profectò ſalus, quod bravium &
corona.

XIV. Amplius, ſi major vobis de hominibus
placeat pluralitas exemplorum, infinita ferè
Martyrum millia nobis occurrent, qui
ad certamen iſtud toto deſiderio occurre-
runt, & demùm victoriam cruentam qui-
dem, ſed tamen cum lætitia & gloria per-
c Actor. 5. ceperunt. (*c*) Numquid non ibant Apo-
Sanctorū Victoriæ. ſtoli gaudentes à conſpectu concilii, quo-
niam digni habiti ſunt pro nomine JESU
contumeliam pati? Numquid non Stepha- E
nus inter lapides ipſos pro lapidantibus
ſupplicat & exorat? Numquid non Petrus
& Andreas de cruce prædicant veritatem?
Numquid non Laurentius de craticula ty-
ranno lætabundus inſultat? Numquid non
carnifices ipſos ad equuleum prævenire in-
vincibilis Vincentii fortitudo feſtinat? Sed
& ſi de infirmiore ſexu quæratur exem-
plum, Agatha lætiſſimè & gratulanter
ibat ad carcerem, & quaſi ad epulas invi-
tata, agonem ſuum Domino precibus com-
mendabat. Prius me deficiet dies, immò

A totum longioris anni ſpacium expirabit,
quàm Sanctorum victoriæ planè valeant
enarrari. Hi reverà fuere viri fortes, &
ad bella doctiſſimi, qui humilitate ſuper-
biam, tyrannidem patientia devicerunt.
Cæterùm benignus agit cum infirmitate
noſtra miſericors & miſerator Dominus.
Ipſe enim conſcius eſt infirmitatis noſtræ,
utpotè qui novit figmentum noſtrum. To-
lerabilem itaque facit patientiam noſtram.
Reverà ſicut dictum eſt, facit cum labo-
re proventum. Nulla ergò adverſùm nos
veteris ſævitiæ commenta procedunt, im-
mò etiam ſuſtinemur in equis & curribus
B ambulare, in magnis quandoque & mi-
rabilibus ſuper nos epulari ſplendidè, pre-
tioſis indui honoribus, & divitiis abun-
dare. Paupertatem Chriſti verbo prædi-
camus, ſed minus exhibemus exemplo;
niſi quia fortaſsè paupertatem ejus in no-
bis ſpiritualiter divitiarum contemptus &
humilitas ſancta reſtaurat. Neque enim
requiritur à nobis divitiarum indigentia,
ſed contemptus. Divitiæ, inquit, (*d*) ſi d Pſal. 61.
affluant, nolite cor apponere. Non di-
xit ne affluant, ſed ne cor apponatur. Porrò
cor prohibuit apponere, ſed non manum.
Profectò Propheta in omni affluentia divi-
C tiarum, pauperem ſe prædicat & egenum.
Poſſumus itaque licitè divitias poſſidere,
ſi tamen earum nos non reputaverimus do-
minos, ſed miniſtros. Si intellexerimus pa-
trimonium pauperum eſſe patrimonium
Chriſti, ſi proventibus Eccleſiæ, ſi paupe-
rum neceſſitatibus erogantur. Alioquin
fures & latrones nos ratio manifeſta con-
vincet, ſi res alienas invitis dominis no-
ſtro præſumpſerimus arbitrio contre-
ctare.

Quia igitur diſtribuendæ ſunt, non re- XV. Exulibus pro Eccleſia erogādæ divitiæ.
tinendæ divitiæ, nuſquam juſtius, nuſ-
quam poſſunt liberaliùs erogari, quàm in
D eos, qui exulantem Eccleſiam proſequun-
tur, qui propter cauſam Chriſti rerum ſua-
rum diſpendia pertulerunt. Cauſa commu-
nis eſt, ſed in eos omne detrimentum,
omnis eſt converſa vexatio. Nos enim in-
tra domeſticos parietes noſtros tribunalia
noſtra ſublimiter inſidemus; ipſi de ſedi-
bus ſuis contumelioſè & violenter ejecti
peragrant regiones. Nobis omne ſolatium
cum affluentia divina pietas adminiſtrat;
ipſi de manibus alienis ſubſidia vitæ cum
ſilentio patienter expectant. Nobis neceſ-
ſariorum noſtrorum & familiarium ordo
longus aſſiſtit; ipſi inter ignotos vitam qua-
E ſi ſolitariam degere compelluntur. Si quam
tamen eis conſolationem emendicata ſuf-
fragia præſtiterunt, indignum eſt ab eis
beneficia quærere, quibus tu conſueve-
ris exhibere. Aperiamus itaque eis vi-
ſcera pietatis, & in eos omnem compaſ-
ſionis & venerationis effundamus affe-
ctum, ipſoſque cum omni beneficentia &
gratia complectamur; quia tunc adimple-
bimus (*e*) legem Chriſti, ſi alter alterius e Galat. 6.
invicem onera comportemus. Viri pru-
dentes ſunt & multa commendabiles hone-
ſtate, quos Dominus elegit tamquàm aurū
in

A in fornace probandos, ut per eos impendio perſonarum & rerum Eccleſiæ victoria conſummetur. Felices ſunt, quibus datum eſt pro æternis tranſitoria commutare. Feliciores ſunt, qui mortem vel corporales injurias ſunt experti, & impretiabilem ſanguinem Chriſti ſuo indigno & corruptibili ſanguine compenſarunt. Quid enim? Numquid ſanguinem Chriſti in cauſam noſtræ redemptionis capendimus, ut ipſum ei in tempore retributionis, ſcilicèt cùm ipſe requiſierit, ſolveremus? Mutuus eſt peccator, & non ſolvet: nos autem, Domino miſerante, ſolvemus, qui confitemur nos non artificio civili, ſed re B ipſa interveniente naturaliter obligatos. Utinam, bone JESU, detur & mihi tecum pro ſpiritualibus tuis temporalia mea commutare! utinam ſanguinem meum tibi pro ſuo recipere placeat in ſolutum! Vel quia crediti & debiti ſanguinis, ſcilicèt tui & mei, invicem æſtimatio non concurrit, ſaltem benigniſſima acceptilatione liberatus abſolvar, qua ſcilicèt conſueviſti juſtitiam accepto ferre ſine operibus, & præmia ſine meritis, pro gratia ſcilicèt bonæ actionis gratiam retributionis inferre.] Hucuſque in codice, ſed mea ſententia, fine carere ipſa videtur oratio. C

XVI. Conradus electus Mogunt. venit ad Synodum.

Dum iſta in Turonenſi Concilio cœpta eſſent actitari: poſt alios, qui illùc convenissent Catholicæ communionis Epiſcopi, convolavit & Conradus Archiepiſcopus Moguntinus electus, de quo iſta Romualdus Archiepiſcopus Salernitanus hujus temporis ſcriptor fidelis: Tempore Concilii hujus Conradus nobilis clericus Alemanniæ, & Imperatoris conſanguineus, qui in Moguntina Eccleſia erat electus, nolens Octaviano & Imperatori ſchiſmatico conſentire, Eccleſiam ſuam deſerens, ignorante Imperatore, ad Alexandrum Papam in Franciam feſtinus advenit. D Quem Papa ſatis benignè recipiens, poſtmodùm ſecum Romam uſque adduxit: dehinc in Cardinalem Epiſcopum Sabinenſem promovit: poſtremò in Moguntinum Archiepiſcopum ſublimavit. Quo audito Imperator ira commotus,

Chriſtianus ſchiſmaticus.

Chriſtianum nomine Cancellarium ſuum in Moguntina Eccleſia elegi fecit, & à ſuis Suffraganeis conſecrari.] Hæc ipſe. Sed de eo ſæpè inferiùs.

XVII.

Quæ autem in eodem Concilio Turonenſi ſint tranſacta, ita legitur in vitæ Actis Alexandri Papæ: In eo nimirùm Apoſtolica conſtituta ſunt probata, & E hæc capitula roborata denuò & promulgata.] Sed ut Robertus aſſerit, qui præſens aderat, inprimis illud actitatum, quòd Alexander Papa reddita pleniſſima ratione de ſui legitima ad Pontificatum promotione, ingeſſerit de intruſione & invaſione Octaviani querelam: quo factum eſt, ut in ipſum atque complices ejus omnes fuerit iteratum anathema. Quibus ſeriò valdè peractis, pronuntiante eodem Alexandro Pontifice, aliquot in eodem Concilio conſtituti ſunt canones, qui deſcripti reperiuntur in ejuſdem Alexandri vitæ Actis, nec non in codice antiquorum canonum in Vaticana bibliotheca, ubi iſta præmiſſa leguntur:

Anno igitur Incarnationis Dominicæ MCLXIII. Indictione undecima, anno quarto ſui Pontificatus, quarto Kal. Junii, ſæpè dictus Alexander Papa in Eccleſia S. Martini Turonis Concilium celebravit, in quo interfuerunt ſecum Cardinales numero xvii. Epiſcopi ccxiv. Abbates ccccxiv. & aliorum, tàm clericorum, quàm laicorum maxima multitudo. In quo nimirùm Apoſtolica conſtituta ſunt roborata, & hæc nova promulgata capitula:

XVIII. 1. Majoribus Eccleſiæ beneficiis in ſua integritate manentibus, indecorum nimis * videtur, ut juniores clericorum Præbendæ recipiant ſectiones. Idcircò ut in magnis, ita quoque in minimis ſuis membris * firmam habeant Eccleſiæ unitatem: diviſionem Præbendarum, aut dignitatum permutationem fieri prohibemus.

* eſſe Vatic.

* deeſt in Vatic.

Canones Concilii Trident.

2. Plures clericorum (quod mœrentes dicimus) eorum quoque, qui priùs ſæculum, profeſſione, votis, & habitu reliquerunt, dum communes uſuras, quaſi manifeſtiùs damnatas exhorrent, commodata pecunia indigentibus, poſſeſſionem eorum in pignus & provenientes fructus accipiunt, ultrà ſortem. Idcircò generalis Concilii decernit auctoritas, ut nullus amodò conſtitutus in Clero, vel hoc vel aliud uſuræ genus exercere præſumat. Et ſi quis hactenùs poſſeſſionem alicujus data pecunia, ſub hac ſpe in pignus acceperit, ſi ſortem ſuam, deductis expenſis de fructibus jam recepit, abſolutè poſſeſſionem reſtituat debitori. Sin autem aliquod minùs habet, eo recepto poſſeſſio libera ad dominum revertatur. Quòd ſi poſt hujuſmodi cōſtituta in Clero quiſquam extiterit, qui deteſtandis uſurarum lucris inſiſtat: Eccleſiaſtici officii periculum patiatur, niſi fortè beneficium Eccleſiæ fuerit, quod redimendum ei hoc modo de manu laica videatur.

3. Quamvis grave nimis & divini dignum animadverſione judicii habeatur, quod laici quidam quod ſacerdotum eſt, uſurpant in Eccleſiaſticis rebus: majorem id formidinem incutit ad dolorem, quod fomitem ſui erroris, * qui ipſo, Deo auctore vacare aſſerunt, alant; dum quidam fratrum & Coepiſcoporum noſtrorum, aliorumque Prælatorum Eccleſiæ decimas eis, & Eccleſiarum diſpenſationes indulgent, & in devia eos mortis impellunt, qui prædicatione ipſorum ad vitæ viam fuerant revocandi. De quibus dicit Dominus per Prophetam: (a) Peccata populi mei comedunt, & ad iniquitatem provocant animas eorum. Unde ſtatuimus ut ſi quis alicui laico in ſeculo remanenti Eccleſiam, decimamque conceſſerit: à ſuo ſtatu tamquàm arbor, quæ inutiliter terram occupat, ſuccidatur, & donec ſe emendet, ipſum ſuam deflens, * ſubjaceat dolore proſtratus.

* In ipſo Clero dicuntur aliquoties invenire, dū.

a Oſe. 4.

* ruinę ſuę

4\. In partibus Toloſæ damnanda hæreſis dudùm emerſit, quæ paulatim more cancri ad vicina loca ſe diffundens, per Guaſconiam & alias provincias quamplurimos jam infecit. Quæ dum in modum ſerpentis intra ſuas evolutionea abſconditur, quantò ſerpit occultiùs, tantò graviùs periculum in ſimplicibus commolitur. Unde * contra eos, Epiſcopos & dominos *Deeſt in Vatic.* ſacerdotes omnes in illis partibus commorantes vigilare præcipimus, & ſub interminatione anathematis prohibere, ut ubi cogniti fuerint illius hæreſis ſectatores, ne receptaculum quiſquam eis in terra ſua præbere, aut præſidium impertire præſumat. Sed nec in venditione, aut emptione aliqua cum eis omninò communio habeatur; ut ſolatio ſaltem humanitatis amiſſo, ab errore viæ ſuæ reſipiſcere compellantur. Quiſquis autem contra hæc venire tentaverit: tamquàm particeps iniquitatis eorum, anathemate feriatur. Illi verò ſi deprehenſi fuerint, per Catholicos Principes cuſtodiæ mancipati, omnium bonorum amiſſione mulctentur. Et quoniam de diverſis partibus in unum latibulum crebrò conveniunt, & præter conſenſum erroris, nullam cohabitandi cauſam habentes, in uno domicilio commorantur: talia conventicula & inveſtigentur attentiùs, & ſi inventa fuerint, canonica ſeveritate vitentur.

5\. Quoniam enormis quædam conſuetudo in quibuſdam locis contra ſanctorum Patrum conſtitutiones invaluit, ut ſub annuo pretio ſacerdotes ad Eccleſiarum regimen conſtituantur; id ne fiat, modis omnibus prohibemus. Quia dum ſacerdotium ſub hujuſmodi mercede veniali diſponitur: ad æternæ retributionis præmium conſideratio non habetur.

6\. *Deeſt in Vat.* Non * ſatis utiliter in populo avaritia redarguitur, ſi ab his, qui in Clero conſtituti videntur, & præcipuè, qui contempto ſæculo, religioſum nomen profitentur, regula quam ſuſceperunt, non obſervatur. Prohibemus igitur, ne ab omnibus, qui ad religionem tranſire voluerint, alia pecunia requiratur; & ne Prioratus, aut capellaniæ quælibet monachorum, aut clericorum, decimæ detractione vendantur; neque ab eo, cui regimen ipſarum committitur, pro earum commiſſione exigatur. Hoc autem ſimoniacum eſſe, ſanctorum Patrum auctoritas manifeſtè declarat. Unde quiſquis de cœtero hoc attentare præſumpſerit: tàm qui dederit, quàm qui receperit, partem ſe cum Simone non dubitet habiturum. Pro ſepultura quoque, chriſmatis & olei ſacri perceptione, nulla cujuſquam pretii exactio intercedat: neque ſub obtentu alicujus conſuetudinis reatum ſuum quiſquam tueatur; quia diuturnitas non minuit peccatum, ſed auget.

7\. Quia in quibuſdam Epiſcopatibus Decani quidam, vel Archipresbyteri ad agendas vices Epiſcoporum ſeu Archidiaconorum, & terminandas cauſas Eccleſiaſticas conſtituuntur ſub annuo pretio, quod ad ſacerdotis gravamen, vel ſubverſionem judiciorum non eſt dubium redundare: id ulteriùs fieri diſtrictiùs prohibemus. Quòd ſi facere præſumpſerit quiſquam, removeatur à Clero. Epiſcopus quoque, qui hæc in ſua diœceſi ſuſtinuerit, & Eccleſiaſtica judicia patitur diſſimulatione perverti: canonica diſtrictione plectatur.

Non ſolùm maximoperè antiqui hoſtis invidia infirma membra Eccleſiæ præcipitare laborat, ſed manum mittit ad deſiderabilia ejus, & electos quoque nititur ſupplantare, dicente Scriptura: (*a*) Eſca ejus electa. *a Job. 40.* Eſt enim * genus hominum, *Juxta LXX.* qui quidem ſine cauſa operari ſe putant, *Deeſt in Vat.* ubi pretioſius aliquod membrum Eccleſiæ fuerit, aliqua calliditate ſubtrahunt. Inde nimirùm eſt, quòd ſe in Angelum lucis more ſolito transfigurans, ſub obtentu languentium fratrum conſiderandis corporibus, ad Eccleſiaſtica negotia fideliter pertractanda, Regulares quoſdam ad legendas leges, & confectiones phyſicas ponderandas, de caſtris ſuis educit. Unde hac ſub ſcientia ſpirituales viri mundanis rursùm actionibus circumdantur, & in interioribus eo ipſo deficiunt, ex quo ſe alios putant in exterioribus proficere. De præſenti aſſenſu huic malo obviantes, ſtatuimus, ut nullus omninò poſt votum religionis, poſt factam in aliquo religioſo loco profeſſionem, ad phyſicam, legeſve mundanas legendas permittatur exire. Si verò exierit, ac ad clauſtrum ſuum infra duorum menſium ſpacium non redierit: ab omnibus evitetur, & in nulla cauſa, ſi patrocinium præſtare præſumpſerit, audiatur. Reverſus autem ad clauſtrum, in choro, Capitulo, & menſa ultimus Fratrum ſemper exiſtat; & niſi ex permiſſione forſan Sedis Apoſtolicæ, totius ſpem promotionis amittat. 8.

9\. Ad hæc, ordinationes factas ab Octaviano, & aliis ſchiſmaticis & hæreticis, *b Neubrig. lib. 2. c. 15.* evacuamus, & irritas omnes eſſe dicimus, & decernimus.] Hæc ibi. Porrò deeſt decimus canon, qui deſcriptus habetur extra de pœnis capite quarto. Hactenùs ejuſdem Turonenſis Concilii canones. Leguntur iidem ferè omnes apud Vvillelmum (*b*) Neubrigenſem, ſed inverſo ordine. Pergit auctor: Celebrato itaque Concilio, dominus Alexāder Papa à prædictis Regibus tale recepit mandatum, ut ſi moram in aliquo ſuorum regnorum loco aſſiduam facere vellet: eligeret villam, vel civitatem, quæ ſibi magis placere videretur. Unde factum eſt, quòd ad civitatem Senonenſem moraturus acceſſit, quoniam ipſa metropolis valdè formoſa erat & fertilis. In quo loco à Kalendis Octobris uſque ad Paſcha ſecundi anni moram diuturnam faciens, univerſalis Eccleſiæ negotia inibi pro ſui debito officii pertractavit.] Hucuſque ibi de rebus ab Alexandro geſtis hoc anno. Spectat ad hæc etiam, quòd haud tuta veritate aſſeritur S. Thomas hoc tempore ſe ab Archiepiſcopatu abdicaſſe. Etenim (*c*) Neubrigenſis poſt recenſitos canones *c Id. ibid. c. 16.*

Conci-

Digitized by Google

Concilii Turonenſis, hæc de Thoma Archiepiſcopo Cantuarienſi habet: Secundo promotionis ſuæ anno Concilio Turonenſi interfuit, ubi (ut dicitur) pontificatum minus ſincerè & canonicè per operam, manumque regiam ſuſceptum, laicam ſcilicèt inveſtituram, pungentis conſcientiæ ſtimulos non ferens, ſecretò in manus domini Papæ reſignavit. Quod factum approbans Aleſander, paſtoralem illi ſarcinam Eccleſiaſtica manu rursùs impoſuit, & in homine ſcrupuloſo turbatæ conſcientiæ læſionem ſanavit.] Hæc Neubrigenſis. At hæc poſteà facta eſſe, ſuo loco dicetur inferiùs. Sed & correctione dignus in eo eſt idem Neubrigenſis, dum ad excuſationem Regis unam tantummodò cauſam illam refert de concitata diſcordia in ſanctum Thomam & Regem, quod non ſiverit Sanctus, Regem lege agere contra facinoroſos clericos. Cæterùm etſi iſta interceſſit, alias plures cauſas juſtiſſimas præceſſiſſe, quibus oportuit à ſancto Thoma Regem corripi, quæ mox dicturi ſumus, oſtendent. Proſequamur igitur redeuntem ex Concilio Turonenſi ad ſuam Eccleſiam ipſum ſanctum Archiepiſcopum Cantuarienſem, ut diſcamus magnæ controverſiæ primordia, cujus cauſa per ſeptennium apud Romam Eccleſiam fruſtrà laboratum eſt, ut inter ipſum & Regem Anglorum ſciſſa concordia uniretur. Perduraſſe pacem poſt reditum unà cum Rege & unanimem concordiam uſque ad translationem ſancti Eduardi Regis, ſolemni ritu hoc anno habitam tertio Idus Octobris, in ſuperiùs citata (*a*) hiſtoria affirmatur, quæ quidem facta translatio deſcribitur in Appendice ad Vitam ipſius ſanctiſſimi Regis. Sed quænam iſta ſecuta ſint, iidem quatuor auctores qui præſentes erant rerum ſancti Thomæ ſcriptores, ſic narrant:

a Extat apud Sur. tom. 1. die 5. Januarii.

XIX.

S. Thomas ex Conc. redit in Angliam.

Cùm autem ex Concilio Turonenſi in Angliam eſt reverſus (ſecundus iſte annus fuit ab ejus conſecratione) ab ipſo Rege ut pater à filio hilari vultu ſuſcipitur, & obſequio colitur: ſed poſt hæc oriri cœptæ ſimultates, dum abſque animi Regis offenſione ſanctus Thomas quæ ſunt muneri Evangelici paſtoris exercet, in quibus obeundis, dum Eccleſiæ prædia à laicis uſurpata, malè verò à prædeceſſoribus alienata, recuperare laborat, plurimorum eorumdemque potentium à ſe avertit animos. Inde verò cùm regium Fiſcum perſtrigit, Regem ipſum paulatim ſibi reddidit infenſum. Invaluerat in Anglia prava illa conſuetudo, ut fructus vacantium Eccleſiarum Fiſcus ſibi avidè vendicaret: quamobrem oravit ſanctus Thomas, ut duobus diu vacantibus ſedibus Epiſcopalibus quàmcitiùs ſui ordinarentur Epiſcopi. Sed & nonnihil permovit animum Regis, dum idem ſanctus Thomas creatus Archiepiſcopus abdicavit ſe à munere Cancellariæ, ſecundùm illud (*b*) Apoſtoli: Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus. Optabat enim Rex eum

b 2. Tim. 2.

A ſibi retinere miniſtrum. Acceſſit hùc, quòd Thomas injuſtam tributi prohibuit exactionem. His eodem tempore additum, quòd homicidam presbyterum damnatum minimè tradidit Curiæ ſæculari, ſed exauctoratum tradidit monaſterio. Simile quidpiam accidit de Philippo quodam Canonico facinoroſo, quem non ſic, ut Rex cuperet, pœnas dare compulerit Archiepiſcopus, ſed cenſuris tantùm cohibuerit Eccleſiaſticis.

S. Thom. cum Rege Angl. diſcordiæ initia.

XX.

Quibus ex cauſis Rex commotus in Thomam.

Horum cauſa Rex indignatus, quòd ſcilicèt cum delinquentibus clericis ex legum ſacrarum præſcripto mitiùs ageretur, B unde ipſi ſceleſtiores evaderent: poſtulare inſtanter cœpit ab Archiepiſcopo Thoma, ut hujuſmodi facinoroſi clerici poſt pœnam canonicam in eos irrogatam traderentur Curiæ ſæculari. At hujuſmodi Regis petitioni refragatus eſt ſanctus Thomas, & cum eo complures Epiſcopi, rogantes omnes Regem ſe ab his abſtinere, qui magis accenditur ira, de quo ſubdit iſta Robertus: Verùm Rex nonnihil commotus ad hæc; ſed eò ampliùs commotus, quòd cerneret Archipræſulem, & Epiſcopos adversùs ipſum (ut reputabat) eſſe unanimes. Sicque conſtantes ſciſcitabatur mox, C an conſuetudines ſuas regias forent obſervaturi, replicans, illas tempore avi ſui ab Archiepiſcopis, & Epiſcopis, privatis & privilegiatis obſervatas, non oportere ſuo tempore triſti judicio damnari. Ad quæ Archipræſul, præhabito tamen cum fratribus ſuis conſilio reſpondit: Illas ſe & fratres ſuos obſervaturos SALVO ORDINE SUO. Et id ipſum, & ex ordine reſponderunt pontifices ſinguli, ſigillatim & à Rege interrogati. Unus autem, Hilarius ſcilicèt Ciceſtrenſis Epiſcopus audiens, ob hanc omnium vocem Regem magis exacerbatum, Archipræſule & D Epiſcopis inconſultis, mutavit verbum, dicens, ſe regias conſuetudines obſervaturum BONA FIDE, & profectò pro bono (ut reor) ut vel ſic Regis ſedaret animum. Sed Rex nihil mitigatus, ob idque ipſum quibuſdam contumeliis affectum ſprevit. Et ad Archipræſulem, & ad Epiſcopos ſe convertens, omnium ſic una eademque voce audita, dicebat, aciem contra ſe firmatam, & venenum verbo illi ineſſe, & captioſum eſſe, SALVO ORDINE SUO. Unde petebat, ut abſolutè abſque adjectione regias conſuetudines ſe obſervaturos promitterent. Archi- E præſul reſpondit ad hoc, quòd fidelitatem ei juraverant, VITAM ſcilicèt, MEMBRUM, ET HONOREM TERRENUM, SALVO ORDINE SUO: & quòd in hoc HONORE TERRENO, regiæ fuiſſent conſuetudines comprehenſæ: & ad earum conſervationem ſe minimè in alia forma obligaturum, niſi in qua priùs juraverant. Cùm verò multum inclinata eſſet jam dies, tota die Rex vexatus, inſalutatis pontificibus, in ira & indignatione multa ſubitò recedit ab aula.]

Equi-

XXI. Equidem plus æquo & quaſi feraliter, A amota mente, Rex ipſe iracundiæ paſſione permoveri, & in tranſverſum agi conſuevit, ut uno vel altero hic tibi exemplo monſtrandum, quo hoc ipſo exordio controverſiæ motæ cognoſcas, quàm arduum, quàmque periculoſum fuit cum ipſo de quavis re quantumlibet juſtiſſima diſceptare. In epiſtola enim quadrageſimaquarta

Rex Angl. in iram præceps.

iſta leguntur ad ſanctum Thomam conſcripta de ipſo Rege: Rex die quadam cùm eſſet apud Cadomum, & de negotio ſuo, quod habebat cum Rege Scotiæ, ſollicitè B pertractaret contra Richardum de Humet, qui pro Rege Scotiæ loqui videbatur: in verba ignominioſa prorupit, & eum proditorem manifeſtè appellavit. Rex itaque ſolito furore ſuccenſus, pileum de capite projecit, baltheum diſcinxit, pallium & veſtes quibus erat indutus, longiùs abjecit; ſtratum ſericum quod erat ſupra lectum, manu propria removit, & quaſi in ſterquilinio ſedens ſtraminis cœpit maſticare feſtucas.] Iſta tunc edidit non tàm iracundiæ quàm furoris ſigna. De quo & iſta ſequenti epiſtola: Puerum, qui Regi litteras tradidit, in arcto fuiſſe poſitum, digitis ad oculos eruendos appoſitis, C uſque ad effuſionem ſanguinis &c.] Ad

a Pet. Bleſ. ep. 75.

hæc etiam Petrus Bleſenſis in (a) epiſtola ad Rogerium Decanum iſta de moribus Regis; Illud caveas, ne accedas ad dominum Regem negotium tuum propoſiturus, donec per me vel per alium, qui ejus mores noverit, introitus prætentetur. Agnus enim eſt, dum placati eſt animi; leo verò, aut leone truculentior eſt dum vehementiùs excandeſcit. Non eſt ludus, illius indignationem incurrere, in cujus manu honor eſt & confuſio, hæreditas & exilium, vita & mors.] Et in epiſtola ad

b Idem ep. 66.

Archiepiſcopum (b) Panormitanum hæc D habet, dum ejus deſcribit effigiem: Oculi ejus orbiculati ſunt, dum pacati eſt animi, columbini, & ſimplices; ſed in ira & turbatione cordis quaſi ſcintillantes ignem, & in impetu fulminantes.] Et inferiùs: Quem ſemel exoſum habuit, via in gratiam familiaritatis admittit.] Hæc Bleſenſis. Ex his inquam vides, Lector, quanto periculo reſiſtendum eidem fuerit ab Epiſcopis.

XXII. Quæ autem iſta ſint ſecuta, pergit Robertus recenſere: In receſſu vero à Rege Epiſcopus ille, quem ſuprà diximus, ab Archipræſule Thoma ſeriter eſt objurga- E tus, quòd ſe & Epiſcopis inconſultis, commune omnium verbum mutare præſumpſiſſet. In craſtino autem Rex munitiones & honores, quæ Archipræſul à Rege jam à tempore Cancellariæ in cuſtodia habuerat, repetita recepit, & nec ſalutans, nec ſalutatus à pontificibus, immò neſcientibus ipſis, clàm & ante lucanam horam Londonia receſſit. Et quidem hoc grandis iræ & indignationis argumentum extitit.] Quæ verò iſta ſint ſecuta, dicetur anno ſequenti, quo fieri contigerunt.

Cùm hoc ſtatu res eſſent, Rex illud pra- A vo conſilio malignantium moliri cœpit, ut corpus illud unitum, nempè conjunctio animorum Archiepiſcopi cum Epiſcopis, qua planè inexpugnabile redditum erat, ſcinderetur, atque ita diſſolutum vincere poſſet: ſicque factum, ut in gratiam Regis inferiora membra capiti rebellarent, & ſi quando eos canonica vellet auctoritate compeſcere; mox ipſi Sedem Apoſtolicam appellarent. Idem verò Sanctus ob iſta in ſumma animi conſtitutus anguſtia, reddidit de his Alexandrum Pontificem certiorem; ad ipſum cum litteris Nuntium B mittens: qui ipſi compatiens has ad eum conſolatorias (c) litteras reddidit, hac inſcriptione in codice prænotatas.

Quid molitus primò in Archiepum Thomam Rex Angliæ.

c Lib. 1. ep. 17.

XXIII. Alexander Papa Thomæ Cantuarienſi Archiepiſcopo, *in initio tribulationis.*] Data nempè eſt hæc epiſtola hoc anno in fine menſis Octobris.

Epiſt. Alexan. Pap. ad S. Thomam.

Litteras, quas nobis tua fraternitas deſtinavit, & ea quæ Nuntius tuus viva voce propoſuit, attenta diligentia audivimus, & graves anxietates & amaritudines, quibus animus tuus aſſiduè affligitur, pleniùs attendimus. Unde his auditis & cognitis, ſpiritus noſter commotus eſt & valdè tur- C batus, quibus cordi eſt libenter in tuis proſperitatibus delectari, & in adverſis, tamquàm fratri chariſſimo plurimùm condolere. Tu ergò ſicut vir conſtans & prudens, recolens ſæpè quod dicitur: (d) Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilii, quoniam digni facti ſunt pro nomine JESU contumeliam pati: hujuſmodi anguſtias in patientia toleres, & non pluſquàm oporteat tuus ſpiritus anxietur, ſed dignam in te ipſo conſolationem recipias, ut & nos tecum pariter in eo conſolemur, qui te ad corroborationem Catholicæ & Chriſtianę veritatis, hoc neceſſitatis articulo reſer- D vavit, & cujus beneplacitum eſt, eorum quæ minus licitè commiſiſti, maculas abſtergere, & per varias afflictiones punire, ne videantur in diſtricto examine punienda reſervari.

d Actor. 5.

Decreto non tibi grave ſit, nec (ſicut ex litteris, quas clerico tuo miſiſti, accepimus) ulla ratione meticuloſum, quòd es ad Sedem Apoſtolicam appellatus: quia gratum nobis eſt, & acceptum, & volumus, ut ſi illi qui te appellaverunt, fortè venerint: tu per te ipſum, ſi tibi viſum fuerit, appellationem ipſam omni dubietate & dilatione poſtpoſita proſequaris: nec umquam aucto- E ritate Romanæ Eccleſiæ aliquis poſſit conſtantiæ tuæ timorem incutere, ſeu dubietatem. Quia nos jura, & dignitates Eccleſiæ tibi commiſſæ, quantum ſalva juſtitia & ratione poterimus, ſtudioſiùs tibi curabimus, auctore Deo, conſervare, ſicut illi, quem in facto Eccleſiæ conſtantem reperimus & fortiſſimum propugnatorem.

XXIV. Ad hæc fraternitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenùs te in Cantuarienſem Eccleſiam recipias, & paucis quidem retentis admodùm neceſſariis, ad minùs quàm poteris per terram illam diſcurras. Illud autem ſpecialiter ſuggerimus tuæ providen-

A ...videntiæ, ut nullius timoris, vel adverſitatis obtentu, quæ tibi poſſit accidere juri & dignitati Eccleſiæ tuæ abrenuntiare cogaris. Data Senonis ſeptimo Kalendas Novembris.] Hæc inquam ipſe Aleſander Papa ipſius perſecutionis exordio, ita præparans commilitonem ad proximè venturum bellum.

a L.1.ep.18. Quibus Thomas acceptis, has (a) reddidit ad ipſum Alexandrum Pontificem litteras per Henricum familiarem, ad hoc ad ipſum in Curiam miſſum.

XXV. S. Thomæ epiſtola ad Alex. Pap.

Litteræ conſolationis, quas veſtra nobis dignata eſt paternitas deſtinare, magnum quidem mediocriter anxiato afferre B poſſent remedium, aut ſi ſaltem noſtra circa unum aliquid figeretur anguſtia, ſpem nonnullam reſpirandi poſſemus ex eis concipere. At quoniam de die in diem malitia invaleſcit, multiplicantur injuriæ non noſtræ, ſed Chriſti, immò quia Chriſti, eò magis noſtræ, ſuccedentibus ſibi invicem more fluctuum procellis: ſolùm nobis videmus imminere naufragium, nec aliud conſilium ſupereſſe, niſi ut Chriſtum quaſi dormientem in navi pro viribus

b Matt. 18. noſtris excitantes, (b) dicamus; Domine ſalva nos, perimus. Et hoc ſanè aptiorem malignandi nacta eſt iniquitas occa- C ſionem, quòd ſtatum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ infirmiorem conſpicit. Ut verè ſiqueat, quòd quidquid in caput ſive bonum, ſive malum, ſive dulce, ſive amarum defluit, per barbam deſcendens, nec oram veſtimenti relinquit intactam: eripitur JESU Chriſto quod ſanguine ſuo comparavit, in ipſam ejus ſortem poteſtas ſæcularis manum extendit, adeò ut nec ſanctorum Patrum ſanctiones, nec ſtatuta canonum, quorum apud nos etiam nomen exoſum eſt, nec clericis quidem patrocinari valeant modo, qui ab hac jurisdictione hucuſque ſpeciali privilegio D fuerunt exempti. Et quoniam enarrare vel perſequi ſcripto quæ patimur, longum eſſet, & tædioſum; ad veſtram mittimus paternitatem magiſtrum Henricum fidelem & familiarem veſtrum & noſtrum, in cujus ore poſuimus ſingula ſeriatim, prout vidit, & audivit, vobis exponenda. Et ſi placet, credite, tamquàm ſi nos loquentes audiretis viva voce. Hoc tamen ſciatis, quoniam ſi fieri poſſet, multò libentiùs vos in perſona viſitaremus noſtra quàm in alia. Loquimur vobis ſicut Patri & domino, & quod dicimus, ſummo ſilentio petimus occultari. Nihil E enim nobis tutum eſt, cùm omnia ferè referantur ad Regem, quæ nobis in conclavi, vel in aure dicuntur. Væ nobis, qui in hæc ſervati ſumus tempora, quorum diebus acceſſerunt hæc mala, qui in priori ſtatu tanta potiti ſumus libertate, quam modo dura & peſſima ſervitute recompenſamus. Fugiſſemus ſaltem, ne in direptionem patrimonium Crucifixi dari videremus: ſed quò, niſi ad eum qui noſtrum refugium & virtus eſt, ignoramus. De Vuallenſibus & Oeno qui ſe prin-

A cipem nominat, domine provideatis, quia dominus Rex ſuper hoc maximè motus eſt & indignatur. Chariſſime Pater & domine benè valete.] Eodem quoque argumento, eodemque Nuntio ſcripſit ad Humbaldum (c) Cardinalem Epiſcopum Oſtienſem. Dedit item litteras ad Bernardum Epiſcopum Cardinalem Portuenſem: nec non ad Albertum presbyterum Cardinalem alias, alias verò ad Hyacinthum diaconum Cardinalem, quæ omnes integræ in eodem codice aſſervantur.

c Eod. cod. l.1. ep. ſt. 19. 20. 21. 22.

XXVI.

Poſt hæc Alexander ſubodoratus ventu- B ra prœlia, præparat ſe ad reſiſtendum, monens tàm ipſum, quàm omnes Epiſcopos Angliæ, ne quid Regi indulgeant contra libertatem Eccleſiaſticam, & quod Regi promiſiſſent contra eamdem libertatem, non ſervent, quæ datæ habentur ad ipſum Thomam, & ad omnes Epiſcopos Angliæ iſtis verbis: (d)

d L.1. ep. 91.

Ad hoc pontificalis officii onus ſuſcepiſſe noſcimini, ut commiſſas vobis Eccleſias ſic ad honorem Dei, & ſubditorum profectum, atque ſalutem regatis, quòd earumdem Eccleſiarum libertas per vos nullatenùs minuatur, ſed in ſuo ſtatu C per ſtudium veſtrum & per operam conſervetur. Inde ſiquidem eſt, quòd fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, & in virtute obedientiæ injungimus, quatenùs, ſi illuſtris Anglorum Rex quidquàm à vobis aliquo tempore requiſierit, quod contra Eccleſiaſticam libertatem exiſtat, hoc ei facere nullatenùs attentetis. Nec vos illi in aliquo, & maximè contra Romanam Eccleſiam obligetis, aut novæ promiſſionis ſeu juramenti formam inducere præſumatis præter id, quod Epiſcopi ſuis Regibus facere conſueverunt. Si autem D jam dicto Regi ſuper hujuſmodi vos in aliquo adſtrictos cognoſcitis: Quod promiſiſtis, nullatenùs obſervetis, ſed hoc potiùs revocare curetis, & de promiſſione illicita Deo ſtudeatis & Eccleſiæ reconciliari.] Hæc Alexander, cuſtos vigilantiſſimus ſacrorum canonum, nihil in gratiam Regis præſumptum contra eos ſinens, quamvis eidem Regi ob recentia accepta beneficia plurimùm deberet. Reliqua anno ſequenti.

Admonitio Alex. Pap. ad Epiſc. Angl.

XXVII.

Hoc idem anno, ſecunda Novembris, pſeudopapa Octavianus cum ſuis Laudem veniens, præſente Imperatore, & aliis E Principibus, necnon Patriarcha Aquilejenſi, aliiſque Epiſcopis, & Abbatibus, ſolemnem peragit translationem corporis ſancti Baſſiani Epiſcopi, & ex vetere Laude in novam, iiſdem ſupponentibus humeros, cùm Imperator & Imperatrix ad ædificandam Eccleſiam pecuniam obtulere. Deſcribit iſta Otto Morena in Laudenſi Chronico pluribus.

Res Hieroſol. Amalricus.

Quod ad res pertinet Orientis, hoc anno Amalricus ſuccedens Balduino fratri defuncto coronatur Rex Hieroſolymorum. Antequàm autem coronaretur coa-

ctus eſt

A ctus eſt ab Apoſtolicæ Sedis Legato Joanne ſanctorum Joannis & Pauli presbytero Cardinali ſimul cum Patriarcha Hieroſolymitano dimittere uxorem, quam ſibi in quarto conſanguinitatis gradu conjunctam, Patriarcha refragante duxiſſet, & ex ea prolem geminam ſuſcepiſſet: conceſſo tamen, ut duo ex ea nati filii legitimi haberentur. Hæc pluribus (a) Tyrius. Claredunæ collectus. a Vvillelm. Tyr. l. 19. c. 1. & 4.

JESU CHRISTI ANNUS 1164. ALEXANDRI PAP. III. ANNUS 5. FRIDERICI IMP. 10. MANUELIS IMP. 22.

SEquitur annus milleſimus centeſimus ſexageſimuſquartus, Indictione duodecima, idemque Eccleſiæ Catholicæ ob multa, quæ in eo contigere mala, admodùm ærumnoſus & laborioſus. Atque in primis, quod ad res pertinet Anglicanas, graviores in dies excitati ſunt fluctus, non ad obruendum tantùm Cantuarienſem Primatem unà cum univerſa Eccleſia Anglicana, ſed ipſam ſacroſanctam Catholicam (ſi licuiſſet) Eccleſiam demergendam unà cum ejus Præſule Alexandro Pontifice. Siquidem Henricus ipſe Rex Angliæ, ſanctum Thomam obſtinato animo perſequens, in eumdem Alexandrum Papam, ut eum ab Eccleſia dimoveret, ſtudium omne convertit. At quomodò cuncta iſta funeſta adeò ſe habuerint, accipe: Poſt turbulentum illum inter Epiſcopos Regemque congreſſum, & factam ob furorem Regis concitatam diſceſſionem: ad evitanda inſtantia quæ in dies magis urgerent mala, atque longè graviora, quæ imminerent univerſæ Eccleſiæ Catholicæ damna, idem ſanctus Thomas crebris impetitur multorum Epiſcoporum & Abbatum ſuaſionibus, ne unius verbi occaſione, ſeipſum unà cum univerſa Eccleſia, in diſcrimen adeò patens importunè valdè conjiceret, aſſerente & uno ex iis Abbate, hanc eſſe mentem ipſius Alexandri Romani Pontificis. His tandem perſuaſus Thomas (inquit in Quadripartita Herbertus) urgente charitate, apud Oxenefordiam ad Regem acceſſit, & verbum, quod Regi ſcandalo erat, ſe mutaturum promiſit. Unde Rex jam aliquantiſper ſedatus, vultum exhibebat ſereniorem Archipræſuli, nondum tamen ut ſolito. Dicebat autem Rex, obligationem de regiis conſuetudinibus obſervandis velle ſibi fieri in forma hac, in Epiſcoporum, & procerum regni conſpectu & audientia publica.] Ad hæc, ubi audivit de publico indicendo conventu, malorum præſagus rursùm Thomas reſilit; ſed rursùm impetitur precibus diverſorum, quibus & cogitur ad horam cedere, exemplo Petri, (b) cum Judæis Antiochiæ Judaizantis, & Pauli id ipſum ſæpiùs actitantis. Indicitur Clarendunæ Epiſcoporum conventus, de cujus tempore indictionis in epiſtolarum libro primo poſt undecimam epiſtolam iſta leguntur:

b Galat. 2.

Anno ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo ſexageſimoquarto, Papatus Alexandri anno quinto, illuſtriſſimi Regis Anglorum Henrici Secundi anno de-

Conventus execrabilis

B cimo.] De die autem iſta habentur in fine: Facta ſunt hæc quarta die ante Purificationem ſanctæ Mariæ perpetuæ Virginis,] nempè trigeſima Januarii. Qui autem huic interfuere conventui numerantur omnes Epiſcopi Anglicani, & Comites, Barones, magiſtratus, & nobiles. Quæ autem acta ſint, ſic accipe à Vvillelmo in Quadripartita. Rex igitur (ut videbatur) regni & ſacerdotii zelans pacem, ſed ſibi & Archipræſuli ſuo minus providens, apud Clarendunam regnum convocat univerſum. Quò cùm Præſules & proceres conveniſſent, exegit Rex inſtantiùs, ut promiſſa ſibi ſolverentur. Verùm Archiepiſcopus licèt Regi aſſentire promiſiſſet, ſuſpectam tamen habens Regis promiſſionem, quam ſcilicèt exigeret, & quia frequenter Principes ad indebita manus extendant, modum ignorantes, elegit potiùs apud Regem, quàm in legem Dei periclitari, æneumque ſerpentem contere prius, quàm pravitas in populo Dei pullularet. Jam quamvis exilium & carcerem metueret, Deum tamen pluris exiſtimans: ex adverſo aſcendit. Ille minatur, iſte refragatur: ille delirat, iſte tacita prece ſuſpirat. Intercà temporis Saresberienſis & Norvicenſis Epiſcopi, quos ab antiquo odio pœna manebat, timentes ſibi ex impacati temporis occaſione, verbis lacrymabilibus Archiepiſcopum exorabant, quòd ſui miſereretur Cleri, quòd animi pertinaciam relaxaret, ne ipſe carcerem, Clerus exterminium, ipſi capitis damnationem incurrerent. Sed & comites duo potentiſſimi in regno ipſum aggreſſi dicebant, quòd niſi ille voluntati Regis acquieſceret, ex Regis juſſione ipſi ad violentiam cogendi erant, quæ Regi ſibique perpetuam irrogaret infamiam.

III. Lapſus Thomæ Archiep. Cantuarienſis.

Vir ergò invictæ conſtantiæ, & in petra Chriſti fundatus, nec blanditiis emollitus, nec terroribus concuſſus: tandem à gremio veritatis, & ſinu matris avellitur, cujus libertati adhærebat. Et ne victor in lite per ſuperbiam intumeſceret in mente, inde deficiens, unde proficere deberet, derelinquitur ad horam, ſcilicèt ut cadat, & poſt caſum reſurgat: cadens, humanam fragilitatem agnoſcat, reſurgens, circa ſe divinam miſerationem intelligat. Sic ne quis de ſua virtute confidat, princeps Apoſtolorum Petrus & David ſanctus ceciderunt: ſic beatus Thomas tentationi relinquitur ad horam, ut poſtmodùm fragilitatis propriæ memor, fortior reſurgat ad pugnam. Igitur cùm tertiò per Richar-

chardum magni nominis virum, qui templo Hieroſolymitano tunc præerat, ſibi cavere moneretur, & Cleri miſereri: non tulit eorum ſupplicationes, non genieulationes. Nam tamquàm in ipſius verticem vibratos gladios viderent, plangere cernebantur, & tamquàm funus præſens futurum facinus lugebant. Unde potiùs ſuper Clerum, quàm ſuper ſe motus miſeratione, annuit de conſilio eorum regiæ voluntati parere. Primus igitur ante omnes Archipræſul in prætaxata forma ſe obligat, quòd videlicèt regias conſuetudines foret obſervaturus BONA FIDE, verbo illo ſuppreſſo, ſcilicèt, SALVO ORDINE. Atque juratoriam adiiciens cautionem, hæc ſe facturum in verbo veritatis ſpopondit, peccatum peccato adjungens: & id ipſum in eadem forma ſigillatim univerſi pontifices juraverunt:

Consuetudines regni cognitæ, & deſcriptæ.

Et in continenti facta obligatione in hac forma, per quoſdam regni proceres, qui has noſſe debuerant, facta eſt regiarum conſuetudinum recognitio, & ſicut publicè, ita & expreſsè cenſerentur. Verùm cùm & pleræque jam fuiſſent expreſſæ, & multò plures (ut videbatur) forent exprimendæ adhùc: Archipræſul interlocutus eſt, dicens, ſe nec eſſe de antiquioribus regni, ut priſtinas regni conſuetudines ſciret, nec in Archipræſulatu diu fuiſſe. Unde dicebat ſe neſcire de his, & proptereà, quòd inclinata ea eſſet dies, tantum negotium eſſe differendum in craſtinum. Placuit ſermo, & in ſua ſe receperunt hoſpitia. Et in craſtinum revertentes in idipſum: quæ pridiè intermiſſæ fuerant conſuetudines regiæ; recognitæ ſunt & expreſſæ, & in ſcriptum, chirographi more confectum redactæ, & regiarum conſuetudinum nomine cenſæ, quarum tamen multæ (ut perhibebatur) nequaquàm regiæ, ſed odio Archipræſulis ad ancillandam Eccleſiam evomitum æmulationis & invidiæ virus, ipſo etiam Rege ignorante, quòd homines inter ipſum & Archipræſulem hac aſtutia diſſenſionis zizania diſſeminare intenderent. Nec enim Rex, qui adhùc erat juvenis, ſicut nec Archipræſul novus priſtinas regni conſuetudines niſi ex illorum relatu cognoſcebat. Quales verò hæ regiæ conſuetudines fuerint, ſi quis ſcire deſiderat, eas in fine hujus hiſtoriæ deſcriptas inveniet.] Unde paulò inferiùs & nos hìc deſcripturi ſumus. Pergit verò inſtitutam orationem:

IV. Scriptis igitur conſuetudinibus, & in formam chirographi redactis, poſtulat Rex ab Archiepiſcopo & Epiſcopis, ut ad cautionem & majorem firmitatem ſigilla ſua appendant. Verùm Archipræſul, etſi vehementer contriſtatus, diſſimulat tamen, Regem contriſtare tunc nolens, & cautè quidem de plano non negabat, ſed differendum adhùc dicebat. Et ſi parati eſſent ad faciendum, dicebat tamen propter negotii magnitudinem, decere dilationem vel modicam, cùm juxta (a) Sapientem, abſque conſilio nihil faciendum grave: & exinde poſt deliberationem aliquantulam, ipſum & Epiſcopos ſuper hoc ipſum decentiùs requirendos. Scriptum tamen dictas conſuetudines continens recepit pro medietate quidem, & proinde, ut cauſam videlicèt ſuam ſecum haberet. Alteram verò ſcripti partem ſuſcepit Eboracenſis Archipræſul. Rex verò ipſe tertiam in Regum Archivis recondendam accepit ſcilicèt.] Et ſic ea die dimiſſio facta eſt. Hic autem in primis redarguas, quod ait Rogerius in Annalibus Anglicanis, ſuaſione Alexandri Papæ illa illicita promiſiſſe ſanctum Thomam Regi. Nam ſi illud ſecit non ſolùm ex conſenſu, ſed ſuaſione Pontificis: cur tamquàm de maximo facinore perpetrato apud eumdem Papam de iiſdem pœnitentiam fecit, cùm ille auctor ipſi illi fuerit delinquendi? ſed audiamus de his reliqua.

a Eccli.32.

V. Præter Quadripartitam quam diximus de his hiſtoriam, accedit ad calcem magis exacta narratio de omnibus, quæ contigerunt à fine ejuſmodi conciliabuli execrādi habiti Clarendunę uſq; ad profectionē Alexandri Pontificis ex Galliis: ex quibus nos contexìmus recitandam hiſtoriam, quæ ſic ſe habet, à pœnitentia ſancti Thomæ ſumentes exordium iſtis verbis: Eoque recedente à Regis Curia, obiter inter familiares ipſius orta eſt murmuratio, iis (ut aſſolet) aſſerentibus, ſic fieri oportere propter temporis anguſtiam: illis indignantibus, Eccleſiaſticæ libertatis auctoritatem ad unius hominis libitum deperire. Inter quos acriùs unus inſtitit, dicens: Publica, inquit, poteſtas perturbat omnia, in ipſum Chriſtum delirat iniquitas, ſynagoga ſatanæ profanat ſanctuarium Dei: ſederunt Principes, convenerunt in unum adverſùs Chriſtum Dominum. Nemo tutus qui diligit æquitatem: mundo judice, ſoli ſapiunt & venerantur hodiè qui Principi obſequuntur ad libitum. Concuſſit hæc tempeſtas & columnas Eccleſiæ: dum paſtor diſparuit, oves diſperſæ latitant ſub lupo. De cætero quis erit locus innocentiæ, quis ſtabit ex adverſo, vel quis triumphabit in prelio, principe devicto? Hæc quidem is murmurabat, qui crucem ferebat ante dominum Cantuarienſem. Cæteri obmutuere præ anguſtia. Et adjecit audaciùs, aſſumens parabolam in hunc modum: Quid, inquit, virtutis ſibi retinuit, qui conſtantiam perdidit & famam? Quorſum hæc, fili? (ait dominus Cantuarienſis.) Te ipſum, inquit, id reſpicit, quod hodiè omninò perdidiſti & conſcientiam, & famam, Deo odibili & honeſtati cōtrario exemplo in poſterum relicto, cùm manus tuas Deo ſacratas ad execrandas conſuetudines obſervandas extenderes, & in confuſionem libertatis Eccleſiaſticæ cum nefarii ſatanæ miniſtris conniveres.] Fuit planè iſte gallus ille, cujus clamore excitatus Petrus flevit amarè. Nam pergit: Ingemuit igitur dominus Cātuariēſis, & ſuſpirans adjecit: Penitet me, inquit, & graviter, & meum exhorreſcens exceſſum, meipſum judico indignum de cætero ad eum

Pœnitentia ſancti Thomæ ſibi indicta.

acce-

accedere in ſacerdotio, de cujus Eccleſia contriti tàm vile commercium. Silebo itaq; ſedens in mœrore, donec me viſitarit Dominus ex alto, ut per ipſum Dominum, & dominum Papam merear abſolvi. Statimque inde deſtinavit Nuntium ad Sedem Apoſtolicam.]

VI. Didicerat iſta Alexander Papa anteà aliorum relationibus, magnaque commiſeratione commotus, has ad eumdem ſanctum Thomam litteras dedit, quibus mœrentem eſt conſolatus, atque abſolvit à juramento. Litteræ autem ſic ſe habent: (a)

a Lib. 1. ep. 26.

Alex. Papæ abſolvit Thomam à culpa.

Ad aures noſtras fraternitas tua noverit fuiſſe perlatum, & quorumdam nobis relatione ſuggeſtum, quòd occaſione cujuſdam exceſſus, à Miſſarum propoſueris celebratione ceſſare, & à conſecratione ſanguinis & corporis Domini abſtinere. Quod utique quàm grave ſit præcipuè in tanta perſona, & quantum poſſit exinde ſcandalum provenire, ſollicita meditatione conſideres, & hoc ipſum vigilantia tuæ diſcretionis attendat. Debet autem diligentia tua prudenter advertere, quod plurimum intereſt, quando ex deliberatione, & propria voluntate, & quando ex ignorantia, vel neceſſitate aliqua committuntur. Aliter enim in his quæ ſpontanea voluntate, & aliter quæ ignorantia (ſicut dictum eſt) vel neceſſitate cogente fiunt, noſcitur procedendum. Et aliter illa, aliter iſta tractanda ſunt, & viris diſcretis & prudentibus metienda, velut ſacræ Scripturæ teſtimoniis edocemur: intentio tua operi tuo nomen imponit. Nam ſicut & alibi legitur, uſque adeò voluntarium eſt peccatum, ut niſi fuerit voluntarium, non ſit peccatum. Et omnipotens Dominus non factum agentis attendit, ſed conſiderat potiùs intentionem, & dijudicat voluntatem. Si igitur aliquid te recolis commiſiſſe, de quo propria te debeat conſcientia remordere; quidquid ſit, ſacerdoti, qui diſcretus & providus habeatur, tibi conſulimus, per pœnitentiam confiteri. Quo facto, & miſericors Dominus, qui multò ampliùs ad cor reſpicit, quàm ad actus; tibi conſuetæ pietatis ſuæ miſeratione dimittet. Et nos de beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus meritis confidentes, te ab eo quod eſt commiſſum abſolvimus, & id ipſum fraternitati tuæ auctoritate Apoſtolica relaxamus. conſulentes utique ac mandantes, ut poſteà à Miſſarum celebrationibus propter hoc non debeatis abſtinere. Datum Senonis Kalendis Aprilis.] Hæc Alexander. Porrò Joannes Sareſberienſis in epiſtola ad Petrum ſcriptorem (puto Bleſenſem) quæ in codice epiſtolarum ſæpè citato omiſſa, poſteà in fine voluminis poſita legitur, affirmat, peccatum ſancti Thomæ non excuſandum, ſed oſtendendum per pœnitentiam eſſe purgatum; ait enim: Pollicitationem Clarendunæ, ad quam de conſilio Epiſcoporum impulſus eſt, purgare non poſſum, quia non fuerat utique facienda; ſed offenſam confeſſio diluit, accepta ſolemniter pœnitentia à ſummo Pontifice, qui perverſas illas conſuetudines, multis audientibus, auctoritate Apoſtolica condemnavit.] Hæc Joannes. Pergunt verò Acta citata ſuperiùs:

Innotuit interim id ipſum Principi, quòd dominus Cantuarienſis ab illa compromiſſione vellet reſilire, in eo præcipuè, dum palàm reſtitit, ne ſcriptum illarum conſuetudinum, ſicut condictum fuerat, ſuo ſigillo corroboraret. Et exinde Princeps exaſperatus, gravioribus & exquiſitis cœpit dominum Cantuarienſem vexare exactionibus, ita ut palàm fieret intelligentibus, ſanguinem ipſius Archiepiſcopi & vitam requiri.] Inter alia autem idem Rex illud egit, ut Nuntios mitteret ad Alexandrum Papam, ab eoque duo peteret, nempè ut legationem Angliæ credi ſolitam Archiepiſcopo Cantuarienſi, concederet Eboracenſi, & ab eodem Pontifice confirmarentur illa capita conſuetudinum apud conciliabulum Clarendunæ promulgata. His receptis Nuntiis, Alexander ſummis vallatus anguſtiis, cùm jam in Apoſtolicam Sedem converti bellum conſpiceret, ea qua potuit dexteritate ipſum Regem ſic delinire laboravit, ut aliquid ei concederet, quod tamen in nullum verteretur præjudicium Cantuarienſis Eccleſiæ, de quo has litteras dedit ad ipſum Cantuarienſem Archiepiſcopum: (b)

VII. Commotus Rex in Thomam, legationes mittit ad Papam.

b Lib. 1. ep. 4.

VIII. Alex epiſt. ad S. Tho. de petitionibus Regis.

Etſi pro animi tui prudentia & fidei ſinceritate perſonam tuam uberiori dulcedine charitatis & flagrantiori deſiderio velimus ſemper diligere, & honori & exaltationi tuæ ſicut chariſſimi fratris noſtri ardentiori animo aſpirare: nos tamen & teipſum, qui magna columna es Eccleſiæ, cautiùs convenit temporum qualitatem attendere, & provida diſpenſationis moderatione motum Principis delinire. Novit ſiquidem induſtria tua, cui divina diſpenſatio magnæ prudentiæ & gratiæ donum indulſit, quoniam ſerenrem diſpoſitionem circa regni ſui gubernationem chariſſimus in Chriſto filius noſter Henricus illuſtris Rex Anglorum defendat, & eamdem velit diſpoſitionem, ut firmior habeatur, & habeat majorem favorem, auctoritate Romanæ Eccleſiæ roborari. Unde cùm olim per venerabilem fratrem Lexovienſem Epiſcopum, & dilectum filium noſtrum Pictavienſem Archidiaconum, à nobis & fratribus noſtris inſtantiùs poſtulaſſet legationem totius Angliæ Eboracenſi Archiepiſcopo indulgeri, & tàm tibi, quàm univerſis Epiſcopis mandari rogaſſet, ut antiquas regni ſui conſuetudines, & dignitates conſervaretis: nobis ejus petitiones præter ſuum arbitrium moderantibus, ſtatim poſt reditum Nuntiorum ſuorum, vix audito quod à nobis reportaverant, dilectos filios noſtros Gaufredum Archidiaconum ſuum, & magiſtrum Joannem ad noſtram præſentiam deſtinavit, & per eos quod priùs petierat, & amariora à nobis inſtantiſſimè poſtulavit. Et

ut ſuo

Digitized by Google

…ut ſuo deſiderio faciliorem animum præberemus, fraternitatis tuæ, & prædicti Epiſcopi *Eboracenſis* ad nos litteras impetravit.

IX. Quæ neget, & quę concedat petēti Regi Alexan. Papa.

Quod enim de antiquis conſuetudinibus & dignitatibus conſervandis priùs mandari rogaverat, nuper, ſicut tu & alii obſervare promiſeratis, ea cum multa inſtantia petiit auctoritate Apoſtolicæ Sedis ſibi & ſuis poſteris confirmari. Sed nos petitionem iſtam nequaquàm admiſimus. Verumtamen, ne ad nimiam amaritudinem & vehementiorem animi turbationem eum circa nos & teipſum provocaremus; ne etiã id conſideratione tui putaretur quomodolibet impediri; nos tibi & nobis (ne fortè in majorem calorem iracundiæ adversùs te exardeſceret) conſultiùs providere volentes, & penſantes tempora periculoſa, legationis litteras præfato Archiepiſcopo concedendas eidem Regi cõceſſimus. Quoniam verò votis Principum condeſcendendum eſt, & ſuæ contemperandum voluntati: prudentiam tuam monemus, conſulimus, & omnimodis exhortamur, quatenùs ſicut vir providus & diſcretus neceſſitatem temporis metiens, & quæ inde tibi & Eccleſiæ tuæ poſſint provenire perverſa, fideli meditatione attendens: prænominato Regi in omnibus & per omnia, ſalva honeſtate Eccleſiaſtici ordinis, deferre ſatagas, & ejus tibi gratiam, & amorem inceſſanter recuperare intendas: ne ſecùs faciendo, eum contra te, & noſmet ipſos conturbes, & ii, qui non eodem ſpiritu ambulant, tibi & nobis valeant propter hoc inſultare. Nos enim, data nobis opportunitate, de honore, & augmento tuo cum eodem Rege diligenter ac ſollicitè conferemus, & circa conſervanda & jura & dignitates Eccleſiæ tuæ, neceſſariam diligentiam adhibebimus & cautelam, quam convenit adhibere. Datum Senonis 3. Nonas Martii.]

X. Vidiſti, Lector, Alexandrum Pontificem in anguſtiis conſtitutum, vel alienandi à ſe animum Regis, vel contra Eccleſiaſticam libertatem petenti & extorquere conanti quod peteret, indulgendi: ex duobus ſibi invicem obtrudentibus quæ petierat ipſe Rex, alterum conceſſit, nempè legationem Archiepiſcopo Ebotscenſi; negavit verò penitùs alterum, nempè confirmationem conſuetudinum, quas audiſti. Immò ne quodlibet afferret præjudicium ejuſmodi conceſſa Eboracenſi legato adversùs ipſum Thomam, poſterioribus litteris eam ita arctandam putavit, ut ſic ei conceſſa ſciretur legatio in Anglia, ut tamen nullum jus ſibi conceſſum ſciret in perſonam vel diœceſim Cantuarienſis Eccleſiæ. Extant ejus reſtrictionis litteræ Alexandri, quas brevitatis cauſa hìc deſcribere prætermittimus, ſatis eſſe putantes, ſi (*a*) notatas numeris eas relinquimus hìc in margine. Conſtat inſuper illud ex (*b*) iiſdem litteris Alexandri, ſic conceſſiſſe legationem Eboracenſi in Anglia, ut tamen minimè exemptos eſſe Epiſcopos voluerit ab obedientia, quam deberent Archiepiſcopo Cantuarienſi, cui ipſo jure eſſent ſubjecti. Quod magis Regem ad indignationem excitavit, ut qui deponendi cauſa Thomam, legationem Apoſtolicam pro Eboracenſi petierat.

a *L. 1. ep. 5.*

b *Lib. 1. ep. 39. & 40.*

XI. Laborat pro S. Th. Alex. Pap.

Propenſior enim erat erga ſanctum Thomam Alexander Papa, qui, tantum abeſt, ut in gratiam Regis aliquid in eum concederet, ut ſollicitiùs pro ejus ſalute & ipſius Eccleſiæ indemnitate vigilaret, atque pro eo in monaſteriis Galliarum præcipuis preces ad Deum indiceret. Teſtatur id Nuntius ab ipſo ſancto Thoma ad eum miſſus, in cujus litterarum fine hæc digna memoria recenſentur: (*c*) Noviſſimè nobis petitionem illam facientibus, ut ſcilicèt ipſe vos ad ſe venire præciperet, & ſuper hoc vobis litteras dirigeret: cum dolore, & multa animi afflictione viſus eſt reſpondiſſe: Abſit, inquit, priùs finiantur dies noſtri, quàm nos videamus eum ſic exire, & Eccleſiam ſuam ſic deſolatam relinquere.] Et paulò pòſt: Apud Claramvallem, Ciſtercium, Pontiniacum, interceſſione domini Papæ oratur aſſiduè pro vobis, & pro Eccleſia vobis à Deo commiſſ.] Fovebat interim, & litteris ſuis Alexander Pontifex Thomam conſolabatur, & preſſum anguſtiis erigebat. Extant ipſe plures litteræ tanto Pontifice dignæ, ex quibus has accipe breviores. (*d*)

c *L. 1. ep. 23.*

d *L. 1. ep. 43.*

Quomodò agendum cum Rege.

Quoniam dies mali ſunt, & multa ſunt pro qualitate temporis toleranda, diſcretionem tuam rogamus, monemus, conſulimus, & ſuademus, ut in omnibus tuis & Eccleſiæ agendis, te cautum, providum, & circumſpectum exhibeas, & nihil properè vel præcipitanter, ſed maturè & graviter facias, ad gratiam & benevolentiam illuſtris Regis Anglorum recuperãdam, quantum ſalva libertate Eccleſiæ & honeſtate officii tui fieri poterit, & enitaris modis omnibus & labores, ut uſque ad proximum Paſcha eumdem Regem ſuſtineas, ita quod nihil in eum, vel terram ipſius uſque ad præſcriptum *tempus* ſtudeas exercere. Tunc enim Dominus dabit tempora meliora, & tàmtu, quàm nos tntiùs poterimus in facto ipſo procedere.] Hæc ad Thomam Alexander, qui, ut diximus, & aliis eodem argumento ad eumdem ſcripſiſſe reperitur. Porrò quod ad Paſcha futurum meliora tempora adeò certè polliceatur Pontifex: planè prophetico ſpiritu ipſum prænoviſſe oportuit obitum Antipapæ, qui eo tempore contigit, ut inferiùs dicturi ſumus.

XII. Qui autem ſic parcendum furenti Regi Alexander ſanctum Thomam admonuit; ipſum Regem ſuis litteris admonere, opportunè, & importunè, arguens, increpans, obſecrans, minimè prætermiſit, ut ex his ipſius litteris Lector intelliges, diebus hiſce conſcriptis: (*d*)

e *L. 1. ep. 42.*

Alex. Pap. ſuis litteris monet Regem.

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Henrico illuſtri Anglorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Et ſi circa nos & matrem tuam Eccleſiã ſacroſanctam filialis in te devotio aliquatenùs

tenùs videatur repuiſſe: paternum tamen affectum circa te, vel regnum tuæ gubernationi commiſſum, nullo tempore deſeruimus. Tua ergò ſerenitas, quod amici verbera potiora, quàm inimici oſcula exiſtant, diligenter advertens, conſideret ſtudioſius & attendat, quòd ſicut clerici à viris ſæcularibus vita & habitu diſtinguuntur; ita & judicia clericorum à laicorum judiciis diverſa penitus comprobantur. Quare ſi eo ordine, quem non decet pervertas, & quæ Jeſu Chriſti ſunt, tuæ poteſtati uſurpans, novas leges ad Eccleſiarum oppreſſionem & Chriſti pauperum pro tuo beneplacito condas, conſuetudines etiam, quas avitas vocas, inducas: tu ipſe procul dubio in extremo examine, quod effugere non poteris, modo conſimili judicaberis, & eadem menſura, qua menſus fueris, remetietur tibi. Verùm ne commonitiones noſtræ auribus excellentiæ tuæ tædioſæ vel aſperæ videantur: ſcriptum

a Prov. 3. (a) recollige, quòd filium, quem pater diligit, corripit, pro certo cognoſcens, quòd quantò perſonam tuam ardentiori charitate in Domino diligimus, & ſinceriſſimæ tuæ devotionis inſignia nobis & Eccleſiæ Dei multipliciter & magnificè olim exhibita ad memoriam ſæpiùs & ſtudioſiùs revocamus, tantò hæc cognitioni tuæ, ſpiritualem tibi & æternam ſalutem votivis cordis affectibus exoptantes, libentiùs intimamus.

XIII. Si enim te in aliquo Judicium futurum deterret, aut præmiorum in æterna requie corona delectat: veritatem, quæ Deus eſt, & juſtitiam colere, jus ſuum unicuique tribuere, negotia Eccleſiaſtica, & præſertim criminalia, quæ de læſione fidei, vel juramenti emergunt, cauſas ſuper rebus & poſſeſſionibus Eccleſiarum perſonis Eccleſiaſticis tractanda relinquere, regnum & ſacerdotium non confundere, non adeò ſerenitatem tuam deceret, quàm etiam expediret. Si autem univerſa, quæ in uſus tuos per hujuſmodi angarias de bonis Eccleſiaſticis convertuntur, in refectionem pauperum, vel aliis pietatis operibus expenderes: obſequium non magis Deo gratum efficeres, quàm ſi altari quolibet diſcooperto, aliud cooperires; aut ſi Petrum crucifigeres, ut Paulum à mortis periculo liberares. Recolere ſiquidem debes, & præ oculis ad hujus rei exemplum

b 1. Reg. 15 habere, qualiter Rex (b) Saul, quia devicto Amalech, prædam contra divinum præceptum reſervare volebat, cùm ſe ad excuſationem ſui, hæc ad ſacrificandum reſervare proponeret, à Domino fuerit reprobatus, & alius, eo vivo, in honorem & dignitatem regiam ſubrogatus. Quem utique peccata populi Regem effecerant; eum à gubernatione regni propriæ commiſſa deſtituerunt. Quomodò etiam Rex

c 2. Paral. 26. (c) Ozias, dum thurificare voluit, & ſacerdotis ſibi officium uſurpare, lepra, digna Dei ultione, percuſſus fuiſſet: tuæ ſaluti congruit ad animum revocare.

XIV. Si verò ſucceſſus tuos viribus & poteſtati tuæ, & non Deo adſcribas, intentionem quoque & animum tuum ab Eccleſiaſticorum virorum & Eccleſiarum oppreſſione non retrahas: ille proculdubiò, qui aliis te præfecit, & magnum in Orbe Principem ad Fidelium ſuorum gubernationem, non ad depreſſionem conſtituit, talenta tibi commiſſa gravi à te cum uſura requiret. Et ſicut de (d) Roboam filio Salomonis legitur, qui pro delicto patris eſt à regno ejectus: commiſſum paternum in hæredes transfundet. Tu ergò pravis cujuſlibet ſuggeſtionibus non acquieſcas, nec iis qui ſemper mala ſuſurrant, aurem inclines, ſed quæ tuam ſalutem expediant, diligenter audias, & ita ad honorem Dei & Eccleſiæ ſuæ tranquillitatem & pacem, ad quod ſolummodò es regni gubernationem adeptus, idem regere, & ſecundùm quod Dominus tibi adminiſtraverit, ſtudeas utiliter gubernare; ut ille, per quem Reges regnant, & cui ſervire, regnare eſt, tibi & hæredibus tuis regnum temporale conſervet, & poſt illud tribuat ſine fine manſurum.] Hæc Alexander ad Regem Henricum, quæ etiam deſcribuntur à Rogerio in Annalibus. d 3. Reg. 14

XV. Quæ autem inter hæc paſſus ſit ipſe Thomas, antequàm fuga ſe conferret in Gallias, ſunt ex iiſdem citatis ſuperius auctoribus deſcribenda. Sic enim ſe habent: Innotuit interim id ipſum Principi, quòd dominus Cantuarienſis ab illa compromiſſione vellet reſilire, in eo præcipuè, dum palàm reſtitit, ne ſcriptum illarum conſuetudinum, ſicut condictum fuerat, ſuo ſigillo roboraretur. Exinde Princeps exaſperatus, gravioribus & exquiſitis cœpit dominum Cantuarienſem vexare exactionibus, ita ut palàm fieret intelligentibus, ſanguinem ejus *Archiepiſcopi*, & vitam requiri. Id igitur Thomas pertimeſcens, fugam conſuluit, & veniens ad monaſterium ſuum Manerium nomine, cæteris dormientibus, ſecretò ſe ſurripuit, duobus tantùm comitatus: inventoque navigio, mari ſe commiſit; à vento verò contrario diu fatigatus, vix eſt diluculo cum vita ad terram reverſus. Denique comperta ejus diſceſſio familiares & famulos ſingulos diſperſit. Cæteris tamen unus audacior veniens Cantuariam in cameram ipſius Archiepiſcopi ſequenti nocte ſe recepit; poſtque cœnam cœpit ſollicitè contriſtari de caſu & anguſtia domini ſui. Prima itaque parte noctis præcurſa, volens quieſcere: Vade (inquit puero) & claude ulteriùs oſtium aulæ, ut ſecuriùs dormiamus. Veniens autem illùc accenſo lumine, aperto oſtio vidit dominum Cantuarienſem in angulo ſedere, & ſolum. Quo viſo, territus aufugit, putans ſe phantaſma vidiſſe, & ſuggeſſit domino, & clericus ille nullatenùs voluit fidem adhibere; donec an verum eſſet, ipſe probaret. Et veniens, ſicut dictum eſt, invenit. Convocatis dominus Cantuarienſis ad ſe quibuſdam fratribus Cantuarienſis Eccleſiæ, expoſuit eis quid ſibi acciderit, & quia nondum fuit voluntas Dei

Fugam tentans Thomas repellitur.

ut

ut recederet. Recreatus ergò breviori cœna, quievit. Mane autem facto venerunt miniſtrales Regis, ut Archiepiſcopi fugientis confiſcarent omnia. Sed audita & viſa ejus præſentia, confuſi ſiluerunt.

XVI. Conciliabulū apud Norhantonam. Proinde aggravat Rex manum ſuam in dominum Cantuarienſem, eum citari faciens peremptoriè, ut die ſtatuto Regi reſpondeat de his quæ ſibi fuerint objecta. Adveniente termino, veniunt & vocati. Facta quoque coitione apud Norhantonam, dominus noſter trahitur in cauſam. Seorſum ita in conclavi ſedentibus domino Cantuarienſi cum ſuis Epiſcopis, ex edicto Regis ſeris objectis, ne pateret exitus: propoſitum eſt ex parte Regis adverſus dominum Cantuarienſem, quòd cùm Cancellarius eſſet, & haberet vacantes Epiſcopatus & Abbatias, & multos redditus per annos plurimos in manu ſua; nullam ſuper his reddiderit rationem, quam modò ipſe Rex requireret exhiberi. Super his (inquit Cantuarienſis) prudentiores volumus conſulere, & de conſulto reſpondere.

Epiſcoporum ſententiæ. Dum igitur medium ſilentium tenuerunt ad invicem: domino Cantuſsienſi id requirente, Gilebertus Londonienſis Epiſcopus, Decanus utique Cantuarienſis Eccleſiæ, & ideircò in conſilio poſt Archiepiſcopum primus: Si pater, inquit, recolis, unde te dominus Rex ſuſtulerit, quid tibi contulerit, conſiderata temporum malitia; quantam ruinam Catholicæ Eccleſiæ & nobis paraveris, ſi in his Regi reſiſtere volueris; non ſolùm Archiepiſcopatui Cantuarienſi, ſed in decuplo, ſi tanti fuerit, cedere deberes. Et forſitan ſi in hanc in te viderit humilitatem, te Rex in univerſum reſtituet. Satis (inquit Cantuarienſis) innotuit, quid conſulto reſponderis.

XVII. Deinde Henricus Vvintonienſis Epiſcopus ſubintulit: Hæc forma conſilii Catholicæ Eccleſiæ penitùs pernicioſa, nos omnes obligat & confundit: quis ſi Archiepiſcopus noſter & totius Angliæ Primas nobis id relinqueret exemplum, ut ad nutum, & comminationem Principis auctoritati, & curæ animarum ſibi commiſſæ quiſque Epiſcopus debeat cedere: quis erit de cœtero ſtatus Eccleſiæ, niſi ut nulla agantur de jure, & omnia confundantur pro libitu, & ſic erit ſacerdos ſicut & populus?

Hilarius poſt hæc Ciceſtrenſis Epiſcopus, & ipſe glorioſus in verbis, ſubjunxit: Niſi, inquit, temporis inſtantia, & Catholicæ Eccleſiæ perturbatio aliud exigeret, ſtandum utique eſſet veſtræ ſententiæ. Verùm ubi nutat canonum auctoritas, plurimum ſubtrahendum ſeveritati, ut in eo proficiat diſpenſatio, quod poſſit deſtruere ſevera correctio. Cenſeo igitur cedendum Regiæ voluntati, ſed ad tempus, ne præproperè procedamus id ſtatuere, unde ſequatur durior retractio nec ſine rubore.

Epiſcopus deinde Lincolnienſis, ſimplex quidem homo & minus diſcretus: Patet, inquit, vitam hominis iſtius & ſanguinem quæri: & neceſſarium alterum eorum erit, aut Archiepiſcopatui, aut vitæ cedendum. Quis ſibi fructus de Archiepiſcopatu proveniet, ſi proinde vitæ ceſſerit, nec id video.

Exonienſis autem Epiſcopus Bartholomæus: Palàm eſt, ait, quòd dies mali ſunt, & ſi poſſemus ſub diſſimulationis umbra hujus tempeſtatis impetum tranſilire illæſi, id præcipuè procurandum; nec ad id de facili perveniendum, niſi ſubtrahatur plurimùm ſeveritati. Temporis inſtantia id requirit, maximè cùm non ſit generalis, ſed particularis hæc perſecutio. Satius eſt igitur unum caput in parte periclitari, quàm totam Anglicanam Eccleſiam inevitabili diſcrimini exponere.

Vvigornienſis Epiſcopus Rogerius requiſitus & ipſe quid inde ſentiret, ita temperavit reſponſum, ut etiam negando, palàm faceret, quid animi haberet. Nullum, ait, in hac parte dabo conſilium: quia ſi dixero; à Deo ſuſceptam animarum curam ad regiam comminationem & voluntatem oportere relinquere, contra conſcientiam meam, & capitis mei condemnationem loqueretur os meum. Si cenſeam Regi reſiſtendum: ecce qui ſui ſunt, audiunt, per quos id ipſum innoteſcet Regi: ſtatimque ejiciar extra ſynagogam, & erit ſors mea de cœtero cum publicis hoſtibus & condemnatis. Idcircò nec hoc dico, nec illud conſulo.

His ita geſtis, ſederunt aliquamdiu ſub ſilentio, nec erat qui ampliùs his adjiceret. XVIII. Prima actio conciliabuli. Et arte quæſita, ut pateret eis exitus (inclusi enim erant) Volo (inquit dominus Cantuarienſis) loqui cum duobus Comitibus, qui cum Rege ſunt, & quos nominavit. Vocati illi, aperto oſtio introierunt properanter, cupientes aliquid audire, quòd regiam ſatiaret voluntatem. Aſtantibus iis, ait dominus Cantuarienſis. Super his, de quibus nos dominus Rex convenit, conſulimus. Et quia non habemus ad præſens eos, quibus res ipſa magis innotuit: ideò uſque in craſtinum petimus inducias, tunc reſponſuri, ſicut Dominus nobis inſpiraverit. Ad hæc Regi referenda miſſi ſunt Londonienſis & Roffenſis Epiſcopi. Londonienſis autem ſub vulpe latens injunctum ſibi pervertit negotium, dicens Regi, dominum Cantuarienſem apud eum poſtulare inducias ad præparanda inſtrumenta, ſtatuto die rationem redditurus ſuper objectis: ut ſic magis obligaretur dominus Cantuarienſis ad executionem regiæ voluntatis. Directi ſunt igitur Comites ad Archiepiſcopum, poſtulatas inducias ex parte Regis deferentes, ſi tamen ratum haberet, quod ex parte ſua per Epiſcopos Regi fuerat ſuggeſtum. Quo audito, Cantuarienſis ait, ſe id in mandatis non dediſſe, nec id quod Regi ſuggeſtum eſt, ſe ratum habere, ſed die ſequenti ſe, Deo auctore, venturum, & ſicut datum fuerit deſuper, reſponſurum. Erubuit ergò Gilebertus Londonienſis, dum vide-

A ret ſe incidiſſe in laqueum, quem contexuit ad patrem ſuum decipiendum.

XIX. Loco militum pauperes comitantur S. Thomã.

Soluto itaque conſilio, ea die diſceſſerunt ab invicem. Multitudo verò militum & aliorum, qui cum domino Cantuarienſi illùc convenerant, regio metu perterriti, ſeceſſit in partem, & ampliùs cum eo non ſtetit. Quo ſanctus Thoma comperto, juſſit circuiri ſepes & vicos, & ad ſe vocari pauperes, claudos, ac debiles, dicens, per talem militiam celeriorem poſſe provenire victoriam, quàm per eos, qui tempore tentationis turpiter receſſerunt. Impleta eſt domus ejus diſcumbentium pauperum, & B peracta dies illa in domino cum lætitia, nulla mentione palàm habita poſthinc perturbationis.

Sequenti die, ſummo diluculo percenſſus eſt dominus noſter paſſione iliaca, nam & ea multoties vexabatur catenus, ut non potuerit ſe de lecto erigere. Unde longiore mora interpoſita, ut crederetur ab invidis, ad Curiam Regis nolle deſcendere; miſſi ſunt, qui eum citarent acriùs ad reſpondendum. Qui, dum, inquit, quieverit iſta paſsio, craſtino die, Deo auctore, apparebo. Tranſeunte verò die illa, & nocturnis vigiliis cum ſumma devotione demùm

Præparatio S. Thomæ.

C peractis, manè conſurgens ad Miſſarum ſolemnia, ſacris pro more indutus veſtibus, & per beati martyris Stephani merita divinum ſibi invocans auxilium, initium Miſſæ juſſit inchoari: Etenim ſederunt Principes, & adversùm me loquebantur: totumque officium cum ad id pertinentibus complevit devotiùs, miniſtralibus Regis, qui ibi aderant, id tacitè conſiderantibus, quibus viſum eſt, id ipſum aliquid portendere. Expleto itaque miniſterio, amoto ab humeris pallio cum infula, cæteris indutus veſtibus ſacris, cappa clericali ſuperinjecta.] In quadripartita autem hi- D ſtoria aſſeritur, conſilio cujuſdam ſancti viri monachi à ſancto Thoma celebratam tunc fuiſſe Miſſam ſancti Stephani protomartyris, non autem. ut tunc ejus eſſet natalitius dies; ſed & præter morem eam celebraſſe cum pallio. Et quod clàm ſecum detulit more majorum Euchariſtiam, palàm verò geſtandam ſumpſerit crucem. Ita ſe Sanctus ad martyrium parans; quòd ea ſe dia obiturum putabat. Pergunt verò citata ſuperiùs Acta:

XX. Poſterior ſectio conciliabuli.

"Intraturus cameram Regis, ubi Rex præſtolabatur; ad oſtium ipſum crucem bajulat propria manu, ſequentibus Epiſco- E pis, id aliter quàm decuit, interpretantibus. Occurrit Robertus Herefordenſis Epiſcopus: Pater, inquiens, ſuſtine, & ego vice Capellani crucem deferam ante præſentiam veſtram; Sic enim condecet. Juſtius eſt (ait Cantuarienſis) me ipſam deferre, ſub cujus protectione tutus maneo; & ejus viſo vexillo, non eſt dubitandum, ſub quo Principe militο. Londonienſis ad hæc: Si viderit Rex te armatum intrare, gladium ſuum fortiorem exeret in caput tuum, & tunc videbis quid proderunt arma tua tibi: Hæc (inquit Cantuarienſis) A Deo committimus. Et Londonienſis: Stultus hactenùs fuiſti, & ab hac ſtultitia (ut video) de cætero non recedes, & proceſſum eſt. Audiens autem Rex Epiſcopum armatum venire, oblito vel depoſito illo gladio, quem dixerat Londonienſis, citiùs ſecedit in conclavem ulteriorem, ſedenta hac ſeorſum Cantuarienſi ſolo cum ſuis & paucis, Epiſcopis ex adverſo & loco & animo adunatis. Denique vocati ſunt Epiſcopi ad Regis conſilium, Cantuarienſi ſub jugulo relicto. Protrahitur tempus, dum quæritur innocentis damnatio. Cantuarienſis firma facie in- B duit conſtantiam. Exiens Rogerius Eboracenſis Archiepiſcopus, ait clericis ſuis, quos ibi invenit (erant enim ibi magiſter Robertus, Grandis cognomine, & Oſbernus à Rondel) recedamus hinc. Non oportet nos videre, quæ hic habent fieri citò de Cantuarienſi. Magiſter Robertus ad hæc: Non, inquit, hinc recedam, donec video quid Dei voluntas ſuper his judicaverit. Si pro Deo & ejus juſtitia dimicaverit uſque ad ſanguinem: pulchrius & melius vitam finire non poterit. Recedente itaque Eboracenſi Archiepiſcopo à camera Regis, veniens Bartholomæus Exonien- C ſis Epiſcopus, procidens ad pedes domini Cantuarienſis, ait; Pater mi miſerere tui; miſerere & noſtri. Omnes enim hodiè perimus odio capitis tui. Exiit namque dictum à Rege, ut qui ampliùs cum Cantuarienſi ſtaret, publicus hoſtis judicaretur, in capite puniendus. Dictum eſt etiam, quòd Jocelinus Sareſberienſis Epiſcopus, & Vvillelmus Norvicenſis Epiſcopus; quia adhùc reſtiterant, traherêtur ſtatim ad ſupplicium, in membris mutilandi, qui & ipſi pro ſalute ſua Cantuarienſem rogabant.

XXI. Condemnatur à ſuis S. Th.

Inſpiciens igitur Cantuarienſis in Exonienſem Epiſcopum: Fuge hinc, ait, quia D non ſapis ea quæ Dei ſunt. Exierunt denique à conſilio omnes ſimul Epiſcopi cum tumultu ad Cantuarienſem, quorum unus aloquens Hilarius Ciceſtrenſis Epiſcopus prorumpens in vocem: Aliquando, ait, noſter fuiſti Archiepiſcopus, & tenebamur tibi obedire; ſed quia domino Regi fidelitatem juraſti, hoc eſt, vitam, membra, & terrenam dignitatem ſibi per te fore ſalvam, & conſuetudines, quas ipſe repetit, conſervandas, & tu eas niteris deſtruere, præcipuè cùm ſpectent ad terrenam ſuam dignitatem & honorem: idcircò te reum perjurii dicimus, & perjuro Archiepiſcopo E de cætero non habemus obedire. Nos itaque & noſtra ſub domini Papæ protectione ponentes, te ad ejus præſentiam appellamus ſuper his te reſponſurum, & diem ſtatuit. Audio, inquit Cantuarienſis.

Agit cauſam ſuam S. Thom.

Subtrahentes ſe Epiſcopi, ſeorſum ſedere ex adverſo diutiùs in ſummo ſilentio. Tandem à Rege proceſſerunt Comites & Barones, & plurima turba ad dominum Cantuarienſem. Quorum primus Robertus Leiceſtrenſis ait: Mandat tibi Rex, ut venias redditurus rationem ſuper objectis, ſicut heri promiſiſti te facturum, alioquin

andi

Digitized by Google

audi judicium tuum. Judicium, inquit Cantuarienſis, immò, fili Comes, & tu prius audi. Non te lateat fili, quàm familiaris, & quàm fidelis ſecundùm ſtatum hujus mundi domino Regi fuerim. Ejus rei gratia placuit ei, ut promoveret in Archiepiſcopum Eccleſiæ Cantuarienſis, Deus ſcit, me id non volente: Nota enim mihi fuit infirmitas mea: & magis pro ſuo, quàm pro Dei amore acquievi. Id ſatis hodie palàm eſt, dum Deus & ſe mihi ſubtrahit & Regem. Verumtamen in mea promotione, dum electio fieret, præſente Henrico Rege filio & hærede, cui & hoc ipſum mandatum fuit, quæſitum eſt, qualem me redderent Cantuarienſi Eccleſiæ: & reſponſum eſt, liberum & abſolutum ab omni nexu curiali. Si igitur liber & abſolutus, ſuper his à quibus ſum liberatus, nec teneor, nec volo de cœtero reſpondere. Et hoc aliter ſe habet (inquit Comes) quàm Londonienſis Regi ſuggeſſerat. Adjecit Cantuarienſis: Ad hæc fili Comes, id attende, quantò dignior eſt anima quàm corpus, tantò magis Deo & mihi teneris obedire, quàm terreno Regi. Nec lex, nec ratio permittit, ut filii patrem judicent, vel condemnent. Unde Regis, tuum, & aliorum declino judicium, ſub Deo ſolo à domino Papa judicandus, cujus coram omnibus vobis præſentiam appello, Eccleſia Cantuarienſi, ordine & dignitate mea, cum ad eam pertinentibus ſub Dei & ſua protectione poſitis. Nihilo minus vos fratres & Coepiſcopi mei, quia magis homini quàm Deo obeditis: ad domini Papæ audientiam & judicium voco, & ſic Catholicæ Eccleſiæ & Apoſtolicæ Sedis auctoritate munitus hinc recedo.

XXII. Abeuntem illum ſequuntur curiales & invidi, contumeliis & injuriis Traditorem illum acclamantes. Ei autem venienti ad ulteriorem portam, clauſa eſt janua, nec potuit exire, nullo ibi invento cuſtode. Et dum res ageretur in metu & dubio: nutu Dei contigit, claves plurimas in faſciculo à muro pendere, quas arripiens quidam familiaris domini Cantuarienſis, unam poſt alteram pertentavit, donec aperiret januam. Exeuntibus illis occurrit multitudo morbo regio laborantium, pauperum & infirmorum acclamantium & dicentium: Benedictus Dominus, qui eripuit & ſalvum fecit ſervum ſuum à facie inimicorum ſuorū. Credebatur enim jam fuiſſe extinctus. Præcedente igitur & ſubſequente turba languidorum, cum Clero & populo in gaudio & lætitia perducitur ad hoſpitium. Videns autem exultationem plebis, dixit ſequentibus ſe: Quàm glorioſa nos proceſſio conducit à facie tribulantis! Sinite pauperes Chriſti & noſtræ tribulationis participes omnes intrare nobiſcum, ut epulemur in Domino ad invicem. Et impleta ſunt domus & atria circumquaque diſcumbentium.] Additur ex Quadripartita, tunc contigiſſe legi in menſa ex hiſtoria Tripartita perſecutionem Liberii; cùm reſtitit videlicet Conſtantio Imperatori hæretico,

S. Thom. triumphat & epulatur cum pauperibus.

A à quo & eſt paſſus exilium: & ex lectione Evangelii itidem legi ſolitū illud Evangeliſtæ: (a) Si perſecuti vos fuerint in una civitate, fugite in aliam.] Quæ audita à ſancto Thoma, tamquàm ipſi annuntiata, ab eodem quàm citiùs ſunt adimpleta, cùm Deo juvante in Belgium transfretavit, & apud monaſterium ſancti Bertini permanſit. Quæ autem contigerint in via, & alia plura ad eam ſpectantia, in eadem hiſtoria pluribus enarratur. Qui enim appellaverat Romanum Pontificem ſanctus Thomas, utique ad ipſum ſeſe ceperturus conferre debuit. Sed adverſarii profectionem iſtam, fugam fuiſſe proclamarunt, & tamquàm in fugitivum quæ non jactarunt convicia?

a Matt. 5.

B XXIII. De his enim ſcribenda fuit à Joanne Saresberienſi ad Petrum ſcriptorem in epiſtola citata ſuperiùs, qua de fugâ ſancti Thomæ ornatiſſimam texuit Apologiam, quam brevitatis cauſa omittimus, cùm etſi plurima ſint quæ excuſent, exempla Chriſti, Apoſtolorum, Prophetarum, atque Sanctorum omnium: illud ſatis, quòd litteris Papæ proſequi appellationem interpoſitam juſſus eſſet, quem morantem in Gallia, antequàm inde recederet, convenire deberet. Quod non fuit relinquere, ſed laborare, ut periclitantem in tuto collocaret Eccleſiam. C Hinc ipſe Joannes: (b) Hoc autem non fuit Eccleſiam exponere, ſed liberationi ejus operam dare; niſi fortè & ille tibi navem relinquere videatur, qui ut eam ad portum pertrahat, ſcapham ingreditur.] Hæc & alia pleraque pro Thoma defenſor ejus Joannes à Saresberia. At quid ejus audita migratione Rex Angliæ, audi:

b Cod. Vat. ep. 3. poſt lib. 5.

Sic deluſus Henricus, audiens ab iis ſanctum Thomam fuga lapſum, adversùs eum ejuſque clericos ipſum ſequentes iſta ſancivit: (c)

c Cod. Vat. l. 1. ep. 23.

Henricus Rex Angliæ ſingulis Epiſcopis in Anglis conſtitutis.

D Noſti, quàm malè Thomas Cantuarienſis Archiepiſcopus operatus ſit adversùm me & regnum meum, & quàm malè receſſerit. Et ideò mando tibi, quòd clerici ſui, qui circa ipſum fuerunt poſt fugam ſuam, & alii clerici qui detraxerunt honori meo, & honori regni, non percipiant aliquid de redditibus illis quos habuerunt in Epiſcopatu tuo, niſi per me; nec habeant aliquod auxilium vel conſilium à te.] Aliud adhuc edictum promulgavit, (d) ut redditus Archiepiſcopatus Cantuarienſis in manus regias deferrentur. Sancivit & alia ab amico litteris ſignificata eidem ſancto Thomæ iſtis verbis: (e)

d Ib. ep. 15.

E Sciatis hunc eſſe tenorem mandatorum, quæ Henricus Rex in Angliam miſit, ſcilicet, ut omnis portus cautiſſimè cuſtodiatur, ne litteræ interdictionis ullatenùs illùc deferantur. Et ſi aliquis regularis illas attulerit, pedibus truncetur: ſi clericus, oculos & genitalia amittat: ſi laicus, ſuſpendatur: ſi leproſus, comburatur. Et ſi quis Epiſcopus ejus interdictum metuens, recedere voluerit, nihil ſecum deferat præ-

e Ib. ep. 24. Leges latæ poſt fugam S. Thom.

Digitized by Google

ter baculum. Vult etiam, ut omnes ſcholares repatriare cogantur, aut beneficiis ſuis priventur; & qui remanſerint, ſine ſpe remeandi remanebunt. Et presbyteri, qui cantare noluerint, genitalia amittant, omneſque rebelles beneficiis priventur] Thomas interea, ubi oſtraciſmum paſſus eſt, ad Alexandrum Papam has litteras dedit, quas recitat Rogerius in Annalibus Anglorum verbis iſtis, ſub anno ſequenti; ſed pertinent ad præſentem:

S. Thom. Alexan. de appellatione.

Ad audientiam tuam, Pater ſanctiſſime, confugio, ut qui Eccleſiæ libertatem tanto tui diſcrimine redemiſti, eam vel ſolam, vel maximam meæ perſecutionis cauſam attendas, qui exemplo tuo uſus ſum. Dolui enim ſtatum Eccleſiæ labefactari paululùm, & jura ejus in avaritiam Principum diſſipari, & occurrendum credidi morbo venienti. Et quo plus illi domino meo, cui poſt Deum cetera debeo, me ſciebam obligatum, eò tutiùs iniquis ejus inſtigationibus arbitrabar reſiſtendum: donec obtinuerunt illi, & ſerenitatem illius offuſcaverunt mihi. Exinde, ut moris eſt, apud Principes criminationes & calumnias injecerunt in occaſionem perſecutionis meæ. Et ego ejici malui, quàm ſuccumbere. Acceſſit enim his malis, quòd vocatus ſui coram Rege tamquàm laicus ſatiſfacere. Et unde mihi reſiſtendi ſuffragia ſperaveram, inde deceptus ſum. Animadverti enim dominos & confratres noſtros Epiſcopos iſtos pro aulicorum arbitrio in me paratos animadvertere. Ita cunctis incurſantibus ferè ſuffocatus, ad tuæ pietatis audientiam, quæ nec in extremis agentes negligit, reſpiravi. Sub qua demonſtraturus aſſiſto, me nec ibi fuiſſe judicandum, nec ab illis. Nam quid aliud hoc eſſet, Patres mei, quàm veſtra jura vobis ſubtrahere, quid aliud quàm ſpiritualia temporalibus ſubmittere? Semel natum hoc exemplum eſſet ad multa, eoque credidi firmiùs eſſe reſiſtendum, quòd proclivior via nocendi naſceretur, ſi priùs debilitatem agnoſcerent.

XXV. Cæſari nō tyranno ſavit Chriſtus.

At, inquient, reddenda erant Cæſari quæ Cæſaris ſunt. Sed ſi in pluribus obtemperandum ſit Regi; in illis tamen obtemperandum non eſt, quibus efficitur, ne ſit Rex. Non eſſent illa Cæſaris, ſed tyranni, in quibus etſi non pro me, pro ſe ipſis ei reſiſterent. Nam ſi illi extremum judicium reſervatur, qui potens eſt judicare corpus & animam: numquid extrema erit inter homines ſumma, qui judicat ſecundùm ſe ipſum? Si juſtam foverunt partem, quid me impetebant? Quid me arguunt, ſi ad eum appellavi, apud quem jus vitari, vel non licet, vel non expedit? aut injuſtè me cauſabantur, aut de juſtitia veſtra diffidebant. Dupliciter namque confundebar, ſi coram ſanctitate veſtra convincerer. Numquid eorum perſecutionem merui, pro quibus tantis occurſibus me oppoſueram, & obtinuiſſem, ſi voluiſſent illi? ſed malè caput agit, ſi jam membris deſtituitur. Quid enim ſi oculi contra caput linguam

A aſſumant? Si benè prævidiſſent, in ſe perniciem machinabantur, & eorum uſi ſunt principales auxilio in eorum ſervitutem.

Quotupliciter in S. Thom. peccaſſent ſui Epiſcopi.

Quòd hæc tanti odii cauſa fiant, ut pro me extinguendo ſe ipſos extinguerent, ita pro temporalibus ſpiritualia negligunt, deficiunt in utriſque. Quid, quod etiam me reclamante, & ad audientiam veſtram appellante, patrem ſuum judicio damnare auſi ſunt? Quin etiam ſi in univerſam Eccleſiam cum offenſo nobis Principe conſpirationem fecerunt, & te, Pater ſanctiſſime, ſuſpicio iſta potuit attingere. At, inquient, Regi tenebantur ex debito Domini; ſed B illi corporaliter, ſpiritualiter mihi. Cui potiùs teneri potuerunt quàm ſibi ipſis? Nonnè potiùs corporalium damnum, quàm ſpiritualium? At rursùs inquient, hoc tempore Principem non fuiſſe provocandum. Quàm ſubtiliter in ſervitutem ſuam argumentantur; immò ipſi provocant, qui exceſſibus ſuis alas præbent ad ſuffragium. Quieviſſent enim, niſi acquieviſſent illi. Et quo tempore magis conſtantia exigitur quàm inter perſecutores? Nonnè familiares ejus perſecutionibus comprobantur? Si ſemper ſuccumbant, qualiter obtinebunt? neceſſe eſt aliquando reſiſtant. C Condeſcende ergò, Pater ſanctiſſime, in fugam meam & perſecutionem; & me aliquando magnum fuiſſe reminiſcere, tempore tuo, & propter te injuriis laceſſitum. Utere vigore tuo, coerce illos, quorum inſtinctu nomen hujus perſecutionis obrepſit. Nec domino Regi horum aliquid imputetur; qui hujus machinationis potiùs eſt miniſter, quàm repertor.] Hucuſque apud Rogerium. Alexander verò Papa iſta audiens, primum omnium non teneri ſanctum Thomam damnatione ſua in conciliabulo facta ita declarat: (*a*)

a Cod. Vat. l. 1. ep. 49.

Alexander Papa Thomæ Cantuarienſi D Archiepiſcopo,

XXVI. Alex. Pap. abrogat ſunt facta contra S. Thomam.

Quòd minor majorem judicare non poſſit, & eum præſertim, cui jure noſcitur prælationis ſubeſſe, & obedientiæ vinculo tenetur aſtrictus: tàm divinæ, quàm humanæ leges demonſtrant, & præcipuè ſanctorum Patrum ſtatutis id manifeſtiùs declaratur. Hæc ſiquidem nos, quorum intereſt errata corrigere, & ea quæ incorrecta perniciosum poſteris exemplum relinquerent, emendare, ſollicita conſideratione penſantes, & quod ex delicto perſonæ non debet Eccleſia jacturam aliquam vel incommodum ſuſtinere: ſententiam ab E Epiſcopis & Baronibus Angliæ, quoniam ad primam Regis citationem tui copiam non feciſti, adversùm te præſumptuoſè prolatam, in qua tibi jàm dicti Epiſcopi & Barones omnia mobilia tàm contra juris formam, quàm contra Eccleſiaſticam conſuetudinem abjudicarunt, præſertim cùm nulla mobilia præterquàm de bonis Eccleſiæ tuæ habueris: irritam penitùs eſſe cenſemus, & eam Apoſtolica auctoritate caſſamus: ſtatuentes, ut nullas in poſterum vires obtineat, aut tibi, vel ſucceſſoribus tuis, ſeu Eccleſiæ tuæ gubernationis commiſſæ

aliquod

Digitized by Google

aliquod in poſterum præjudicium valeat, vel læſionem afferre.] Hæc Alexander Papa, qui & aliis datis litteris (a) reſtituenda mandavit quæ ſublata fuiſſent ipſi Archiepiſcopo ſive aliis, occaſione ipſius Thomæ.

a Ibid. ep. 132.

XXVII. Obitus Antipapæ Octaviani.

Dum autem res in Anglia adeò fluctuarent, atq; in dies magis magiſq; in deterius declinarent: reſpexit vindex Deus in mentem magnam, in ſuperbiſſimum Antipapam Octavianum, eo potiſſimùm tempore, cùm reverſurus in Urbem, triumphantis inſtar è Gallia ciſalpina deſcendiſſet in Tuſciam, atque ad Lucenſem civitatem perveniſſet. De quo iſta leguntur in ſæpè citatis Alexandri Pontificis vitæ Actis: Alexander Papa Senonis uſque ad Paſcha ſecundi anni moram diuturnam faciens, univerſalis Eccleſiæ negotia inibi pro ſui debito officii pertractavit. Eodem tempore infelicis memoriæ Octavianus hæreſiarcha infirmatus eſt apud Lucam civitatem circa feſtum Paſchale, & impœnitens & excommunicatus de hoc mundo migravit ad inferos: licèt à quibuſdam dictum fuerit, quòd ſacerdotem Catholicum vocaverit, qui prohibitus à ſchiſmaticis ad eum intrare non potuit. Cujus deteſtandum obitum Joannes Tuſculanus Epiſcopus ſupradictus, unus ex conſociis ſuis non diu præveneraт, & apud Cluniacum peſſimam mortem incurrerat. Tunc de quatuor falſis fratribus, qui ab Eccleſiæ unitate in animarum ſuarum perniciem receſſerant, remanſerunt non niſi tantummodò duo fumigantia membra, Joannes videlicèt de ſancto Martino, & Guido Cremenſis, qui ſe luctu & mœrore nimio affligebant: & quidem non modicùm trepidantes, ubi non erat timor, dicebant ad invicem: Si elegerimus ad Alexandrum converti, fortè non recipiet nos abſque intolerabili opprobrio & confuſione perpetua. Quòd ſi receperit nos, poſtmodùm faciet de nobis illud idem, quod fecit Innocentius Papa de Cardinalibus illis, qui contra eum cum Petro Leonis ſteterant.

XXVIII. Subrogatur alius Antipapa Guido Cremenſis Paſchal. III. dictus.

Quocircà deſperantes ab Eccleſia recipi, vocaverunt cæteros ſchiſmaticos clericos & laicos tàm de Italia, quàm de Alemannia, qui ad ſepeliendum Octavianum ibidem convenerant. Omnes igitur in unum pariter congregati, ſicut obſtinati & perfidi, prædictum Guidonem Cremenſem ſuper ſe elevaverunt ſecundum idolum, vocaveruntque Paſchalem Tertium, & ad ejus veſtigia ſe curvantes, adoraverunt eum, & ſtatim ad Imperatorem tunc in Alemannia exiſtentem feſtinanter miſerunt, ut abominandum eorum factum Imperiali auctoritate confirmaret. Et ne ab Alexandro confunderentur, auxilii ſui potentia tàm per Imperiales litteras, quàm per honoratos Nuntios feſtinanter juvaret. Imperator verò, ubi de morte Octaviani certitudinem habuit, non mediocriter mœſtus & triſtis effectus eſt. Sed ne in malo propoſito ſuo ſuperari videretur & vinci: tantæ iniquitati, Dei timore poſtpoſito, abſque dilatione conſenſit, & extinctum ſchiſma, quantum potuit, reſuſcitare omninò ſtuduit. Ad majorem verò ſuæ damnationis cumulum, ut Catholicos fortè detineret, & complices ſuos in malitia haberet fortiores, addens peccatum peccato, juravit ore proprio ſuper ſancta Dei Evangelia, quòd dictum Guidonem, ejuſque ſucceſſores haberet Catholicos Papas; Alexandrum verò ac ſucceſſores ejus ſemper ſchiſmaticos teneret. Id ipſum quoque viros Eccleſiaſticos, quouſque facere potuit, nihilominus jurare coegit.

XXIX. De Catholicæ Eccleſiæ unitate.

In quo execrabili facto quid aliud conatus eſt, niſi Eccleſiam Dei dividere? Sicut enim in Symbolo continetur, omnis Catholicus Chriſtianus non in duas, ſed in unam ſanctam Apoſtolicam Eccleſiam credit, & ſingulis diebus Dominicis cantat & confitetur. Unde alibi ſcriptum eſt: (b) Una eſt columba mea, perfecta mea, & una electa matris ſuæ, perfecta genitricis ſuæ. Hanc Eccleſiæ unitatem beatus Paulus Apoſtolus docet, & ſacramentum unitatis oſtendit, dicens: (c) Unum corpus, unus ſpiritus, una ſpes vocationis noſtræ, una fides, unum baptiſma, unus Deus. Hanc igitur unitatem non tenens Fridericus Imperator, tenere ſe Fidem credidit? Qui Cathedram Petri deſerit, ſuper quam fundata eſt Eccleſia; quomodò ſe in Eccleſia eſſe confidit? Sicut enim non potuit evadere in diluvio mortem quiſquis extra Arcam manſit, in qua Noe fuit: ſic & qui ab Eccleſia fuerit foris, evadere nullatenùs poterit.] Hæc ibi in Actis Alexandri de obitu Antipapæ, & ſubrogatione Guidonis. Confirmantur iſta ex datis hoc anno diverſis epiſtolis in cauſa ſancti Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi, quas unà cum aliis eodem argumento conſcriptis continet idem qui ſuprà citatus Vaticanus codex, atque in primis ex epiſtola (d) Joannis Pictavienſis Epiſcopi ad eumdem ſanctum Thomam his verbis: Scripſiſſem vobis de Octaviani deceſſu miſerabili, Guidonis Cremenſis ſubſtitutione execrabili, niſi veſtros, qui in Curia morantur, hæc omnia pleniùs ſcire, ſcirem, per quos vobis fidelius innoteſcere debent: & hujuſmodi nova non niſi ab ipſis, & per ipſos ad nos uſque derivantur.] Ita quidem. Præſtitit enim id Nuntius ejuſdem ſancti Thomæ, qui erat apud Alexandrum Papam: qui de his ad ipſum Archiepiſcopum Cantuarienſem has litteras dedit: (e)

b Cant. 6.

c Epheſ. 4.

d L. 1. ep. 2.

e Ibid. ep. 7.

Venerabili domino & patri chariſſimo Thomæ, Dei gratia Cantuarienſi Archiepiſcopo & Anglorum Primati, fidelium ſuorum minimus ſalutem & felices ad vota ſucceſſus.

XXX. De obitu Octaviani litteræ.

Noverit veſtra paternitas, Octavianum ſchiſmaticum, quem ſibi in caput erexerant, & ſchiſmaticis principem Belial, quarta feria poſt Octavas Paſchæ obiiſſe in urbe Lucenſi, & ſepultum eſſe in monaſterio extra civitatem. Cùm enim Canonici majoris Eccleſiæ & regulares Canonici ſancti Fridiani ei ſepulturam negaſſent, præli-

ræeligentes à ſuis migrare ſedibus, quàm A
admittere corpus ſchiſmatici, quem cre-
dunt in inferno eſſe ſepultum: à ſatelli-
tibus Imperatoris & familia propria ad mi-
ſeros monachus cadaver illud perlatum eſt.
Capella verò ipſius & equi, quoniam aliud
non habebat, qui urgente inopia non niſi
ea rapto vixerat à multo tempore, ad Im-
peratorem perducti ſunt. Imperator autem
hoc cognito, vocavit ad ſe Papienſem Epi-
ſcopum, qui in monaſterio beati Michae-
lis apud Clauſam exulabat. Sed quid fa-
ctum ſit, adhùc incertum eſt. Alii autem
dicunt, quòd alium velit ei ſubſtituere:
alii quòd ad Catholicam redibit unita- B
tem. Prætereà urbes Italiæ minus ſolito
promptæ ſunt in obſequium ejus: adeò quod
Papienſes, & Cremonenſes, per quos Ita-
liam domuit & contrivit, ei in facie reſi-
ſtant, denuntiaverintque ei, quòd ab eo
recedent omninò, niſi deponat tyranni-
dem, & civiles induat mores, ut liberi eſſe
poſſint, ſicut in diebus aliorum Impera-
torum.

XXXI. Alex. Pap. flevit mortem ſchiſmatici.

Octavianus autem quindecim diebus
antequàm moreretur, phreneticus effectus
eſt continuè, & in tantam verſus inſaniam,
ut nec Dei nec ſui memor eſſet. Audierat
quidem dominus Papa de morte Octaviani C
à fidis & veris relatoribus, & velut alter
David, perſecutorem ſuum deflevit extin-
ctum, & Cardinales de morte illius exul-
tantes diutiùs increpavit. Hoc autem re-
ctè, eò quòd jactura animæ irreparabilis
eſt, ubi culpa per pœnitentiam non deletur.
Nec meminimus à ſæculo, quòd hæreſiar-
ches, vel auctor ſchiſmatis niſi coactus &
invitus pœnitentiam egerit. Si revolvatis
hiſtorias, ita credo, verum conſtabit. Quæli-
bet autem ſacrificia, niſi voluntaria fuerint,
reprobat Deus. Dum in Curia ſermo iſte
crebeſceret, ecce Nuntii domini Regis,
Angliæ ſcilicèt, advenerunt, litteras à Sede D
Apoſtolica impetratas reſtituentes. Via eas
reddiderant, cùm in continenti aliæ litte-
ræ ab Italia venerunt, & ferè pariter por-
rectæ ſunt, exponentes diligenter & de
morte Octaviani, & de iis, quæ in Italia ge-
rebantur. Dicitur itaque & non modò ab
Italia domino Papæ, ſed & Regi Franco-
rum à Gallis de partibus Apuliæ redeunti-
bus, quòd Imperator quartana laborabat,
Imperatrix in puerperio feciſſet aborſum.
Unde factum eſt, ut tota Gallia ad obſe-
quium domini Papæ devotiùs converſa ſit,
& Eccleſiam Romanam ad minas hominū
minus moveri oporteat &c.] At cùm à tot E
nobilibus ejus temporis Scriptoribus Octa-
viani obitus miſerandus, ſepultura infamis,
redēpta minis deſcribatur: tamen qui in-
hærebat Friderico Imperatori Otto More-
na Laudenſis, in gratiam ſchiſmatici do-
mini, & conſolationem conſortum ſchiſma-
tis, ſchiſmaticus ipſe mendaci ſtylo aſſe-
ruit, eumdem Octavianum Antipapam cla-
ruiſſe miraculis, quem & non ſchiſma tan-
tùm, ſed & publica etiam latrocinia opor-
tuit ad inferos demerſiſſe, toto id Orbe
Catholico conclamante. Sed jam agamus de

intermiſſis negotiis Eccleſiæ Anglicanæ.

XXXII.

Ut autem res clariùs innoteſcant, litte-
ras illas, quas audiſti per Nuntios Regis
Papæ redditas, ſcias fuiſſe impertitas Ebo-
racenſi Archiepiſcopo, cui petente Rege de-
cernebatur Legatio in Anglia. Sed quòd (ut
vidimus) poſterioribus litteris eam Alexan-
der limitibus reſtrinxiſſet, ne quid per eam
juris ſibi vindicaret vel in perſonam S.
Thomæ, aut in Archiepiſcopatum Cantua-
rienſem; cùm ſic fruſtraretur Regis inten-
tio, quæ erat, ut per eumdem Legatum de-
poneret ipſum Thomam: eaſdem litteras de
legatione, ut inutiles, per ſuos Nuntios ad
hoc miſſos reddi voluit Alexandro. De his
extant aliæ litteræ iſta narrantes his ver-
bis: (a)

a *L. 1. ep. 6.*

Nuntii à Rege ad Papā miſſi litteras reddunt.

Amantiſſimo domino ſuo ſuus ille ſalu-
tem, & benè ſemper valere.

Per miſericordiam Dei, quæ ſperantes
in ſe non deſerit, factum eſt, ut eadem die,
qua dominus Papa de morte Octaviani cer-
tificatus eſt, venerint ad Curiam Nuntii
domini Regis K. & H. hoc eſt, *K. Ludovici
& Henrici Regis*. Hi autem tantæ humili-
tatis ſpeciem ex parte Regis prætenden-
tes, viva voce, & litteris verbis eorum con-
ſonantibus, dominum Papam & aliquos
Cardinalium adeò moviſſe viſi ſunt, quod
(ſicut ex relatione quorumdam qui vobis
favent, didici) ipſi vix lacrymas contine-
bant. Poſt multas igitur allegationes, qua-
liter ſcilicèt & quo affectu ipſe *Rex* eum,
Alexandrum ſcilicèt, receperit, quantam
reverentiam ei ſemper exhibuerit, & quam-
diu vivet, exhibebit, & in hunc modum
multas reddiderunt litteras domino Papæ
de legatione, quas Archidiaconus veſter
minus honeſtè, & dum apud vos eram, in
Angliam impetravit. Conditionem verò
ipſam, ſub qua eas obtinuit, dominus Rex
per iſtos Nuntios per ſe factam, vel quæſi-
tam fuiſſe, penitùs negavit. Dominus verò
Papa cum tanto affectu & ita avidè eas re-
cepit, tamquam ſi ei aliquid deſideratum
oblatum fuerit: ut & quidam ei aſſidentes
plurimùm mirarentur &c.]

XXXIII.

Vidiſti Lector in omnibus, quæ hactenùs
actitata ſunt apud Alexandrum in cauſa S.
Thomæ, ipſum ſemper faviſſe cauſæ ipſius,
atque etiam propenſiorem fuiſſe erga ipſum
à principio in hujuſmodi cauſa tractanda.
Quo nomine ſe ipſum redarguat Joannes
Sareſberienſis, qui mortuum horum exor-
dio ſcribens ad ipſum Thomam, ſic malè
vaticinatus eſt de ipſo Alexandro Papa,
dum ait: (b) Contra vos facient multa, b *L. 1. ep. 24.*
pauca pro vobis. Venient enim magni viri,
divites in effuſione pecuniæ, quam numquā
Roma contēpſit, eruntq; non modò ſua, ſed
domini Regis (quem Curia in nullo aude-
bit offendere) auctoritate freti &c.] Vides
itaque quàm perperàm de Alexandri Papæ
conſtantia judicaverit, quòd auro potuerit
expugnari, quæ ferro durior eſt probata.

Secuta eſt autem alia legatio à Rege
miſſa per Archiepiſcopos & Epiſcopos An-
gliæ ad Alexandrum Pontificem, admiſſiq;
omnes ad publicā audiētiā, primoq; loco in

Con-

Digitized by Google

Legatio Epiſcoporum Angliæ ad Alex. contra Thomam.

Conſiſtorio qui primum locum tenebat, primò locutus eſt Epiſcopus Londonienſis in hæc verba: Pater, inquit, ad vos ſpectat Catholicæ Eccleſiæ cura & ſollicitudo, ut qui ſapiunt, per veſtram foveantur prudentiam ad exemplum morum, & qui deſipiunt, auctoritate Apoſtolica comprimantur & corripiantur, ut ſapiant. Sed apud veſtram ſapientiam non creditur ſapere, qui in ſua ſapientia confidens, & fraternam concordiam, & Eccleſiæ pacem, Regiſque devotionem perturbare contendit. Nuper ſiquidem in Anglia orta eſt diſſenſio inter regnum & ſacerdotium ex levi & minus utili occaſione, quæ faciliùs poſſet extingui, ſi adhibita ei fuiſſet moderata curatio. Verùm dominus Cantuarienſis ſuo ſingulari in hac parte & non noſtro uſus conſilio, acriùs æquo inſtitit, non conſiderata temporis malitia, quod vel quale diſpendium ex tali impetu poſſet provenire; & ſibi & fratribus ſuis contexuit laqueos. Et ſi ei in propoſito ſuo noſter favisset aſſenſus, jam res ipſa ad deteriorem calculum deveniſſet. Verùm quia noſtram conniventiam, ſicut nec debuit, ad id quò tendebat, habere non potuit: niſus eſt in dominum Regem & nos, immò in totum regnum temeritatis ſuæ culpam retorquere. Quocircà ad decolorandam mutuæ fraternitatis infamiam, vim nemine inferente, vel minas intentante, fugam

a Prov. 28

iniit, ſicut ſcriptum eſt: (a) Fugit impius nemine perſequente. Ad hæc dominus Papa: Parce, inquit, frater. Et Londonienſis: Domine, parcam ei. Et dominus Papa: Non dico, frater, quòd ei parcas, ſed tibi. Ad hanc igitur Apoſtolicam vocem & tubam, ſenſus Londonienſis infatuatus eſt à Domino ita demùm, quòd ampliùs mutire non potuit.

XXXIV.

Excepit illum protinus ſermonem facundus Hilarius Ciceſtrenſis Epiſcopus, magis de ſua confidens eloquentia, quàm de juſtitia & veritate. Quod ſtatim poſtfacto innotuit: Pater, inquit, & domine, intereſt beatitudinis veſtræ, quod perperàm actum eſt in perniciem univerſitatis, ad pacis & concordiæ debitum ſtatum citiùs revocare; ne nimis hujuſmodi immoderata præſumptio multorum ſtragem & Catholicæ Eccleſiæ ſciſſuram poſſit procreare. Id parùm attendit dominus Cantuarienſis, dum relicto maturiori conſilio, ſe ſolum conſuluit, ut ſic ſibi & ſuis, Regi & regno, populo & Clero graviores labores procreaſet & anguſtias: & certè virum tantæ auctoritatis non decuit, nec oportuit, nec aliquando oportuebat. Ita grammatizabat Hilarius Ciceſtrenſis, dicens, *oportuebat*. Inſuper ſuos ſi ſaperent, non oportuebat ſibi in talibus præbuiſſe conſenſum. Audito itaque qualiter facundus ille Grammaticè proſiliret de portu in portum *per illud iteratum, oportuebat*: ſoluti ſunt in riſum univerſi. Inter quos unus prorumpens in vocem: Malè, inquit, tandem veniſti ad portum. In quo verbo ita Epiſcopum illum infatuavit Dominus, quòd de cætero factus eſt mutus & elinguis.

Deridetur Epiſcopus imperitus.

Eboracenſis autem Archiepiſcopus priorum ruinam attendens, animi impetum ſtuduit temperare, (paucisque locutus, imprudentiam ſugillavit Archiepiſcopi, ſic & qui poſt eum locuti ſunt, quos brevitatis cauſa omittimus, petentes demùm creari à Papa Legatum à latere, & mitti in Angliam ad cognoſcendam cauſam inter Regem & Archiepiſcopum, quem remittere deberet in Angliam, ubi judicari deberet. At licèt id inſtanter peterent, atque ſchiſma Regis ex parte minarentur; Pontifex tamen haud dandum putavit in manus eorum innocentiſſimum Thomam, ſed vocatum ad Curiam expectandum, ut de ipſo idem Pontifex judicaret. Sed renuerunt illi facere, indignanteſque receſſerunt abſque benedictione Apoſtolica impetrata. Extat inter epiſtolas ipſe libellus adverſus S. Thomam ab eis Alexandro Pontifici oblatus, veneno infectus.

XXXV. S. Thoma in Conſiſtorio agit causā ſuā

Poſt hæc autem venit S. Thomas ad ipſum Pontificem, qui (inquit Alanus in Quadripartitis) tepidè quidem exceptus, eſt à Cardinalibus, ad domini tamen Papæ præſentiam intromiſſus. Qui venientem ad ſe paterna ſuſcepit benignitate, ſuper vexatione ipſius multimoda, & peregrinatione tàm periculoſa & dura paternè compatiens. Dumque hæc & illa verbotenùs agerentur, demùm recepit in mandatis, in craſtinum exilii ſui cauſas coram fratribus exponere. Sequenti ergò die, dum quæreretur inter ſodales, quis eorum cauſam exponeret, ſingulis ſeſe excuſantibus, verbi pondus apud Archiepiſcopum reſedit. Doctus igitur à Deo, & per ſe impræmeditatus, dum primus à domino Papa ſederet, & propter reverentiam vellet aſſurgere, juſſus reſidendo cauſam edicere, ſic incœpit: Licèt non multùm ſapientes, nec tamen uſque adeò ſumus fatui, ut Regem Angliæ, ſuos, & ſua pro nihilo relinqueremus. Nam ſi vellemus ſuæ per omnia placere voluntati: in ſua poteſtate vel regno non eſſet quis, qui nobis non obediret pro libito. Et dum ſub hac conditione ei militavimus: quid fuit quod nobis non ſucceſſit ad votum? Ex quo verò aliam ingreſſi ſumus viam, memores profeſſionis & obedientiæ, quam pro Deo ſuſcepimus, quem ad nos habuit, tepuit profectò prior affectus. Adhùc autem ſi ab iſto propoſito vellemus reſilire, ad ejus recuperandam gratiam nullius perſonæ egeremus interventu. Verùm quia Cantuarienſis Eccleſia ſol ſolet eſſe Occidentis, & noſtris temporibus offuſcata eſt ejus claritas: quodlibet tormentum, ſed & mille mortis genera, ſi tot occurrerent, libentiùs exciperemus in Domino, quàm ſuſtineremus ſub diſſimulatione his diebus mala quæ patitur. Porrò ne videar curioſè, vel obtentu vanæ gloriæ hæc inchoaſſe, expedit ut oculata fide conſtet de effectu.

XXXV.

Et producens ſcriptum in quo continebantur conſuetudines illæ, de quibus con-

ten-

Cognitæ in Conſiſtorio cōſuetudines Regni Angliæ.

tendebatur, cum lachrymis dixit: Ecce quæ ſtatuit Rex Angliæ contra libertatem Eccleſiæ Catholicæ. Si hæc licet diſſimulare ſine diſpendio animæ: vos videritis. Quibus perlectis, moti ſunt omnes uſque ad lacrymas; nec ii ſe continere poterant, qui priùs pro viribus adverſabantur, communi voce Dominum laudantes, dum vel unum ſibi reſervavit, qui pro Eccleſia ſua in illa tempeſtate auſus fuit ex adverſo aſcendere. Et qui antè videbantur ſuper hac cauſa variè diſceptare, jam in unam convenere ſententiam, in perſona Cantuarienſis Archiepiſcopi univerſali Eccleſiæ ſuccurrendum. Verùm dominus Papa lectis, & relectis, & diligenter & attentè auditis, & cognitis ſingulis conſuetudinibus, acerrimè motus, ſtatim exeanduit in Archipræſulem; arguens eum, & durè increpans, quòd in illarum non conſuetudinum, ſed tyrannicarum uſurpationum aſſenſu, ipſe (ut confeſſus ibi eſt) cæterique Epiſcopi, ſuo ſacerdotio renuntiarunt, & Dei Eccleſiam ancillarunt: aſſerens multò ſatius, omne ſuſtinuiſſe diſcrimen, quàm tantis legis Dei ſubverſionibus præbuiſſe aſſenſum. Et adjecit: Verum, inquit, inter abominabilia hæc, quæ hìc lecta ſunt, & audita, nulla quidem bona, ſed quædam tolerabilia ſunt, quæ utcumque poteſt Eccleſia tolerare, ſed horū major pars reprobata, & ab antiquis quidem & authenticis damnata eſt Conciliis, utporè directò ſacris ſanctionibus adverſa. Et hæc quidem dominus Papa in audientia omnium reprobavit, & ab Eccleſia in poſterum damnanda cenſuit.] Sunt hujuſmodi, hìcque deſcripta cum additamento, ut reperimus in dicto codice Vaticano; earum quænam Alexander Papa prorsùs damnandas, quænam verò toleranda cenſuit. Sed Lectori puto moleſtiam ingerere vocum Anglicarum admixtio, earumdemque haud facilè perceptibilium: quæ ſic ſe habent:

XXXVII. Inſerere ſtuduimus, inquiunt, funeſtum illud & famoſum decreti chirographum, conſuetudines illas regias videlicèt apud Clarendunam promulgatas, quarum hæc prima.

I. De advocatione & præſentatione Eccleſiarum ſi controverſia emeſerit inter laicos & laicos, vel inter clericos & laicos, vel inter clericos & clericos, in Curia domini Regis tractetur & terminetur. *Primum hoc damnavit S. R. E. ſub Alexandro Tertio*.] Ita notata habentur in fine uniuſcujuſque capituli; deſcripta ex dicto Codice Vaticano in fine Quadripartitæ hiſtoriæ S. Thomæ.

Conſtitutiones Reg. in Clarenduna propoſitæ.

II. Eccleſiæ de feudo domini Regis non poſſunt in perpetuum dari abſque aſſenſu & conceſſione ipſius. *Hoc toleravit*.

III. Clerici retati & accuſati de quacumque re, moniti à juſtitia Regis, venient in Curiam ipſius, reſponſuri ibidem de hoc, unde videbitur Curiæ Regis, quod ſit ibi reſpondendum, Ita quòd juſtitia Regis mittet in Curiam ſanctæ Eccleſiæ ad videndum, qua ratione res ibi tractabitur; & ſi clericus convictus vel confeſſus fuerit, non debet de cætero eum Eccleſia tueri. *Hoc damnavit*.

IV. Archiepiſcopis, Epiſcopis & perſonis regni non licet exire de regno abſque licentia domini Regis: & ſi exire voluerint, ſi domino Regi placuerit, aſſecurabunt, quòd nec in eundo, nec in moram faciendo, nec in redeundo perquirent malum vel damnum domino Regi vel regno. *Hoc damnavit*.

V. Excommunicati non debent dare vadium ad remanens, nec præſtare juramentum, ſed tantùm vadium & plegium ſtandi judicio Eccleſiæ, ut abſolvantur. *Hoc damnavit*.

VI. Laici non debent accuſari niſi per certos & legales accuſatores & teſtes in præſentia Epiſcopi; ita quòd Archidiaconus non perdat jus ſuum, nec quidquam quod inde habere debeat. Et ſi tales fuerint, qui culpantur, quòd non velit nec audeat aliquis accuſare eos: Vicecomes requiſitus ab Epiſcopo, faciet jurare duodecim legales homines de viſueto, ſeu de villa coram Epiſcopo, quod inde veritatem ſecundùm conſcientiam ſuam manifeſtabunt. *Hoc toleravit*.

VII. Nullus qui de Rege teneat in capite; nec aliquis dominicorum miniſtrorum ejus excommunicetur, nec terræ alicujus eorum ſub interdicto ponantur, niſi priùs dominus Rex ſi in terra fuerit, conveniatur, vel juſtitia ejus, ſi fuerit extra regnum, ut rectum de ipſo faciat, & ita ut quod pertineat ad Curiam regiam, ibidem terminetur, & de eo quod ſpectabit ad Eccleſiaſticam Curiam, ad eamdem mittatur, ut terminetur. *Hoc damnavit*.

VIII. De appellationibus ſi emerſerint, ab Archidiacono debent procedere ad Epiſcopum, & ab Epiſcopo ad Archiepiſcopum, & ſi Archiepiſcopus defuerit in juſtitia exhibenda, ad dominum Regem perveniendum eſt poſtremò, ut præcepto ipſius in Curia Archiepiſcopi controverſia terminetur, ita quòd non debet ulteriùs procedere abſque aſſenſu Regis. *Hoc damnavit*.

IX. Si calumnia emerſerit inter clericum & laicum, vel è converſo de ullo tenemento, quòd clericus velit ad eleemoſynam attrahere; laicus verò ad laicum feudum; recognitione duodecim legalium hominum per capitalis juſtitiæ Regis conſiderationem terminabitur, utrum tenementum ſit pertinens ad eleemoſynam, ſive ad feudum laicorum, coram ipſa juſtitia Regis. Et ſi recognitum fuerit ad eleemoſynam pertinere, placitum erit in Curia Eccleſiaſtica: ſi verò ad laicum feudum, niſi ambo tenementum ad eodem Epiſcopo vel Barone advocaverint, erit placitum in Curia regia. Si uterque advocaverit de feudo illo eumdem Epiſcopum, vel Baronem, erit placitum in Curia ipſius, ita quod propter factam recognitionem ſaiſinam non amittat qui priùs ſaiſatus fuerat. *Hoc damnavit*.

Qui

X. Qui de civitate, vel caſtello, vel burgo, vel dominico manerio Regis fuerit, ſi ab Archidiacono, vel Epiſcopo de aliquo delicto citatus fuerit, unde debeat eidem reſpondere, & ad citationes eorum ſatisfacere noluerit, benè licet eum ſub interdicto ponere, ſed non debet excommunicari, priuſquàm capitalis miniſter Regis villæ illius conveniatur, ut juſtitiet eum ad ſatisfactionem venire. Et ſi miniſter Regis inde defecerit, ipſe erit in miſericordia Regis, & ex inde poterit Epiſcopus ipſum accuſatum Eccleſiaſtica juſtitia coercere. *Hoc damnavit.*

XI. Archiepiſcopi, Epiſcopi, & univerſæ perſonæ regni, qui de Rege tenent in capite, & habent poſſeſſiones ſuas de dominio Regis, ſicut Baroniam, & inde reſpondent juſtitiis & miniſtris Regiis, & ſequuntur & faciunt omnes conſuetudines regias & rectitudines, & ſicut cæteri Barones, debent intereſſe judiciis Curiæ domini Regis cum Baronibus, uſque perveniatur in judicio ad diminutionem membrorum, vel ad mortem. *Hoc toleravit.*

XII. Cùm vacaverit Archiepiſcopatus, vel Epiſcopatus, vel Abbatia, vel Prioratus de dominio Regis, debet eſſe in manu ejus, & inde percipiet omnes redditus & exitus ſicut dominicos. Et cùm ventum fuerit ad conſulendum Eccleſiæ: debet dominus Rex mandare potiores perſonas Eccleſiæ, & in Capella ipſius debet electio fieri aſſenſu Regis, & conſilio perſonarum Regis, quas ad hoc faciendum vocaverit. Et ibidem faciet electus homagium & fidelitatem domino Regi, ſicut ligio domino, de vita, & membris, & de honore ſuo terreno, ſalvo ordine ſuo, priuſquàm ſit conſecratus. *Hoc damnavit.*

XIII. Si quiſquam de proceribus regni diſſortiaverit Archiepiſcopo, vel Epiſcopo, vel Archidiacono de ſe, vel ſuis juſtitiam exhibere: Rex debet juſtitiare: & ſi fortè aliquis diſſortiaverit domino Regi rectitudinem ſuam, Archiepiſcopi, vel Epiſcopi, & Archidiaconi debent eum juſtitiare ut domino Regis ſatisfaciat. *Hoc toleravit.*

XIV. Catalla eorum qui ſunt in Regis foriſfacto, non detineat Eccleſia vel cœmeterium contra juſtitiam Regis, quia ipſius Regia ſunt, ſive in Eccleſiis ſive extra fuerint inventa. *Hoc toleravit.*

XV. Placita de debitis, quæ fide interpoſita debentur, vel abſque interpoſitione fidei, ſint in Curia Regis. *Hoc damnavit.*

XVI. Filii ruſticorum non debent ordinari abſque aſſenſu domini, de cujus terra nati dignoſcuntur. *Hoc toleravit.*

XXXVIII.
Quid in S.Thom. Alex. Pap.

Quibus lectis & cognitis, Alexander Papa, ut prædictum eſt, valdè commotus, ad Archiepiſcopum ſe convertens: Tecum, inquit, frater, etſi tuus & Coepiſcoporum tuorum grandis fuit ea ceſſus & enormis, agendum eſt parcius. Qui etſi (ut confiteris) ipſe cecidiſti: mox poſt caſum tuum reſurgere conatus es, & propter caſum multa gravia & dira perpeſ-

A ſus; & ſtatim ut cecideras, cùm adhùc eſſes in Anglia, à nobis quæſiſti & meruiſti de clementia noſtra abſolutionis beneficium. Unde, ut dignum eſt, & nos tibi indulgemus, ut in tuis adverſis clementiæ noſtræ conſolationem & gratiam præ cæteris perſonis Eccleſiaſticis tantò pleniùs & affectuoſiùs ſentias, quantò pro libertate Eccleſiæ, & pro fide & devotione noſtra majora reliquiſti, & graviora perpeſſus es. Et ita vir Apoſtolicus Archipræſulem primò paterna ſeveritate objurgans, & maternæ conſolationis dulcedine reparans, tunc dimiſit.] Hæc ibi. Porrò alia
B ab ea ſuperiùs recitata diverſa oratio habita ab eodem Thoma coram Alexandro Papa habetur in volumine (a) epiſtolarum citato ſuperiùs. Pergit verò auctor:

a Lib. 1. ep. 30.

XXXIX.
S. Tho. coram Papa ſe abdicat ab Archiepiſc.

Poſtera verò die in ſecretiori thalamo cum domino Papa & Cardinalibus reſidentibus affuit & Archiepiſcopus hæc inquiens: Patres mei & domini mētiri, nemini licet alicubi, nedum coram Deo & veſtra præſentia. Unde gemens fateor, quia has Anglicanæ Eccleſiæ moleſtias mea miſerabilis culpa ſuſcitavit. Aſcendi in ovile Chriſti, ſed non per ipſum oſtium, velut quem non canonica vocavit electio, ſed
C terror publicæ poteſtatis intruſit. Et licèt hoc onus ſuſceperim invitus, tamen ad hoc me induxit humana & non divina voluntas. Quid igitur mirum, ſi mihi ceſſit in contrarium? Verùm ſi ad Regis comminationem, ut Coepiſcopi mei perſuaſere inſtantiùs, renuntiaſſem epiſcopalis auctoritatis mihi indulto privilegio ad Principum votum & voluntatem, Catholicæ Eccleſiæ perniciosum relinqueretur exemplum. Diſtuli igitur uſque ad veſtri præſentiam. Nunc autem recognoſcens ingreſſum meum minus canonicum, & timens proinde exitum mihi provenire
D deteriorem; videns etiam vires meas oneri impares: ne gregi inveniar præeſſe ad ruinam, cui datus ſum qualitercumque in paſtorem, in manu tua, Pater, Archiepiſcopatum Cantuarienſem, in manu tua, inquam, reſigno. Moxque tranſumens anulum ſuum de digitu ſuo, rogabat Eccleſiæ dignum paſtorem provideri, eò quòd ipſe nomen paſtoris habens, officium paſtoris non impleret. Complenſque orationem in lacbrymis, dominum Papam, & omnes qui aderant flere compulit. Immò & hæc audiens, quis poterit ſe continere à fletu?

XL.
Diverſæ ſententiæ de Archiepiſ. S. Tho.

E Seorſum ergò Archiepiſcopo ſecedente cum ſuis in hoc verbo ſcandalizatis, nimirùm qui jam cœperant deſperare: dominus Papa ſuper his cum Cardinalibus cœpit conferre. Hinc inde varia & diverſa eſt orta ſententia. His viſum eſt, oblata occaſione, Regis iram ſedari poſſe faciliùs, dum in alia perſona Eccleſia Cantuarienſis conciliaretur, & beato Thomæ poſſit aliàs competentiùs provideri. Hi quidem erant ex Phariſæis (*ita auctor nominat Thomæ adverſarios*) Aliis autem viſum eſt diverſum, qui apertos habebant oculos, quòd

ſi is,

ſi is, qui pro tuendâ Eccleſiæ libertate ſummo periculo & diſcrimini non ſolùm divitias & gloriam, dignitatem, auctoritatem, ſed & vitam expoſuit, ad Regis libitum deberet jure ſuo privari. Sicut & forma fieret aliis in conſimili cauſa Regibus reſiſtendi, ſi ejus juſtitia ſervaretur illæſa, ſi eo cadente, caderent univerſi Epiſcopi, ut nullus futuris temporibus auderet obviare Principis voluntati, & ſic vacillaret ſtatus Catholicæ Eccleſiæ, & Romani Pontificis deperiret auctoritas. Expedit igitur, inquiunt, hunc reſtitui etiam invitum, & ei qui pro nobis dimicat, omnimodis ſuccurrendum. Placuit omnibus hæc ſententia, præterquàm Phariſæis.

XLI. *Alex. Pap. reſtituit S. Tho. Archiepiſcopatum dimiſſum.* Vocato igitur beato Thoma cum ſuis, dominus Papa hæc ait ex ſententia: Nunc demùm, frater, nobis liquet, quem habuiſti & habes zelum pro domo Domini, quàm ſincera conſcientia te ipſum ſtatuiſti murum ex adverſo. De tuo ingreſſu quàm puram feceris confeſſionem, reſignatione facta, qua potuit, & debuit deleri culpa delicti: jam securè poteris de novo de manu noſtra Pontificalis officii curam recipere, dum te in integrum ducimus reſtituendum: & meritò, quem multiplici genere tentationis virum probatum novimus, providum & diſcretum, Deo & hominibus charum, nobis & S. R. E. per omnia fidelem. Et ſicut noſtræ perſecutionis factus es particeps & conſors individuus, ita tibi, Deo auctore, in nullo deeſſe poterimus, quamdiu in hoc corpore vitalis duraverit ſpiritus. Verùm hactenùs deliciis affluens, ut de cœtero diſcas eſſe quod debes, pauperum conſolator, nec id doceri poteris, niſi docente religionis matre, ipſa paupertate: pauperibus Chriſti te duximus commendandum, huic inquam Abbati Pontiniacenſi (erat enim ibi præſens ea condicto) non inquam educandum ſplendide, ſed ſimpliciter, ut decet exulem, & Chriſti athletam: inter quos cum paucis & neceſſariis, reliquis ſociis per amicos diviſis, oportet te ad tempus converſari, donec aſpiraverit dies conſolationis, & tempus pacis deſuper ad nos deſcenderit. Interim autem forti animo eſto, & his qui pacem perturbant, reſiſte viriliter.] Huc-

S. Thom. Pontiniaci cum monachis monachus habitat. uſque Alexander: atque ita eſt dimiſſus conventus. Recedens ſanctus Thomas profectus eſt cum Abbate Pontiniacum, ubi inter monachos monaſtico vivere volens habitu, petiit ipſum benedici ab Alexandro Pontifice: quo indutus perſeveravit monachus inter monachos, numeros omnes perfectionis monaſticæ explens. Sed quid Rex cognitis his? audies Lector, atque miraberis.

XLII. In ipſius Alexandri Papæ in Gallia Senonis reſidentis injuriam, nova mox capita ſcripſit deteriora prioribus, quæ in provinciis tranſmarinis, Aquitania, & aliis locis ſibi ſubjectis ſervanda præcepit, ſcripſitque de his inter alias litteras ad Epiſcopum Pictavienſem, qui, ut ipſe teſtatur in epiſtola (*a*) ad ſanctum Thomam, accepit eas poſt diem natalem Apoſtolorum. Quænam autem fuerint iſta, deſcribenda ſunt ex eodem Vaticano Codice, ubi leguntur: (*b*)

a Lib. 1. ep. 1.

b Idem p. ſt ep. 16.

Conſtitutiones Regia in Northmanniam miſſæ. Hæ ſunt conſtitutiones, quas conſtituit Rex Henricus in Northmannia, & mandavit juſtitiis ſuis &c.

I. Si quis inventus fuerit ferens litteras domini Papæ, vel aliquod mandatum Archiepiſcopi Cantuarienſis, continens interdictum Chriſtianitatis in Angliam: capiatur, & de eo ſine dilatione juſtitia fiat, ſicut de traditore Regis.

II. Præterea nullus clericus, vel monachus, vel converſus, vel alicujus converſionis permittatur transfretare vel redire in Angliam, niſi de tranſitu ſuo habeat litteras juſtitiæ, & de reditu ſuo litteras domini Regis. Si quis aliter inventus fuit agere, capiatur & incarceretur.

III. Ne aliquis appellet ad Papam, vel ad Archiepiſcopum.

IV. Ne aliquod placitum teneatur de mandatis Papæ vel Archiepiſcopi; vel aliquod mandatum illorum in Anglia ab ullo homine recipiatur. Si quis inventus fuit aliter agens, capiatur & incarceretur.

V. Generaliter quoque interdictum eſt, quòd nullus ferat aliquod mandatum clerici vel laici domino Papæ vel Archiepiſcopo. Si talis inventus fuerit, capiatur & incarceretur.

VI. Si Epiſcopi, vel clerici, vel Abbates, vel laici ſententiam interdicti tenere voluerint: ſine dilatione de terra ejiciantur, & tota eorum cognatio, ita quod de catallis ſuis nihil ſecum ferant.

VII. Ut catalla omnium Papæ vel Archiepiſcopo faventium, & omnes poſſeſſiones eorum, & omnium ei pertinentium, cujuſcumque gradus, vel ordinis, vel ſexus, vel conditionis ſint, capiantur, & in dominica manu domini Regis confiſcentur.

VIII. Ut omnes clerici, qui redditus habent in Anglia, ſint commoniti per omnes Comitatus, ut infra tres menſes veniant in Angliam ad redditus ſuos, ſi diligunt redditus ſuos: & ſi non venerint ad terminum ſtatutum, redditus in manu Regia capiantur.

IX. Ut denarii beati Petri non reddantur ulteriùs Apoſtolico; ſed diligentiùs colligantur, & ſerventur in theſauro Regis, & expendantur ad ejus præceptum.

X. Londonienſis & Norvicenſis Epiſcopi ſint in miſericordia Regis, & ſubmoveantur per Vicecomites & Bedellos, ut ſint contra juſtitias Regis ad rectum faciendum Regi & juſtitiis ejus, de eo quòd contra ſtatuta de Clarendona interdixerunt ex mandato Papæ terram Comitis Hugonis, & excommunicationem, quam dominus Papa in ipſum fecerat, per ſuas parochias divulgaverunt ſine licentia juſtitiarum Regis] Hactenùs Regis conſtitutiones in Northmanniam miſſæ.

XLIII. Nec his contentus Rex Henricus, in odium ſancti Thomæ res omnes Archiepi-

ſcopi

Digitized by Google

ſcopi & ſuorum confiſcari fecit, omneſque de ipſius cognatione, quique ei familiaritate conjuncti eſſent, ex Anglia trans mare deportari fecit. Cumque nec ſexui, neque ætati parceret, ſummum ſpecimen crudelitatis exhibuit. Narrantur iſta pluribus in Quadripartitis ejuſdem hiſtoria,

a L. 1. ep. 48

ſed et ab amico Regis ſcribuntur (a) ad ipſum, deteſtante ſævitiam tanto Principe valdè indignam. Porrò quòd ipſe Thomas tot miſerorum neceſſitatibus conſulere non valeret: conſilium iniit, ut alendos tranſmitteret in Siciliam. Quos omnes ſuſcepit Margarita Regina Siciliæ valdè pia; ſed & Syracuſanus Archiepiſcopus de iiſdem benemeritus eſt: ad quos idem Thomas ſcribens (b) plurimas gratias agit. At

b Lib. 1. ep. 57. & 58.

cùm neque ſævitia tanta animum potuerit Regis exatiare: adjecit adhùc, ut ſpiritualibus quoque officiis eumdem ſanctum Thomam privaret edicto; inhibens nimirùm, ut nullus ipſi ſubjectus pro eo orare præſumeret. Teſtatur id Vuillelmus in Quadripartita. . . .

XLIV. De inhibita exactione denarii S. Petri.

Quod verò pertinet ad denarium ſancti Petri, cujus exactio ab Alexandro Papa commiſſa erat duobus Prioribus Ciſterciensibus: bis cedentibus, nec audentibus contradicere prohibenti Regi, domeſticus ejuſdem Regis Petrus Bleſenſis magnis ſumptis ſpiritibus adverſatus eſt Regi, atque ad relinquendam liberam eam exactionem ipſum adegit. Teſtatur id ipſe in invectiva contra depravatorem ſuorum operum, hæc dicens: Non ad jactantiam dico, ſed ut impudentiam tuam (frons enim meretricis facta eſt tibi complurium Angliæ magnatum teſtimonio & aſſertione) retundam. Bonæ memoriæ Rex Henricus pro denario ſancti Petri quandoque adverſùs duos Priores Ordinis tui inexorabiliter & irrevocabiliter exarduerat: nemo præſumebat ſe opponere ex adverſo. Ego ſteti in confractione pro eis, & in tempore iracundiæ factus ſum reconciliatio. Ad inſtantiam meam, inſpirante Deo, frequenter regia manus in eleemoſynarum gratia munificè, & magnificè ſe effudit, & adhùc eleemoſynas illius narrat Eccleſia Sanctorum.] Hæc Petrus, qui licèt fidus eſſet miniſter Regis; cauſam tamen ſancti Thomæ, quantum occultè licuit, defendere non prætermiſit. Deo ſemper magis deferens quàm hominibus.

Dum iſta geruntur in Anglia & in Galliis: novi motus adverſùs ſchiſmaticum Imperatorem inſurgunt, coeuntibus ſimul in fœdus populis Venetis ac Longobardis: de quibus iſta leguntur in Actis Alexandri Romani Pontificis ſub anni hujus periodo his ipſis verbis:

XLV. Quid Veneti fortiter egerint in Imp. Frid.

Præterea illud ad memoriam duximus revocandum, quòd priuſquàm ad colloquium Regis Francorum Imperator ipſe accederet, poſt deſtructionem Terdonæ, Cremæ, & Mediolani, totam Lombardiam in tantam ſubjectionem redegerat, ut non ſolùm alia eorum bona violenter auferret, ſed etiam (quod inter Paganos abſque ca-

A pitali pœna non præſumitur) præter uxores, monaſterialibus earum filiis abuteretur, & impurè aliis abutendas dare non formidaret. Pro his ergò & aliis importabilibus malis Veneti cum Veronenſibus, Paduanis, Vicentinis, & cum tota ſibi adjacenti Marchia occultè convenerunt, & ſuper tantis oppreſſionibus diutiùs colloquentes: tandem pariter communi voto juraverunt, quòd ſalvo Imperii aliquo jure, nihil ampliùs de cætero facerent eidem Imperatori, niſi quod ab antiquis ſuis anteceſſoribus ejuſque prædeceſſoribus, videlicet Carolo, & aliis orthodoxis Imperatoribus

B conſtat exhibitum. Quibus unanimiter aſſociatis, & jusjurandi religione aſtrictis, cœperunt loca ſua paulatim munire, Teutonicorum inſolentias coercere, & quos videbant ſibi rebelles, audaciùs propulſare. Quæ poſtquàm auribus ipſius Imperatoris innotuerunt: in iram nimis vehementer exarſit. Et ſtatim collecto exercitu, cum Papienſibus, Cremonenſibus, ceteriſque Lombardis, de quibus videbatur confidere, adverſùs eoſdem Venetos pugnaturus proceſſit.

XLVI. Fridericus timuit Veronenſes.

E contrà Veronenſium ſocietas cum maxima armatorum multitudine de ſua

C juſtitia plenè confidens, extra civitatem intrepidè exiit, & tentoria ſua non longè à papilionibus adverſæ partis audacter collocavit. Cùm autem interim ad prœlium committendum partes exiſterent; Imperator animos Lombardorum, qui ſecum venerant, propitios adverſæ parti cognoſcens, non mediocriter timuit, & non ſine verecundia & multa confuſione de campo exivit, nec certamen cum illis inivit, ſed terga vertens, aufugit. Ab eo igitur tempore Italiæ civitates omninò ſuſpectas habuit, à quibus potiùs timeri voluit, quàm amari. Unde factum eſt, ut de con-

D ſilio ſuorum Marchionum & Comitum atque Capitaneorum, qui erant civitatibus odioſi, arces inexpugnabiles, & alias munitiones fortiſſimas in manus ſuas receperit, quibus præfecit Teutonicos Principes & dominatores, ita ut Lombardi ac cuſtodes de cætero ejus voluntati reſiſtendi locum habere nullatenùs poſſent. His itaque pro ſua voluntate diſpoſitis & ordinatis, ad alloquium (ut ſuprà dictum eſt) Regis Francorum ſecurè tranſivit, & exinde ad partes Alemanniæ remeavit.

XLVII. Civitates Lõgobardiæ confœderatæ.

Rebus itaque hoc modo ſe habentibus, cùm civitates Lombardię, quę inferiùs an-

E notantur, intentionem ac propoſitum ejuſdem Imperatoris contra ſe amarum & peſſimum certis indiciis cognoviſſent, nullum aliud evadendi certum conſilium habuerunt, ſeu invenerunt, niſi ut pro tuenda libertate omnes unà cum civitate Veronenſi contra Imperatorem firmiter ſtarent, & ſeipſos, aliis cum eis pariter adjunctis, neceſſaria ſibi ſolita auxilia exhiberent. Aggregatæ ſunt ergò per Venetos Veronenſibus hæ civitates. In primis Cremona, inſuper populus Mediolanenſis, extra mœnia ſuæ dirutæ civitatis ab ipſo Imperato-

re poſitus; Placentia, Brixia quoque, & Bergomum. Crevit igitur repentè ſocietas ipſa in immenſum; & facta eſt firma & fortis. Aliæ verò civitates Italiæ lætabantur, hæc videntes, in cordibus ſuis. Et licèt Imperatori præ nimio terrore ad oculum obedientes viderentur: corde tamen, & animo cum prædictis civitatibus ſentiebant.] Ita rerum ſtatum horum temporum fuiſſe in Italis, Acta produnt. Poſt hæc autem de ſtatu Urbis anni hujus ſic dicere pergunt;

XLVIII. Obitus Julii Cardin. Vicarii Epiſc. Præn.

Dum autem hæc agerentur, defunctus eſt Romæ Julius Præneſtinus Epiſcopus, Alexandri Papæ Vicarius, & in ejus locum Joannes presbyter Cardinalis tituli ſanctorum Joannis & Pauli eſt ſubrogatus. Ad cujus commonitionem populus Romanus ex maxima parte Alexandro conſuetam obedientiam, fidelium pecunia non modica mediante juravit, & Senatum juxta voluntatem & arbitrium ejus conſtituit innovando. Eccleſiam quoque beati Petri, & Comitatum Sablnenſem, qui tunc à ſchiſmaticis per violentiam Imperatoris detinebatur occupatus, in manibus ejuſdem Vicarii nihilominus reddidit. Unde factum eſt, quòd tota ferè Urbs ad ſervitium Papæ Alexandri pacificè detineretur ab eodem Vicario. Habito itaque cum fidelibus Eccleſiæ conſilio tàm clericis quàm laicis, de revocando Pontifice ad Sedem beati Petri & Lateranenſe palatium; Nuntios ad eum & litteras in partes Galliarum apud Senonas commorantem tranſmiſit, orans & petens ab eo ex parte totius Cleri & populi Romani, atque fidelium ſuorum, quatenùs ad propriam ſedem ſuam, & populum ſpecialiter ſibi commiſſum dignaretur reverti. Quandoquidem Eccleſiæ principatus & regimē in ipſa Urbe Romana nō ab alio, ſed ab ipſo Domino eſt proculdubiò conſtitutum: ut quæ Gentilitatis tempore cunctis glorioſior fuerat; divino conſilio in Chriſtianæ fidei revelatione magiſterii dignitatem præ omnibus obtineret. Sed multi quidem huic divinæ diſpoſitioni reſtitere, & adversùs eam conati ſunt calcaneum elevare; nullus tamen, Domino protegente, potuit prævalere. Unde oportet, chariſſime Pater & domine, ut in hac parte non tantùm nobis, ſed omnibus Eccleſiaſticis, & populo Italiæ ſalubriter conſulatis, qui per veſtram reverſionem in eamdem Urbem, & ſeſſionem in beati Petri Cathedram pacem ſibi ſperant, auctore Domino, proventuram, & Orbi univerſo tranquillitatem.

Agitur de revocando Alex. Pap. in Urbem.

XLIX. His itaque auditis & intellectis, Pontifex de ſua reverſione ad Urbem cum Epiſcopis & Cardinalibus ſpacioſè loquens, licèt multa imminerent ſibi gravia & difficilia; atque incommoda multa prævideret: tamen Regis Francorum, & alterius Regis Anglorum, necnon Epiſcoporum Galliæ perſuaſione prædicto Vicario certum de ſuo reditu dedit reſponſum, ſtatimque ad iter ſe feſtinanter accinxit.] Hæc uſque in annum ſequentem. At quomodò tunc ejus ex Galliis profectio contigerit, ſuo loco dicemus. Interim verò pro impenſis itineris & aliis ipſi ex neceſſitate incumbentibus collectam indicit Eccleſiis Galliarum, cùm has litteras ſuis Suffraganeis dedit Archiepiſcopus Rothomagenſis: (a)

a Apud Petrum Bleſ. ep. 170.

De collecta in Galliis pro Papa facienda.

Noviſtis, & in fines terræ credimus exiviſſe, quantis turbationibus & preſſuris Romana Eccleſia diutiſſimè ſit vexata: Credimus in communem notitiam deveniſſe, qualiter dominus Papa pro tuitione Eccleſiaſticæ libertatis ſe ad omne diſcrimen objecerit, Eccleſiæque Dei perſecutionibus commoriens inceſſanter ſit afflictione propriæ perſonæ, & debitorum onere prægravatus. Clamat itaque ad vos veſtra mater Eccleſia, ſumptibus importunis exhauſta, plenamque reportans de veſtra largitione fiduciam poſtulat, ut in veſtra conſolatione reſpiret, pro quibus deſolatam ſe ſentit & mœrore confectam. Sanè ſchiſmaticæ poteſtatis procella jam pro parte detumuit, jam portum ſecuriorem naviculæ Petri promittit aura elementior, ſi pacis opportunitati, quam Deus abſtulit, obſequia veſtræ liberalitatis aſpirent. Efferatam ſiquidem Romanorum malitiam, & inexplebilem pecuniæ ſitim domini Papæ munificentia & conſilio toties expugnatam ſuccubuiſſe, certa relatione comperimus. Nec ad omnimodam pacis & ſecuritatis plenitudinem quidquam deeſt, niſi ut dominus Papa ſumptibus exinanitus immenſis, ſibi & ſuis victualium ſufficientiam de veſtra largitione reſtauret. Benè valete.] Reliqua hujus hiſtoriæ ſpectant ad annum ſequentem. In litteris verò, quas miſit Nuntius ſancti Thomæ, certiorem eum reddens de rebus Italiæ, iſta habentur: (b) In Tuſcania Radicoſanum cum fratre & nepotibus domini Papæ, & quædam alia caſtra cum parentibus Cardinalium capta ſunt à Teutonicis &c.] Hæc de his ibi.

b Cod. Vat. lib. 1. ep. 13.

L.

Rurſùm verò, quæ pertinent ad anni hujus res geſtas Alexandri Papæ, ſunt iſta: (c) Hoc eodem anno milleſimo centeſimo ſexageſimoquarto Alexander Papa retulit in Sanctorum numerum ſanctam Helenam viduam genere Viſigotham, ob ejus egregiam vitæ ſanctitatem, & miraculorum inſignem operationem. Quo pariter tempore idem Pontifex etiam in Albo ſanctorum Martyrum adſcribendum curavit ſanctum Canutum Regem Daniæ, patrem Waldemari Regis, ut teſtatur (d) Saxo his verbis: Per idem tempus Legati Regis, quos, ut ſibi paternæ animæ ſanctitatem ſacris honoribus venerari liceret, Romam tranſmiſerat, conſentaneas voto litteras retulerunt. Quibus cognitis, Rex omni Danica nobilitate ſub edicto Ryngſtadium evocata, circa ſolemne Joannis, quod in æſtivo ſolſtitio colitur, parenti cœleſtes honores, & filio *itidem Canuto nominato* regios celebrare cōſtituit, maxima claritatis incrementa accepturum ſe ratus, ſi una eademque luce ex iis alterum ara, alterum corona donaſſet: ut & hujus infantiam regnum

c Joan. Ola. lib. 19. c. 7.

Canoniſatio S. Helenæ Gothæ.

d Saxo Gramm. lib. 14.

Canonizatio S. Canuti Reg. junioris.

A gnum reciperet., & illius ſpirttum publica religio conſecraret &c.] Habes ex eodem auctore duos Canutos Reges, avum alterum, alterum verò patrem ipſius Vvaldemari Regia. De ſeniori nempè habetur ab eodem auctore recenſita hiſtoria libro undecimo rerum Danicarum, de quo idem meminit in præfatione ſcriptæ à ſe hiſtoriæ: de juniori verò libro ejuſdem hiſtoriæ decimotertio. Et cùm plura ſint quæ eos diſtinguans ab invicem: illud modò ſatis eſſe debet, quòd ſenioris natalis agitur die ſeptima Jaunarii, junioris menſe Junii tempore ſolemnitatis ſancti Joannis Baptiſtæ.

B

LI. Porrò iſta pro parte curavit Vvaldemarus Rex Daniæ, ubi (ut idem Saxo teſtatur) conterminos Rugios populos bello vicit, eorumque inexpugnabilem civitatem, Arkon dictam, ad deditionem coegit, his conditionibus, ut idolum, quod ab univerſo ejus gentis populo cultu celeberrimo frequentabatur, ſecuribus conciderent, atque Fidem ſuſciperent Chriſtianam. Quod planè ibi factum, & in aliis ejuſdem provinciæ locis, ubi idolorum monſtruoſa ſimulachra adhùc ipſis cultu veneranda perſiſterent, quæ omnia Chriſtianus Jeroboal dejecit, comminuitque

C

in fruſta, adjuvante magnoperè Abſalonn Epiſcopo Roſchildenſi, de quo ſæpè ſuperiùs dictum. Porrò iſta omnia eleganti deſcribuntur ſtylo à Saxone (a) Grammatico, quem pro arbitrio conſulas.

a Ibidem.

LII. Hoc eodem anno Petrus Lombardus Epiſcopus Pariſienſis ſcientia clarus, cujus ſunt libri quatuor Sententiarum, ex hac vita deceſſit. Habuit correctorem virum inſignem Vvillelmum Archiepiſcopum Senonenſem, ad quem extant litteræ Alexandri Papæ ex Concilio Lateranenſi, de quibus inferiùs. Paſſus eſt etiam accuſatorem Joachinum Abbatem monaſterii Florenſis

D

ſed damnatus accuſator in Concilio Romano ſub Innocentio Tertio. Extat ejuſdem Petri ſepulchri epitaphium, quod legitur Pariſiis in Eccleſia ſancti Marcelli, ubi & ejus ſcripta recèſentur. Sic ſe habet:

Hic jacet Magiſter Petrus Lombardus Pariſienſis Epiſcopus, qui compoſuit librum Sententiarum, gloſſas Pſalmorum; & Epiſtolarum, cujus obitus eſt dies decimustertius Kal. Aug.] Subjungitur annus Redemptoris modò notatus à Maſſone in Annalibus Francorum. Qui dicunt ejus germanum fuiſſe Petrum Comeſtorem,

E

necnon Gratianum, puto erraſſe: ſiquidem Petrus iſte Lombardus patris fuit Novarienſis, Gratianus Tuſcus, & Comeſtor Trecenſis fuere. Reprobat & ſanctus (b) Antoninus fabulam iſtam vulgo ſparſam.

b Ant par. 3. tit. 15. c.6.

Hoc eodem anno S. Helena Svevina, vidua miræ ſanctitatis, poſtquam à Sepulchro Domini, quod petierat, eſt reverſa: de nece generi ſui per calumniam accuſata, ea de cauſa innocens ab ejus cognatis occiſa eſt. Quæ dicto anno ab Alexandro Papa Tertio inſtante Carolo Re-

A ge Svenonum atque Gothorum, ob vitam ſanctiſſimè ductam, mortemque violentiam injuſtè acceptam, additis miraculis multiplicibus, inter Sanctos relata eſt.] Hæc vetus Chronicon ſcriptum apud nos manens.

Moritur hoc anno S Eberardus Archiepiſcopus Salzburgenſis, de quo plura ſumma eum laude ſuperiùs: è cujus ſacris reliquiis, ad oſtenſionem, & confirmationem Catholicæ Fidei, plura ſigna manarunt, quę poſt vitam ejus ſcripta (c) leguntur. Sed accipe datas tunc litteras ab Epiſcopo Bambergenſi ad viduatam tanto paſtore

c Caniſ. Antiq. lect. t. 2. pag. 300. 303.

B Eccleſiam Salzburgenſem, ibidem affixas his verbis:

Babenbergenſis Eccleſiæ qualiſcumque miniſter venerabilibus, & in Chriſto plurimùm dilectis fratribus & amicis Hugoni Salzburgenſi, Udalrico Kinnſenſi Præpoſitis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris.

In commemoratione beatiſſimi Patris noſtri ac domini Archiepiſcopi jugiter in mentem venit, immò à memoria noſtra non recedit, quò diviſo à ſe domino ſuo, & curru igneo, ſubvecto, vernaculus & individuus ille comes Prophetæ poſt eum

C clamavit, dicens: (d) Pater mi, pater mi, currus ille Iſrael, & auriga ejus. Numquid enim magnus iſte ſacerdos noſter, qui in diebus ſuis placuit Deo, & inventus eſt juſtus? Currus enim fuit, dum neceſſitates, & infirmitates alienas, præſertim onera peccatorum, & inopiam pauperum paterna conſolatione & compaſſione ſublevavit. Quaſi diceret: Quis infirmatur, & ego non infirmor? vel, Numquid auriga non fuit, qui creditos ſibi rexit & direxit in viam veritatis exemplis pariter & documentis? Oculus fuit cæco, & pes claudo. Manus ejus non eſt averſa

d 4. Reg. 13

D ab ullo paupere, cùm quo cordi erat jocari, conrixari, & tandem ab invalids manu exuperari. Inſuper ut omnibus omnia fieret, etiam ſupra legem, non contra legem, habitum leproſi, & tactum lepræ non abhorruit. Raptus, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam ejus. Sed conſummatus in brevi, explevit tempora multa. Equidem ſicut ſcriptum eſt: malitia remanentium meretur, ut hi qui prodeſſe poterant, feſtinè ſubtrahantur. Atqui memorabilis ille aſſecla Prophetæ magnificam duplicis ſpiritus habuit conſolationem. Nobis autem in tran-

E ſitu viri ſanctiſſimi præter luctum nihil ampliùs derelictum eſt, niſi fortè digni eſſemus, apud Deum tanto ſublevari patrocinio. Talis decebat ut nobis eſſet pontifex, cui vivere Chriſtus, & mori erat lucrum. Propoſitum quidem nobis erat feſtinandum eum videre; ſed proh dolor, peccatis noſtris exigentibus extremum hoc beneficium percipiendæ ab eo benedictionis nobis divinitus denegatum eſſe lamentabiliter & inconſolabiliter conquerimur. Et infrà. Conſolemur invicem, Pater noſter piiſſimus intravit in

gaudium Domini ſui. Ipſe autem Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis conſoletur vos, & abſtergat omnem lacrymam ab oculis veſtris. Hæc ſereniſſimus Babenbergenſis Epiſcopus.]

Succeſſit autem eidem in Archiepiſcopatu Conradus junior, qui & ipſe adversùs Fridericum Imperatorem inhæſit Alexandro Papæ, de ipſo autem hæc ibidem: (a) Poſt cujus deceſſum Prælati cum Clero, & miniſterialibus Eccleſiæ conſilio habito, elegerunt dominum Conradum Patavienſem Epiſcopum ad Salzburgenſem Metropolitanum, anno quo ſuprà, videlicèt Incarnationis Domini MCLXIV. III. Kal. Julii, virum ſanè regio genere, ſcientia quoque, & morum probitate nobiliſſimum. Patre namque bonæ memoriæ, clariſſimo regni Principe Liupoldo, Marchione Auſtriæ, ac matre Agneta, filia Henrici Tertii Imperatoris progenitus fuerit: germanus etiam Conradi Regis Romanorum, ſed & duorum Ducum illuſtrium, Leopoldi & Henrici, Friderici verò Cæſaris patruus, Sororius autem Henrici Quarti Imperatoris, habens ſorores Gerdrudem Duciſſam Bohemiæ, & Berchtam Duciſſam Polanorum, ac Itam Marchioniſſam de Monteferrato, & conſobrinam Imperatricem Hiſpaniæ Gerdrudem. De tàm, inquam, illuſtri parentela proles ipſa nobiliſſima traxit originem. Sed tantæ prædictus Antiſtes Conradus nobilitatis lineam moribus extulit, probis actibus decoravit. De Patavienſi namque Eccleſia, cui XVI. annis præfuit, ad Salzburgenſem, ut diximus, ſedem translatus, quidquid priùs in ſe notabile reprehenderat, nunc quaſi novum hominem indutus, cœpit corrigere, & formam gregi ſibi commiſſo ſe non ſolùm nomine, ſed & re & opere non ſegniter exhibere.] Pergit verò idem auctor de Conradi conſtantia inhærendo Catholicis: Eo tempore Octaviano ſchiſmatico mortuo, cùm jam finem illius execrandi ſchiſmatis Eccleſia præſtolaretur, alter proh dolor, pro jam dicto Octaviano, Guido dictus, à fautoribus Cæſaris intruditur potiùs, quàm inthronizatur, & noviſſimus error pejor effectus eſt priore. Itaque omnibus* cùm penè Germaniæ, & Italiæ Prælatis tali ſchiſmate ſeſe, tùm timore, tùm etiam favore Principis cominaculantibus, & quod dictu horrendum eſt, ſacramento, ut poſteà dicetur, ne ab hoc recederent, ſe obligantibus; prætaxatus Præſul immobilis columna veritatis, ſed & æquivocus ejus Conradus Moguntinæ ſedis Archiepiſcopus præclariſſimus, nec non & Hartmannus Brixinenſis Eccleſiæ ſanctiſſimus Epiſcopus, murum ſe pro domo Iſrael opponebant, & pro conſervanda fide beato Petro & ejus Vicario viriliter agonizabant. Prædictus tamen beatus Hartmannus, menſibus VI. Archipræſulatus ipſius domini Conradi evolutis, poſtquàm tàm ei, quàm prædeceſſori ejus ſancto Eberardo fideliſſimè commilitaverat, decimo Kal. Januarii migravit ad Dominum. Conradus denique Deo dignus pontifex, primo conſtitutionis ſuæ anno ad dominum Imperatorem Papiæ poſitum accedens, regalia requiſivit, ſed obtinere non potuit, quia ſchiſmati communicare noluit.] Hactenùs de his ibi.

a Caniſ. Antiq. lect. tom. 6. pag. 1147.

JESU CHRISTI ANNUS 1165. ALEXANDRI PAP. III. ANNUS 6. FRIDERICI IMP. 11. MANUELIS IMP. 23.

I. Legatio ad Alexan. Pap. ab Imperatrice.

Redemptoris annus milleſimus centeſimus ſexageſimusquintus, Indictione decimatertia ſequitur ordine temporis, cujus exordio miſſa eſt legatio à Mathilde Imperatrice matre Henrici Anglorum Regis ad Alexandrum Papam, qua rogavit, ut jungeret fœdere Reges Franciæ atque Angliæ: quod ſi faceret, fore etiam, ut pax ſequeretur ejuſdem Regis Angliæ cum ſancto Thoma. Iſta cùm accepiſſet manens in Curia apud Alexandrum Joannes Saraſberienſis; ſuis litteris reddidit certiorem ſanctum Thomam ſic ipſarum exordio: Cùm, inquit, dominum Papam nuper ſollicitarem, & animarem, & viam illi, quam mihi videbar intellexiſſe ad pacem ſibi & vobis reformandam, ſtudioſiùs intimarem; reſpondit, ſe ſpem concepiſſe pacis ex verbis Imperatricis, qui Abbatem ſanctæ Mariæ de voto tunc tranſmiſerat, promittens Regem Angliæ facilè poſſe induci ad quæcumque vellet dominus, ſi ipſe Papa, Reges, ut diu petitum eſt, vellet confœderare. Ad quod quia dominus Papa pronus eſt, & Rex Francorum facilis inclinari: ex colloquio ſuo & Regum certus etiam videbatur. Et jam Regem Francorum evocaverat, ut Purificationis feſtum ageret ſecum.] Hæc de concepta ſpe pacis. Additque ſe locutum cum Rege Francorum, quem timentem invenerit, ne ex ejuſmodi occaſione diſtraheretur ab Eccleſiæ Romanæ communione, atque relicto Alexandro, eſſet ſchiſmatico inhæſurus.

His ſignificatis, rogat ipſe Saresberienſis eumdem ſanctum Thomam, magis precibus quàm ſtudio litterarum debere incumbere. Cur autem iſta de litteris, accipe, quæ in Quadripartita de eodem ſancto Thoma leguntur ex Hereberto, dum adhuc moraretur in Pontiniaco monaſterio: Tantus ſiquidem divinarum Scripturarum amator erat, ut poſt horas regulares quotidiè ſacri codices vix de manu ejus diſcederent. Unde ex amore hoc Scripturarum & opera adeò in brevi profecit, ut ſæpiſſimè in ſcrupuloſis & nodoſis Scripturarum ſententiis & ſuper docentes ſe intelligeret.] Sed & in evolvendis canonum libris totus erat.

A erat. Quod quidem his periculoſis temporibus fieri minimè probavit Joannes ipſe, cujus haud mediocris erat apud ſanctum Thomam æſtimatio ob inſignem viri probitatem atque doctrinam, qui & ea qua pollebat fiducia apud ipſum, iiſdem litteris (a) iſta, memoria quidem digna commonuit, dicens: Conſilium meum, & deſiderium, & ſumma precum, ut vos tota mente convertatis ad Dominum & orationum ſuffragia; quia (ut in Proverbiis (b) ſcriptum eſt:) Turris fortiſſima nomen Domini. Ad quam ſi quis confugerit, de omnia anguſtia liberabitur. Differte

Cod. Vat. l. 2. ep. 31.

b Prov. 18

Utilis admonitio amici ad S. Thomã.

B interim omnes alias occupationes quantum poteritis, quia licèt neceſſariæ plurimùm videantur, quod ſuadeo præeligendum eſt, eò quòd magis eſt neceſſarium. Proſunt quidem leges & canones; ſed mihi credite, quia nunc non erat his opus. *Non hoc iſta ſibi tempus ſpectacula poſcunt.* Siquidem non tàm devotionem excitant, quàm curioſitatem. Nonnè recolitis, quia in anguſtia populi (ut ſcriptum (c) eſt) inter veſtibulum & altare plorabant ſacerdotes & miniſtri, dicentes: Parce Domine, parce populo tuo? Exercitabar (inquit (d) Propheta) & ſcopebam ſpiritum meum, in die tribulationis (e) Dominum exquirens manibus, ut doceat, quia ſpirituale

c Joel 2.

d Pſ. 76.

e Ibidem.

C exercitium, & mundatrix diſcuſſio conſcientiæ avertit flagellum, & impetrat miſericordiam Dei. Quis à lectione legum aut etiam canonum compunctus ſurgit? plus dico. Scholaris exercitatio interdum ſcientiam auget ad tumorem, ſed devotionem aut rarò, aut numquam inflammat. Mallem vos Pſalmos ruminare, & beati Gregorii Morales libros evolvere, quàm ſcholaſtien more philoſophari. Expedit conferre de moribus cum aliquo ſpirituali, cujus & exemplo accendamini, quàm in-

D ſpicere & diſcutere litigioſos articulos ſæcularium litterarum. Novit Dominus qua mente, qua devotione iſta proponam: vos accipietis ut placet. Si autem iſta feceritis, vobis erit adjutor Deus, ut timeri non oporteat, quid machinetur homo. Ipſe novit, quòd in nullo mortali nobis, ut opinor, ſperandum eſt in præſenti anguſtia &c.] Iſta ad ſanctum Thomam Joannes maximè opportunè.

III. Inter hæc autem idem ſanctus Thomas ſummis anguſtiis preſſus, abſens ſcriptis rem agit, ſcribens ad ipſum Anglorum Regem, itemque ad Epiſcopos Angliæ, qui eumdem Regem hortari, monereque

E debeant. Ad Regem enim has dedit litteras, quas ſuis Annalibus Rogerius inſerit iſtis verbis:

S. Tho. ad Reg. Angliæ litteræ.

Reverendiſſimo domino ſuo, Henrico Dei gratia illuſtri Anglorum Regi, Duci Northmannorum & Aquitanorum, & Comiti Andegavorum, Thomas eadem gratia Cantuarienſis Eccleſiæ humilis miniſter ſalutem, & utinam per omnia benefacere.

Loqui de Deo, liberæ & quietæ mentis eſt valdè. Inde eſt quòd loquor ad domi-

A num meum, & utinam ad omnes pacificè. Obſecro (mi domine) ut ſufferatis cum animi patientia modicum quid commonitionis, conferentis per gratiam Dei, quæ numquã vacuata eſt ad animæ veſtræ ſalutem & meæ liberationem. Anguſtiæ mihi ſunt undique: tribulatio enim & anguſtiæ invenerunt me, inter duo graviſſima & timenda conſtitutum. Et inter duo conſtituta graviſſima, timendum ſilentium, loquar, & commonitionem. Si autem ſiluero, mors mihi eſt, nec effugiam manus Domini dicentis: (f) Si non annun-

f Ezech. 3.

B tiaveris delinquenti peccatum ſuum, & moriatur in peccato ſuo, ſanguinem ejus de manu tua requiram. Si commonuero, timeo, ne non effugiam domini mei (quod abſit) indignationem; nec accidat mihi, quod ſapiens ille dixit: Cum is, qui non placet, ad intercedendum vel commovendum accedit vel mittit, verendum eſt, ne irati animus ad deteriora provocetur. Quid ergò faciam? loquar, an ſileam? Utrobique certè periculum. Verumtamen, quoniam tutius (g) eſt incidere in hominis indignationem, quàm in manus Dei viventis: confiſus de miſericordia Altiſſimi, in cujus manu ſunt corda Regum, &

g Dan. 13.

C quò voluerit inclinabit ea; (& utinam in partem meliorem) loquar ad dominum meum, quia ſemel cœpi. Multotiens enim bona parantur invitis, maximè cùm eorum potius ſaluti conſulitur quàm voluntati.

IV. Admonitio de ſtatu Eccleſiæ.

In terra veſtra captiva tenetur filia Sion Sponſa Regis magni oppreſſa à multis, afflicta ab his, qui à tempore longo oderunt eam, & à quibus potiùs honoranda eſſet quàm affligenda, maximè à vobis. Habita igitur vobiſcum recordatione beneficiorum ſingulorum, quæ vobis contulit Deus in initio regni veſtri, in medio, &

D ferè uſque modò: ſolvite eam, & permittite conregnare Sponſo ſuo, ut benè faciat vobis Deus, & incipiat ſtatim convaleſcere regnum veſtrum, & auferatur opprobrium de generatione veſtra, fiatque ſumma pax in diebus veſtris. Credite mihi, dilectiſſime domine, ſereniſſime Princeps, patiens enim retributor eſt Dominus, longanimis expectator, ſed ultor graviſſimus. Audite me, & benefacite: ſin autem, verendũ eſt (quod abſit) ne accingatur gladio ſuo ſuper femur ſuũ potentiſſimus, & veniat in manu valida cum militia multa liberare Sponſam ſuam non ſine grandi plaga de

E oppreſſione & ſervitute tribulantis. Si verò me audieritis, quoniam neceſſe habet Dominus in hoc inſtanti obſequium veſtrum experiri, tamquàm ſtrenui militis ſui: benefaciet vobis Deus, & addet gloriam gloriæ veſtræ in progeniem filiorum, & filiarum veſtrarum uſque in tempora longa. Alioquin, vereor (quod tibi Deus avertat) ne non deficiat gladius de domo veſtra, donec veniat, qui ulciſcatur de plano ſuam & ſuorum injuriam, Altiſſimus. Sicut nec de domo Salomonis, à quo, licèt eum Deus elegiſſet, & contuliſſet ei tan-

A tam ſapientiam & pacem, ut diceretur ab omnibus: Hic eſt filius ſapientiæ, & pacis: & quoniam receſſit à via Dei, ambulavit in iniquitate ſuper iniquitatem, ſcidit Deus regnum ſuum, & dedit illud ſervo ſuo; maximè quia non quæſivit ſubitò poſt delictum placare Dominum. Sicut & David pater ſuus, qui ſtatim poſt offenſam humiliavit ſe Domino, emendavit culpam, petivit miſericordiam, & obtinuit veniam. Utinam & vos cum Dei gratia ſimiliter faciatis? Hæc vobis ad præſens ſcribo, cætera in ore latoris præſentium; viri religioſi & magnæ opinionis, fidelis etiam (ut credimus) veſtri poſuimus. Quibus quæſo, ſi placet, fideliter credatis: potiùs tamen deſidero cum gratia veſtra benigno veſtro uti colloquio. Bene valeat ſemel & ſemper dominus meus.] Iſta ad Regem, cùm & eidem Nuntio has auditu dignas dedit litteras ad Epiſcopum Herefordiæ iſtis verbis:

B

V. Thomas Dei gratia Cantuarienſis Eccleſiæ miniſter humilis venerabili fratri Roberto eadem gratia Herefordenſi Epiſcopo ſalutem, & per omnia benefacere.

Ad Epiſcopum Herefordiæ S. Th.

C Si litteræ noſtræ fraternitatis tuæ excitavere ſollicitudinem: utinam non affectu deſidem reperiſſem, nec circa officii ſuſcepti debitum effectu minus vigilem. Elegi abjectus eſſe, anathema pro omnibus, opprobrium hominum & abjectio plebis, ne viderem mala Sanctorum, & diſſimulare injuriam gentis noſtræ: expectans ſiquis fortè ex omnibus vobis zelans legem Dei, & Eccleſiæ libertatem affectans, exiret poſt me, & veniret, ut non daremus cornua peccatoribus. Et ecce tu, quem credebam mihi à Domino datum eſſe, ut mecum ædificares, evelleres, & plantares, propinas mihi ſtimulũ in ruinam, ſolatium in deſperationem, prædicans humiliationem, immò dejectionem, annuntians bonum, cùm undique ſit turbatio in perniciem Eccleſię Dei

D & clericorum: & cùm deberes animi vacillantis firmare conſtantiam, ſuſtinere mecum congreſſum ad defendendum patrimonium Crucifixi, ad reprimendos & expugnandos hoſtes Eccleſiæ, inſtillare auribus meis, inſpirare animo meo, ut obſecrarem inſtantiùs, arguerem arctiùs, increparem duriùs. Quòd ſi me non audient, exclamare certè debueras contra me: Exurge, quare obdormis? Exere gladium ſancti Petri, vindica ſanguinem ſervorũ Chriſti, qui effuſus eſt; injurias Eccleſiæ, quæ in nobis & noſtri fiunt tota die.

E

VI. Exciditne à memoria tua, quantis ſim injuriis afflictus, quibus contumeliis affectus, cùm in perſona mea contra omnem auctoritatem, & contrà omnem juris formam, iterùm judicaretur Chriſtus ante tribunal Principis? Non revoco certè ad animum propriæ perſonæ injuriam, etſi Eccleſiæ. Attende diligentiùs, altiùs in corde tuo repone, quid ageretur ante exitum meum, quid in exitu, quid poſteà, quid etiam agatur ſingulis diebus in terra illa circa Eccleſiam Dei, & ejus miniſtros.

A Qua animi conſcientia iſta diſſimulare potes tu, de quo ſperabatur, quòd eſſes redempturus Iſrael, liberaturus à ſervitute Eccleſiam? Et nunc quia tanto tempore tacuiſti, doleo ſuper te, fili mi primogenite. Timeo ne ſuccedat tibi, qui tollat primogenita tua, & auferat benedictionem primogeniti (quod abſit) à te. Verumtamen etſi hactenùs *tacuiſti, reſume vires, fili chariſſime, clama, ne ceſſes, exalta vocem tuam * ſiluiſti
contra eos, immitte eis timorem, incute contritionem, excute ſatisfactionem, ne ira Dei deſcendat ſuper eos, & tota gens pe-

B reat, vel (quod abſit) majores in gente. Ultio enim divinam in januis eſt. Hæc tibi ſcribo non ad confuſionem tuam, ſed ad cautelam: ut fultus auctoritate Dei & noſtra de cętero valeas, & velis officii tui neceſſitates fortiùs & validiùs exercere. Hoc unum in ſumma te volo ſcire per miſericordiam Dei: non extorquebitur à me Eccleſiæ confuſio. Præterea gratias tibi ago, quòd vel nunc viſitaſti me, & ſolatio tuo confortaſti.

VII. Quid plura? unum eſt, quod ſine multa animi mei amaritudine ſuſtinere non valeo. Fleo equidem ſuper dilectiſſimo do-

C mino noſtro Rege. Timor (a) enim & tremor venerunt ſuper me, & contexerunt a Pſal. 54.
me tenebræ, eò quòd videam domino meo Regis tribulationem & anguſtiam imminere. Nec mirum. Commovit enim Eccleſiam Dei, & conturbavit eam, oſtendens Clero ſuo dura, & potans eum vino meroris. Propterea dicit ei Dominus: (b) Ubi ſunt nunc ſapientes Conſiliarii tui, b Iſai. 19.
qui dederunt tibi conſilium inſipiens, qui dicebant, filius ſapientum tu es, filius Regũ antiquorum, quorum conſuetudines obſervandæ in Anglia, quas qui non obſervaverit, non eſt amicus Cæſaris, hoſtis eſt coronæ, reus judicio? Sed certè quod magis eſt,

D amicus eſt Crucis Chriſti: quoniam væ his qui condunt leges iniquas, & ſcribẽtes ſcripſerunt injuſtitias, ut opprimerent pauperes in judicio; & vim facerent cauſæ humilium populi mei: ut eſſent Eccleſiæ & viduæ præda eorum, & clericorum, aliorumque diriperent bona. Qui facient in die viſitationis & calamitatis de longe venientis? ad cujus confugient auxilium, & ubi derelinquent gloriam ſuam, ne incurventur ſub judicio, & cadant cum interfectis? Ubi ſunt nunc ſapientes ejus? procedant, annuntient ei, & indicent, quid cogitaverit Dominus exercituum ſuper Angliam.

E Stulti facti ſunt (c) ſapientes ejus, & emarcuerunt Principes ejus, deceperunt Angliã c ibid.
angulum populorum. Dominus immiſcuit in medio ejus ſpiritum vertiginis. Errare fecerunt Angliam in opere ſuo, ſicut errat ebrius vomens, tremens, & non erit Angliæ opus, quod faciet caput aut caudam, quia comederunt (d) Jacob, & lo- d Pſal. 78.
cum ejus deſolaverunt, & dixerunt, hæreditate poſſideamus ſanctuarium Dei, exprobrando ſacerdotibus, & eorum principibus dicentes: quò confugietis è manibus noſtris; aut in quo eſt vobis fiducia? Quare

A Quare receſſiſtis, & obſtitiſtis præceptis meis? O quàm inanea cogitationes iſtæ, quàm peſſimæ operationes in conſpectu Domini! Videt quidam quoniam vanæ ſunt. Ipſe enim irridebit ſic cogitantem, ſic operantem, proſpiciens, quòd propè veniat dies ejus, & jam in januis ſit, &

a Pſ. 51. dicet: (a) Ecce homines qui non poſuerunt Deum adjutorem ſuum, ſed ſperaverunt in multitudine divitiarum ſuarum, & prævaluerunt in unitate ſua. Sed fruſtrà hæc faciunt. Non relinquet Dominus Eccleſiam ſuam, Clerum ſuum ſine defenſore, ſine ultione graviſſima. Fundata eſt enim ſupra firmâ petram: petra autem ipſe eſt Chri-

B ſtus, qui eam proprio ſanguine ſuo fundavit. Certè ſi non iſta emendaverint, non ferent ea impunè, quoniam conculcaverunt ſancta Sanctorum, domum Dei, ſacerdotes ejus injuriis afficiando, verbiſque probroſis. Hi ſunt quibus Dominus ipſe

b Pſ. 81. ait: (b) Dixi dii eſtis & filii excelſi om-

c Luc. 10. nes. Et alibi: (c) Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit: & qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei. Revertantur ad cor, abiiciant mala iſta à ſe, agant pœnitentiam cum ſumma humilitate. Alioquin verendum eſt, ne Domi-

C nus noſter citò (quod abſit) veniat, adducens ſuper eos & terram eorum grandem tribulationem, & ultionem retributionis graviſſimam. Ecce veniet Dominus noſter, & non tardabit, & ipſe ſalvabit nos. Ipſe numquam derelinquit ſperantes in ſe.

d Pſ. 36. Propheta enim dicit: (d) Spera in Domino, & fac bonitatem, & paſceris in divi-

e Pſ. 26. tiis ejus. Et alibi: (e) Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, &

Ad futurũ martyriũ præparatio. ſuſtine Dominum, citòque liberaberis à laqueo venantium, & à verbo aſpero. Et ut cætera omnia debito fine concludam, quoniam oſtendit nobis Dominus, quæ

D & quanta oporteat nos pati pro nomine ſuo, & pro defenſione ſuæ Eccleſiæ: neceſſe habemus, ut ores tu, & tota Eccleſia tibi commiſſa inſtanter pro nobis, ut quod noſtris meritis non valemus, tua & ſanctorum virorum interceſſione, qui in ditione tua ſunt, ſuſtinere valeamus, & ob id gratiam ſempiternam conſequi mereamur. Vale & confortare. Valeat tota Anglicana Eccleſia, & confortetur in Domino; ut & nos benè valeamus.] Hæc ſanctus Thomas è Galliis, ubi erat, in Angliam. At quid inter hæc Rex ipſe Anglorum?

VIII. Legati Regis Anglorum quid petant Papæ.

E Antequàm verò Alexander è Galliis recedens Romam verſus pararet iter (quod contigit hoc anno, Paſchali tempore) Legati Regis Angliæ ad Alexandrum Papam venere. Quidnam autem attulerint, ex Alano in Quadripartita ſic accipe: Diſcurrebant interim hinc inde, & etiam à domino Papa mittebantur Nuntii ad pacis reformationem. Tandem verò placuit utrobique dominum Papam, & Regem ſtatuto die & loco ad invicem convenire, ut per mutuum eorum colloquium via pacis poſſet faciliùs inveniri. Rex ait ad id ſe vèturum, ſed in Archiepiſcopi abſentia, quia eo præſente, demandas nec domini Papæ faciem ſe viſurum. Domino Papæ Archiepiſcopus ſignificat nulla ratione Regis uti colloquio ſine ſua præſentia, cui mores noti illius fuiſſent. Citius enim ait, poterit Apoſtolica circumveniri religio ex varietate verborum Regis, ſi non adeſſet ſedulus interpres, qui regiæ mentis propoſitum ex ipſius animi poſſit latebris elicere.] Hæc ad Papam Thomas. Quo accepto (pergit Alanus) moderata reſponſione Regi renuntiat dominus Papa, hoc inauditum à ſæculo, Romanam Eccleſiam

B ad alicujus Principis nutum, quemquam à ſuo conſpectu reiicere, maximè pro juſtitia exulantem. Sed & id privilegii & auctoritatis deſuper eſſe indultum Apoſtolicæ Sedi, ut exulibus & oppreſſis ſubveniat, etiam contra Principum iras, & violentos impetus malignorum. Indignantes ergò Nuntii receſſerunt, hæc Regi nuntiaturi. Dominus verò Papa Romam reverſurus iter ingreditur.] Hæc Alanus. Sed jam Alexandri Papæ redeuntis veſtigia aſſectemur.

Urgebant Romani Alexandri Papæ adventum poſt obitum Octaviani, nullo pa- IX. Romani revocant Alexand. Pap. in urbem.

C cto recepturi Guidonem, quem Imperator in locum ipſius ſubrogarat. Pergebant frequentioribus litteris ad ipſum petere, & quodammodò etiam violenter exigere, minantes, niſi hoc anno Romam rediret ante feſtum diem ſancti Michaelis Archangeli, excepturos ſe fore Guidonem. Sed accipe iſta ex litteris Ioannis Sareberienſis ad ſanctum Thomam tunc datis, quibus & alia ſcitu digna ſignificantur; ait enim poſt multa: (f) Et ſi quid de domi- f Cod. Vat. l. 1. ep. 33. no Papa vobis innotuit, poſtquàm *reverſurus Romam* venit ad montem Peſſulanum. Deſidero autem de eo audire proſpera, eò

D magis, quò illi ex magna parte inter quos moror, vaticinantur adverſa. Dicunt enim, quòd Piſani & Genuenſes, & etiam Arelatenſes mare ingreſſi ſunt ex mandato Teutonici tyranni, ut ei tendant inſidias: & piraticam exercent, ut ſine manuductione eorum nulli omninò liceat navigare in illo mari.

Adiiciunt etiam, quòd in Eccleſiam Moguntinam *idem tyrannus* velit intrudere illum non Chriſtianum (*hoc namque illi proprium nomen erat*) ſed Antichriſtum apoſtatam ſuum, qui Reginaldo ſucceſſit in officio Cancellariæ, & perſecutione Ec- Chriſtianus malus deſignatur Archiep. Mogunt.

E cleſiæ, & colliſione & ſtrage gentium, & everſione civitatum. Dicitur enim hoc promeruiſſe in eo, quòd Tuſciam totam Teutonicis ſubdidit & Campaniam, ut Romanis nihil relictum ſit nec in agris, nec in olivetis, aut vineis extra mœnia Urbis. Unde, ajunt, incluſus populus, & quaſi affectus inedia obtinuit multis precibus & pecunia data inducias uſque ad feſtum ſancti Michaelis: tunc, niſi dominus Papa interim venerit & ſubvenerit, recepturi Guidonem Cremenſem, & in verba Teutonicorum juraturi. Et ne quid ſubtraham,

Digitized by Google

A aſſerunt neſcio quas prophetiſſas Teutonicas vaticinatas eſſe, unde furor Teutonicorum poteſt ampliùs inflammari, & unde ſchiſmatici animantur. Sed profectò potens eſt Deus conterere ſuperbiam Moab; a Jerem. 48 valdèque adverſus (a) Dominum ſuperbientis, & arrogantia ejus major eſt quàm fortitudo. Unde in tanto rerum turbine nihil ſalubrius arbitror, quàm ut confugiamus ad clementiam Chriſti, qui etſi iterùm crucifigitur, non occiditur, ſed crucifixores ſuos in ultionem columbæ faciet acerbiùs crucifigi, & jam crucifigit pro parte, convocans adverſùs eos peſtem & gladium &c.] B Sed audiendæ ſunt litteræ Ottonis Cardinalis, ad ipſum ſanctum Thomam de his iſta ſcribentis hoc eodem b Lib. 1. cp. 51. tempore profectionis Papæ Alexandri Italiam verſus. Sic ſe habent (b).

X. Ianus Ianuenſium. Significamus vobis, dominum Papam, Curiam totam, & nos benè per Dei gratiam valere. Litteræ nuper venerunt ad Curiam de Ianua. Dicunt, quia Guido Cremenſis Piſis receptus eſt, Archiepiſcopus receſſit, Clerus aufugit, populus totus ipſum Guidonem contemnit. Dominus Papa mandaverat Ianuæ pro galeis. Et quidem Ianuenſes ipſi fideles, & devoti C ſunt domino Papæ & Curiæ: ſed quia putant, & timent Imperatorem cum Piſanis pro receptione Guidonis Cremenſis magnas conventiones & promiſſiones feciſſe: dubitant adhùc. Unde (quod vobis ſolis confitemur) hoc ex litteris perpendimus, quòd ſi civitates Longobardiæ conſederatæ fuerint contra Imperatorem, & galeas, & alia obſequia exhibebunt: ſin autem, ſubſiſtere videntur. Confœderationem autem, ſi futura eſt, in proximo audiemus.

Electus Maguntinus (*Conradus erat iſte, ut dictum eſt, ſed adverſans Imperatori licèt affinis ejus*) qui nuper receſſit à domi- D no Papa & à Curia, Nuntium Guidonis ad ſe venientem de terra ſua ejecit, & comminatus eſt ei, quòd ſi ipſe, vel alius Nuntius ex parte ſchiſmaticorum ad ſe ulteriùs perveniret, oculos ſibi erui faceret. Nomen domini Papæ manifeſtè præ- Epiſcopi Germaniæ ad Alex. Pap. veniunt. dicat. Hoc novit Imperator, & multùm dolet. Et quia certum habetur in terra, quòd prædictus Maguntinus ad pedes domini Papæ acceſſerit; eidem Maguntino concordant per omnia Treuirenſis, Salzburgenſis, & ferè reliqui Principes omnes, ſicut dicunt, tàm ſæculares, quàm E Eccleſiaſtici, excepto Imperatore & Colonienſi, & Duce Saxoniæ. Magdeburgenſis nuper rediit de Hieroſolyma; & captus à Sarracenis vovit, quòd ſi liberaretur, domino Papæ manifeſtè adhæreret, & ita manifeſtè facit.] Hucuſque litteræ Ottonis Cardinalis ad ſanctum Thomam. Quod autem ad electum Moguntinum pertinet Conradum, cùm adverſaretur Imperatori ſchiſmatis cauſa, & adhæreret Alexandro: qui ſubſtitutus eſt ab eo, idem qui ſuperiùs, nomine Chriſtianus Cancellarius, non eſt receptus vi-

A vente Conrado; ſicque ſchiſma in ea Eccleſia conflatum eſt, quod annis decem & octo, ut tradit alius Conradus Epiſcopus, qui ſcripſit Chronicon Moguntinum, duravit, qui & deplorat cladem ejus Eccleſiæ.

XI. Iter Alex. Pap. Romā verſus. Ut ad Alexandrum redeamus, itinerarium ejus deſcribitur in Actis vitæ ipſius apud citatum ſæpè codicem Vaticanum his verbis: Celebrato itaque Paſcha exivit Senonis, & tranſiens per Pariſios & Bituriges, & Anicium, poſt feſtum Apoſtolorum, ad montem Peſſulanum incolumis per Dei gratiam remeavit.] Ubi manſit uſque B ad octavam Aſſumptionis, poſteà navigavit. De ſancto verò Thoma cum comitante Alanus in Quadripartita hæc ait: Dominus verò Papa Romam reverſurus iter ingreditur, quem proſequebatur *Thomas* Archiepiſcopus uſque Bituricum, ubi accepta licentia, & benedictione, regreditur Pontiniacum, ampliùs faciem domini Papæ in carne iſta non viſurus.] Pergunt Acta: Paratis ergò navibus, & aliis quæ ad navigandum neceſſaria videbantur, infra octavam Aſſumptionis beatæ Mariæ Virginis unà cum fratribus ſuis mare intravit, & immenſam pelagi vaſtitatem C non ſine multo diſcrimine tranſcendens, ad civitatem Meſſanam proſperis ventis applicuit. Quod poſtquàm in auribus recolendæ memoriæ Vuillelmi Chriſtianiſſimi Regis Siciliæ apud Panormum inſonuit: eumdem Pontificem tamquàm patrem & dominum ſuum, à quo patrimonium Siciliæ, & totam aliam terram ſuam tenere dignoſcitur, digno cum honore tractare, & magnifica ipſi præſentare ſtuduit. Ad vehendam quoque ipſius venerandam perſonam, galeam unam rubeam; pro Epiſcopis autem & Cardinalibus quatuor juſſit ſtudioſiſſimè præparari. Remi- D gium quoque Archiepiſcopum.... & alios magnates cum ipſo Pontifice deſtinavit, qui eum glorioſè conducerent, ſplendidè aſſociarent, atque ad Romanam Urbem glorioſè deferrent.

XII. Alex. Papa venit Romam. Movit ergò à Meſſana beatus Alexander Papa in menſe Novembris, & tranſiens Salernum & Cajetam, per fauces Tiberis, ſuffragantibus beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli meritis, ingreſſus eſt Oſtiam, ubi ea nocte, auctore Domino, cum fratribus ſuis incolumis remanſit. Mane autem facto, Senatores cum nobilibus, & magna Cleri & populi multitudo ex Urbe E honorificè occurrerunt illi, exhibentes ei tamquàm animarum ſuarum Paſtori, obedientiam debitam, & conſuetam reverentiam: & exinde eum cum ramis olivarum uſque ad portam Lateranenſem cum omni gaudio & lætitia conduxerunt. Ubi totus Urbis Clerus de more ſolemniter indutus, ejuſdem Pontificis tàm diu deſideratum præſtolabatur adventum. Ibi & convenerant Judæi, de more Legem ſuam deferentes in brachiis, & concurrerunt Signiferi cum bandis, Stratores, Scriniarii, Judices cum Advocatis, & non mo-

dica

dicta ejuſdem populi multitudo. Quid plura? Inchoata proceſſione, undique alternis vocibus eum tanta gloria & exultatione deductus eſt ad Patriarchium ſancti Salvatoris in Lateranenſe palatium, cum quanta nullus Romanus Pontifex à longis retrò temporibus recolitur fuiſſe receptus. Acta ſunt hæc omnia anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo ſexageſimoquinto, Indictione tertiadecima, undecimo Kal. Decembris, Pontificatus verò ipſius anno ſexto.] Hactenùs ex Alexandri vitæ Actis de reditu ipſius Pontificis ex Gallia in Urbem.

XIII. Quæ autem in his deſiderari videntur, ex auctoribus temporis hujus ſupplenda erunt, atque primùm ex (a) Neubrigenſi, qui ex eo tempore, quo in civitate montis Peſſulani morabatur Alexander, navigandi opportunitatem expectans, Imperatorem nihil non tentaſſe ſcribit, ut redeuntem in Italiam caperet Alexandrum: ait enim: Imperator verò non quieſcens, ſecretis (ut dicitur) litteris & promiſſis ampliſſimis apud Vvillelmum ejuſdem urbis dominum agere ſtuduit, ut proderet hoſpitem. At vir memorabilis integræ fidei inventus eſt, & inſignem hoſpitem decentiſſimè honoravit. Cumque Cardinales multitudine virorum fortium, qui Hieroſolymam properabant, dromonem Hoſpitalis Hieroſolymitani ingreſſi, dominum Papam mox ſecuturum jactis in alto mari anchoris expectarent: contigit dromonem à prætereunte claſſe piratica infeſtari. Advehebatur Pontifex ex triremi ingreſſurus dromonem: ſed conſpectis circa dromonem piratis, mox remis retortis in Magalonenſem ſe portum recepit. At ii qui erant in dromone, tàm viriliter reſtitere piratis, ut confuſos nec illæſos abigerent. Itaque dominum Papam non ulteriùs cum periculo expectandum cenſentes, curſu proſpero fines regni Siculi attigerunt. Idem verò Pontifex poſt dies aliquot in alia navi mari ſe credidit, & ſecundis in Apuliam flatibus nullo prorsùs obſiſtente tranſivit. Suſceptuſque reverenter à Rege Siculo, & quotquot ejus erant ditioni ſubjecti &c.]

a *Neubrig. l.2.c.17.*

Imp. ſtudiũ capiendi Alex. Pap.

XIV. Romualdus autem Salernitanus Archiepiſcopus, qui Salernum appellentem ipſum Alexandrum excepit, ita relegit ipſius Papæ navigationem ex Gallia Romam: Alexander Papa Magalonem venit, & præparata quadam magna navi, quæ erat Hoſpitalis, *nempè Hoſpitalariorum militum*, cùm eam penè omnes Cardinales intraſſent, & Papa cum paucis Cardinalibus in galea Narbonenſium eamdem navim aſcenſurus veniret: galeæ Piſanorum Imperatori ſervientium, quibus illi paraverant inſidias, repentè apparuerunt: quibus viſis, Papa cum galea ſua feſtinans Magalonem rediit. Galeæ autem Piſanorum navim, in qua erant Cardinales, circumdederant, & non invento ibi Apoſtolico, eam in pace liberam abire permiſerunt. Quæ vento ſtante ſecundo, primò Panormum, deinde Meſſanam applicuit. Non multò pòſt, Alexander Papa cum Cardinalibus, qui remanſerant, & Moguntino Archiepiſcopo quamdam minorem navim intravit, & alto ſe committens pelago, licèt multis exagitatus procellis, ſalvus tamen cum omnibus Meſſanam Domino ducente pervenit. Quo cognito Rex Vvillelmus, qui tunc erat Panormi, Nuntios ſuos cum muneribus ad Papam tranſmiſit, & eum cum quinque galeis uſque Romam conduci præcepit. Qui Salernum veniens, à Romualdo Salernitano Archiepiſcopo & toto populo civitatis cum debita eſt reverentia & honore ſuſceptus: qui poſtmodùm eum eiſdem galeis uſque ad Tiberim, & per Tiberim uſque ad S. Paulum cum omnibus Cardinalibus venit. Tunc Clerus Romanus & populus obviantes, ipſum eum magno honore & gloria uſque ad Lateranum unanimiter adduxerunt.

Piſani malè ſerviunt Imp. contra Alex.

XV. Dum autem in Urbe hæc agerentur, & dominus Alexander Papa in beati Petri Cathedra, tamquàm Chriſti Vicarius reſideret: Guido Cremenſis & ejus complices valdè ſunt commoti atque confuſi; quoniam timor & tremor apprehenderunt eos. Catholici verò, licèt à Friderico Imperatore multas tribulationes toleraverint pro juſtitia: lætabantur tamen de proſperis Eccleſiæ ſucceſſibus ex nimia confuſione ſchiſmaticorum. Lombardorum quoque ſocietas contra Eccleſiæ adverſarios & libertatis ſuæ impugnatores intrepida perſiſtebat, diſponens univerſa, quæ ad retentionem ſui utiliora eſſe proſpiciebat & ut Imperatoris calliditates & machinamenta, quæ in Lombardorum confuſionem juraverat, deſtruere poſſent, operam & ſtudium pro viribus impendebant. Unde factum eſt, quòd Veronenſes & Paduani tamquàm viri bellicoſi, & libertatis propriæ amatores, ut Imperatoris adventum per partes ſuas penitùs diſturbarent; & ut in poſterum ſibi conſulerent, Appendicii arcem in manu forti aggreſſi ſunt, & viriliter expugnarunt, & eam funditùs deſtruxerunt.] Hactenùs Acta de his ibi, quæ ſpectant ad præſentem annum: reliqua ſuis locis.

Longobardi contra Imper. pro Alex. perſtant.

Dum adventu veri Pontificis Roma triumphat, in Imperatorem perſecutorem paſſim jaciuntur maledictiones à populo, à Curialibus dicteria in eumdem (ut fieri ſolet) multiplicantur. Quam ob cauſam ab eodem Imperatore iſta tunc ſunt ſcripta turbato ſtomacho, ſed ſtylo melle linito, etſi felle mixto ad S. R. E. Cardinales:

XVI. Fridericus Dei gratia Romanus Imperator ſemper Auguſtus clericis Romanæ Eccleſiæ cum Lazaro quondam paupere æternam habere requiem.

Frid. Imp. ad Cardin. Catholicos epiſt.

Loquar (b) ad dominos meos, quamvis ſim pulvis & cinis, &, Ut (c) jumentum factus ſum apud vos, tamen (d) homines & jumenta ſalvabit Deus. Multiplicavit Deus miſericordiam ſuam ſuper vos, qui con-

b *Gen.* 17.
c *Pſal.* 72.
d *Pſal.* 35.

A congregavit vos à quatuor ventis cœli, ut recumbatis cum Abraham in ſinu patris ſui. Fidelis ille cum tota domo Ægypti (Moyſen dico) qui de veſtra vos Ægypto extraxit, ut evitaretis ollas carnium, & ut poſſetis clamare in deſerto: (a) Manhu. Quid eſt hoc? à regione deſerti manna venit ad viatores: cùm & jure dicitis: Quid eſt hoc? Quid, inquam, eſt, quod famem expellit, & deſiderium ſatiat, & ſatiando accendit? rapuit etiam vos manus illa inexhauſtæ clementiæ, & fecit vos lucem de luto, & in diademate (b) Salomonis, quo coronavit eum mater ſua, vos coronavit, B fecit vos aurum de luto. Sed neſcio, quo pacto aurum in lutum rediit, & in ferri vilitatem aurei ſicli moneta degenerat. Levaſtis corpora veſtra in montes, ſed mentes in convallibus remanſerunt; Unde ergò veniet auxilium vobis? Spectabamus enim, quòd in cacuminibus montium pennas tenderetis, quæ veherent vos ad dexteram Dei Patris. Seduxit nos opinio lubrica, & quod valdè gemimus, alarum nudato remige, in plumbi modum gravitas corporis vos peſſumdat.

a Exod. 16.

b Cant. 3.

XVII. Quæ jactata in ſchiſmaticos.

Putabatis, quòd Deus eſſet tantùm Romanorum; ſed & valles Teutonicorum frumento abundant. C Suſcipite montes pacem populo, ut linguæ ſpicula abſcindatis. Non ſolùm in Imperium, ſed & in Deum cultus juſtitiæ, teſte (e) Propheta, ſilentium. Super nubes volatis aquilæ, & tandem ad noſtrum cadaver carpendum veſtra roſtra deponitis. Abſtinetis vos à carnibus pecudum, & carnes Imperiales ſine ſale voratis, verè cultus juſtitiæ ſilentium. Quod nondum eſt, finxit, & nondum venit in linguam, jam penes vos conſtat eſſe patratum; ait enim: Quis hic Papa *ſchiſmaticus* injuſtus: hæc Imperatrix prægnans, ſed non de ſemine Imperiali: hic Archiepiſcopus ter in die carnibus ventrem D confundit: hic Epiſcopus ructu frequenti dera fœdat: hic Abbas exhaurit ſcutellam uſque ad vomitum. Vacatis otio, idcircò talia eructatis. Nam detractio in cameris concipitur, & in Curis evomitur. Non eſt Curia cœlum; non eſt Curia paradiſus; ſed adhùc eſt Curia inter flumina Babylonis. Veſtrum oſtium omnibus patet, cùm quis per illud ingreditur, non palpatur, ſed cæditur; non curatur, ſed mactatur; non juſtificatur, ſed damnatur. Et (ut breviter dicam) nihil ſine crimine apud vos, ſed cùm venerit (d) Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, quæſo dicite: Ubi ſedebitis? hic & ibi?

e Iſa. 32.

d Luc. 9.

XVIII.

Clementes medici nò orationibus ægros curant, ſed eorum vulnera ſuſcipere ſtudent, ut cum eis pariter & ægrotent. Nos non poteramus aſcendere ad veſtra licita, ſed vos veſtra pietate commoti ad noſtra illicita deſcendiſtis, & facti eſtis hujuſmodi. Quid prodeſt in deſertum exire, & in deſerto Ægyptium cor habere? Quid prodeſt ranas (e) Ægypti vitare, & in deſerto murmuratione perire? En qui ſub Pharaone languiſtis, ſub Moyſe ſuſpiratis. Emptores vitæ nolite deſpicere venditores margaritæ. Ecce qui dediſtis manus & oculos, & alia membra, ut Evangelicam margaritam poſſetis comparare, ea nondum eſtis digni. Hæc autem ad ſalutis fructum ... Reddite Deo linguam, & accipite margaritam. Si verò hæc epiſtola vobis placuerit; noſtra erit ſententia illa Sapientis: (f) Argue juſtum, & diliget te. Si verò ſuccenſi fueritis, non ideò Diogenes amittet cornua. Valete, & ſi Deum dilexeritis, linguas veſtras Dei gladio amputate, & in Catholicum Papam conſentietis.] Hactenùs Imperatoris epiſtola ex fragmentis Vaticanis mendoſa valdè. An autem ad iſta reſcripſerint Cardinales, nobis incompertum. Sed quænam exæſtuans ira idem Imperator poſt hæc molitus ſit, dicetur anno ſequenti.

e Exod. 8.

f Prov. 9.

JESU CHRISTI ANNUS 1166. | ALEXANDRI PAP. III. ANNUS 7. | FRIDERICI IMP. 12. MANUELIS IMP. 24.

I. Conciliabulum ab Imp indictum Herbipoli.

Milleſimus centeſimus ſexageſimusſextus ſequitur annus, Indictione decimaquarta, quo Fridericus Imperator videns res Catholici Pontificis Alexandri magis ac magis invaleſcere, ipſumque pacificèque Romæ ſedere: ira percitus & invidia, indicit conventiculum Vvirtzburgi (dicitur alio nomine Herbipolis) ad Pentecoſten, ubi ipſe cum ſuis interſit Epiſcopis & Principibus ad confirmandas res ſui Antipapæ Guidonis. Quamobrem Rex Angliæ ab Imperatore ad ſchiſma pellectus: Quòd enim expertus eſſet, procliviorem in ſanctum Thomam ipſum Alexandrum Pontificem: hac opportuna occaſione captata, ad ſui excuſationem Legatos decernit in Urbem ad Alexandrum, à quo niſi conſequeretur quod poſtularet, deficeret ad Guidonem: Cujus rei agendæ cauſa pro tuto conductu eorumdem Legatorum in Urbem, has dedit litteras ad Archiepiſcopum Colonienſem ſchiſmatis anteſignanum: (g)

E Diu deſideravi juſtam habere occaſionem recedendi à Papa Alexandro, & à perfidis Cardinalibus ejus, qui proditorem meum Thomam quondam Cantuarienſem Archiepiſcopum contra me manutenere præſumunt. Unde cum conſilio omnium Baronum meorum, & cum conſenſu Cleri, magnos viros de regno meo, ſcilicèt Eboracenſem *Archiepiſcopum*, Londonienſem *Epiſcopum*, Archidiaconum Pictavienſem, Joannem de Oxenaford, Richardum de Luci Romam miſſurus ſum, qui publicè & manifeſtè ex parte mea & totius regni mei & omnium aliarum terrarum quas habeo, proponent & denuntiabunt

g L. 1. ep. 69.

Litteræ Henrici Reg. Angl. ad Colon. ſchiſmaticum.

bunt Papæ Alexandro, & Cardinalibus ſuis, ne ulteriùs proditorem meum manuteneant, ſed ita liberent me ab eo, ut alium cum conſilio Cleri in Eccleſia Cantuarienſi poſſim inſtituere. Denuntiabunt etiam, quòd quidquid Thomas fecit, in irritum revocent. Hoc etiam poſtulabunt, quòd coram eis Papa jurari faciat publicè, quòd ipſe & ſucceſſores ſui & mihi & omnibus ſucceſſoribus meis regias conſuetudines Henrici avi mei inconcuſſas & inviolatas, quantum ad ſe, conſervabunt in perpetuum. Quod ſi fortè alicui petitionum mearum contradicere voluerint: neque ego, neque Barones mei, neque Clerus meus aliquam ei ulteriùs ſervabimus obedientiam; immò maniſeſtè eum, & omnes ſuos impugnabimus. Et quicumque in terra mea inventus fuerit, qui ei poſt hæc adhærere voluerit, expelletur.

II. Ea propter rogamus vos, ſicut chariſſimum amicum, quatenùs Fratrem Ernoldum, vel Fratrem Radulphum Hoſpitalarium, omni occaſione remota, citò ad me mittatis, qui ex parte Imperatoris & veſtra prædictis Nuntiis meis ducatum præbeat eundo & redeundo per terram Imperatoris.] Hactenùs Regis epiſtola. Miſſa eſt legatio ad Alexandrum Papam, functique ea reperiuntur ſolùm Londonienſis atque Oxenefordenſis Epiſcopi. At tantum abeſt, ut Alexander ſive terroribus per litteras Regis incuſſis, ſive minis per Legatos nomine Regis expreſſis commoveretur, ut eùm eos redarguiſſet, increpationibus plenas litteras ad Regem ipſum Anglorum reddiderit, quibus ille concuſſus à malo propoſito reſilierit, & gratias egerit ea monenti Pontifici, eidemque parere in omnibus promptè promiſerit. Teſtantur iſta Anglorum Epiſcopi in epiſtola data anno ſequenti ad Alexandrum, quam nos inferiùs ſuo loco reddituri ſumus. Intereà verò (pergit auctor) conſulit Colonienſis Imperatorem, quid Regi Angliæ ſit reſpondendum. Reſcripſit Imperator, voluntati Regis Angliæ eſſe annuendum, quia quantò ſolemniùs iſta fient, ſi conſenſerit Papa Alexander, tantò major ſua erit confuſio: & fortè in occulto per alium Templarium vel Hoſpitalarium, vel aliquem alium, à quo caveri non poſſit, Rex Angliæ pro pecunia ſua idem obtineret. Miſſus itaque eſt Frater Radulphus Hoſpitalarius ad Regem Angliæ, qui Nuntiis, quos Rex ad Curiam mittere diſpoſuit, ducatum præbuit per terram Imperatoris.] Hæc ibi. Contigit autem eoſdem Regis Nuntios anteà pervenire in Germaniam, & intereſſe conciliabulo Herbipolenſi. At quænam ibi acta ſint, litteræ univerſales Friderici Imperatoris tunc datæ ſignificant, quæ ſic ſe habent: (a)

a Cod. Vat. l.1.ep.70.

Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus cunctis populis, quos clementiæ noſtræ regit Imperium.

III. Jam dudùm innotuiſſe credimus, qualiter exorta quondam inter Eccleſiæ Romanæ Cardinales de Apoſtolatu diſcordia, inter Reges, & regna impetu peſtifero eſt diffuſa. Pro qua ad optabile bonum pacis revocanda quantos poſt beatæ memoriæ Papæ Victoris electionem ac confirmationem Catholicam Papiæ, Mediolani, Laude, atque in diverſis Imperii finibus in corpore noſtro labores tàm nos quàm invicti Principes noſtri pertulerimus; quantas rerum copias zelo juſtitiæ impenderimus: in extremis quoque mundi partibus, jam auditum non dubitamus. Denique beatiſſimo Papa Victore in paradiſi gaudia feliciter aſſumpto, & in ejus locum ab Epiſcopis ac Cardinalibus almæ Sedis Apoſtolicæ domino Paſchali viro Chriſtianiſſimo in præſentia Epiſcoporum & religioſorum Lombardiæ ac Tuſciæ, illuſtris quoque Urbis Præfecti Romæ, ac multorum nobilium Romanorum catholicè ſubſtituto; ipſum etiam dominum Paſchalem & Eccleſiæ ac Principum Imperii judicio atque conſilio in Papam & Patrem Catholicum ſolemniter recepimus, debitoque honore venerari ſemper intendimus. Proinde obſtinata ſchiſmaticorum perfidia mortem viri juſti ſuis ſucceſſibus aperta fronte adſcribens, Sirenæis ſuis blanditiis quorumdam fidelium noſtrorum animos adeò molita eſt denuò immutare, ut niſi morbis novis in nova remedia obiicerentur, pars noſtrorum non modica videretur ex fiducia noſtræ lenitatis ſeducenda.

Litteræ Frider. Imp. de rebus geſtis in Conc. Herbipol.

IV. Igitur zelo reformandi decoris domus Dei ardentiùs accenſi, cum Regem Francorum, qui nulla noſtra culpa præeunte, unà cum Rolando Imperii noſtri hoſte publico, ejuſque ſequentibus Imperialem noſtrum honorem maniſeſtè molitur auferre, poſt multos noſtros admonitus irrevocabilem perſenſiſſemus: univerſis Imperii Principibus in ſancta Pentecoſte Curiam Vvirzburg generalem indiximus. Quorum cœtu celeberrimo ibidem ſolemniter præſidente, Eccleſiæ Dei ſtatum ac domini Papæ Paſchalis negotium ſeriò ac magnificè duximus roborandum. Invocata igitur Spiritus ſancti gratia, & univerſorum qui aderant, conſilio communicato ad removendam pro parte noſtra omnem ambiguitatem, prorsùs ipſi nos manu propria ſuper Sanctorum reliquias juramentum publicè præſtitimus, quòd Rolandum ſchiſmaticum, vel ejus ſucceſſorem, quem pars ipſius elegerit, in Papam numquam recipiemus, nec ad eum recipiendum, aſſenſum umquam alicui præbebimus. Nulli etiam fautorum ejus gratiam umquam noſtram reddemus, niſi ab errore viæ ſuæ ad unitatem Eccleſiæ fuerit converſus. Dominum verò Papam Paſchalem manutenebimus ſemper & promovebimus; eiq; tamquàm Patri Catholico & univerſali Pontifici obedientiam, honorem, & reverentiam exhibebimus; & ab ipſo, ejuſque parte, vita comite, numquam recedemus. Electos quoque, qui ſub eo, aut ejus ſucceſſore, quem pars ipſius elegerit, conſecrationem receperunt, vel adhùc recipiunt, honore aut ordi-

A ordinibus ſuis per ejus obedientiam privari numquam permittemus; & hujus abſolutionem ſacramenti numquam requiremus, nec oblatam recipiemus.

Præterea noſter in Imperio ſucceſſor, quem Principes univerſi elegerint, hunc honorem Eccleſiæ Dei & Imperii, & hanc partem noſtra ſub eodem juramento tuebitur ſemper atque tenebit. Idem quoque juramentum Archiepiſcopi, & omnes Epiſcopi, atque electi, qui interfuerunt, numero quadraginta, ſuper ſancta Dei Evangelia propria manu unuſquiſque ſub ſtola ſua præſtiterunt, & publicè firmarunt. Nihilominùs univerſi Principes ſæculares, B Dux videlicèt Saxoniæ, & Brandeburgenſis Marchio Albertus ſenior, Conradus Palatinus de *Chevo, & Ludovicus Lantgravius, & reliqui omnes ſuper Sanctorum reliquias id ipſum juraverunt. Repentè autem Spiritus ſanctus mentes omnium adeò unius effecit voluntatis, quòd electi omnes in ſabbatho Quatuor temporum ad laudem Dei & honorem Imperii ſacros ordines devotiſſimè ſuſceperunt.

Firmiter quoque à nobis, & ab univerſis decretum eſt, ut quicumque ſuperſunt ordinandi, in primis Quatuor temporibus C ſimiliter exequantur, alioquin dignitatis ad quam electi ſunt honore, omni remota dilatione, priventur.

VI. Ad hæc honorabiles Legati illuſtris amici noſtri Henrici glorioſi Anglorum Regis ad nos ab ipſo tranſmiſſi, in totius Curiæ noſtræ præſentia ſuper Sanctorum reliquias ex parte Regis Angliæ publicè juraverunt nobis, quòd Rex ipſe cum toto regno ſuo in parte noſtra fideliter ſtabit, dominum Paſchalem, quem nos tenemus, nobiſcum ſemper tenebit. De Rolando autem ſchiſmatico manutenēdo, nullatenùs ſe de cætero intromittet. Quia verò juſtitiæ *examen*, quam hoſtes Eccle- D ſiæ Dei & noſtri ſive ex ſuperbia, ſive ex cauſæ diffidentia devitarunt, nos ſemper hactenùs ſtare parati, nunc tandem ad inſolita ſacramenta ex eorum manifeſti obſtinatione ſumus impulſi: à ſchiſmaticorum communione omnis homo, omniſque ordo caveat. Furor enim eorum etſi hactenùs aliquo modo viſus eſt venialis: in poſterum prorsùs erit irremiſſibilis. Ad perfectum quoque hujus negotii firmamentum, ex totius Herbipolenſis concilii decreto firmiſſimè præcipimus, ut ſi quis ad ſui mandatum Antiſtitis ſacramentum ſuprà ſcriptum non præſtiterit: ſi E clericus ſit, aut monachus, Eccleſiaſtico privetur honore ac beneficio: ſi laicus, alodia & beneficia quæcumque poſſidet, noſtra ipſi auctoritate à ſuo judice vel domino prorsùs adimantur. *Data Vvirzburg Kalend. Julii.*]

Porrò quod fecerunt Nuntii Regis Anglorum, jurando Regis nomine inhærere ſchiſmatico: nequaquàm ex præcepto ejus feciſſe, excuſatum eſt ab Archiepiſcopo Rothomagenſi, cujus iſtæ ſunt litteræ ad Henricum tituli ſanctorum Nerei & Achil-

A lei presbyterum Cardinalem: (a)

a *Cod. Vat. l.1.ep.102.*

Pro domino Rege Anglorum omnem exhibemus ſecuritatem, quòd Imperatori nec per ſe, nec per Nuncios juramentum præſtitit aut promiſſionem, quòd ſchiſmatico adhærere velit, Eccleſiam relicturus. Immò certi ſumus, quòd in illis qualibuſcumque de matrimonio pactionibus, licèt Teutonici ſuper hoc laborarent per triduum: nihil umquam concedere voluit, niſi præeunte in omnibus fidelitate domini Papæ, & Eccleſiæ, & Regis Franciæ. Ipſi verò litteris noſtris mandavimus domina Imperatricis & nos, ut ab hac nota ſe B quàm citiùs excuſet. Nos quidem cùm Rothomagi eſſemus, & illis eſſent Nuntii Imperatoris, de illis quidem audivimus, ſed eos non vidimus, &c.] Sic igitur regii Nuntii non ex mandato Regis facere id potuerunt, de quo nullum interredebat, ut ex recitatis ſuperiùs litteris ſatis apparet. Porrò ipſos Nuntios ita turpiter lapſos ipſe ſanctus Thomas excommunicaſſe reperitur, ſcribens ad omnes ſuos. (b) Suffraganeos anno ſequenti, ut ſuo loco dicturi ſumus.

Præter Regis Anglorũ ſententiam Nũtii ſubſcripſerũt & juraverunt.

b *Lib.1.ep. 102.*

VII. Sed redeamus ad Fridericum Imperatorem, qui laborans pro ſchiſmatico & pſeu- C dopapa Guidone, Paſchali dicto, litteras dedit pro firmitate omnium, quæ geſta eſſent in illo conventiculo Herbipolenſi. Extant illæ, quas dedit ad Abbatem (c) Stabulenſem, in quibus ita poſt alia: Ipſe cum omnibus Eccleſiæ tuæ fidelibus publicè jures & obſerves, & ſingulis Dominicis diebus & feſtis in publica Miſſa, ſicut edictum eſt, & ſancitum à nobis & à Principibus, publicam orationem pro domino Papa Paſchali nominatim & aſſiduè intus & foris præcipias recitari. Edictum quoque & ſtatutum eſt, ut hæc omnia juramenta infra ſex hebdomadas ab omnibus com- D pleantur. Quòd ſi aliquis monachorum, clericorum, laicorum, in Imperio noſtro huic confirmationi & edicto noſtro aliquo modo ſe opponendo contradixerit: certum ſit apud te, quòd ſicut publicus hoſtis Imperii, abſque omni ſpe recuperationis judicatus eſt & damnatus, & ab omni officio, & honore & beneficio deſtitutus &c] Sic igitur iiſdem formulis ſcriptæ ſunt ab eodem Imperatore litteræ ad omnes Antiſtites & Abbates, & Principes, longè latèque per Orbem Romano ſub Imperio conſtitutos.

c *L.1.ep.71.*

Promulgatio ſchiſmatici Papæ ex Cõcilio Herbipolenſi.

E At verò ut hæc omnia de conciliabulo Herbipolenſi pleniùs innoreſcant, recitandæ ſunt hic litteræ, ab amico quodam (cujus nomen nec inditum litteris) ad Alexandrum Pontificem datæ, quæ in eodem codice ita ſcriptæ (d) leguntur:

d *Cod. Vat. l.1.ep.72.*

Alexandro Papæ quidam amicus ſuus.

VIII. Imperator cùm Principes ſuos ad Curiam, quam eis in feſto Pentecoſtes indixerat, adunaſſet, & Principes ipſi ſabbatho ante feſtum, atque ſubſequenti ſecunda feria, de pace inter vos & eum reformanda tractare cœpiſſent: Reginaldus dictus Colonienſis *Archiepiſcopus* advenit

publi-

Digitized by Google

publicè aſſerens & proponens, quòd nihil contra vos ad honorem ſui labor & ſtudium Imperatoris proficeret, niſi ejus tunc penitùs aſſentiret conſilii. Dicebat enim, quòd potior pars Imperii vobiſcum erat, commemorans ſcilicèt Saltzburgenſem, Maguntinum, & alios de Alemannia, qui veſtræ obtemperant ſanctitati. Verumtamen ad magnificandum ſe ipſum, plures, inquit, quàm vos ſumus, ad obedientiam Apoſtolici noſtri conquiſivi, quos ei Rex Anglorum numero quinquaginta & plures juxta domini Imperatoris beneplacitum exhibebit. Cùm igitur ei talia promittenti, & ad certitudinem hujus rei duos Nuntios prædicti Regis præſentialiter exhibenti, de proſequendo ejus conſilio ſuum Imperator polliceretur aſſenſum; In audientia cunctorum Principum hujuſmodi conſilium Imperatori formavit.

Quòd ipſe videlicèt Imperator in conſpectu totius Curiæ propria manu juraret, quòd nullo umquam totius vitæ ſuæ tempore vos, vel aliquem, qui ex parte veſtra ſit, in Pontificem Romanum reciperet, ſed devotioni Papæ ſui Paſchalis inconcuſsè ſemper & inſeparabiliter adhæreret: ſi verò mori illi ante contingeret: hoc ipſum juramentum ſui ſucceſſores obſervarent. Principes verò ſuos hoc ipſum jurare compelleret, adjecto in eorumdem Principum juramento, quòd ſi priùs Imperator obiret, Principes ipſi nullum anteà coronarent in Regem, quàm is qui coronandus eſſet, de tenendo & fovendo eodem ſchiſmatico & ejus ſucceſſoribus idem faceret juramentum: Et quod Principes infra ſex hebdomadas, poſtquàm de Curia ad propria loca rediiſſent, omnes Abbates, Præpoſitos, & alios Eccleſiarum Prælatos, milites quoque & alios omnes, qui in locis eorum aliquos honores obtinerent, hoc jurare compellerent; & eos qui nollent hoc facere, rebus eorum penitùs confiſcatis, depoſitos, & honoris ſui cingulo ſpoliatos; vel ſi privati homines fuerint, in membris propriis crudeliter mutilatos à toto Imperio compellerent exulare. Placuit Imperatori forma conſilii.

IX. Sed Archiepiſcopo Magdeburgenſi & aliis, qui præſentes erant, Epiſcopis, dura viſa eſt admodùm & moleſta, ita quòd idem Magdeburgenſis nullum juramentum ſe præſtare velle reſpondit, niſi priùs Colonienſis ordines & conſecrationem reciperes; per quam omnem dubitationem ab ejus & aliorum pectoribus removeret. Unde cùm ille id promittere detrectaret: acriter eum aggreſſus Imperator, ſuamque ipſi malignitatem improperans, in eum verba iſta eſt proſecutus: Ecce, inquit, manifeſtè apparet, quòd ſicut traditor & deceptor, in periculum meum Papam mihi præfereris ignoranti, cùm etiam ante receptionem litterarum mearum, ne de ſubſtituendi Pontificis electione tractares, tu ſtatim, cùm, Te Deum laudamus, & juxta beneplacitum tuum novum mihi Pontificem elegiſti: plus mihi proditor factus quàm Maguntinus Electus, quem reum hujus criminis deferebas. Præſertim cùm ille dederit mihi ſalubre conſilium, ut ex quo Deus me à prioris periculo liberavit: nullatenus me obnoxium facerem ſucceſſori. Nunc verò neceſſariò te noveris compellendum, ut laqueum quem paraſti, primus incurras. Et aliis etiam id facere recuſantibus, ſolus habebis ſubire periculum, quod in malitia tua noſcitur cæteris præparatum.

X. Sic ergò ille vehementer aſtrictus, non potuit evadere, quin eum maximo fletu primus juxta prædictam formam faceret juramentum; & ſuſceptis ordinibus, conſecrationem quoque ſe promitteret recepturum. Exhibuit etiam prædictos Nuntios Regis Angliæ, qui in perſona Regis Angliæ publicè coram omnibus juraverunt, quòd quidquid Imperator ſuper hoc ſe ſervaturum juraverit, ipſe quoque tenebit firmitèr & ſervabit. Sic ergò propria manu *Imperator* ſupradictum præſtitit juramentum, eo tamen ad verbum Archiepiſcopi Magdeburgenſis determinato, ut ſi vos & ſchiſmaticum illum eodem tempore obire contingeret; & Cardinales utriuſque partis in aliquem unanimiter convenirent; liberum ſibi eſſet, eum recipere, ſi tamen (quod quidem Colonienſis ferit apponi) de Imperatoris aſſenſu eadem electio proveniret.

XI. Deinde qui præſentes erant Principes, ſicut ſuprà dictum eſt, ſuum præſtitere ſinguli juramentum. Cùm verò ad Epiſcopos ventum eſſet, dicerentque omnes, excepto Verdenſi, velle ſe potiùs regalibus cedere, quàm hujuſmodi ſacramenta præſtare; reſponſum eſt eis, oportere eos, vellent, nollent, juramentum facere, & regalia retinere. Sicque cum fletu & planctu maximo juravit primus Magdeburgenſis, ſub ea tamen conditione, ſi omnes alii qui aberant, eſſent juraturi, & quòd ſolutus eſſet à juramento, quorumque tempore deſineret regalia poſſidere. Babenbergenſis verò Epiſcopus poſt multas & varias excuſationes ita ipſi Imperatori juravit, quòd quamdiu voluerit regalia retinere, ſecundùm quod ei proprius ſenſus dictaverit, eidem Imperatori ſuper negotio auxilium & conſilium miniſtrabit. Verdenſis etiam intruſus, & Halberſtadenſis abſolutè, ſicut Colonienſis juraverunt. Virdunenſis & Friſingenſis propter ſuorum Archiepiſcoporum abſentiam excuſati, juramentum facere minimè ſunt coacti, ſed habita licentia, liberè ad propria redierunt, uſque ad feſtum beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli ſibi licentiam impetrantes.

Hi tantummodò Principes juraverunt, Dux Saxonienſis, Marchio Albertus, Comes Palatinus frater Imperatoris, & quidam ſornrius Imperatoris.

Hi ſunt Archiepiſcopi, qui juraverunt, Magdeburgenſis & Babenbergenſis, ſub conditinne tamen prænominata. Colonienſis autem, & duo Suffraganei ejus abſolutè juraverunt.

XII. Filius verò Conradi, qui ad Curiam cum mille quingentis militibus venit, ut audivit fieri mentionem de juramento, receſſit. Patriarcha Aquilejenſis non affuit, neque aliquis Suffraganeorum ſuorum. Similiter nec Salzburgenſis, vel aliquis ſuorum. Neque Trevirenſis, vel aliquis ſuorum, & multi de Principibus non affuerunt.] Hucuſque ad Alexandrum Papam litteræ amici, qui interfuit, iſta ſignificantia. Ex quibus probè intelligis, Lector, quàm exigua fuerit conventiculi iſtius auctoritas, quæ litteris illis quas audiſti, Imperatoris adeò ſublimatur. Sed & ſi dixerim, quòd nec unus ex corde ſenſerit, quòd in gratiam Imperatoris ſubſcripſit, planè non mentiar. Siquidem qui videbatur ſignifer Archiepiſcopus Colonienſis, ad oculum inſerviens Imperatori, conſcientia ſua Alexandro erat inhærens, quod poſteà, cùm ſe occaſio dedit, patefecit. Nam audi quæ hoc eodem anno (a) ſcripſerit de eo Joannes Sareſberienſis ad ſanctum Thomam: Sed & Colonienſis, cùm convocatis militibus accinctus eſſet ad eundum in Italiam, arreptus eſt duplici tertiana, & ea adeò laborat, ut quaſi certum ſit, eum ante hiemem ire non poſſe. Promiſit autem mihi in hac ægritudine ſua, quòd ſi ipſe in Italiam non iverit, ſive Imperator ierit, ſive non; conſilium Ciſtercienſium, & Regis Francorum & veſtro ſe committet de facienda pace cum Papa Alexandro. Enim proponit ordinare, ut quodam modo cogatur à Clero ſuo id facere. Illud in confeſſione vobis, ſicut patri & domino ſcribo, ut ſit abſconditum penes vos, donec videamus, ſi res aliquem habitura ſit effectum.] Hæc ipſe. Sed infelix Colonienſis, qui non cognoſcens tempus vocationis ſuæ, differens converti ad Dominum; anno ſequenti in eadem expeditione perſeverans cum Imperatore, unà cùm aliis plurimis juſtè ſublatus interiit, ut ſuo loco dicetur.

De Colonienſi intrinſecùs Alexandro inhærente.

a Cod. Vat. li. 1. ep. 111.

XIII. His in Germania, (ut audiſti) per Imperatorem violenter rebus geſtis; ut quem promoviſſet tot artibus Antipapam, eumdem quoque in Sedem Apoſtolicam, in ipſam Petri Cathedram intruderet: cum exercito deſcendit in Italiam. Quòd hac autem mente expeditionem hanc paraverit Imperator; ita Joannes Sareſberienſis declarat in epiſtola ad Gerardum: (b) Eo enim (ut ajunt) propoſito in Italiam profecti ſunt, ut Cremenſem hæreſiarcham intrudant in Sedem Petri, & Vicarium Chriſti aut comprehendant, aut ejiciant, aut occidant. Veruntamen ſine intermiſſione fit oratio ab Eccleſia ad Deum pro eo, ut ſupra modum timere non debeat à duabus caudis fumigantium titionum Friderico *Imperatore* & Reginaldo *Colonienſi*, qui ponentes extenſum brachium ſuum, ſanctum Iſrael blaſphemare non ceſſant. Profectò ubi humanum deeſt, divinum auxiliũ neceſſitatibus Eccleſiæ ſuffragatur.]

b Ibid. ep. 169.

Imp. Frider. venit in Italiam.

At quid poſt hæc egerit Imperator, Acta Alexandri Papæ à nobis ſæpè citata ſic

A produnt in rebus geſtis ipſius Alexandri Papæ anni hujus: Eodem tempore idem Imperator exercitum congregavit, & tertia vice per * Falconicum ex inſperato Lombardiam ingreſſus, caſtrametatus eſt in territorio Brixienſi. Et licèt Lombardorum civitates valdè haberet exoſas, & nulla ratione in ipſis confideret: quia tamen contra omnes ſimiliter non erat ei tutum, offenſionem quamlibet eis, vel moleſtiam irrogare; ideò feritatem quam gerebat in corde diſſimulans, blandum ſe omnibus & hilarem demonſtrabat, & ad ejus præſentiam, ſicut ad tanti Principis aſpectum, nobilium civium permulti (ut fieri ſolet) jugiter accedebant, & honorem ſibi debitum, & conſuetam reverentiam

B exhibebant. Proceſſit itaque verſus Ferrariam, & cum omni pace venit juxta Bononiam, ubi aliquamdiu pro ſui exercitus laſſitudine morari diſpoſuit. Interim verò aliquos de magnatibus ſuis præmiſit in Tuſciam, ut auxilium & vires præſtarent Guidoni Cremenſi, quem denuò in idolum contra Deum erexerat, & Papæ Alexandro, atque Romanis gravamina & læſiones quas poſſent, inferre ſtuderent.

XIV. Ancona Civitas obſidetur à Frider.

Ipſe verò cum exercitu ſuo ad Anconam deſcendit, quia Imperator Græcorum data magna pecunia civibus ejuſdem loci, civitatem ipſam detinebat per violentiam

C occupatam; & ut injuriam ſibi & Imperio ſuo illatam poſſet ulciſci, eam obſedit, & expugnare omninò intendit. Porrò ipſius Imperatoris barbarus, quem in Tuſciam deſtinaverat propter diſſenſiones & guerras, quæ inter Lucenſes & Piſanos emerſerant, ita univerſos perterruit, & Imperiali dominio ſubjugavit, adeò quòd in Urbe Romana nullus ferè reperiretur, qui reſiſtere Imperatoris juſſui auderet. Circumpoſitæ etiam civitates à Capitaneis Teutonicis invaſæ ſunt, & à conſueta beati Petri fidelitate atque dominio ſeparatæ.

D Sic itaque totam terram ipſam multis deprædationibus & incendiis, & aliis oppreſſionibus prædicti neſcii vaſtaverunt. Ipſam quoque Civitatem, matrem Eccleſiam Romanam cum jure armorum ſubjicere Imperatori non poſſent; pecuniarum largitione, ut impleretur antiquorum ſcriptum: Quòd Roma ſi inveniret emptorem, ſe venalem præberet, non abſque re tentârunt corrumpere. Non defuerunt multi ex populo, qui ſuſcepta pecunia, Guidoni hæreſiarchæ atque Imperatori contra omnem fidelitatem jurare præſumerent.

X V. Alexander Papa Romæ laborat.

His itaque malis gravibus undique increbreſcentibus, benignus Pontifex Alexander eumdem populum affectu paterno

E frequenter commonuit, ut cum ipſo & Eccleſia ſentirent, & vicinas civitates atque Capitaneos pacificè revocarent, & ſibi aſtringerent, atque pro defendenda Eccleſia & Civitate contra fortiſſimum adverſarium unanimiter ſtarent. Obtulit etiam eidem populo Eccleſiæ pecuniam expendendam in ipſo facto ſecundùm Eccleſiæ utilitatem & facultatem. Sed peccatis exi-

genti-

A gentibus, nihil eum eo potuit efficere, qui ſe utrique parti ſimulabat placere, & cum nulla fidelitate ambulabat. Quia ergò neque paſtoris vocem intelligere, nec ſuperventuras calamitates voluit præcavere, divinam ultionem juſtè incurrit, cùm perſonarum ſimul & rerum proprietatem meruit perdere.

Confœderati Longobardi pro Alex. cōtra Imp. laborant.

In diebus illis, cùm adhùc Fridericus Imperator obſideret Anconam, ſocietas Lombardorum in libertatis ſuæ ſoliditate fortiùs roborata, dignum duxit, ut Mediolanum civitatem ſuam, Domino auxiliante, diruta mœnia, ſuffragantibus beati Ambroſii meritis, ſtudioſiùs repararet. B Ad majorem quoque operationis ſtabilitatem Laudem, quam ipſe Imperator in oppreſſionem aliarum civitatum noviter tranſtulerat in loco munitiſsimo, eiſdem Mediolanenſibus amicabiliter fœdere ſociavit, & arctioris vinculi amore aſtrinxit. Prætereà Epiſcopos, & alios Eccleſiarum Prælatos, ſchiſmaticis & intruſis cum opprobrio expulſis, per omnes Epiſcopatus & civitates, Domino cooperante, ſuos inſtituit. Unde licèt Imperator in præcordiis contriſtaretur: potiùs elegit hoc ad tempus diſsimulanter præterire, quàm ob cauſam vacillantem in præſenti moram facere.

XVI. Vvillelmus primus Rex Siciliæ moritur.

C Eodem tempore devotus & fidelis Eccleſiæ Romanæ filius Vvillelmus illuſtris & glorioſus Rex Siciliæ, cujus animam Deo commendamus, apud Panormum in pace defunctus eſt. Cui itaque ſicut in regno, ita & in eadem fidelitate & devotione Vvillelmus major ejus filius, Domino auctore, ſucceſsit.] Hæc Acta. Dies autem obitus ejus eſſe contigit hoc anno, pridiè Kal. Maii, cùm regnaſſet annos tredecim, & menſes duos, & dies tres, ætatis ſuæ anno quadrageſimoſexto: cui eadem die ſucceſsit Vvillelmus filiùs, cognomento Bonus, agens annum ætatis duodecimum. D Meminit & de obitu ejuſdem Vvillelmi Regis Joannes Sareſberienſis in (*a*) epiſtola ad Epiſcopum Exonienſem his verbis: Obiit quoque Vvillelmus Rex Siculus, cui ſucceſſerunt filii ſui, alter in regnum, alter in Ducatum Apuliæ, & in extremis agens, quadraginta millia Sterlingorum Joanni Neapolitano tradi fecit, ad uſum domini Papæ. Filius quoque ejus, qui ei ſucceſsit in regnum, totidem miſit.] Sed anno ſequenti, ut ſuo loco dicetur: Pergunt Acta Alexandri.

a Cod. Vat. l.1. ep. 139.

XVII. Legatio miſſa ad Imp Cōſt. ad Alexan. Pap.

Per idem quoque tempus Emmanuel E magnus & excelſus Conſtantinopoleos Imperator, ſciens moleſtias & gravamina, quæ prædictus Fridericus venerando Epiſcopo Alexandro contra Deum & omnem juſtitiam minabatur inferre: miſit ad Urbem Romam Jordanum Imperii ſui Sebaſtum, filiumque Roberti Capuani Principis ad ſubventionem & ſervitium ejuſdem Pontificis.] Vides, Lector, miracula, cùm deficit Occidentalis Imperator, & perſequitur Romanum Pontificem: excitat Deus Orientis Imperatorem, qui legationem mittat & opem ferat: & cùm ille ſeſe prorsùs ab eadem Sede Apoſtolica diro ſchiſmate ſcidit; iſte ſummo conatu ejuſdem ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ quærat avidiſsimè communionem & unitatem. Nam audi quæ iis ſubiiciuntur: Veniens autem idem Sebaſtus, humiliter ſe inclinavit eidem Pontifici, & oblatis ad pedes ejus magnis & pretioſis muneribus, omnia quæ acceperat in mandatis, diligenter ipſi expoſuit.

Emmanuel. Ocid. Imperium repetit.

Et inter cætera unum principaliter continebatur, quòd Deo & hominibus apparebat valdè acceptum. Aſſeruit enim, quòd idem Imperator Eccleſiam ſuam unire volebat, ſicut melius antiquitùs fuit, cum ipſa matre omnium Eccleſiarum ſacroſancta Romana Eccleſia, ut ſub una divinæ legis obſervantia, & uno Eccleſiæ capite uterque populus & Clerus, Latinus & Græcus, perpetua unitate ſubſiſterent. Nihilominùs petebat, ut quia occaſio juſta & tempus opportunum & acceptabile ſe obtulerat, Romani corona Imperii à Sede Apoſtolica redderetur, quoniam non ad Friderici Alemanni, ſed ad ſuum jus aſſereret pertinere. Ad quod opus faciendum tantas auri, argentique opes, & fortium virorum potentiam ſe largiturum firmiter ſpondebat, quòd non ſolùm Romani, ſed etiam totam Italiam ad Eccleſiæ ſervitium, & reſtituendam ſibi Eccleſiæ coronam, abſque dubio ſufficere poterit. Quod verbum, licèt nimis difficile videretur ei, & multa deliberatione opus habere: utile tamen viſum eſt, ut Pontifex habito cum fratribus ſuis conſilio, Epiſcopum Oſtienſem, & Cardinalem ſanctorum Joannis & Pauli pro cauſa ipſa tractanda è latere ſuo cum prædicto Sebaſto ad ejuſdem Imperatoris præſentiam deſtinaret.] Atque hactenùs de rebus geſtis anni hujus eodem Actorum libro contentis, reliqua in futurum.

XVIII. Falſis vaticiniis Rem agit Frider.

Adhùc inſuper ſchiſmaticus Imperator Fridericus ex falſitate patrocinium captans, in vulgus ſpargendum curavit, à prophetis quibuſdam, quos dicebat Spiritu divino afflatos, eſſe prænuntiatum, fore ut ſuperetur Alexander Papa ab ipſo Imperatore, à quo omnia ſubjuganda eſſent. Iſta autem tantam ſibi fidem pepererant, ut non modò vulgus ipſum, ſed Principes in certam credulitatem adduxerit, & inter alios ipſum Regem Anglorum rei eventum præſtolantem, de quo Joannes Sareſberienſis hæc habet in epiſtola ad magiſtrum Radulphum Nigrum: (*b*) Rex, *Angliæ ſcilicèt*, in Imperatore confidit, & in captione domini Papæ, quam ei vaticinantur prophetæ Belial, falſa videntes & ſtulta, quia non loquuntur à Domino. Sed ita Achab deceptum eſſe memineris, & dum ſperaret victoriam, hoſtium gladiis corruiſſe. Sapiens interim audiat à Catone.

b Cod. Vat. l.1. ep. 109

In morte alterius ſpem tu tibi ponere noli,

præſertim innocentis & dominî, cujus diem prævenire vel voto, parricidii inſtar eſt. Sed Deo auctore, dominus Papa proſperatur,

Digitized by Google

ratur, & capto nuper Albano, ſicut certiſſimè conſtat, dilatati ſunt greſſus ejus. Cùm è contra Teutonici tyranni & hæreſiarchæ ſui vias ſepiat dominus quotidiè ſpinis, & quod diſſimulare non poſſunt, eorum minuantur vires, & evaneſcat auctoritas.] Hæc Saresberienſia. At quomodò idem Fridericus relinquens obſidionem Anconæ, univerſis viribus ſuis invaſit Urbem, ſed pugnante Deo adversùs eum, immiſſa peſte, inglorius undique pulſus, coactus ſit redire in Germaniam, dicemus anno ſequenti.

XIX. Alex. Papa redarguit Regem Angl.

His enarratis de rebus geſtis Friderici Imperatoris adversùs Alexandrum Papam: B reliquum eſt, ut quæ in cauſa ſancti Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi ſunt tranſacta hoc anno, noſcamus. Cùm audiſſet idem Pontifex Alexander ignominioſam & impiam profeſſionem Nuntiorum Regis Angliæ exhibitam in conciliabulo Herbipolenſi, quo ſe, Regemque ſuum addixerunt ſchiſmatico Papæ Paſchali; voluit per ſacrum collegium Cardinalium ipſum Regem Anglorum moneri litteris. Non extant, illæ quidem, ſed tantùm quas ad eos apologeticas ipſe Rex Henricus ſacro collegio Cardinalium reſcripſit (a) verbis iſtis: C

a Cod. Vat. l. 2. ep 41.

Henrici Regis Apologia ad Cardinales.

Super his, quæ dominus Papa nobis ſignificavit, ſcilicèt, quòd ab amore & devotione Romanæ Eccleſiæ mentem & animum averteramus: in primis reſpondemus, quòd prudentia veſtra pleniſſimè cognovit, quàm ſincero affectu & Eccleſiam Romanam, & perſonam domini Papæ ſemper dilexerimus, & quanta pro eo fecerimus, & ſuſtinuerimus. Siquidem (ut cætera ſilentio prætereamus) cùm de ipſius ſuſceptione controverſia haberetur, ipſum non tantùm recepimus, ſed ad eum recipiendum alios licèt invitos traximus & compulimus. D Nec nos animum noſtrum à dilectionis elongavimus plenitudine; ſed ipſe, qui, ut nobis liquet, à retroactis temporibus nobis præter modum moleſtus extitit, ſicut operum in quam plurimis declaravit executio, & nunc maximè, verbo, opere, ſcripto, & noſtram (quod ſummoperè Principum lædit animos) non deſiſtit infamare perſonam, cùm ſcripto ſuo & verbo nos Eccleſiæ perſecutorem nominet, & gravatorem appellet. Attendat autem dominus Papa, quàm paternè erga nos egerit, qui nobis ſignificavit, quòd ſumma Principum E debet eſſe cautela & ſollicitudo, famam ſuam conſervare illæſam. Næc paternum circa nos gerere videtur affectum, qui famæ noſtræ adeò opere & ſermone derogat.

XX. Univerſitati itaque veſtræ conſtare voluimus, quòd quidquid honoris, celſitudinis, & poteſtatis habemus, regnum etiã, & cætera, quæ noſtro commiſſa ſunt regimini: ſingula à Domino & Creatore noſtro nobis collata ſcimus & profitemur, & ipſi ſoli non quantas debemus (quoniam ad id non ſufficimus) ſed quas poſſumus, gratiarum referimus actiones. Et utinam dominus Papa pro nobis Dominum deprecetur, A ut Domino & Creatori noſtro debitam exhibere poſſimus & ſciamus devotionem & reverentiam, & ut ipſi ſervire, & ipſum diligere interna ſaltem qua debemus portione valeamus. Sanè licèt, quantum ex debito tenemur, ipſum diligere & venerari non poſſumus: affectum tamen & devotionem habemus ipſi in ſingulis deſervire, in omnibus obſequi, in univerſis obedire. In integritate autem gratiæ & dilectionis domini Papæ libenter perſeverare volumus & affectamus, ſi nobis & regno noſtro eumdem honorem, & honoris & dignitatis conſervationem obſervaverit, B quam ſancti & honeſti Romani Pontifices viris nobilibus & potentibus prædeceſſoribus noſtris exhibuerunt.

Verumtamen appellationes, quas proponit nos prohibuiſſe, & ne quis de regno noſtro Curiam Romanam viſitaret, nos aſſerit inhibuiſſe: veſtram nolumus latere prudentiam, quòd nec appellationes, nec viſitationes aliquatenùs impedivimus, quin eo modo, ea ratione, eo ordine fiant, quo temporibus prædeceſſorum noſtrorum, virorum illuſtrium, juxta regni noſtri conſuetudines & dignitates ſolebant fieri; & ſicut antiquiores & prudentiores regni no- C ſtri tàm clerici quàm laici recolunt & retractant.

Quod verò confœderationis factæ cum excommunicatis nos arguit; in hoc non æſtimamus nos Deum offendiſſe, nec obviaſſe rationi: quia ſicut ex ore domini Papæ accepimus, ipſum dominum Fridericum Romanum Imperatorem numquam pro excommunicato habuit, nec poſteà ipſum excommunicatum fuiſſe, alicujus relatione cognovimus. Verùm etſi filiam noſtrã filio Imperatoris in matrimonio conceſſerimus: nec in minimo nos deliquiſſe credimus, ſed D id nobis licitum eſſe, non dubitamus. Quoniam (ut à ſimili ſumamus exempla) idem excellentiſſimo & potentiſſimo Regi Henrico avo noſtro licuiſſe recolimus, qui filiam ſuam Henrico bonæ memoriæ Romano Imperatori matrimonio copulavit. Nos etiam à prædeceſſoribus noſtris ſumpta ratione, communicato conſilio prudentium, inter filium Imperatoris & filiam noſtram contrahi conceſſimus. XXI.

XXII. Præterea quod nobis ſcripſit, ut Cantuarienſem Archiepiſcopum, quem à regno noſtro nos aſſerit expuliſſe, in ſtatum à quo receſſit, revocemus, & ad ſedem E ſuam reducamus: evidentiſſimè novimus, univerſitati veſtræ liquidò conſtare, quòd ipſum numquam expulimus, nec à regno noſtro exire coegimus; ſed ipſe ſuæ magis levitatis & pravitatis impulſu, quàm aliqua ratione ad hoc ipſum inducente, fugam arripuit intentione & propoſito adversùm nos malignandi, & nobis & famæ noſtræ (quod nequaquàm, ut omnibus liquet, promerueramus) malignè derogandi. Si autem idem Archiepiſcopus, ſicut ea propria voluntate aufugit, eodem modo voluntariè reverti voluerit, & nobis fecerit, quod domino & Principi facere debuerit:

Digitized by Google

buerit: nos eidem juxta clericorum & laicorum conſilium tàm regni noſtri, quàm tranſmarinorum, quod debebimus, exequemur. Verùm ipſum per nos revocandum non cenſemus, quem à regno noſtro exire non coegimus. Itaque ſi nobis conſtiterit, nos in aliquo deliquiſſe & exceſſiſſe; conſilio Cleri & Baronum noſtrorum juxta conſuetudines & dignitates, & celſitudines regni noſtri, quidquid debuerimus, animo libenti faciemus. Si verò aliquis jura & conſuetudines & dignitates regni noſtri impedire attentaverit, ſeu diminuere; ipſum publicum hoſtem, & manifeſtum nominis noſtri, & honoris, & regni æſtimabimus inimicum. Et nos, vita comite, dignitatum & conſuetudinum regni noſtri diminutionem nullatenùs ſuſtinebimus, quas illuſtres viri prædeceſſores noſtri habuerunt & tenuerunt temporibus ſanctorum Romanorum Pontificum. De cætero; quod mandavit per vos nobis inſinuandum, ne ſcilicèt Eccleſias vel perſonas Eccleſiaſticas regni & terræ noſtræ gravaremus, vel gravari permitteremus: Deus nobis teſtis eſt, & mea conſcientia, quod id uſque in hodiernum diem nec à nobis actum eſt, nec permiſſum.] Hactenùs Apologia Regis ad Cardinales.

XXIII. At ſicut quævis turpis, deformis & horrendi monſtri imago coloribus ſuperinductis, transformari poteſt in effigiem pulcherrimæ & honeſtiſſimæ virginis, cùm tamen ſubtus lateat quod pavendum reddebatur oculis intuendum, & foris oſtenditur quod delectat: ita planè execranda ejus facinora ſtylo mendaci hic ab eo eſſe tranſmutata ſentias in virtutes. Sed quid de ipſo ſentiendum, quæ dicta ſunt, atque dicentur, ſatis ſuperquè palàm facient.

Extant adhùc aliæ litteræ, quæ intercurrerunt hoc anno in cauſa ejuſdem Regis Anglorum de controverſia cum S. Thoma, & quidem magni momenti, atque in primis, quas ſcripſit Alexander Papa ad Londonienſem Epiſcopum, quæ deſcriptæ à Rogerio ſic ſe habent:

XXIV. Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Gilberto Londonienſi Epiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Alex. Papæ litteræ ad Lond. Epiſcopum.

Quod circa ea, quæ tuæ injunximus fraternitati, efficax ſtudium & diligentiam impendiſti, & chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Henricum illuſtrem Regem Angliæ, ſuper incremento & exaltatione Eccleſiæ, ac noſtra fideliter ſollicitare ac commonere curaſti; gratum omnimodis & acceptum habemus, & tibi exinde gratias uberrimas exolventes, ſollicitudinis tuæ prudentiam magnificis ſuper hoc laudibus in Domino commendamus. Quoniam verò eumdem Regem tamquàm filium chariſſimum, & inclytum Principem arctiori charitate diligimus, idcircò per te & per venerabiles fratres noſtros, Rothomagenſem Archiepiſcopum, & Herefordenſem Epiſcopum, nec non per chariſſimam filiam noſtram in Chriſto illuſtrem quondam Romanorũ Imperatricem, matrem ejus, ſæpè ac ſæpè ipſum ſollicitandum duximus, & ad Eccleſiæ devotionem multimodis provocandum. Gaudemus autem & exultamus in Domino ſuper ea devotione ejuſdem Regis, quam tuis litteris nobis ſignificaſti.

XXV. Cæterùm, quoniam eum volumus devotum eſſe Eccleſiæ Dei & nobis, ſicut ab ipſo principio conſuevit exiſtere: rogamus fraternitatem tuam, monemus, atque mandamus, quatenùs ipſum ſollicitè ac diligenter ſæpè & ſæpiùs per te & alios commoneas, horteris modis omnibus, & inducas, ut ad ejuſdem Eccleſiæ honorem pariter & exaltationem ſolito modo intendat, & cauſam ipſius ſtrenuè foveat, & manuteneat, atque defendat: Eccleſias verò, & Eccleſiaſticas perſonas diligat & honoret, & eorum jura conſervet. Venerabilem quoque fratrem noſtrum Cantuarienſem Archiepiſcopum in amorem & gratiam ſuam reducat. Nos enim, ſi eam, quam incœpit, beato Petro & nobis reverentiam exhibuerit & honorem, eum ferventi affectione diligemus, & ad honorem, & exaltationem ipſius, & conſervationem regni ſibi commiſſi, modis omnibus, prout decuerit, intendemus. Maluimus enim ipſum in patientia & manſuetudine vincere, quàm eum aliquo modo gravare, quamdiu id poterimus ſuſtinere. Datum in Gradu Mercurii undecimo Kal. Septembris.] Iſta Alexander ad Londonienſem Epiſcopum, qui iſta reſcripſit ad ipſum:

Patri ſuo & domino ſummo Pontifici Alexandro Frater Gilebertus Londonienſis Eccleſiæ miniſter debitum ſinceræ charitatis humiliſque obedientiæ famulatum.

XXVI. Ad Alex. Pap. Epiſt. Lond. Epiſcopi.

Mandatum veſtrum (Pater in Chriſto chariſſime) debita veneratione ſuſcipientes, illicò filium veſtrum, dominumque noſtrum, chariſſimum, illuſtremque Anglorum Regem, in ipſis jam Galliæ finibus agentem exercitum, adivimus, & adjuncto nobis venerabili fratre noſtro Roberto Herefordenſi Epiſcopo, juxta veſtri formam mandati diligenter & intentè convenimus. Cui ſingula, quæ veſtris nobis ſunt expreſſa litteris, ante oculos ponentes, ipſum obſecrando, & quantum regiam decebat majeſtatem, arguendo conſtanter & inſtanter hortati ſumus; ut de propoſitis ſibi ſatisfaceret, & ſi à rationis tramite deviaverat, ad viam veritatis & juſtitiæ redire, veſtra per nos revocatus admonitione non tardaret: à patre piè commonitus, à pravis actibus omninò deſiſteret: Deum puro corde diligeret, & matrem ſuam ſanctam Romanam Eccleſiam ſolita veneratione reſpiceret: nec eam viſitare volentes inhiberet, appellationes ad eam factas non impediret, & Patrem noſtrum dominum Cantuarienſem benignè revocans & reducens, in beati Petri & veſtra reverentia firmus immobiliſque perſiſteret, & pietatis intendens operibus, Eccleſias, & Eccleſiaſticas perſonas tàm regni, quã ter-

ræ ſuæ non gravaret, nec per ſe, nec per alium gravari permitteret: ſed ipſa diligens regia protectione conſervaret, ut ille, per quem Reges regnant, temporale regnum ſibi conſervaret in terris, & æternum largiretur in cœlis. Alioquin niſi monitis ſalutaribus acquieſceret, ſanctitas veſtra, quæ hucuſque patienter ſuſtinuit, ulteriùs in patientia ſuſtinere non poſſet. Ad hæc adjecimus, timendum ſibi fore, ne ſi errata non corrigeret, iram omnipotentis Dei citò incurreret, ut nec regnum ejus diu ſtaret, nec ſuos proſperari permitteret: ſed qui humilem exaltaverat, jamjam exaltatum ad ipſo regni culmine durius allidendo dejiceret.

XXVII. Regis reſponſiones. Ipſe verò correptionem veſtram multa gratiarum actione ſuſcipiens, multa animi temperantia, multaque modeſtia conſequenter reſpondit ad ſingula. In primis aſſerens, mentem ſuam à vobis ſe nullatenùs avertiſſe, nec id umquam propoſiti mente concepiſſe, quin dum paternam ſibi gratiam exhibueritis, vos ut Patrem diligat, & ſanctam Romanam Eccleſiam ut matrem veneretur & foveat, & ſacris juſſionibus veſtris, ſalva ſibi ſua regnique ſui dignitate, humiliter obtemperet & obediat. Quòd ſi vos aliqua jam diu reverentia non reſpexit, hanc hujus rei cauſam aſſerit, quòd cùm vobis in neceſſitate toto corde, tota mente, totis viribus aſtiterit, ſibi poſtmodùm per Nuntios in neceſſitate recurrenti ad vos, dignè pro meritis ſanctitas veſtra non reſpondit: ſed in omni ferè petitione ſua ſe repulſam ſuſtinuiſſe conqueritur & erubeſcit. De paterna tamen confiſus gratia, quæ filium cùm volet exaudiet, vultus ſperans & expectans lætiores; in beati Petri & veſtra (ut dictum eſt) fidelitate, immobili conſtantia perſeverat. Inde eſt, quòd ſanctitatem veſtram viſitare volentem nullum impediet: ſed nec hactenùs, ut aſſerit, impedivit.

In appellationibus ex antiqua ſui regni inſtitutione id ſibi vendicat honoris & oneris, ut ob civilem cauſam nullus clericorum regni ſui ejuſdem regni fines exeat, niſi, an ipſius auctoritate & mandato jus ſuum obtinere queat, priùs experiendo cognoſcat. Quod ſi nec ſic obtinuerit; ad excellentiam veſtram, ipſo in nullo reclamante, cùm volet, quilibet appellabit. In quo ſi juri veſtro, vel honori præjudicatur in aliquo, id ſe totius Eccleſiæ regni ſui conſilio correcturum in proximo, Domino juvante, pollicetur.

XXVIII. Imperatorem illum, etſi ſchiſmaticum noverit; à vobis tamen excommunicatum eſſe uſque hodiè non reſcivit. Quod ſi denuntiatione noſtra reſcierit, ſi fœdus illicitum cum ipſo aut aliquo alio quolibet iniit: & hoc Eccleſiæ regni ſui judicio ſimiliter & conſilio ſe correcturum promittit.

Patrem noſtrum dominum Cantuarienſem ſuo ſe regno nequaquàm expuliſſe aſſerit. Unde ſicut abceſſit ultroneus, ſic ad Eccleſiam ſuam, cùm ſibi ſederit in animo, plena pace ſua revertendi ſibi liberum erit; dum tamen in ſatisfaciendo ſibi ſuper his, unde conqueritur, regias ſibi & in quas ipſe juravit, velit dignitates integrè conſervare.

Si qua verò Eccleſia, vel Eccleſiaſtica perſona ab ipſo vel à ſuis ſe gravatam oſtenderit, ſatisfacere plenè totius Eccleſiæ judicio paratus erit. Hæc à domino noſtro Rege in reſponſis accepimus, qui utinam ad omnem voluntatem veſtram uberiùs aliquid accepiſſemus. Eadem verò ſublimitati veſtræ notificanda duximus, ut ex reſponſis ipſius advertat diſcretio veſtra, quò negotium hoc fine concludat. Cauſam namque ſuam dominus Rex plurimum ſibi juſtificare videtur, cùm in omnibus, quæ dicta ſunt, Eccleſiæ regni ſui conſilio ſimul & judicio ſe pariturum, & Patris noſtri domini Cantuarienſis reditum, juxta quod dictum eſt, ſe nullatenùs impediturum pollicetur. Unde veſtræ ſupplicandum exiſtimavimus excellentiæ, quatenùs illud præ oculis habentes: (a) Calamum quaſſatum non conteret, & linum fumigans non extinguet, zelum illum, qui ad ulciſcendam omnem quæ Eccleſiæ Dei irrogatur injuriam, laudabiliter igne divini Spiritus accenſus eſt, ſi placet, ad tempus intra fines modeſtiæ cohibeatis, ne vel interdicti ſententiam, vel ultimum illud præciſionis elogium proferendo, Eccleſias innumeras ſubverti miſerè toleretis, & tàm Regem ipſum, quàm innumeros cum eo populos à veſtra, quod abſit, obedientia irrevocabiliter avertatis. Bonum eſt magis membrum capiti cohærere vel ſaucium, quàm à corpore projici jam præciſum: redeunt ad ſanitatem ſaucia, vix corpori coaleſcunt jam præciſa. Adducit deſperationem præciſio, cùm ſanet vulnus ſæpiſſimè cautè medicantis operatio. Unde ſi placet, bonum eſt, ut ſanando vulneri, ſi quod eſt, ad præſens operam detis, quàm Eccleſiæ Dei partem nobiliſſimam præcidendo, quæ turbata ſunt hoc tempore, longè ſuprà quàm poſſit exprimi, perturbetis. Quid enim? ſi ſermo veſter nondum plenè capit aut capitur: numquid divina deſperanda eſt gratia, quia tempore accepto & capiat & capiatur? Numquid (b) abbreviata eſt manus Domini, ut ſalvare nequeat? aut auris ejus aggravata, ut non exaudiat? Currens ille ſermo velociter, potenter cùm vult, immutat omnia, & dat Sanctorum precibus etiam inſperata. Sanguis regius tunc ſcit demùm vinci, cùm vicerit; nec erubeſcit cedere, cùm ſuperaverit. Manſuetudine leniendus eſt, monitis & patientia ſuperandus. Quid enim, ſi jacturam quamdam temporalem infert vel exhibita, vel in tempus exhibenda adhùc etiam patientia? Numquid non ſeveritati retrahendum eſt, cùm ſtrages imminet populorum? Numquid non in mare mulcta jactanda ſunt, cùm jam ſpondet interitum confuſio terræ maris & fluctuum?

XXIX. Inſipienter, attamen in charitate non ficta loquimur; ſi hic rei finis extiterit, ut

amiſſis

a *Iſai.* 42.

b *Ibid.* 59.

Digitized by Google

A amiſſis ſuis dominus Cantuatienſis exilium juge ſuſtineat, & veſtris (quod abſit) mandatis ulteriùs Anglia non obediat, fuiſſet ſatius patienter in tempus ſuſtinuiſſe, quàm tanto zelo ſeveritatis partibus inſtitiſſe. Quid enim, ſi plures è nobis ab obedientia veſtra perſecutio ſeparare non poſſit? Non deerit tamen, qui genu curvet ad Baal, & de manu idoli pallium Cantuariæ, non habito religionis & juſtitiæ delectu, ſuſcipiat. Nec deerunt, qui ſedes noſtras occupantes, & cathedras inſidentes ipſi tota mentis devotione obediant. Jam multi præmaſticant ad talia, optantes ut veniant ſcandala, & directa ponantur in B prava. Unde non propria, Pater, plangimus, aut ploramus incommoda: ſed niſi his malis occurreritis, fœdam Eccleſiæ Dei ſubverſionem imminere cernentes pertimeſcimus, nec citiùs ob vitæ tædium optemus periiſſe diem, qua ad ſpectacula hujuſmodi nati ſumus. Conſervet incolumitatem veſtram in tempora longa omnipotens Deus, in Chriſto dilecte Pater.] Hactenùs ad Alexandrum Papam Londonienſis Epiſcopus.

At qui per Londonienſem Epiſcopum curari Regem petiit ipſe Pontifex Alexander; perfici illa per ipſum proprium paſtorem ſanctum Thomam magis expetiit. Qui non defuit officio, & ut aliàs eum ſuis litteris commonuiſſet; plenioribus tamen adhùc ſcriptis ipſum Regem excitandum putavit, quæ ſic ſe habent: (a)

a L. 1. ep. 65. S. Thomæ epiſtola ad Henricum Reg. Angl.

Domino ſuo & amico Henrico Dei gratia illuſtri Regi Anglorum, Duci Northmanniæ & Aquitaniæ, & Comiti Andegavenſi Thomas eadem gratia Eccleſiæ Cantuarienſis humilis miniſter ſuus olim temporaliter, nunc autem multò magis, ſalutem in Domino, & veram cum emendatione pœnitentiam.

XXX.

D Expectans expectavi, ut intenderet vobis Dominus, & converſi ageretis pœnitentiam, recedentes à via perverſa, & abſcinderetis à vobis latera veſtra prava, quorum, ut creditur, inſtinctu & conſilio tàm ferè lapſi eſtis in profundum; ſed abſit ut in profundum illud, de quo dicitur: (b) Peccator cùm venerit in profundum, contemnet. Et licèt hucuſque fruſtrà ſuſtinuerimus, taciti conſiderantes & expectantes affectuoſiſſimè, ſi veniret nuntius qui diceret: Filius tuus Rex & dominus tuus jamdiu dolo circumventus, tractus in perniciem Eccleſiæ, inſpirante divina E clementia, in abundantia humilitatis magnæ feſtinat ad liberationem Eccleſiæ, ad omnem ſatisfactionem, & emendationem: ſed licèt illud non fiat: non tamen Omnipotentem ſupplici devotione ſingulis diebus interpellare ceſſamus, ut quod diu voto celebravimus de vobis & pro vobis, celeri & fructuoſo conſequamur effectu. Et ecce inde eſt, quòd Eccleſiæ Cantuarienſis, cui Dominus noſtrum ſacerdotium licèt indignum, vobis res humanas hujus regni regentibus, ad præſens deputavit, nos cura conſtringit eò

b Prov. 18.

A maximè, quòd adhùc exilii incommoditate detineamur, majeſtati veſtræ commonitorias, exhortatorias, correctorias *litteras* deſtinare, ne exceſſuum veſtrorum, ſi qui ſunt, qui reverà ſunt (unde non minimùm dolemus) illorum maximè dico, qui circa Eccleſiam Dei, & perſonas Eccleſiaſticas à vobis paſſim, nulla habita dignitatis ſeu perſonæ reverentia aguntur, nimius diſſimulator exiſtam; ne nimis negligens in animæ meæ diſcrimen appaream. Facientis proculdubiò culpam habet, qui quod debet corrigere, negligit emendare. Scriptum quippè eſt: Non ſolùm qui faci-B unt, ſed etiam qui conſentiunt, participes judicantur. Conſentiunt quidem, qui cùm poſſint & debeant, non reſiſtunt, vel ſaltem redarguunt. Error enim, cui non reſiſtitur, approbatur, & veritas cùm minimè defenſatur, opprimitur: nec caret occultæ ſocietatis ſcrupulo, qui deſinit obviare manifeſto facinori.

XXXI. Quæ ſine ſacerdotũ quæve Regum.

Sicut enim, ſereniſſime Princeps, parva civitas prærogativam regni præſentis non minuit: ſic regia veſtra poteſtas religioſæ diſpenſationis menſuram minimè concutere debet vel mutare. Semper verò de jure effectum eſt, ſacerdotali conſilio Dei ſa-C cerdotibus judicia provenire. Nam qualeſcumque pontifices, etſi errore humanitùs accedente: non tamen conſcientia religionem fidei ullatenùs excedentes, nullatenùs videntur à poteſtate ſæculari poſſe vel debere percelli. Boni quidē & religioſi Principis eſt, Eccleſias contritas & conciſſas reſtaurare, novaſque ædificare, ſacerdotes Dei honorare, & cum ſumma tueri reverentia, ad inſtar feliciſſimæ recordationis & pii Principis Conſtantini, dicentis, cùm ad eum deferretur quæſtio clericorum: Vos à nemine judicari poteſtis, ſæcularium ſcilicèt judicum, qui D ſolius Dei judicio reſervamini. Et ſanctos Apoſtolos, eorumque ſucceſſores ſub divina atteſtatione conſtitutos præcepiſſe legimus; non debere perſecutiones fieri, nec fluctuationes, nec invidere laborantibus in agro Dominico, nec à ſuis ſedibus æterni Regis expelli diſpenſatores.

Quis enim dubitet, ſacerdotes Chriſti, Regum, & Principum, omniumque Fidelium patres & magiſtros cenſeri? Nonnè miſerabilis inſaniæ eſſe dignoſcitur, ſi filius patrem, diſcipulus magiſtrum ſibi conetur ſubjugare, & iniquis obligationibus illum poteſtati ſuæ ſubiicere, à quo cre-E dere debet, non ſolùm in terra, ſed & in cœlis ſe ligari poſſe & ſolvi? Si Rex bonus es & Catholicus, & vis eſſe quod credimus, quodque magis optamus, ut ſalva pace tua dixerim, filius es Eccleſiæ, non Præſul, diſcere vos convenit à Sacerdotibus, non eos docere; ſequi vos convenit ſacerdotes in Eccleſiaſticis, non eos præcedere. Habetis poteſtatis veſtræ privilegia, quæ ad adminiſtrandas leges publicas à Deo conſecuti eſtis, ut ejus beneficiis non ingrati, contra diſpoſitionem cœleſtis ordinis nihil uſurpetis, ſed ut ſalubriori fruamini

mini ingenio his, quæ contra eam malitioſo conſilio magis forſitan quàm animo veſtro minus benè uſurpaſtis; cum omni humilitate & multimoda ſatisfactione citiſſimè cedatis, ne manus Altiſſimi adverſùm vos extenta mittat in vos, quaſi ad ſignum ſagittam. Tetendit enim arcum ſuum Altiſſimus, ut ſagittet in aperto vos nolentem pœnitere.

XXXII. Nec erubeſcatis (quiſquid ſuggerant vobis maligni, quidquid ſubmurmurent proditores, non veſtri tantùm ſed Dei) humiliari ſub potenti manu Dei. Ipſe quidem eſt qui exaltat humiles, & ſuperbos dejicit: qui in ſuam & ſuorum ultionem, aufert ſpiritum Principum; quoniam terribilis eſt, & quis reſiſtet ei? Non debuiſſet excidiſſe à memoria veſtra, in quo articulo vos Deus repererit, quantumque promoverit, honoraverit, ſublimaverit, in liberorum ſuſceptione beatificaverit, ſoliumque Regni veſtri firmaverit, in invidiam omnium inimicorum veſtrorum amplis poſſeſſionibus ditaverit; adeò ut hucuſque cum admiratione omnes ferè proclamaverint: Hic eſt, quem elegit Dominus. Et vos quid ei retribuetis, vel retribuere poteritis pro his omnibus quæ vobis fecit? An ad eorum inſtinctum & inſtantiam, qui circa vos perſequuntur Eccleſiam, viroſque Eccleſiaſticos, & ſemper prout potuerunt, perſecuti ſunt, reddetis mala pro bonis, oppreſſiones, tribulationes, injurias, afflictiones Eccleſiis & Eccleſiaſticis perſonis? Nonnè iſti ſunt, de quibus dicit Dominus; (a) Qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit: qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei? Certè etſi relictis omnibus quæ poſſidetis, tollatis crucem veſtram, & ſequamini Dominum noſtrum JESUM Chriſtum: vix erit, aut non erit, ut fidelis & gratus acceptorum ab eo beneficiorum retributor appareatis.

a Luc. 10.

XXXIII. Inquirite Scripturas à ſcientibus, & invenietis quòd (b) Saul, licèt electus fuerit à Domino: quoniam à viis ejus receſſit, periit ipſe & domus ejus tota. Oziæ (c) quoque Regis Juda, cujus nomen latè divulgatum eſt, & procul egreſſum propter crebras ſibi à Domino collatas victorias, adeò cor elevatum eſt in ſuum interitum, eò quòd ubique auxiliaretur Dominus & corroboraret illũ, ut ſpreta Domini reverentia, uſurpare ſibi voluerit, quod ſui officii non erat, ſed ſacerdotum, id eſt, adolere incenſum ſuper altare Domini. Et ob hoc à Domino lepra percuſſus eſt, & ejectus per manus ſacerdotum à templo Domini, & ſic manſit uſque ad diem mortis ſuæ plenus lepra, ob quam ejectus fuerat de domo Domini. Multique alii Reges facti viri immenſarum divitiarum quoniam ambulaverunt ſuper ſe in mirabilibus mundi, præſumentes rebellare Deo, in ſuis miſeriis perierunt, & ad ultimum nihil invenerunt divitiarum ſuarum in manibus ſuis. Rex quoque Azarias (d) quoniam & ipſe officium ſacerdotale uſurpavit, ſimiliter à Deo lepra percuſſus

b 1. Reg. 15.

c 2. Paral. 26.

d 4. Reg. 15.

A eſt. Oza (e) quoque etſi Rex non eſſet, quoniam Arcam Domini tetigit, & tenuit nutantem ad præcipitium, bobus calcitrantibus: quia ad eum non pertinebat, ſed ad templi miniſtros, indignatione Domini percuſſus, juxta Arcam Domini corruit mortuus. Rex, proverbialiter celebre eſt: caſtigatus de alterius infortunio melius ſibi proſpicit.

e 2. Reg. 6.

Nam tua res agitur paries cùm proximus ardet.

XXXIV. Ad ſacerdotes, Rex dilectiſſime, ſuos voluit Deus quæ Eccleſiæ ſuæ ſunt diſponenda pertinere, non ad poteſtates ſæculi. **B** Quas, ſi fideles ſunt, Eccleſiæ ſuæ ſacerdotibus voluit eſſe ſubjectas. Non vobis ergò vendicetis jus alienum, & miniſterium quod alteri deputatum eſt, neque contra eum contendatis, à quo omnia ſunt conſtituta: ne contra illius beneficia pugnare videamini, à quo veſtram conſecuti eſtis poteſtatem. Non à legibus publicis, non à ſæculi poteſtatibus, ſed à pontificibus & ſacerdotibus omnipotens Deus Chriſtianæ religionis clericos voluit ordinari & diſcuti. Chriſtiani Reges ſubdere debent executiones ſuas Eccleſiaſticis Præſulibus, non præferre. Scriptum quip- **C** pè eſt, nullum de ſacerdotibus niſi Eccleſiam judicare debere: nec eſſe humanarum legum de talibus ferre ſententiam. Obſequi ſolere Principes Chriſtianos ſtatutis Eccleſiæ, non ſuam poteſtatem præponere; Epiſcopis caput Principes ſubdere, non de Epiſcopis judicare. Duo quippè ſunt, quibus principaliter regitur mundus, auctoritas ſacra Pontificis, & Regalis poteſtas, in quibus tantò gravius eſt pondus ſacerdotum, quantò & de ipſis Regibus ſunt in divino reddituri examine rationem.

XXXV. Noſſe certè debueratis, ex illorum vos **D** debere pendere judicio, non illos ad veſtram poſſe redigi voluntatem. Pluſimi namque pontificum, alii Reges, alii Imperatores excommunicarunt; & ſi ſpeciale aliquid de perſonis Principum inquiratis, beatus Innocentius Arcadium Imperatorem excommunicavit, quia conſenſit ſanctum Joannem Chryſoſtomum à ſua ſede expelli. Sanctus Ambroſius pro culpa, quæ aliis ſacerdotibus non adeò videbatur gravis, Theodoſium magnum Imperatorem excommunicavit, & ab Eccleſia excluſit: qui tandem ſatisfactione condigna meruit abſolvi. Et multa alia in hunc mo- **E** dum. David (f) etiam cùm adulterium & homicidium commiſiſſet: miſſus eſt ad eum propheta Nathan à Deo; ut eum redargueret & corrigeret. Correptus eſt, & citiſſimè correctus. Rex enim depoſito diademate capitis ſui, abjectaque majeſtate imperiali, non erubuit humiliari ante faciem Prophetæ, peccatum ſuum confiteri, veniam poſtulare de commiſſo. Quid plura? pœnitentia ductus, miſericordiam petivit, & obtinuit veniam. Et vos, fili dilectiſſime, ſereniſſime Rex, reverentiſſime domine, ad exẽplum excellentiſſimi David Regis piiſſi-

f 2. Reg. 12.

a 1. Reg. 13. piſſimi, de quo dixit Dominus: (a) Inveni virum ſecundùm cor meum: corde contrito & humili convertimini ad Dominū Deum veſtrum, exactamque de exceſſibus veſtris agite pœnitentiam. Corruiſtis enim & erraſtis in multis, quæ adhùc taceo, expectans, ſi fortè inſpiraverit vobis Dominus, ut dicatis cum Propheta: (b) b Pſal. 50. Miſerere mei Deus ſecundùm magnam miſericordiam tuam, quoniam multùm tibi peccavi, & malum coram te feci. (c) c Pſal. 33. Juxta eſt enim Dominus iis, qui recto ſunt corde, & humiles ſpiritu ſalvabit.

Conteſtatio metuéda S. Thomæ ad Regem.

Hæc ad præſens, domine mi, vobis ſcribo, cætera ſilentio præteriens, donec videam, utrum ſermo meus capiat in vobis: ſi reportaverit mihi à vobis fructus dignos pœnitentiæ, & audiam à nuntiantibus, & congaudeam dicentibus: Filius tuus Rex mortuus fuerat, ſed revixit, perierat & inventus eſt. Quòd ſi me non audieritis, qui ſolitus ſum ante majeſtatem Corporis Chriſti in abundantia lacrymarum, & gemitibus non minimis orare pro vobis: certè ibidem clamabo contra vos, & dicam: Exurge Deus, judica cauſam tuam: memor eſto improperiorum tuorum eorum & injuriarum, quæ à Rege Anglorum & ſuis tibi & tuis fiunt tota die. Ne obliviſcearis ignominiarum Eccleſiæ tuæ, quam tuo fundaſti ſanguine. Vindica Domine ſanguinem ſervorum tuorum qui effuſus eſt. Vindica Domine ſervorum tuorum afflictiones, quarum infinitus eſt numerus. Superbia eorum, qui te & tuos oderunt & perſequuntur, in tantum aſcendit, ut ulteriùs non valeamos eos ſuſtinere. Rex: quidquid agant veſtri, hæc omnia de manibus veſtris requirentur. Damnum enim dediſſa videtur, qui cauſam damni dedit. Ipſe reverà Filius Altiſſimi, niſi continueritis manus à conturbatione hominum, ad gemitus compeditorum, ad gemitus clamantium ad ſe, veniet in virga furoris ſui; quoniam jam tempus eſt judicare adversùm vos juſtitias in æquitate, & ſeveritate Spiritus ſui. Ipſe enim novit auferre ſpiritum Principum, & terribilis eſt apud Reges terræ.

XXXVI. Non vobis hæc dicimus, ut faciem veſtram confundamus, vel provocemus vos ad majorem indignationem & iram, ſicut forſitan maligni, qui circa vos ſunt, qui die ac nocte inſidiantur animæ veſtræ, & nituntur avertere animum veſtrum à nobis, pravis & iniquis ſuggeſtionibus ſubmurmurant (det illis Deus ſecundùm opera ſua, & ſecundùm nequitiam adinventionum ipſorum) ſed ut vos reddam cautiores ad proviſionem animæ veſtræ & curam, & ad evitandum periculum, quod jam in foribus eſt. Et quia noſtra ſpecialiter intereſt, providere animæ veſtræ, utpotè cujus cura & ſollicitudo nobis commiſſa eſt, cujuſque rationem redditurі ſumus in examine diſtricto: hæc audite benignè, & utimini ſervitio noſtro, prout vobis placuerit, dummodò Deum non offendamus, nec operemur agendo, vel diſſimulando in animæ veſtræ diſpendium & noſtræ. Quid enim vobis proderit totum mundum lucrari cum animæ veſtræ periculo? Attendite ubi ſunt Imperatores, ubi Reges, & alii Principes, ubi Archiepiſcopi, & Epiſcopi, qui nos præceſſerunt. Ipſi quidem laboraverunt, & alii in eorum labores introierunt. Quid ultra? ſic tranſit mundus & ejus gloria. (d) d Eccl. 7. Memorare ergò noviſſima tua, & in æternum non peccabis, & ſi peccaveris, penitentiam ages. Valeat mihi chara gratia veſtra, ſi in vera humilitate & feſtinata pœnitentia converſi fueritis ad Dominum Deum veſtrum. Valeatis ſic iterùm & ſemper.] Hactenùs S. Thomas.

XXXVII. Ad Epiſcopos autem alias dedit litteras de ordine hierarchico & unitate Eccleſiæ Catholicæ, quarum hoc eſt exordium.

S. Thomæ ad Epiſcopos Angliæ epiſtola.

Thomas (e) e Cod. Vat. l. 1. ep. 97. Dei gratia Cantuarienſis Eccleſiæ miniſter humilis venerabilibus fratribus Cantiæ provinciæ Epiſcopis univerſis ſalutem. Si curamus eſſe quod dicimur, &c.] Et poſt nonnulla, hæc de Eccleſiæ Catholicæ in uno capite viſibili unitate: In initio naſcentis Eccleſiæ, ſicut beatus docet (f) f Epheſ. 4. Apoſtolus, Chriſtus cælos aſcendens, ut impleret omnia, quoſdam quidem dedit Apoſtolos, quoſdam Prophetas, alios Evangeliſtas, alios paſtores & magiſtros ad inſtructionem Sanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti. Neque enim omnia uni committenda erant officia, ſed unumquodque membrum ſuo donandum erat officio, ita tamen, ut caput, in quo, velut in arce & quodam Capitolio, virtutum omnes congeruntur ſenſus, univerſis & ſingulis provideret; & ei viciſſim omnia famularentur pro ratione conditionis ſuæ. Doctor (g) g Galat. 2. Gentium, qui gloriatur ſe non ab homine, neque per hominem Evangelium didiciſſe, ſed inſtructum à Chriſto, aſcendit Hieroſolymam, & cum Eccleſiarum Principe de Fide contulit, ne fortè in vacuum curreret vel cucurriſſet. Et ut plurimis patet exemplis, ſingula Evangelii flumina ad mare, undè orta ſunt, redeunt, ut iterùm fluant. Siquidem fons (h) h Geneſ. 2. paradiſi unus eſt, ſed in plura ſcinditur flumina, ut undique irriget terram. Quis Romanam Eccleſiam caput omnium Eccleſiarum, & fontem Catholicæ doctrinæ ambigit eſſe? Quis claves regni cœlorum Petro traditas eſſe ignorat? Nonnè in fide & doctrina Petri totius Eccleſiæ ſtructura conſurgit, donec occurramus omnes Chriſto in virum perfectum, in unitatem Fidei, & agnitionem Filii Dei?] Et infrà: Sed quicumque ſit qui rigat aut plantat: Dominus nulli dat incrementum, niſi illi, qui plantavit in fide Petri, & doctrinæ ipſius acquieſcit. Sanè ad eum maxima populi judicia referuntur, à Romano examinanda Pontifice, & diſpoſiti ſub eo in atriis Eccle-

Eccleſiæ magiſtratus, quatenùs qui in
partem ſollicitudinis acciti ſunt, credi-
tam exercerent poteſtatem. Ut ſacerdos,
quod in plebe ſibi commiſſa expedire non
poteſt, ad Epiſcopum referat, qui nego-
tia ſupra ſe ad Archiepiſcopum reducit,
aut Primatem: à quibus, quidquid ma-
ximum fuerit, Romano Pontifici reſer-
vatur. Ordinem hunc Petrus docuit, hunc
uſque modò Catholica ſervavit Eccle-
ſia, nec umquam, auctore Domino,
quidquid moliatur iniquitas, ſubverte-
tur.

XXXVIII. In regno autem Anglorum (quod ſi-
ne dolore multo ad mentem reducere, aut
ſine lacrymis dicere non valemus) multùm
præſumitur adversùs Petrum. Sedis A-
poſtolicæ (quantum in perverſis poteſta-
tibus eſt) attenuatur & periclitatur au-
ctoritas, dum illi, quos neceſſitas pro
compendio pœnitentiæ, vel remedio* ea-
vere, aut viſitationis debito compellit ad
dominum Papã iter arripere, ab itinere ſuo
præpediuntur, ſpoliantur, tractantur acriùs,
& transfretare prohibentur; vel ab iis, qui
occaſiones quærunt, ut faciant mala, vel
coacti illicita de præpediendis clericis &
pœnitentibus præſtiterunt ſacramenta.
Manus itaque violentas mittentes in cle-
ricos, facto ſuo anathematis condemna-
tionem incurrunt. Inde eſt, quòd nos S.
R. E. auctoritate utentes, fraternitati
veſtræ Apoſtolica auctoritate in virtute
obedientiæ: in periculo ordinis veſtri
præcipiendo mandamus, quatenùs de ce-
tero hoc fieri inhibeatis; & eos, qui in
clericos manus violentas injiciunt, publi-
cè excommunicatos denuntietis, & per
Epiſcopatum veſtrum denuntiari faciatis,
& contermiualibus veſtris Coepiſcopis, ut
hoc ipſum in Epiſcopatibus faciant ſuis,
domini Papæ & noſtra præcipiatis auctori-
tate.

* ſ. animæ

XXXIX. Ad hæc eodem modo, & ſub eadem in-
terminatione præcipimus, ut iis, qui
appellantes aut pœnitentes ad dominum
Papam, vel ad nos tendentes impediunt,
aut redeuntes à domino, vel à nobis,
denuntietis, quoniam ſententiam anathe-
matis incurrunt, tàm hi qui hoc faciunt
in propria perſona, quàm Regis officia-
les, qui ad hoc facinus impellunt alios.
Illos autem, qui coacti de tranſeuntibus
impediendis juramenta illicita præſtite-
runt, ab hoc juramento abſolvimus, ut
à tanta iniquitate deſiſtant poſtmodùm,
& pœnitentes de commiſſo, Deo diſcant
potiùs quàm homini obedire. Si quis Ec-
cleſiæ ſuæ juſtitiam promovens, & Apo-
ſtolicæ Sedi fidem ſervans diſpendia re-
formidat: meminerit quoniam Eccle-
ſia virtutes, quàm momentaneas opes
longè tutiùs & utiliùs theſaurizat. Chri-
ſtus, qui Eccleſiæ Romanæ præſidet,
omnes adverſarias cohibet poteſtates. Et
qui potentes potenter puniet, omnem de-
crevit puniri inobedientiam, non humi-
les tantùm adducens in judicium, ſed
glorioſos terræ humiliat Eccleſiæ mini-

A ſterio, adversùs quam nec portæ inferi
prævalebunt.

Pudeat vos, dilectiſſimi iniqua exer- XL.
cere judicia, ut (juxta quod in nos inſul-
tant proceres regni) ſi pauper offendit in
minimo, illicò à vobis & officialibus ve-
ſtris ab Eccleſia excludatur; ſi dives com-
mittit crimina, non conveniatur vel ver-
bo. Ut in ſic decernentes poſſit illud &
hinc retorqueri: Et tantùm miſeris ira-
ſci numina poſſunt. Providete vobis &
Eccleſiis veſtris, ne ſi hanc Injuriam Ro-
manæ Eccleſiæ diſſimulaveritis: meritò
videamini adversùs eam cum impiis con-
B ſpiraſſe, & appellantium præcluſiſſe vias,
ut de diſpendio ejus veſtrum quæratis com-
pendium. Mementote potiùs, quomodò
ſalvi facti ſunt patres noſtri, quomodò &
quibus tribulationibus Eccleſia creverit
& dilatata ſit, quas procellas evaſerit na-
vis Petri, quæ Chriſtum habet rectorem
&c.] Hæc S. Thomas ad ſuos. Sed ad res
Orientales jam convertamus oratio-
nem.

Hoc anno, Indictione decimaquarta, XLI.
Conſtantinopoli à Luca Chryſoberge Pa-
triarcha Conſtantinopolitano Synodus
celebrata eſt, cujus nos ſuperiùs in ejus
C creatione meminimus ex Theodoro Bal-
ſamone, & emendavimus mendum in no-
tam numeri illapſum. Poſt hæc autem ha- De Nomocanone Theodori Balſam.
ud diutiùs Lucam oportuit fuiſſe ſuper-
ſtitem, ſed ex hac vita migraſſe, in lo-
cumque ipſius ſubrogatum fuiſſe Michae-
lem Anchialum magnum philoſophum. Ita
in ſerie Græca Patriarcharum Conſtan-
tinopolitanorum. Viſiſſe quidem Mi-
chaelem hunc tertium ejus nominis Patri-
archam ſub Emmanuele teſtatur Theodo-
rus Balſamon in præfatione ad commen-
tarium ſuum in Nomocanonem Photii,
cùm ait, ab utroque ſe in mandatis acce-
D piſſe, ut eum in canones commentarium
elaboraret; ait enim: Cùm itaque à ſan-
cto Imperatore divinitùs coronato domi-
no Emmanuele Comneno, & ſanctiſſimo
domino noſtro & Patriarcha oecumenico,
qui fuit ſummus philoſophorum, domino
Michaele Anchialo nobis mandatum eſ-
ſet, ut ſanctos canones conſideraremus,
& quæ eſſent in eis obſcura, & legibus vi-
derentur eſſe contraria, aperiremus, &
interpretaremur, &c.] Elaboravit & ab-
ſolvit opus, quod obtulit Georgio Xy-
philino Conſtantinopolitano Patriarchæ,
qui ſedit ſub Iſacio Angelo Imperatore,
E & Alexio Angelo ejus ſucceſſore. At de
hujuſmodi elucubratione Balſamonis quid
ſentiendum, dicemus inferiùs ſuo loco.
Laudat idem Balſamon hunc Patriarcham
Michaelem ſæpiùs, & inter alia, quòd ſu-
perſtitionem quamdam, quæ fiebat per
divinationes dæmonum, & ibidem inole-
viſſet, penitùs ſuſtulit. Ita ipſe in cano-
nis Trullani ſexageſimiquinti interpre-
tatione pluribus. Sed & ex decreto quod
promulgavit, ne clerici ſæcularia obirent
munera, dato ſub quarta Indictione, nem-
pè anno milleſimo centeſimo ſeptuageſi-
mopri-

Digitized by Google

moprimo, cùm detegit, quando ſedit. Extat in commentario ſuper canones Concilii Carthaginenſis canone decimoſexto. Sediſſe autem annos octo, habet ſeries Græca Patriarcharum Conſtantinopolitanorum.]

Hoc eodem anno ab Imperatore Manuele promulgata eſt conſtitutio de Feriis, ſive juridicis diebus, quam intexuit in ſuo Nomocanone Theodorus, ad eamque iſta eſt præfatus:

XLII. Si accuratè cognoſcere vis, quonam die tribunalibus feriæ ſint; lege publicatam menſe Martio, Indictione * decimaquarta, anno mundi VICIↃ. * VIↃ. LXXIV. venerandam Novellam coronati divinitùs præſtantiſſimi ſacrique Imperatoris noſtri domini Manuelis Comneni, quæ poſt exordium hæc tradit.

* Theod. Balſamon x.

* vel LXX.

Sancimus, ut illi dies feriati ſint, quos in præſenti conſtitutione nominatim enumerabimus, & ut alii quidem eorum ferias in univerſum habeant, ut nequaquàm toto ipſorum durante ſpacio conſtitui judicium poſſit, niſi fortaſſis Imperator per diſpenſationis modum, vel ob neceſſitatem (ut multa ſæpenumerò ſubita quædam rerum varietas licentiùs novare ſolet) in iis quoque judicium conſtituere voluerit; alii verò ex parte à judiciis vacent, ut ea videlicèt exerceantur à matutino tempore uſque ad tempus ſacri cultus, quo judicibus tàm precationi, quàm

LII. celebrationi divini numinis intentis eſſe liceat, ac peracto ſacro, juſtitiæ curam gerant, & injurias perpeſſis juxta vigorem legum ſuccurrant. Sed tamen ii, quibus in hunc modum poſt cultum ſacrum jus dicere permiſſum eſt, in conficiendis ab ſe notationibus ac inſtrumentis mentionem temporis facient, quo confecta ſint. Ac primò quidem de omninò feriatis agendum erit.

Itaque dies natalis inviolatæ Dominæ Deique Genitricis, qui celebratur à die VI. Id. Septemb. feriatus eſt. Conſimiliter & XIV. dies vivificæ Crucis exaltationi dicatus. Item XXVI. propter Apoſtoli & Evangeliſtæ Joannis Theologi migrationem.

Octobris dies VI. quod in eo ſancti Apoſtoli Thomæ memoria celebretur. Item IX. propter Jacobum Alphæi F. Apoſtolum, & X. propter Lucam Apoſtolum & Evangeliſtam.

Novembris dies XIII. quòd in eo memoria Chryſoſtomi celebretur, & XIV. quòd Philippo Apoſtolo feſtus ſit, & XVI. in Evangeliſtæ & Apoſtoli Matthæi honorem. Et XXI. quòd tùm Dei Genitricis introitus in templum celebretur, & XXX. propterea, quòd Andreæ Apoſtolo ſit feſtus.

Decembris dies IX. in quo ſcilicèt Conceptio ſanctiſſimæ Matris Dei noſtri celebratur, & XX. dies uſque ad VI. Januarii, quòd in eis dies natalis, itemque baptiſmi Domini Deique ac Servatoris noſtri JESU Chriſti feſta celebritate colantur.

Januarii dies XVIII. propter divinos Pa- A tres ac Doctores, Athanaſium & Cyrillum, XXV. ejuſdem menſis, propter memoriam magni Patris Gregorii Theologi.

Februarii dies II. propterea, quòd obviam Servatori ſit itum, & III. propter celebrationem memoriæ Simeonis, qui Chriſtum excepit.

Martii dies XXV. propter allatum Deiparæ lætum illum nuntium. Item dies Paſchales ab ipſa reſuſcitatione Lazari, uſque ad diem poſt ſanctum Paſcha octavum.

Aprilis dies XXV. propter Apoſtolum & Evangeliſtam Marcum, & XXX. propter B Apoſtolum Jacobum, illius Theologi & Evangeliſtæ fratrem.

Maii dies VIII. propter memoriam Evangeliſtæ Joannis Theologi, & X. propter Simonis Zelotæ Apoſtoli memoriam, & XXI. propter memoriam ſanctorum & Apoſtolis parium magnorum Principum Conſtantini & Helenæ, & XXVI. propter memoriam Judæ Alphæi Apoſtoli.

Junii dies XI. propter Bartholomæum Apoſtolum, & XIX. propter Judam Apoſtolum, cognomento Thaddæum, & Lebbæum, & Jacobum. Item XXIV. propter natalem Præcurſoris, & XXIX. propter Apo- C ſtolorum principum Petri & Pauli ſolemnitatem, & XXX. propter memoriam Apoſtolorum XII.

Julii dies XXV. propter obdormitionem ſanctæ Annæ Deiparæ.

Auguſti dies VI. propter Servatoris noſtri JESU Chriſti transformationem, & IX. propter memoriam ſancti Apoſtoli Matthæi, & XV. propter glorioſiſſimam ſanctæ Deiparæ migrationem, & XX. propter memoriam ſancti Apoſtoli Thaddæi, & XXIV. propter Bartholomæi Apoſtoli memoriam, & XXIX. propter venerandi Præcurſoris decollationem.

D Inter hos omninò feriatos dies computabuntur & medietates Jejunii quadraginta dierum & Pentecoſtes, & Servatoris Aſſumptio, & omnes in anno dies à Domino nuncupati. Ita ut hiſce diebus omnis ad tribunal aditus præcluſus ſit, nec ullus eorum, qui jus dicunt, quidquam ad juriſdictionem pertinens peragat.

Cæterùm à quibus ex parte vacationem tribunal habet, quique non inſolidum (veluti jam anteà diximus) feriati ſunt, hi ſanè fuerint, dies VI. menſis Septembris, quòd tunc Michaelis ſummi copia- E rum ducis factum Chonis miraculum prodigioſè commemoretur. Octobris XXIII. quòd Jacobi Chriſti fratris memoriam recolamus, & XXVI. quòd in magno & unguentia ſcaturienti Demetrio feſtus agatur. Novembris I. ob edentium prodigia, & gratis olim medicinam facientium, Coſmæ ac Damiani feſtum. Et VIII. quòd corporis expertium conventus celebretur. Et XXVIII. propter ſancti martyris Stephani junioris ſolemnitatem. Decembris IV. propter egregiam martyrem Barbaram. Et VI. propter celebrem miraculis & unguentis ſcaturientem Nicolaum. Januarii X.

pro-

propter Nyſſæ pontificem divum Gregorium. Et xvi. propter venerationem pretioſæ principis Apoſtolorum Petri catenæ. Et xix. propter reportationem pretioſi cadaveris Gregorii Theologi. Et xxvii. propter reportationem venerabilium reliquiarum Chryſoſtomi. Februarii vii. propter inſignem martyrem magiſtrum militum Theodorum. Et xvii. propter victorem certaminum Theodorum Tironem. Martii ix. quòd ſanctorum Chriſti XL. Martyrum memoria tunc recolatur. Aprilis xxiii. in honorem magni martyris Georgii deſtinatus. Maii ii. propter magnum illum Athanaſium. Junii viii. propter magnum martyrem Theodorum magiſtrum militum. Et ix. propter ſanctum Patrem noſtrum Cyrillum pontificem Alexandrinum. Et xxvii. propter ſanctum & edentem prodigia Sampſonem. Julii i. quòd tuns Sanctorum & miracula deſignantium, & argento carentium memoriam celebremus. Et ii. quòd depoſitionem pretioſæ veſtis Deiparæ mentionem faciamus. Et viii. ob magni martyris Procopii feſtum. Et xi. quòd egregiam martyrem Euphemiam concelebremus. Et xx. ad Eliæ vatis honorem. Et xxvii. quòd victori certaminum & miraculorum auctori Joanni miſericordi feſtus ſit. Auguſti xxxi. propter depoſitionem pretioſi cinguli labis expertis Deiparæ.

Atque hi ſunt dies illi partim feriati, partim juridici. Quibus verò diebus propter natalem vel renuntiationem Principis ceſſatur, eos dies inter juridicos majeſtas mea refert, à ſeſe præſentem ſanctionem inchoans, & per ea quæ ipſamet facit, alios inſtituens. Quippè non perinde præſentis conſtitutionis oratio quantumvis in illam attentos impellet, ut ipſum majeſtatis meæ factum. Nam illos ipſos dies majeſtas mea, quibus diebus tùm in hanc lucem eſt edita, tùm in Imperatorem per Dei providentiam renuntiata, juridicos eſſe ſancit, nec in eis ullas judiciis inducias eſſe. Omnes quidem certè, præter deſcriptos ſuperiùs anni dies, juridici erunt, & in eiſdem tùm judicia, tùm conſentaneæ judiciariis ſententiis executiones fient & exercebuntur. Perſuaſum autem habeo, præſentem hanc majeſtatis meæ conſtitutionem Deo quoque gratam eſſe. Nàm ubi Phariſæos JESUS execratur, ipſi etiam miſericordiæ judicium antepoſuit.] XX.

JESU CHRISTI ANNUS 1167. ALEXANDRI PAP. III. ANNUS 8. FRIDERICI IMP. 13. MANUELIS IMP. 25.

I. Bellum infauſtū Romanorum cum Tuſculanis.

SEquitur annus milleſimus centeſimus ſexageſimusſeptimus, Indictione decimaquinta, quo ſtatus S.R.E. in extremum diſcrimen adductus, divina tandem miſeratione clade immenſa percuſſis hoſtibus, ſpecioſiori nitore refloruit. Quomodò autem iſta miranda adeò ſe habuerint, ex ſcriptis Actis Alexandri Papæ citatis ſuperiùs reddimus hìc verbatim: Populus ipſe Romanus, menſe Majo, ad defenſionem ſui Paſtoris adversùs Raimonem dominum de Tuſculano in omni virtute ſua exivit communiter armatus, & procedens ad terram ejus, non ſolùm vineas & ſegetes cum arboribus hoſtiliter devaſtavit, ſed etiam muros Tuſculanæ civitatis nihilominus deſtruere laboravit. Sed quoniam idem Raimo tantæ fortitudini per ſe ipſum reſiſtere non valebat, nec terram ſuam tutari: neceſſe habuit, ut ad auxilium ab Imperatore petendum confugium faceret. Miſit itaque celeriter ad ſubventionem & præſidium ejuſdem Raimonis fortium bellatorum immenſam multitudinem, ut & Tuſculanum populum defenderet, & Romanorum violentiam coerceret. Poſtquàm verò illa ſæva Teutonicorum barbaries, quæ armis ſemper conſueverat militare, ad Tuſculanum pervenit, videns populum Romanum eſſe multum ad præparandum bellum ordinatum: animum & audaciam ſumpſit, ut cum eo abſque mora in campo haberet conflictum. Appropinquantibus poſt horam nonam, repentè clamor utrimque vehemens ad ſidera tollitur, & ſtrictis mucronibus nimis atrociter in hoſtes irruunt. Sed primo congreſſu populus Romanus irreparabiliter corruit, & per campeſtria & convallium devia ita impiè conciſus & dilapſus eſt, ut de tanto agmine vix tertia pars evaſerit. Ea igitur nocte in Urbe factus eſt dolor ſubitaneus, & ululatus magni, audita calamitate, inſatiabilis luctus ex irreparabili jactura virorum & rerum. Quippè quòd ab eo tempore, quo Hannibal Romanos apud Cannas devicit, tantam Romanorum ſtragem nullus recolit contigiſſe.

II. Sed quamvis in tàm gravi mœſtitia & communi dolore Pontifex ipſe à fletu & lacrymis ſe non potuit cohibere, videns tantam Civitatem præſidio armorum deſolatam: utilius conſilium celeriter habuit, ut vigilanter de cuſtodia Urbis & debilium reparatione murorum, atque de auxilio intrinſecùs conferendo ſollicitus eſſet. Hoſtes verò pro adepta victoria nimiùm exultantes, non fuerunt contenti victoria ipſa, ſed adjunctis ſibi Tiburtinis, & Albanenſibus, Campanis, & cæteris circumpoſitis, illicò feſtinarunt ad Urbem, & deſtruentes univerſas munitiones, & omnes ſegetes uſque ad fluvium Tiberis, circumdederunt uſque ad portas univerſam Urbem. Imperator tandem, ubi occiſionem cognovit Romanorum, reliquit Anconam, & veniens ad exercitum ſuum, caſtrametatus eſt in Montemalo, decimoquarto Kalendas Auguſti. Altera verò die, videns congregatam ſui exerci-

tus

Fridericus Imper. obſidet Urbem.

tus innumerabilem multitudinem; deſcendit in fortitudine gravi uſque ad portas Caſtelli ſancti Angeli, ibique atrociſſimum dedit aſſultum, & fecit maximum impetum: ſed quia ſummi Pontificis familia in faciem ſibi per orationem beati Petri fortiter atque viriliter reſtitit, nihil ea die, niſi detrimentum ſuorum & confuſionem reportavit. Unde majori furore commotus, Eccleſiam Apoſtolorum, quæ à fidelibus, Eccleſiæ tenebatur in cuſtodia, cum baliſtis & ſagitariis violenter aggreſſus eſt. Sed cùm eam expugnare non poſſet, poſtpoſita reverentia Dei, & ejuſdem regni cœlorum Clavigeri, tamquàm ſacrilegus & profanus ignem fecit apponi. Cuſtodes verò Eccleſiæ formidantes, ne tota fabrica incendio ſolveretur, poſt combuſtam ſanctæ Mariæ in Turri Eccleſiam cum æneis portis & vicinis porticibus, beati Petri baſilicam in manu & poteſtate ſævientis Principis tradiderunt.

III. Hæc igitur & alia imminentia mala cùm beatus Pontifex conſideratione ſollicita pervideret, poſt illud excidium populi, quod exigentibus peccatis acciderat, dimiſſo Lateranenſi palatio, cum fratribus ſuis, & eorum familiis ad tutas domos Frangipanum deſcendit, & apud ſanctam Mariam Novam, & Caſtellariam, & Coloſſeum ſe cum eis in totum recepit: ibique pro incumbenti malitia Imperatoris quotidianus Epiſcoporum & Cardinalium fiebat conventus, tractabantur cauſæ, reſponſa dabantur.

In diebus illis prædictus, & ex Siciliæ Vvillelmus junior audiens, quomodò ſævus ille Imperator perſecutor Romam teneret obſeſſam: timens ne in perſonam domini ſui Papæ Alexandri aliquid gravioris periculi poſſet accedere, miſit ad eum duas veloces galeas cum pecunia, præcipiens earum comitibus, ut ad Pontificem niterentur accedere, & aſſignata ei pecunia, perſonam ipſius, ac fratrum ſuorum in galeas reciperent, & de poteſtate ipſius Friderici, & omnium expectatione ſchiſmaticorum eriperent. Contigit itaque, ut ex inſperato galeæ per Tiberis alveum aſcenderent, & ad ſancti Pauli Eccleſiam applicarent: Miſſa itaque inſinuatione ad aures ſummi Pontificis

Vvillelmus bonus Rex Siciliæ ſuccurrit Pontifici.

ductore viro egregio Ottone Frangipane, comites galearum cum pecunia quam ferebant, ad veſtigia Præſulis acceſſerunt. Tunc venerabilis Pontifex ſuper his gratias omnipotenti Deo referens, pecuniam ipſam de Regis benignitate ſuſcepit, & Nuntios tàm devotiſſimi Principis ſecum per octo dies affectu paterno detinuit. Habito autem in cauſa Eccleſię & Civitatis conſilio, galeas ipſas ad eumdem Regem beatiſſimi Petri devotiſſimum & ſpecialem filium cum gratiarum actione remiſit, præmittens cum eis duos ex fratribus, Marcellum ſancti Georgii, & Petrum ſanctæ Mariæ in Aquiro diacones Cardinales, ad partes ſancti Germani. Ipſa verò die, de ſuſcepta pecunia partem dedit fi-

delibus Frangipanam, & filiis Petri Leonis, ut ſtrictiùs obligati ad invicem ſeſe fortiùs adjuvarent, & ad defendendam Civitatem, populum manutenerent, & robuſtiùs animarent. Pro cuſtodia verò Urbis partem ejuſdem pecuniæ ad ſingulas portas benigniſſimè diſtribuit.

IV. Cùm autem cives Romani adversùs Fridericum fortiores ſolito ſtarent, & ea quotidiè graviora damna inferrent; videns ipſe Fridericus, quòd adversùs eos virtute armorum prævalere non poſſet; tamquàm vulpes callida convertit ſe ad conſueta perſpicacioris aſtutiæ argumenta. Miſit itaq; ad Epiſcopos & Cardinales, qui ad eum ea proviſione Alexandri Papæ fuerant, per Conradum Archiepiſcopum Moguntinum pacis verba in hunc modum: Si vos apud Alexandrum agentes effeceritis, quòd ſalva ejus omni ordinatione, ceſſet à Papatu; ego pariter ceſſare faciam Guidonem Cremenſem. Et tunc ſimul convenient omnes Eccleſiaſticæ perſonæ, qui tertiam perſonam in ſummum Pontificem eligant. Ego autem reddam Eccleſiæ firmam pacem, nec ulteriùs de cauſa electionis Romani Pontificis me ullatenùs intromittam: populoque Romano propter hoc promittebat omnes ſuos captivos ſe reddere, & ſi quid reſidui ex eorũ ſpoliis appareret. Quod verbum ita afflicto populo favorabile viſum fuit, ut omnes id eſſe faciendum, unanimiter collaudarent. Dicebant enim, quòd pro redimendis civibus ſuis dominus Papa majora deberet facere quã Paparũ relinquere.

Fridericus dolorem agit cum Cardinalibus.

V. Epiſcopi autem & Cardinales deliberato animo & conſilio, una voce ipſi Friderico reſponderunt, dicentes: Non eſt noſtrum judicare ſummum Pontificem, quem in ſuo Deus judicio reſervavit: quoniam (ut (a) atteſtatur Scriptura) non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum. Cùm igitur populus adhùc vehementer inſtaret Pontifici, ut ejuſmodi petitio manciparetur effectui: Pontifex utiliora proſpiciendo, ſecretum cum fratribus faciens verbum, ab oculis eorum evanuit; & propitiante Domino, die tertia viſus eſt prandere cum ſociis ad radicem montis Circei, ad fontem, qui ex tunc Papalis eſt appellatus. Procedens verò ultra fluvium Regulæ, undique ad eum tàm laicorum quàm clericorum præſentia concurrente, per Tarracinam, & Cajetam tranſiens, ad patrimonium tandem Beneventanorum cum Epiſcoporum multitudine pervenit, Domino favente. Fratres verò qui in Urbe erant, ſecuti ſunt ejus veſtigia, & ſuo capiti tamquàm membra ſuo corpori adhæſerunt.] Romualdus autem Salernitanus Archiepiſcopus hujus temporis ſcriptor hæc habet de fuga Alexandri Papæ: Quo cognito Alexander Papa, qui tunc in Turri Chartularia morabatur, in habitu peregrini cum paucis Urbem exiit, & Cajetam uſque pervenit, & ibi aſſumpto Pontificali habitu, Beneventum veniens, à civibus ejuſdem civitatis honorificè eſt ſuſceptus.] Quod autem ad Chartulariam Turrim ſpectat; erat illa

a Luc. 6.

Alex. Papa fuga eluſit Frid. Imp.

Qq fami-

Digitized by Google

A ſamiliæ Frangipanum, qui in Rituali Cencii Camerarii dicti inveniuntur Frangipanes de Carthularia: Cujus veſtigia viſuntur uſque hodiè juxta Arcum Titi ad radices Palatini, quæ alio nomine dicta eſt, ſeptem lucernarum. At quid contigerit poſt fugam Alexandri, audi eadem Acta ipſius:

VI.

Fridericus autem ubi cognovit Alexandrum Papam Urbe exiiſſe, & ejus inſidias evaſiſſe, contriſtatus eſt nimis, timens ne totum Orbem contra ſe commoveret, & ad ſui jacturam majores ſæculi Principes convocaret. Sed quoniam in omnibus actibus B ſuis omnipotentis Dei & beati Petri manſuetudinem & patientiam, ſicut homo qui non poſuit Deum adjutorem ſuum, ſed ſperavit in multitudine divitiarum ſuarum, non cognovit: iratus eſt Dominus in eum cum beato Petro, cujus Eccleſiam incendere, Dei timore poſtpoſito, non abhorruit; immiſitque in eum tantam ſubitaneæ mortis peſtilentiam & in ejus exercitum, ut infra ſeptem dierum ſpacium ferè univerſi majores ipſius Principes, qui ſecum Eccleſiæ adverſabantur, ſubitanea morte corruerent, & miſerabiliter morerentur. De quorum numero paucos famoſiores duximus nominandos, Fidericum C Bavariæ Ducem, N. Comitem de Vvaſtono, Bertchardum Comitem de Arſemonte, N. Comitem de Sexia, Reginaldum Eccleſiæ Colonienſis intruſum Archiepiſcopum, & L. fratrem ejus Comitem, Epiſcopum Verdunenſem, pertinacem ſchiſmaticum. Reliqui quoque Barones & milites, ac cætera pugnatorum maxima multitudo cùm languerent, & nullum ſanitatis poſſent remedium invenire, ſpiritum miſerabiliter exhalabant, quorum cadavera uſquequaq; inhumata jacebãt. Quid plura? Tantus ſubitaneæ mortis timor D univerſos invaſerat, ut beatum ſe crederet, qui quomodocumque ex caſtris poſſet exire, & ad propria confugium facere.

Peſtilentia affligitur exercitus Imp.

VII.

Magno damno & ignominia Imp. eiicitur ab Italia.

Tunc idem Fridericus divina ſe manu percuſſum intelligens, cum Romanis utcumque compoſuit, & octavo Idus Auguſti, non ſine magna confuſione receſſit. Mortalitatis tamen peſtilentiam ipſum ſequebatur, & quò ulteriùs procedere conabatur, eò majorem mortuorum ſtragem cum mœſtitiis relinquere cogebatur. Arma verò & reliquus Teutonicorum pretioſus apparatus perierat ſimul cum earum rerum dominis, & omnis gloria eorum jam fuit E ad nihilum, divino judicio, redacta. Dum autem idem Fridericus cum luctu morientium, & infirmorum gemitibus perveniſſet Lucam in Tuſcia civitatem, & vellet per ſtratam publicam & montem Bordonis tranſire; prohibitus eſt à Lombardis, ne ipſorum terram ingredi attentaret, ideòque à Marchione Malaſpina ſecuro impetrato ducatu, apud Pontemtremulum divertit à publica ſtrata, & per montium aſpera iter dirigens, non ſine multarum rerum ſuarum direptione, tamquàm profugus tranſivit juxta Terdonam, & tandem

A cum paucis venit Papiam. Sed quod valdè erat mirabile in oculis omnium, neque recordatio tantorum malorum, quæ ab infantia ſua crudeliter exercuerat, neque recentia flagella ſibi à Deo & beato Petro illata duritiam & feritatem cordis illius emolliverant, nec ad bonum faciendum converterant; quippè quòd ipſius natura ad malum ab adoleſcentia ſua prona, ſemper in id ipſum proclivior eſt inventa. Unde tres civitates Lombardiæ, quæ jam dudùm ipſius atrocitatem & ſævitiam expertæ fuerant, videntes propoſitum & voluntatem ejus ferventiùs excreſcere contra B ſe, communi deliberatione firmarunt, ut de tota Lombardia eum deberent expellere; qui totam Italiam in probroſam ſervitutem nitebatur inducere. Ideò congregata fortium virorum militia, eumdem Fridericum de Papia exeuntem aggreſſi ſunt, & tamquàm violatorem & deſtructorem legum, & conſtitutionum orthodoxorum Imperatorum, nec non à Romana Eccleſia excommunicatum perſequi non deſtiterunt, donec de cunctis Lombardiæ finibus violenter eiicerent, & tranſalpinare compellerent.] Hactenùs Acta Alexandri Papæ, haud dubium ab orthodoxo C & Catholicæ communionis viro conſcripta.

VIII.

Guido Antipapa Imp. in Urbem provocat.

Atquæ à ſchiſmatico homine, Fridericum Imperatorem ſequente, qui iis aderat præſens, ſunt ſcriptis mandata, his inferenda putamus. Auctor eſt Otto Morena Laudenſis, qui res geſtas Friderici temporis hujus ſcripſit, & plura habet ab aliis prætermiſſa, ſic exordiens adventum Friderici in Urbem ab Antipapa Paſchali, qui eum legationibus accerſivit. Ait enim: Intereà dominus Guido Cremenſis, qui Viterbii morans, ab Imperatore, & à multis Archiepiſcopis, Abbatibus, Prioribus, aliiſque D quampluribus mundi hominibus tunc pro Papa habebatur, Imperatoris adventũ diu expectans, & affectu nimio deſiderans: ad eum, quamvis ſæpè aliàs miſiſſet, noviſſimè ſuos Legatos complures deſtinavit, mandans, ut quàm citiùs poſſet, abſque dilatione Romam venire feſtinaret, hoſtes debellaret, & Rolandum Cancellarium, qui tunc pro Papa in Roma, & in quibuſdam aliis partibus multis tenebatur, qui & tunc Romæ morabatur, de Roma expelleret, & ipſum Romæ in poſſeſſione Papatus poneret, & manuteneret. Imperator verò voluntati & conſilio dicti domini Guidonis, qui E dicebatur Papa Paſchalis, annuens, Romamque cum magno gaudio veniens anno M.C LXVII. die Lunæ, nono Kal. Auguſti, Indictione XV. in monte prope Romam cum ſuo exercitu caſtrametatus eſt, deinde cum omnibus ſuis equitibus, ſicut armati venerãt, ad portã Romæ, quæ dicitur porta Viridaria, quæ eſt ex parte S. Petri verſus montem Gaudii, veniens, ibiq; maximum prœlium committens, tandẽ eos ſuperavit & devicit, atque fugavit, totumque locum, qui Cortina ſancti Petri dicitur, & etiam porticũ ſancti Petri cepit, & domos omnes

expo-

expoliavit, atque combuſſit, pluribuſque etiam hominibus interfectis, multos cepit.

IX. Romani igitur intra civitatem ex illa parte Tiberis ſe recipientes, & multùm pavidi ſtantes, in hanc Tiberis partem venire non ſunt auſi. Illis autem, qui ex parte jam dicti Papæ Alexandri erant, & Eccleſiam ſancti Petri ab ipſius Papæ Alexandri parte tunc tenebant, & ipſam Eccleſiam benè muniverant, ſe defendentibus viriliter, Imperator eam infeſtare nullo modo tunc potuit, ſed per totam hebdomadam ipſam eos quotidiè invadens, & prælio infeſtans, eos vincere nitebatur. Teutonici verò cùm ſe eos per *fortiam capere non poſſe proſpicerent: proximo die ſabbathi infra Eccleſiam ſanctæ Mariæ Virginis, quæ dicebatur de Laborario, & quæ ſita eſt ſuper ſchalam ſancti Petri ante atrium ipſius Eccleſiæ, ſupponentes ignem, totam ipſam Eccleſiam combuſſerunt: ex qua, cùm arderet, proſiliit ignis in Eccleſiam ſancti Petri. Ipſa verò Eccleſia beatiſsimæ Virginis Mariæ tota eſt combuſta & penitùs diſsipata. Tunc etiam liquefacta eſt & combuſta quædam mirabilis imago, facta in muro ipſius Eccleſiæ verſus Eccleſiam ſancti Petri, ex auro puriſſimo atque ſplendidiſſimo decorata, cui ſimilia in Italia numquam fuerat viſa, & alia, quæ facta erat ad imaginem Domini noſtri JESU Chriſti, ante quam ſtabat quædam alia pulcherrima imago facta ad imaginem ſancti Petri, quæ ſimiliter liquefacta eſt penitùs & combuſta. Quod videntes illi, qui ſuper Eccleſiam ſancti Petri erant, nec ullum ſuccurſum à Romanis poſſe habere cernentes: maximo timore perterriti, ſtatim Imperatori ſe & Eccleſiam reddiderunt, jurantes etiam fidelitatem ſibi, ſicque eos Imperator abire permiſit.

*vim

Dei Genitricis Eccleſia & imago incenſæ.

X. Antipapæ functiones.

Sequenti igitur proximo die Dominico prædictus Papa Paſchalis cum ſuis Cardinalibus in ipſa Eccleſia ſancti Petri Miſſam honorificè & cum magno gaudio celebravit; ipſoque die in capite Imperatoris circulum aureum tantummodò impoſuit. Sequenti verò die Martis, in quo fuit feſtum ſancti Petri ad Vincula, prædictus dominus Papa Paſchalis dominum Fridericum Imperatorem, & ſereniſſimam Auguſtam Beatricem conjugem ſuam ex coronis auro puriſſimis, & multis pretioſiſſimis gemmis decoratis coronavit in ipſa Eccleſia ſancti Petri. Romani itaque hoc cernentes, & cum Imperatore pugnare ſe minimè poſſe cernentes, nec etiam flumen Tiberis tranſire audentes: fœdus cum Imperatore magis quàm bellum facere decrevere. Ambaſciatores igitur ad Imperatorem dirigunt, fœduſque cum eo faciunt; Papamque Paſchalem in perpetuum ſe pro Papa habere & tenere firmiter cum jurejurando promittunt, ac omnes, præter Frangipanes, & quamplures alios Romæ nobiles, qui maximas turres & domos & fortitudines habebant in Urbe Roma, nec leviter capi tàm citò poterant, fidelitatem Imperatori facere diſpoſuere. Hoc itaque

A ſic peracto; Imperator ſuos Nuntios ad fidelitates Romanorum recipiendas, Romam ultra Tiberim direxit, inter quos fuit Acerbus Morena Laudenſis civis, & Imperialis Curiæ judex, qui juſſu Imperatoris Romam ultra Tiberim pergens, per plures dies innumerabiles fidelitates Imperatori factas ſuſcepit. At planè accidit ſecundùm Pſalmographum: (a) Vidi impium ſuperexaltatum & elevatum ſicut cedros Libani: & tranſivi, & ecce non erat.] Nam audi: a Pſ. 36.

XI. Peſtilentia immiſſa in Imper. exercitum.

Intereà dum hæc Romæ agerentur, quædam maxima ac mortalis peſtilentia ſuper B Imperatorem, ejuſque exercitum totum divinitùs accidit. Sequenti namque die Mercurii proxima, cùm maxima cœli ſerenitas eſſet, ſtatim quaſi in ictu oculi mirabiliter pluere cœpit, deinde poſt aquam ſerenitas magna & clara nimis facta eſt, ſtatimque infirmitas ſuper Imperatoris exercitum talis excrevit, quòd equites & pedites, atque ſcutiferi ita corruebant, & moriebantur, quòd via per totum diem ſepeliri poterant. Qui autem in mane ſani per viam ambulabant, ſtatim per viam eundo, vel parùm jacendo moriebantur. Ob quam rem Epiſcopi, Archiepiſcopi, C Comites, Marchiones, & Duces, aliique multi nobiles & ignobiles, qui in ipſo erant exercitu, corruebant. Obiit namque Dux Fridericus de Rotemburgo, Regis quondam Conradi filius & Imperatoris germanus conſobrinus, de quo immenſus dolor ferè per totam Italiam inoluit: quoniam ipſe homo erat magnæ virtutis. Deceſſit etiã tunc Dux Guelphus, Ducis Vuillelmi filius, & Reginaldus Archicancellarius & Coloniæ electus Archiepiſcopus, homo maximi ingenii, & cujus ſcientia & probitate Imperium multùm fuerat ſublimatum. Epiſcopus etiam *de Lexe vita priD vatus eſt. Tunc etiam mortuus eſt ſupradictus Acerbus Morena,] alius ab auctore qui Chronicon abſolvit. Pergit: *

XII. Imperator autem videns gentem ſuam ſtrage corruere, relictis multis infirmis, Romam deſeruit, & verſus Tuſciam ire cœpit. Deinde jam dicto Papa Paſchali Viterbii cum obſidibus Romæ quos habebat, relicto: quàm citiùs potuit, Lombardiam intravit. Sed tamen antequàm Lombardiam attingeret, plures duobus millibus ex his qui ſecum fuerant, in ipſo itinere, gladio ſolummodò Dei periere. Hi autem, qui tunc mortem vincere potuerunt, omnes E infirmati uſque ad necem, tandem tonſo capite, via evadere potuerunt; tamen qui evaſerant, per totam hiemem, omni colore perdito, paſſi ſunt. Ad locum autem qui dicitur, Ponſtremulus, cùm appropinquaſſet, Pontremulenſes eum nequaquàm per locum ſuum tranſire permiſerãt. Sciens verò Imperator ſe per * fortiam, ipſis nolentibus, inde tranſire non poſſe cum ſuis, qui pauci & infirmi erant: cùm ex hac parte caſtri, quod Malinium vocatur, jam tranſiſſet, verſus marinam partem tendens per terram Marchionis Malaſpi- *vim

A næ Obizonis, ipſo Marchione cum ducente, iter arripuit, & die Martia xi. menſis Septembris inde iter arripuit &c.] Quæ ſequuntur ſpectant ad ſequentem annum. Hic exitus rerum geſtarum Friderici anni hujus, & planè tragici caſus perfidi Imperatoris, ſemper in deterius prolabentis, cùm contra Romanam Eccleſiam ſe erigere laboravit. Quæ conſiderans nobilis hujus temporis ſcriptor Joannes Saresberienſis, cujus extat Policraticus, dignum ejus ingenii monumentum, ita de eodem Imperatore philoſophatur in epiſtola hoc anno ſcripta ad Oxonienſem Epiſcopum: (a)

a Cod. Vat. l. 1. ep. 139.

XIII. Quos ex Imperatore meſſuit fructus Imp.

B Ad momentum turbinis adversùs Eccleſiam malitia debacchatur, & adversùs Dominum videntur prævalere impii, quibus in brevi Chriſtus, quem perſequuntur, ſic reſpondebit ad merita, ut præponderare videatur libra vindictæ, & quos potenter puniet, non tàm examinare lance æquitatis, quàm mole magnitudinis prægravare: non quidem, quod injuriam inferat, ſed quia ſine menſura & modo peccantibus, immenſam & immoderatam ingeret pœnam. Nec opinetur quiſquam, me in longa tempora prophetare, licèt oraculi divini ſicut C auctoritas ſit & fides perpetuentur: cùm planum ſit, jam aliquatenùs inchoatum eſſe judicium, immò executioni mandari ſententiam. Nonnè Teutonicus tyrannus nominis ſui fama nuper Orbem perculerat, & ferè ſubegerat regna vicina, & etiam Imperium Græcorum terrore concuſſerat, ut magis deditionem, quàm confœderationem legationibus miſſis videretur offerre? Sed ecce, Deo auctore, timetur minus, & qui tàm vicinos, quàm remotiſſimos ſolo nutu terrebat, Principes ſuos ab injuriis cohibere non poteſt. Qui ſolo verbo pacem gentibus ad arbitrium indicebat & bella; nunc D à ſuis & inter ſuos petitis & acceptis treguis gratulatur. Nam ſicut ipſimet conqueritur, ex quo Laronam venit, ut Regem Francorum & Gallicanam Eccleſiam ſepararet à Fide, & in ſuam hæreſim perverteret, ut adorarent idolum ſuum: ſucceſſus ejus relapſi ſunt, & quæ eum extulerat, in depreſſionem ipſius cœpit fortuna fluctuare. Spes autem Fidelium eſt, quòd ad honorem Dei in brevi ampliùs deprimetur, donec eum omninò Chriſtus, cujus Sponſam perſequitur, conterat ſub pedibus ſuis.] Hæc de præcedentibus Joannes, qui & ſequenti epiſtola ad Nicolaum Rothomagenſem hæc de præſentibus: (b) Et ſi

E b Ibid. ep. 140.

hiſtoriarum commovetur exemplis, eum vel Fridericus exauguſtus poteſt inſtruere, qui de faſtigio Romani Imperii ob Eccleſiæ perſecutionem, in paupertatem & ignominiam miſer, ſed nulli miſerabilis, corruit, ad gloriam ejus, qui ſolus pro arbitrio regna & imperia transfert, erigit quas vult & deiicit poteſtates. Ille ſuos punire noluit, qui eum depravaverant conſilio, ſed in eos digitus Dei glorioſam exercuit ultionem.] Hæc ipſe. Porrò ſanctus Thomas iſta audiens de felici ſucceſſu rerum Ale-

A xandri Papæ, & calamitate quam incurrerat Eccleſiæ perſecutor Fridericus Imperator, congratulatus eidem Pontifici, has ad eum litteras dedit: (c)

c L. 2. ep. 22.

XIV.

Amantiſſimo domino & Patri ſanctiſſimo Alexandro Dei gratia ſummo Pontifici Thomas Cantuarienſis Eccleſiæ miniſter humilis, miſer & miſerabilis exul, ſalutem & contra ſævitiam Principum ſemper animi conſtantiam.

S. Thom. litteris cō gratulatur Alex. Pap. de clade Imp.

Solliciti de ſtatu & de proſperitate veſtra optaveramus jam pridem certum ſalutis nuntium audiſſe de vobis & de confratribus veſtris, quid etiam egerit vobiſcum, B & cum Eccleſia ſua Dei magnificentia. Inſonuit enim auribus noſtris & toti Galliæ verbum, quod noviter factum dicitur à Domino: videlicèt illum Fridericum ſchiſmaticum ignominioſè humiliatum, factum ſine honore coram populo & gente. Verum quoniam rumoribus credi oportere, fas eſt, paternitatem veſtram affectuoſè ſollicitamus, ut recurrente cum litteris nuntio per vos certiſſimè audiamus & congaudeamus, ſi fecerit vobiſcum Deus, quod facere conſuevit ſperantibus in ſe, non ponentibus carnem brachium ſuum, non habentibus fiduciam in Principibus, in quibus C non eſt ſalus. Si egerit vobiſcum, ſicut egit cum (d) Ezechia de Sennacherib, retorquens pœnam in ipſum, qua moliebatur demoliri ipſam Ezechiam cum univerſa gente ſua. Sic ſe rei habet eventus, ſicut fama divulgavit; benedictus Deus, qui novit facere miſericordiam cum ſervis ſuis. Ecce quanta Dei potentia, quàm magna ipſius miſeratio? Niſi enim ipſe cuſtodierit civitatem; fruſtrà vigilat qui cuſtodit eam. Non eſt à ſæculo audita virtus Dei manifeſtior, ſi rectè penſetur quid evenerit. Juſtitia ipſius juſtius, qua contrivit ipſos fabricatores hujus malitiæ, tantæ perſecu- D tionis auctores, conſumpſit etiam eos morte famoſiſſima. Ipſum utinam jam exprincipem viventem dederit in opprobrium omni populo, in deriſum omni tranſeunti, ut ab omnibus digito monſtretur, & fiat de ipſo quaſi celebre proverbium, more vulgi dicentis: (e) Ecce homo qui non poſuit Deum adjutorem ſuum, ſed confiſus in potentia ſua, defecit in ipſa vanitate ſua. Cui ſatius fuiſſet & glorioſiùs, apud homines moriendo ſuccubuiſſe, impugnando ſuos adverſarios, quàm vivendo fieri deſpectui cunctis & in deriſum. Hæc eſt Dei virtus, & fortitudo brachii ipſius. E Quis ergò audeat de cætero, habens Chriſti vices in terra, obſequi voluntati Principum in confuſionem Eccleſiæ, non puniendo delinquentes? Audeat, qui voluerit, non ego, ne transferatur in me pœna delinquentis, ne judicer culpabilis ex diſſimulatione vindictæ, ne tranſeam in culpam, qui culpam non admiſi.] Haſtenùs S. Thomas transferens in cauſam ſuam tantam Dei ob Eccleſiam perſequentium culpam, immiſſam in Imperatorem vindictam.

d 4. Reg. 19.

e Pſ. 51.

XV.

Quòd autem nec ſic depreſſus, ab in-

ſania

Digitized by Google

a *Cod. Vat. l.1.ep.158.*

Frid. ut Pharao i npœnités.

A ſania ſua deſtitit novus Pharao: Joannes Sareſberienſis in (*a*) epiſtola ad magiſtrum Richardum his verbis ſignificat: Imperator enim, quaſi torris raptus de incendio, confuſus ab Urbe receſſit, & licèt fętor cadaverum à caſtris in nares ejus aſcenderit, Domino manum ſuam extendente ſuper eum; nondum tamen voluit agnoſcere, & confiteri Creatorem ſuum. Erigatur itaque ſpiritus veſter, quia Chriſtus vincit, regnat, & imperat, & recordatus pauperum ſuorum, potentes impios potentiùs torquet.] Hæc ibi Joannes Sareſberienſis, qui de iiſdem hæc ad Albertum (*b*) Cardinalem:

b *Lib.2.ep. 47.*

B Nonnè, inquit, dominus Papa (cujus vitam ad pauperum conſolationem optimam & diuturnam faciat Deus) zelo juſtitiæ, quem ſemper habuit, meruiſſe credendus eſt, ut hoſtis Fidei Fridericus contritus ſit à facie ejus, & ita Dei caſtra ejus exterminaret, qui jam videbatur de Urbe & Orbe, & univerſali Eccleſia triumphaſſe? In quo tamen magis (ut indubitanter credo) adjuti eſtis precibus pauperum Chriſti, quàm veſtrorum conſiliis, aut viribus Romanorum. Audenter quoque dixerim, quòd vos ſine miraculo citra humanum conſilium de faucibus leonum eripuit, C ut de cętero ſemper tantam habeatis in Deo fundatore Eccleſiæ & cuſtode & eodem veſtro liberatore fiduciam, quòd nec adverſantium minis, nec blandientium fraudibus recedatis à via recta, aut contra legem credatis de lege diſpenſandum. Nam qui Fridericum dejecit coram vobis: profectò & alios tyrannos, ſi inſtiteritis mandatis ejus, ſubjiciet vobis, aut omninò dejiciet.] Ita Joannes, qui in eodem perſtans argumento, ad Regem Angliæ divertens ab Imperatore, oſtendit, eadem Dei vindicta perculſum ipſum fuiſſe, ubi aggreſſus eſt perſequi ſanctum Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopum: ait enim: (*c*) D

c *Lib.1.ep. 139.*

XVI. Status diverſus Regis Anglorum.

Nonnè & apud vos jam judicium exercetur adversùs tortores Eccleſiæ? Intuemini quantus erat Rex Angliæ, cùm parvulus videretur in oculis ſuis, & ad Eccleſiam Dei vel ſpeciem fidei & reverentiæ prætendebat: planè videbitis, eum in nullo fruſtratum conatu. Sagitta ejus retroceſſum non abjit: clypeus non declinavit in bello: haſta ejus non eſt averſa. Super prædam accumbebat ut leo, ut nullus eum excitare præſumeret. Vel viſu terrebat hoſtes. Vicini ſe inclinabant obſequiis; E remoti Principes amicitias expetebant: colebatur à ſuis, honorabatur ab extraneis, prædicabatur à cunctis. A bonis diligebatur, ſed maximè à Clero, qui eum colebat ſuper vires, pro viribus venerabatur, & unanimi propoſito diligebat ſuper amorem mulierum. Quid multa? rerum expetibilium omnium abundantia &c. Sed quo fine hæc univerſa Dei dona concluſit, ſi tamen ſine pœnitentia & ſatisfactione ſubſiſtit in finibus iſtis? Ut ſingulas Eccleſias, quas anteà per ignorantiam, ut putabatur, aut ſui juris prætextu læſerat, taceamus: Toloſam bello aggreſſurus, omnibus con-

A tra antiquum morem, & debitam libertatem indixit Eccleſiis, ut pro arbitrio ejus & ſatraparum ſuorum conferrent incenſum. Nec permiſit, ut Eccleſiæ ſaltem precibus coæquarentur in hac contributione, vel magis exactione tàm indebita quàm injuſta. Nam Eccleſiæ in deteriori calculo vertebantur, utpotè quæ rebus ſuis aut honore videbantur indignæ. Sed quem ſucceſſum attulit hæc pecuniarum immenſitas tantis exactionibus & injuriis acquiſita? nonnè projecta eſt in ſacculum pertuſum, ut hoſti ſuſcipienti proficeret, & effundenti non modò eſſet inutilis, ſed damnoſa? Num- B quid non ab ea die fortuna ejus retrorſum ſeceſſit, & ſucceſſuum ubertas emarcuit?] Atque demùm poſt recenſita demerita: Circumferat, inquit, quis oculos mentis, & intueatur quos & quales adverſarios ei Dominus ſuſcitaverit, ex quo adversùs Deum in depreſſione Eccleſiæ erexit calcaneum ſuum: & planè mirabitur, & ſi prudens eſt, venerabitur judicium Dei, qui non Imperatores, non Reges, non Principes nationum, ut ipſum domarent, elegit, ſed extremos hominum Britones nivicolinos primò, & poſteà illos ad contradictionem, & ſolemne certamen animavit, C qui veſtigia pedum ejus conſueverant adorare. Et hoc quidem, ut non glorietur omnis caro, ſed nomen Domini ſit benedictum in ſæcula. Sic ſic ad puniendam ingratitudinem Salomonis recedentis à Domino, non tàm Principes erexit, quàm latrunculos, & ſervos abjectos &c.] Ita de his Joannes Sareſberienſis prudenter eſt philoſophatus.

XVII.

Sic accidit, ut Friderico juſto judicio Dei depreſſo, Mediolanenſes auxilio, & hortatione confœderatorum populorum Longobardiæ reverſi ſunt Mediolanum, munierintque eamdem quam reſtaurarant D civitatem. Tunc & Galdinus nobilis Mediolanenſis pietate inſignis, ut qui pro religione Catholica factus extorris, ſe contulerat ipſo exordio ſchiſmatis ad Alexandrum Papam, quem & euntem in Gallias ſecutus fuit & redeuntem, à quo & S. R. E. creatus fuit presbyter Cardinalis tituli ſanctæ Suſannæ: hic, inquam, rediens electus fuit Mediolanenſis Archiepiſcopus, hoc ipſo Redemptoris anno milleſimo centeſimo ſexageſimoſeptimo Kal. Maji, ubi manſit ſedens uſque ad decennium, totus intentus ad collapſam reſtituendam Eccleſiam. E Extant (*d*) Acta vitæ ipſius, ex quibus ſinceré iſta depromimus. Sed jam proſequamur anni hujus res geſtas Alexandri Papæ cum ſancto Thoma Archiepiſcopo Cantuarienſi, eas ita narrante Joanne Sareſberienſe.

S. Galdinus creatus Archiep. Mediol.

d *Apud Momb. to. 1. vit. Sanct. prope finem.*

Cùm autem Alexander Papa ex litteris tùm Anglorum Regis, tùm etiam Epiſcoporum ſuffraganeorum ſancti Thomæ intellexiſſet, eumdem ab eis contendi exagitari, & ejus egregiè facta exiſtimari portenta: ut hunc erigeret ſuper perſecutores ſuos, hos autem humiliaret, illud ſtatuit laude digniſſimum, ut ſancto Archiepiſcopo mu-

Alex. Pap. Legatum creat S. Thomam Cantuarienſem Archiep.

nus Apoſtolicæ legitionis injungeret pleniſſima poteſtate. Extant de his ejuſdem Pontificis litteræ datæ verbis iſtis: (a)

a Cod. Vat. lib. 1. ep. 115.

XVIII.

Alexander ſervus ſervorum Dei dilecto fratri Thomæ Archiepiſcopo Cantuarienſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Sacroſancta Romana Eccleſia digniores perſonas, & eas maximè, quas honeſtate, prudentia, & litteratura, & eminentia virtutum præfulgere cognoſcit ampliori conſuevit charitate amplecti, gloria & honore prævenire. Attendentes itaque devotionis & fidei conſtantiam, qua pro Eccleſia Dei, ſicut columna immobilis perſtitiſti; honeſtatis, & litteraturæ, ac diſcretionis prudentiam, qua præeminere dignoſceris, nihilominùs conſiderantes: dignum duximus, perſonam tuam tantarum virtutum inſignibus decoratam quodam ſpeciali privilegio, & ſingulari prærogativa diligere, & honorare, tuæque utilitati ſolita benignitate proſpicere, & attentiori ſollicitudine providere. Inde eſt, quòd nos tibi legationem totius Angliæ, excepto Epiſcopatu Eboracenſi, benigno favore concedimus, ut ibi vice noſtra corrigas quæ inveneris corrigenda; & ad honorem Dei & ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & ſalutem animarum ſtatuas, ædifices, & plantes, quæ ſtatuenda fuerint, & plantanda. Quapropter monemus fraternitatem tuam, atque mandamus, quatenùs cuncta cum providentia & diſcretione, ſecundùm quod Deus tibi adminiſtraverit, agas, vitia extirpes, & virtutes in vinea Domini ſtudeas complantare. Datum Anagniæ ſeptimo Idus Octobris.] His additæ aliæ ejuſdem Alexandri Papæ litteræ, ad Clerum provinciæ Cantiæ eodem argumento conſcriptæ, (b) additæ & aliæ de exactione denarii S. Petri, quam inhibuerat anteà (ut vidimus) ipſe Rex. Quæ omnes allatæ ſunt in Angliam, & acceptæ ab Epiſcopo Londonienſi, qui de omnibus ipſum Regem reddidit certiorem, his ad eum datis litteris: (c)

b Lib. 1. ep. 116.

c Lib. 1. ep. 131.

Henrico Regi Angliæ Gilebertus Londonienſis Epiſcopus.

XIX. Litteræ Lōdonieſ. Epiſcopi demandatis Papæ.

Tanta nos domine mandatorum moles ad præſens opprimit, tanta ſe nobis auctoritas opponit, ut conſilium pariter & auxilium à vobis expetere, ſumma compellamur neceſſitate. Nam quod auctoritas Apoſtolica præcipit, hoc appellatio non ſuſpendit; nec adversùs ejus mandatum ullum poteſt eſſe remedium. Cùm quod præcipitur, implere neceſſe ſit, aut inobedientiæ reatum incurrere. Die namque beati Pauli cùm Londoniis ad altare conſiſteremus, litteras domini Papæ de manu cujuſdam nobis penitùs ignoti ſuſcepimus, quibus legatio in totam Angliam, excepto Eboracenſi Epiſcopatu, domino Cantuarienſi conceditur, & auctoritate confirmatur. Omnibus etiam nobis regni ipſius Epiſcopis ejuſdem auctoritate injungitur, quatenùs ei, tamquàm Apoſtolicæ Sedis Legato humiliter obediamus, & ad ejus vocationem abſque contradictione conveniamus, & ſuper iis, quæ ad noſtrum ſpectant officium, ei planè reſpondeamus, & quæ ſtatuerit, firmiter obſervanda ſuſcipiamus. Adjicitur etiam, ut omnes, qui beneficia clericorum Archiepiſcopi in eorum abſentia mandato veſtro perceperunt, ad plenam eorum infrà duos menſes reſtitutionem, anathematis ſententia, omni appellatione remota, compellamus.

De denario S. Petri.

Denarium etiam beati Petri à fratribus & Coepiſcopis noſtris præcipimur exigere, & Nuntiis deſtinandis ad nos integrè conſignare. Litteras etiam legationis jam dictæ, & litteras Archiepiſcopi, quas ad plures tranſmittit Epiſcopos, ipſis aut mittere aut præſentare præcipimur, ſi in noſtri ſtatus & ordinis integritate ulteriùs perſeverare curamus.

Lond. Epiſcopi implorat auxilium Regis.

Ad pedes itaque ſublimitatis veſtræ corde proſtrati depoſcimus, ne ob magna negotia, quæ cura Regia ſubminiſtrat, reſpicere deſinatis ad nos: ſed ne in ſummam noſtri ignominiam ex toto redigamur in nihilum, pietate regia provideatis. Quod quidem benè facietis, ſi mandatis Apoſtolicis pace veſtra obedire conceſſeritis, & reddito denario beati Petri, & clericis, quæ ſua ſunt, in miſericordia veſtra reſtitutis, Epiſcopis omnibus mandaveritis, ut ſi in litteris Archiepiſcopi adversùs regni conſuetudinem gravamen aliquod intellexerint, ad dominum Papam ſtatim, vel ad Legatos qui diriguntur ad nos, confidenter appellent. Sic enim opus miſericordiæ perficietis, & nos ab inobedientiæ reatu conſervabitis, & cauſæ noſtræ, ne in aliquo detrimentum accipiat, communi omnium appellatione providebitis. Doceat vos Dominus facere voluntatem ſuam, & eam ſublevare moneat, quam ad præſens experimur anguſtiam. Valeat dominus meus in Chriſto chariſſimus.] Iſta Londonienſis, deliniens parietem abſque temperamento, dum remedio appellationis non plena obedientia Regi conſulit fore ſubveniendum.

XX. S. Thom. officium legationis implet.

Thomas autem legationis Apoſtolicæ auctus ampliſſima poteſtate, abſque mora quæ ſuccidenda ſuccidit, & evulſit, quæ jam præter jus faſque altas radices fixerant plantæ adulterinæ: factuſque ventilabrum in manu Domini, paleas ſegregandas à tritico, magno labore ſuſcepit, cùm in omnibus non ſolùm Regem ipſum, ſed Epiſcopos ſenſerit adverſarios infenſiſſimos, quos neque beneficiis, neque admonitionibus umquam potuit ad meliorem frugem convertere, ſed pateretur contra ſe apud Regem ipſum peſſimos delatores. Ne igitur ſuo deeſſe videretur officio; deſides excitavit, devios coercuit; quos verò indignos ob patrata facinora invenit Catholicæ Eccleſiæ communicatione, ut membra putrida à ſano corpore ſecuit. Quæ omnia ſignificant litteræ ab ipſo hoc anno ſcriptæ è Gallia in Angliam ad ſibi ſubjectos Epiſcopos, quæ inter alias ejus epiſtolas deſcriptæ leguntur. Sic enim ſe habent: (d)

d Cod. Vat. l. 1. ep. 96.

Thomas Dei gratia Cantuarienſis Eccleſiæ

cleſiæ miniſter humilis venerabilibus fratribus ſuis, Londonienſi, cæteriſque totius Cantiæ provinciæ Epiſcopis, ſic tranſire per bona temporalia, ut non amittant æterna.

S. Tho. ad ſuos epiſtola correctoria.
a Pſal. 52.

Fratres mei dilectiſſimi, quare non conſurgitis mihi adversùs malignantes? Ut quid non ſtatis mecum adversùs operantes iniquitatem? An ignoratis, quoniam (a) diſſipabit Dominus oſſa eorum qui hominibus placent? confundentur, quoniam Dominus ſprevit eos. Satis novit diſcretio veſtra, quoniam error, cui non reſiſtitur, approbatur; & veritas cùm minimè defenditur, opprimitur, videturque teſte Gregorio, conſentire erranti, qui ad reſecanda, quæ corrigi debent, non occurrit. Inde eſt, quòd dominum Regem Angliæ ſatis ſuperque ſoſtinuimus; nec ullum ex eo ſuſtinentiæ noſtræ aſſecuta eſt Eccleſia Dei compendium. Periculoſum & intolerabile de cetero nobis viſum eſt, tantos illius, officialiumque ſuorum circa Eccleſiam Dei & Eccleſiaſticas perſonas exceſſus, ut hactenùs, impunitos relinquere, præſertim eùm ſæpiſſimè Nuntiis & litteris, modiſque aliis, prout decuit, ſtuduerimus eum à perverſo propoſito ſuo revocare. Et quoniam vix ab eo auditi ſumus, nullatenùs tamen exauditi: ſcriptum illud, in quo illæ non conſuetudines, ſed pravitates potiùs, quibus perturbatur, & confunditur Anglicana Eccleſia, continentur, ipſiuſque ſcripti auctoritatem, invocata Spiritus ſancti gratia, publicè condemnavimus & caſſavimus, univerſos etiam obſervatores, exactores, conſiliarios, adjutores, ſeu defenſores earum excommunicavimus: omneſque vos Epiſcopos à promiſſione, qua contra conſtitutionem Eccleſiaſticam ad earum obſervationem tenebamini, auctoritate Dei & noſtra abſolvimus.

Conſuetudines damnatæ.

XXI.
Sacerdotes ſuper Reges.

Quis enim dubitat, ſacerdotes Chriſti, Regum & Principum, & omnium Fidelium patres & magiſtros cenſeri? Nonnè miſerabilis inſaniæ eſſe cognoſcitur, ſi filius patrem, diſcipulus magiſtrum ſibi conetur ſubjugare? & iniquis obligationibus illum poteſtati ſuæ ſubjicere, à quo credit ſe non ſolùm in terra, ſed & in cœlis ligari poſſe & ſolvi? Proinde ne in hujus ſententiæ commiſſum incidatis: auctoritatem ipſius ſcripti, ipſumque ſcriptum cum pravitatibus, quæ in eo continentur, irritum duximus & caſſavimus, præſertim in his:

1. Quòd non appelletur ad Sedem Apoſtolicã ſuper aliqua cauſa, niſi licẽtia Regis.

2. Quòd non liceat Archiepiſcopo, vel Epiſcopo exire de regno, & venire ad vocationem domini Papæ ſine licentia domini Regis.

3. Quòd non liceat Epiſcopo excommunicare aliquem, qui teneat de Rege in capite, ſine licentia Regis, vel terram ipſius, vel officialium ſuorũ ſub interdicto ponere.

4. Quòd non liceat Epiſcopo coercere aliquem de perjurio vel fide læſa.

5. Quòd clerici trahantur ad ſæcularia judicia.

6. Quòd laici, ſive Rex, ſive alii tractent cauſas de Eccleſiis, vel decimis, & alia in hunc modum.

S. Thomas excommunicat delinquentes.

Denuntiavimus etiam excommunicatum, & ex nomine excommunicavimus Joannem de Oxeneford, qui in hæreſim damnatam incidit, præſtando juramentum ſchiſmaticis, quo ſchiſma jam ferè emortuum in Alemannia revixit, communicando illi nominatiſſimo ſchiſmatico Reginaldo Coloniæ *Archiepiſcopo*. Et quia contra mandatum domini Papæ & noſtrum, Decanatum Sareſberienſis Eccleſiæ ſibi uſurpavit: quod quidem factum tùm juri contrarium, tùm Eccleſiæ Dei exemplo pernicioſum, penitùs caſſavimus, & reddidimus irritum, præcipientes Epiſcopo Sareſberienſi, & Capitulo in virtute obedientiæ, & in periculo ordinis ſui, ne de cetero viſis litteris noſtris, ex eo facto eum Decanum haberent.

XXII.
* Iveceſtre legit Roger.

Similiter Richardum de * Ibelis denuntiavimus excommunicatum, & excommunicavimus, ex eo quòd in eamdem hæreſim damnatam inciderit, communicando cum Reginaldo Colonienſi ſchiſmatico, machinando etiam & fabricando omnia mala cum ſchiſmaticis & Teutonicis illis in perniciem Dei & Eccleſiæ, & præſertim Eccleſiæ Romanæ, ex pactis contractis inter dominum Regem & ipſos.

* De Baliol. Rogerius.

Excommunicavimus etiam Richardum de Luci, & Jocelinum de * Baillis, qui pravitatum illarum auctores & fabricatores extiterunt. Ranulphum etiam de Broc, qui bona Eccleſiæ Cantuarienſis, quæ alimenta de jure ſunt pauperum, occupavit, & detinet, hominesque noſtros tàm Eccleſiaſticos quàm laicos cepit, & in captione tenet. Hugonem quoque de ſancto Claro, & Thomam filium Bernardi, qui ejuſdem quoque Eccleſiæ Cantuarienſis bona & poſſeſſiones abſque noſtra conniventia occupaverunt, & tenent: omneſque etiam, qui de cetero in poſſeſſiones & bona Eccleſiæ Cantuarienſis contra voluntatem noſtram & conſenſum manus violentas extendent, eadem excommunicationis ſententia innodavimus.] Poſt hæc decreta Romanorum Pontificum, quibus ejuſmodi excommunicatione damnati perhibentur, & ſententia à ſe lata comprobatur, interſerit. Quibus recitatis, iſta ſubjungit:

Tibi autem frater Epiſcopo Londonienſis in virtute obedientiæ injungimus, quatenùs litteras præſentes aliis venerabilibus fratribus & Coepiſcopis noſtris omnibus de provincia noſtra manifeſtes & oſtendas. Valete in Chriſto, & pro nobis orate inſtanter.] Hæc ad Londonienſem, & alios comprovinciales Epiſcopos. De eadem excommunicatione à ſe lata idem ſanctus Thomas ſcripſit ad Rotbomagenſem (b) Archiepiſcopum. Inſuper & ad ipſum Alexandrum Papam de iiſdem (c) litteras dedit, rogans ab ipſo confirmari ſententiam, quam adversùs eos promulgarit: nec non ad Conradum Archiepiſcopum Moguntinum, & Epiſcopum Sabinum

b *Cod. Vat. l. 1. ep. 142.*
c *Ibid. ep. 138.*

Digitized by Google

A binum ſeripſit, itemque ad Hyacinthum, & Henrieum Piſanum Cardinalea. Eatant & aliæ litteræ ad Londonienſem Epiſcopum, aliæ ad Capitulum Londonienſe, inſuper aliæ ad Robertum Hercſordenſem Epiſcopum de eorumdem eacommunicatione: eas recitat Rogerius in Annalibus Angliç anno ſequenti. Quas autem ad Aleaandrum Papã litteras dedit de Rege Angliæ excommunicando, ſic ſe habent: (a)

a Id. ibid.

Amagtiſſimo Patri & domino Alexandro Dei gratia ſummo Pontifici Thomsa Cautuarienſis Eeeleſiæ humilis miniſter debitam & devotam obedientiam.

XXIV. S Tho. litteræ ad Alex. Pap.

B Satis ſuperque ſatis ſuſtinui, Pater amantiſſime, correctionem Regis Angliæ expectans, nec ullum omninò patientiæ meæ fructum obtinui: quin potiùs detrimentum & exterminium auctoritatis & libertatis Eccleſiæ Dei, dum incaute ſuſtineo, cumulavi. Conveni eum multotiens per Nantios religioſos & idoneos, & ad debitam ſatiſfactionem frequenter invitavi: litteris etiam, quarum tranſcripta vobis miſi, divinam ei ſeveritatem & ultionem, niſi reſipiſceret, intimavi. Ipſe verò magis ac magis procedit in deterius, coneulcans & deprimens Eccleſiam Dei: ſed & perſonam meam, & eos qui mecum exulant, adeò perſequens, ut etiam beneficia ſervorum Dei, qui nobis Dei & veſtri cauſa victualia provident, minis & terroribus ſuis auferre conetur. Scripſit enim Abbati Ciſterrienſi, quòd ſicut Abbatias Ordinis, quæ in ipſius poteſtate ſunt, diligit: ita nos à beneficio & familiaritate Ordinis faciat alienos Quid multis? Eò uſque ſub patientia noſtra tàm ipſius Regis quàm officialium ſuorum profecit duritia, ut ſi multitudo virorum quantumlibet religioſorum rem vobis, ut eſt, interpoſitis etiam juramentis aſſereret: miror, ſi vel ſic eorum aſſertioni credulitatem aliquam veſtra ſanctitas adhiberet. Hæc igitur cum anſietate mentis attendens, & periculum tàm Regis, quàm veſtrum conſiderans, pernicioſas illas non tàm conſuetudines, quàm perverſitates, vel pravitates, quibus perturbatur & confunditur Anglicana Eccleſia, ſcriptum, & auctoritatem ſcripti, quo fuerant confirmatæ, publicè condemnavi, tàm obſervatores, quàm exactores, & patronos earum, fautores etiam & conſiliarios, ſeu adjutores quicumque fuerint, ſive clerici, ſive laici, generaliter excommunicans, & Epiſcopos noſtros à juramento, quo ad earum obſervantiam violenter aſtricti fuerant, abſolvens. Sunt autem hæc, quæ in ſcripto illo ſpecialiter condemnavi.

1. Quòd non appelletur ad Sedem Apoſtolicam, qualicumque de cauſa, abſque aſſenſu Regis.

2. Quòd non liceat Epiſcopo coercere aliquem de perjurio, vel fide læſa.

3. Quòd non liceat Epiſcopo excommunicare aliquem, qui tenet aliquid de Rege in capite, vel terram ejus, vel officialium ſuorum ſub interdicto ponere abſque licentia Regis.

4. Quòd clerici vel viri religioſi trahantur ad ſæcularia judicia.

5. Quòd laici ſive Rex, ſive alii, tractent cauſas de Eccleſiis vel decimis.

6. Quòd non liceat Archiepiſcopo, vel Epiſcopo exire de regno, & venire ad vocationem domini Papæ ſine licentia Regis, & alia in hunc modum.

XXV. Nomina item excommunicatorum.

Nominatim autem eacommunicavi Joannem de Oaeneford, qui communicavit ſchiſmatico, & eacommunicato illi Reginaldo Colonienſi: quique contra mandatum domini Papæ & noſtrum, uſurpavit ſibi Decanatum Sareſberienſis Eccleſiæ, & in Curia Imperatoris pro ſchiſmate renovando præſtitit juramentum. Similiter & Richardum de Iveceſtre denuntiavimus & excommunicavimus, eò quòd inciderit in eamdem hæreſim damnatam, communicando famoſiſſimo illi ſchiſmatico Colonienſi; machinando & fabricando omnia mala cum ſchiſmaticis & Teutonicis illis, in perniciem Eccleſiæ Dei, maxime Eccleſiæ Romanæ, ex pactis contractis inter Regem Angliæ & ipſos, & Richardum de Luci, & Jocelinum de Baliol, qui regiæ tyrannidis fautores, & hæreticarum pravitatum illarum fabricatores extiterunt. Ranulphum etiam de Broc, & Hugonem de ſancto Claro, & Thomam filium Bernardi, qui poſſeſſiones & bona Eccleſiæ Cantuariæ, abſque licentia & conſenſu noſtro ſibi uſurpaverunt. Excommunicavimus etiam omnes, qui in poſſeſſiones & bona Eccleſiæ Cantuariæ manus contra voluntatem & aſſenſum noſtrum extendunt. Ipſum tamen Regem nondum perſonaliter excommunicavimus, adhùc expectantes correctionem ejus; quem tamen excommunicare non differemus, niſi celeriter reſipuerit, & ex his quæ fecerit, apprehenderit diſciplinam Ut ergò, beatiſſime Pater, Apoſtolicæ Sedi auctoritas, & Eccleſiæ Dei libertas, quæ in partibus noſtris tota ferè deperiit, utcumque valeat inſtaurari: neceſſe eſt & modis omnibus expedit, ut quod à nobis geſtum eſt, ratum omnimodis habeatis, & litteris veſtris confirmetis. Valeat & vigeat ſanctitas veſtra.]

XXVI.

Cur autem ſanctus Thomas non excommunicaverit Regem, jam paratus id facere, & idipſum timentem magnoperè, Joannes Sareſberienſis in epiſtola (b) ad Epiſcopum Oxonienſem ita deſcribit:

b Cod. Vat. l.1. ep.130.

Cur S. Th. paratus excommunicare Regem deſtiterit:

E Accitis nuper ad colloquium Chinonenſe magnatibus ſuis cum familiaribus, qui rerum malarum induſtriam habere dignoſcuntur & uſum, & ſapientes ſunt, ut dictent & faciant mala: ſtudioſiùs inquiſivit eum præmiſſis minis, & obteſtatione quamplurima, quonam conſilio ſibi utendum eſſet adversùs Eccleſiam, de Cantuarienſi Archiepiſcopo graviſſimè conquerens non ſine gemitibus & ſuſpiriis multis, & (ut tunc præſentes poſteà retulerunt) lacrymatus eſt dicens, quòd idem Cantuarienſis ei corpus & animam pariter auferret. Tandem dixit, quòd omnes proditores erant,

qui

Digitized by Google

A qui cum adhibita opera & diligentia, ab unius hominis infeſtatione nolebant expedire. Ad hæc dominus Rothomagenſis aliquantulùm excanduit, adversùs hæc corripiens eum, mitius tamen, more ſuo, in ſpiritu lenitatis, cùm cauſa Dei magis exigeret, ſeveritatem & auctoritatem pontificis, morbo langueſcentis rationis & fidei fuiſſe adhibitam. Erat autem dolor acerbior urgente metu, quem conceperat ex litteris, quas dictus Cantuarienſis illi & matri ſuæ tranſmiſerat, quarum exemplum vobis tranſmittitur. Timebat quidem, & meritò, ne in terram ejus interdicti, B & in perſonam ejus anathematis ſententia citiſſimè ferretur & auctoritate & mandato ſummi Pontificis. Cùm ergò his anguſtiis premeretur, Lexovienſis Epiſcopus unum dixit eſſe remedium, imminentem ſententiam appellationis obſtaculo præpedire.

Appellat Rex ad Papam juſto Dei judicio.

Et ita neſcio quo pacto (niſi quia veritas ventilata plus pollet, & juſtitia quò magis concutitur, eò ampliùs convaleſcit) dum Rex per avitas conſuetudines appellationum jus evacuare conatur: magis confirmat, dum ipſemet pro capite ſuo ad appellandi refugium cogitur evolare. C

XXVII. Ab illo ergò conſilio egreſſi ſunt à facie Dei & Regis ſui *Lexovienſis & Sagienſis* Epiſcopi, ad ſæpè dictum Cantuarienſem properantes, ut appellatione interpoſita, uſque ad octavam Paſchæ ſuſpenderent ſententiam ejus. Rothomagenſis quoque cum eis profectus eſt, non quidem appellaturus, ut ait, ſed de pace, quam deſiderabat, tractaturus. Archiepiſcopus verò noſter in procinctu ferendæ ſententiæ conſtitutus, iter arripuit ad urbes Sveſſionum orationis cauſa, ut beatæ Virgini, cujus ibi memoria celebris eſt, & beato Dranſin, ad quem confugiunt pugnaturi, D & beato Gregorio Anglicanæ Eccleſiæ fundatori, qui in eadem urbe requieſcit, agonem ſuum precibus commendaret.

Sveſſionē peregrinatur ſanctus Thomas.

Eſt autem beatus Dranſius glorioſiſſimus Confeſſor, qui ſicut Franci & Lotharingi credunt, pugiles, qui ad memoriam ejus pernoctant, reddit invictos; ut & de Burgundia, & Italia in tali neceſſitate confugiatur ad ipſum: nam & Robertus de Munfort ibi pernoctavit adversùm Henricum de Eſexa dimicaturus. *Sic* ergò Domino faciente, eluſa eſt ſollicitudo regalium Epiſcoporum: quia cùm veniſſent Pontiniacum, E Archiepiſcopum, quem appellarent, non invenerunt, ſed fruſtrati à propoſito ſuo reverſi ſunt, querali quòd ſua conſumpſerant, laborarant, & non profecerant.

XXVIII. Archiepiſcopus verò cùm in præfatis Sanctorum memoriis triduo pernoctaſſet, die prima poſt Aſcenſionem verſus Vizeliacum properabat, ut ibi in die Pentecoſtes in Regem & ſuos anathematis ſententiam daret. Sed nutu divino contigit, ut dum eſſet in Eccleſia Reginatenſi, ſexta feria jam dictam præcedente ſolemnitatem, A nuntiatum ei eſſet certiſſimè & veriſſimè, quòd Rex Angliæ graviſſima laborabat infirmitate: qui & ad colloquium Regis Francorum, quod miro deſiderio & magnis muneribus expetierat, non venerit, ſed miſerit excuſatores Richardum Pictavienſem, & R. de Humez, qui hanc cauſam abſentiæ ejus, præſtito juramento, volebant aſtruere. Hac ergò ratione, cùm hoc per Nuntium Regis Franciæ innotuiſſet Archiepiſcopo: in Regem ferre ſententiam diſtulit.] Hæc Joannes Sareſberienſis de dilata excommunicatione in Regem. Pergit verò dicere B de excommunicatione tunc ab eo lata adversùs eos, quos legimus in litteris ad Londonienſem nominatos, & de pravis conſuetudinibus ab eo ibidem condemnatis, & quòd rurſùm ultimo & peremptorio Regem commonuerit, iteratis ad eum litteris: Regem verò, inquit, quem ante per litteras & Nuntios ſecundùm regiam dignitatem, & morem Eccleſiæ vocaverat ad ſatisfactionem, publica vocatione ad fructum pœnitentiæ invitavit, comminans ſe in eum laturum ſententiam anathematis in brevi, niſi reſipuerit, & de tantis adversùs Eccleſiam auſis ſatisfecerit: C quod tamen non niſi invitus faceret, nec eſſe aliquem domeſticorum ſuorum, qui ad lationem hujus ſententiæ pronus ſit.] De qua ſententia adhùc ſuſpenſa idem S. Thoma in epiſtola (*a*) ad Alexandrum Papam habet iſta: In perſonam Regis nondum ſententiam dedimus, daturi forſitan, niſi reſipuerit, & ex his quæ fecimus, apprehenderit diſciplinam.] Hæc ipſe.

a *Cod. Vat. lib. 1. epiſt.* 138.

XXIX. At quomodò idem Rex hoc timens, appellationem interpoſuit, indicant (*b*) litteræ Joannis Sareſberienſis ad Epiſcopum Exonienſem, qui his verbis incipit ab appellatione Epiſcoporum: Quod ad publicum D verò ſtatum, hæc poſteà multorum aſſertione vulgata ſunt, omnes Epiſcopos Angliæ ex mandato Regis conveniſſe, & ne ſententia, quam dominus Papa dictaverat, locum haberet, appellaſſe contra Archiepiſcopum ſuum, qui pro ſalute eorum & libertate Eccleſiæ facultates raptoribus.... fortunam non erubeſcit aut timet. Venerunt ad eum nuper clerici duo (ſicut mihi pro certo relatum eſt ab eo qui tunc erat Pontiniaci) hæc publicantes, & appellantes, unus ex parte domini Sareſberienſis Epiſcopi, alter ex parte Decani ſui, inficientes omninò, ſe juramentum E aliquod præſtitiſſe Imperatori, vel Reginaldo Colonienſi ſchiſmatico in aliquo communicaſſe. Idem etiam, confitens ſe clericum familiarem de menſa magiſtri Joannis de Oxeneford, qui clericus Regis eſt, ſe Regis ad Archiepiſcopum verbum habere dixit, appellans ex parte & nomine Regis, & mandato ejus (ut ajebat) eumdem Archiepiſcopum ad audientiam domini Papæ Alexandri, & per eum appellabat, diem præfigens, qua cantabitur: Ego ſum paſtor bonus. Archiepiſcopus verò in hæc verba reſpondit: Tu cùm igno-

b *Ibid. ep.* 166.

De appellatione interpoſita ab Epiſcopis.

De appellatione interpoſita à Rege.

ignotus nobis ſis, nec mandatum nec litteras Regis habeas, & excommunicatione domini tui Joannis de Oxeneford, quem excommunicatum eſſe conſtat per litteras domini Papæ, excommunicatus ſis: appellantis officium implere non potes. Nos autem mandatum Apoſtolicum exequemur, & Deo auctore, implebimus.] Et paulò pòſt: Cæterùm factum iſtud Epiſcoporum Francia tota miratur, dicens, eos oportuiſſe convenire, ut tractarent de ſalute Regis ſui, quem ſicut Imperatorem ex cauſa ſchiſmatis, ita propter Clerum & Eccleſiam quam collidit, quotidiè labefactari conſpiciunt.] Hæc ipſe.

XXX. Epiſcopi Angliæ adverſantur S. Tho.

Epiſcopi autem Angliæ ſuffraganei ſancti Thomæ litteris ejuſdem ſui Archiepiſcopi, Apoſtolica legatione fungentis exagitati, reſilientes; haud (ut par erat) parere mandatis, ſalubres admonitiones ſuſcipere, Catholicæ Eccleſiæ utilitati conſulere, vendicantes eam à miſerrima ſervitute, ſtuduerunt; ſed ex adverſo oppoſiti, pro Rege contra ipſum ſcriptis, verbis, factiſque repugnant. Ac tantum abeſt, ut (quod eorum muneris erat, ad quod & ſuis eos litteris concitaverat ipſe Sanctus) adversùs Regem pro Eccleſia ſtarent, redarguerent, & comminarentur, oſtentantes quæ in arcu ſagittæ paratæ erant ad feriendum, cenſuras nimirùm Eccleſiaſticas ab Eccleſia Romana vigore Apoſtolico prodeuntes: ut potiùs adversùs eumdem pro Eccleſiaſtica libertate pugnantem ſanctiſſimum virum bella cierent, telis appeterent jurgiorum in ſcandalum omnium iſta audientium orthodoxorum Epiſcoporum, præſertim verò propè exiſtentium Francorum Antiſtitum, penes quos idem glorioſus Confeſſor Thomas ſecurus ageret. Egerunt iſti primum omnium litteris, & quidem ejuſmodi, ut de illis illud Davidicum dici poſſit: (a) Venenum aſpidum ſub labiis eorum. Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt: veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem.] Cùm tamen videri voluerint pii atque pacifici, charitatis ſtudioſi, ſollíciti fraternæ concordiæ, illos opere imitantes, de quibus (b) Pſalmus occinit: Molliti ſunt ſermones ejus ſuper oleum, & ipſi ſunt jacula.] Senties tu iſta melius ex lectione epiſtolarum ipſorum, quas hoc anno ſcripſere. Erat omnium coryphæus Londonienſis Epiſcopus, ipſeque auctor epiſtolarum, licèt ſcriberet nomine omnium ſuffraganeorum Antiſtitum. Extant ipſe ſive à Rogerio in Anglorum Annalibus recitatæ, ſive ex volumine epiſtolarum, quas codex Vaticanus exhibet copioſas, acceptæ: atque primum omnium accipe eas, quas primo loco poſt recitatas ſuperiùs litteras ſcriptæ eſſe noſcuntur: ſic enim ſe habent:

a Pſ. 13.

b Pſ. 54.

XXXI. Angliæ Epiſc. epiſt. ad S. Tho.

Venerabili patri ac domino Thomæ Dei gratia Cãtuarienſi Archiepiſcopo ſuffraganei ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopi, & perſonæ per eorumdem diœceſes locis variis conſtitutæ, debitã ſubjectionem, & obedientiã.

A Quæ veſtro, Pater, diſceſſu in longinqua, inopinata rei ipſius novitate turbata ſunt, veſtra ſperabamus humilitate, & prudentia in pacis priſtinæ ſerenitatem, cooperante divina gratia, revocari. Erat quidem nobis ſolatio, quod poſt diſceſſum veſtrum ad omnes fama divulgante pervenit: vos ſcilicèt in tranſmarinis agentem, nil altum ſapere: vos in dominum noſtrum Regem, aut regnum ejus nulla machinatione inſurgere, ſed ſpontè ſuſceptum paupertatis onus cum modeſtia ſuſtinere, lectioni & orationi inſiſtere, præteritorumque jacturam temporum jejuniis, vigiliis, la-
B crymiſque redimere, & ſpiritualibus occupatus ſtudiis, ad perfectum beatis virtutum incrementis aſcendere. Ad pacis bona reformanda vos ſtudiis hujuſmodi gaudebamus inſiſtere: ex quibus ſpes erat, vos in cor domini Regis noſtri hanc poſſe gratiam deſuper evocare, ut vobis iram ſuam regia pietate remitteret, & illatas in diſceſſu, & ex diſceſſu veſtro injurias ad cor de cætero non revocaret. Erat amicis veſtris & benevolis ad ipſum aliquis acceſſus, dum hæc de vobis audirentur, & ob conciliandam vobis gratiam ſupplicantes benignè quemque ſuſtinuit. Jam verò quo-
C rumdam relatione didicimus, quod ad memoriam triſtè revocamus, vos ſcilicèt in eum comminatorium emiſiſſe, quo ſalutationem omittitis, quo non ad obtentum gratiæ conſilium, precesve porrigitis, quo non amicum quid ſentitis, aut ſcribitis, ſed intentatis minis, interdictum, aut præciſionis elogium in eum jam dicendum fore multa ſeveritate proponitis. Quod ſi quàm durè dictum eſt, tàm fuerit ſeverè completum: quæ turbata ſunt, non jam ſperamus ad pacem redigi, ſed in perenne quoddam odium & inexorabile pertimeſcimus
D inflammari. Rerum verò finem prudentia ſancta conſiderat, dans operam ſollicitè, ut quod prudenter inchoat, bono quoque fine concludat.

Advertat itaque (ſi placet) diſcretio veſtra, quò tendat, an conatibus hujuſmodi finem queat obtinere, quem optat. Nos quidem his auſis à ſpe magna cecidimus, & qui pacis obtinendæ ſpem quandoque concepimus, ab ipſis jam ſpei liminibus gravi quadam deſperatione repellimur. Et dum velut extracto gladio pugna conſeritur, pro vobis ſupplicandi locus utique non invenitur. Unde patri ſcribimus ex XXXII.
E charitate conſilium, ne labores laboribus, injurias ſuperaddat injuriis: ſed omiſſis minis, patientiæ & humilitati inſerviat, cauſam ſuam divinæ clementiæ, domini ſui gratiæ & miſericordiæ committat, & ſic agendo carbones ignis in multorum capita coacervet & congerat. Accenderetur hoc modo charitas, & quod minæ non poterant, inſpirante Domino, bonorumque conſilio ſuadente, ſola fortaſsè pietas obtineret. Bonum magis erat de paupertate voluntaria glorioſè laudari, quàm de beneficii ingratitudine ab omnibus in commune notari. Inſedit altè cunctorum

men-

Digitized by Google

mentibus, quàm benignus dominus noſter Rex vobis extiterit, in quam vos gloriam ab exili provexerit, & in familiarem gratiam tam læta vos mente ſuſceperit, ut dominationis ſuæ loca, quæ à boreali Oceano Pirenæum uſque porrecta ſunt, adeò poteſtati veſtræ cuncta ſubjecerit, ut in ſhis ſolùm hos beatos reputares opinio, qui in veſtris oculis poterant complacere. Et ne veſtram gloriam mobilitas poſſet mundana conterere, vos in his, quæ Dei ſunt, voluit immobiliter radicare. Et diſſuadente matre ſua, regno reclamante, Eccleſia Dei, quoad licuit, ſuſpirante & ingemiſcente, vos in eam, qua præeſtis, dignitatem modis omnibus ſtuduit ſublimare, ſperans ſe de cætero regnare feliciter, & ope veſtra & conſilio ſumma ſecuritate gaudere. Si ergò ſecurim accipit, unde ſecuritatem ſperabat, quæ de vobis erit in cunctorum ore narratio? Quæ retributionis hactenùs inauditæ remuneratio vel rememoratio? Parcatis ergò (ſi placet) famæ veſtræ, parcatis & gloriæ, & humilitate dominum noſtrum, filiumque veſtrum charitate vincere ſtudeatis. Ad quod ſi noſtra vos monita movere nequeunt, debet ſaltem ſummi Pontificis & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ dilectio & fidelitas inclinare. Vobis enim ſuaderi debet è facili, ne quid attentare velitis, quod laboranti jam diu matri veſtræ labores augeat, quo ne multorū inobedientiam deploranti, in eorum, qui obediunt, amiſſione dolor acereſcat.

Quid enim ſi veſtra (quod abſit) exacerbatione, vel opera dominus noſter, quem largiente Domino, populi ſequuntur & regna, à domino Papa receſſerit, ipſumque fortaſſis adversùm vos ſolatia denegantem, ſequi de cætero declinaverit? Ipſum namque in hoc, quæ ſupplicationes, quæ dona, quot quantave promiſſa ſollicitant? In petra cum hucuſque firmus perſtitit, & totum, quod mundus offerre poteſt, victor alta mente calcavit: unum nobis timori eſt, ut quem oblatæ divitiæ, & totum quod in hominum gloria pretioſum eſt, flectere nequiverunt: animi ſui valeat indignatio ſola ſubvertere. Quod ſi per vos acciderit, in threnos Jeremiæ totus ire, & lacrymarum fontem oculis veſtris de cætero negare nulla quidem ratione poteritis.

XXXIII. Revocetis itaque, ſi placet ſublimitati veſtræ, conſilium, domino quidem Papæ, & S.R.E. vobis etiam ſi placet advertere, modis omnibus, ſi proceſſerit, obfuturum. Sed qui penes vos alta ſapiunt, vos fortè hac via progredi non permittunt. Hortantur experiri in dominum noſtrum Regem, quia ſitis, & in omnia quæ ſua ſunt, poteſtatem exercere qua præeſtis. Quæ nimirùm poteſtas peccanti timenda eſt, ſatisfacere nolenti formidanda. Dominum verò Regem non quidem peccaſſe numquam dicimus; ſed ſemper Domino paratum ſatisfacere, confidenter dicimus, & prædicamus. Rex à Domino conſtitutus paci providet ſubjectorum per omnia: ut hanc conſervet Eccleſiis & commiſſis ſibi populis, dignitates Regibus ante ſe debitas & exhibitas ſibi vult exhiberi & exigit. In quo ſi inter ipſum & vos aliqua oborta eſt contentio, à ſummo ſuper hoc Pontifice paterna gratia per venerabiles fratres noſtros Londonienſem, & Herefordenſem Epiſcopos conventus & commonitus, non in cœlum os ſuum poſuit, ſed de omnibus in quibus Eccleſia, vel Eccleſiaſtica perſona quæcumque ſe gravatam oſtenderet, ſe non alienum quærere, ſed Eccleſiæ regni ſui patiturum judicio humiliter & manſuetè reſpondit. Quod quidem & factis implere paratus eſt, & dulce reputat obſequium, cùm monetur, ut corrigat, ſi quid offenderit in Deum. Nec ſolùm ſatisfacere, ſed & ſi jus exigat, in hoc ſatisdare paratus eſt. Sed & ſatisdare, ſatiſque facere volentem Eccleſiæ ſe judicio in his, quæ Eccleſiæ ſunt, nec in modico ſubtrahentem, colla Chriſti jugo ſubdentem: quo jure, qua lege, quove canone, aut interdicto gravabitis, aut ſecuri, quod abſit, Evangelica præcidetis? Non impetu quidem ferri, ſed judicio prudenter regi, laudabile eſt. Unde noſtrum omnium una eſt in commune petitio, ne conſilio præcipiti mactare pergatis, & perdere: ſed commiſſis ovibus, ut vitam, ut pacem, ut ſecuritatem habeāt, paterna ſtudeatis gratia providere.

XXXIV. Movet quidem nos omnes, quòd in fratrem noſtrum dominum Sareſberienſem Epiſcopum, & Decanum ejus, præpoſterè, ut quidam æſtimant, nuper actum audivimus. In quos ſuſpenſionis, aut damnationis pœnam ante motam de culpa controverſiam, calorem, ut videtur, iracundiæ, pluſquàm juſtitiæ ſecuti tramitem, intorſiſtis. Ordo judiciorum novus hic eſt, hucuſque legibus & canonibus, ut ſperamus, incognitus, damnare primùm, & de culpa poſtremò cognoſcere. Quem, ne in dominum noſtrum Regem, & regnum ejus; nec in nos & commiſſas nobis Eccleſias & parochias, in domini Papæ damnum & S. R. E. dedecus & detrimentum, veſtræque confuſionis augmentum non modicum exercere tentetis & extendere, remedium vobis appellationis opponimus: & qui contra merum gravaminum, in facie Eccleſiæ, viva jam dudùm voce ad dominum Papam appellavimus; iterato jam tunc ad ipſum ſcripto etiam appellamus, & appellationi terminum diem Aſcenſionis Dominicæ deſignavimus: quanta quidem poſsimus devotione ſupplicantes, ut inito ſalubriori conſilio, veſtris, ac noſtris laboribus, expenſiſque parcatis, cauſamque veſtram, in hoc, ut remedium habere queat, ponere ſtudeatis. Valere vos optamus in Domino Pater.] Hactenùs Londonienſis Epiſcopus cum collegis comprovincialibus: quibus S. Thomas iſta reſcripſit: (a) a Cod. Vat. l. 1. ep. 108.

XXXV. Thomas Cantuarienſis Eccleſiæ humilis miniſter Gileberto Epiſcopo Londonienſi, quod ſemel, hoc iterùm, ſic tranſire

S. Tho. ad Londonienſem Epiſc. reſponſio.

A ſire per bona temporalia, ut non amittat æterna.

Mirandum & vehementer ſtupendum eſt, virum prudentem, ſacris litteris eruditum, præſertim religionem habitu præferentem, adeò manifeſtè, ne dicam irreverenter, & timore Dei poſtpoſito, adverſari veritati, juſtitiæ reſiſtere, & ad omne fas nefaſque confundendum, ſtatum ſanctæ Eccleſiæ, quam ipſe fundavit Altiſſimus, velle evertere. Veritas enim eſt, quæ dicit: (a) Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Non ſani igitur capitis eſſe dignoſcitur, qui intendat ei ruinam, & B homini ſimilis, montem magnum fune circumligatum tentanti dejicere. Sed numquid ira vel odio deſerebui, ut exacerbatus jaculari compellar hujuſmodi verba in fratrem meum & collegam, & coepiſcopum meum? abſit. Sed de litteris tuis, quas per Archidiaconum tuum deſtinatas accepi, talia collegi. Neque enim de ſpinis uvas, aut de tribulis ficus colligere potui. Ut clareat an ita ſit, proponamus eas, & continentiam earum in lucem proferamus. Finis collatus principio, ſimilitudinem ſcorpionis conformat. Illud blandiens ad nos ingreditur; ille pungens nos acerbè, ſilentium nobis imponere C machinatur. Quid etiam aliud eſt, primò recognoſcere debitam nobis ſubjectionem; & ſubjectioni cohærentem obedientiam promittere, demùm ne obedire debeas, ad appellationem convolare? Numquid apud me ſunt, eſt, & non, dicit Apoſtolus? Sed neque apud Apoſtoli deberent eſſe diſcipulum. Neceſſariò acceperunt Diſcipuli à Domino poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones. Habitat (b) Ezechiel & hodiè cum ſcorpionibus.

a Matt. 16.

b Ezech. 2.

XXXVI. Et illud vide quo ſenſu dixeris: Ad appellationis remedium confugimus. Chriſti ſequelam te dicis. In hoc dicto ſecus D inveneris. Omnium enim malorum noſtrorum efficax, immò efficaciſſimum remedium commendavit nobis (c) Chriſtus obedientiam, non ſolùm verbo, ſed evidentiſſimo exemplo, factus obediens Patri ſuo uſque ad mortem: & tu qua fronte appellas remedium, obedientiæ impedimentum? quod non remedium, ſed detrimentum rectius habet nominari. Sed & hoc qua fiducia præſumis? Speranſne te habiturum defenſorem ad non obediendum illi, qui vindicandi in omnem inobedientiam & officium accepit & præceptum? Malè hoc E eſt ſperare de eo, & in ipſum graviter offendere. Poterant & retardare ab hujuſmodi præſumptione, quas jam paſſus es, prima, & ſecunda repulſio. Viva quippe vox tua primùm, & deinde litteræ tuæ ad perſuadendum compoſitæ expertæ ſunt, quàm firmiter ſtet, quàm veraciter ſit Vicarius Petri, quem non precibus, non donis, nec commonitionibus, vel promiſſis movere potuiſti. Sed tertiò attentandus eſt, ut domini ſui exemplo (d) tertia attentatione triumphum reportet.

c Philip. 2.

d Joan. 21.

Porrò ut nihil deeſſet gravaminis, deſixiſti terminum tuæ appellationi, anni ferè ſpacium. Nec miſertus es noſtri exilii, vel laboris ſanctæ Eccleſiæ Sponſæ Chriſti, quam ipſe ſuo ſanguine acquiſivit. Et ut hæc mittam (non omittenda tamen) providere debueras, cui te favere dicis, domino noſtro Regi, qui quàm diu ſic aget in nos, vel in Eccleſiam Chriſti, nec ad bella procedere, nec in pace degere ſine periculo animæ ſuæ poterit. Ad reliqua tranſeamus.

Quædam turbata eſſe commemoras in diſceſſu, & ex diſceſſu noſtro. Timeant hu- XXXVII.
B jus perturbationis auctores & conſiliarii, ne & ipſi perturbentur. Magnis me laudibus eſtollis, quaſi de bono principio meæ peregrinationis. Et quidem ſapientia eſt, famam non negligere: ſed diſcreti eſt, nulli magis de ſe, quàm ſibi credere. De injuriis inſimulor quaſi illatis domino noſtro Regi. Sed quia nullam deſignas ex nomine, nec ego ſcio cui reſpondere debeam. Quia ergò ſuperficie tenus accuſor, ſuperficie tenus in hac parte me excuſo. Hoc tamen interim accipe reſponſum: Quia nullius mihi conſcius ſum, nec propterea juſtificatus ſum. De comminatorio miraris,
C quod nos in eum emiſimus. Quis pater videt filium aberrare, & tacet? Quis virga non percutit, ne gladium incurrat? Deſperat pater de filio, quem comminatione non corripit, vel flagello. Abſit autem, ut tecum ſentiamus, dominum noſtrum impatientem correptionis, ad exterminationem apoſtaſiæ lapſurum. Non enim Patris cœleſtis plantatio eradicabitur. Navem concutit ſæviſſima tempeſtas: clavum teneo; & ad ſomnum me vocas?

Congeris & ſtatuis ante oculos noſtros beneficia nobis à domino noſtro Rege col- XXXVIII.
lata, & de exili me commemoras ad ſum-
D ma provectum. Ut autem hinc aliquantiſper reſpondeam, in inſipientia mea tamen de quam exili putas? Si tempus, quo miniſterio ſuo me præſtituit, reſpicias, Archidiaconatus Cantuarienſis, Præpoſitura Beverlaci, plurimæ Eccleſiæ, præbendæ nonnullæ, alia etiam non pauca, quæ nominis mei erant poſſeſſio, tunc temporis, adeò tenuem, ut dicis, quantum ad ea quæ mundi ſunt, contradicunt me fuiſſe. Quòd ſi ad generis mei radicem, & progenitores meos intenderis, cives quidem fuerunt Londoniæ in medio concivium ſuorum habitantes ſine querela, nec omninò infi-
E mi. Sed ut aliquando mundi tenebris ſemotis judicemur à lumine veritatis: quid glorioſius, naſci de mediocribus vel etiam infimis, an de mundi magnatibus & honoratis? cùm dicat Apoſtolus: (e) Inhoneſtiora corporis noſtri membra abundantiori circumdamus honore: ſtemmata quid faciunt, ait Gentilis poeta. Quid habet dicere Chriſtianus Epiſcopus litteratus & religioſus?

e 1. Cor. 12.

Sed fortaſſis de exiguitatis meæ memoria notam confuſionis mihi objicere voluiſti: confundere autem patrem quantum ce-

dat in

a *Exod. 20.* dat in reatum, ipſa videris ex (a) præcepto Domini, quod de honorando patre accepiſti.

XXXIX. Pro gratia verò Regis nobis commendanda, commemoratione beneficiorum ejus, non multùm fuit laborandum. Teſtem enim Dominum invoco, nihil ſub Sole me gratiæ ipſius, & ſaluti præponere, tantum ſalva ſint, quæ Dei ſunt & ſanctæ Eccleſiæ. Non enim aliter feliciter regnare poterit, vel ſecurè. Eſto, quia ita eſt. Multò ſunt plura & ampliora, quàm tua explicet oratio, beneficia ejus erga me: dubuine pro his omnibus vel etiam ſi conduplicarentur, Eccleſiæ Dei libertatem exponere? Quantò minus pro famæ meæ, quæ ſæpiùs à vero deviat, conſervatione. Si mitius in alios egi: in hoc nec tibi, nec aliis parco, neque Angelo, ſi deſcenderit de cœlo, ſed ſtatim ut audivero talia commonentem, audiet ex me: (b) Vade retro Sathana, non ſapis, quæ Dei ſunt. Abſit à me iſta dementia: avertat à me Dominus amentiam iſtam, ut aliquatenùs perſuadeat aliquibus tergiverſationibus inire commercium de Corpore Chriſti, unde ego Judæ venditori, & Dominus meus Judæis aſſimiletur emptoribus Chriſti.

b *Matth. 16.*

De promotione verò mea, quam ſcribis factam, matre domini noſtri diſſuadente, regno reclamante, Eccleſia Dei, quoad licuit, ſuſpirante; hæc tibi reſpondeo. Quòd ad regni reclamationem, non audivimus, ſed potiùs acclamationem. Diſſuaſio verò genitricis domini noſtri ſi fuit, uſque ad publicum non prodiit. Potuit autem fieri, aliquas Eccleſiaſticas perſonas ad eamdem promotionem, ut ſolet, aſpirantes ſuſpiraſſe, cùm ſe ſentirent ab ea, quam conceperant, ſpe decidere. Qui & hodiè fortaſsis in ultionem ſui caſus, præſentis diſſenſionis auctores ſunt & conſiliarii. Sed væ illi per quem ſcandalum venit. Prætaxatis verò obſtaculis, & aliis, ſi qua fuerunt, divina prævaluit diſpenſatio, ut eſt hodiè cernere. Exigor itaque ab eo, qui eſt ipſa juſtitia, nulli omninò eum poſtponere, qui me ſtatuit in gradu iſto ſua miſeratione. Illud etiam, quod ad juſtificandum dominum regem videris propoſuiſſe, judicavimus non prætereundum leviter, vel abſque diſcuſsione. Et utinam à juſtitia non diſſentiret, & noſtra adverſùs eum minus juſta appareret querela!

XL. Dicis enim ipſum eſſe ad ſatisfaciendum, & ſemper fuiſſe paratum. Hoc te confidenter dicere, hoc te aſſeris prædicare. Suſtine igitur paulìſper, & ad interrogata reſponde. Illud quod dicis, paratum eſſe ad ſatisfaciendum, quo ſenſu intelligis? Illos, quorum ſe Deus dicit patrem, & judicem, orphanos, viduas, pupillos, innocentes, & omninò hujus, quæ nos movet, controverſiæ ignaros, vides proſcribi, & taces: clericos exterminari, & non reclamas: alios bonis ſuis ſpoliari, & contumeliis affici, & non contradicis: ſervientes meos in vincula conjici, & teneri, & obmuteſcis: matris tuæ Cantuarienſis Eccleſiæ bona diripi, & non reſiſtis: me patrem tuum gladios cervici meæ jamjam imminentes vix evaſiſſe, & non doles: ſed quod deterius eſt, cum perſecutoribus meis, & in me, Deo & Eccleſiæ ipſius, & hoc non in occulto, ſtare non erubeſcis. Eſtne hoc ſatisfacere, perpetrata mala non corrigere, & malis deteriora de die in diem adjicere? Sed fortaſsis illud in contrarium intelligis, ut ſit hoc ſatisfacere, voluntati impiorum deſervire, ſecundùm illud: (c) Inebriabo ſagittas meas ſanguine. Sed dicis mihi. Pater mi, de quibus me calumniaris? abſolvo me pacis: tunicæ meæ timeo. Verum eſt, mi fili, & nimis verum, quod reſpondes, & ideò gladium non habes.

c *Deut. 32.*

XLI. Quod enim ſcribis, ipſum paratum ſtare judicio regni ſui, quaſi condigna ſatisfactio ſit hæc: quis eſt in terra, vel etiam in cœlo, qui de divina diſpenſatione præſumat judicare? Humana judicentur: divina penitùs inconcuſſa remaneant, & relinquantur. Quantò melius, frater mi, illi ſalubrius, tibi ſecurius, intimare ei, perſuadere omnibus modis elaborares voluntatem Dei de conſervanda pace Eccleſiæ ſuæ, de non appetendis his, quæ conceſſa non ſunt ejus adminiſtrationi, de honorandis ſacerdotibus Dei, nec qui ſunt attendat, ſed cujus ſervi ſunt. In Saresberienſem Epiſcopum, & Joannem Oxenefordenſem, non Decanum, ut dicis, ſed Decanatus invaſorem, me præjudicio abuſum calumniaris: ſed meminiſſe debuiſti, quædam manifeſta præcedere ad judicium. Et motum te dicis, quid ni? *Ucalegon trepidat, paries cùm proximus ardet. Et utinam benè movearis ab eo, in quo non benè ſtetiſti. Sciat ergò, & intelligat, te intimante, dominus meus, quòd qui dominatur in regno hominum, ſed & Angelorum, duas ſub ſe poteſtates ordinavit, Principes & Sacerdotes; unam terrenam, alteram ſpiritualem; unam miniſtrantem, alteram præeminentem; unam cui potentiam conceſsit, alteram cui reverentiam exhiberi voluit. Qui verò his, vel illis de ſuo jure ſubtrahit, Dei ordinationi reſiſtit. Non indignetur itaque dominus noſter deferre illis, quibus omnium ſummus deferre non dedignatur, deos appellans eos ſæpiùs in ſacris litteris; ſic enim dicit: (d) Ego dixi, dii eſtis &c. Et iterùm: (e) Conſtitui te deum Pharaonis. Et: (f) Diis non detrahes, id eſt ſacerdotibus. Et de eo qui juraturus erat, loquens per Moyſen ait: (g) Applica illum ad deos, id eſt ad ſacerdotes. Nec præſumat dominus noſter judices ſuos velle judicare; terrenis enim poteſtatibus non ſunt commiſſæ claves regni cœlorum, ſed ſacerdotibus: ideò ſcriptum eſt: (h) Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini eſt. Et Paulus etiam dicit: (i) Nonnè angelos judicabimus, quantò magis homines?

* vicinus

d *Pſal. 81.*
e *Exod. 9.*
f *Ibid. 22.*
g *Ibidem.*
h *Malach. 2.*
i *1. Cor. 6.*

XLII. Illud etiam te ſuggerente commemoretur domino noſtro dignum memoria, & imi-

Digitized by Google

imitatione, quod in Eccleſiaſtica legimus A
hiſtoria de Conſtantino Imperatore, cui
cùm oblatæ fuiſſent ſcripto accuſationes
contra Epiſcopos, accuſationis quidem li-
bellos accepit, & accuſatores convocans, in
eorum conſpectu eoſdem incendit, dicens:
vos dii eſtis, à vero Deo conſtituti. Ite, &
inter vos cauſas veſtras diſponite, quia di-
gnum non eſt, ut nos homines judicemus
deos. O magnum Imperatorem! adverten-
tè regnantem in terra, quæ aliena ſunt
fraude non uſurpantem, & regnum æternū
in cœlo promerentem! Studeat itaque do-
minus noſter tantum, tàm diſcretum, tàm
felicem imitari Principem: cujus & memo- B
ria laudabilis frequentatur in terris, & vi-
ta perpetua & glorioſa habetur in cœlis.
Alioquin timeat quod in Deuteronomio
a Deut. 17. Dominus minatus eſt, dicens: (a) Homo
quicumque fecerit in ſuperbia, ut non
exaudiat ſacerdotem: ante judicem morie-
tur. Ad hoc enim vocatus eſt, & in hoc ip-
ſum temporalis regni pax & magnificentia,
de qua nos commones, miniſtratur ei de
b Pſ. 32. cœlo. Alioquin non (b) ſalvatur Rex per
multam virtutem ſuam, etſi ſubdantur ei
regna, & inclinentur nationes. Sed hæc ha-
ctenùs. Quoſcumque autem prætaxatarum
habuiſti conſcriptores litterarū, quod tibi C
reſponſum eſt, noverint ſibi eſſe reſponſum.
De cætero, fratres, commoneo vos, rogo &
obſecro, ut nos non ſeparent ſchiſma, nec
obnubilent ſimultates, ſed ſit nobis in Do-
mino cor unum, & anima una, & audiamus
illum, qui dixit: (c) Pro juſtitia agoniza-
c Eccli. 4. re pro anima tua, & uſque ad mortem cer-
ta pro juſtitia, & Deus expugnabit pro te
inimicos tuos. Non obliviſcamur illum di-
ſtrictum Judicem, ante cujus tribunal con-
ſtitutos ſola nos veritas judicabit, amoto
timore, & fiducia omnis terrenæ poteſta-
tis. Valeat in domino fraternitas veſtra.]
Hæc quidem hoc anno, reliqua ſuis locis D
reddentur ſequentibus annis.

XLIII. Epiſt. Angl. Epiſc. ad Alexan. Pap.

Porrò reliqui Anglorum Epiſcopi ad
Alexandrum Papam ſcripſerunt adversùs
litteras ad ſe miſſas à S. Thoma ſuperiùs
recitatas, non tamen, ut conſulerent in his
quæ opus eſſent, Eccleſiæ viribus peſſum-
datis, ſed appellarent ipſum Romanum
Pontificem adversùs eum. Sic enim ſe ha-
bent:

Patri ſuo & domino ſummo Pontifici
Alexandro, provinciæ Cantuarienſis Epi-
ſcopi, & perſonæ per eorumdem diœceſes
locis pluribus conſtitutæ, domino Patriq;
debitum charitatis, & obedientiæ famu- E
latum.

Veſtram, Pater, meminiſſe credimus ex-
cellentiam, vos devotum filium veſtrum,
dominumque noſtrum chariſſimum illu-
ſtremque Regem Anglorum per venerabi-
les fratres noſtros Londonienſem, & He-
refordenſem Epiſcopos, directis jamdudùm
litteris conveniſſe, & de corrigendis qui-
buſdam, quæ ſanctitati veſtræ in ipſius re-
Laudes Regis. gno corrigenda videbantur, paterna gratia
commonuiſſe. Qui mandatum veſtrum de-
bita reverentia ſuſcipiens, ut ſatis notum

A eſt, ad veſtra quidem mandata non iratus
intumuit, non elatus obedire contempſit;
verùm gratias agens paternæ correptioni,
Eccleſiæ ſe ſtatim ſubmiſit examini, aſſe-
rens de ſingulis, quæ juxta veſtri formam
mandati ibi diligenter expreſſa fuerunt,
Eccleſiæ regni ſui ſe pariturum judicio, &
quæ corrigenda decerneret, ipſius ſe conſi-
lio laudabili quidem, & in Principe dignè
commendabili devotione correcturum. Ab
hoc verò non recedit propoſito, nec men-
tem revocat à promiſſo, ſed qui ſedeat,
qui cognoſcat & judicet: ipſe divini
reverentia timoris non majeſtatem præ-
B ferens, ſed ut filius obediens judicio ſiſte-
re, legitimèque parere ſententiæ, ſeque le-
gibus alligatum Principem præſto eſt in
omnibus exhibere filius obediens. Unde
nec interdicto, nec minis, nec maledictio-
num aculeis ad ſatisfactionem urgere ne-
ceſſe eſt divinarum ſe legum examini ſub-
dentem. Ejus enim opera nequaquàm ſe
luci ſubtrahunt, nec occultari tenebris ali-
qua ratione depoſcunt. Rex namque fide
Chriſtianiſſimus, in copula caſtimoniæ
conjugalis honeſtiſſimus, pacis & juſtitiæ
conſervator & dilatator incomparabiliter
ſtrenuiſſimus, hoc votis agit totis, in his
C fervet deſideriis, ut de regno ſuo tollantur
ſcandala, cum ſpurcitiis ſuis eliminentur
peccata, pax totum obtineat atque juſtitia,
& alta ſecuritate & quiete placita ſub ipſo
gaudeant & refloreant univerſa.

XLIV. Excuſant Regem.

Qui cùm pacem regni ſui enormi inſo-
lentium quorumdam clericorum exceſſu
non mediocriter aliquando turbari cogno-
ſceret: Clero debitam exhibens reveren-
tiam, eorumdem exceſſus ad Eccleſiæ judi-
ces retulit Epiſcopos, ut gladius gladio
ſubveniret, & pacem quam regebat & fove-
bat in populo, ſpiritualis poteſtas fundaret
& ſolidaret in Clero. Qua in re partis
D utrinſq; zelus innotuit, Epiſcoporū in hoc
ſtante judicio, ut homicidium, & ſi quid
ejuſmodi eſt, exauctoratione ſola puniretur
in Clero. Rege verò exiſtimante, pœnam
hanc non condignè reſpondere flagitio, nec
ſtabiliendæ paci benè proſpici, ſi Lector,
aut Acoluthus perimat, quam præclara ui-
tentem virum religione, vel dignitate, ut
ſola jam dicti ordinis amiſſione tutus exi-
ſtat. Clero itaque ſtatuto cœlitus ordini
deferente, domino verò Rege peccatum ju-
ſto (ſicut ſperat) odio perſequente, & pa-
cem altius radicare intendente, ſancta quæ-
dam oborta eſt contentio, quam excuſat (ut
E credimus) apud Dominum ſimplex utriuſ-
que partis intentio. Hinc non dominatio-
nis ambitu, non opprimendæ Eccleſiaſticæ
libertatis intuitu, ſed ſolidandæ pacis affe-
ctu eò progreſſus eſt, ut regni ſui conſuetu-
dines & dignitates Regibus ante ſe in re-
gno Angliæ à perſonis Eccleſiaſticis obſer-
vatas, & pacificè & reverenter exhibitas, do-
minus noſter Rex deduci vellet in mediū:
& ne ſuper his contentionis funis trahere-
tur in poſterum, notitiæ publicæ delegari.
Adjuratis itaq; per fidem, & per eam, quæ in
Deum ſpes eſt, majoribus natu Epiſcopis,
aliiſq;

Digitized by Google

aliiſq; regni majoribus retroacti temporis inſinuato ſtatu, dignitates requiſitæ palàm prolatæ ſunt, & ſummorum in regno virorum teſtimoniis propalatæ. Hæc eſt domini noſtri Regis in Eccleſiam Dei toto Orbe declamata crudelitas, hæc ab eo perſecutio, hæc opera ejus, inter nos, vel undique divulgata malignitas.

XLV. Querelæ in S. Thomam.

In his tamen omnibus ſi quid periculoſum animæ, ſi quid ignominioſum Eccleſiæ continetur, id veſtra monitus atque motus auctoritate, ob reverentiam Chriſti, ob Eccleſiæ ſanctæ, quam ſibi matrem profitetur, honorificentiam, ob animæ ſuæ remedium, Eccleſiæ regni ſui conſilio ſe correcturum devotione ſanctiſsima jamdiu pollicitus eſt, & conſtantiſsimè pollicetur. Et quidem pacis optatum finem noſtra, Pater, ut ſperamus, obtinuiſſet jam poſtulatio, ſi non iras jam ſopitas, & ferè proraùs extinctas, patris noſtri domini Cantuarienſis de novo ſuſcitaſſet exacerbatio. Verùm hic, de cujus patientia pacem, de cujus modeſtia redintegrationem hucuſque gratiæ ſperabamus, ipſum, quem monitis emollire, quem meritis & manſuetudine ſuperare debuerat, per triſtes, & terribiles litteras, devotionem patris, aut pontificis patientiam minimè redolentes, cùm in pacis perturbatores exercitum nuper ageret, ſatis & irreverenter aggreſſus eſt, in ipſum excommunicationis ſententiam, in regnum ejus interdicti pœnam acerrimè comminando. Cujus ſi ſic remuneratur humilitas, quid in contumacem ſtatuetur? ſi ſic æſtimatur obediendi prompta devotio, in obſtinatam perverſitatem quonam modo vindicabitur? Minis quoque gravibus ſuperaddita ſunt graviora. Quoſdam namque fideles & familiares domini Regis, primarios regni proceres, regis ſpecialiter aſſiſtentes ſecretis, in quorum manu conſilia Regis & regni negotia dirigu[n]tur, non citatos, non defenſos, non, ut ajunt, culpæ ſibi conſcios, non convictos aut confeſſos excommunicationis inodavit ſententia, & excommunicatos publicè denuntiavit.

XLVI.

Adjecit etiam, ut venerabilem fratrem noſtrum Sareſberienſem Epiſcopum, abſentem & indefenſum, non confeſſum aut convictum, ſacerdotali prius & Epiſcopali ſuſpenderet officio, quàm in ſuſpenſionis ejus cauſa comprovincialium, aut aliquorum etiam fuiſſet arbitrio compromiſſa. Si hic itaque judiciorum ordo circa Regem, circa regnum, tàm præpoſterè, ne dicamus, inordinatè proceſſerit: quidnam conſequi poſſe putabimus (Dies enim mali ſunt, & occaſionem habentes malignandi quàm plurimam) niſi ut tenor pacis & gratiæ, quo regnum & ſacerdotium uſque modo cohærent, abrumpatur; & nos cum commiſſo nobis Clero in diſperſionem habeamus exilii, aut à veſtra, quod abſit, fidelitate recedentes ad ſchiſmatis malum in abyſſum iniquitatis & inobedientiæ provolvamur? Compendioſiſsima quippè via hæc eſt ad omne religionis diſpendium, ad Cleri

A pariter, populique ſubverſionem & interitum.

XLVII. Appellant Rom. Pōt.

Unde ne Apoſtolatus veſtri tempore tàm miſerè ſubvertatur Eccleſia: ne dominus noſter Rex & ſervientes ei populi à veſtra, quod abſit, avertantur obedientia: ne totum, quod privatorum conſilio machinatur, ponat in nos domini Cantuarienſis iracundia, adversùs eum, & ejus mandata, domino noſtro Regi aut regno, nobis aut commiſſis nobis Eccleſiis gravamen aliquod importantia: ad ſublimitatem veſtram voce & ſcripto appellavimus, & appellationi terminum diem Aſcenſionis Dominicæ deſignavimus: eligentes apud vos in omni, quod ſanctitati veſtræ placuerit, humiliari, quàm ad ſublimes ipſius animi motus, noſtris non id exigentibus meritis, de die in diem tædioſiſsimè prægravari. Conſervet incolumitatem veſtram Eccleſiæ ſuæ in longa tempora profuturam omnipotens Dominus in Chriſto dilecte Pater.] Hucuſque Epiſcopi.

Cæterùm Alexander Papa perſtans in ſententia, ubi appellationem Epiſcoporum fruſtratam ſenſit, iiſdem qui appellaverant, ad certam diem comparentibus, confirmavit ſententiam, quæ per S. Thomam in ipſos C prolata fuerat. Teſtatur hoc idem Sareſberienſis ad eumdem ſanctum Thomam ſcribens, cùm ait: (a) Sicut mihi ab Urbe ſignificatum eſt, & ego vobis ſcripſiſſe me memini, dominus Papa jam veſtram ſententiam confirmavit, immò ſuam vendicavit injuriam.] Extant & ipſius Alexandri Papæ de his litteræ (b) ad eumdem ſanctum Thomam datæ, ubi vidit Epiſcopos non proſequi interpoſitam appellationem, his verbis:

a Cod. Vat. l. 1. ep. 149.

b Ib. ep. 147

XLVIII. Alex. Papa confirmat ſententiā S. Thomæ.

Ex litteris tuis jam pridem, & certa multorum relatione cognovimus, quòd tu in Jocelinum Sareſberienſem Epiſcopum, quoniam tibi inobediens fuit, interdicti D ſententiam protuliſti. Ipſe verò licèt ſuper hoc ad noſtram audientiam appellaſſet, & Dominicam, qua cantatur, Ego ſum paſtor bonus, proximè tunc venturam appellationi ſuæ terminum præfixiſſet, eodem inſtante nec venit, nec ad nos aliquem pro ſe reſponſalem tranſmiſit. Quocircà nos eum in contumacia & rebellione ſua contra te fovere nolentes: ſententiam, quam in eum propter hoc tuleris, auctore Domino, ratam & firmam habebimus, & totam cauſam ejus tuæ diſcretionis arbitrio duximus relinquendam: quod inde canonicè feceris, ratum, ceſſante appellationis obſtaculo, habituri.] Et ad omnes Epiſcopos Angliæ idem E Pontifex Alexander in hæc verba: (c)

c L. 1. ep. 159 Alex Papa cohibet Epiſc. Angl. de iiſdem.

Quamquàm ex injuncto nobis officio, de univerſorum in ſua integritate ſervando, curam tenemur & ſollicitudinem gerere: ad illorum juſtitias, qui in parte ſollicitudinis nobis commiſſæ à Domino ſunt vocati, quantò in gradu ſublimiori exiſtunt, tantò frequentiùs retorquere debemus, & ſuper his majorem diligentiam & curam propenſiorem habere. Hac ſiquidem conſideratione inducti, fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo

mandamus, & in vi obedientiæ injungimus, quatenùs ſuper his, quæ ad Eccleſiæ Cantuariarenſis jura, dignitates, aut etiam libertates ſpectare noſcuntur, vos ſine conſcientia & aſſenſu venerabilis fratris noſtri Thomæ ejuſdem Eccleſiæ Archiepiſcopi intromittere nullatenus præſumatis, nec occaſione appellationis, quam contra eum ad nos feciſtis, id aliquatenùs attentetis. Quòd ſi aliquis veſtrum contra hoc præceptum noſtrum quolibet auſu venire præſumpſerit, ita in eo exceſſum iſtum ſtudebimus, Domino auctore, graviter vindicare, quod pœna docente, cognoſcet, quàm periculoſum fuerit, Apoſtolicis contraire præceptis. Datum Laterani quinto Kal. Februarii.

XLIX. Rex verò adhùc timens ab eodem S. Thoma excommunicari, vel ejus regnum ſubiici interdicto; ubi appellationem qualemcumque, ut vidimus, interpoſuit; dirigit legationem ad Alexandrum Pontificem, non tàm ut appellationem interpoſitam proſequeretur, quàm ut ab eodem Pontifice legationem à latere impetraret, hoc conſilio, ut ita labefactaret, & enervaret vires legationis creditæ ſancto Thomæ. Sed & ad id muneris obeundum, petiit à Papa certum Legatum mitti, nempè Vvillelmum Cardinalem Papienſem, tituli ſancti Petri ad Vincula, quem haberet amicitia conjunctiſſimum. Delectus verò eſt ad hoc opus à Rege clericus ille regius, quem nuper diximus excommunicatum à S. Thoma ob juramentum præſtitum Colonienſi Archiepiſcopo, pro confirmatione Papæ ſchiſmatici, Joannes Oxenefordenſis, cui & alii additi ſunt ejuſdem legationis collegæ. Quid autem per eos apud Alexandrum Pontificem geſtum fuerit, inferiùs ſuo loco dicturi ſumus.

Legatio miſſa à Rege Anglorum ad Alex. Pap.

Tunc autem eumdem Regem poſt appellationem interpoſitam, tradit idem (a) Sareſberienſis Nuntium miſiſſe in Angliam (morabatur enim inter hæc in Northmannia) litteraſque dediſſe pro cuſtodiendis maritimis locis; egiſſeque cum Abbate Ciſtercienſe contra Thomam, ut ex Pontiniaco monaſterio pelleretur. Quem quidem, cùm ibi biennio commoratum eſſe dicant, qui res ab eo geſtas ſunt proſecuti: cum inde hoc anno exactum fuiſſe dicere opus eſt. Uſque enim in hunc annum eum ibi perſeveraſſe, litteræ recitatæ declarant: ſicque integros ibi ipſum annos duos egiſſe numerat rectè in Quadripartita Vvillelmus; quem anno Domini milleſimo ſexageſimoquarto ibi degere cœpiſſe, vidimus. Quantum autem ſcandali intulerit bonis omnibus ejuſmodi expulſio tanti hoſpitis, idem auctor pluribus narrat, additque Ludovicum Francorum Regem, ubi iſta ex litteris Thomæ accepiſſet, id publicè exclamaſſe: O religio, ò religio, ubi es! Ecce enim, quos credebamus ſæculo mortuos, ſæculi ruinas timent, & pro rebus caducis, quas propter Dominum contempſiſſe profiterentur, à Dei opere quod imperant, convertuntur retrorſum, Dei cauſa exulantem eiicientes à ſe. Addit inſuper exceptum Thomam à Rege Francorum, Senonis ad habitandum conceſſis. Eo tempore idem auctor tradit accidiſſe, ut eidem ſancto Thomæ à Deo per viſum fuerit ſuum martyrium revelatum.

a Cod. Vat. l. 1 ep. 139.
S. Thomas expellitur Pontiniaco Monaſt.

L. Poſt hæc autem idem ſanctus Thomas, ne quid prætermiſiſſe videretur officii, quem cenſuris perterruiſſet & perturbaſſet Regem, eumdem placidioribus litteris manſuefacere atque mollire quæſivit. Extant ipſæ tunc datæ, iſtis verbis: (b)

b Ibid. ep. 66.

Dilectiſſimo domino ſuo Henrico Dei gratia Regi Anglorum, Duci Northmanniæ & Aquitaniæ, & Comiti Andegavenſi, Thomas eadem gratia ſanctæ Cantuarienſis Eccleſiæ miniſter humilis ſalutem, omnique tempore perſeverare in bono, ac reniti viriliter ſuggeſtionibus malignis.

Breviloquio utimur ad vos, ne in multitudine ſermonis efficiamur ampliùs tædioſi, qui utinam eſſemus vobis magis accepti, ſicut ad dominum noſtrum dilectiſſimum. Novit hoc ille, qui ſcrutator eſt cordium, quidquid inimici veſtri aliter ac falsò murmurent, & ſuſurrent, & certè, ut verius dicam, magis veſtri, quàm noſtri. Hortamur itaque vos adhùc ex parte omnipotentis Dei, & in virtute Spiritus ſancti adjuramus, & in remiſſionem peccatorum veſtrorum, à vobis requirimus gratiæ veſtræ, & pacis veræ, & ſecuritatis bona nobis & noſtris ſine malo ingenio reſtitutionem, & ſimiliter Eccleſiæ Cantuarienſi, in ea plenitudine & libertate, in qua eam melius & pleniùs habuerunt deceſſores noſtri & nos, poſtquàm facti ſumus Archiepiſcopus, & poſſeſſionum & Eccleſiarum & Præbendarum ad eamdem Eccleſiam pertinentium, quæ vacaverunt, poſtquàm orta eſt diſſenſio iſta inter vos & nos, & ſimiliter noſtros, ut ſub dominio veſtro ita liberè eis valeamus frui & uti, ſicut melius & liberiùs uſi ſunt eis anteceſſores noſtri, & nos poſt noſtram promotionem, & gaudere debeat Eccleſia de noſtra reverſione, quæ multis ex cauſis periculo animæ veſtræ & noſtræ (ſicut credimus) tanto tempore caruit præſentia noſtra, & dolere potuit de abſentiæ incommodo. Hoc facite, benigne domine mi, corde jucundo & hilari, quatenùs concedat vobis Deus & hæredibus veſtris, & reſtituat illam pacem, quam deſiderat cor veſtrum ad ſalutem animæ veſtræ, & populi à Domino vobis commiſſi. Et nos profectò parati ſumus & erimus ad omne obſequium veſtrum ferventiùs, & devotiùs quàm umquam antè fuerimus, dummodò non offendamus Deum, neque ordinem noſtrum.

Placabilior ad Regem admonitio S. Th.

LI. De mobilibus autem ablatis Eccleſiæ Cantuarienſi, & nobis & noſtris, ſecurè vobis affirmamus coram Deo & toto mundo, etiam ſi præſens eſſet, quia nullo modo, nulla ratione dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum, ſi habuerit, qui abſtulit, vel auferri fecit, unde reſtituat. Unde beatus Auguſtinus: Si res ablata cùm reddi

poſſit,

poſſit, non redditur: non agitur pœnitentia, ſed ſimulatur. Et alibi: Illud fidentiſſimè dixerim, eum qui pro homine ad hoc intervenit, ne ablata reſtituat, & eum qui ad ſe confugientem, quantum honeſtè poterit, ad reſtitutionem non compellit, ſocium eſſe fraudis & criminis: nam hujuſmodi hominibus miſericordius opem noſtram ſubtrahimus, quàm impendimus. Hoc certum tenete, hoc nulla ratione dubitate. Et ſi quis vobis contrarium prædicaverit, etiam Angelus de cœlo, anathema ſit, & erit, quamdiu in hac ſententia perſeveraverit. Videte ergò, domine, mi quomodò in hac parte cautè ambuletis, ne detentio rei malè acquiſitæ, quæ non eſt niſi cinis & vermis, impellat vos, quod abſit, in impœnitentiam, & ſubiiciat diſcrimini, quod à vobis purgari non poteſt nec oratione neque jejunio.

LII. Præterea noſſe debet veſtra diſcretio, quoniam etſi omnes Epiſcopi ſancti non ſunt, locum tamen Sanctorum obtinent, qui etſi vitæ merito non eluceſcunt, eſſe tamen debent eorum imitatores, quatenùs eis divina contulerit clementia. Inde igitur, quoniam ſancti viri pro lege Dei ſui certaverunt uſque ad mortem, & à verbis & minis perſequentium non timuerunt (ille enim ampliùs timendus eſt, qui poteſt animam & corpus mittere in gehennam) neceſſe habemus & nos, prout Dominus inſpiraverit, leges ſuas cuſtodire, fovere & defendere. Nec hoc nobis imputandum eſt ad ſuperbiam, vel malignitatem, ſed ad noſtri neceſſitatem officii. Sic enim Dominus ait: Leges meas cuſtodite. Et iterùm in Evangelio: (a) Si quis ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, minimus vocabitur in regno cœlorum. Satis credimus, te dominum eſſe ſapientem, & ideircò poſtulamus à vobis, ſicut à domino charissimo in nomine Domini noſtri JESU Chriſti audiri & exaudiri benignè, quatenùs audiat & exaudiat vos Deus in diſtricto examine, & recipiat inter electos ſuos. Quandoquidem neque fortitudo, neque potentia, nec imperium, nec divitiæ, nec leges ſæculares, vel conſuetudines poterunt juvare quemquam, nec aliud quidquam, niſi divina clementia & præcedentium operum fructus. Quod utinam omni die firmiſſimè reſideat in animo veſtro, nec umquam mentem veſtram excedat! Hujus rei conſiliarios libenter admittat, & audiat dominus noſter, & exaudiat ſemper; ut benè faciat ei Dominus, & augeat ſibi & hæredibus ſuis vitam & pacem in tempora longa. Nec prætereant temporaliter impuniti, qui doliis ſuis & fraudibus exquiſitis niſi ſunt bonum domini mei propoſitum pervertere & perturbare, quod infra ſeptem annos regni ſui de exhibendo honore Eccleſiis & Eccleſiaſticis viris, juſta, ut credimus, animi devotione conceperat. Valeat dominus meus in æternum, & ut melius ſit inde Eccleſiæ Dei & nobis: vivat in tempora longa.] Ita ſanctus Thomas non judex, judicialibus urgens eum mandatis, ſed ut pater hortatur & monet filium, quem velit à judicio ſubtrahere damnationis. Sed fruſtrà, malis conſiliariis obſiſtentibus.

a Matt. 5.

LIII. Porrò quam audiſti querelam ſancti Thomæ de Regis conſiliariis, eamdem planè ingerit Joannes Sareſberienſis, ſcribens ad Nicolaum de Monte, Rothomagenſem, ſancti Thomæ ſtudioſiſſimum. quam quidem brevem epiſtolam, cùm contineat plura quæ ad hæc tempora ſpectant, iis inſuendam meritò judicamus: ſic enim ſe habet: (b)

b Cod. Vat. l. 1. ep. 140.

De diſpendia malis conſiliatiis Regis Epiſtola.

Diſſipat Dominus gentes quæ bella volunt; & qui ſe à pace Dei elongant, indubitanter peribunt. Quis perſecutorum Eccleſiæ ultricem dexteram Dei, qui potentes potentiùs punit, legitur evaſiſſe? Unde domino noſtro Regi Anglorum, quem Deus, ſi in beneplacito ſuo eſt, optimum faciat, & heredibus ſuis (quod ſine dolore non dico) plurimùm timendum eſt, ne ſcindatur regnum eorum, & infirmetur poteſtas, qua contra Eccleſiam abutuntur. Quòd ſi differtur ultio ad correctionem & probationem filiorum, quos pater miſericors caſtigat ut coronet, non tamen auſertur, ſed poſt Sanctorum patientiam in impios acerbiùs excandeſcit. Quare quæſo vir ſapientiſſimus, & tantis virtutibus & poteſtate ampliſſima, & ferè omnibus bonis donatus à Domino, non reddit ad cor; & qui tot & tantarum urbium domitor eſt, intemperantiam hanc domare non poteſt? Cur Eccleſiam perſequens unicè dilectam Sponſo, iram illius provocat, qui aufert ſpiritum Principum, & ſublimium colla propria calcat virtute? Profectò ſi ſaperet, in eos retorqueret indignationis ſuæ aculeos, qui eum circumvenientes, in hoc non conſilium, ſed præcipitium impulerunt, & ſaltem Babylonis Regem, ut eo non inveniatur crudelior, imitaretur, qui illos conjecit (c) in lacum leonum, quorum conſilio illùc detruſerat & incluſerat Danielem, ut pœna, quam intentaverat innocenti, conſiliarii nocentes exciperent.] Subiicit demùm exemplum Epiſcoporum à Regibus in ſuas ſedes reſtitutorum, his verbis: Archiepiſcopus ſancti Iacobi diu proſcriptus jam à multo tempore, revocatus eſt à Rege ſuo. Rex Danorum ſuum revocans Archiepiſcopum, conſilio ejus agit omnia, compeſcit inimicos, & eum colit ut patrem. Lugdunenſis Archiepiſcopus ſuam recepit ſedem, & provinciam Catholicæ reddidit unitati. Urbes Italiæ, ejecto Friderico ſchiſmatico, Catholicos Epiſcopos receperunt. Deo teſte, niſi dominus Rex ſuum revocet: quid de illo? timeo dicere, reformido. Et ſi eum revocaverit, & Eccleſiæ Dei reddiderit pacem: confido ſpe haud dubia, quia circa eum & ſuos antiquorum gratia ſucceſſuum precibus Eccleſiæ reflorebit. Quid multa? Una via patet conſilii, ut pravos & inimicos Eccleſię excludat conſiliarios, & Deum quem offendit, placare ſtudeat, quo invito, regnare non poteſt, nec princi-

c Dan. 6.

De Epiſcopis in ſuas ſedes reſtitutis.

A pari. Suſtinuit eum hactenùs multa patientia, ſed niſi caveat, adversùs immoderationem ejus, ut parturiens, loquetur in brevi.] Hucuſque Joannes hoc anno, ut ex dictis apparet. At poſt hæc magna facta eſt rerum mutatio.

LIV. Nova tentat Angl. Rex.

Inter hæc enim ipſe Anglorum Rex ſuaſione peſſimorum conſiliariorum, ut imminentem ſententiam excommunicationis eludat, ad alia remedia ſe convertit, novas, eaſdemque ſubdolas, ſed potentiores excogitat artes, nempè novam adornare legationem, Sinonem alterum Romam mittere, qui falſis adhibitis juramentis, decipiat Alexandrum, & auro corrumpat quos B poterit Cardinales. Delectus eſt ad ſcelus nequiſſimus omnium hominum, perjurus, excommunicatus Joannes de Oxeneford, Decanatus invaſor, de quo ſuperiùs mentio facta eſt, qui mendaciis, falſiſque promiſſionibus ſuffarcinatus & auro, judicium totum inverteret, atque primùm ab inferendis ſententiis excommunicationis & interdicti Alexandrum Papam revocet, deceptum firmis propoſitis promiſſionibus pacis, & integra reſtitutione omnium à Rege invaſorum Eccleſiæ jurium. Jurato nuntio credidit Alexander; ſuſpendit judicium inchoatum, atque decernit peti- C tam ad hæc agenda legationem. Sed etſi quem Rex petierat, Vvillelmum Papienſem presbyterum Cardinalem tituli S. Petri ad Vincula Legatum decreverit, quem putaret ad permovendum amicum Regem idoneum valdè ad componendam pacem inter Regem Anglorum & ſanctum Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopum: tamen quòd ipſe ob amicitiam Regis ſuſpicione non modicùm laborare poſſet penes eos, qui partis eſſent adverſæ: collegam adjecit, virum penitùs incorruptibilem, magnique nominis, ex integritate vitæ D in Romana Eccleſia & ubique terrarum in Orbe Chriſtiano notiſſimum, Ottonem diaconum Cardinalem ſancti Nicolai in Carcere Tulliano, qui virtute ſua collegam, ſi opus eſſet, cohiberet; & intra juſtitiæ arctos limites contineret. At quantumcumque iſta prudenter Alexander Papa de legatione mittenda ſtatuerit: nihilominùs, quæ laude digna videri poterant, ea præcurrentis nuntii evulgatis ubique mendaciis reddita ſunt credentibus tanti nominis indigna Pontifice, ita ut in eum etiam ab ejus amicis, & Catholici nominis ſtudioſis fuerit verbis atque ſcriptis ab E omnibus conclamatum. Quàm autem iſta vera ſint, ex litteris ejuſdem Pontificis inferiùs recitandis intelliges. Quòd autem, quouſque iſta non innotuerunt, fuerint in ipſum converſæ linguæ etiam ſapientum: diſces ex iis quæ proximè dicturi ſumus, quibus planè intelligas, etiam quemlibet, licèt ſanctiſſimum, in ſignum poſitum, in quem detractionis ſagittas inimici jaciant pariter & amici. Nam audi quæ vindex Eccleſiaſticæ libertatis, & jurium Romanæ Eccleſiæ propugnator licèt ex corde puro, verba tamen depromat amarulenta, ipſe inquam Thomas Cantuarienſis Epiſcopus: cùm videlicèt Nuntius Regis Joannes Oxeneford ex Urbe in Angliam rediens gloriaretur ubique locorum, ſe quæcumque petiiſſet, obtinuiſſe ab Alexandro Pontifice tàm pro Rege, quàm pro ſe ipſo, de collata Regi auctoritate multa falſa commiſcens veris, quibus pervulgatis, & creditis, idem ſanctus Thomas has ſummo dolore affectus ſcripſit ad Joannem gentilem ſuum:

L V. a Cod. Vat. li.1, ep.154.

Thomas (a) Dei gratiâ Cantuarienſis Eccleſiæ miniſter humilis Joanni Cantuarienſi ſalutem.

B Quomodò de novo facti ſummus opprobrium vicinis noſtris, ſubſannatio & illuſio iis non modò, qui in circuitu noſtro ſunt, verùm etiam omnibus ferè gentibus utriuſque regni, & Francorum & Anglorum, & fortè Imperii; qualiſque fama, ne dicamus, infamia & ſcandalum circumvolat per aures & ora omnium in dominum Papam, unde magis dolemus (Deus novit) quàm de propria perſona; & in totam Curiam graviter frementium & inſultantium, & improperia inexpiabilia improperantium, ex ſubſcriptis poteris aliquatenùs perpendere, & domino Papæ, & amicis (ſi C qui tamen ſunt) ſecretiùs intimare] ſubiicit his quæ fideli relatione ex Anglia eſſent nuper allata; ait enim:

Ecce Joannes de Oxeneford, & alii Regis Nuntii à Curia redierunt, extollentes ſe ſuper id omne quod dicitur, aut quod colitur Deus, dicentes ſe impetraſſe à Curia quidquid deſideraverunt, Videlicèt, quòd Rex exemptus ſit à poteſtate omnium Epiſcoporum, præterquàm domini Papæ, quoad excommunicationis innodationem. Et quòd habiturus ſit Legatum quem petivit, Vvillelmum ſcilicèt Papienſem, qui inimicus noſter eſt pluſquàm manifeſtus, D cum plenitudine poteſtatis in omnem terram Regis, ut ædificet & plantet, & præſertim eradicet & evellat, omni remedio appellationi ſublato, & maximè ad decidendam principalem, quæ inter Regem & nos vertitur, cauſam, & omnia incidentia omni exceptioni & omni de * cætero, ut dicitur, præjudicium allaturum. Et cum hac pompa, & cum hoc faſtu rediit Joannes de Oxeneford in Angliam. Et cùm applicuiſſet in portu quodam: invenit ibi fratrem noſtrum Herefordenſem Epiſcopum, auram proſperam ad transfretandum furtim E ſaltem expectantem, quia palàm non poterat, prohibitus à miniſtralibus regiis, ex parte Regis, & litteris ejus. Quo invento, inhibuit ei primò ex parte Regis, ne tranſiret, deinde ex parte domini Papæ. Epiſcopo autem quærente (ſicut nuntius ſuus, qui ad nos poſteà venit, dominum ſuum excuſaturus nobis retulit) utrum ſuper hoc domini Papæ litteras haberet. Dixit ſe habere, quibus inhibebat dominus Papa & ei, & omnibus Epiſcopis Angliæ, ne venirent ad vocationem noſtram, atque in aliquo obedirent, quouſque veniret Legatus de latere domini Papæ à Rege impetratus,

Qui

Qui & cauſam ſuper appellationem, quam ſecerunt, & cauſam etiam principalem inter Regem & nos, & omnes alias incidentes, cum plenitudine poteſtatis, amoto omni appellationis obſtaculo, terminaret.

LVI. Cùm inſtaret Epiſcopus, ut litteras inſpiceret: dixit ſe non habere præ manibus, quia miſerat eas cum expedimento ſuo uſque Vvintoniam, quæ diſtat à portu Hantonæ per duodecim milliaria. Miſit Epiſcopus, habitu conſilio cum ſuis, Vvintoniam cum Joanne magiſtrum Eduardum clericum ſuum, virum probum (ut credimus) & fidelem, qui vidit litteras unà cum Londonienſi Epiſcopo ſimiliter transfretare volente. Qui Londonienſis viſis litteris, prorupit in vocem gratulabundus, dicens: De cætero Thomas meus non erit Archiepiſcopus. Adjecit etiam Joannes, quia ipſe privilegiata erat perſona, nec de cætero poſſet à nobis excommunicari, nec etiam conveniri, niſi in præſentia domini Papæ, & liberam ſe habere poteſtatem donandi Decanatum Sareſberienſis Eccleſiæ cui vellet; & in omnibus imminutam noſtram dignitatem uſque in adventu Legati venturi. Hæc omnia mandavit nobis Epiſcopus per Capellanum ſuum Canonicum regularem, virum religioſum, quem miſit ad nos excuſaturum, quare non venerit ad vocationem noſtram. Vocaveramus enim eum ſemel & ſecundò, & tandem tertiò cum peremptorio edicto, quatenùs infra Purificationem exhiberet nobis præſentiam ſuam, tamquàm vir magnæ auctoritatis & familiaris Regis, tractaturus de pace inter Regem & nos, ſi quomodò fieri poſſet. Hæc omnia paratus erat Canonicus jurare, ſe ita accepiſſe ab ore Epiſcopi, nobis ex parte ejus ſignificanda,

LVII. Quæ ſi vera ſunt, tunc proculdubiò ſuffocavit & ſtrangulavit dominus Papa non modò perſonam noſtram, ſed & ſe, & omnes Eccleſiaſticas perſonas utriuſque regni; immò etiam utramque Eccleſiam, tàm Gallicanam, quàm Anglicanam. Quid enim exemplo hoc peſſimo non audebunt cæteri Principes terrarum adversùs Eccleſiaſticas perſonas? Ad quem recurrent? Quomodò confidere poterunt de Eccleſia Romana, quæ nos pro ipſa ſtantes, & uſque ad ſanguinem decertantes ita deſeruit & deſtituit? Quid erit, ſi manentibus his inauditis & deteſtandis privilegiis, & emancipationibus tàm perſonæ Regis, quàm aliorum, ſub quocumque prætextu contingat (quod Deus avertat) ut decedat Papa, vel ut in Urbe turbata fuerint omnia? transferentur hæc in hæredes, nec poterunt avelli à manibus eorum. Et quod deterius eſt, alii Principes hoc exemplo ſimilia extorquebunt privilegia, & mancipationes ab Eccleſia, velit, nolit ipſa, & ſic peribit omnis Eccleſiæ libertas, & Epiſcoporum juriſdictio atque poteſtas, cùm non ſit, qui cohibere poſſit & coercere tyrannorum flagitia, quorum tota intentio eſt hodiè, graſſari in Eccleſiam Dei & ejus miniſtros; nec deſiſtent, quouſque eos ſicut & alios, in ſervitutem redegerint.

LVIII. Quis tandem erit finis, adhùc neſcimus. Verùm id ſcimus, quia ſupra modum gravamur, ſive vera ſint, ſive non, quæ proponuntur. Non enim obediunt nobis, nec reſpiciunt nos in aliquo, ſicut ſolent, vel Epiſcopi, vel Abbates, vel alii de Clero Angliæ, jam quaſi certi de depoſitione noſtra. Verùm ſecurus ſit dominus Papa, quòd nulla ratione intrabimus terram Regis litigaturi, nec ſtabimus judicio inimicorum noſtrorum, & præſertim Papienſis, qui non ſitit niſi ſanguinem noſtrum, ut obtineat ſedem noſtram, quæ reverà (ut accepimus) ei promiſſa eſt, dummodò à nobis Rex poſſit liberari.

Eſt & aliud, in quo gravamur, quia nobiles viri tàm proceres, quàm Epiſcopi & alii Prælati de regno Francorum jam quaſi deſperati de nobis, coexules noſtros, quos miſericorditer ſuſtentabant, nobis remiſerunt. Qui frigore & fame de cætero peribunt, ſicut & quidam jam perierunt. Hæc omnia domino Papæ diligenter inſinua, ut remedium aliquod contra hæc mala nobis provideat, ſicut petimus, ſi quid zeli Dei in eo remanſit, quod adhùc ſperamus, & utinam ſpes non confundat. Vale, & quàm citiùs poteris, nuntium nobis iſtum remitte, per quem de his & aliis certioremur, utpotè in arcto conſtituti, ſi vera ſunt quæ proponuntur.] Hucuſque ſancti Thomæ litteræ in Urbem miſſæ ad ſuum ibi degentem Apocriſarium. At non hic finis querelarum in Alexandrum Pontificē ingeſtarum: recitanda hìc eſt adhùc epiſtola (a) Lombardi Sedis Apoſtolicæ ſubdiaconi hoc tempore agentis in Galliis, ad eumdem Pontificem data: nam ei primo præficitur titulus iſte: Alexandro Papa Lombardus Romanæ Eccleſiæ ſubdiaconus.] Moxque ſic incipit:

a Cod. Vat. l.1. ep.165

LIX. Reverendo Patri ac domino Alexandro Dei gratia ſummo Pontifici Lombardus ejus clericus fidelis obedientiæ famulatū.

Cùm veſtræ ſanctitatis puer, & veſtrarum manuum opus in Chriſto ſim: quæ in veſtræ famæ ſugillationem atque veſtri nominis derogationem celebriter dicuntur, quæque in totius Eccleſiæ detrimentum callidè ſtruuntur: diſſimulare nec poſſum nec debeo. Joannes ſiquidem Oxenefordenſis cum Decanatus honore & gratiæ veſtræ plenitudine Roma rediiſſe inſolenter ſe jactat, nihilominùs arroganter adjiciens, ſe privilegio fore munitum adversùs dominum Cantuarienſem, & omnem Epiſcopum, & quaſi paulò minùs à Cardinalium ordine conſtitutum vobis ſoli & Apoſtolatui veſtro ſe ſubjectum aſſerit. Prætereà, quòd regnum nullum umquam obtinere valuit, pro Rege obtinuiſſe, gloriando ſuperbè loquitur, ſcilicèt inter Regis filium & filiam Comitis Britanniæ in tertio gradu conſanguineos matrimonium veſtra auctoritate firmatum. Addens quoque à Rege Legatos ſpecialiter poſtulatos deſti-

A deſtinari qui appellationis remedio ſublato, audiant & deficiant quidquid Regi adversùs dominum Archiepiſcopum placuerit proponere. Hæc ſanctiſſime Pater, Joanne Roma redeunte, divulgata ſunt. Quæ quantò magis inuſitata, quantò rarius fieri ſolent, tantò vehementiùs audientium animos perculerunt. Quibus auditis, Francorum Rex, veſter, & Eccleſiæ filius devotus ita vehementer turbatus eſt, ut confeſtim ſe velle Nuntios dirigere, qui veſtris Legatis regni ſui ingreſſum inhiberent, diceret, plus aliquid fecit, quod in ore latoris poſui. Convocare etiã Archiepiſcopos & Epiſcopos ſe velle dixit, B quatenùs eis exponeret, atque proponeret, quomodò Romana Eccleſia adversùs ſe & eam malignantes exaltat, eum autem deprimere quærit, dicens: An non laborat me inhonorare, qui ſanguinem Cantuarienſis Archiepiſcopi viri innocentis, pro juſtitia & Eccleſiæ libertate exulantis callidè effundere quærit, impiè tradens ipſum in manus inimicorum & perſequutorum ejus, quem non obſequiorum obtentu ..... cùm nobis magis injurias intulerit, obſequendo tamen ei qui nunc ipſum perſequitur, ſed potiùs juſtiſſimæ C cauſæ, quam ſovet intuitu, ejus probitatis contemplatione, amore etiam domini Papæ, qui ſatis inſtanter me pro eo rogavit, exhibere honorificè & decenter, quam diu in exilio fuerit, & quaſi in ſinu meo confovere conſtanter diſpoſui, ſicut & jam cœpi? Denuntians etiam, & manifeſtè proteſtans, non eſſe ſibi minus moleſtum, quòd pro hac cauſa Legatos mittitis, quàm ſi ad coronam ſibi auferendam eos deſtinaretis. Ejus animum adeò concitatum non defuerunt qui magis incenderent.

Quid de Rege Francorum insinuet.

LX. Data eſt occaſio adversùs nos, & Dei Eccleſiam malignandi, atque plurima moliendi iis, D quibus ab initio animus & nocendi vobis conatus fuit, quorum malevolum propoſitum veſtra non mutavit indulgentia, etſi horum conatum repreſſerit auctoritas. Hæc per quemdam clericum vobis fidelem & devotum, præſentem dum hæc agerentur, mihi ea privatim referentem didici. Illud unum, Pater ſanctiſſime, veriſſimè ſcio (quod tamen abſque lacrymis non ſcribo) quia veſtri nominis odor ex aliqua parte offuſcatur, quoniam famæ veſtræ derogatio quaſi cibus eſt & potus detrahentium & maledicorum, qui velut vino potati & inebriati, veſtram famam diſcerpunt, & quaſi vos totum male- E dictionis dentibus corrodunt, tàm faventes domino Cantuarienſi, quàm eum odio perſequentes, maximè cùm propè eſſet dies victoriæ ejus & veſtræ, ſicut à multis credebatur. Timebat enim Rex adeò, die appellationis elapſo, excommunicari, univerſamque terram ſuam interdici, ut manifeſtè diceret, ſe Epiſcopis appellare nec perſuaſiſſe, nec compuliſſe, ideòque partes ſuas in ea re non eſſet interpoſiturus. Epiſcopi verò in tantum angebantur, & interdici metuebant; ut quidam ad dominum

A Cantuarienſem nuntios mitterent, quidam ad ejus vocationem parati eſſent.

LXI. Cùm Joannes de Oxeneford velut Legatus veſter univerſos Epiſcopos convocans, eis auctoritate veſtra, ſicut fama eſt in Gallia, ne ad domini Cantuarienſis vocationem venirent, præcepit. Qua occaſione magiſter Robertus Herefordenſis Epiſcopus, cùm jam ad mare veniſſet, tranſfretaturus, revocatus eſt, ſicut ipſe coram domino Cantuarienſi per Nuntios ſuos viros religioſos & benè notos, me præſente, ſe excuſavit. Propterea tanta eſt in multorum animis perturbatio: verentur enim Re- B gis verſutias, & ex his Anglicanæ atque omnium Eccleſiarum terræ ſuæ ruinam, & libertatis ſubverſionem, ac prolixiorem, vehementioremque Archiepiſcopi perſecutionem. Quippè cùm à multis & ſæpè, quod Rex in adverſa fortuna, & obitu veſtro (quem Deus ſua benigniſſima clementia in longa tempora differat) omnem ſpem ſuam locaſſe dicatur, firmiſſimè aſſerens (ſicut à pluribus fertur) ſucceſſorem veſtrum nequaquàm ſuſcepturum, niſi priùs omnes dignitates & conſuetudines regni ſui confirmaverit. Ea propter dolosè & fraudulenter creditur Legatos poſtulaſſe, C ad ſuam voluntatem non ſolùm adversùs dominum Cantuarienſem, verùm etiam adversùs omnes Epiſcopos terræ ſuæ comprimendam, velut ſaltem ſic ejus excommunicatio terræ interdictum differatur. Quatenùs hoc modo fruſtrando tempora, domini Cantuarienſis auctoritatem evacuare poſſit, ut ſi fortè veſtro tempore non ligetur, à ſucceſſore veſtro ligari non metuat, cùm nec facilè (ſicut à multis dicitur) propoſuerit eum ſuſcepturum. Itaque prudentiſſime Pater, qui ſpiritum Dei habent, & pacem Eccleſiæ deſiderant, ſpiritum Danielis (a) in vobis excitari ad D Belis aſtutias deprehendendas, & draconem interficiendum, ſummo animi affectu optant, ſuper quo Deum aſſiduis & cumulatis precibus exorant. Valeat ſanctitas veſtra in tempora multa] Hucuſque Lombardus, quem dicet aliquis Theologum illum inſignem, qui Pariſiis claruit, dictum proprio nomine Petrum Lombardum, his enim temporibus vixit.

LXII. Audiſti Regis Francorum querelas & aliorum, quas Lombardi litteræ prodiderunt: audi modò Regis Anglorum ſuperbam exultationem cum inſultatione ex eodem caſu depromptam, quæ bonis luctum E haud mediocrem afferret. Extat enim de his epiſtola Joannis Sareſberienſis ad Joannem Epiſcopum Pictavienſem, in qua poſt alia, iſta de Rege Anglorum habet: (b) Ipſe quoque Rex dixit Epiſcopo Vvigornienſi, quòd ipſe & alii omnes Epiſcopi exempti ſunt à poteſtate domini Cantuarienſis, præcepitque non timere minas aliquas, quia nunc dominum Papam & omnes Cardinales habet in burſa ſua: adeòque gloriatur, ut palàm dicat ſe nunc demùm avi ſui conſecutum privilegium, quia in terra ſua erat Rex, Legatus Apoſtolicus, Patriarcha,

a *Dan. 14.*

b *Cod. Vat. li. 1. ep. 178.*

cha, Imperator, & omnia quæ volebat: & ferè (quod ad Eccleſiam Romanam) probabile eſt quod dicit. Quid enim ei ampliùs contuliſſet Octavianus, vel Cremenſis hæreſiarcha? Quid aliud feciſſent Cardinales eorum, quàm præfati illi domini Alexandri Cardinales, qui exacuerunt linguas Angliæ, & ignem & venenum fecerunt evomere, ut terrerent dominum Papam, & inclinarent ad libitum ſuum? Hæc in Eccleſiæ Romanæ ſcribentur Annalibus, & certè, Deo procurante, qui deſcribant, non deerunt.

LXIII. Quod ad petitionem & comminationem Regis Angliæ, cujus intolerabiles exceſſus tanto tempore ſuſtinuerat, præconem veritatis, libertatis aſſertorem, prædicatorem juſtitiæ pro cauſa Domini cum infinita multitudine innocentum jam quadriennio exulantem, neglecto rationis & juris ordine, velut criminoſum, officii ſui poteſtate privavit, non quidem quia ille meruerit, ſed quia placuit tyranno. Et tamen patentibus litteris, quæ apud nos ſunt, conceſſerat, ut officii ſui poteſtate pleno jure uteretur. In quibus hoc expreſſit, quòd ipſum Regem excommunicandi nec mandatum dabat, nec prohibebat. Deus bone, quid novitatis accidit? Dicit Spiritus ſanctus in Lege ſua: (a) Clama, ne ceſſes: & ecce neſcio quis ſpiritus ab Urbe in Orbem exiens, prædicatoribus dicit: Tace, ne clames. Præcipit Apoſtolus Epiſcopum inſtituens: (b) Miniſterium tuum imple: & ecce Apoſtolicus præcipit: Ab officii tui miniſterio deſiſte. Sed fortè ſuſpicatur, quòd hominem poſſit per patientiam emollire: ſed numquid hoc non expertus eſt in Epiſcopo Cantuarienſi, qui ferè quadriennio ſede ſua privatus, & Apoſtolicæ Sedis remiſſionem, & illius tyrannidem ſentit, expoſitus ventis? Pudeat quæſo dominum Papam conſcientiæ ſuæ, provideat famæ, & honori, & ſaluti Eccleſiæ. Et vos hæc ei diligentiùs intimate, & perſuadete dominis Cardinalibus, ut meminerint Judicii Dei, quod jugiter implorant pauperes Chriſti contra omnes libertatis Eccleſiæ inimicos.] Hucuſque Joannes Sareſberienſis, qui paulò ſolutior tanti Pontificis æſtimationem carpit, cujus eſt in ſuis epiſtolis ſæpè laudator, excuſator, atque defenſor.

Saresb. in Alex. Papam minus equus inventus.

a Iſai. 58.

b 2. Tim. 4.

Sed ut diſcas, Lector, valdè periculoſum eſſe, de ſummo Pontifice perperàm loqui & temerè judicare; audi quæſo pro Alexandro juſtam defenſionem, ſine qua haud iſta dignè Romanæ Eccleſiæ intexuntur Annalibus; ſiquidem nec numeros ſuſcepti muneris elucidandæ hiſtoricæ veritatis implebo; ſi quæ præter veritatem inveniuntur aſſerta, non vendicavero à mendaciorum involucris quibus perſtringitur, dum falsò jactata in eum ſunt tamquàm vera recepta abſque diligentiori examine veritatis, quam nos ex diverſorum litteris tunc ſcriptis, quibus arguuntur falſitatis divulgata per Joannem de Oxeneford, proferemus in lucem. Jam, Lector, attende.

Vidiſti quadriennii fermè temporis ſpacio, nimirùm triennio cum dimidio jam exacto, ejuſmodi controverſiam de Eccleſiaſtica libertate inter Regem & ſanctum Thomam, & unà cum eo inter Romanam Eccleſiam agitatam, indies magis in deterius prolapſam, nullatenùs acquieſcente Rege, ſive Epiſcopis, judicio ſubiici ejuſdem Thomæ Archiepiſcopi Cantuarienſis, à quo (ut vidiſti) idem Rex unà cum Epiſcopis ad Sedem Apoſtolicam appellaverat, atque per ſuos Nuntios appellationem fuerat proſequutus, petens adhùc per eoſdem legationem in Angliam mitti. De qua quidem petitione in primis falſum eſt, quod aſſeritur, à Rege Vvillelmum Papienſem Legatum dumtaxat eſſe petitum. Nam audi eumdem Sareſberienſem: Quæſivit, inquit, Rex noſter, ut Vvillelmus Papienſis, & alius Cardinalis mittantur Legati &c.] Qui &, ne ex eo, quòd alter illorum eſſet amicus Regis, inferretur aliquod adverſæ parti damnum, idem Pontifex alterum Legatorum talem elegit, qui eminenti probitate collegæ, ſi quid præter jus faſque tentaret, reſiſtere poſſet, quem & ſciret erga ipſum ſanctum Thomam eſſe propenſiorem. Nam audi, quæ Epiſcopus Pictavienſis, de ambobus agens, litteris (c) ad ſanctum Thomam datis ſcribit: Huic, inquit, Vvillelmo Papienſi adjunctus eſſe narratur dominus Oddo diaconus Cardinalis de Carcere Tulliano. Et utinam. Stellæ namque unius malitiam ſi non extinguat, temperat tamen & attenuat ſibi adjuncta magis propitia ſtella & benevola.]

Vendicatur Alex. Papa ab illatis in eũ calumniis.

c Cod. Vat. l. 1. ep. 163.

LXIV. Præterea, quod non ad cauſam judicandam (ut vulgo, auctore Joanne ferebatur) ſed ad pacem componendam ejuſmodi legationem Alexander Papa decerneret, litteræ ipſius, (d) quæ adhùc extant, apertè ſignificant. Sed & ne S. Thomas de eodem Vvillelmo Legato poſſet eſſe ſollicitus: idem Alexander ante omnia ab ipſo promiſſionem acceperat, illum haud quidquam adversùs Cantuarienſem Archiepiſcopum moliturum. Reddam ipſa verba Alexandri Papæ ſcribentis ad ſanctum Thomam: (e) Verùm, inquit, in jam dictos Cardinales potes omninò confidere, nec de memorato Vvillelmo oportet te quomodolibet dubitare, quoniam nos ei, ut ad pacem tuam viribus totis intenderet, firmiter & diſtrictè injunximus: & ipſe in tantum nobis promiſit, quod nos inde nullatenùs dubitemus:] Quinetiam re benè perſpecta, familiaritatem Vvillelmi cum Rege pacis negotio profuturam, idem Sareſberienſis concepit animo, atque ſcriptis prodidit, dicens ad ipſum: (f) Ceterùm ego interim ſpero, quòd hæc veſtri & domini Regis familiaritas, quæ molestis adeò ſuſpecta eſt, fructuoſa erit Eccleſiæ, neceſſaria nobis, ſalubris illi, & vobis glorioſa.]

d Lib. 1. ep. 1. 2. 3.

e Ib. ep. 1.

Suſpenſa, non dempta S. Thomæ poteſtas.

f Ib. ep. 8.

LXV. Præterea procurans pacem Alexander inter Archiepiſcopum atque Regem, non (ut turpiter mentitus eſt Nuntius ipſius

Regis)

A Regis) aliquo Eccleſiaſticæ libertatis diſpendio fieri debere mandavit, ſed aute omnis juribus Eccleſiæ voluit eſſe couſultum, ut planè hac ea parte ſancto Thomæ dubitandum minimè ſuerit, ex ea legatione Eccleſiaſticam libertatem pari potuiſſe aliquod detrimentum, quod iiſdem litteris idem Pontifea declarsvit. Inſuper nihil conceſſum eacommunicatis à ſancto Thoma Epiſcopis ab Alexandro (quod mentiebatur Oacneſordenſis) niſi ut inſtanre morte abſolvi poſſent, præſtita juratoria eautione, (a) litteræ Alexandri ad Angliæ Epiſcopos per eoſdem Legatos datæ manifeſtè docent. Sed nec etiam verum,

a Cod. Vat. l. 2. ep. 3.

B quod ſumma jactantia idem mentitus Oxeneſordenſis ſparſerat in vulgus, Regem exemptum fuiſſe ab Archiepiſcopi poteſtate: ſed ejuſdem auctoritatem in eum ad tempus dumtaaat ſuiſſe ſuſpenſam, dum per Legatos pacis cauſa tractaretur, quo tempore etiam ab inimicis esercitibus ſuſpenſio fit armorum. Cœterùm pace non ſecuta, ut in Regem ſuo utatur jure ſanctus Thomas, idem Alexander litteris (b) ad eum datis ita eapreſsè demonſtrat: Ceterùm ſi fortè (quod Dominus avertat) Rex in ſua duxerit obſtinatione indurato animo perſiſtendum: neque hac ſaltem vice in

b Id. ep. 7.

C reconciliatione tua, & tuorum atque Eccleſiæ pace voluntati divinæ, admonitioni noſtræ, & honori ſuo deferre voluerit: ex tunc ſi in regnum & regni perſonas, tuæ juriſdictioni vel metropolis aut legationis jure ſubditos ultionis debitæ ſeveritatem duaeris exercendam, & tuas, & Eccleſiæ tuæ injurias, pontificali gravitate ac maturitate ſervata, prout eapedire noveris, vindicabis.]

LXVI. Ad illud verò, quod de ipſo Nuntio Regis Joanne de Oxencſord Romam veniente Aleaander Papa viſus ſit benè mereri,

D dans ei Decanatum Sareſberienſis Eccleſiæ, quem eatortum ab Epiſcopo ſuo, Romæ renunciavit priùs in (c) manibus Papæ, & deinde ab eo accepit eumdem homo perverſus, ac prorsùs indignus: ad eacuſationem ejuſdem Pontificis iſta habet Joannes Pictavienſis in litteris (d) ſuis ad ſanctum Thomam: Joannes de Oaeneford plus gratiæ & favoris in oculis domini Papæ promeruit ex hoc, quòd ſuggeſſit ei, pacem inter vos & Regem poſſe reformari, ſi eſſet qui de ea fideliter tractaret. Promiſitque ſe ad hoc omnimodam operam daturum.] Additque, ſe ab Alexandro

c Idem ib.

d Lib. 1. ep. 163.

E fuiſſe eaconmunicatione abſolutum aſſeri, eò quòd regias illas abjuraverit conſuetudines, quarum cauſa eſſet omnis illa conflata diſcordia. Sic igitur his promiſſis, additiſque iſtiuſmodi promiſſioni pacis illecebris, Aleaander Papa deceptus ab eo fuit. Qui & egregiè mentitus eſſe invenitur, cùm rediens, illud ſparſit in vulgus, ſe privilegio Papæ eaemptum fuiſſe à poteſtate Cantuarienſis Archiepiſcopi: nam ſuſpenſam tantùm ad tempus uſque legationis illius è latere miſſæ ſancti Thomæ auctoritatem, non autem abrogatam, quæ

A dicta ſunt ſuperiùs, docent. Porrò adversùs eumdem Joannem Oaeneſordenſem, qui adeò falſa ſparſiſſet in vulgus, Alexander Papa (e) ſcribens ad Legatos anno ſequenti, eum diſtricto judicio puniri præcepit. Rrddemus eaſdem litteras ſuo loco.

e L. 2. ep. 23

LXVII. Hæc dicta ſunto ad diluendas in Alexandrum Papam per Oaeneſordenſem jactatas in Anglia ealumnias, eaſdemque à Saresberienſi ad tempus malè acceptas, & ereditas. Nam licèt (ut audiſti) in Alexandrum Pontificem ſuerit oblocutus, ruxsùm laudat ipſum, & aliqua ea parte exculat quod ſecerat urgente neceſſitate, ait

B enim ſcribens (f) ad ſanctum Thomam: Nec de Eccleſia Romana, cujus mores & neceſſitates nobis innotuerunt, multùm cõfido. Urique Alexander Papa vir ſanctus & juſtus eſt, ſed ejus ſunt tot neceſſitates, & tanta aviditas & improbiras Romanorum, ut interdum utarur licentia poteſtatis, procurerque diſpenſarione, quod Reipublicæ dicitur eapedire, etſi non expediat religioni. Ac (g) rursùs: Nec retardet vos, ſi in Eccleſia Romana videtis aliquid reprehenſibile, qui meminiſtis in Euangelio (h) mandatum eſſe Fidelibus,

f Lib. 1. ep. 160. in fine.

g Idem ep. 167. in fine.

C ut non imitentur opers ſedentium in eathedra Moyſi, ſed doctrinam eorum operibus impleant.] At iſta & alia omnia omninò correait ſuis poſtremis litteris de his datis poſt res benè exploratas, dum brevi compendio univerſam hanc cauſam ab adventu peſſimi hominis illius Joannis Oseneſordenſis tractat, hæc ſcribens ad (i) Milonem Morinenſium Epiſcopum: Si quis ea quæ Romæ geſta ſunt, diligentiùs recolat: planè videbit, quòd Romanus Pontifea etiam circumventus, cauſam Eccleſiæ & noſtram fideliſſimè procuravit. Jam dictus enim Joannes *Oxeneſordenſis*

h Matt. 23.

i Lib. 2. ep. 97.

D *ſcilicèt*, tandem præſtito juramento, de more abſolutus, id itidem publicè juravit, quòd nihil in præſato ſchiſmaticorum conventu ſecerat contra fidem Eccleſiæ, & honorem & utiliratem domini Papæ, & utinam non pejeraſſet! Poſtmodùm commendaticias & deprecatorias porrexit ex parte domini Regis, quibus inſerrum erat, ut illi tamquàm Regi ipſi in omnibus crederetur. Deinda tanta fultus auctorirate, cauſam, quæ inter Regem & Archiepiſcopum ſuper pravis conſuetudinibus vertitur, domini Papæ committit arbitrio, ut illæ ad nutum ejus roborarentur, aut caderent,

Omnia de Alex. Pap. ſuſpicio tollitur.

E & Archiepiſcopo ad formam mandati ejus paa omnimoda reformaretur. Et hoc item confirmans juramento obtinuit, ut dominus Papa concederet, ſe ad hoc Legatos eſſe miſſurum.] Hæc ipſe. Quibus vides, hominem tanta pollicentem, haud vanè, ſed litteris regiis, ſi vera fuiſſent, & cuncta juramentis confirmantem, haud irremuneratum à Pontifice debuiſſe dimitti. Quod & præſtitit, ut idem teſtatur auctor ſequenti (k) epiſtola: Nam anulo donatum, & beneficio Decanatus auctum remiſit in Angliam, unde in poſterum crevit

k Cod. Vat. lib. 1. ep. 98.

fallen-

Digitized by Google

LXVIII. Rex Angliæ auro curat corrumpere Cardinales.

fallendi fiducia, & decipiendi patet major occaſio. At utinam Cardinales quoſdam auro corruptos poſſem ſicut Pontificem excuſare! Verùm abſit ut, quod fuit reprehenſione maxima dignum, velim excuſatione purgatum; immò muſcas iſtas morituas perdentes odorem unguenti, ſemper dixerim invectivis acerbiſſimis inſectandas.

Per eumdem igitur Legatum ſuum nonnullas auri libras Romam Rex Anglorum miſit erogandas in Cardinales. Acceperunt complures turpiter; alii autem laudabiliter abſtinuerunt omninò, quòd ejuſmodi munera Regum in ignominiam cederent Apoſtolicæ Sedis. Quod & contigit. Ejus enim rei cauſa, graviſſima illata ſunt ſcandala, & denigrata valdè facies Sponſæ Chriſti, Eccleſiæ ſanctæ: nam audi quæſo S. Thomæ juſtas de his querelas, (a) ſcriptas ad Archiepiſcopum Moguntinum: Ego, inquit, dolendo dico rem dolendam nimis. Capta eſt Urbs inclyta, quæ jam ferè totum ſubegerat Orbem, ſubverſa humanæ gratiæ cupiditate: & quæ gladio perire non poterat, occidentali veneno infecta ſuccumbit. Proh dolor, ipſius occaſu fit undique diſpendium libertatis Eccleſiæ compendio temporalium. Itur in ipſius ruinam per anfractus divitiarum: proſtituta eſt ut fornicaria, quæ multorum libidini patet in platea: fornicantur cum ea quilibet potentum] Hæc & alia magna animi ſui amaritudine S. Thomas jam martyrii candidatus in amici fidelis aures infudit, occaſione utique miſſi auri ab Anglorum Rege ad corrumpendam Romanam Eccleſiam. De quo audi etiam querelas Pictavienſis Epiſcopi, ita ſcribentis ad Lombardum: (b) Gloriatus eſt etiam Rex, ſe tales amicos habere in Curia, qui omnes conatus Archiepiſcopi Cantuarienſis evacuabunt, & ita ſeduli ſunt in promovendis negotiis ejus, ut nec unam petitionem porrigere poſſit, vel aliquid impetrare, quòd per amicos non mittatur ad ipſum. Scimus & nomina eorum, quorum conſilio utitur, & qui nuper egerunt in Curia, ut cauſa Dei, & pauperes Chriſti vili pretio penderentur. Neque enim fuit multitudo in commutationibus eorum. Numquid fuiſſent illæ unciæ auri, quibus impulſi ſunt ut caderent, quos Eccleſiæ columnas oportuerat eſſe? Adeòque de triumpho ſuo elatus eſt Rex, in domo ſua fateri non poſſit, qui Cardinales de illo peſtifero & infami auro nihil acceperint, quive procuraverint quomodò diſpenſaretur; aliis plus, aliis minus, ſecundùm quod magis aut minus quis promeruerat ad juſtitiæ ſubverſionem.] Hæc de his ipſe.

a Idem ep. 2.

b Idem ep. 32.

LXIX. Qui auri abſtinentes fuerint Cardinales.

Ex iis autem qui accipere noluerunt, fuere inter alios Humbaldus & Hyacinthus S. R. E. laudatiſſimi Cardinales, S. Thomæ faventes, de quibus extat ejuſdem S. Thomæ (c) epiſtola, ubi de auro ab ipſis contempto ingeritur honorifica mentio, cùm ipſi non ſolùm ab auro Angliæ Regis ſe laudabiliter abſtinuerint, ſed ſuum quod haberent, profuderint in Anglos ipſos, pauperes exules, cauſa Eccleſiæ laborantes. Ait enim ſanctus Thomas: Nos alii verbis, ſed veſtra rebus & opibus benignitas conſolatur. Doluiſtis vicem noſtram & calamitatem Eccleſiæ, & pauperum Chriſti coexulantium anguſtias hic habuiſtis ut veſtras. Præmia fraternæ charitatis & veræ compaſſionis fructum vobis in illa die tribuat juſtus Judex, qui miſericordibus in gratia uberi miſericordiam pollicetur. Non abiiſtis poſt aurum, quo nuper ad læſionem noſtram, & Apoſtolicæ Sedis confuſionem capti ſunt quidam, quorum patrocinio receptis litteris Apoſtolici, quas lectitari facit in utriuſque regni compitis Rex Anglorum, ſe de Romana Eccleſia gloriatus eſt triumphaſſe, nec immeritò: voti ſiquidem compos effectus eſt. Et nunc in Eccleſia Dei, nemine contradicente, pro libito debacchatur, ſperans (quod Deus avertat) dominum Papam, vel me, pro voto ſuo interim moriturum.] Et inferiùs, poſt ærumnas ſuas recenſitas, hæc rurſùm de auro Romæ erogato: Novit utique Dominus qui ſunt ejus, & Eccleſia jam ſcivit ex parte qui non ſunt ejus. Nam Rex Anglorum prædicat qui ſui ſunt, nec tacitum eſt, quot, & quibus erogatum eſt aurum: ſed munera ejus ſpolia noſtra, ſpolia pauperum Crucifixi, immò ipſius Chriſti ſpolia ſunt, immò minima portiuncula ſpoliorum.] Hæc ideircò, quòd redditus Cantuarienſis Archiepiſcopatus ampliſſimos ipſe Rex ſacrilegè caperet. Hæc, inquam, adeò turpia & deteſtabilia excuſare non poſſumus nec debemus. Nam qui ſic regio capiuntur auro, plumbei ipſi redduntur, deformes exiſtimatione, flexibiles levitate, graves pondere conſcientiæ, Deo inviſi hominibus expoſiti ſubſannandi; & conculcandi, ut ſal infatuatum, quod ad nihilum valet ultrà. Perdat hos Deus; ne inficiant ſanctam Eccleſiam non habentem maculam neque rugam: perdat hos Deus antequàm prodant ipſi Eccleſiam in manum laicam. Sint iſta errata majorum major cautela ſucceſſorum.

c Idem ep. 54.

LXX. Joan Cardin. Neap. auri cupidi legationes in Sicilia.

At præſens annus aliud magis deteſtandum de alio Cardinali in Siciliam miſſo ab Alexandro Papa Legato miniſtrat exemplum; de Joanne Neapolitano ſcilicèt, qui miſſus eſt ab Alexandro Legatus in Siciliam ad novum Regem Vvillelmum Secundum, ut electos Epiſcopos Romam mitteret conſecrandos, & ad cognoſcendam cauſam electi Syracuſani. Quòd enim lucri cauſa homo iſte frequenter ejuſmodi munus legationis in Siciliam extorquere conſueverit ab Alexandro Pontifice: dicterio ſcurræ publicè non abſque dignitatis ampliſſimæ dedecore eſt ſugillatus. Rem geſtam Hugo Falcandus, qui tunc iſta præſens exiſtens ſcribebat, ita narrat: Nec illud reticendum arbitror, quòd cùm ad Cardinalem magnates Curiæ die quadam cæterique proceres & Epiſcopi conveniſſent; aderat inter eos notæ loquacitatis

& urba-

& urbanæ quidem inſaniæ, qui ob ſtultitiam ſuam liberè quidem & nimis quandoque mordaciter in ipſos etiam familiares, *Regis ſcilicet*, invehi conſueverat, & aſſiduè Curiam ſequebatur. Hic cùm univerſos ſolitis verborum contumeliis afficiens; ad riſum ſingulos permoviſſet: tandem omiſſis ceteris, Joannem Neapolitanum intuitus: Quot, inquit, ò Cardinalis, videtur tibi milliaria Panormum ab Urbe Roma diſtare? cùmque reſponſum eſſet, quindecim dierum itinere. At ego, inquit, te videns toties, tamquam ſecurè tanti difficultatem itineris quaſi negligendo diſcurrere, non ampliori ſpacio ab Romanis eſſe, quàm viginti milliariis arbitrabar. Nunc autem intelligo, quia ſpe lucri ductus, pericula tanta contemnis; ſentiens in manus ſtultorum theſauros palatii deveniſſe. Quòd ſi Vvillelmus ſenior viveret, nequaquàm Romam redires ita ſuſtentatus auro Siciliæ, neque Panormum toties recurreres, ut contentiones & riſas in Curia ſuſcitares. Hoc illius dictum cùm aſtantibus placuiſſet, ſubitò diſperſum in populo, multam adverſus Cardinalem plebis invidiam excitavit, verſumque eſt in proverbium: Joannem Neapolitanum ab Urbe Roma uſque Panormum viginti milliaria computare.] Hæc ipſe. Sed unde corraderet perverſor jurium iſte pecuniam, ex iis quæ inferiùs idem auctor ſubiicit, noſces; ait enim:

LXXI. De ſolvendo quoque matrimonio præcepit Regina Curiæ familiaribus, ut convocatis Epiſcopis, aliiſque perſonis Eccleſiaſticis, & auditis utriuſque partis allegationibus, quod inde dictaret æquitas expedirent. At illi rogaverunt Cardinales, ut ejuſmodi intereſſent examinationi negotii; eò quòd ipſi promptiorem harum rerum haberent notitiam, cùm Romana Curia frequenter ſuper hujuſmodi cauſis cognoſceret. Joannes ergò Neapolitanus eorum facilè petitioni conſenſit: Epiſcopus autem Oſtienſis, vir honeſtatis non dubiæ, cùm ſocium ſuum vidiſſet muneribus & gratiis eſſe corruptum, eoque ipſo rectè judicandi libertatem ſublatam, nullis precibus adduci potuit, ut eorum vellet judiciis intereſſe. Cauſa verò, propter quam prædictus Richardus putabat oportere ſolvi conjugium, hæc erat, quod ſe dudum ante prædictum matrimonium, cum quadam uxoris ſuæ conſobrina rem habuiſſe dicebat. Cujus rei teſtes proceſſerant duo milites, hoc ſe vidiſſe certiſſimè proteſtantes. Quod cùm adverſa pars denegaret, eſſentque qui falſum eos perhibere teſtimonium probaturi aſſererent; cauſam ejuſmodi crederent, etſi conſtaret; ad ſolvendum matrimonium poſſe ſufficere, ſed ut objecti conſanguineæ ſuæ criminis infamiam propulſarent: Cardinalis rem breviter ſatagens definire, prædictos teſtes jurare præcepit. Inde ſoluto matrimonio, & ab utraque parte de non coeundo deinceps, præſtito ſacramento; Richardo poteſtatem

Deteſtandum judicium Io: Card. auro corrupti.

A dedit ad ſecundas licitè tranſeundi; illam autem juſſit ſine ſpe conjugii permanere. In quo licèt cum Eccleſiaſtici viri qui aderant, Richardi de Sagio & amicorum ejus gratiam ſequutum fuiſſe, non ambigerent; illud tamen propenſiùs mirabantur, quòd viro qui deliquerat, abſoluto, mulieri quæ nihil admiſerat, perpetuam continentiam indixiſſet. Cùmque latenter ejus impudentiam arguentes, tentandi gratia peterent ab eodem: Utrum in cauſis paribus idem jus conſequenter admitterent? Reſpondit ſibi licere, quod eis non liceret, neque nunc id ſe feciſſe, ut id conſequendum B aliis traderetur.] Hucuſque Hugo Falcandus de ſcandalis, quæ amore auri Cardinalis venalis inferret.

LXXII. De tempore adventus Petri Bleſ. in Siciliâ.

Sed quòd in Sicilia ſumus, & tempus exigit, de Petro Bleſenſi fama notiſſimo aliquid dicendum. Hoc ipſo anno, nempè ſequenti à coronatione Vvillelmi junioris (ut idem qui ſuprà teſtatur Hugo Falcandus) petente Margarita Regina Regis matre ab avunculo ſuo Rothomagenſi Archiepiſcopo, ad curam novi Regis mitti aliquem ex conſanguineis: mittitur ab eo in Siciliam cum Stephano filio Comitis Perticenſis, inter alios triginta ſeptem, quos C ſecum ex Galliis duxit, præ cæteris ſcientia clarus, moribus honeſtiſſimis probè compoſitus idem qui ſuprà Petrus Bleſenſis, futurus magiſter Regis, quem hactenùs litteris imbuiſſet Gualterius Agrigentinus, poſteà factus Panormitanus Archiepiſcopus, ut idem Petrus teſtatur in epiſtola ad ipſum tunc ſcripta, cùm ad idem culmen honoris evectus eſſet, moratuſque ibi per annum in magiſterio: ſic enim: (a) Scitis, quòd dominus Rex Siciliæ per annum diſcipulus meus fuit, & qui à vobis verſificatoriæ atque litteratoriæ artis primitias habuerat: per induſtriam & ſol- D licitudinem meam beneficium ſcientiæ plenioris obtinuit. Quàm citò autem egreſſus ſum regnum, ipſe *Rex ſcilicet*, libris abjectis, ad otium ſe contulit palatinum.] Hæc Petrus: qui paſſus eſt æmulos, qui non conjuratione ad necem parata quærerent è medio eum tollere, ſed majoris prætextu honoris à Curia dimovere: nam audi ipſum: (b) Tu verò frequenter ex ipſius Papæ, qui nunc ſedet, ac pleriſque Cardinalibus ejus, qui in diebus meis legatione functi ſunt, fratris etiam mei, & Abbatis ſancti Dionyſii, aliorumque magnatum qui in terra ſunt, relatione cogno- E ſcere potuiſti, quòd cùm in Sicilia eſſem Sigillarius & doctor Regis Vvillelmi Secundi tunc pueri, atque poſt Reginam & Panormitanum electum diſpoſitio regni ſatis ad meum penderet arbitrium: quidam mei æmuli, machinantes me à familiaritate Regis excludere, procuraverunt, ut Eccleſia Neapolitana me in Archiepiſcopum eligeret; ac per majores Capituli ordinationem meam communi decreto & voto unanimi poſtularet. Vocatus autem, non ivi; rogatus & tractus multipliciter, non conſenſi.]

a *Pet. Bleſ. ep. 66.*

b *Id. ep. 131.*

Porrò

Digitized by Google

LXXIII. Porrò turbæ Siculæ & frequentes conjurationes adversùs Stephanum Archiepiſcopum & Cancellarium, qui ſecum ipſum duxerat, quæ copioſè admodùm deſcribuntur ab Hugone Falcando, quibus tandem coactus eſt navigio impoſitus, ſi vivere vellet, recedere è Sicilia, in cauſa fuiſſe videntur, ne ipſe involveretur in illis, ut recedendi quamprimùm è Sicilia optimum conſilium inierit, de quo ipſe in epiſtola ad Vvillelmum fratrem ſuum hæc habet, ſic exordiens: (*a*) Quàm atrociter conjuraverint in exitium domini Stephani Panormitani electi & regii Cancellarii Siculi proditores, relatione non indiget. His enim & aliis durioribus, quæ frequenter auditis, tinnietunt aures noſtræ. Ego autem cùm in illa turbatione & egreſſu domini, medio hemitritæo laborarem: de mandato domini Regis, curæ & cuſtodiæ Salernitani Archiepiſcopi commiſſus ſum, qui non minorem circa me diligentiam exhibuit, quàm ſi dominus aut filius ejus eſſem. Ex quo autem convalui, acceſſi ad dominum Regem, petens ab eo & magnatibus Curiæ licentiam recedendi. Rex autem per dominum Salernitanum, & per Richardum electum Syracuſanum me ſollicitari multipliciter fecit, ut in Curia ejus, & in ſigilli officio remanerem: ſed non potui ad hoc precibus, aut promiſſis, aut muneribus inclinari. Terra ſiquidem illa devorat habitatores ſuos, timenſque à malitiis inhabitantium in ea, in hoc rederam meorum deſideriorum ſummam, ut haberem licentiam, & cum ſecuritate receſſum. Quia igitur exire Siciliam in equis, & proficiſci per Calabriam mihi & omnibus qui mecum erant, ſuſpectiſſimum videbatur: ibi quamdam Genuenſium navem, quam ceperant Siculi piratæ cum hominibus & mercibus, dedit mihi dominus Rex munitam omni genere victualium, cum mattis, cum culcitis, cum tapetis. Præſtito itaque à Genuenſibus juramento de exhibenda mihi fidelitate ac tutela mei corporis & meorum, qui circiter quadraginta poterant æſtimari, ut evaderem mortem terræ, me morti maris expoſui &c.] Appulſum Genuam poſt moras narrat. Hactenùs de acceſſu ſuo & receſſu è Sicilia ipſe Bleſenſis, qui cùm dicat tunc contigiſſe ejus egreſſum, cùm dominus ejus, nempè Cancellarius, eſt egreſſus in turbatione illa: planè ſignificat, permanſiſſe in Sicilia uſque ad tempus illud turbulentum invaleſcentium conjuratorum, quod à Falcando deſcriptum habes quàm exactiſſimè: qui cùm affirmet, eodem anno, quo eſt coactus Stephanus Cancellarius, & Archiepiſcopus Panormitanus egredi è Sicilia, contigiſſe cladem illam memorandam excidii Catanenſis, factam anno Redemptoris milleſimo centeſimo ſexageſimonono (ut ſuo loco dicetur) dicere neceſſe eſt ad eumdem uſque annum (*b*) Petrum Bleſenſem in Siciliam permanſiſſe, receſſiſſe, uno tantùm ſuperſtite ſocio ex omnibus qui ex Gallia cum eodem Stephano venerant in Siciliam: nam audi ipſum ſcribentem iſta ad Archiepiſcopum Syracuſanum: Triginta & ſeptem animæ cum domino Stephano Siciliam ſunt ingreſſæ, omneſque morte concluſæ ſunt præter me & magiſtrum Rogerium Northmannum virum litteratum induſtrium atque modeſtum. Nos ſolos eduxit Dominus per miſericordiam ſuam de medio umbræ mortis in fortitudine manus ſuæ.] De Petro Bleſenſi ea ipſomet hactenùs dictum velim.

a Idem ep. 90.

De tempore egreſſus Petri Bleſ. ex Sicilia.

b Pet. Bleſ. ep. 46.

I. Legatio miſſa ad Regem Angl.

Milleſimus centeſimus ſexageſimus octavus, Indictione prima incipit annus, cujus exordio ipſis Kalendis Januarii, decreta legatio à latere ad Angliæ Regem ab Urbe proficiſcitur. Docent iſta de profectione litteræ Joannis Pictavienſis Epiſcopi, datæ ad ſanctum Thomam Archiepiſcopum Cantuarienſem his verbis: (*c*) His ſiquidem duo Legati Vvillelmus Papienſis tituli ſancti Petri ad Vincula presbyter cardinalis, & Oddo diaconus Cardinalis ſancti Nicolai in Carcere Tulliano egreſſi ſunt Kalendis Januarii, ad partes noſtras properantes, &c.] At licèt unà ſimul egreſſi ſint ab Urbe Legati, non junctim tamen, ſed ſeorſum ab invicem diverſo itinere ſe contulerunt in Gallias, conventuri in unum apud civitatem, Montem Peſſulanum nominatam.

c Cod. Vat. lit. ep. 163.

Sed antequàm alteriùs progrediamur, quas iiſdem Legatis Alexander Pontifex litteras dederit, videamus, ut ad quid iidem ab eo miſſi ſint, intelligatur. Extant litteræ ipſius legationis: harum aliæ datæ ſunt ad ſanctum Thomam, & aliæ ſeorſum ad Regem Anglorum, quæ hic ſunt ex eodem ſcripto codice recitandæ atque primùm quæ ad ſanctum Thomam ab ipſo ſunt ſcriptæ, his verbis: (*d*)

d L. 2. ep. 2.

II. Litteræ Alex. ad S. Thomam.

Quòd perſonam tuam litteris noſtris non ſæpius viſitamus, inde provenire cognoſcas, quòd per Nuntios tuos ea, quæ non duximus ſcriptis committere, cognitioni tuæ viva voce curavimus frequentiùs intimare. Nunc autem ad tuæ diſcretionis notitiam volumus pervenire, quòd nos pacem tuam votiva cordis affectibus exoptantes, dilectos filios noſtros, Vvillelmum tituli ſancti Petri ad Vincula presbyterum, & Ottonem ſancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconum Cardinalem ad chariſſimum in Chriſto filium noſtrum illuſtrem Anglorum Regem, ut legatione in terra ſua ciſmarina fungantur, tranſmiſimus, & ſpecialiter, ut inter te, & eumdem Regem concordiam, & pacem reformment,

ment, & cooperante Domino, amicabilem faciant compoſitionem. Unde quoniam nos pacem tuam & Eccleſiæ omnimodè unam reputamus, nec magis, niſi quia ipſam majorem Eccleſiæ univerſali collaturam credimus utilitatem, optamus: Fraternitatem tuam per Apoſtolica ſcripta rogamus, monemus, conſulimus, & mandamus, quatenùs, quàm periculoſus præſentis temporis ſtatus exiſtat, & quantum Eccleſia tibi commiſſa præſentia & conſilio tuo indigeat, conſideres diligentiùs, & attendas ad pacem & concordiam inter te & memoratum Regem fundandam, quantumcumque ſalva tua & Eccleſiæ honeſtate fieri poſſit, animum & voluntatem tuam inclines.

III. Et ſi tibi in his non omnia ſecundùm beneplacitum tuum ſuccedant; ad præſens diſſimules, quæ corrigenda fuerint, ad ſtatum priſtinum, proceſſu temporis, auctore Domino, reducturus. Nec pro verbo, quod nos in Chriſto chariſſimo filio noſtro illuſtri Francorum Regi ſecundùm petitionem tuam ſignificavimus, te à pace & concordiæ bono quoquo modo retardes, aut ab his animum & voluntatem tuam avertas, dummodò in conventione tuam & Eccleſiæ (ſicut diximus) honeſtatem valeas conſervare. Quoniam multa poteris in poſterum paulatim, habita diſcretione avellere, quæ ſi modò exprimeres, viderentur aliquid magni continere. Verùm in jam dictos Cardinales potes omninò confidere, nec de memorato Vvillelmo oportet te quomodolibet dubitare: quoniam nos ei, ut ad pacem tuam viribus totis intenderet, firmiter & diſtinctè injunximus; & ipſe tantum nobis promiſit, quod nos inde nullatenùs dubitamus.

Subventionem petit Papa. De cætero fraternitatem tuam rogamus, atque monemus, ut dilectum filium nobilem virum Comitem Flandrenſem ex parte noſtra diligenter convenias, & inſtantiùs exhorteris, ut noſtra, & Eccleſiæ neceſſitate inſpecta, nobis in aliquo liberaliter ſtudeat ſubvenire. Non enim credimus, quòd acceptiorem Deo eleemoſynam poſſit facere, quàm ſi nobis ad præſens ad tuenda Eccleſiæ libertatem, dignæ ſubventionis ſolatium ſatagat exhibere.] Hæc ad ſanctum Thomam Alexander Papa. Ad Henricum autem Anglorum Regem per eoſdem Legatos ſic: (a)

a Cod. Vat. li. 2. ep. 2.

IV. Alex. Pap. litteræ ad Reg. Angl. Magnificentiæ tuæ petitionibus gratanter admiſſis, & voluntati tuæ in omnibus (quantum cum Deo & juſtitia poſſumus) ſatisfacere cupientes, & tibi, & honori tuo deferre: dilectos filios noſtros, Vvillelmum tituli ſancti Petri ad Vincula presbyterum, & Ottonem Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconum Cardinalem, viros ſiquidem litteratos, diſcretos pariter & honeſtos, & magnum in Eccleſia Dei locum habentes, & tibi & regno tuo devotos, quos nos inter alios fratres noſtros charos admodùm acceptoſque tenemus, cum plenitudine poteſtatis cauſas, quas tibi in aliis litteris expreſſimus, & alias quas expedire viderint, cognoſcendi, in terram tuam ciſmarinam excellentiæ tuæ Legatos duximus deſtinandos, quibus vices noſtras in omnibus ita plenè commiſimus exequendas, ſicut illis, vel aliis Apoſtolicæ Sedis Legatis Eccleſia Romana committere conſuevit. Ea propter ſerenitati tuæ per Apoſtolica ſcripta rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, quatenùs ipſos, ſicut tantos viros & Apoſtolicæ Sedis decet Legatos, honorificè & benignè recipias, & manſuetè (prout congruit regio honori) pertractes, ut antiquam devotionem tuam in filiis ſuis ſancta Romana Eccleſia recognoſcat, & excellentiæ tuæ ac toti terræ tuæ gubernationi commiſſæ incrementum inde non modicum valeat, cooperante Domino, provenire. Ea verò quæ ſublimitati tuæ ex parte noſtra proponent, ita gnaviter admittas, & prompto animo acquieſcas, quòd Dominus in his & Eccleſia ſua dignis præveniatur honoribus, & tu ipſe ac univerſa terræ tuæ gubernationi commiſſa fructum inde multiplicem, & à Deo præmium, & coram hominibus laudem & gloriam ſuſcipere valeas. *Hoc verò tranſcriptum nulli mortalium reveles, niſi ſoli magiſtro Gunterio, quia fidem meam ſuper hoc magiſtro Galtero ita ſtrictè, ut voluit, dedi.*] Hæc ad Regem Alexander. Aliam verò ad Epiſcopos Angliæ ejuſdem argumenti epiſtolam dedit, quæ incipit: (b) Ad aures noſtras, &c.] Eademque data Kalendis Decembris anno ſuperiori. Quibus omnibus evidenter appareat, ſic Pontificem Alexandrum ſuaſiſſe pacem, ut tamen nullum inferret detrimentum Eccleſiæ.

b Ibid. ep. 3.

V. Scripſit pariter Alexander Papa per eoſdem Legatos ad Regem Francorum, cui inter alia de ſancto Thoma honore digno proſequendo, aperit animi ſui conſilium, decernendo nimirùm eidem ſanctiſſimo viro legationem totius Eccleſiæ Gallicanæ, ſi tamen id placeret Gallicanis Epiſcopis. Ipſius Pontificis litteræ ſic ſe habent: (c)

c Ibid. ep. 43.

Inter cætera magnificentiæ tuæ & devotionis inſignia illud ſpecialiter animum noſtrum vehementer accendit, quòd venerabilem fratrem noſtrum Thomam Archiepiſcopum Cantuarienſem, virum ſiquidem religioſum, diſcretum pariter & honeſtum, & nobis & univerſæ Eccleſiæ Dei charum omnimodis & acceptum, & tot & tantis honoribus prævéniſti, & ei tàm ampla & tàm magnifica humanitatis beneficia, regis munificentia dignatus es largiùs erogare. Super quo utique ſerenitati tuæ quantas & quas poſſumus gratias exhibemus, & clementiam tuam exinde immenſis in Domino laudibus commendamus, id ſicut Deo, cui hæc potiùs in perſona illius feciſti, gratiſſimum, ita nobis acceptum putantes, tamquàm ſi hoc perſonæ noſtræ ſpecialiter impendiſſes. Et quoniam ejuſdem Archiepiſcopi pacem totis cordis affectibus exoptamus: dilectos filios noſtros Vvillelmum tituli ſancti Petri ad Vincula, & Oddonem ſancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconum

Car-

Digitized by Google

A Cardinalem ad chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Henricum illuſtrem Anglorum Regem duximus deſtinandos, ut inter eumdem Regem & præfatum Archiepiſcopum ad utriuſque honorem pariter, & perfectam concordiam & pacem, Domino cooperante, reforment, & in ipſius Regis terra tranſmarina cauſas emergentes audiant & cognoſcant, & ibidem Apoſtolicæ Sedis legatione fungantur.

VI. Eapropter magnificentiam tuam per Apoſtolica ſcripta rogando monemus & exhortamur in Domino, quatenùs pro Eccleſiæ Dei reverentia, & honore beati Petri, & noſtro, apud jam dictum Regem, & Archie-

B

piſcopum partes tuas efficaciter interponas, & ſtudioſiùs elabores, quod ad honorem Dei & Eccleſiæ & ſui etiam commodum & augmentum amicabiliter inter ſe & pacificè conveniant, & ad hoc animos & voluntates ſuas, ſalva ipſius Archiepiſcopi & Eccleſiæ honeſtate, omnimodis inclinent. Quòd ſi per ſtudium jam dictorum Cardinalium & laborem, & operam tuam pax inter eos & concordia poterit reformari: Eccleſia, quæ tuo poſt Deum eſt ſpecialiter adjutorio fulta, non modicum inde ſuſcipiet incrementum, & tu ab omnipotente

C

Deo in illa felici retributione juſtorum ſpeciale propter hoc præmium obtinebis. Si autem (quod Deus avertat) convenire non poſſint, dummodò regiæ voluntati ſederet & beneplacito tuo, nobis per omnem modum complaceret, & gratum valdè exiſteret, & acceptum, quod ſi abſque gravi ſcandalo perſonarum regni tui fieri poſſet, ut nos prænominatum Archiepiſcopum ſpecialis honoris prærogativa inter cæteros donaremus, & ſibi vices noſtras committeremus in illis partibus exequendas. Unde ſerenitatem tuam, quanta poſſumus prece rogamus, ut ſi pacem, ſalva honeſtate ſua & Eccleſiæ, quod omnimodis optare-

D

mus, habere non poſſit: nobis ſuper his voluntatem tuam ſub omni celeritate ſtudeas intimare. Et hoc interim habeas omninò ſecretum.] Hæc ad Regem Francorum Papa. Legati igitur ubi Gallias attigerunt, ſinguli ſuis litteris ſanctum Thomam prævenerunt. Vvillelmus autem Cardinalis Papienſis has ad ipſum litteras dedit: (a)

a *Cod. Vat. l. 2. ep. 9.*

VII. Vvillelmus Legatus prævonit litteris S. Tho.

Licèt temporis qualitate variata, ne Romana Eccleſia ſchiſmate laborans, graviore detrimenta incurreret, in varia erga vos, juxta quorumdam opinionem, videamur declinaſſe propoſita; novit tamen qui inſpector eſt cordium, dilectionem veſtri noſtro

E

in pectore continuè reſediſſe. Sicut autem vigilantiæ veſtræ ſæpè nos recolimus intimaſſe, ſuſpicionem domini Regis Angliæ, quatenùs licuit, vitare curavimus, ut procedente tempore, inter vos & ipſum amicæ interventione efficaciùs mediare poſſimus, & tanti Principis devotionem Sedi Apoſtolicæ conſervare. Nunc autem ad quæſtiones, quæ inter vos & ipſum vertuntur (ſicut Eccleſiæ Dei magis expedire viderimus) terminandas in terram ſuam unà cum venerabili fratre noſtro Oddone Cardinali

A

diacono deſtinati: vigilantiam veſtram exhortamur & ſuademus attentiùs, his, quæ amplioris diſſidii cauſas generare ſolent, quantum in vobis eſt, evitatis ad ea quæ concordiæ cooperari valeant, ſtudioſiùs curetis attendere. Nos enim & paci & profectibus veſtris, quatenùs gratia divina indulſerit, remota perſonarum acceptione, ſtudebimus cooperari, nihil ſtudii relicturi, ſicut auctore Domino, rerum argumenta monſtrabunt, quod ad honorem Dei & Eccleſiæ ſuæ valeamus impendere.] Hæc ad ſanctum Thomam Vvillelmus Cardinalis Legatus. Quæ quidem ex ea parte,

B

qua diceret ſe miſſum ad quæſtiones, quæ vertuntur inter ipſum Thomam, & Regem, terminandas: magnoperè animum ſancti viri exulcerarunt, cùm ſciret, ipſum cum collega ab Alexandro non ad judicandum ſanctum Archiepiſcopum, ſed ad concordandum eſſe legatum, quamobrem animo ſubinfenſo ad ipſum iſta reſcripſit, (b) ſed non dedit, antequàm fideli amico Joanni Saresberienſi legendas ipſas litteras miſerit & conſiderandas. Deeſt inſcriptio uſq; ad ſalutationem, quæ ſequitur, Salutem, & contra Principum inſolentiam fortitudinē:

b *Ib. ep. 10.*

VIII. Quid S. Thomas ad ipſum reſcripſerit.

Litteras celſitudinis veſtræ nuper acce-

C

pimus, ſpeciem mellis in initio propinantes, venenum in medio, oleum in fine. In quibus continetur, vos ad partes iſtas nunc temporis deſcendiſſe, ad terminandas quæſtiones inter dominum Regem Angliæ & nos, prout expedire videbitis. Non credimus vos ad hoc veniſſe: nec certè vos ad hoc ſuſcipimus multis ex cauſis, quas loco & tempore opportuno manifeſtabimus. Verumtamen ſi quid boni & pacis per manum veſtram nobis acciderit: Deo gratias & vobis. Valeat celſitudo veſtra, ut nobis inde ſit melius.] Hæc ſanctus Thomas ad dictum Vvillelmum Le-

D

gatum, & (ut cognoſci poteſt) non abſque aliqua animi amaritudine. Qua de cauſa Joannes Saresberienſis, qui ipſi erat à ſecretis, amicus fidelis, idemque ex eadem cauſa exul, atque proſcriptus, ut has legit, continuò datis litteris ad eumdem ſanctum Thomam, (c) eum commonuit iſtis verbis ea libertate, qua conſuevit apud ipſum uti:

c *Cod. Vat. l. 2. ep. 29.*

IX. Joan. Saresb. litteras S. Thomæ non probat.

Inſpectis litteris, quas domino Vvillelmo Papienſi mittere decreviſti, etſi mentem ſcribentis judicare non audeam, ſtyli tamen formam probare non poſſum. Non enim ſonare videntur humilitatem, aut

E

proceſſiſſe de mente hominis, qui Apoſtolum audierit exhortantem diſcipulos Chriſti: Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus, Dominus propè eſt. Si enim litterarum veſtrarum & ipſi articuli ſinguli conſiderantur: ex amaritudine potiùs & rancore animi, quàm ex charitatis ſinceritate videbitur proceſſiſſe reſponſio. Quid autem ſcripſit, ut lœdorias & ſcommata, id eſt patentes morſus, & figuratos taceam, ut eum rectè dicatis in medio litterarum veſtrarum vobis propinare venenum? Numquid vobis viſus eſt Cardinalis presbyter,

immò & Apoſtolicæ Sedis Legatus in prima ſalutatione ſuſpicionibus innrendus, & gratis exacerbandus contra conſilium domini Papæ, & contra Romanæ Eccleſiæ reverentiam dehoneſtandus convieiis? profectò nec domini Papæ Curſorem ſic alloquendum eſſe arbitror. Si ſoas & veſtras Domino Papæ remiſerit litteras: Regis cauſam juſtificaſſe videbitur atteſtatio ſcripti veſtri, & propriam contumaciam conviciſſe. Eſto quod fuerit, & ſit adhùc Vvillelmus inimicus; diſſimulandum puto, donec opera ejus in lucem prodeant.] Et paulò pòſt: Si ſe dixit miſſum ad terminandas quæſtiones, prout Eccleſiæ Dei viderit expedire; in quo vos læſit? nonnè poſſunt ſicut per ſententiam, ita & per compoſitionis benignitatem terminari? Si exhortatus eſt, ut eviteris, quantom in vobis eſt, ea quæ ſolent amplioris diſſidii cauſas generare: non video quid peccavit, cùm hoc ipſum ſapientiſſimi & ſanctiſſimi conſulant, monentes, ut quatenùs ſalva honeſtate Eccleſiæ & perſonæ veſtræ licuerit, paci diligentiùs intendatis &c.] Hæc amicus fidelis. Qua reprehenſione indigent etiam viri ſancti, præſertim in cauſa propria, in qua tractanda es eo, quòd omnes proprii affectus debeant nobis eſſe ſuſpecti, monemur nos exemplo ſancti Thomæ conſulere ſapientes, nec propriæ pertinacitec inhærere ſententiæ, ſed alienæ potiùs conſentire: quod fecit ipſe Thomas, priores à ſe ſcriptas litteras retinens, poſteriores has ad ipſum mittens: (a)

a Ib. ep. 11.

X. Poſteriores litteræ S. Thomæ ad Vvillelmũ Legatum.

Venerabili domino & amico de meritis diligendo Vvillelmo Dei gratia tituli ſancti Petri ad Vincula presbytero Cardinali & Apoſtolicæ Sedis Legato Thomas eadem gratia Cantuarienſis Eccleſiæ miniſter humilia ſalutem, & contra Principum inſolentiam fortitudinem:

Gratias habemus dilectioni veſtra, quòd litteris celſitudinis veſtræ parvitatem noſtram nunc tandem viſitare dignati eſtis, quæ quidem ex præſentis temporis ſtatu penſatur à multis, non ex præterito, quam Deus in futuro de miſericordia ſua, cùm voluerit & dignum judicaverit, erigere poterit in meliorem. Quod dicitis (ſicut videtur multis) vos in varia propoſita circa dilectionem noſtram eſſe diſtractum, hoc factum fuiſſe utilitatis noſtræ cauſa, ne haberemini ſoſpecti à Rege, quò minus fieret devotus Sanctæ Rom. Eccleſiæ minuſq; benignus ad faciendam nobiſcum pacem: novit Dominus qui inſpector eſt cordium; ipſeque rei manifeſtabit effectum. Si verò nunc temporis deſcenderetis in terram ſuam (prout litterarum veſtrarum habet continentia) ad decidendas quæſtiones, quæ inter nos & ipſum vertuntur, ſicut magis expedire videritis Eccleſiæ: hoc certè poſſibile eſt. Verumtamen credimus nos pro certo noſſe, ad quid veneritis, & ad quid debeamus ſuſcipere. Unde eſt, quòd diſcretionem veſtram quamplurimùm exhortatam cupimus eſſe in Domino, ut ſic vos in hoc negotio ha-
A beatis, ut inde ſit honor Deo, relevamen Eccleſiæ, gloria nobis in populo, & gente. Si verò aliquid boni & pacis nobis & Anglicanæ Eccleſiæ per operam veſtram & induſtriam acciderit: gratias Deo & veſtræ ſollicitudini. Et utinam pio compaſſionis attendatis affectu, quanta nos & Eccleſia Anglicana ſuſtinuerimus gravamina, & adhùc ſuſtineamus, quamtumque lædatur univerſalis Eccleſia in noſtro gravamine. Ad hoc quidem negotium univerſorum reſpiciunt oculi, ipſiuſque finem expectant, in quo ſumet ſibi cornua Principum inſolentia, vel (quod
B digniùs eſt) ſuſtinebit defectum. Et utinam magis patiatur defectum, quàm ex adventu veſtro reſumat vires. Valete, & ut nobis ſit melius & Eccleſiæ, valete ſemper.] Hæc poſteriores litteræ ſancti Thomæ.

XI. S. Thomæ querela ad Alex. Papã adversùs Vvillelmũ Legatum.

Quòd verò tùm in litteris, quas ad ſanctum Thomam Vvillelmus Legatus ſcripſiſſet, & ad alios, nec non verbis palàm jactaret, ſe veniſſe judicem ipſius cauſæ, idque non ſine magno faſtu atque jactantia effutire ſoleret: idem ſanctus Thomas miſſo Nuntio Romam, mox litteris conqueſtus eſt apud ipſum Romanum Pontificem
C Alexandrum. Extant (b) ipſæ quidem, quibus cùm in primis ob oculos ponat, quanta ipſi Deus contulerit in comprimenda ſuperbia Imperatoris, univerſo Orbi terrarum formidabilis: ex iis, Dei auxilium pro tuenda Eccleſia adversùs quoſcumque tyrannos aſtare cùm eſſet expertus, didicerit non timere. Demùm verò ad Vvillelmum Legatum ita deſcendit: Prætereà noſcat ſanctitas veſtra, accidiſſe nobis, quod verebamur, quod prædicabamus, lucidum eſſe de præſumptione & inſolentia domini Vvillelmi Papienſia, ſicut ex
D litteris nobis ſtatim in ipſo adventu ſuo tranſmiſſis poteſtis perpendere. A quo magis ſperabamus, juxta tenorem mandati veſtri, ad dominum Regem Francorum, & ad nos emiſſi, ſolatium de conſolatione pacis, quàm confuſionem de quæſtionum deciſione inter Regem Anglorum & nos. Non enim ipſe eſt talis, cujus in hac cauſa ſubdi debeamus ditioni, præſertim cùm inſtantia Regis magis coegerit vos ad eum mittendum, quàm ipſe coactus & miſſus venerit à vobis. Credimus quidem non eſſe juri conſentaneum, nos ejus ſubire judicium vel examen, qui quærit commer-
E cium ſibi facere de ſanguine noſtro. De pretio utinam non iniquitatis quærat ſibi nomen & gloriam.] Hæc idcircò, quod (ut apparet ex aliis litteris) pro conſtanti haberetur, Regem ipſum Anglorum pollicitum eſſe eidem Vvillelmo Archiepiſcopatum Cantuarienſem, ſi eo privaret Thomam ipſum. Pergit verò: Proinde ſupplicamus paternitati veſtræ affectuosè (ſi ei cura eſt de nobis) ut evacuetur poteſtas ejus, ſi quam tamen habet circa nos, & negotia noſtra. Transferatur malleus iſte à nobis, qui potiùs elegit eſſe malleator clericorum, obſequendo Principi, quàm Re-

b Cod. Vat. li. 2. ep. 23.

gum

gum offenſor, conſequendo gratiam divinam &c.]

XII. Sed videamus, quæ ad ſanctum Thomam ſcripſerit tunc Oddo diaconus Cardinalis Legatus, qui panca per litteras eaſdemque notiſſimas de itinere ſuo ſignificavit, ſecretè autem per Nuntium referenda, quem miſit. Litteræ autem ſic ſe habent: (a)

a Ibid. ep. 4.

b Oddonis Legati litteræ ad Sanctum Thomam.

Amabili Patri & fratri chariſſimo Thomæ Dei gratia Cantuarienſi Archiepiſcopo Oddo eadem gratia S. R. E. diaconus Cardinalis & Apoſtolicæ Sedis Legatus ſalutem.

Notificamus chariſſimæ dilectioni veſtræ, quòd ex mandato domini Papæ procedentes, per inſidioſa & plurimùm periculoſa uſque ad Venetiam, Domino ducente, pervenimus, inimicis noſtris, *ſchiſmaticis ſcilicèt*, undique in inſidiis excubantibus, quorum laquei, Domino favente, contriti ſunt, & nos liberati ſumus. A Venetia autem non clàm, ſed manifeſtè cum plurimo gaudio & amicorum noſtrorum multo ſolatio per Marchiam, & per Veronam, & per patriam noſtram Brixiam (ubi plurimùm fuimus commorati) per Bergomum, per Mediolanum, juxta Novariam, per Vercellas, juxta Taurinum tranſeuntes, uſque ad ſanctum Michaelem de Cluſa, & exinde per Provinciam uſque ad ſanctum Ægidium incolomes & illæſi pervenimus, inde ad Montem Peſſulanum tranſituri: veniente domino Vvillelmo amico noſtro per alias partes, ſicut credimus, prout noviſtis, quem dominus Papa deſtinavit, profecturi. Mittimus ad vos clericum noſtrum præſentium latorem, cui ſuper his, quæ vobis ex parte noſtra dixerit, tamquàm nobis ipſis firmiter credatis; & quod nobis ſignificare volueritis, tamquàm per voſmetipſos indubitanter renuntietis.] Hæc Oddo Legatus ad ſanctum Thomam.

XIII. Qui antequàm has accepiſſet litteras, ſimul ac de ejuſdem Oddonis in Gallias adventu cognovit, has ad eum litteras officii plenas dedit: (b)

b Ibid. ep. 18

S. Thomæ ad Oddonem Legatum epiſtola.

Audito advento magnitudinis veſtræ, proſcriptorum Chriſti coexulantium nobis exhilaratus eſt cœtus, & quaſi ad conſolationem Eccleſiæ, & Cleri liberationem de cœlo miſſus ſit Angelus, exultavit, & gratias egit omnis Eccleſia Sanctorum. Et licèt multis ſuſpectus ſit collega veſter, dicentibus, quòd acceptor eſt perſonarum & munerum, domini Regis intimus fautor, & ei velit in omnibus patrocinari, & nos, immò Eccleſiam Dei confodere & jugulare ſpoliis noſtris: nominis tamen veſtri, virtutum (rectius dixerim) clareſcit opinio, ut Angelum Domini cum Moyſe, id eſt Spiritum ſanctum in Lege prævium habeatis, qui cuſtodiat vos ſemper, & Deum (c) recentem habere non patiatur, ut verbo Dei aut munus, aut perſonam præferatis, aut cauſam &c.] Quid autem dicerent de Vvillelmo collega, ita inferiùs Thomas: Inſultant nobis plurimi, & præ-

c Pſ. 80.

A cipuè noſtri, immò Eccleſiæ adverſarii, dicentes, rectè contra nos miſſum eſſe Cardinalem ſancti Petri ad Vincula, ut miniſterio ejus Petrus denuò vinculetur &c.]

Ut autem Legati non ſimulac in Gallias venerunt, ſuſceptæ legationis munus obirent, nempè de incunda concordia inter Regem Anglorum & ſanctum Thomam; interceſſit impedimentum belli conflati inter Reges Anglorum atque Francorum. De quibus bellicis tumultibus hæc Joannes (d) Saresberienſis ad Joannem Pictavienſem Epiſcopum: Regnorum colliſio-

d Cod. Vat. l. 2. ep. 32.

B nes & terræmotus magni imminentium periculorum me calamum ſuſpendere diutiùs coëgerunt, & commodiora ſcribendi tempora expectare. Bellici namque tumultus æſtate ferè tota ferventes intermeandi facultatem portitoribus præcluſerunt, & in urbe Rhemenſi orta ſeditio ſic turbavit provinciam, ut via tutum fuerit ingredi & egredi civitatem &c.] Agit de bello civili Rhemenſi, quod eſt progreſſum ad Reges. His auditis Alexander Papa ad Legatos has litteras dedit: (c)

c Ibid. ep. 34.

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Vvillelmo ſancti Petri ad Vincula presbytero, & Oddoni ſancti Nicolai in Carcere Tulliano diacono, Cardinalibus, & Apoſtolicæ Sedis Legatis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

XIV. Alex. Papæ ad Legatos litteræ.

Quanta univerſæ Dei Eccleſiæ, & præſertim Romanæ & Orientali detrimenta & incommoda ex diſcordia & diſſenſione, quæ inter chariſſimos in Chriſto filios noſtros illuſtres Francorum & Anglorum Reges per humani generis contigit inimicum, potuerint evenire, noſtram decet diſcretionem advertere, & tantò diligentiùs ad ea extinguenda intendere, quantò exinde majora (quod Deus avertat) pericula formidamus. Quocircà diſcretionem veſtram per Apoſtolica ſcripta monemus, mandamus, atque præcipimus, quatenùs ad pacem inter eos & concordiam reformandam, modis omnibus per vos & per alios religioſos & diſcretos viros utriuſque regni intendere ſtudeatis, & ad hoc tota diligentia, & totis viribus laboretis, vobis omnimodis præcaventes, ne ad petitionem, vel favorem unius aliquid ſtatuatis, unde alter ſcandalizari debeat, aut quoquo modo turbari. Ad hæc vobis diſtrictiùs prohibemus, ne uterque veſtrum, vel alter, regnum Anglorum intrare, vel de negotiis ejuſdem regni tractare, & præſertim de conſecrationibus Epiſcoporum aliquid umquam efficere vel ordinare præſumat, niſi priùs venerabilis frater noſter Thomas Cantuarienſis Archiepiſcopus jam dicto Anglorum Regi ex integro reconcilietur. Quod per ſtudium & operam veſtram, operante Domino, ad effectum poſſe perduci, confidimus & omninò ſperamus: ſicut enim ex litteris multorum diſcretorum virorum accepimus, nihil eſt, unde præfatus Franco-

rum Rex & tota terra ipſius ampliùs commota fuerit, vel turbata, quàm ex iis, quæ Joannes Sareſberienſis Decànus à nobis rediens, in partibus illis dicitur diſſeminaſſe. Datum Beneventi undecimo Kal. Septembris.] Ita quidem, quòd pax ſemel & iterùm contracta, rurſùm fuerit labefactata.

XV. Pacis conventiones iterùm cõfirmatæ. a Idem, ep. 61.

At quæ præceſſerunt hoc anno conventiones & conditiones ineundæ pacis inter duos Reges, hìc deſcribamus. De his enim agitur in epiſtola Joannis Sareſberienſis, data ad Archidiaconum Exonienſem, (a) in qua de iiſdem conditionibus pacis iterùm confirmatis habetur in conventu Sveſſionenſi ita tranſactum eſſe: Rex Angliæ debebat redire in hominium Regis Francorum, & fide corporaliter & publicè data, coram omnibus profiteri, quòd ei tamquàm domino ſuo de Ducatu Northmanniæ ſerviret, ſicut prædeceſſores ſui Duces conſueverunt ſervire Francorum Regibus. Comitatum verò Andegavenſem & Cenomanenſem, & fidelitatem procerum ad memoratos honores pertinentium cedere tenebatur domino Henrico filio ſuo, qui inde hominium & fidelitatem Regi Francorum contra omnes homines facturus erat; neque aliquid debiturus patri, vel fratribus, niſi quòd exigit ratio meriti vel naturæ. Ducatum verò Aquitaniæ lege ſimili Rex Francorum Richardo filio Regis Angliæ concedebat, dans ei in matrimonium filiam ſuam, ſed ſine dote, quæ tamen erat proli- bitu parentis donationem propter nuptias acceptura.] Fuerunt iſtæ pacis conditiones; tunc ſtabilitæ Paſchali tempore, ſed nova occaſione iterùm itum ad arma, unde oportuit eas poſt Domini Aſcenſionem iterùm confirmari, excepto quòd Rex Francorum noluit teneri dare filiam ſuam Richardo filio Regis Anglorum. Hæc ibi pluribus.

Vvillelmus Legatus Henrico Regi inhæſit.

At licèt Alexander Papa (ut dictum eſt) Legatos ſuos in Gallias miſſos litteris monuiſſet, ut omiſsis cæteris, in illud unum intenderent, ut pace unirent bellantes Reges: alter tamen Legatorum, Vvillelmus ſcilicèt Papienſis, non (ut par erat) mediatoris implens officium, medius ſtetit, in neutrius partem affectu declinans; ſed mox amico ſuo Henrico Anglorum Regi totus inhæſit: cujus rei cauſa Rex Francorum in ipſum nonnihil commotus eſt. Extat de his omnibus tunc ſcripta relatio, quæ alia continet ſcitu digna. Habentur iſta in Joannis Sareſberienſis epiſtola, (b) data ad magiſtrum Lombardum his verbis:

b Cod. Vat. li. 2. ep. 32. Relatio de congreſſu Regum.

Cùm ad loca deſtinata colloquio Reges accederent, Eudo Britonum Comes, & Rolandus Dinamenſis multas & graves de Rege Angliæ apud Regem Chriſtianiſſimum querelas depoſuerunt. Sed Eudo ſpecialiter deploravit, quòd filiam ejus virginem, quam illi pacis obſidem dederat, impregnavit, ut proditor, ut adulter, & inceſtuoſus. Rex enim & avus Eudonis, de duabus ſororibus nati ſunt. Pictavienſis verò, Engoliſmenſis, & Marchiæ Comes, & Vicecomes Duacenſis, & Robertus de Silli, & Gauſredus de Liziniaco, & Hemericus de Rancone, & Abbas Carrofi exegerunt, ut ei reſarcirentur damna, quæ Rex Angliæ & ſui poſt treguam illis intulerant. Abbas enim monſterium ſuum ad jus Regis Franciæ à tempore Caroli Magni, qui illud fundaverat, pertinere dicebat.] Et paulò pòſt: Rex verò Francorum cùm audiſſet ibi Cardinalem eſſe in conſilio Regis Angliæ: motus eſt dicens, ſe non meruiſſe ab Eccleſia Romana, ut Cardinalis ſicut hactenùs ſemper fecerat, foveret hoſtes ſuos, & ſe non recepturum hac vice quidquam pro amore Comitis vel Cardinalis, ſed pro jure ſuo &c.] Subiicit enim poſt multa, quòd ſoluto Regum colloquio, magno faſtu oſtentaſſet Rex Anglorum litteras Papæ, quibus inhibuiſſet ſancto Thomæ, ne excommunicationem vel interdictum in Regem, vel alios Anglos faceret, quouſque Legati ibi eſſent, ſicque ſuſpenderet eum à poteſtate ſua, jactans, quòd ipſe Rex quodammodò de Eccleſia Romana triumphans, obtineret à Pontifice quidquid peteret. Harum autem ſcribendarum litterarum auctor fuit alter Legatorum, nempè Vvillelmus Papienſis. Rem detegit & deſcribit Joannes (c) Sareſberienſis in epiſtola ad Archidiaconum Exonienſem, in qua iſta leguntur:

c Ibid. ep. 103.

XVII.

Litteras illas, de quibus Rex gloriatur, domini Cantuarienſis poteſtatem cohibentes, donec redeat in gratiam ejus; conſtat, hac arte fuiſſe impetratas. Noverat memoratus Papienſis, dominum Cantuarienſem obtinuiſſe ab Apoſtolica Sede, ut ei liceret in caput Regis anathematis, & in regnum interdicti promulgare ſententiam, niſi Rex infra terminum litteris comprehenſum, Eccleſiis ablata cum integritate reſtitueret, & condignè ſatisfaceret. Scripſit ergò domino Papæ, lacrymabili ſupplicatione depoſcens, ut cum Rege mitiùs ageretur, ne tàm ipſum, quàm Oddonem collegam ſuum ad ignominiam & opprobrium ſempiternum Eccleſiæ Romanæ idem Rex (ſicut jam diſpoſuerat, ſi in ipſum aſperiùs ageretur) conjiceret in vincula & carcerem, ubi morte ipſa duriorem miſeram & brevem tranſigerent vitam. Cùm ergò Regem hoc facturum eſſet pertranſiſſet; obtinuit ad conſolationem Regis, & quaſi ſuam & ſocii liberationem, quò faciliùs egrederentur, reſcriptum Apoſtolicum, quod tàm veſtri, quàm omnium fidelium mentes exulceravit.] Hæc ipſe Sareſberienſis de ſurrepto ab altero Legatorum, nempè Vvillelmo, Papæ reſcripto.

XVIII.

Hujus rei cauſa ipſe Francorum Rex admodùm turbatus eſt adverſùs Alexandrum Pontificem. Quod intelligens electus Epiſcopus Carnotenſis, de his ſcripſit (d) ad ipſum Alexandrum, in quibus hæc de ipſo Rege Francorum: Inter omnia regna mundi non eſt, ex animi mei ſententia regnum, quod fidem ſinceriorem, charitatem

d Ibid. ep. 57.

Laudes Regni Francorum Regis, & Eccleſiæ Gallicanæ.

A tam ferventiorem, devotionem uberiorem Apoſtolicæ Sedi ſemper exhibuit, quàm Francorum. Non eſt inter Reges & Principes, qui benigniùs exaudiat preces veſtras, qui mandatis obediat humilis, qui Eccleſiam & viros Eccleſiaſticos devotiùs honoret, & ſtudioſiùs tueatur Chriſtianiſſimo Rege noſtro. Non eſt Eccleſia, quæ Eccleſiæ Romanæ fuerit utilior in omnibus anguſtiis ſuis quàm Gallicana. Supplicaverunt vobis Eccleſia *Gallicana*, & Rex pro domino Cantuarienſi, qui pro libertate Eccleſiæ & majeſtatis veſtræ dignitate tuenda exul & proſcriptus jam quartum explet annum. Agit apud vos contra eum B tyrannus, Eccleſiæ perſecutor, manifeſtus hoſtis regni Francorum, cujus iniquitas omnibus nota eſt: & tamen (quod dicere verecundor, & doleo accidiſſe) prævaluit hactenùs malitia in vanitate ſua. Siquidem nuper cùm ad colloquium Chriſtianiſſimi Regis accederet, & per Comitem Flandrenſem, qui illùc dominum Cantuarienſem traxerat, de pace Eccleſiæ reformanda ſollicitaret: litteras Apoſtolicas in audientia Epiſcoporum ſuorum & procerum legi fecit, quibus ſtatuebatur, ne præfatus Cantuarienſis in ipſum, aut terram ſuam ſententiam ferre poſſit, aut aliquod gravamen alicui perſonæ de terra ſua C inſerre, donec redeat in gratiam ejus. Quo audito Chriſtianiſſimus Rex confuſus eſt, & totum regnum, omneſque filii Eccleſiæ doluerunt, virum juſtum, pontificem reverendum ſine cauſa ſuſpendi, & ab Apoſtolica Sede manaſſe ſcriptum tàm pernicioſum exemplo.] Hæc Vvillelmus electus Carnotenſis, cujus iſta præconia Joannes Saresberienſis habet in epiſtola (*a*) ad Joannem Epiſcopum Pictavienſem: Vir quidem magnæ ſpei, & famæ clariſſimæ, & magnæ auctoritatis.] Et paulò pòſt: D Non eſt in Clero Francorum (ex animi ſententia loquor) qui eum prudentia & eloquentia anteeedat.] Scripſit & tunc de iiſdem ipſe Rex Francorum ad Papam. Sed & ipſius ſancti Thomæ extant de his ad (*b*) Manfredum Cardinalem, & ad Bernardum (*c*) Epiſcopum Portuenſem litteræ, aliæ inſuper ad (*d*) Humbaldum & Hyacinthum itidem Cardinales.

Reg. Angl. de facta ſuſpenſione jactantis.

a *Cod. Vat. l. 2. ep. 60.*
b *Ib. ep. 52.*
c *Ib. ep. 54.*
d *Ib. ep. 55.*

XIX. At iſta quidem de ſuſpenſione conceſſerat Alexander Papa antequàm reſciſſet fraudes Joannis de Oxeneford, de quibus ſuperiùs dictum eſt. Quibus compertis, E adeò zelo læſæ veritatis excandnit, ut ipſorum Legatorum ſuſpenderit adventum; ipſum verò ſanctum Thomam litteris ſit conſolatus. Teſtatur id quidem Joannes Saresberienſis in epiſtola (*e*) ad Silveſtrum, in qua iſta primùm habet de munificentiſſimo Regis Francorum officio, quo proſequeretur ſanctum Thomam, ait enim:

e *Ib. ep. 90.*

Dominum Cantuarienſem Chriſtianiſſimus Rex Francorum Senonis excepit regia magnificentia in Eccleſia beatę Columbæ, eumque in omnibus ſic veneratur & A colit, ut Chriſtum Domini decet à Chriſtianiſſimo honorari. Eidem quoque fideliſſimo Principi (ſicut ipſe fatetur) pauci videntur eſſe dies, & parvi ſumptus pro amoris magnitudine, quos ſacerdotia Chriſti & Apoſtolici viri impendit obſequiis. Sed & fidem ejus (quod ſatis humiliter recolit) condigna mercede remuneravit Deus. Cujus muneris eſt, ut ſine cruore & tumultu in medio hoſtium degens & proſperetur in omnibus, & quod maximum reputat, ametur & honoretur à ſubditis. Sicut (*f*) Obededom Gethæus Arca Domini recepta, in ancillarum fœ- B cunditate & gregum, & totius poſſeſſionis multiplicatione divinæ benedictionis expertus eſt fructum. Et Olda (*g*) per ejuſdem Arcæ receptionem, quando eam impius (*h*) Achaz ejecerat è templo Domini, aſſecuta eſt in ſilentio pontificum & ſacerdotum gratiam prophetiæ. Hic Rex Chriſtianiſſimus, recepta in regno ſuo Eccleſia Romana, in Alexandro Pontifice ſcilicèt: de uxore ſuſcepit filium, fidei, auctore Domino, & regni hæredem, quem, data ſibi omnium expetibilium optione, fuerat petiturus. Nunc pro humanitate Eccleſiæ exhibita Anglicanæ, novam, quam C pro arbitrio ſuo dabit Dominus, gratiam confidenter expectat. Dominus Papa Cantuarienſem Archiepiſcopum verbis & ſcriptis nuper conſolatus eſt, & utinam omnibus innoteſcat, quibus pactionibus & cautionibus obtinuerit ille jurator inſignis ea, de quibus adverſarii Eccleſiæ gloriantur.] Et paulò pòſt: Silentur hæc interim neceſſitate obedientiæ, ſed ſpes eſt, in brevi omnia propalanda eſſe. Quia ut pro certo didicimus, Legatorum qui ſperabatur adventus, ſuſpenſus eſt, aut omnino ſublatus, juratoris *Oxenefordenſis ſcilicèt* fraude comperta.] Hæc Saresberienſis. D Porrò ſuſpenſus ad tempus Legatorum ad Angliæ Regem adventus, uſque ad extremum fermè Autumni tempus non eſt permiſſus adeſſe.

f *2. Reg. 6.*
g *2. Paral. 34. & 35.*
h *Ibid. 28.*

Rex. Franc. erga S. Thomam munificus à Deo magna recepit.

XX. Cùm autem Alexander Papa tot accepiſſet de ſuſpenſione S. Thomæ ingeſtas litteris diverſorum querelas: nonnihil commotus, litteras ad Legatos dedit, quibus ſignificavit, nihil à ſe demptum jurium S. Thomæ, magis autem ſe ſuſpendiſſe Legatorum ipſorum auctoritatem, ne ſe immiſcerent judiciaria poteſtate in deciſione cauſarum. Ita enim ſe habent litteræ, quas ad Legatos à ſe miſſos (*i*) à latere dedit, E Nonis Maii.

i *Ib. ep. 23.*

Alex. Pap. ad Legatos de ſcandalo oborto diluendo.

Poſt diſceſſum veſtrum graves ad nos rumores fuerunt perlati, dilectum ſcilicèt filium noſtrum Joannem Saresberienſem Decanum publicè propoſuiſſe, quòd cùm Epiſcopos, & alias perſonas Eccleſiaſticas, & ſæculares de regno Anglorum à juriſdictione & poteſtate venerabilis fratris noſtri Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi exemerimus, juxta beneplacitum & voluntatem Regis Anglorum, ad ejus diſpoſitionem pariter & condemnationem intenderemus, & vos pro hac re ſpecialiter

mittere

mittere deberemus. Aliud quoque nobis inſinuatum eſt, quòd Joannes Cumin *de Oxeneford* omnia reſcripta litterarum noſtrarum, quas à nobis obtinuit, Guidoni Cremenſi *Antipapæ* monſtravit, & ipſi ſecreta noſtra detexit. Unde idem Archiepiſcopus erubeſcentia & dolore confunditur, & chariſſimus in Chriſto filius noſter Ludovicus illuſtris Rex Franciæ, & Principes ejus non parùm ſunt de ejuſmodi rumoribus conturbati & vehementiùs commoti. Licèt autem à pluribus nobis proponatur, & quodammodò credibile videatur, quòd prædictus Joannes pro honore & exaltatione prædicti Archiepiſcopi & Eccleſiæ ſuæ, & pro libertate Eccleſiæ tantùm & ita fideliter laboraverit, quòd ſtudio & ſollicitudine ſua, poſtquàm ad propria rediit, viros Eccleſiaſticos, qui regia captione detinebantur, ab ergaſtulo carceris fecerit liberari; & etiam idem Joannes per litteras ſuas nobis ſignificaverit, Regem publicè cum multis dixiſſe, ſe velle clericis ſuæ terræ illam libertatem, quam *habebant* tempore Henrici avi ſui, ſervare: quia tamen hujuſmodi fama uſque adeò crevit, quòd in partibus illis opinionem noſtram ſiniſtra faciat æſtimatione corrodi: diſcretionem veſtram monemus atque mandamus, quatenùs continuò per litteras veſtras prædictum Archiepiſcopum conſolari curetis, & omnem ab animo ejus amaritudinem & ſuſpicionem tollentes, eum cum prædicto Rege in primis reconciliare, & plenam inter eos pacem componere omnimodis intendatis, & quanta poteritis, ad hoc ſollicitudine & diligentia elaboretis; ita quòd ſibi & Eccleſiæ ſuæ antiqua jura & libertates integrè & illibatè ſervetis. Nec in terra ipſius *Regis* aliquid quod magnum ſit faciatis, & in regnum ejus ſi vos intrare vellet, nulla ratione intretis, niſi Archiepiſcopus ſibi primitus integrè reconcilietur. Quia ſuper his nobis & vobis detraheretur plurimùm, & communis vox omnium honeſtatem veſtram ſiniſtris detractionibus laceraret. De Joanne verò Cumin ſi ita eſſe inveneritis: diſtrictam juſtitiam faciatis, ita quod alii debeant à ſimilibus deterreri. Volumus autem, ut in omnibus actibus & operationibus veſtris circumſpectè & maturè & providè vos habeatis, ita quòd adversùs vos nulla poſſit detractionis materia ſubrogari, & devotio utriuſque regni per ſtudium & converſationem veſtram circa nos & Eccleſiam debeat inceſſanter augeri, & vobis exinde perpetua valeat laus & gloria comparari. Datum Laterani Nonis Maii.]

His acceptis litteris, & in Galliis evulgatis, magna piorum omnium facta eſt exultatio, prout diverſorum (a) litteræ teſtantur. Sed & earumdem ipſos itidem Alexandri ſæpè contigit meminiſſe Legatos, cùm excuſarent ſe apud Regem Anglorum, ſuam ipſorum auctoritatem à Pontifice diminutam. De his enim etſi litteræ ipſius Alexandri non extent: certum eſt tamen, eoſdem profeſſos eſſe Legatos, tùm coram Anglorum, tùm etiam coram Francorum Rege, ut apparet ex (b) epiſtolis inferiùs recitandis.

a Cod. Vat. l.2.ep.36. & 95.

b Ib.ep.26. & 30.

XXI.

Quòd autem idem Papienſis Legatus, quamvis ejus poteſtas litteris Apoſtolicis fuerit magnoperè diminuta, non ceſſaret tamen omnem volvere lapidem, ut Rex Anglorum in omnibus fieret voti compos, & Thomas cauſa penitùs caderet: ejus proterviam acrioribus litteris opportuniùs retundere idem ſanctus Thomas non prætermiſit. Ita namque ſcribens ad ipſum, ſecundùm illud Apoſtoli: (c) Corripite inquietos,] acerbiores has litteras dedit:

c Ib. ep.19.

Venerabili domino & fratri Vuillelmo Dei gratia ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali presbytero Thomas eadem gratia Cantuarienſis miniſter humilis & miſerabilis exul, ſalutem, & ſic agere ut vivat in Domino.

S. Thomæ in Vuillelmum Legatum juſtæ querelæ.

Non credebam me tibi venalem proponendum emptoribus, ut de ſanguine meo comparares tibi nomen & gloriam. Alius tibi curandus eſſet proventus, ſi non ſtatus tui nimis periculosè oblitus, fortunæ ludibria penſares diſſimiliter. Sed fortè ut id ageres efficaciùs, fortunam meam præſentem in conſilio habuiſti, cujus dum triſtia ſpectas, lætiora quoque ſperare debueras. Alternæ enim ſunt rerum viciſſitudines, & ſicut de ſucceſſibus proſperis lapſus eſt facilis, ſic & in contrarium. Nec prudentiam tuam latere credo, licèt hoc experimento non ſenſeris, nihil eſſe tàm firmum, cui non ſit periculum è vicino: ſic & verſa vice. Hæc idcircò tibi ſcribo, ut ſubitos fortunæ caſus diligentiùs de cætero examines, examinatos obſerves, obſervatis indulgeas. His certè exponenda non fuerat Petri navicula, quæ & ſæpius concuti, convelli non novit; ut quæ etſi pluries jactata fluctibus, non ſubmerſa conſurgit. Hujus itaque ſi veri Piſcatoris, ſi optimi gubernatoris verus vis eſſe diſcipulus, nauta bonus: ſicut ſerenitatis gratiam multoties tibi fecit aura ſerena: ſic impetuoſo turbini, invaleſcente tempeſtate, omnes ingenii tui vires, te ipſum etiam animo forti ſub omni diſcrimine oppoſuiſſe debueras. Si enim de manu ejus gratanter ſuſcepiſti pacifica: cur non patienter tolerabis adverſa, fortè ad momentum expiratura? Sic & magiſter ille tuus Princeps Apoſtolorum reſiſtendo Principibus, non cedendo, ſed diſſipando pacem iniquitatis, ſanguine ſuo nomen meruit in terris, & in cœlis gloriam. Sic crevit vigor Eccleſiæ, cùm crederetur extingui. Hæc etiam in ſumma tibi opto: ſic agas feliciter, ut vivas in Domino. Vale, ut & inde melius valeam.] Huc uſque epiſtola ſancti Thomæ ad hominem timore Principum circumactum, in eorum gratiam omnia perperàm agitantem, cùm ipſe Thomas corroboratus eſſet his litteris Alexandri Pontificis: (d)

d Vat. Cod. l.2.ep.89.

XXII.

Etſi adverſitatum & laborum anguſtiæ tibi acriùs incumbere & invaleſcere videantur:

Alia epiſt. Alex. Pap. ad S. Thomam.

deentur; plurima tamen ſanctorum Patrum tibi exempla proponas, qui ſicut tu, multas zelo juſtitiæ calamitates & anguſtias paſſi, immarceſcibilem coronam & cœleſte regnum meruerunt feliciter adipiſci. Quapropter rogamus prudentiam tuam, atque monemus, quatenus ſemper illud præ oculis habens: Beati ſcilicèt, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam: tuum nullis adverſis animum frangas, nec ulla tribulatione deponas, ſed eum fortitudinis & conſtantiæ virtute confirmes. Ubi verò juſtitiam & libertatem Eccleſiæ deperire cognoveris: cum Rege Anglorum in depreſſionem & diminutionem Eccleſiaſticæ dignitatis pacem reformare nullo modo labores. Verumtamen, quantum ſalvo honore officii tui & libertate Eccleſiæ fieri poterit: te ipſum humilies, & ad gratiam & amorem ſuum recuperandum modis omnibus enitaris. Neque plus juſto de eo timeas, neque majores quàm oporteat, ſecuritates requiras, qui e (ſicut credimus) ex quo ſe tibi reconciliaverit, minimè te offenderet, nec à quoquam pateretur offendi. Nos enim (ſicut tibi ſæpè viva voce ac litteris propoſuimus) te tamquàm chariſſimum, ſincera charitate diligere volumus, & ad conſervationem honoris, libertatis, & dignitatis tuæ augmentum, quantum divina gratia conceſſerit, aſpirare.] Hæc Alexandri epiſtola, tanto Pontifice digna. Sed quod ad cauſam pertinet, quænam hæc ſequuta ſint, videamus.

Poſt longas ambages & perplexitates via tandem qui progreſſi ſunt ab Urbe Legati Kalendis Januarii ad tractandum negotium, cujus cauſa miſſi ſunt, ſimul ad Anglorum Regem venerunt tempore autumnali. Quæ autem cum eo tranſacta ſint, (a) relatio ipſorum nomine Legatorum Apoſtolicæ Sedis miſſa ad Alexandrum Papam docet, ſed quæ ab altero Legatorum Vvillelmo Papienſi animo in Archiepiſcopum infenſiſſimo ſcripta omnem in ſanctum Thomam culpam convertat; ut de ipſa ratio nulla haberi debeat, niſi eo audito, qui innoxiè vocatur in culpam. Sed audi ipſam relationem, immò acerbiſſimam in ſanctum Thomam accuſationem:

a Lib. 2. ep. 28.

XXIII. Beatiſſimo Patri ac domino Alexandro Dei gratia ſummo Pontifici Vvillelmus & Oddo eadem gratia Cardinales ſalutem & ſubjectionis obſequia tàm devote quàm debite.

Relatio Vvillel. Leg. ad Alex. Pap.

Venientes ad terrem illuſtriſſimi Regis Anglorum, controverſiam, quæ inter ipſum & Cantuarienſem vertitur, vehementiùs quàm vellemus, crede, invenimus aggravatam. Aſſerebat enim Rex, & ſuorum pars melior, quòd idem Archiepiſcopus ſereniſſimum Regem Francorum in eum graviter incitaverat, & Comitem Flandrenſem conſanguineum ſuum, qui nullum priùs gerebat rancorem, ad ipſum ſubitò diffidendum, & guerram pro poſſe faciendam induxerat, ſicut ſibi pro certo

A conſtabat, & evidentibus apparebat indiciis. Siquidem cùm idem Comes ab ipſo Rege amicabiliter diſceſſiſſet: Archiepiſcopus in propria provincia ad loca guerrarum accedens, tàm Regem Franciæ, quàm memoratum Comitem ad guerram pro viribus incitavit. Cùm igitur apud Cadomum primo jam dicto Regis Angliæ colloquio frueremur, paternitatis veſtræ litteras (ſicut decuit) manibus Regi reddidimus. Quibus diligenter conſideratis, & perlectis in medio, cùm ab aliis, quas pro eodem negotio priùs à vobis receperat, minus convenientes & aliquatenùs **B** diſſentire viderentur: Rex acri cœpit indignatione peruri, & eò graviùs, quòd ſe proculdubiò ſcire dicebat, præfatum Archiepiſcopum, poſtquàm è vobis divertimus, litteras recepiſſe, quibus à noſtro penitùs fuerat exemptus judicio, ut in nullo cogeretur reſpondere.

Affirmabat inſuper, quòd ea, quæ vobis de antiquis conſuetudinibus Angliæ fuerant intimata, falſitati potiùs ſubjacebant, quàm veritati poſſent inniti: quod utique viva voce atteſtabantur Epiſcopi. Offerebat etiam, quòd ſi quæ tempore ſuo conſuetudines in regno Angliæ viderentur **C** adjectæ, quæ ſtatutis Eccleſiaſticis obviarent, veſtro libenter arbitrio in irritum revocaret.

Nos verò Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & Abbatibus terræ ſuæ nobis adjunctis, cum omni diligentia ſtuduimus facere, ne Rex nobis ſpem pacis omninò ſubtraheret, ſed ad id potiùs ſe permitteret inclinari, ut cum Arebiepiſcopo tàm de pace, quàm de judicio loqueremur. Sic proprios clericos noſtros ad eum cum litteris dirigentes, certum locum & tutum indiximus, ubi in feſto ſancti Martini ſecum poſſemus commiſcere ſermonem. Ipſe tamen quaſ**D**dam excuſationes prætendens, diem feſti tranſtulit in Octavas, quod utique in cor Regis altiùs quàm crederemus, aſcendit. Cùm autem ſæpè dictus Archiepiſcopus, (licèt nos ei offerremus ducatum) in exitu terræ Regis Angliæ verſus Franciam, nullatenùs nobis vellet occurrere: nos ſibi deferre cupientes, in terram Regis Franciæ ad locum, quem ipſe mandavit, acceſſimus, ne per nos ſtaret, quod in ſuum debeat redundare profectum.

Indicitur congreſſus cum S. Thom.

Cùmque jam nuntiatum eſſet colloquium: in primis ei cum multa ſedulitate cœpimus ſuadere, & attentiùs exhortari, **E** quatenùs erga dominum Regem, quippè qui multa in eum congeſſerat beneficia, eam humilitatis oſtenderet ſpeciem, quæ nobis quærendæ pacis opportunam materiam miniſtraret. Ad hæc autem ipſe cum ſuis in partem recedens, habito tandem conſilio, nobis propoſuit, quòd ſe ſatis apud Regem humiliaret, ſalvo honore Dei, & Eccleſiæ libertate, & ſalva etiam honeſtate perſonæ ſuæ, & poſſeſſionibus Eccleſiarum, & ampliùs ſua & ſuorum ſalva juſtitia. Quibus taliter enumeratis, nos ei diligentiùs ſuadentes, quòd neceſſarium erat,

XXIV. Congreſſus Legatorum cū S. Thom.

erat, ad ſpecialie deſcendere; cùm ipſe nec certum aliquid, nec ſpeciele proferret; ſubſequenter ab eo quæſivimus, Utrum ſuper rationibus, quæ veſtris erant litteris annotatæ, noſtrum vellet ſubire judicium, ſicut Rex & Epiſcopi priùs promiſerant ſe facturos. Ad quod ipſe nobis quærentibus in promptu reſpondit: ſe non à vobis inde recepiſſe mandetum. Sed ſi priùs ipſe cum omnibus ſuis integrè reſtitueretur: tunc ſecundùm quod ab Apoſtolica Sede reciperet in mandatis, in hec parte procederet.

XXV. Reditus Legatorũ ad Regem Anglor.

Sic ergò à colloquio redeuntes, cùm verba ipſius nec ad judicium provenirent, nec ad concordism, nec eliqua ratione vellet cauſam intrare; ea quæ nobis innotuerant, Regi meniſeſtare curavimus, plura quidem (prout decuit) reticentes, & temperantes audita. Nobis itaque locutioni finem facientibus; Rex & magnstes, qui ſecum aderant, cœperunt eſſerere, quòd eſſet deinceps sblolutus, es quo Archiepiſcopus recuſabat judicium. Cùm ergò poſt multam Regis turbationem Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Abbates regni Angliæ cum non paucis etiam clericis inſtanter perquirerent, utrum prænotatum Archiepiſcopum, ſeu ex aliquo ſpeciali mandato, ſeu ratione legationis ed judicium poſſemus diſtringere; & cùm in hac parte facultatem nobis deeſſe cognoſcerent: timentes, ne prætaxatus Archiepiſcopus, abjecto judiciario ordine, ſicut alis vice fecerat, aliquibus regni perſonis gravamen inſerret, quoniam noſtra ſibi taliter inutilis erat præſentia, & ad tutelam contra Archiepiſcopum minus ſufficiens: unanimi ſumpto conſilio ad veſtram pariter audientiam appellarunt, appellationi terminum præfigentes in biemali feſto ſancti Martini *ſequentis anni*: interim ſe & ſue ſub Apoſtolica protectione ponentes, & quslibet regni perſonas, nec non & univerſum regnum ſub ejuſdem appellationis includentes edicto. Denique nos negotium iſtud in maximum Eccleſiæ detrimentum vergere cognoſcentes, ſupradicto Archiepiſcopo auctoritate veſtra & noſtra prohibendo mandevimus, ne de cætero (tùm quia veſtris erat inhibitum litteris, tùm quia ſolemniter fuerat appellatum) in præſeriptum regnum, vel perſonas, vel Eccleſias regni aliquid gravaminis attentaret. Apoſtolicæ iteque circumſpectionis erit, attentiùs providere, ne idem negotium in grave damnum Eccleſiæ vertatur, ſicut ii, qui attendunt profectus Eccleſiæ, verentur & timent.] Hucuſque relatio Legatorum Apoſtolicæ Sedis ad Alexandrum Papam. Sed reddenda hic eſt pariter relatio ſancti Thomæ de his ad Alexandrum Papam, quæ ſic ſe habet: (a)

a Cod. Vat. l.1.ep.30.

XXVI. Relatio S. Thomę ad Alex. Papã.

Miſeriarum cumulus & dolorum acerbitas noſtrorum & coexulantium nobis corda perculerat, & Chriſtianiſſimum Regem & optimates regni Francorum compaſſione Eccleſiæ, datæ (ut videbatur) in adventu Joannis de Oxeneford, in manus eorum, qui quærunt animam ejus, ut auferant eam: graviſſimo læſerat ſcandalo, ut exulceratus animus quereretur fidem & veritatem ſubletas eſſe de terra. Sed quod pietati veſtræ retribuat Pater miſericordiarum, ſanctiſſime judex, amantiſſime Pater, & Eccleſiæ Dei fideliſſime cuſtos, ſecundùm multitudinem dolorum in cordibus noſtris, conſolationes veſtræ lætificaverunt animas noſtras. Jam enim ſpe ſalvi facti ſumus, & Chriſtianiſſimus Rex & regnum ejus Apoſtolatui veſtro, quem Deus optimùm faciat, & in tempora longa protendat, innumeras agentes gratias, totam indignationem ſuam retorquent in illos, qui ſe de majeſtate veſtra juramentis ſuis triumphaſſe gloriabantur. Rex enim ipſe, poſtquàm dignationis veſtræ excuſatorias recepit litteras, prudentiæ, juſtitiæ, ſanctitatis, & beatitudinis veſtræ gratiam prædicat & extollit; & malitiam & fraudes eorum, qui falſis rumoribus ſcandaliſaverant Eccleſiam Gallicanam, obloquentibus gaudenter exponit, & interdum invitis adverſæ partis (ſi fortè adſunt) ingerit auribus. Ampliùs tamen lætatus eſt poſt veſtrorum colloquium Legatorum, quos reverenter admittens, ab eis (ſicut ipſe fatetur) didicit, ſe non veniſſe, ut libertati Eccleſiæ præjudicent, aut nobis: ſed componant inter Regem Angliæ, & nos, & ſi fieri poteſt, inter ipſum & Eccleſiam faciant pacem. Et utinam, Deo auctore, proſperentur in via iſta: in qua nos promptiſſimos ad honorem Dei & libertatem Eccleſiæ habebunt adjutores!

Et vocati ab eis ad colloquium ad diem decimam in terrarum confiniis: cùm tunc (ut ex conſcientia loquimur) non niſi tres equos in domo noſtra haberemus; obtinuimus nobis adjici ſeptem dies, quibus coexules miſeros, qui miſerabiliter diſperſi ſunt, poſſemus convocare, utpotè neceſſarios ad ſolatium itineris peragendi, & conſilium verbi tractandi. Quibus vix tàm brevi termino & tanta rerum penuria convenire valentibus, in octava beati Martini dominis noſtris Legatis occurrimus inter Giſortium & terram.... Chriſtianiſſimo Rege, deſtinatis ad hoc miniſtris (quod ei in miſericordia verbi retribuet Deus) nos & proſcriptos Chriſti coexules noſtros undique confluentes liberaliter & benigniſſimè excipiente. Et ſicut nobis ab aliquibus intimatum eſt: perſecutores noſtrè ſedulò procurant, ut itineribus & ſumptibus vexemur, & expenſarum onere & tædio Regi Francorum, qui nobis inter alios pauperes Chriſti eleemoſynam ſuam erogat, oneroſi reddamur & odioſi. Viderentur enim magnum malitiæ ſuæ recepiſſe compendium, ſi nos exturbare poſſent de habitaculo cœlitùs præparato: & præripere ſolatium eleemoſynæ Principis, ſicut abſtulerunt ſubſidium Ordinis Ciſtercienſis. Venit cum dominis noſtris ſolus Archiepiſcopus Rothomagenſis, Epiſcopis, & Abbatibus provinciæ noſtræ, quos XXVII.

Rex

A Rex evocaſſe voluerat, retentis Rothomagi.

Propoſuerunt ergò nobis ab initio duritiam Regis, malitiam temporis, neceſſitates & calamitates Eccleſiæ, quæ ferè ubique terrarum, excepta Francia, impugnatur, & vix tolerabilibus colliditur procellis; adiicientes multa de magnitudine Principis & potentia, de amore & honore, quem Eccleſiæ Romanæ exhibuit, de familiaritate & gratia, & beneficiis, quæ in nos exercuit: exaggerantes etiam querelas & injurias, quibus ſe à nobis & noſtris læſum eſſe conqueritur, dicens quòd ei procuravimus guerram Regis Franciæ, & B Comitis Flandrenſis. Suaſerunt, ut multa humilitate & plenæ devotionis & moderationis exhibitione ſtuderemus placare indignationem ejus, ſi fortè aliqua ratione poſſet tanta feritas manſueſcere, & immoderata aſperitas mitigari. Quæſiverunt & conſilium à nobis, qui eum conſuevimus noſſe pleniùs, qualiter poſſent illius duritiam emollire. Nam & ad illos ſe exhibuit duriorem, ex quo didicit, quòd non licebat eis juxta promiſſiones Joannis de Oxeneford in nos pro voluntate ejus, contra Deum & jura omnia condemnationis ferre ſententiam. C Quid autem, Epiſcopis ſuis audientibus dixerit, verbo nuntii, Deo propitiante, quàm ſcripto commodiùs intimabitur auribus veſtris. Nos verò gratias agimus dignationi veſtræ, quæ adeò de pace Eccleſiæ & noſtra, quæ eſt Eccleſia Dei & veſtra, ſollicitatur.

Suſpiciones, quibus nos Rex notare molitur, rationibus variis & probabilibus evacuavimus. Et ipſe Rex Franciæ die ſequenti (quatenùs ad ipſum ſpectat) in præſentia Cardinalium ſub religione juramenti purgavit innocentiam noſtram. Qui, ſicut inſpector cordium & judex novit, ab hac D culpa immunis eſt. Neque enim adeò hebetes ſumus & tardiores ad credendum Legi, Prophetis, & Evangelio, ut in articulo tantæ neceſſitatis, relictis ſpiritualibus telis & munimentis Apoſtolicæ diſciplinæ, carnalia credamus arma, præſertim ſacerdotibus corripienda. Novimus enim, non eſſe in Principibus confidendum, & quòd maledictus eſt, (a) qui ponit carnem brachium ſuum. Et ne tale quid de nobis probabiliter fingi poſſet, à colloquio Regis nos ipſos diu ſuſpendimus, donec tandem ab ipſo evocati accederemus, ut ei præſentaremus excuſationis noſtræ litteras, & domino Ottoni Legato, qui ob hanc E cauſam nobis Papiam clericum ſuum miſerat, ut impetraremus tranſitum & conductum. Habebat enim Rex Angliæ, & impetraverat: tùm quia meminerat (ut dicit) ſe alia vice læſum ab eis, quando vos nuper in patrem & dominum receperat; tùm quia glorificationem Joannis de Oxeneford, & ſimilium moleſtiſſimè audiebat. Excuſatione autem noſtra gratanter admiſſa, & tranſitu impetrato, reverſi ſumus ad habitatiunculam paupertatis noſtræ, in patientia præſtolantes ſalutare domini.

a Jer. 17.

Et quia humilitatem, & moderationis exhibitionem, quibus tantus Princeps placaretur à nobis, domini noſtri Legati exigebant: reſpondimus nos libentiſſimè & devotiſſimè, & tamquàm domino & Regi noſtro omnem humilitatem & obſequium, & devotionem ad illorum conſilium exhibituros, ſalvo honore Dei, & Apoſtolicæ Sedis, & libertate Eccleſiæ, & honeſtate perſonæ noſtræ, & poſſeſſionibus Eccleſiarum. Et ſi eis videretur aliquid adiiciendum iis, aut demendum, aut immutandum: rogavimus, ut dicerent nobis, quia in noſtra voluntate erat, illis obtemperare, quatenùs conditionis & profeſſionis noſtræ neceſſitas pateretur. Dicentes autem ſe ſuper hoc non habere conſilium, nec veniſſe tunc, ut nobis, ſed ut nos conſulerent: tentando quæſierunt (ut verbis domini Vuillelmi utamur) quia non ſumus meliores, quàm patres noſtri: an vellemus in præſentia eorum Regi promittere, nos obſervaturos omnes conſuetudines, quibus uſi fuerant anteceſſores ejus temporibus deceſſorum noſtrorum, & ita ſopitis hinc inde querelis omnibus (ſi tamen hoc impetrare poſſent, quod facilè non credebant) recipere ſedem noſtram, & redire in gratiam ejus. Nos verò reſpondimus, neminem deceſſorum noſtrorum ad hanc profeſſionem ab aliquo Regum fuiſſe arctatum, neque nos, Deo auctore, unquam profitebimur obſervantiam illarum conſuetudinum, quæ Eccleſiæ Dei perimunt libertatem, Sedis Apoſtolicæ convellunt privilegium, & legi Dei patenter adverſantur, à quibus nos Senonis in eorum & multorum præſentia per veſtram miſericordiam abſolviſtis: adjecto (quòd à memoria noſtra, Deo miſerante, non excidet verbum, Apoſtolico ore dignum) quia antè deberemus cervices ſpiculatori feriendas exponere, quàm talibus pravitatibus conſentire, & turpi commercio rerum temporalium, aut aviditate vivendi, curam relinquere paſtoralem. Lectæ ſunt in præſentia eorum reprobæ illæ conſuetudines, quarum aliquas condemnaveramus, immò & ante nos ab initio cum obſervatoribus ſuis, Catholica Eccleſia in multis Conciliis anathemate condemnavit. Quæſivimus ergò, an non modò eas obſervare, ſed etiam diſſimulare liceat ſacerdoti ſine periculo ordinis, & ſalutis? XXIX.

Ad hæc adjecimus, nos Regi feciſſe fidelitatem, ſalvo ordine noſtro, & eam ſibi libenter ſervabimus, ita quòd fidem Deo debitam irritam non faciemus. Intulit ergò unus, quem ab initio, ut ſcitis, habuimus, & debuimus habere ſuſpectum, quod melius eſſet nobis omninò cedere, quàm Eccleſiam ſic vexari. Et circa hoc ſuaſorii ſermones multiplicati ſunt, quos viva vox commodiùs referet. Retulimus itaque inferenti, quòd ob hanc cauſam non cedemus, quia & exemplo pernicioſum eſſet, & proficeret in ruinam Eccleſiaſticæ libertatis, & fortaſsè in Fidei Chriſtianæ diſpendium. Quis enim auderet mutire de XXX.

cætero?

cœtero? quis, paſtoribus ſimili modo cedentibus, aſcendet ex adverſo, ut ſe murum opponat pro domo Iſrael? Addidimus, nec vos, nec aliquos Apoſtolicos viros Eccleſiam Dei talibus exemplis informaſſe. Nonnè paſtoribus fugientibus, ſicut hiſtoriarum fide celebre eſt, tota Aegyptus ad idololatriam rediit, ubi ab initio maximè religio vigebat? Hinc aliò progreſſi quæſierunt, an illorum vellemus ſtare judicio ſuper iis, quæ vertuntur inter nos & Regem? Et quidem ſi refugeremus judicium: cauſam Regis juſtificare videremur, & noſtra fortaſsè apud pleroſque læderetur opinio: cùm tamen illum, qui adverſarius extitit, non debeamus, ſi placet, habere judicem; nec alicubi ad hoc tuti eſſe poſſimus, niſi in præſentia veſtra. Noſtra ſiquidem & noſtrorum proſcriptione, & aliorum vexatione, & damnis ſic Rex ille terruit & territat univerſos, ut nullus, eo ſciente, audeat noſtri meminiſſe in bonum. Habita horum omnium contemplatione, ſic temperavimus reſponſionem, ut nec diceremus nos detrectare judicium, nec tàm diſcriminoſo nos immergeremus litigio. Diximus enim nos & noſtros ſede, adminiſtratione, & bonis omnibus ſpoliatos, cùm ad omnia fuerimus reſtituti, libenter, ubi, & quando debebimus, veſtram, aut cujus, aut quorum de mandato veſtro oportuerit, judicium ſubituros: juſtitiam enim nec poſſumus nec volumus declinare. Interim nulla nos ad litigandum ratione compelli, nec paupertatem noſtram ad hoc ſufficere, nec liberalitatem ſereniſſimi Regis ſine moleſtia ad hoc poſſe protendi, ut nos & coexulantes pauperes Chriſti nummis ſuis, quibus ad præſens indiget, exhibeat diu in domibus alienis. Nam ubi victualibus abundat, expenſæ noſtræ faciliùs tolerantur.

XXXI. Proceſſerunt ad tertiam quæſtionem, ſciſcitantes, an Epiſcoporum, qui appellaverant contra nos, litem ſub eis judicibus vellemus excipere? ſed reſpondimus, nos veſtrum ſuper hoc non recepiſſe mandatum, nec inopiam noſtram ad tantos ſumptus & lites eſſe idoneam. Hoc autem agebatur ab adverſariis noſtris (ſicut didicimus ab iis quos res latere non poterat) ut ſub quacumque occaſione noſtram poſſent in præſentia Legatorum notare perſonam, & ſic quamcumq; læſionem ingerere Conjiciunt enim, quòd nullus provincialium nobis auderet aſſiſtere contra Regem, & ſic viderentur noſtram procuraſſe ruinam. Rex autem ſolos illos evocavit, qui nobis ab initio hujus turbinis adverſantes, inventores tantæ malitiæ eſſe noſcuntur, videlicèt Eboracenſem Archiepiſcopum, & Epiſcopos Londonienſem, & Ciceſtrenſem, accito cum eis & Vvigornienſe, ut velamento ejus aliorum malitia pallietur. Cœterùm ſicut veſtra poteſt meminiſſe diſcretio, iſti qui nunc Regis voluntati acclamant, & præ cœteris, ſicut publicè notum eſt, ſitiunt ſanguinem noſtrum litteris ſuis impetrationem pallii noſtri, &

A electionis formam, & perſonam noſtram multis laudum præconiis extulerunt. Nunc autem veritati contradicentes, & ſibi, ſeipſos mentiendi; & adulandi audacia contemptibiles reddiderunt, dum ad nutum Principis, velut ſervi Comici, modò ajunt, modò negant. Hi ſunt, Pater, qui dant cornua peccatori, & ſi non ſatis inſanit, inſtigant illum, ſubiicientes pulvinar cubito, & caput vitiis languidum in cervicalis mollitie faciunt obdormire.

XXXII. Cùm itaque etiam illi, qui debebant B eſſe columnæ Eccleſiæ, conſilio, auxilio, auctoritate, obſequiis, & ſumptibus contra eam & nos animent & arment divinæ legis & parvitatis noſtræ perſecutores: non eſt nobis tutum aut poſſibile ſubire judicium, niſi in præſentia ſanctitatis veſtræ, & ſub veſtro ipſius examine. Licèt enim de ſinceritate alterius Legatorum ſperare debeat Eccleſia, & nos de eo confidamus, præſertim in his quæ Dei ſunt: tamen non eſt homo præter vos, cui hanc cauſam Domini committere audeamus. Alterum verò Legatum talem faciat Deus, qualem ſaluti ſuæ eſſe expedit, & qualem eſſe de- C cet Romanæ Eccleſiæ presbyterum Cardinalem. Veremur autem ne contingat, quod (ſi reminiſci placet) præmonuimus eventurum, ſi fortè prudentiam, eloquentiam, & auctoritatem domini Vvillelmi cum poteſtate & voluntate dura regis Angliæ accideret convenire: veremur, inquam, ne tales nobis, formato conſilio, porrigantur petitiones, quarum vobis moleſtus ſit auditus, effectus impoſſibilis, aut diſplicens Deo, & mundo odioſus.

XXXIII. Et quia vobis omnium Eccleſiarum ſollicitudo incumbit: circumferte; ſi placet, D oculos in Occidentem. Attendite, & videte, qualiter ibi tractetur Eccleſia, indicet vobis dominus Otto, quem ſpiritu Dei agi credimus, quid viderit & cognoverit de Eccleſia & provincia Turonenſium, quid de Anglicana audierit, quid expertus ſit in Northmannia; & credimus vos dicturos cum lacrymis: Quia non eſt dolor ſicut dolor iſte. Ut enim de Cantuarienſi & Turonenſi Eccleſiis taceamus, quas tetinet, ut audiſtis, & utinam pleniùs ſciretis: ſeptem Epiſcopatus vacantes in provincia noſtra & Rothomagenſi jam multo tempore tenet in manu ſua, nec aliquos ibi E patitur ordinari paſtores. Clerus regni datus eſt ſatellitibus ſuis in conculcationem, & prædam. Si iſta, Pater optime, diſſimulamus: quid in die Judicii reſpondebimus Chriſto? Quis Antichriſto reſiſtet venienti, ſi tantam patientiam vitiorum & criminum jam accommodamus preambulis ejus? Talibus enim diſſimulationibus inſoleſcunt poteſtates, Reges gentium tranſeunt in tyrannos, ut Eccleſiæ nullum jus, nullum privilegium, niſi de eorum arbitrio cenſeant relinquendum. Sed beatus qui tenet & allidit parvulos eorum ad petram. Nam ſi Judas es mandato Legis non ex-

termi-

terminat Chananæum: ei in hoſtem & ſtimulum perpetuò coaleſcit. Confortare, Pater, & eſto robuſtus, plures nobiſcum ſunt, quàm cum illis. Contrivit Dominus malleum impiorum Fridericum, percuſſurus & alios in brevi, niſi reſipiſcant, & cum Eccleſia Dei pacem habeant.

Et ut tandem verbis faciamus finem, veſtri oris dumtaxàt expectamus judicium, aut illius, qui ſpiritum Principum auferre conſuevit, & liberare pauperem à potente. Nuntiorum vox plura ſupplebit, quæ ſcripto non credidimus committenda. Hoc certum habeat veſtra ſerenitas, quia ſi voluiſſemus à principio pravis conſuetudinibus acquieſcere: non eſſet alicujus Cardinalis, immò verò hominis alicujus neceſſarius interventus. Fruſtraque nobis, auctore Domino, Siculorum, aut Hungarorum proponuntur exempla, quæ nos in die Judicii minimè excuſarent, ſi tyrannorum barbariem præferremus Apoſtolicis inſtitutis, & ſæcularium inſolentiam poteſtatum crederemus potiùs formam eſſe vivendi, quàm teſtamentum æternum confirmatum ſanguine & morte Filii Dei.

XXXIV. Ut igitur prædicta omnia ſine lacrymabili concludam: attendat ſanctitas veſtra, ſi iſte debet eſſe fructus laboris & operis, ac exilii noſtri, ut judicemur nudi, miſeri, privati omnibus bonis; ac ſubeamus cauſarum anguſtias, eò quòd auſi ſumus nos opponere ferociſſimo oppreſſori Eccleſiæ in defenſionem libertatis ipſius, qui expectabamus in dies de deſolatione noſtra ſolatium, de exacta miſeria gaudium, de injuria Chriſti dignam à Deo & à vobis in oppreſſores Eccleſiæ ultionem. Nonnè ſufficere poterat iis qui quærunt animas noſtras, quòd quoſdam morte affecerunt ex noſtris? Paupertas quoque & calamitas noſtra, in qua vix agimus vitam, alienis eleemoſynis viventes, niſi auctoritate legationis iſtius, quæ nunquam fuiſſet, fruſtrà trahamur & protrahamur per annos & annos à dolore in dolorem, à miſeria in confuſionem, jus etiam noſtrum, & juſtitia convertatur in ruinam noſtram & miſerorum noſtrorum? Deus bone, quis erit hujus doloris finis? Exurge Deus, judica cauſam tuam; vindica ſanguinem ſervorum tuorum, qui nequiter extincti ſunt, & aliorum, qui intolerabiliter afflicti deficiunt, cùm ſit nemo qui de manu inimicorum noſtrorum præter dominum Papam, & per paucos ſecum, velint nos eripere. Vivat & valeat ſanctitas veſtra in tempora longa, ut vivamus & convaleſcamus nos & miſeri noſtri.] Hactenùs ad Alexandrum Papam relatio ſancti Thomæ. Inter hæc autem Legati Cardinales ſignificaverunt ſancto Thomæ, quòd Rex Anglorum obtinuiſſet à Papa, quod & ſumma inſtantia (ut vidimus) divulgarat, omnium quòd omnia interdicta eſſet auctoritas ipſi Thomæ de rebus Eccleſiæ Anglicanæ. Extat inhibitio hujuſmodi per eos ad eumdem ſanctum Thomam miſſa, his verbis conſcripta:

XXXV. Venerabili & dilectiſſimo (a) fratri Cantuarienſi Archiepiſcopo *Willelmus & Oddo* Cardinales ſalutem.

a *Cod. Vat. l. 2. ep. 29.*

Legatorũ præceptum nomine Papæ ad S. Thomam.

Innotuit Regi, quid ſuper concordia, quid etiam ſuper cauſis, ſi contrà vos agere vellet, reſpondiſtis. Et cùm prima latis (ſicut ajebat) ex præcedentibus actibus veſtris, & ſuprà quàm ſatis, fuiſſet commotus; ampliori & vehementiori fuit nunc indignatione permotus, veſtri cordis altitudinem, & domini Papæ incuriam, erga ipſum indubitanter accuſans. Epiſcopi verò & Abbates regni Anglorum audientes, quia vos nihil cum eis agere, neque noſtro judicio vos ſupponere velletis: in noſtra præſentia litteras domini Papæ, quibus vobis mandaſſe ſe dicit, ne vos regnum Anglorum interdicto ſupponatis, coràm perlegerunt. Requiſierunt etiam à nobis, ſi ab utroque noſtrum vel altero accepta legatione in Anglia poſſent à veſtris gravaminibus defendi. Cùm autem reſpondiſſemus, nos de negotiis regni Anglorum nullatenùs habere poteſtatem: ibidem in continenti; tàm pro ſe ipſis, quàm pro toto regno ad dominum Papam appellaverunt, & in protectione domini Papæ, & noſtra ſe ipſos, & regnum ponentes, diem quoque ad feſtum ſancti Martini conſtituentes. Unde mandamus dilectioni veſtræ, & ex parte domini Papæ & noſtra præcipimus, quatenùs deferentes appellationi prædictæ, inhibitionem etiam, quam dominus Papa ſe vobis feciſſe teſtatur, attendentes: nullum interdictum, nullam excommunicationem in regnum Anglorum intendatis, quouſque præſentia Apoſtolica adeatur, & quid domino Papæ & Romanæ Eccleſiæ ſuper his placeat, cognoſcatur. Ipſi quoque Epiſcopi & Abbates Nuntios proprios ad vos tranſmittunt, qui appellationem in noſtra præſentia factam & diem vobis denuntient.] Hacuſque mandatum Legatorum. Cùmque iſta de inhibitione auctoritatis ſancti Thomæ non ad ipſum tantùm per litteras ſcripta eſſent, ſed circumquaque (ut audiſti ſuperiùs) divulgata, magno ſcandalo bonorum omnium, faventium Eccleſiaſticæ libertati: idem ſanctus Thomas magnoperè excruciatus, litteras de his ſcripſit querulas valdè ad ipſum Romanum Pontificem Alexandrum, necnon alias ad omnes ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, magna animi amaritudine refertas, quas omnes reddere in promptu eſt. Extant enim in fine ejuſdem ſæpè citati codicis epiſtolarum, cum errore librarii ſcribi omiſſæ ſunt libro ſecundo poſt epiſtolam quadrageſimamquintam, prout qui emendavit errorem, admonuit. Epiſtola ipſa ſancti Thomæ ad Alexandrum ſic ſe habet:

XXXVI. Amantiſſimo domino & Patri ſanctiſſimo Alexandro Dei gratia ſummo Pontifici Thomas Cantuarienſis Eccleſiæ miniſter humilis, miſer ac miſerabilis exul cum ſuis exulibus ſalutem & omne bonum.

Mittimus ſanctitati veſtræ latores præſentiũ fideles noſtros, duos videlicèt de mi-

ſeris & coetulibus noſtris, quos tamen ad præſens poſſumus, & ſicut poſuimus, ut per eos audiatis & intelligatis certiori & miſerabili relatione, quæ circa nos noviter acta ſunt his diebus; miſeriarum etiam noſtrarum & noſtrorum anguſtias, quæ quidem immanes ſunt, & ſuſcipiamus à ſanctitate veſtra, ſi placet, celeriter debitam & diu dilatam oppreſſionis Eccleſiæ & noſtræ liberationem. Dolorum etiam noſtrorum per manum miſericordiæ veſtræ levamen accipiamus, ne immaniter & multipliciter depreſſi deficiamus in tribulatione, qua non fuit à diebus antiquorum diſtrictior. Protracti enim ſumus, jam diu eſt, ſicut novit excellentia veſtra, trahimur etiam, & protrahimur non minus crudeliter quàm iniquè per tempus & tempora in miſeria & dolore, ut vel ſic infrà longi temporis metas afflictione deficiat anima noſtra, extinguamur attriti, deficiamus penitùs exacti miſeriarum anguſtiis, expiret interim auctoritas veſtra, quod abſit, quæ per Dei miſericordiam contra iniquorum deſiderium, contra malignantium fraudem relevatura eſt miſeriam noſtram & aliorum, antequàm finiatur. Inclina igitur domine aurem tuam, & audi; aperi oculos tuos, & vide, ſi fuit iniquitas ſicut iſta; attende diligentiùs ſi eſt dolor, ſicut dolor noſter & noſtrorum, qui dati ſumus in direptionem, niſi ſubitò ſubveniat nobis per manum veſtram Dei miſericordia. Facti ſumus in ſubſannationem & deriſum his qui in circuitu noſtro ſunt, auctoritate Legatorum veſtrorum, qui utinam non magis enormiter, quàm præſumptuosè egiſſent circa nos & Eccleſiæ negotia! Si enim hæc facta ſunt nobis ab ipſis in viridi, quid fiet in arido, ſi duratura eſt iſta legatio, quæ numquam fuiſſet? Suſpenderunt ipſi nos, quantum in eis eſt, ab omni auctoritate quam habebamus in Eccleſiis Angliæ & perſonis, quod numquam gratia Dei & veſtri ad alicujus Principis, vel alterius inſtantiam factum eſt à vobis, nec fiet per Dei miſericordiam, ſicut ex certa promiſſione indulſit nobis veſtra ſublimitas. Ut quid, domine, tribuiſti legationem homini, de cujus introitu attendiſſe debuerat dominus meus (ut ſalva pace ejus loquar) quis deberet eſſe futurus legationis hujus fructus; penſaſſe etiam ejuſdem exitum, cujus anima tota effuſa fuit ab initio, & eſt in ruinam Eccleſiaſticæ dignitatis, & veſtram, ut vel ſic fiat Principi gratus.

XXXVII. Domine, domine, ad te ſunt oculi noſtri, ne pereamus. Adjuva nos domine, & fac nobiſcum ſecundùm promiſſiones tuas, quæ utinam non in vanum lætificaverint animas noſtras. Suſtinuimus enim ad veſtræ celſitudinis mandatum; ſuſtinuimus, inquam, pacem & non venit. Expectavimus per manuum opera Legatorum veſtrorum bonum, & ecce nobis major afflictio, turbatio ferventior. Miſerere ergò noſtri domine, miſerere noſtri: cùm ſit nemo poſt Deum, qui pugnet pro no-

A bis, niſi tu ſolus cum fidelibus tuis. Miſerere, inquam, noſtri, ut miſereatur veſtri Deus in diſtricto examine, cùm reddituri fueritis rationem villicationis veſtræ. Non eſt enim ad quem habeamus refugium poſt Deum, niſi ad te. Cùm etiam ipſi opponant ſe nobis favore hominum, qui intuitu pietatis & juſtitiæ ob reverentiam etiam ſacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ, nobiſcum ſtare debuerant, & pugnare pro nobis. Exhauſtis ſiquidem ſumptibus, & vexationibus innumeris urgentibus, non eſt nobis certè de cætero quomodò proſequamur vexationum iſtarum vel minimam partem.
B Succurrat itaque nobis & Eccleſiæ noſtræ, ſi placet, celeriter tua ſublimitas, & imponat finem huic malitiæ, ne protrahatur ulteriùs, quoniam jam tempus eſt. Vix enim eſt, ut etiam præ nimiis anguſtiis ſpirare valeamus. Accelera ergò, ut ſentiamus gratiæ tuæ beneficium, antequàm moriamur. Valeat & vivat in tempora longa dilecta nobis & ſuper omnia poſt Dei amorem neceſſaria tua ſancta benignitas, ut tua munificentia incipiamus & nos reviviſcere, qui jam incepimus mori.

Prætereà noſcat diſcretio veſtra, quòd XXXVIII
C tribus diebus, antequàm ſupervenirent nobis mala iſta, exierant Nuntii à nobis cum litteris noſtris, quibus nuntiabamus ſanctitati veſtræ, qualiter à Legatis veſtris diſceſſeramus. Scribebat enim vobis Rex Francorum Chriſtianiſſimus & Regina, & quidam de Principibus & Epiſcopis regni ſui, quidamque minores amici veſtri, lætantes & glorificantes Deum, gratiaſque Deo & vobis agentes, eò quòd manifeſtum erat ex adventu Legatorum veſtrorum, ſicut id ipſi domino Regi ore ad os inſinuaverant, falſa eſſe ac mendaciſſima, quæ Joannes ille jurator de Oxeneford,
D & alii Nuntii Regis prædicaverant de gravamine & dejectione noſtra, futura per Legatos, unde ſcandalum ineffabile ortum erat in toto regno Francorum, & apud omnes, ad quos rumor ille pervenerat, præterquàm adverſarios Eccleſiæ & noſtros. Sed verſa eſt cithara iſta in luctum, & lætitia iſta in mœrorem, factuſque eſt error iſte pejor priore. Petimus itaque, ut placeat ſanctitati veſtræ, ſupervenienti morbo celerem adhibere medicinam, quatenùs fiat omnibus in manifeſto (ſicut rei veritas ſe habet) citra conſcientiam veſtram & mandatum iſta fuiſſe præſumpta. Valeat ite-
E rùm ſanctitas veſtra & in æternum.] Hactenùs epiſtola ſancti Thomæ ad Alexandrum Pontificem. At non his contentus, querelas ſuas inferri voluit in Cardinalium ſacrum Collegium, quos mirum in modum (ut decet Sanctos) ſumma animi libertate, haud veritus eminentiam ampliſſimæ dignitatis, redarguit. Nos autem conſiderantes, quantò ſit utilius ab amantibus verberari, quàm ab odio habentibus oſculis appeti: ipſam hic integram deſcribemus epiſtolam, quæ ſic ſe habet: (a)

a Cod. Vat. in Apen. epiſt. 1.

Vene-

XXXIX. Epiſt. S. Thomæ ad Cardin. S.R.E. A Venerabilibus dominis ſuis & Patribus univerſis, Epiſcopis, presbyteris, diaconibus S. R. E. Dei gratia Cardinalibus Thomas eadem gratia Cantuarienſis Eccleſiæ miniſter humilis, miſer ac miſerabilis eaul ſalutem ac debitum per omnia famulatum.

Miſero verba facere grata haud eſt facile; miſerabili ſervare modum in dicendo, ſanè difficile. Detur ergò, petimus, indulgentia miſero, miſerabili venia. Credimus vos, Patres ſanctiſſimi, divina inſpirantia ad hoc in ſummo faſtigio conſtitutos, ut removeatis injuſtitias, præſumptiones abſcidatis, laborantibus in ſacerdotio benignè ſubveniatis, opprobriiſque & calamitatibus eorum nullatenùs locum exhibeatis; ſed oppreſſis, gravatiſque feratis auxilium, calumniantes reprimatis, duriùs opprimentes graviſſimè puniatis. Non enim perturbare perverſos, non reſiſtere perſequentibus Eccleſiam: nihil aliud eſt, quàm fovere. Conſentire namque videtur occultè, qui manifeſto facinori non obviat. Intelligimus inde, non aliter vobis licere, quàm ut omnes conatus veſtros huic cauſæ noſtræ, quæ inter Regem noſtrum & nos, immò inter vos & ipſum præcipuè verſatur, in qua univerſalis ſalus infeſtatur Eccleſiæ, officioſiſſimè de cætero impendatis. Inierat iam cum ipſo certamen, erat vobis jam in limine victoria, ſi non religionis veſtræ circumveniſſet auctoritatem, ſicut creditur à peritis, prædicatur à tranſeuntibus, affirmatur ab iis, qui Regis intima noverunt arctiùs, captioſa calliditas, falſa ſpes pacis, quæ potiùs extorquetur à tyrannis præparatione certaminis, quàm legationis tractatione: præparatione enim belli pax obtinetur. Digna certè pœna, huic miſerationis veſtræ viſcera claudi, qui libertatem Eccleſiæ quærit extinguere. Decet ergò vos eſſe vacuos ab omni offenſa, ab aliena gratia penitùs liberos: ſi rectè tractatis aliena negotia, ſi loquimini veritatem in populo, ſi diligitis juſtitiam, qui facitis judicium in

a Sap. 1. gente. Dominus enim dicit: (a) Diligite juſtitiam, qui judicatis terram. Ipſa utique ubique diligenda, ubique eſt obſervanda: Sola enim ipſa operatur pacem & conſervat.

b Iſa. 32. Unde Iſaias: (b) Erit opus juſtitiæ pax.

c Pſ. 84. Et David in Pſalmo: (c) Iuſtitia & pax oſculatæ ſunt. Amant enim ſe hæc duo eatenùs, ut qui facit juſtitiam, pacem inveniat, nec aliter. Sic ergò agite, ſic obſervate juſtitiam, quibus judicandi poteſtas credita eſt, ut cùm venerit juſtus Iudex, reddens unicuique juxta merita ſua, pro benè obſervata juſtitia digna vos mercede remuneret.

XL. Quid plura? Hæc in ſumma reduco vobis ad memoriam: quoniam Arrius parva ſcintilla fuit in Alexandria, ſed quia diſſimulante juſtitia, non eſt ſtatim oppreſſus: ejus totum Orbem ferè flamma populata eſt. Et ut veniamus ad rem: dicite, Patres ſanctiſſimi: Qua conſcientia diſſimulatis injuriam Chriſto illatam in me, immò certè in vobis, qui Chriſti vicem gerere debetis in terra? Nonnè cauſa mea ſimul veſtra eſt? immò penitùs veſtra? An ſimulatis vos ignorare, quòd Rex Anglorum occupavit, & ſingulis diebus occupat poſſeſſiones Eccleſiaſticas, libertatem Eccleſiæ ſubvertit? Extendit manus ſuas in chriſtos Domini, paſſim & ſine delectu in clericos, alios incarcerando, alios truncando, aliis eruendo oculos, cogendo alios ad duellum, alios ad examinationem ignis vel aquæ, Epiſcopos etiam non ſervare Metropolitano ſuo obedientiam, minores clericos Prælatis ſuis non obedire, non habere ſe excom-

B municatos, cùm ritè fuerit excommunicati; immò (quod deterius eſt) omnimodam tollit Eccleſiæ libertatem ad inſtar grandis illius ſchiſmatici, oppreſſoris veſtri, *nempè Friderici*, qui quærit funditùs eviſcerare Eccleſiam? Si hæc fiunt impunè à Rege noſtro: quid fiet ab ejus hæredibus? Quid ſuſtinebitur à ſucceſſoribus veſtris? Attendite quoniam creſcunt quotidiè mala, creſcunt occaſiones & ingenia malorum.

Deus bone, faciet ne iſta impunè? Non hac via Chriſtus inceſſit, non Apoſtoli, XLI. quorum imitatores eſſe debetis, & nos vo-

C biſcum. Quare receditis à viis Domini? in quo eſt vobis fiducia? Verendum eſt, ne quod abſit, contritio & infelicitas ſit in viis veſtris: ne viam ſalutis non agnoveritis: quod non ſit timor Domini in veſtris oculis. Quis eripiet vos de manu tribulantis? Quis liberabit vos de belluæ faucibus, quæ jam in januis eſt, ut vos abſorbeat omnes, ſi non Deus ipſe? Certè non argentum, non aurum, non humana gratia, non favor Principum. Nolite ergò, nolite confidere in Principibus, in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus. Maledictus enim qui confidit in homine, qui

D ponit carnem brachium ſuum. Facite, domini mei, facite aliis, quod vobis deſideratis à Chriſto fieri, ut evadatis periculum, quod eſt è vicino. Eadem enim menſura remetietur vobis, qua ipſi menſi fueritis. An neſcitis, quoniam argentum veſtrum projicietur foras, aurum veſtrum erit in ſterquilinium? argentum & aurum non poterit vos liberare in die furoris Domini. Nolite ergò, nolite theſaurizare vobis iram in die iræ, ſed theſaurizate vobis in cœlo, reſiſtendo oppreſſoribus, ſubveniendo oppreſſis. Alioquin judicet inter vos & me, & coexules meos, orphanos,

E viduas, infantes in cunabulis, cæteroſque omnes clericos, & laicos Deus ipſe, apud quem non eſt perſonarum acceptio. Requirat ipſe ſanguinem mortuorum meorum de manibus veſtris, vindicet ſimulationem iſtam, qui ſedet in excelſo, juſtus Judex, conſiderans diſſimulationes veſtras & injuſtitias, redditurus unicuique veſtrum prout geſſerit mecum ſive bonum ſive malum. Expoſuiſtis quippè nos equidem immeritos ſignum ad ſagittam, ut nec jacula jaculantis undique in nos, preſſi valeamus elidere, nec evadere poſſimus.

niſi in potenti manu Dei jacientium ſagittas. Feciſtis opprobrium omni tranſeunti, ſubſannationem vicinis noſtris; deriſum his qui in circuitu noſtro ſunt. Utinam non vobis ipſis.

XLII. Deus bone, quis erit de cætero vigor in membris, ſi capitis ipſius robur emarcuerit? Jam certè clamitatur in plateis, prædicatur per civitates & vicos, quia non ſit juſtitia Romæ de potentibus. Ut quid ſepitis vias noſtras ſpinis? cur objicitis nobis offenſionis lapidem? Ut quid tollitis nobis omnem noſtram auctoritatem, ne vindicemus injuriam Chriſti, ne redimamus damna dierum noſtrorum, quibus nemo ſuccurrit, ne compenſemus Eccleſiæ jacturam, prout nunc poſſumus, Eccleſiaſtica ſaltem cenſura; ne ſilentio convaleſcat inconcuſſa impunitas, ſed prodeat in lucem tantæ concuſſionis auctoritas, tàm affectatæ præſumptionis ultio merita, ut appareat tempore poſtero, tàm enormia, tàm deteſtabilia nullatenùs impunè, ſed meritò attentata fuiſſe? Certum tenete, expectatio iſta plurimum habet periculi, ſalutis nihil. Aliter curandus eſt is morbus, ſi non per diſſimulationem veſtram vultis interfici Regis univerſæ terræ. Dulcis enim eſt omni tyranno amara ſervitus Eccleſiæ, nec tolli facilis, ſi non ſit ei citiſſimè ipſa ſua dulcedo amara ſeveritate juſtitiæ. Eò jam perventum eſt, ut ſequatur Rex noſter etiam Siculos, immò certè præcedat. Curritur undique à clericis Angliæ ad ſuam Curiam: fiunt curiales Capellani, ſub obtentu iſto aſtringuntur jusjurandi neceſſitate, ut vel ſic in terra ſua liberiùs obtineat de cætero, quod hoc tempore de voluntate ſua pro jure conſtituit. Itur curſim in diſpendium Eccleſiæ non reparabile, cùm ſit nemo qui currenti non cedat, qui redarguat delinquentem efficaciter, qui puniat ejus viriliter exceſſum. Quid erit nobis & vobis ulteriùs in terra illa, ſi celeriùs non occurratur huic tanto periculo? Si non retundatur acriùs hujus tam enormis novitatis periculoſa præſumptio? vos ipſi videritis.

XLIII. Diſpoſueram certè animam meam in hac parte liberare, viriliter ſubvenire periculo, ſi non hujus facti me, ſicut credimus, immeritò æſtimaſſetis indignum. Indulgeat Deus hoc facientibus. Erat mihi quippè cum ipſo facilior acceſſus, ſi (quod abſit) ſine vobis Eccleſiæ diſcrimina diſſimulare curaſſem. Verùm quidquid mecum egeritis, quidquid agatis; per miſericordiam Dei nihil fiet à me ſine vobis, nihil in præjudicium Eccleſiæ, ſi vita comes mihi ſuccurrit. Hanc viam elegi, hanc, Chriſto duce, non mutabo ſententiam. Hæc eſt enim mihi via ſalubris. Hæc vobis ſcribo non, ad indignationem aliquam (novit Deus qui ſcrutator eſt cordium) ſed ad cautelam, ne veniat ſuper vos dies Domini ſicut fur, dies ultionis qui nemini parcit. Credite ergò mihi fideli veſtro per omnia, dilectiſſimi domini: Reſumite vires, accingimini gladio verbi Dei potentiſſimi, exerite gladium beati Petri, injuriam Chriſti vindicate & ſuorum, nulli parcat oculus veſter; Facite judicium & juſtitiam ſine dilatione omni patienti injuriā. Hæc eſt via regia, hæc eſt via quæ ducit ad Vitā. Hac vobis incedendum eſt, ut ſequamini veſtigia Chriſti, veſtigia Apoſtolorum, quoniam eſtis Vicarii. NON SIMVLATIONE, NON INGENIO REGENDA EST ECCLESIA, SED JVSTITIA ET VERITATE. QVÆ SE OBSERVANTEM LIBERAT AB OMNI PERICVLO. Hoc facite, & habebitis pro certo Deum adjutorem, nec timeatis de cætero, quid faciat mihi homo. Benè valete, ut benè ſit nobis & toti Eccleſiæ.] Hactenùs ipſe, qui uſu loquendi, quod ait, Non ingenio regendam eſſe Eccleſiam Dei, idem voluit ſignificare, ac ſi dixiſſet: Non prudentia carnis, quæ eſt inimica Deo (ut (a) dixit Apoſtolus) illam eſſe adminiſtrandam, qua unà ſimul periclitatur juſtitia cum veritate.

a Rom. 8.

XLIV. His igitur tum ad Alexandrum Pontificem, tum ad S.R.E. Cardinales Romam allatis litteris, tanti viri auctoritate, magis autem veritate, unà cum ſacro fratrum Collegio permotus eſt Alexander, ut Legatos ipſos, quos tot viri ſanctiſſimi querelæ perſtringerent, quantocyùs revocaret in Urbem, id in primis curante Nuntio ſancti Thomæ Romæ degente, & Apocriſarii munere perfungente, quem ad hoc ipſum peragendum apud Pontificē monuiſſe reperitur idem ſanctus (b) Thomas ſuis litteris, in quibus hæc inter alia leguntur: Et ideò omnimodis expedit, immò pluſquàm neceſſarium eſt, ut omnem quam poteritis, operam adhibeatis, & pro viribus apud dominum Papam efficiatis, quatenùs ſæpè dicti Cardinales revocentur, & à terra tota ipſius Regis ſub pœnæ interminatione exire compellantur.] Hæc de Legatis revocandis ſanctus Thomas. Qui ut diximus, à Papa exauditus in omnibus fuit. Nam ſuis Pontifex litteris mox eos revocavit in Urbem, omni eos ſtatim nudans auctoritate. Qui antequàm inde recederent, Regem Angliæ inviſendum eſſe duxerunt. Quænam autem inter eos tranſacta ſint, relatio tunc ſcripta nos docet, quæ ſic ſe habet: (c)

b Cod. Vat. l. 2. ep. 104.

c Ib. ep. 6.

XLV. Relatio de ultimo cōgreſſu Legatorum cum Rege.

Proxima quinta feria poſt octavam ſancti Martini venerunt Cardinales ad Beccenſe monaſterium, ſequēti die Lexovium, tertia die ad ſanctum Petrum ſuper Divam, quarta item die, quæ præcedit Adventum Domini, venerunt Argentheon. Ea die occurrit eis Rex per duas leucas, hilarem eis vultum exhibens, & utrumque Cardinalem comitatus eſt uſque ad hoſpitium ſuum. Sequenti die, ideſt ſecunda die poſt Miſſam, ſatis mane vocati, venerunt ad Regem, & intraverunt in Cameram ad conſilium cum Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Abbatibus, qui admiſſi ſunt. Cùm autem quaſi ſub ſpacio duarum horarum moram feciſſent intus, egreſſi

ſunt,

Digitized by Google

ſunt, & Rex cum eis uſque ad oſtium capellæ exterius, & ibi in eundo dixit dominus Rex hoc verbum publicè, & ipſis etiam audientibus Cardinalibus: Utinam ampliùs numquam videat oculus meus aliquem Cardinalem. Cum tanta autem feſtinatione dimittebat eos, quòd cùm hoſpitium eorum ſatis vicinum eſſet, non fuerunt expectati, ut venirent equi eorum proprii, ſed traditi ſunt eis ad exeundum equi, qui ante capellam caſu proximi inventi ſunt, & exierunt Cardinales quatuor comitantibus ad plus. Remanſerunt autem Archiepiſcopi, & Epiſcopi, & Abbates cum Rege, & intraverunt in cameram ad conſilium. Ubi eùm moram feciſſent uſque ad horam ferè veſpertinam, venerunt ad Cardinales; & omnium eorum facies videbatur eſſe turbata. Cùm aliquantam moram feciſſent apud Cardinales, reverſi ſunt ad hoſpitia.

XLVI. Craſtina die eùm moram feciſſent apud Regem uſque ad horam ſextam: venerunt ad Cardinales, & poſteà ad Regem: reverſi ſunt poſteà apud ad Cardinales, reſponſa hinc inde ſecreta portantes. Sequenti die, id eſt in Vigilia ſancti Andreæ, Rex ſummo diluculo ſurrexit, & exivit ludere in canibus & avibus cœli, ſicut creditum & æſtimatum eſt, de induſtria ſui faciens abſentiam. Epiſcopi verò ſatis mane convenerunt ad capellam Regis, & ſtatim ad cameram: ibi abſente Rege habita deliberatione, exierunt ad Eccleſiam, juxta quam Cardinales hoſpitia habebant. Ubi enim Cardinales ſediſſent, vocati ut audirent, quæ ab eis proponerentur, aſſidentibus hinc inde Rothomagenſi, Eboracenſi Archiepiſcopis, Vvigornienſi, Sareſberienſi, Bajocenſi, Londonienſi, Ciceſtrenſi, & Engoliſmenſi Epiſcopis, Abbatibus quampluribus, & laicorum ampla multitudine: ſurrexit Londonienſis, & eum turbatæ mentis eſſe, inſipida & parum venuſta oratio argumento fuit, & ſic exorſus eſt: Vos audiſtis &c.] Quæ ſuperiùs in relatione Legatorum de appellatione interpoſita ab Epiſcopis Angliæ audivimus. Et poſt orationem: Facta itaque, inquit, appellatione, petierunt apoſtolos à Cardinalibus, & dati ſunt eis appellatorii, ſicut creditur. Diſceſſerunt Cardinales à Rege feria tertia poſt Dominicam, Ad te levavi. Sed in diſceſſu eum multa humilitate petiit Rex Cardinales, quòd pro eo intercederent apud dominum Papam, ut liberaret eum à nobis omninò. Et in continenti coram Cardinalibus & aliis lacrymatus eſt, & dominus Vvillelmus Cardinalis viſus eſt lacrymari. Sed dominus Oddo vix à cachinno ſe potuit abſtinere. Summa autem negotii hæc eſt, quòd dominus Vvillelmus Papienſis mittit quemdam clericum ſuum, qui cognatus creditur magiſtri Lombardi, cum feſtinatione ad dominum Papam, & Rex mittit duos Nuntios, ſcilicèt quemdam Londonienſis Epiſcopi qui vocatur, magiſter Henricus Piaim, & cum eo Reginaldum filium Sareſberienſis Epiſcopi. Præterea ſabbatho ante ſecundam dicm Dominicam Adventus à Cardinalibus, qui ernnt apud Ebroicas, egreſſi ſunt magiſter Jocelinus Ciceſtrenſis, & Cantor Sareſberienſis, venturi ad vos, ut denuntient, factam eſſe contra vos appellationem à perſonis Angliæ.] Et paulò pòſt: Dominus Oddo Cardinalis mandat domino Papæ ſecretò, quòd depoſitionis veſtræ nec auctor erit, nec conſentiens, quamvis Rex nihil aliud petere videatur, niſi caput veſtrum in diſco. Valete.] Hactenùs antiqui relatio ad ſanctum Thomam.

De Nuntiis à Rege Legatis miſſis ad Alex. Pap.

In ea quæ extat de his relatio Joannis Sareſberienſis (a) ad Joannem Pictavienſem Epiſcopum, habet iſta de irato Rege in hoc ultimo congreſſu: Cardinales adeò turbatum Regem invenerunt, ut palàm quereretur, ſe proditum eſſe à domino Pa- domino Papa, & minaretur ſe ab eo receſſurum, niſi de Cantuarienſi Archiepiſcopo juſtitiam faceret exhiberi.] Et inferiùs quæ ſecuta ſunt poſt interpoſitam appellationem his verbis:

a Cod. Vat. l. 2. ep. 26.

XLVII. *De appellatione facta denuntiatio non admiſſa.*

Epiſcopi quoque duos Nuntios miſerunt de *nuntiis Legatorum ad Archiepiſcopum Cantuarienſem, ſcilicèt* Vvalterum Cantorem Sareſberienſem, & magiſtrum Jocelinum Cancellarium Ciceſtrenſem, ut factam denuntiarent appellationem, & eam coram Archiepiſcopo innovarent. Sed Archiepiſcopus Epiſcoporum nuntios ad colloquium non admiſit, eò quòd inter alios, Epiſcopi Londonienſis *nomine venerent*, quem Archiepiſcopus excommunicatum habet, & Cardinalibus denuntiaverat, quòd qui legatione fungebantur, communicaverant excommunicatis ejus, & ſi in fraudem Apoſtolici mandati, viderentur minus prudentibus abſoluti. Hoc enim tandem, & tantùm indulſerat dominus Papa, ut ſi eſſent in periculo mortis abſolverentur, præſtito anteà juramento, quòd ſtarent mandato domini Papæ ſi convaleſcerent. Illi autem, ſimulantes ſe in periculo mortis conſtitutos, quia oportebat eos ex mandato domini nunc transfretare, nunc in Vvalliam proficiſci, à quodam Epiſcopo Gualenſi utriuſque juris prorsùs aut ferè ignaro, Lanelvenſi ſcilicèt, qui monaſterium Abendoniæ, utpotè quæſtuoſius, pro Epiſcopatu receperat de manu Regis, abſolutionem impetraverunt. Et ne de mandato domini Papæ poſſit ambigi, litteras Apoſtolicas miſit Archiepiſcopus Legatis, quibus diſtrictè præciperentur illos ſic abſolutos reponere in anteriorem excommunicationis ſententiam, niſi poſſeſſiones Archiepiſcopi, & ſuorum & omnia ablata cum integritate reſtituant, nullius appellationis obſtaculo Apoſtolicum hoc impediente mandatum. Et inferiùs: Rogavit etiam attentiùs, ut juxta mandatum domini Papæ, Legati excommunicatos ſuos urgerent ad ſatisfactionem, vel in ſententiam anathematis revocarent, &c.] Addens hac ex parte Legatos infirmos eſſe inventos, ut flecteren-

Digitized by Google

tur ad auram impellentem. Porrò adverſùs eos, qui ſuſurrabantur abſolutionem, eò quòd eſſent navigaturi, eſtat epiſtola Joannis Sareſberienſis (*a*) ad Aleſandrum Papam, qua oſtendit, eos nullo modo abſolutos dici poſſe.

a Cod. Vat. l. 2. ep. 97.

XLVIII. Poſtquàm autem Vuillelmus Legatus vidit, ſanctum Thomam non recepiſſe nuntios Epiſcoporum, tamquàm non benè abſolutorum ab excommunicatione quam incurriſſent: idem ipſe tàm ſuo quàm collegæ nomine de abſolvendis excommunicatis has litteras (*b*) dedit ad Epiſcopos Angliæ, quibus iſta commiſit, Norvicenſem & Ciceſtrenſem:

b Ibidem.

Vuillelmus Papien. agit pro abſolut. Excõmunicatorum.

Diſcretioni veſtræ præſenti ſignificatione mandamus, quatenùs perſonas illas, quæ à Cantuarienſi Archiepiſcopo excommunicationis vinculo dictæ ſunt innodatæ, in manu veſtra, promiſſione recepta, quòd noſtro debeant ſtare mandato, poſtquàm iſtas videritis litteras, abſolvatis. Quod vobis moderatum videbitur. Hac autem occaſione poſtpoſita, proſequi ſtudeat & adimplere, quicumque veſtrum apices iſtos primus receperit. Ex quo veſtrum receperint mandatum, ſignificetis eos juramento præſtito abſolutos.] Hæc nomine Legatorum ſcripta fuere.

Meminit harum litterarum Sareſberienſis in epiſtola (*c*) ad Archidiaconum Exonienſem verbis iſtis: Recepturus eſt enim, ſi nondùm recepit litteras Legatorum, præcipientes ut abſolvat excommunicatos domini Cantuarienſis. Cùm tamen ipſi præcipiendi nullam habeant poteſtatem, ſed inhibiti ſint litteris Apoſtolicis Angliam ingredi, vel ſe de regni negotiis intromittere, niſi priùs pax pleniſſima reformetur.] Et inferiùs: Dicaturque eis, quòd abſolutio non proderit eis ad ſalutem, niſi quam præcedit pœnitentia & confeſſio & ſatisfactio pro facultate &c.] Scripſit & de his idem Sareſberienſis ad Aleſandrum Pontificem (*d*) litteras, in quibus hæc inter alia in amaritudine animi ſui: Os meum in cœlum ponere non præſumo. Fateor & verum eſt, omnia Romano licere Pontifici, ſed ea dumtaxàt, quæ de jure divino Eccleſiaſticæ conceſſa ſunt poteſtati. Liceat ei nova jura condere, vetera abrogare, dum tamen illa, quæ à Dei verbo in Evangelio vel Lege perpetuam cauſam habent, mutare non poſſit. Auſim dicere, quòd nec Petrus ipſe quemquam perſeverantem in ſcelere & voluntate peccandi poſſit abſolvere: nec claves accepit, quibus januam regni poſſit impœnitentibus aperire &c.] Hæc & alia Sareſberienſis. Ex cujus itidem aliis litteris ad Alexandrum audi rursùm proſcriptorum pro Eccleſiaſtica libertate tuènda querelas de iiſdem: (*e*)

c Ib. ep. 102.

d Ib. ep. 56.

Querelæ de male abſolutis.

e Ib. ep. 100.

XLIX. Anima noſtra, Pater, in amaritudine eſt, ut (quod in conſpectu veſtro timeo plurimùm) verbo modeſtiam ſubtrahat vis doloris, & patientia, præ miſeriarum cumulo, querelas omninò nequeat cohibere. Alii enim noſtrum pro defenſione juſtitiæ mo-

A rientis, à Deo, & ab Eccleſia expetunt innocentis ſanguinis ultionem; alii variis affliguntur ſuppliciis, omnes exulamus, & diu proſcripti ſumus, ut vel ſic nefarias hominum traditiones compellamur præferre legi Dei, & ſanctionibus Patrum. Sed unicum eſt Fidelibus in tribulatione remedium, precibus aures pulſare Majeſtatis, & totius mentis arcana retexere, ut ſic Patris clementiam moveant, & miſeriæ ſolatium conſequantur. Hoc quoties filii Iſrael uſi ſunt, toties de neceſſitatibus & anguſtiis leguntur erepti. Recurrebant illi ad tabernaculum fœderis, ubi ſancta

Ad Alex. querelæ exulantiũ Anglorũ.

B Sanctorum ſervabantur, id eſt mandata Dei, quæ cunctis juſtificationibus antecellunt. In opportunitatibus ſuis conveniebant Moyſem & Aaron ſanctos Domini. Et miſeris Cantuarienſibus ad quos inter Dominum & ſe mediatores confugiendum eſt niſi ad Romanam Eccleſiam, ubi viget divinæ legis cuſtodia, & totius ſacerdotii principatus? Nam ſi ille poſt Dominum decreverit ſalvare nos, continuò liberabimur: ſi manus ereseritis, deſtruetur Amalech: & qui vos Pharaoni dedit in Deum, dejiciet omnes adverſarios Eccleſiæ à facie noſtra &c.] Hæc ipſe querelas

C ſubjiciens de malè abſolutis excommunicatis, de quibus ſuperiùs dictum eſt. Porrò Aleſander Papa ubi iſta cognovit adversùs eos, qui abſque prævia ſatisfactione abſoluti fuiſſent, ita (*f*) reſcripſit ad ipſos Cardinales Legatos:

f Cod. Vat. lib. 2. ep. 99

L. Quid Alex. reſcripſerit de abſolutis ab excommun.

Suggeſtum eſt nobis, quòd quidam eorum, quos venerabilis frater noſter Thomas Archiepiſcopus Cantuarienſis excommunicationi ſubjecerat, Eccleſiæ ſuæ, nec non & clericorum ejus bona & poſſeſſiones detinere, & iiſdem incubare præſumunt. Unde quoniam indignum eſt, ut bonis & poſſeſſionibus illis decentis à vinculo debeant, quo tenentur, abſolvi: diſcre-

D tioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenùs, ſi jam ſicut audivimus, per aliquos ſunt abſoluti, ipſis ex parte noſtra virtute juramenti firmiter injungatis, quòd præſumptas poſſeſſiones & bona perſonis & Eccleſiis, de quarum jure exiſtunt, in continenti reliquant, nec eas tenere, aut ſe in his de cætero intromittere, qualibet occaſione præſumant. Quòd ſi ad veſtrum præceptum non fecerint: vos eos omni dilatione & appellatione ceſſante, in prioem excommunicationis ſententiam uſque ad ſatisfactionem plenariam reducatis. Si

E verò à vobis fuerint abſoluti: id nihilominùs, ſicut prædiximus, efficiatis.] Hæc Aleſander, ſed anno ſequenti (ut apparet ex dictis) quo iſta contigit ipſum audiſſe Pontificem. Quas Papæ litteras ut acceperunt Legati per Nuntium ſancti Thomæ, ad eum reſcribentes ſe excuſavere, eos, dum eſſent apud Regem, non poſſe talia exequi contra illos, quibus bona ipſa idem Rex dederat: quod & de mente Papæ eſſet, ne dum ibi Legati eſſent, aliquid operarentur contra ipſum Regem, ne quid indignum Apoſtolica Sede paterentur ab ipſo.

Sed

Digitized by Google

A Sed proſequamur Legatos redeuntes, de quorum reverſione hæc Joannes Sareſberienſis in (a) epiſtola ad Archidiaconum Exonienſem: Cardinales redeunt revocati non ſine confuſione, pœnitentes & conquerentea ſe ad Regis voluntatem nimis cauſam Eccleſiæ depreſſiſſe. Alter enim eorum, videlicèt Papienſis, ei in omnibus aſtitit, altero quoque remiſſius agente, quam tantæ expectationis & ſpei hominem decuiſſet.] Hæc ipſe. Qui & infernis poſt multa, quid cum Rege idem Legatus Oddo profecerit, ita narrat:

a Ib. ep. 105

LI. Ante diſceſſioné, quid Legari cum Rege Angl.

B Prætericram, quod minimè eſſet prætereundum, ſcilicèt, dominum Oddonem, paucis diebns antequàm recederet à Rege, ipſum diligentiùs conveniſſe, nc pacem cum Archiepiſcopo reformaret. Ille verò reſpondit, ſe amore domini Papæ & Cardinalium permiſſurum, ut Archieriſopus in pace redeat ad ſedem ſuam, & diſponat Eccleſiæ & rebus ſuis. Et quia de conſuetudinibus jurgia diutiùs protraxerunr; dixit ſe & liberos ſnos illis ſolis eſſe contentos, quas anteceſſores ſuos habuiſſe conſtiterit juramento centum hominum de Anglia, & centum de Northmannia, & centnm de Andegavia, & C aliis rerris ſuis. Si verò hæc conditin pacis Archiepiſcopo diſplicuerit: ſe paratum eſſe diait ſtare arbitrin tùm Epiſcoporum Angliæ, tùm ciſmarinorum, videlicèt Rothomagenſis, Bajocenſis, & Cenomanenſis. Quòd ſi nec iſtud ſufficeret, domini Papæ judicio ſtabit, eo ſalvo, ut non exheredarentur liberi ejus: nam in diebus ſuis facilè ſuſtinebit, ut dominus Papa quòd voluerit, reprobet.

LII. Quæſitum eſt ab eo, quidnam Archiepiſcopo & ſuis facturus erat de reſtitutione, quæ ab ipſo petitur, & debetur. At D ille reſpondit, jurans multis & eaquiſitis juramentis, quòd omnia, quæ inde perceperat, ſolis Eccleſiis & pauperibus erogavit, ſed hoc credat Judæus apella, non ego. Cardinalia antem ſubintulit, quòd niſi alio utatur conſilio, & cum Eccleſia Dei mitiùs agat, omnia diſtrictiùs & citiùs quàm credit, ab illo requiret Deus & Eccleſia ejus: & ſic accepta licentia, receſſit ab eo. Deinde convenit eum Vvillemus Papienſis eòdem ferè modo: ſed ſemen verbi ejus cecidit ſuper arenam. Facientes autem tranſitum per Chriſtianiſſimum Regem Franciæ, redierunt in gra- E tiam ejus, intervenientibus pactis, quæ vobis harum litterarum bajulus intimabit.] Hucuſque Sareſberienſis, qui & de his quæ poſteà acciderunt, aliis litteris hæc ampliùs: Quintus annus exilii mei evolvitur, & ecce cùm mihi nihil antè defuerit, ſolatii cumulus eſt, quòd Eccleſiæ libertas videtur aſtare prn foribus, & pro parte jam pedem fiait in Inſula. Renuntiavit enim Rea (ſicut Nuntii Cardinalium atteſtantur) quibuſdam conſuetudinibus peſſimis, quas tamen antè conſueverat vendicare, cum juramento dete-

A ſtans illas, & auctores earum, conſentiens ut liberum ſit ad Sedem Apoſtolicam appellare, ut clerici ad ſæcularia judicia non trahantur, & quædam alia, quæ ſic utinam probaret facto, ſicut firmat eloquio.] Hæc de his ipſe. Atque hic demùm finis legationis hujus: reliqua autem inferiùs in fine præſentis anni.

LIII. Interim ad res Italiæ convertamus orationem, dicturi de his, quæ ad Fridericum Imperatorem & ejus ſchiſmaticum Antipapam, & alia quæ ad Urbem ſtatumqua Eccleſiæ Romanæ ſpectant, quæ collegimus ex Joannis Sareſberienſis epiſtolis B hoc anno datis, in eodem codice Vaticano deſcriptis; atque primùm quæ habenrur in litteria ad Joannem Pictavienſem Epiſcopum paucis iſtis: (b) Fridericus ille ſchiſmaticus inſignis, dum in Eccleſiam malitioſius & crudelius ſævit, factus eſt exauguſtus, & eò perductus eſt, ur jam optaverit Italiam perdidiſſe, quam retinere non poteſt.] At eur exauguſtus, alia declarat epiſtola, ipſum nempe ab Alexandro Papa anathematis ſententia condemnatum, Imperiali dignitate exauctoratum fuiſſe in Concilio Lateranenſi. Sed audi ipſum Joannem iſta ſcribentem ad Canriæ Subpriorem: (c)

b Cod. Vat. li. 8. ep. 60

c Ib. ep. 84.

In Concil. Lateran. Frid. excommunicatur ab Alex. Papa

C Refloreſcit ſtatns, auctore Domino, univerſalis Eccleſiæ, & ſchiſmaticorum impetus fruſtratus eſt, & ſuperbia Mnab in dies infirmatur. Nec de nocte vaſtatus eſt nunc, ut ab initio, ſed in meridie ſuffoſſa eſt ara, & muri ejus dejecti ſunt funditus, nt esaltatio Moab ea neceſſitate Petro cedens, de cætero conquieſcat. Unde ſpes eſt in Domino, ur vociferantibus tubis ſacerdotalibus, in prnaimn corruat Hiericho, & regnum proprio ſanguine acquiſirum obtineat triumphator JESUS, & in pace poſſideat, quod ſui juris eſt, Sponſus & Juſtus Eccleſiæ Chriſtus. Cùm enim D Romanus Pontifex per patientiam Teutonicum tyrannum diutius expectaſſet, ut vel ſic provocaretur de pœnitentiam, & ſchiſmaticus aburens patientia ejus, peccata peccatis adderet jugirer, ur error in amentiam verteretur: Vicarius Petri à Domino conſtitutus ſuper Gentes & ſuper regna, Italos, & omnes, qui ex cauſa Imperii religinne jurisjurandi teuebantur aſtricti, à fidelitate ejus abſolvit, & Italiam fere totam à facie furentia & præſentis tanta felicitate & celerirate excuſſit, ur in ea nihil habere videatur, niſi tortores, quns evitar, interdum & anguſtia- E rum, quas evitare non poteſt, juge ſupplicium.

L IV. Frid. Imp. exauctoratus Imperio.

Abſtulit ei etiam regiam dignitatem, ipſumque anathemate condemnavit, & inhibuit auctoritate Dei, ne vires ullas amodo in bellicis congreſſionibus habeat, aut de Chriſtiano aliquo victoriam conſequatur, aut alicubi quiete & pace gaudeat, dnnec fructus pœnitentiæ condignos operetur. In quo ſecutus eſt exemplum Gregorii Septimi deceſſoris ſui, qui noſtra ætate Henricum Imperatorem Eccleſiæ privilegia convellentem deponens, in Concilio

A

lio Romano ſimili ſententia condemnavit. Et quidem illa ſententia effectum ſortita eſt, & hanc de privilegio Petri latam videtur ipſe Dominus confirmaſſe. Hoc enim Itali audito, ab eo diſcedentes reædificaverunt Mediolanum, ſchiſmaticos expulerunt, Catholicos reduxerunt Epiſcopos, & Apoſtolicæ Sedi unanimiter adhæſerunt. Sed quid nota recenſeo? Hoc ubique locorum fama, quaſi præconis voce concelebrat, nec aliquibus dubium puto, ne fortè lateat illos, qui ſoli tempeſtate hac cauſant domo ſua. Quia ergo ab Oriente jam radius ſerenitatis illuxit per Chriſtum, &

B

incolumitas Eccleſiæ in capite reparatur: ſupereſt ſpes fidei certiſſima, quòd unguentum à capite in Apoſtolicam barbam exuberans, deſcendat in caput & oram Anglicanæ eccleſiæ &c.]

Ex eodem quoque Lateranenſi Concilio credita eſt legatio Galdino Archiepiſcopo Mediolanenſi, ut Catholicos ab eccleſiis ſuis pulſos reſtituat Epiſcopos, & ſchiſmaticos intruſos ſedibus pellat. Qui quomodo id ſit operatus in Eccleſia Laudenſi addicta ſchiſmaticis: his verbis in Laudenſi tunc ſcripto Chronico per Ottonem Morenam deſcribitur.

LV. S. Galdinus Legatus Apoſtolicus agit cum Lauden. pro Alex. Papa.

C

Intereà dominus Galdinus De la Scola, Mediolanenſis civis & clericus, qui quidem Cancellarius domini Ribaldi, & domini Huberti de Pirovano Mediolanenſium Archiepiſcoporum per annos multos fuerat, & in locum jam dicti Huberti ad Archiepiſcopatum Mediolani fuerat ſublimatus à domino Alexandro Papa, in Lombardia ipſius Papæ tunc Legatus conſtitutus, ſuos Nuntios, ſcilicet, Abbatem ſancti Ambroſii, & Abbatem ſancti Vincentii de Mediolano, miſit domino Alberto de Caano majoris Eccleſiæ Laudenſis tunc Præpoſito, cæteriſque Præpoſitis, Abbatibus, presbyteris, & clericis, & etiam

D

Conſulibus de Laude, dicendo atque monendo, quòd ipſi partem Papæ Paſchalis & domini Friderici Imperatoris omninò relinquerent, & prædicto Papæ Alexandro faverent, & ipſi Papæ de injuria ſibi facta ſatisfacerent, atque Epiſcopum Catholicum eligerent: & niſi hoc facerent, ab officio & beneficio Eccleſiaſtico abſtinerent. Dictus verò Præpoſitus, cæterique clerici hoc audientes, mœſti valdè fuere, tùm quia magna pars eorum mandato Imperatoris juraverat, ſe Papam Paſchalem pro Papa in perpetuum tenere; tùm

E

etiam, quia omnes ferè fidelitatem juraverant domino Alberto de Merlino, tunc temporis, ut eis videbatur, Laudenſi Epiſcopo Catholico, nec adhùc canonico jure depoſito, hoc facere timebant valdè, & ſibi in maximum dedecus reputabant. Inter ſe etiam conferentes, quòd ſi dicti Papa Paſchalis & Imperator victores adhùc exiſterent, ipſi in perpetuum ſe damnarent, & qualibet eorum dignitate & gratia privarent: formidabant nimis mandatis domini Galdini obtinere. Hoc etiã recuſare, quod eis mandaverat * decus ſupradicti domini

A

Galdini, ſtupebant plures, tùm propter Papam Alexandrum, & ſupradictum dominum Galdinum Archiepiſcopum, qui quaſi in illis partibus victores exiſterent; tùm propter civitates Lombardiæ ferè omnes inſimul conjurantes: quia ſciebant, quòd ſi de Laude expellerentur, in Lombardia habitaculum, aut locum, in quo ſe poſſent reducere, non haberent.

LVI. Laudenſes recipiunt Alex. Pap.

Tandem dubiis anguſtiis hinc inde ſatis diu revolutis, cùm nullam miſericordiam à dicto Archiepiſcopo invenire poſſent, niſi quod eis mandaverat, adimplerent; eligentes potiùs vivere quàm mo-

B

ri, magiſque etiam ſtare in ſua patria, quàm in aliena vagari: in Papam Alexandrum credere, ejuſque parti ſavere, & Epiſcopum novum ſecundùm voluntatem Archiepiſcopi eligare diſpoſuerunt. Igitur die Jovis ſancto, quæ fuit tunc quarto Kal. Aprilis, Indictione prima, M.D.LXVIII. anno, prædictus dominus Albertus Laudenſis Eccleſiæ majoris Præpoſitus, communicato inſimul conſilio tàm Laudenſis civitatis, Abbatum, Præpoſitorum, presbyterorum, aliorumque clericorum, quàm etiam illorum, qui extra civitatem in Epiſcopatu Laudenſi fuerant: ad honorem Dei

C

& beatiſſimæ Virginis Mariæ, atque beati pretioſi Confeſſoris Baſſiani, dominum Albertum presbyterum, & tunc temporis Eccleſiæ de Ripalts Præpoſitum, virum honeſtum & religioſum elegit in Laudenſem Epiſcopum, & paſtorem. Proximo verò die Mercurii poſt Paſcha Laudenſes Abbates, Præpoſiti, presbyteri, aliique clerici multi, Conſules etiam Laudenſes, multique judices & ſapientes de Laude Bergomum, ubi tunc dictus Electus erat, iverunt: & ipſum in ſequenti die Jovis proximo Laudem cum ineffabili gaudio conduxerunt, qui ibi honorificè nimis ab omni-

D

bus tàm clericis quàm laicis eſt ſuſceptus.] Hucuſque hiſtoria ſeu Chronicon Laudenſium rerum per Ottonem patrem & filium Acerbum Morenam conſcriptam.

LVII.

At quod factum eſt cum Eccleſia Laudenſi, idem cum aliis ſchiſmaticorum Eccleſiis eſſe agitatum, nullum dubium eſſe poteſt, tunc præſertim, cùm Fridericus poſteriores in bello tulit, atque in fugam converſus, Papiam ſe contulit, ubi & obſidione concluſus eſt: de qua clade & obſidione hæc Joannes Sareſberienſis in ſuis litteris: (a) Eadem die, *nempè in feſto ſancti Martini*, congreſſus Fridericus exauguſtus cum Mediolanenſibus, amiſſis viginti-

a *Cod. Vat. li.2. ep.26.*

E

quinque millibus, in fugam converſus eſt.] Hæc de clade accepta. De obſidione autem ſic: Fridericum intra Papiam clauſum tenemus, & obſeſſum, ejectos à ſchiſmaticis Epiſcopos reduximus in ſedes ſuas, & attrito capite impiorum, membra ſibi cohærentia facilè diſſolventur.] Quomodò autem Papia tandem fugiens, ſe contulerit in Germaniam, audi ex alia epiſtola ejuſdem Sareſberienſis, de bis ita ſcribentis ad eumdem: (b) Cùm enim Teutonicus tyrannus ſentiret ſe militum præ-

b *Ib. ep.26.*

ſidio

Fridericus in fugam converſus.

ſidio deſtitutum, & Italiæ civitates in ipſum irruere properarent, & ipſe temeritate ſuorum, qui nobilem quemdam Papienſem excæcaverant,. Papiæ minimè tutus eſſet, neque Mauricenſes, ſed nec Lombardorum manus ulla ratione poſſe evadere videretur; ipſe Comitis Blandratenſis, & Marchionis Montisferrati fretus auxilio, divertit in terram Marchionis, relictis triginta obſidibus Lombardorum apud Blandratum: alios autem obſides quos acceperat, per caſtra Marchionis diviſit cuſtodiendos. Et ipſe cum præfato Comite & Marchione (quia eum Lombardi congregato exercitu viginti millium militum perſequebantur, & obſidere decreverant) per caſtella quaſi in umbra mortis latitans fugitabat, ut vix (ſicut ajunt probi viri pleni fide & auctoritate qui interfuerunt) duobus diebus aut tribus auderet in eodem hoſpitio pernoctare. Hanc miſeriam tyranni, aut potiùs gloriam Dei, & Eccleſiæ conſolationem de noſtratibus quidam viderunt Canonici Noviomenſes, & Nuntii Comitis Henrici; de veſtratibus autem Legati Illuſtris Regis Anglorum illùc profecti variis ex cauſis. Noviomenſes enim Archidiaconum ſuum Bonifacium Italiæ Marchionem, quem elegerant in Epiſcopum, virum honeſtum & tota ſchiſmatis tempeſtate Catholicum, reducere quærebant. Comes Henricus ſtatum explorabat Imperii. Nuntii verò Regis Angliæ juramenta præſtiterunt de matrimonio contrahendo inter filium præfati Marchionis & ſororem Regis Scotiæ, & ad ſæpè dictum tyrannum legatione functi ſunt; ut de opinione multorum loquar, quo ſic vires & familiaritatem prætendentes Imperii terrerent Francos. Sed calliditas hæc in contrarium prorsùs exitum pergit. Franci ſiquidem magis animantur, dum vident hoſtes quaſi deſolatos, immò deſperatos emendicata ſuffragia quæritare, & illos implorare patronos, quibus opus eſt defenſore.

LVIII. *Fridericus eludit Religioſos viros.*

Dum itaque in tantis verſaretur Imperator anguſtiis, & omninò deſperaret de exitu: tractatum habuit cum viris religioſis, quos conſtabat eſſe fideles domini Papæ, ſimulans ſe cum Eccleſia Dei pacem eſſe facturum. Eſt autem in domo Carthuſienſi vir admodùm religioſus quondam familiariſſimus Imperatori, qui ab eo pridem receſſerat ob conſcientiam ſchiſmatis, & ei plurimo compatiebatur affectu. Hic ergò acceſſit ad eum cum lacrymis, ſibi pro certo innotuiſſe aſſerens, quòd pacem non erat habiturus, niſi Eccleſiæ Dei redderet pacem. Inſtitit autem & obtinuit, ut evocaret per litteras ſuas Priorem Carthuſienſem, Abbatem Ciſtercienſem, & Epiſcopum Papienſem, quem expulerat, & promitteret ſe conſilio eorum in omnibus acquieturum, dummodò illi in ſe reciperent periculum juramenti, quod contra Alexandrum fieri fecerat, *ſcilicèt (ut dictum eſt ſuperiùs) numquam ipſum omninò recepturum.* Omnes, qui hæc verba audierunt,

A exhilarati ſunt, & Lombardi jam cœperunt mitiùs agere, ſperantes hominem eſſe converſum.

Interim ſæpè dictus Marchio egit cum cognato ſuo Comite Maurienſi, ut Imperatorem permitteret egredi, promittens ei non modò reſtitutionem ablatorum, ſed montes aureos, & cum honore & gloria Imperii gratiam ſempiternam. Viri autem religioſi, quos evocaverat, arripuerunt iter, excepto Abbate Ciſtercienſi, qui gravi detentus infirmitate, vice ſua miſit dominum Gaufredum Antiſiodorenſem *Epiſcopum*, qui Clarævallis fuerat Abbas, B præmittentes Fratrem quemdam, qui à tyranno exploraret, ubi vel quando eorum vellet uti colloquio. At ille audito adventu eorum ex litteris: jam de exitu ſuo certus, induciis impetratis, reſpondit, eos ob hanc cauſam fruſtrà venturos eſſe, niſi Angelum de cœlis ſecum patenter adducant, aut veniant in poteſtate faciendi miracula, ut poſſint mundare leproſos, & ſuſcitare mortuos, & ſic illi ad propria reverſi ſunt. Hæc mihi idem Converſus Carthuſiæ, qui legationem geſſerat, retulit. LIX.

Imperator, autem collectis obſidibus, C quos diſperſerat, ad reditum properans, venit ad ſanctum Ambroſium, habens circiter triginta milites in comitatu ſuo, & indè manè feſtinanter egrediens, propè Secuſiam in eminencia cujuſdam montis ſuſpendit obſidem quemdam nobilem Brixienſem, imponens ei, quòd conjurationis Italorum conſcius fuerat, & (quod plus eſt) artifex congregati exercitus, qui eum ab Italia expellebat. Alios verò obſides ſecum duxit in Secuſiam. Cives autem & incolæ loci portas claudi fecerunt, appoſitis cuſtodibus armatis, & tyranno obſides abſtulerunt, dicentes, ſibi ab aliis ci- D vitatibus excidium & exterminium imminere, ſi vicinos & amicos nobiliſſimos ſic paterentur abduci in Alemanniam occidendos, præſertim cùm adhùc in Italia ſuſpenderit virum potentem & generoſum, & ſuis exitum patere pro libitu. Tantam quidem adhibuerunt diligentiam in obſidibus retinendis, ut neminem permitterent egredi, qui Italicè loqueretur. Imperator autem aſſumpto habitu ſervientis, quaſi ut alicujus magni viri procuraret hoſpitium, cum aliis quinque ſervientibus noctu egreſſus eſt, lætus quòd ei conceſſerant Italiam perdere, quam demeruerat diu- E tiùs retinere. Inde tranſiens Chryſopolim, ſuam turbavit Burgundiam, proceribus intentans minas: & progrediens, Alemanniam & Saxoniam ſupra modum turbatas reperit, & fratrem ſuum præ cæteris inimicum, cùm tamen ei plurimi adverſarentur. LX.

Porrò Lombardi poſt egreſſum ejus Blandratum diruerunt, extractis indè obſidibus, qui ibi relicti erant, & interfectis Teutonicis ferè omnibus, quos ad cuſtodiam caſtri deſeruerat Imperator. Decem autem nobiliſſimos & ditiſſimos Alemannos de- LXI. *Quid in vindictam Longobardi.*

nos dederunt in ſolatium naori mariti illius Briaienſis, quem ſuprà propè Secutism ſuſpenſum retuli, ut illa prout libuerit, eos aut ſuſpendat, aut perpetuæ ſubiiciat ſervituti, vel redemptionem accipiat. Ea inde damna multa Marchioni dicuntur intuliſſe, & nunc rumor eſt, eos obſidere Papiam. Et certum eſt, quòd Papienſes jam in Alemanniam Nuntios miſerunt Imperatori, denuntiantes, quòd niſi redierit, & opem tulerit, nulla ratione poterint diutiùs reſiſtere civitatibus.] Hactenus de rebus Friderici, unà cum excommunicatione, abſque Imperio ab Italia profugi. De rebus verò Urbanis iſta ex epiſtola (*a*) ſuperiori.

a *Cod. Vat. l. 2. ep. 61.*

LXII. Antipapa vacillat.

Hæreſiarcha Cremenſis, *nempè Paſchalis Antipapa*, Romæ eſt apud ſanctum Petrum, ubi eum Romani morari patiuntur, inito commercio de reddendis captivis ſuis, ſi tamen (ut ajunt) recedere non paterentur. Epiſcopus Albanenſis domini Papæ vices agit in Urbe. Etſi Lombardi Papiam ceperint: ſpes eſt, Guidonem Cremenſem captum iri: & quòd non modò Romani omnes, ſed & Tuſcia tota ſchiſmaticos impugnabit. Adhùc autem incertum eſt, an dominus Papa Lombardorum velit audire preces, ſe transferendo ad illos, creditur tamen. Proſperatur autem adhùc Beneventi, ubi Nuntii Regis Angliæ, & Nuntii domini Cantuarienſis in ipſius præſentia convenerunt. Et quidem utrique benignè & honorificè recepti ſunt. Sed regalium Nuntiorum ſicut juſtitia minor, ſic pompa & oſtentatio divitiarum major. Cùm autem dominum Papam blanditiis & promiſſis deiicere non prævalerent: ad minas converſi ſunt, mentientes, quòd Rex eorum Norandini citiùs ſequeretur errores (*erat iſte Princeps Mahometanorum*) & profanæ religionis iniret conſortium, quàm in Eccleſia Cantuarienſi Thomam pateretur diutiùs epiſcopari. At vir Dei nec terrore concuti, nec ſeduci potuit blandimentis; eiſque duas proponens vias, alteram vitæ, alteram mortis: reſpondit, eos (ut cœperant) facilè poſſe, contempta gratia & patientia Dei, pereuntium præeligere viam; ſed ſe, Domino propitiante, non receſſurum à via recta. Detumuit ergò in brevi ſpes eorum, & videntes ſe hac via contra juſtitiam non poſſe proficere; miſerunt in Siciliam Nuntios & litteras Regis ſui, quibus muniti venerant, ut ope Siculi Regis & Reginæ poſſent aliquid à domino Papa adversùs Eccleſiam impetrare. Sed Chriſtianiſſimus Rex Francorum præſagiens hanc verſutiam malignantium, Panormitano Electo cauſam Eccleſiæ & domini Cantuarienſis commendavit ut propriam. Quis alterutrius legationis profectus ſit, hactenùs ignoratur.

Quid Legati Angliæ Regis Romæ.

LXIII.

Supervenerunt interim nuntii Legatorum, quos Rex Angliæ impetraverat, minimè coarantes. Nam quidquid cecinerat alius, alius in Curia decantabat. Sed nec de iſtis certum eſt, quid ſint ad dominos ſuos relaturi. Supplicatum eſt ergò ex parte Regis & Legatorum, adhibitis multis interceſſoribus, domino Papæ pro Epiſcopo Sareſberienſe. Et tandem obtentum eſt, ut ei ſummus Pontifex ſuam remitteret injuriam & offenſam, & domino Cantuarienſi ſcriberet, rogans, & conſulens, ut ei dimitteret injuriam ſuam, & ipſum à ſuſpenſionis ſententia relaxans, in gratiam reciperet, & amorem, ſi tamen ei in propria perſona de ſatisfactione ſufficientem præſtiterit cautionem, aut duos de majoribus clericis Eccleſiæ ſuæ, excepto Decano, tranſmiſerit, qui jurent, quoniam Epiſcopus eis mandavit hoc præſtare juramentum, quo ipſius Epiſcopi nomine & vice jurabunt, quòd Archiepiſcopo de injuria & contumacia ſatisfaciet. Ex quo probabiliter colligi poteſt, quòd dominus Papa ſententiam Legatorum, qua jam dictum Epiſcopum abſolverant, aut ignoravit, aut ratam habendam eſſe non credidit. Obtinuerat autem idem Epiſcopus anteà (*b*) litteras ferè conſimiles, quæ tamen ipſum & & ſuos non onerabant aliquo juramento, ſed eis nondum uſus eſt, vel quia Regi diſplicuerunt, vel quia minoris efficaciæ reputatæ ſunt. Quem verò calculum reportaturi ſint alterutri, neſciebatur adhùc, quando reverſus eſt prædictarum portitor litterarum. Sed dominus Papa reſcripſit Chriſtianiſſimo Regi, ſe Eccleſiæ Dei & ſuo Cantuarienſi non defuturum, quamdiu partem ejus, juſtitia comite, poterit ſublevare. Nunc ad Regum noſtrorum colloquia tranſeamus &c.] ut ſuprà deſcripta ſunt hoc eodem anno. Quibus intelligas, eodem quo illa, iſta tempore, anno, & menſe eſſe geſta, quo ab eodem auctore eædem ſcriptæ ſunt litteræ.

De cauſa Sareſberienſis Epiſc.

b *Ib. ep. 7.*

LXIV.

Rursùm verò in noviſſima de his data hoc anno epiſtola hæc habet de rebus Urbanis idem Joannes Sareſberienſis, ſcribens ad Archidiaconum (*c*) Exonienſem: Quia de ſtatu publico Eccleſiæ & regni pariter ſollicitamur: utraque tibi ſuccincta brevitate perſtringo. In primis ergò noveris, quòd hæreſiarcha Cremenſis & cremandus clauſus eſt in turre Stephani Thebaldi; nec audet egredi, timetque uſque ad mortem innovationem Senatorum, qui in Kalendis Novembris Urbis regimen accepturi ſunt. Nam præſentis anni Senatores, ut captivos ſuos de carcere Imperatoris eriperent, Guidonem Cremenſem receperunt apud ſanctum Petrum in Regione trans Tiberim, ei juratoria cautione ſecuritatem præſtantes. Romam verò ei numquam ſubiicere poterunt, & (ut opinor) nec voluerunt. Novi verò Senatores domino Alexandro facient fidelitatem, & (ut creditur) auctore Deo, ſchiſmati finem dabunt. Hoc enim diutiùs tractatum eſt, & multis firmatum juramentis.] Hæc ibi de rebus Urbanis. At rursùm de Papa in alia epiſtola hoc eodem anno data ad Epiſcopum Pictavienſem: (*d*) Dominus Papa receptis Nuntiis, qui Conſtantinopolim profecti fuerant, cum muneribus & honore, & ſimiliter Legatis Regis Siculi, proſpe-

c *Ib. ep. 105.*

Mutatione Senatorum deprimitur Antipapa.

d *Cod. Vat. l. 2. ep. 26.*

Legatio à Manuele

Imp. ad Alex. Pap.

proſperatur in viis Domini, moram faciens Beneventi:] Hactenùs epiſtolaris hiſtoria de rebus anni hujus.

LXV. Alexãdria civitas ædificata nomine Alexan. Papæ.

Quid præterea Longobardi, pulſo Friderico, ad gloriam Alexandri Catholicæ Eccleſiæ orthodoxi Pontificis operati ſint; in rebus geſtis ejuſdem Papæ ita deſcribitur: Anno igitur Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo ſexageſimooctavo, ipſis Kalendis Maii, Pontificatus domini Alexandri anno nono, Cremonenſes cum Mediolanenſibus & Placentinis in manu valida pariter convenerunt contra rebellionem Papienſium & Marchionis Montisferrati, ad villam quæ dicitur Rovereta, B ubi ad honorem Dei & beati Petri, & totius Lombardiæ, conſtruendæ civitatis ambitum deſignarunt, & locum ipſum ſpacioſo foſſato clauſerunt. Convenerunt ergò ad habitandum illic cum familiis & omnibus bonis ſuis univerſi, qui morabantur in circumpoſitis villis, videlicèt, in Marengo, Garundio, Foro, Bergalis, Sivilla, & Sebaſtia, & repentè facta eſt civitas magna & fortis. Ut autem glorioſior ubique haberetur, atque famoſior: placuit omnibus, ut ipſa civitas pro reverentia beati Petri & Papæ Alexandri, in perpetuum nominaretur Alexandria. C Eſt autem poſita civitas iſta in terra amœna & fertiliſſima, ſecus ſtratam publicam, munita undique tribus fluviis, & abundans bonis plurimis. Et in primo quidem anno habitatores ejus inter milites, equites, & pedites bellicoſos uſque ad quindecim millia excreviſſe aſſerebantur. In ſequenti quoque anno ejuſdem civitatis, Conſules ipſius civitatis ad præſentiam domini Alexandri Pontificis venerunt Beneventum, offerentes ei, & per eum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ipſam civitatem in jus & proprietatem, eamque tributariam beato Petro ſpontè fecerunt. D Inſuper ipſi & ſucceſſoribus ſuis, quæ juraverant, ea annis ſingulis Conſulatus & populus Aleſandrinus ſpoponderunt, quod innovare deberent. Quibus ſic peractis, Conſules ipſi cum gratia & exultatione, ac benedictione ipſius Pontificis ad propria, auctore Domino, redierunt] Hæc de his ibi. Quæ quidem hactenùs numquam facta memini me legiſſe, ut in honorem cujuſpiam quamvis laudatiſſimi Romani Pontificis civitas conderetur ab exteris, ejuſque nomine vocaretur. Ita quidem uſitato more, ut vexationibus magis vireſcat Eccleſia, & depreſſionibus exaltetur. E Ut de Friderico illud Davidicum omnium ore verſetur: (a) Peccator

a Pſ. 111.

videbit & iraſcetur, dentibus ſuis fremet & tabeſcet, deſiderium peccatorum peribit,] quod conceperat potiundæ Italiæ, quam jam è manu ejus effluxiſſe vidiſſet.

LXVI. Legationes Regis Angl. & S. Thomæ ad Alex. Pap.

Ad poſtremum verò in fine anni hujus præter alios anteà hoc anno Miſſos, Angliæ Rex ad Alexandrum Papam duos Nuntios ſeorſum miſit, nempè Reginaldum & Joannem Decanum Sareſberienſes; ſed & eodem tempore ipſe Thomas Romam

A miſit Nuntios ſuos Alexandrum & Joannem, ad quos ſcribens, monuit de perfidia Reginaldi Nuntii Regis Angliæ, dicens: (b) Contra adverſarios noſtros cautelam & continuam vigilantiam habeatis, & præcipuè adversùs illum ſpiritum fornicarium, & Eccleſiaſticæ pacis inimicum, ſacerdotis filium Reginaldum de Sareſberia, qui perſonam noſtram, in quantum poteſt, diffamat ubique & deturpat, dicens, nos proditores eſſe, & ſibi fidem noſtram dediſſe, quòd patrem ejus non læderemus in aliquo.] Et paulò pòſt: Dicit etiam, quòd ſi dominus Papa decederet, faceret nos deleri de libro vitæ, B jactitans, Curiam Romanam ita venalem eſſe, ut intervenientibus muneribus, quidquid velit, poſſit impetrare. Suggeſſit etiam Regi Anglorum hujuſmodi petitiones facere domino Papæ, ut alicui Epiſcopo in Anglia committeret auctoritatem coronandi filium ipſius Regis, & conſecrandi Epiſcopos, ut vel ſic dominum Papam deciperet. Cui cùm reſpondiſſet Rex, ſe ut credebat, à domino Papa petitiones illas non poſſe impetrare: reſpondit Reginaldus: Dominus Papa ut ſtolidus & fatuus aget, ſi petitionibus tuis ſatisfecerit.] Hæc de Nuntio Regis. C Ex his videas, Lector, quale genus hominum detrahere & obloqui ſoleat Romanæ Eccleſiæ Pontificibus. Alterum verò Nuntiorum, Joannem Decanum Sareſberiæ iſto nequiorem fuiſſe, quæ de eo ſunt dicta, ſuperiùs docent. Quænam autem eſſent ejuſmodi petitiones Regis, & quanta inſtantia eas expoſceret, & quot quantiſque interceſſoribus: dicetur inferiùs ſuo loco. Conſtat inſuper eumdem Regem in fine pariter anni hujus per Legatos ſuos ſollicitaſſe civitates omnes, quæ fœdere junctæ erant Alexandro Pontifici, ingentemque ſparſiſſe in eas pecuniam, Regemque Siciliæ permovendum curaſſe, D & nobiliores Romanorum, ut omnes interceſſores apud Pontificem eſſent, ut contra ſanctum Thomam ſuas obtineret petitiones. Quid autem egerit Alexander, audies anni ſequentis exordio.

b Lib. 3. ep. 66.

LXVII.

Inter hæc autem Rex Francorum, ubi Legati re infecta ex Gallia receſſerunt, reaſſumens collapſum negotium, ſtuduit ad mutuum colloquium congregare Regem Anglorum & ſanctum Thomam, ſe præſente; ſic ſperans poſſe eos ſimul pacis fœdere copulare. Quid eo congreſſu factum ſit, in Quadripartita in fine libri ſecundi E exactè deſcribitur; & quòd iſta deſiderari viderentur in epiſtolis, collector earum, ne his careat epiſtolaris hiſtoria, ante ipſas iſta præmittit: Sequentes verò epiſtolæ ſingulæ ſingulis locis ita ſunt manifeſtæ uſque ad exitum totius negotii, quod minus egere videantur hiſtoriali adminiculo, eo excepto, quod factum eſt in colloquio.] De quo iſta in Quadrilogo, ſive Quadripartita ex Hereberto: Dominus autem Rex Francorum videns dominum Papam de pace ſollicitum, tamquàm filius pacis, obediens viro Apoſtolico, operosè & attentè

partes

Congreſſus Regis Angl. cum S. Thoma coram Rege Franc.

partes ſuas interpoſuit. Unde & ad pleraque colloquia, quæ inter ipſum & Regem Anglorum erat, Archiepiſcopum vocavit, pacis inter eos ſe mediatorem interponens. Inter quæ unum colloquium fuit, in quo ſuggeſtum eſt Regi Angliæ, Archipræſulem Cantuarienſem ſuo ſe arbitrio omninò velle committere, ideòque gratiùs ejus præſentiam ibi acceptabat. Multis igitur utriumq; ad id convenientibus, ad pedes Regis Angliæ procidit dominus Cantuarienſis, dicens: Totam cauſam, unde inter nos orta eſt diſſenſio, tuo committo arbitrio, honore ſalvo Dei. Tali adjectione audita Rex vehementer ſcandalizatus eſt, multis ipſum contumeliis afficiens, multam properans, plurima exprobrans, arguens eum tamquàm ſuperbum & elatum, & regiæ munificentiæ circa ipſum impenſæ immemorem & ingratum.] Subdit Alanus: Et ait Regi Franciæ: Domine mi attende, ſi placet. Quidquid ipſi diſplicuerit, dicet honori Dei eſſe contrarium, & ſic ſua & mea omnia ſibi vendicabit. Sed ne videat honori Dei, vel ſibi in aliquo velle reſiſtere, hæc offero. Multi fuerunt Reges Angliæ ante me, majoris vel minoris auctoritatis quàm ſum ego. Multi fuerunt ante eum Archiepiſcopi Cantuariæ magni & ſancti viri. Quod igitur anteceſſorum ſuorum major & ſanctior fecit anteceſſorum meorum minimo: hoc mihi faciat, & quieſco. Acclamabatur undique: Satis Rex ſe humiliat.]

LXVIII. Thomæ & ſuæ cauſæ defenſio.

Hìc mihi dicendum, admiratione me plurimùm affici, primùm quomodò auſus ſit Rex provocare ad exempla majorum prædeceſſorum, videlicèt Cantuarienſium Archiepiſcoporum, quorum pleroſque conſtaret magnoperè teſtitiſſe Regibus, libertatem Eccleſiaſticam violantibus, eaque de cauſa plurium annorum eſſe paſſos exilia & proſcriptiones. Inter quos ſanctus Anſelmus, & poſteà Lanfrancus, qui vixit ſub avo ipſius Henrici Regis, quanta ea de cauſa paſſi fuerint, Tomus ſuperior abundè ſatis oſtendit. Pergit verò Alanus in Quadripartita:

Dumque Archiepiſcopus aliquantulùm ſubticuiſſet, Rex Franciæ adjecit: Domine Archiepiſcope vis major eſſe ſanctis viris, an melior Petro? Quid dubitas? Ecce pax pro foribus. Ad hæc Archiepiſcopus: Verum eſt, ait: Anteceſſores noſtri multò meliores me fuerunt & majores, ſinguli autem ſuis temporibus, etſi non omnia adversùs Dominum extollentia, quædam reſecuerunt. Nam ſi omnia radicitùs tunc extirpaſſent: quis nunc adversùm nos ignem tentationis hujuſmodi excitaret? Quo cùm illis probati digni inveniamur, & cum illis laudem & gloriam ..... multò melius nobis Deo conſulente actum eſt, ut ſecuti in eorum ſorte, & merito laboraverimus, ita & illorum laboris & præmii ſimus participes. Nec ſi aliquis eorum tepuit, vel exceſſit in aliquo: ejus in hoc torporis vel exceſſus exemplum ſequi tenemur. Petrum enim Chriſtum negantem arguimus, ſed Petrum uſque ad capitis ſui periculum Neronis impetum arguentem modis omnibus commendamus. Sanè quia Petrus ei conſentire noluit in eo, quod diſſimulare ſine animæ ſuæ periculo non potuit: idcircò inimicorum victor in cruce occubuit, & talibus preſſuris Catholica ſurrexit & crevit Eccleſia. Patres noſtri paſſi ſunt, quia noluerunt nomen Chriſti ſubiicere: & ego, ut hominis mihi gratia reſtituatur, Chriſti honorem deberem ſupprimere? Abſit, ait, abſit. Inſurrexerunt itaque magnates utriuſque regni in eum, imputantes arrogantiæ Archiepiſcopi impedimentum pacis: uno inter alios Comite palàm proteſtante, quia Archiepiſcopus utriuſque regni conſilio & voluntati reſiſtit, de cætero neutrius erat dignus auxilio, ſed ejectum ab Anglia non recipiat Francia.] Addit Herebertus:

LXIX.

Soluto igitur colloquio, non ſine multorum murmure reditur ad propria, coexulibus Archiepiſcopi in ſumma deſperatione poſitis, & Reges quidem feſtinantiſſimè in equis (mox quippè diremerant colloquium) receſſerunt, nec ſalutantes, nec ab Archiepiſcopo ſalutati. Quin potiùs Rex Anglorum adhùc in receſſu, etſi non in facie, à conviciis Archipræſulis non ceſſavit, inſultando, & dicens inter alia, quòd ea die de ſuo ſe ultus fuiſſet proditore. Pariter & Aulici, qui pacis mediatores extiterant, in receſſu multa etiam in faciem Archipræſuli objecerunt, quòd videlicèt fuiſſet ſemper ſuperbus, elatus, ſapiens in oculis ſuis, propriæ ſemper ſectator voluntatis & ſententiæ; adiicientes, grande fuiſſe hoc malum & enorme Eccleſiæ damnum & periculum, quòd ipſe rector Eccleſiæ conſtitutus fuiſſet. & quòd per ipſum ex parte jam deſtructa, penitùs citò deſtrueretur Eccleſia. Sed Archipræſul ponens ori ſuo cuſtodiam, cùm conſiſterent peccatores adversùs eum, factus eſt ad exprobrantes & inſultantes ſibi quaſi non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones; niſi quòd uni, de Eccleſiæ deſtructione exprobranti & inſultanti ſibi quaſi non audiens, & humiliter quidem & manſuetè reſpondit: Frater, inquiens, cave ne deſtruatur Eccleſia Dei per te: per me, favente Domino, non deſtruetur. Et hic erat Joannes natione Anglus, Epiſcopus tunc Pictavienſis, Archiepiſcopo ex diuturna converſatione & ſocietate familiaris admodùm charus & acceptus. Ab aliis verò conviciatus, non reconviciabatur, illius profectò diſcipulus, (a) qui cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur. Sic igitur receſſit à colloquio hunc in Francia, ſicut priùs in Anglia apud Northantunam, factus opprobrium abundantibus, & deſpectio ſuperbis. Et recedens ſic cum ſuis, dominum Regem Francorum ſequebatur, cujus erant præparata hoſpitia in caſtro, quod Mons mirabilis dicitur. Erat & Archiepiſcopus in caſtro hoc pariter hoſpitatus cum Rege, ipſo ſemper per Aulicos abundanter ei viaticum miniſtrante. Rex

Quæ in S. Thomam jactata à diverſis.

a 1. Petr. 2.

Rex Franc. animo alienatus à S. Thoma,

te. Rex

te, Rex autem tunc non declinavit, quemadmodùm in aliis colloquiis conſueverat, ut Archipræſulem in hoſpitio ſuo videret. Unde & mox conjiciebatur, cor Regis non ita cum Archiepiſcopo eſſe, ſicut heri & nudiustertius. Nihilominùs tamen Archiepiſcopus hilarem & jucundum ſe exhibuit, nec deprehendi potuit vultus ejus in diverſa mutatus ob hoc. In quo adverti poteſt magni viri conſtantia, fortitudo animi invincibilis, qui mundo jam ſibi contrario, nullam vel etiam modicam turbationem ex his vel ſolliciti oſtendit ſpeciem.

LXX. In craſtino à præfato caſtro recedens, & ea die Carnotum veniens, plerique (ut mos eſt) populi occurrerunt, ut tranſeuntes viderent, & quærebant quis eſſet qui tranſiret. Et cùm cognoviſſent, quòd Archipræſul hic eſſet Cantuarienſis: ipſum mox digito notarunt, aliis, qui ignorabant, indicantes, & dicentes invicem, murmurando tamen: Ecce Archipræſul ille, qui in heſterno colloquio Dominum propter Reges negare noluit, nec Dei honorem ſubjicere. Poſteà etiam ſæpiſſimè, cùm iter per Franciam faceret, multi in populo eadem de eo prædicarunt. A Carnoto verò recedens, quantocyùs potuit, Senonas venit.] Additque iſta compilator epiſtolarum. Tres igitur diætas cum Regis Franciæ comitatu ita tranſiit, ut nec ad eum Rex, vel aliquis ex ſua parte acceſſit, & cùm in talibus negotiis dominus Cantuarienſis ſolitus fuit à regia liberalitate procurari: poſt illud colloquium, & per id quod diximus ſpacium exinde nihil omninò fuit exhibitum. Aliquando tranſeundo Senonenſis Archiepiſcopus, aliquando Pictavienſis Epiſcopus, vel aliquis alius frater ejus miſeria afflictus, erga eum ſe habuit ut mendicum. Quod plurimùm ſuos perterruit, quaſi jam omni humano auxilio deſtitutos.

S. Thomas ad extremam redactus paupertatem.

LXXI. Tertio verò die peracto illius itineris, dum ſedentes in hoſpitio ſuper his confabularentur ad invicem, & ſecum quærerent, quò poſſent divertere: dominus Cantuarienſis jucundo vultu, quaſi nihil adverſitatis habens, & ad omnes fortunæ impetus immutabilis, moderato riſu condolentibus alludit, dicens: Solus, *ait*, impetor, & me cedente, non erit qui vos perſequatur acriùs, &c. Confortamini igitur & nolite expaveſcere. Cui inquiunt, miſeremur tui magis, dum neſcimus quò poſſis divertere, vir tantæ auctoritatis à ſummis & ultimis derelictus amicis. Deo (inquit Cantuarienſis) noſtri curam committimus. Et ex quo utriuſque regni nobis præcluditur aditus; nec ad Romanos latrones conſolationis gratia quis conſulit nos revertere, qui miſerorum ſpolia ſine delectu diripiunt.] Idcircò id de Romania Thomas, quòd ſederet ibi in baſilica ſancti Petri Antipapa Guido Cremenſis, pro cujus factione anni hujus Senatores (ut vidimus) laborabant, & ad quem alendum prædæ diverſorum conſerebantur.] Pergit

S. Thomæ in adverſis conſtantia.

A auctor: Alia eſt nobis via procedendum. Audivimus ſiquidem circa Ararim fluvium Burgundiæ uſque ad partes Provinciæ liberaliores eſſe homines. Ad hos ego & vos mecum pedites ibimus, qui viſa afflictione noſtra, fortaſsè noſtri miſerebuntur, victualia miniſtrantes ad tempus, donec nos Dominus viſitaverit. Potens eſt Deus & in ultimo miſeriæ calculo ſuis adeſſe. Infideli deterior eſt, qui de Dei deſperat miſericordia.

LXXII. Et ſtatim affuit pro foribus Dei miſericordia. Accurrit enim quidem ſerviens Regi Franciæ, qui diceret: Dominus B Rex vos ad Curiam vocat. At hæc ait unus eorum: Ut ejiciamur è regno: Non es Propheta (inquit Cantuarienſis) neque filius Prophetæ: noli vaticinari ſiniſtra. Venientes ergò, invenerunt dominum Regem cum triſti vultu ſedentem, & non aſſurgentem pro ſolito domino Cantuarienſi. Quod factum eſt in principio triſte præſagium. Conſidentibus illis adhùc tepidè vocatis, diutiùs facto ſilentio: Rex inclinato capite, quaſi dolens & invitus cogitaret, ut eos de regno ejiceret, & illis id ipſum timentibus: obortis lacrymis, proſiliens cum ſingultu; projecit ſe ad pe- C des domini Cantuarienſis, obſtupentibus iis qui aderant. Et domino Cantuarienſi ſe inclinante ad erigendum Regem: vix tandem ad ſe reverſus Rex præ anguſtia: Verè, ait, domine mi Pater, tu ſolus vidiſti. Et ſuſpiria præ mœrore congeminante: Verè, ait Pater, tu ſolus vidi. Nos enim cæci fuimus, qui contra Dominum dedimus tibi conſilium, ut in cauſa tua, immò Dei, ad nutum hominis honorem Dei remitteres: penitet nos Pater & graviter penitet. Ignoſce rogo, & ab hac culpa me miſerum abſolve. Sed & Deo & tibi me ipſum & regnum meum expono, & ab hac hora D promitto, quòd tibi vel tuis non deero, quamdiu, Deo auctore, vixero. Rege itaque abſoluto, dataque ei benedictione, dominus Cantuarienſis Senonas regreſſus eſt cum ſuis in gaudio, ubi Rex Franciæ victum regaliter exhibuit uſque ad reditum in Angliam.

Regis Francorum humilis pœnitentia.

LXXIII. Quo audito, Rex Angliæ Regi Franciæ demandat, ſe mirari plurimùm, quomodò vel qua ratione de jure poſſet contra eum fovere Cantuarienſem, cùm in ipſius Regis præſentia Rex Angliæ ita ſe humiliaret, ad omnem paratus juſtitiam, nec per ipſum ſteterit, quò minus Cantuarien- E ſis pacem haberet, quam ipſe arroganter & contumelioſè rejecit. Quocircà, ait, Regem Franciæ tali de cætero in regno ſuo non debere præſtare ſubſidium in ſui fidelis ignominiam & ruborem. Ad hæc Rex Franciæ: Ite, inquit, Nuntii, Regi veſtro nuntiantes: Quia ſi Rex Angliæ avitas quas vocat conſuetudines, licèt minus (ut ajunt) legi divinæ congruas, tamen ut ad Regiam dignitatem ſpectantes, non ſuſtinet abrogari: multò minus mihi licet jus illius liberalitatis ſubvertere, quod cum corona regni mihi jure competit hæreditario.

Regis Francorum ſcita reſponſio ad Regem Angl.

Digitized by Google

niſi in potenti manu Dei jacientium ſagittas. Feciſtis opprobrium omni tranſeunti, ſubſannationem vicinis noſtris; deriſum his qui in circuitu noſtro ſunt. Utinam non vobis ipſis.

XLII. Deus bone, quis erit de cætero vigor in membris, ſi capitis ipſius robur emarcuerit? Jam certè clamitatur in plateis, prædicatur per civitates & vicos, quia non fit juſtitia Romæ de potentibus. Ut quid ſepitis vias noſtras ſpinis? cur objicitis nobis offenſionis lapidem? Ut quid tollitis nobis omnem noſtram auctoritatem, ne vindicemus injuriam Chriſti, ne redimamus damna dierum noſtrorum, quibus nemo ſuccurrit, ne compenſemus Eccleſiæ jacturam, prout nunc poſſumus, Eccleſiaſtica ſaltem cenſura; ne ſilentio convaleſcat inconcuſſa impunitas, ſed prodeat in lucem tantæ concuſſionis auctoritas, tàm affectatæ præſumptionis ultio merita, ut appareat tempore poſtero, tàm enormia, tàm deteſtabilia nullatenùs impunè, ſed meritò attentata fuiſſe? Certum tenete, expectatio iſta plurimum habet periculi, ſalutis nihil. Aliter curandus eſt is morbus, ſi non per diſſimulationem veſtram vultis interfici Regis univerſæ terræ. Dulcis enim eſt omni tyranno amara ſervitus Eccleſiæ, nec tolli facilis, ſi non fit ei citiſſimè ipſa ſua dulcedo amara ſeveritate juſtitiæ. Eò jam perventum eſt, ut ſequatur Rex noſter etiam Siculos, immò certè præcedat. Curritur undique à clericis Angliæ ad ſuam Curiam: fiunt curiales Capellani, ſub obtentu iſto aſtringuntur juſjurandi neceſſitate, ut vel ſic in terra ſua liberiùs obtineat de cætero, quod hoc tempore de voluntate ſua pro jure conſtituit. Itur curſim in diſpendium Eccleſiæ non reparabile, cùm ſit nemo qui currenti non cedat, qui redarguat delinquentem efficaciter, qui puniat ejus viriliter exceſſum. Quid erit nobis & vobis ulteriùs in terra illa, ſi celeriùs non occurratur huic tanto periculo? Si non retundatur acriùs hujus tam enormis novitatis periculoſa præſumptio? vos ipſi videritis.

XLIII. Diſpoſueram certè animam meam in hac parte liberare, viriliter ſubvenire periculo, ſi non hujus facti me, ſicut credimus, immeritò æſtimaſſetis indignum. Indulgeat Deus hoc facientibus. Erat mihi quippè cum ipſo facilior acceſſus, ſi (quod abſit) ſine vobis Eccleſiæ diſcrimina diſſimulare curaſſem. Verùm quidquid mecum egeritis, quidquid agatis: per miſericordiam Dei nihil fiet à me ſine vobis, nihil in præjudicium Eccleſiæ, ſi vita comes mihi ſuccurrit. Hanc viam elegi, hanc, Chriſto duce, non mutabo ſententiam. Hæc eſt enim mihi via ſalubris. Hæc vobis ſcribo non ad indignationem aliquam (novit Deus qui ſcrutator eſt cordium) ſed ad cautelam, ne veniat ſuper vos dies Domini ſicut fur, dies ultionis qui nemini parcit. Credite ergò mihi fideli veſtro per omnia, dilectiſſimi domini: Reſumite vires, accingimini gladio verbi Dei potentiſſimi, exerite gladium beati Petri, injuriam Chriſti vindicate & ſuorum, nulli parcat oculus veſter: Facite judicium & juſtitiam ſine dilatione omni patienti injuriã. Hæc eſt via regia, hæc eſt via quæ ducit ad Vitã. Hac vobis incedendum eſt, ut ſequamini veſtigia Chriſti, veſtigia Apoſtolorum, quoniam eſtis Vicarii. NON SIMVLATIONE, NON INGENIO REGENDA EST ECCLESIA, SED IVSTITIA ET VERITATE, QVÆ SE OBSERVANTEM LIBERAT AB OMNI PERICVLO. Hoc facite, & habebitis pro certo Deum adjutorem, nec timeatis de cætero, quid faciat mihi homo. Benè valete, ut benè ſit nobis & toti Eccleſiæ.] Hactenùs ipſe, qui uſu loquendi, quod ait, Non ingenio regendam eſſe Eccleſiam Dei, idem voluit ſignificare, ac ſi dixiſſet: Non prudentia carnis, quæ eſt inimica Deo (ut (a) dixit Apoſtolus) illam eſſe adminiſtrandam, qua unà ſimul periclitatur juſtitia cum veritate.

a Rom. 8.

XLIV. His igitur tum ad Alexandrum Pontificem, tùm ad S.R.E. Cardinales Romam allatis litteris, tanti viri auctoritate, magis autem veritate, unà cum ſacro fratrum Collegio permotus eſt Alexander, ut Legatos ipſos, quos tot viri ſanctiſſimi querelæ perſtringerent, quantocyùs revocaret in Urbem, id in primis curante Nuntio ſancti Thomæ Romæ degente, & Apocriſarii munere perfungente, quem ad hoc ipſum peragendum apud Pontificẽ monuiſſe reperitur idem ſanctus (b) Thomas ſuis litteris, in quibus hæc inter alia leguntur: Et ideò omnimodis expedit, immò pluſquàm neceſſarium eſt, ut omnem quam poteritis, operam adhibeatis, & pro viribus apud dominum Papam efficiatis, quatenùs ſæpè dicti Cardinales revocentur, & à terra tota ipſius Regis ſub pœnæ interminatione exire compellantur.] Hæc de Legatis revocandis ſanctus Thomas. Qui ut diximus, à Papa exauditus in omnibus fuit. Nam ſuis Pontifex litteris mox eos revocavit in Urbem, omni eos ſtatim nudans auctoritate. Qui antequàm inde recederent, Regem Angliæ inviſendum eſſe duxerunt. Quænam autem inter eos tranſacta ſint, relatio tunc ſcripta nos docet, quæ ſic ſe habet: (c)

b Cod. Vat. l. 2. ep. 104.

c Ib. ep. 6.

XLV. Relatio de ultimo cõgreſſu Legatorum cum Rege.

Proxima quinta feria poſt octavam ſancti Martini venerunt Cardinales ad Beccenſe monaſterium, ſequenti die Lexovium, tertia die ad ſanctum Petrum ſuper Divam, quarta item die, quæ præcedit Adventum Domini, venerunt Argentheon. Ea die occurrit eis Rex per duas leucas, hilarem eis vultum exhibens, & utrumque Cardinalem comitatus eſt uſque ad hoſpitium ſuum. Sequenti die, ideſt ſecunda die poſt Miſſam, ſatis mane vocati, venerunt ad Regem, & intraverunt in Cameram ad conſilium cum Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Abbatibus, qui admiſſi ſunt. Cùm autem quaſi ſub ſpacio duarum horarum moram feciſſent intus, egreſſi

ſunt,

ſunt, & Rex cum eis uſque ad oſtium capellæ exterius, & ibi in eundo dixit dominus Rex hoc verbum publicè, & ipſis etiam audientibus Cardinalibus: Utinam ampliùs numquam videat oculus meus aliquem Cardinalem. Cum tanta autem feſtinatione dimittebat eos, quòd cùm hoſpitium eorum ſatis vicinum eſſet, non fuerunt expectati, ut venirent equi eorum proprii, ſed traditi ſunt eis ad exeundum equi, qui ante capellam caſu proximi inventi ſunt, & exierunt Cardinales quatuor comitantibus ad plus. Remanſerunt autem Archiepiſcopi, & Epiſcopi, & Abbates cum Rege, & intraverunt in cameram ad conſilium. Ubi cùm moram feciſſent uſque ad horam ferè veſpertinam, venerunt ad Cardinales; & omnium eorum facies videbatur eſſe turbata. Cùm aliquantam moram feciſſent apud Cardinales, reverſi ſunt ad hoſpitia.

XLVI. Craſtina die cùm moram feciſſent apud Regem uſque ad horam ſextam: venerunt ad Cardinales, & poſteà ad Regem: reverſi ſunt poſteà apud ad Cardinales, reſponſa hinc inde ſecreta portantes. Sequenti die, id eſt in Vigilia ſancti Andreæ, Rex ſummo diluculo ſurrexit, & exivit ludere in canibus & avibus cœli, ſicut creditum & æſtimatum eſt, de induſtria ſui faciens abſentiam. Epiſcopi verò ſatis mane convenerunt ad capellam Regis, & ſtatim ad cameram: ibi abſente Rege habita deliberatione, exierunt ad Eccleſiam, juxta quam Cardinales hoſpitia habebant. Ubi cùm Cardinales ſediſſent, vocati ut audirent, quæ ab eis proponerentur, aſſidentibus hinc inde Rothomagenſi, Eboracenſi Archiepiſcopis, Vvigornienſi, Sareaberienſi, Bajocenſi, Londonienſi, Cicestrenſi, & Engoliſmenſi Epiſcopis, Abbatibus quampluribus, & laicorum ampla multitudine: ſurrexit Londonienſis, & eum turbatæ mentis eſſe, inſipida & parum venuſta oratio argumento fuit, & ſic exorſus eſt: Vos audiſtis &c.] Quæ ſuperiùs in relatione Legatorum de appellatione interpoſita ab Epiſcopis Angliæ audivimus. Et poſt orationem: Facta itaque, inquit, appellatione, petierunt apoſtolos à Cardinalibus, & dati ſunt eis appellatorii, ſicut creditur. Diſceſſerunt Cardinales à Rege feria tertia poſt Dominicam, Ad te levavi. Sed in diſceſſu cum multa humilitate petiit Rex Cardinales, quòd pro eo intercederent apud dominum Papam, ut liberaret eum à nobis omninò. Et in continenti coram Cardinalibus & aliis lacrymatus eſt, & dominus Vvillelmus Cardinalis viſus eſt lacrymari. Sed dominus Oddo vix à cachinno ſe potuit abſtinere. Summa autem negotii hæc eſt, quòd dominus Vvillelmus Papienſis mittit quemdam clericum ſuum, qui cognatus creditur magiſtri Lombardi, cum feſtinatione ad dominum Papam, & Rex mittit duos Nuntios, ſcilicèt quemdam Londonienſis Epiſcopi qui vocatur, magiſter Henricus Piaim, & cum eo Reginaldum filium Sareaberienſis Epiſcopi. Præterea ſabbatho ante ſecundam diem Dominicam Adventus à Cardinalibus, qui erant apud Ebroicas, egreſſi ſunt magiſter Jocelinus Ciceſtrenſis, & Cantor Sareſberienſis, venturi ad vos, ut denuntient, factam eſſe contra vos appellationem à perſonis Angliæ.] Et paulò pòſt: Dominus Oddo Cardinalis mandat domino Papæ ſecretò, quòd depoſitionis veſtræ nec auctor erit, nec conſentiens, quamvit Rex nihil aliud petere videatur, niſi caput veſtrum in diſco. Valete.] Hactenùs amici relatio ad ſanctum Thomam.

De Nuntiis à Rege Legatis missis ad Alex. Pap.

In ea quæ extat de his relatio Joannis Sareſberienſis (a) ad Joannem Pictavienſem Epiſcopum; habet iſta de irato Rege in hoc ultimo congreſſu: Cardinales adeò turbatum Regem invenerunt, ut palàm quereretur, ſe proditum eſſe à domino Papa, & minaretur ſe ab eo receſſurum, niſi de Cantuarienſi Archiepiſcopo juſtitiam faceret exhiberi.] Et inferiùs quæ ſecuta ſunt poſt interpoſitam appellationem his verbis:

a Cod. Vat. l. 2. ep. 26.

XLVII. Epiſcopi quoque duos Nuntios miſerunt *de nuntiis Legatorum ad Archiepiſcopum Cantuarienſem, ſcilicèt* Vvalterum Cantorem Sareſberienſem, & magiſtrum Jocelinum Cancellarium Ciceſtrenſem, ut factam denuntiarent appellationem, & eam coram Archiepiſcopo innovarent. Sed Archiepiſcopus Epiſcoporum nuntios ad colloquium non admiſit, eò quòd inter alios, Epiſcopi Londonienſis *nomine venerent*, quem Archiepiſcopus excommunicatum habet, & Cardinalibus denuntiaverat, quòd qui legatione fungebantur, communicaverant excommunicatis ejus, & ſi in fraudem Apoſtolici mandati, viderentur minus prudentibus abſolvi. Hoc enim tandem, & tantùm indulſerat dominus Papa, ut ſi eſſent in periculo mortis abſolverentur, præſtito anteà juramento, quòd ſtarent mandato domini Papæ ſi convaleſcerent. Illi autem, ſimulantes ſe in periculo mortis conſtitutos, quia oportebat eos ex mandato domini nunc transfretare, nunc in Vvalliam proficiſci, à quodam Epiſcopo Gualenſi utriuſque juris protaùs aut ferè ignaro, Lanelvenſi ſcilicèt, qui monaſterium Abendoniæ, utpotè quæſtuoſius, pro Epiſcopatu receperat de manu Regis, abſolutionem impetraverunt. Et ne de mandato domini Papæ poſſit ambigi, literas Apoſtolicas miſit Archiepiſcopus Legatis, quibus diſtrictè præciperentur illos ſic abſolutos reponere in anteriorem excommunicationis ſententiam, niſi poſſeſſiones Archiepiſcopi, & ſuorum & omnia ablata cum integritate reſtituant, nullius appellationis obſtaculo Apoſtolicum hoc impediente mandatum. Et inferiùs: Rogavit etiam attentiùs, ut juxta mandatum domini Papæ, Legati excommunicatos ſuos urgerent ad ſatisfactionem, vel in ſententiam anathematis revocarent, &c.] Addens hæc ex parte Legatos infirmos eſſe inventos, ut flecterentur

De appellatione facta denuntiatio non admissa.

tur ad auram impellentem. Porrò adverſùs eos, qui ſuſturabantur abſolutionem, eò quòd eſſent navigaturi, extat epiſtola Joannis Saresberienſis (a) ad Aleſandrum Papam, qua oſtendit, eos nullo modo abſolutos diei poſſe.

a Cod. Pat. l. a. ep. 97.

XLVIII. Poſtquàm autem Vvillelmus Legatus vidit, ſanctum Thomam non recepiſſe nuntios Epiſcoporum, tamquàm non benè abſolutorum ab excommunicatione quam incurriſſent: idem ipſe tàm ſuo quàm collegæ nomine de abſolvendis excommunicatis has litteras (b) dedit ad Epiſcopos Angliæ, quibus iſta commiſit, Norvicenſem & Cieeſtrenſem:

b Ibidem.

Vvillelmus Papien. agit pro abſolut. Escómunicatorum.

Diſcretioni veſtræ præſenti ſignificatione mandamus, quatenùs perſonas illas, quæ à Cantuarienſi Archiepiſcopo excommunicationis vinculo dictæ ſunt innodatæ, in manu veſtra, promiſſione recepta, quòd noſtro debeant ſtare mandato, poſtquàm iſtas videritis litteras, abſolvatis. Quod vobis moderatum videbitus. Hac autem occaſione poſtpoſita, proſequi ſtudeat & adimplere, quicumque veſtrum apices iſtos primus receperit. Ex quo veſtrum receperint mandatum, ſignificetis eos juramento præſtito abſolutos.] Hæc nomine Legatorum ſcripta fuere.

C Meminit harum litterarum Saresberienſis in epiſtola (c) ad Archidiaconum Exonienſem verbis iſtis: Recepturus eſt enim, ſi nondùm recepit litteras Legatorum, precipientes ut abſolvat excommunicatos domini Cantuarienſis. Cùm tamen ipſi præcipiendi nullam habeant poteſtatem, ſed inhibiti ſint litteris Apoſtolicia Angliam ingredi, vel ſe de regni negotiis intromittere, niſi priùs pas pleniſſima reformetur.] Et inferiùs: Dicaturque eis, quòd abſolutio non proderit eis ad ſalutem, niſi quam præcedit pœnitentia & confeſſio & ſatisfactio pro facultate &c.] Scripſit & de D hia idem Saresberienſis ad Aleſandrum Pontificem (d) litteras, in quibus hæc inter alia in amaritudine animi ſui: Os meum in cœlum ponere non præſumo. Fateor & verum eſt, omnia Romano licere Pontifici, ſed ea dumtaxàt, quæ de jure divino Eccleſiaſticæ conceſſa ſunt poteſtati. Liceat ei nova jura condere, vetera abrogare, dum tamen illa, quæ à Dei verbo in Evangelio vel Lege perpetuam cauſam habent, mutare non poſſit. Auſim dicere, quòd nec Petrus ipſe quemquam perſeverantem in ſcelere & voluntate peccandi E poſſit abſolvére: nec claves accepit, quibus januam regni poſſit impœnitentibus aperire &c.] Hæc & alia Saresberienſis. Ex cujus itidem aliis litteris ad Alexandrum audi rursùm proſcriptorum pro Eccleſiaſtica libertate tuènda querelas de iiſdem: (e)

c Ib. ep. 101.

d Ib. ep. 56.

Querelæ de male abſolutis.

e Ib. ep. 100.

XLIX. Anima noſtra, Pater, in amaritudine eſt, ut (quod in conſpectu veſtro timeo plurimùm) verbo modeſtiam ſubtrahat vis doloris, & patientia, præ miſeriarum cumulo, querelas omninò nequeat cohibere. Alii enim noſtrum pro defenſione juſtitiæ mo-
A rientis, à Deo, & ab Eccleſiis expetunt innocentis ſanguinis ultionem; alii variis affliguntur ſuppliciis, omnes exulamus, & diu proſcripti ſumus, ut vel ſic nefarias hominum traditiones compellamur præferre legi Dei, & ſanctionibus Patrum. Sed unicum eſt Fidelibus in tribulatione remedium, precibus aures pulſare Majeſtatis, & totius mentis arcana retexere, ut ſic Patris clementiam moveant, & miſeriæ ſolatium conſequantur. Hoc quoties filii Iſrael uſi ſunt; toties de neceſſitatibus & anguſtiis leguntur erepti. Recurrebant illi ad tabernaculum fœderis, ubi ſancta B Sanctorum ſervabantur, id eſt mandata Dei, quæ cunctis juſtificationibus antecellunt. In opportunitatibus ſuis conveniebant Moyſem & Aaron ſanctos Domini. Et miſeris Cantuarienſibus ad quos inter Dominum & ſe mediatores confugiendum eſt niſi ad Romanam Eccleſiam, ubi viget divinæ legis cuſtodia, & totius ſacerdotii principatus? Nam ſi ille poſt Dominum decreverit ſalvare nos, continuò liberabimur: ſi manus erexeritis, deſtruetur Amalech; & qui vos Pharaoni dedit in Deum, deiiciet omnes adverſarios Eccleſiæ à facie noſtra &c.] Hæc ipſe querelas C ſubiiciens de malè abſolutis excommunicatis, de quibus ſuperiùs dictum eſt. Porrò Aleſander Papa ubi iſta cognovit adverſùs eos, qui abſque prævia ſatisfactione abſoluti fuiſſent, ta(f) reſcripſit ad ipſos Cardinales Legatos:

Ad Alex. querelæ exulantiū Anglorū.

f Cod. Vat. lib. 5. ep. 99

L. Qoid Alex. reſcripſerit de abſolutis ab excommun.

Suggeſtum eſt nobis, quòd quidam eorum, quos venerabilis frater noſter Thomas Archiepiſcopus Cantuarienſis excommunicationi ſubjecerat, Eccleſiæ ſuæ, nec non & clericorum ejus bona & poſſeſſiones detinere, & iiſdem incubare præſumunt. Unde quoniam indignum eſt, ut bonis & poſſeſſionibus illis detentis à vinculo debeant, quo tenentur, abſolvi: diſcre- D tioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenùs, ſi jam ſicut audivimus, per aliquos ſunt abſoluti, ipſis ex parte noſtra virtute juramenti firmiter injungatis, quòd præſumptas poſſeſſiones & bona perſonis & Eccleſiis, de quarum jure exiſtunt, incontinenti reliquant, nec eas tenere, aut ſe in his de cætero intromittere, qualibet occaſione præſumant. Quòd ſi ad veſtrum præceptum non fecerint: vos eos omni dilatione & appellatione ceſſante, in priorem excommunicationis ſententiam uſque ad ſatisfactionem plenariam reducatis. Si E verò à vobis fuerint abſoluti: id nihilominùs, ſicut prædiximus, efficiatis.] Hæc Alexander, ſed anno ſequenti (ut apparet ex dictis) quo iſta contigit ipſum audiſſe Pontificem. Quas Papæ litteras ut acceperunt Legati per Nuntium ſancti Thomæ, ad eum reſcribentes ſe excuſavere, eos, dum eſſent apud Regem, non poſſe talia exequi contra illos, quibus bona ipſa idem Rex dederat: quod & de mente Papæ eſſet, ne dum ibi Legati eſſent, aliquid operarentur contra ipſum Regem, ne quid indignum Apoſtolica Sede paterentur ab ipſo.

Sed

Digitized by Google

A

Sed proſequamur Legatos redeuntes, de quorum reverſione hæc Joannes Sareſberienſis in (a) epiſtola ad Archidiaconum Exonienſem: Cardinales redeunt revocati non ſine confuſione, pœnitentes & conquerentes ſe ad Regis voluntatem nimis cauſam Eccleſiæ depreſſiſſe. Alter enim eorum, videlicèt Papienſis, ei in omnibus aſtitit, altero quoque remiſſius agente, quam tantæ expectationis & ſpei hominem decuiſſet.] Hæc ipſe. Qui & inferiùs poſt multa, quid cum Rege idem Legatus Oddo profecerit, ita narrat:

a Ib. ep. 105

B

LI. Ante diſceſſionē, quid Legati cum Rege Angl.

Prætermiſeram, quod minimè eſſet prætereundum, ſcilicèt, dominum Oddonem, paucis diebus antequàm recederet à Rege, ipſum diligentiùs conveniſſe, ut pacem cum Archiepiſcopo reformaret. Ille verò reſpondit, ſe amore domini Papæ & Cardinalium permiſſurum, ut Archiepiſcopus in pace redeat ad ſedem ſuam, & diſponat Eccleſiæ & rebus ſuis. Et quia de conſuetudinibus jurgia diutiùs protraxerunt: dixit ſe & liberos ſuos illis ſolis eſſe contentos, quas anteceſſores ſuos habuiſſe conſtiterit juramento centum hominum de Anglia, & centum de Northmannia, & centum de Andegavia, & aliis terris ſuis.

C

Si verò hæc conditio pacis Archiepiſcopo diſplicuerit: ſe paratum eſſe dixit ſtare arbitrio tùm Epiſcoporum Angliæ, tùm ciſmarinorum, videlicèt Rothomagenſis, Bajocenſis, & Cenomanenſis. Quòd ſi nec iſtud ſufficeret, domini Papæ judicio ſtabit, eo ſalvo, ut non exhæredarentur liberi ejus: nam in diebus ſuis facilè ſuſtinebit, ut dominus Papa quod voluerit, reprobet.

D

LII. Quæſitum eſt ab eo, quidnam Archiepiſcopo & ſuis facturus erat de reſtitutione, quæ ab ipſo petitur, & debetur. At ille reſpondit, jurans multis & exquiſitis juramentis, quòd omnia, quæ inde perceperat, ſolis Eccleſiis & pauperibus erogavit, ſed hoc credat Judæus apella, non ego. Cardinalis autem ſubintulit, quòd niſi alio utatur conſilio, & cum Eccleſia Dei mitiùs agat, omnia diſtrictiùs & citiùs quàm credit, ab illo requiret Deus & Eccleſia ejus: & ſic accepta licentia, receſſit ab eo. Deinde convenit eum Vuillemus Papienſis eodem ferè modo: ſed ſemen verbi ejus cecidit ſuper arenam. Facientes autem tranſitum per Chriſtianiſſimum Regem Franciæ, redierunt in gratiam ejus, intervenientibus pactis, quæ vobis harum litterarum bajulus intimabit.] Hucuſque Sareſberienſis, qui & de his quæ poſteà acciderunt, aliis litteris hæc ampliùs: Quintus annus exilii mei evolvitur, & ecce cùm mihi nihil antè defuerit, ſolatii cumulus eſt, quòd Eccleſiæ libertas videtur aſtare pro foribus, & pro parte jam pedem fixit in Inſulis. Renuntiavit enim Rex (ſicut Nuntii Cardinalium atteſtantur) quibuſdam conſuetudinibus peſſimis, quas tamen antè conſueverat vendicare, cum juramento deteſtans illas, & auctores earum, conſentiens ut liberum ſit ad Sedem Apoſtolicam appellare, ut clerici ad ſæcularia judicia non trahantur, & quædam alia, quæ ſic utinam probaret facto, ſicut firmat eloquio.] Hæc de his ipſe. Atque hic demùm finis legationis hujus: reliqua autem inferiùs in fine præſentis anni.

E

LIII. Interim ad res Italiæ convertamus orationem, dicturi de his, quæ ad Fridericum Imperatorem & ejus ſchiſmaticum Antipapam, & alia quæ ad Urbem ſtatumque Eccleſiæ Romanæ ſpectant, quæ collegimus ex Joannis Sareſberienſis epiſtolis hoc anno datis, in eodem codice Vaticano deſcriptis; atque primùm quæ habentur in litteris ad Joannem Pictavienſem Epiſcopum paucis iſtis: (b) Fridericus ille ſchiſmaticus inſignis, dum in Eccleſiam malitioſius & crudelius ſævit, factus eſt exanguſtus, & eò perductus eſt, ut jam optaverit Italiam perdidiſſe, quam retinere non poteſt.] At cur exauguſtus, alia declarat epiſtola, ipſum nempe ab Alexandro Papa anathematis ſententia condemnatum, Imperiali dignitate exauctoratum fuiſſe in Concilio Lateranenſi. Sed audi ipſum Joannem iſta ſcribentem ad Cantiæ Subpriorem: (c)

b Cod. Vat. li. 8. ep. 60

c Ib. ep. 84.

In Concil. Lateran. Frid. excommunicatur ab Alex. Papa

Reflorefcit ſtatus, auctore Domino, univerſalis Eccleſiæ, & ſchiſmaticorum impetus fruſtratus eſt, & ſuperbia Moab in dies infirmatur. Nec de nocte vaſtatus eſt nunc, ut ab initio, ſed in meridie ſuffoſſa eſt ara, & muri ejus dejecti ſunt funditus, ut exaltatio Moab ex neceſſitate Petro cedens, de cætero conquieſcat. Unde ſpes eſt in Domino, ut vociferantibus tubis ſacerdotalibus, in proximo corruat Hiericho, & regnum proprio ſanguine acquiſitum obtineat triumphator JESUS, & in pace poſſideat, quod ſui juris eſt, Sponſus & Juſtus Eccleſiæ Chriſtus. Cùm enim Romanus Pontifex per patientiam Teutonicum tyrannum diutius expectaſſet, ut vel ſic provocaretur de pœnitentiam, & ſchiſmaticus abutens patientia ejus, peccata peccatis adderet jugiter, ut error in amentiam verteretur: Vicarius Petri à Domino conſtitutus ſuper Gentes & ſuper regna, Italos, & omnes, qui ex cauſa Imperii religione jurisjurandi tenebantur aſtricti, à fidelitate ejus abſolvit, & Italiam fere totam à facie furentis & præſentis tanta felicitate & celeritate excuſſit, ut in ea nihil habere videatur, niſi tortores, quos evitat, interdum & anguſtiarum, quas evitare non poteſt, juge ſupplicium.

LIV. Frid. Imp. exauctoratus Imperio.

Abſtulit ei etiam regiam dignitatem, ipſumque anathemate condemnavit, & inhibuit auctoritate Dei, ne vires ullas amodo in bellicis congreſſionibus habeat, aut de Chriſtiano aliquo victoriam conſequatur, aut alicubi quiete & pace gaudeat, donec fructus pœnitentiæ condignos operetur. In quo ſecutus eſt exemplum Gregorii Septimi deceſſoris ſui, qui noſtra ætate Henricum Imperatorem Eccleſiæ privilegia convellentem deponens, in Concilio

Digitized by Google

lio Romano ſimili ſententia condemnavit. Æt quidem illu ſententia effectum ſortitu eſt, & hanc de privilegio Petri latam videtur ipſe Dominus confirmaſſe. Hoc enim Itali audito, ab eo diſcedentes reædificaverunt Mediolanum, ſchiſmaticos expulerunt, Catholicos reduxerunt Epiſcopos, & Apoſtolicæ Sedi unanimiter adhæſerunt. Sed quid nota recenſeo? Hoc ubique locorum fama, quaſi præconia voce concelebrat, nec aliquibus dubium puto, ne fortè lateat illos, qui ſoli tempeſtate hac exulant domo ſua. Quia ergo ab Oriente jam radius ſerenitatis illuxit per Chriſtum, & incolumitas Eccleſiæ in capite reparatur: ſupereſt ſpes fidei certiſſima, quòd unguentum à capite in Apoſtolicam barbam exuberans, deſcendat in caput & oram Anglicanæ eccleſiæ &c.]

Ea eodem quoque Lateranenſi Concilio credita eſt legatio Galdino Archiepiſcopo Mediolanenſi, ut Catholicos ab eccleſiis ſuis pulſos reſtituat Epiſcopos, & ſchiſmaticos intruſos ſedibus pellat. Qui quomodo id ſit operatus in Eccleſia Laudenſi addicta ſchiſmaticis: hia verbia in Laudenſi tunc ſcripto Chronico per Ottonem Morenam deſcribitur.

LV. S. Galdinus Legatus Apoſtolicus agit cum Lauden. pro Alex. Papa.

Intereà dominus Galdinus De la Scola, Mediolanenſis civis & clericus, qui quidem Cancellarius domini Ribaldi, & domini Huberti de Pirovano Mediolanenſium Archiepiſcoporum per annos multos fuerat, & in locum jam dicti Huberti ad Archiepiſcopatum Mediolani fuerat ſublimatus à domino Alexandro Papa, in Lombardia ipſius Papæ tunc Legatus conſtitutus, ſuos Nuntios, ſcilicet, Abbatem ſancti Ambroſii, & Abbatam ſancti Vincentii de Mediolano, miſit domino Alberto de Cazano majoris Eccleſiæ Laudenſis tunc Præpoſito, cæteriſque Præpoſitis, Abbatibus, presbyteris, & clericis, & etiam Conſulibus de Laude, dicendo atque monendo, quòd ipſi partem Papæ Paſchalis & domini Friderici Imperatoris omninò relinquerent, & prædicto Papæ Alexandro faverent, & ipſi Papæ de injuria ſibi facta ſatisfacerent, atque Epiſcopum Catholicum eligerent: & niſi hoc facerent, ab officio & beneficio Eccleſiaſtico abſtinerent. Dictus verò Præpoſitus, cæterique clerici hoc audientes, mœſti valdè fuere, tùm quia magna pars eorum mandato Imperatoris juraverat, ſe Papam Paſchalem pro Papa in perpetuum tenere; tùm etiam, quia omnes ferè fidelitatem juraverant domino Alberto de Merlino, tunc temporis, ut eis videbatur, Laudenſi Epiſcopo Catholico, nec adhùc canonico jure depoſito, hoc facere timebant valdè, & ſibi in maximum dedecus reputabant. Inter ſe etiam conferentes, quòd ſi dicti Papa Paſchalis & Imperator victores adhùc exiſterent, ipſi in perpetuum ſe damnarent, & qualibet eorum dignitate & gratia privarent: formidabant nimis mandatis domini Galdini obtinere. Hoc etiã recuſare, quod eis mandaverat * decus ſupradicti domini Galdini, ſtupebant plures, tùm propter Papam Alexandrum, & ſupradictum dominum Galdinum Archiepiſcopum, qui quaſi in illis partibus victores exiſterent, tùm propter civitates Lombardiæ ferè omnes inſimul conjurantes: quia ſciebant, quòd ſi de Laude expellerentur, in Lombardia habitaculum, aut locum, in quo ſe poſſent reducere, non haberent.

LVI. Laudenſes recipiunt Alex. Pap.

Tandem dubiis anguſtiis hinc inde ſatis diu revolutis, cùm nullam miſericordiam à dicto Archiepiſcopo invenire poſſent, niſi quod eis mandaverat, adimplerent; eligentes potiùs vivere quàm mori, magiſque etiam ſtare in ſua patria, quàm in aliena vagari: in Papam Alexandrum credere, ejuſque parti ſavere, & Epiſcopum novum ſecundùm voluntatem Archiepiſcopi eligere diſpoſuerunt. Igitur die Jovis ſancto, quæ fuit tunc quarto Kal. Aprilis, Indictione prima, M.D.LXVIII. anno, prædictus dominus Albertus Laudenſis Eccleſiæ majoris Præpoſitus, communicato inſimul conſilio tàm Laudenſis civitatis, Abbatum, Præpoſitorum, presbyterorum, aliorumque clericorum, quàm etiam illorum, qui extra civitatem in Epiſcopatu Laudenſi fuerant: ad honorem Dei & beatiſſimæ Virginis Mariæ, atque beati pretioſi Confeſſoris Baſſiani, dominum Albertum presbyterum, & tunc temporis Eccleſiæ de Ripalta Præpoſitum, virum honeſtum & religioſum elegit in Laudenſem Epiſcopum, & paſtorem. Proximo verò die Mercurii poſt Paſcha Laudenſes Abbates, Præpoſiti, presbyteri, aliique clerici multi, Conſules etiam Laudenſes, multique judices & ſapientes de Laude Bergomum, ubi tunc dictus Electus erat, iverunt: & ipſum in ſequenti die Jovis proximo Laudem cum ineffabili gaudio conduxerunt, qui ibi honorificè nimis ab omnibus tàm clericis quàm laicis eſt ſuſceptus.] Hucuſque hiſtoria ſeu Chronicon Laudenſium rerum per Ottonem patrem & filium Acerbum Morenam conſcriptam.

LVII.

At quod factum eſt cum Eccleſia Laudenſi, idem cum aliis ſchiſmaticorum Eccleſiis eſſe agitatum, nullum dubium eſſe poteſt, tunc præſertim, cùm Fridericus poſteriores in bello tulit, atque in fugam converſus, Papiam ſe contulit, ubi & obſidione concluſus eſt: de qua clade & obſidione hæc Joannes Sareſberienſis in ſuis litteris: (a) Eadem die, *nempè in feſto ſancti Martini*, congreſſus Fridericus exauguſtus cum Mediolanenſibus, amiſſis viginti quinque millibus, in fugam converſus eſt.] Hæc de clade accepta. De obſidione autem ſic: Fridericum intra Papiam clauſum tenemus, & obſeſſum, ejectos à ſchiſmaticis Epiſcopos reduximus in ſedes ſuas, & attrito capite impiorum, membra ſibi cohærentia facilè diſſolventur.] Quomodò autem Papia tandem fugiens, ſe contulerit in Germaniam, audi ex alia epiſtola ejuſdem Sareſberienſis, de his ita ſcribentis ad eumdem: (b) Cùm enim Teutonicus tyrannus ſentiret ſe militum præſidio

a *Cod. Vat. li. 2. ep. 26.*

b *Ib. ep. 26.*

Digitized by Google

Fridericus in fugam converſus.

ſidio deſtitutum, & Italiæ civitates in ipſum irruere properarent, & ipſe temeritate ſuorum, qui nobilem quemdam Papienſem excæcaverant, Papiæ minimè tutus eſſet, neque Mauricenſes, ſed nec Lombardorum manus ulla ratione poſſe evadere videretur; ipſe Comitis Blandratenſis, & Marchionis Montisferrati fretus auxilio, divertit in terram Marchionis, relictis triginta obſidibus Lombardorum apud Blandratum: alios autem obſides quos acceperat, per caſtra Marchionis diviſit cuſtodiendos. Et ipſe cum præfato Comite & Marchione (quia eum Lombardi congregato exercitu viginti millium militum perſequebantur, & obſidere decreverant) B per caſtella quaſi in umbra mortis latitans fugitabat, ut vix (ſicut ajunt probi viri pleni fide & auctoritate qui interfuerunt) duobus diebus aut tribus auderet in eodem hoſpitio pernoctare. Hanc miſeriam tyranni, aut potiùs gloriam Dei, & Eccleſiæ conſolationem de noſtratibus quidam viderunt Canonici Noviomenſes, & Nuntii Comitis Henrici; de veſtratibus autem Legati Illuſtris Regis Anglorum illùc profecti variis ex cauſis. Noviomenſes enim Archidiaconum ſuum Bonifacium Italiæ Marchionem, quem elegerant in Epiſcopum, C virum honeſtum & tota ſchiſmatis tempeſtate Catholicum, reducere quærebant: Comes Henricus ſtatum explorabat Imperii: Nuntii verò Regis Angliæ juramenta præſtiterunt de matrimonio contrahendo inter filium præfati Marchionis & ſororem Regis Scottiæ, & ad ſæpè dictum tyrannum legatione functi ſunt; ut de opinione multorum loquar, quo ſic vires & familiaritatem prætendentes Imperii terreant Francos. Sed calliditas hæc in contrarium prorsùs exitum pergit: Franci ſiquidem magis animantur, dum vident hoſtes quaſi deſolatos, immò deſperatos D emendicata ſuffragia quæritare, & illos implorare patronos, quibus opus eſt defenſore.

LVIII. Fridericus eludit Religioſos viros.

Dum itaque in tantis verſaretur Imperator anguſtiis, & omninò deſperaret de exitu: tractatum habuit cum viris religioſis, quos conſtabat eſſe fideles domini Papæ, ſimulans ſe cum Eccleſia Dei pacem eſſe facturum. Eſt autem in domo Carthuſienſi vir admodùm religioſus quondam familiariſſimus Imperatori, qui ab eo pridem receſſerat ob conſcientiam ſchiſmatis, & ei plurimo compatiebatur affectu. Hic E ergò acceſſit ad eum cum lacrymis, ſibi pro certo innotuiſſe aſſerens, quòd pacem non erat habiturus, niſi Eccleſiæ Dei redderet pacem. Inſtitit autem & obtinuit, ut evocaret per litteras ſuas Priorem Carthuſienſem, Abbatem Ciſtercienſem, & Epiſcopum Papienſem, quem expulerat, & promitteret ſe conſilio eorum in omnibus acquieturum, dummodò illi in ſe reciperent periculum juramenti, quod contra Alexandrum fieri fecerat, *ſcilicèt (ut dictum eſt ſuperiùs) numquam ipſum omninò recepturum*. Omnes, qui hæc verba audierunt, A exhilarati ſunt, & Lombardi jam cœperunt mitiùs agere, ſperantes hominem eſſe converſum.

Interim ſæpè dictus Marchio egit cum cognato ſuo Comite Maurienſi, ut imperatorem permitteret egredi, promittens ei non modò reſtitutionem ablatorum, ſed montes aureos, & cum honore & gloria Imperii gratiam ſempiternam. Viri autem religioſi, quos evocaverat, arripuerunt iter, excepto Abbate Ciſtercienſi, qui gravi detentus infirmitate, vice ſua miſit dominum Gaufredum Antiſiodorenſem *Epiſcopum*, qui Claræ-vallis fuerat Abbas, B præmittentes Fratrem quemdam, qui à tyranno exploraret, ubi vel quando eorum vellet uti colloquio. At ille audito adventu eorum ex litteris: jam de exitu ſuo certus, induciis impetratis, reſpondit, eos ob hanc cauſam fruſtrà venturos eſſe, niſi Angelum de cœlis ſecum patenter adducant, aut veniant in poteſtate faciendi miracula, ut poſſint mundare leproſos, & ſuſcitare mortuos, & ſic illi ad propria reverſi ſunt. Hæc mihi idem Converſus Carthuſiæ, qui legationem geſſerat, retulit. LIX.

Imperator, autem collectis obſidibus, LX. C quos diſperſerat, ad reditum properans, venit ad ſanctum Ambroſium, habens circiter triginta milites in comitatu ſuo, & inde manè feſtinanter egrediens, prope Secutiam in eminentia cujuſdam montis ſuſpendit obſidem quemdam nobilem Brixienſem, imponens ei, quòd conjurationis Italorum conſcius fuerat, & (quod plus eſt) artifex congregari exercitus, qui eum ab Italia expellebat. Alios verè obſides ſecum duxit in Secutiam. Cives autem & incolæ loci portas claudi fecerunt, appoſitis cuſtodibus armatis, & tyranno obſides abſtulerunt, dicentes, ſibi ab aliis ci- D vitatibus excidium & exterminium imminere, ſi vicinos & amicos nobiliſſimos ſic paterentur abduci in Alemanniam occidendos, præſertim cùm adhùc in Italia ſuſpenderit virum potentem & generoſum, & ſuis exitum patere pro libitu. Tantam quidem adhibuerunt diligentiam in obſidibus retinendis, ut neminem permitterent egredi, qui Italicè loqueretur. Imperator autem aſſumpto habitu ſervientis, quaſi ut alicujus magni viri procuraret hoſpitium, cum aliis quinque ſervientibus noctu egreſſus eſt, lætus quòd ei conceſſerant Italiam perdere, quam demeruerat diu- E tiùs retinere. Inde tranſiens Chryſopolim, ſuam turbavit Burgundiam, proceribus intentans minas: & progrediens, Alemanniam & Saxoniam ſupra modum turbatas reperit, & fratrem ſuum præ cœteris inimicum, cùm tamen ei plurimi adverſarentur.

LXI. Quid in vindictam Longobardi.

Porrò Lombardi poſt egreſſum ejus Blandratum diruerunt, extractis indè obſidibus, qui ibi relicti erant, & interſectis Teutonicis ferè omnibus, quos ad cuſtodiam caſtri deſeruerat Imperator. Decem autem nobiliſſimos & ditiſſimos Alemannos de-

Digitized by Google

nos dederunt in ſolatium uaori mariti illius Briaienſis, quem ſuprà propè Secutiam ſuſpenſum retuli, ut illa prout libuerit, eos aut ſuſpendat, aut perpetuæ ſubiiciat ſervituti, vel redemptionem accipiat. Exinde damna multa Marchioni dicuntur intuliſſe, & nunc rumor eſt, eos obſidere Papiam. Et certum eſt, quòd Papienſes jam in Alemanniam Nuntios miſerunt Imperatori, denuntiantes, quòd niſi redierit, & opem tulerit, nulla ratione poterint diutiùs reſiſtere civitatibus.] Hactenus de rebus Friderici, unà cum excommunicatione, abſque Imperio ab Italia profugi. B De rebus verò Urbanis iſta ex epiſtola (a) ſuperiori.

a *Cod. Vat. l. 2. ep. 61.*

LXII. Antipapa vacillat.

Hæreſiarcha Cremenſis, *nempè Paſchalis Antipapa*, Romæ eſt apud ſanctum Petrum, ubi eum Romani morari patiuntur, inito commercio de reddendis captivis ſuis, ſi tamen (ut ajunt) recedere non pateretur. Epiſcopus Albanenſis domini Papæ vices agit in Urbe. Etſi Lombardi Papiam ceperint: ſpes eſt, Guidonem Cremenſem captum iri: & quòd non modò Romani omnes, ſed & Tuſcia tota ſchiſmaticos impugnabit. Adhùc autem incertum eſt, an dominus Papa Lombardorum velit audire preces, ſe transferendo ad illos, C creditur tamen. Proſperatur autem adhùc Beneventi, ubi Nuntii Regis Angliæ, & Nuntii domini Cantuarienſis in ipſius præſentia convenerunt. Et quidem utrique benignè & honorificè recepti ſunt. Sed regalium Nuntiorum ſicut juſtitia minor, ſic pompa & oſtentatio divitiarum major. Cùm autem dominum Papam blanditiis & promiſſis deiicere non prævalerent: ad minas converſi ſunt, mentientes, quòd Rex eorum Norandini citiùs ſequeretur errores (*erat iſte Princeps Mahometanorum*) & profanæ religionis iniret conſortium, D quàm in Eccleſia Cantuarienſi Thomam pateretur diutiùs epiſcopari. At vir Dei nec terrore concuti, nec ſeduci potuit blandimentis; eiſque duas proponens vias, alteram vitæ, alteram mortis: reſpondit, eos (ut cœperant) facilè poſſe, contempta gratia & patientia Dei, pereuntium præeligere viam; ſed ſe, Domino propitiante, non receſſurum à via recta. Detonuit ergò in brevi ſpes eorum, & videntes ſe hac via contra juſtitiam non poſſe proficere: miſerunt in Siciliam Nuntios & litteras Regia ſui, quibus muniti venerant, ut ope Siculi Regis & Reginæ poſſent aliquid à domino E Papa adversùs Eccleſiam impetrare. Sed Chriſtianiſſimus Rex Francorum præſagiens hanc verſutiam malignantium, Panormitano Electo cauſam Eccleſiæ & domini Cantuarienſis commendavit ut propriam. Quis alterutrius legationis profectus ſit, hactenùs ignoratur.

Quid Legati Angliæ Regis Romæ.

LXIII.

Supervenerunt interim nuntii Legatorum, quos Rex Angliæ impetraverat, minimè curantes. Nam quidquid cecinerat alius, alius in Curia decantabat. Sed nec de iſtis certum eſt, quid ſint ad dominos ſuos relaturi. Supplicatum eſt ergò ex parte A Regis & Legatorum, adhibitis multis interceſſoribus, domino Papæ pro Epiſcopo Sareſberienſe. Et tandem obtentum eſt, ut ei ſummus Pontifex ſuam remitteret injuriam & offenſam, & domino Cantuarienſi ſcriberet, rogans, & conſulens, ut ei dimitteret injuriam ſuam, & ipſum à ſuſpenſionis ſententia relaxans, in gratiam reciperet, & amorem, ſi tamen ei in propria perſona de ſatisfactione ſufficientem præſtiterit cautionem, aut duos de majoribus clericis Eccleſiæ ſuæ, excepto Decano, tranſmiſerit, qui jurent, quoniam Epiſcopus eis mandavit hoc præſtare juramen-B tum, quo ipſius Epiſcopi nomine & vice jurabunt, quòd Archiepiſcopo de injuria & contumacia ſatisfaciet. Ex quo probabiliter colligi poteſt, quòd dominus Papa ſententiam Legatorum, qua jam dictum Epiſcopum abſolverant, aut ignoravit, aut ratam habendam eſſe non credidit. Obtinuerat autem idem Epiſcopus anteà (b) litteras ferè conſimiles, quæ tamen ipſum & & ſuos non onerabant aliquo juramento, ſed eis nondum uſus eſt, vel quia Regi diſplicuerunt, vel quia minoris efficaciæ reputatæ ſunt. Quem verò calculum reportaturi ſint alterutri, neſciebatur adhùc, quan-C do reverſus eſt prædictarum portitor litterarum. Sed dominus Papa reſcripſit Chriſtianiſſimo Regi, ſe Eccleſiæ Dei & ſuo Cantuarienſi non defuturum, quamdiu partem ejus, juſtitia comite, poterit ſublevare. Nunc ad Regum noſtrorum colloquia tranſeamus &c.] ut ſuprà deſcripta ſunt hoc eodem anno. Quibus intelligas, eodem quo illa, iſta tempore, anno, & menſe eſſe geſta, quo ab eodem auctore eædem ſcriptæ ſunt litteræ.

De cauſa Sareſberienſis Epiſc.

b *Ib. ep. 7.*

LXIV.

Rursùm verò in noviſſima de his data hoc anno epiſtola hæc habet de rebus Urbanis idem Joannes Sareſberienſis, ſcri-D bens ad Archidiaconum (c) Exonienſem: Quia de ſtatu publico Eccleſiæ & regni pariter ſollicitamur: utraque tibi ſuccincta brevitate perſtringo. In primis ergò noveris, quòd hæreſiarcha Cremenſis & crematus clauſus eſt in turre Stephani Thebaldi; nec audet egredi, timetque uſque ad mortem innovationem Senatorum, qui in Kalendis Novembris Urbis regimen accepturi ſunt. Nam præſentis anni Senatores, ut captivos ſuos de carcere Imperatoris eriperent, Guidonem Cremenſem receperunt apud ſanctum Petrum in Re-E gione trans Tiberim, ei juratoria cautione ſecuritatem præſtantes. Romam verò ei numquam ſubiicere poterunt, & (ut opinor) nec voluerunt. Novi verò Senatores domino Alexandro facient fidelitatem, & (ut creditur) auctore Deo, ſchiſmati finem dabunt. Hoc enim diutiùs tractatum eſt, & multis firmatum juramentis.] Hæc ibi de rebus Urbanis. At rursùm de Papa in alia epiſtola hoc eodem anno data ad Epiſcopum Pictavienſem: (d) Dominus Papa receptis Nuntiis, qui Conſtantinopolim profecti fuerant, cum muneribus & honore, & ſimiliter Legatis Regis Siculi, proſpe-

c *Ib. ep. 105.*

Mutatione Senatorum deprimitur Antipapa.

d *Cod. Vat. l. 2. ep. 26.*

Legatio à Manuele &

Imp. ad Alex. Pap.

A proſperatur in viis Domini, moram faciens Beneventi :] Hactenùs epiſtolaris hiſtoria de rebus anni hujus.

LXV. Alexãdria civitas ædificata nomine Alexan. Papæ.

Quid præterea Longobardi, pulſo Friderico, ad gloriam Alexandri Catholicæ Eccleſiæ orthodoxi Pontificis operati ſint in rebus geſtis ejuſdem Papæ ita deſcribitur: Anno igitur Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo ſexageſimooctavo, ipſis Kalendis Maii, Pontificatus domini Alexandri anno nono, Cremonenſes cum Mediolanenſibus & Placentinis in manu valida pariter convenerunt contra rebellionem Papienſium & Marchionis Montisferrati, ad villam quæ dicitur Rovereta, B ubi ad honorem Dei & beati Petri, & totius Lombardiæ, conſtruendæ civitatis ambitum deſignarunt, & locum ipſum ſpacioſo foſſato clauſerunt. Convenerunt ergò ad habitandum illic cum familiis & omnibus bonis ſuis univerſi, qui morabantur in circumpoſitis villis, videlicèt, in Marengo, Garundio, Foro, Bergalis, Sivilla, & Sebaſtia, & repentè facta eſt civitas magna & fortis. Ut autem glorioſior ubique haberetur, atque famoſior: placuit omnibus, ut ipſa civitas pro reverentia beati Petri & Papæ Alexandri, in perpetuum nominaretur Alexandria. C Eſt autem poſita civitas iſta in terra amœna & fertiliſſima, ſecus ſtratam publicam, munita undique tribus fluviis, & abundans bonis plurimis. Et in primo quidem anno habitatores ejus inter milites, equites, & pedites bellicoſos uſque ad quindecim millia excreviſſe aſſerebantur. In ſequenti quoque anno ejuſdem civitatis, Conſules ipſius civitatis ad præſentiam domini Alexandri Pontificis venerunt Beneventum, offerentes ei, & per eum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ipſam civitatem in jus & proprietatem, eamque tributariam beato Petro ſpontè fecerunt. D Inſuper ipſi & ſucceſſoribus ſuis, quæ juraverant, ea annis ſingulis Conſulatus & populus Alexandrinus ſpoponderunt, quod innovare deberent. Quibus ſic peractis, Conſules ipſi cum gratia & exultatione, ac benedictione ipſius Pontificis ad propria, auctore Domino, redierunt.] Hæc de his ibi. Quæ quidem hactenus numquam facta memini me legiſſe, ut in honorem cujuſpiam quamvis laudatiſſimi Romani Pontificis civitas conderetur ab exteris, ejuſque nomine vocaretur. Ita quidam uſitato more, ut vexationibus magis vireſcat Eccleſia, & depreſſionibus E exaltetur. Ut de Friderico illud Davidicum omnium ore verſetur: (a) Peccator videbit & iraſcetur, dentibus ſuis fremet & tabeſcet, deſiderium peccatorum peribit,] quod conceperat potiundæ Italiæ, quam jam è manu ejus effluxiſſe vidiſſet.

a Pſ. 111.

LXVI. Legationes Regis Angl. & S. Thomæ ad Alex. Pap.

Ad poſtremum verò in fine anni hujus præter alios anteà hoc anno Miſſos, Angliæ Rex ad Alexandrum Papam duos Nuntios ſeorſum miſit, nempè Reginaldum & Joannem Decanum Sareſberienſes; ſed & eodem tempore ipſe Thomas Romam A miſit Nuntios ſuos Alexandrum & Joannem, ad quos ſcribens, monuit de perfidia Reginaldi Nuntii Regis Angliæ, dicens: (b) Contra adverſarios noſtros cautelam & continuam vigilantiam habeatis, & præcipuè adversùs illum ſpiritum, fornicarium, & Eccleſiaſticæ pacis inimicum, ſacerdotis filium Reginaldum de Sareſberia, qui perſonam noſtram, in quantum poteſt, diffamat ubique & deturpat, dicens, nos proditores eſſe, & ſibi fidem noſtram dediſſe, quòd patrem ejus non læderemus in aliquo.] Et paulò pòſt: Dicit etiam, quòd ſi dominus Papa decederet, faceret nos deleri B de libro vitæ, jactitans, Curiam Romanam ita venalem eſſe, ut intervenientibus muneribus, quidquid velit, poſſit impetrare. Suggeſſit etiam Regi Anglorum hujuſmodi petitiones facere domino Papæ, ut alicui Epiſcopo in Anglia committeret auctoritatem coronandi filium ipſius Regis, & conſecrandi Epiſcopos, ut vel ſic dominum Papam deciperet. Cui cùm reſpondiſſet Rex, ſe ut credebat, à domino Papa petitiones illas non poſſe impetrare: reſpondit Reginaldus: Dominus Papa ut ſtolidus & fatuus aget, ſi petitionibus tuis ſatisfecerit.] Hæc de Nuntio Regis. C Ex his videas, Lector, quale genus hominum detrahere & obloqui ſoleat Romanæ Eccleſiæ Pontificibus. Alterum verò Nuntiorum, Joannem Decanum Sareſberiæ iſto nequiorem fuiſſe, quæ de eo ſunt dicta, ſuperiùs docent. Quænam autem eſſent ejuſmodi petitiones Regis, & quanta inſtantia eas expoſceret, & quot quantiſque interceſſoribus: dicetur inferiùs ſuo loco. Conſtat inſuper eumdem Regem in fine pariter anni hujus per Legatos ſuos ſollicitaſſe civitates omnes, quæ fœdere junctæ erant Alexandro Pontifici, ingentemque ſparſiſſe in eas pecuniam, Regemque Siciliæ permovandum curaſſe, D & nobiliores Romanorum, ut omnes interceſſores apud Pontificem eſſent, ut contra ſanctum Thomam ſuas obtineret petitiones. Quid autem egerit Alexander, audies anni ſequentis exordio.

b Lib. 3. ep. 66.

LXVII.

Inter hæc autem Rex Francorum, ubi Legati re infecta ex Gallia receſſerunt, reaſſumens collapſum negotium, ſtuduit ad mutuum colloquium congregare Regem Anglorum & ſanctum Thomam, ſe præſente; ſic ſperans poſſe eos ſimul pacis fœdere copulare. Quid eo congreſſu factum ſit, in Quadripartita in fine libri ſecundi E exactè deſcribitur; & quòd iſta deſiderari viderentur in epiſtolis, collector earum, ne his careat epiſtolaris hiſtória, ante ipſas iſta præmittit: Sequentes verò epiſtolæ ſingulæ ſingulis locis ita ſunt manifeſtæ uſque ad exitum totius negotii, quod minus egere videantur hiſtoriali adminiculo, eo excepto, quod factum eſt in colloquio.] De quo iſta in Quadrilogo, ſive Quadripartita ex Hereberto: Dominus autem Rex Francorum videns dominum Papam de pace ſollicitum, tamquàm filius pacis, obediens viro Apoſtolico, operosè & attentè partes

Digitized by Google

Congreſſus Regis Angl. cum S. Thoma coram Rege Franc.

partes ſuas interpoſuit. Unde & ad pleraque colloquia, quæ inter ipſum & Regem Anglorum erat, Archiepiſcopum vocavit, pacis inter eos ſe mediatorem interponens. Inter quæ unum colloquium fuit, in quo ſuggeſtum eſt Regi Angliæ, Archipræſulem Cantuarienſem ſuo ſe arbitrio omninò velle committere, ideòque gratiùs ejus præſentiam ibi acceptabat. Multis igitur utrimq; ad id convenientibus, ad pedes Regis Angliæ procidit dominus Cantuarienſis, dicens: Totam cauſam, unde inter nos orta eſt diſſenſio, tuo committo arbitrio, honore ſalvo Dei. Tali adjectione audita Rex vehementer ſcandalizatus eſt, multis ipſum contumeliis afficiens, multam properans, plurima exprobrans, arguens eum tamquàm ſuperbum & elatum, & regiæ munificentiæ circa ipſum impenſæ immemorem & ingratum.] Subdit Alanus: Et ait Regi Franciæ: Domine mi attende, ſi placet. Quidquid ipſi diſplicuerit, dicet honori Dei eſſe contrarium, & ſic ſua & mea omnia ſibi vendicabit. Sed ne videar honori Dei, vel ſibi in aliquo velle reſiſtere, hæc offero. Multi fuerunt Reges Angliæ ante me, majoris vel minoris auctoritatis quàm ſum ego. Multi fuerunt ante eum Archiepiſcopi Cantuariæ magni & ſancti viri. Quod igitur anteceſſorum ſuorum major & ſanctior fecit anteceſſorum meorum minimo: hoc mihi faciat, & quieſco. Acclamabatur undique: Satis Rex ſe humiliat.]

LXVIII. Thomæ & ſuæ cauſæ defenſio.

Hìc mihi dicendum, admiratione me plurimùm affici, primùm quomodò auſus ſit Rex provocare ad exempla majorum prædeceſſorum, videlicèt Cantuarienſium Archiepiſcoporum, quorum pleroſque conſtaret magnoperè reſtitiſſe Regibus, libertatem Eccleſiaſticam violantibus, eaque de cauſa plurium annorum eſſe paſſos exilia & proſcriptiones. Inter quos ſanctus Anſelmus, & poſteà Lanfrancus, qui vixit ſub avo ipſius Henrici Regis, quanta ea de cauſa paſſi fuerint, Tomus ſuperior abundè ſatis oſtendit. Pergit verò Alanus in Quadripartita:

Dumque Archiepiſcopus aliquantulùm ſubticuiſſet, Rex Franciæ adjecit: Domine Archiepiſcope vis major eſſe ſanctis viris, an melior Petro? Quid dubitas? Ecce pax pro foribus. Ad hæc Archiepiſcopus: Verum eſt, ait: Anteceſſores noſtri multò meliores me fuerunt & majores, ſinguli autem ſuis temporibus, etſi non omnia adversùs Dominum extollentia, quædam reſecuerunt. Nam ſi omnia radicitùs tunc extirpaſſent: quis nunc adversùm nos ignem tentationis hujuſmodi excitaret? Quo cùm illis probati digni inveniamur, & cum illis laudem & gloriam ..... multò melius nobis Deo conſulente actum eſt, ut ſecuri in eorum ſorte, & merito laboraverimus, ita & illorum laboris & præmii ſimus participes. Nec ſi aliquis eorum tepuit, vel exceſſit in aliquo: ejus in hoc torporis vel exceſſus exemplum ſequi tenemur. Petrum enim Chriſtum negantem

A arguimus, ſed Petrum uſque ad capitis ſui periculum Neronis impetum arguentem modis omnibus commendamus. Sanè quia Petrus ei conſentire noluit in eo, quod diſſimulare ſine animæ ſuæ periculo non potuit: idcircò inimicorum victor in carne occubuit, & talibus preſſuris Catholica ſurrexit & crevit Eccleſia. Patres noſtri paſſi ſunt, quia noluerunt nomen Chriſti ſubiicere: & ego, ut hominis mihi gratia reſtituatur, Chriſti honorem deberem ſupprimere? Abſit, ait, abſit. Inſurrexerunt itaque magnates utriuſque regni in eum, imputantes arrogantiæ Archiepiſcopi impedimentum pacis: B uno inter alios Comite palàm proteſtante, quia Archiepiſcopus utriuſque regni conſilio & voluntati reſiſtit, de cætero neutrius erat dignus auxilio, ſed ejectum ab Anglia non recipiat Francia.] Addit Herebertus:

LXIX.

Soluto igitur colloquio, non ſine multorum murmure reditur ad propria, coexulibus Archiepiſcopi in ſumma deſperatione poſitis, & Reges quidem feſtinantiſſimè in equis (mox quippè diremerant colloquium) receſſerunt, nec ſalutantes, nec ab Archiepiſcopo ſalutati. Quin potiùs Rex Anglorum adhùc in receſſu, etſi non in faC cie, à conviciis Archipræſulis non ceſſavit, inſultando, & dicens inter alia, quòd ea die de ſuo ſe ultus fuiſſet proditore. Pariter & Aulici, qui pacis mediatores extiterant, in receſſu multa etiam in faciem Archipræſuli objecerunt, quòd videlicèt fuiſſet ſemper ſuperbus, elatus, ſapiens in oculis ſuis, propriæ ſemper ſectator voluntatis & ſententiæ; adiicientes, grande fuiſſe hoc malum & enorme Eccleſiæ damnum & periculum, quòd ipſe rector Eccleſiæ conſtitutus fuiſſet, & quòd per ipſum ex parte jam deſtructa, penitùs citò deſtrueretur Eccleſia. Sed Archipræſul ponens ori D ſuo cuſtodiam, cùm conſiſterent peccatores adversùs eum, factus eſt ad exprobrantes & inſultantes ſibi quaſi non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones, niſi quòd unì, de Eccleſiæ deſtructione exprobranti & inſultanti ſibi quaſi non audiens, & humiliter quidem & manſuetè reſpondit: Frater, inquiens, cave ne deſtruatur Eccleſia Dei per te: per me, favente Domino, non deſtruetur. Et hic erat Ioannes natione Anglus, Epiſcopus tunc Pictavienſis, Archiepiſcopo ex diuturna converſatione & ſocietate familiaris admodùm charus & acceptus. Ab aliis verò conviciatus, non E reconviciabatur, illius profectò diſcipulus, (a) qui cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur. Sic igitur receſſit à colloquio nunc in Francia, ſicut priùs in Anglia apud Northantunam, factus opprobrium abundantibus, & deſpectio ſuperbis. Et recedens ſic cum ſuis, dominum Regem Francorum ſequebatur, cujus erant præparata hoſpitia in caſtro, quod Mons mirabilis dicitur. Erat & Archiepiſcopus in caſtro hoc pariter hoſpitatus cum Rege, ipſo ſemper per Aulicos abundanter ei viaticum miniſtrante, Rex

Quæ in S. Thomam jactata à diverſis.

a 1. Petr. 2.

Rex Fräc. animo alienatus à S.Thoma,

A te. Rex autem tunc non declinavit, quemadmodùm in aliis colloquiis conſueverat, ut Archipræſulem in hoſpitio ſuo videret. Unde & mox conjiciebatur, cor Regis non ita cum Archiepiſcopo eſſe, ſicut heri & nudiuſtertius. Nihilominùs tamen Archiepiſcopus hilarem & jucundum ſe exhibuit, nec deprehendi potuit vultus ejus in diverſa mutatus ob hoc. In quo adverti poteſt magni viri conſtantia, fortitudo animi invincibilis, qui mundo jam ſibi contrario, nullam vel etiam modicam turbationem ex hia vel ſolliciti oſtendit ſpeciem.

LXX. B In craſtino à præfato caſtro recedens, & ea die Carnotum veniens, plerique (ut mos eſt) populi occurrerunt, ut tranſeuntes viderent, & quærebant quis eſſet qui tranſiret. Et cùm cognoviſſent, quòd Archipræſul hic eſſet Cantuarienſis: ipſum mox digito notarunt, aliis, qui ignorabant, indicantes, & dicentes invicem, murmurando tamen: Ecce Archipræſul ille, qui in heſterno colloquio Dominum propter Reges negare noluit, nec Dei honorem ſubiicere. Poſteà etiam ſæpiſſimè, cùm iter per Franciam faceret, multi in populo eadem de eo prædicarunt. A Carnoto verò recedens, quanto cyùs potuit, Senonas C venit.] Additque iſta compilator epiſtolarum. Trea igitur diætas cum Regis Franciæ comitatu ita tranſiit, ut nec ad eum Rex, vel aliquis ex ſua parte acceſſit, & cùm in talibus negotiis dominus Cantuarienſis ſolitus ſuit à regia liberalitate procurari: poſt illud colloquium, & per id quod diximus ſpacium exinde nihil omninò ſuit exhibitum. Aliquando tranſeundo Senonenſis Archiepiſcopus, aliquando Pictavienſis Epiſcopus, vel aliquis alius frater ejus miſeria afflictus, erga eum ſe habuit ut mendicum. Quod plurimùm ſuos perterruit, quaſi jam omni humano auxilio deſtitutos.

S. Thomas ad extremam redacta paupertatem.

LXXI. D Tertio verò die peracto illius itineris, dum ſedentes in hoſpitio ſuper his confabularentur ad invicem, & ſecum quærerent, quò poſſent divertere: dominus Cantuarienſis jucundo vultu, quaſi nihil adverſitatis habens, & ad omnes fortunæ impetus immutabilis, moderato riſu condolentibus alludit, dicens: Solus, *ait*, impetor, & me cedente, non erit qui vos perſequatur acriùs, &c. Confortamini igitur & nolite expaveſcere. Cui inquiunt, miſeremur tui magis, dum neſcimus quò poſſis divertere, vir tantæ auctoritatis à E ſummis & ultimis derelictus amicis. Deo (inquit Cantuarienſis) noſtri curam committimus. Et ex quo utriuſque regni nobis præcluditur aditus; nec ad Romanos latrones conſolationis gratia quis conſulit nos revertere, qui miſerorum ſpolia ſine delectu diripiunt.] Idcircò id de Romanis Thomas, quòd ſederet ibi in baſilica ſancti Petri Antipapa Guido Cremenſis, pro cujus factione anni hujus Senatores (ut vidimus) laborabant, & ad quem alendum prædæ diverſorum conferebantur.] Pergit auctor: Alia eſt nobis via procedendum. Audivimus ſiquidem circa Ararim fluvium Burgundiæ atque ad partes Provinciæ liberaliores eſſe homines. Ad hos ego & vos mecum pedites ibimus, qui viſa afflictione noſtra, fortaſsè noſtri miſerebuntur, victualia miniſtrantes ad tempus, donec nos Dominus viſitaverit. Potens eſt Deus & in ultimo miſeriæ calculo ſuis adeſſe. Infidelis deterior eſt, qui de Dei deſperat miſericordia.

S. Thomæ in adverſis conſtantia.

LXXII. Et ſtatim affuit pro foribus Dei miſericordia. Accurrit enim quidem ſerviens Regi Franciæ, qui diceret: Dominus Rex vos ad Curiam vocat. At hæc aiu unus eorum: Ut eiiciamur è regno: Non es Propheta (inquit Cantuarienſis) neque filius Prophetæ: noli vaticinari ſiniſtra. Venientes ergò, invenerunt dominum Regem cum triſti vultu ſedentem, & non aſſurgentem pro ſolito domino Cantuarienſi. Quod factum eſt in principio triſte præſagium. Conſidentibus illis adhùc tepidè vocatis, diutiùs facto ſilentio: Rex inclinato capite, quaſi dolens & invitus cogitaret, ut eos de regno eiiceret, & illis id ipſum timentibus: obortis lacrymis, proſiliens cum ſingultu; projecit ſe ad pedes domini Cantuarienſis, obſtupentibus iis qui aderant. Et domino Cantuarienſi ſe inclinante ad erigendum Regem: vix tandem ad ſe reverſus Rex præ anguſtia: Verè, ait, domine mi Pater, tu ſolus vidiſti. Et ſuſpiria præ mœrore congeminante: Verè, ait Pater, tu ſolus vidi. Nos enim cæci fuimus, qui contra Dominum dedimus tibi conſilium, ut in cauſa tua, immò Dei, ad nutum hominis honorem Dei remitteres: penitet nos Pater & graviter penitet. Ignoſce rogo, & ab hac culpa me miſerum abſolve. Sed & Deo & tibi me ipſum & regnum meum expono, & ab hac hora promitto, quòd tibi vel tuis non deero, quamdiu, Deo auctore, vixero. Rege itaque abſoluto, dataque ei benedictione, dominus Cantuarienſis Senonas regreſſus eſt cum ſuis in gaudio, ubi Rex Franciæ victum regaliter exhibuit uſque ad reditum in Angliam.

Regis Francorum humilis pœnitentia.

LXXIII. Quo audito, Rex Angliæ Regi Franciæ demandat, ſe mirari plurimùm, quomodò vel qua ratione de jure poſſet contra eum fovere Cantuarienſem, cùm in ipſius Regis præſentia Rex Angliæ ita ſe humiliaret, ad omnem paratus juſtitiam, nec per ipſum ſteterit, quò minus Cantuarienſis pacem haberet, quam ipſe arroganter & contumelioſè rejecit. Quocircà, ait, Regem Franciæ tali de cætero in regno ſuo non debere præſtare ſubſidium in ſui fidelis ignominiam & ruborem. Ad hæc Rex Franciæ: Ite, inquit, Nuntii, Regi veſtro nuntiantes: Quia ſi Rex Angliæ avitas quas vocat conſuetudines, licèt minus (ut ajunt) legi divinæ congruas, tamen ut ad Regiam dignitatem ſpectantes, non ſuſtinet abrogari: multò minus mihi licet jus illius liberalitatis ſubvertere, quod cum corona regni mihi jure competit hæreditario.

Regis Francorum ſcita reſponſio ad Regem Angl.

Digitized by Google

rio. Conſuevit ſiquidem Francia ab antiqois temporibus omnes miſeros & afflictos, & maximè pro juſtitia exulantes recipere, & donec pacem habuerint, fovere, tueri, & defendere. Cujus honoris & excellentiæ gratia, Deo propitio, me vivente, ad nullius perſonæ ſuggeſtionem Cantuarienſi exuli derogabitur.] Hactenùs de colloquio Regis Francorum cum Nuntiis Regis Angliæ, quod aureis exarandum notis, ſapiens quiſque dixerit.

LXXIV. Finem verò jam rebus geſtis anni hujus impoſituri, conveniamus Romanum Pontificem in fine anni hujus Benevento recedentem. Urgens ſanè cauſa fuit, ut Alexander Papa Benevento recedens, & Romam verſus veniens, ſubſiſteret in Tuſculano, quam civitatem Romanis adverſam ſtuduit ſuam facere, pactia conventis cum Comite Tuſculano. Quomodò autem iſta tranſacta ſint, rem geſtam ſic narrat Romualdus Archiepiſcopus Salernitanus: Poſt hæc Alexander Papa in Campaniam rediit, & rogante Jonatha domino Tuſculani, & ejuſdem loci civibus, civitatem Tuſculanam in ſuam protectionem recepit, & ad illam cum Cardinalibus & tota Curia ſua pertexit, & prænominato Jonathæ contracambium pro eadem civitate tribuit.

Tuſculum recipit Alex. Pap.

A Quod factum Romanis multùm diſplicuit. Recolentes enim damna & injurias, & mortes ſuorum civium, qoas Tuſculani cum * Rainaldo Imperatoris Cancellario eis intulerant, indignati ſunt plurimùm & turbati, quòd Alexander Papa Tuſculanam civitatem, quam ipſi deſtruere nitebantur, in ſuam protectionem receperat. Et ob hoc inter eos & prædictum Papam guerra maxima eſt exorta. Quæ cùm aliquanto tempore perduraſſet, Romani ut potè callidi & doloſi, benignitatem Alexandri Papæ circumvenientes, promiſerunt, quòd eum tamquam patrem & do-

B minum in Urbem reciperent, & mandatis ſuis libenter obedirent, ſi prædictæ civitatis muros deſtrui pateretur. Alexander autem Papa eorum promiſſionibus & verbis fidem adhibens, muros prædictæ civitatis paſſus eſt dirui. Quo facto, Romani voto ſuo potiti, quod Papæ promiſerant, adimplere noluerunt. Papa verò à Romanis ſe circumventum, plurimùm condolens, turrim Tuſculanorum foſſis & muris circumvallari fecit, & relicta ibi militum, ac peditum competenti cuſtodia, Anagniam rediit, & ibi eſt multo tempore

C dimoratus.] Hucoſque Romualdus hoc anno, in fine ipſius.

* Reginaldo

Tuſculana mœnia diruta.

I. SEquitur milleſimus centeſimus ſexageſimus nonus annus Chriſti, Indictione ſecunda, quo Alexander Papa penitùs recuſans aſſentiri petitionibus Regis Angliæ, poſtrema legatione ingeſtis, conſtanter perſeverans, ut in ſuam S. Thomam reſtitueret Eccleſiam: novam decer-

D nit ad eumdem Anglorum Regem pro eodem S. Thoma reſtituendo legationem. De qua dicturus, primum omnium opus eſt, ut quæ Rex petierit ab eodem Pontifice, in medium afferamus. Erant autem duæ illæ præcipuæ petitiones, nimirùm ut S. Thomas à Galliis dimoveretur, vocareturque Romam ab ipſo Papa, atque ab eodem transferretur in aliam Eccleſiam. Quinam autem fuerint ipſius Regis conatus, & quæ impenſæ, ut id ab ipſo Alexandro Pontifice obtinere poſſet, ſecretæ (a) litteræ ad eum redditæ docent, quibus iſta ſignificantur:

a Cod. Vat. l. 3. ep. 79.

E Quod Deo propitiante, jam in eum calculum Chriſti & Eccleſiæ ſuæ cauſa perducta eſt, ut de cætero periclitari non poſſit, eò quòd ſchiſmatis capita defecerunt, & Anglicanæ Eccleſiæ malleus comprehenſus in operibus ſuis, de cætero cui innitatur, invenire non valet. Ventum erat ad ſummum, ubi conſtat habitudines periculoſas eſſe, cùm ille, qui ſollicitando tàm Curiam, quàm ſchiſmaticos, Fridericum videlicèt, & complices ſuos, videns ſe hac via non poſſe proficere adversùs dominum & adversùs chriſtum ejus, tranſmiſſa legatione, confugit ad Italiæ civitates, promittens Mediolanenſibus tria millia marcharum ad murorum ſuorum validiſſimam reparationem, ut cum aliis civitatibus, quas corrumpere moliebatur, impetrarent à Papa & Eccleſia Romana dejectionem, vel tranſlationem Cantuarienſis Archiepiſcopi. Nam ob eamdem cauſam Cremonenſibus duo millia marcharum promiſerat, Parmenſibus mille, & totidem Bononienſibus. Domino verò Papæ obtulit, quòd data pecunia liberaret eum ab exactionibus omnium Romanorum, & decem millia marcharum adiiceret: concedens etiam, ut tàm in Eccleſia Cantuarienſi, quàm in aliis vacantibus in Anglia paſtores ordinaret ad libitum. Sed quia fidem multa promiſſa levabant, & in precibus manifeſta convincebatur iniquitas: repulſam paſſus eſt. At quod per ſe impetrare non poterat, Regis Siculi viribus conatus eſt extorquere. Sed nec ille, licèt ad hoc toto niſu Syracuſanus Epiſcopus, & Robertus Comes de Baſſavilla, multiplicatis interceſſoribus laboraverunt, exauditus eſt pro ſua reverentia, vel potentia, vel gratia, quamvis eam in Eccleſia Romana plurimam habeat. Dimiſſi ſunt ergò Nuntii Regis impotes voti hoc ſolùm impetrato, ut dominus Papa mitteret Nuntios, qui pacem procurarent, Gratianum ſcilicèt ſubdiaconum, & magiſtrum Vivianum urbis veteris Archidiaconum, qui munere advocationis fungi ſolet in Curia.] Hæc & alia

Novi & obſtinati conatus Regis Angliæ contra S. Th.

alia ſecreta inſinuatione: nam abſque nominum espreſſione habet inſcriptio tantum iſta, Amicus Amico.]

II. Hæc cùm reſciſſet ſanctus Thomas, & quòd ob eam cauſam Romam vocandus eſſet ab ipſo Alexandro Pontifice, mirum in modum perturbatus eſt: ſcribenſque epiſtolam (a) ad Humbaldum Cardinalem Epiſcopum Oſtienſem, poſt multas querelas bæ de bis habet: Quia legem Dei transferre nolumus, ut ei ſuccedat iniquitas tyrannorum; quærit, ut nos citra neceſſitatem, præter utilitatem, contra auctoritatem ad aliam Eccleſiam transferamur. Quia verò vocantem ad iniquitatis conſortium ſequi nolumus: petit nos evocari à vobis, ut in tranſitu poſſit noſtri ſanguinis cum iniquitatis ſuæ conſortibus qualecumque exercere commercium. Quid enim aliud ſibi vult, quòd Mediolanenſes, Cremonenſes, & Parmenſes in exterminium noſtrum mercede corruptos ſollicitat? Quid Papienſibus, aut aliis Italiæ civitatibus nocuimus umquam, ut noſtrum exilium procurarent? In quo læſimus ſapienter Bononiæ, qui ſollicitari precibus & promiſſis, pernicici cauſæ noſtræ; quam audierant, voluerunt dare conſenſum? Certè nos Robertum de Baſſavilla non proſcripieramus, & tamen ſollicitationibus inductus eſt, ut noſtram apud vos procuraret proſcriptionem. Dolo tamen poſteà cognito, pœnitentia ductus rogavit, ne ipſius injuſta petitio audiretur. Richardus Syracuſanus *Epiſcopus* electus, corruptus accepta ſpe Lincolnienſis Epiſcopatus, perſecutores noſtros juvit opibus, armavit conſilio, viribus roboravit. Nam & ipſi Regi Siculo, intra cujus fines modò conſiſtitis, ut eum caperent in perniciem Eccleſiæ & noſtram, filiam Regis Angliæ copulandam in matrimonium promiſerunt.

a Cod. Vat. l. 3. ep. 78.

Tentatæ cõtra Thomã à Rege civitates, & Regna.

III. Nonnè Frangentes panem, & familiam Leoninam, & gentem Latronum, & alios Romanos potentiſſimos, quaſi conductitios adduxerunt, ut non tàm flecterent, quàm frangerent Eccleſiam Romanam? Sed & pacem Imperatoris & Saxonum repromittunt: & quòd omnes Romanos data pecunia inducent, ut faciant fidelitatem domino Papæ, dummodò in noſtra dejectione Regis Angliæ ſatisfaciat volontati. Patet quàm ſecurum tranſitum, quàm jucundum commeatum nobis diligentia hominis præparabat. Profectò non ſatis curabat, unde ſatisfieret creditoribus veſtris, unde ſociis, ſi quis tamen inveniri poſſet, ad procinctum itineris neceſſaria miniſtrarentur, unde ſumptus itineris procederent, & ſolatia proſcriptæ multitudinis, quæ poſt quinquenne exilium egens & afflicta erat in tantis calamitatibus deferenda. Eadem ſanè diligentia procurantium hæc (quoniam Regis nomen in hanc ſuſpicionem deducendum eſſe non credimus) poterant hoſpitum utenſilia toxicari: & difficile eſt, vitam ſervare incolumem, cui inſidiatur is, qui jus habet in familiam totam. Et ne in hac parte ſchedula protrahatur, & verba: quoad vita comes fuerit, nos pro nulla umquam vocatione, tot & tantis periculis ingeremus. Nam ſi quis ex quacumque cauſa mortem non detrectat: vitam faciliùs poterit ferro, vel laqueo terminare.] Poſt hæc autem pergit referre ea, quæ in fine anni ſuperioris ſunt enarrata, de ſtudio Regis Angliæ, ut à Regis Francorum protectione divelleret ſanctum Thomam: quæ ex ejus ore præſtat audire; ait enim:

Studium Regis Hẽrici, ut pellat ſede S. Tho.

IV. Nuper autem miſit idem Rex *Angliæ* Nuntios ſuos, Epiſcopum videlicèt Sagienſem, & G. Cantuarienſem Archidiaconum ad Chriſtianiſſimum Regem, ſollicitans eum precibus, ut nos eiiceret de terra ſua. Sed vir Deo plenus reſpondit, ſe hoc jus hæreditarium ab anteceſſoribus contraxiſſe, & ſemper fuiſſe conſuetudinis regni Francorum, ut ómnes pro juſtitia exulantes benignè recipiat, & eis debita humanitatis ſolatia impendat. Et dixit ſe numquam tàm laudabilem hæreditatem, & Deo gratam ex cauſa qualibet deſerturum. Adjecit etiam, quòd nos receperat de manu domini Papæ, quem ſolùm in terris habet dominum. Et ideò nec pro Imperatore, nec pro Rege, nec pro aliqua mundi poteſtate dimiſſurum, quin foveat nos & cauſam noſtram, quamdiu neceſſe fuerit, quoniam Deus nobiſcum eſt, & pro tuenda lege ipſius tot injurias & damna ſuſtinemus. Hoc reſponſo Legatos confuſos dimiſit, & nobis (quod ei Deus retribuat) ſolito benignior & liberalior eſt, licèt benignus & liberalis ſemper extiterit. Dicit autem ſe probaturum in cauſa noſtra ſinceritatem & vigorem Eccleſiæ Romanæ, & virtutem domini Papæ, cujus fidem & conſtantiam in eo commendat plurimùm, quòd Regem Angliæ in petitionibus injuſtis ab eo gaudet eſſe repulſum &c.] Hæc de Rege Francorum S. Thomas, cubitalibus, iiſdemque aureis omninò litteris digna.

Regum Fran. hæreditaria virtus inſignis.

V. At fides cum conſtantia Alexandri Papæ qualis ſemper cognita eſt pro juſtitia & veritate perſtans immobilis, talis in poſterum uſque ad finem perſeveravit incorrupta: quam tamen manſuetudo cum patientia temperabat, ut nihil relinqueret intentatum, antequàm excommunicatione Regem percelleret, & regnum ſubiiceret interdicto. Delegit ergò viros præſtantiſſimos, integerrimos, atque doctrina præſtantes, quos audiſti, Gratianum videlicèt (b) nepotem Eugenii Pontificis laudatiſſimi (id enim epiſtola Joannis (c) Saresberienſis ad Pictavienſem Epiſcopum habet) & Vivianum advocatione Romanæ Eccleſiæ benè adminiſtrata conſpicuum. Quænam autem eiſdem fuerint ab Alexandro commiſſa, ita in amici relatione ſecreta ſuperiùs reciiata, in fine deſcribitur: Eos tamen Nuntios præſcripta forma pacis, ſacramenti religione Papa aſtrinxit, quòd præfinitos terminos non excederent: mandatis quoque adiiciens, ut à Regis ſumptibus continerent, niſi pace Eccleſiæ im-

Ab Alex. Pap. duo Nuntii reſignati ad Reg Angl.

b Cod. Vat. lib 3. ep. 12.
c lb. ep. 78.

Quæ commiſſa à Papa Nũtiis.

A petrata. Et ne ultra diem, qui eis præſtitutus eſt, aliquam facerent moram. Forma ſutem pacis, quæ Atchiepiſcopo expreſſa eſt, oihil inhoneſtum continet, vel quod Eccleſiam dedeceat, aut perſonam, nec quod auctoritatem ejus in aliquo minuat, quin liberè, omni occaſione & appellatione ceſſante, in ipſum Regem, & regnum, & perſonaa regni ſeveritatem Eccleſiaſticam valeat eaercere, prout ſibi & Eccleſiæ Dei expedite cognoverit, conſilio tamen amicorum virorumque ſapientum. Ut dum pacis verba tractantur, mitiùs agat, multa diſſimulet. Poſteà ſi (quod abſit) non proceſſerit, graviùs quaſi reſumptis vitibus, perſecutores Eccleſiæ proſtraturus inſurgat.] Hæc ibi de his, B quæ ab Aleaandro Papa credita ſunt Legatis, quibus has litteras ad ſanctum Thomam idem Pontifca dedit (a)

a *Ibid. ep.* 1.

VI. Illuſtris Regis Anglorum Nuntios & litteras accepimus. Et cùm à nobis per eoſdem Nuntios quædam magna & difficilia poſtulaſſet, & ſuper iis obtinendis apud nos Nuntii ejus vehementer & fortiter inſtitiſſent: animum noſtrum ad voluntatem ſuam nequaquàm flectere potuerunt. Sed ne poſſent haberc ullam materiam & occaſionem de noſtra duritia conquetendi; & C quòd ſibi nollemus in aliquo deferre: ſequentes veſtigia & exempla prædeceſſorum noſtrorum, quos ſanctos eſſe non dubitamus, prædictum Regem cum omni benignitate, modeſtia, & manſuetudine à ſuo revocare propoſito, & ejus mitigare animum, & emollire diſpoſuimus duritiam. Inde utique fuit, quòd nos (ſicut de conſilio & deliberatione fratrum noſtrorum proceſſit) dilectos filios noſtros Gratianum ſubdiaconum & Notarium noſtrum virum honeſtum & litterarum, quem ob memoriam ſanctæ recordationis patris & prædeceſſoris noſtri Eugenii Papæ, & D intuitu ſinceriſſimæ fidei & obſequii ſui charum omnimodis acceptumque tenemus: & magiſtrum Vivianum, quem ob antiquam familiaritatem, prudentiam, & litteraturam ejus ſincero cordis affectu diligimus, ad præfati Regis præſentiam duximus deſtinandos. Per quos, & per litteras noſtras ipſum cum omni ſtudio & ſollicitudine diſtrictiùs quàm poſſumus commonemus, ut tibi pacem & gratiam ſuam reſtituens, te ad Eccleſiam tuam honorificè revocet, & tàm tibi, quàm eidem Eccleſiæ antiqua jura & libertates & honores integrè & illibatè conſervet, & te E & tua cum omni pace & tranquillitate eſſe permittat.

Litteræ Papæ datæ Nũtiis ad S. Thomã.

VII. Quapropter rogamus fraternitatem tuã atque monemus, quatenùs malitiam & anguſtiam temporis diligenter conſiderans & attendens, quomodò majores noſtri tempora redemerunt propter dierum malitiam: ad recuperandam gratiam & amorem ſupradicti Regis, omnibus modis, quantum ſalvo ordine & officio tuo fieri poteſt, elabores, & ejus ſatagas animam mitigare, illam patientiam, manſuetudinem, & benignitatem oſtendens, quod à nullo meritò poſſit dici, per te remanſiſſe, quò minus gratiam & bonam voluntatem illius pleniùs debetes adipiſci. Rogamus præterea prudentiam tuam, monemus, conſulimus, & volumus, ut uſque ad diſceſſum Nuntiorum noſtrorum nec in Regem, nec in perſonas regni, aut regnum aliquam ſententiam proferas; & ſi fortè (quod non credimus) jam protuliſti: ipſam uſque ad tempus illud ſuſpendas. Hoc autem ideò dicimus, ut illi omnem conquerendi occaſionem & materiam tollamus, & ejus duritiam tali modo vincamus. Si enim ſecus (quod abſit) contigerit: nos tibi auctoritatem tuam ſubtrahere nullatenùs volumus, ſed potiùs conſervate, & auxilium & conſilium noſtrum diligenter conferre. Cætera verò in ore Nuntiorum noſtrorum poſuimus, quorum dictis fidem incunctanter adhibeas, & eorum conſiliis & exhortationibus acquieſcas.] Hæc ad ſanctum Thomam Aleaander. Qui per eoſdem Legatos ad Regem ipſum Anglorum iſta ſcripſit: (b)

Suſpenſio ad tempus facta.

b *Ibid. ep.* 3

VIII. Magnificentiæ tuæ litteras, quas nobis per dilectos filios noſtros, primò Reginaldum Saresberienſem, & deinde Randulphum Lavenſem Arcbidiaconos viros providos & diſcretos, & in commiſſo ſibi negotio ſtudioſos atque ſollicitos tranſmiſiſti: paterna benignitate ſuſcepimus, & earum continentiam diligenter curavimus & ſtudioſè audire. Cùm autem excellentiæ tuæ petitiones nobis tàm ex ſerie litterarum, quàm ex Nuntiorum tuorum viva voce pleniùs innotuiſſent, & nos cum fratribus noſtris eaſdem diutiùs deliberaſſemus: non fuit nobis viſum, quòd aliquam earum, juxta quod rogaſti, cum honeſtate noſtra & Eccleſiæ poſſemus effectui mancipare. Verumtamen, ut ſublimitati tuæ in omnibus, quantum cum honore Dei & Eccleſiæ fieri poterit, deferamus, & ne nos potiùs ex voluntate, quàm de neceſſitate credas aliqua ratione feciſſe: dilectos filios noſtros Gratianum ſubdiaconum & Notarium noſtrum, & magiſtrum Vivianum, viros quidem providos & diſcretos, & nobis ac toti Eccleſiæ charos pariter & acceptos ad regiæ celſitudinis præſentiam deſtinavimus, per quos magnificentiæ tuæ voluntatem & animum noſtrum, & talia, quæ ad honorem & exaltationem tuam ſpectabunt, & quæ ſerenitati tuæ meritò placere debebunt, pleniùs ſignificamus.

Litteræ Papæ datæ Nũtiis ad Regem Angl.

IX. Quòd autem (ſicut ex magnificentiæ tuæ litteris intelleximus) in tantum voluntatem tuam & animum tuum circa negotium venerabilis fratris noſtri Thomæ Cãtuarienſis Archiepiſcopi inclinaſti, quòd eum ob reverentiam Eccleſiæ & noſtram permitteres ad propria remeare, & Eccleſiam in pace tenere, dummodò quod tibi debet, impendere velit: gratum admodùm acceptumque tenemus, & divinę clementiæ, quæ hæc cordi tuo proculdubiò inſpiravit: quantas poſſumus laudes & gratias exhi-

exhibemus ; ſerenitatem tuam attentè ro-
gantes, & tibi in deliſtorum tuorum ve-
niam injungentes, quod Deo potiùs quàm
homini præſcripto negotio deſeras, & ad
hoc ſolummodò divinæ pietatis reſpectu
animum tuum inclines. Super eo verò,
quod magnificentiæ tuæ de nobis & noſtræ
voluntatis mutatione ſignificatum fuiſſe
dicebas : non oportet diſcretam pruden-
tiam tuam omni ſpiritui credere, cùm
multi detractores & corroſores exiſtant,
quorum dictis quibuslibet non eſt fides
adhibenda aliquatenùs. Nos autem vo-
luntatem & deſiderium habemus, perſo-
nam tuam ſicut chariſſimi in Chriſto fi-
lii noſtri, toto cordis affectu diligere, nec
eam in aliquo (niſi fortè, quod Deus
avertat, nos ad hoc tu ipſe compelleres)
volumus aggravare. Datum Beneventi
pridie Kalendas Martii.] Ex quo tu exi-
ſtimare poſſis eorumdem Nuntiorum pro-
fectionem. Porrò idem Pontifex eodem ar-
gumento, ſed proliatores dedit ad eun-
dem (a) Regem ſexto Idus Maii, ſeu
Martii, ambigua namque lectio illa eſt.

a Cod. Vat. lib. 3. ep. 2.

X.

Quando autem pervenerint Nuntii iſti
in Gallias, ex litteris Joannis Sareſbe-
rienſis ad Exonienſem Archidiaconum poſ-
ſumus intelligere, qui quomodò ipſe ad-
venientibus illis occurrerit, iſta habet:
(b) Nuper in feſto beatæ Mariæ Magda-
lenæ Vizeliacum profectus ſum, occur-
rens ibi Nuntiis domini Papæ, cauſa, ſi-
cut videbatur, addiſcendi, quid Cantua-
rienſes timere oporteat, vel ſperare. Nam
hæc fabula omnem plenè linguam & aures
utriuſque regni (quod ad Clerum ſpectat,
& certè ex magna parte ad populum) cre-
ditur occupare. Deſiderabam reverà meum
videre cognomen (*eò quòd ipſe Joannes no-
minaretur, quod interpretatur gratia, unde
Gratianus*) & quod magis eſt, compatrio-
tam, & quodammodò fratrem Gratianum,
cujus tu (ut meminiſſe potes) & à ſanctæ
recordationis Papa Eugenio Ferentini de-
cretus es inſtitutor. Illum fratrem dixe-
rim confidenter, cum quo mihi fidei & ſo-
cietatis ſunt jura communia. Licèt nos
non ediderit una civitas: patriam tamen
nobis eſſe unam, non ambigit, qui pa-
triam fortium, quæ nobis individua eſt,
& quam charitas ollerdit, reducit ad ani-
mum. Ab illo ergò & ſocio ejus Viviano
amicè & reverenter exceptus, familiariùs
didici, quòd dominus Papa & Eccleſia
Romana Cantuarienſi plurimùm favent,
adeò quidem, ut niſi Rex nunc eidem do-
mino Cantuarienſi juxta conſilium domi-
ni Papæ fecerit pacem: ei denuntiaturi ſint,
quod non modò in manus Archiepiſcopi
dabitur, ſed & ipſe Romanus Pontifex in
eum aggravaturus eſt manum ſuam.] Et
inferiùs: Et quidem illis forma præſcri-
pta eſt, cujus fines excedere non aude-
bunt, quia ad hæc juramento arctati ſunt,
adeò quidem, ut juſſi ſint, niſi pace for-
mata, in tantum à regis muneribus ab-
ſtinere, ut nec ſumptus ab eo accipere
permittantur.] De his autem, quæ poſt

b Ib. ep. 5.

Joan. Sareſb. occurrit Nuntiis.

A hæc per Nuntios geſta ſunt, extat exactiſ-
ſima relatio amici ſecreti, & ut conjectu-
ra ducor, Petri Bleſenſis, qui apud Re-
gem manens, cuncta quæ videbat, eidem
S. Thomæ ſecretis litteris ſignificabat.
Nos hìc eam totidem deſcribemus verbis,
ſic enim ſe habet: (c)

c Ib. ep. 6.

XI.

Relatio de congreſſu Nũtiorum cum Rege Angl.

Indie Aſſumptionis beatæ Mariæ apud
Argentheon perlatæ ſunt litteræ domini
Papæ ex parte Nuntiorum, & perlectis il-
lis, ſatis turbatus eſt Rex. Craſtina die
miſit obviam Nuntiis Joannem Deca-
num Sareſberienſem, & Reginaldum. In
Vigilia beati Bartholomæi venerunt Nun-
B tii ad Danfrons. Adventum quorum cùm
audiſſent G. Ridal, & Nigellus de Sac-
cavilla, exierunt de Danfrons cum ſubi-
ta feſtinatione. Quare exierunt, vobis
ſatis notum eſt. Ipſa die cùm jam ſerò fa-
ctum eſſet, venit Rex de nemore, & di-
vertit ad Nuntiorum hoſpitium, priuſ-
quàm ad ſuum, & eos cum multo hono-
re & reverentia ſuſcepit & ſalutavit. Et
dum ſtans adhùc cum eis loqueretur: ec-
ce ad oſtium ejuſdem hoſpitii venit domi-
nus Henricus filius Regis, & multi Prin-
cipum cum eo, unuſquiſque cum cornu ve-
natorio buccinantes (ſicut ſolet) de ca-
C ptione cervi, quem totum eis donavit,
quod fecerunt, ut audiret hoſpes, & ad
populum * phaleras, Craſtina autem die,
circa horam primam venit Rex ad hoſpi-
tium Nuntiorum, & intraverunt cum eo
cameram Sagienſis & Redonenſis Epiſco-
pi. Poſt aliquam moram admiſſi ſunt Joan-
nes Decanus Sareſberienſis, & Reginal-
dus Archidiaconus, & paulò pòſt Archi-
diaconus Landavenſis, & ſtantes uſque ad
horam nonam, colloquebantur aliquando
in pace, aliquando autem in ira & tu-
multu. Intentio domini Regis fuit, quòd
clerici excommunicati non jurarent. Ali-
D quantulùm ante occaſum Solis exiit Rex
multum iratus, conquerens graviter de
domino Papa, quòd numquam in aliquo
audiret eum, & cum quadam contuma-
cia dixit Rex: Per oculos Dei ego faciam
aliud. Et Gratianus gratioſè reſpondit:
DOMINE NOLI MINARI, NOS
ENIM NVLLAS MINAS TIME-
MVS, QVIA DE TALI CVRIA SV-
MVS, QVÆ CONSVEVIT IMPE-
RARE IMPERATORIBVS ET RE-
GIBVS.

*

Gratiani reſponſio digna Legato.

XII.

Tunc convocati ſunt omnes Barones &
monachi Albi, *nempè Ciſtercienſes*, qui
E præſentes erant, & omnes ferè de capella,
& dominus Rex rogavit, ut tempore op-
portuno teſtificarentur pro eo, quanta,
& qualia obtulerat, reſtitutionem ſcili-
cèt Archiepiſcopatus & pacis. In fine vi-
ſus eſt aliquantulùm pacificatus ab his di-
ſcedere, & certæ reſponſionis diem aſſi-
gnavit octavam.

Ad quam die convocati Epiſcopi, vene-
runt Rothomagenſis, Burdegalenſis caſu
Cenomanum, & omnes Epiſcopi de Nor-
thmannia. Vvigornienſis die qua hæc
agebantur, & quæ dicenda ſunt, non

venerat. Sed craſtina die venturus ſperabatur, & venit Pictavienſis Synodi, quam tenebat, occaſionem prætendebat non veniendi, ſed poſt Synodum ſe venturum mandavit. Pridie Kalendas Septembris Bajocis obtulerunt Nuntii domino Regi litteras domini Papæ precatorias de reſtitutione veſtra & de pace. Dominus verò Rex, propoſita narratione omnium rerum, quas adversùs vos ſolet proponere, dixit: Si quid de homine iſto fecero pro precibus domini Papæ, multas mihi debet habere gratias.

XIII. Craſtina die cum Nuntiis convenerunt omnes Epiſcopi ad locum quemdam, qui vocatur Lebur. Et ſtatim ex quo venerunt, intravit dominus Rex * Partum, & omnes Epiſcopi cum eo, & illi tantummodò qui vocati erant ex nomine. Et ſtatim habuit dominus Rex conſilium cum Nuntiis ſolis, petens ab eis, quòd clericos ſuos abſolverent ſine juramento. Quod cùm Nuntii ſe facturos inſtanter negarent: dominus Rex ad equum ſuum cucurrit & aſcendit; & audientibus omnibus juravit, quòd numquam in vita ſua audiret neque dominum Papam, neque alium de pace & de reſtitutione veſtra. Quo audito, Archiepiſcopi, & Epiſcopi quotquot erant, ad Nuntios venerunt, & ſupplicaverunt eis, quòd pro amore Dei hoc facerent; ipſi verò cum ſumma difficultate conceſſerunt. Quo facto, deſcendit dominus Rex, & iterùm cum eis habuit conſilium; & citò pòſt, convocatis omnibus quotquot in pace erant, incepit Rex narrationem ſuam, & dixit, quòd volebat eos ſcire, quòd vos per eum de Anglia non exiſtis, & quòd vos multoties revocaverat, ut veniretis ſatisfacere ſuper his, quæ adversùs vos habuit, & noluiſtis. Sed modò ita ſe habet res, quòd ipſe prece & præcepto domini Papæ Archiepiſcopatum vobis integrè reddit, & pacem omnibus, qui de terra ſua pro vobis exierunt. Iſtam pacis conceſſionem circa horam nonam fecit dominus Rex, & poſt hæc valdè lætus remanſit, & quaſdam alias cauſas in præſentia ſua tractari fecit. Quibus pertractatis, iterùm venit ad Nuntios, petens ab eis, quòd irent Epiſcopi in Angliam, cauſa abſolvendi excommunicatos, qui ibi ſunt. Quod cùm inſtanter negarent ſe facturos: iratus eſt Rex, & petiit iterùm, vel quòd alter illorum ſaltem iret, alter remaneret; vel quòd unum ſuorum clericorum mitterent, & ipſe illi clerico redditus daret antequàm rediret. Quod cùm iterùm Gratianus, qui (ut ſperamus) filius eſt gratiæ, denegaret: dominus Rex ab eis iratiſſimus receſſit; & audientibus illis dixit: Facite quod vultis: ego neque vos, neque excommunicationes veſtras appretior, vel dubito unum ovum. Et poſt iſtud verbum equum aſcendit, ut recederet. Sed ſecuti ſunt eum Archiepiſcopi, & Epiſcopi quotquot erant, & dixerunt ei, quòd malè locutus erat. Poſteà verò deſcendit, & cum eis verbum habuit. Cujus conſilii ſumma fuit, quòd Epiſcopi omnes ſcriberent domino Papæ, quòd audientibus illis, obtulerat vobis pacem, & paratus erat omne præceptum facere domini Papæ, & quòd per Nuntios ſteterit, quo minus fieret.

* loci nomen.

XIV. Deinde cùm in faciendis litteris nonnihil temporis perdidiſſent, cùm multoties quaſi iratiſſimus ab eis diſceſſiſſet; acceſſerunt ad eum Epiſcopi, dicentes, quid iſti Nuntii haberent. Et cùm oſtendiſſent jam mandatum domini Papæ; quod omnes facerent quidquid ipſi Nuntii præceperint: reſpondit Rex: ſcio, ſcio. Interdicent terram meam. Sed numquid ego, qui poſſum capere ſingulis diebus caſtrum fortiſſimum, potero capere unum clericum, ſi interdixerit terram meam? Verumtamen cùm aliqua ad voluntatem ſuam ſe facturos promiſiſſent: ceſſavit omninò tempeſtas; & ipſe rediit ad cor, & dixit: Niſi hac nocte pacem feceritis; numquam de cætero ad hunc punctum venietis. Poſteà cùm aliquantum in verbo iſto laboraſſent, convocatis omnibus dixit: Oportet me facere multùm pro prece domini Papæ, qui dominus & pater noſter eſt, & ideò reddo ei Archiepiſcopatum ſuum, & pacem meam, & omnibus, qui pro eo extra terram ſunt. Tunc Nuntii & omnes alii gratias egere. Et tunc Rex adjunxit: Si quid modò minus feci, cras conſilio veſtro ſupplebo.

XV. Craſtina die, ideſt, Kalendis Septembris, convenerunt ad eumdem locum circa horam meridianam. Et cùm de abſolutione excommunicatorum diutiùs eſſet tractatum, ut ſcilicèt non jurarent: eò decurſum eſt, quod G. Ridel, & Nigellus de Saccavilla, & Thomas filius Bernardi extenta manu ad Evangelia coràm poſita dixerunt, in verbo veritatis ſe facturos mandatum Nuntiorum. Tunc petitum eſt à Nuntiis, quòd omnes, quotquot Eccleſiæ veſtræ dominus Rex interitu donavit, penes eos reſiderent, quibus à Rege donatæ ſunt. Sed ſicut audivimus, eò decurſum eſt, ut liberè ad veſtram redeant donationem. Poſteà hoc actum eſt, ut formam pacis, quam conceſſerat Rex, Epiſcopi ſcriberent. Et iſta intentione agebat hoc dominus Rex, quòd alter Nuntiorum in Angliam transfretaret ad abſolvendum excommunicatos. Et cùm diſceſſiſſent jam tertia hora noctis ferè elapſa, Rex dixit, quòd in forma pacis ſcriberetur SALVA DIGNITATE REGNI SVI. Sed Gratianus (ut audivimus) inſtanter negavit, ſe ulla conceſſurum ratione. Et in iſto verbo ſtant adhùc, redituri die Nativitatis beatæ Mariæ Virginis apud Cadomum, ut hoc ipſum pleniùs confirment.] Hactenùs de congreſſu Nuntiorum cum Rege.

XVI. Laudatus eſt magnoperè Gratianus, qui ejuſmodi formulam non admittendam putavit: de his enim iſta habet Saresberienſis ad (a) Joannem Pictavienſem Epiſcopum: Eſt autem ſpes multorum, quòd filius gratiæ, cujus ex re nomen eſt, & beati

a *Cod. Vat. l.3. epiſt.12.*

Eugenii

Digitized by Google

A Eugenii nepos, rectè incedet ad veritatem Evangelii, & Apoſtolicæ majeſtatis gloriam, & Eccleſiæ laborantis honeſtatem & pacem. Scit enim indubitanter, quòd ſi hac via inceſſerit, æternam gloriam coram Deo & hominibus promerebitur. Et quia invenit paucos quibus confidenter poſſit inniti: vos conſtantiam ejus, quæſo, erigatis, & roboretis in Domino. Rex, Deo propitio, benè ſolvendo eſt, & conſtat, impœnitentibus quòd non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum, &c.] De eo enim, quòd non cenſeret pacem eſſe conciliandam niſi reſtitutis ablatis bonis Eccleſiæ, laudans iſta Sareſberienſis, hæc ait: Rex Deo propitio, benè ſolvendo eſt, & conſtat impœnitentibus peccata non poſſe dimitti, Si verò res ablata cùm reddi poſſit, non redditur: non agitur pœnitentia, ſed fingitur.] Idem de abſolutione ſine promiſſione ſatisfaciendi; & de clauſula illa à Gratiano rejecta, ſalva dignitate regni ſui, hæc addit: Si Rex obtinuerit, ut pactis inſeratur, Regni dignitates ſalvas fore: conſuetudines evicit, mutato duntaxat nomine, & omnem Eccleſiæ Romanæ auctoritatem eliminavit ab Anglia. Sed abſit, ut aliquid iſtorum fiat. Et certus ſum, quòd dominus Cantuarienſis præelegit exulare perpetuò, quàm ut propter pacem ejus lædatur Eccleſia, & Sedis Apoſtolicæ privilegium convellatur. Suadete ergò domino Gratiano, ut in omnibus, & præcipuè in his articulis caveat ſibi, ne eum (quod Deus avertat) decipiant animi ſub vulpe latentes.] Vidiſti inconſideratam arrogantiam. Ipſe, qui anno ſuperiori (ut audiſti) rejecit pacem, eò quòd ſanctus Thomas illam formulam ſcribendam eſſe contenderet ac diceret: Totam cauſam tuo committo arbitrio, HONORE DEI SALVO, & ob id jurgiis & contumeliis inſectatus fuerit ſanctum Thomam: modò ipſe erigens ſe ſuper omne quod colitur, non DEI, ſed SALVA DIGNITATE REGNI SUI, apponi voluit in conditionibus pacis.

Quod jure Repulſæ conditiones Regis Angl.

XVII. Nova Formula pacis ab Epiſcopis invēta.

Quod igitur electi (ut audiſti) Epiſcopi à Rege ad ſcribendam formam pacis, ſuadere Nuntiis numquam potuiſſent, ut eam admitterent formulam: aliam pacis formam excogitantes, de ea ita per Rothomagenſem Epiſcopum ſcripſerunt ad Regem his verbis: (a)

a *Cad. Vat. l. 3. ep. 13.*

Formam verborum, quam reliquiſtis nobis, à Legatis nequivimus impetrare propter determinationes, quæ tàm à vobis, quàm ab ipſis hinc inde multiplices & ambiguæ ponebantur Eos autem abruptè, & ſine pacis ſpe recedere, ne honori veſtro, nec utilitati congruere videbatur. Cùm igitur inter nos plurima tractarentur: verbum incidit, in quo dignitati veſtræ & honori veſtro non derogatur in aliquo, nec Cantuarienſi aliqua in futurum litigii materia comparatur. Eſt autem verbum hujuſmodi. Ut concedatis pro amore Dei & domini Papæ Archiepiſcopum redire in Angliam, & Archiepiſcopatum ſuum ita integrè habere faciatis, ſicut habuit antequàm exiret, & illis, qui cum eo vel propter eum egreſſi ſunt, ſimiliter ſua, *reddatis ſcilicèt.* Placuit autem nobis brevitas & ſimplicitas hujus verbi, quia nullis artibus vel ſuſpicionibus videtur involutum. Unde vobis conſulimus, & ſuademus, ut veſtrum ad hoc accommodare non dubitetis aſſenſum.] Hæc Rothomagenſis ad Regem.

XVIII.

Rex autem ubì audiſſet ab Epiſcopis, à Nuntiis nullo penitùs modo admiſſam eſſe clauſulam illam, SALVA DIGNITATE REGNI SUI, magnoperè commotus mox duos Legatos ſuper hac re miſit ad Alexandrum Papam, deditque litteras querimoniis plenas; qui & Epiſcopos, quos collegerat ad hoc ipſum, ſcribere juſſit per eoſdem Legatos ad eundem Pontificem, eodem prorsùs argumento, totidemque ſententiis. Extant ipſæ. (b) Sciens autem iſta Vivianus, alter Nuntiorum Romam Pontificia; de Legatis ad Papam à Rege miſſis, ne quid per eos ſubriperetur ipſi Romano Pontifici, quàm citiùs decrevit & ipſe Nuntium ad ipſum mittendum, cui & litteras dedit de cunctis quæ hactenùs geſta eſſent, certam fidelemque continentes relationem, ex qua præter alia ſuperiùs recitata, hìc deſcribamus quæ poſteà fieri contigerunt, ex quo ipſi Nuntii, re infecta, diſceſſerunt à Rege. Sic ſe habent. (c)

b *Ib. ep.* 19. 20. 21. 22.

c *Ib. ep.* 26.

Relatio Viviani uſque ad Gratiani diſceſſionem.

Cùm inſtarent *Epiſcopi nomine Regis*, ut verbum ſcilicèt, SALVA DIGNITATE REGNI, admitteremus, reſpondimus: Stet ergò verbum Regis pariter & verbum Domini, id eſt: SALVA LIBERTATE ECCLESIÆ. Quod non admiſerunt, ſicut nec Rex, licèt in honore Dei libertatem Eccleſiæ intelligeret, ut dicebat; apponere tamen ſcripto penitùs recuſavit. Et cùm jam contra nos verbo prævalere non poſſent: præelegerunt, ut Archiepiſcopus (ſicut jam ſuprà dictum eſt) ſecurè ad Eccleſiam ſuam accederet, & in bona pace & ſecuritate Eccleſiam ſuam cum omni integritate, ſicut habuit antequàm exiret, hinc inde nulla condirione appoſita, reciperet, & ſui ſimiliter ſua. Et ad eorum inſtantiam verbum admiſimus. Demùm à Rege apud Rothomagum vocati, cum multo labore acceſſimus. Tandem per Legatos ſuos nobis in Curia Archiepiſcopi mandavit, quod nullatenùs à verbo illo SALVA DIGNITATE REGNI SUI, recederet: & ita ſicut nec primò, nec ſecundò, à prænominatis perſonis verbo invento ſtare placuis. Et hoc modo, beatiſſime Pater, receſſimus. Archiepiſcopis quoque ſub debito fidelitatis, quo nobis aſtricti tenebantur, præcepimus, ut eis quos abſolvimus, ſub debito juramenti, quo nobis tenebantur, præciperent, & domino Regi proponerent, ut ſi pax ſecuta non eſſet ante diſceſſum noſtrum, beneficio abſolutionis non fruerentur, & ſententiam, quam Archiepiſcopus Cantuarienſis in eos tulerat, inviolabiliter obſervarent.

Et

Digitized by Google

Et hæc hactenùs de his quæ cum Rege geſſimus.

XIX. Cæterùm verbum Regis Cantuarienſi Archiepiſcopo poſteà repreſentavimus. Qui cùm prædicta omnia æquanimiter ſuſtineret, dignitatem quoque regni libenter conſervaret, ſalvo ordine ſuo, & fidelitate Romanæ Eccleſiæ. De his quoque ſi quis vobis aliter propoſuerit: ſic eſſe, ſicut diximus, per omnia credatis. Et quòd nomen domini Gratiani non apponitur in his litteris, non ideò remanſit, quòd eas non viderit, & diligenter pertractaverit, ſed quia feſtinabat redire, & longo breviores volebat fieri litteras: ſed ut nihil Nuntiis Regis contra nos uſque ad reditum noſtrum crederetis.] Subdit autem, noviſſimè tandem miſſum à ſe ad Regem Nuntium Petrum Archidiaconum Papienſem, qui licèt benignè acceptus, ſed non auditus de pace, in reditu fuerit ſuis rebus ſpoliatus, & unus ex ſuis in diſcrimen adductus, via ereptus. Fuerat præſcriptum ab Alexandro Papa tempus pacis, nempè feſta dies ſancti Michaelis Archangeli, qua conſecuta, qui abſoluti fuerant ſub conditione pacis faciendæ, in eamdem inflictam à Cantuarienſi excommunicationem reinciderent. Extant de his litteræ (*a*) Gratiani ad ipſos excommunicatos.

a Cod. Vat. l. 3. ep. 36.

XX. *Cur recedente Gratiano remanſerit Vivianus.* Cur autem poſt illud tempus, ea præſcripto ſtatim recedente Gratiano, remanſerit Vivianus, hìc modò dicendum ea litteris ſancti Thomæ. Peracto expectationis tempore ab Alexandro Papa præfixo, non Gratianus tantùm, ſed Senonenſis Archiepiſcopus, qui & ipſe vocatus fuerat ad ineundam pacem inter Regem & Archiepiſcopum interventor, pariter à Rege receſſit: quod haud levem regiæ exiſtimationi notam inuſſit. Ad quam redimendam inops conſilii Rex eò confugit, ut Vivianum certa promiſſione pacis factæ, in iiſdem negotiis retineret. Qui nihil doli vel fraudis in Rege latere putans, adhibens omnem fidem, jam tamquàm de pace ſecurus, de ea congratulabatur amicis. Tuncque & iſta ſcripſit ad ipſum ſanctum Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopum: (*b*)

b Ib. ep. 8.

Thomæ Cantuarienſi Archiepiſcopo magiſter Vivianus ſalutem, & de inſtanti negotio ad honorem Dei & Eccleſiæ victoriam.

Ut cum domino Turonenſi, vel ejus Nuntiis, ad Curiam, auctore Deo, feſtinantiſſimè reverteremur, Turonis declinavimus: & quarto Kalendas Novembris litteras Regis Angliæ, Archiepiſcopi Rothomagenſis, & Cantuarienſis Archidiaconi per Priorem Abbatiæ Beccenſis & quemdam alium nobilem virum recepimus, quarum tranſcriptum beatitudini veſtræ mittimus, ſupplicantes, ut non acquieſcatis ſuggeſtioni alienjus clerici, etiam ſi primariè fulgeret dignitate præclara, ſine apertis litteris Regis, quod honori veſtro expediat (prout ſæpenumerò propoſitum eſt) recipiatis. Et rogamus, ut feſtinantiſſimè curſorem, vel clericum aliquem ad nos uſque mittatis, per quem voluntatem veſtram nobis, ſi placet, aperiatis. Nec tantùm deferatis magiſtro Gratiano, ut honorem chariſſimi amici veſtri præcipui defenſoris, in Eccleſia Romana penitùs in perſona noſtra conculcetis.] Hæc ad ſanctum Thomam poſt acceptas de reverſione ad Curiam litteras Regis.

Ubi autem ad Regem Vivianus acceſſit, quid cum eo egerit, planè declarant litteræ ab ipſo ad eumdem ſanctum Thomam redditæ, eùm ei apertiùs ac pleniùs gratulatur de pace confecta, hæc ſcribens: (*c*) XXI.

c Ib. ep. 9.

Vana ſpe Vivianus decipitur.

Benedictus Deus & Pater Domini noſtri JESU Chriſti, qui diſiunctos parietes ſuggeſtione pravorum, indiſſolubili jam charitatis vinculo unire contra multorum opinionem paratus eſt. Ad præſentiam Regis revocati acceſſimus, & ea, divina operante gratia, invenimus, in quibus honor Dei & Eccleſiæ in nullo violatur. Si ergò Nuntium Chriſtianiſſimi Regis Francorum, & domini Rothomagenſis jam recepiſtis, ſicut indubitanter credimus, gaudemus. Ita enim fuit ſtatutum. Et ſi magiſter Joannes Sareſberienſis, clericus veſter, chariſſimus ſocius noſter ad vos rediit, ſicut ſperamus, quoniam nuntium recepit, lætamur. Quidquid tamen, reverende Pater, fuerit, rogamus, & rogando ex parte domini Papæ & Romanæ Eccleſiæ conſulimus, ut omninò cautione poſtpoſita, ad colloquium, quod inter duos Reges apud ſanctum Dionyſium, prima Dominica poſt ſanctum Martinum celebrabitur, deſiderantiſſimè occurratis. Quoniam illic, auctore Deo, angelicum occinetis hymnum. GLORIA IN EXCELSIS DEO, ET IN TERRA PAX DOMINO CANTUARIENSI &c.] Iſta de pace certa Vivianus. At ſanctus Thomas aſtutiam Regis magis perſpectam habens, nec, ut par erat, fidem adhibens, magis autem timens: has prudentiores atque gravioris ponderis ad eumdem Vivianum litteras reddidit: (*d*)

d Ib. ep. 30.

XXII. Thomas Dei gratia Cantuarienſis Eccleſiæ miniſter humilis & Apoſtolicæ Sedis Legatus magiſtro Viviano fideli ſuo & S. R. E. Advocato ſalutem, & per omnia rectè ſapere & intelligere.

S. Thom. ad Vivianum litteræ aſperiores.

Habita ratione legationis tibi commiſſæ, & negotii crediti, ex acceſſu tuo ad dominum Regem Angliæ nihil deperiiſſet de ſubſtantia negotii, in nullo derogatum fuiſſet auctoritati te mittentis, nihil attentatum, dictum, & actum diſpendio noſtro. Quatenùs enim in hoc facto partes ſe extenderint, cùm ſemel functus ſis officio tibi commiſſo, ſive benè, ſive malè: præſtituti temporis præfinitio ad legationem explendam te ſcientem jura, profeſſum legibus, ſatis per omnia cautum reddere debuerat. Vide ergò, ut prudenter ſapias, & prudenter incedas, ne fias in fabulam, & magnatibus in deriſum. Verùm ſi auctoritate propria novum ſortitus es ac recens legationis officium: pareat cujus intereſt,

intereſt, & * inde ſuſtineat onus, ad quem ſpectat emolumentum: me autem in nullo obligat juriſdictio.] Hæc idcircò, quòd ejus legationis tempus jam expiraſſet, nec teneretur ei ampliùs obedire; ſed quod faciat, ſponte faciat. Subdit igitur: Cæterùm quod hortaris nos, ut deſcendamus ad colloquium Regum, quod habituri ſunt die Dominica proxima apud ſanctum Dionyſium: qua certitudine, qua ratione, qua ſpe pacis cum tanta inſtantia hoc feceris, ſicut ex mandato tuo intelligere non poſſumus, ſic et ad noſtri vocationem tàm facilem fuiſſe, plurimùm miramur. Verùm ob reverentiam S.R.E. & tui dilectionem (licèt in incertum, ut timemus) ad tuam inſtantiam die Veneris per Dei miſericordiam apud caſtrum Curbulii tibi occurremus, ut citiùs audiamus per os tuum, quem laboris & operis tui fructum conſequi debeamus, & tu quid honoris & gratiæ. Vale, & provideat tibi Deus, ne capiaris muſcipula, quam ſecum contrahentium vis aliquis potuis evadere.] Hæc ſanctus Thomas, & quidem haud falſus vates, prout poſteriora demonſtrabunt.

XXIII. Porrò de rebus geſtis à tempore revocationis Viviani uſque ad diſceſſionem ejuſdem poſt congreſſum Pariſienſem, extant (a) litteræ ſancti Thomæ ad Archiepiſcopum Senonenſem, quibus pleniſſima relatio continetur. Sic ſe habent:

a Cod. Vat. l. 3. ep. 60.

Reverendiſſimo Patri & amico chariſſimo Vvillelmo Dei gratia Senonenſi Archiepiſcopo Thomas Cantuarienſis Eccleſiæ miniſter humilis, quidquid devotio poteſt exulis & proſcripti.

Relatio S. Thomæ de congreſſu Viviani habito cū Rege Angliæ.

Impoſſibile eſt, ut animus quieſcat impii, quem conſcientiæ ſtimulus ſemper exagitat, perpetuumque timorem incutit, ne per ſingula momenta recipiat, quod meretur. Sic æſtuantem jugiter ſollicitudo premit, & dum omnes homines benè promeritos, etiam amiciſſimos ſuſpicionibus lacerat, ex propriæ culpa perfidiæ putat aliis deeſſe, quam in conſcientia non habet fidem. Sic Rex Anglorum audita profectione veſtra, ſuæ conſcius iniquitatis, & veritus zelum legis, & perſeverantiam virtutis, quam habetis, & exercetis in Domino, ſupra modum timet, ne in terram ejus ciſmarinam ſanctitati veſtræ legatio committatur, quia in tota Eccleſia Gallicana alius ei non occurrit, per quem malitia ejus reprimi poſſit, aut conteri. Sed nec in Romana Eccleſia veretur aliquem (ſicut ſui teſtantur) præter dominum Gratianum, Quia ſi gloriatio ejus vera eſt, quotquot alii ad ipſum ex quacumque cauſa acceſſerunt, ad nutum ejus, & interdum non ſine nota ſiniſtræ opinionis, convertibiles inventi ſunt. Quia ergò dominum Gratianum in comitatu veſtro redire didicit: adeò turbatus eſt, ut animi motum diſſimulare nequiverit, dicens, quòd per vos cogendus erat ad pacem, aut magno ſui, ſuorumque diſpendio perpetuam ignominiam ſubiturus. Evocavit itaque magiſtrum Vivianum per ſuos, & domini Rothomagenſis, & G. Ridel litteras: eique (ſicut idem Vivianus in publica plurimorum audientia confeſſus eſt) corporaliter fidem dedit, quòd in pace Eccleſiæ reformanda, domini Papæ mandatum, & ipſius conſilium ſequeretur. Fecit & litteras ſignari ſuo ſigillo, quas oſtendit, quibus voluit, promittens in illis, quòd pro amore domini Papæ nobis redderet Cantuarienſem Eccleſiam, & poſſeſſiones ablatas nobis & noſtris, & pacem & ſecuritatem, ut ad tractandum pacis verbum, quam veſtro & domini Gratiani metu (quidquid alius glorietur) quærere videbatur, præfatum Vivianum validiùs perurgeret. Sed de ablatis non faciebat aliquam mentionem, niſi quòd innuebat, quia ſi illius in reformatione pacis ſequeremur arbitrium: nos collocaret in capite regni, & nulla ratione pateretur egere.

XXIV. Revocato autem magiſtro Viviano, & verbis ejus habente fidem, ſimulata devotione profectus eſt ad ſanctum Dionyſium, re autem vera, ut faceret, quod penè fecit; id eſt, ut Regem Chriſtianiſſimum circumveniret. Convenit enim inter eos in colloquio apud ſanctum Dionyſium, ut ei alendum & inſtruendum traderet Richardum filium ſuum, & ut Comitem ſancti Ægidii Turonas evocet, eidem Richardo reſponſurum ſuper Comitatu Toloſano. Siquidem locus ille prudenter commodiſſimus viſus eſt, ubi ſubſidiarii partium tutiſſimè conveniant, & litigantium natales liberè proteſtentur; & qui jus dicturi ſunt, quam ratio exegerit partem, ſine trepidatione, vel aliqua cunctatione condemnarent. Nos ad illud colloquium compulerunt accedere dominus Rex Franciæ, & magiſter Vivianus, & alii ſapientes, ut nobis Pariſius conſtitutis, & illo apud ſanctum Dionyſium exiſtente, poſſet de vicino pax noſtra commodiùs tractari. Ubi cùm illum ſæpedictus Vivianus inſtantiùs & diligentiùs conveniret, ut impleret promiſſionis fidem: reſiliit more ſuo, & talem ſe Viviano exhibuit, ut ad nos rediens, pluribus aſſidentibus palàm dixerit, quòd hominem adeò mendacem ſe vidiſſe, vel audiſſe, non poterat recordari. Sed, & ipſi præſenti, multis audientibus (ſicut ab eis poſteà accepimus) quæ fuerunt dicenda, non tacuit; immò duplicitatem ejus patenter arguens, ex magna parte quam priùs læſerat, redemit famam ſuam, conquerens quòd adeò captus fuerit dolis ejus. Quod quidem vobis ideò intimamus, ut ſi ad Eccleſiam Romanam rediens partes illuſoris fovere præſumpſerit, aut fraudes occulere, rei veritatem domino Papæ & Cardinalibus veſtra devotio poſſit fideliùs intimare. Nam ſicut nutu divino contigit, ut re ſtrenuè geſta, rediret dominus Gratianus, & ut vos, quem Deus firmiſſimam columnam (proſperè loquimur) in Eccleſia ſua poſuit, & qui mores hominis pleniùs noſtis ad Sedem Apoſtolicam arriperetis iter: ſic ejuſdem intuitu creditur accidiſſe, ut Vivianus præter

quod

quod haberet in animo, ad illuſtrandam juſtitiam Eccleſiæ, ad dilatandam gloriam remanſerit in Francia: ut Rex Anglorum per fautorem ſuum hominibus, quos decipere conſuevit, ampliùs innoteſcat, & fallacia verborum dominum Papam & Curiam ei hucuſque nimis credulam de cætero minus ſolito circumſcribat.

XXV. Cùm verò præſatus Anglorum Rex à ſancto Dionyſio recedens, prope Montem Martyrum tranſitum faceret; illùc occurrimus, petentes ab ipſo per venerabiles viros dominum Rothomagenſem, & Epiſcopum Sagienſem, & alios quoſdam, qui ſe verbo ingeſſerant, quatenùs nobis pacem pro amore Dei & domini Papæ, & noſtris gratiam ſuam, pacem, ſecuritatem, poſſeſſiones, & ablata reſtitueret; offerentes nos paratos eſſe exhibere illi quidquid Archiepiſcopus Principi debet. Ille autem reſpondit, ſe ex animo libenter remittere ea parte ſua offenſas & querelas, ſi quas contra nos habuerat, & de his quæ proponere vellemus adversùs eum, paratum eſſe ſtare dicto Curiæ domini ſui Regis Francorum, vel judicio Eccleſiæ Gallicanæ, aut ſcholarium Pariſienſium. Quo audito, reſpondimus: Nos Curiæ domini Regis, ſi ei placeret, aut Eccleſiæ Gallicanæ non refutare judicium; malle tamen, ſi illius ſederet animo, cum illo amicabiliter componere, quàm litigare. Et ſi Eccleſiam & poſſeſſiones nobis & noſtris ablatas vellet reſtituere, & gratiam & pacem, & ſecuritatem præſtare nobis in oſculo pacis; parati eramus hæc recipere, poſtulantes, ut mobilium ablatorum medietatem Eccleſiæ redderet, ad ſolvenda noſtra & noſtrorum debita, ad ſarta tecta reficienda, ad inſtruenda prædia, & reparandas varias Eccleſiæ neceſſitates, quæ ad ſummum calamitatis officialium ſuorum depopulatione & fraude perducta eſt. Et ne vota noſtra modum viderentur excedere, & ut pacta, ad declinandam lubricitatem hominis, in ſcripturam redacta fideliùs tenerentur, et petitionem, quam vobis ſcriptam mittimus, ad Nuntiorum ſuorum arbitrium caſtigatam & temperatam fecimus offerri, ut omnibus innoteſceret, nos nullam pacis, quæ Eccleſiæ Dei tolerabilis ſit, detrectare conditionem. Sed ille, audito ſcripto, & ab omnibus propter nimiam modeſtiam approbato, materna reſpondit lingua; ſic anfractus verborum (quod familiare habet) invertens, ut ſimplicioribus videretur, univerſa concedere, cautioribus autem, prolixas & non ſecandas immiſcere conditiones. In uno tamen conſentiunt univerſi, quòd nos in oſculo pacis recipere non acquievit. Subintulit ergò Chriſtianiſſimus Princeps, quòd pro tanta quantitate auri, quantus ipſa eſt, non conſuleret, ut terram ipſius, niſi priùs accepto pacis oſculo, ingrederemur. Et Comes Theobaldus adjecit, quòd ſtultiſſima eſſet præſumptio, multis circumſtantium ſibi invicem dicentibus, & reducentibus ad animum, quid Roberto de Siliaco acciderit, quia nec ipſum oſculum ad pacis & ſecuritatis cuſtodiam ſatis firma cautio videretur. Sed nec illud reſponſum ſuum nobis per præſatos Epiſcopos, pacis (ut ſperabamus) mediatores, aut per alios ſignificare curavit; immò nobis præſtolantibus reſponſionem, verſus Medontam deflexit iter. Allatus eſt autem ei in via dominus Philippus, benedictus filius Chriſtianiſſimi Regis, quem (ut ajunt qui attulerant) ſubtriſtis vidit, tenuiter allocutus eſt, & cum feſtinatione dimiſit.] Subdit, quòd & Rex Franciæ, qui comitabatur ipſum, receſſerit ſubtriſtis, cùm ejus animum dolo agentem omnia perſpectum habuiſſet, & inferiùs de Viviano ab ipſo per pecuniam tentato ita ait:

Nos ſine reſponſo ejus ad loca conſolationis nobis divinitùs proviſa reverſi ſumus, ſpem noſtram projicientes in eum, qui non deſerit ſperantes in ſe, & dilectionis veſtræ ſolatium præſtolantes. Rex autem Angliæ ad magiſtrum Vivianum poſteà Nuntium miſit & viginti marchas, rogans ut ſe iterum intromitteret ad pacem reformandam. Sed ille (ſicut pro certo accepimus) & pecuniam reſpuit, & reſpondit ei litteris, quarum dilectioni veſtræ exemplum mittimus. XXVI. Nec eſt quòd ad pacem ipſum tantoperè urgeat, quantum metus ille, quem de veſtræ & domini Gratiani profectione concepit. Nec Vivianum capiat ob aliud, niſi ut in veſtras, & Gratiani non incidat manus. Nobis enim relatum eſt, quòd Ægidium Rothomagenſem Archidiaconum, & Joannem de Oxeneford, & Joannem Sagienſem miſit ad Curiam, ut impediat, ne vobis in terram ſuam legatio concedatur, aut aliud, quod ei, vel Comiti Flandrenſi poſſit eſſe moleſtum. Vos Nuntiorum perſonas ex parte noviſtis, ſed fortaſsè pleniùs noſtri, qui veſtri grati nobiſcum ſunt. Cùm ergò de veſtra ſinceritate, & domini Gratiani, quam expertus eſt fide, tantus hominem illum, *nempè Regem Anglorum*, timor invaſerit; luce clarius eſt, quòd ſi eum dominus Papa ab initio terruiſſet auctoritate ſummi Pontificis potiùs, quàm ſuſtineret pia manſuetudine patris: jam Eccleſia Dei à multis diebus ſerenata fuiſſet, & detumuiſſet furor hominis, qui fugientes, & imbelles ſine miſeratione perſequitur, & viriliter reſiſtentibus cedit &c.]

XXVII. Sed quòd idem S. Thomas proſecutus ſit magno præconio Gratianum Romam redeuntem: in exemplum eorum, qui cum Regibus Apoſtolicæ Sedis cauſa ejuſmodi coram ipſis tractanda ſuſcipiunt; hìc ex litteris ejuſdem ſancti Thomæ ſcriptis de his ad eum, hæc (*a*) pauca deſcribimus: Impiorum molimina gratiæ filiis in finem nocere non poſſunt, quia Deus eos ſupra vires tentari non patitur, ad electorum utilitatem cuncta dirigens, & de ſingulis eventibus rerum, profectum mirabiliter eliciens glorioſum. Et quidem fidem veſtram reſpexit Dominus, qui moram magiſtri

a Cod. Vat. l. 3. ep. 63.

Súma laus Gratiani Nuntii.

Digitized by Google

giſtri Viviani, & quidquid poſt receſſum geſſit in Francia, convertit in gloriam nominis veſtri, vos in deum conſtituens Pharaoni.] Et inferiùs: Quicumque verò familiaritatis miræ, *Viviani ſcilicet cum Rege*, viderunt exitum, aut Vivianum loquentem audierunt: publicè proteſtabantur; ſolùm eſſe omnibus, qui ad Regem Anglorum miſſi fuerant, ſapere Gratianum &c.] Scripſit & de his idem ſanctus Thomas (*a*) litteras ad Alexandrum Papam: ad quem etiam Vivianus eodem argumento (*b*) alias dedit. Sed quas ipſe Vivianus ad Regem Angliæ ſcripſit, cùm reſpuit oblatam pecuniam (quarum litterarum, ut audiſti, ſanctus Thomas nactus exemplum, miſit ad Senonenſem ipſum & Gratianum) ſic accipe: (*c*)

a *Ib. ep.* 65.
b *Ib. ep.* 61.
c *Ib. ep.* 62.

XXVIII. Sereniſſimo domino Henrico Dei gratia Anglorum Regi magiſter Vivianus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Advocatus ſalutem, & ſalubri conſilio acquieſcere.

Quantum pro honore veſtro laboraverim, quantam diligentiam adhibuerim, ut ad gloriam Dei & veſtram, pacem cum Eccleſia faceretis; novit Deus, & prudentia veſtra ignorare non debet. Nam tantum pro vobis inſtiti, quòd multorum & magnorum amiſi gratiam, & fabula factus ſum detractorum. Unde miror, quòd me, quem in veſtra utilitate & honore noluiſtis audire; quaſi pecunia corruptum reddere voluiſtis infamem. Sed quia vos obſequiis cœpi colere, & ab amicis nec facilè recedere conſuevi; precor, & modis omnibus conſulo, ut redeatis ad cor, & petitionem, quam vobis ſcriptam miſit dominus Cantuarienſis, charta veſtra confirmetis, hoc adjecto, ut eum recipiatis in oſculo pacis, eique mittatis, & revocetis ipſum, antequàm terra veſtra ſubiiciatur interdicto, & illi feriantur anathemate, quorum nomina in libro damnationis eorum concepta ſunt: nam & plurimi ſunt, & vobis perneceſſarii, & tempus breve eſt.] Hæc ad Regem Anglorum Vivianus, hicque finis legationis anni hujus ab Alexandro Papa ad Regem Anglorum per Nuntios Gratianum atque Vivianum miſſæ.

Inter hæc autem Alexander Papa cùm accepiſſet, ab eodem Anglorum Rege impediri in Anglia, ne Eccleſiis vacantibus Epiſcopi eligerentur: comminatorias (*d*) litteras dedit ad Regem & graves admodum, ad quarum finem hanc comminationem appoſuit: Et quidem ſi ea, quæ monentes in ſpiritu manſuetudinis, & cum omni humilitate prædiximus, effectui, ſicut debes, mancipare curaveris: & tuæ proculdubiò gloriæ & ſaluti conſules, & Deo ac nobis gratum facies omnimodis & acceptum. Alioquin, quantumcumque te ſicut filium chariſſimum & Chriſtianiſſimum Principem diligere, & tuæ magnitudini deferre velimus: manus beati Petri & noſtras à tuo non poterimus gravamine continere. Et plus Deum, quàm homines, ſicut dignum eſt, metuentes, Eccleſiæ jura pariter & honorem, conceſſa nobis divinitùs poteſtate, integrè curabimus atque inviolabiliter conſervare. Datum Beneventi ſeptimo Idus Octobris.]

d *Cod. Vat. l.* 3. *ep.* 11. De vacantibus Eccleſiis Angl.

XXIX. Inſuper hoc anno idem Pontifex conſtitutionem edidit adversùs eos, qui de manu laica inveſtituras ſive Eccleſiarum, ſive bonorum ipſarum (*e*) acciperent, datam menſe Maii iſtis verbis ad univerſos Epiſcopos Angliæ:

e *Lib.* 4. *ep.* 30.

Conſtitutio Alex. Pap. contra inveſtituras Laicorum.

Ad audientiam noſtram, communi fama referente, & multorum etiam relatione pervenit, quòd poſt inſtantem turbationem, quæ inter chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Henricum illuſtrem Anglorum Regem, & venerabilem fratrem noſtrum Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopum, exigentibus peccatis, emerſit, quædam prava conſuetudo in illis partibus inolevit, ſcilicèt, quòd laici Eccleſias, & Eccleſiaſtica beneficia ſoleant paſſim in regno Anglorum, quibus vellent, conferre, & auctoritate ſua clericos inveſtire. Unde quoniam id ſanctorum Patrum inſtitutionibus adeò cognoſcitur contradicere, ut danti & accipienti de manu laica ſit anathema, & hoc in Eccleſiaſticæ libertatis perniciem non eſt dubium graviter redundare: nos univerſas * donationes à laicis de Eccleſiis quibuslibet hujus turbationis tempore quibuſcumque factas, auctoritate beati Petri ac noſtra omninò caſſamus, & irritas eſſe decernimus.

* collationes

Quapropter univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, & in virtute obedientiæ injungimus, quatenùs univerſos illos, qui Eccleſias, Præbendas, vel alia Eccleſiaſtica beneficia ubicùmque in Anglia de manu laica, maximè hujus turbationis tempore ſuſceperunt, diligentiùs moneatis, & inſtantiùs exhortari curetis, quòd Eccleſias ipſas, Præbendas, vel beneficia cum fructibus inde perceptis in manus veſtras, omni contradictione & appellatione ceſſante reſignent, & eis, ad quorum ordinationem jure Eccleſiaſtico ſpectant, diſponendas relinquant. Quòd ſi ad commonitionem noſtram infra quadraginta dies poſt harum ſuſceptionem non fecerint: vos eos auctoritate noſtra, ſublato appellationis remedio, cujuslibet timore, gratia, & prohibitione poſtpoſita, excommunicationis ſententia feriatis, & ab omnibus faciatis per parochias veſtras ſicut excommunicatos vitari, donec Eccleſias præſcriptas & alia beneficia Eccleſiaſtica liberè reſignaverint illis; ad quorum * donationem & ordinationem ſpectant, & in pace dimiſerint, & de fructibus inde perceptis dignam Eccleſiæ exhibuerint ſatisfactionem. Si autem in his exequendis negligentes fueritis, aut remiſſi: nos omnes illos, qui Eccleſias, vel cætera beneficia Eccleſiaſtica præter aſſenſum Epiſcoporum, ad quos eorum donatio ſpectat, de manu laica (prout ſuperiùs dictum eſt) accepiſſe noſcuntur; niſi præceptis noſtris infrà terminum præſcriptum paruerint, excommunicationis ſententiæ, auctoritate qua fungimur, decernimus ſubjacere,

* collationem

Digitized by Google

A cere, & eos ſicut à nobis excommunicatos præcipimus ab omnibus evitari. Datum Beneventi decimoquarto Kalendas Junii.]

XXX. Nova Legatio ad Angl. Regem per Simonem, & Bernardum.

Quatuor poſt hæc diebus ad Regem Angliæ commonitorias primùm, atque inde comminatoriss litterax dedit per certos Nuntios ad hoc delectos, videlicèt Simonem Priorem de Monte Dei, & Bernardum de Corilo, qui primùm commonitorias ad Regem darent litteras, & ſi opus foret deinde comminatorias adderent. Eſtant ambæ epiſtolæ (*a*) ad Regem Angliæ, datæ hoc anno octavo Kalendas Junii, quas perſerendas primò dedit Epiſcopo Belliceuſi, & Priori Carthuſianorum, ut ex ejuſdem Papæ litteris apparet: Sed B quòd haud adcò certus eſſet, an ipſi eas ad Regem perſerrent, delegit eumdem Simonem virum laudatiſſimum, & Bernardum collegam, ad quos eſtant (*b*) litteræ de ejuſmodi eis impoſito legationis officio: ubi de litteris ad Regem ſcriptis hæc habet: Litteras noſtras commonitorias eidem reddatix, & comminationem noſtram in ſpiritu fortitudinis & lenitatis adjungere ſtudeatis. Quod ſi vos nec ſic audire voluerit, ſed in ſua potius duritia & obſtinatione duxerit perſiſtendum: eidem C litteras noſtras comminatorias porrigatis, ex noſtra parte conſtanter addentes, quòd nos prænominato Archiepiſcopo os de cætero nulla ratione claudemus, nec ipſi, niſi idem Rex ante initium Quadrageſimæ, quæ jam quaſi inſtare videtur, ea quæ ſuperiùs diximus, implere voluerit, ulteriùs inhibitionem aliquam faciemus, quin ſuas & Eccleſiæ ſibi commiſſæ, necnon & ſuorum injurias Eccleſiaſticæ ſeveritatis gladio pro ſui officii debito graviùs ulciſcatur. Non enim credere debet, aut in mente habere, quia dormiens Dominus non aliquando excitetur, & quòd beati Petri gla- D dium ita rubigo conſumpſerit, quin educi valeat, & vindictam debitam exercere. Volumus autem, ut hæc (ſicut prædiximus) diligentiùs exequamini, niſi venerabilis frater noſter Bellicenſis Epiſcopus, & dilectus filius Prior Carthuſienſis ea prout illis mandavimus, exequantur. Dat. Beneventi, octavo Kalendas Junii. Qua pariter die datæ leguntur (*c*) litteræ ab eodem Alexandro Papa ad ipſum Henricum Regem Anglorum comminatoriæ, quæ habentur in eodem codice ſcriptæ, datæque undecimo Kalendas Junii. Recitat eaſdem Rogerius in Annalibus iſtis verbis:

a *Ibid. ep.* 3. & 4.

b *Ib. ep.* 1.

c *Cod. Vat. lib.* 4. *ep.* 4.

XXXI.

E Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Henrico illuſtri Anglorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Quàm paternè & quàm benignè regiam ſæpiùs excellentiam convenerimus, & per litteras & Nuntios frequentiùs exhortati fuerimus, ut venerabilem fratrem noſtrum Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopum tibi reconciliare deberes, & ſibi ac ſuis Eccleſias cum cæteris ablatis reſtituere, ſublimitatis tuæ prudentia nequaquàm A ignorat, cùm id toti ferè Chriſtianitati publicum ac manifeſtum exiſtat. Unde quoniam in hoc hucuſque proficere minime potuimus, nec animi tui motum blandis & levibus emollire, triſtes & dolentes efficimur. Et nos ſpe ac fiducia noſtra fruſtrari dolemus, præſertim cùm te, ſicut chariſſimum filium, ſinceriùs in domino diligamus; cui in hoc grave periculum imminere videmus. Et quoniam ſcriptum eſt: (*d*) Clama ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo ſcelera eorum. Et alibi: Niſi annuntiaveris impio impietatem ſuam, ſanguinem ipſius B de manu tua requiram, & alias per Salomonem: (*e*) Piger homo de ſtercore boum lapidari jubetur: duritiam tuam, ſicut hactenùs, contra juſtitiam & ſalutem noſtram non duximus ulteriùs ſupportandam: nec præfato Archiepiſcopo os de cætero aliqua ratione claudemus, quin officii ſui debitum liberè proſequatur, & ſuam & Eccleſiæ ſuæ injuriam Eccleſiaſticæ ſeveritatis gladio ulciſcatur. Quæ autem in litteris iſtis tàm de his, quam de aliis minus continentur: dilecti filii noſtri Prior de Monte Dei, & Frater Bernardus de Corilo, viri ſiquidem plus Deum, quàm ho- C mines reverentes, ſerenitati tuæ latiùs viva voce proponent. Quorum admonitioni ille, cui ſervire regnare eſt, & in cujus manu corda Regum conſiſtunt, animum & voluntatem tuam inclinet, ut potiùs flectis velis, quàm contra Deum & ſalutem tuam in tantæ obſtinationis propoſito diutiùs permanere. Quòd ſi nos in illis nec ſic audire volueris, ea quæ tibi ex parte noſtra propoſuerint, proculdubiò venturam poteris divinam ultionem in proximo timere.]

d *Iſai.* 58.

e *Eccli.* 22.

XXXII.

Quid autem per eoſdem Nuntios actum ſit, docet ipſorum plena relatio ad ipſum D Alexandrum Pontificem miſſa, quæ ſic ſe habet: (*f*)

f *Ibi*

Relatio de legatione poſtrema.

Ad illuſtrem Regem Angliæ cum Fratre Bernardo de Corilo nuper profecti ſumus, ut auctoritate mandati veſtri inter ipſum & dominum Cantuarienſem pax & concordia confirmaretur. Et quò faciliùs tractaretur hoc verbum, dominum Cantuarienſem traximus ad locum, ubi Reges, auctore Deo, reconciliati ſunt.] Jam (*g*) vidimus in ſuperiori congreſſu Pariſiis habito, diſceſſiſſe ab invicem Reges animo ſubinſenſo, & quòd pararetur aliud poſt futurum colloquium, quod hoc fuiſſe E putamus. Pergit verò: Traditis autem commonitoriis veſtris Regi Angliæ, & adhibita diligentia, quam apud eum credidimus expedire: monuimus & conſuluimus domino Cantuarienſi, ut ſe coram Rege humiliaret, & rigorem ejus humilitate precum, & ſedulitate obſequendi ſtuderet emollire. Hoc ipſum Chriſtianiſſimus Rex Franciæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & magni viri qui aderant, unanimiter ſuadebant. Arctatus Regis conſilio & omnium Archiepiſcoporum, & Baronum, acquievit Archiepiſcopus, & coram omni-

g *Lib.* 3. *ep.* 60. *in fine.*

Digitized by Google

omnibus acceſſit ad Regem Angliæ, & genibus flexis poſuit ſe in Deo & Rege, ad honorem Dei & Regis, utens hac forma verborum, AD HONOREM DEI, ut ſic poſſet pacem & gratiam ejus promereri. Rex autem propter hoc verbum, AD HONOREM DEI, noluit eum recipere, coram omnibus dicens publicè, ne videretur quòd Archiepiſcopus Dei honorem vellet ſervare, & Rex minimè. Sed poſt multa (quæ utinam ſiluiſſet) dixit, quòd ab Archiepiſcopo nihil aliud quærebat, niſi ut ei tamquàm presbyter & Epiſcopus coram omnibus promitteret in verbo veritatis, ſe ſine omni malo ingenio ſervaturum conſuetudines, quas ſancti Archiepiſcopi Cantuarienſes obſervaverant Regibus ſuis, & quas ipſe Archiepiſcopus ſibi alia vice promiſerat.

XXXIII. Archiepiſcopus autem reſpondit, quòd Regi fecerat fidelitatem, quam ei præſtito juramento tenebatur ſervare, vitam, membrum, & honorem terrenum, ſalvo ordine ſuo, & hoc fideliſſimè paratus erat implere, nec ab aliquo anteceſſorum ſuorum aliquid ulteriùs exactum eſt, vel ab aliquo exigendum. Et cùm Rex ſuper hoc articulo plurimùm inſtitiſſet, dominus Cantuarienſis adjecit: Licèt nullus anteceſſorum hoc feciſſet, vel promiſiſſet, nec ipſe ullatenùs de jure facere deberet, tamen dixit, quòd pro pace Eccleſiæ & gratia ejus promitteret, ſe conſuetudines illas, quas ſancti anteceſſores ſui Regibus ſuis ſervaverant, ſalvo ordine ſuo, ei ſervaturum, quatenùs ſecundùm Deum poſſet: & faceret pro amore ejus recuperando, quidquid poſſet, ſalvo honore Dei; aſſerens, quòd numquam libentiùs ei ſerviret, quàm ut hæc faceret, ſi ei placeret. Noluit autem Rex hoc recipere, ſed ut præciſè & abſolutè ſub juramento ei promitteret obſervantiam conſuetudinum, quia nihil ulteriùs ab eo exigebat. Quod quia Archiepiſcopus, licèt multi inſtarent, facere noluit, Res diſceſſit, pace infecta.

Cùm verò Regem exhortaremur, ut juxta mandatum veſtrum revocaret Archiepiſcopum in gratiam ſuam, & ei pacem & Eccleſiam ſuam reſtitueret: reſpondit, quòd fortaſſe conſilium amicorum erit, ut Eccleſiam quandoque reſtituat; ſed dixit, ſe gratiam non reſtituturum; quia tunc evacuaretur privilegium, quod ei dediſtis, & quo poteſtatem Archiepiſcopi ſuſpendiſtis, donec redeat in gratiam ejus.] Quænam fuerit iſta ſuſpenſio, dicemus inferiùs. Pergit verò Nuntius:

XXXIV. Et quia præceperatis eum primò convenire in ſpiritu lenitatis per comminatorias veſtras: comminatorias veſtras in aliud tempus dare diſtulimus. Interim verò Deum oramus, in cujus manu corda ſunt Regum, ut animum ejus emolliat, & ad honorem ſuum, & Eccleſiæ utilitatem pacem faciat reformari. Quod verò de mandato veſtro reſiquum eſt, accepto tempore, per gratiam Dei cum omni diligentia

A exequemur; & exitum negotii, quem Deus dederit, majeſtati veſtræ ſignificare curabimus. Rogatus Frater Bernardus, ſicut nos, ut negotii ſeriem vobis ſcriberet: reſpondit, quòd in Ordine ſuo inhibitum eſt, ne quis Fratrum pro aliquo negotio vobis vel aliis ſcribat, ſed dicturum ſe ſpopondit coram Nuntio veſtro magiſtro Lombardo, qui ei litteras veſtras tradidit, & qui vobis rem geſtam, ſicut is qui præſens interfuit, fideliter ſignificabit:] Hactenùs Simon ad Papam. Quæ autem iſta ſecuta ſint, idem Nuntius ſequenti relatione ad Alexandrum Papam

B itidem miſſa patefecit, iſtis verbis: (a) — a Cod. Vat. l. 4. ep. 50.

XXXV. In ſecundo colloquio Regũ Datæ litteræ comminatoriæ Regi Angl.

Juxta mandatum ſanctitatis veſtræ commonitorias veſtras illuſtri Regi Angliæ porreximus, operam & diligentiam pro viribus adhibentes, ut juxta commonitionem veſtram dominum Cantuarienſem in gratiam revocaret, & ei ſedem ſuam reſtitueret & pacem, & Eccleſiæ ſuæ liberam diſpoſitionem habere permitteret. Expectavimus diù, ſperantes & orantes, ut Deus emolliret animum ejus. Sed cùm non proficeremus expectantes, urgente mandato veſtro, in colloquio Regum ſecundò ei comminatorias veſtras præſentavimus.

C Quas cùm ille tandem vix recepiſſet ad inſtantiam noſtram & magnorum virorum qui aderant; hoc poſt multa, quæ referre longum eſt, reſponſum dedit: Ego dominum Cantuarienſem de regno non expuli; & tamen pro reverentia domini Papæ, ſi voluerit mihi facere, quod debet, & ſervare mihi quod anteceſſores ſui meis obſervaverunt, & ea quæ ipſe promiſit: redire poteſt in Angliam, & habere pacem. Et poſt varietates reſponſionum tandem dixit: evocaturum ſe Epiſcopos Angliæ, & uſurum conſilio eorum; ſed nec diem aliquem præfixit, nec aliquid aliud ab eo re-

D portavimus, unde poſſimus de pace domini Cantuarienſis, & mandati veſtri executione certiorari. Et quia reſponſa frequenter mutabat, interrogavimus eum, an liceret Archiepiſcopo redire in ſedem ſuam, & frui pace ſua? Ille verò reſpondit, quòd Archiepiſcopus numquam ingredietur terram, antequàm faciat ei quod debet, & promittat ſe ſervaturum, quod alii ſervaverunt, & quod ipſe promiſit.

XXXVI. Deinde rogavimus eum, ut ſcriberet, & ſignaret patentibus litteris reſponſum ſuum, quia oporteret nobis rem certam

E vobis referre, quam nondum habebamus, quia tàm frequenter reſponſa variabat. Ille verò noluit acquieſcere. Archiepiſcopus verò reſpondit, dum hoc ei retuliſſemus, ſe paratum eſſe parere Regi quidquid debet, & ſervare, quod ab anteceſſoribus ſuis ſervatum eſt, quatenùs poſſit, ſalvo ordine ſuo: ſed novas inire obligationes, quæ deceſſoribus ſuis præſtitæ non ſunt, & promittere aliquid hujuſmodi, niſi ſalvo ordine ſuo, ſibi eſſe illicitum ſine auctoritate domini Papæ: tùm quia novam formam in Eccleſiam inducere, pernicioſum eſſet;

tùm quia vobis inhibitus eſt, ne aliquid umquam tale promittat, niſi ſalvo honore Dei, & ordine ſuo. Et adjecit, quod eum increpando dixiſtis, quòd nec pro capite ſuo debuiſſet ſe ad talium conſuetudinum obſervantiam obligaſſe, niſi ſalvo ordine ſuo. Sed ſi Rex (prout mandaſtis) ei gratiam ſuam, & pacem, & Eccleſiam, & ablata ſibi & ſuis reſtituat; quidquid ſecundùm Deum, & ſalvo ordine ſuo poterit, libenter faceret ad voluntatem ejus, & ei diligentiſſimè, & devotiſſimè totis viribus ſervire ſtudebit. Placeat itaque ſanctitati veſtræ opem ferre Eccleſiæ laboranti, & perſeverare in eo, quod laudabiliter cœpiſtis: Quia (ſicut à multis audivimus & credimus) ſi perſeveraveritis, Eccleſiæ pax & ſalus in januis eſt.] Hæc Simon de Monte Dei, ſtrenuè miniſterium ſuum implens. De his etiam ſcripſit (a) Archiepiſcopus Senonenſis, qui præſto fuit, ad Papam, necnon ſanctus (b) Thomas ipſe Cantuarienſis Archiepiſcopus.

a Cod. Vat. l.4. ep.7.
b Ib. ep.6.
XXXVI.

Egerat inter hæc idem Rex Angliæ per duos Nuntios ſuos ad Alexandrum miſſos, ut auctoritas ſancti Thomæ ſuſpenſa eſſet, quouſque per ejuſdem Papæ Nuntios cauſa tractaretur, prout apparet ex litteris Alexandri Papæ ad eumdem Angliæ Regem datis, quas recitat ſub hoc anno Rogerius in Annalibus Anglorum, quarum eſt exordium: Magnificentiæ tuæ Nuntios, ſcilicet dilectos filios Joannem Cumin &c.] Eaſdemque (ut in eis teſtatur Pontifex) ſecretas, quas tamen Rex magna oſtentatione vulgaverat. Nam in primo colloquio Regum (ut vidimus) Rex Anglorum diſtulit pacem (ut ajebat) ne perderet privilegium, quod à Papa ſe accepiſſe dicebat, ut auctoritas Archiepiſcopi ſuſpenſa eſſet, quouſque pacem à Rege conſecutus eſſet. Cujus conceſſionis cauſa ſcias plurimùm à pluribus eſſe detractum ipſi Alexandro Romano Pontifici, provocante ad hoc omnes Angliæ Rege, ita odium & iracundiam excitante in ipſum, dum ipſas Alexandri litteras magna jactantia, faſtu regio publicè expoſuit, & recitari fecit in colloquio poſteriori: de quo idem (c) Thomas ad Conradum Archiepiſcopum Moguntinum: Suſpenſionem noſtram in utriuſque regni compitis quaſi voce præconia jactat Rex Angliæ, & in teſtimonium confuſionis meæ; Et quò me reddat magis oneroſum & odioſum hominibus; litteras Apoſtolicas profert. Gloriatur & terminum ſibi datum donec me velit recipere in gratiam. Quod ſi licuerit, facturus eſt ad Kalendas Græcas, ideſt numquam &c.] Id ea de cauſa, quòd Alexander Papa importuna ſurreptione Regis ſcripſerat, ut S. Thomas ſuper Regem & regnum tantiſper ſuſpenderet auctoritatem ſuam, quouſque pacem obtineret à Rege. Qua benignitate Pontificis Rex abuſus, pacem differebat dedita opera, eò quòd niſi ea conceſſa, auctoritas Archiepiſcopi ſuſpenſa eſ-

c Ib. ep.15.

A ſet. Qua de cauſa adverſùs Alexandrum declamatum eſt, non ab ipſo tantùm Archiepiſcopo, (d) ſed & à Francorum (e) Rege, atque (f) Regina, ab (g) aliis pleriſque, quibus juſtitiæ zelus ineſſet.

d Ib. ep.14.
e Ib. ep.18. 22.
f Ib. ep.19.
g Ib. ep.20. 23. 25. 28.

Tot igitur tantiſque ſuper his pulſatus querelis Alexander Papa, datis ad ſanctum Thomam (h) litteris ita ſe excuſavit:

h Ib. ep.16.
XXXVIII. Revocatio ſuſpenſionis S. Thomæ.

Ad diſcretionis tuæ notitiam credimus perveniſſe, qualiter illuſtris Rex Anglorum Henricus nobis Nuntios ſuos direxit, & quàm dura & aſpera, & quæ noſtrum animum plurimùm affligebant, per eos à
B nobis petierit, terribiles minas prætendens, niſi voluntati ejus condeſcenderemus. Nos verò, quia nondum perſecutio Eccleſiæ ceſſavit, nec temporis ſerenitas adhuc nobis, ſicut expediret, arriſit: impetum & motum animi ſui, etſi non exaudivimus petitiones ſuas, mitigare curavimus, & temperare; illo nempè timore perculſi, ne ad impediendam & diſturbandam pacem Eccleſiæ ſe (prout olim fecit) tyranno & flagitioſo inimico Eccleſiæ, *Friderico videlicèt Imperatori* aliquo fœdere ſocietatis adjungeret, vel materiam haberet ab Eccleſia, & noſtra devotione recedendi.
C Inde eſt, quòd nos temporis malitiam attendentes, de communi fratrum noſtrorum conſilio, fraternitati tuæ, ſub certa quaſi ſpe & fiducia, quòd te in gratiam ſuam recipiat, & Cantuarienſem Eccleſiam in tua libera diſpoſitione dimittat, per Apoſtolica ſcripta mandavimus, ut nec in ipſum, nec in perſonas regni, aut in regnum interdicti, ſeu excommunicationis, vel ſuſpenſionis ſententiam debeas promulgare, niſi alias noſtras litteras reciperes, in quibus, ſi idem Rex nollet tibi gratiam ſuam reddere: facultatem habeas in eum & ſuos
D officium tuum exercendi. Quapropter, quia tibi tamquàm fratri chariſſimo, & Eccleſiæ tuæ proprium honorem & libertatem cupimus omnibus modis conſervare, niſi (quod ſperamus, & ei propoſuimus) uſque ad initium proximæ Quadrageſimæ effectui mancipaverit, ſed in ſua fuerit obſtinatione induratus: tibi ex tunc auctoritatem tuam reſtituimus, ut tàm in perſonas, quàm etiam in regnum, & in ipſum Regem, ſi tibi & Eccleſiæ tuæ congruere & expedire cognoveris, facultatem liberam habeas, debitum officii tui, ceſſante omni appellationis obſtaculo, exercendi,
E gravitate ac maturitate pontificali adhibita, quam convenit adhiberi.] Hæc Alexander ad ſanctum Thomam. Sed & addidit adhùc aliam ad ipſum ejuſdem argumenti (i) epiſtolam, item aliam ad Regem Francorum eodem argumento. Sic igitur Alexander emendavit illud, quo Rex non ad pacem, ſed ad diſſenſionem abuſus eſt conceſſo privilegio temporis indefinitè. Porrò has (k) litteras revocationis ſuſpenſioniſque per duos nominatos Nuntios hoc anno Alexander voluit afferri ad ipſum Regem; qui ut vidit, magnoperè commotus eſt, exclamans in Pontificem; quòd repu-

i Cod. Vat. l.4 ep. 17. & 51. 20. Reg.
k Lib.3. ep. 1. & ep.23.

gnan-

Digitized by Google

gnantia ſibi invicem eodem anno decreta ſanxiſſet, alterum pro ipſo Rege, alterum contra ipſum, niſi pacem quamprimùm concederet. Quænam autem hæc ſecuta ſint, dicemus ſuo loco anno ſequenti.

XXXIX. Quod pertinet ad reliquas Alexandri Papæ res geſtas anni hujus, hæc habentur in Actis ipſius: Eodem tempore idem Pontifex * Viſcanem & Cajetanum Epiſcopos de ſimonia impetitos, atque convictos depoſuit.] Poſt hæc autem iſta ſubiiciuntur de ſchiſmaticis: Accidit etiam, quòd Joannes presbyter Cardinalis tituli ſancti Martini, qui à principio hujus ſchiſmatis cum Octaviano & ejus ſucceſſore Guidone Cremenſi Eccleſiam non deſtitit perſequi; cùm extra Viterbium equitaret, ſubitò corruit, & confractis cervicibus, impœnitens vitam peſſimam finivit morte. Ipſe quoque Guido Cremenſis, qui ipſi Octaviano ſucceſſerat in ſchiſmate, incurabili morbo percuſſus, pede neceſſe habuit claudicare quamdiù vixit.] De Romanis iſta narrantur ibidem: Romani autem, cùm in Teutonicos ſibi illatam injuriam vindicare non poſſent, ad Albanos ea ſe occaſione convertunt, quia cum Imperatore adversùs eos ſteterant, & offendere præſumpſerant; & tamdiù hoſtiliter pugnaverunt, donec eorum civitatem captam funditùs deſtruxerunt. De Tuſculania quoque, & aliis circumpoſitis fortioribus civitatibus pro conſimili cauſa idem facere nihilominùs laboraverunt. At quoniam eorum injuſtis conatibus Eccleſia non conſenſit: ab hujuſmodi propoſito deſtiterunt ad modicum tempus.] Reliqua anno ſequenti.

*Tuſcanẽſem

Schiſmatici Cardin. miſerandus interitus.

Quid Romani in Albanos.

XL. Sed Deus mirabilis in conſiliis ſuper filios hominum fecit, ut dum pugnat Alexander Papa pro Eccleſiæ juribus adversùs Anglorum Regem, nec proficit; alium hoc eodem anno vincat Regem, qui ſpontè ſe illi ſubiicit, cedens penitùs volens libenſque detentis hactenùs injuſtè uſurpatis ſanctæ Eccleſiæ juribus. Nam hoc eodem anno Hungariæ Rex ſanctam Romanam Eccleſiam in integrum reſtituit in iis, quæ ſibi idem Rex uſurpaverat adversùs Eccleſiaſticam libertatem, deque his ejuſmodi diploma conſcripſit, quod aſſervatur in Vaticana Bibliotheca, libro qui inſcribitur Cencii Cameralis:

H. Dei gratia Rex Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, * Ramæque eadem gratia Strigonienſi * Colonienſi Archiepiſcopis, atque eorum Suffraganeis, Præpoſitis quoque regalibus, necnon omnibus univerſaliter Eccleſiaſticis perſonis in prædictis Archipresbyteratis conſtitutis, tàm præſentibus quàm futuris.

*Colocenſi

Conſentaneum rationi eſſe dignoſcitur, ac ſanctarum Scripturarum teſtimonio comprobatum, ut qui regiæ celſitudinis culmen ab æterno Rege meretur, quæ ad Eccleſiæ & Chriſtianitatis noſcuntur profectum in aliquo pertinere, tantò teneatur providere ſollicitudine, & cautela intendere, quantò pro honore à divina ſibi diſpoſitione collato debet ſuo Creatori devotionem uberiorem præ cæteris exhibere. Ea propter propria ratione inducti, & ſaluberrimis exhortationibus M. venerabilis S. R. E. diaconi Cardinalis propenſiùs, attentiùſque commoniti, devotionem quoque venerandæ memoriæ Regis G. patris veſtri, quam circa ſacroſanctam Romanam Eccleſiam, & ſanctiſſimum Patrem noſtrum dominum Alexandrum Secundum ſummum Pontificem ſtuduit per omnia exhibere, modis omnibus quibus poſſumus imitari volentes, conſtitutionem ſuper inſtitutione, & tranſmutatione Epiſcoporum, quod in ſe, & ſuis poſteris domino Alexandro Papæ, & ſuis ſucceſſoribus noſcitur conceſſiſſe, videlicèt quòd ſine auctoritate conſiliove ejus, vel ſucceſſorum ſuorum depoſitionem, ſeu tranſlationem Epiſcoporum non faceret, vel fieri permitteret, confirmamus, & tàm in nobis, quàm in poſteris noſtris perpetuò inviolabiliter duraturam cenſemus.

XLI. Præterea antecesſorum noſtrorum conſuetudinem retrò habitam relinquentes, in nobis & in noſtris poſteris immobili firmitate ſancimus valiturum, quòd decedentibus Epiſcopis, in rebus Epiſcopalibus procuratores laicos de cætero non ponemus, atque poni nullatenùs permittemus: ſed honeſtos clericos, qui vitæ ac morum honeſtate ſint comprobati, & de ipſarum Eccleſiarum rebus moderatè accipiant, ibidem inſtituemus, qui relicta bona fide, & ſine fraude aliqua, ad reædificationem ipſarum Eccleſiarum, & domorum Epiſcopalium, ſeu Canonicorum, ad uſus quoque pauperum & orphanorum debeant obſervare. Nos verò, vel poſteri noſtri nihil umquàm de eiſdem rebus in uſus proprios redigemus de cætero, niſi fortè (quod abſit) hoſtes intraverint, vel aliqua alia urgentiſſima neceſſitas poſtulaverit. Tunc quoque id ſine ipſorum conſilio non faciemus.

Etiam addimus, & robore inconcuſſo, tàm in noſtris, quàm in poſteris noſtris perpetuò obſervandum ſtatuimus, quòd regales Præpoſiti, vel Abbates de ſuis Præpoſituris, vel Abbatiis, ſeu dignitatibus, non amodò deponentur (in hac parte conſuetudini noſtræ antiquæ per nos & poſteros noſtros renuntiantes) niſi contingeret eos ſuper certo crimine canonico ordine convinci, vel crimen ſuum publicè confiteri. Ad hæc C. Archiepiſcopus * Colonienſis, omnes Epiſcopi, & Electi, regales Præpoſiti munificentiam ac liberalitatem, pro reverentia beati Petri & ſanctiſſimi Patris noſtri domini Papæ Alexandri, necnon M. venerabilis diaconi Cardinalis Apoſtolicæ Sedis Legati conceſſiones attendentes, pravam ſuam conſuetudinem, & omnibus canonibus obviantem, quæ in inſtruendis & deſtruendis Præpoſituris, aliiſq; dignitatibus exercebant: in omnibus prædicti Cardinalis arbitrio penitùs reliquerunt. Unde communi conſenſu, ac libera eorum omnium voluntate decernimus,

*Colocenſis.

& inviolabiliter præſenti privilegio valiturum perpetuò ſtabilimus, quòd nulli Archiepiſcoporum, Electorum, Præpoſitorum, ac Abbatum deinceps licentia pateat, de Præpoſituris ſuos Præpoſitos removere, vel alias Eccleſiaſticas perſonas ſuis dignitatibus, aut Eccleſiaſticis beneficiis privare, niſi fortè fuerint de crimine convicti canonicè vel confeſſi. Hæc autem omnia de conſilio glorioſæ Reginæ matris noſtræ, & Archiepiſcoporum, Epiſcoporum omnium, Electorum, Præpoſitorum regalium, atque Abbatum, Comitum omnium, procerum, & aliorum Principum ſtabilia ac firmiter roborata noſcantur. Act. in civitate N. anno milleſimo centeſimo ſexageſimonono.] His Deus Eccleſiæ triumphis Vicarium ſuum preſſum anguſtiis magnoperè exhilaravit, cui etiam ad lætitiæ cumulum adjecit, ut magnum in Oriente Principem ex hoſte converterit in Chriſtianum.

XLII.

a Matth. Paris hoc anno.

Soldani Iconii ad Chriſtum converſio.

Hoc namque (a) anno baptizatus eſt in Cilicia clandeſtinè Soldanus Iconii opera ipſius Alexandri Papæ. Quomodò autem iſta ſe habuerint, enarremus. Erat huic mater Chriſtiana, ſed occulta ob metum, quæ proximè moritura filio ſignificavit ſe eſſe Chriſtianam, & in Chriſti fide conſtantem ex hac vita migrare, hortans eum, ut & ipſe fieret Chriſtianus. Hæc habet Matthæus Paris hoc anno, ſed Robertus in Appendice ad Sigebertum, anno milleſimo centeſimo octuageſimoprimo, ubi plura de miraculis ad Crucem ejuſdem matris rogatu ſuper ejus ſepulcrum affixam refert, quæ reddituri ſumus inferiùs. Soldanus igitur cùm verbis matris, tùm libris divinæ Scripturæ quos legebat, flagrans ardore Chriſtianæ Fidei ſuſcipiondæ, Legatos ad eumdem Alexandrum Pontificem miſit, petens de Chriſtianæ Fidei myſterio plenè inſtrui, mittique ab eo virum, à quo Chriſtianam religionem edoceretur. Accipiens Alexander ejus litteras, atque Legatos, reddidit ad eum epiſtolam, cui Catechiſmum totius Chriſtianæ Fidei inſeruit. Cujus exordio iſta habentur demiſſa ab eodem Soldano legatione ad Apoſtolicam Sedem: (b)

b Extat apud Petr. Bleſ. inter tract. ejuſdem.

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Soldano Iconii veritatem agnoſcere, & agnitam cuſtodire.

XLIII.

Alex. Papæ ad Soldanum Iconii litteræ.

Ex tuis litteris, & Nuntiorum tuorum fideli relatione cognovimus, quòd in votis habeas ad Chriſtum converti. Cùmque jam receperis (ut audivimus) Pentateuchum Moyſi, prophetiam Iſaiæ & Jeremiæ, Pauli etiam Epiſtolas, atque Joannis Evangelium & Matthæi, poſtulas tibi mitti virum aliquem orthodoxum, per quem in lege Chriſti, quaſi vice noſtra pleniùs inſtruaris. Nos autem petitioni tuæ plurimùm in Domino commendabili grato concurrentes aſſenſu: tales excellentiæ tuæ procurabimus deſtinare, qui apud te in doctrina ſana, & ſalutaribus monitis vices Apoſtolicæ auctoritatis ſuppleant: quorum etiam mores & meritæ ab honeſtate & munditia eruditionis Evangelicæ non diſcordent. Quoniam verò noſtræ Fidei ſeriem & tenorem litteris tibi ſupplicas aperiri: nos tuis congratulantes deſideriis, illam ſub quodam compendio & quaſi digito tenus intimamus. Illud igitur piè credas, & fideliter teneas, quòd unus eſt Deus &c.] Pergit cuncta Catholicæ Fidei myſteria ingerere, & elucidare. Extat epiſtola ipſa recitata à Matthæo Paris hoc anno, noviſſimè cuſa unà cum libris Petri Bleſenſis, diligentia Joannis Buſæi in lucem editis. Porrò Paris poſt eamdem epiſtolam recitatam hæc addit: Soldanus igitur his informatus ſalubribus admonitionibus, Baptiſmi ſuſcepit clanculò ſacramentum. Primates enim ſui, quia Romæ tot ſcaturiunt enormitates, dicebant: Quomodò ex uno fonte aqua dulcis & ſalſa poterit emanare? Ubi Chriſtiani fontem juſtitiæ ſentire tenerentur, inveniunt * laricem toxicatum.] Hæc ipſe puto ob pravos qui irrepſerant mores hiſce perditiſſimis temporibus tot ſchiſmaticorum Pontificum, & ipſorum Romanorum, in legitimum Pontificem Alexandrum ſæpiùs inſurgentium.

* latiem

XLIV.

An autem Alexander quos promiſit, miſerit ad Soldanum viros Catechiſtas, & quos miſerit, nobis incompertum. Quibus autem præ cunctis ſignis potuerit Soldanus idem urgeri, ut ſategerit fieri Chriſtianus: Robertus in obitu ejuſdem Soldani matris ita deſcribit:

Mater Soldani de Iconio veniens, ad extrema revelavit filio ſuo, quod ſemper celaverat, quòd ſcilicet eſſet Chriſtiana, & rogavit eum, ut crederet in Chriſtum, qui eſt Dominus & Rex omnium ſæculorum, & quòd amaret Chriſtianos. Quod ipſe ſpopondit ſe facturum: ſed dixit, quòd ipſe non auderet apertè credere in Salvatorem propter Paganos. Dixit ei mater ſua: Fili, cùm mortua fuero, fac mihi excelſam ſepulturam, & pulchrum, ſicut pyramidem, pone ſuper eam ſignum Crucis Chriſti. Cui ille, de luce ſe hoc facere non poſſe reſpondit: Tu fac (inquit mater ejus) de nocte. Quod & factum eſt. In craſtino autem cùm Agareni vidiſſent ſignum illud, indignati ſunt contra Principem, & volebant eum occidere. Tunc quidam ex ipſis ſublevatus ſuper machinas, conabatur eam deponere Crucem. Qui voluntate Dei corruit & mortuus eſt. Similiter & alius interemptus eſt alia vice. Tertia die cùm conveniſſent multa millia hominum ad deponendum ædificium illud, venerunt fulgura & coruſcationes, & illo primitùs perempto qui adverſabatur, multa millia perierunt igne divino. Tunc apparuit Angelus Domini, & clariſſimum ſignum Crucis poſuit ſuper pyramidem illam. Ex quo multi crediderunt in Chriſtum, & adhùc Crucem illam venerantur & adorant.] Hæc Robertus ſcriptor hujus temporis.

XLV.

De clade ex terræmotu.

Hoc anno magnum iræ Dei peccatis provocatæ malorum in Sicilia eſt demonſtratum

tum exemplum, quod ita deſcribitur ab Hugone Falcando, qui iſta oculis intuebatur, hocque tempore accidiſſe ſignificat; Eodem, inquit, anno, quarta die Februarii, *in vigiliis ſanctæ Agathæ*, circa primam horam ejuſdem diei vehemens terræmotus tanta Siciliam excuſſit violentia, ut in Calabria quoque, quæ circa Rhegium oppidaque proxima, ſentiretur. Catanenſium opulentiſſima civitas uſque adeò ſubverſa eſt, ut ne una quidem domus in urbe ſuperſtes remanſerit. Viri ac mulieres circiter quindecim millia cum Epiſcopo ejuſdem civitatis, maximaque parte monachorum ſub ruina ſunt ædificiorum oppreſſi &c.] Pergit narrara de cladibus aliarum civitatum, aliiſque prodigiis, quæ tunc in Sicilia acciderunt. Sed cauſam audi à Petro (*a*) Bleſenſi, qui in Sicilia apud Vvillelmum Regem juniorem vixerat. Scribens hic enim ad Richardum Syracuſanum Epiſcopum, hæc de his habet: Cùm alios fideles ſibi populos flagellet Dominus in ſpiritu miſericordiæ & manſuetudinis: plebem Siciliæ flagellat nunc in judicio Sodomæ & Gomorrhæ, nunc in plaga Dathan & Abiron, nunc in ſpiritu judicii & ardoris. Scitis quòd Ætna mons frequenter ignes ſuos in immenſum circumquaque diffundit, & adhùc per ſpacium diætæ unius undique combuſta & deformata eſt tota facies regionis. Sævientis flammæ procelloſa vorago omnes incolas aut combuſſit, hæreditas miſerorum data eſt in combuſtionem & cibum ignis: & ut expreſſiùs loquar, ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.

a *Petr. Bleſ. ep. 46.*

XLVI. In omnem terram, & in fines Orbis terræ jam exiit plaga illa, qua nuper in Sicilia percuſſi ſunt Catanenſes in vigilia beatæ Agathes, cùm Epiſcopus ille damnatiſſimus, frater Matthæi Notarii, qui, ſicut ſcitis, ſibi ſumpſit honorem non vocatus à Domino tamquàm Aaron, & qui ad ſedem illam non electione canonica, ſed Giezitica venalitate intravit: cùm, inquam, abominationis offerret incenſum, intonuit de cœlo Dominus, & ecce terræmotus magnus factus eſt. Angelus enim Domini percutiens Epiſcopum in furore Domini, cum populo & univerſa civitate ſubvertit. Patet itaque, quia beatiſſimæ Agathes offenſam ſuis exigentibus peccatis incurrerant.] Hæc Petrus. Eadem & Rogerius in Anglicanis Annalibus, ſed non ſuo loco, anno videlicèt milleſimo centeſimo ſexageſimoquarto. Sed redeamus ad Petrum. Graviſſima eſt ejuſdem auctoris querela de novo Rege juniore Vvillelmo, quòd manu laica introduceret Epiſcopos in Eccleſias, eoſdem contra canones intrudendo, (*b*) ſcribens de his ad Regis Capellanum, qui ejuſdem Regis animam curandam ſuſceperat. At ſi talis Bonus (ita namque iſte Vvillelmus Bonus cognomento dictus eſt reſpectu Mali, ipſius prædeceſſoris) qualis putatis fuerit Malus? Sed audi

b *Petr. Bleſ. ep. 10.*

A Petrum de Bono mala tanta ſcribentem:

XLVII. *Vvillelmus bonus valde perverſus.*

Diu eſt, quòd rumor inſonuit, & publicè jam crebreſcit, quòd dominus tuus Rex Siciliæ ſalutis ſuæ, & paternæ traditionis oblitus, cum Comite Loritelli in ruinam, & deſolationem Agrigentinæ Eccleſiæ conjuravit, intendit epiſcopare fratrem Comitis; & ipſum reclamante Capitulo, violenter intrudit. Tu verò cùm ſcias eum ſtatuam eſſe, & truncum inutilem, miror, quòd non aſcendis ex adverſo, & te pro domo Iſrael non opponis. Infelix ego homo, cur non habeo copiam illius Comitis, B ut aliquid perſuadeam homini inhumano? O deteſtanda operatio! ò adoleſcentia deploranda! Filius Eccleſiæ quare ſe erigit contra matrem? Cur abjecit conſilium pietatis, & abiit in conſilio impiorum? in una die peribunt cogitationes eorum: conſilium autem Domini manet in æternum. Væ terræ, cujus Rex puer eſt. Doleo quòd inter primitias dominationis ſuæ, & inter initia unctionis Regiæ hoc præſumit. Virtus equidem conſecrationis ab hujuſmodi violentiis eum utinam temperaſſet: magna enim eſt hujus efficacia ſacramenti.] Et inferiùs de alio ejuſdem facinore: Et C quia ille miſerabilis adoleſcens in theſauros Eccleſiæ conſilio malignorum manus rapaces iniecit, vereor ne in eum Dominus excandeſcat, & eveniat, quod dicit Job: (*c*) Theſauros, inquit, quos devoravit, evomet, & de ventre ejus extrahet illos Deus. Luet quæ fecit omnia, nec tamen conſumetur. Non decebat eum manus laicas ad ſacra porrigere. Frequenter debueras ei ſuggeſſiſſe, qualiter Oza (*d*) fuit percuſſus à Domino, eò quòd in Arcam Domini manus, devotè quidem, ſed indignè porrexerit.] Et poſt multa ad eum de eodem hæc ſubiicit: Habet tuarum D continentia litterarum, quòd ipſum primò blandè & amicabiliter convениſti: ipſe autem reſpondit, ſe non eſſe in culpa, ſed Comitem Loritelli. Cùm verò eumdem iterùm conveniſſes, te (ſicut aſſeris) reputavit inſanum. Ideò ori tuo impoſuiſti ſilentium, proprioque ipſum arbitrio dimiſiſti. Quòd primò uſus es blanditiis, prudentiæ adſcribo: non enim litibus exaſperandi ſunt Principes, ſed temperatiùs corrigendi.] Et ad finem epiſtolæ:

c *Job. 20.*

d *2. Reg. 6.*

XLVIII. Utinam maturiùs ſaperet & intelligeret, utinam prudentiùs inter ſpiritualia & mundana diſcerneret: peremptorium enim eſt E in Principe, vel auram adorare munerum, vel favorem quærere perſonarum: teſte ſiquidem Propheta: (*e*) In quorum manibus iniquitates ſunt, dextera eorum repleta eſt muneribus: tranſibunt verò iniquitates in pœnam, & munera in dolorem: quia teſtimonio (*f*) Job, ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt. Benedictus autem Dominus, qui Regem Anglorum Henricum à talibus hactenùs conſervavit innoxium. Manus enim ſuas excuſſit ab omni munere, nec in Prælatis Eccleſiæ promovendis ipſum

e *Pſal. 25.*

f *Job. 15.*

Xx 2 umquam

A umquam inflectere potuit vel muneris oblatio, vel gratia perſonalis: ideò magnificavit eum Dominus in conſpectu Regum, & juxta nomen magnorum, qui ſunt in terra, theſaurizavit ſuper eum gloriam & honorem.] At quod reſpicit Siciliæ Epiſcopos, eſt etiam querela ejuſdem Petri in commentario, quem ſcripſit de inſtitutione Epiſcopi adversùs Epiſcopos ejuſdem regni Siciliæ; qui in obſequium Regis morarentur in Curia, ubi juſta Dei diſpenſatione contigeret eoſdem dira pati ab ipſo Rege; ait enim:

XLIX. Adversùs Epiſcopos Curiales.

B Quidam tamen per uſurpatas ſæculi adminiſtrationes ſe vinculo Curiali obnoxiant, & quaſi ſuæ renuntiaverint privilegio dignitatis, calculum durioris eventus expectant. Nam pro cauſa hujuſmodi hodiè in Sicilia mancipati ſunt Epiſcopi quidam carceralibus vinculis, nec aliquod expectant ab Eccleſia Romana ſolatium: quibus improperatur à ſummo Pontifice, ut bibant de calice, quem ſibi temerè miſcuerunt.] Et in fine poſt multa, quibus hortatur Epiſcopos ad jura tuenda periclitantis Eccleſiæ, & ad tuendam Eccleſiaſticam libertatem, hæc habet: Duo ſunt, juſtitia & libertas, pro quibus quiſque fidelis uſque ad ſanguinem ſtare debet. Si ergò res exegerit: pro juſtitia & libertate Eccleſiæ non dubites facultates tuas raptoribus, famam ludibrio, fortunam periculis, & caput hoſtilibus gladiis objectare. Delectabile ſpectaculum eſt Angelis &c.] Quod ad Siculos Præſules ſpectat, locuples teſtis eſt harū rerum ſcriptor hujus temporis Hugo Falcandus, dum tragœdias paſſim Siculorum miſcet Epiſcoporum, qui cùm hoc appeterent, ut apud Regem præcipui haberentur, regnique negotia pertractarent, id conſecuti, mox adverſantium invidia perurgente, ſive ſublati veneno ſunt, ſive exilio pulſi, vel carcere regio coarctati. Tunc accidit, ut (quod & ſuperiùs alia occaſione eſt enarratum) Petrus Bleſenſis iſta videns, eadem execratus, ex Sicilia recedendi conſilium iniit, & perfecit quod ſtatuit, nullaſque retineri potuit dignitatum illecebris, receſſit è Sicilia, venit Genuam, atque ad Henricum Regem navigavit in Angliam, à quo humaniſſimè exceptus eſt, & ab eodem anno ſequenti (ut ſuo loco dicetur) miſſus eſt Romam. Porrò illud laude dignum in Petro, quod licèt inter primos Regis familiares allectus fuit, ita illi fideliſſimè miniſtravit, ut tamen nequaquàm Regis contra ſanctum Thomam laudaverit umquam irrationabiles impetus excitatos, ſed faverit potiùs ſancto Thomæ, C ut ejus litteræ ſequenti anno conſcriptæ declarant, quas ſuo loco opportunè reddemus.

JESU CHRISTI ANNUS 1170.	ALEXANDRI PAP. III. ANNUS 11.	FRIDERICI IMP. 16. MANUELIS IMP. 28.

I. Legatio ultima miſſa ab Alex. Pap. ad Reg. Angl.

ANnus ſequitur Redemptoris ſeptuageſimus ſupra milleſimum centeſimum, Indictione tertia, quo Alexander Papa adhùc novam per Epiſcopos decernit legationem ad Henricum Regem Anglorum, D delecti fuerunt ad hoc opus Rotrochus Archiepiſcopus Rothomagenſis, Bernardus Epiſcopus Nivernenſis, atque Vuillelmus Epiſcopus Senonenſis, poſteà additus, probatæ fidei, & ſpectatæ probitatis Antiſtes, ad quos pro hujuſmodi obeundo munere extant ipſius Alexandri Papæ litteræ (a) ſeorſum ad ſingulos datæ poſt reditum Viviani, communes verò litteræ (b) de iis, quæ cum Rege tractanda eſſent, nimirùm ut S. Thomas ad ſuam rediret Eccleſiam, omneſque poſſeſſiones Eccleſiæ ablatas reciperet, & item exules alii ſinguli quique ſua reciperarent. Pacem plenam eidem concederet in oſculo ſancto, ſi minus ad id cogi poſſet (quod juraſſet numquam id facturum) per filium ſuum impleret, quod pollicitus erat. Et quod conſuetudines pravas contra Eccleſiaſticam libertatem aboleret, penitùſque condemnaret, & Epiſcopos, qui promiſerant eas ſervare, à promiſſione iidem Nuntii abſolvant: quòd ſi ſpes ſit pacis, abſolvant excommunicatos ea conditione, ut ſi pax ſecuta non fuerit, in eãdem reincidant excommunicationem abſque aliqua appellatione. Porrò has conditiones intra dies quadraginta implendas eſſe præſcripſit. Quòd ſi dicto tempore pax conſecuta non eſſet, nec conditiones impletæ: mox provinciam ciſmarinam, ubi Rex aderat, ſubiicerent interdicto. Hæc ſunt quæ Legatis in mandatis ab Alexandro Pontifice data ſunt, Apoſtolicis litteris ſcriptis hoc anno Beneventi decimoquarto. Kal. Februarii. Dedit & alias de eadem legatione (c) litteras ad diverſos idem Pontifex Alexander, in primis verò ad ipſum Regem Henricum: (d)

a *Cod. Vat. lib. 5. ep. 2. 4. 17.*
b *Ib. ep. 5.*
c *Ib. ep. 7. 8. 9. & 10.*
d *Ib. ep. 1.*

II.

Dum iſta tractantur, nova ſunt oborta diſſidia, eò quòd ipſe Rex Henricus filium ſuum in Regem voluerit coronari per Archiepiſcopum Eboracenſem, cùm id eſſet muneris & privilegii primæ Anglorum ſedis, nempè Cantuarienſis. E Quamobrem Alexander Papa ubì audivit, has ad Eboracenſem Archiepiſcopum & alios Angliæ Epiſcopos litteras dedit: (e)

e *Cod. Vat. l. 4. ep. 42.*

Nova oborta altercatio ob coronationem filii Reg. Angl.

Quoniam ad audientiam noſtram multorum jam pridem relatione pervenit, quòd coronatio Regum Angliæ & inunctio ad Cantuarienſem Archiepiſcopum de antiqua Eccleſiæ ſuæ conſuetudine & dignitate pertineat: fraternitati veſtræ præſentibus litteris auctoritate Apoſtolica diſtrictiùs inhibemus, ut ſi illuſtris Rex Anglorum filium ſuum, dum venerabilis frater noſter Thomas Cantuarienſis Archiepiſcopus in exilio fuerit, coronari voluerit,

Digitized by Google

A luerit, & in Regem inungi: nullus veſtrum ei manum imponere præſumat, aut ſe exinde aliquatenus intromittere audeat. Quod ſi quis veſtrum attentare præſumpſerit: id in periculum officii & ordinis ſui noverit proculdubio graviter redundare. In his verò appellationis remedium volumus denegari, & omnem malignandi occaſionem excludi. Dat. apud Giſvinarium quarto Kal. Martii.] Scripſit

a Ib. ep. 44. & ſeorſum ad ipſos (a) Angliæ Epiſcopos, nec non ad ipſum S. (b) Thomam,
b Ib. ep. 43.
cujus Eccleſiæ in ſua privilegia lædebantur. Ipſe verò (c) Thomas nomine Romani Pontificis ſcribens ad Eboracenſem
c Ib. ep. 42. 46.
B Archiepiſcopum, & alios Angliæ Epiſcopos, id itidem faciendum inhibuit. His acceptis adeò commotus eſt Rex Angliæ, ſive miniſtri ejus, ut conſtitutionibus Papæ, & Archiepiſcopi iſta vetantibus non obedire, firmare eos fecerint juramento; quod adeò execrandum nefas mox ſanctus Thomas redarguit, his ad eos litteris

d Ib. ep. 47. (d) ſcriptis in Anglia conſtitutos.

III. Rex Angliæ impiè jurare fecit Anglos contra Papam & Archid. Cant.

Sciatis, chariſſimi, quòd in multa tribulatione & anguſtia cordis ſcripſimus, non quidem ut vos contriſtemus, ſed ut intelligatis quam charitatem habeamus abundantiùs in vobis. Teſtis enim mihi eſt
C Deus, quomodò cupiam vos in viſceribus Chriſti JESU. Unde cognitis, quæ tàm corporis proximè, quàm animæ veſtræ periculo, & ad ipſius quidem injuriam, noſtris inaudita temporibus geſta ſunt: non modicùm contriſtamur & confundimur propter vos. Patet ſiquidem, fama vulgante, qualiter dominum Papam, qui ipſius Chriſti imaginem gerit, & me pariter, qui licèt indignus, Pater tamen & Epiſcopus animarum veſtrarum conſtitutus ſum, abjuraveritis. Hoc & præ cæteris, quæ in exemplum juſti Judicii magni Dei, jam pluribus annis ſuſtinuimus,
D nobis ad incredibile preſſuræ noſtræ augmentum acceſſit. Illud quippè tàm deteſtabile, tàm flagitioſum juramentum quantum jam generat ſcandalum mundo, offenſam Deo, vobis culpam, nobis afflictionem? Præpoſitos ſiquidem à Deo abjurare, ipſius qui Præpoſitos conſtituit, injuria eſt & noſtra, qui præficimur, ſed potiùs ejus qui præfecit, inhonoratur poteſtas, evacuatur obedientia. Quod profectò vitium (vobis confidenter dico, ſed lacrymabiliter propter vos) idololatriæ par & ſimile eſt: nam ait Propheta: Quaſi peccatum ariolandi eſt, repugnare, & quaſi
E ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere. Unde ſtatuto veteris Legis tales tamquàm verè idololatræ, corporalis mortis reportabant ſententiam. Vos autem nunc feciſſe videmini, quod deterius eſt, quòd non ſolùm repugnatis, ſed etiam repugnaturos vos juramento firmatis. Illud quoque quale eſt, oves paſtores abiicere? profectò qui paſtores ſuos deſerunt, jam lupus invaſit: & niſi paſtor, quem abjuraverunt, nunc protegat, depaſcent eas in finem. Multa Scripturarum teſtimonia & Sanctorum

A exempla in veſtri deteſtationem delicti poſſent adduci; verùm tantæ exceſſus enormitatis etiam extremæ intelligentiæ hominibus claret.

IV. Si tamen non ſpontanei, ſed inviti tracti acceſſiſtis, in parte quidem excuſatur peccatum, ſed non excuſatur omninò. Sanctius fuiſſet corpus ipſum perdere, quàm juramentum execrabile perpetraſſe. Unde filii mortis univerſi vos. Quia (juxta quod Propheta ait de populo ſuo) & vos plaga inimici percuſſi eſtis, caſtigatione crudeli. Verùm ad manifeſtandam ſollicitudinem, quam pro vobis habemus ad Deum, vulne-
B ri tàm ſævo fomentum, quod ſolùm nunc ſupereſt, adhibere curavimus, & de tàm illicito juramento pœnitentes, illos præſertim, qui non ſpontanei, ſed coacti juraverunt, vice beati Petri Apoſtolorum Principis & Romani Pontificis & noſtra abſolvimus, Venerabilibus fratribus noſtris diœceſanis Epiſcopis, & etiam minoribus ſacerdotibus, ubi ſedes Epiſcopalis vacare contingit, vices noſtras in exteriori ſatiſfactione jam dictis pœnitentibus injungenda committentes, *admonentes* omnes, id ſcire volentes, vos tali juramento nequaquàm eſſe obnoxios, nec ut
C pareatis obligari, ne inſtar Herodis ſub prætextu pietatis efficiamini impii, & juramento excuſetis ſcelus ipſo deterius, juxta quod quidam ait: Non eſt obſervandum juramentum, quo malum incautè promittitur. Et item: In malis promiſſis reſcinde fidem, dirumpe votum, immuta decretum. Quod incautè voviſti, ne facias, & multa nimis, quibus nunc ſuperſedeo, his conſonantia ſunt.

V. In fine autem obſecro vos ego vinctus in Domino, obſecro quidem vos tamquàm filios mihi ſemper in Chriſto amplectendos, ut dignè ambuletis vocatione qua vo-
D cati eſtis, ut ipſius Chriſti primùm Fidem tenentes, poſteà ipſius obediatis Præpoſitis, ſubjacentes eis. Ipſi enim pro vobis invigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri. Scire autem volo vos fratres, quia & juramenta illicita, & cætera enormia multa, quæ pravis ſuggeſtionibus in oppreſſione juſtitiæ, & veritatis circa vos facta ſunt, ipſa favente veritate, magis evenient ad ipſius profectum. Veritas enim claudi & ligari poteſt, vinci verò non poteſt, quæ & ſuorum paucitate contenta eſt, & multitudine hominum non tenetur. Spiritus autem conſilii & ſapien-
E tiæ det vobis id ipſum ſapere in alterutrum, ut unanimes, uno ore honorificetis paſtores & Epiſcopos animarum veſtrarum, quos conſtituit ille magnus paſtor ovium in Sanguine æterni teſtamenti JESUS Chriſtus, & per charitatem ſancti Spiritus, ut patri veſtro jam naufraganti orationis veſtræ manus porrigatis, ut liberer ab infidelibus, prohibentibus etiam, ne in Eccleſiis pro me in carcere fiat oratio, quæ tàm commune Fidelium & Infidelium ſuffragium eſt. Gratia Domini noſtri JESU Chriſti ſit cum omnibus vobis, qui à

malè

malè præſtito juramento reſipueritis, & condignè & humiliter pœnitueritis. Cæteros verò Deus aut citò convertat, aut temporaliter affligat, quouſque reſipuerint, & condignam pœnitentiam egerint.] Hactenùs ad ſuos ſanctus Thomas. Porrò teſtificatione Joannis Sareſberienſis conſtat, non omnes eo modo jurare voluiſſe, in quos

a Cod. Vat. l. 5 ep. 18.

tamen (a) deſuper perſecutio pararetur; ait enim: Fama celebris eſt, quòd memoratus Cantuarienſis Archidiaconus Regi perſuaſit in Angliam transfretare, ut Epiſcopos torqueat & Clerum, qui contra dominum Papam & matrem ſuam Cantuarienſem Eccleſiam jurare noluerint. Undique metus & anguſtiæ undique &c.]

VI. Procuratur intereà per Regem indefeſſo ſtudio, ut in octava Pentecoſtes coronatio fieret, ſed de his quæ iſta præceſſerunt, extat relatio amici fidelis apud Regem manentis, qui & hæc omnia, ut alia ſæpè,

b Ib. ep. 10.

ſuis (b) litteris S Thomæ ita ſignificavit: Rex proxima Dominica die Londoniis debet eſſe, eò quòd Archiepiſcopum Eboracenſem, omneſque Angliæ Epiſcopos & Barones ad diem illam ex omnibus terræ partibus convocavit. Sanè ea die coronabit filium Regis Eboracenſis, uxore ejus, filia ſcilicèt Regis Francorum, apud Londonium derelicta, & quaſi repudiata in contumeliam patris & contemptum. Coronabitur certè puer ille quem diximus, & quando diximus, niſi Dominus mare clauſerit navigare volenti, vel manus contraxerit Eboracenſi, vel niſi Rex Francorum aliquo prohibitionis modo inhibuerit. Puer enim properat ad mare, & à patre expectatur in adverſo litore, & de mandato Regis, Bajocenſis, & Sagienſis Epiſcopi cum puero vadunt.] Et de litteris Papæ iſta fieri inhibentis iſta ſubdit: Litteræ ergò domini Papæ ſuper prohibitione conſecrationis hujus diu eſt quod mare tranſierunt, ſed inutiles prorsùs effectæ, in manus illius, cui traditæ ſunt, perierunt, nec alicui oſtenſæ, nec uſquatenùs propalatæ: Quid igitur proſunt quæ ſic occultantur &c.] Occaſionibus autem emergentibus dilata eſt coronatio Regis uſque ad natalem diem ſancti Joannis Baptiſtæ, de qua in Quadripartita hiſtoria habet iſta Vvillelmus ad finem libri ſecundi:

VII. Imminente verò ſolemnitate beati Joannis Baptiſtæ, ſub prætextu ordinandi regni, convocatis regni proceribus, primogenito filio ſuo regni ſui commiſit habenas. Et erant qui dicerent, quòd ſucceſſuro ſibi Rex præcaverat hæredi, aſſeverantibus aliis, quòd in odium Archipræſulis, & in læſionem dignitatis Eccleſiæ Cantuarienſis hoc fieret. Impoſuit autem ei manum Archiepiſcopus Eboracenſis in Cantuarienſi diœceſi, in Eccleſia videlicèt beati Petri apud Vveſtmonaſterium, contra dignitatem Eccleſiæ Cantuarienſis, & antiquam conſuetudinem, aſſiſtentibus ſibi & ſuffragantibus Præſulibus Londonienſi, Sareſberienſi, & Roffenſi, nec jus Eccleſiæ Cantuarienſis proteſtantibus, ad cujus

A dignitatem & jus Regum Anglorum coronatio ab antiquo tempore pertinere dignoſcitur. Poſt coronationem celebrato convivio, Rex Regi, pater filio dignatus eſt miniſtrare, & ſe Regem non eſſe proteſtari.] Sed quod queritur Deus (c) Regnant & non ex me, quàm manifeſtè declarant eventa, non benedictionem, ſed maledictionem per ſpuriam conſecrationem illam, per excommunicatum factam, & maledictum, eſſe conſecutum puerum Regem. De quibus idem auctor mox iſta ſubdit:

c Oſee 8.

Sed modicùm attendere libeat, quàm profana unctio, quàm odioſa, quàm inimica

B fuerit hæc conſecratio (ſi tamen conſecratio magis quàm execratio dici debeat, Apoſtolica benedictione deſtituta, immò in tranſgreſſione contra virum Apoſtolicum facta) quæ & ex mero odio, ira, & indignatione proceſſit, in odium patris ſpiritualis à patre carnali excogitata. Probant hæc lugubres in omnibus poſt futuris ſæculis deteſtandi, qui ex hac conſecratione provenerunt, eventus, ſacerdotum videlicèt ſuſpenſio, anathematizatio, Archipræſulis occiſio, ſemel & iterùm inter patrem & filium rebellio, & in fine egregiæ illius pueri conſecrati ſic in adoleſcentia omni-

C bus poſt futuris ſæculis præmaturæ mortis deteſtanda præventio &c.] Idem verò amicus (d) fidelis relationem ad eumdem miſit de coronatione facta his verbis:

d Cod. Vat. l. 5. ep. 33. VIII.

Tranſacta Dominica Rex apud Londonias filium ſuum cingulo militiæ donavit, eumdemque ſtatim Eboracenſis in Regem innuxit: ibique Rex filiis ſuis terras ſuas diviſit, cunctis admirantibus, quid de cætero ſit facturus. Adventum ſuum in Northmanniam quotidiè facit prædicari, ut magis timeatur. Sed nō veniet, quàm diu filiam Regis Francorum Cadomi cum Regina morantem veſtibus, equitaturis, & fami-

D lia decenter inſtrueret ad transfretandum, quando ipſe mandaret. Hoc autem factum eſt, ut audiat Rex Francorum, & ab indignatione, quam de contemptu filiæ concepit, aliquantiſper quieſcat &c.]

Querelas S. Thomæ de abſolut. Lōd. Epiſc.

His peractis, ſanctus Thomas cùm de omnibus, quæ in ſui, & Eccleſiæ Cantuarienſis contemptu facta eſſent, certum accepit nuntium (quod idem teſtatur auctor) litteras lugubres, querimoniis plenas ad Alexandrum Romanum Pontificem dedit; aliis etiam (e) permixtas querelis,

e Ib. ep. 21.

nimirùm quòd per Senonenſem Epiſcopum

E Legatum Apoſtolicæ Sedis jam anteà excommunicatus, ab ipſo Alexandro Pontifice fuerit ab excommunicationis vinculis abſolutus totius ſchiſmatis antesignanus, & ei haud diſſimilis Epiſcopus Sareſberienſis, in opprobrium totius Eccleſiæ, de his quidem in primis conqueſtus eſt ſanctus Thomas litteris apud Albertum Cardinalem, in quibus iſta ipſarum exordio amaritudine plena: (f) Utinam, dilecte mi, aures veſtræ ſint ad ora noſtratum, & audiant

f Ib. ep. 20.

illa, quæ in ignominiam Eccleſiæ Romanæ cantitantur in compitis Aſcalonis. Aliquid conſolationis Nuntii noſtri noviſſimi

vide-

videbantur à Sede Apoſtolica retuliſſe in litteris domini Papæ: ſed earum auctoritas evacuata eſt, miſſis à latere litteris, ut in vituperationem Eccleſiæ ſatanas abſolveretur. Soluti ſunt Apoſtolico mandato Londonienſis & Saresberienſis Epiſcopi, quorum alter incentor ſchiſmatis, & totius malitiæ artifex ab initio dignoſcitur extitiſſe, & tàm Saresberienſem, quàm omnes quos potuit, in criman inobedientiæ impegiſſe. Neſcio quo pacto pars Domini ſemper tractatur in Curia, ut Barabbas evadat, & Chriſtus occidatur. Auctoritate Curiæ jam ad finem ſexti anni proſcriptio noſtra & Eccleſiæ calamitas protractata eſt &c.] At iſta quàm injuſtè, licèt à ſancto viro juſtiſſimè (ut putabat) depromi viſa ſint, litteræ ipſius Alexandri Papæ ad Senonenſem Epiſcopum Legatum Apoſtolicæ Sedis ſignificant. Sed priùs quid idem Legatus, eodem argumento eadem referens, ad ipſum Papam ſcripſerit, hic reddamus: (a)

a *Ib. ep.* 25.

IX. Audiat, ſanctiſſime Pater, excellentia veſtra patienter quod loquimur, quia in amaritudine moratur anima noſtra, & tàm devotus filius veſter Chriſtianiſſimus Rex Francorum, quàm tota Gallicana Eccleſia turbatur à ſcandalis, quæ in diebus Apoſtolatus veſtri manant ab Apoſtolica Sede: Siquidem (ut noſtrates ajunt) ibi ſolvitur ſatanas in perniciem totius Eccleſiæ, iteratò crucifigitur Chriſtus, & qui manifeſtus ſacrilegus eſt & homicida, dimittitur. Procuravimus apud vos cauſam Eccleſiæ Anglicanæ, & in diſceſſu noſtro ei credebamus aliquatenùs eſſe ſubventum: Verùm ubi Londonienſem Epiſcopum nobis ignorantibus feciſtis abſolvi, res in contrarium lapſa eſt, & cornua data ſunt peccatori. Ecce enim Rex ille, cui nimis fuiſti propitius, filium ſuum conſecrari fecit in Regem, ſi tamen conſecratio eſt, quæ ab excommunicatis, & Spiritui ſancto inviſis, & Eccleſiæ impugnatoribus datur, & hoc in injuriam Cantuarienſis Eccleſiæ, & domini Regis Franciæ, cujus filiam noluit ille Deo & hominibus inimicus conſecrationis hujus eſſe participem. Hanc conſecrationem, ſeu potiùs execrationem fecit ille Eboracenſis veſtra, ut dicunt, auctoritate, aſſiſtentibus ſibi Londonienſi, & quibuſdam aliis nomine tenus Epiſcopis, quorum memoria in maledictione eſt. Vos ergò Pater de cœtero providete Eccleſiæ illi quæ periit in manibus noſtris, ne ſanguis ejus requiratur à vobis. Quod aliter fieri poſſe non credimus ad redimendam famam & conſcientiam veſtram, niſi præfatos maleſactores virtute Apoſtolica conteratis.] Hactenùs Senonenſis ad Papam. Extant ipſæ litteræ nomine Papæ ad Rothomagenſem datæ de abſolvendo Londonienſi ſub certis conditionibus; & inſuper aliæ (b) ipſius Rothomagenſis ad Alexandrum Papam de eo abſoluto die Paſchæ. Sed extant litteræ (c) ſancti Thomæ ad Rothomagenſem, qui fruſtrà impertitam abſolutionem non impletis conditionibus ipſius Alexandri Papæ affirmat. Sed adhùc inſuper præter hæc omnia extant aliæ ejuſdem S. Thomæ datæ (d) litteræ, quibus apud ipſum Papam conqueſtus eſt de his ipſis. Sed ſcias iſta omnia calumnioſè conficta, atque primùm, ſicut quod diceretur Eboracenſis Archiepiſcopus conſecraſſe Regem Anglorum auctoritate Romani Pontificis, falſum fuit, ut recitatæ ſuperiùs litteræ tàm ipſius Alexandri, quàm aliæ ab amico ad ſanctum Thomam datæ docent: ita non dubites, probari mendacium patens eſſe illud, quo aſſerebatur, Londonienſem & collegam eſſe abſolutos Alexandri Papæ mandato. Accipe igitur de his ejuſdem (e) Alexandri epiſtolam apologeticam ad eundem Senonenſem Epiſcopum ita conſcriptam:

b *Cod. Vat. l.* 5 *ep.* 16.
c *Ib. ep.* 19.
d *Ib. ep.* 24.
e *Ib. ep.* 26.

X. Se purgat litteris Alex. Pap.

Litteras quas nobis ſuper negotio venerabilis fratris noſtri Cantuarienſis Archiepiſcopi devotio tua tranſmiſit, gratanter admiſimus, & eas diligenter curavimus ac ſtudioſè audire. Verùm quoniam Londonienſis Epiſcopus ad nos nequaquàm acceſſit, nihil de cauſa ſua ſtatuimus. Sed ſi ad nos veniſſet, nos jam dicto Archiepiſcopo *Cantuarienſi videlicèt*, quantum ſalva conſcientia noſtra fieri poſſet, ſuam juſtitiam ſtuderemus conſervare. Qualiter autem in cauſa iſta proceſſimus, ei jam ex parte, nec non & chariſſimo in Chriſto filio noſtro Ludovico illuſtri Francorum Regi (ſicut tibi viva voce injunximus) ſatis credimus innotuiſſe. Nos enim nihil inde poſt diſceſſum tuum mutavimus, nec in poſterum duximus immutandum, licèt præfatus Anglorum Rex nos exinde per Conſules Lombardiæ, qui unà cum Nuntio coram nobis præſentes erant; necnon & per Nuntios chariſſimi in Chriſto filii noſtri Manuelis illuſtris Conſtantinopolitani Imperatoris inſtantiſſimè ſollicitaret, ut ei tempus deberemus aliquantulùm prolongare. Et quoniam ipſius Archiepiſcopi cauſam noſtram & Eccleſiæ reputamus, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenùs venerabiles fratres noſtros Rothomagenſem Archiepiſcopum, & Nivernenſem Epiſcopum ſuper diligenti ac feſtinanti executione præcepti noſtri ſtudioſè commoneas, & viva voce vel litteris, ſi utrumque non poteris præſentem habere, inſtantiùs exhorteris. Quòd ſi adhùc in negotio illo nullatenùs proceſſerunt: tu ipſos ex parte noſtra duriùs increpes, & graviùs redarguere non omittas. Si autem eos in præfati Regis terram ſententiam interdicti juxta præceptum noſtrum proferre contigerit: tu eam per ejuſdem Regis terram, quam in tua provincia habere dignoſcitur, omni excuſatione & appellatione remota firmam & inconcuſſam obſerves, & ab omnibus facias (quantum in te eſt) irrefragabiliter obſervari.] Hactenùs ad Senonenſem purgatio Alexandri Papæ. Qui licèt excommunicatum Londonienſem abſolvi præcepiſſet ad hoc, ut alibi ait, quo miniſter pacis eſſet, quid peccavit, cùm præſertim certis conditionibus id faciendum

dum

ricationibus prævaricationes adiiciens, tàm iniqua conſtituta ſub regiæ dignitatis obtentu & poſuit, & firmavit, ſub quibus & libertas perit Eccleſiæ, & Apoſtolicorum virorum ſtatuta, quantum in eo eſt, ſuo robore vacuantur. Nec credidit debere ſufficere, ſi ſub eo divinæ leges in regno Angliæ ſilentium & vacationem ſuſciperent, niſi peccatum tranſmitteret ad hæredes, & longo tempore faceret ſuum regnum ſine ephod, & ſine ſuperhumerali ſedere. Inde fuit; quòd illas iniquas uſurpationes abſque ulla exceptione, veſtro & aliorum fratrum, & Coepiſcoporum veſtrorum juramento fecerit firmare; & plectendum judicavit ut hoſtem, quicumque vellet ab iniquis illis conſtitutionibus diſſentire. Indicat hoc venerabilis fratris noſtri Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi exilium, demonſtrat & hoc clericorum & conſanguineorum ejus, illorum etiam, qui adhùc pendentes ab uberibus matris vagiebant in cunis, miſeranda proſcriptio; Et metus mortis incutitur, ſi ad hoc cujuſquam animus erigatur, ut contra ſtatuta illa divinis velit legibus obedire. Nos ipſi, quorum judicio prævaricationes illæ corrigendæ fuerant, aut plectendæ, ad confirmationem illarum ſub occaſione temporis impacati, multa fuimus inſtantia provocati, & laboratum eſt exactione non modica, ut uſurpationibus illis, cùm nondum nobis expreſſæ fuiſſent, auctoritatis conferremus Apoſtolicæ confirmationem: & hoc quidem à principio.

XIV. Proceſſu verò temporis exulante pro debito paſtoralis officii jam dicto Archiepiſcopo, & conſuetum Romanæ Eccleſiæ ſubſidium ab officio noſtro ſæpiùs requirente, miſimus ad jam dictum Regem de melioribus & majoribus fratribus noſtris; miſimus & alias Eccleſiaſticas perſonas, & putavimus, quòd duritia ejus in noſtra humilitate, & manſuetudine frangeretur, & fieret quod Salomon dicit: (a) Patientia lenietur Princeps, & (b) lingua mollis frangit iram. Ipſe verò ſufferentiam noſtram multiplici Legatorum arte deludens, uſque adeò contra monita noſtra videtur animum obduraſſe, ut nec contra prænominatum Archiepiſcopum deferveat, nec de perverſis ſtatutis illis quidquam minui patiatur: immò & ipſam Cantuarienſem Eccleſiam plurimo detrimento poſſeſſionum ſuarum afficiat, & in ipſo eam Eccleſiaſtico miniſterio antiqua ſpoliet dignitate. Nuper enim, cùm filium ſuum coronari voluerit, contempto eodem Archiepiſcopo, ad cujus hoc officium de antiquo jure dicitur pertinere, per manum tuam, frater Archiepiſcope, ei in aliena provincia diadema regni fecit imponi: In coronatione autem illius nulla ex more de conſervanda Eccleſiæ libertate cautio eſt præſtita, vel, ſicut ajunt, exacta: ſed juramento potiùs aſſeritur confirmatum, ut regni conſuetudines, quas avitas dicunt, ſub quibus dignitas periclitatur Eccleſiæ, illibatas debeat omni tempore conſervare. In quo

a Prov. 25.
b Ibid. 15.

A etſi multùm prænominati Regis nos vehementia conturbat; ampliùs tamen de veſtra, & aliorum Coepiſcoporum veſtrorum poſſumus infirmitate moveri, qui (quod dolentes dicimus) facti ſicut arietes non habentes cornua, abiiſtis (c) abſque fortitudine ante faciem ſubſequentis. Etſi enim hoc tibi licere fortè, frater Archiepiſcope, in propria provincia potuiſſet: quomodò tamen hoc in provincia aliena, & illius præcipuè, qui exulare pro juſtitia, & ferè ſolus exire voluit, & dare gloriam Deo, tibi licuit: nec de ratione poſſumus, nec de ſanctorum Patrum conſtitutionibus
B invenire.

XV. Quòd ſi ad excuſationem tantæ prævaricationis quiſquam objiciat, in aliis quoque regnis gravia plurima & enormia perpetrari: in veritate poſſumus reſpondere, quòd nullum adhùc regnum in tantum divinæ legis contemptum invenimus corruiſſe, ut ſcriptis & juramentis Epiſcoporum tàm manifeſtas enormitates fecerit communiri. Niſi quiſquam illud impudenter alleget, quòd ſchiſmatici poſtmodùm à Fidelium communione præciſi inaudita & damnabili ſuperbia commiſerunt. Unde quia juxta verbum Prophetæ: (d) A
C vobis judicium egreſſum eſt perverſum, in vobis factum eſt perverſum: quid ultra omnes alias provincias in uſurpationibus ſuis, & poſt tàm iniquas conſuetudines juramento firmatas, non adjeciſtis reſumere ſcutum Fidei, ut ſtaretis pro domo Domini in die prælii: ſed proſtraviſtis corpus veſtrum in terram, ut per vos fieret via tranſeuntium? Et ne, ſi diutiùs tacuerimus, unà vobiſcum in die Judicii damnationis ſententia involvamur: auctoritate ſacroſanctæ Romanæ, cui auctore Domino miniſtramus, Eccleſiæ, ab omni officio Epiſcopalis vos ſuſpendimus dignitatis: ſpe-
D rantes, quòd ſub diſciplina ſaltem, & paterno verbere conſtituti, redire tandem ad cor, & de tuenda debeatis Eccleſiæ libertate ſtagere. Si verò nec ſic zelum Epiſcopalis officii reſumpſeritis, nos adhùc, auctore Domino, quod nobis imminet, faciemus. Vos videte, ne illud vobis dicatur, quod cuidam dictum per Prophetam dicitur: (e) Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi. Nos enim, quia locum illius tenere (Deo prout ipſi placuit diſponente) conſpicimur, qui à prædicatione verbi Dei nec verberibus poterat, nec vinculis coerceri; non
E debemus ſub ambigua expectatione pacis creditam nobis divini verbi pecuniam in ſudario reponere, & alligatam eam tàm diu conſervare, donec paulatim lucrandi hora occurrat, & creditor veniens de reddenda acerbè nos conveniat ratione.] Huc uſque Alexander: quibus redarguitur mendacium patens, quo ejuſdem Pontificis fama nonnihil obſcurabatur.

XVI. Porrò eodem tempore Petrus Bleſenſis de iiſdem litteras dedit ad Joannem Sareſberienſem, æſtuans & ipſe zelo pro Eccleſiaſtica libertate, quam S. Thomas tuebatur:

c Thren. 1.
d Habac. 1.
e Oſee 4.

A tur: pro quo, ne in tot tribulationibus deficeret, ad roborandum ipſum, admonet pluribus eumdem Joannem, ad quem ſcribit Eſt planè digna auctore epiſtola, quæ
a Petr. Bleſ. ep. 22. ſic ſe habet: (a)

Chariſſimo amico ſuo magiſtro Joanni de Sareſberiis Petrus Bleſenſis Bathonienſis Archidiaconus ſalutem in auctore Salutis.

Petri Bleſ. epiſt. Quoties communes Eccleſiæ Anglicanæ preſſuras, dominique veſtri Thomæ Archiepiſcopi Cantuarienſis exilium diligenter attendo: plurimùm mihi credit ad ſolatium, quòd pro juſtitia Dei, & pro Eccleſiæ libertate ſe murum opponit, & ex ipſa perſecutione hac finem merebitur gloriosum. B Video, quia poſiti eſtis inter malleum & incudem, & aſſiduè ſupra dorſum veſtrum fabricant peccatores. Verumtamen, ſi in Chriſto, & pro Chriſto pugnatis: ipſe non permittet vos tentari ſupra id, quod poteſtis ferre; ſed faciet cum tentatione proventum, tolletque Dominus virgam peccatorum deſuper ſortem juſtorum, ut non extendant juſti ad iniquitatem manus ſuas. Si veritas non mentitur, veſtræ perſecutionis exitus beatitudo in-
b Matt. 5. terminabilis erit: (b) Beati, inquit, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam. C
c 1. Petr. 4. Petrus Apoſtolus dicit: (c) Nemo ex vobis patiatur, quaſi homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Martyrium enim facit non pœna, ſed cauſa, ſi-
d Ibid. 3. cut Apoſtolus ait: (d) Sed & ſi quid patimini propter juſtitiam, beati. Donum quidem Dei eſt in eum credere, ſed & donum optimum, pro Chriſto contumelias ſuſtine-
e Phil. 1. re. Vobis (inquit (e) Apoſtolus) donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm ut in illum credatis, ſed ut etiam pro ipſo patiamini. Vobis itaque congratulor, quia juſtitiam in judicium convertiſtis, quia quorumdam rebellionem atque contumaciam ſuſpenſio- D nis animadverſione reprimitis: ſi tamen hoc facitis rationis & juſtitiæ motu, non zelo ultionis, aut alienæ injuriæ appetitu. Nihil quæſo faciatis ex rancore vel odio, ſed omnia veſtra in charitate fiant: nec enim ex perſecutione hac ſalutis manipulos colligetis, niſi tota intentio veſtra procedat ex intimo charitatis. Porrò cùm per clibanum iracundia, ſive perſecutio in ſa-
f Levit. 2. cra pagina deſignetur: in (f) Levitico docemur ſacrificium, quod in clibano coquendum eſt, priùs aſpergere oleo charitatis, ne comburatur. Illius enim animus, qui ad tolerantiam perſecutionis ſe præpa- E rat, priùs demulcendus eſt oleo charitatis, ut nec in adverſis à charitate deficiat, nec adversùs fratrem ſuum zelo ultionis aut odio inardeſcat. Meritorium igitur vobis eſt, atque apud Deum & homines commendabile, ſi inobedientiam ſubjectorum,
g Pſal. 105. juſtitia mediante, compeſcitis. (g) Beati enim, qui cuſtodiunt judicium, & faciunt juſtitiam omni tempore.

XVII. In executione quidem juſtitiæ non debet eſſe perſonarum acceptio, aut delectus, ſi ſit frater, aut filius, ſi ſit Prælatus, aut A ſubditus: ſemper quæratur fructus juſtitiæ, ſemper juſtè judicent, qui judicant Orbem terræ. Nam cùm Levitæ occidentes fratres & filios ſuos, ulti eſſent peccatum idololatriæ, ait illis Moyſes: (h) Con- h Exod. 32. ſecraſtis manus veſtras hodiè unuſquiſque in filio ſuo, & in fratre ſuo, ut detur vobis benedictio. Salomon quoque dicit: (i) Qui arguunt, laudabuntur, & ſuper i Prov. 24. eos veniet benedictio. Plurimùm quidem commendabile eſt in domino veſtro, quòd ſic ſolus aſcendit ex adverſo, quòd opponit ſe murum pro domo Iſrael, & arguit pro manſuetis terræ. * Juſtum habemus * Iſtum B hodiè, ſingularem & unicum inter filios excuſſorum. Pro patribus noſtris natus eſt nobis filius, qui exemplo Apoſtolorum ſolus hodiè facit vindictam in nationibus, increpationes in populis. Et ſicut illi Principes populorum, qui modò congregati ſunt cum Deo Abraham pro juſtitia Chriſti, tamquàm dii fortes terræ vehementer elevati ſunt: ſic & honor iſtius, ſi in exhibitione juſtitiæ perſeveraverit, elevabitur in immenſum. Quòd enim nunc exulat, quòd multa in ejus contumeliam attentantur: et totum hoc in gloriam beneficio patientiæ convertetur. Quod leve eſt C & momentaneum tribulationis noſtræ, dicit (k) Apoſtolus, immenſum gloriæ pon- k 2. Cor. 4. dus operatur in nobis: exhibeatis voſmetipſos tamquàm Dei miniſtros in multa patientia. Nam vidua eſt virtus, quam non patientia firmat. Et quis à primitivis Eccleſiæ cunabulis ſine patientia triumphavit? Sanè licèt plurimum habeat de ſpiritu fortitudinis dominus veſter; dicitur tamen, quòd propter coronationem novi Regis Anglorum ab Eboracenſi factam, atque ob quædam privilegia (ſicut dicunt) contra ipſum ſubrepticiè impetrata, adeò turbatus eſt, quòd à puſillanimitate ſpiritus & D tempeſtate penè moti ſunt pedes ejus, penè effuſi ſunt greſſus ſui. Verumtamen vos qui eſtis manus Archiepiſcopi, & oculus ejus, ſanctis exhortationibus veſtris confortate manus diſſolutas, & genua debilia roborate. Non eſt mirum, ſi turbetur tribulationibus & preſſuris. Verumtamen, ſi totus innitatur, & inhæreat ei, qui in electis ſuis mittit radices, omnem ventū tentationis & turbinis ſecurus excipiet.

XVIII. Certè, Patres antiqui, cùm eſſent quandoque inter anguſtias, frequenter tædio ſunt affecti. Unde & forti illa tolerantia paſſionum, qua fervebant in Domino, te- E pere & torpere videbantur ad tempus, donec virtute induti ex alto, per gratiam divinæ conſolationis in ſpiritu fortitudinis reſurgebant. (l) Elias fugiens à facie Je- l 3. Reg. 19. zabel, & affectus tædio hujus vitæ, projecit ſe ſubter unam juniperum, petiitque animæ ſuæ, ut moreretur: Sufficit; inquit, mihi: tolle animam meam. Apoſtolus (m) etiam ſimili tædio intabeſcens: Supra m 2. Cor. 1. modum, inquit, gravati ſumus, ita ut tæderet nos vivere. (n) Propheta hæc tædia n Pſal. 38. frequenter expertus dicit: A fortitudine manus tuæ ego defeci, & tabeſcere feciſti,

ſicut

Digitized by Google

ſicut araneam, animam meam. Porrò chari-
tas in eis invaleſcebat ex tædio, & ex ipſa
infirmitate fortitudo creſcebat. Quod ali-
cui fortè incredibile videretur, niſi Apo-
a 1. Cor. 12. ſtolus, (a) qui frequenter hæc in libro
experientiæ legerat, teſtimonium ſuper
hoc ferret: Quando enim, inquit, infirmor,
tunc fortior ſum. Sed & ei dictum eſt:
Quia virtus in infirmitate perficitur. Si er-
gò propter ingruentiam malorum, quæ ſu-
ſtinet dominus noſter, aut pro ſuorum deſo-
latione, aut pro exilii hujus diuturnitate
videritis ei torporem mentis obrepere: ſitis
ipſi ſolatio, ne deſperet, ne titubet, in pro-
ximo eſt enim tempus viſitationis ſuæ. Nam
b Pſal. 92. ſi (b) mirabiles ſunt elationes maris, mi-
rabilis eſt & in altis Dominus: qui procel-
lam convertit in auram, & indignationem
Regis in gratiam:

XIX. Per Legatos Sedis Apoſtolicæ intellexi,
cum quibus à Romana Curia uſque ad Bo-
noniam veni, quòd vel Anglorum Regi in
proximo firmiſſimè reconciliabitur, vel ad
majoris Patriarchatus eminentiam tranſ-
feretur. Sanè qualitercumque voluerit Do-
minus negotium ejus diſponere: ſi talis per-
ſeverat, qualis eſt hodiè; ſecurus expectet
exitum hujus pugnæ: ideòque voces pal-
pantium non attendat, ſed ſequatur ſpiri-
tum Dei, qui in eo eſt, & quocumque ibit
c Ezech. 10. (c) ſpiritus, & rotæ pariter gradiantur.
Scio enim, quòd glorioſus erit ſui certami-
nis curſus, ſi tantummodò perſeveret in
eo, quem cœpit, fortitudinis & conſtantiæ
d 2. Tim. 2. caſu. (d) Qui enim legitimè certaverit,
coronabitur. Cùmque omnes virtutes cur-
rant ad bravium, ſola perſeverantia coro-
natur. Rogo autem vos, tamquàm domi-
num & magiſtrum meum, ut me de veſtro
& ipſius ſtatu frequentiùs inſtruatis. Nam
cùm aliud non poſſim, oro jugiter pro vo-
bis, ut præveniente Altiſſimi gratia, Regis
Anglorum gratiam, veſtrarum rerum libe-
ram adminiſtrationem obtinere poſſitis:
librum veſtrum de Nugis curialibus legi,
& mirabiliter me refecit: nam & ibi opti-
ma forma eruditionis eſt, & propter artifi-
cioſam ſententiarum varietatem inæſti-
mabilis materia voluptatis. Benè valete.]
Hactenùs Petrus, cujus tempus ex iis ape-
ritur, quo ex Urbe rediit in Angliam ad
Regem ipſum, nempè poſt coronationem
filii Regis, factam per Archiepiſcopum
Cantuarienſem.

XX. Rex autem Anglorum accepit inter
Rex Anglorum à Papa terretur. hæc acerbiores Alexandri Papæ litteras,
quibus peremptorio termino præcipieba-
tur dare pacem S. Thomæ: alioquin ſi obe-
dire contemneret, expectaret ab eo eam-
dem ſententiam, quam tulerat in Frideri-
cum Imperatorem. Quibus perterrefactus
ipſe Anglorum Rex, ſcribens ex Anglia ad
Sedis Apoſtolicæ Legatos, ipſos importu-
niùs cœpit urgere de pace, timens urgen-
tes comminationes Alexandri Pontificis:
Cujus litteræ etſi deſiderentur in codice,
de iiſdem tamen frequens eſt mentio in
aliis ipſius Thomæ epiſtolis. Sic igitur
ex his perculſus Rex Angliæ, ſollicitus

A de pace agens, ad Rothomagenſem Archie-
piſcopum, unum ex Legatis, has perbreves e Cod. Vat. l. 5. ep. 14.
pro pace litteras dedit: (e)

De veſtro aliorumque fidelium Baronum
meorum conſilio pacis reformandæ inter
me & Archiepiſcopum Cantuarienſem ſu-
ſceptam formam domino Papæ Nuntiis &
litteris meis inſinuavi: Ipſe ſicut per ſuas
mihi litteras ſignificavit, eam cum tenore,
quo à veſtro prodiit conſilio, eique ex parte
veſtra fuerat ſignificata, ſuſcepit cum gra-
tiarum actione, palmam mandans, monens,
& ſupplicans, & ſuadens attentiùs, ut illam
exequar mediatione veſtra & Nivernenſis
B Epiſcopi. Illam itaque vobis mediantibus
plenè & libenter complebo, nullatenùs de-
clinaturus formam veſtro conſilio propo-
ſitam, teſte Richardo de Laci apud Vveſt-
monaſterium.] Hæc Rex. Intereà verò ſan-
ctus Thomas litteras interdicti in Anglia
infra dies quindecim promulgandi, niſi pax
ſequeretur, ad Anglicanos Epiſcopos miſit,
quæ adhùc (f) extant. Sed præveniens Rex f Cod. Vat. l. 5. ep. 35.
terminum, pacem dare pollicitus eſt Lega- 36. 37. 38.
tis, quorum arbitrio ejuſdem pacis capitu- 39.
la ſcriberentur. Porrò iidem Apoſtolicæ
Sedis Legati Thomæ Cantuarienſi Ar-
chiepiſcopo detulerunt, ut idem ipſe pacis
C ſtatuendæ capitula conſtitueret. Quod &
præſtitit, colligens ea ex præteritis con-
greſſibus cum Rege habitis, necnon ex lit-
teris Apoſtolicis, quæ ſervanda Regi An-
glorum præſcriberentur. Extat de his om-
nibus ejuſdem ſancti Thomæ epiſtola (g) g Ibi. ep. 12.
ad Nivernenſem Epiſcopum, & ejus colle-
gam, qua primùm monet, quomodo agen-
dum ſit cum Rege, cujus mores concinnè
deſcribit; ſic incipit:

Dirigat Dominus greſſus veſtros, ut in XXI.
cauſa Eccleſiæ, cujus executio vobis pro S. Thomæ
parte eſt commiſſa, non declinetis neque ad ad Legatos
dexteram, neque ad ſiniſtram, ſed via regia pacis ad-
D incedatis, ut nec pollicitationibus, nec mi- monitio.
nis, nec exquiſitis dolis prævaleat adversùs
prudentiam & ſinceritatem veſtram. Cujus
tendiculas nullus umquam evaſit, qui cum
ipſo contraxerit, & (niſi fallor) vobis pu-
gnandum erit ad beſtias, cùm ipſe Epiſco-
pos, Abbates, & viros diſcretos producitu-
rus ſit, ut per eos expugnet conſtantiam ve-
ſtram, ſi perſenſerit, quòd vos promiſſis &
blandiloquio circumvenire non poſſit:
Quia ergò multiplices illius prodigii fu-
cos non eſt facile deprehendere: quidquid
dixerit, quamcumque figuram induat, ta-
E men omnia ejus vobis ſuſpecta ſint, & falla-
ciæ plena eſſe credantur, niſi quorum fidem
manifeſta operis exhibitio comprobabit.
Si verò ſenſerit, quòd vos aut promiſſis
corrumpere valeat, aut minis deterrere, aut
aliquid obtineat contra honeſtatem veſtrã,
& cauſæ indemnitatem: illicò veſtra apud
eum prorsùs evaneſcet auctoritas, & eritis
tàm illi, quàm ſuis in contemptum, in fa-
bulam, in deriſum. Sin autem viderit, quòd
vos à propoſito flectere nequeat, furorẽ ſi-
mulabit. In primis jurabit, & dejerabit, ut
Protheus mutabitur, & tandem revertetur
in ſe. Et niſi per vos ſteterit: exinde ſemper
eritis

eritis in Deum Pharaoni.]Ita Thomas, hæc & alia inſinuans, quibus Legatos ipſos vincere Regem doceat; quod & reliqui attendant, quibus agendi cum Regibus erit legatio demandata. Addit demùm articulos, quos vocat, de pace ſanciẽdâ cum Rege.

XXII. At quid tandem? Ita admonitionibus ſancti Thomæ inſtructi Legati conventuri Regem, ſecum ipſum ſanctum Thomam perduxerunt ad eum, qui in loco amœniſſimo morabatur, quique ab incolis (ut habet Quadripartita de ſancto Thoma hiſtoria) Pratum proditorum, dicebatur, ut ſic conveniret loci nomen effectui, ubi ſanguini juſti proditio facta eſt. Ibi poſt multas contẽtiones & diſceptationes effectum, ut Rex ipſe hilari (ut apparebat) animo pacem ipſi Thomæ conceſſerit. Quomodò autem iſta tractata ſint, extat (a) relatio ejuſdem ſancti Thomæ ad Alexandrum Pontificem, prolixa quidem, ſed nos ea tantùm, quæ neceſſaria ſunt ac ſcitu digna, hìc deſcribemus: incipit epiſtola: Miſerationis oculo reſpexit Deus Eccleſiam ſuam.]Et infrà: Ecce enim ad noviſſimas litteras veſtras, quibus denuò Regi Anglorum innotuit, quòd ei ulteriùs non parceretis, ſicut nec pepercistis Friderico dicto Imperatori. Cùm intellexiſſet, terram ejus, amotis omnibus ſubterfugiis, interdicto ſubiiciendam eſſe, & Epiſcopos, ſi qui fortè non obedirent, ſuſpendendos & excommunicandos: illicò nobiſcum pacem fecit ad honorem Dei, & maximam (ut ſperamus) Eccleſiæ utilitatem. Nam de conſuetudinibus, quas tanta pertinacia vendicare conſueverat, nec mutire præſumpſit, nullum à nobis, vel ab aliquo noſtrorum juramentum exegit, poſſeſſiones, quas occaſione diſſenſionis hujus Eccleſiæ noſtræ abſtulerat, prout eas in chartula expreſſeramus, nobis conceſſit, pacem & ſecuritatem omnibus noſtris promiſit & oſculum, ſi tamen vellemus cum catenùs perurgere, ut non modo in omnibus articulis victus appareret; ſed ut perjurus diceretur ab his, qui audierant ipſum juraſſe ea die, quòd non erat nos oſculo excepturus.

a Ib ep. 45.

Relatio S. Thomæ de pace tandẽ cum Reg. Angl.

XXIII. Nos autem habito plurium ſapientum conſilio, & maximè domini Senonenſis, qui pacem noſtram cæteris ſollicitius & efficacius procurabat, cum ipſo ad colloquium Regis acceſſimus. Quem Deo faciente (qui omnes illos amoverat, qui ſanctitatem veſtram variis dolis circumvenire ſoliti ſunt) adeò immutatum invenimus, ut (quod ſine circumſtantium admiratione non contigit) animus ejus in nullo videretur à quietis conſiliis abhorrere. Nam ut nos procul venientes conſpexit, à circumfuſa turba exiliens, accurrit properus, & capite detecto, nos in ſalutationis verba prorumpere geſtientes, ſalutatione prævenit, & habitis paucis ſermonibus, ſolis nobis præſentibus cum domino Senonenſi: nos, illo divertente, ſtupentibus univerſis, traxit in partem, & diu tanta familiaritate allocutus eſt, ut videri poſſet, numquam inter nos aliquando fuiſſe diſcordiam. Omnes ferè quotquot aderant, lætiſſima admiratione ſtupentes, plurimorum genis lacrymarum inundatione madentibus, glorificabant Deum, & benedicebant beatam Magdalenam, in cujus ſolemnitate Rex converſus eſt à viis priſtinis, ut toti terræ ſuæ lætitiam reformaret, & Eccleſiæ redderet pacẽ.

Rex Angl. recipit S. Thomam ad pacem.

Corripuimus eum, adhibita moderatione, quam oportuit adhiberi, vias quibus inceſſerat, & pericula quæ undique imminebant, patenter oſtendimus. Rogavimus & monuimus, ut rediret ad cor, ut dignos fructus pœnitentiæ faciens, & Eccleſiæ, quam non mediocriter læſerat, manifeſta boni compenſatione ſatisfaciens, purgaret conſcientiam, ut redimeret famam tuam ab iniquis conſiliariis potiùs quàm propriæ voluntatis inſtinctu, grave utriuſque diſpendium patiebatur. Cùm autem hæc omnia non modò patienter, ſed & benignè audiret, & emendationem promitteret: adjecimus, ſibi neceſſarium eſſe ad ſalutem, & liberis ſuis ad incolumitatem & indemnitatem conceſſæ divinitùs poteſtatis, ut in eo ſanctæ Cantuarienſi Eccleſiæ ſatisfaceret, in qua eam nuper graviſſimè læſerat. Nam filium ſuum contra jus antiquiſſimum Eccleſiæ noſtræ fecerat enormiter coronari &c.] Subiicit prolixam de his habitam cum Rege diſceptationem, quem tandem eo redegerit, ut polliceretur, conſecrationem ab excommunicatis à Papa habitam, cum Eboracenſi irritam reddere, iteratamque faciendam canonicam conſecrationem filii, quem unà cum Regina conjuge ipſius idem Cantuarienſis conſecraret. Sed de his alibi. Pergit autem de cæteris ſingulis, quæ in eo congreſſu per Regem fieri contigerunt, ut illud: Cùm ergò equo deſiliens, me humiliarem ad pedes ejus: ille arrepto ſcanſili, me coegit aſcendere, & viſus illacrymari, ait: Quid multa? domine Archiepiſcope, reſtituamus nobis invicem veteres affectiones; & alter alteri, quod potuerit, bonum exhibeat, & præcedẽtis odii prorsùs ſimus immemores. Sed mihi quæſo coram illis, qui procul aſpiciunt, honorem exhibeatis.]Ita planè Saul ad Samuelem: (b) Honora me coram populo.]Pergit.

XXIV. S. Thomas præſens admonet Regem.

b 1. Reg. 15.

XXV. Et tranſiens ad illos (quia paucos ibi, quot lator præſentium indicabit, videbat amatores diſcordiæ, & odii incentores) ait, ut tàm illorum, quàm omnium, ne quid maledicerent, ora præcluderet: Si ego, cùm Archiepiſcopum ad omnem bonum paratum inveniam, ei viciſſim bonus non fuero: tunc ero nequior cæteris hominibus, & mala, quæ de me dicuntur, vera eſſe probabo. Nec aliud conſilium honeſtius aut utilius crediderim, quàm ut ipſum ſtudeam benignitate præcedere, & tàm charitate quàm beneficiis ſuperare. Sermonem Regis cum ſumma gratulatione ferè quotquot aderant, exceperunt. Miſit ergò ad nos Epiſcopos ſuos, qui monerent, ut petitionem noſtram coram

Quæ Rex ad ſuos de S. Thoma.

omni-

Google

A omnibus faceremus. Et ſi quorumdam ex ipſis conſilio credidiſſemus: in arbitrium ejus contuliſſemus & nos prorsùs, & totam cauſam Eccleſiæ: nam ab initio uſque nunc à Scribis & Phariſæis ſuis egreſſa eſt iniquitas, & de auctoritate ſeniorum invaluit, qui debuerant regere populum. Sed benedictus Deus, qui non permiſit, ut in conſilium illorum tranſiret anima noſtra, nec Eccleſiæ libertatem, & juſtitiam Dei exponeremus uniuſcujuſque hominis voluntati. Illis autem dimiſſis, habita deliberatione cum domino Senonenſi, & Christi pauperibus ſociis peregrinationis noſtræ, in eo firmavimus propoſitum, ut nec quæſtionem B conſuetudinum, nec damnorum, quæ Eccleſiæ noſtræ intulerat, nec uſurpatæ conſecrationis querelam, nec Eccleſiaſticæ libertatis, aut honoris noſtri diſpendium aliquo modo conferremus in arbitrium ejus.

XXVI. De reſtitutione poſſeſſionum Eccl. Cãt.

Et ſic accedentes ad Regem, & ſuos, cum omni humilitate rogavimus per os domini Senonenſis, qui verbi noſtri bajulus erat, ut nobis gratiam ſuam reſtitueret, & pacem & ſecuritatem tàm nobis quàm noſtris, & Cantuarienſem Eccleſiam, & poſſeſſiones Eccleſiæ, quas in C charta poſitas legerat; & ut miſericorditer emendaret, quod contra nos & Eccleſiam noſtram fuerat in filii ſui conſecratione præſumptum, promittentes ei amorem & honorem, & quidquid obſequii Regi & Principi poteſt ab Archiepiſcopo exhiberi in Domino. Ille verbum acceptans, annuit, & nos & noſtros, qui aderant, recepit in gratiam ſuam. Et quia non præceperatis, ut ipſe nobis, & noſtris ablata reſtitueret, neque à nobis poterat impetrari, aut poterit, Deo auctore, fieri, ut ea remittamus: juxta mandatum veſtrum repetitio eorum dilata eſt, non ſu- D blata. Nam ſi præcepiſſetis eo vigore, quem in noviſſimis litteris expreſſiſtis, ut reſtituerentur, haud dubium, quin ſatisfeciſſet, & poſteris dediſſet exemplum, toti Eccleſiæ Dei & maximè Apoſtolicæ Sedi perpetuò profuturum. Tandem itaque nobiſcum multa & diu conferens, cùm nos duo ſoli ferè uſque ad veſperam collocuti eſſemus ſecundùm morem familiaritatis antiquæ, in hoc convenimus, ut eo diſcedente rediremus, gratias acturi Chriſtianiſſimo Regi & aliis benefactoribus noſtris, reverſuri ad ipſum rebus compo- E ſitis, & aliquamdiu moraturi circa eum antequàm rediremus in Angliam, ut omnibus innoteſcat in quantam familiaritatem & gratiam nos receperit. Expectabimus autem in Francia, donec redeant Nuntii noſtri, quos ad accipiendas poſſeſſiones noſtras deſtinabimus, quia non eſt in animo, ut redeamus ad ipſum, quamdiu de terra Eccleſiæ paſſum pedis abſtulerit. Nam in reſtitutione poſſeſſionum facilè advertemus, qua ſinceritate agatur nobiſcum &c.] Hæc quæ ſpectant ad congreſſum, quo pax eſt inita inter eos. Extat in eodem codice epiſtolarum alia de iiſdem relatio, (a) ſed quæ ex auditu tantùm, non viſu, ut ſuperior, accepta, ſuperiori fide minor apparet. a Cod. Vat. lib.4.ep.46

Quod autem verbis promiſit Rex Henricus ſancto Thomæ, confirmavit & ſcriptis, datis his (b) litteris ad filium Regem: c Ibid.43.

XXVII. De pace inita litteræ Regis ad filium.

Sciatis quòd Thomas Archiepiſcopus Cantuarienſis pacem mecum fecit ad voluntatem meam. Et ideò præcipio, quòd ipſe & omnes ſui pacem habeant, & faciatis habere ipſi Archiepiſcopo, & omnibus ſuis, qui cum eo exierunt ab Anglia, res ſuas benè & in pace, & honorificè, ſicut habuerunt tribus menſibus, antequàm ipſe Archiepiſcopus receſſiſſet ab Anglia. Et faciatis venire coram vobis de legalioribus & antiquioribus militibus de Lyore, de *Saltebnde, & eorum ſacramento faciatis recognoſci, quod ibi habeatur de feudo Archiepiſcopatus Cantuarienſis, & quod recognitum fuerit de feudo ejus eſſe, ipſi Archiepiſcopo habere faciatis.] Hæc Rex ad filium. His cum litteris ſanctus Thomas Nuntios miſit in Angliam; ſed quot adverſantes ſint paſſi, redditis ad Thomam (c) litteris, iidem ſignificarunt, quæ incipiunt: Mandatum veſtrum, juxta quod potuimus, adimplevimus &c.] Ita rebus compoſitis ſanctus Thomas de his litteras dedit (ut audiſti) ad Alexandrum Romanum Pontificem. d Ib.ep.53.

XXVIII.

Sed & ſcripſit de his idem ſanctus Thomas ad Cardinalem Epiſcopum (d) Oſtienſem, & Albanenſem, inſuper & ad Cardinalem (e) Papienſem, necnon ad Hyacinthum Cardinalem, ſeorſum ſingulis. Sed & per eumdem quoque Nuntium tunc ipſe ſcripſit & ad Gratianum (f) ſubdiaconum, quem fideliorem haberet amicum, ob idque paulò liberiùs agens, tarditatem cum timiditate ejus Eccleſiæ miniſtrorũ ſugillans, hæc ait conſideratione digna ad omnium noſtrum ſalubrem commonitionem: Verùm quia Romana Eccleſia (quod pace omnium in aure veſtra dixerim) poſuit fundamentum ſuum formidinem, aut res captat, aut perſonas accipit, auctoritate qua præeminet, iniquos gerentibus non occurrit: propterea flagella Dei gravia & toti mundo vix portabilia venerunt ſuper eam, ut inſtabilis facta, fugiat à facie perſequentis, & in tribulationibus vix ſubſiſtat. Sed apud quem ſectiùs iſta deploro, quàm apud eum, qui à præfatis vitiis per gratiam Dei immunis, ſolus miſeris compaſſus eſt, & ſolatium tulit: & tanto Regi, & omnibus complicibus ſuis in faciem reſtitit?] Hæc ſanctus Thomas in amici aures, ſed hic palàm expoſita, quòd ſuis (g) Dominus jubeat, ut quæ audiuntur aure, prædicari debeant ſuper tecta, ut admoneantur, qui præſunt, intrepidè & ſecurè agere apud Reges & cõtra Reges, cùm primùm nec res, nec perſonas, ſed Deum tantùm reſpiciunt in Apoſtolico munere exercendo, de victoria certi, cùm ſecerint: quod faciendum monet vir ſanctiſſimus, martyr jam deſignatus.

e Ib. ep.48. 49.
e Ib.ep.50.
f Ib.ep. 47.
Admonitio S.Tho. de optimo Rom.Eccl. Regimine.
g Matt. 10.

a *Ib. ep. 52.*

At quid poſt hæc? Intelliges ex (*a*) litteris ejuſdem ſancti Thomæ ad Alexandrum Pontificem datis in hæc verba:

XXIX. Rursùs S. Thomas ad Papam ſcribit.

Ex quo, Pater, in auribus Regis Anglorum comminationis Apoſtolicæ tuba perſonuit; & tàm ſibi quàm terræ ſuæ ſeveritatem Eccleſiæ credidit imminere; nobiſcum pacem fecit, promittens firmiter, quòd de tota mandati veſtri continentia, non jota præteriret aut apicem, quin eam penitùs adimpleret. Cùm autem ſic declinaſſet turbinem ſententiæ imminentis, in quibuſdam articulis à pactione reſilit, ſubtrahens nobis adhuc quaſdam poſſeſſiones Eccleſiæ, quas deceſſor noſter omnibus diebus vitæ ſuæ inconcuſsè poſſedit, & nos exinde, donec in Anglicanam Eccleſiam tempeſtatis hujus procella ſurrexit.] Et inferiùs: Captabimus autem gratiam hominis, quantumcumque ſalva libertate & honeſtate Eccleſiæ poterimus, & teſtimonio conſcientiæ noſtræ experimentum facturi, an vel ſic valeat ad manſuetudinem revocari. Miſit nobis clementia veſtra litteras, ad correctionem & correptionem tàm Eboracenſis Archiepiſcopi, quàm Coepiſcoporum noſtrorum, quas certum eſt & dictatas & conceptas à Spiritu ſancto, & quæ Regia exceſſus auctoritate, quam ſucceſſorem Petri & Vicarium Chriſti decet, redarguunt.] Extant adhuc ipſæ (*b*) paulò inferiùs poſitæ, dicendum de ipſis ſuo loco. His litteris idem ſanctus Thomas addidit illas, quas accepit à procuratoribus in Angliam miſſis ad vendicanda Eccleſiaſtica bona, quæ in eodem codice deſcriptæ (*c*) leguntur. Sunt & de his ejuſdem ſancti Thomæ (*d*) querelæ ad Regem, modeſtia plurima conditæ & manſuetudine dulcoratæ.

b *Cod. Vat. lib. ep. 86.*
c *Ib. ep. 53.*
d *Ib. ep. 54.*

XXX. Alex. Pap. reditus in Urbem & datæ ab eo litteræ in via.
e *Ib. ep. 65.*

Inter hæc autem, antequàm Alexander Papa de pace cum Rege Anglorum inita S. Thomæ litteras accepiſſet, recedens Benevento Romam verſus, cùm Verulas in Hernicis civitatem perveniſſet, inde (*e*) litteras dedit ad ipſum Cantuarienſem Archiepiſcopum, quarum eſt exordium: Inter multiplices curas &c.] Inferiùs verò excuſans, cur non ex voto ipſius Thomæ, in ea cauſa velociori gradu proceſſiſſe viſus ſit, iſta ſubjicit: Unde, frater chariſſime, ſi nos in cauſa tua; & Eccleſiæ Anglicanæ remiſſiùs egiſſe videmur; nec ad petitiones tuas pro tua voluntate reſpondimus: non ex eo proceſſit, quòd cauſam ipſam nobis tecum & cum Anglicana Eccleſia non credamus eſſe communem, aut quod tibi deeſſe ulla ratione velimus; ſed quia patientia utendum eſſe credidimus, ut in bono malum ſuperare poſſemus. Timuimus etiam, ne ſi major ſciſſura fieret in Eccleſia, noſtræ poſſet duritiæ deputari. Nunc autem quia turbatores pacis, & libertatis Eccleſiaſticæ depreſſores ad corrigenda mala præterita nulla videntur compunctione moveri, immò trahentes peccata ſicut reſtem longam, tàm in gravamen tuum, quàm in depreſſionem Eccleſiæ Cantuarienſis magis ac magis exæſtuant, ut omnem ferè vobis ſpem videntur pœnitentiæ præcidiſſe: nos in fratrem veſtrum R. Eboracenſem Archiepiſcopum, & reliquos Epiſcopos, qui juramentum conſervandis conſuetudinibus præſtiterunt, & tantæ ſunt malitiæ incentores; ſententiam canonicam jaculamur, & ab Apoſtolica eos ſuſpendimus dignitate. Saresberienſem autem & Londonienſem Epiſcopos, qui majoris videbantur gratiæ debitores, & pro gratia dicuntur ingratitudinem rependiſſe, ſi coronando novo Regi contra Cantuarienſis Eccleſiæ dignitatem, præſentiam ſuam & miniſterium præbuerunt: in ſententiam anathematis, de qua ſoluti fuerant, revocamus &c.] In fine autem de loco & tempore datæ epiſtolæ hæc habet: Dat. Verulis quarto Idus Septembris.]

XXXI. Quæ Verulis Papa.
f *Ib. ep. 66. 67.*
Quæ Ferentini.

Recedens autem Verulis Ferentinum venit, civitatem ſeptem milliariis Romam verſus diſtantem Verulis, ubi datæ habentur excommunicationis litteræ (*f*) ad dictos Epiſcopos Angliæ, Londonienſem, Saresberienſem, & alios in eis nominatos, ſeorſùm verò alias ad Eboracenſem Archiepiſcopum de ſua ipſius ſuſpenſione, datæ utræque (ut in fine ipſarum legitur) Ferentini decimoſexto Kal. Octobris.] Laudat eas litteras tamquàm zelo Apoſtolico efficaces ipſe S. Thomas (*g*) in reddita de his epiſtola ad ipſum Alexandrum Papam. Porrò in datis litteris ad Eboracenſem Archiepiſcopum, non eam tantùm ponit cauſam ſuſpenſionis ſuæ, coronationem filii Regis, ſed quòd in eadem coronatione præſtari ſolitam cautionem de tuenda Eccleſiaſtica libertate, vel ſaltem loco ipſius exhiberi ſolitum juramentum exigere omiſerit; & (quod deterius) de conſuetudinibus avitis contra Eccleſiam militantibus conſervandis illibatis, juſjurandum fuerit interpoſitum.

g *Ib. ep. 52.*

XXXII.
h *Ib. ep. 28.*

Ferentino autem recedens, itinere brevi quinque duntaxàt milliarium, venit idem Pontifex Anagniam: quod indicant datæ (*h*) ibi ab eo plures epiſtolæ eodem argumento, nempè de revocando in excommunicationem tàm clericos quàm laicos, qui jam excommunicati fuerant abſoluti, ſi non (ut promiſerant) ſatisfeciſſent, reſtituendo Eccleſiis ablatas poſſeſſiones, dato termino dierum quindecim ad ſatisfaciendum. Datæ ſunt litteræ (ut diximus) Anagniæ octavo Idus Octobris, eademque die aliæ (*i*) ad ipſum ſanctum Thomam, & alios Angliæ Epiſcopos de interdicto ſervando, quamdiu Eccleſiæ non fuerit ſatisfactum. Rursùs ſequenti die ibidem datæ habentur litteræ aliæ ad Rothomagenſem & Senonenſem Epiſcopos, ubi hæc poſt alia de ſervandis iis, quæ fuerant in conventionibus pacis à Rege promiſſa: (*k*)

Quæ Anagniæ.
i *Ib. ep. 41.*
k *Cod. Vat. l. 5. ep. 31.*

Fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, & in virtute obedientiæ præcipimus, quatenus infra viginti dies poſt harum ſuſceptionem eumdem Regem ex parte noſtra diligenter convenìatis, & monere propenſiùs, & exhortari cure-

duretis, ut pacē, quam cum eodem Archiepiſcopo verbo tenus fecit, executione operis compleat. Nihil minus etiam eidem ſuggeratis, ut poſtmodùm ablata omnia reſtituat, damna data reſarciat, pravas & execrabiles conſuetudines omninò præcidat. Si autem intra triginta dies poſt commonitionem veſtram, pacem quam ſtatuit & promiſit, conſummare noluerit; in tota terra ejus ciſmarina omnia divina præter baptiſmata parvulorum & pœnitentias morientium, remoto appellationis obſtaculo, prohibeatis officia celebrari, & ſententiam ipſam uſque ad condignam ſatisfactionem faciatis inviolabiliter obſervari. Quòd ſi alter veſtrum, aliqua neceſſitate obſtante, hujus rei executioni non potuerit intereſſe (quod tamen nollemus, nec expediret) alter non minus id, quod dictum eſt, exequatur. Datum Anagniæ ſeptimo Idus Octobris.] Eodem quoque loco & die alias dedit litteras (*a*) ad Rothomagenſem & Nivernenſem adversùs eos, qui detinentes Eccleſiæ poſſeſſiones non reſtituerent, quos excommunione plecti jubet, niſi infra dies quindecim ſatisfecerint.

a Ib. ep. 40.

XXXIII. Recedens verò Anagnia Alexander Papa, Signiam ſeptem milliaribus diſtantem civitatem venit: quo in loco tertio Idus Octobris datæ habentur (*b*) litteræ ipſius ad Præſules omnes provinciarum cis mare poſitarum, quæ Regi Anglorum ſubditæ eſſent, de executione interdicti, niſi Rex plenam pacem cum reſtitutione poſſeſſionum ſancto Thomæ præſtiterit. Eodemque die, ibidem loci ſcriptæ leguntur ejuſdem Pontificia litteræ (*c*) ad ſanctum Thomam in hæc verba:

b Ib. ep. 32.

c Ib. ep. 29.

Anxietate cordis & amaritudine premimur, cùm anguſtias, onera, & gravamina, quæ zelo juſtitiæ, & pro libertate Eccleſiæ manutenenda æquo animo & invicta fortitudine toleraſti, ad memoriam noſtram reducimus; & ſedula meditatione cogitamus. Verumtamen quòd in te virtutis perfectionem adimpleres, non potuiſti frangi in diverſis, nec à tuæ conſtantiæ propoſito removeris: tuam ſuper hoc commendamus admirandam virtutem, & tibi ſuper tanta patientia in Domino congaudemus. Cæterùm, quoniam dilectum in Chriſto filium noſtrum Henricum illuſtrem Anglorum Regem diutiùs in patientia & benignitate expectavimus, & blandis & dulcibus verbis, interdum duris & aſperis, ut ad ſeipſum rediret, ſæpè monnimus: ſi pacem, quam tecum fecit, executione operis non adimpleverit, & tibi ac tuis, & Eccleſiæ tuæ poſſeſſiones & honores ablatos non reſtituerit, tibi plenam auctoritatem concedimus in perſonas & loca, quæ ad tuam legationem pertinent, excepta perſona Regis, uxoris quoque & filiorum ſuorum, Eccleſiaſticam juſtitiam, ſecundùm officii tui debitum, nullius obſtante appellationis obſtaculo, exercendi, prudentia tamen, & circumſpectione adhibita, quam modeſtia ſacerdotalis requirat. Dat. Signiæ tertio Idus Octobris.] Scripſere iiſdem diebus per eumdem Nuntium Cardinales, ad quos ipſe ſanctus Thomas de pace inita ſcripſerat, eidem gratulantes, (*d*) ſed non ſine trepidatione, ob nondum reſtituta Eccleſiæ bona.

d Ib. ep. 57. 58. 59. 60. 61. 62.

XXXIV. Signia autem recedens Alexander Pontifex, venit Tuſculum, ubi longiorem moram nectens, ſubſtitit aliquandiu, quod declarant litteræ (*e*) ipſius ibidem datæ octavo Kal. Decembris, quibus tàm Londonienſem, quàm etiam Sareſberienſem Epiſcopos Romam vocat ad ſatisfaciendum: hæcque niſi pax plenum in omnibus conſequeretur effectum.

e Ib. ep. 68. 69.

Scripſit tunc & per eumdem Nuntium, cui ſuperiùs recenſitas litteras dedit, etiam ipſi Anglorum Regi his verbis: (*f*)

f Ib. ep. 55. Alex. Papæ litteræ ad Regem Angl.

Cognito ex litteris venerabilis fratris noſtri Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi, quòd ei, omni turbatione & rancore depoſito, gratiam & amorem tuum reſtituiſſes; tantò lætitiam & gaudium concepimus, quantò id Deo gratum, & magis acceptum exiſtere, & tibi ampliùs honorificum, & tuæ conſideramus fructuoſum ſaluti. Tanta enim eumdem Archiepiſcopum religione, prudentia, & honeſtate, & fidei virtute præeminere cognoſcimus, quòd ipſum tibi & regno tuo fidelem & devotum exiſtere, honori & incremento tuo pro viribus, & poſſe & animo ſe intendere, & pro augmento gloriæ & exaltationis tuæ fideliter & ſollicitè vigilare non dubitamus. Cœterùm, quoniam non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum; & licèt idem Archiepiſcopus pro patientia ac dilectione, quam erga te habet, hoc facere ſubticeſcat: nos tamen, qui ſalutem tuam ſummopere cupimus, id minimè reticere debemus, nec tuam decet magnificentiam, quem Dominus ita magnum & potentem conſtituit, jura & bona Cantuarienſis Eccleſiæ retinere: regiæ ſerenitatis clementiam rogando monemus, & exhortamur attentiùs, quatenùs exemplo Zachæi, de quo legitur in Evangelio: (*g*) Domine, ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & ſi aliquem defraudavi; reddo quadruplum: prædicto Archiepiſcopo & Eccleſiæ ſuæ ablata reſtituere, damna & detrimenta quæ illis intuliſti, in brevi ſtudeas emendare, ut in eo quod deliquiſti, Deum ſic poſſis placare, & nos tibi tantam offenſam dignè indulgere poſſimus, & idem Archiepiſcopus ad obſequium, & devotionem tuam, ad augmentum honoris tui & hæredum tuorum debeat promptiſſimus inveniri. Volentibus autem inter te & ipſum pacem reformari, benigno favore acquieſcas. Quos verò hujus diſcenſionis noveris hactenùs fuiſſe incentores, de cætero non exaudias. Nihilominùs & filium tuum ſuper articulo juramenti, quod prætermiſit, de ſervando jure & libertate Cantuarienſis Eccleſiæ, ſecundùm quod Reges, & Principes Angliæ feciſſe noſcuntur: eidem Archiepiſcopo & Eccleſiæ ſuæ condignè ſatisfacere moneas, & hortet-

g Luc. 19.

Digitized by Google

hortetis, & quod prætermiſſum eſt, facias adimplere. Ordinationes quoque Eccleſiarum; & alia, quæ ad viros Eccleſiaſticos pertinent, prædicto Archiepiſcopo & aliis viris Eccleſiaſticis, tam tu, quàm filius tuus liberè & pacificè relinquatis: Ut ſic agendo, hoſtiam laudis Domino dignè immolare poſſitis, & vobis regnum comparare æternum.] Hucuſque ad Regem Alexander Papa. Qui & his addidit (*a*) alias ad Clerum & populum Angliæ, monens omnes, ne quis pacis perturbator exiſteret.

a Cod. Vat. l. 5. ep. 56.

XXXV. Congreſſus S. Thomæ cum Rege Turonis.

b l. 3. Quadrip. c. 3.

Inter hæc autem, quæ tranſacta ſunt inter Regem & ſanctum Thomam, ex Quadripartita de ſancto Thoma (*b*) hiſtoria inſeramus, quæ ſic ſe habet. Cùm Rex nutaret, immò renueret ablatas Eccleſiæ Cantuarienſi poſſeſſiones reſtituere, ut didicerat ab eo quem præmiſit Joannem Sareſberienſem unà cum Hereberto ad Regem: Audiens Archiepiſcopus inter Regem & nobilem virum Bleſenſem Comitem Theobaldum colloquium futurum in proximo, pridie ante colloquium Turonis ad Regem proceſſit. Audiens autem Rex Archipræſulis adventum, quoſdam de aulicis in occurſum præmiſit, & ipſemet civitatem exiit & occurrit. At cùm convenirent, non oculi, ſed vultus Regis (ſicut vocari poterat) erat ſuper eum. Unde (quod multi notabant qui cum Archiepiſcopo erant) nocte illa Archiepiſcopum in hoſpitio ſuo nec Rex reſpexit, nec ſuorum aliquis. Quin potiùs ſummo mane Rex in Capella ſua celebrari Miſſam fecit pro Defunctis, ſuſpicans (ut dicebatur) ne ſi fortè Archipræſul illi Miſſæ intereſſet, in Miſſa oſculum pacis ſibi offerret, & quod ibi negare non eſſet Chriſtiani, ſed planè inimici Chriſti. Et Miſſa celebrata, mox Rex civitatem exiit, ad colloquium properans &c.] Poſt colloquium cum comite habitum, contuliſſe ſanctum Thomam cum Rege, rogaſſeque ut ante ſuum in Angliam regreſſum poſſeſſiones reſtituerentur, Rege negante, ſed dicente, ſibi anteà revertendum in Angliam fore, & ſic ipſi reſtitutionem poſſeſſionum faciendam.] Hucuſque ibi de congreſſu Turonenſi.

XXXVI. Adiiſſe eum rursùs apud Calvum montem prope Bleſas, idem ſubjungit Herebertus in Quadripartita, ubi non niſi promiſſiones inanes effectu carentes ab eo S. Thomas accepit. Cùm ipſe Thomas Senonas reverſus, ſalutato Francorum Rege, venit ad portum Vuitſand nomine, navigaturus in Angliam. Ubi (inquit Herebertus) Archipræſul, antequàm naves aſcenderet, domini Papæ litteras, quæ (ut ſuprà diximus) erant de generali Epiſcoporum per Angliam ſuſpenſione, & quorumdam anathemate, præmiſit, quorum aliqui, Rogerus Eboracenſis, Gilebertus Londonienſis, & Jocelinus Sareſberienſis, transfretare volentes, in ipſo portu ſuſpenſionis ſuæ & anathematis litteras ſuſceperunt.] At

A quamvis per Comitem Bolonienſem, & per eos qui ex Anglia venerant, annuntiaretur ei, non niſi vincula, carceres, proditiones in Anglia ipſi parari, hæc reſpondiſſe fertur: Nec ſi membratim diſcerpendus ſim, ab incepto itinere deſiſterem, non metus, non vis, non cruciatus degenerem revocabit ulteriùs. Sufficiat dominicum gregem paſtoris ſui abſentiam luxiſſe ſeptennem.] Porrò hoc idem ipſum quod verbis profeſſus eſt, idem Sanctus litteris cõfirmavit, ſcribens poſtremas has ad Regem ipſum, dignas Apoſtolico viro, qui oppetere mortem pro ſuo grege B non timeat: ſic enim ſe habent: (*c*)

c Cod. Vat. l. 5. ep. 54.

XXXVII. S. Thomæ ad Regem ultima epiſtola.

Novit inſpector cordium, animarum judex, & vindex culparum Chriſtus, quanta animi puritate & ſinceritate amoris vobiſcum fecerimus pacem, credentes quòd ſimpliciter & bona fide nobiſcum ageretur. Quid enim sereniſſime domine, aliud concipere debebamus ex verbis veſtris, quæ vel arguendo, vel mulcendo nobis veſtræ benignitatis communicabat humanitas? Litteræ veſtræ, quas ad dominum noſtrum Regem filium veſtrum deſtinaſtis, ut nobis, & noſtris omnia quæ habueramus, antequàm recederemus C ab Anglia, reſtituerentur: quid aliud quàm benevolentiam, pacem & ſecuritatem omnimodam prætendebant? Sed ecce (quod Deus novit) nobis, pro honoris veſtri * periculo quam pro utilitatis noſtræ diſpendio graviùs reputamus rerum exhibitio, non ſimplicitatem prætendit, aut bonam fidem. Nam reſtitutio, quam nobis & noſtris fieri præcepiſtis, dilata eſt in diem decimum, ſub obtentu Ranulphi, quem conſiliarium domini noſtri filii veſtri interim conveniendum, ut mandatum veſtrum impleretur, cenſuerunt. Qui ſint illi, & quo- D modò, & qua fide res geſta ſit, vos cùm placuerit, requiretis. Nobis autem perſuaſum eſt, hæc fieri in diſpendium Eccleſiæ, & ſalutis veſtræ, & honoris, niſi diligentiùs corrigantur à vobis. Nam præfatus Ranulphus interim in bona Eccleſiæ debacchatur, & victualia noſtra in caſtrum de Saltixde etiam nunc palàm congerit, ſicut accepimus ab his, qui (ſi id vobis placuerit) probare parati ſunt. Multis audiẽtibus gloriatus eſt, quod non diu gaudebimus de pace veſtra, quia non comedemus panem integrum in Anglia, antequàm (ut il- E le minatur) nobis auferat vitã. Scitis autẽ, sereniſſime domine, quia culpæ particeps eſt, qui cùm poſſit corrigere, negligit emendare. Et quid præfatus Ranulphus poſſit, niſi veſtræ voluntatis fretus & armatus ſit auctoritate? Quid litteris domini Regis filii veſtri reſponderit, ſuper hoc negotio ſcribentis ad ipſum, audiet, & judicabit beneplacito ſuo diſcretio veſtra. Et quia, ſicut nunc ex perſpicuis apparet indiciis, ſancta Cantuarienſis Eccleſia Britanniarum mater in ipſo perit odio capitis noſtri: ne illa pereat, ſed evadat, tàm prædicto Ranulpho, quàm complicibus ſuis Eccleſiæ perſe-

Digitized by Google

perſecutoribus caput pro ipſa, Deo propitio, exponemus, parati pro Chriſto non modò mori, ſed & milla mortes, & omnia tormenta excipere, ſi ille per gratiam ſuam dignatus fuerit patientiæ largiri vires. Ad vos, domine, redire propoſueram, ſed me miſerum ad miſeram Eccleſiam neceſſitas trahit, ad illam veſtra licentia & gratia rediturus, & fortaſsè ne illa pereat; periturus, niſi veſtra pietas aliam nobis conſolationem celeriùs præſtare dignetur. Sed ſive vivimus, ſive morimur, veſtri ſumus, & erimus ſemper in Domino, & quidquid nobis contingat, & noſtris, benefaciat vobis Deus & liberis veſtris.] Hactenùs paſtor bonus poſiturus animam pro ovibus ſuis, ex corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta, imitator Chriſti, Chriſtiana manſuetudine es deprompſit, quæ manſuefacere potuiſſent duriſſimum cor Pharaonis.

Invicta conſtantia S. Thomæ.

XXXVIII. Quod autem (ut dictum eſt ſuperiùs) antequàm ſe conferret in Angliam, præmiſerit litteras excommunicationis & ſuſpenſionis à Pontifice miſſas contra Epiſcopos: nemo exiſtimet imprudenter factum turbandæ pacis cauſa, ſed ipſius Anglorum Regis conſilio & voluntate, prout palàm idem Thomas conteſtatus eſt, cùm ea de cauſa adverſarii in Anglia in ipſum inſurgerent, cujus ea ipſa totidem deſcribenda ſunt verba ab Hereberto in Quadripartita relata, ſic ſe habent: Porrò ſuper Epiſcopos, quos à me vel per me ſuſpenſos aſſeritis, vel excommunicatos: pro certo noverit veſtra diſcretio, quòd quidquid actum eſt, regio actum eſt conſenſu atque conſilio. Cùm enim in feſto beatæ Mariæ Magdalenæ reformata inter nos pace, in priſtinam me gratiam recepiſſet, & ſuper injuriis & inſolentiis in me, meoſque illatis, maximè verò ſuper Epiſcopis, qui in matris ſuæ Cantuarienſis Eccleſiæ deſpectum, quod mei erat officii, uſurpare non timuerunt, querimoniam apud ipſum depoſuiſſem; ille ſui gratia, ut à domino Papa juris & æqui vindictam qualemcumque poſſem impetrare, conceſſit, adeò ut non ſolùm ad conſenſum inclinaret, ſed & ſpondere mihi dignaretur auxilium.] Hæc ſanctus Thomas coram regiis ſatellitibus publicè eſt teſtatus.

XXXIX. Sed proſequamur cætera, atque in primis de tempore quo navim ingreſſus eſt navigaturus in Angliam, de quo habet iſta idem Herebertus in eadem Quadripartita de S. Thoma hiſtoria: Anno igitur ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo ſeptuageſimo, exilii verò ſui ſeptimo *inchoato*, ſecundo, tertiove die in Domini Adventu, glorioſus Dei amicus & propugnator Eccleſiæ conſtantiſſimus Thomas Cantuarienſis Archiepiſcopus nocte cum ſuis mare intravit, & ad votum aura proſpera uſus pervenit in Angliam.] Hæc de navigatione & appulſu ejus. Porrò Joannes Sareſberienſis, quem præmiſerat in Angliam ipſe ſanctus Thomas, ad occurſum ſui paſtoris litteris, quæ (a) extant,

a *Cod. Vat. l. 5. ep. 63.*

A exhortatus eſt populum exemplo majorum ſuorum, qui obviam exiiſſent ſancto Anſelmo ab exilio redeunti. At id ne facerent, invidia & odium adverſantium impedierunt. Porrò de his quæ geſta ſunt ab eo poſtquàm pervenit in Angliam, locuples eſt (b) relatio ejuſdem Joannis Sareſberienſis ad Petrum Abbatem S. Remigii. Nos verò audiamus de his omnibus certiorem relationem litteris mandatam ab eodem ipſo ſancto Thoma ad Alexandrum Pontificem: eſt omnium (c) noviſſima ipſius epiſtola: nam haud poſt multos dies contigit ipſum à regiis ſatellitibus occidi.
B Epiſtola igitur ipſa ad Alexandrum Papam ſic ſe habet:

b *Ib. ep. 64.*

c *Ib. ep. 73.*

XL. Noviſſima epiſtola S. Thomæ ad Alex. Pap.

Quàm juſtis & quàm honeſtis conditionibus cum domino noſtro Rege Anglorum pacem fecerimus: ad veſtram notitiam, tàm ex noſtra, quàm multorum itinerantium relatione credimus perveniſſe: & qualiter idem dominus noſter reſilierit à pactis & promiſſionibus ſuis. Quod tamen non tàm illi credimus imputandum, quàm ſacerdotibus Baal, & falſorum filiis prophetarum, qui totius diſcordiæ incentores ab initio extiterunt. Sed horum omnium præcipui ſunt Eboracenſis ille, & Epiſcopus Londonienſis, qui quondam, cùm eſſetis
C Senonis, à vobis redeuntes, domino Rege nondum adito, vel audito, nos in Curia clementiæ veſtræ pedibus aſſiſtentes, poſſeſſionibus noſtris ſpoliare non timuerunt, cùm illis indubitanter conſtaret, nos duarum appellationum cauſas apud vos exercere, utpotè qui appellati. Cùm ergò ii Baalamitarum ſigniferi nos cum domino Rege pacem feciſſe audiſſent: accitis ſibi Sareſberienſi & aliis complicibus ſuis, circuierunt mare, & aridam, ut initam pacis reſcinderent unitatem, per ſe & per alios domino Regi, & ſuis ſuadentes, concordiam
D regno inutilem & inhoneſtam eſſe, niſi donationes Eccleſiarum noſtrarum, quas Rex fecerat, ſtabiles permanerent, & nos cogeremur regni conſuetudines, ſuper quibus inter nos eſt orta contentio, obſervare; adeòque profecerunt in perverſitatibus ſuis, ut eorum inſtinctu dominus Rex omnes redditus noſtros & noſtrorum poſt pacem in feſto B. Magdalenæ factam uſque ad feſtum B. Martini abſtulerit. Tunc demùm nobis cedens domos vacuas, & horrea demolita. Clerici tamen ſui, ſcilicèt Gaufridus Archidiaconus noſter, & Nigellus de Saccaver duas Eccleſias noſtras, quas de
E manu laica receperunt, adhuc detinent occupatas, & ipſe plures Eccleſiæ noſtræ poſſeſſiones, quas in pacis reformatione ſe promiſerat redditurum, contradicit. Et licèt aliter quàm ipſum deceret, contra pacta ſua, ut pluribus notum eſt, verſaretur: nos tamen enormia damna Eccleſiæ & irreparabilia videntes, & præcaventes graviora, noſtro & dominorum Cardinalium præeunte conſilio, ad Eccleſiam noſtram laceratam & conculcatam redire decrevimus, & ſi eam non poſſemus erigere & reformare, ſaltem cum ipſa pereuntes, confidentiùs

Digitized by Google

dentiùs pro ipſa præſentes ſpiritum redderemus. Quod cùm illi inimici noſtri certiùs didiciſſent; ambiguum eſt, quid veriti, conſilium inierunt cum officialibus Regis, & ſceleratiſſimo illo filio perditionis Ranulpho de Broc, qui in Eccleſiam Dei publicæ poteſtatis abutens viribus, jam per ſeptem annos licentiùs debacchatus eſt.

XLI. Decreverunt ergò, ut armata manu portus maris, ad quos nos venturos ſuſpicabantur, militum & ſatellitum cuſtodia & diligentia obſervarent, ne terram poſſemus intrare, quin omnem ſupellectilem B noſtram curioſiùs perſcrutarentur, & omnes litteras, quas impetravimus à majeſtate veſtra, nobis auferrent. Sed nutu divino contigit, ut machinamenta eorum nobis per amicos innoteſcerent, qui impudentiam eorum ex nimia præſumptione non paterentur eſſe abſconditam. Nam ſatellites, quos prædiximus, armati litora circuibant, greſſus ſuos dirigentes, prout eis jam dicti Eboracenſis, Londonienſis, & Sareſberienſis Epiſcopi dictabant. Elegerant enim ad executionem hujus malitiæ, quos nobis noverant maximè eſſe infeſtos. Ranulphum de Broc, Reginaldum de Vvarenne, C Gervaſium Cantiæ Vicecomitem, qui palàm minabantur, ſi fortè præſumeremus applicare, nobis caput amputaturos. Sæpedicti verò Epiſcopi Cantuariam venerunt, ut ſi ſatellites publicæ poteſtatis non inſaniebant ſatis, eos ampliùs inſtigarent. Itaque conſiliis eorum diligentius exploratis, una die antequàm mare ingrederemur, præmiſſæ ſunt litteræ veſtræ, ſed & illæ, quibus Eboracenſis ſuſpendebatur, & Londonienſis & Sareſberienſis revocabantur in ſententiam anathematis, eis traditæ ſunt.

Quid in appulſu cōtigerit S. Thomæ.

Die ſequenti navem aſcendimus, & in D Angliam pervenimus navigatione felici, adducto nobiſcum ex mandato domini Regis Joanne Decano Sareaberienſi. Qui armatos, quos prædiximus, vidit non ſine dolore & rubore accelerantes ad navigium noſtrum, ut adventantibus vim inferrent. Præfatus ergò Decanus timens, ne ſi quid nobis, aut noſtris mali inferretur, in domini Regis redundaret infamiam: obviam proceſſit armatis, denuntians eis ex parte domini Regis, ne nos, aut noſtros læderent, quia hoc contra ipſum Regem, cum quo pacem feceramus, notam proditionis inureret, perſuaſitque eis, ut ad E nos accederent inarmati. Illi tamen, quia Simonem Senonenſem Archidiaconum nobiſcum adduxeramus, qui amicos, quos habet in Anglia, decreverat viſitare, exegerunt ab eo juramentum fidelitatis, quo ſe Regibus noſtris, *patri & filio*, contra omnes homines obligaret, nec nos excipientes, nec alium: ſed non nos permiſimus, ut talis obligatio præſtaretur, veriti ne Clerus regni ad ſimile juramentum cogeretur auctoritate exempli, ſi domeſtici noſtri obligationes hujuſmodi præſtitiſſent. Quod utique in diſpendium Se-

A dis Apoſtolicæ, ut auctoritas ejus evacuaretur, aut minueretur in regno, moliuntur ſæpedicti Eboracenſis, Londonienſis, Sareſberienſis, & complices ſui. Officiales verò qui juramentum exegerant, pauciores erant, quàm ut poſſent contrà voluntatem noſtram in eo loco ad aliquid cogere, eò quòd populus de reditu noſtro gaudens, ſi vires pararentur, fortior erat.

Inde ad Eccleſiam noſtram venientes, cum magna devotione à Clero & populo excepti ſumus, licèt intruſi adhùc violenter incubent Eccleſiis noſtris. In quibus in omni peſte & vexatione Eccleſiæ præcipui B ſūt Gaufredus Ridel Archidiaconus noſter, & Nigellus de Saccavilla clericus ejus, quorum alter ſcilicèt Gaufredus occupat Eccleſiam de Otteford, alter videlicèt N. de Saccavilla Eccleſiam de Berges, quas cum fructibus perceptis, nobis, & clericis noſtris, quorum ſunt, ex mandato veſtro reddere debuerant. Præcepiſtis enim domino Rothomagenſi, & Epiſcopo Nivernenſi, ut eos abſolverent, accepto ſecundùm morem Eccleſiæ ſacramento, & præciperent auctoritate veſtra nobis Eccleſias cum fructibus reſignari. XLII.

Adventu S. Thomæ in ſuā Eccleſiam.

Poſtquàm verò ad Eccleſiam noſtram C venimus: incontinenti nos adierunt officiales Regis, denuntiantes ex parte ipſius (ſicut eos dominus Eboracenſis, & Londonienſis, & Sareſberienſis Epiſcopi informaverant) ut ſuſpenſos Epiſcopos & excommunicatos abſolveremus, quia quod contra eos factum fuerat, in Regis injuriam redundabat, & in everſionem conſuetudinum regni, promittentes Epiſcopos provinciæ noſtræ poſt abſolutionem venturos eſſe ad nos, & juri, ſalvo honore Regis, libenter parituros. Nos autem reſpondimus, non eſſe judicis inferioris, ut ſuperioris ſententiam ſolvat, & D quòd nulli hominum licet infirmare, quod Apoſtolica Sedes decravit. Quia tamen illi inſtantiùs perurgebant, & minabantur, dominum Regem, niſi eis acquieſceremus, mira & ſtupenda facturum; diximus eis, ſi Londonienſis, & Sareſberienſis Epiſcopi jurarent coram nobis in forma Eccleſiæ, ſe veſtro mandato parituros; nos pro pace Eccleſiæ, & reverentia domini Regis cum conſilio ipſius, & domini Vvintonienſis, & filiorum fratrum noſtrorum ſubiiceremus periculo, & faceremus inde quidquid poſſemus, ſalva reverentia veſtra, & eos tamquàm fratres chariſſimos E diligeremus, & omni manſuetudine, & humanitate tractaremus. Quod cùm Epiſcopis ab itinerantibus referretur; reſpondit Eboracenſis, quærens ſeditionis occaſiones, & ſchiſmatis incentores, juramentum hujuſmodi niſi de voluntate Regis non debere præſtari, præſertim ab Epiſcopis, quia erat contra dignitatem Principis, & conſuetudines regni. Et verò ex parte noſtra reſponſum eſt; quòd iidem Epiſcopi anteà à nobis excommunicati fuerant, & non niſi præſtito juramento, cùm nos multis ſollicitationibus interpellaſſent, abſol-

Epiſcopi adverſantur S. Thomæ.

vi

Digitized by Google

vi meruerunt. Et ſi noſtra ſententia ſine juramento ipſorum ſolvi non debuit, multò minùs veſtra, quæ longè fortior eſt, & incomparabili nobis, & mortalibus cunctis auctoritate ſubnixa.

XLIII. *Eboracenſis cauſa malorum.* Ad quam reſponſionem (ſicut nobis retulere qui præſentes aderant) Epiſcopi adeò moti ſunt, ut decreverint venire ad nos, & ſecundùm morem Eccleſiæ recipere abſolutionem, non ducentes tutum, ut pro conſervandis regni conſuetudinibus Eccleſiæ ſe opponerent, & impugnarent Apoſtolicas ſanctiones. Sed homo pacis inimicus, & Eccleſiæ turbator Eboracenſis diſſuaſit, conſulens, ut potiùs adirent dominum Regem, qui eis ſemper patrocinatus eſt, & Nuntios mitterent ad novum Regem, qui perſuaderent ei, quòd eum deponere volumus; cùm nos, Deo teſte, ſi ipſe Eccleſiæ profuturus eſt, mallemus eum non modò unum poſſidere, ſed ampliſſima, & plura regna terrarum. Hujus verò legationis ſignifer eſt Archidiaconus noſter. Nam Eboracenſis, & duo præfati Epiſcopi citiùs transfretaverunt, ut (quod Deus avertat) circumveniant dominum Regem, & adversùs Eccleſiam exacerbent iram ejus. Fecerunt autem evocari ſenas perſonas vacantium Eccleſiarum, C ut conſilio eorum contra canones coram Rege in alieno regno, fratribus abſentibus, celebrent electionem Epiſcoporum provinciæ noſtræ. Quòd ſi ſic electos noluerimus conſecrare; videntur ſibi habere cauſam ſeminandi diſcordiam inter nos & dominum Regem. Nihil eſt enim, quod magis timeant, quàm pacem Eccleſiæ, ne fortè videantur opera eorum, & corrigantur exceſſus. Cætera plura ſupplebit Nuntius, quæ ne tædium parerent, ſchedulæ non cenſuimus inſerenda. Vos, ſi placet, D preces noſtras clementer audite.] Hucuſque poſtrema ad Alexandrum Papam epiſtola, ultimique per litteras affatus ejus.

XLIV. Quibus in primis cùm adeò amplis notis ſigillata remaneat peſſimorum nequitia ſacerdotum, præcipuè verò Eboracenſis, ejus potentiſſimi & impudentiſſimi adverſarii, malorum horum omnium inſtigatoris & propagatoris, quo Rex conſiliario uſus & moderatore, per abrupta diſcordiæ tractus eſt ad mala omnia, & diſtractus ab omni via pacis & tranquillitatis: de eo, antequàm cætera funeſtiſſima proſequamur, ſunt repetenda primordia, qualis fuerit. E Hæc enim à Joanne Sareſberienſi ſcriptore hujus temporis accuratiſſimo ſunt accipienda, ex epiſtola inquam ipſius, quam (a) ſcripſit ad Senonenſem Epiſcopum poſt martyrium conſummatum ejuſdem ſancti Thomæ, in qua eadem referens, habet iſta: Horum caput eſt ille Eboracenſis, quem vidiſtis & audiſtis palàm in Curia Archiepiſcopum perſequentem.] Et infrà: *Qualis fuerit Archiepiſc. Eboracenſis.* Noviſtis & iſtum Caipham temporis noſtri, qui ſub ſpecie conquerentis, perſuaſit expedire, ut unus moreretur, aut expetetur, ne tota gens periret. Eratis in Anglia cum patruo veſtro domino Vvintonienſi, quando A idem nunc Caiphas, tunc Archidiabolus, Vvalterum illum, cujus adoleſcentis admodùm venuſta facie captus, nefario concubitu nimis conſueverat delectari, hiſpidum, & procaciori lingua evomentem probra, quæ in contumeliam naturæ perpeſſus fuerat, oculis orbari fecit, & poſtmodùm ſcelus arguentem idem Archidiabolus, judicibus, qui in ſæcularia negotia exercebant, corruptis, adegit ſuſpendio. Sic vir ille non minus benignus quàm pudicus columbi ſui acceptavit affectum, ſic veteris amaſii diu exhibitum obſequium remuneravit, ut primò ſtuprum inferret B miſero, deinde miſeriori (quia de conſenſu tàm ſordidæ immunditiæ pœnitebat) vapulationem, & oculorum avulſionem infligeret, & tandem miſerrimum, quia clamore, ut poterat, ſuas proteſtabatur anguſtias, ſuſpenſum in patibulo fecerit jugulari. Hæc non fingimus, ſed in veſtram ſtuduimus revocare memoriam, ſi tamen excidere potuerunt, quæ velut ungue adamantino multis & magnis & plenis fide viris ſæpiùs referentibus, in pectore veſtro profundiùs reſederunt. Nam uſque in hodiernum diem, in opprobrium Eccleſiæ, Deique contemptum triſtis hæc hiſtoria C creditur. Sed fortaſsè quæret aliquis, quomodò tantum flagitium, & tàm manifeſtum impunè pertulerit, præſertim beatò Eugenio tunc ſummum adminiſtrante Pontificatum? Et quidem (ut indubitanter credimus) nullo modò evaliſſet, niſi per beati Thomæ induſtriam, qui per venerabiles viros Hilarium Ciceſtrenſem, & Joannem Vvintonienſem Epiſcopos effecit, ut ejus à bonæ memoriæ Theobaldo Cantuarienſi Archiepiſcopo purgatio reciperetur. Deinde ſentiens Eccleſiam Romanam indignatam eſſe ſuper exhi- D bitione purgationis factam clàm, ut in Capitulo monachorum, non in ſolemni conventu præſtitæ, ſtatui ſuo conſulens, Romam profectus eſt ad illum famoſiſſimum negotiatorem, quem ſemper odio habuit anima noſtra, Gregorium ſancti Angeli Cardinalem, & per illum in multitudine ſparſorum in Curia munerum obtinuit, ut juſtificatus rediret in domum ſuam; incertum qua Dei diſpenſatione reſervatus ad majora flagitia perpetranda, ſicut præſens teſtatur dies, qua ſanguine innocentis purpuratur Eccleſia.] Hæc Joannes Sareſberienſis de homine nefandiſſimo, quem E Archidiabolum pro Archidiacono nominat, & factum Archiepiſcopum novum Caipham hujus temporis, verè carnificem S. Thomæ jure appellat, qui fortè plus ſatis illi faviſſet.

XLV. Sed quid egerint apud Regem adversùs ſanctum Thomam ipſa vaſa bellantia iniquitatis, in Quadripartita ita deſcribit Herebertus, nimirùm adeò commotum & contriſtatum fuiſſe Regem accuſationibus Epiſcoporum contra ſanctum Thomam, quem turbatorem regni, perſecutorem Epiſcoporum, omnium bonorum deſtructorem, Regis inimicum inclamabant, ut

eſtu

(a) *Cod. Vat. l. 5. ep. 91.*

Rex incautè parat exitiū S. Thomæ.

æſtu furoris in verba proſilierit aſpera valdè; quibus commoti fuere ſatellites illi, qui ſe ad necem viri ſanctiſſimi accinxerunt; ait enim: Sæpè ſæpiùs ex ira inflammatus, in funeſtam vocem erumpens, omnes quos nutrierat, qui familiaritatis gratia, & beneficiorum collatione ſibi obnoxii fuerant, maledixit, quod ipſum de uno ſacerdote non vindicarent, qui ipſum & regnum ſuum ſic turbabat, & ſuis dignitatibus exauctorare, & exhæredare quærebat.]. Hæc & alia id genus repetens, & inculcans, commovit in eum planè ſuos omnes: quorum quatuor ex militibus audaciores, junctis dextris, in necem Archiepiſcopi conſpirarunt; moxque in Angliam profecti Archiepiſcopum convenerunt, miſcenteſque jurgia, atque rixam excitantes, captarunt, quam optabant, occaſionem ex libertate Archiepiſcopi in dicendo. Cùm ad poſtremum poſt diem ſanctorum Innocentium, eum perſolventem veſpertinum officium gladiis in Eccleſia appeterent: primùm Sanctus æditruos arguit, eos velle obice portarum illos excludere, dicens: Quòd non eſſet Eccleſia caſtrorum more cuſtodienda. Rem geſtam quæ præceſſerint, quæve fuerint ſubſecuta martyrium, pleniſſima narratione in Quadripartita ſcribuntur, multaque ponuntur, quæ deſiderantur in aliis Scriptoribus, qui in eodem argumento laudabiliter ſunt verſati. Redegit verò ea omnia in compendium Rogerius in Annalibus Anglicanis, quæ ſuo tempore facta novit, & ita ſcriptis mandavit:

XLVI. Martyriū S. Thomæ.

Vix ergo Pater in Eccleſia ſua per menſem moram fecerat, & ecce quinta die Natalis Domini venerunt Cantuariam quatuor milites, immò ſatanæ condicti ſatellites; quorum nomina, ſunt hæc, Vvillelmus de Traci, Hugo de Morevile, Richardus Brito, Reginaldus filius Urſi: viri quidem generis præeminentia conſpicui, ſed enormis ſceleris auſu militiæ gloriam & ſtemmatis titulum perpetua ignominia mox damnaturi. Hi ergò introeuntes ad Archiepiſcopum: & quia non directa in manu eorum ſalus, ex concepta malitia ſalutationis eloquium prætermittentes, cum faſtu & ſuperbia alloquuntur. Accipiunt, redduntque, minas minis adiicientes, reſponſum. Denique probra & contumelias poſt ſe relinquentes exierunt. Continuòque revertentes, clauſtrum monachorum irrumpunt cum multa armatorum ſequela, & ipſi armati. Jam Præſul cum modeſtia & gravitate præceſſerat eos in Oratorium, ſuadentibus, immò & compellentibus monachis propter diem ſolemnem, ad peragendam veſpertinam ſynaxim, cùm eos à tergo reſpiceret in medio clauſtri armatos, arcere eos templo debuit propria malignitas; ſed nec facinus diſſuaſit ſolemnitatis reverentia, nec à ſanguine cohibuit Patriarchæ innocentia, uſqueadeò occupavit & excæcavit eos impudorata patrandi facinoris voluntas; ut nec militiæ jacturam recogitarent, nec ullius diſcrimi-

A nis haberent æſtimationem. Præcipites ergò & ſtupidi inſequentes Archiepiſcopum, extractis gladiis intrant Eccleſiam, furioſè clamantes: Ubi eſt proditor ille? Nemine verò reſpondente, ingeminant illi: Ubi eſt Archiepiſcopus? Sciens itaque Chriſti Confeſſor & Martyr mox futurus, priori nomine ſe falsò impeti, alterum verò ſibi pro officio competere, à gradibus obviam illis progrediens, ecce inquit, adſum.

In tanta autem ſe exhibebat conſtantia, XLVII.
ut nec animus ejus pavore, nec corpus horrore concuti videretur. Cui unus funeſtorum militum in ſpiritu furoris intulit: Tu
B modò morieris: impoſſibile enim eſt, ut ulterius vivas. Reſpondit autem Archiepiſcopus non minori conſtantia verbi quàm animi: Ego pro Deo meo mori paratus ſum, & pro aſſertione juſtitiæ, & Eccleſiæ libertate: ſed ſi caput meum quæritis, prohibeo ex parte omnipotentis Dei, & ſub anathemate, ne cuiquam alii ſive monacho, ſive clerico, ſive laico majori vel minori in aliquo noceatis; ſed ſint à pœna immunes, ſicut exstiterunt à cauſa. Verba ejus nomine Chriſtum exprimere videntur in paſſione dicentem: Si me
C quæritis, ſinite hos abire. Cui ſtatim iniicientes manus milites tenuerunt, ut extra Eccleſiam ad peragendum propoſitum traherent, ſed non potuerunt. Videns ergò Archiepiſcopus carnifices eductis gladiis, in modum orantis inclinavit caput, hæc noviſſima proferens verba: Deo, & ſanctæ Mariæ, & ſanctis hujus Eccleſiæ patronis, & beato Dionyſio commendo meipſum, & Eccleſiæ cauſam. Tunc in omnibus his cruciatibus invicti animi & admirandæ conſtantiæ Martyr, non verbum vel clamorem emiſit, nec edidit gemitum, nec brachium oppoſuit ferienti: ſed caput incli-
D natum, quod gladiis expoſuerat, donec conſummaretur, tenebat immobile.

Prædicti igitur milites, timentes concurrentium undique utriuſque ſexus multitudinem, ne fortè voto infecto eriperetur, facinus acceleraverunt. Cùmque unus ex eis extendens vibraret gladium in caput Archiepiſcopi, brachium cujuſdam clerici, qui dicebatur Eduardus Grimſere, abſcidit, & ipſum pariter in capite vulneravit chriſtum Domini. Extenderat enim idem clericus brachium ſuper caput Patris, ut ferientis exciperet, vel potiùs elideret ictum. Stabat adhùc juſtus pro juſtitia pa-
E tiens, velut agnus innocens, ſine murmure, ſine querimonia; & ſeipſum holocauſtū offerens Domino, Sanctorum patrocinia implorabat. Et ne quis funeſtorum ſatellitum, intacto Præſule, inſceleſtus argui poſſet, ſecundus & tertius gladios ſuos vertici conſtantis athletæ atrociter illiſerunt, confregerunt, & Spiritus ſancti victimam ſolo tenus præcipitaverunt. Quartus pluſquàm ferali, immò furiali crudelitate debacchatus, jam proſtrato, jam expiranti coronam raſilem abſcidit, teſtam capitis diſſipavit, & mucrone ver-

XLVIII.

Crudelis occiſio S. Thomæ.

Digitized by Google

A tici intruſo, cerebrum cum ſanguine ſuper pavimentum lapideum effudit.

XLIX. Diſcolor mixtura utriuſque ſubſtantiæ biſariam diſcreta Martyris merita piè intuentem docere videbatur. Candebat namque in cerebro byſſus innocentiæ, purpura martyrii rubebat in ſanguine: utroque martyr Thomas quaſi veſte nuptiali decenter adornatus, cœleſtis menſæ conviva dignus efficitur. Sic, ſic martyr Thomas virtute conſtantiæ adamantinus, cœleſtis ædificii lapis pretioſus, gladiorum quadratus ictibus angulari lapidi Chriſto in cœlis eſt conjunctus. Conſummatus ergò noſter Abel in martyrii gloria, in brevi explevit tempora multa. Itaque inchoante ſeptimo anno exilii ſui, præfatus martyr Thomas pro lege Dei & Eccleſiæ libertate, quæ tota ferè deperierat in Anglicana Eccleſia, certavit uſque ad mortem; & à verbis impiorum non timuit. Fundatus enim ſupra firmam petram, id eſt Chriſtum, pro nomine Chriſti, in Eccleſia Chriſti gladiis profanorum, quinta die Natalis Domini, id eſt in craſtino Innocentum ipſe innocens occubuit. Cujus vitam innocentem, & mortem cauſæ merito in conſpectu Dei pretioſam, innumera prædicant miracula, quæ non ſolùm loco requietionis ejus, ſed & in diverſis nationibus, & regnis mirificè exhibentur. Eodem die paſſio beati Thomæ revelata eſt beato Godrico anachoretæ per Spiritum ſanctum apud Fintzhale, qui locus diſtat à Cantuaria plus quàm per centum ſexaginta milliaria.

Tempus Martyrii S. Thomæ.

L. Monachi autem Cantuarienſis Eccleſiæ clauſerunt oſtia Eccleſiæ, & ita permanſit Eccleſia ſuſpenſa celebratione Miſſæ ferè per unum annum; quouſque receperunt reconciliationem Eccleſiæ per dominum Papam Alexandrum. Monachi verò detulerunt Martyrem ſuum, & poſuerunt nocte prima in choro, agentes circa illum exequias defunctorum. Et veraciter dicitur, quòd expletis circa corpus obſequiis humanitatis, cùm jam in choro jaceret ſuper feretrum, circa auroram, levata manu dextera, dedit benedictionem; deinde ſepelierunt eum in crypta.] Hactenùs Rogerius de martyrio ſancti Thomæ, atque ſepultura ipſius. Hic tandem finis præſtantiſſimi Martyris; qui vicit ſanguine, ſnique triumphavit occiſione, & glorioſiſſima inſignitus palma martyrii cœli intima penetravit, ſummæ conſtantiæ poſteris omnibus relinquens exemplum certandi uſque ad mortem pro libertate Eccleſiæ vendicanda. Mox autem in hoſtes ejus ſua ipſorum victoria victos atque proſtratos irruit formido & pavor, undique culpa ultrice exagitatos. Sed de his inferiùs ſicut funeſtior ita uberior ſermo erit.

Sepultura S. Thomæ.

De tempore ſulvitur ambiguitas.

Quod autem ad tempus ſpectat perſuncti martyrii, cùm ex recitatis ſuperiùs tot epiſtolis conſtet, hoc ipſo anno virum ſanctiſſimum dicta die eſſe necatum gladiis impiorum; nihilominùs apud nonnullos invenire eſt, poſitum martyrium, ejus anno ſequenti, ſicut in epitaphio, quod recitatur à Rogerio in Annalibus Angliæ, & à Roberto de Monte verſibus iſtis:

Annus millenus centenus ſeptuagenus
Primus erat, Primas quo ruit enſe Thomas,
Quinta dies Natalis erat, flos orbis ab orbe
Pellitur, & fructus incipit eſſe poli.]

Sed quòd paſſus ponatur ab iis anno ſeptuageſimoprimo poſt millenum centenum, inde accidit, quòd à Natalis Domini die incipiunt exordium anni. Qui verò ab ipſis Kalendis Januarii, ſive ab Incarnatione B Domini numerare conſueverunt, hoc ipſo anno paſſum eſſe, jure quidem conſtanter affirmant, ut ipſi ſcriptores Quadripartitæ, his verbis: Paſſus eſt autem egregius Dei athleta Thomas Cantuarienſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, totius Angliæ Primas, & Apoſtolicæ Sedis Legatus, anno ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo ſeptuageſimo, ætatis verò ipſius anno quinquageſimotertio, quarto Kal. Januarii; feria tertia, hora quaſi undecima, ut dies quintus Dominicæ Nativitatis ad miſeriam ejus fieret natalis ad gloriam.] Hæc ibi.

Tempus Martyrii S. Thomæ.

LI. C Eodem quoque anno Eccleſia Cantuarienſis poſt ſublatum è medio ſanctũ Thomã fluctuare cœpit, cùm videlicet ejuſdem Eccleſiæ monachi cathedrales ſucceſſorem eligerent, nulla habita ratione comprovincialium Epiſcoporum, quorum id muneris eſſet. Redarguit audax facinus Petrus Bleſenſis, cujus in Eccleſia Anglicana auctoritas magna erat, cùm has litteras de laudibus ſancti Thomæ ſic in primis cumulatiſſimè ſcriberet: (a)

Fluctuatio Cantuar. Eccleſiæ.

Chariſſimis fratribus & amicis ſuis Canonicis de Bellovidere magiſter Petrus Bleſenſis Bathonienſis Archidiaconus ſalutem & dilectionem.

a Apud Petr. Bleſ. ep. 27.

D Deceſſit Paſtor animarum noſtrarum; cujus obitum flere decreveram; ſed receſſit, non deceſſit; abiit, non obiit. Mors enim, per quam mirificavit Dominus Sanctum ſuum, non eſt mors, ſed dormitio: portus mortis, & porta vitæ, introitus in delicias cœleſtis patriæ, in potentias Domini, in abyſſum claritatis æternæ. Peregrè ſiquidem profecturus, ſaccum pecuniæ ſecum detulit, in plenilunio reverſurus: ejus enim anima dives meritis recedens à corpore, in reſurrectione generali & plena ad antiquum hoſpitium revertetur. Cùm E multas virtutes, quaſi merces varias in unum faſciculum comportaverit, ad cœleſtes nundinas profecturus, plena dierum vetula, mors ſæculi ſcilicèt, anus improba, litigioſa, querula, importuna, invida, inimica & ſubdola cœpit revolvere ſarcinulas ejus, & ſcrupuloſius explorare, ſi quid eſſet in illo meritorum involucro, quod ad ipſius dominium pertineret. Ipſe autem tamquàm vir circumſpectus & prudens noluit vitæ ſuæ ſuſtinere diſpendium: diu enim deſideraverat diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, & tunc permaximè ſuſpirabat exire de

Cõſolatio de morte S. Thomæ.

Digitized by Google

re de corpore mortis hujus. Modicum ita-
que pulveris projecit in os vetulæ, quaſi
vice tributi, & nomine vectigalia. Inde
cœpit falſus ille rumor populariter evaga-
a Geneſ. 36. ri, & paſſim plebeſcere, quia (a) fera peſ-
ſima devoravit Joſeph. Tunica ſiquidem,
qua ſpoliatus eſt, fallax nuntia mortis erat.
b Ibid. 45. Joſeph (b) enim vivit & dominatur in to-
ta terra Ægypti. Beata ejus anima corru-
ptibilibus exonerata exuviis, de pulvere
hujus converſationis libera evolavit in ce-
c Joan. 14. lum, aſſumpta eſt ab eo, qui dicit (c) Va-
do parare vobis locum: iterùm autem ve-
niam, & aſſumam vos ad meipſum. Con-
ſummatus in brevi explevit tempora mul-
ta, raptus eſt, ne malitia immutaret intel-
lectum ipſius. Vocatus eſt in cœlum, quo
mundus non erat dignus: nec eſt extincta
lucerna hæc, ſed flatu tranſitorio percuſſa
eſt, ut luminoſius ſplendeat, & jam ſub
modio non abſcondita luceat omnibus qui
in domo ſunt. Viſus eſt oculis inſipien-
tium mori, ſed vita ejus abſcondita eſt
cum Chriſto in Deo: mora eum viciſſe, &
abſorbuiſſe viſa eſt; ſed abſorpta eſt mors
in victoria.

LII. Qualis vita S. Thomæ.

Deſiderium cordis ejus tribuiſti ei Do-
mine: diu enim militaverat tibi, propter
verba labiorum tuorum cuſtodiens vias du-
ras. Sanè à primitivis adoleſcentiæ mori-
bus, cœpit morum maturitate ſeneſcere,
atque carnalis inſolentiæ motus vigiliis,
jejuniis, diſciplinis, cilicio, & jugis con-
tinentiæ baltheo cohibere. Vocatus eſt
itaque à Domino tamquàm Aaron ad dan-
dam ſcientiam ſalutis plebi ejus, reddere
populum acceptabilem Domino, ſectato-
rem bonorum operum, & parare Domino
plebem perfectam. Elegit eum Dominus in
ſacerdotem ſibi, ut eſſet in populo ejus du-
ctor & doctor, vitæ ſpeculum, pœnitentiæ
forma, & ſanctitatis exemplum. Deus ſcien-
tiarum Dominus dederat ei linguam eru-
ditam, & infuderat ei abundanter ſpiritum
ſapientiæ & intellectus, ut eſſet inter do-
ctos doctior, inter ſapientes ſapientior, in-
ter optimos melior, inter humiles ſocius,
inter maximos major. Erat præco verbi di-
vini, tuba Evangelii, amicus ſponſi, co-
lumna Cleri, oculus cæci, pes claudi, ſal
terræ, patriæ lumen, miniſter Altiſſimi,
Vicarius Chriſti, Chriſtus Domini. Tota
converſatio ejus erat ſchola honeſtatis,
morum ædificatio, & ſtructura ſalutis.
Erat in judicio rectus, in diſpenſatione
induſtrius, in præcipiendo diſcretus, in
loquendo modeſtus, in conſilio circumſpe-
ctus, parciſſimus in cibo recipiendo, in do-
nando largiſſimus, in ira pacificus, in car-
ne Angelus, inter injurias manſuetus, ti-
midus in proſperis, ſecuriſſimus in adver-
ſis, in eleemoſynis effuſus, in miſericor-
diis totus. Erat religioſorum gloria, de-
liciæ plebis, timor Principum, Deus Pha-
raonis. De iſto poſſumus fiducialiter dice-
re & cantare, quia poſt aurum non abiit,
nec ſperavit in theſauris pecuniæ, qui nec
acceptor munerum, nec acceptator eſſe di-
gnatus eſt perſonarum. Ceteri in eminen-

A tiæ cathedralis apicem ſublimari, ſtatim
curam carnis propenſiùs agunt, circumſpe-
ctiùs ſe diætant, non minus timent cor-
poris ægritudinem, quàm gehennam, &
in omnibus ſpacium vitæ productioris af-
fectant. Iſte verò à primo ſuæ promotio-
nis ingreſſu, ſummo deſiderio appetebat
finem vitæ, immò, ut veriùs loquar, vi-
vendi principium. Nam ſicut Salomon ait:
(d) Cùm conſummaverit homo, tunc in- d Eccli. 18.
cipit. Hujus enim vitæ tranſeuntis egreſ-
ſus, ingreſſus eſt ad illam, quæ non tran-
ſit, nec deſinit, vitam. A tenerioribus
annis incipiens, ſingulis ætatibus, quaſi
B ſingulis diei horis, tamquàm diligens
cultor & ſtrenuus in vinea Domini Sabaoth
laboravit, & ſic in conſummatione San-
ctorum vitæ tranſitoriæ curſum clauſit.
Sanè jam diu converſatione cœleſtis, & à
corpore peregrinans, anhelabat ad illas cœ-
leſtes delicias temporalis vitæ tranſire
compendio. Ideò propoſitum & ſignum pe-
regrinationis arripiens de torrente in via
bibit; propterea exaltatum eſt nomen ejus
in patria.

LIII.

Sic domini & fratres noſtri monachi ca-
thedrales pupilli facti ſunt abſque patre,
Deus autem, qui eduxit de mortuis paſto-
C rem magnum ovium in ſanguine teſtamenti
æterni Dominum JESUM Chriſtum, ipſe
(ut verbo Moyſi (e) utar) provideat vi- e Num. 27.
rum, qui ſit ſuper multitudinem hanc.
Porrò plurimi conqueruntur & impatien-
tiſſimè ferunt, quòd Chriſti tunica incon-
ſutilis inter eos & Epiſcopos terræ ſciſſa
eſt: nec tantùm vacca & aries, ſed turtur
& columba diviſæ ſunt, & altrinſecùs ſe-
paratæ. Auſa eſt irrumpere uſque ad reli- De ſchi-
gionis profeſſores magiſtra illa diſcordiæ, ſmate in
odii fomes, & occaſio ſcandalorum præ- Eccl. Can-
ſumptuoſa, ſcilicèt, uſurpatio ſeorſum & tuar.
ſingulariter eligendi, ut contempta & ab-
D jecta Epiſcoporum, & Abbatum delibe-
ratione communi, fieret electio clandeſti-
na & furtiva, & conſuetudini contraria,
inimica legibus, damnata decretis, &
moribus reprobata. Omnes ceteri, qui
nunc injuriam & contemptum ſuum repu-
tant, eam quam monachi fecerunt electio-
nem, in perſonam, quæ nominata eſt, ſua
vota libenter & unanimiter ſine omni ſciſ-
ſura & ſcandalo contuliſſent. Nunc autem
vereor, ne hæc electio, quod Deus aver-
tat, ſit ejus dejectio; & hæc acquiſitio
umbratieæ libertatis convertatur Eccleſiæ
E Chriſti in materiam ſervitutis. Sanè peſtis
hæc, & aliæ innumerabiles corpus Eccle-
ſiæ generalis hodiè inficiunt, & corrum-
punt. Irruunt laici in ſancta Sanctorum:
ſanctuarii verò lapides diſperguntur in ca-
pite omnium platearum. Convertuntur
hodiè clauſtra in caſtra, & fora: religioſi
in ethnicos, paſtores in lupos: lilium in
ſpinam, aurum in ſcoriam, frumentum in
lolium, vinum in acetum, oleum in amur-
cam. Reſpiciat Dominus in faciem teſta-
menti ſui, & non det in conculcationem
vineam, quam plantavit dextera ejus,
Eccleſiam, quam acquiſivit ſanguine ſuo,
ſuſcitet

ſuſcitet ſpiritum Moyſi, & erigat cornu illius unicornis, Epiſcopi illius unicè ſummi & ſingulariter generalis, quatenùs arripiat judicium manus ejus, ut cornu ſuo ventilet Syriam, intonet contra Edom, fulminet contra vitulos Bethel, contra idola Ægypti, contra pingues vaccas Samariæ, contra ſacerdotes Baal, contra paſtores paſcentes ſeipſos, contra judices, qui condunt iniquas leges, contra canes mutos non valentes latrare, contra amphoram Zachariæ, contra vaſa paſtoris ſtulti, contra ambitionem Simonis magi, contra tyrannidem ſæculi, & ambitionem clauſtri, contra prævaricantes, contra arrogantes, contra oppreſſores pauperum, contra turbatores Eccleſiaſticæ pacis, & fidei ſubverſores.] Hæc Petrus, reliqua ſuo loco.

LIV. Jam verò ad Orientem convertamus orationem, ad legationem ſcilicèt miſſam ab Imperatore Emmanuele ad Alexandrum Romanum Pontificem, de qua hæc in Actis ipſius Alexandri Papæ ſuperiùs ſæpè citatis leguntur:

Legatio Emmanuelis Imp. ad Alex. Pap.

Intereà Emmanuel magnus Conſtantinopolitanus Imperator, cùm videret Fridericum Imperatorem Eccleſiam Romanam, & Alexandrum Papam vehementer cum ſchiſmaticis impugnare & perſequi: miſit Beneventum de majoribus Imperii ſui Apocriſarium cum immenſa multitudine pecuniarum ad præſentiam ipſius Pontificis, loquentem hæc verba: Dominus Imperator jam diu deſiderio deſideravit exaltare & honorare Eccleſiam Romanam matrem ſuam & perſonam veſtram. Nunc autem cùm videat Fridericum Imperatorem ejus Advocatum, qui ex officio ſuo eam deberet ab aliis tueri, atque defendere, actem illius eſſe impugnatorem & perſecutorem; magis vult eidem Eccleſiæ ſervire atque ſuccurrere. Et ut temporibus iſtis illud Evangelicum adimpleatur verbum; (a) Et fiet unum ovile & unus paſtor: Eccleſiam ſuam Græcam in eo ſtatu, in quo antiquitùs fuiſſe dignoſcitur, eidem Romanæ Eccleſiæ unire deſiderat atque ſubiicere; dummodò ſibi velitis ſua jura reſtituere. Unde rogat & poſtulat, quatenùs prædictæ Eccleſiæ adverſario, Imperii corona jam privato ſchiſmatis cauſa, ſibi eam prout ratio eſt, & juſtitia exigit, reſtituatis. Pro cujus rei complemento, quidquid videritis neceſſarium, in ſufficienti pecuniarum ſumma, atque in potentia & virtute armorum, juxta veſtrum beneplacitum paratus eſt largiri, & ſolvere abſque mora.

a Joan. 10.

L V. Quibus auditis, Pontifex cum Epiſcopis & Cardinalibus, atque nobilibus Romanorum conſilio diutiùs habito, reſpondit prædicto Apocriſario, hoc modo videlicèt: Nos agimus gratias domino tuo Imperatori tamquàm chariſſimo Principi, & beatiſſimo beati Petri filio, ex devota & frequenti viſitatione ſua & oſtenſione bonæ voluntatis, quam habet erga ſanctam

A Romanam Eccleſiam. Ea propter & affectuoſa ejus verba libenter audivimus, & poſtulationes, in quibus ſecundùm Deum poſſumus, paterna benignitate admittere volumus. Ea verò quæ de Imperio poſtulat, nimis alta ſunt, & valdè periculoſa & perplexa, quibus pro ſua difficultate, obviantibus ſanctorum Patrum ſtatutis, aſſenſum præbere ſub hujuſmodi conventionibus non poſſumus nec debemus, qui ex officio nobis à Deo commiſſo, pacis auctores nos eſſe convenit & cuſtodes. Sic igitur excuſſis ab omni munere ipſius Pontificis manibus, cum tota pecunia, B quam detulerat, jam dictus Apocriſarius rediit ad dominum ſuum, ſubſequentibus eum duobus Cardinalibus, quos ad eumdem Imperatorem idem Pontifex deſtinavit.] Pergit auctor.

L V I. Obitus Antipapæ Guidonis.

Eodem tempore Guido Cremenſis, qui & Paſchalis Antipapa dictus, cùm apud beati Petri Eccleſiam incubaret, & in cœpta ſui erroris pertinacia moraretur; ab eodem Apoſtolo immiſſus cancri morbus in renibus ejus apparuit: cum pulmonis anhelitu tàmdiu emiſit ſaniem fœtidam, donec infelicem ſpiritum impœnitens exhalavit, & peſſima morte occubit. Un- C de quidam metrographus metricè cecinit dicens:

Corruit inſani Guidonis & Octaviani
Impia majeſtas, atque intoleranda poteſtas.
Surgit Alexander, variane prior, Petrus alter,
Stat nunc in Petra, poſt hac ſtatuendus in æthra:

Tertius Antipapa Joan. Abbas Strum

Sublatis igitur de medio deſolationis ſuæ duobus capitibus, reſidua ſchiſmaticorum plebs in deſperationis voragine conſtituta, cùm nullus de Eccleſiæ ſuæ corpore ſupereſſet, quem ſibi præficere poſſent, aſſumpſerunt quemdam Joannem D Abbatem Strumenſem, virum apoſtatam, lubricum, voracem, atque * gyromagum, non ſine riſu & multorum ludibrio in cornutam tertiam beſtiam erigentes in cathedra peſtilentiæ, tamquam perfidi & pertinaces ipſam abominationem adorare & venerari ſpiritu diabolico præſumpſerunt. Hic apoſtaticus homo cùm pro ſuis meritis ſperneretur ab omnibus bonis, & odio haberetur; adhæſit pravis & ſceleratis, quorum præpoſitus & princeps haud diutiùs extitit. Hujus fautores & domeſtici familiares fuerunt apoſtatæ, lenones, ſcurræ, fugitivi ex monaſteriis, & pro ſuis ſce- E leribus damnati. Fures quoque & raptores ipſi egeno & pauperi viatorum & peregrinorum ſpoliis conſerebant.

* gyrovagum.

L VII. Doloſa Legatio Frider. Imp. ad Alex. per Epiſc. Babenbergenſem.

Intereà Imperator Fridericus videns duas quas erexerat ex divino judicio beſtias corruiſſe, atque tertiam non de corpore Romanæ Eccleſiæ, ſed de complicum ſuorum collegio fuiſſe aſſumptam pariter & electam, doluit uſque ad præcordia, ex eò quòd pars ejus ad nihilum deveniſſet, & quòd Alexandri Papæ cauſa convaleſcens,

In melius ſemper proficeret. Sed ne in malo ſuperari videretur, & omninò confundi: ſimulavit, ſicut homo callidus & valdè aſtutus, præfatam beſtiam venerari; & præcepit fautoribus ſuis, ut eam manutenerent & ſuſtentarent. Poſt aliquantum verò temporis ad conſueta & callida ſe argumenta convertens, ut omnium favorem poſſet acquirere: bonam voluntatem & pium deſiderium de formanda Eccleſiæ atque Imperii pace habere fraudulenter oſtendit. Quippè qui & in tantum ſe humiliavit, quòd Epiſcopum Babenbergenſem, qui Catholicus ſemper extiterat, uſque Beneventum ad præſentiam Papæ Alexandri tranſmitteret, cui dederat poteſtatem, ut cum eo juxta formam capitulorum quæ ipſi commiſerat, concordiam & pacem firmaret. Injunxit etiam ipſi, ut hæc omnia eidem Pontifici tantummodò revelaret. Quod quidem, ſicut poſtmodùm claruit, hac aſtutia feciſſe dignoſcitur, ut inter Romanam Eccleſiam & Longobardos ſcandalum poneret, & eos ab invicem ſepararet.

LVIII. Pontifex autem ubì adventum ipſius Epiſcopi pro certo cognovit; & quòd de Longobardorum cauſa nihil ei fuiſſet commiſſum, nonnihil dubitare poſſet; præſentiens verſutias & artes mittentis, non ſine ſuſpicione erat. Ideòque cum Epiſcopis & Cardinalibus deliberato conſilio, ad Lombardos litteras & nuntios feſtinanter direxit, & eorum dubia & nutantia corda firmavit; & ut ex ſingulis civitatibus unam diſcretam & idoneam perſonam, quæ vicem generalitatis haberet, ad ejus præſentiam deſtinaret, eis ſuadendo mandavit, cum quibus verbum pacis & concordiæ, quod Epiſcopus deferebat, tractare volebat, & quod exinde agendum foret, cum eis diſponeret & ordinaret. Unde factum eſt, quòd fideles pariter & ſapientes viri à Lombardorum communitate ſunt directi ad præſentiam ſummi Pontificis.

Acceſſit prædictus Epiſcopus ad partes Campaniæ, & eidem Pontifici adventum ſuum nuntiavit, obſecrans, ut quia terram Regis Siciliæ intrare prohibitus fuerat, ipſe Pontifex ad Campaniam beati Petri patrimonium pro colloquio ſecum habendo dignaretur reverti. Placuit ergò ſummo Pontifici, ad preces illius cum fratribus ſuis, & Lombardorum Legatis de Benevento diſcedere in Campaniam, & in civitate Verulana prædictum Legatum expectare.

LIX. Altera autem die, cùm Pontifex de more in pleno Conſiſtorio reſideret: idem Babenbergenſis Epiſcopus advenit, & ante conſpectum Papæ Alexandri reverenter accedens, adoravit eum, & dixit: Dominus meus Imperator Fridericus miſit me ad vos, & diſtrictè injunxit mihi, ut vobiſcum ſeorſum loquar, & vobis ſolùm ea revelem, quæ mihi dicenda commiſit. Cui cùm Pontifex ſæpiùs diceret; inutile penitùs eſt, ut mihi ſoli ea exponas, ſuper quibus abſque notitia & conſenſu fratrum meorum, & eorumdem Legatorum Lombardorum nullum tibi dabo reſponſum: vix tandem ab eo potuit obtinere Legatus Epiſcopus, ut ipſe ſolus eum audiret, & poſteà quibus vellet, audita communicaret. Audivit itaque diligenter illum ſeorſum, ſicut petiit. Epiſcopus verò poſt multa & varia quæ Pontifici revelavit, firmiter aſſeruit, quòd in perſonam illius nihil ulteriùs Imperator agere volebat, ſed omnes ipſius ordinationes quas fecerat, ratas haberet, & ab aliis teneri juberet. De Papatu verò & obedientia ipſi debenda ita implicitè loquebatur & velatè, quòd ex verbis ejus catholicum ſenſum capere minimè poterat. Cùm autem importunè ſibi ac vehementer inſtaret Pontifex, ut ſuper his non in parabolis, ſed in veritate apertiſſimè loqueretur: confeſſus eſt, quòd diſtinctè verba ipſa expoſita mutare non audebat.

Verulis auditus Legatus Imperatoris.

His igitur auditis, cùm nihil ampliùs ab eo Epiſcopo elicere poſſet: ad ſecretiorem cameram, ubi fratres cum Lombardis dimiſerat, Pontifex remeavit, & audita ejus univerſaliter retulit, & habita deliberatione, Alexander Papa ſic Epiſcopo reſpondit.

LX. Prudentiam tuam, dilecte in Chriſto frater, valdè miramur, quòd hujuſmodi legationem ad nos, qui calliditates & aſtutias mittentis non ignoramus, quaſi neſcius detuliſti. Cùm enim, ſicut aſſeris, idem Imperator factas à nobis ordinationes jam (Deo gratias) velit reſpicere, atque ab aliis ratas haberi, & in perſona noſtra non conſentiat; qui licèt indignè, canonicè tamen beato Petro in Sede Apoſtolica ſucceſſimus: quid aliud eſt agere, niſi Deum venerari & colere ex parte, & ex parte ipſum negare? Cauſam noſtram tota Dei Eccleſia in aliis Regibus & Principibus Chriſtianis jam judicavit canonicam, jam amplectitur, & nobis uſquequaque obeditur. Si ergò inter oves, quas Deus beato Petro paſcendas commiſit, vult numerari: quid ampliùs differt eidem Principi Apoſtolorum cervicem ſuam flectere, & Catholicæ ſeſe unitati aggregare? Nos verò, ſi per eum non ſteterit, parati ſumus & prompti, præ cæteris mundi Principibus honorare ipſum, & ſuam ipſi juſtitiam integram conſervare, dummodò matrem ſuam ſacroſanctam Romanam Eccleſiam, qui ipſum ad Imperii culmen provexit, filiali devotione diligat, & ſuam libertatem ei conſervet. Poſt hæc autem ita increpatus, & fraternaliter commonitus idem Babenbergenſis Epiſcopus, à Lombardis ductus, ad Fridericum reverſus eſt.] Hactenùs dè legatione Friderici Imperatoris. Pergunt Acta:

Quæ Alexan. Papa ad Legatum.

LXI. Cùm autem apud civitatem Verulanam moraretur Pontifex, & Romani Tuſculanam civitatem acriùs ſolito impugnarent: Rayno ejus dominus, qui nimio terrore perterritus contra fidelitatem, quam eidem Pontifici fecerat, Joanni Maledicto, qui à Fri-

Comitia Tuſculani tractatio cum Alex. Pap.

à Friderico Urbis Præfectus factus fuerat, Tuſculanam civitatem ſicuti ſtultus & inſipiens dedit, & populum Tuſculanum à fidelitate, quam ſibi tenebatur exhibere, abſolvit: dataque civitate in manu ipſius Joannis, recepit Montem Flaſconis, & Burgum ſancti Flaviani cum ſuis pertinentiis, quæ ad dominium & jus beati Petri tantummodò ſpectare aſſeruntur. Super his ergò Alexander Papa, cùm videret beati Petri patrimonium ita inſolenter diſtrahi, & donari, adversùs utrumque non indignari, & graviter commoveri non potuit. Quippè quòd medietas Tuſculani cum monte Flaſcone, & Burgo S. Flaviani jure proprietatis ad ſolam Romanam Eccleſiam ſpectant; & quòd ex alia parte utroſque Romani haberent exoſos: ut poſſet adipiſci, Tuſculanam civitatem fecit continuis aſſultibus vehementiùs infeſtari. Unde Joannes Maledictus non mediocriter territus, relicta eadem civitate aufugit. Nihilominùs Rayno quoque ſe omninò deceptum fore perſentiens, ſpretus & pulſus à militibus, & populo Montis Flaſconis: terram ipſam reliquit, & nimio rubore confuſus, ad Tuſculum, quod dimiſerat inconſultè, ſe voluit revocare; ſed quia eos à dominio ſuo & fidelitate abſolverat, & alieno dominio ſubjecerat, cives non ſolùm eum recipere ſpreverunt, ſed etiam de cunctis finibus ſuis propulſarunt. Cùm igitur eſſet omnium conſilio & auxilio deſtitutus, ad matrem ſuam S.R.E., quam temerè leſerat, convolavit, & tamquàm filius prodigus à domino Papa Alexandro ejuſque inhærentibus fratribus indulgentiam & miſericordiam poſtulavit, ponens ſe ipſum, & quidquid juris videbatur habere in ipſa civitate, in beneplacito eorum & miſericordia. Sed populus Tuſcu-

A lanus prævenerat ipſum Raynonem, & ſe & civitatem, & quantum in ea erat, ſub dominio beati Petri, & poteſtate ipſius Pontificis ſpontè tradiderat. Unde factum eſt, quòd ipſe Rayno de ipſa civitate donationem per publicum inſtrumentum eidem Papæ, & ſucceſſoribus ejus fecit.] Pergunt Acta referre de nuntio Romam perlato de crudeliſſima nece S. Thomæ Archiepiſcopi Cantuarienſis, & de aliis, quæ quòd ad ſequentem annum ſpectent, ſuo loco dicemus.

LXII. Naſcitur S.Dominicus.

Hoc eodem anno, quo ex hac vita ſubducitur ſanctus Thomas Dei magno benefi-
B cio ex materno utero in lucem editur Calagore in Hiſpania Dominicus ex Guſmanorum familia, qui ſecundùm præcedentem prophetiam matri per quietem oſtenſam ſua lucis foret vitæ ſanctitate illuminaturus Orbem, & canis latratu abacturus feros lupos, nempè voce prædicationis debellaturus hæreticos. Hæc de ortus tempore ex (a) S.Antonino collegimus: reliqua de ipſo ſequenti Tomo dicturi ſumus.

a Ant. hiſt. part. 3. tit. 23. §. 4.

Quod ſpectat ad res Orientales, contigit hoc eodem anno legatio Theoriani ad Armeniæ Generalē, nempè Principem Armenorū, ita enim reperiuntur nominati his tem-
C poribus Principes eorum, donec Regis titulum ſunt conſecuti à Romano Pontifice. Hoc inquam anno vigeſimooctavo Emmanuelis Imperatoris, non decimooctavo (ut mendoſus codex habet; nam Indictio tertia ibidem notata legitur unà cum anno à creatione mundi ſex milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimooctavo) miſſus eſt ad corrigendos Armenorum errores idem Theorianus, qui naviter incubuit in opus, ut patet ex ejus relatione ab ipſo ſcripta, quæ Latinitati donata, jam cuſa extat to-
D mo quarto Bibliothecæ ſanctę, quā cōſulas.

Legatio Theoriani ad Armenos.

JESU CHRISTI ANNUS 1171. ALEXANDRI PAP. III. ANNUS 12. FRIDERICI IMP. 16. MANUELIS IMP. 28.

I. SEquitur annus ſalutis milleſimus centeſimus ſeptuageſimusprimus, Indictione quarta, quo pervulgata dira nece ſanctiſſimi martyris Thomæ Archiepiſcopi Cantuarienſis, univerſus planè Occidentalis concuſſus eſt Orbis, piorumque omnium auditi ſunt gemitus: litteræque in primis frequentes, eædemque lugubres datæ ad Alexandrum Pontificem à diverſis, atque id generis, ut quot fuerint ipſæ, tot dixeris eſſe glorioſa elogia, & præclara epitaphia ſepulturæ Martyris præſtantiſſimi. Ex quibus primo loco accipe, quæ Rex (b) Francorum de hic ad ipſum ſcripſit Alexandrum:

b Cod. Vat. l. 5. ep. 78.

Regis Franc. ad Alex. Pap. Ep. de nece S. Thomæ.

Alexandro Dei gratia ſummo Pontifici Ludovicus eadem gratia Francorum Rex ſalutem & debitam reverentiam.

Ab humanæ pietatis lege recedit filius qui matrem deturpat; neque Creatoris beneficii reminiſcuntur, qui ſanctæ Eccleſiæ illata turpitudine non triſtantur. Unde ſpecialiùs eſt condolendum, & novitatem doloris excitat inaudita novitas crudelitatis. Quoniam in Sanctum Dei inſurgens malignitas, in pupillam Chriſti gladium infixit, & lucernam tantam Eccleſiæ non tàm crudeliter quàm turpiter jugulavit. Excitetur ergò exquiſitæ genus juſtitiæ,
E denudetur gladius Petri in ultionem Cantuarienſis martyris, quia ſanguis ejus pro univerſali clamat Eccleſia, non tàm ſibi quàm univerſæ Eccleſiæ conquerens de vindicta. Et ecce ad tumulum Agoniſtæ (ut revelatum eſt nobis) divina miraculis revelatur* gratia, & divinitùs demonſtratur, ubi humatus requieſcit, pro cujus nomine decertavit. Latores verò præſentium patre orbati pietati veſtræ ſeriem indicabunt: & teſtimonio veritatis aurem mitiſſimā adhibete, & tàm de iſto negotio, quàm de aliis tamquàm nobis credite. Valete.] Hæc Rex. Sed & Bleſenſis (c) Comes eodē argumento itidē ad Alexandrum Pontificē litteras dedit.

* gloria

c Ibid. 81.

a *Ib. ep. 30.* b *Ib. ep. 82. & 83.*

A dit: Inſuper & (*a*) Senonenſis Antiſtes tunc Sedis Apoſtolicæ Legatus binas ad eumdem Papam de nece S. Thomæ (*b*) litteras ſcripſit. Sed miſſis his eodem argumento conſcriptis, jam reliqua de legatis Romam Nuntiis ab Anglorum Rege pro pœnitentia ſuſcipienda ob necem Martyris, & de frequentia & excellentia miraculorum exhiberi cœptorum ad ſepulchrum ejuſdem Martyris, & aliis ad hæc ſpectantibus videamus.

B Necato Martyre in fine anni ſuperioris, ſic Romam concuſſus ad Alexandrum Pontificem, aliorum, (ut vidiſti) execrandum ſacrilegium deteſtantium & accuſantium, aliorum verò Regem ipſum Anglorum excuſantium. Fuerunt (ut audiſti) accuſatores Principes pii, ut Rex Francorum, Comes Bleſenſis, & Epiſcopi Legati, in primis verò Senonenſis. Excuſator autem affuit Epiſcoporum conventus, quorum omnium nomine Lexovienſis Epiſcopus ad Alexandrum Papam hanc dedit epiſtolam; (*c*)

c *Ib. ep. 79.*

II. Synodalis epiſt. in excuſatione Regis.

Cùm apud Regem noſtrum pariter congregati, de magnis Eccleſiæ regnique negotiis tractaturi crederemur; ſubitus nos de domino Cantuarienſi rumor lamentabili mœrore perfudit; adeò ut in momento ſerenitas in ſtuporem, & conſultationes in ſuſpiria verterentur. Per aliquos enim ab Anglis revertentes certa relatione didicimus, quòd quidam inimici ejus, crebris (ut ajebant) exacerbationibus ad iracundiam & amentiam provocati, temerè in eum irruptione facta (quod ſine dolore dicere non poſſumus, nec debemus) perſonam ejus aggredi, & trucidare crudeliter perſtiterunt. Ad Regis denique notitiam rumor infauſtus, quibuſdam perſequentibus pervenit, quoniam ei non licuit ignorare, quod ad ejus vindictam jure poteſtatis & gladii videbatur ſpecialius pertinere. Qui ſtatim, in primis nefandi ſermonis initiis, ad omnia lamentationum & miſerationum genera converſus; regiam prorsùs majeſtatem quaſi cilicio immutans & in cinere, in iſto fortiùs amicum exhibuit quàm Principem, ſtupens interdùm; & poſt ſtuporem ad gemitus acriores, & acerbiores amaritudines revolutus, tribus ferè diebus recluſus in cubiculo, nec cibum capere, nec conſolatores admittere ſuſtinuit, ſed mœſtitiis pernicioſiore voluntariam ſibi perniciem indicere pertinaciter videbatur. Miſerabilis erat malorum facies, & anxia neceſſitudo doloeum, quoniam qui ſacerdotem lamentabamur primitus, de Regis ſalute conſequenter cœpimus deſperare, & in alterius nece miſerabiliter utrumque credebamus interiiſſe. Porrò quærentibus amicis, & Epiſcopus maximè, quòd eum ad ſe redire non permitteret: reſpondit, ſe metuere, ne ſceleris auctores & complices veteris rancoris confidentia impunitatem ſibi criminis promiſiſſent, licèt ipſe novas inimicitias recentibus injuriis & frequentibus maleficiis compararet, arbitrari ſe, nominis ſui famam & gloriam maledictis æmulorum reſpergi poſſe, & confingi, id ex ejus conſcientia proceſſiſſe. Sed omnipotentem Deum ſe teſtem invocare in animam ſuam, quòd opus nefandum nec ſua voluntate, nec conſcientia commiſſum eſt, nec artificio perquiſitum. Niſi fortè in hoc delictum ſit, quòd adhùc minus diligere credebatur. Super hoc quoque ſe judicio Eccleſiæ prorsùs apponere, & humiliter ſuſcepturum quidquid in eo fuerit ſalubriter ſtatuendum.

III. Communicato igitur conſilio, in hoc conſultatio omnium conquievit, ut Sedis Apoſtolicæ ſapientiam & auctoritatem conſuleret, quam ſpiritu ſapientiæ & poteſtatis plenitudine Chriſtiana Fides prædicat abundantiùs redundare; & apud eam ſuam ſtudeat innocentiam modis legitimis & canonicis approbare. Supplicamus ergò, quatenùs ſecundùm datum à Deo vobis ſpiritum conſilii & fortitudinis, tanti ſceleris auctoribus ſecundùm facti immanitatem ſeveritas veſtra retribuat, & ſuam innocentiam Regi pietas Apoſtolica in ſtatu ſuo velit affectuoſiùs conſervare. Omnipotens Deus perſonam veſtram Eccleſiæ ſuæ per multa tempora conſervet incolumem.] Hactenùs Lexovienſis Epiſcopus nomine omnium, qui convenerunt Epiſcoporum. Cum his autem litteris miſſi ſunt Nuntii ab Epiſcopis ad Alexandrum Papam, alii verò à Rege ipſo, ſed ante hos alii ab Eboracenſi pro abſolutione ab excommunicatione petenda. De quibus omnibus extat (*d*) relatio Nuntii Regis ad Archidiaconum Pictavienſem his verbis:

d *Cod. Vat. l. 5. ep. 84.*

IV. Nuntii ab Epiſcopis & à Rege ad Alexan. Papã miſſi.

Qui fuerint primi Nuntii Regis, & qui ſecundi, & quid tàm hi, quàm illi poſtulaverint, & quomodò à Curia receſſerint; ſub ea qua potero brevitate perſtringam. Primò miſſi ſunt Joannes Cumin, & magiſter N. ad petendam abſolutionem Epiſcoporum; ſed Joannes Cumin priùs venit ad Curiam quindecim diebus antequàm N. veniret, & poſt multam inſtantiam ſuam, priùs facta promiſſione quingentarum marcharum, auditus eſt, aſtantibus cum eo, & plurimùm allegantibus ad excuſationem Epiſcoporum, clericis Eboracenſis Archiepiſcopi, & Nuntio Dunelmenſis. Et credo quòd reportaſſent abſolutionem, niſi ſuperveniſſet rumor de morte Archiepiſcopi, qui omnia denigravit. Ita enim perturbatus eſt dominus Papa, quòd nec etiam ſui ferè per octo dies cum eo potuere habere colloquium. Et generaliter interdictum eſt, ne Anglici ad eum haberent acceſſum, & ſuſpenſa ſunt omnia eorum negotia.

Secundi Nuntii fuerunt Epiſcopi Wigornienſis; & Ebroicenſis, & Abbas de Valace, & Archidiaconus Saresberienſis, & Lexovienſis, & dominus Robertus de novo Burgo, & Richardus Barre, & magiſter Henrichus Pichim, & quidam Templarius, miſſi ad excuſandum Regem, quòd nec ejus mandato, nec voluntate interfectus eſſet Cantuarienſis. Hoc autem non

eſt

Digitized by Google

A eſt negatum, quin ipſe *Rex* dediſſet cauſam mortis ſuæ, & quin aliquid diaiſſet, unde interfectores illi occaſionem interficiendi ſumpſerunt. Sed nec iſti Nuntii ſimul ad Curiam venerunt, & à domino Papa non ſunt admiſſi, nec in conſpectu ejus apparere potuerunt. Deinde ad preces quorumdam Cardinalium recepti ſunt Abbas & Lexovienſis Archidiaconus.

V. Appropinquante die Jovis ante Paſcha, generaliter dicebatur in Curia, quòd dominus Papa illa die daturus erat ſententiam excommunicationis in Regem & regnum. Unde Nuntii timore perterriti, quibuſdam Cardinalibus intercedentibus, ſignificaverunt domino Papæ, ſe accepiſſe in mandatis à domino B Rege, quòd juraret in præſentia ejus, quod Rex ſtabit mandato ſuo, & hoc jurabit in propria perſona. Eadem die Jovis, ferè circa horam nonam, vocati ſunt tàm Nuntii Regis, quàm Nuntii Epiſcoporum in generali Conſiſtorio. Juraverunt Nuntii Regis, ſcilicèt Abbas de Valace, & duo Archidiaconi prędicti, & Henricus, & Richardus Barre, quòd Rex ſtabit judicio domini Papæ, & quòd ad præceptum ejus hoc jurabit. Eadem tamen die excommunicavit generaliter C interfectores Cantuarienſis, & omnes qui conſilium & auailium vel aſſenſum præbuerunt, & omnes qui eos in terram ſuam receperint, aut foverint.

VI. *Relatio de rebus geſtis Nuntiorum cũ Papa.* Poſt Paſcha venerunt Vvigornienſis & Ebroicenſis Epiſcopi, & Robertus de novo Burgo, & utrùm illud juramentum ab eis exactum ſit, neſcio, ſed ſcio, quòd non juraverunt: & cùm ſtetiſſent in Curia per dies quindecim & eò ampliùs, vocati ſunt ad audiendum reſponſum ſuum. Nam illi cum aliis concordabant tàm in excuſatione Regis, quàm in accuſatione, ſecundùm quod dictum eſt: & cùm crederetur, eos D deatrum calculum reportaturos, confirmavit dominus Papa ſententiam interdicti, quam dominus Senonenſis dederat in terram ciſmarinam, & ſententiam ſuſpenſionis & excommunicationis, quæ data erat in Epiſcopos Angliæ; & ſubjunxit, quòd ipſe mitteret Legatos ſuos ad Regem, ut videant & cognoſcant ejus humilitatem. Deinde poſt multam Nuntiorum inſtantiam, & interventu quorumdam Cardinalium, & magnæ pecuniæ etiam (ſicut dicitur) hoc impetratum eſt, quòd dominus Papa ſcribet Bituricenſi Archiepiſcopo, quòd ſi infra menſem poſt adventum Nuntiorum in Northmanniam non E audierit Legatos tranſalpinaſſe, quòd tunc abſolvat Londonienſem, & Saresberienſem ab excommunicatione, præſtito priùs juramento, quòd ſtabunt mandato domini Papæ, tàm illis quàm aliis in ſuſpenſione manentibus. Sic receſſerunt Nuntii domini Regis à Curia, nec aliud reportarunt. Quando verò venturi ſint, vel qui, nondum credimus Cardinalibus innotuiſſe. Sed nunc non oportet vos timere interdictum in Anglia, ſicut credo, ſi Rex Legatis parere voluerit, & dominus Papa ſcribit ei, & invitat ad humilitatem, ſed vix fuit impetratum, ut ei ſcriberet.] Hactenus relatio unius Nuntii Regis Deſiderantur hujuſmodi litteræ Alexandri Papæ ad Anglorum Regem.

Sed præſtat audire reliquorum Nuntiorum Regis ad ipſum Regem fideliorem atque exactiorem relationem, qua nulla prorſus pecuniarum oblationis vel acceptionis (ut ille prior falſa conjectura ſua ſcripſerat) mentio habetur, licèt omnium planè ſingularumque rerum & verborum etiam exactiſſimam mentionem contineat. Sic enim ſe habet: (a) *a Cod. Vat. l. 5. ep. 83.*

Chariſſimo domino ſuo Henrico illuſtri Anglorum Regi, Duci Northmanniæ & Aquitaniæ, & Comiti Andegavenſi, R. Abbas Vvallaciæ, R. Saresberienſis Archidiaconus, R. Lexovienſis Archidiaconus, Richardus Barre, & magiſter Henricus ſalutem & fidele in omnibus & ubique obſequium.

VII. *Relatio reliquorũ Regis Angl. Nuntiorum.* Noverit veſtra majeſtas, quòd cùm Richardus Barre nos præceſſiſſet, & cum multo periculo & gravamine nos ad Curiam domini Papæ præveniſſet: nos quatuor cum duobus Epiſcopis, & Decano Ebroicenſi, & magiſtro Henrico cum multa difficultate venimus uſque Senas; ibique diebus aliquot detenti fuimus. Comes enim Macarius ſic ex omni parte vias obſidebat, quòd nulli patebat egreſſus. Cùm verò nos quatuor cum Epiſcopis, qui plurimùm exire deſiderabant, non potuiſſemus: in maxima anguſtia poſiti, ex communi conſilio, media nocte, & latenter exivimus, & ſic per abrupta montium, per loca ferè invia ſub magno timore & periculo tandem venimus in Tuſculanum. Ibi Richardum Barre de veſtro honore, ſicut decebat, ſollicitum, & ad veſtram utilitatem prudenter & inſtanter laborantem invenimus, multùm tamen conturbatum & confuſum; quia nec dominus Papa eum receperat, nec alii benignos & humanos ſe illi exhibuerant. Nos autem venientes dominus Papa nec videre, nec ad oſculum, nec ad pedes voluit recipere. Vix enim plerique Cardinalium dignati ſunt nos recipere vel in verbo. Diu ergò in amaritudine ſpirituum noſtrorum anxiè conturbati, iis qui vos fideliùs diligebant, omnimodè ſupplicavimus, ut eorum interventu dominus Papa nobis quocumque modo audientiam indulgeret.

VIII. *Execrabile habitum nomẽ Regis Angl.* Ad audientiam recepti ſunt dominus Abbas de Vvallacia, & R. Archidiaconus Lexovienſis, qui minus habebantur ſuſpecti. Ipſi autem cùm nomen veſtrum tamquàm devotiſſimi filii Romanæ Eccleſiæ in ſalutatione ex veſtra parte proponerent; acclamavit tota Curia: Suſtinete, Suſtinete, tamquàm domino Papæ abominabile eſſet audire nomen veſtrum. Sic à Curia venientes, ſerò redierunt ad dominum Papã, ei de noſtro communi conſilio exponentes, quòd nobis fuerat à veſtra majeſtate injunctum; referentes etiam ſeriatim ſingula beneficia, quæ contuleratis Cantuarienſi, & ſingu-

ſingulos exceſſus & importunitates, quas contra veſtram commiſerat dignitatem, totumque hoc primò ſecretò, poſteà coram domino Papa & omnibus Cardinalibus, contendentibus etiam contra vos Alexandro Vualenſi, Gunterio Flandrenſi clericis Cantuarienſis Eccleſiæ.

IX. Inſtante verò quinta feria ante Paſcha, in qua de conſuetudine Romanæ Eccleſiæ ſolet dominus Papa publicè abſolvere, vel publicè excommunicare: cùm certi eſſemus, quòd de veſtro & regni veſtri gravamine tamquàm ad hoc proni, diutiſſimè tractaſſent, conſuluimus eos, quos veſtræ majeſtati fideliores cognovimus, ſcilicèt dominum Portuenſem, dominum Hyacinthum, dominum Papienſem, dominum Tuſculanum, dominum Petrum de Mirlo (dominus Joannes Neapolitanus aberat) cum omni ſtudio & inſtantia exorantes, ut nobis animum domini Papæ, & quid circa vos ſtatuere proponeret, aperirent. Ipſis verò nihil niſi ſiniſtrum, & veſtræ celſitudini ignominioſum reportantibus: ex ſingultuoſa eorum & fratris Franci fidelis veſtri relatione præſcivimus, quòd ea die immutabiliter diſpoſuerat dominus Papa in vos nominatim, & in totam terram veſtram ciſmarinam, & tranſmarinam de communi fratrum conſilio interdicti ferre ſententiam, & eam quæ in Epiſcopos lata fuerat, confirmare. Poſiti ergò in arctiſſimo, omni ſtudio attentavimus per Cardinales, & per illos de ſociis noſtris, qui ad illum habebant acceſſum, & per familiares ſuos, ut ceſſaret ab hoc propoſito, vel ſaltem differret uſque ad adventum Epiſcoporum veſtrorum. Quod cùm nullo modo fieri poſſet; nos, ſicut decet, & ſicut debitores vobis ſumus, perſonæ veſtræ dedecus, & totius terræ veſtræ gravamen ſuſtinere non valentes, nec debentes, tandem convocatis ſociis noſtris coram quibuſdam Cardinalibus, viam invenimus ſaluti veſtræ, & honori bonam & ſecuram, & univerſæ terræ veſtræ utilem, & Epiſcopis quoque neceſſariam, per quam à vobis & à terra veſtra, & ab Epiſcopis veſtris dedecus & periculum, quod imminebat, avertimus; & noſipſos pro hac liberatione totos periculo expoſuimus, credentes, & certam ſpem habentes, quòd totum negotium procederet, ſecundùm quod credimus, vos velle debere. Timore namque perterriti, iiſdem Cardinalibus intercedentibus, ſignificavimus domino Papæ, nos accepiſſe in mandatis à vobis, quòd juraremus in præſentia ejus, quòd vos ſtabitis mandato ſuo, & hoc jurabitis in propria perſona.

Cardinales ſtudioſi Reg. Ang.

X. Eadem verò die Jovia circa horam nonam vocati ſunt Nuntii tàm veſtri quàm Epiſcoporum, & in generali Conſiſtorio juravimus, Abbas ſcilicèt de Vuallacia, & Saresberienſis, & Lexovienſis Archidiaconi, & magiſter Henricus, & Richardus Barre, quòd vos ſtabitis mandato Papæ, & ad præceptum ejus hoc jurabitis. Nuntii verò Archiepiſcopi Eboracenſis, & Londonienſis, & Saresberienſis Epiſcoporum juraverunt ſimiliter, quòd domini ſui ſtabunt præcepto ejus, & hoc jurabunt. Ipſa die tamen generaliter excommunicavit interfectores Cantuarienſis, & omnes qui conſilium, vel auxilium, vel aſſenſum præbuerunt, & omnes qui in terram ſuam eos ſcienter receperint, aut foverint. Dominus Vuigornienſis, & dominus Ebroicenſis Epiſcopi, & Robertus de novo Burgo Ebroicenſis, & magiſter Henricus in proximo venturi erant: & eosquidem dimiſimus ultra modum anxios & turbatos, quia pro explendo negotio veſtro, pro velle ſuo venire non poterant. Fuitque de conſilio eorum, quòd nos quocumque modo præcederemus eos; ut dedecus & malum quod parabant vobis adverſarii veſtri, impedire poſſemus; certi enim eramus, quòd veſtrum gravamen in Curia præparabatur, & timuimus illius diei conſuetudinem. Valeat & diu vigeat ſublimitas veſtra. Confortamini in Domino, & exultet cor veſtrum, quoniam præſens nubilum ad gloriam veſtram ſequetur ſerenum. Die Sabbathi ante ramos Palmarum ad Curiam venimus, & lator præſentium die Paſchæ receſſit à nobis.]

Nuntiorũ juramentum nomine Regis.

XI. Poſt hæc autem celebrato Paſchali feſto decernitur legatio ab Alexandro ad examinandum Regem Anglorum. De hac Papæ legatione agit Herebertus in Quadripartita, hæcque ait: Verùm quia confeſſio ſicut nec præſcripta, nec per perſonas interpoſitas fieri ſolet, aut debet, & viva vox confitentis, quò plus auget devotionem, eò plus habet virtutis: vir Apoſtolicus Alexander à latere ſuo duos Cardinales miſit, piæ memoriæ magiſtrum Theodinum presbyterum tituli ſancti Vitalis, vel Veſtinæ (utroque enim nomine dicitur) & Albertum ſancti Laurentii in Lucina presbyterum Cardinalem Eccleſiæ Cancellarium, viros certè omni religionis ſanctitate & ſcientia præditos.] Quid autem per eos geſtum ſit, ſuo loco dicetur inferiùs.

Inter hæc autem eodem anno alia legatio præmiſſa ab Alexandro Papa ad Angliæ Regem, antequàm quidquam innotuiſſet de nece S. Thomæ, pervenit ad Regem, ut quem audiſſet litteris ipſius Thomæ reſilire à promiſſis, cenſuris percelleret Eccleſiaſticis. Quinam fuerint Legati iſti, & quid actum per Regem, ut eorum eluderet auctoritatem, Rogerius ita deſcribit hoc anno: Interim venerunt in Northmanniam duo Legati Cardinales, à latere Alexandri ſummi Pontificis miſſi, *qui aliàs, ut dictum eſt, eodem ſunt functi munere legationis*, Gratianus ſcilicèt, & Vivianus; qui magnis & diverſis vexationibus Regem Angliæ angariaverunt, volentes eum & terram ſuam ſub interdicto ponere. Sed Rex Angliæ inde præmunitus, ante illorum ingreſſum ad præſentiam ſummi Pontificis appellavit: & ſic ſe & terram à gravamine illorum cuſtodivit illæſos. At tùm Apoſtolicam timens ſeveritatem, ad mare properavit, & de Northmannia in Angliam

Legatio anteà Miſſa pervenit ad Reg. Angl.

tranſ-

transfretavit, præcipiens, quòd Brevis lator cujuſcumque fuerit conditionis vel ordinis, permitteretur transfretare neque de Northmannia in Angliam, neque de Anglia in Northmanniam, niſi priùs data ſecuritate, quò nullum malum vel gravamen quæreret Regi nec regno ſuo.] Hæc de his, quæ ad legationem anteà miſſam ſpectant.

XII. Hibernia dedita Regi Angl.

Pergit idem auctor narrare expeditionem hoc eodem anno ab eodem Rege paratam ad ſubiiciendam Hiberniam, quam ſpontè deditam ſibi conſenſu omnium vendicavit. Cùm & ab Archiepiſcopis, & Epiſcopis ejus regni celebratum fuiſſe Concilium idem auctor enarrat, numerans Archiepiſcopos, qui erant quatuor in Hibernia, & Epiſcopos vigintiocto, quorum & nomina exprimit ſingulorum: & hi omnes (inquit Rogerius) tàm Archiepiſcopi quàm Epiſcopi receperunt ſibi Henricum Regem Angliæ, & hæredes ſuos in Reges & dominos in perpetuum. Quod & chartis ſuis confirmaverunt.

Conc. Hibernenſe.

Quo facto Rex Angliæ miſit Nicolaum Capellanum, & Radulphum Archidiaconū de Landaff, clericos ſuos, unà cum Archie- A piſcopis & Epiſcopis Hiberniæ uſq; ad Caſſelenſem civitatem, ad celebrandū Concilium de ſtatutis Eccleſiæ. In Concilio autem illo ſtatutum eſt, ut pueri deferrentur ad Eccleſiam, & ibi baptizarentur in aqua munda ſub trina merſione, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti; & hoc à ſacerdotibus fiat, niſi metu mortis impediente, ab alio, & aliàs opportuerit fieri, & tunc à quolibet fiat ſine exceptione ſexus & ordinis. Et ut decimæ dentur Eccleſiis de omnibus, quæ poſſidentur. Et ut omnes laici, qui uxores habere velint, eas ſecundùm jus Eccleſiaſticum habeant.

Alex. Papa confirmat Regnū Hiber. Regi Angliæ.

B Rex verò Angliæ miſit tranſcriptum chartarum univerſorum Archiepiſcoporum & Epiſcoporum Hiberniæ ad Alexandrum Papam. Et ipſe auctoritate Apoſtolica confirmavit illi, & hæredibus ſuis regnum Hiberniæ ſecundùm formam chartharum Archiepiſcoporum & Epiſcoporum Hiberniæ.] Hæc de his Rogerius, qui & certo tempore conſignans hæc omnia, addit, Regem ipſum moram feciſſe in Hibernia à feſto ſancti Martini anni præſentis uſque ad principium Quadrageſimæ C anni ſequentis.

JESU CHRISTI ANNUS 1172. ALEXANDRI PAP. III. ANNUS 13. FRIDERICI IMP. 18. MANUELIS IMP. 30.

I. Legatio ab Alex. Pap. ad Reg. Angl.

SEquitur annus Redemptoris milleſimus centeſimus ſeptuageſimus ſecundus, Indictione quinta, quo legatio ab Alexandro Romano Pontifice ad Henricum patrem anno ſuperiori decreta in cauſa necis ſanctiſſimi viri Thomæ Archiepiſcopi Cantuarienſis, pervenit in Northmanniam: quam ipſe Rex, qui nuper ex Hibernia redierat in Angliam, inde navigans in Northmanniam convenit; præſtitique quod Regis verè pœnitentis & Chriſtiani eſſet maximè pii, parendo in omnibus mandatis univerſalis Eccleſiæ Papæ; qui per lectiſſimos ad hoc opus S. R. E. Cardinales præſtantiſſimos viros Theodinum presbyterum Cardinalem tituli S. Vitalis, qui & tituli Veſtinæ dictus, & Albertum itidem presbyterum Cardinalem tituli S. Laurentii in Lucina S. R. E. Cancellarium, quàm feliciſſimè rem abſolvit. De his dicturi, quomodò ſcilicèt iſta tàm ardua fuerint actitata ſumma facilitate, Deo cor Regis ad pœnitentiam diſponente; primum omnium illud quod ad tempus ſpectat, elucidandum: nimirùm iſta omnia hoc ipſo anno fieri contigiſſe, prout accuratè demonſtrat Rogerius in iis, quos tunc ſcripſit, Annalibus Anglicanis; nempè hoc anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimoſecundo iſta omnia fuiſſe tranſacta, poſt reditum ſcilicèt ejuſdem Henrici Regis ex Hibernia, poſtquàm eam in deditionem accepiſſet, ut anno ſuperiori eſt ea eodem auctore narratum. De rebus autem tunc inter Legatos & Regem geſtis, primò quidem difficultatibus præpeditis, inde cœlitùs aura perflante Spiritus ſancti, ex eorumdem Legatorum ſententia abſolutis, extat tunc ſcripta relatio inter epiſtolas (a) ſancti Thomæ, & Alexandri Pontificis, in codice Vaticano ſæpè citato deſcripta, D his verbis:

a *Inter ep. S. Thomæ l. 5. ep. 88.*

II. Relatio de Rebus geſtis cū Reg. Angl.

Primò dominus Rex & Legati convenerunt apud Gornam, die Martis ante Rogationes, & ibi invicem recepti ſunt in oſculo pacis. In craſtinū venerunt Saviniacum, ubi Archiepiſcopus Rothomagenſis & cuncti Epiſcopi & proceres convenerant. Cùmque de pace ibi diu tractatum eſſet, quoniam Rex mandatum eorum abſolutè jurare renuit: Rex ab eis cum indignatione diſceſſit in hæc verba: Redeo, inquit, in Hiberniam, ubi multa mihi incumbunt, *facienda ſcilicèt*: vos autem in pace ite per terram meam, ubi E vobis placuerit, & agite legationem, ſicut vobis injunctum eſt. Sic ab eis diſceſſum eſt. Tunc Cardinales habito arctiori conſilio, revocaverunt Epiſcopum Lexovienſem, Joannem Pictavienſem, & Epiſcopum Sareſberienſem, & per eos elaboratum eſt, quòd feria ſexta ſequente Rex & Cardinales apud Abrincas convenirent. Ibique omninò conventum eſt inter eos; ita quòd Rex quidquid ex parte Cardinalium ei propoſitum eſt, benignè ſuſcepit, & confecit. Sed quia Rex filium ſuum voluit adeſſe, ut quod pater promitteret, ille etiam aſſeveraret: terminus rei dilatus eſt uſque ad ſequentem Dominicam proximam, videlicèt ante Aſcenſionem Domini.

A

Rex incautè parat exitiũ S. Thomæ.

æſtu furoris in verba proſilierit aſpera valdè; quibus commoti fuere ſatellites illi, qui ſe ad necem viri ſanctiſſimi accinxerunt; ait enim: Sæpè ſæpiùs ex ira inflammatus, in funeſtam vocem erumpens, omnes quos nutrierat, qui familiaritatis gratia, & beneficiorum collatione ſibi obnoxii fuerant, maledixit, quod ipſum de uno ſacerdote non vindicarent, qui ipſum & regnum ſuum ſic turbabat, & ſuis dignitatibus exauctorare, & exhæredare quærebat.] Hæc & alia id genus repetens, & inculcans, commovit in eum planè ſuos omnes: quorum quatuor ex militibus audaciores, junctis dextris, in necem Archiepiſcopi conſpirarunt; moxque in Angliam profecti Archiepiſcopum convenerunt, miſcenteſque jurgia, atque rixam excitantes, captarunt, quam optabant, occaſionem ex libertate Archiepiſcopi in dicendo. Cùm ad poſtremum poſt diem ſanctorum Innocentium, eum perſolventem veſpertinum officium gladiis in Eccleſia appeterent: primùm Sanctus æditos arguit, eos velle obice portarum illos excludere, dicens: Quòd non eſſet Eccleſia caſtrorum more cuſtodienda. Rem geſtam quæ præceſſerint, quæve fuerint ſubſecuta martyrium, pleniſſima narratione in Quadripartita ſcribuntur, multaque ponuntur, quæ deſiderantur in aliis Scriptoribus, qui in eodem argumento laudabiliter ſunt verſati. Redegit verò ea omnia in compendium Rogerius in Annalibus Anglicanis, quæ ſuo tempore facta novit, & ita ſcriptis mandavit:

B

C

XLVI. Martyriũ S. Thomæ.

Vix ergo Pater in Eccleſia ſua per menſem moram fecerat, & ecce quinta die Natalis Domini venerunt Cantuariam quatuor milites, immò ſatanæ condicti ſatellites; quorum nomina, ſunt hæc, Vuilfelmus de Traci, Hugo de Morevile, Richardus Brito, Reginaldus filius Urſi: viri quidem generis præeminentia conſpicui, ſed enormis ſceleris auſu militiæ gloriam & ſtemmatis titulum perpetua ignominia mox damnaturi. Hi ergò introeuntes ad Archiepiſcopum: & quia non directa in manu eorum ſalus, ex concepta malitia ſalutationis eloquium prætermittentes, cum faſtu & ſuperbia alloquuntur. Accipiunt, reddunteque, minas minis adiicientes, reſponſum. Denique probra & contumelias poſt ſe relinquentes exierunt. Continuòque revertentes, clauſtrum monachorum irrumpunt cum multa armatorum ſequela, & ipſi armati. Jam Præſul cum modeſtia & gravitate præceſſerat eos in Oratorium, ſuadentibus, immò & compellentibus monachis propter diem ſolemnem, ad peragendam veſpertinam ſynaxim, cùm eos à tergo reſpiceret in medio clauſtri armatos, arcere eos templo debuit propria malignitas; ſed nec facinus diſſuaſit ſolemnitatis reverentia, nec à ſanguine cohibuit Patriarchæ innocentia; uſque adeò occupavit & excæcavit eos impudorata patrandi facinoris voluntas; ut nec militiæ jacturam recogitarent, nec ullius diſcrimi-

D

E

A

nis haberent æſtimationem. Præcipites ergò & ſtupidi inſequentes Archiepiſcopum, extractis gladiis intrant Eccleſiam, furiosè clamantes: Ubi eſt proditor ille? Nemine verò reſpondente, ingeminant illi: Ubi eſt Archiepiſcopus? Sciens itaque Chriſti Confeſſor & Martyr mox futurus, priori nomine ſe falsò impeti, alterum verò ſibi pro officio competere, à gradibus obviam illis progrediens, ecce inquit, adſum.

In tanta autem ſe exhibebat conſtantia, ut nec animus ejus pavore, nec corpus horrore concuti videretur. Cui unus funeſtorum militum in ſpiritu furoris intulit: Tu modò morieris: impoſſibile enim eſt, ut ulteriùs vivas. Reſpondit autem Archiepiſcopus non minori conſtantia verbi quàm animi: Ego pro Deo meo mori paratus ſum, & pro aſſertione juſtitiæ, & Eccleſiæ libertate: ſed ſi caput meum quæritis, prohibeo ex parte omnipotentis Dei, & ſub anathemate, ne cuiquam alii ſive monacho, ſive clerico, ſive laico majori vel minori in aliquo noceatis; ſed ſint à pœna immunes, ſicut extiterunt à cauſa. Verba ejus nomine Chriſtum exprimere videntur in paſſione dicentem: Si me quæritis, ſinite hos abire. Cui ſtatim iniicientes manus milites tenuerunt, ut extra Eccleſiam ad peragendum propoſitum traherent, ſed non potuerunt. Videns ergò Archiepiſcopus carnifices eductis gladiis, in modum orantis inclinavit caput, hæc noviſſima proferens verba: Deo, & ſanctæ Mariæ, & ſanctis hujus Eccleſiæ patronis, & beato Dionyſio commendo meipſum, & Eccleſiæ cauſam. Tunc in omnibus his cruciatibus invicti animi & admirandæ conſtantiæ Martyr, non verbum vel clamorem emiſit, nec edidit gemitum, nec brachium oppoſuit ferienti: ſed caput inclinatum, quod gladiis expoſuerat, donec conſummaretur, tenebat immobile.

XLVII.

B

C

D

XLVIII.

Crudelis occiſio S. Thomæ.

Prædicti igitur milites, timentes concurrentium undique utriuſque ſexus multitudinem, ne fortè voto infecto eriperetur, facinus acceleraverunt. Cùmque unus ex eis extendens vibraret gladium in caput Archiepiſcopi, brachium cujuſdam clerici, qui dicebatur Eduardus Grimfere, abſcidit, & ipſum pariter in capite vulneravit chriſtum Domini. Extenderat enim idem clericus brachium ſuper caput Patris, ut ferientis exciperet, vel potiùs eliderct ictum. Stabat adhùc juſtus pro juſtitia patiens, velut agnus innocens, ſine murmure, ſine querimonia; & ſeipſum holocauſtũ offerens Domino, Sanctorum patrocinia implorabat. Et ne quis funeſtorum ſatellitum, intacto Præſule, inſceleſtus argui poſſet, ſecundus & tertius gladios ſuos vertici conſtantis athletæ atrociter illiſerunt, confregerunt, & Spiritus ſancti victimam ſolo tenus præcipitaverunt. Quartus pluſquàm ferali, immò furiali crudelitate debacchatus, jam proſtrato, jam expiranti coronam raſilem abſcidit, teſtam capitis diſſipavit, & mucrone ver-

E

tici

A tici intruſo, cerebrum cum ſanguine ſuper pavimentum lapideum effudit.

XLIX. Diſcolor mixtura utriuſque ſubſtantiæ biſariam diſcreta Martyria merita piè intuentem docere videbatur. Candebat namque in cerebro byſſus innocentiæ, purpura martyrii rubebat in ſanguine: utroque martyr Thomas quaſi veſte nuptiali decenter adornatus, cœleſtis menſæ conviva dignus efficitur. Sic, ſic martyr Thomas virtute conſtantiæ adamantinus, cœleſtis ædificii lapis pretioſus, gladiorum quadratus ictibus angulari lapidi Chriſto in cœlis eſt conjunctus. Conſummatus ergò noſter Abel in martyrii gloria, in brevi explevit tempora multa. Itaque inchoante ſeptimo anno exilii ſui, præfatus martyr Thomas pro lege Dei & Eccleſiæ libertate, quæ tota ferè deperierat in Anglicana Eccleſia, certavit uſque ad mortem; & à verbis impiorum non timuit. Fundatus enim ſupra firmam petram, id eſt Chriſtum, pro nomine Chriſti, in Eccleſia Chriſti gladiis profanorum, quinta die Natalis Domini, id eſt in craſtino. Innocentum ipſe innocens occubuit. Cujus vitam innocentem, & mortem cauſæ merito in conſpectu Dei pretioſam, innumera prædicant miracula, quæ non ſolùm loco requietionis ejus, ſed & in diverſis nationibus, & regnis mirificè exhibentur. Eodem die paſſio beati Thomæ revelata eſt beato Godrico anachoretæ per Spiritum ſanctum apud Fintzhale, qui locus diſtat à Cantuaria plus quàm per centum ſexaginta milliaria.

Tempus Martyrii S. Thomæ.

L. Monachi autem Cantuarienſis Eccleſiæ clauſerunt oſtia Eccleſiæ, & ita permanſit Eccleſia ſuſpenſa celebratione Miſſæ ferè per unum annum; quouſque receperunt reconciliationem Eccleſiæ per dominum Papam Alexandrum. Monachi verò detulerunt Martyrem ſuum, & poſuerunt nocte prima in choro, agentes circa illum exequias defunctorum. Et veraciter dicitur, quòd expletis circa corpus obſequiis humanitatis, cùm jam in choro jaceret ſuper feretrum, circa auroram, levata manu dextera, dedit benedictionem; deinde ſepelierunt eum in crypta.] Hactenùs Rogerius de martyrio ſancti Thomæ, atque ſepultura ipſius. Hìc tandem finis præſtantiſſimi Martyris, qui vicit ſanguine, ſuique triumphavit occiſione, & glorioſiſſima inſignitus palma martyrii cœli intima penetravit, ſummæ conſtantiæ poſteris omnibus relinquens exemplum certandi uſque ad mortem pro libertate Eccleſiæ vendicanda. Mox autem in hoſtes ejus ſua ipſorum victoria victos atque proſtratos irruit formido & pavor, undique culpa ultrice exagitatos. Sed de his inferiùs ſicut funeſtior ita uberior ſermo erit.

Sepultura S. Thomæ.

De tempore ſolvitur ambiguitas.

Quod autem ad tempus ſpectat perſuncti martyrii, cùm ex recitatis ſuperiùs tot epiſtolis conſtet, hoc ipſo anno virum ſanctiſſimum dicta die eſſe necatum gladiis impiorum: nihilominùs apud nonnullos invenire eſt, poſitum martyrium, ejus anno ſequenti, ſicut in epitaphio, quod recitatur à Rogerio in Annalibus Angliæ, & à Roberto de Monte verſibus iſtis:

Annus millenus centenus ſeptuagenus
Primus erat, Primas quo ruit enſe Thomas,
Quinta dies Natalis erat, flos orbis ab orbe
Pellitur, & fructus incipit eſſe poli.]

Sed quòd paſſus ponatur ab iis anno ſeptuageſimoprimo poſt millenum centenum, inde accidit, quòd à Natalis Domini die incipiunt exordium anni. Qui verò ab ipſis B Kalendis Januarii, ſive ab Incarnatione Domini numerare conſueverunt, hoc ipſo anno paſſum eſſe, jure quidem conſtanter affirmant, ut ipſi ſcriptores Quadripartitæ, his verbis: Paſſus eſt autem egregius Dei athleta Thomas Cantuarienſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, totius Angliæ Primas, & Apoſtolicæ Sedis Legatus, anno ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo ſeptuageſimo; ætatis verò ipſius anno quinquageſimotertio, quarto Kal. Januarii, feria tertia, hora quaſi undecima, ut dies quintus Dominicæ Nativitatis ad miſeriam ejus fieret natalis ad gloriam.] Hæc ibi.

Tempus Martyrii S. Thomæ.

LI. Fluctuatio Cantuar. Eccleſiæ.

C Eodem quoque anno Eccleſia Cantuarienſis poſt ſublatum è medio ſanctū Thomā fluctuare cœpit, cùm videlicet ejuſdem Eccleſiæ monachi cathedrales ſucceſſorem eligerent, nulla habita ratione comprovincialium Epiſcoporum, quorum id muneris eſſet. Redarguit audax facinus Petrus Bleſenſis, cujus in Eccleſia Anglicana auctoritas magna erat, cùm has litteras de laudibus ſancti Thomæ ſic in primis cumulatiſſimè ſcriberet: (a)

a *Apud Petr. Bleſ. ep. 27.*

Chariſſimis fratribus & amicis ſuis Canonicis de Bellovidere magiſter Petrus Bleſenſis Bathonienſis Archidiaconus D ſalutem & dilectionem.

Cõſolatio de morte S. Thomæ.

Deceſſit Paſtor animarum noſtrarum, cujus obitum flere decreveram; ſed receſſit, non deceſſit; abiit, non obiit. Mors enim, per quam mirificavit Dominus Sanctum ſuum, non eſt mors, ſed dormitio: portus mortis, & porta vitæ, introitus in delicias cœleſtis patriæ, in potentias Domini, in abyſſum claritatis æternæ. Peregrè ſiquidem profecturus, ſaccum pecuniæ ſecum detulit, in plenilunio reverſurus: ejus enim anima dives meritis recedens à corpore, in reſurrectione generali & plena ad antiquum hoſpitium revertetur. Cùm E multas virtutes, quaſi merces varias in unum faſciculum comportaverit, ad cœleſtes nundinas profecturus, plena dierum vetula, mors ſæculi ſcilicèt, anus improba, litigioſa, querula, importuna, invida, inimica & ſubdola cœpit revolvere ſarcinulas ejus, & ſcrupuloſius explorare, ſi quid eſſet in illo meritorum involucro, quod ad ipſius dominium pertineret. Ipſe autem tamquàm vir circumſpectus & prudens noluit vitæ ſuæ ſuſtinere diſpendium: diu enim deſideraverat diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, & tunc permaximè ſuſpirabat exire de

re de

Digitized by Google

te de corpore mortis hujus. Modicum itaque pulveris projecit in os vetulæ, quaſi vice tributi, & nomine vectigalis. Inde cœpit falſus ille rumor populariter evagari, & paſſim plebeſcere, quia (a) fera peſſima devoravit Joſeph. Tunica ſiquidem, qua ſpoliatus eſt, fallax nuntia mortis erat. Joſeph (b) enim vivit & dominatur in tota terra Ægypti. Beata ejus anima corruptibilibus exonerata exuviis, de pulvere hujus converſationis libera evolavit in cœlum, aſſumpta eſt ab eo, qui dicit (c) Vado parare vobis locum: iterùm autem veniam, & aſſumam vos ad meipſum. Conſummatus in brevi explevit tempora multa, raptus eſt, ne malitia immutaret intellectum ipſius. Vocatus eſt in cœlum, quo mundus non erat dignus: nec eſt extincta lucerna hæc, ſed flatu tranſitorio percuſſa eſt, ut luminoſius ſplendeat, & jam ſub modio non abſcondita luceat omnibus qui in domo ſunt. Viſus eſt oculis inſipientium mori, ſed vita ejus abſcondita eſt cum Chriſto in Deo: mora eum viciſſe, & abſorbuiſſe viſa eſt; ſed abſorpta eſt mors in victoria.

a Geneſ. 36. b Ibid. 45. c Joan. 14.

LII. Qualis vita S. Thomæ.

Deſiderium cordis ejus tribuiſti ei Domine: diu enim militaverat tibi, propter verba labiorum tuorum cuſtodiens vias duras. Sanè à primitivis adoleſcentiæ moribus, cœpit morum maturitate ſeneſcere, atque carnalis inſolentiæ motus vigiliis, jejuniis, diſciplinis, cilicio, & jugis continentiæ baltheo cohibere. Vocatus eſt itaque à Domino tamquàm Aaron ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus, reddere populum acceptabilem Domino, ſectatorem bonorum operum, & parare Domino plebem perfectam. Elegit eum Dominus in ſacerdotem ſibi, ut eſſet in populo ejus ductor & doctor, vitæ ſpeculum, pœnitentiæ forma, & ſanctitatis exemplum. Deus ſcientiarum Dominus dederat ei linguam eruditam, & infuderat ei abundanter ſpiritum ſapientiæ & intellectus, ut eſſet inter doctos doctior, inter ſapientes ſapientior, inter optimos melior, inter humiles ſocius, inter maximos major. Erat præco verbi divini, tuba Evangelii, amicus ſponſi, columna Cleri, oculus cæci, pes claudi, ſal terræ, patriæ lumen, miniſter Altiſſimi, Vicarius Chriſti, Chriſtus Domini. Tota converſatio ejus erat ſchola honeſtatis, morum ædificatio, & ſtructura ſalutis. Erat in judicio rectus, in diſpenſatione induſtrius, in præcipiendo diſcretus, in loquendo modeſtus, in conſilio circumſpectus, parciſſimus in cibo recipiendo, in donando largiſſimus, in ira pacificus, in carne Angelus, inter injurias manſuetus, timidus in proſperis, ſecuriſſimus in adverſis, in eleemoſynis effuſus, in miſericordia totus. Erat religioſorum gloria, deliciæ plebis, timor Principum, Deus Pharaonis. De iſto poſſumus fiducialiter dicere & cantare, quia poſt aurum non abiit, nec ſperavit in theſauris pecuniæ, qui nec acceptor munerum, nec acceptator eſſe dignatus eſt perſonarum. Cœteri in eminen-

A tiæ cathedralis apicem ſublimati, ſtatim curam carnis propenſiùs agunt, circumſpectiùs ſe diætant, non minus timent corporis ægritudinem, quàm gehennam, & in omnibus ſpacium vitæ productioris affectant. Iſte verò à primo ſuæ promotionis ingreſſu, ſummo deſiderio appetebat finem vitæ, immò, ut veriùs loquar, vivendi principium. Nam ſicut Salomon ait: (d) Cùm conſummaverit homo, tunc incipit. Hujus enim vitæ tranſeuntis egreſſus, ingreſſus eſt ad illam, quæ non tranſit, nec deſinit, vitam. A tenerioribus annis incipiens, ſingulis ætatibus, quaſi B ſingulis diei horis, tamquàm diligens cultor & ſtrenuus in vinea Domini Sabaoth laboravit, & ſic in conſummatione Sanctorum vitæ tranſitoriæ curſum clauſit. Sanè jam diu converſatione cœleſtis, & à corpore peregrinans, anhelabat ad illas cœleſtes delicias temporalis vitæ tranſire compendio. Ideò propoſitum & ſignum peregrinationis arripiens de torrente in via bibit; propterea exaltatum eſt nomen ejus in patria.

d Eccli. 18.

LIII.

Sic domini & fratres noſtri monachi cathedrales pupilli facti ſunt abſque patre. Deus autem, qui eduxit de mortuis paſto- C rem magnum ovium in ſanguine teſtamenti æterni Dominum JESUM Chriſtum, ipſe (ut verbo Moyſi (e) utar) provideat virum, qui ſit ſuper multitudinem hanc. Porrò plurimi conqueruntur & impatientiſſimè ferunt, quòd Chriſti tunica inconſutilis inter eos & Epiſcopos terræ ſciſſa eſt: nec tantùm vacca & aries, ſed turtur & columba diviſæ ſunt, & altrinſecùs ſeparatæ. Auſa eſt irrumpere uſque ad religionis profeſſores magiſtra illa diſcordiæ, odii fomes, & occaſio ſcandalorum præſumptuoſa, ſcilicèt, uſurpatio ſeorſum & ſingulariter eligendi, ut contempta & ab- D jecta Epiſcoporum, & Abbatum deliberatione communi, fieret electio clandeſtina & furtiva, & conſuetudini contraria, inimica legibus, damnata decretis, & moribus reprobata. Omnes cœteri, qui nunc injuriam & contemptum ſuum reputant, eam quam monachi fecerunt electionem, in perſonam, quæ nominata eſt, ſua vota libenter & unanimiter ſine omni ſciſſura & ſcandalo contuliſſent. Nunc autem vereor, ne hæc electio, quod Deus avertat, ſit ejus dejectio: & hæc acquiſitio umbratiæ libertatis convertatur Eccleſiæ E Chriſti in materiam ſervitutis. Sanè peſtis hæc, & aliæ innumerabiles corpus Eccleſiæ generalis hodiè inficiunt, & corrumpunt. Irruunt laici in ſancta Sanctorum: ſanctuarii verò lapides diſperguntur in capite omnium platearum. Convertuntur hodiè clauſtra in caſtra, & fora: religioſi in ethnicos, paſtores in lupos: lilium in ſpinam, aurum in ſcoriam, frumentum in lolium, vinum in acetum, oleum in amurcam. Reſpiciat Dominus in faciem teſtamenti ſui, & non det in conculcationem vineam, quam plantavit dextera ejus, Eccleſiam, quam acquiſivit ſanguine ſuo,

e Num. 27.

De ſchiſmate in Eccl. Cantuar.

ſuſcitet

ſuſcitet ſpiritum Moyſi, & erigat cornu illius unicornis, Epiſcopi illius unicè ſummi & ſingulariter generalis, quatenùs arripiat judicium manus ejus, ut cornu ſuo ventilet Syriam, intonet contra Edom, fulminet contra vitulos Bethel, contra idola Ægypti, contra pingues vaccas Samariæ, contra ſacerdotes Baal, contra paſtores paſcentes ſeipſos, contra judices, qui condunt iniquas leges, contra canes mutos non valentes latrara, contra amphoram Zachariæ, contra vaſa paſtoris ſtulti, contra ambitionem Simonis magi, contra tyrannidam ſæculi, & ambitionem clauſtri, contra prævaricantes, contra arrogantes, contra oppreſſores pauperum, contra turbatores Eccleſiaſticæ pacis, & fidei ſubverſores.] Hæc Petrus, reliqua ſuo loco.

LIV. Jam verò ad Orientem convertamus orationem, ad legationem ſcilicet miſſam ab Imperatore Emmanuele ad Aleaandrum Romanum Pontificem, de qua hæc in Actis ipſius Alexandri Papæ ſuperiùs ſæpè citatis leguntur:

Legatio Emmanuelis Imp. ad Alex. Pap.

Intereà Emmanuel magnus Conſtantinopolitanus Imperator, cùm videret Fridericum Imperatorem Eccleſiam Romanam, & Alexandrum Papam vehementer cum ſchiſmaticis impugnare & perſequi: miſit Beneventum de majoribus Imperii ſui Apocriſarium cum immenſa multitudine pecuniarum ad præſentiam ipſius Pontificis, loquentem hæc verba: Dominus Imperator jam diu deſiderio deſideravit exaltare & honorare Eccleſiam Romanam matrem ſuam & perſonam veſtram. Nunc autem cùm videat Fridericum Imperatorem ejus Advocatum, qui ex officio ſuo eam deberet ab aliis tueri, atque defendere, actem illius eſſe impugnatorem & perſecutorem; magis vult eidem Eccleſiæ ſervire atque ſuccurrare. Et ut temporibus iſtis illud Evangelicum adimpleatur verbum; (a.) Et fiet unum ovile & unus paſtor: Eccleſiam ſuam Græcam in eo ſtatu, in quo antiquitùs fuiſſe dignoſcitur, eidam Romanæ Eccleſiæ unire deſiderat atque ſubiicere; dummodò ſibi velitis ſua jura reſtituere. Unde rogat & poſtulat, quatenùs prædictæ Eccleſiæ adverſario, Imperii corona jam privato ſchiſmatis cauſa, ſibi eam prout ratio eſt, & juſtitia exigit, reſtituatis. Pro cujus rai complemento, quidquid videritis neceſſarium, in ſufficienti pecuniarum ſumma, atque in potentia & virtute armorum, juxta veſtrum beneplacitum paratus eſt elargiri, & ſolvere abſque mora.

a Joan. 10.

LV. Quibus auditis, Pontifex cum Epiſcopis & Cardinalibus, atque nobilibus Romanorum conſilio diutiùs habito, reſpondit prædicto Apocriſario, hoc modo videlicèt: Nos agimus gratias domino tuo Imperatori tamquàm chariſſimo Principi, & beatiſſimo beati Petri filio, ax devota & frequenti viſitatione ſua & oſtenſione bonæ voluntatis, quam habet erga ſanctam

A Romanam Eccleſiam. Ea propter & affectuoſa ejus verba libenter audivimus, & poſtulationes, in quibus ſecundùm Deum poſſumus, paterna benignitate admittere volumus. Ea verò quæ de Imperio poſtulat, nimis alta ſunt, & valdè periculoſa & perplexa, quibus pro ſua difficultate, obviantibus ſanctorum Patrum ſtatutis, aſſenſum præbere ſub hujuſmodi conventionibus non poſſumus nec debemus, qui ex officio nobis à Deo cummiſſo, pacis auctores nos eſſe convenit & cuſtodes. Sic igitur excuſſis ab omni munere ipſius Pontificis manibus, cum tota pecunia, B quam detulerat, jam dictus Apocriſarius rediit ad dominum ſuum, ſubſequentibus cum duobus Cardinalibus, quos ad eumdem Imperatorem idem Pontifex deſtinavit.] Pergit auctor.

LVI. Obitus Antipapę Guidonis.

Eodem tempore Guido Cremenſis, qui & Paſchalis Antipapa dictus, cùm apud beati Petri Eccleſiam incubaret, & in cœpta ſui erroris pertinacia moraretur; ab eodem Apoſtolo immiſſus cancri morbus in renibus ejus apparuit: cum pulmonis anhelitu tàmdiu emiſit ſaniem ſetidam, donec infelicem ſpiritum impœnitens exhalavit, & peſſima morte occubit. Un- C de quidam metrographus metricè cecinit dicens;

Corruit inſani Guidonis & Octaviani
Impia majeſtas, atque intoleranda poteſtas.
Surgit Alexander, ratione prior, Petrus alter,
Stat nunc in Petra, poſt hac ſtatuendus in ethra:

Tertius Antipapa Joan. Abbas Strum

Sublatis igitur de medio deſolationis ſuæ duobus capitibus, reſidua ſchiſmaticorum plebs in deſperationis voragine conſtituta, cùm nullus de Eccleſiæ ſuæ corpore ſupereſſet, quem ſibi præficere poſſent, aſſumpſerunt quemdam Joannem D Abbatem Strumenſem, virum apoſtatam, lubricum, voracem, atque * geomagum, non ſine riſu & multorum ludibrio in cornutam tertiam beſtiam erigentes in cathedra peſtilentiæ, tamquam perfidi & pertinaces ipſam abominationem adorare & venerari ſpiritu diabolico præſumpſerunt. Hic apoſtaticus homo cùm pro ſuis meritis ſperneretur ab omnibus bonis, & odio haberetur; adhæſit pravis & ſceleratis, quorum præpoſitus & princeps hauddintiùs extitit. Hujus fautores & domeſtici familiares fuerunt apoſtatæ, lenones, ſcurræ, fugitivi ex monaſteriis, & pro ſuis E ſceleribus damnati. Fures quoque & raptores ipſi egeno & pauperi viatorum & peregrinorum ſpolia conferebant.

* gyrovagum.

LVII. Doloſa Legatio Frider. Imp. ad Alex. per Epiſc. Babenbergeſem.

Intereà Imperator Fridericus videns duas quas erexerat ax divino judicio beſtias corruiſſe, atque tertiam non de corpore Romanæ Eccleſiæ, ſad de complicum ſuorum collegio fuiſſe aſſumptam pariter & electam, doluit uſque ad præcordia, ex eò quòd pars ejus ad nihilum deveniſſet, & quòd Alexandri Papæ cauſa convaleſcena,

In melius ſemper proficeret. Sed ne in malo ſuperari videretur, & omninò confundi: ſimulavit, ſicut homo callidus & valdè aſtutus, præfatam beſtiam venerari, & præcepit ſautoribus ſuis, ut eam manutenerent & ſuſtentarent. Poſt aliquantum verò temporis ad conſueta & callida ſe argumenta converteus, ut omnium favorem poſſet acquirere: bonam voluntatem & pium deſiderium de formanda Eccleſia atque Imperii pace habere fraudulenter oſtendit. Quippè qui & in tantum ſe humiliavit, quòd Epiſcopum Babenbergenſem, qui Catholicus ſemper extiterat, uſque Beneventum ad præſentiam Papæ Alexandri tranſmitteret, cui dederat poteſtatem, ut cum eo juxta formam capitulorum quæ ipſi commiſerat, concordiam & pacem firmaret. Injunsit etiam ipſi, ut hæc omnia eidem Pontifici tantummodò revelaret. Quod quidem, ficut poſtmodùm claruit, hac aſtutia feciſſe dignoſcitur, ut inter Romanam Eccleſiam & Longobardos ſcandalum poneret, & eos ab invicem ſepararet.

LVIII. Pontifex autem ubì adventum ipſius Epiſcopi pro certo cognovit; & quòd de Longobardorum cauſa nihil ei fuiſſet commiſſum, nonnihil dubitare poſſet; præſentiens verſutias & artes mittentis, non ſine ſuſpicione erat. Ideòque cum Epiſcopis & Cardinalibus deliberato conſilio, ad Lombardos litteras & nuntios feſtinanter direxit, & eorum dubia & nutantia corda firmavit; & ut ex ſingulis civitatibus unam diſcretam & idoneam perſonam, quæ vicem generalitatis haberet, ad ejus præſentiam deſtinaret, eis ſuadendo mandavit, cum quibus verbum pacis & concordiæ, quod Epiſcopus deferebat, tractare volebat, & quod exinde agendum foret, cum eis diſponeret & ordinaret. Unde factum eſt, quòd fideles pariter & ſapientes viri à Lombardorum communitate ſunt directi ad præſentiam ſummi Pontificis.

Acceſſit prædictus Epiſcopus ad partes Campaniæ, & eidem Pontifici adventum ſuum nuntiavit, obſecrans, ut quia terram Regis Siciliæ intrare prohibitus fuerat, ipſe Pontifex ad Campaniam beati Petri patrimonium pro colloquio ſecum habendo dignaretur reverti. Placuit ergò ſummo Pontifici, ad preces illius cum fratribus ſuis, & Lombardorum Legatis de Benevento diſcedere in Campaniam, & in civitate Verulana prædictum Legatum expectare.

LIX. Verulis auditus Legatus Imperatoris.

Altera autem die, cùm Pontifex de more in pleno Conſiſtorio reſideret: idem Babenbergenſis Epiſcopus advenit, & ante conſpectum Papæ Alexandri reverenter accedens, adoravit eum, & dixit: Dominus meus Imperator Fridericus miſit me ad vos, & diſtrictè injunxit mihi, ut vobiſcum ſeorſum loquar, & vobis ſolùm ea revelem, quæ mihi dicenda commiſit. Cui cùm Pontifex ſæpiùs diceret; inutile penitùs eſt, ut mihi ſoli ea exponas; ſuper

A quibus abſque notitia & conſenſu fratrum meorum, & eorumdem Legatorum Lombardorum nullum tibi dabo reſponſum: vix tandem ab eo potuit obtinere Legatus Epiſcopus, ut ipſe ſolus eum audiret, & poſteà quibus vellet, audita communicaret. Audivit itaque diligenter illum ſeorſum, ſicut petiit. Epiſcopus verò poſt multa & varia quæ Pontifici revelavit, firmiter aſſeruit, quòd in perſonam illius nihil ulteriùs Imperator agere volebat, ſed omnes ipſius ordinationes quas fecerat, ratas haberet, & ab aliis teneri juberet. De Papatu verò & obedientia ipſi debenda ita

B implicitè loquebatur & velatè, quòd ex verbis ejus catholicum ſenſum capere minimè poterat. Cùm autem importunè ſibi ac vehementer inſtaret Pontifex, ut ſuper his non in parabolis, ſed in veritate apertiſſimè loqueretur: confeſſus eſt, quòd diſtinctè verba ipſa expoſita mutare non audebat.

His igitur auditis, cùm nihil ampliùs ab eo Epiſcopo elicere poſſet: ad ſecretiorem cameram, ubi fratres cum Lombardis dimiſerat, Pontifex remeavit, & audita ejus univerſaliter retulit, & habita deliberatione, Alexander Papa ſic Epiſcopo reſpondit.

C Prudentiam tuam, dilecte in Chriſto frater, valdè miramur, quòd hujuſmodi legationem ad nos, qui calliditates & aſtutias mittentis non ignoramus, quaſi neſcius detuliſti. Cùm enim, ſicut aſſeris, idem Imperator factas à nobis ordinationes jam (Deo gratias) velit reſpicere, atque ab aliis ratas haberi, & in perſona noſtra non conſentiat; qui licèt indignè, canonicè tamen beato Petro in Sede Apoſtolica ſucceſſimus: quid aliud eſt agere, niſi Deum venerari & colere ex parte, &

LX. Quæ Alexan. Papa ad Legatum.

D ex parte ipſum negare? Cauſam noſtram tota Dei Eccleſia in aliis Regibus & Principibus Chriſtianis jam judicavit canonicam, jam amplectitur, & nobis uſquequaque obeditur. Si ergò inter oves, quas Deus beato Petro paſcendas commiſit, vult numerari: quid ampliùs differt eidem Principi Apoſtolorum cervicem ſuam flectere, & Catholicæ ſeſe unitati aggregare? Nos verò, ſi per eum non ſteterit, parati ſumus & prompti, præ cæteris mundi Principibus honorare ipſum, & ſuam ipſi juſtitiam integram conſervare, dummodò matrem ſuam ſacroſanctam Romanam Eccleſiam, qui ipſum ad Imperii culmen provexit, fi-

E liali devotione diligat, & ſuam libertatem ei conſervet. Poſt hæc autem ita increpatus, & fraternaliter commonitus idem Babenbergenſis Epiſcopus, à Lombardis ductus, ad Fridericum reverſus eſt.] Hactenùs de legatione Friderici Imperatoris. Pergunt Acta:

LXI. Comitis Tuſculani tractatio cum Alex. Pap.

Cùm autem apud civitatem Verulanam moraretur Pontifex, & Romani Tuſculanam civitatem acrius ſolito impugnarent: Rayno ejus dominus, qui nimio terrore perterritus contra fidelitatem, quam eidem Pontifici fecerat, Joanni Maledicto, qui

à Fri-

Digitized by Google

à Friderico Urbis Præfectus factus fuerat, Tuſculanam civitatem ſicuti ſtultus & inſipiens dedit, & populum Tuſculanum à fidelitate, quam ſibi tenebatur exhibere, abſolvit: dataque civitate in manu ipſius Joannis, recepit Montem Flaſconis, & Burgum ſancti Flaviani cum ſuis pertinentiis, quæ ad dominium & jus beati Petri tantummodò ſpectare aſſeruntur. Super his ergò Alexander Papa, cùm videret beati Petri patrimonium ita inſolenter diſtrahi, & donari, adversùs utrumque non indignari, & graviter commoveri non potuit. Quippè quòd medietas Tuſculani cum monte Flaſcone, & Burgo S. Flaviani jure proprietatis ad ſolam Romanam Eccleſiam ſpectant; & quòd ex alia parte utroſque Romani haberent exoſos: ut poſſet adipiſci, Tuſculanam civitatem fecit continuis aſſultibus vehementiùs infeſtari. Unde Joannes Maledictus non mediocriter territus, relicta eadem civitate aufugit. Nihilominùs Rayno quoque ſe omninò deceptum fore perſentiens, ſpretus & pulſus à militibus, & populo Montis Flaſconis: terram ipſam reliquit, & nimio rubore confuſus, ad Tuſculum, quod dimiſerat inconſultè, ſe voluit revocare; ſed quia eos à dominio ſuo & fidelitate abſolverat, & alieno dominio ſubjecerat, cives non ſolùm eum recipere ſpreverunt, ſed etiam de cunctis finibus ſuis propulſarunt. Cùm igitur eſſet omnium conſilio & auxilio deſtitutus, ad matrem ſuam S.R.E., quam temerè leſerat, convolavit, & tamquàm filius prodigus à domino Papa Alexandro ejuſque inhærentibus fratribus indulgentiam & miſericordiam poſtulavit, ponens ſe ipſum, & quidquid juris videbatur habere in ipſa civitate, in beneplacito eorum & miſericordia. Sed populus Tuſculanus prævenerat ipſum Raynonem, & ſe & civitatem, & quantum in ea erat, ſub dominio beati Petri, & poteſtate ipſius Pontificis ſpontè tradiderat. Unde factum eſt, quòd ipſe Rayno de ipſa civitate donationem per publicum inſtrumentum eidem Papæ, & ſucceſſoribus ejus fecit.] Pergunt Acta referre de nuncio Romam perlato de crudeliſſima nece S. Thomæ Archiepiſcopi Cantuarienſis, & de aliis, quæ quòd ad ſequentem annum ſpectent, ſuo loco dicemus.

LXII. Naſcitur S. Dominicus.

Hoc eodem anno, quo ex hac vita ſubducitur ſanctus Thomas, Dei magno beneficio ex materno utero in lucem editur Calagore in Hiſpania Dominicus ex Guſmanorum familia, qui ſecundùm præcedentem propheticam matri per quietem oſtenſam fax lucis foret vitæ ſanctitate illuminaturus Orbem, & canis latratu abacturus feros lupos, nempè voce prædicationis debellaturus hæreticos. Hæc de ortus tempore ex (a) S. Antonino collegimus: reliqua de ipſo ſequenti Tomo dicturi ſumus.

a *Ant. hiſt. part. 3. tit. 23. §. 4.*

Legatio Theoriani ad Armenos.

Quod ſpectat ad res Orientales, contigit hoc eodem anno legatio Theoriani ad Armeniæ Generalē, nempè Principem Armenorū, ita enim reperiuntur nominati his tēporibus Principes eorum, donec Regis titulum ſunt conſecuti à Romano Pontifice. Hoc inquam anno vigeſimooctavo Emmanuelis Imperatoris, non decimooctavo (ut mendoſus codex habet; nam Indictio tertia ibidem notata legitur unà cum anno à creatione mundi ſex milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimooctavo) miſſus eſt ad corrigendos Armenorum errores idem Theorianus, qui naviter incubuit in opus, ut patet ex ejus relatione ab ipſo ſcripta, quæ Latinitati donata, jam cuſa extat tomo quarto Bibliothecæ ſanctę, quā cōſulas.

I. SEquitur annus ſalutis milleſimus centeſimus ſeptuageſimusprimus, Indictione quarta, quo pervulgata dira nece ſanctiſſimi martyris Thomæ Archiepiſcopi Cantuarienſis, univerſus planè Occidentalis concuſſus eſt Orbis, piorumque omnium auditi ſunt gemitus: litteræque in primis frequentes, eædemque lugubres datæ ad Alexandrum Pontificem à diverſis, atque id generis, ut quot fuerint ipſæ, tot dixeris eſſe glorioſa elogia, & præclara epitaphia ſepulturæ Martyris præſtantiſſimi. Ex quibus primo loco accipe, quas Rex (b) Francorum de his ad ipſum ſcripſit Alexandrum:

b *Cod. Vat. l. 5. ep. 78.*

Regis Franc. ad Alex. Pap. Ep. de nece S. Thomæ.

Alexandro Dei gratia ſummo Pontifici Ludovicus eadem gratia Francorum Rex ſalutem & debitam reverentiam.

Ab humanæ pietatis lege recedit filius qui matrem deturpat; neque Creatoris beneficii reminiſcuntur, qui ſanctæ Eccleſiæ illata turpitudine non triſtantur. Unde ſpecialiùs eſt condolendum, & novitatem doloris excitat inaudita novitas crudelitatis. Quoniam in Sanctum Dei inſurgens malignitas, in pupillam Chriſti gladium infixit, & lucernam tantam Eccleſiæ non tàm crudeliter quàm turpiter jugulavit. Excitetur ergò exquiſitæ genus juſtitiæ, denudetur gladius Petri in ultionem Cantuarienſis martyris, quia ſanguis ejus pro univerſali clamat Eccleſia, non tàm ſibi quàm univerſæ Eccleſiæ conquerens de vindicta. Et ecce ad tumulum Agoniſtæ (ut revelatum eſt nobis) divina miraculis revelatur* gratia, & divinitùs demonſtratur, ubi humatus requieſcit, pro cujus nomine decertavit. Latores verò præſentium patre orbati pietati veſtræ ſeriem indicabunt: & teſtimonio veritatis aurem mitiſſimā adhibete, & tàm de iſto negotio, quàm de aliis tamquàm nobis credite. Valete.] Hæc Rex. Sed & Bleſenſis (c) Comes codē argumento itidē ad Alexandrum Pontificē litteras dedit.

* gloria

c *Ibid. 81.*

a *Ib. ep.* 30. dit. Inſuper & (a) Senonenſis Antiſtes tunc Sedis Apoſtolicæ Legatus binas ad eumdem Papam de nece S. Thomæ (b) litteras b *Ib. ep.* 82. & 83. ſcripſit. Sed miſſis his eodem argumento conſcriptis, jam reliqua de legatis Romam Nuntiis ab Anglorum Rege pro pœnitentia ſuſcipienda ob necem Martyris, & de frequentia & excellentia miraculorum exhiberi cœptorum ad ſepulchrum ejuſdem Martyris, & aliis ad hæc ſpectantibus videamus.

Necato Martyre in fine anni ſuperioris, fit Romam concurſus ad Alexandrum Pontificem, aliorum, (ut vidiſti) execrandum ſacrilegium deteſtantium & accuſantium, aliorum verò Regem ipſum Anglorum excuſantium. Fuerunt (ut audiſti) accuſatores Principes pii, ut Rex Francorum, Comes Bleſenſis, & Epiſcopi Legati, in primis verò Senonenſis. Excuſator autem affuit Epiſcoporum conventus, quorum omnium nomine Lexovienſis Epiſcopus ad Alexandrum Papam hanc dedit epiſtolam; (c) c *Ib. ep.* 79.

II. Synodalis epiſt. in excuſatione Regis.

Cùm apud Regem noſtrum pariter congregati, de magnis Eccleſiæ regnique negotiis tractaturi crederemur: ſubitus nos de domino Cantuarienſi rumor lamentabili mœrore perſudit; adeò ut in momento ſerenitas in ſtuporem, & conſultationes in ſuſpiria verterentur. Per aliquos enim ab Anglia revertentes certa relatione didicimus, quòd quidam inimici ejus, crebris (ut ajebant) exacerbationibus ad iracundiam & amentiam provocati, temerè in eum irruptione facta (quod ſine dolore dicere non poſſumus, nec debemus) perſonam ejus aggredi, & trucidare crudeliter perſtiterunt. Ad Regis denique notitiam rumor infauſtus, quibuſdam perſequentibus pervenit, quoniam ei non licuit ignorare, quod ad ejus vindictam jure poteſtatis & gladii videbatur ſpecialius pertinere. Qui ſtatim, in primis neſandi ſermonis initiis, ad omnia lamentationum & miſerationum genera converſus; regiam prorsùs majeſtatem quaſi cilicio immutans & in cinere, in iſto fortiùs amicum exhibuit quàm Principem, ſtupens interdùm; & poſt ſtuporem ad gemitus acriores, & acerbiores amaritudines revolutus, tribus ferè diebus recluſus in cubiculo, nec cibum capere, nec conſolatores admittere ſuſtinuit, ſed mœſtitia pernicioſiore voluntariam ſibi perniciem indicere pertinaciter videbatur. Miſerabilis erat majorum facies, & anxia neceſſitudo dolorum, quoniam qui ſacerdotem lamentabamur primitus, de Regis ſalute conſequenter cœpimus deſperare, & in alterius nece miſerabiliter utrumque credebamus interiiſſe. Porrò quærentibus amicis, & Epiſcopus maximè, quòd eum ad ſe redire non permitteret: reſpondit, ſe metuere, ne ſceleris auctores & complices veteris rancoris confidentia impunitatem ſibi criminis promiſiſſent, licèt ipſe novas inimicitias recentibus injuriis & frequentibus maleficiis compararet: arbitrari ſe, nominis ſui famam & gloriam maledictis æmulorum reſpergi poſſe, & confingi, id ex ejus conſcientia proceſſiſſe. Sed omnipotentem Deum ſe teſtem invocare in animam ſuam, quòd opus neſandum nec ſua voluntate, nec conſcientia commiſſum eſt, nec artificio perquiſitum. Niſi fortè in hoc delictum ſit, quòd adhùc minus diligere credebatur. Super hoc quoque ſe judicio Eccleſiæ prorsùs exponere, & humiliter ſuſcepturum quidquid in eo fuerit ſalubriter ſtatuendum.

III. Communicato igitur conſilio, in hoc conſultatio omnium conquievit, ut Sedis Apoſtolicæ ſapientiam & auctoritatem conſuleret, quam ſpiritu ſapientiæ & poteſtatis plenitudine Chriſtiana Fides prædicat abundantiùs redundare; & apud eam ſuam ſtudeat innocentiam modis legitimis & canonicis approbare. Supplicamus ergò, quatenùs ſecundùm datum à Deo vobis ſpiritum conſilii & fortitudinis, tanti ſceleris auctoribus ſecundùm facti immanitatem ſeveritas veſtra retribuat, & ſuam innocentiam Regi pietas Apoſtolica in ſtatu ſuo velit affectuoſiùs conſervare. Omnipotens Deus perſonam veſtram Eccleſiæ ſuæ per multa tempora conſervet incolumem.] Hactenùs Lexovienſis Epiſcopus nomine omnium, qui convenerunt Epiſcoporum. Cum his autem litteris miſſi ſunt Nuntii ab Epiſcopis ad Alexandrum Papam, alii verò à Rege ipſo, ſed ante hos alii ab Eboracenſi pro abſolutione ab excommunicatione petenda. De quibus omnibus extat (d) relatio Nuntii Regis ad Archidiaconum Pictavienſem his verbis: d *Cod. Vat. l.* 5. *ep.* 84.

IV. Nuntii ab Epiſcopis & à Rege ad Alexan. Papã miſſi.

Qui fuerint primi Nuntii Regis, & qui ſecundi, & quid tàm hi, quàm illi poſtulaverint, & quomodò à Curia receſſerint; ſub ea qua potero brevitate perſtringam. Primò miſſi ſunt Joannes Cumin, & magiſter N. ad petendam abſolutionem Epiſcoporum; ſed Joannes Cumin priùs venit ad Curiam quindecim diebus antequàm N. veniret, & poſt multam inſtantiam ſuam, priùs facta promiſſione quingentarum marcharum, auditus eſt, aſtantibus cum eo, & plurimùm allegantibus ad accuſationem Epiſcoporum, clericis Eboracenſis Archiepiſcopi, & Nuntio Dunelmenſis. Et credo quòd reportaſſent abſolutionem, niſi ſuperveniſſet rumor de morte Archiepiſcopi, qui omnia denigravit. Ita enim perturbatus eſt dominus Papa, quòd nec etiam ſui ferè per octo dies cum eo potuere habere colloquium. Et generaliter interdictum eſt, ne Anglici ad eum haberent acceſſum, & ſuſpenſa ſunt omnia eorum negotia.

Secundi Nuntii fuerunt Epiſcopi Vvigornienſis, & Ebroicenſis, & Abbas de Valace, & Archidiaconus Saresberienſis, & Lexovienſis, & dominus Robertus de novo Burgo, & Richardus Barre, & magiſter Henrichus Picbim, & quidam Templarius, miſſi ad excuſandum Regem, quòd nec ejus mandato, nec voluntate interfectus eſſet Cantuarienſis. Hoc autem non

eſt

Digitized by Google

A eſt negatum, quin ipſe *Rex* dediſſet cauſam mortis ſuæ, & quin aliquid dixiſſet, unde interfectores illi occaſionem interficiendi ſumpſerunt. Sed nec iſti Nuntii ſimul ad Curiam venerunt, & à domino Papa non ſunt admiſſi, nec in conſpectu ejus apparere potuerunt. Deinde ad preces quorumdam Cardinalium recepti ſunt Abbas & Lexovienſis Archidiaconus.

V.

Appropinquante die Jovis ante Paſcha, generaliter dicebatur in Curia, quòd dominus Papa illa die daturus erat ſententiam excommunicationis in Regem & regnum. Unde Nuntii timore perterriti, quibuſdam Cardinalibus intercedentibus, B ſignificaverunt domino Papæ, ſe accepiſſe in mandatis à domino Rege, quòd juraret in præſentia ejus, quod Rex ſtabit mandato ſuo, & hoc jurabit in propria perſona. Eadem die Jovis, ferè circa horam nonam, vocati ſunt tàm Nuntii Regis, quàm Nuntii Epiſcoporum in generali Conſiſtorio. Juraverunt Nuntii Regis, ſcilicèt Abbas de Valace, & duo Archidiaconi prędicti, & Henricus, & Richardus Barre, quòd Rex ſtabit judicio domini Papæ, & quòd ad præceptum ejus hoc jurabit. Eadem tamen die excommunicavit generaliter C interfectores Cantuarienſis, & omnes qui conſilium & auxilium vel aſſenſum præbuerunt, & omnes qui eos in terram ſuam receperint, aut foverint.

VI. Relatio de rebus geſtis Nunciorum cũ Papa.

Poſt Paſcha venerunt Vvigornienſis & Ebroicenſis Epiſcopi, & Robertus de novo Burgo, & utrum illud juramentum ab eis exactum ſit, neſcio, ſed ſcio, quòd non juraverunt: & cùm ſtetiſſent in Curia per dies quindecim & eò ampliùs, vocati ſunt ad audiendum reſponſum ſuum. Nam illi cum aliis concordabant tàm in excuſatione Regis, quàm in accuſatione, ſecundùm quod dictum eſt: & cùm crederetur, eos D dextrum calculum reportaturos, confirmavit dominus Papa ſententiam interdicti, quam dominus Senonenſis dederat in terram ciſmarinam, & ſententiam ſuſpenſionis & excommunicationis, quæ data erat in Epiſcopos Angliæ; & ſubjunxit, quòd ipſe mitteret Legatos ſuos ad Regem, ut videant & cognoſcant ejus humilitatem. Deinde poſt multam Nuntiorum inſtantiam, & interventu quorumdam Cardinalium, & magnæ pecuniæ etiam (ſicut dicitur) hoc impetratum eſt, quòd dominus Papa ſcribet Bituricenſi Archiepiſcopo, quòd ſi infra menſem poſt adventum Nuntiorum in Northmanniam non E audierit Legatos tranſalpinaſſe; quòd tunc abſolvat Londonienſem, & Sareſberienſem ab excommunicatione, præſtito priùs juramento, quòd ſtabunt mandato domini Papæ, tàm illis quàm aliis in ſuſpenſione muneribus. Sic receſſerunt Nuntii domini Regis à Curia, nec aliud reportarunt. Quando verò venturi ſint, vel qui, nondum credimus Cardinalibus innotuiſſe. Sed nunc non oportet vos timere interdictum in Anglia, ſicut credo, ſi Rex Legatis parere voluerit, & dominus

A Papa ſcribit ei, & invitat ad humilitatem, ſed vix fuit impetratum, ut ei ſcriberet.] Haſtenùs relatio unius Nuntii Regis. Deſiderantur hujuſmodi litteræ Alexandri Papæ ad Anglorum Regem.

Sed præſtat audire reliquorum Nuntiorum Regis ad ipſum Regem fideliorem atque exactiorem relationem, qua nulla prorſùs pecuniarum oblationis vel acceptionis (ut ille prior falſa conjectura ſua ſcripſerat) mentio habetur, licèt omnium planè ſingularumque rerum & verborum etiam exactiſſimam mentionem contineat. Sic enim ſe habet: (a)

a *Cod. Vat. l. 5. ep. 83.*

B Chariſſimo domino ſuo Henrico illuſtri Anglorum Regi, Duci Northmanniæ & Aquitaniæ, & Comiti Andegavenſi, R. Abbas Vvallaciæ, R. Sareſberienſis Archidiaconus, R. Lexovienſis Archidiaconus, Richardus Barre, & magiſter Henricus ſalutem & fidele in omnibus & ubique obſequium.

VII. Relatio reliquorũ Regis Angl. Nuntiorum.

Noverit veſtra majeſtas, quòd cùm Richardus Barre nos præceſſiſſet, & cum multo periculo & gravamine nos ad Curiam domini Papæ præveniſſet: nos quatuor cum duobus Epiſcopis, & Decano Ebroicenſi, & magiſtro Henrico cum multa difC ficultate venimus uſque Senas; ibique diebus aliquot detenti fuimus. Comes enim Macarius ſic ex omni parte vias obſidebat, quòd nulli patebat egreſſus. Cùm verò nos quatuor cum Epiſcopis, qui plurimùm exire deſiderabant, non potuiſſemus: in maxima anguſtia poſiti, ex communi conſilio, media nocte, & latenter exivimus, & ſic per abrupta montium, per loca ferè invia ſub magno timore & periculo tandem venimus in Tuſculanum. Ibi Richardum Barre de veſtro honore, ſicut decebat, ſollicitum, & ad veſtram utilitatem prudenter & inſtanter laborantem invenimus, D multùm tamen conturbatum & confuſum; quia nec dominus Papa eum receperat, nec alii benignos & humanos ſe illi exhibuerant. Nos autem venientes dominus Papa nec videre, nec ad oſculum, nec ad pedes voluit recipere. Via enim plerique Cardinalium dignati ſunt nos recipere vel in verbo. Diu ergò in amaritudine ſpirituum noſtrorum anxiè conturbati, iis qui vos fidelius diligebant, omnimodè ſupplicavimus, ut eorum interventu dominus Papa nobis quocumque modo audientiam indulgeret.

VIII. Execrabile habitum nomẽ Regis Angl.

Ad audientiam recepti ſunt dominus E Abbas de Vvallacia, & R. Archidiaconus Lexovienſis, qui minus habebantur ſuſpecti. Ipſi autem cùm nomen veſtrum tamquàm devotiſſimi filii Romanæ Eccleſiæ in ſalutatione ex veſtra parte proponerent; acclamavit tota Curia: Suſtinete, Suſtinete, tamquàm domino Papæ abominabile eſſet audire nomen veſtrum. Sic à Curia venientes, ſerò redierunt ad dominum Papã, ei de noſtro communi conſilio exponentes, quòd nobis fuerat à veſtra majeſtate injunctum; referentes etiam ſeriatim ſingula beneficia, quæ contuleratis Cantuarienſi, &

transfretavit, præcipiens, quòd Brevis lator cujuſcumque fuerit conditionis vel nedinis, permitteretur transfretare neque de Northmannia in Angliam, neque de Anglia in Northmanniam, niſi priùs data ſecuritate, quò nullum malum vel gravamen quæreret Regi nec regno ſuo.] Hæc de his, quæ ad legationem anteà miſſam ſpectant.

XII. Hibernia dedita Regi Angl.

Pergit idem auctor narrare expeditionem hoc eodem anno ab eodem Rege paratam ad ſubiiciendam Hiberniam, quam ſponte deditam ſibi conſenſu omnium vendicavit. Cùm & ab Archiepiſcopis, & Epiſcopis ejus regni celebratum fuiſſe Concilium idem auctor enarrat, numerans Archiepiſcopos, qui erant quatuor in Hibernia, & Epiſcopos vigintiocto, quorum & nomina exprimit ſingulorum: & hi omnes (inquit Rogerius) tàm Archiepiſcopi quàm Epiſcopi receperunt ſibi Henricum Regem Angliæ, & hæredes ſuos in Reges & dominos in perpetuum. Quod & chartis ſuis confirmaverunt.

Conc. Hibernenſe.

Quo facto Rex Angliæ miſit Nicolaum Capellanum, & Radulphum Archidiaconū de Landaff, clericos ſuos, unà cum Archie- C

A piſcopis & Epiſcopis Hiberniæ uſq; ad Caſſelenſem civitatem, ad celebrandū Concilium de ſtatutis Eccleſiæ. In Concilio autem illo ſtatutum eſt, ut pueri deferrentur ad Eccleſiam, & ibi baptizarentur in aqua munda ſub trina merſione, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti; & hoc à ſacerdotibus fiat, niſi metu mortis impediente, ab alio, & aliàs opportuerit fieri, & tunc à quolibet fiat ſine exceptione ſexus & ordinis. Et ut decimæ dentur Eccleſiis de omnibus, quæ poſſidentur. Et ut omnes laici, qui uxores habere velint, eas ſecundùm jus Eccleſiaſticum habeant.

Alex. Papa confirmat Regnū Hiber. Regi Angliæ.

B Rex verò Angliæ miſit tranſcriptum chartarum univerſorum Archiepiſcoporum & Epiſcoporum Hiberniæ ad Alexandrum Papam. Et ipſe auctoritate Apoſtolica confirmavit illi, & hæredibus ſuis regnum Hiberniæ ſecundùm formam chartarum Archiepiſcoporum & Epiſcoporum Hiberniæ.] Hæc de his Rogerius, qui & certo tempore conſignans hæc omnia, addit, Regem ipſum moram feciſſe in Hibernia à feſto ſancti Martini anni præſentis uſque ad principium Quadrageſimæ anni ſequentis.

JESU CHRISTI ANNUS 1172. ALEXANDRI PAP. III. ANNUS 13. FRIDERICI IMP. 18. MANUELIS IMP. 30.

I. Legatio ab Alex. Pap. ad Reg. Angl.

SEquitur annus Redemptoris milleſimus centeſimus ſeptuageſimus ſecundus, Indictione quinta, quo legatio ab Alexandro Romano Pontifice ad Henricum patrem anno ſuperiori decreta in cauſa necis ſanctiſſimi viri Thomæ Archiepiſcopi Cantuarienſis, pervenit in Northmanniam: quam ipſe Rex, qui nuper ex Hibernia redierat in Angliam, inde navigans in Northmanniam convenit; præſtitique quod Regis verè pœnitentis & Chriſtiani eſſet maximè pii, parendo in omnibus mandatis univerſalis Eccleſiæ Papæ; qui per lectiſſimos ad hoc opus S. R. E. Cardinales præſtantiſſimos viros, Theodinum presbyterum Cardinalem tituli S. Vitalis, qui & tituli Veſtinæ dictus, & Albertum itidem presbyterum Cardinalem tituli S. Laurentii in Lucina S. R. E. Cancellarium, quàm feliciſſimè rem abſolvit. De his dicturi, quomodò ſcilicèt iſta tàm ardua fuerint actitata ſumma facilitate, Deo cor Regis ad pœnitentiam diſponente; primum omnium illud quod ad tempus ſpectat, elucidandum: nimirùm iſta omnia hoc ipſo anno fieri contigiſſe, prout accuratè demonſtrat Rogerius in iis, quos tunc ſcripſit, Annalibus Anglicanis; nempè hoc anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimoſecundo iſta omnia fuiſſe tranſacta, poſt reditum ſcilicèt ejuſdem Henrici Regis ex Hibernia, poſtquàm eam in deditionem accepiſſet, ut anno ſuperiori eſt ex eodem auctore narratum. De rebus autem tunc inter Legatos & Regem geſtis, primò quidem difficultatibus præpeditis, inde cœlitùs aura perflante Spiritus ſancti, ea eorumdem Legatorum ſententia abſolutis, extat tunc ſcripta relatio inter epiſtolas (a) ſancti Thomæ, & Alexandri Pontificis, in codice Vaticano ſæpè citato deſcripta, his verbis:

a Inter ep. S. Thomæ l. 5. ep. 88.

II. Relatio de Rebus geſtis cū Reg. Angl.

D Primò dominus Rex & Legati convenerunt apud Gornam, die Martis ante Rogationes, & ibi invicem recepti ſunt in oſculo pacis. In craſtina venerunt Saviniacum, ubi Archiepiſcopus Rothomagenſis & cuncti Epiſcopi & proceres convenerant. Cùmque de pace ibi diu tractatum eſſet, quoniam Rex mandatum eorum abſolutè jurare renuit; Rex ab eis cum indignatione diſceſſit in hæc verba: Redeo, inquit, in Hiberniam, ubi multa mihi incumbunt, *facienda ſcilicèt*: vos autem in pace ite per terram meam, ubi vobis placuerit, & agite legationem, ſicut vobis injunctum eſt. Sic ab eis diſceſſum eſt. Tunc Cardinales habito arctiori conſilio, revocaverunt Epiſcopum Lexonienſem, Joannem Pictavienſem, & Epiſcopum Sareſberienſem, & per eos elaboratum eſt, quòd feria ſexta ſequente Rex & Cardinales apud Abrincas convenirent. Ibique omninò conventum eſt inter eos; ita quòd Rex quidquid ex parte Cardinalium ei propoſitum eſt, benignè ſuſcepit, & confecit. Sed quia Rex filium ſuum voluit adeſſe, ut quod pater promitteret, ille etiam aſſeveraret: terminus rei dilatus eſt uſque ad ſequentem Dominicam proximam, videlicèt ante Aſcenſionem Domini.

Res geſtæ per Legatos Apoſtolicos cum Henrico Rege.

mini. Tunc in publica audientia Res manu ſua tactis ſacroſanctis Evangeliis juravit, quòd neque mandavit, neque voluit, quòd Archiepiſcopus Cantuarienſis interficeretur; & audita morte ejus, plus inde doluit, quàm lætatus eſt. Addidit etiam ex propria voluntate, quòd de morte patris vel matris ſuæ numquam tantum doluit. Juravit etiam, quòd quantamcumque pœnitentiam ei Cardinales injungerent, vel ſatisfactionem plenariè exequeretur.

III. Dicebat enim coram omnibus, ſe intelligere, quòd cauſa eſſet mortis Archiepiſcopi; quod quidquid factum eſt, propter eum factum eſt, non quod ipſe mandaverit, ſed quod amici & familiares ejus videntes turbationem vultus ejus & oculorum, & cognoſcentes etiam dolorem cordis, & ſæpè audientes querula verba de Archiepiſcopo: injuriam ejus abſque conſcientia ipſius ulciſci parabant. Et ideò cum omni humilitate & devotione ad omnia quæ Legati juberent, ſe expoſitum aſſerebat.

Tunc nuntiatum eſt ei à Legatis, quod alet ducentos milites per annum integrum ſumptibus ſuis, videlicèt unicuique militi *dans* trecentos aureos in terra Hieroſolymitana contra Paganos, ſecundùm diſpoſitionem Templariorum.

Quibus convētionibus Rex abſolutus.

Secundò, quòd prava ſtatuta de Clarendona, *ubi vulgata ſunt*, & omnes malas conſuetudines, quæ in diebus ſuis in Eccleſias Dei inductæ ſunt, penitùs dimitteret; ſi quæ autem fuerit malæ ante tempora ſua, illas juxta mandatum domini Papæ & conſilio religioſorum virorum temperabit.

Tertiò, quòd Eccleſiæ Cantuarienſi omnem integritatem ſuam in terris, & in aliis rebus reſtitueret, ſicut fuit anno antequàm Archiepiſcopus iram Regis incurreret: & quòd omnes, quibus offenſus erat propter Archiepiſcopum, pacem & amorem redderet, & poſſeſſionum ſuarum plenitudinem.

Quartò, quòd ſi neceſſe fuerit, & dominus Papa ei mandaverit: ibit in Hiſpaniam ad liberandam terram illam à Paganis. Injunxerunt etiam ſecretiùs jejunia & eleemoſynas, & alia quædam, quæ ad communem audientiam non pervenerunt.

IV. Ad hæc omnia Res benigniſſimè aſſenſum præbuit, ita quòd coram omnibus dixit: Ecce, inquit, domini Legati, corpus meum in manu veſtra eſt; ſcitote pro certo, quòd quidquid juſſeritis, ſeu proficiſcendi Hieroſolymam, ſive Romam, ſive ad ſanctum Jacobum, vel quidquid id ſit, paratus ſum obtemperare. Ita, quòd ferè cuncti qui aderant, videntes humilitatem & devotionem ejus, non poterant lacrymas continere.

His expletis, ne quid ad boni conſummationem ejus deeſſet, deduxerunt eum Legati ex propria Regis voluntate extra oſtium Eccleſiæ; ibique flexis genibus, non tamen exutis veſtibus, neque verberibus appoſitis, abſolutus eſt, & in Eccleſiam introductus. Et ut aliqui de regno Francorum hæc ita proceſſiſſe cognoſcerent: ſta-

A tuerunt, quòd Archiepiſcopus Turonenſis & Suffraganei ejus coram Rege, & Legatis præſentiam ſuam exhiberent apud Cadomum, proxima die Martis poſt Aſcenſionem Domini. Quod Rex juravit, filius ſuus Rex manu ſua firmavit in manu domini Alberti Cardinalis, ſe ex parte ſua obſervaturum. Quòd ſi Rex vel morte, vel alia cauſa præpeditus pœnitentiam iſtam complere non potuit, quòd ille perficiet.] Hactenùs relatio. Cui conſentientes ſunt de his litteræ Cardinalium, quarum eſt exordium: (a) Ne in dubium veniant, quæ geruntur &c.] Additum eis, quòd

a Cod. Vat. l. 5. ep. 89.

B ſequenti Natali die Domini accepturus eſſet Crucem, & per triennium militaret in Terra ſancta, niſi aliter viſum fuerit Alexandro Papæ, vel ejus legitimo ſucceſſori. Porrò ipſum juramentum Regis, & filii ejus, in manibus Legatorum exhibitum, integrum aſſervatur in Actis ipſius Alexandri Papæ ita deſcriptum:

Juramentum Regis Angl.

Ego Henricus Rex juro ſuper hæc ſancta Dei Evangelia, quòd mortem Thomæ Archiepiſcopi Cantuarienſis neque cogitavi, neque ſcivi, neque fieri præcepi. Et quando cognovi factum ipſum fuiſſe perpetratum, triſtis effectus ſum magis, quàm

C ſi meum proprium filium cognoviſſem interfectum. Sed in hoc me non valeo excuſare, quòd occaſione commotionis, & iracundiæ meæ, quam adversùs ſanctum virum conceperam, interfectus fuit. Porrò pro hujuſmodi reatu, quia cauſam mortis ejus dediſſe videor: milites ducentos ſub expenſis meis ad defenſionem Chriſtianitatis abſque dilatione Hieroſolymam deſtinabo per annum ibidem permanſuros, vel tantum eis perſolvam, unde totidem milites ibi per annum valeant commorari. Signum quoque Dominicæ Crucis uſque ad triennium accipiam, & in propria per-

D ſona illùc proficiſcar, niſi de Romani Pontificis licentia remaneam. Illicitas conſuetudines, quas temporibus meis in tota terra mea introduxi, penitùs caſſo, & ex hoc minimè obſervari decerno. Appellationes verò ad Apoſtolicam Sedem de cetero liberè fieri permittam, & in hoc neminem prohibebo.] Et alia, ut ſuprà in prænotatis capitibus: atque demùm: Prætereà ego & major filius meus Res juramus, quòd à domino Alexandro Papa & ejus Catholicis ſucceſſoribus recipiemus & tenebimus regnum Angliæ; & nos & ſucceſſores noſtri in perpetuum non repu-

E tabimus nos Angliæ Reges, donec ipſi nos Catholicos Reges tenuerint.] Ita in Actis Alexandri Papæ. At hæc licèt poſtrema in Legatorum Cardinalium ſchedula non continentur, ſed hæc tantùm: Juraverunt ambo, quòd à vobis & ſucceſſoribus veſtris non recedent, quamdiù eos ſicut Chriſtianos Reges & Catholicos habueritis:] Ita in publicis tunc de his confectis monimentis proximè recitandis; tamen confirmatur eſſe verum, nempè quòd regnum Anglorum ſit feudum Apoſtolicæ Sedis, ex litteris ipſius ejuſdem Henrici

Regis,

Regis, ſequenti anno ſuo loco reddendis. Hæc ex Rogerio ejuſdem ſeculi auctore in Annalibus Anglorum, cujus quoque teſtificatione illud compertum habetur, quòd hæc omnia facta tempore Aſcenſionis Dominicæ, repetita ſunt in Concilio univerſæ provinciæ, habito menſe Septembri, ubi contigit eoſdem Legatos, ſimulque Reges patrem & filium cum Epiſcopis convenire; ait enim:

VI. Acta iterata in Cōcil. provinciali.

Henricus Rex Angliæ pater, & Henricus Rex filius ejus, & Rotrodus Rothomagenſis Archiepiſcopus, & omnes Epiſcopi & Abbates Northmanniæ convenerunt apud Abrincā civitatem in præſentia Theodini & Alberti Cardinalium. In quorum audientia Rex Angliæ pater, quinto Kalendarum Octobris, feria quarta, feſto ſanctorum Coſmæ & Damiani martyrum, in Eccleſia S. Andreæ Apoſtoli purgavit innocentiam ſuam coram prædictis Cardinalibus, & omni Clero & populo, præſtito ſacramento ſuper Sanctorum reliquias, & ſuper ſancta Evangelia, quòd ipſe nec præcepit, nec voluit, quòd Archiepiſcopus Cantuarienſis occideretur &c.] Ut ſupra. Apponit ad hæc publicum de his tunc confectum inſtrumentum, cui iſta præmittit. Et ut hæc in memoria Romanæ Eccleſiæ haberentur, Rex pater fecit apponi ſigillum ſuum ſcripto illi, in quo ſupradicta capitula continebantur, unà cum ſigillis prædictorum Cardinalium,] in hanc formam:

Henrico Dei gratia illuſtri Regi Anglorum Albertus tituli S. Laurentii in Lucina, & Theodinus tituli S. Vitalis presbyteri Cardinales, Apoſtolicæ Sedis Legati, ſalutem in eo, qui dat ſalutem Regibus.

Acta publica ſcriptis tradita.

Ne in dubium veniant, quæ geruntur, & uſus habet, & communis conſideratio utilitatis expoſcit, ut ſcripturæ ſeriè debeant annotari: inde quidem eſt, quòd nos mandatum illud in ſcriptum duximus redigendum. Quod vobis pro eo facimus, quia malefactores illos, qui ſanctæ memoriæ Thomam quondam Cantuarienſem Archiepiſcopum occiderunt, occaſione motus, & turbationis, quam viderunt in vobis, ad illud facinus proceſſiſſe timetis. Super quo tamen facto purgationem in præſentia noſtra de voluntate propria præſtitiſtis, quòd videlicet, nec præcepiſtis, nec voluiſtis, ut occideretur. Et quando pervenit ad vos, plurimùm condoluiſtis. Ab inſtanti ſiquidem *feſto* Pentecoſtes, uſque ad annum, tantam dabitis pecuniam, unde ad arbitrium Fratrum Templi ducenti milites valeant ad defenſionem terræ Hieroſolymitanæ per ſpacium unius anni teneri. Vos autem à ſequenti Nativitate Domini, uſque ad trienoium accipietis Crucem, proxima tunc æſtate illùc in propria perſona, dicente Domino, profecturi, niſi remanſeritis per dominum Papam, vel Catholicos ſucceſſores ejus.

VII. Sanè ſi contra Sarracenos pro urgente

A neceſſitate in Hiſpaniam profecti fueritis, quantum temporis fuerit, ex quo arripueritis iter, tantumdem ſupradictum ſpacium Hieroſolymitanę profectionis poteritis prolongare. Appellationes nec impedietis, nec impediri permittetis, quin liberè fiant in Eccleſiaſticis cauſis ad Romanū Pontificem bona fide, & abſque fraude, & malo ingenio, ut per Romanum Pontificem cauſæ tractentur, & conſequantur effectum ſuum; ſic tamen, ut ſi vobis ſuſpecti fuerint aliqui, ſecuritatem faciant, quòd malum veſtrum, vel regni veſtri non quærent. Conſuetudines, quæ

B inductæ ſunt contra Eccleſias terræ veſtræ; in tempore veſtro penitùs dimittetis, poſſeſſiones Cantuarienſis Eccleſiæ, ſi quæ ablatæ ſunt, in plenum reſtituetis, ſicut habuit uno anno, antequàm Archiepiſcopus de Anglia egrederetur. Clericis præterea, & laicis utriuſque ſexus pacem, veſtram & gratiam, & poſſeſſiones ſua reſtituetis, quibus occaſione prænominati Archiepiſcopi deſtituti fuerunt. Hæc autem vobis auctoritate domini Papæ, in remiſſionem peccatorum veſtrorum injungimus, & præcipimus obſervare abſque fraude, & malo ingenio. Hoc

C ſanè coram multitudine perſonarum juraviſtis vos pro divinæ reverentia majeſtatis. Juravit & filius veſter, excepto eo, quòd perſonam veſtram ſpecialiter contingebat. Et juraſtis ambo, quòd à Papa domino Alexandro, & Catholicis ſucceſſoribus ejus, quàm diu vos ſicut anteceſſores veſtros & Catholicos Reges habuerint, minimè recedetis. Atque ut in memoria Romanæ Eccleſiæ firmiter habeatur, ſigillum veſtrum præcepiſtis apponi.]

VIII. Poſt hæc autem idem Rogerius his ſubiicit Legatorum epiſtolam, tunc temporis

D datam ad Ravennatem Epiſcopum, qui res tunc geſtas ſcripſere; ſic ſe habet:

Legatorū epiſtola ad Archiepiſ. Raven.

Venerabili in Chriſto & dilecto fratri Giliberto, Dei gratia Ravennenſi Archiepiſcopo Albertus dignatione divina tituli S. Laurentii in Lucina, & Theodinus tituli S. Vitalis, presbyteri Cardinales, Apoſtolicæ Sedis Legati, quod promiſit Deus diligentibus ſe.

Quoniam deſiderare vos credimus, ut de ſtatu noſtro, & de injuncti nobis promotione negotii aliquid audiatis, idcir-

E cò qualiter nobiſcum, & per miniſterium mediocritatis noſtræ Deus egerit his diebus, fraternitati veſtræ præſenti ſcripto duximus indicandum. Noveritis itaque, quòd poſtquàm illuſtris Rex Angliæ veniſſe nos in regnum ſuum in veritate cognoverit, totius amoto tarditatis obſtaculo, de Hibernia in Angliam, incumbentibus ſibi negotiis prætermiſſis, de Anglia verò ad Northmanniæ partes acceſſit, atque incontinenti plures ad nos Nuntios & honorabiles deſtinavit, inquirens à nobis, in quo loco potiùs convenire cum eo, & loqui vellemus. Placuit

cuit tandem ad Savinium monaſterium pro colloquio habendo concurrere, ubi religioſorum virorum poſſemus orationibus adjuvari. Convenimus illùc, convenerunt & multæ perſonæ utriuſque ordinis de regno ſuo, & tractavimus diligenter, qua potuimus, quod ad ſalutem ipſius, & injunctam nobis obedientiam pertinebat. Cùm autem non poſſemus in omnibus convenire, receſſit à nobis velut in Angliam profecturus, & nos expectavimus, ſequenti die ad Abrincam civitatem ituri. Poſtera autem die venerunt ad nos Lexovienſis Epiſcopus, & duo Archidiaconi, & conceſſo quod petebamus, ad prædictam proceſſimus civitatem. Ad quam Dominica, qua cantatur, Vocem jucunditatis, convenimus cum perſonis plurimis, & ipſi nobiſcum. Et cum tanta humilitate, quod fuerat condictum explevit, ut illius extitiſſe opus ſine dubitatione credatur, qui reſpicit terram, & facit eam tremere. Sanè quàm timoratùm Deo, quàm obedientem Eccleſiæ ſe curaverit exhibere, non eſt opus præſenti abbreviatione referre. Satis enim opera illius manifeſtant, & manifeſtabunt adhùc pleniùs, ſicut & nobis ſpes data eſt in futurum.

IX. Primùm itaque ſuper morte ſanctæ memoriæ Thomæ quondam Cantuarienſis Archiepiſcopi non de noſtra exactione, ſed de propria voluntate, tactis ſacroſanctis Evangeliis, ſuam conſcientiam expurgavit, jurans ſcilicèt, quòd nec præcepit, nec voluit, quòd idem Archiepiſcopus occideretur; & quando audivit, vehementer doluit. Quia verò quod factum fuerat, ex ſua occaſione factum eſſe timebat: de ſatisfactione paranda tale præſtitit juramentum. Primò quippè juravit, quòd à domino Papa noſtro Alexandro, & ejus Catholicis ſucceſſoribus non recedet, quamdiu ſicut Catholicum Regem habuerint eum, & Chriſtianum. Et hoc ipſum jurare fecit filium ſuum majorem in charta abſolutionis pro morte beati Thomæ. Juravit etiam & alia, Clero, & populo valdè neceſſaria, quæ omnia diligenter, & per ordinem, ſicut ea juraverat, in abſolutionis ejus charta pernotavimus. Promiſit etiam & alia de libera voluntate gerenda, quæ non oportet ſcripturæ ſerie denotare. Hæc autem ſcripſimus, ut cognoſcatis ipſum obedientem Deo, atque ad divinum obſequium multò ampliùs quàm adhùc fuerit, animatum. Noveritis ad hoc filium ſuum de prædictis conſuetudinibus pariter cum eo juraſſe. Sanè, quod ibi factum eſt, iteratò adhùc, ne dubitationis locus alicui remaneret, apud Cadomum in majori frequentia perſonarum publicè ſtatuit ſe acturum. Relaxavit præterea Epiſcopos de promiſſione, quam ei fecerant de conſuetudinibus conſervandis, & promiſit quòd non exiget in futurum.] Hucuſque Legatorum epiſtola. Pergit auctor.

X. In craſtino autem prædicti Cardinales ibidem celebraverunt magnum Concilium cum Archiepiſcopo, & Epiſcopis, & Clero Northmanniæ, & ibi hæc decreta ſubſcripta ſtatuerunt, & univerſis firmiter, & inviolabiliter obſervanda injunxerunt.

Decreta per Theodinum, & Albertum Cardinales apud Abrincas promulgata. Decreta Concilii Northmanniæ.

Pueri ad regimen illarum Eccleſiarum, & ad illa adminiſtranda, in quibus cura eſt animarum, minimè admittantur.

Item filii ſacerdotum non ponantur in Eccleſiis patrum ſuorum.

Item laici partem oblationum in Eccleſia non percipiant.

Item Eccleſiæ Vicariis annuis non committantur.

Item ſacerdotes majorum Eccleſiarum, quibus ad hoc ſuppetunt facultates, alium ſub ſe presbyterum cogantur habere.

Item ſacerdotes non ordinentur ſine certo titulo.

Item Eccleſiæ ad Firmam annuam non tradantur.

Item de tertia parte decimarum nihil presbytero, qui ſervit Eccleſiæ, auferatur.

Item his, qui decimas hereditario jure tenent, licentia ſit, cui voluerunt, idoneo clerico dare, eo quidem tenore, ut poſt eum ad Eccleſiam, cui de jure competunt, revertantur.

Vir ad religionem non tranſeat, uxore in ſæculo remanente, vel è converſo, niſi ambo vacandi operibus carnis tempus exceſſerint.

Item in Adventu Domini omnibus qui poterunt, maximè autem clericis, & militibus, jejunium, & abſtinentia carnium indicatur.

Item clerici judices non ponantur ad juriſdictiones ſæcularium poteſtatum adminiſtrandas. Qui autem hoc præſumpſerint, à beneficiis Eccleſiaſticis arceantur.

Item de novis libris excommunicatorum, & rebus morientium, quas auferunt ſacerdotes, & benedictionibus ſponſarum, & baptiſmo, & de quadraginta & octo libris, quæ pro abſolutione excommunicatorum exiguntur, nihil perfectum eſt, quia Epiſcopi Northmanniæ illud decretum recipere noluerunt.

In eodem verò Concilio Archiepiſcopus Turonenſis calumniatus eſt, Archiepiſcopatum Doli debere adjacere Archiepiſcopatui ſuo, affirmans ſedem Archiepiſcopalem ibi eſſe non debere. Sed clerici de Dolo conſtanter contradicebant.] Hactenùs de rebus geſtis per Legatos, qui antequàm recederent, has ab Alexandro Pontifice litteras acceperunt de reconcilianda ipſa Eccleſia Cantuarienſi, tàm enormi ſacrilegio polluta.

Mandamus (a) vobis, quatenùs Eccleſiam Cantuarienſem faciatis reconciliari; ita tamen, ut ſacramentum priſtinæ dedicationis non debeat iterari. Sed ſicut XI. a Cod. Vat. lib. 5. ep. 95

Reconciliatio Eccleſ. Cantuarienſis.

a Ibi. ep. 96.

ſicut ſolet fieri in Eccleſia beati Petri; tantùm aqua benedicta aſpergatur.] Hæc ad Legatos Alexander Papa. Legati autem ad Cantuarienſis miniſtros Eccleſiæ ita (a) ſcripſere:

Lætamur nos, lætatur & quæ audit congregatio univerſa juſtorum, quòd mortem ſanctæ memoriæ Thomæ quondam Archiepiſcopi veſtri ita in conſpectu ſuo Deus pretioſam oſtendit, & venerandam ejus memoriam tot miraculis illuſtravit, ut odor unguentorum ipſius jam ferè per totum corpus Eccleſiæ ſe diffundat, & virtus ejus in Oriente & Occidente communiter prædicetur; ita ut qui felicibus illius actibus, dum viveret, invidebant, nunc caſibus humanis eo exempto, & ad ſuperiorum ſocietatem (ut credimus) fide ac zelo ſacerdotali promerente, tranſlato, venerentur virtutem ipſius, & ei qui facit mirabilia magna ſolus, gratiarum referant actionem. Quia igitur videtur idoneum, ut cùm magnalia, quæ apud vos facta populorum turba decantet, & gratiarum actio, & vox laudis reſonet in communi Eccleſia veſtra, quam tanto munere gratis divina donavit, ſub atrocitatis obtentu diutiùs non debeat à Conditoris laude ceſſare; Reddentes vobis mutuæ ſalutationis alloquium, & petitioni veſtræ devoto concurrentes aſſenſu, fraternitati veſtræ mandamus, quatenùs convocatis Epiſcopis, & Abbatibus provinciæ veſtræ, qui vobis ad hoc idonei viſi fuerint, cum ſolemnitatis Eccleſiaſticæ, ſicut majoribus viſum fuerit, moderamine denuò Eccleſiam veſtram conſecretis. Si quid minus fuerit in ſolemnitate, divinorum miraculorum poterit illuſtratione ſuppleri. Nos ſanè, ſi aliquid fuerit, quod ad profectum veſtrum, & veſtræ Eccleſiæ facere valeamus, quantum cum Deo poterimus, libenti animo faciemus.] Hæc Legati Apoſtolicæ Sedis, qui ejuſdem Pontificis Alexandri admonitione, diligentiſſima facta perveſtigatione miraculorum glorioſiſſimi martyris Thomæ, relationem pleniſſimam de iis omnibus ad Alexandrum Pontificem miſerunt. Quibus viſis ipſe abſque mora ad ſolemnem Martyris canonizationem faciendam ſeſe totum convertit. Teſtatur id ipſe in litteris poſteà datis, inferiùs recitandis de canonizatione ipſius.

XII. Cauſam martyrii in promptu eſſe unicuique Epiſcopo.

Sic igitur quot miraculis, tot divinis innotuit teſtimoniis, atque teſtificationibus patuit, Deo ipſi gratiſſimam navare operam, & coronis dignam non ſolùm, qui pro Fide Catholica illibata ſervanda perſecutoribus exhibent ſe necandos, ſed etiam qui pro juribus bonisque Eccleſiæ conſervandis, & repetendis ablatis, caput ſatellitibus offerunt præcidendum. Cujus occaſio ſubeundi martyrii haud longè ab Infidelibus perquirenda, ſed unicuique Epiſcopo præſens ſemper immineat, ſi quod ſui eſt muneris, numeris omnibus laboret implere. Revertentes autem Legati intulerunt in Urbem ſacra pignora novi Martyris, nempè quod ſuper Eccleſiæ pavimentum reſperſum fuit ejus capitis cerebrum, necnon ejus tunicam ipſius ſanguine cruentatam, quæ hactenùs religiosè aſſervantur in baſilica ſanctæ Mariæ Majoris.

XIII. Viri illuſtres familiæ S. Thomæ.

His jam viſis, quæ ad gloriam Martyris ſpectant: non tacendum de ipſius commilitonibus, iis inquam, qui ipſum extorrem ſeptennii temporis ſpacio ſunt ſecuti, celebres omnes & inſignes planè viri, glorioſa confeſſione decori, quorum præclara elogia ſingulorum leguntur B poſt Quadripartitam appoſita in codice Vaticano. Ubi inter eos principem locum obtinuit quidam nomine & natione Lombardus, patria Placentinus, doctrina celebris, qui S. R. E. Cardinalis creatus eſt, vocatus ab exilio, atque demùm creatus ab eodem Romano Pontifice Archiepiſcopus Beneventanus. Secundo loco ponitur Joannes Sareſberienſis, & ipſe doctrina præſtantiſſimus, vocatus poſt martyrium S. Thomæ ad Carnotenſem Epiſcopatum. Poſt hunc ponitur Robertus Anglus, & ipſe creatus Epiſcopus Herefordenſis. Hunc ſequitur ordine Re- C ginaldus itidem Anglus, ſed & ipſe cognomento Lombardus, aſſumptus in Epiſcopatum Bathonienſem, quem ſupradditum putamus: nam nuſquam eum inter familiares, qui ſecuti ſunt Sanctum in ea perſecutione, invenimus numeratum, pro quo inter perſecutores potiùs annumerato ſcripſit Petrus Bleſenſis apologiam inferiùs recitandam. Gerardus poſt hunc recenſetur promotus ad Coventrenſem Epiſcopatum. Inde numeratur ordine Hugo natione Romanus, idemq; in Epiſcopatu ſucceſſor Gerardi: poſt quem ponitur Giſlebertus Anglus, creatus poſteà Roſſenſis Epiſcopus. D Inde Radulphus ſubiicitur, creatus in exilio Decanus Rhemenſis Eccleſiæ. Poſt denique alios diverſis honoribus Eccleſiaſticis inſignitos ponitur Hubertus Mediolanenſis, qui ad Archiepiſcopatum ejus Eccleſiæ primò vocatus eſt, inde ad Romanæ Eccleſiæ Pontificatum, vocatusque eſt Urbanus Tertius. Subiiciuntur & alii tanto Patre & magiſtro digni, comparticipes ſicut paſſionis, ita & gloriæ. Talis erat familia præclariſſimi viri, non ad oculos ſerviens, ſed planè ea qua eorum dominus conſtantia prædita in perpeſſione E laborum, viri Apoſtolici, viribus Apoſtolicis illuſtres atque decori, digni habiti qui præ cunctis ad Eccleſiaſticos promoverentur honores.

XIV. Alex. Papa à Romanis non recipitur in Urbem.

Sed redeamus ad Alexandrum Papam à Romanis nondum receptum in Urbem. De eo enim hæc ejus vitæ Acta: Dum autem hæc in Gallia agerentur de reconciliatione videlicèt Regis Anglorum per Legatos Apoſtolicæ Sedis, Romanis perſiſtentibus in ſua inſipientia, cupientem ad eum reverti Paſtorem & Epiſcopum animarum ſuarum cum fratribus ſuis Epiſcopis, & Cardinalibus; non permiſerunt Urbem ingre-

ingredi, & in Eccleſiis debitum officium exercere. Eis ergò verbum Dei ſpernentibus, quod primum eis evangelizandum fuerat: Pontifex de Tuſculano cum fratribus ſuis Epiſcopis, & Cardinalibus exivit, & ad beati Petri patrimonium Campaniæ, quouſque meliora tempora Eccleſiæ ſuæ provideat Dominus, acceſſit moraturus.] Hæc ibi, reliqua anno ſequenti. Quòd Pontifex Urbis ingreſſu excluderetur, illud erat in cauſa, quòd pars illa, quæ favebat Imperatori, eo tempore magiſtratus præcipuos adminiſtrabat, eorumque tyrannide cuncta penitùs movebantur.

Commorationis Alexandri Pontificis Tuſculi hoc anno fidem faciunt plura diplomata, quæ illic data hoc anno reperiuntur, & inter alia privilegium ab eo conceſſum Eccleſiæ Barenſi, cui juncta erat Eccleſia Canuſina, quod incipit: In Apoſtolicæ Sedis ſpecula, &c. datum ad Rainaldũ tunc Barenſem Archiepiſcopum, & Canuſinum. In fine verò hæc de tempore dati diplomatis poſt ſubſcriptionem duodecim Cardinalium. Datum Tuſcul. per manum Gratiani S. Romanæ Eccleſiæ ſubdiaconi, & Notarii, quarto Kal. Julii, Indictione quinta, Incarnationis Domini anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimoſecundo, Pontificatus vero domini Alexandri Papæ Tertii anno tertiodecimo.] Porro Gratianus iſte ſubdiaconus, atque Notarius, ſpectatiſſimæ virtutis fuit, quem idem Alexander Papa poſt hæc miſit Legatum unà cum Viviano ad Regem Anglorum, in qua functione ſummam peperit ſibi laudẽ, ut quæ de ipſa inferiùs dicenda erunt, aperient.

XV. Inſuper cùm adhùc Tuſculi moraretur Alexander Papa, ibi has litteras dedit ad Archiepiſcopum Bituricenſem, & Epiſcopum Nivernenſem in cauſa excommunicationis à ſancto Thoma prolatæ adversùs nominatos ſuperiùs Epiſcopos Angliæ.

Alexander (a) Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus Bituricenſi Archiepiſcopo, & Nivernenſi Epiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

a Apud Roger. in Annal. Angl. hoc anno.

Fraternitati veſtræ non credimus eſſe incognitum, qualiter ſanctæ recordationis Thomas quondam Cantuarienſis Archiepiſcopus de mandato noſtro in Londonienſem & Sareſberienſem Epiſcopum excommunicationis ſententiam promulgavit: quam utique nos ratam habentes & firmam, eam auctoritate Apoſtolica curavimus confirmare. Quia verò prædicti Epiſcopi ſenio & debilitate corporis confecti, & alter morbo laborans, ad præſentiam noſtram venire non poſſunt: vobis, de quorum prudentia & honeſtate confidimus, abſolutionem eorum, pro qua Nuntii Regis Henrici Angliæ, & eorumdem Epiſcoporum apud nos vehementiùs inſtiterunt, duximus committendam. Ideóque fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenùs infra menſem, poſtquàm iidem Nuntii ad propria redierint, de adventu Legatorum noſtrorum, quos ad partes illas pro cognoſcenda atrocitate illius facinoris, & ſceleris, quod perpetratum eſt, & reconciliatione Regis diſpoſuimus tranſmittere, quod tranſalpinaverint vobis non innotuerit: eos publicè, recepto juramento ſecundùm morem Eccleſiæ, quòd noſtro debeant aſtare mandato, ab excommunicationis vinculo abſolvatis, ſententia ſuſpenſionis ob eam cauſam, qua fuerant ultimò in excommunicationem deducti, in ſuo robore permanente. Si autem vobis conſtiterit, quòd Sareſberienſis Epiſcopus morbo laborans ad vos venire non poſſit, illùc in propria perſona, quod nobis placeret, accedatis. Aut ſi accedere non poteritis, perſonas idoneas, de quibus nos & vos confidere valeamus, tranſmittatis, quæ illum, recepto juramento publicè in conſpectu Eccleſiæ, quòd noſtro debeat parere mandato, abſolvant. Si autem huic rei, frater Archiepiſcope, intereſſe non poteris, tu, frater Epiſcope, ipſe cum Pontiniacenſi Abbate quæ dicta ſunt diligentiùs exequaris. Date Tuſculani octavo Kalend. Maii] Hactenùs Alexander Papa ex Rogerio in Annalibus.

XVI. Occiſores S. Thomæ ad remedium confugiunt pœnitentiæ.

Inter hæc autem ſacrilegi illi Martyris percuſſores, qui hactenùs extremam Angliæ oram in unius ex eis poſſeſſionibus habitarunt: cùm viderent ſe ab omnibus hominibus vitari, quin etiam ab animalibus ut execrabiles haberi (canes enim quantũlibet famelici panem ab eis porrectum ut intinctum veneno anathematis horrebant, longiùs autem à ſeipſis eos ſua ipſorũ conſcientia mali conſcia propulſante) invocantes eum quem percuſſerant Sanctum, ab eo quærunt miſericordiam, in quem extitiſſet ipſi immiſericordes & crudeliſſimi. Quibus inter lacrymarum imbres, nebulaſque mœroris lux effulſit ſpei veniæ impetrandæ, iterque oſtenditur, nempè ut Romam ſe conferant ad Chriſti Vicarium Alexandrũ; ad cujus veſtigia procidentes, peccatumq. admiſſum aperientes: ab eo remediũ quod exhiberet, acciperent. Veniunt Romam, adeunt Paſtorem illum, quem non mactare & perdere, ſed ſuper humeros ovem perditam imponere, ipſe à quo tantam acceperat poteſtatem, docuiſſet. Cùm Paſtor egregius quod (b) confractum alligat, quod infirmum conſolidat, requirit quod perierat, atque quod abiectum fuerat, reducit. Idemque ſapientiſſimus archiater, ſuper profunda vulnera ſauciorum oleum (c) infundens ac vinum, ſic ea alligat, ut abſolvat malis ingruentibus totum corpus. Jubentur itaque in expiationem immaniſſimi ſacrilegii tranſmarinas quærere Chriſti præſentia illuſtratas regiones, petere loca ſancta, ut ubi Chriſtus operatus eſt ſalutem in medio terræ, ſanguine fuſo in humani generis redemptionem; illic ipſi, qui iniquiſſimè ſanguinem fudiſſent innocentiſſimum, ejus ſanguine mundarentur.

b Ezech. 34.

c Luc. 10.

XVII. Dum pergunt, unus ex illis, idemq. princeps & inſtigator, primuſq. percuſſor viri ſanctiſſimi, dictus nomine Vuillemus

Traci,

Traci, ubì in Calabriam perveniſſet, moras nectens Coſentiæ, gravi percuſſus corporis infirmitate, cogitur remanere; tribus reliquis capeſſentibus juſſum iter. Ita planè in exemplum juſtitiæ magni Dei hic retentus eſt in Italia, ut diſcerent Occidentales, ne tanto ſui detrimento quis audacem manum in Chriſtum Domini auderet immittere. Etenim tali percutitur à Deo infirmitate, ut putreſcentibus carnibus, apparentibus nervis & oſſibus, eadem è compagibus ſuis ſolutæ ſive ſpontè diffluerent, ſive manibus ipſius ſui carnificis doloris impatientis divellerentur, invocantis jugiter in auxilium quem occidiſſet martyrem Thomam, quouſque extremum efflavit ſpiritum. Quæ hæc omnia per Epiſcopum Conſentinum nota facta eſſe Fidelibus, in fine ſæpè citate hiſtoriæ Quadripartitæ aſſeritur, quibus

Finis eorum qui occiderunt S. Thomã.

A his omnibus reliqui hiſtorici, qui ſunt proſecuti res geſtas ſancti Thomæ, aſtipulantur. Porrò tùm hunc, qui Coſentiæ deceſſit, tùm tres illos, qui Hieroſolymam navigarunt, non ultrà triennium ab illata nece Martyri ſupervixiſſe, in eadem citata nuper hiſtoria conſtanter aſſeritur, ſicque ſequentis anni curriculum minimè exceſſiſſe. Illi verò in loco dicto monte Nigro, tamquàm carcere pœnitentiæ clauſi juſſu Pontificis, extremum clauſere diem, utique pœnitentes: nam & honeſta ſunt ſepultura dignati, nempè ante oſtium templi, ubi (inquit Rogerius) ejuſmodi ap- B poſita fuit inſcriptio: HIC IACENT MISERI QVI MARTYRIZAVERVNT BEATVM THOMAM ARCHIEPISCOPVM CANTVARIENSEM.] At rerum geſtarum anni hujus hic finis eſto.

JESU CHRISTI ANNUS 1173. ALEXANDRI PAP. III. ANNUS 14. FRIDERICI IMP. 19. MANUELIS IMP. 31.

I. Canoniſatio S. Thomæ.

ANnus ſequitur Redemptoris milleſimus centeſimus ſeptuageſimuſtertius, Indictione ſexta, quo Alexander Papa, ubì Legati ad Anglorum Regem miſſi in Urbem rediere, audivit ab eis, quæ Deus in manu potenti & brachio excelſo operaretur miracula in novo martyre Thoma: habitaque de his conſultatione cum fratribus S.R.E. Cardinalibus, ex omnium communi conſenſu retulit eum in Album ſanctorum Martyrum. De his acturi, quænam iſta præceſſerint, accuratè perveſtigemus.

Poſt fuſum ſanguinem (inquit Eduardus) multis ejus ſanctitatē Deus miraculis declaravit. Verùm ea initio occultabantur tamquàm non habitura fidem, donec iis multiplicatis ceſſit adverſariorum impietas, & obſtructum eſt os loquentium iniqua.] Ita quidem multitudo ac magnitudo miraculorum increbuit, ut non ſolùm ſanctus Thomas in his exhibendis nihil minus habere viſus ſit à cæteris magnis Sanctis, ſed etiam prætergreſſus ſit eos.] ta teſtantibus Petro Bleſenſi qui aderat, nec non Joanne Saresberienſi, qui eidem ſancto Martyri fuerat à ſecretis. Scribit de his ſumma fiducia iſta ipſe Petrus ad Richardum Epiſcopum (a) Syracuſanum, aitque: Exulta Anglia, exulta Occidens, quia viſitavit nos Oriens ex alto. Thomam Apoſtolum India & Orientalis regio jactitabat: ſed Occidentalem reſpexit Eccleſiam, qui in cœlis habitat, & humilia reſpicit. Dedit Dominus Angliæ Thomam noſtrum: non invidemus Indiæ Thomam ſuum. Sit Thomas Apoſtolus in India: ſit Thomas martyr noſter in Anglia, ut per hos duos teſtes Chriſti ab ortu Solis uſq; ad occaſum ſit laudabile nomen Domini. Eat qui voluerit in Indiam ad ſuffragia beati Apoſtoli: tàm longa peregrinatio nimis laborioſa eſt mihi: mihi ſufficit Thomas meus. Ille palpavit latus Dominī, & fixuras clavorum; ille quia vidit, credidit: C beatus qui non vidit & credidit, nec dubitavit, atque holocauſtum Chriſto, & pro Chriſto ſe obtulit. Non laboro Martyrem Apoſtolo comparare, cùm Apoſtolus ſit major Martyre: ſed glorioſum eſt nos habere Martyrem, qui Apoſtoli nomen habeat, & Apoſtolum miraculis aut imitetur, aut vincat. Non indignatur Apoſtolus, quia nec indignatur Dominus Apoſtolorum & Martyrum, ſi quandoque Spiritus ſanctus in operatione virtutum plenius & * celebrius alicui ſe infundit. Et hæc (inquit (b) Dominus) facietis, & majora horum facietis.] Hæc Petrus à no- D bis citatus ad indicandam eximiam miraculorum operationem, quæ Deus per novum tunc operatus eſt Martyrem. Sed & audiendus eſt Joannes Saresberienſis nonnihil commotus in Alexandrum Pontificem, qui viſus eſt ſibi nimis differre canonizationem Martyris, Deo (ut apparebat) tanta miraculorum multitudine & magnitudine plus ſatis teſtante, ipſum in cœlum cum ſanctis Martyribus eſſe receptum. Sed excuſandus Pontifex, ſi id facere diſtulit uſque ad reverſionem Cardinalium Legatorum, quorum relatione cuncta exactè atque ſecurè diſceret. Sed audiamus E Saresberienſis (c) querelas apud Sedis Apoſtolicæ Legatum fiducia magna depromptas:

a Pet. Bleſ. ep. 46.

Egregia in S. Thoma miraculorum operatio.

* al. crebrius

b Joan. 14.

c Cod. Vat. l. 5. ep. 90.

II. Ep. Joan. Saresb. de miraculis S. Thomæ.

Venerabili domino & Patri chariſſimo Vuillelmo Dei gratia Archiepiſcopo Senonenſi & Sedis Apoſtolicæ Legato ſuus Joannes Saresberienſis ſalutem & promptiſſimæ devotionis obſequium.

Licèt Anglicanæ Eccleſiæ adhùc coadmixta ſit ingens deſolatio: triſtitia tamen illius jam ex maxima parte in gaudium tranſiit, & luctus in cantica felici prorsùs & læta mutatione converſus eſt. Siquidem

jam adeò ad Memoriam Martyris inaudita miracula crebuerunt, ut ſi alias audita illis provenerint, vix cenſentur illius miraculis adſcribenda. Sicut enim in omni conditione nobilis animus ſtuduit omnibus conviventibus præeminere; ſic nunc (ut aliorum Sanctorum pace dixerim) alios de quibus legimus, vel audivimus, in miraculorum exhibitione præcedit. Quod ideò facilè crediderim proveniſſe, ut fidem in pluribus Orbis noſtri partibus non tàm ſopitam, quàm ferè extinctam Dominus excitaret, ſolidaret charitatem, & obſtrueret ora iniquorum, qui ſancto viro detrahebant in vita, & odio privato cauſam Chriſti perſequebantur. Quis enim amodò veram & fidelem doctrinam Chriſti dubitet, qui verbis ſuis adhærentem hominem nobis notum, tanta felicitate remunerat? Quis cauſam fuiſſe iniquam niſi dæmoniacus dicet, qui patronum ſuum tanta coronat gloria? Dubitatur à plurimis, an pars domini Papæ in qua ſtamus, de juſtitia niteretur: ſed eam à crimine ſchiſmatis glorioſus Martyr abſolvit. Qui ſi fautor eſſet ſchiſmatis, nequaquàm tantis miraculis coruſcaret. Erat namque vir tantæ prudentiæ, ut non facilè poſſet errore ſupplantari, in tanto periculo animarum.

III. Mirarer itaque, ſupra modum, cur eum dominus Papa in catalogo Martyrum recipi non præcepit, niſi quia in hiſtoria Eccleſiaſtica legiſſe me recolo: Quòd cùm Pilatus miſſa relatione, Tiberium Cæſarem conſuluiſſet, An Chriſtum, qui tot & tanta fecerat, & à plurimis colebatur ut Deus, coli oporteret, ut Deum: Senatus ab Imperatore conſultus reſpondit, quidem colendum fuiſſe ut Deum, niſi quia id provinciales citra Senatus auctoritatē præſumpſerant. Et quidem ſic, nutu faciente divino, reſponſum eſt, ne Deitas Chriſti, cujus nomen erat Judæis, & Gentibus prædicandum, terrenæ poteſtati videretur obnoxia, & eam emendicatam dicerent Infideles. Qui velint nolint coguntur audire: Quoniam Dominus regnavit, iraſcātur populi, & exultet terra, in qua Chriſti fundatur Eccleſia. Sic ergò nutu divino arbitror eveniſſe, ut Martyris hujus gloria, nec decreto Pontificali, nec edicto Principis attollatur, ſed Chriſto præcipuo auctore invaleſcat, cujus honorem, quoad vixit, ſtuduit dilatare. Honorem Chriſti ſalvum fore ſemper expreſſit, *cùm ſcilicèt de concordia tractaret cum Rege.* Et Chriſtus ei vicem non referet? Abſit, ut Veritas fallax ſit in promiſſis. Legitur in Actibus Apoſtolorum, quòd quidam nondum baptizati, citra auctoritatem Apoſtolorum Spiritum ſanctum acceperant. Sed num id Senatus Apoſtolicus infirmabit? Profectò ubi Deus auctor eſt, fruſtrà ſuperioris deſideratur auctoritas. Si quis autem hujus tanti Martyris gloriam evacuari deſiderat (quicumque ſit ille) antequàm ei credamus, aut majora, aut ſaltem ſimilia operetur. Alioquin peccare creditur in Spiritum ſanctum, cujus operibus detrahere non veretur.] Hactenùs ad Senonenſem Legatum Apoſtolicæ Sedis Joannes Sareſberienſis, cùm nondùm ſanctus Thomas relatus eſſet ab Alexandro in numerum ſanctorum Martyrum, quod factum eſt hoc ipſo anno præſenti.

IV. In probatione Sanctorum neceſſarium Eccleſiæ miniſterium.

Ita, qui dilatam nimis dolens Martyris canonizationem, quam Deus deſuper tot tantiſque miraculorum facibus è cœlo lucentibus jam divinitùs factam oſtenderit, putavit eam humana non indigere auctoritate: ſecundùm illud Apoſtoli: (*a*) Quis accuſabit adversùs electos Dei? Deus eſt qui juſtificat, quis eſt qui condemnet?] At nihilominùs neceſſariò auctoritas eſt Eccleſiæ requirenda ad cognoſcenda ipſa miracula, ne fraus aliqua irrepſerit, vel impoſtura: atque ita judicium divinorum operum Eccleſiæ debeat judicio ſubjacere, ſecundùm illud ejuſdem Apoſtoli: (*b*) Spiritus Prophetarum Prophetis ſubjecti ſunt.] Et illud (*c*) Joannis: Probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint.] Quod judicium Eccleſiæ in ejus viſibili capite in primis reſidet, cujus in ejuſmodi examinatione prævia ſit expectanda ſententia.

a *Rom.* 8.
b 1. *Cor.* 14.
c 1. *Joan.* 4.

V. Canonizatur S. Thomas martyr.

Reverſis autem (ut dictum eſt) Legatis, rebuſque eorumdem relatione perſpectis, examinatiſque, hoc eodem anno Indictione ſexta, Alexander Papa ſolemni ritu Signiæ cùm eſſet, retulit in ſanctorum Martyrum numerum ſanctum Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopum: de qua canonizatione in vita ipſius Alexandri hęc habet ſcriptus codex Vaticanus: Intereà cùm illuſtrator Anglorum beatiſſimus Thomas in multa coruſcatione miraculorum reſulgeret, & non ſolùm amici, ſed etiam perſecutores veniam poſtularent peccatorum, qui ſalutis veniam petituri ad ejus Eccleſiam inceſſanter accederent: Romanus Pontifex ad inſtantiam populi & Cleri * Gallicani, eumdem Martyrem canonizavit Apoſtolica auctoritate, & inter cæteros Sanctos conſcribi præcepit. In die namque Purificationis beatæ Mariæ, convocatis Epiſcopis & Abbatibus Campaniæ apud Signiam, ad honorem ipſius ſpecialiter Miſſarum ſolemnia celebravit, & paſſionis ejuſdem quarto Kalendas Januarii memoriam perpetuò agi debere conſtituit. Unde Occidentalis Eccleſia exultavit in gaudio magno, & glorioſi Martyris nomē augebatur in oſtenſione virtutum, ita ut ab extraneis etiam gentibus ex celebri celebrius haberetur. Per ipſius merita omnipotens Deus evidenter mortuos ſuſcitavit, cæcis quoque viſum, ſurdis auditum, & claudis reddidit greſſum, mundavit leproſos, ſanavit infirmos, dæmoniacos liberavit, & alia multa per eum mirabilia nihilominùs Deus voluit mirabiliter operari. Ideòque plurimi Fidelium honorem ipſius, ad laudem & gloriam Creatoris noſtri Eccleſias conſtruxerunt, & poſſeſſionibus & donis ditaverunt.] Hactenùs ibi. Sed inſpiciendæ ſunt Apoſtoli-

* Anglicani.

a cæ

a Cod. Vat. l. 1. ep. 92.

eæ litteræ de eadem canonizatione ſic datæ: (a)

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Priori & monachis Cantuarienſis Eccleſiæ ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

VI. Alex. Pap. litteræ canonizationis.

Gaudendum eſt univerſitati Fidelium de mirabilibus illius ſancti & reverendi viri Thomæ Archiepiſcopi veſtri. Sed vos exinde tantò ampliori gaudio, & exultatione debetis repleri, quantò ipſius miracula oculata fide ſæpiùs intuemini, & ejus ſanctiſſimo corpore Eccleſia veſtra ſpecialiùs meruit illuſtrari. Nos autem conſiderata gloria meritorum ejus, quibus in vita ſua magnanimiter claruit, & de miraculis ejus non ſolùm communi & celebri fama, ſed & dilectorum * filiorum noſtrorum Alberti, tituli ſancti Laurentii in Lucina, & Theodini tituli ſancti Vitalis presbyterorum Cardinalium Apoſtolicæ Sedis Legatorum, & aliarum plurium perſonarum teſtimonio certitudinem plenam habentes, præfatum Archiepiſcopum in capite Jejunii, multitudine clericorum & laicorum præſente, in Eccleſia, deliberato cum fratribus noſtris conſilio, ſolemniter canonizavimus; eumque decrevimus ſanctorum Martyrum collegio annumerandum: vobis & univerſitati Fidelium de Angliæ Apoſtolica auctoritate mandantes, ut natalem ejus diem, quo vitam ſuam glorioſa paſſione finivit, annis ſingulis cum debita veneratione celebretis. Quoniam igitur dignum eſt, & vobis plurimùm expedit, ut ſanctum corpus ejus cum ea, quæ decet reverentia & honore condatur: diſcretioni veſtræ Apoſtolica auctoritate mandamus, quatenùs corpus ejus devotè & reverenter ſacta ſolemni proceſſione, aliquo ſolemni die, congregato Clero & populo, in altari honorificè recondatis: aut ipſum in aliqua decenti capſa ponentes, prout convenit, elevetis in altum; & patrocinium ejus pro ſalute Fidelium & pace univerſalis Eccleſiæ ſatagatis apud Dominum veſtris piis orationibus impetrare. Valete. Dat. Signiæ quarto Idus Martii.] Hæc ad miniſtros Cantuarienſis Eccleſiæ. Datæ ſunt inſuper eadem die aliæ generales ad Chriſti fideles iſtis verbis: (b)

* fratrum

b Ibid. 93.

VII. * Aliæ litteræ Alex. Pap. canonizationis S. Tho.

Redolet Anglia fragrantia & virtute ſignorum, quæ per merita illius ſancti & venerandi viri Thomæ quondam Cantuarienſis Archiepiſcopi omnipotens Deus operatur, & univerſa ubique lætatur Fidelium Chriſtiana religio, pro eo quòd ille, qui eſt mirabilis & glorioſus in Sanctis, Sanctum ſuum poſt mortem clarificavit, cujus vita laudabilis multa fulſit gloria meritorum, & tandem martyrio conſummata eſt certaminis glorioſi. Quamvis autem de ſanctitate ipſius dubitare non poſſit, qui ejus & laudabilem converſationem attendit, & glorioſam conſiderat paſſionem, voluit tamen Redemptor atque Salvator noſter ejus ſanctitatis inſignia magnificis radiare miraculis: ut qui pro Chriſto inſuperabilis virtutis conſtantia neceſſitates & pericula pertulit, fui laboris & certaminis in æterna beatitudine cognoſcatur ab omnibus, percepiſſe triumphum. Nos verò auditis innumeris & magnis miraculis, quæ jugiter per ſancti illius viri merita fieri univerſitas narrat Fidelium, & ſuper his non ſine magno gaudio per dilectos fratres noſtros Albertum tituli ſancti Laurentii in Lucina, & Theodinum tituli ſancti Vitalis presbyteros Cardinales atque Apoſtolicæ Sedis Legatos, qui eadem miracula tantò perſpicaciùs didicerunt, quantò ampliùs ſunt loco vicini, præcipuè certiores effecti; & plurium aliarum perſonarum teſtimonio fidem ſicut debuimus, adhibentes, prædictum Archiepiſcopum ſolemniter in Eccleſia, magno ibidem clericorum, & laicorum collegio præſente, in capite Jejunii, deliberato fratrum noſtrorum conſilio canonizavimus, ipſumque decrevimus Sanctorum catalogo adſcribendum. Univerſitatem itaque veſtram monemus, & auctoritate qua fungimur, diſtrictè præcipimus, ut natalem prædicti glorioſi Martyris diem paſſionis ſuæ ſolemniter annis ſingulis celebretis, & apud ipſum votivis orationibus ſatagatis veniam promereri: ut qui pro Chriſto in vita exilium, & in morte virtute conſtantiæ paſſionis martyrium pertulit, Fidelium jugi ſupplicatione pulſatus, pro nobis apud Dominum intercedat. Datum Signiæ, quarto Idus Martii.] Extant poſt hæc in eodem epiſtolarum volumine de his ipſis ad Averſanum Epiſcopum datæ litteræ Apoſtolicæ, eædemque patentes & circulares ad omnes Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopos. Poſt hæc verò ſecuta eſt pœna peccatum.

VIII. Divina ultio Regē exagitat.

Inter hæc ulciſcente Domino, accidit, ut inter Reges Angliæ, patrem & filium implacabilis diſſenſio oriretur, cùm videlicèt petenti filio dari ſibi civitatem aliquam ſive in Anglia, ſive in Northmannia ad habitandum unà cum conjuge, quam duxerat filiam Regis Franciæ; negavit omninò. Ex quo factum, ut deficiens à patre filius, adversùs eum bellum conflarit unà cum fratribus & fœderatis Principibus, ipſo Franciæ Rege, necnon Rege Scotiæ, Comite Pictavienſi, itemque Flandrenſi, & aliis, adeò ut ſtatus ſenioris Regis in ſummum videretur eſſe diſcrimen inductus, ita permittente Deo, ut qui patrem ſuum Thomam indefeſſo ſtudio fuerat perſecutus, perſecutorem ipſe pateretur filium ſuum, quouſque tantum à ſe admiſſum expiaret delictum.

Cùm Henricus Rex ſenior magis magiſque exagitatus perſecutione filii Regis junioris, & fratrum ejus, & aliorum, in diſcrimen haud mediocre eſſet adductus; ad Romanum Pontificem confugium quærit, his datis ad eum litteris, ex eo inprimis ipſi perſuadere conatus, quòd Rex Angliæ ſit feudatarius Eccleſiæ Romanæ. Ita planè cogit neceſſitas profiteri, quod aliter haud ſpontè feciſſet. Sed audi eas, quæ ſic ſe habent à Petro (c) Bleſenſi Secretario ſcriptas:

c Pet. Bleſ. ep. 136.

IX.

Sanctiſſimo domino ſuo Alexandro Dei gratia Catholicæ Eccleſiæ ſummo Pontifici Henricus Rex Angliæ, Dux Northmanniæ & Aquitaniæ, Comes Andegavenſis & Cenomanenſis ſalutem & devotæ ſubjectionis obſequium.

Rex Angl. interpellat auxilium Papæ.

In magnorum diſcriminum anguſtiis, ubi domeſtica conſilia remedium non inveniunt, eorum ſuffragia implorantur, quorum prudentiam in altioribus negotiis experientia diuturnior approbavit. Longè latèque divulgata eſt filiorum meorum malitia, quos ita in exitium patris ſpiritus iniquitatis armavit, ut gloriam reputent & triumphum, patrem perſequi, & filiales affectus in omnibus diſſiteri, præveniente meorum exigentia delictorum. Ubi pleniorem voluptatem contulerat mihi Dominus, ibi graviùs me flagellat: & quod ſine lacrymis non dico, contra ſanguinem meum, & viſcera mea cogor odium mortale concipere, & extraneos mihi quærere ſucceſſores. Illud prætereà ſub ſilentio præterire non poſſum, quòd amici mei receſſerunt à me, & domeſtici mei quærunt animam meam. Sic enim familiarium meorum animos intoxicavit clandeſtina conjuratio, ut obſervantiæ proditoriæ conſpirationis univerſa poſthabeant. Malunt namque meis adhærere filiis contra me transfugæ & mendici, quàm regnare mecum, & in ampliſſimis dignitatibus præfulgere.

X.
Apoſtolicæ juriſd. Regnum Angl.

Quoniam ergò vos extulit Deus in eminentiam officii paſtoralis ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus, licèt abſens corpore, præſens tamen animo me veſtris advolvo genibus, conſilium ſalutare depoſcens. Veſtræ juriſdictionis eſt regnum Angliæ, & quantum ad feudatarii juris obligationem, vobis duntaxàt obnoxius teneor & aſtringor. Experiatur Anglia, quid poſſit Romanus Pontifex, & quia materialibus armis non utitur, patrimonium B. Petri ſpirituali gladio tueatur. Contumeliam filiorum poteram armis rebellibus propulſare, ſed patrem non poſſum exuere.

a Thren. 4.

Nam & (a) Jeremia teſtante, nudaverunt lamiæ mammas ſuas, lactaverunt catulos ſuos. Et licèt errata eorum quaſi mentia efferatæ me fecerint, retineo paternos affectus, & quamdam violentiam diligendi eos mihi conditio naturalis importat. Utinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent. Lactant filios meos domeſtici hoſtes, & occaſione malignandi habita non deſiſtunt, quouſque redigatur virtus eorum in pulverem, & converſo capite in caudam, ſervi eorum dominentur eis, juxta verbum

b Prov. 17.

illud Salomonis: (b) Servus aſtutus filio dominabitur imprudenti. Excitet ergò prudentiam veſtram ſpiritus conſilii, ut convertatis corda filiorum ad patrem. Cor enim patris pro beneplacito veſtro convertetur ad filios, & in fide illius, per quem Reges regnant, veſtræ magnitudini promitto, me diſpoſitioni veſtræ in omnibus pariturum. Vos Eccleſiæ ſuæ, Pater ſancte, diu Chriſtus ſervet incolumem.] Hæc Rex Henricus ad Alexandrum Papam.

XI.
c Petr. Bleſ. ep. 69.
Alex. Papa laborat pro Rege Angl. ſeniore.

At quid Alexander Papa? (c) Petrus Bleſenſis in epiſtola ad Radulphum Andegavenſem Epiſcopum hæc ait: Novum ſiquidem à domino Papa noveritis emanaſſe mandatum, ut quicumque pacem domini Regis turbànt, appellatione remota, excommunicationis vinculo aſtringantur. Hac auctoritate fretus dominus Cantuarienſis, omnes domini Regis impugnatores apud Cadomum nuper excommunicavit, nec Regi juniori, nec alii exceptionis gratiam fecit. Illud autem certiſſimè teneatis, ipſum numquam aliquem excommunicaſſe, qui aut non moreretur in proximo, aut cujus non operiret faciem ſubita, & ignominioſa confuſio. Exeratis itaque gladium Petri, ut ad debitæ fidelitatis obſervantiam compellantur inviti, qui ſpontanea voluntate pro ſalute Principis ſe morti, & carceri debuerant objeciſſe &c.] Antequàm autem Richardus Cantuarienſis Archiepiſcopus excommunicationis ſententiam in filium Regis Henricum Tertium proferret, admonitionis litteras voluit præceſſiſſe, quæ extant, (d) eſtque earum exordium: Si quid durum tibi locuturi ſumus, illuſtriſſime Princeps, ſuſtine patienter &c.] In fine autem de Pontificia juſſione hæc habet: Quòd ſi noſtro & Suffraganeorum noſtrorum conſilio, qui ſuper hoc generaliter tibi ſcribunt, acquieſcere & conſentire detrectès: ſcias nos recepiſſe à ſummo Pontifice in mandatis, ut te & omnes, qui pacem domini tui turbant, ſublato appellationis remedio, excommunicationis vinculo innodemus. Noſque mandatum nobis injunctum, licèt inviti & dolentes, prompto effectu & debita reverentia, niſi infra quindecim dies reſipueris, pleniſſimè proſequemur.] Hæc Cantuarienſis Archiepiſcopus.

d Idem ep. 47.

XII.

Scripſit & Rotrodus Archiepiſcopus Rothomagenſis ad eumdem Henricum Tertium filium Regis, ipſum monens, ut patri reconciliari deberet. Eſt quidem tanto Præſule digna epiſtola, quæ ſic ſe habet: (e)

e Idem ep. 33.

Henrico Tertio Dei gratia illuſtri Anglorum Regi Archiepiſcopis Rothomagenſis ſalutem in eo, qui dat ſalutem Regibus.

Rothomag. Archiep. laborat pro pace.

Quoniam ex officio nobis injunctæ adminiſtrationis incumbit, animarum curam agere, quarum exactiſſimam rationem diſtrictus Judex in examine terribili poſtulabit à nobis: excellentiæ tuæ quæſumus non ſit oneri, ſi te deprecamur ut dominum, hortamur ut Regem, docemus ut filium. Nec enim alligatum eſt in ore noſtro verbum Domini; ſed in ſpiritu libertatis loquimur, quòd ſalutem animabus, quòd quietem populis, quòd Eccleſiæ libertatē, quòd honorem Deo, & patriæ liberationem conferat, atque de erroris invio ad viam veritàtis & juſtitiæ te reducat. Non attendis fili chariſſime, quid inceperis; nec incepti operis metiris exitum. Votis odientium te feſtinas ſatisfacere, & in proprium caput provocas inimicum. Non barbaras

impngnas nationes, ſed ſamiliares & do-
meſticos: non extraneas regiones, non
hoſtiles munitiones invadis, ſed tuas:
ſubjectum tibi affligis populum, non re-
bellem: non hoſtem, ſed patrem: immò
non patrem perſequeris, ſed te ipſum.
Pater ſiquidem tnus poſthabita corporis &
animæ ſuæ cura ſe omni labori & diſcri-
mini exponebat, nt tuum faceret, quod
nunc vis facere tuum: & ut veriùs loquar,
quod intendis facere ne ſit tnum. Magis
non tuum facies pugnando, quod paterna
tibi ceſſio, quod generale votum popnli,
quod juramenta Principum, quod hæredi-
taria ſucceſſio deferebat. Quod Rex & Prin-
ceps pacificè poſſidebas, hoc tyrannus & in-
vaſor, ſpoliatione Eccleſiarum, oppreſſione
pauperum, incendiis & homicidiis, & ad
ultimum, parricidio nunc uſurpas. Parri-
cidæ ſiquidem cenſentur, qui in parẽtes ar-
mati inſurgunt: quos & leges ſæculi dam-
nant, & canones à beneficio ſucceſſionis ex-
cludnnt. Jus tuum in injuriam convertiſti,
dum quod æquitas offerebat, per inquita-
tem extorquere intendis: quod ſanè pueri-
le dicerem, niſi quia hoc malitiam prove-
ctæ ætatis excedit. Si cum patre venias ad
conflictum: dubium eſt, utrum tibi expe-
dist aut vinci, aut vincere.

XIII. Si pietas habitaret in terris, glorioſiùs
aſſereres, patri cedere, quàm triumphare de
patre. Patri cedere & ſubiici, hoc lex Moyſi,
hoc lex Evangelii, hoc cenſura canonum,
hoc Apoſtolorum inſtitutio, hoc leges
Imperiales, hoc ipſa hominum conditio,
& lex naturalis indicit. Dei & juſtitiæ ini-
micum, omniumque legum te tranſgreſ-
ſorem conſtituis, ſi patri non obedis,
cui totum debes, quod ipſe es: de cujus
carne & ſanguine ſementinæ originis, &
naturæ beneficio carnem & ſanguinem
mutuaſti. Quis tibi materiam exiſtentiæ
præbnit? pater tuus. Quis te educavit?
pater tuus. Quis te armis militaribus in-
ſtruxit? pater tuus. Quis ſe exinanivit, ut
te Regem faceret? pater tnus. Quis in om-
nibus laboravit, nt quietè omnia poſſide-
res? pater tuus. Nihil in patre tuo inve-
nis accuſandum, niſi quod exuberantem
gratiam; tuamque devotionem, quam for-
tè remiſſior munificentia meruiſſet, ſola
benigna & effuſa liberalitate demeruit.
Francorum igitur gentibus ſucceſſit ad vo-
tum. Northmanniam enim eorum immi-
nentem cervicibus, quam ſemper munitam
& inexpugnabilem invenerant, nunc ex om-
ni parte te mediante demuniunt, ut nec de
cętero caput contra eos erigere, nec incur-
ſus hoſtiles valeant ſuſtinere. O levitas ad-
oleſcentiæ deploranda! nec mirum. Si enim
tibi Deus curſum vitæ longioris indulſe-
rit, flebis ætate provectior, quod amittis
impubes: nec erit tunc locus pœnitendi,
cùm res in eam deſolationem venerit, ut
reformari nnn poſſit: Tibi dilectiſſime fili,
licet amare, tamen ex amore ſic loquor,
inconſultos enim animi tui motus æquani-
miter tolerare non poſſum. Et utinã mors,
quam me cogis optare, præveniſſet hos

A dies, quibus te patris & patriæ perſecuto-
rem conſpicio, qnibus te amicum hoſti-
bus tuis, & amicis hoſtem intuenr: qui-
bus in eo ſtatu te video, quaſi gladium tuo
gutturi affixiſſes. Ad hæc ſciss Andelia-
cum unicum eſſe ſubſidium vitæ noſtræ,
ipſum tuæ committo cuſtodiæ. Si prædo-
nibus, & incendiariis Andeliacum expo-
ſueris, mihi vivendi materiam adimes,
qui das animum moriendi. Valete.]

Sed & quòd eadem belli domeſtici oc- XIV.
caſione ipſa Regina ſenior Eleonora à Re-
ge diſceſſiſſet unà cum filiis, idem Archie-
piſcopus hanc ad ipſam, ut rediret ad vi-
B rum Regem ſeniorem monens, dedit
epiſtolam: (a) a Petr. Bleſ. ep. 154.

Reginæ Anglorum Rothomagenſis Ar-
chiepiſcopus, & Suffraganei ſui ſalutem,
& quæ ad pacem ſunt, quærere.

In publicam notitiam venit, nec alicui Ad Reginam Seniorem idem Archiepiſ.
Chriſtiano licitum eſt ignorare, quòd fir-
ma & indiſſolubilis ſit copula conjugalis.
Matrimonia ſemel inita ſeparari non poſ-
ſe, ſanxit Veritas, quæ mentiri non po-
teſt. (b) Quos Deus, inquit, conjunxit, b Matt. 19.
homo non ſeparet. Sicut autem divini
mandati ſe tranſgreſſorem conſtituit, qui
ſeparat conjugatos; ita culpabilis conju-
D gata eſt, quæ ſe à viro ſuo ſeparat, fidem-
que ſocialis vinculi non obſervat. Cùm
una caro conjuges efficiantur: neceſſe eſt,
ut unionem corporum comitetur ſpiri-
tuum unitas, & paritas in conſenſu natu-
ræ conditionem. Apoſtoli mandatum &
Evangelii legem mulier illa evacuat, quæ
viro non eſt ſubdita. Caput enim mulieris
vir eſt, de viro ſumpta eſt, viro eſt unita,
viri ſubdita poteſtati. Omnes itaque com-
muni, & lamentabili querimonia deplora-
mus, quòd cùm ſis mulier prudentiſſima,
divertis à viro, recedit latus à latere, mem-
brum capiti non deſervit; immò, quod
E enormius eſt, viſcera domini Regis, & tua
pateris inſurgere contra patrem, ut meritò
cum Propheta dicat: (c) Filios enutrivi,
& exaltavi: ipſi autem ſpreverunt me. Uti- c Iſai. 1.
nam, ſicut alius Propheta commemorat,
præveniſſet hora noviſſima dies noſtros, &
operuiſſet terra faciem noſtram, ne videre-
mus hæc mala. Scimus quia niſi revertaris
ad virum tuum, eris generalis ruinæ oc-
caſio; & quod ſingulariter nunc delinquis,
in commune diſpendium convertetur. Re-
vertere itaque, Regina illuſtris, ad virum
tuum & dominum noſtrũ, ut in tua recon-
ciliatione reformetur laborantibus quies,
E & in tuo reditu lætitia redeat univerſis.

Si te ad hoc non permovent preces no- XV.
ſtræ: te ſaltem afflictio populorum, immi-
nens preſſura Eccleſiæ, & deſolatio regni
ſollicitet. Aut enim mentitur Veritas,
aut omne regnum in ſe diviſum deſolabi-
tur. Sanè hæc deſolatio in dominum Re-
gem converti non poteſt, ſed in filios ejus
& ſucceſſores ipſorum. Contra manum fœ-
mineam, & conſilium puerile provocatia
offenſam domini Regis, cui etiam fortiſ-
ſimi Reges colla ſubiiciunt. Ea pro-
pter, antequàm res in deteriorem exitum

vergat, redeas cum filiis ad maritum, cui parere & cohabitare teneris. Te converte, nec tibi aut tuis filiis ſit ſuſpectus. Certiſſimi enim ſumus, quòd omnimodam exhibebit vobis dilectionem, & ſecuritatis pleniſſimam firmitatem. Mone quæſo filios tuos, ut patri ſuo ſubditi, & devoti exiſtant, pro quibus tot paſſus eſt anguſtias, tot diſcrimina, tot labores. Unde, ne inconſulta facilitas dilapides ac diſperdat, quod tantis eſt ſudoribus acquiſitum; hæc tibi, piiſſima Regina, & zelo Dei dicimus, & ſinceræ charitatis affectu. Parochiana enim noſtra es, ſicut & vir tuus (*quòd Duces eſſent Northmanniæ, & Comites Aquitaniæ*) Non poſſumus deeſſe juſtitiæ. Vel redibis ad virum tuum, vel jure canonico conſtringemur, & tenebimur in te cenſuram Eccleſiaſticam exercere. Quod quidem inviti dicimus; & quod niſi reſipueris: cum dolore & lacrymis faciemus. Vale.]

Hæc Rothomagenſis ſapientiſſimus Archiepiſcopus, de quo iſta Petrus Bleſenſis: (*a*) Et ne longe exempla petere vos oporteat honeſtatis, vobis Epiſcopalis officii formam veſtri avunculi Rothomagenſis Archiepiſcopi doctrina præſcribit, cujus veſtigia ſi velitis fideliter imitari, critis ad mores compoſitus, liberalis, affabilis, manſuetus, in conſiliis providus, in agendo ſtrenuus, in jubendo diſcretus, in loquendo modeſtus, timidus in proſperitate, in adverſitate ſecurus, mitis inter diſcolos, cum his qui oderunt pacem, pacificus, effuſus in eleemoſynis, in zelo temperans, in miſericordia fervens, in rei familiaris diſpenſatione nec anxius, nec ſupinus, circumſpectus ad omnia, illorum quatuor animalium imitator, quæ ante, & retrò, & in circuitu habere oculos providentiæ deſcribuntur.] Hæc Petrus. Quod ad conflatum domeſticum bellum ſpectat.

a Petr. Bleſ. in can. Epiſ. pag. 533.

XVI. Laboravit pro pace & gener Regis Vuillelmus Siciliæ Rex, qui & ipſe has litteras dedit ad Henricum ſeniorem: (*b*)

b Roger. in Annal. Angl. hoc anno.

Epiſt. Regis Siciliæ ad Regem Angliæ.

Henrico Dei gratia illuſtri Anglorum Regi, & Duci Northmanniæ & Aquitaniæ, & Comiti Andegaviæ, Vuillelmus Dei gratia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ ſalutis felicitatem, & de hoſtibus deſideratum victoriæ triumphum.

In receptione litterarum veſtrarum cognovimus, quod quidem ſine admiratione maxima proferre non valemus; videlicèt, quòd ordine humanitatis oblito, & naturæ lege ſoluta; inſurrexit filius in parentem, in genitorem genitus, commota ſunt viſcera ad bellum inteſtinum, irruerunt ad arma præcordia, & quod novum prodigium eſt, & noſtris temporibus inauditum, caro deſævit in ſanguinem, & ſeipſam quærit ſanguis effundere. Et quoniam ad tanti furoris impetum compeſcendum potentiæ noſtræ auxilium loci incommoditas non admittit; eo quo poſſumus charitatis affectu, quem locorum ſpatia non concludunt,

A perſonam & honorem veſtrum devotiùs amplectentes, dolori veſtro compatimur, perſecutionem veſtram moleſtè ducimus, & quaſi propriam reputamus. Confidimus autem & ſperamus in Domino, cujus judicio Regum judicia terminantur, quòd diutiùs non permittet filios veſtros tentari ſupra id, quod poſſunt, vel debent. Et qui factus eſt obediens Patri uſque ad mortem, ipſe in iis filialis lumen obedientiæ inſpirabit, per quod memorabuntur, quòd caro & ſanguis veſter ſunt, & relictis hoſtilitatis erroribus agnoſcent ſe filios, redibunt ad patrem, naturæ ſolidabunt incommoda, &
B debitæ dilectionis fœdera priſtinus ordo continebit.] Hucuſque Siciliæ Rex ad Regem Anglorum. Pergit auctor narrare crudelia facta, immanes ſtrages, quæ per hoſtes ſunt perpetratæ adversùs Regis ſenioris ſubditos & ſectatores. Nec quievit furor iræ Dei, quo uſque anno ſequenti anguſtatus idem Rex infelix, memor immanis ſacrilegii adversùs ſanctiſſimum martyrem Thomam perpetrati ſua culpa, de eo veram dignamque exegit pœnitentiam. Qualiſnam iſta fuerit, inferiùs enarratam audies, quæ contigit anno ſequenti, quo conciliato per pœnitentiam Martyre;
C mox magna Dei per Martyrem ſuum oſtenſa virtute, horrida illa tempeſtas omninò ceſſavit. Cùm & ipſe Henricus pater Eccleſiæ Cantuarienſis elegit Archiepiſcopum Richardum, & alios aliis paſtore orbatis (quæ plures erant) elegit Antiſtites, quos Romam conſecrandos abire præcepit. Quæ autem hæc ſecuta ſint, ſequenti anno dicetur. Ita Rex compellitur ex ingruentibus afflictionibus benè conſulere animæ ſuæ, & expiatione delictorum conſequi à Deo miſericordiam.

Quòd autem omnes vires filii rebellis collocatæ eſſent in confœderatione Fran- XVII.
D corum Regis, idem Henricus ſenior Legatos ad eum miſit pro reconciliatione. Functi ſunt ea legatione Rotrodus Archiepiſcopus Rothomagenſis, & Arnulphus Lexovienſis, quorum extat relatio de rebus ab ipſis cum Francorum Rege tranſactis. Incipit: (*c*) Tantò tempeſtivius ac diligentiùs injunctam nobis legationem &c.] Poſt narrata, quæ cum Rege Francorum interceſſerunt, hæc demùm in fine: Tandem *idem Rex Franciæ* etiam juramento firmavit, ſe nunquam de cætero vobiſcum fœdus aut concordiam habiturum, niſi de veſtræ uxoris, & filiorum veſtrorum aſſen-
E ſu. Nunc igitur in cuſtodiendis munitionibus veſtris, & potiſſimè in corporis veſtri tutela conſilio eſt utendum. Communi enim voto in exitium veſtrum tota Francia conſpiravit. Nec ſatis eſt ei exterminare terræ faciem igne, & gladio: ſed in veſtram perſonam (quod abſit) ſcelus execrabile machinatur. Conſulimus ſanè, ſi qua abſtuliſti, ſi læſiſti aliquem, ablata reſtituere, & odia reformare in gratiam. Hoc enim inimicos veſtros potiſſimè invitat ad pugnam, quòd inteſtinos hoſtes ſentiunt vos habere: & qui vobiſcum dulces capiunt cibos, data

c Petr. Bleſ. ep. 153.

Relatio Legatorũ Epiſcoporum.

oppor-

Digitized by Google

A opportunitate magnificabunt ſuper vos ſupplantationem. Maledictus qui confidit in homine, & ponit carnem fortitudinem brachii ſui Quid eſt amabilius filiis? quid uxore familiarius? Receſſit tamen uxor à latere veſtro, & filii inſurgunt in patrem. Ideò non fruſtratoriè loquebatur hic ille hominum prudentiſſimus, qui dicebat: Amico ne credas. Ab ea quæ dormit in ſinu tuo, cuſtodi clauſtra oris tui. Filius enim contumeliam facit patri: & inimici hominis domeſtici ejus. Sanè ſuffragia illius imploranda cenſemus, in cujus manu ſunt corda Regum. In ejus nomine parvitati

a 1. Reg. 16. David (a) Goliæ ſubjacuit magnitudo.
B In ejus nomine Samaria adeò ſame confecta

b 4. Reg. 6. * octoginta — obſidente (b) Benadad, quòd * triginta argenteis caput aſini vendebatur, ſub ictu oculi liberata eſt, exuberantique victualium affluentia redundavit. In eo ſiquidem ſperans non infirmabient: Si exurgat adversùs vos prœlium, in hoc ſperate. Si exurgant adversùs vos caſtra, non timebit cor veſtrum: ipſe enim docebit manus veſtras ad prœlium. Accipite vobis in auxilium preces Eccleſiæ: quam ſi in aliquo offendiſtis, debita ſatisfactione impenſa; ei de cœtero omnem reverentiam exhibete. Sponſa enim Chriſti eſt: & injurias
C Sponſæ Chriſtus reputat ſuas. Nec eſt quod magis hoſtes veſtros incitat ad conflictum, quàm quòd arbitrantur vos Eccleſiæ Dei minus extitiſſe devotum. Benè valeat chariſſimus dominus noſter, & de his qui ſe contra eum in ſuperbia, & abuſione erigunt, reportet in virtute Altiſſimi gloriam & triumphum.] Hæc Legati.

XVIII. Henricus autem ſenior ubì iſta accepit, deſperatione melioris ſtatus rerum adactus, cuncta quæ ſciebat diſplicere filio in promotione Epiſcoporum, eadem implere curavit.

D Electio Epiſcoporum in ſedes vacantes in Angl. — De his enim iſta Rogerius præſens his omnibus: Eodem anno Henricus Rex Angliæ pater contra prohibitionem Henrici Regis filii, & poſt appellationem factam ad dominum Papam, dedit Richardo Priori de Dovvere Archiepiſcopatum Cantuarienſem, & Reginaldo filio Jocelini Sareſberienſis Epiſcopi Epiſcopatum Bathonienſem, & Richardo de Ivecestre Pictavienſi Archidiacono Epiſcopatum Vvintonienſem, & Roberto Foliot Epiſcopatum Hereſordenſem, & Gauſredo Ridel Cantuarienſi Archidiacono Epiſcopatum
E Elienſem, & Joanni de Greneſord Epiſcopatum Ciceſtrenſem.] Hæc Rogerius hoc anno. Quòd autem Reginaldus infamatus eſſet perſecutionis in ſanctum Thomam, ob idque indignus qui confirmaretur Epiſcopus: Petrus Bleſenſis ejus Eccleſiæ Bathonienſis Archidiaconus hanc in ejus, ſive etiam aliorum defenſionem ſcripſit epiſtolam ad quemdam amicum ſuum, quæ ſic ſe habet:

XIX. c Petr. Bleſ. ep. 45. — Arguitis (c) & damnatis Reginaldum Bathonienſem, tamquàm beati Thomæ martyris perſecutor fuerit & occiſor. Scitis

A equidem, quàm periculoſum ſit homini innocenti notam tanti criminis inurere, & adversùs innoxium deteſtabilem ſuſcitare infamiam: quam cùm abolere volueritis, ipſius excurſum non poteritis cohibere. Scio quia Martyrem dilexit ex corde, & inter deſiderabilia hujus mundi fuit in votis ejus quandoque præcipuum, familiaritati & obſequio Martyris adhærere. Beatus ſiquidem Martyr ſuſpenderat patrem ejus Epiſcopum Sareſberienſem, nec mirum eo tempore videbatur, ſi filius afflicto patri compatiens, quandoque durius, aut minus conſultè de ſancto Martyre loque-
B batur. Nam & nos inſenſati vitam ipſius putabamus inſaniam, & finem illius ſine honore: ſed computatus eſt inter filios Dei, & ſors illius inter electos. Quidquid faciebat charitatis obtentu, & zelo juſtitiæ, in eximen odii, & invidiæ vertebatur. Sed è contrà quidquid machinabatur ad ejus infamiam humana malitia, eidem convertebat Dominus ad coronam. De ipſo capite noſtro JESU CHRISTO dicit Iſaias. (d) Nos putavimus eum leproſum, & percuſſum à Deo; & humiliatum. Et nos quidem pretioſiſſimum Chriſti membrum leproſum reputavimus, & abjectum. Hæc eſt lepra, quæ in Sanctos Do-
C mini ſe diffundit. De hac lepra (e) in Levitico memini me legiſſe: Si effloruerit lepra diſcurrens in cute, ſacerdos lepram mundiſſimam judicabit. Cùm omnis lepra immunda ſit, lepra infamiæ, quæ Sanctorum afficit innocentiam, munda eſt. Nam cùm exteriùs excurrat ſiniſtra opinio, cùm exteriùs mentiatur iniquitas ſibi, Sanctorum animæ in manu Dei ſunt juſtique verba exterioris contumeliæ contemnentes, de theſauro conſcientiæ ſunt ſecuri. Nota in Chriſto hujus lepræ veſtigia, quæ à capite in membra, à patre in filios derivatur.
D (f) Curabat Dominus languentes; & violator ſabbathi dicebatur. Non eſt, dicebant, hic homo à Deo, qui ſabbathum non cuſtodit. Eiiciebat (g) dæmones, & hoc maleficiis adſcribebant: In Beelzebub principe dæmoniorum, inquiunt, eiicit dæmonia. Nunc (h) Samaritanum; nunc filium (i) fabri eum vocabant. Ideò deſcribit eum Zacharias (k) ſordidis veſtibus indutum; quod ei, & imitatoribus ejus convenit, ut in veſte ſordida ſit decor mentis, ut in cute leproſa ſit munditia cordis, & inter contumelias detractorum pura & munda conſcientia ſit in Sanctis. Pro-
E pterea Sponſa in Canticis dicit: (l) Nigra ſum, ſed formoſa. Si ergò Bathonienſis electus, ſicut & nos omnes, vitam Martyris quandoque habuit in deriſum, ſi patri ſuo beneficium relaxationis obtinere curavit; non eſt, quòd ei debeat imputari ad crimen. Sed & ſi adversùs eum deliquit in aliquo, eum excuſabilem ignorantia facit. Eccleſiam Dei perſecutus ſum, dicit (m) Apoſtolus, ſed miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci. Credo, quòd ſi ſanguis (n) Abel clamat de terra ultionem; ſanguis mitiſſimi Martyris clamat

Petri Bleſ. pro Reginaldo Apologia.

d Iſai. 53.
e Levit. 13.
f Joan. 5. & 9.
g Luc. 11.
h Joan. 8.
i Matt. 13.
k Zachar. 3.
l Cant. 1.
m 1. Tim. 1.
n Geneſ. 4.

mat remiſſionem peccatorum, in his maximè, qui pœnitentiam agunt humilem & devotam. Scio autem, quantum exterioribus ſignis perpendere poteſt humana fragilitas, quòd ſi præfatus Electus aliquid attentavit in contumeliam Martyris: illud expiavit aſperitate cilicii, largioribus eleemoſynis, lacrymis profuſioribus, & auſterioribus diſciplinis. Res eſt plena periculi, ſiniſtra de homine innoxio ſuſpicari. Ideò Apoſtolus ad Romanos ſcribens (a) ait: Infirmum autem in fide aſſumite, non in diſceptationibus cogitationum. Nulli aut pauci hodiè ſunt, qui conſcientias alienas inſpiciant, qui cum Eliſeo (b) dicant ad Giezi: Nonnè cor meum in præſenti erat, quando accepiſti argentum & veſtes à Naaman? Temerarium eſt, ſi tuum delictum diſſimulas, & judicas alienum. Verbum Satyrici eſt: Ut nemo in ſeſe tentat deſcendere, nemo, Sed præcedenti ſpectatur mantica tergo. Nolite ergò hominem criminosè arguere, nolite judicare ſervum Domini: ſuo enim Domino ſtat aut cadit. Ejus eſt judicium, qui ſcrutatur corda & renes, qui ſcrutatur Hieruſalem in lucernis, cui cogitatio hominis confitetur. Pro minimo mihi eſt, dicit Apoſtolus, (c) ut ab homine judicer, aut ab humano die. Cui concordat, quod per Iſaiam (d) dicit Dominus: Nolite, inquit, timere opprobrium hominum, & blaſphemias eorum ne timeatis. Ei ſoli relinquatur judicium, cui omne judicium dedit Pater. Ipſe licèt nunc multa ſuſtineat patienter, judicaturus eſt tamen tempore ſuo. Cùm accepero, inquit, tempus, ego juſtitias judicabo. Tunc boni diſcernentur à malis. Deus enim deorum Dominus loquetur, & vocabit terram: habenſque ventilabrum in manu ſua veniet, ut diſcernat populum ſuum. Interim cum Hieroſolymitis habitat Jebuſæus, interim in horto patrisfamilias ſimul ſunt ſaliunca & abies, urtica & myrtus. In grege Jacob animalia alba & nigra, agni & hœdi. In reti Petri piſces boni & mali. In arca Noe animalia munda & immunda. In agro Domini lilia inter ſpinas, & zizania inter ſpicas. In area Domini granum cum palea, in cella Christi vinum cum acinis, oleum cum amurca. Non eſt noſtrum aliquem judicare: novit enim Dominus, qui ſunt ejus. Conſulo igitur frater, & exhortor in Chriſto, ut ceſſemus à verbis etiam ad rem non pertinentibus: cùmque futuri ſint primi noviſſimi, & noviſſimi primi, credo, quòd vos præcedet ad vitam, quem noviſſimum reputatis.] Hæc ipſe, hicque finis anni hujus.

a Rom. 14. b 4. Reg. 5. c 1. Cor. 4. d Iſai. 51.

JESU CHRISTI ANNUS 1174. | ALEXANDRI PAP. III. ANNUS 15. | FRIDERICI IMP. 20. MANUELIS IMP. 32.

I. Friderici quinta expeditio in Italiam.

ANnus ſequitur milleſimus centeſimus ſeptuageſimusquartus, Indictione ſeptima, quo circa nativitatem beatæ Mariæ (inquit Dodechinus) Fridericus Imperator cum maxima multitudine Longobardiam intravit.] Sed paulò tardiùs, eodem tamen menſe, eum ingreſſum in Italiam, ſic habent Acta Alexandri Papæ: Eodem tempore, anno quintodecimo Pontificatus Alexandri Papæ Fridericus Imperator dictus, ad ſuggeſtionem Papienſium & Marchionis de Monteferrato, quinta vice in Lombardiam hoſtiliter remeavit. Tranſivit per montem Siniſium, & in multitudine grandi deſcendens in planitiem, caſtrametatus eſt juxta Secuſam. Altera autem die, conceptum furorem occultare non valens, in primo deteſtabilium operum ſuorum civitatem ipſam combuſſit; & exinde acies ſuas verſus Aſtenſem civitatem ad exercenda reliqua mala direxit. Habebat enim circa ſe multitudinem copioſam barbaricæ gentis, homines aſſuetos bellicis actibus, viros nequiſſimos, rapaces & deſperatos, quos de Flandria & aliis circumpoſitis locis elegerat. Et quia neminem amantem amat nemo, Lombardi in uno ſpiritu & in una voluntate conjuncti, quoniam ipſius reditum à longe præviderant, civitates ſuas, & arces benè munierant, & ad reſiſtendum ipſi in faciem, tamquàm viri bellicoſi & potentes, intrepidi exiſtebant. Miſerunt itaque ad ſubventionem Aſtenſium, qui ſecum jam diu confœderati fuerant, viros induſtrioſos, in conſilio valdè providos, & in armis probatos, quatenùs eoſdem Aſtenſes contra impetum ſupervenientis hoſtis animoſiores redderent, & cùm Rex veniret, pro ſua libertate manutenenda, eorum exhortatione fortiùs dimicarent. Illi verò in deterius providentes in poſterum, imprudenter deſciverunt à confœderatione ſocietatis Longobardorum, & proſternentes ſe in conſpectu Friderici, tradiderunt civitatem in manu & poteſtate ipſius. Qua in ſuam poteſtatem redacta, Fridericus ſeſe ſuperextollens, ad deſtructionem Alexandriæ, quam noviter Lombardi conſtruxerant ad honorem beati Petri, cum Marchione Montisferrati & Papienſibus conatus eſt feſtinare.

II. Fridericus cum damno perſtat in obſidione Alexandriæ.

Sed quia in cunctis actibus ſuis Deo, & Eccleſiæ adverſabatur, iniquæ diſpoſitioni ejus mirabiliter Deus omnipotens obſtitit, & ejus propoſitum diſturbavit. Tantam namque pluviarum inundationem repentè de cœlo miſit, ut omnia flumina inundarent, adeò ut in paludes cuncta campeſtris verterentur. Videns autem Alexandriæ populus ſibi de cœlo miſſum auxilium, qui jam metu terribilis Principis fugam paraverat: reſumpſit vires & animos, atque ad reſiſtendum numeroſæ adverſariorum multitudini, de Apoſtolorum Petri & Pauli ſuffragiis confidens, poſtpoſita

trepi-

Digitized by Google

trepidatione, ſeſe viriliter præparavit. Sed quamvis aſperitas hiemis, & inundans pluviarum & nivium difficultas eumdem Fridericum ad obſidionem Alexandriæ dehortaretur accedere: nihilominùs tamen in fortitudine ſua fidens acceſſit, & caſtra juxta civitatem ipſam in loco aquoſo utrimque firmavit. Diligenterque circumſpiciens, quòd eadem civitas præter foſſata, & vicinitatem fluminis nullo murorum vel virium gauderet præſidio, deſpexit eam, ſperans inaniter, quòd in primo congreſſu poſſet ipſam capere & delere. Collectis igitur cunctis viribus ſui exercitus, in eoſdem Alexandrinos graviſſimum fecit aſſultum, applicavit aggeres & diverſi generis machinas, & diu cum eis atrociter dimicavit. Sed auxiliante Domino, prævaluit populus Alexandrinus, & machinis hoſtium per violentiam captis, totam illam barbariem non ſine occiſione uſque ad tentoria fugere compulit. Unde Fridericus, qui ſibi viſus eſt ita fugari, in iracundiam majorem exarſit; & ideò contra conſilium & voluntatem Principum ſuorum, in obſidione ipſa, quouſque victoriam obtineret, morari diſpoſuit. Et quamvis hiemis aſperitas immineret, & exercitus pateretur omnium rerum neceſſariarum indigentiam, & equorum multitudo cœpit deficere, ſed & militum apparatus magno pretio diſtrahi; non tamen pro his atque aliis difficultatibus ab Alexandrinorum impugnatione iracundia Imperatoris ceſſavit, licèt ab eis ſemper triſtiorem vicem reciperet.] Quæ autem hæc ſequuta ſunt poſt hiemem, ſequenti anno, temporis ratione ſervata, dicemus. Ita planè,

Jerem. 5. qui tumentes (a) fluctus maris non altis montibus, ſed vili arena coercet; idem ipſe tumidos Friderici impetus, palea objecta (ſic enim illi contemptus ergò ipſam vocabant Alexandriæ civitatem) repreſſit, ejuſque ingentes belli motus civitatulæ unius proximè natæ, nulla murorum ſublimitate munitæ, ſed terræ tantùm aggere obice continuit, fregit, & diſſipavit. His igitur adeò amplis ignominiæ notis Fridericus Imperator ſui Imperii Vicennalia conſignavit.

III. Electi Angl. Epiſcopi Romã pro confirmatione veniunt.

Eodem anno, Electus Cantuarienſis cum aliis electis Angliæ Epiſcopis Romam ad Alexandrum Papam pro confirmatione venit, adversùs quos miſſus à Rege filio Legatus iiſdem adverſaturus: ſed Alexander electum à Patre Rege confirmavit. Quomodò autem iſta ſe habuerint, ita deſcribitur ab ejus temporis auctore Rogerio, res ſpectante, his verbis: Interim Richardus Cantuarienſis Electus, & Reginaldus Bathonienſis Electus Romam profecti ſunt, pro electione ſua, & aliorum Electorum Angliæ electione confirmanda. Contra quos Henricus Rex filius miſit Romam magiſtrum Berterum Aurelianenſem. Cùmque præfatæ partes adverſæ in præſentia Alexandri Papæ & Cardinalium conſiſterent, & dominus Papa plurimùm increparet abſentiam cæterorum Electorum Angliæ, & dominus Cantuarienſis Electus eorum abſentiam ſufficienter excuſaret: dominus Papa interrogabat attentiùs, quare non venit ille Electus Elienſis. Cui Berterus Aurelianenſis ſic reſpondit: Domine, Evangelicam habet excuſationem. Cui Papa: Quam frater, excuſationem? & ille: Uxorem duxit: & ideò non poteſt venire. Et quamvis multa altercatio & verborum tergiverſatio hinc inde coram domino Papa, & Cardinalibus diducta fuiſſet: tamen dominus Papa Cantuarienſem Electum conſecravit. Unde Reginaldus Bathonienſis Electus in hac forma ſcripſit domino ſuo Regi Angliæ:

Henrico illuſtri Angliæ Regi, & Duci Northmanniæ & Aquitaniæ, Comiti Andegaviæ, chariſſimo domino ſuo Reginaldus Dei gratia Bathonienſis Electus ſalutem in eo qui dat ſalutem Regibus.

IV. Reginaldi Bathon. electi Epiſtola ad Regem Angliæ.

Noverit veſtræ prudentia majeſtatis, nos in Curia domini Papæ duros de regno Francorum, & de terra veſtra duriores adverſarios inveniſſe: ideòque nos ibi multa pati, & moram oportuit facere tædioſam. Tandemque ad inſtantiam noſtram, divina cooperante gratia, domini Papæ duritia adeò eſt emollita, quòd domini Cantuarienſis Electi electionem ſolemniter in præſentia omnium confirmavit; eumque etiam confirmatum, Dominica ſequenti conſecravit, conſecrato pallium tertia die dedit, & modici temporis ſpacio excurrente, Primatum addidit. Nos præterea deſiderantes ipſum habere plenariam poteſtatem, vindictam Eccleſiaſticam exercendi in homines regni veſtri, qui contra innocentiam veſtram nequiter & proditione ſua malitiæ calcaneum extulerunt; multa ſollicitudine obtinuimus, quòd dominus Papa eidem provinciæ ſuæ legationem indulſit. Meum itaque & aliorum Electorum negotium adhùc in pendenti eſt, nec de nobis dominus aliquid ſtatuere & definire decrevit, donec vobiſcum filius veſter ad concordiam reformetur. Speramus tamen in Domino, quòd mei & Electorum meorum promotio domini Cantuarienſis Archiepiſcopi providentiæ committetur.] Hucuſque Reginaldus electus. Subjicit autem his, quod hoc eodem contigit anno, pœnitentiam ejuſdem Henrici patris Regis, perſolutam ſumma religione ad ſepulchrum ſancti Thomæ martyris Cantuarienſis Archiepiſcopi.

De perfecta pœnitentia Regia.

Hoc planè unum deſiderari poterat ad pleniſſimam Regis ſatisfactionem, ut quem offendiſſet toties verbis atque factis, & cauſam præbuiſſet necis ejus, purgaret idipſum publica pœnitentia ad ſepulchrum Martyris. Quod explevit abundè. Mirum dictu, quòd Regem iſta adeò neceſſaria præſtare negligentem, ſicque morantem, neceſſitas coegit quàm pleniſſimè exhibere. Quomodò autem iſta ſe habuerint, ad Martyris glorioſiorem & auguſtiorem triumphum deſcribere ex Herberto, qui aderat, non gravabimur; qui hæc

habet

habet in tertio libro Quadripartitæ: Verùm modico exacto tempore, nempè trienio elapſo, *nimirùm anno centeſimo ſeptuageſimoquarto poſt milleſimum, ut teſtatur Rogerius in Annalibus Anglicanis*, inter Regem patrem & Regem filium profana ſeditio, & bellum nimis inteſtinum exortum eſt, adeò ut adversùs Regem patrem, & ſui ferè omnes, & etiam alieni (Francorum videlicèt Rex in potentatu ſuo magno) cum filio Rege fœdus jungentes inſurrexerint Reges terræ, & regna, & nationes, & populi tàm ſui, quàm alieni adversùs ſolum Regem patrem armarint. Igitur pater Rex quid faceret, quò ſe verteret, ad quos declinaret? Nuſquam tuta fides, immò nulla quia periit; & intus timores, foris pugnæ. Quod igitur ſolùm tunc ſupererat, humano deficiente, Rex ſolùm ad divinum auxilium & conſilium ſe convertit. Audiens quippè in dies & certiſſimè credens, mundo jam conteſtante, & cum admiratione conclamante virtutes, & ſigna & prodigia, quæ Cantuariæ fiebant per Martyrem; de mutua inter ipſum & Martyrem jam pridem gratia ſicut ſpero, non immemor, eò etiam fiducialior, quòd de exceſſu ſuo in Martyrem gauderet, & ſperaret ſe pœnitentiam egiſſe: à Northmannia exivit, & illam, ſicut alias dominationis ſuæ terras transmarinas in ſolius protegentis Dei & Martyris ſui manu relinquens, confeſtim ſola divinæ protectionis ſpe adversùs hoſtes ſuos armatus tranſivit maria, & omni occaſione & dilatione poſtpoſita, Cantuariam venit.

VI.
Viſitat Rex ſepulchrũ Martyris.

Verùm Rex antequàm civitatem intraret, ut ipſam vidit metropolitanam Eccleſiam in qua Martyr requieſcit: mox incredibiliter humiliatus & devotus, exinanivit ſe poteſtate tanta, pauperis ſervi formam induit, nudis pedibus, totoque nudato corpore, præterquàm vili quadam tunica ſuper nudo amictus, & pedes & nudus, ſic palàm in omnium conſpectu civitatem intravit, & per vicos & plateas civitatis luteas, tamquàm de plebeis viliſſimis unus, abjectè ſic inceſſit. Ecce David (a) alter, qui quemadmodùm dilecto ſuo filio ſuo Abſalone ob peccatum ipſum perſequente, nudis plantis civitatem exivit, ita iſte ſecundus David ingreditur. Et ita ſuſpiriis & gemitibus, tot gentibus & nationibus tremebundus, ipſe timens & tremens Martyris adiit ſepulturam, ubi tota illa adventus ſui die & nocte ſequente jejunus & pervigil ante Martyrem pernoctavit. Non fallor, nec enim dubito, ſicut gemebundas, & pias ante Martyrem, quem adeò dilexerat, & à quo tantum dilectus fuerat, orationes effundens, ejus (nec dubium) meritis, orationibus, & patrociniis in tàm arcto, toto cordis affectu ſe commendans; quod citò poſt rerum exitus comprobavit. Ibidem tàm coram Martyris ſepultura, quàm coram ipſo Martyre, ſancto illo & venerabili fratrum cœtu convocato, à ſingulis virgæ diſciplinalis percuſſiones ſingulas, velut quaſdam ſecundas quadragenas Apoſtolicas, (b) immò togias novas, & (ſicut arbitror) uſque tunc inauditas accepit.] Addit ad hæc Eduardus in vita ipſius: Veſte ſe nudans, caput in tumuli feneſtram magna humilitate ſubmiſit, ita ut omnes eo ſpectaculo ad lacrymas moverentur. Primoque ab Epiſcopis quinquies cæſus eſt, deinde à monachis ampliùs octoginta ternos accepit ictus.] Hæc ipſe. Pergit verò Herebertus: Conſuetudines etiam illas, quæ inter ipſum & Martyrem fuerant diſſenſionis materia, Rex tamquàm verè pœnitens pro tanti Martyris devotione & Martyris virtute abdicavit malas, & iniquas, bonas verò ſolùm ſervandas ſanxit in poſterum, quarum tamen abdicatæ nonnullæ & ab Eccleſia damnatæ per regnum obſervantur adhùc. Quod ſi Rege ſciente & approbante factum ſit, ipſe Rex viderit, Deus novit. Omnibus itaque in tanta humilitate & devotione conſummatis, Rex peregrinus in craſtino, poſt Miſſam ante Martyris ſepulchrum celebratam de Martyre, maculatis ſic pedibus, ut humiliter coram Martyre venerat, nec etiam refocillatus, in ſpe multa patrocinii per Martyrem in brevi futuri receſſit: nec fefellit eum ſpes.

a 2. Reg. 17.

b 2. Cor. 11.

Ope Martyris Rex vincit.

Enimverò (quod dictu mirum, & ad Martyris gloriam, & Regis pœnitentialem devotionem commendandam non eſt tacendum) ipſo die, ſicut novit mundus, & Rex ipſe fateri dignatus eſt, quo (ut diximus) audita ante Martyrem & de Martyre Miſſa, Martyre affectuoſiſſimè ſalutato, quaſi à Martyre benignè licentiatus receſſit; ipſo inquam die, qui dies Sabbathi tunc erat, eadem die & hora, qua Miſſæ interfuerat, Rex Scotorum captus eſt inter multos, & magnos Regis inimicos, ipſe tunc maximus, aut de maximis, à militibus quibuſdam paucis & mediæ manus hominibus, qui inter paucos Regi ſeniori favebant, interceptus eſt, & tamquàm gladio non extracto, nec militiæ illæſo; ſed ſicut ſine pugna & plaga captus quodam (ſicut dicebatur) caſu fortuito, ſed neſcio quo, ab exercitu ſuo grandi, quem collegerat, parùm deflexus, Altiſſimo quidem, in cujus poteſtate cuncta ſunt poſita, volente eum tradi ſic. Sed quis per ſingula narret, quæ Rex poſt tàm humilem, tàm devotam peregrinationem ſenſerit in dies? nec longa mora, & ciſmarini & tranſmarini ei rebelles in reſiduum, quod ipſi domino ſuo tetenderant, ceciderunt. Videntes autem alii tàm ſubitò cum Rege manum Domini tàm validam, ſiluerunt univerſi, & ita ſupra mundi aſſertionem & ſpem, ex inſperato & ſubitò ſiluit omnis terra in conſpectu ejus, & factum eſt in pace regnum ejus, Domino ſuper iram inimicorum ſuorum manum ſuam ſic extendente. Quem ſuper inimicos ſuos ſucceſſum talem, & pacem tantam & tàm perfectam, eò plus miraculoſam, quò tàm citam, omnium animis obfirmatis adversùm ſe, Rex totam adſcripſit Domino, & glorioſo martyri Thomæ, cui certiſſimè erat adſcribenda.] Hactenùs de his Herebertus.

Digitized by Google

tus. Agit & de eadem pœnitentia publica Regis Neubrigenſis, & ipſe ejuſdem temporis auctor, (a) itemque Rogerius in Annalibus hoc anno, ubi pluribus narrat, quot hoc anno ex ipſa pœnitentia idem Rex bona fuerit conſecutus, cùm omnea adverſarios, quos Deus converterit in amicos & obſequentes, filiumque Regem rebellem unà cum fratribus redire fecerit ad patris gremium pacificum & pœnitentem. Hæc omnia inexpectata, hoc eodem anno, Rex à Deo feliciter ac facilè fuit bono pœnitentiæ conſecutus.

a Neubr. lib. 2. c. 34.

VIII. Ecce, certamen Martyris audiſtis, & finem Domini (b) vidiſtis.] Qui vivens nec adminiculis Romani Pontificis, nec Regis Francorum, aliorúmque Principum ſuperare potuit perfidiam Regis Anglorum: de ipſo jam triumphavit occiſus, ſupesavit eum cùm putaretur extinctus. Iſtiuſmodi ſunt nova prœlia Domini, nt exurgant mortui vindices, & de perſecutoribus ſic erigant; ſtatuantque trophæa, qui jam oppreſſi & compreſſi, & ad nihilum penè redacti à perſequentibus hoſtibus videri poterant. Anne Deus ille, qui ſic mirificavit Sanctum ſuum, periit (quod nec id facti præſumit iniquitas) aut dormit nt ad vindictam non excitetur aliquando adversùs eos, qui hoc noſtro ſæculo in ejus ſacras reliquias, adeò ſacrilegum exercuere judicium, & quadruplo nequiorem renovarunt impietatem, debacchati furore ſatanico in eaſdem? Væ (c) impio in malum: Retributio enim manus ejus fiet ei.] Qui ad tempus dormire videri dormientibus poteſt, excitabitur Dominus tamquàm potens crapulatus à vino, (d) & percutiet inimicos ſuos in poſteriora: & opprobrium ſempiternum dabit illis.] Sed quando hæc erunt? ſcit ipſe. Illud tamen exploratiſſimum, quòd fieri deſinent iſta, cùm Deus deſiverit eſſe Deus. Meminit & Petrus Bleſenſis de iſtiuſmodi acceptis à ſancto Martyre beneficiis in viſitatione ſepulchri in epiſtola ad Panormitanum Archiepiſcopum, ubi & breve iſtud habet rerum geſtarum ſummarium, quo excuſatur à cædis crimine Rex, conjecta in pravos Epiſcopos culpa, quod & ſuperiùs eſt demonſtratum; ait enim: (e)

b Jacob. 5.
c Iſai. 3.
d Pſal. 77.
e Petr. Bleſ. ep. 66.

IX. Quod autem de morte beati Martyris quæritis, in verbo Domini, & in ordine diaconi vobis dico, me nullo modo habere in conſcientia, ipſum hujus rei culpabilem extitiſſe. Hujuſque fidem pleniſſimam facient dominus Theodinus Portuenſis Epiſcopus, & dominus Albertus Cancellarius, qui propter hoc in partibus noſtris legatione fungentes exploraverunt, & innocentiam viri cognoverunt; atque ſub umbra illius hoc à quibuſdam attentatum fuiſſe, totamque hanc iniquitatem à ſanctuario proceſſiſſe. Accepta ſiquidem ab eis canonica purgatione illius, illi de mandato ſum-

A mi Pontificis publicè ſententiaverunt, eum ab hoc crimine coram Deo & hominibus eſſe innoxium. Et in quoſdam magnates, quorum malitiam in hac parte manifeſtè convicerant, notam infamiæ retorſerunt. Illud quoque noveritis, dominum Regem glorioſum Martyrem in omnibus anguſtiis ſuis patronum habere præcipuum. Eadem ſiquidem die, qua primò tumulum Martyris viſitavit, Regem Scotiæ perſecutorem, & impugnatorem fortiſſimum captum vinculis carceralibus mancipavit. Continuatoque deinceps favore ſucceſſuum, ope Martyris de univerſis hoſtibus glorioſiſſi-
B mè triumphavit. Sciatis igitur certiſſimè, quòd charitatem illam, qua ſe olim Rex & Martyr mutuò dilexerunt, neque mors, neque gladius abolevit.] Hæc Petrus, & alia plura in laudem ejuſdem Regis, in qua argumento locupletiſſimè verſatus eſt, quippè qui, ut dictum eſt ſæpè ſuperiùs, ſcripſerit volumen de laudibus ejuſdem Regis, ut teſtatur in epiſtola ad (f) Sacellanos aulicos Regis. At hæc ſatis.

Henrici Regis Angl. prædicatæ Laudes.

f Idem ep. 14. in fine.

Hia igitur de Henrici Anglorum Regis vera pœnitentia enarratis, ad Alexandrum Pontificem rès reliquæ ab ipſo hoc anno geſtæ reducunt.

C Hoc namque anno in fine ipſius, nempè menſe Decembri, die triceſima ejuſdem, expoſcente Vuillelmo juniore Siciliæ Rege, qui planè regio apparatu Eccleſiam ſub titulo S. Mariæ ſupra S. Cyriacam, ſive Dominicam, monaſteriumque inſigne ipſi conjunctum erigebat juxta Panormum, in loco qui dicitur, Mons Regalis: Alexander Papa Ferentini cùm eſſet, privilegium exemptionis eidem contulit, aliaſque nonnullas prærogativas addidit, paucis concedi ſolitas. Extat adhùc ipſum diploma, ſubſcriptione munitum decem S R E Cardinalium, cujus ſummarium unà cum aliis
D ejuſdem monaſterii monimentis habes in libro, cujus eſt titulus, Hiſtoria Eccleſiæ Montis Regalis, conſcripta à Joanne Ludovico Lello, nuncupata verò ejuſdem Archiepiſcopo Ludovico Torrio, nuper aucto ob inſignia virtutum & doctrinæ merita, S.R.E. Cardinalatu à Paulo Papa V. Porrò ipſe. Alexander Papa, eodem expetente Rege, aliis adhùc idem monaſterium locupletavit privilegiis, nempè ut non niſi Romanæ Eccleſiæ ſubjectum eſſet: cui Rex ipſe obtulit, ut eidem pro annno cenſu perſolveret monetæ Siculæ tarenos centum. Iſta
E teſtatur Cencius Camerarius in libro cenſuum à ſe conſcripto. Quod cùm dicat factum anno decimoſeptimo ejuſdem Alexandri Papæ, certum eſt habuiſſe reſpectum ad ejuſdem Papæ diploma, datum Anagniæ anno ſequenti, menſe Februarii, die decimaquinta ejuſdem, quo ea de cenſu perſolvendo continentur. Quando autem eadem Eccleſia in Archiepiſcopatum fuerit exaltata, ſuo loco inferiùs dicturi ſumus.

I. Concilium Anglicanum.

ANNUS ſequitur Redemptoris milleſimus centeſimus ſeptuageſimusquintus, Indictione octava Faſtis adſcriptus, quo in Anglia (ut Eccleſiaſtica priùs quàm bellica pertractemus) Dominica die ante Aſcenſionem Domini Concilium Vveſtmonaſterienſe celebratur à Richardo Archiepiſcopo Cantuarienſi, ubi B Roma imbutus admonitione Pontificia in Angliam rediit. Statuti ſunt in eo ad diſciplinam Eccleſiaſticam reſtituendam canones decem & octo, quos ſingulos Rogerius in Annalibus recitat, eoſdemque omnes concinnos & accommodatos decretis Romanorum Pontificum. Et inter alios, qui numeratur decimuſquartus, prohibet ex decreto Alexandri tunc Romani pontificis, ne quis novam Præfationem ultra decem, quæ eſſent in uſu Romanæ Eccleſiæ, addere Miſſis aliquo pacto præſumeret. Hæc & alia ibidem conſcripta digna memoria. In eodem quoque C Concilio complures pertractatæ ſunt Eccleſiaſticæ controverſiæ diverſi generis, ſed illæ majoris momenti, quæ emerſerant inter duos ipſos primarios Angliæ Archiepiſcopos, nempè Cantuarienſem atque Eboracenſem, quæ quidem, quoniam maximi ponderis eſſe viderentur, delatæ ſunt per appellationem ad Apoſtolicam Sedem, quarum cauſa, Rege petente, ab Alexandro Romano Pontifice decreta eſt in Angliam legatio à latere, per S.R.E. diaconum Cardinalem ſancti Michaelis Hugeaum de Petro Leone implenda, de qua plura Rogerius in D Annalibus.

II. Alexandria civitas obſeſſa ab Imper. Frid.

Hoc eodem anno Fridericus Imperator ex totius Germaniæ, & qua polleret parte Italiæ apparatu collecto, tota hieme, vereque in obſidione Alexandriæ Longobardorum recèns erectæ civitatis abſque mœnibus ſubſiſtentis, non ſecus ac illam florentiſſimam olim Ægypti primariam civitatem Alexandriam expugnaturus, animo obſtinato perſiſtens, ſæpè rejectus, tandem exercitus conſumptis viribus, maximo damno atque dedecore terga vertere turpiſſimè cogitur. Quomodò autè iſta ſe habuerint, Acta Alexan- E dri Papæ tunc ſcripta ſic docent: Cùm autem neque terroribus, neque blanditiis, neque promiſſionibus cives ipſos ad deditionem inclinare ullatenùs poſſet, Fridericus Imperator ſubterraneos meatus occultè fieri fecit, per quos civitatem ipſam ex improviſo intrare ſperavit, atque invadere. Sed reſiſtente Domino, indè pernicioſam jacturam incurrere meruit, undè affuturam victoriam, & triumphum conſequi ſperavit. At quoniam eadem civitas jam per quatuor menſes diſtrictè obſeſſa fuerat, & in multis patiebatur indigentiam: Lombardorum vires & ſuffragium poſtulavit. Tunc Lombardiæ immenſa civitatum ſocietas in unum convenit, & communi omnium voluntate firmiter ſtatuit, ut cum abundantia victualium Alexandriam in manu valida B ſine mora feſtinare deberet. Mediante enim Quadrageſima omnium civitatum nobiles totius Liguriç, & Marchiç, & Æmiliç apud Placentiam convenerunt, & ritè diſpoſitis & ordinatis omnibus, quæ ad bellicos uſus videbantur ſpectare, cum navibus, & plauſtris victualibus oneratis, & armis exierunt de civitate ipſa. Procedentes autem in multa fortitudine militum peditum armatorum & arcariorum verſus Alexandriam, die Dominica in ramis Palmarum juxta Terdonenſes caſtra ſua, non longius à caſtris Friderici quàm decem milliariis, poſuerunt. Ubì verò Teu- C tonici, & Longobardi ſeſe alterutros aſpexerunt, timor & hebetudo mentis Fridericum invaſit, advertentem contra ſe ſtare armatorum terribilem multitudinem, caſtrorum aciem ordinatam. Exinde ad conſueta calliditatis argumenta ſe convertens, Alexandrinis in dolo placidè locutus eſt in hæc verba: In craſtino ſanctus dies Veneris imminet, quem omnis Chriſtianus devotiſſimè colit. Ideò pro reverentia Crucifixi treguam vobis & ſecuritatem uſque ad quartam feriam Paſchæ ex Imperiali benignitate concedo, & largior.

III. Subdola ars Frider. Imp.

D Recepta itaque ſecuritate, cùm ſinguli de populo nihil mali ſuſpicantes dormirent in domibus ſuis: eorum inſidiator circa primam vigiliam noctis viros armatos in civitatem per ſubterraneos meatus intrare præcepit. Ipſe autem cum toto exercitu ſtetit ad portas armatus, expectans, quouſque illi quos præmiſerat, civitatem intraſſent, & conclamantium voces audiret, quatenùs, dum bellum intrinſecùs ageretur, ipſe deforis per portas violenter irrumperet, & civitatem hoſtiliter occuparet. Sed à Domino factum eſt, quod mirabile in oculis noſtris E fuit, ut eadem civitas à tàm perverſa proditione in momento liberaretur, & inventa iniquitas in perverſorum caput juſtè retorqueretur. Nihil enim juſtius, quàm necis artifices ſuæ lege perire. Non poteſt mentiri Veritas, quæ ſic de reprobis loquitur: (a) Convertetur dolor ejus in caput ejus, & in verticem ipſius iniquitas ejus deſcendet. Et rursùm: (b) Qui proximo ſuo parat foveam, ipſemet incidet in eam. Cùm igitur vigiles, qui cuſtodiebant civitatem, armatorum cuneos ingreſſos civitatem viderent: exclamave-

a *Pſal. 7.*
b *Pſal. eod. & 56.*

Digitized by Google

maverunt magnis vocibus, ut citò populus ad arma conſurgeret, & ingreſſos hoſtes expelleret.

S. Petrus viſibilis apparens liberat Civitatem.

Tunc cives ſubitò convolarunt ad arma, & tamquàm leones irruerunt in hoſtes, quos cum beato Petro, quem ante ſe in equo albo coruſcantibus armis præire cernebant, proſtraverunt in terram, & in gladio compulerunt omnes, ut mortem evaderent, exire ſuper aggeres, ex quibus præcipitabantur inviti. Omnes prætereà, qui de ſubterraneis meatibus nondum exierant, ſuperiori terra cedente ſuffocati ſunt. Apertis tunc portis, exivit populus in fortitudine magna, & exercitum perfidi Friderici uſque ad diem Sabbathi percuſſit in B gladio, ita ut uſque ad ipſius caſtra mortuorum ſtrages uſquequaque jacerent. Inſuper ligneum caſtellum, quod in perniciem civitatis ex fortioribus atque electis militibus armaverant ſtudiosè tamdiu, viriliter expugnavit, atque unà cum militibus ibi poſitis violenter combuſſit.] Audiſti, Lector, Dei opera admiranda in liberando à longa obſidione ſuam civitatem, quæ ſuſpicio Petri fundata ſuper firmam

a Matt. 7.

petram, nulla (a) potuit adverſaria tempeſtate moveri, adeò ut, ſalvo divini myſterii ſacramento, de ea pariter dici poſſit: C

b Pſ. 86.
c Ibidem.

(b) Glorioſa dicta (c) ſunt de te civitas Dei:] In cujus defenſionem Petrus invigilet, pugnet, propellat, & expellat ipſum etiam Imperatorem in caſtra, & ejus conſumat exercitum. Si quis de his dubitat, doceat, quonam modo abſque præſentia numinis tanta iſta fieri potuerint. Sed reliqua proſequamur ex Actis iiſdem, quæ ſic pergunt:

V.
Imper. ſolvit obſidionem Aleſādriæ Civitatis.

Videns igitur Fridericus divinam Majeſtatem ſibi in omnibus infeſtiorem adverſari: timuit, ne propter ſubventionem Lombardorum exercitus incurreret violentiam, & cum rubore cogeretur ab obſidione recedere. Quocircà in proxima nocte caſtra fecit comburi, & in Dominicæ D Reſurrectionis aurora cum omnibus ſuis verſus Papiam iter ſuum direxit. Sed quia vitare non poterat, quin juxta expeditionem Lombardorum tranſitum faceret, & juxta Aſtenſem civitatem prope Longobardos, in villa, quæ vocatur Guignella, voluit caſtrametari, quia non verebatur ab illis offendi, niſi ab eo fuiſſent hoſtiliter provocati. Lombardi verò nondum cognoverant ea, quæ omnipotens Deus heſterna die cum Alexandrinis mirabiliter fecerat: ſed ubi viderunt Fridericum erectis vexillis contra ſe venientem, arma E ſumpſerunt, & coram eo parati ad pugnam, viriliter ſteterunt in armis, expectantes, quid potiùs faciendum eligeret, an inciperet bellum cum ipſis; quod minimè credebatur, quia valdè pauciores, quàm ipſi, viros bellatores habebat, aut quietè caſtrametaretur, & neminem læderet. Ipſe verò eadem die, quam fecit Dominus, reſedit pacificè in dicta villa. Illuceſcente autem ſecunda die, quidam nobiles, qui nulli partium habebantur ſuſpecti, priùs ad Fri-

A dericum, & conſequenter ad Longobardos acceſſerunt in hæc verba.

V
De cōſultatio interpoūitur.

Quæ major inſania, vel quod excellentius malum excogitari poteſt aut optari, quàm quòd dominus ſervum, vel ſervus dominum ſuo jure privare conetur, & per violentiam poſſidere. Sit ergò unaquæque pars ſuo jure contenta, & tàm gravibus malis jam ceſſantibus, ut pax optata inter nos cooperante Domino reformetur: nihil melius, aut utilius excogitari poteſt. Tunc Imperator ſuſpirans, poſt multa quæ hinc indè allegata fuerant, ſic reſpondit: Ego ſalvo Imperii jure, paratus ſum ſuper hac B controverſia ſtare arbitrio bonorum virorum utriuſque partis. Conſequenter & communitas Lombardorum dixit: Salva Eccleſiæ Romanæ auctoritate & libertate, pro qua decertamus, nos ad idem veniemus. Et ſtatim electi ſunt à Friderico Imperatore Philippus Colonienſis Electus, G. de Pelaſta Taurinus Capitaneus, R. de ſancto Nazaro Papienſis. A Lombardis verò electi, G. Piſcis de Mediolano, G. de Gambara Brixienſis, & G. de Verona. In quos utraque pars hilariter compromiſit.] Sic Acta.

At nihil inter partes potuiſſe tranſigi, C cùm Fridericus peteret demolitionem civitatis Alexandriæ, tradit Robertus de Monte. Ipſum verò Imperatorem aſſerit Papiæ remanſiſſe, in annum ſequentem parantem copias ex Germanis. Sic interim ſub ſpe pacis Lombardos fraudulenter detinuit, ne proſilirent ad arma: nam audi Acta Pontificis.

VII.
Ab Alex. Pap. decernuntur Legati ad Imper.

Fridericus verò, cùm apud Papiam moraretur diutiùs, & in actionibus ſuis eventus ſemper ſiniſtros haberet, ut religioſos viros & populum ſibi faceret favorabilem, pacem cum Romana Eccleſia, quam præ cœteris rebus ſe affectare publicè aſſerebat, D per ſeipſum requirere ſtuduit. Miſit ergò per litteras, & familiares ſuos ad Portuenſem, & Oſtienſem Epiſcopos; & Cardinalem ſancti Petri ad Vincula, ut pro reformanda pace inter Eccleſiam & Imperium ad eum ſecurè accederent, quatenùs viva voce inter alterutrum opus ipſum tractare, & ad optatum finem perducere cum honore Eccleſiæ, Domino cooperante, poſſent. Quod verbum poſtquàm ad aures Apoſtolicæ Sedis pervenit; non immeritò ſuſpectum omnibus fuit, tùm quia præteritorum exhibitio futurorum certitudinem demonſtrabat; tùm quia idem Fridericus non videbatur ad ulla bona opera inclinari. E Verumtamen quod ſecundùm beati Auguſtini dictum, Dubia ſunt in meliorem partem interpretanda, & pax non ſolùm inquirenda, ſed perſequenda eſſe deſcribitur; dominus Alexander Papa de communi fratrum ſuorum conſilio prædictas perſonas plenè inſtructas ad præſentiam ipſius Imperatoris honorificè deſtinavit. Eis igitur ſegregatim per diverſas regiones proficiſcentibus, univerſa plebs in jucunda inſpectione lætabatur in Domino; & conventionem eorum puerorum copioſa mul-

ſa multitudo petebat Deum laudantium. Epiſcopus namque Portuenſis, & Cardinalis S. Petri ad Vincula per Spoletum, Imolam, atque Bononiam honorificè transeuntes, apud Placentiam proceſſerunt, ubi adventum Oſtienſis Epiſcopi, qui per Piſam & Lucam civitates cum gloria, & honore tranſivit, per dies aliquot expectarunt. Interim verò cum rectoribus civitatum Lombardiæ ſuper his, quæ impoſita ſibi fuerant, habuerant colloquium. Poſteà perrexerunt ad Laudenſem civitatem. Completo autem ipſorum colloquio, audierunt, Placentiam ipſum Oſtienſem Epiſcopum perveniſſe, ad cujus præſentiam celeriter pervenerunt.

VIII. Ut autem ipſi tres Apoſtolicæ Sedis Legati fuerunt ſimul, nuntiaverunt Friderico adventum ſuum, petentes ab eo, ut quid vellet eos agere, ipſis continuò ſignificaret. Quibus ille benignè reſpondens, mandavit, ut tranſito flumine Pado, ad eum ſecurè accederent. Tùm Legati de Placentia cum magno comitatu exeuntes, proceſſerunt ad Padi ripam, & paratis navibus venerunt tandem ad civitatem Papienſem. In qua honorificè fuerunt hoſpitio recepti. Altera autem die, Imperatore cum Principibus, & multorum ſuorum concurſu populorum celebri in publico reſidente, Legati ad ejus præſentiam pariter acceſſerunt. Cùm igitur ante ipſius conſpectum introirent, & prope illum; depoſito quem geſtabat in capite pileo, eoſdem Legatos (ſicut declaravit relatio interpretis) ſermone Teutonico ſalutavit; addens, quòd adventus ipſorum ſibi plurimùm placeret, & eorumdem præſentiam valdè haberet acceptam. Sed poſtquàm ea quæ in mandatis habebant, hilari vultu eos juſſit exponere: tunc Epiſcopus Oſtienſis ſtetit in medio, & in communi audientia omnium, hoc modo reſpondit.

IX. Oratio Epiſcopi Oſtienſis ad Imperatorem.

Salutatio, domine Imperator, grata eſt nobis & valdè accepta, ſicut præcellentiſſimi Principis, & excellentiſſimæ poteſtatis: ſed in hujus ſalutationis alloquio illud nos vehementer exaſperat, quòd ad præſens, peccatis ita exigentibus, verſa vice, ſicut optamus, vos reſalutare non poſſumus, propter excommunicationem videlicèt. Faciat itaque omnipotens Deus per ineffabilem bonitatis ſuæ clementiam cum Sponſa ſua ſacroſancta Romana Eccleſia & Imperio illam concordiam, & unitatis pacem, ut quod modò abſque ſcrupulo conſcientiæ non poſſumus, in proximo affectuosè, propitiante Domino, valeamus implere. Non verò propter hoc pium opus, quantum in nobis fuerit, conſequendum; ad vocationem tuam ſpecialiter venimus, non de nobis, vel de noſtris meritis ſpecialiter præſumentes, ſed in illius bonitate operis hujus fiduciam ponimus, qui cùm ad prædicandum Diſcipulos miſit, dixit: (a) Ego elegi vos, & poſui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat. Et incipiens ab exordio ſchiſmatis, ita univerſa Eccleſiæ graviſſimam, & inteſtiſſimam Imperii deploravit jacturam, atque ita pro utriuſque partis concordia peroravit, ut omnes qui aderant, in verbis ejus mirarentur, & gaudentes in ſuis cordibus, dicerent ad ſe invicem. Non enim hic homo eſt qui loquitur, ſed ſpiritus Patris, qui habitat in eo. Deinde abbrevians verbum, Imperatoris duritiam in eo maximè increpavit atque redarguit, quod ubi quatuor † illæ perſonæ Romanæ Eccleſiæ, quæ ipſi inhæſerant, è medio per divinum judicium ſublatæ erant, & totus terrarum Orbis unum Pontificem in patrem & animarum ſuarum paſtorem receperat: ipſe ſolus non deberet unitati Eccleſiæ Catholicæ ampliùs adverſari, ſed deberet in unam ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam credere, & humiliter obedire.

a Joan. 15.

† Antipapæ & Cardinales illorum ſuperiùs nominati.

X. Agitur de communi pace.

Poſt hæc Epiſcopus Portuenſis, & Cardinalis ſancti Petri ad Vincula circa eamdem materiam compendioſum facere ſermonem, & ad ſtatum bonum Imperatoris animum inclinare nunc blandis, nunc aſperis vocibus nihilominùs ſtuduerunt. Tunc Imperator compunctionem plurimam præſeferens, placidum dedit reſponſum, & optatæ paci omnem promiſit aſſenſum, aperiens dolorem cordis, quo ſe intrinſecùs vehementer uri aſſeruit, pro eo quòd Eccleſia Dei ſub tantis tribulationibus fluctuaſſet. His dictis, omnes pariter ad hoſpitia redierunt. Sed poſt modicum ſpacium Legati ejuſdem Friderici Curiam frequentantes, de pacis bono, qualiter inter ipſum Imperatorem & Romanam Eccleſiam ejuſque adjutores, videlicèt Lombardos, Siciliæ Regem, atque Imperatorem Conſtantinopolitanum reformari poſſet, modò cum eo, modò cum ejus Conſiliariis per dies plurimos contulerunt. Ut autem ſuper his tractatibus abſque ſuæ perſonæ præſentia cum Lombardis facilior opportunitas haberetur, Imperator vices ſuas E. Cancellario, P. Colonienſi Electo; & A. Protonotario ſuo conceſſit, quatenùs collatione ad invicem habita, de contrarietate capitulorum quam poſſent moderationem exhiberent, & ad notitiam ipſius cuncta referrent. Ipſi verò cum Legatis, & Lombardorum rectoribus nùc in civitate, nunc in ſuburbiis, prout eis competentius videbatur, de pacis reformatione inſimul frequentiſſimè tractaverunt.

XI. Pace infecta redeũt Legati.

Sed cùm ea, quæ viciſſim petebantur, ad Imperatoris notitiam referrentur: ipſe in cunctis modum nimis excedens, & ab ipſa Eccleſia nonnulla in ſpiritualibus poſtulabat, quæ nulli umquam laico invenirentur eſſe conceſſa; & à Lombardis ultra modum petebat, quàm id, quo Carolus, Ludovicus, atque Otto Imperatores contenti fuerant; eſt intermiſſa pacis tractatio. Cùm igitur à ſuo propoſito Fridericus nullatenùs recedere vellet: Legati à ſanctorum Patrum regulis & conſtitutionibus deviare nolentes, eo in erroris ſui perfidia derelicto, ad præſentiam domini noſtri Papæ, & fra-

Digitized by Google

& fratrum ſuorum collegium, Domino ductore, redierunt. Lombardi verò antiquam ſuæ libertatis poſſeſſionem defendentes, improbis ejuſdem Friderici conatibus fortius ſolitò reſtiterunt, cum Papienſibus, Marchionibus, & Comanis aſſiduis decertationibus contendentes.] Illud quod intendit ex hoc vafertimus Imperator, lucratus, ut obtentu pacis bellum inſtans Longobardorum ſuſpenderet uſque ad tempus, quo ipſa hiems bella concitata dirimeret.

XII. Alexandria ſucta Epiſcopatu. Alexander verò Papa ſuos Alexandrinos, qui perquàm ſtrenuè dimicantes, de victo & fugato Imperatore adeò glorioſa trophæa erexiſſent, eò planè ingenti beneficio muneravit, ut ipſam Alexandriam in ſedem Epiſcopalem erigeret, & ex Romana Eccleſia primum Epiſcopum daret: contrà verò civitatem Papienſem ſedem ſchiſmaticorum, velut Romanæ Eccleſiæ privilegiis indignam humi deprimeret. De his enim habent Acta: Eodem tempore

A Alexander Papa in Eccleſia Alexandriæ ad poſtulationem Mediolanenſis Archiepiſcopi, & comprovincialium Epiſcoporum, atque rectorum civitatum Lombardię Epiſcopatum conſtituit, in qua fecit in Epiſcopum eligi Arduinum Romanæ Eccleſiæ ſubdiaconum, à Mediolanenſi Metropolitano tamquàm ſuum Suffraganeum conſecrandum. Præterea Papienſem Epiſcopum Crucis, & Palii dignitate privavit, eò quòd civitas diu Octaviano hæreſiarchæ, & Friderico Imperatori excommunicato adhæſerit, & poſt præſtitam ſatisfactionem eumdem Fridericum in gravem jacturam Eccleſiæ & Lombardorum præſumpſerit in Italiam revocare.] Hactenus Acta. Porrò redditibus Aquenſis Eccleſiæ tunc ob communicationem ſchiſmatici Imperatoris factæ ſchiſmaticæ locupletatum fuiſſe Alexandrinum Epiſcopatum, litteræ Innocentii Papæ Tertii, & aliorum ſignificant, de quibus ſuo loco inferiùs. Papienſis Eccleſ. privatur privilegiis. B

JESU CHRISTI ANNUS 1176.	ALEXANDRI PAP. III. ANNUS 17.	FRIDERICI IMP. 22. MANUELIS IMP. 34.

I. Frider. Imperator. Generum quęrit habere Siciliæ Regē. Milleſimus centeſimus ſeptuageſimuſſextus, Indictione nona, ſequitur annus, quo Fridericus Imperator, cùm minus polleret viribus, magis, more ſuo, dolis atque fallaciis præſtans, omnes excogitat artes, ut divelleret Vvillelmum Siciliæ Regem potentiſſimum ab Alexandri Romani Pontificis amicitia & obſequio, ut ejus præſidio deſtitutum poſſet ipſum ſibi ſubjicere. Ad hæc implenda opportuno remedio utitur, nimirùm ut eum ſibi devinciat fœdere nuptiarum; nondum enim ille uxorem acceperat. Iſta adeò Eccleſiæ Catholicæ damnoſa moliente Imperatore, Alexander Pontifex interceſſit, effecitque ut Rex religioſiſſimus averſaretur unà cum Imperatore perſecutore etiam progeniem ejus; atque ſtatueret, ut non niſi Patris arbitrio, nempè ipſius Alexandri Pontificis deliberatione iniret connubium. Qui ipſi ſuaſit, filiam Regis Angliæ Joannam ducere in uxorem, quod hoc anno factum eſſe, Romualdus Archiepiſcopus Salernitanus affirmat in Chronico, ubi hæc habet: Intereà prædictus Cancellarius ex mandato Imperatoris Nuntios ad Vvillelmus Siciliæ Regem tranſmiſit, ſuadens & poſtulans, ut ipſa Imperatoris filia in uxorem accepta, cum eo pacem perpetuam faceret, & ipſi ſe amicabiliter counirет. Sed Rex Vvillelmus, utpote Chriſtianiſſimus & religioſus Princeps, ſciens hoc matrimonium Alexandro Papæ plurimùm diſplicere, & Romanæ Eccleſiæ non modicam jacturam inferre, Deum & Alexandrum Papam in hac parte reveritus, Imperatoris filiam in uxorem, & ejus pacem recipere noluit. Quod factum Imperator ægrè tulit.] Et inferiùs:

II. Interea Rex Vvillelmus conſilio Papæ

C Alexandri, Eliam Trojanum Electum, & Arnulphum Caputaquenſem Epiſcopum, & Florium de Camerota Juſtitiarium ad Regē Henricum in Angliam miſit, ut ei Joannam minorem filiam ſuam in uxorem daret. Rex autem Angliæ Henricus Papæ Alexandri & Principum ſuorum conſiliis acquieſcens, petitioni regiæ præbuit gratanter aſſenſum, & filiam ſuam cùm Nuntiis ejuſdem Regis & Principibus ſuis uſque ad ſanctum Ægidium honeſtè tranſmiſit. Quo cognito Rex Vvillelmus Alphanum Capuanum Archiepiſcopum, & Richardum Syracuſanum Epiſcopum, & Comitem Robertum de Caſerta cum vigintiquinque galeis ei obviam miſit. Qui venientes uſque ad ſanctum Ægidium, prænominatam Regis filiam intra galeas recipientes uſque Neapolim deduxerunt &c.] Hucuſque Romualdus. Agit & de his Rogerius in Annalibus, idemque teſtatur, Regem ipſum, antequàm aſſenſum præberet filiæ matrimonio, conſulere voluiſſe regni Epiſcopos, eaque de cauſa hoc anno collectum fuiſſe Londonienſe Concilium, ubi Epiſcoporum & regni Principum rogata ſententia, judicatæ ſunt nuptiæ hujuſmodi proficuæ Anglorum regno. Sicque miſſa eſt Joanna in Siciliam, dato comite Ægidio Ebroicenſi Epiſcopo unà cum aliis Regis Nuntiis. Recitat idem auctor diploma donationis factæ per eumdem Vvillelmum Regem eidem Joannæ uxori, datum illud anno ſequenti, nempè milleſimo centeſimo ſeptuageſimoſeptimo, menſe Februarii, Indictione decima: eo namque tempore deſponſata fuit & coronata Regina, die Dominica ante ingreſſum Septuageſimæ, Idibus Februarii. Sicque, cum anteceſſores ſui Reges Angliæ Arbitrio Papæ Rex Sicilię ducit uxorē. D E

A vergat, redeas cum filiis ad maritum, cui parere & cohabitare teneris. Te converte, nec tibi aut tuis filiis ſit ſuſpectus. Certiſſimi enim ſumus, quòd omnimodam exhibebit vobis dilectionem, & ſecuritatis pleniſſimam firmitatem. Mone quæſo filios tuos, ut patri ſuo ſubditi, & devoti exiſtant, pro quibus tot paſſus eſt anguſtias, tot diſcrimina, tot labores. Unde, ne inconſulta facilitas dilapidet ac diſperdat, quod tantis eſt ſudoribus acquiſitum: hæc tibi, piiſſima Regina, & zelo Dei dicimus, & ſinceræ charitatis affectu. Parochiana enim noſtra es, ſicut & vir tuus B (*quòd Duces eſſent Northmanniæ, & Comites Aquitaniæ*) Non poſſumus deeſſe juſtitiæ. Vel redibis ad virum tuum, vel jure canonico conſtringemur, & tenebimur in te cenſuram Eccleſiaſticam exercere. Quod quidem inviti dicimus; & quod niſi reſipueris: cum dolore & lacrymis faciemus. Vale.]

Hæc Rothomagenſis ſapientiſſimus Archiepiſcopus, de quo iſta Petrus Bleſenſis:
a Petr. Bleſ. in can. Epiſ. pag. 533. (*a*) Et ne longe exempla petere vos oporteat honeſtatis, vobis Epiſcopalis officii formam veſtri avunculi Rothomagenſis Archiepiſcopi doctrina præſcribit, cujus C veſtigia ſi velitis fideliter imitari, eritis ad mores compoſitus, liberalis, affabilis, manſuetus, in conſiliis providus, in agendo ſtrenuus, in jubendo diſcretus, in loquendo modeſtus, timidus in proſperitate, in adverſitate ſecurus, mitis inter diſcolos, cum his qui oderunt pacem, pacificus, effuſus in eleemoſynis, in zelo temperans, in miſericordia fervens, in rei familiaris diſpenſatione nec anxius, nec ſupinus, circumſpectus ad omnia, illorum quatuor animalium imitator, quæ ante, & retrò, & in circuitu habere oculos providentiæ deſcribuntur.] Hæc Petrus. D Quod ad conflatum domeſticum bellum ſpectat.

XVI. Laboravit pro pace & gener Regis Vuillelmus Siciliæ Rex, qui & ipſe has litteras
b Roger. in Annal. Angl. hoc anno. dedit ad Henricum ſeniorem; (*b*).

Epiſt. Regis Siciliæ ad Regem Angliæ.

Henrico Dei gratia illuſtri Anglorum Regi, & Duci Northmanniæ & Aquitaniæ, & Comiti Andegaviæ, Vuillelmus Dei gratia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ ſalutis felicitatem, & de hoſtibus deſideratum victoriæ triumphum.

In receptione litterarum veſtrarum cognovimus, quod quidem ſine admiratione E maxima proferre non valemus: videlicèt, quòd ordine humanitatis oblito, & naturæ lege ſoluta, inſurrexit filius in parentem, in genitorem genitus, commota ſunt viſcera ad bellum inteſtinum, irruerunt ad arma præcordia, & quod novum prodigium eſt, & noſtris temporibus inauditum, caro deſævit in ſanguinem, & ſeipſum quærit ſanguis effundere. Et quoniam ad tanti furoris impetum compeſcendum potentiæ noſtræ auxilium loci incommoditas non admittit: eo quo poſſumus charitatis affectu, quem locorum ſpatia non concludunt,

A perſonam & honorem veſtrum devotiùs amplectentes, dolori veſtro compatimur, perſecutionem veſtram moleſtè ducimus, & quaſi propriam reputamus. Confidimus autem & ſperamus in Domino, cujus judicio Regum judicia terminantur, quòd diutiùs non permittet filios veſtros tentari ſupra id, quod poſſunt, vel debent. Et qui factus eſt obediens Patri uſque ad mortem, ipſe in iis filialis lumen obedientiæ inſpirabit, per quod memorabuntur, quòd caro & ſanguis veſter ſunt, & relictis hoſtilitatis erroribus agnoſcent ſe filios, redibunt ad patrem, naturæ ſolidabunt incommoda, & B debitæ dilectionis fœdera priſtinus ordo continebit.] Hucuſque Siciliæ Rex ad Regem Anglorum. Pergit auctor narrare crudelia facta, immanes ſtrages, quæ per hoſtes ſunt perpetratæ adversùs Regis ſenioris ſubditos & ſectatores. Nec quievit furor iræ Dei, quo uſque anno ſequenti anguſtatus idem Rex infelix, memor immanis ſacrilegii adversùs ſanctiſſimum martyrem Thomam perpetrati ſua culpa, de eo veram dignamque exegit pœnitentiam. Qualiſnam iſta fuerit, inferiùs enarratam audies, quæ contigit anno ſequenti, quo conciliato per pœnitentiam Martyre: C mox magna Dei per Martyrem ſuum oſtenſa virtute, horrida illa tempeſtas omninò ceſſavit. Cùm & ipſe Henricus pater Eccleſiæ Cantuarienſis elegit Archiepiſcopum Richardum, & alios aliis paſtore orbatis (quæ plures erant) elegit Antiſtites, quos Romam conſecrandos abire præcepit. Quæ autem hæc ſecuta ſint, ſequenti anno dicetur. Ita Rex compellitur ex ingruentibus afflictionibus benè conſolere animæ ſuæ, & expiatione delictorum conſequi à Deo miſericordiam.

Quòd autem omnes vires filii rebellis collocatæ eſſent in confœderatione Fran- XVII.
D corum Regis, idem Henricus ſenior Legatos ad eum miſit pro reconciliatione. Functi ſunt ea legatione Rotrodus Archiepiſcopus Rothomagenſis, & Arnulphus Lexovienſis, quorum extat relatio de rebus ab ipſis cum Francorum Rege tranſactis. Incipit: (*c*) Tantò tempeſtivius ac diligentiùs injunctam nobis legationem &c.] *c Petr. Bleſ. ep. 153.* Poſt narrata, quæ cum Rege Francorum interceſſerunt, hæc demùm in fine: Tandem *idem Rex Franciæ* etiam juramento firmavit, ſe nunquam de cætero vobiſcum fœdus aut concordiam habiturum, niſi de veſtræ uxoris, & filiorum veſtrorum aſſen- E ſu. Nunc igitur in cuſtodiendis munitionibus veſtris, & potiſſimè in corporis veſtri tutela conſilio eſt utendum. Communi enim voto in exitium veſtrum tota Francia conſpiravit. Nec ſatis eſt ei exterminare terræ faciem igne, & gladio: ſed in veſtram perſonam (quod abſit) ſcelus execrabile machinatur. Conſulimus ſanè, ſi qua abſtuliſti, ſi læſiſti aliquem, ablata reſtituere, & odia reformare in gratiam. Hoc enim inimicos veſtros potiſſimè invitat ad pugnam, quòd inteſtinos hoſtes ſentiunt vos habere: & qui vobiſcum dulces capiunt cibos, data

Relatio Legatorũ Epiſcoporum.

oppor-

A opportunitate magnificabunt ſuper vos ſupplantationem. Maledictus qui confidit in homine, & ponit carnem fortitudinem brachii ſui Quid eſt amabilius filiis? quid uxore familiarius? Receſſit tamen uxor à latere veſtro, & filii inſurgunt in patrem. Ideò non fruſtratoriè loquebatur hic ille hominum prudentiſſimus, qui dicebat: Amico ne credas. Ab ea quæ dormit in ſinu tuo, cuſtodi clauſtra oris tui. Filius enim contumeliam facit patri: & inimici hominis domeſtici ejus. Sanè ſuffragia illius imploranda cenſemus, in cujus manu ſunt corda Regum. In ejus nomine parvitati

a 1.Reg.16. David (a) Goliæ ſubjacuit magnitudo. B In ejus nomine Samaria adeò fame confe-

b 4.Reg.6. * octoginta

cta obſidente (b) Benadad, quòd * triginta argenteis caput aſini vendebatur, ſub ictu oculi liberata eſt, exuberantique victualium affluentia redundavit. In eo ſiquidem ſperans non infirmabitur: Si exurgat adverſùs vos prœlium, in hoc ſperate. Si exurgant adverſùs vos caſtra, non timebit cor veſtrum: ipſe enim docebit manus veſtras ad prœlium. Accipite vobis in auxilium preces Eccleſiæ: quam ſi in aliquo offendiſtis, debita ſatisfactione impenſa; ei de cætero omnem reverentiam exhibete. Sponſa enim Chriſti eſt: & injurias C Sponſæ Chriſtus reputat ſuas. Nec eſt quod magis hoſtes veſtros incitat ad conflictum, quàm quòd arbitrantur vos Eccleſiæ Dei minus eſtitiſſe devotum. Beoè valeat chariſſimus dominus noſter, & de his qui ſe contra eum in ſuperbia & abuſione erigunt, reportet in virtute Altiſſimi gloriam & triumphum.] Hæc Legati.

XVIII. Henricus autem ſenior ubì iſta accepit, deſperatione melioris ſtatus rerum adactus, cuncta quæ ſciebat diſplicere filio in promotione Epiſcoporum, eadem implere curavit.

D

Electio Epiſcoporum in ſedes vacantes in Angl.

De his enim iſta Rogerius præſens his omnibus: Eodem anno Henricus Rex Angliæ pater contra probibitionem Henrici Regis filii, & poſt appellationem factam ad dominum Papam, dedit Richardo Priori de Dovvere Archiepiſcopatum Cantuarienſem, & Reginaldo filio Jocelini Sareſberienſis Epiſcopi Epiſcopatum Bathonienſem, & Richardo de Iveceſtre Pictavienſi Archidiacono Epiſcopatum Vvintonienſem, & Roberto Foliot Epiſcopatum Hereſordenſem, & Gauſredo Ridel Cantuarienſi Archidiacono Epiſcopatum Elienſem, & Joanni de Greneford Epiſco- E patum Ciceſtrenſem.] Hæc Rogerius hoc anno. Quòd autem Reginaldus infamatus eſſet perſecutionis in ſanctum Thomam, ob idque indignus qui confirmaretur Epiſcopus: Petrus Bleſenſis ejus Eccleſiæ Bathonienſis Archidiaconus hanc in ejus, ſive etiam aliorum defenſionem ſcripſit epiſtolam ad quemdam amicum ſuum, quæ ſic ſe habet:

XIX. c Petr. Bleſ. ep. 45.

Arguitis (c) & damnatis Reginaldum Bathonienſem, tamquàm beati Thomæ martyris perſecutor fuerit & occiſor. Scitis

A equidem, quàm periculoſum ſit homini innocenti notam tanti criminis inurere, & adverſùs innoxium deteſtabilem ſuſcitare infamiam: quam cùm abolere volueritis, ipſius excurſum non poteritis cohibere. Scio quia Martyrem dilexit ex corde, & inter deſiderabilia hujus mundi fuit in votis ejus quandoque præcipuum, familiaritati & obſequio Martyris adhærere. Beatus ſiquidem Martyr ſuſpenderat patrem ejus Epiſcopum Sareſberienſem, nec mirum eo tempore videbatur, ſi filius afflicto patri compatiens, quandoque durius, aut minus conſultè de ſancto Martyre loque- B batur. Nam & nos inſenſati vitam ipſius putabamus inſaniam, & finem illius ſine honore: ſed computatus eſt inter filios Dei, & ſors illius inter electos. Quidquid faciebat charitatis obtentu, & zelo juſtitiæ, in crimen odii, & invidiæ vertebatur. Sed è contrà quidquid machinabatur ad ejus infamiam humana malitia, eidem convertebat Dominus ad coronam. De ipſo capite noſtro JESU CHRISTO dicit Iſaias. (d) Nos putavimus eum leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum. Et nos quidem pretioſiſſimum Chriſti membrum leproſum reputavimus, & abjectum. Hæc eſt lepra, quæ in Sanctos Do- C mini ſe diffundit. De hac lepra (e) in Levitico memini me legiſſe: Si effloruerit lepra diſcurrens in cute, ſacerdos lepram mundiſſimam judicabit. Cùm omnis lepra immunda ſit, lepra infamiæ, quæ Sanctorum afficit innocentiam, munda eſt. Nam cùm exteriùs excurrat ſiniſtra opinio, cùm exteriùs mentiatur iniquitas ſibi, Sanctorum animæ in manu Dei ſunt juſtique verba exterioris contumeliæ contemnentes, de theſauro conſcientiæ ſunt ſecuri. Nota in Chriſto hujus lepræ veſtigia, quæ à capite in membra, à patre in filios derivatur. D (f) Curabat Dominus languentes; & violator ſabbathi dicebatur. Non eſt, dicebant, hic homo à Deo, qui ſabbathum non cuſtodit. Eiiciebat (g) dæmones, & hoc maleficiis adſcribebant: In Beelzebub principe dæmoniorum, inquiunt, eiicit dæmonia. Nunc (h) Samaritanum, nunc filium (i) fabri eum vocabant. Ideò deſcribit eum Zacharias (k) ſordidis veſtibus indutum: quod ei, & imitatoribus ejus convenit; ut in veſte ſordida ſit decor mentis, ut in cute leproſa ſit munditia cordis, & inter contumelias detractorum pura & munda conſcientia ſit in Sanctis. Pro- E pterea Sponſa in Canticis dicit: (l) Nigra ſum, ſed formoſa. Si ergò Bathonienſis electus, ſicut & nos omnes, vitam Martyris quandoque habuit in deriſum, ſi patri ſuo beneficium relaxationis obtinere curavit; non eſt, quòd ei debeat imputari ad crimen. Sed & ſi adverſùs eum deliquit in aliquo, eum excuſabilem ignorantia facit. Eccleſiam Dei perſecutus ſum, dicit (m) Apoſtolus, ſed miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci. Credo, quòd ſi ſanguis (n) Abel clamat de terra ultionem: ſanguis mitiſſimi Martyris cla-

mat

Petri Bleſ. pro Reginaldo Apologia.

d Iſai. 53.

e Levit. 13.

f Joan. 5. & 9.

g Luc. 11.

h Joan. 8.

i Matt. 13.

k Zachar. 3.

l Cant. 1.

m 1. Tim. 1.

n Geneſ. 4.

Digitized by Google

mat remiſſionem peccatorum, in his maximè, qui pœnitentiam agunt humilem & devotam. Scio autem, quantum exterioribus ſignis perpendere poteſt humana fragilitas, quòd ſi præfatus Electus aliquid attentavit in contumeliam Martyris: illud expiavit aſperitate cilicii, largioribus eleemoſynis, lacrymis profuſioribus, & auſterioribus diſciplinis. Res eſt plena periculi, ſiniſtra de homine innoxio ſuſpicari. Ideò Apoſtolus ad Romanos ſcri-

a Rom. 14. bens (a) ait: Infirmum autem in fide aſſumite, non in diſceptationibus cogitationum. Nulli aut pauci hodiè ſunt, qui conſcientias alienas inſpiciant, qui cum

b 4. Reg. 5. Eliſeo (b) dicant ad Giezi: Nonnè cor meum in præſenti erat, quando accepiſti argentum & veſtes à Naaman? Temerarium eſt, ſi tuum delictum diſſimulas, & judicas alienum. Verbum Satyrici eſt: Ut nemo in ſeſe tentat deſcendere, nemo, Sed præcedenti ſpectatur mantica tergo. Nolite ergò hominem criminosè arguere, nolite judicare ſervum Domini: ſuo enim Domino ſtat aut cadit. Ejus eſt judicium, qui ſcrutatur corda & renes, qui ſcrutatur Hieruſalem in lucernis, cui cogitatio hominis confitetur. Pro minimo mihi eſt, di-

c 1. Cor. 4. cit Apoſtolus, (c) ut ab homine judicer, aut ab humano die. Cui concordat, quod

A per Iſaiam (d) dicit Dominus: Nolite, d Iſai. 51. inquit, timere opprobrium hominum, & blaſphemias eorum ne timeatis. Ei ſoli relinquatur judicium, cui omne judicium dedit Pater. Ipſe licèt nunc multa ſuſtineat patienter, judicaturus eſt tamen tempore ſuo. Cùm accepero, inquit, tempus, ego juſtitias judicabo. Tunc boni diſcernentur à malis, Deus enim deorum Dominus loquetur, & vocabit terram: habenſque ventilabrum in manu ſua veniet, ut diſcernat populum ſuum. Interim cum Hieroſolymitis habitat Jebuſæus, interim in horto patrisfamilias ſimul ſunt ſaliunca

B & abies, urtica & myrtus. In grege Jacob animalia alba & nigra, agni & hœdi. In reti Petri piſces boni & mali. In arca Noe animalia munda & immunda. In agro Domini lilia inter ſpinas, & zizania inter ſpicas. In area Domini granum cum palea, in cella Chriſti vinum cum acinis, oleum cum amurca. Non eſt noſtrum aliquem judicare: novit enim Dominus, qui ſunt ejus. Conſulo igitur frater, & exhortor in Chriſto, ut ceſſemus à verbis etiam ad rem non pertinentibus; cùmque futuri ſint primi noviſſimi, & noviſſimi primi, credo, quòd vos præcedet ad vitam, quem noviſſimum reputatis.] Hæc ipſe, hicque finis

C anni hujus.

JESU CHRISTI ANNUS 1174. ALEXANDRI PAP. III. ANNUS 15. FRIDERICI IMP. 20. MANUELIS IMP. 32.

I. Friderici quinta expeditio in Italiam.

Annus ſequitur milleſimus centeſimus ſeptuageſimusquartus, Indictione ſeptima, quo circa nativitatem beatæ Mariæ (inquit Dodechinus) Fridericus Imperator cum maxima multitudine Longobardiam intravit.] Sed paulò tardiùs, eodem tamen menſe, eum ingreſſum in

D Italiam, ſic habent Acta Alexandri Papæ: Eodem tempore, anno quintodecimo Pontificatus Alexandri Papæ Fridericus Imperator dictus, ad ſuggeſtionem Papienſium & Marchionis de Monteferrato, quinta vice in Lombardiam hoſtiliter remeavit. Tranſivit per montem Siniſium, & in multitudine grandi deſcendens in planitiem, caſtrametatus eſt juxta Sicuſam. Altera autem die, conceptum furorem occultare non valens, in primo deteſtabilium operum ſuorum civitatem ipſam combuſſit; & exinde acies ſuas verſus Aſtenſem civitatem ad exercenda reliqua mala direxit. Ha-

E bebat enim circa ſe multitudinem copioſam barbaricæ gentis, homines aſſuetos bellicis actibus, viros nequiſſimos, rapaces & deſperatos, quos de Flandria & aliis circumpoſitis locis elegerat. Et quia neminem amantem amat nemo, Lombardi in uno ſpiritu & in una voluntate conjuncti, quoniam ipſius reditum à longe præviderant, civitates ſuas, & arces benè munierant, & ad reſiſtendum ipſi in faciem, tamquàm viri bellicoſi & potentes, intrepidi exiſtebant. Miſerunt itaque ad ſub-

ventionem Aſtenſium, qui ſecum jam diu confœderati fuerant, viros induſtrioſos, in conſilio valdè providos, & in armis probatos, quatenus eoſdem Aſtenſes contra impetum ſupervenientis hoſtis animoſiores redderent, & cùm Rex veniret, pro ſua libertate manutenenda, eorum exhortatione fortiùs dimicarent. Illi verò in deterius providentes in poſterum, imprudenter deſciverunt à confœderatione ſocietatis Longobardorum, & proſternentes ſe in conſpectu Friderici, tradiderunt civitatem in manu & poteſtate ipſius. Qua in ſuam poteſtatem redacta, Fridericus ſeſe ſuperextollens, ad deſtructionem Alexandriæ, quam noviter Lombardi conſtruxerant ad honorem beati Petri, cum Marchione Montisferrati & Papienſibus conatus eſt feſtinare.

II. Fridericus cum damno perſtat in obſidione Alexandriæ.

Sed quia in cunctis actibus ſuis Deo, & Eccleſiæ adverſabatur, iniquæ diſpoſitioni ejus mirabiliter Deus omnipotens obſtitit, & ejus propoſitum diſturbavit. Tantam namque pluviarum inundationem repentè de cœlo miſit, ut omnia flumina inundarent, adeò ut in paludes cuncta campeſtria verterentur. Videns autem Alexandriæ populus ſibi de cœlo miſſum auxilium, qui jam metu terribilis Principis fugam paraverat: reſumpſit vires & animos, atque ad reſiſtendum numeroſæ adverſariorum multitudini, de Apoſtolorum Petri & Pauli ſuffragiis confidens, poſtpoſita

trepi-

Digitized by Google

trepidatione, ſeſe viriliter præparavit. Sed quamvis aſperitas hiemis, & inundans pluviarum & nivium difficultas eumdem Fridericum ad obſidionem Alexandriæ dehortaretur accedere: nihilominùs tamen in fortitudine ſua fidens acceſſit, & caſtra juxta civitatem ipſam in loco aquoſo utrimque firmavit. Diligenterque circumſpiciens, quòd eadem civitas præter foſſata, & vicinitatem fluminis nullo murorum vel virium gauderet præſidio, deſpexit eam, ſperans inaniter, quòd in primo congreſſu poſſet ipſam capere & delere. Collectis igitur cunctis viribus ſui exercitus, in eoſdem Alexandrinos graviſſimum fecit aſſultum, applicavit aggeres & diverſi generis machinas, & diu cum eis atrociter dimicavit. Sed auxiliante Domino, prævaluit populus Alexandrinus, & machinis hoſtium per violentiam captis, totam illam barbariem non ſine occiſione uſque ad tentoria fugere compulit. Unde Fridericus, qui ſibi viſus eſt ita fugari, in iracundiam majorem exarſit; & ideò contra conſilium & voluntatem Principum ſuorum, in obſidione ipſa, quouſque victoriam obtineret, morari diſpoſuit. Et quamvis hiemis aſperitas immineret, & exercitus pateretur omnium rerum neceſſariarum indigentiam, & equorum multitudo cœpit deficere, ſed & militum apparatus magno pretio diſtrahi; non tamen prohis atque aliis difficultatibus ab Alexandrinorum impugnatione iracundia Imperatoris ceſſavit, licèt ab eis ſemper triſtiorem vicem reciperet.] Quæ autem hæc ſequuta ſunt poſt hiemem, ſequenti anno, temporis ratione ſervata, dicemus. Ita planè,

Jerem. 5. qui tumentes (a) fluctus maris non altis montibus, ſed vili arena coercet: idem ipſe tumidos Friderici impetus, palea objecta (ſic enim illi contemptus ergò ipſam vocabant Alexandriæ civitatem) repreſſit, ejuſque ingentes belli motus civitatulæ unius proximè natæ, nulla murorum ſublimitate munitæ, ſed terræ tantùm aggere obice continuis, fregit, & diſſipavit. His igitur adeò amplis ignominiæ notis Fridericus Imperator ſui Imperii Vicennalia conſignavit.

III. Electi Angl. Epiſcopi Romā pro confirmatione veniunt.

Eodem anno, Electus Cantuarienſis cum aliis electis Angliæ Epiſcopis Romam ad Alexandrum Papam pro confirmatione venit, adversùs quos miſſus à Rege filio Legatus iiſdem adverſaturus: ſed Alexander electum à Patre Rege confirmavit. Quomodò autem iſta ſe habuerint, ita deſcribitur ab ejus temporis auctore Rogerio, res ſpectante, his verbis: Interim Richardus Cantuarienſis Electus, & Reginaldus Bathonienſis Electus Romam profecti ſunt, pro electione ſua, & aliorum Electorum Angliæ electione confirmanda: Contra quos Henricus Rex filius miſit Romam magiſtrum Berterum Aurelianenſem. Cùmque præfatæ partes adverſæ in præſentia Alexandri Papæ & Cardinalium conſiſterent, & dominus Papa plurimùm increparet abſentiam cæterorum Electorum Angliæ, & dominus Cantuarienſis Electus eorum abſentiam ſufficienter excuſaret: dominus Papa interrogabat attentiùs, quare non venit ille Electus Elienſis. Cui Berterus Aurelianenſis ſic reſpondit: Domine, Evangelicam habet excuſationem. Cui Papa: Quam frater, excuſationem? & ille: Uxorem duxit: & ideò non poteſt venire. Et quamvis multa altercatio & verborum tergiverſatio hinc inde coram domino Papa, & Cardinalibus diducta fuiſſet; tamen dominus Papa Cantuarienſem Electum conſecravit. Unde Reginaldus Bathonienſis Electus in hac forma ſcripſit domino ſuo Regi Angliæ:

Henrico illuſtri Angliæ Regi, & Duci Northmanniæ & Aquitaniæ, Comiti Andegaviæ, chariſſimo domino ſuo Reginaldus Dei gratia Bathonienſis Electus ſalutem in eo qui dat ſalutem Regibus.

IV. Reginaldi Bathon. electi Epiſtola ad Regem Angliæ.

Noverit veſtræ prudentia majeſtatis, nos in Curia domini Papæ duros de regno Francorum, & de terra veſtra duriores adverſarios inveniſſe: ideòque nos ibi multa pati, & moram oportuit facere tædioſam. Tandemque ad inſtantiam noſtram, divina cooperante gratia, domini Papæ duritia adeò eſt emollita, quòd domini Cantuarienſis Electi electionem ſolemniter in præſentia omnium confirmavit: eumque etiam confirmatum, Dominica ſequenti conſecravit, conſecrato pallium tertia die dedit, & modici temporis ſpacio excurrente, Primatum addidit. Nos prætereà deſiderantes ipſum habere plenariam poteſtatem, vindictam Eccleſiaſticam exercendi in homines regni veſtri, qui contra innocentiam veſtram nequiter & proditione ſua malitiæ calcaneum extulerunt; multa ſollicitudine obtinuimus, quòd dominus Papa eidem provinciæ ſuæ legationem indulſit. Meum itaque & aliorum Electorum negotium adhùc in pendenti eſt, nec de nobis dominus aliquid ſtatuere & definire decrevit, donec vobiſcum filius veſter ad concordiam reformetur. Speramus tamen in Domino, quòd mei & Electorum meorum promotio domini Cantuarienſis Archiepiſcopi providentiæ committetur.] Hucuſque Reginaldus electus. Subjicit autem his, quod hoc eodem contigit anno, pœnitentiam ejuſdem Henrici patris Regis, perſolutam ſumma religione ad ſepulchrum ſancti Thomæ martyris Cantuarienſis Archiepiſcopi.

De perfecta pœnitentia Regis.

Hoc planè unum deſiderari poterat ad pleniſſimam Regis ſatisfactionem, ut quem offendiſſet toties verbis atque factis, & cauſam præbuiſſet necis ejus, purgaret idipſum publica pœnitentia ad ſepulchrum Martyris. Quod explevit abundè. Mirum dictu, quòd Regem iſta adeò neceſſaria præſtare negligentem, ſicque morantem, neceſſitas coegit quàm pleniſſimè exhibere. Quomodò autem iſta ſe habuerint, ad Martyris glorioſiorem & auguſtiorem triumphum deſcribere ex Herberto, qui aderat, non gravabimur; qui hæc

habet

habet in tertio libro Quadripartitæ: Verùm modico exacto tempore, nempè trienṅio elapſo, *nimirùm anno centeſimo ſeptuageſimoquarto poſt milleſimum, ut teſtatur Rogerius in Annalibus Anglicanis*, inter Regem patrem & Regem filium profana ſeditio, & bellum nimis inteſtinum exortum eſt, adeò ut adversùs Regem patrem, & ſui ferè omnes, & etiam alieni (Francorum videlicèt Rex in potentatu ſuo magno) cum filio Rege fœdus jungentes inſurrexerint Reges terræ, & regna, & nationes, & populi tàm ſui, quàm alieni adversùs ſolum Regem patrem armarint. Igitur pater Rex quid faceret, quò ſe verteret, ad quos declinaret? Nuſquam tuta fides, immò nulla quia periit; & intus timores, foris pugnæ. Quod igitur ſolùm tunc ſupererat, humano deficiente, Rex ſolùm ad divinum auxilium & conſilium ſe convertit. Audiens quippè in dies & certiſſimè credens, mundo jam conteſtante, & cum admiratione conclamante virtutes, & ſigna & prodigia, quæ Cantuariæ fiebant per Martyrem; de mutua inter ipſum & Martyrem jam pridem gratia ſicut ſpero, non immemor, eò etiam fiducialior, quòd de exceſſu ſuo in Martyrem gauderet, & ſperaret ſe pœnitentiam egiſſe: à Northmannia exivit, & illam, ſicut alias dominationis ſuæ terras tranſmarinas in ſolius protegentis Dei & Martyris ſui manu relinquens, confeſtim ſola divinæ protectionis ſpe adversùs hoſtes ſuos armatus tranſivit maria, & omni occaſione & dilatione poſtpoſita, Cantuariam venit.

VI. Viſitat Rex ſepulchrũ Martyris.

Verùm Rex antequàm civitatem intraret, ut ipſam vidit metropolitanam Eccleſiam in qua Martyr requieſcit: mox incredibiliter humiliatus & devotus, exinanivit ſe poteſtate tanta, pauperis ſervi formam induit, nudis pedibus, totoque nudato corpore, præterquàm vili quadam tunica ſuper nudo amictus, & pedes & nudus, ſic palàm in omnium conſpectu civitatem intravit, & per vicos & plateas civitatis luteas, tamquàm de plebeis viliſſimis unus, abjectè ſic inceſſit. Ecce David (*a*) alter, qui quemadmodùm dilecto ſuo filio ſuo Abſalone ob peccatum ipſum perſequente, nudis plantis civitatem exivit, ita iſte ſecundus David ingreditur. Et ita ſuſpiriis & gemitibus, tot gentibus & nationibus tremebundus, ipſe timens & tremens Martyris adiit ſepulturam, ubi tota illa adventus ſui die & nocte ſequente jejunus & pervigil ante Martyrem pernoctavit. Non fallor, nec enim dubito, ſicut gemebundas, & pias ante Martyrem, quem adeò dilexerat, & à quo tantum dilectus fuerat, orationes effundens, ejus (nec dubium) meritis, orationibus, & patrociniis in tàm arcto, toto cordis affectu ſe commendans; quod citò poſt rerum exitus comprobavit. Ibidem tàm coram Martyris ſepultura, quàm coram ipſo Martyre, ſancto illo & venerabili fratrum cœtu convocato, à ſingulis virgæ diſciplinalis percuſſiones ſingulas, velut quaſdam ſecundas quadragenas Apoſtolicas, (*b*) immò regias novas, & (ſicut arbitror) uſque tunc

a 2. *Reg.* 17.

b 2. *Cor.* 11.

A inauditas accepit.] Addit ad hæc Eduardus in vita ipſius: Veſte ſe nudans, caput in tumuli feneſtram magna humilitate ſubmiſit, ita ut omnes eo ſpectaculo ad lacrymas moverentur. Primoque ab Epiſcopis quinquies cæſus eſt, deinde à monachis ampliùs octoginta ternos accepit ictus.] Hæc ipſe. Pergit verò Herebertus: Conſuetudines etiam illas, quæ inter ipſum & Martyrem fuerant diſſenſionis materia, Rex tamquàm verè pœnitens pro tanti Martyris devotione & Martyris virtute abdicavit malas, & iniquas, bonas verò ſolùm ſervandas B ſanxit in poſterum, quarum tamen abdicatæ nonnullæ & ab Eccleſia damnatæ per regnum obſervantur adhùc. Quod ſi Rege ſciente & approbante factum ſit, ipſe Rex viderit, Deus novit. Omnibus itaque in tanta humilitate & devotione conſummatis, Rex peregrinus in craſtino, poſt Miſſam ante Martyris ſepulchrum celebratam de Martyre, maculatis ſic pedibus, ut humiliter coram Martyre venerat, nec etiam refocillatus, in ſpe multa patrocinii per Martyrem in brevi futuri receſſit: nec fefellit eum ſpes.

Ope Martyris Rex vincit.

Enimverò (quo dictu mirum, & ad Mar-C tyris gloriam, & Regis pœnitentialem devotionem commendandam non eſt tacendum) ipſo die, ſicut novit mundus, & Rex ipſe fateri dignatus eſt, quo (ut diximus) audita ante Martyrem & de Martyre Miſſa, Martyre affectuoſiſſimè ſalutato, quaſi à Martyre benignè licentiatus receſſit; ipſo inquam die, qui dies Sabbathi tunc erat, eadem die & hora, qua Miſſæ interfuerat, Rex Scotorum captus eſt inter multos, & magnos Regis inimicos, ipſe tunc maximus, aut de maximis, à militibus quibuſdam paucis & mediæ manus hominibus, qui inter paucos Regi D ſeniori favabant, interceptus eſt, & tamquàm gladio non extracto, nec militiæ illæſo; ſed ſicut ſine pugna & plaga captus quodam (ſicut dicebatur) caſu fortuito, ſed neſcio quo, ab exercitu ſuo grandi, quem collegerat, parùm deflexus, Altiſſimo quidem, in cujus poteſtate cuncta ſunt poſita, volente eum tradi ſic. Sed quis per ſingula narret, quæ Rex poſt tàm humilem, tàm devotam peregrinationem ſenſerit in dies? nec longa mora, & ciſmarini & tranſmarini ei rebelles in reticulum, quod ipſi domino ſuo tetenderant, ceciderunt. Videntes autem E alii tàm ſubito cum Rege manum Domini tàm validam, ſiluerunt univerſi, & ita ſupra mundi aſſertionem & ſpem, ex inſperato & ſubitò ſiluit omnis terra in conſpectu ejus, & factum eſt in pace regnum ejus, Domino ſuper iram inimicorum ſuorum manum ſuam ſic extendente. Quem ſuper inimicos ſuos ſucceſſum talem, & pacem tantam & tàm perfectam, eò plus miraculoſam, quò tàm citam, omnium animis obfirmatis adversùm ſe, Rex totam adſcripſit Domino, & glorioſo martyri Thomæ, cui certiſſimè erat adſcribenda.] Hactenùs de his Herebertus.

tua. Agit & de eadem pœnitentia publica Regis Neubrigenſis, & ipſe ejuſdem temporis auctor, (a) itemque Rogerius in Annalibus hoc anno, ubi pluribus narrat, quot hoc anno ex ipſa pœnitentia idem Rex bona fuerit conſecutus, cùm omnea adverſarios, quos Deus converterit in amicos & obſequentea, filiumque Regem rebellem unà cum fratribus redire fecerit ad patris gremium pacificum & pœnitentem. Hæc omnia inexpectata, hoc eodem anno, Rex à Deo feliciter ac facilè fuit bono pœnitentiæ conſecutus.

a Neub. lib. 2. c. 34.

VIII. Ecce, certamen Martyris audiſtia, & finem Domini (b) vidiſtia.] Qui vivens nec adminiculis Romani Pontificis, nec Regis Francorum, aliorumque Principum ſuperare potuit perfidiam Regis Anglorum: de ipſo jam triumphavit occiſus, ſuperavit eum cùm putaretur extinctus. Iſtiuſmodi ſunt nova prœlia Domini, ut exurgant mortui vindices, & de perſecutoribus ſic erigant, ſtatuantque trophæa, qui jam oppreſſi & compreſſi, & ad nihilum penè redacti à perſequentibus hoſtibus videri poterant. An ne Deus ille, qui ſic mirificavit Sanctum ſuum, periit (quod nec id facti præſumit iniquitas) aut dormit ut ad vindictam non excitetur aliquando adverſùs eos, qui hoc noſtro ſæculo in ejus ſacras reliquias, adeò ſacrilegum exercuere judicium, & quadruplo nequiorem renovarunt impietatem, debacchati furore ſatanico in eaſdem? Væ (c) impio in malum: Retributio enim manus ejus fiet ei.] Qui ad tempus dormire videri dormientibus poteſt, excitabitur Dominus tamquàm potens crapulatus à vino, (d) & percutiet inimicos ſuos in poſteriora: & opprobrium ſempiternum dabit illis.] Sed quando hæc erunt? ſcit ipſe. Illud tamen exploratiſſimum, quòd fieri deſinent iſta, cùm Deus deſiverit eſſe Deus. Meminit & Petrus Bleſenſis de iſtiuſmodi acceptis à ſancto Martyre beneficiis in viſitatione ſepulchri in epiſtula ad Panormitanum Archiepiſcopum, ubi & breve iſtud habet rerum geſtarum ſummarium, quo excuſatur à cædis crimine Rex, conjecta in pravos Epiſcopos culpa, quod & ſuperiùs eſt demonſtratum; ait enim: (e)

b Jacob. 5.
c Iſai. 3.
d Pſal. 77.
e Petr. Bleſ. ep. 66.

IX. Quod autem de morte beati Martyris quæritis, in verbo Domini, & in ordine diaconi vobis dico, me nullo modo habere in conſcientia, ipſum hujus rei culpabilem extitiſſe. Hujuſque fidem pleniſſimam facient dominus Theodinus Portuenſis Epiſcopus, & dominus Albertus Cancellarius, qui propter hoc in partibus noſtris legatione fungentes exploraverunt, & innocentiam viri cognoverunt; atque ſub umbra illius hoc à quibuſdam attentatum fuiſſe, totamque hanc iniquitatem à ſanctuario proceſſiſſe. Accepta ſiquidem ab eis canonica purgatione illius, illi de mandato Domi-

A mi Pontificis publicè ſententiaverunt, eum ab hoc crimine coram Deo & hominibus eſſe innoxium. Et in quoſdam magnates, quorum malitiam in hac parte manifeſtè convicerant, notam infamiæ retorſerunt. Illud quoque noveritis, dominum Regem glorioſum Martyrem in omnibus anguſtiis ſuis patronum habere præcipuum. Eadem ſiquidem die, qua primò tumulum Martyris viſitavit, Regem Scotiæ perſecutorem, & impugnatorem fortiſſimum captum vinculis carceralibus mancipavit. Continuatoque deinceps favore ſucceſſuum, ope Martyris de univerſis hoſtibus glorioſiſſi-

Henrici Regis Angl. prædicatæ Laudes.

B mè triumphavit. Sciatis igitur certiſſimè, quòd charitatem illam, qua ſe olim Rex & Martyr mutuò dilexerunt, neque mors, neque gladius abolevit.] Hæc Petrus, & alia plura in laudem ejuſdem Regis, in quo argumento locupletiſſimè verſatus eſt, quippè qui, ut dictum eſt ſæpè ſuperiùs, ſcripſerit volumen de laudibus ejuſdem Regis, ut teſtatur in epiſtola ad (f) Sacellanos aulicos Regis. At hæc ſatis.

f Idem ep. 14. in fine.

His igitur de Henrici Anglorum Regis vera pœnitentia enarratis, ad Alexandrum Pontificem res reliquæ ab ipſo hoc anno geſtæ reducunt.

C Hoc namque anno in fine ipſius, nempè menſe Decembri, die triceſima ejuſdem, expoſcente Vvillelmo juniore Siciliæ Rege, qui planè regio apparatu Eccleſiam ſub titulo S. Mariæ ſupra S. Cyriacam, ſive Dominicam, monaſteriumque inſigne ipſi conjunctum erigebat juxta Panormum, in loco qui dicitur, Mons Regalis: Alexander Papa Ferentini cùm eſſet, privilegium exemptionis eidem contulit, aliaſque nonnullas prærogativas addidit, paucis concedi ſolitas. Extat adhùc ipſum diploma, ſubſcriptione munitum decem S. R. E. Cardinalium, cujus ſummarium unà cum aliis

D ejuſdem monaſterii monimentis habes in libro, cujus eſt titulus, Hiſtoria Eccleſiæ Montis Regalis, conſcripta à Joanne Ludovico Lello, nuncupata verò ejuſdem Archiepiſcopo Ludovico Torrio, nuper aucto ob inſignia virtutum & doctrinæ merita, S.R.E. Cardinalatu à Paulo Papa V. Porrò ipſe Alexander Papa, eodem expetente Rege, aliis adhùc idem monaſterium locupletavit privilegiis, nempè ut non niſi Romanæ Eccleſiæ ſubjectum eſſet: cui Rex ipſe obtulit, ut eidem pro annuo cenſu perſolveret monetæ Siculæ tarenos centum. Iſta

E teſtatur Cencius Camerarius in libro cenſuum à ſe conſcripto. Quod cùm dicat factum anno decimoſeptimo ejuſdem Alexandri Papæ, certum eſt habuiſſe reſpectum ad ejuſdem Papæ diploma, datum Anagniæ anno ſequenti, menſe Februarii, die decimaquinta ejuſdem, quo ea de cenſu perſolvendo continentur. Quando autem eadem Eccleſia in Archiepiſcopatum fuerit exaltata, ſuo loco inferiùs dicturi ſumus.

I. Concilium Anglicanum.

ANNUS ſequitur Redemptoris milleſimus centeſimus ſeptuageſimusquintus, Indictione octava Faſtis adſcriptus, quo in Anglia (ut Eccleſiaſtica prius quàm bellica pertractemus) Dominica die ante Aſcenſionem Domini Concilium Vveſtmonaſterienſe celebratur à Richardo Archiepiſcopo Cantuarienſi, ubi B Roma imbutus admonitione Pontificis in Angliam rediit. Statuti ſunt in eo ad diſciplinam Eccleſiaſticam reſtituendam canones decem & octo, quos ſingulos Rogerius in Annalibus recitat, eoſdemque omnes concinnos & accommodatos decretis Romanorum Pontificum. Et inter alios, qui numeratur decimuſquartus, prohibet ex decreto Alexandri tunc Romani pontificis, ne quis novam Præfationem ultra decem, quæ eſſent in uſu Romanæ Eccleſiæ, addere Miſſis aliquo pacto præſumeret. Hæc & alia ibidem conſcripta digna memoria. In eodem quoque C Concilio complures pertractatæ ſunt Eccleſiaſticæ controverſiæ diverſi generis, ſed illæ majoris momenti, quæ emerſerant inter duos ipſos primarios Angliæ Archiepiſcopos, nempè Cantuarienſem atque Eboracenſem, quæ quidem, quoniam maximi ponderis eſſe viderentur, delatæ ſunt per appellationem ad Apoſtolicam Sedem, quarum cauſa, Rege petente, ab Alexandro Romano Pontifice decreta eſt in Angliam legatio à latere, per S. R. E. diaconum Cardinalem ſancti Michaelis Hugeaum de Petro Leone implenda, de qua plura Rogerius in D Annalibus.

II. Alexandria civitas obſeſſa ab Imper. Frid.

Hoc eodem anno Fridericus Imperator ex totius Germaniæ, & qua polleret parte Italiæ apparatu collecto, tota hieme, vereque in obſidione Alexandriæ Longobardorum recèns erectæ civitatis abſque mœnibus ſubſiſtentis, non ſecus ac illam florentiſſimam olim Ægypti primariam civitatem Alexandriam expugnaturus, animo obſtinato perſiſtens, ſæpè rejectus, tandem exercitus conſumptis viribus, maximo damno atque dedecore terga vertere turpiſſimè cogitur. Quomodò autẽ iſta ſe habuerint, Acta Alexan- E dri Papæ tunc ſcripta ſic docent: Cùm autem neque terroribus, neque blanditiis, neque promiſſionibus cives ipſos ad deditionem inclinare nullatenùs poſſet, Fridericus Imperator ſubterraneos meatus occultè fieri fecit, per quos civitatem ipſam ex improviſo intrare ſperavit, atque invadere. Sed reſiſtente Domino, indè perniciosam jacturam incurrere meruit, undè affuturam victoriam, & triumphum conſequi ſperavit. At quoniam eadem civitas jam per quatuor menses di-

Inſidiis Imp. Alex. civitatem tentat.

ſtrictè obſeſſa fuerat, & in multis patiebatur indigentiam: Lombardorum vires & ſuffragium poſtulavit. Tunc Lombardiæ immenſa civitatum ſocietas in unum convenit, & communi omnium voluntate firmiter ſtatuit, ut cum abundantia victualium Alexandriam in manu valida B ſine mora feſtinare deberet. Mediante enim Quadrageſima omnium civitatum nobiles totius Liguriæ, & Marchiæ, & Æmiliæ apud Placentiam convenerunt, & ritè diſpoſitis & ordinatis omnibus, quæ ad bellicos uſus videbantur ſpectare, cum navibus, & plauſtris victualibus oneratis, & armis exierunt de civitate ipſa. Procedentes autem in multa fortitudine militum peditum armatorum & arceriorum verſus Alexandriam, die Dominica in ramis Palmarum juxta Terdonenſes caſtra ſua, non longius à caſtris Friderici quàm decem milliariis, poſuerunt. Ubì verò Teu- C tonici, & Longobardi ſeſe alterutros aſpexerunt, timor & hebetudo mentis Fridericum invaſit, advertentem contra ſe ſtare armatorum terribilem multitudinem, caſtrorum aciem ordinatam. Exinde ad conſueta calliditatis argumenta ſe convertens, Alexandrinis in dolo placidè locutus eſt in hæc verba: In craſtino ſanctus dies Veneris imminet, quem omnis Chriſtianus devotiſſimè colit. Ideò pro reverentia Crucifixi treguam vobis & ſecuritatem uſque ad quartam feriam Paſchæ ex Imperiali benignitate concedo, & largior.

III. Subdola Frider. Imp.

D Recepta itaque ſecuritate, cùm ſinguli de populo nihil mali ſuſpicantes dormirent in domibus ſuis: eorum inſidiator circa primam vigiliam noctis viros armatos in civitatem per ſubterraneos meatus intrare præcepit. Ipſe autem cum toto exercitu ſtetit ad portas armatus, expectans, quouſque illi quos præmiſerat, civitatem intraſſent, & conclamantium voces audiret, quatenùs, dum bellum intrinſecùs ageretur, ipſe deforis per portas violenter irrumperet, & civitatem hoſtiliter occuparet. Sed à Domino factum eſt, quod mirabile in oculis noſtris E fuit, ut eadem civitas à tàm perverſa proditione in momento liberaretur, & inventa iniquitas in perverſorum caput juſtè retorqueretur. Nihil enim juſtius, quàm necis artifices ſua lege perire. Non poteſt mentiri Veritas, quæ ſic de reprobis loquitur: (a) Convertetur dolor ejus in caput ejus, & in verticem ipſius iniquitas ejus deſcendet. Et rurſùm: (b) Qui proximo ſuo parat foveam, ipſemet incidet in eam. Cùm igitur vigiles, qui cuſtodiebant civitatem, armatorum cuneos ingreſſos civitatem viderent: exclamave-

a *Pſal. 7.*
b *Pſal. eod. & 16.*

mavernnt magnis vocibus, ut citò populus ad arma conſurgeret, & ingreſſos hoſtes expelleret.

S. Petrus viſibilis apparens liberat Civitatem.

Tunc cives ſubitò convolarunt ad arma, & tamquàm leones irruerunt in hoſtes, quos cum beato Petro, quem ante ſe in equo albo coruſcantibus armis præire cernebant, proſtraverunt in terram, & in gladio compulerunt omnes, ut mortem evaderent, exire ſuper aggeres, ex quibus præcipitabantur inviti. Omnes prætereà, qui de ſubterraneis meatibus nondum exierant, ſuperiori terra cedente ſuffocati ſunt. Apertis tunc portis, exivit populus in fortitudine magna, & exercitum perfidi Friderici uſque ad diem Sabbathi percuſſit in gladio, ita ut uſque ad ipſius caſtra mortuorum ſtrages uſquequaque jacerent. Inſuper ligneum caſtellum, quod in perniciem civitatis ex fortioribus atque electis militibus armaverant ſtudiosè tamdiu, viriliter expugnavit, atque unà cum militibus ibi poſitis violenter combuſſit.] Audiſti, Lector, Dei opera admiranda in liberando à longa obſidione ſuam civitatem, quæ auſpicio Petri fundata ſuper firmam petram, nulla (*a*) potuit adverſaria tempeſtate moveri, adeò ut, ſalvo divini myſterii ſacramento, de ea pariter dici poſſit: (*b*) Glorioſa dicta (*c*) ſunt de te civitas Dei:] In cujus defenſionem Petrus invigilet, pugnet, propellat, & expellat ipſum etiam Imperatorem in caſtra, & ejus conſumat exercitum. Si quis de his dubitat, doceat, quonam modo abſque præſentia numinis tanta iſta fieri potuerint. Sed reliqua proſequamur ex Actis iiſdem, quæ ſic pergunt:

a Matt.7.
b Pſ.86.
c Ibidem.

V. Imper. ſolvit obſidionem Alexādriæ Civitatis.

Videns igitur Fridericus divinam Majeſtatem ſibi in omnibus infeſtiorem adverſari: timuit, ne propter ſubventionem Lombardorum exercitus incurreret violentiam, & cum rubore cogeretur ab obſidione recedere. Quocircà in proxima nocte caſtra fecit comburi, & in Dominicæ Reſurrectionis aurora cum omnibus ſuis verſus Papiam iter ſuum direxit. Sed quia vitare non poterat, quin juxta expeditionem Lombardorum tranſitum faceret, & juxta Aſtenſem civitatem prope Longobardos, in villa, quæ vocatur Guignella, volnit caſtrametari, quia non verebatur ab illis offendi, niſi ab eo fuiſſent hoſtiliter provocati. Lombardi verò nondum cognoverant ea, quæ omnipotens Deus heſterna die cum Alexandrinis mirabiliter fecerat: ſed ubi viderunt Fridericum erectis vexillis contra ſe venientem, arma ſumpſerunt, & coram eo parati ad pugnam viriliter ſteterunt in armis, expectantes, quid potiùs faciendum eligeret, an inciperet bellum cum ipſis; quod minimè credebatur, quia valdè pauciores, quàm ipſi, viros bellatores habebat, aut quietè caſtrametaretur, & neminem lederet. Ipſe verò eadem die, quam fecit Dominus, reſedit pacificè in dicta villa. Illuceſcente autem ſecunda die, quidam nobiles, qui nulli partium habebantur ſuſpecti, prius ad Friderieum, & conſequenter ad Longobardos acceſſerunt in hæc verba.

VI. De cōſultatio interponitur.

Quæ major inſania, vel quod excellentius malum excogitari poteſt aut optari, quàm quòd dominus ſervum, vel ſervus dominum ſuo jure privare conetur, & per violentiam poſſidere. Sit ergò unaquæque pars ſuo jure contenta, & tàm gravibus malis jam ceſſantibus, ut pax optata inter nos cooperante Domino reformetur; nihil melius, aut utilius excogitari poteſt. Tunc Imperator ſuſpirans, poſt multa quæ hinc indè allegata fuerant, ſic reſpondit: Ego ſalvo Imperii jure, paratus ſum ſuper hac controverſia ſtare arbitrio bonorum virorum utriuſque partis. Conſequenter & communitas Lombardorum dixit: Salva Eccleſiæ Romanæ auctoritate & libertatè, pro qua decertamus, nos ad idem veniemus. Et ſtatim electi ſunt à Friderico Imperatore Philippus Colonienſis Electus, G. de Pelaſta Taurinus Capitaneus, R. de ſancto Nazaro Papienſis. A Lombardis verò electi, G. Piſcis de Mediolano, G. de Gambara Brixienſis, & C. de Verona. In quos utraque pars hilariter compromiſit.] Sic Acta.

At nihil inter partes potuiſſe tranſigi, cùm Fridericus peteret demolitionem civitatis Alexandriæ, tradit Robertus de Monte. Ipſum verò Imperatorem aſſerit Papiæ remanſiſſe, in annum ſequentem parantem copias ex Germania. Sic interim ſub ſpe pacis Lombardos fraudulenter detinuit, ne proſilirent ad arma: nam audi Acta Pontificis.

VII. Ab Alex. Pap. decernuntur Legati ad Imper.

Fridericus verò, cùm apud Papiam moraretur diutiùs, & in actionibus ſuis eventus ſemper ſiniſtros haberet, ut religioſos viros & populum ſibi faceret favorabilem, pacem cum Romana Eccleſia, quam præ cæteris rebus ſe affectare publicè aſſerebat, per ſeipſum requirere ſtuduit. Miſit ergò per litteras, & familiares ſuos ad Portuenſem, & Oſtienſem Epiſcopos, & Cardinalem ſancti Petri ad Vincula, ut pro reformanda pace inter Eccleſiam & Imperium ad eum ſecurè accederent, quatenùs viva voce inter alterutrum opus ipſum tractare, & ad optatum finem perducere cum honore Eccleſiæ, Domino cooperante, poſſent. Quod verbum poſtquàm ad aures Apoſtolicæ Sedis pervenit; non immeritò ſuſpectum omnibus fuit, tùm quia præteritorum exhibitio futurorum certitudinem demonſtrabat; tùm quia idem Fridericus non videbatur ad ulla bona opera inclinari. Verumtamen quod ſecundùm beati Auguſtini dictum, Dubia ſunt in meliorem partem interpretanda, & pax non ſolùm inquirenda, ſed perſequenda eſſe deſcribitur: dominus Alexander Papa de communi fratrum ſuorum conſilio prædictas perſonas plenè inſtructas ad præſentiam ipſius Imperatoris honorificè deſtinavit. Eis igitur ſegregatim per diverſas regiones proficiſcentibus, univerſa plebs in jucunda inſpectione lætabatur in Domino; & conventionem eorum puerorum copioſa mul-

& fratrum ſuorum collegium, Domino ductore, redierunt. Lombardi verò antiquam ſuæ libertatis poſſeſſionem defendentes, improbis ejuſdem Friderici conatibus fortiùs ſolitò reſtiterunt, cum Papienſibus, Marchionibus, & Comanis aſſiduis decertationibus contendentes.] Illud quod intendit ex hoc vaferrimus Imperator, lucratus, ut obtentu pacis bellum inſtans Longobardorum ſuſpenderet uſque ad tempus, quo ipſa hiems bella concitata dirimeret.

XII. Alexandria aucta Epiſcopatu.

Alexander verò Papa ſuos Alexandrinos, qui perquàm ſtrenuè dimicantes, devicto & fugato Imperatore adeò glorioſa trophæa erexiſſent, eò planè ingenti beneficio muneravit, ut ipſam Alexandriam in ſedem Epiſcopalem erigeret, & ex Romana Eccleſia primum Epiſcopum daret: contrà verò civitatem Papienſem ſedem ſchiſmaticorum, velut Romanæ Eccleſiæ privilegiis indignam humi deprimeret. De his enim habent Acta: Eodem tempore A Alexander Papa in Eccleſia Alexandriæ ad poſtulationem Mediolanenſis Archiepiſcopi, & comprovincialium Epiſcoporum, atque rectorum civitatum Lombardię Epiſcopatum conſtituit, in qua fecit in Epiſcopum eligi Arduinum Romanæ Eccleſiæ ſubdiaconum, à Mediolanenſi Metropolitano tamquàm ſuum Suffraganeum conſecrandum. Præterea Papienſem Epiſcopum Crucis, & Palii dignitate privavit, eò quòd civitas diu Octaviano hæreſiarchæ, & Friderico Imperatori excommunicato adhæſerit, & poſt præſtitam ſatisfactionem eumdem Fridericum in gravem jacturam Eccleſiæ & Lombardorum præſumpſerit in Italiam revocare.] Hactenus Acta. Porrò redditibus Aquenſis Eccleſiæ tunc ob communicationem ſchiſmatici Imperatoris factæ ſchiſmaticæ locupletatum fuiſſe Alexandrinum Epiſcopatum, litteræ Innocentii Papæ Tertii, & aliorum ſignificant, de quibus ſuo loco inferiùs.

Papienſis Eccleſ. privatur privilegiis.

B

I. Frider. Imperator. Generum querit habere Siciliæ Regē.

Milleſimus centeſimus ſeptuageſimuſſextus, Indictione nona, ſequitur annus, quo Fridericus Imperator, cùm minus polleret viribus; magis, more ſuo, dolis atque fallaciis præſtans; omnes excogitat artes, ut divelleret Vuillelmum Siciliæ Regem potentiſſimum ab Alexandri Romani Pontificis amicitia & obſequio, ut ejus præſidio deſtitutum poſſet ipſum ſibi ſubiicere. Ad hæc implenda opportuno remedio utitur, nimirùm ut eum ſibi devinciat fœdere nuptiarum; nondum enim ille uxorem acceperat. Iſta adeò Eccleſiæ Catholicæ damnoſa moliente Imperatore, Alexander Pontifex interceſſit, effecitque ut Rex religioſiſſimus averſaretur unà cum Imperatore perſecutore etiam progeniem ejus; atque ſtatueret, ut non niſi Patris arbitrio, nempè ipſius Alexandri Pontificis deliberatione iniret connubium. Qui ipſi ſuaſit, filiam Regis Angliæ Joannam ducere in uxorem, quod hoc anno factum eſſe, Romualdus Archiepiſcopus Salernitanus affirmat in Chronico, ubi hæc habet: Intereà prædictus Cancellarius ex mandato Imperatoris Nuntios ad Vuillelmus Siciliæ Regem tranſmiſit, ſuadens & poſtulans, ut ipſa Imperatoris filia in uxorem accepta, cum eo pacem perpetuam faceret, & ipſi ſe amicabiliter counirct. Sed Rex Vuillelmus, utpotè Chriſtianiſſimus & religioſus Princeps, ſciens hoc matrimonium Alexandro Papæ plurimùm diſplicere, & Romanæ Eccleſiæ non modicam jacturam inferre, Deum & Alexandrum Papam in hac parte reveritus, Imperatoris filiam in uxorem, & ejus pacem recipere noluit. Quod factum Imperator ægrè tulit.] Et inferiùs:

D

II. Intereà Rex Vuillelmus conſilio Papæ C Alexandri; Eliam Trojanum Electum, & Arnulphum Caputaquenſem Epiſcopum, & Florium de Camerota Juſtitiarium ad Regē Henricum in Angliam miſit, ut ei Joannam minorem filiam ſuam in uxorem daret. Rex autem Angliæ Henricus Papæ Alexandri & Principum ſuorum conſiliis acquieſcens, petitioni regiæ præbuit gratanter aſſenſum, & filiam ſuam cum Nuntiis ejuſdem Regis & Principibus ſuis uſque ad ſanctum Ægidium honeſtè tranſmiſit. Quo cognito Rex Vuillelmus Alphanum Capuanum Archiepiſcopum, & Richardum Syracuſanum Epiſcopum, & Comitem Robertum de Caſerta cum vigintiquinque galeis ei obviam miſit. Qui venientes uſque ad ſanctum Ægidium, prænominatam Regis filiam intra galeas recipientes uſque Neapolim deduxerunt &c.] Hucuſque Romualdus. Agit & de his Rogerius in Annalibus, idemque teſtatur, Regem ipſum, antequàm aſſenſum præberet filiæ matrimonio, conſulere voluiſſe regni Epiſcopos, eaque de cauſa hoc anno collectum fuiſſe Londonienſe Concilium, ubi Epiſcoporum & regni Principum rogata ſententia, judicatæ ſunt nuptiæ hujuſmodi proficuæ Anglorum regno. Sicque miſſa eſt Joanna in Siciliam, dato comite Ægidio Ebroicenſi Epiſcopo, unà cum aliis Regis Nuntiis. Recitat idem auctor diploma donationis factæ per eumdem Vuillelmum Regem eidem Joannæ uxori, datum illud anno ſequenti, nempè milleſimo centeſimo ſeptuageſimoſeptimo, menſe Februarii, Indictione decima: eo namque tempore deſponſata fuit & coronata Regina, die Dominica ante ingreſſum Septuageſimæ, Idibus Februarii. Sicque, cum anteceſſores ſui Reges An-

Arbitrio Papæ Rex Siciliæ ducit uxorē.

E

Digitized by Google

A gliæ cum Germanis iniiſſent conſortia nuptiarum: magis placuit Henrico Regi exemplo ſanctorum Patriarcharum gentili ſuo Northmanno jungere matrimonio filiam ſuam, ipſumque Vvillelmum Regem ex antiqua Northmannorum progenie expetere ſibi generum. Subdit his verò Rogerius, hoc eodem anno ab Alexandro Pontifice miſſum à latere Vivianum preſbyterum Cardinalem in Scotiam, ægrèque acceptum tandem ab Anglorum Rege, Legatumque Scotiæ, rebus compoſitis, anno ſequenti tranſiiſſe in Hiberniam.

Legatio Viviani Cardin. in Scotiam.

III. Hoc item anno detenti ſunt hæretici Toloſates ſive Albienſes dicti, Manichæis B potiùs quàm Arrianis affines (licèt Arriani nominati inveniantur) examinatique ab Epiſcopis convicti ſunt, adversùs Catholicam doctrinam ſapere. Extant ipſa Acta, quæ ſub hoc eodem anno recitantur à Rogerio hujus temporis auctore in Annalibus Angliæ, his verbis:

* Manichęa

Eodem anno damnata eſt * Arriana hæreſis, quæ ferè totam provinciam Toloſanam fœdaverat; coram Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & aliis religioſis viris & honeſtis ſubſcriptis.

Toloſates hæretici, conventi & convicti.

Erant itaque in provincia Toloſana quidam hæretici, qui ſe appellari faciebant, Bonos homines, quos manutenebant milites de Lumbercio, proponentes, & docentes populum contra Fidem Chriſtianam: dicentes etiam, quòd non recipiebant Legem Moyſi, neque Prophetas, neque Pſalmos, neque vetus Teſtamentum, neque Doctores novi Teſtamenti, niſi ſolummodò Evangelia & Epiſtolas Pauli, & ſeptem Canonicas Epiſtolas, & Actus Apoſtolorum, & Apocalypſim. Et interrogati de fide ſua, & de baptiſmo parvulorum, & ſi ſalvabantur per baptiſmum; & de Corpore & Sanguine Domini ubi conſecrabatur vel per quos, & qui ſumebant, & ſi magis vel melius conſecrabatur per bonum quàm per malum; & de matrimonio ſi poterant ſalvari, ſi carnaliter jungebantur vir & mulier.

Reſponderunt, quòd de fide ſua, & de baptiſmo parvulorum non dicerent, neque dicere cogebantur. De Corpore & Sanguine Domini dicebant, quòd qui dignè ſumebat, ſalvabatur, & qui indignè, acquirebat ſibi damnationem: De matrimonio autem dicebant, quòd vir & mulier jungebantur propter luxuriam & fornicationem vitandam, ſicut dicit (a) Paulus. Dixerunt etiam multa non interrogati, quòd non debebant jurare omninò per aliquod juramentum, ſicut dicebat (b) Matthæus in Evangelio, & (c) Iacobus in Epiſtola ſua. Dixerunt etiam, quòd Paulus (d) * prædicebat, quòd eſſent ordinandi in Eccleſia Epiſcopi & preſbyteri, & ſi tales non ordinabantur, quales præcipiebat, non eſſent Epiſcopi, nec preſbyteri, ſed lupi rapaces, hypocritæ, & ſeductores, amantes ſalutationes in foro, primas cathedras, & primos accubitus in cœnis, volentes vocari Rabbi, contra (e) præceptum Chriſti, ferentes albas & candidas veſtes, geſtantes in digitis aureos annulos & gemmatos, quod non præcipit magiſter eorum. Et ideircò, quia tales Epiſcopi & preſbyteri erant, quales fuerunt preſbyteri, qui tradiderunt JESUM, non debebant illis obedire, quia mali erant. Auditis itaque utrimque allegationibus coram Gerardo Albienſi Epiſcopo, electis etiam & ſtatutis judicibus ab utraque parte, & conſentientibus & aſſidentibus præfato Epiſcopo Gerardo Albienſi, & Rogerio Caſtrenſi Abbate, & Petro Abbate Ardulcenſi, & Abbate de Candilio, & Arnal-B do Narbone in præſentia bonorum virorum tàm Prælatorum & clericorum, quàm laicorum, videlicèt domini Petri Narbonenſis Archiepiſcopi, atque aliorum Epiſcoporum & Abbatum, Archidiaconorum, necnon & Comitum, & virorum potentum, numero viginti illius provinciæ, & ferè totius populi Albiæ, & Lumberci. Contra quæ prædicti hæretici proponebant, & inductæ ſunt novi Teſtamenti multæ auctoritates à domino Petro Narbonenſi Archiepiſcopo, & à Nemaucenſi Epiſcopo, & à Petro Sendracenſi Abbate, & Abbate de Fonte frigido. Præfati enim hæretici C nolebant recipere judicium, niſi per novum Teſtamentum.

a 1. Cor. 7.
b Matth. 5.
c Iacob. 5.
d 1. Tim. 3. & Tit. 1.
* al. præcipiebat.
e Matt. 23.

Talem ergo definitivam ſententiam ex novo Teſtamento protulit Lugdunenſis Epiſcopus coram omnibus prædictis, facto à cunctis ſilentio: Ego Gilebertus Lugdunenſis Epiſcopus ex mandato Albienſis Epiſcopi, & aſſeſſorum ejus, judico iſtos eſſe hæreticos, & damno ſententiam Olivetii & ſociorum ejus, ubicumque ſunt, & hoc judicamus per novum Teſtamentum. IV.

Singula capita hæreſum dānantur.

In primo capitulo damnamus, & judicamus hæreticos eſſe, qui non recipiunt D vetus Teſtamentum. Lex enim recipienda eſt per Evangelium, & qui Legem non recipit, Dominum JESUM Chriſtum non credit: ipſe enim in Evangelio dicit: (f) Si crederetis Moyſi &c. Et iterùm: (g) Non veni Legem ſolvere, ſed adimplere. Et iterùm: (h) Oportet impleri, quæ ſcripta ſunt in Lege, & Prophetis, & Pſalmis de me &c. Et incipiens à Moyſe interpretabatur illis Scripturas &c. Quare autem interpretabatur Scripturas, & quare dabat doctrinam de Lege & Prophetis, niſi quia volebat, ut Legem & Prophetas reciperent, & ut confirmarentur in Fide per Le-E gem & Prophetas? Multa etiam Dominus JESUS inducebat de Lege, & Prophetis, & Pſalmis, quod quidem bonus magiſter non feciſſet, niſi Lex, & Prophetæ, & Pſalmi recipiendi eſſent. Oſtendit etiam factis Legem eſſe bonam, quia circumciſus eſt, & in templo præſentatus, & hoſtia pro eo oblata ſecundùm Legem Moyſi. Et ipſe, (i) ut ſcriptum eſt, aſcendit ad diem feſtum, in transfiguratione, quà Moyſes & Elias (k) prophetæ apparuerunt, perhibentes ei teſtimonium. Convincimus etiam eos per Epiſtolas; ait enim Paulus: (l) Quæcumque

f Ioan. 5.
g Matt. 5.
h Luc. 24.
i Ioan. 7.
k Matt. 17.
l Rom. 15.

cumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctri-
a 2.*Tim*.3. nam ſcripta ſunt &c. Et iterùm: (*a*) Omnis ſcriptura divinitus inſpirata &c. Et ite-
b *Act*.26. rùm: (*b*) Nihil extra dico, quàm ea quæ locuti ſunt Prophetæ vera eſſe. Et Petrus:
c 2.*Petr*.1. (*c*) Habemus firmiorem propheticum ſermonem &c. Quòd etiam doctores recipien-
d 1.*Cor*.12. di ſunt, teſtatur Paulus: (*d*) Quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia doctores &c. Paulus etiam inducit Legis exemplum,
e *Galat*.3. dicens: (*e*) Maledictus omnis, qui non permanet in omni verbo Legis. Et tàm ipſe, quàm cœteri Apoſtoli multa inducunt teſtimonia de Lege, & Prophetis, & Pſalmis. Quod quidem non feciſſent, ſi eorum dicta recipienda non eſſent. Confeſſi ſunt etiam iſti hæretici, ſe recipere Moyſem, & Prophetas, & Pſalmos, in his tantùm teſtimoniis, quæ inducuntur à JESU & Apoſtolis, & non aliis. Nos enim diximus, quòd ſi inſtrumentum, vel ſcriptum teſtimonium in aliqua parte ſui creditur, debet totum credi, vel in nulla parte ſui recipi.

V. In ſecundo capitulo convincimus iſtos, & judicamus hæreticos eſſe, auctoritatibus novi Teſtamenti. Dicimus enim, quòd Fidem Catholicam non habet, qui eam non confitetur, quando interrogatur, vel Fides periclitatur. Unde Dominus in
f *Act*.9. (*f*) Actibus Apoſtolorum ad Ananiam de Paulo dicit: Vas electionis eſt mihi, ut portet nomen meum &c. Item Dominus
g *Matt*.8. (*g*) de Centurione: Non inveni tantam fidem in Iſrael. Cùm fuiſſet etiam Apoſtolis denuntiatum, ne loquerentur in nomine JESU Chriſti, confidenter dicit Petrus:
h *Act*.5. (*h*) Oportet nos obedire Deo magis quàm hominibus &c. Interrogatus quis de Fide JESU Chriſti reſpondere debet, ſicut fecit Petrus. Interrogatus enim à Domino:
i *Matt*.16. (*i*) Quem dicunt homines eſſe filium hominis? Reſpondit: Tu es Filius Dei vivi.
k *Ioan*.9. Interrogatus quoque cæcus (*k*) illuminatus à Domino, ſi credat in Filium Dei. Reſpondit: Credo Domine. Interrogata autem à Domino Martha, credis hoc, ait illi: Utique Domine ego credidi, quia tu es Chriſtus Filius Dei vivi, qui in hunc
l *Rom*.10. mundum veniſti. Item Apoſtolus: (*l*) Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Item Petrus in fine Epi-
m 1.*Petr*.3. ſtolæ ſuæ ait: (*m*) Melius enim traduntur memoriæ, quæ in fine ſermonum dicuntur, Dominum JESUM Chriſtum ſanctificare in cordibus veſtris &c. Iſti etiam hæretici jactabant ſe non mentiri. Nos autem dicimus, quia planè mentiuntur. Eſt enim fraus in tacendo, & in dicendo. Unde Pau-
n *Galat*.2. lus (*n*) confidenter in faciem reſtitit Petro, quia circumcidebat. Viſum enim fuerat Paulo, quòd veritatem Evangelii non annuntiaret, quis aliud præcipiebat, quàm credebat. Veritas enim conſtat in tribus, in corde, & ore, & opere. Veraciter enim dicit, qui voluntatem ſuam ſono vocis enuntiat, & quæ corde tenet, ore fatetur, & operibus exequitur.

VI. In tertio autem capitulo convincimus

A iſtos, & judicamus hæreticos eſſe, novi Teſtamenti auctoritatibus. Dicimus enim, quòd (*o*) Deus vult omnem hominem ſal- o 1.*Tim*.2.
vum fieri &c. Nec Chriſtus pro omnibus eſſet crucifixus, ſi tantùm ſalvarentur majores, qui originali peccato actualia peccata addiderunt, & ſi infantes non ſalvarentur, quos Deus creaverat, & formaverat ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, qui nullum fortè peccatum fecerant, ſed tamen originale contraxerunt. Baptiſma enim omnibus generaliter eſt traditum, tàm majoribus, quàm minoribus, ſicut ait Dominus Diſcipulis: (*p*) Ite, docete om- p *Matt*.28.
B nes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Et iterùm:
(*q*) Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spi- q *Ioan*.3.
ritu ſancto &c. Et iterùm Dominus: (*r*) Si- r *Marc*.10.
nite parvulos venire ad me. Quod quidem duplici dicit ex cauſa ſcilicèt, ut qui ſalvari volunt, malitia & dolo parvuli ſint, &
iidem ſimplices, ſicut ipſe ait: (*ſ*) Niſi ſ *Matt*.18.
efficiamini ſicut parvulus iſte &c. Et idem dicit, ne Apoſtoli eorumque ſequaces ſuper parvulis baptizandis nunquam dubitarent, Baptiſma enim ſucceſſit in locum circumciſionis, quæ quidem præcepta erat in majoribus, & in infantibus. Et baptiſma
C eſt generalius & plenius, quia maſculini & fœminæ baptizantur, & gratiæ ibi præſtantur. Si autem cum fide ſalvantur infantes, cùm ipſi fidem non habeant, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo: dicimus quia fide Eccleſiæ, vel fide patrinorum, ſicut
paralyticus (*t*) eſt curatus fide offeren- t *Luc*.5.
tium, & per tegulas ſubmittentium eum.
Et filius (*u*) Reguli, & filia (*x*) Cha- u *Ioan*.4.
nanææ, ſalvati ſunt eadem hora, qua Re- x *Matt*.15.
gulus & Chananæa crediderunt. Dicimus enim, quòd Baptiſma debet celebrari in Eccleſia, & per miniſtros Eccleſiæ, niſi aliter neceſſitas urgeat. Unde dicit Paulus:
D (*y*) Qui idoneos nos fecit miniſtros novi y 2.*Cor*.3.
Teſtamenti.

VII. In quarto capitulo convincimus & judicamus iſtos hæreticos eſſe, novi Teſtamenti auctoritatibus. Quia dominicum Corpus non conſecratur, niſi per ſacerdotem, ſive bonus ſit, ſive malus. Per verba enim ſacra, quæ dixit Salvator in cœna, ſci-
licèt, (*z*) Hoc eſt corpus meum, & hic eſt z *Matt*.26.
ſanguis meus, conſecratur & conficitur dominicum Corpus. Sicut enim Imperatoris, vel Regis Franciæ, vel alicujus potentis Nuntius non corrumpit, nec vilificat ſui abjectione, vel pannoſitate, quod dicit:

Contra Sacramentarios.

E ſic verba Domini non variantur, nec maculantur. Et ſicut Solis radius tranſiens per cloacas maculam non contrahit nec fœtorem: vel ſicut aqua pura & nitida tranſit ad areolas per canales luteos, aut ſordidos vel limoſos: ſic verba Dominica non ſordidantur, nec melius, nec nitidius per bonum, quàm per malum proferuntur. Quoniam apud Deum non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. Quòd autem dominicum Corpus celebrari non debeat niſi in Eccleſia, Paulus ait: (*a*) Aut a 1.*Cor*.11.
Eccleſiam Dei contemnitis? Numquid

A domos non habetis ad manducandum? Item
a 1 *Tim.* 3. Paulus ad Titum: (*a*) Oportet te con-
verſari in domo Dei, quæ eſt Eccleſia Dei
vivi, columna & firmamentum veritatis.
Omnes etiam Fideles debent doctrinam
ſuam in Eccleſia accipere. Unde Paulus:
b 1. *Tim.* 2. (*b*) Mulieribus loqui in Eccleſia non per-
mitto &c. Hic eſt enim panis Angelorum,
quem manducat homo, qui de cœlo deſcen-
dit, & ſicut manna, quod pluerat de cœ-
lo, & virga Aaron, quæ fronduerat, ſer-
vabantur in Arca, & tabulæ Teſtamenti,
quæ erant ſcriptæ digito Dei: ſic Corpus
Dominicum non conſecratur, nec cuſto-
B ditur niſi in Eccleſia, ſicut chariſſimum
ſanctuarium Domini. Et ſicut Arca defere-
batur in humeris à ſolis Levitis, & cuſto-
diebatur, & ſoli Levitæ miniſtrabant in
tabernaculo Domini; ſic ſolis ſacerdoti-
bus & illorum miniſtris commiſſa eſt Ec-
cleſiæ cura & tradita. De hac Arca dicitur
c *Apoc.* 11. in Apocalypſi: (*c*) Apertum eſt cœlum,
& viſa eſt Arca Teſtamenti in templo
ejus.

VIII. Solis etiam ſacerdotibus tradita eſt po-
teſtas ligandi atque abſolvendi. Unde Do-
d *Mat.* 16. minus ait Petro: (*d*) Quodcumque li-
gaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœ-
e *Tit.* 1. D lis &c. Et Paulus ad Timotheum: (*e*) Hu-
jus rei gratia reliqui te Cretæ, ut corrigas
mala, & ea quæ Dei ſunt, cuſtodias, & ut
presbyteros conſtituas per ſingulas civita-
f 1. *Tim.* 5. tes. Item (*f*) de ordinibus presbyteri, qui
benè præſunt, duplici honore digni ha-
beantur. Item: Adversùs presbyterum ac-
cuſationem noli accipere, niſi ſub duobus
g *Ibid.* 3. vel tribus teſtibus &c. Item: (*g*) Oportet
h *Philip.* 1. diaconos pudicos eſſe. (*h*) Et item: Om-
nibus qui ſunt Philippis Epiſcopis & dia-
conis, gratia ſit vobis & pax. Ecce quibus
committit verba Dei prædicationis & cor-
i 2. *Tim.* 4. E reptionis. Item Paulus: (*i*) Argue, obſe-
cra, increpa &c. Et item Dominus ad Di-
k *Matt.* 28. ſcipulos: (*k*) Docete eos ſervare omnia
quæcumque mandavi vobis. Iſtis ergò preſ-
byteris, Epiſcopis, diaconis, clerici & lai-
ci obedire debent propter Deum, ſive boni,
l *Ibid.* 23. ſive mali ſunt; unde Dominus: (*l*) Supra
cathedram Moyſi ſedebunt Scribæ & Pha-
riſæi, quæ dicunt, facite, quæ autem fa-
ciunt, facere nolite, dicunt enim & non
m 1. *Pet.* 2. faciunt. Et Petrus (*m*) de poteſtatibus: Sub-
diti eſtote dominis veſtris, non tantùm bo-
nis & modeſtis, ſed etiam dyſcolis &c.
n *Tit.* 1. Item Paulus: (*n*) Sit paſtor potens in do-
o *Hebr.* 13. E ctrina ſua &c. Et item: (*o*) Obedite Præ-
poſitis veſtris, & ſubjacete eis. Ipſi enim
propter vos vigilant, quaſi pro animabus
veſtris rationem reddituri, ut cum gaudio
hæc faciant, & non gementes. Et item:
p *Hebr.* 13. (*p*) Mementote Præpoſitorum veſtrorum,
qui vobis locuti ſunt verbum Dei; quorum
intuentes exitum converſationis, imita-
mini fidem. Quia qui altari deſervit, de
altare participet. Et ſi vobis ſpiritualia ſe-
minavimus, magnum, ſi veſtra carnalia me-
q 2. *Tim.* 3. tamus? &c. Item ad Timotheum: (*q*) Tu
autem permane in his, quæ didiciſti, &
credita ſunt tibi, quia ab infantia ſacras
litteras didiciſti, quæ te poſſunt inſtruere
ad ſalutem.

In quinto capitulo convincimus & judi- IX.
camus hæreticos eſſe iſtos, novi Teſtamen-
ti auctoritatibus. Nolunt enim confiteri,
quòd vir, & mulier poſſint ſalvari, ſi car-
naliter miſceantur. Qui quidem palàm
prædicare ſoliti ſunt, quòd vir & mulier
ſalvari non poterant, ſi carnaliter conve-
nirent. Laudant enim & approbant pecu-
dum fœcunditatem, & improbant homi-
num fœcunditatem. Amant ſterilitatem
mulierum, ſicut dicit Scriptura: (*r*) Bea- r *Luc.* 23.
tæ ſteriles quæ non genuerunt &c. Et hæc
prædicant, ut innumerabilis ſubſtantiæ ra-
rus inveniatur dominus, & quæ facta eſt
creatura ad uſum & ſervitium hominum,
careat poſſeſſore, habitatore, rectore, vo-
lentes omnes eſſe ſicut ipſi ſunt, juxta quod
ait Paulus: (*ſ*) Volo omnes eſſe ſicut ego ſ 1. *Cor.* 7.
ſum. Et ſic virginitatem videntur prædi-
care, ut ſint omnes virgines, ſicut fuit Chri-
ſtus, & Maria Virgo, quamvis ipſe dixe-
rit: (*t*) Creſcite, & multiplicamini, & t *Geneſ.* 1.
replete terram. Videntur enim nuptiis de-
trahere, & eas damnare, quas quidem Do-
minus JESUS Chriſtus & Mariæ matris
ſuæ, & Diſcipulorum (*u*) præſentia dedi- u *Joan.* 2.
cavit, & ſua, & aquæ in vinum verſæ mi-
raculo illuſtravit. Dicitur enim in Evan-
gelio: (*x*) Quod Deus conjunxit, homo x *Matt.* 19.
non ſeparet, nec niſi cauſa fornicationis li-
ceat viro uxorem dimittere. Item Paulus:
(*y*) Qui matrimonio jungit virginem y 1. *Cor.* 7.
ſuam, benè facit. Et item: Si nubat virgo
non peccat. Item: Mulier alligata eſt legi,
quanto tempore vivit vir ejus, nec poteſta-
tem habet corporis ſui, ſed vir. Similiter
& de viro. Item: Nolite fraudare invicem,
niſi ex conſenſu, ut vacetis orationi, poſteà
autem revertimini in idipſum, ne tentet
vos ſatanas. Item: Volo juvenes nubere, fi-
lios procreare, patresfamilias eſſe. Et
item: Non ego dico, ſed Dominus, ſalva-
bitur mulier per filiorum generationem. Si
eſſet peccatum filios procreare, quare dice-
ret Dominus? quare diceret Apoſtolus,
bonum eſſe? & cur diceret, revertimini,
& volo? numquid vult Deus, numquid
vult Apoſtolus, ut fiat peccatum? credimus
itaque, quòd vir & mulier ſalvantur, li-
cèt carnaliter miſceantur.

In ſexto capitulo convincimus & judi- X.
camus iſtos hæreticos eſſe, & ab unitate
Eccleſiæ præciſos, novi Teſtamenti au-
ctoritatibus. Dicimus enim, quia miniſte-
rium & poteſtatem ligandi atque ſolvendi
Dominus tradidit Petro, dicens: (*z*) Quod- z *Matt.* 16.
cumque ligaveris ſuper terram &c. & Ja-
cobus: (*a*) Infirmatur quis in vobis? in- a *Jac.* 5.
ducat presbyteros Eccleſiæ &c. Item: (*b*) Ec- b *Matt.* 23.
ce ego mitto ad vos & ſapientes & Scribas.
Sed ſicut ait Dominus: (*c*) Non omnes ca- c *Ibid.* 19.
piunt verbum iſtud. Prætereà dicimus, quòd
ſtantes deberent de Evangelio reſpondere,
& diſputare, cùm omnes Chriſtiani ſtent,
quando Evangelium recitatur: & ſi tunc
ſtatur cùm legitur, multò fortiùs cùm
legitur ſimul & exponitur. Nec debuiſ-
ſent

ſent tenere locum ſedendi, poſtquàm ele-
gerant locum ſtandi. Multas etiam habe-
mus auctoritates, quibus colligitur mani-
feſtè, quòd ſtare debeat quis, cùm Evan-
a *Luc.6.* gelium annuntiatur. Ut eſt illud: (*a*) Ste-
tit JESUS in loco campeſtri &c. Et item:
Stetit JESUS, & clamabat dicens &c. Et
b *Ioan.1.* iterùm: (*b*) Medius autem veſtrum ſte-
c *Ibid.10.* tit, quem vos neſcitis. Et iterùm (*c*) poſt
reſurrectionem Apoſtolos confirmans, &
prædicans ſtetit, ut dicitur: Stetit JESUS
in medio Diſcipulorum ſuorum, & dixit
eis: Pax vobis. Ipſi autem non obtinent
locum judicantis, ſed reſpondentis: Do-
minus enim ſedere debuit, cui à Patre om-
ne judicium datum eſt. Iſti autem non ju-
dicant, ſed judicantur. Nec eis eſt in Ec-
cleſiis miniſterium prædicandi conceſſum.
Iſti autem hæretici tales ſunt, quales fu-
turos eſſe prænuntiat Paulus, dicens:
d *1.Tim.3.* (*d*) Mali homines, & ſeductores proficient
in pejus errantes, & in errorem mittentes.
e *Ibid.4.* Erit (*e*) enim tempus cùm ſanam doctri-
nam non ſuſtinebunt, ſed à veritate audi-
tum avertent: ad fabulas autem convertentur.
Item quidam aberrantes converſi ſunt
in vaniloquium, volentes eſſe legis docto-
res, nec intelligentes quæ loquuntur, ne-
que de quibus affirmant. Iſtorum autem
inobedientiam punire deberent Eccleſiæ
Prælati, atque corrigere coram omnibus.
f *1.Tim.5.* Unde Apoſtolus: (*f*) Peccantes coram
omnibus arguantur, ut cœteri corrigan-
g *2.Cor.10.* tur. Item Paulus ad Prælatos: (*g*) Haben-
tes in promptu ulciſci omnem inobedien-
tiam, & eos qui contradicunt, potentes
h *2.Tim.4.* arguere. Item (*h*) Argue, obſecra, incre-
i *1.Cor.5.* pa in omni imperio. Item: (*i*) Tradidi
hujuſmodi ſatanæ, ut in die Judicii &c.
Item: Abſens judicavi eum, qui hujuſmo-
k *Galat.1.* di eſt. Item: (*k*) Qui aliud vobis an-
nuntiaverit, anathema ſit.

XI. Septimo loco interrogavit eos prædi-
ctus Epiſcopus de pœnitentia, ſi in fine
fieret ad ſalutem, vel ſi milites, qui vulne-
rabantur lethaliter, ſalvarentur, ſi pœni-
teret in fine: vel ſi deberet unuſquiſque
confiteri peccata ſua ſacerdotibus, & mi-
niſtris Eccleſiæ, vel cuilibet laico, vel illis,
l *Iac. ult.* de quibus dixit (*l*) Jacobus: Confitemini
ad alterutrum peccata veſtra. Qui reſpon-
dentes dixerunt, infirmis ſufficere ſi confi-
tentur, cui vellent. De militibus verò di-
cere noluerunt, quia non dicit Jacobus niſi
de infirmantibus. Quæſivit etiam ab eis, ſi
ſufficiebat ſola cordis contritio, & oris
confeſſio; vel ſi erat neceſſe, ut facerent ſa-
tisfactionem poſt datam pœnitentiam, je-
juniis, eleemoſynis, afflictionibus, pec-
cata ſua lugentes, ſi ſuppeteret eis facultas.
Reſponderunt, dicentes, quia Jacobus di-
cebat: Confitemini alterutrum peccata
veſtra ut ſalvemini, & per hoc ſciebant,
quòd Apoſtolus aliud non præcipiebat, niſi
ut confiterentur; & ſic ſalvarentur: nec
volebant meliores eſſe Apoſtolo, ut aliquid
de ſuo adjungerent, ſicut Epiſcopi faciunt.
Subjunxerunt etiam hæretici illi, quòd
Epiſcopus, qui ſententiam dederat, hæ-
reticus erat, & non ipſi, & quòd inimicus
eorum erat, & quòd lupus rapax erat, &
hypocrita & inimicus Dei, & quòd non
benè judicaverat: nec de fide ſua responde-
re voluerunt; quia cavebant ſe ab eo, ſi-
cut eis præceperat Dominus in Evangelio:
(*m*) Attendite à falſis prophetis, qui ve- m *Matt.7.*
niunt ad vos in veſtimentis ovium, intrin-
ſecùs autem ſunt lupi rapaces: & quòd ipſe
erat perſecutor eorum fraudulentus, &
parati erant oſtendere per Evangelia & Epi-
ſtolas, quòd non erat bonus paſtor nec
ipſe, nec cœteri Epiſcopi, vel presbyteri,
ſed potiùs mercenarii. Reſpondit Epiſco-
pus dicens: quòd ſententia in eos de jure
erat dictata, & hoc paratus erat probare in
Curia domini Alexandri Papæ Catholici,
vel in Curia Ludovici Regis Franciæ, vel
in Curia Raymundi Comitis Toloſani,
vel uxoris ejus quæ erat præſens, vel in
Curia præſentis Trenkevvelli, quòd rectè
fuerat judicatum, & quòd ipſi manifeſtè eſ-
ſent hæretici, & quòd hæreſi notati. Et
promiſit ſe eos accuſare & publicare de hæ-
reſi in omni Curia Catholica, & ſe ſubitu-
rum judicium diſcriminis.

Videntes autem hæretici, ſe eſſe convi- XII.
ctos, atque confuſos, converterunt ſe ad
omnem plebem, dicentes: Audite (ò bo-
ni viri) fidem noſtram quam confitemur;
nunc confitemur autem propter amorem &
gratiam veſtram. Reſpondit Epiſcopus præ- *Catholicæ*
dictus: Vos dicitis, quòd non propter *fidei pro-*
Deum dicatis, ſed propter gratiam popu- *feſſio.*
li. Et illi inquiunt: Nos credimus unum
Deum trinum, & unum Patrem & Filium
& Spiritum ſanctum, & Filium Dei car-
nem noſtram ſuſcepiſſe, baptizatum eſſe in
Jordane, jejunaſſe in deſerto, prædicaſſe
ſalutem noſtram, paſſum, mortuum, at-
que ſepultum, ad inferos deſcendiſſe, re-
ſurrexiſſe tertia die, ad cœlos aſcendiſſe,
Spiritum paracletum in die Pentecoſtes
miſiſſe, venturum in die Judicii ad judi-
candum vivos & mortuos, & omnes reſur-
recturos. Cognoſcimus etiam, quia quod
corde credimus, ore debemus confiteri.
Credimus quia non ſalvatur, qui non
manducat corpus Chriſti, & quod corpus
Chriſti non conſecratur, niſi in Eccleſia,
& non niſi à ſacerdote, ſive bono ſive ma-
lo, nec melius fieri per bonum, quàm per
malum. Credimus etiam, quòd non ſal-
vatur quis, niſi qui baptizatur, & parvu-
los ſalvari per baptiſma. Credimus etiam,
quòd vir & mulier ſalvantur, licèt carna-
liter miſceantur, & pœnitentiam debeat
unuſquiſque accipere ore & corde, & à
ſacerdote, & in Eccleſiis baptizari, & ſi
quid ampliùs poſſet eis oſtendi per Evan-
gelia, vel Epiſtolas, illi crederent, & con-
fiterentur.

Interrogavit etiam eos prædictus Epi- XIII.
ſcopus, ſi jurarent ſe tenere fidem iſtam & *De jura-*
credere, & ſi quid ampliùs deberent confi- *mento ex-*
teri, quia malè ſenſerant, & prædicave- *hibendo.*
rant antè. Reſpondentes dixerunt, quòd
nullo modo jurarent, quia contra Evan-
gelium & Epiſtolas facerent. Contra eos

igitur

Digitized by Google

igitur à prædictis Catholicis perſonis in-
troductæ ſunt novi Teſtamenti auctorita-
tes. Auditis itaque utriuſque auctorita-
tibus, ſurgens prædictus Epiſcopus judi-
cavit ſic: Ego Gocelinus Lodovvenſis Epi-
ſcopus juſſu & mandato Alberici Epiſco-
pi, & aſſeſſorum ejus, judico, & præſen-
tia dico, quòd malè ſentiunt heretici iſti de
jurejurando, & debent jurare ſi reſipiſcere
volunt, præſtandumque eſt jusjurandum
ubi Fides periclitatur. Et quia infames
ſunt, & de hæreſi notati, debent purgare
ſuam innocentiam, & redeuntes ad unita-
tem Eccleſiæ, fidem ſuam debent jurajuran-
do aſtruere, ſicut tenet, & credit Eccleſia
Catholica, ne infirmi, qui in Eccleſia ſunt,
corrumpantur, & ne oves morbidæ uni-
verſum gregem contaminent. Nec contra
Evangelium eſt, vel Epiſtolas Pauli. Quod
a Matth. 6. enim dicitur in Evangelio: (a) Sit ſermo
veſter, eſt, non, non, neque jurabis per
cœlum, neque per terram &c. tamen non
prohibetur jurare per Deum, ſed per crea-
turas. Gentes enim colebant creaturas, &
ſi licitum fuiſſet per creaturas jurare, re-
verentia & honor, qui Deo ſoli debetur,
creaturis exhiberetur: & ſic idola & crea-
turæ, ſicut Deus adorarentur: Legitur
b Apoc. 10. enim in Apocalypſi, (b) quòd Angelus
levavit manum ſuam in cœlum, & juravit
per viventem in ſæcula ſæculorum. Et Pau-
c Hebr. 6. lus ad Hebræos inquit: (c) Quoniam
Deus neminem habuit, per quem juraret
majorem, juravit itaque per ſemetipſum.
Homines enim per majorem ſui jurant, &
omnis controverſiæ eorum finis ad confir-
mationem eſt juramentum. In quibus abun-
dantiùs volens oſtendere Deus pollicita-
tionis hæredibus immobilitatem conſilii
ſui, interpoſuit jusjurandum. Juravit enim
d Geneſ. 22. Deus dicens: (d) Juravi per memet ipſum.
e Pſ. 109. Et item: (e) Juravit Dominus, & non pœ-
nitebit eum. Apoſtolus etiam frequenter
f Rom. 1. & juravit per Deum ſic: (f) Teſtis eſt mihi
2. Tim. 5. Deus. Item: Teſtor Deum. Si itaque ju-
ravit Dominus, juravit Angelus, juravit
Apoſtolus, cur non rectè juratur, ubi ma-
ximè Fides periclitatur? Vel illud quod
dicitur in Evangelio, & Epiſtola Jacobi,
conſilium eſt, & non præceptum. Quia ſi non
juraretur, non dejeraretur, & quod ampliùs
eſt, à malo eſt, id eſt à peccato, vel diabolo,
qui ſuadet jurare per creaturas. Videntes
itaque, quòd ſuper hoc erant convicti, di-
xerunt, quòd Epiſcopus Albericus fecerat
eis pactum, quod non cogeret eos jurare.
Quod & Albienſis Epiſcopus negavit.

XIV. Surgens itaque Albienſis Epiſcopus,
dixit: Sententiam, quam protulit Goce-
linus Lodovvenſis Epiſcopus, ego confir-
mo, & juſſu meo data eſt. Et commoneo
milites de Lomberieo, ut non manute-
neant eos per finitionem quam fecerunt in
manu mea. Ego Candelienſis Abbas electus
judex hanc ſententiam laudo, & aſſenſu
meo ſic data eſt. Ego Ardulenſis Abbas
electus judex hanc ſententiam laudo, &
aſſenſu meo ſic data eſt. Ego Arnaldus de
Be, electus judex hanc ſententiam laudo,

A & meo aſſenſu ſic data eſt. Ego Petrus Nar-
bonenſis Epiſcopus, & ego A. Nemauſen-
ſis Epiſcopus, & ego Gocelinus Toloſa-
nus Epiſcopus, & ego V. Agathenſis Epi-
ſcopus, & ego R. Abbas ſancti Pontii, &
ego R. Abbas ſancti Vvillelmi, & ego N.
Abbas Galliacenſis, & ego Abbas Fontis
frigidi, & ego M. Toloſanus Præpoſitus,
& ego G. Albienſis Præpoſitus, & ego
N. Narbonenſis Præpoſitus, & ego R. Aga-
thenſis Archidiaconus, & ego G. Prior de
ſancta Maria, & ego P. Sendracenſis Ab-
bas, & ego magiſter Blancus, & ego Be-
go de Veireiras, & ego Trenkevvellus Vi-
B cecomes, & ego Conſtantia ſoror Regis
Franciæ uxor Raymundi Comitis Tolo-
ſani, & ego Sicardus Vicecomes Lautro-
cenſis hanc ſententiam ratam habemus, &
iſtos hæreticos eſſe ſcimus, & eorum ſen-
tentiam improbamus.] Hactenùs Acta.
Quomodò autem auctoritate Apoſtolicæ
Sedis iterùm ſunt ad judicium vocati, con-
victi, atque rurſùm damnati, dicetur in-
feriùs ſuo loco.

Hoc eodem anno Imperator Fridericus XV.
Alexandri Papæ confœderatos armis ag- Renovat
greſſus, retulit partes poſteriores, ignomi- Imp. expe-
nioſaque fuga coactus eſt redire ad ſuos, ditionem
C pareſque conditiones offerre. Quomodò adversùs
autem ſe habuerint iſta, ejuſdem Alexan- Catholi-
dri vitæ Acta exactè deſcripta ſic docent: cos.
Factum eſt autem anno Dominicæ Incarna-
tionis milleſimo centeſimo ſeptuageſimo-
ſexto, Pontificatus quoque Alexandri Pa-
pæ anno decimoſeptimo, circa finem men-
ſis Jejunii, dum Fridericus expectaret in
conſtituto termino exercitum, quem de
Alemannia advocaverat, deliberato cum
Papienſibus conſilio, pertexit Comum oc-
cultè cum paucis, ubi recepto exercitu ipſo,
& aggregatis ſibi univerſis Comanis, ex
improviſo Mediolanenſium fines invaſit,
D quorum villas & prædia hoſtiliter deva-
ſtare cœpit. Statuerat enim cum ipſis Pa-
pienſibus, ut ea quo Mediolanenſes terras
ingrederetur, dato eis ſigno, quod inter-
nominaverat, civitas ipſa in manu valida
ſuccurrere ſibi deberet, & reſiſtentes Lon-
gobardos à facie ſua violenter expelleret.
Sed quia fallitur augurio ſpes bona, ſæpè
deceptus eſt in cogitatione ſua, quia longè
ſibi deteriùs modò accidit. Longobardo-
rum namque civitates impium ejus propo-
ſitum, & pravam ejus intentionem contra
ſe jam diu præſenſerant: & ideò præparati
E ad bellum, unanimiter omnes ipſi occurre-
re feſtinabant.

Sed Mediolanenſes, ubi adventus ad- XVI.
verſarii celeritatem citiſſimè cognoverunt,
non expectaverunt alias civitates, ſed cum
Placentinis centuriæ electorum militum
de Verona, Brixia, Novaria, & Vercellis
exierunt extra Mediolanum in primo ſab-
batho menſis Junii cum exercitu ſuo, & ve-
nerunt cum magna multitudine, & quem-
dam congruum ſibi locum inter Barranum
& Briſianum, hora quaſi tertia, deci-
moquarto milliario ab urbe ceperunt.
Tunc præmiſerunt ſeptingentos viros ar-
matos

matos verſus Comum, ut ſcirent, qua parte veniret potentiſſimus & fortiſſimus eorum adverſarius. Qui per tria ferè milliaria proficiſcentes, trecentos Alemannorum milites obviam habuerunt, quorum veſtigiis cum toto exercitu Fridericus ſequebatur accinctus ad prœlium committendum. Nec mora, hoſtes in hoſtes violenter inſiliunt, & ſe invicem ſtrictis mucronibus conterunt. Sed ubi gravior multitudo Principis ſupervenit, Lombardorum milites fugerunt, & ad territorium Mediolanenſe facere confugium exoptantes, non potuerunt ibi à facie perſequentium remanere. Tunc electa Mediolanenſium bellatorum militia, quæ in poſteriori acie, tamquàm murus impenetrabilis firmiter conſiſtebat, belli eventum referens ad Deum, atque ejus Apoſtolum Petrum, & beatum civitatis ſuæ Advocatum Ambroſium, erectis vexillis confidenter obviavit Friderico in virtute magna.

XVII. Vincitur Frid. à Mediolanenſibus.

Et primo quidem congreſſu vexillifer ipſius Friderici tranſfoſſus in terram corruit, & ſub equorum pedibus trucidatus remanſit. Ipſe quoque imperator inter cæteros loricatos, ubi coruſcantibus armis propriis inſignis apparuit, ab iiſdem Longobardis fortiter etiam percuſſus, de ſella cecidit, & ab omnium oculis tunc ſtatim evanuit. Urgentibus autem ipſis Longobardis, tota Teutonicorum expeditio in fugam converſa per octo milliaria fugit in timore mortis. De quorum multitudine paucis evadentibus; alii gladio interfecti, alii fuerunt in Ticino ſubmerſi, reſidua turba per diverſas civitates in captivitatem diviſa fuit. Sed Comanorum perfidus populus, qui ab Eccleſiæ unitate, & Longobardorum confœderatione animo renitenti & firmato diſceſſerat, totus ferè proſtratus in campo remanſit, aut gladio interemptus, aut in captivitatem adductus. Spolia verò poſt optatæ famoſæ victoriæ triumphum victor Longobardorum exercitus lætanter collegit, & in pace ſinguli habuerunt, quod fortuna unicuique donavit: in quibus præter armorum & equorum multitudinem copioſam, inæſtimabiles divitiæ, & quæque optima terræ præter ſpem fuerunt inventa.

Victus Imper. cum ſuis.

De Imperatoris verò perſona an evaſerit, an cum cœteris interfectus in campo remanſerit: diu dubitatio apud omnes maxima fuit, in tantum, quòd ejus uxor in luctu & mœſtitia poſita, etiam veſtem lugubrem induit. Cùm autem ſuper hoc tota Italia plurimùm vacillaret; ecce ſubitò Papiæ Imperator comparuit, at immenſo apparatu, & ſtrenua militia deſolatus. In hoc oſtendit Dominus, quod per (a) Iſaiam locutus fuerat, dicens: Oculi ſublimes humiliati ſunt, & incurvata eſt fortitudo virorum fortium.] Hæc Acta. Eadem, ſed ſummatim, Dodechinus affirmat, eadem Urſpergenſis, ſed malè anno ſuperiori: ſicut errat Robertus de Monte, qui hæc ponit contigiſſe anno ſequenti tempore Pentecoſtes. Acta enim Alexandri Papæ facta iſta duplici chronographia conſignant, nempè Chriſti atque Pontificis. Perguntque ipſa iſta ſubjicere de eodem Friderico: Quamvis autem cauſa hujuſmodi ab eo tempore, quo incepit Dei Eccleſiam perſequi, ſemper auctore Domino, in deterius haberetur, & nulla eum adverſitas, atque difficultas laboris à ſuo incepto retraheret: modò tamen ita vehementer à ſupremo Judice percuſſus, & contritus eſt, quòd pacem Eccleſiæ, quam hactenùs in cordis duplicitate popoſcerat, humiliter per majores Imperii perſonas à domino Alexandro Papa, atque ejus fratribus ſuppliciter poſtularet. Quippè omnes Eccleſiaſtici, & ſæculares Principes, qui prædictum Fridericum in errore ſuo hucuſque ſecuti fuerant, dixerunt ei, quòd niſi cum Eccleſia pacem faceret, ulteriùs eum non ſequerentur, nec ei auxilium ferrent. Præthereà ſocietatem Longobardorum contra Teutonicos ita Dominus fortem & audacem reddiderat; ut quoties cum illa barbarie in prœlio decertaret, in primo congreſſu victor exiſteret, & ante faciem ſuam tamquàm inutiles paleas diſpergeret, & effugaret.

a Iſai. 5.

XVIII. Legatio Frid. Imp. ad Alex. Pap.

Miſit ergò Imperator Fridericus ad præſentiam domini Alexandri Papæ V. Magdeburgenſem Epiſcopum, Chriſtianum Maguntinum Archiepiſcopum, P. Vvormatienſem Electum, & R. Protonotarium regni, majores Imperii Principes, cum poteſtate plenaria complendæ pacis inter Eccleſiam & Imperium. Qui venientes uſque Tibur, nuntiaverunt ipſi Pontifici, reſidenti apud Anagniam, ſui adventus cauſam, & impetrato ſecuro ducatu, recepti ſunt à duobus Cardinalibus & Capitaneis Campaniæ, atque honorificè deducti in civitatem Anagniam.

Admittuntur Legati Imp.

In craſtino cùm Pontifex in Conſiſtorio, aſtante clericorum & laicorum multitudine reſideret; indè acceſſurus ad majorem Eccleſiam cum decora ſocietate ſua; intrarunt prædicti Legati in conſpectum Pontificis: ſtantes autem in medio coram ipſo, cum multa reverentia loquentes, dixerunt: Dominus noſter Imperator deſiderio magno deſideravit, & deſiderat Romanæ Eccleſiæ & Urbi pacem veram dare. Miſit ideò nos cum plenitudine poteſtatis ad præſentiam veſtram, poſtulans inſtanter, ut verbum illud & pacis, quod in præterito anno fratres veſtri ſecum præſentialiter tractaverunt, & uſque modò, peccatis ita exigentibus, imperfectum remanſit; nunc per vos & aſſenſum noſtrum, qui in eo fuerit, auctore Domino, compleatur. Notum eſt enim, & indubitatum, quòd ab initio naſcentis Eccleſiæ omnipotens Deus in Orbe terrarum eſſe voluit, quibus principaliter mundus regatur, ſacerdotalis dignitas, & regalis poteſtas, quæ niſi ad invicem concordia fulciantur, pax nullatenùs ſervaretur, & mundus controverſiis & bellorum ſtrepitu abundaret. Ceſſet jam nunc iſta odioſa turbatio, & per vos duos Principes Orbis pax univerſis Eccleſiis & populo Chriſtiano reddatur.

His

Digitized by Google

XIX. Reſponſio Papæ. His igitur publicè allegatis, benignus Pontifex hilari & placido vultu, cùm jucunditate ſermonis reſpondens, ait: De adventu veſtro cum jucundis rumoribus valdè gaudemus, & exinde omnipotenti Deo gratias agimus. Non eſt in præſenti ſæculo res, quæ in auribus noſtris ita dulceſcat, quàm ſi dominus Imperator noſter, quem inter alios mundi Principes cognoſcimus eſſe majorem, pacem nobis veram dare, ſicut aſſeritis, velit. Sed ſi vult integram pacem ſuam nobis tribuere, & Eccleſiæ Romanæ: oportet, ut ampliatoribus noſtris, maximè Regis Siciliæ, Lombardis, & Imperatori Conſtantinopolitano, qui nobis contra eum in Eccleſiæ neceſſitatibus firmiter aſtiterunt, pariter tribuat.

XX. De pace agitur in Secretario. Legati verò laudantes & approbantes verbum Pontificis, dixerunt: In mandatis accepimus à domino Imperatore, ut ſecretè vobiſcum, & cum fratribus veſtris loquamur, quatenùs ea, quæ inter nos & vos tractanda fuerint, & ſtatuenda, inimicus homo non audiat, ſed in ſecreto conſerventur, quouſque pacis bonum, præſtante Domino, compleatur. Scimus enim, quòd in parte veſtra & noſtra nonnulli ſunt, qui pacem non audiunt, & hanc diſcordiam libenter fovent. His itaque auditis, univerſus conventus diſceſſit, & Pontifex cum fratribus ſuis, & univerſis Legatis ſecretarium Concilii ſolus intravit. Cœperunt autem de verbo pacis ad invicem tractare diligenter. Sed quoniam res ardua & multùm difficilis videbatur (multi enim nobiles, & potentes in ſchiſma graviter capti fuerant; & de quibuſdam capitulis inter Eccleſiam & Imperium controverſia vertebatur) ultra quindecim dies tractatus ille duravit. In quo ſpacio ſanctiſſimorum Patrum auctoritates, privilegia Imperatorum, atque antiquæ conſuetudines, & aliæ rationes oſtenſæ fuerunt; & ſuper his eſt diutiùs laboratum, atque ſubtiliter diſputatum. Tandem, cooperante Spiritus ſancti gratia, ita factum eſt, quòd de omnibus capitulis inter Eccleſiam & Imperium cum ſæpè dictis Legatis Pontifex & fratres ejus unanimiter concordarent, remanente Lombardorum ſtatu, in quo erat, uſque ad eorum colloquium; quoniam in eorum abſentia nec debuit, nec potuit quidquam terminari. Et quoniam ſine corporali præſentia Imperatoris & Lombardorum pax iſta (ſicut prædictum eſt) fieri non debebat: conſtitutum eſt, ut Pontifex cum fratribus ſuis pro deſideratæ pacis bono laboraret corpore proprio, & ad partes Lombardiæ abſque longa dilatione feſtinaret. Interim data eſt firma ſecuritas ex parte Imperatoris omnibus Eccleſiæ Romanæ perſonis, & rebus eorum, & terris beati Petri & Siciliæ Regis, cunctiſque majoribus uſque ad conſummationem pacis. His itaque diſpoſitis, & concorditer ordinatis, Legati ad Imperatorem alacriter ſunt reverſi.] Hucuſque Acta de Alexandri Papæ rebus geſtis præſenti anno. Quæ autem iſta ſunt ſecuta, ſequentis anni exordio proſequemur, nempè de Alexandri Papæ cum Cardinalibus navigatione Venetias cum triremibus Siciliæ Regis.

XXI. Quod audiſti ſuperiùs, Lector, Alexandrum Papam recenſere inter Romanæ Eccleſiæ fautores Manuelem Imperatorem Conſtantinopolitanum: teſtatur equidem (a) Nicetas Choniata, eumdem Græcorum Imperatorem Manuelem ſummo conatu egiſſe, ut tùm Papam, tùm Longobardos & alios, quos potuiſſet, Principes adversùs Fridericum erigeret, quos etiam pecuniis foveret; quòd ſciret ejuſdem Friderici Imperatoris animum ad Orientale Imperium occupandum eſſe propenſum. Nam certum eſt inter alia ipſum tentaſſe occupare Corcyram inſulam, datis de hoc litteris ad Georgium Metropolitam ipſius. Non extant illæ quidem, ſed habentur redditæ ad Fridericum ejuſdem Georgii litteræ, quæ reperiuntur unà cum aliis ipſius Georgii epiſtolis in codice Federici Metii Epiſcopi Thermularum, ab eodemque Latinitate donatæ, & ad nos miſſæ: cui reddat Deus pro his æternam mercedem. Eas nos hic deſcribemus, ſic enim ſe habent:

a Nicet. Chon. in Emm. l. 5.

Frid. Imp. tētat Corcyram inſulam.

Georgius Metropolita Coryphorum, id eſt Corcyrenſium, Imperatori à Deo coronato Alemanno domino Friderico, *quando ab ipſo Georgio petiit caſtrum Corcyræ.*

Georgii Epiſcopi Corcyræ Epiſt. ad Frider. Imper.

Regi Regum, Imperatorum Imperatori, novo David, novo Salomoni à Deo coronato, ſemper colendo, ſemper Auguſto ſpirituali filio, domino Friderico, ego Georgius Metropolita Corcyræ, ſervus ſecundùm Deum, & orator Imperii tui, à Deo Patre, & Domino noſtro JESU Chriſto pacem, & felicitatem divinæ potentiæ tuæ precor, & opto, nec non debitam tribuo reverentiam ſancto Imperio tuo, quòd meæ memineris humilitatis, & litteras ſcripſeris, adorando Imperii tui ſigillo deforis munitas, quarum tenorem & mentem ego non valui intelligere, cùm Latinæ linguæ ſim ignarus; prudens tamen, & doctus Imperii tui vir, Judex videlicèt & magiſter Thomas earumdem Imperii tui litterarum ſeriem & tenorem mihi aperuit, & declaravit. Quod igitur attinet ad illud, quod tuum petit Imperium: magnum id quidem eſt, & parvum ſi cum celſitudine & magnitudine tua comparetur. Quid enim opus eſt aquæ gutta immenſis maria undis? quemadmodùm leonibus item & aquilis quid opus eſt parva & modica præda? Sed unicuique iſtorum animalium ita magnorum & fortium proportionatus eſt venationis uſus & prædæ: & quodcumque lucrum illis minus affert, omittitur id ab ipſis atque negligitur. Sic etiam Imperio tuo res Corcyrenſium ita nullius erunt commodi, atque momenti, ut potiùs Imperium tuum pro ſua magnitudine magnam ſit paſſurum jacturam, lucraturum verò ne minimum quidem.

XXII. Ubi enim agnoſcetur juſtitiæ tuæ æquitas,

ias, niſi ut ne concupiſcat quidemquæ ſunt aliena? Hoc namque nos docet parabolica illa Regis David (a) hiſtoria, à quo Dominus noſter ſecundùm carnem genus duxit; nec ullo pacto Imperium tuum rem ignorat, cùm ſit ſapientiæ receptaculum, & doctrinæ penu. Qui David, cùm nonaginta novem haberet oves, ab eo tamen, qui unicam tantùm habebat, ovem illam abſtulit? ut hoc argumento facilè colligatur, rebus propriis aliquem contentum eſſe debere, nec ab alio quidquam proximo auferre. Id quidem excedit holocauſtomatum ſacrificia, & ſupra quamvis oblationem & victimam eſt Deo gratum & acceptum. Parvum itaque (ut ſuprà dixi) eſt Imperator, quod agitur de petitione Corcyræ, quod attinet ad magnitudinem tuam: magnum item, quod ad me attinet qui ſum paſtor Corcyræ non mercenarius, qui (b) dimittit oves & fugit, cui non eſt cura de ovibus, quia mercenarius eſt, unius videlicèt vel alterius diei. Ego verò majorem partem vitæ meæ pavi, & aquavi gregem meum pro virili mea, divino adjutus auxilio & favore. Hac de cauſa Imperium tuum oro, atque obteſtor, ne à viſceribus miſericordiæ tuæ abiicias dominum meum & filium & cognatum Imperii tui excelſum & notiſſimum Comnenoducam dominum Emmanuelem: pius enim eſt & ipſe, ſuarum regionum & civitatum diligens & ſollicitus gubernator, & qui ſemper habet in ore Chriſtianiſſimum nomen regni tui, & vobis omnem largitur honorem, & quietem. Dona etiam & largitiones Imperatorum progenitorum ſuorum æternæ memoriæ omninò confirmat & eueetur, & nihil moleſtiæ ſuis ſubditis tribuit.] Hucuſque Georgius ad Fridericum. Porrò de munitione Corcyræ ab Emmanuele Græcorum Imperatore mandata eidem Metropolitæ Georgio, extant ipſius litteræ ad eumdem Emmanuelem redditæ, ſed quæ adulatione ſunt plenæ, alioquin haud inelegantes. Sic enim ſe habent:

a 2. Reg. 12. Reges ne appetant aliena.

b Joan. 10.

Georgius Metropolita Coryphorum domino Emmanueli duci Imperatori à Deo cuſtodito.

XXIII. Georgii ad Imper. Emmanu. Epiſtola.

Eodem die, quo ab oculis meis diſceſſiſti, domine Imperator, diſceſſit etiam à me modica illa corporis firma valetudo, quam fueram adeptus. Fortaſsè enim quemadmodùm (c) audimus de Apoſtolis Dei præconibus factum, quòd ſola ipſorum umbra infirmorum ægritudines curabat; ita etiam de mea corporis infirma valetudine ego poſſem in Chriſto gloriari, quòd tua umbra, Imperatoris ſcilicèt mei à Deo cuſtoditi, mea membra quamprimùm firmat, & corroborat, & quaſi cadaver quoddam corpus meum in vitam revocatur, & quaſi paralyticus alter ego exulto. Idque non ſemel, aut iterùm mihi evenit; ſed etiam tertiò: ut hinc apertè conliciam, quòd gratia quædam divina corpus tuum, potentiſſimè domine, conſequatur, quod etiam de Eliſæo, (d) duplici videlicèt Elia, quia duplicem ſpiritum habebat Eliæ, in ſacris habetur litteris, quòd vivificum illud Eliſæi corpus cadaveri cuidam cùm acceſſiſſet, illud in vitam quamprimùm revocavit, licèt, quod natura ſua erat corruptioni obnoxium, iterùm fuerit tandem corruptum. Quid igitur ego animo volvam? aut quid dicam, niſi quòd magna fultus ſpe, quam habeo de recuperanda ſalute, ſequor te, Imperator, quocumque ieris? Si enim tui præſentiam conſequitur ſalus paſſibilis hominis & corruptibilis: cur ego poſt tuum Imperium currere non conabor? Cur tecum eſſe non contendam, ut hoc pacto membra firmentur mea, & rectè ambulare valeam, loca cum locis permutans & tecum ferens ea, quæ iſto, vel illo modo contingunt? Quemadmodùm nunc tuas adorandas litteras relegens Imperii tui, quibus moleſta quædam tibi contigiſſe ſignificas, quibus Imperium tuum gravi moleſtia conIicio affectum. Si enim ovium gregis perfectus graviter ferre creditur, quando lupus, aut leo, vel aliquod aliud ferum animal gregem invadit, & illius partem diripit, & quodcumque voluerit rapit: quo animo eſſe debet Imperator benignus & clemens, & civitatum, & regionum ſuarum ſtudioſus & benevolus, barbaricam aliquam intuens conjurationem & conſpirationem invaſionibus, & inverſionibus quodcumque malum perpetraſſe, & gloriari præterea, quòd prævaluerint adverſus nos, & ſuperaverint portionem deſiderabilem, & impleverint animas ſuas, & quæcumque (ut ajunt) inſatiabilis illis ſuggerit voluntas? Sed æquo fer animo, Imperator, quæ contigerunt; victoria enim ſolet mutare vices ſuas, juxta illius dictum, & non relinquet te Deus filium ſuum inultum à malis vicinis: eſt enim Deus ultionum, qui retribuit retributiones ſuperbis, & in ſinum ipſorũ colligit ſeptuplum. Hæc equidem ſpero, & hæc oro. De eo verò, quod præcipis nobis, ut hoc caſtrum Corcyræ omninò tueamur; fit quidem pro virili, quod mandat Imperium tuum: totius enim hujus diœceſeos, ejus qui in caſtro, & extra caſtrum populus eſt, frequens fit cenſus & viſitatio. Ciſternæ etiam, licèt non ue par eſt, tamen ut fieri poteſt, parantur ære publico. Inſtrumenta quoque bellica, tùm quæ turribus, tùm quæ pro manibus ſunt neceſſaria, & quæ innovari eſt opus, innovantur, & inſtaurantur; necnon quæ ad portum muniendum ſunt neceſſaria, brevi tempore conficientur.

c Act. 5.

d 4. Reg. 13.

Ex Italicis verò partibus nihil neque parvum neque magnum diſcere potuimus: utrimque enim mercatorum commercium eſt intermiſſum. Sed ecce hæc navis Brundiſina, quæ tranſit, & plurimos inde tranſvehit peregrinos, in qua Corcyrenſes . . . . negotiari incipiunt, & non . . . . . puto enim uſque ad primam Quadrageſimæ hebdomadam noverimus aliquid veri, quod dignum ſit, ut auribus Imperii tui intimetur. Volebat præterea Imperium tuum ſcire à nobis, an libertos ego emittam, & an XXIV.

debitoe

debitor ſim pro pecunia, quæ pro illorum debetur liberatione. Refero itaque Imperio tuo, quòd ab hujuſmodi rebus omninò abſtineo. Tunc enim tantùm pro minimo tempore ſuſcepi libertos illos, ut tuo parerem mandato, quando ſcilicèt tuum Imperium fuit initio inſtitutum. Et hæc tibi ego ſervus & orator tuus ſignifico.] Cœterùm idem Imperator jam anteà ſui Imperii initio ceſſerat ejuſdem Corcyræ inſulæ dominium ſorori ſuæ Comnenæ, quod probè factum laudat idem Metropolitanus Georgius, ſcribens has litteras ad eumdem Emmanuelem Imperatorem:

Georgius Metropolita ad Imperatorem.

Ejuſdem Georgii ad eumdē Epiſt. de Corcyra donata ſorori.

Pax tibi magna à Deó Comnene potens, pax exercitui tuo, pax populo tuo. Et quo prœmii hujus caput, & initium pace plenum etiam reddamus: benedicat tibi Deus, qui fecit cœlum & terram, & cuſtodiat te ab omni malo. Hæc quidem à diviniſſimo (a) Davide in preces ſunt converſa, & cithara à Deo conſtructa decantata. Sed dum nos te quaſi pacifica quadam ſtola induimus & exornamus, ex ſuperioribus precibus contexta, contingit mihi abſumpto videlicèt doloribus corporis, & adverſa valetudine, ſimul lætari, & exultare unà cum iis, qui benè ſe habent, & jucundè, & hilariter, & dum ita loquor, labia etiam mea purificari. Sicut enim omnis ſermo, qui non eſt ad audientium ædificationem, inutilis eſt, & apud Deum dignus punitione: è converſo perfectus ſermo eſt ille, & laude dignus, qui ex pura mente proficiſcitur ad aliorum confirmationem & doctrinam. Sed ut jam eorum, quæ hucuſque dicta ſunt, declarem obſcuritatem; ob nihil aliud ad hunc progreſſus ſum ſermonem, quàm ut juſtam captarem occaſionem de eo, quod à tua ſtatutum eſt magnitudine, ò cuſtodite à Deo Comnene. Eſt autem hoc illud, quòd illuſtriſſimæ ſcilicèt Comnenæ & dominæ meæ, & dilectiſſimæ ſorori tuæ Corcyrenſium res tradidiſti, & conſecraſti. Niſi enim protectio tua benè fuiſſet diſpoſita erga extremam hanc mari circumdatam oram & plagam, & niſi portas ejus amares ſuper omnia tabernacula oppidorum & civitatum, quæ ſub tua ſunt ditione: numquam in ipſo Imperii tui limine, & cùm primùm paternæ hæreditatis factus es dominus, adeò bonam voluntatem oſtendiſſes pro quiete & coagmentatione & incremento incolarum, quicumque intra Inſulam ſunt, & qui eam circumdant.

a Pſal. 120. & 143.

XXV. Fuerunt quidem Imperii tui principia, (ſimpliciter ut aliquis diceret) bona; quæ verò nunc ſequuntur, valdè bona, & meliorum ſpem atque arrham habemus, dum germanam tuam, membrum videlicèt tuum, & tecum ſimul natam, caput nobis conſtituiſti, vel tamquàm pretioſum lapidem electum pro fundamento poſuiſti Corcyrenſis civitatis. Et jam erunt hæc longè firmiora, quàm ſuperioribus temporibus, quando fluvii, & pluviæ, & venti vehementes, bella videlicèt ab hoſtibus potentibus mota, irruebant huic auguſtæ domui, quæ nihilominùs non eſt concuſſa. Fundata enim eſt ſupra firmam fidei petram, principem videlicèt Apoſtolorum Petrum, & Paulum ejus ſocium, & conſortem, & magna & alta loquentem, qui huic loco ſemper ſuam largiuntur tutelam & protectionem, & procul rejiciunt & propellunt quodcumque damnum nobis vel inſidias affert. Sed hæc gratiarum loco dicta ſint protectionis divinæ, & magnæ celſitudinis tuæ, ò Imperator, quòd maximam de nobis curam geras, ut ſervetur inſulana civitas hæc à multis periculoſis defectibus & diſſidiis. Ita quidem fiat, & largietur tibi Dominus Deus multorum annorum circulos & revolutiones cum potentia & Imperio invicto, & ad majora incrementa. Examinata præterea ſunt, quæ ad tuas pervenerunt aures, quæ diffuſiùs aperuit domina mea Comnena: quoniam curæ fuit particularis illa inquiſitio, & majora etiam manifeſtabit dies & hora. Perfectum verò judicium tuo ſervatum eſt tribunali. Sed numquam judicabis, inquit, antequàm utriuſque audias verba: verba inquam bona, non temerè, & ad aerem inaniter fuſa, neque ad gratiam prolata; ſed ſapientia verba, & demonſtrationum epicheirematibus & argumentis nixa & firmata. Ego verò ut tuus orator & ſervus te veneror, & adoro &c.] Hucuſque Georgius Corcyrenſis Epiſcopus, qui inferiùs ſæpè occurret in viis. Sed ad Occidentales revocemus orationem.

Sub protectione Petri & Pauli Corcyra.

XXVI. Hoc eodem anno (inquit Rogerius in Annalibus Anglicis) in medio Quadrageſimæ Hugezun tituli ſancti Michaelis de Petro Leonis Cardinalis, & Apoſtolicæ Sedis Legatus Londonias venit, celebraturus Concilium & convenientibus ibi in unum Cantuarienſi & Eboracenſi Archiepiſcopis, & omnibus Epiſcopis & Abbatibus Angliæ, & Clero multo, prædictus Cardinalis ſedit cathedratus apud Vveſtmonaſterium in capella monachorum infirmorum, & Epiſcopi & Abbates cum illo unuſquiſque in ſuo loco ſecundùm ordinem & dignitatem ſuam. Sed inter Cantuarienſem & Eboracenſem Archiepiſcopos orta eſt contentio, quis illorum ſederet à dextris Cardinalis. Et cùm Eboracenſis Archiepiſcopus ibi ſedere vellet, ſervientes domini Cantuarienſis irruerunt in eum, & projecerunt in terram, & pedibus ſuis conculcaverunt, & cappam ſuam fregerunt. Et ſic diſperſi ſunt, & Cardinalis fugit, & abſcondit ſe à facie illorum, & ita impeditum eſt, quòd nullum tenuit Concilium, ſed factis appellationibus hinc & inde ad ſummum Pontificem, uterque illorum conqueſtus eſt domino Regi de injuriis ſibi factis,] Hæc Rogerius.

Concil. Lōdonien. perturbatum.

Quod verò eodem ferè tempore Alexander Papa Apoſtolicis litteris redarguiſſet illos Anglorum Epiſcopos, qui in Curia Regia degerent, ſuo grege neglecto: pro illis omnibus reſpondit, excuſans eos, Archiepiſcopus Cantuarienſis Richardus, ſcribens

De Epiſcopis Curialibus indignatio Alex. Papæ.

a *Petr. Bl. ep.* 84. ſcribens ad ipſum Alexandrum Pontificem A
has litteras per Petrum Bleſenſem: (*a*)

XXVII. De Curialibus Epiſcopis excuſatio. Purgantur illatæ calumniæ.

Aleaandro Dei gratia ſummo Pontifici
Riehardus Cantuarienſis Eccleſiæ humilis
miniſter devotum humilitatis & obedien-
tiæ famulatum.

Detractores Deo odibiles ſerenitati ve-
ſtræ de noſtris Epiſcopis enormia ſuggeſ-
ſerunt, aſſerentes, quòd venerabiles fra-
tres noſtri Richardus Vvintonienſis, & Gau-
fredus Elienſis, atque Joannes Norvicen-
ſis Epiſcopi, ſequentes odorem munerum,
& omninò abjecta ſollicitudine paſtorali,
militiæ, ne dicam, malitiæ curialis ſlucti- B
ctibus ſe immergunt. Dicunt, quòd judi-
cia ſanguinis exercent: ideòq; tamquàm vi-
ri ſanguinum à ſacris abſtinent, & ad men-
ſam Domini non accedunt. Ea propter ſue-
cenſa eſt adversùs eos indignatio veſtra,
nobiſque pœnam indicitis, ſi exceſſus hu-
juſmodi canonicè non punimus. Inhone-
ſtum ſiquidem eſſet, gravique animadver-
ſione digniſſimum, ſi eſſet in hac parte os
loquentium iniqua veridicum: ſed men-
tita eſt iniquitas ſibi. Nam ut excerpamus
pauca de multis. Vvintonienſi Epiſcopo
nullus eſt afflictis compatientior, nullus C
in oculis ſuis humilior, nullus in altari
devotior, nullus in beneficiis profuſior.
Unde ſicut unguentum effuſum eſt nomen
ejus, & eleemoſynas ejus enarrat omnis
Eccleſia Sanctorum. Elienſis autem, ea
quo juxta beneplaciti noſtri formam, citra
omnem infamiam tamen, & quaſi de abun-
danti ſuam purgatione canonica innocen-
tiam declaravit, plenè & efficaciter imple-
vit Epiſcopum, ſanctaque & honeſta con-
verſatione mendaces oſtendit, qui macula-
verunt innoxium. Ipſe etiam, & Epiſcopus
Norvicenſis, cujus honeſtatem & pruden-
tiam frequenter, dum ad vos à domino
Rege mitteretur, diutina converſatione D
& experientia didiciſtis, Eccleſias ſuas
pauperes invenerunt, ſed poſſeſſiones ea-
rum prudenter & ſtrenuè revocantes, & am-
pliſſimè dilatantes, ipſas nunc in ſtatum
optimum erexerunt.

XXVIII. Epiſcopi Conſiliarii Reg.

Non eſt equidem novum, quòd Regum
conſiliis interſint Epiſcopi. Sicut enim ho-
neſtate & ſapientia cęteros antecedunt; ſic
expeditiores & efficaciores in Reipublicæ
adminiſtratione cenſentur. Quia ſicut
ſcriptum eſt, minus ſalubriter diſponitur
regnum, quod non regitur conſilio ſapien-
b *Eccl.* 10. tum. Scriptum (*b*) etiam legitis: Væ
terræ, cujus Rex puer eſt, & cujus Princi- E
pes manè comedunt. Beata terra eſt, cujus
Rex ſenſatus eſt, & cujus Principes veſ-
cuntur tempore ſuo. In quo notatur, eos
conſiliis Regũ debere aſſiſtere, qui ſciant,
& velint, & poſſint patientibus compati,
paci terræ ac populi ſaluti proſpicere,
erudire ad juſtitiam Reges, imminenti-
bus occurſare periculis, vitæque maturio-
ris exemplis informare ſubditos, & qua-
dam auctoritate poteſtativa præſumptio-
nem malignantium cohibere. Regnum He-
c *3. Reg.* 12 bræorum (*c*) temporibus Roboam non

A fuiſſet diviſum, nec receſſiſſent ab eo de-
cem tribus, ſi prudentiores viros ſibi con-
ſiliarios elegiſſet. Cùm eſſet Saul prophe-
tans inter eos qui invocabant nomen Do-
mini (*d*) regnum tamen David erexit, & d *1. Reg.* 16
firmavit ejus ſolium inſtitutio Samuelis.
Rex (*e*) Ezechias oppreſſus à Sennacherib, e *4. Reg.* 20
& quaſi in extremis anguſtiis conſtitutus
per Iſaiam civitatis liberationem, & bene-
ficium conſolationis obtinuit. Eliſæus (*f*) f *Ibid.* 6.
acriſiam Syris induxit, & ejus beneficio Sa-
mariæ obſeſſores convertuntur in fugam.
Jojada ſacerdos (*g*) Joas filium Ochoziæ à g *Ibid.* 11.
B facie Athaliæ perſequentis abſcondit, quē
cùm erexiſſet in Regem, ſanctis eum mori-
bus informavit. Sed Jojada mortuo, cœ-
pit Joas à Dei legitimis declinare: quem
cùm (*h*) Zacharias argueret, eum lapidi- h *2. Par.* 24
bus obruit, & contrivit. In quo manife-
ſtiſſimè liquet, quàm utilis & neceſſaria
ſit converſatio, & doctrina juſtorum his,
qui populi regimen acceperunt. Nam tem-
poribus Sedeciæ (*i*) Regis non fuiſſet ex- i *Jerem.* 21
terminatum regnum Judęorum, niſi adver- *&* 4. *Reg.*
ſùs Jeremiam, qui publicæ conſulebat uti- 25.
litati, prævaluiſſent mendacia pſeudopro-
phetarum.

C Unum noveritis, quia niſi familiares, XXIX.
& conſiliarii Regis eſſent præfati Epiſco-
pi: ſupra dorſum Eccleſiæ fabricarent ho-
diè peccatores, & immaniter ac intolera-
biliter opprimeret Clerum præſumptio lai-
calis. Nunc autem, ſi quid in Eccleſiæ
attentatur injuriam, auctoritate pontifica-
li corripitur: aut ſi ad hoc Eccleſiaſtica
cenſura non ſufficit, ſpiritualis gladii de-
fectus civili ſuppletur: & ad eorum arbi-
trium principalis animadverſio exercetur.
Si quandoque, ut fieri ſolet, adversùs in-
ſontes Regis indignatio vehementiùs ex-
candeſcit, Epiſcoporum precibus tempe-
D ratur. Iſtis mediantibus manſueſcit circa
ſimplices judiciarius rigor, admittitur cla-
mor pauperum, Eccleſiarum dignitas erigi-
tur, relevatur pauperum indigentia, firma-
tur in Clero libertas, pax in populis, in
monaſteriis quies, juſtitia liberè exerce-
tur, ſuperbia deprimitur, augetur laico-
rum devotio, religio fovetur, diriguntur
judicia, leges acceptantur, decreta Romana
vim obtinent, & poſſeſſiones Eccleſiaſticæ
dilatantur. Iſti ſingulis pręcipuis ſolemni-
tatibus ſuis interſunt Eccleſiis, ubi elee-
moſynarum largitione, conſolatione pu-
pillorum ac viduarum, ſubjectorum cor-
E rectione, atque aliis ſanctitatis operibus
redimunt dies, quos in Curia conſum-
pſerunt.

XXX. De ſiculis Epiſcopis reprehenſione dignis.

Porrò Archiepiſcopi, vel Epiſcopi,
qui in Curia Regis Siculi converſantur,
per ſeptennium, aut decennium à Curia
non recedunt; nec refert, vivant, aut
deceſſerint, quantum ad Eccleſiaſticarum
poſſeſſionum cuſtodiam, vel regimen ani-
marum.

Ab hac equidem curialitate noſtros
quandoque volumus Epiſcopos prohibere,
ſed conſilioſis & prudentibus viris viſa eſt

expediens eorum cohabitatio circa Regem quos ſi extraheremus à familiaritate illius, ſubtraheremus quietem monaſteriis, oppreſſis ſolatium, Eccleſiis libertatem. Unde licèt propter incommoditates varias, quas ibi ſuſtinent, deſiderio deſiderarent egredi; publicæ tamen utilitatis obtentu, communi fratrum noſtrorum conſilio, non ſolùm in hac vita caſtrenſi tolerari, ſed ad eam trahi debuerant, & compelli. Utilitatem itaque Anglicanæ Eccleſiæ, & malitiam detractorum, qui vobis veritati contraria ſuggeſſerunt, velitis, Pater, in librâ æquitatis appendere, & quod ſuper hoc in oculis veſtris acceptum fuerit, noſtræ parvitati nuntio, vel litteris velitis A intimare. Rei veritatem priùs vobis declarari oportuit, ut ad hujus rei deciſionem certiùs & confidentiùs procedatis. Nos autem, cùm receperimus veſtræ ſanctitatis oraculum, Apoſtolicæ juſſionis executorea efficaces erimus & devoti. Conſervet vos Deus Eccleſiæ ſuæ per tempora longa, ſanctiſſime Pater.] Hucuſque Richardus. Extant ejuſdem Archiepiſcopi ad eumdem Pontificem aliæ querimoniis plenæ (a) litteræ de Abbatum exemptione à ſuis Epiſcopis, oſtendentis pluribus, quot quantaque ex his ſcandala in Eccleſia oriantur. Sunt de his multorum antiquæ querelæ E- B piſcoporum, & aliorum, quorum ſuperiùs mentio facta eſt. At anni hujus hic finis eſto.

a *Petr. Bl. ep. 68.*

JESU CHRISTI ANNUS 1177. ALEXANDRI PAP. III. ANNUS 18. FRIDERICI IMP. 23. MANUELIS IMP. 35.

I. Annus placabilis. b *Iſ. 61.*

MILLESIMUS centeſimus ſeptuageſimus ſeptimus, indictione decima, adeſt Chriſti annus, dicendus ex bonis, quæ ſecum tulit, ſecundùm Iſaiam, (b) verè PLACABILIS, quo pax exul annis decem & octo, tandem ſuo decore eſt poſtliminiò reſtitutus, & dirum ſchiſma, quo ſub triplici capite latrante Cerbero, perterritus & fatigatus eſt Catholicus Orbis, ceſſavit omninò; cùm & univerſalia Eccleſia ſub uno paſtore, in ovili uno coagmentata compagine unitatis, concuti deſinens, conquievit, inter ſacerdotium & Imperium pace ſtabilita Venetiis. Hæc ſunt quæ ſecum vexit poſt horridam hiemem floreſcente placido Vere Placabilis annus. Digna quidem tanta hiſtoria, ut præſtantiſſimorum virorum (ſicuti factum eſt) digno ſtylo poſteris traderetur abſque ornatu aliquo adſcititio, quæ ſuæ pulchritudinis decore fulgeret. Sed infortunio magno accidit, quòd cùm ad ornatum ſupervacaneum inopportunus, ineptus, & commenticius quæſitus eſt fucus: deformis effecta, reddita ſit diverſa penitùs ab illa venuſtate, quam mixto candore ſimplicitatis cum rubore vividæ veritatis côciliaverat ipſi abſque arte natura. Quòd ſi ejuſmodi abſterſis ſordibus, in priſtinum decorem eamdem hiſtoriam vendicare contingat: planè dignam Deo operam nos navare non dubitamus, eodem ipſo Domino per Jeremiam ita teſtante: (c) Si ſeparaveris pretioſum à vili, quaſi os meum eris.]

c *Jerem. 15*

II. Unius, hiſtoriæ duplex narratio.

Ut autem tanta iſta pro virili præſtemus: aperiendum illud in primis, duplicem & magnoperè inter ſe diverſam reperiri hiſtoriæ hujus narrationem; utramque verò in codice Chronicorum dignæ memoriæ Cardinalis Beſſarionis, qui ſumma diligentia & honore aſſervari dicitur in bibliotheca Veneta, pluteo decimoſeptimo, ubi citatum invenimus ab auctore, (d) qui haud pridem in iis copioſiſſimè verſatus eſt, utinam ita fructuosè, ſicut & operosè, qui circumiens mare & aridam, illa ſola invenit, quibus in errorem manifeſtiſſimum duceretur; nec ad illa pervenit, C quibus veritate certiſſima informari potuiſſet, ne falleretur, & ſic alios ipſe falleret. Quæ ut tu ſemper caveas, Lector, in delectu teſtium hìc & ubique conſtitue in quacumque diſputatione victoriam, non in numero, eò quòd errantium infinitus ſit numerus, ſed vera ſapientium, ſicut verè ſapientum, admodùm paucus. Sed quæ de duplici & diverſa valdè ejuſdem hiſtoriæ narratione idem auctor ex eodem nuper citato Chronicorum volumine totidem verbis promit, jam videamus. Ita ſe habent.

d *Hier. bar. in vict. naval. pag. 140. 141.*

III. De veritate hiſtoriæ prima narratio.

Anno igitur Domini milleſimo centeſimo D ſeptuageſimo ſeptimo reformata eſt pax inter Alexandrum Papam & Imperatorem apud Venetias. De mediis autem, quibus ad pacem ventum ſit, Italici quoque ſcriptores ſunt partim diſcordes. Blondus enim ſcribit, quem ſequitur Æneas Silvius, Fridericum poſt præmiſſa, Magdeburgenſem Moguntinumque Archiepiſcopos Oratores ad pacem cum Alexandro conſtituendam, deſtinaſſe Anagniam. Conventum eſt ibidem, ut Pontifex Bononiam, Imperator Mutinam ſe conferret, quòd eo modo facilè poſſet ad colloquium perveniri. Pro E qua re complenda Pontifex ad Garganum montem ſe contulit, ubi triremes à Vvillelmo Siculo tredecim miſſas reperit, hiſque Venetias delatus, magno honore exceptus eſt, & in itinere terreſtri ſex Cardinales Bononiam miſit: Fridericus autem Mutinam venit. Dum hæc geruntur, Oratores Friderici Bononiam ſuſpectam dicunt, & Ferraria pro conventu eligitur. Erat Quadrageſimale tempus, & Pontifex Ducem Venetorum aurea

roſa

roſa donavit, petiitque Ferrariam: ubi rurſùs mutatis conditionibus, Venetiis convenire placuit, ea lege, ne priùs Imperator Venetias admitteretur, quàm pacem jurejurando firmaret. Conceſſit igitur Fridericus pacem Alexandro in ea formula, qua ſemper optaverat, & Vvillelmo Regi Siciliæ, ac quindecim ſociis civitatibus in ſex annos pacem dedit.] Hæc Blondus; & quidem veritati conſentientia.

IV. *De veritate hiſtoriæ poſterior narratio.* Alii verò aſſerunt, Fridericum cum magno exercitu veniſſe in Auſoniam, moviſſeque in Romanã Urbem, pro quo Pontifex ejus vires perhorreſcens, decimoſeptimo Pontificatus ſui anno coqui ſui veſtibus ſumptis, eo in habitu Venetias profugit, ad divæ Virginis de Charitate monaſterium profectus: ubi ab incolis recipitur, & hortolo præficitur. Et quòd poſt aliquot menſes, cùm quidam, nomine Cõmodus, eum agnoviſſet, confeſtim ad Sebaſtianum Ducem acceſſit, Pontificem eſſe Romanum retulit: qui re cognita, mox Senatum congregans, cum omni apparatu ad Pontificis diverſorium acceſſit, agnitumq; in tali deſpecto habitu Pontificẽ, cum crucibus, aliiſq; ſolemnitatibus ad divi Marci templum cum omni gaudio perduxit. Quodque ibidem Pontifex cùm ante altare ex more conſediſſet, Principem, Senatum, & omnem populum benedixit. Et quòd etiam Imperator audiens ſummum Pontificem Venetiis eſſe; Ottonem filium ſuum cum armatã claſſe ad repoſcendum ſummũ Pontificem Venetias miſit; qui & Venetis ob id bellum movit. Cui ſtatim Sebaſtianus Dux Venetorum occurrens, facto congreſſu ipſum ſuperavit, & Venetias vinctum perduxit. Otto autem ad Pontificem ductus procuravit, quòd pax inter maximum Pontificem & patrem Auguſtum componeretur. Inſuper, quòd altera quæ ſecuta eſt, die, Fridericus Venetias venic, pacem à filio confectam hoc modo approbat, ot Romam, & quæ ditionis erant Eccleſiaſticæ, ſummo Pontifici redderet, & quidquid ille pro perpetrata culpa injungeret, patienter perferret.

V. Quòd item tunc fœdere Alexander Pontifex inito, confeſtim ad januas templi divi Marci acceſſit, & ibidem univerſo aſtante populo, Imperatori juſſit, ut ſe humi proſterneret, & veniam denuò poſtularet. Cùm ſummus Pontifex Cæſaris Imperatoris & collum pede comprimens, ait: Scriptum eſt, ſuper aſpidem, & baſiliſcum ambulabis: & conculcabis leonem, & draconem. Cum illi Fridericus: Non tibi, inquit, ſed Petro, cui ſucceſſor es, pareo. Et quod Pontifex reſpondit: Et mihi, & Petro. Ac ſic inter Imperatorem & ſummum Pontificem pace compoſita, ipſe Imperator cum bona venia abiit.] Ita poſterior ſe habet narratio de inita pace inter Pontificem & Imperatorem. Cui & iſta junguntur: Abſcedente igitur Imperatore, Pontifex ob beneficium à Venetis ſuſceptum Sebaſtiano Duci, & ejus ſucceſſoribus, ac Senatui Veneto privilegia conceſſit. Primò quidem funale candidum, quod ſolis Pontificibus Romanis portandum conſuetudo concedit. Itemque quòd plumbo poſſent epiſtolas ſigillare deinceps. Tertiò quòd eidem Principi umbellam cõceſſit, ornamentum galero perſimile. Quartò quòd Venetorum Principi tertiam ſedem in theatro Romano fieri fecit, cùm priùs duæ tantùm in Papæ theatro ſedes eſſent, quarum dextram Pontifex, ſiniſtram verò Cæſar tenet. Cùm & in Aſcenſione Domini Venetia in templo S. Marci Evangeliſtæ Indulgentiam plenariam perpetuò duraturam conceſſit, quæ hodiè perdurat. Quintò quòd ipſi Duci octo vexilla ſerica diverſorum colorum obtulit. Sextò denique, quòd cereum album eidem condonavit, quodque omnia in palatio ſancti Marci perpulchrè depicta habentur.] Hæc ex codice Beſſarionis, accepta haud dubium ex antiquioribus monimentis, illis nimirùm, quæ ad nos ſunt miſſa elapſis diebus, ut intexerentur Annalibus. Ne igitur redarguamur inofficioſi, ſi prætermiſerimus ea, hîc adiicimus; Sic enim ſe habent totidem ſyllabis reddita, ut exſcripta ab eo qui miſit:

Exemplum ſumptum ex quodam libro antiquo in pergameno manu ſcripto, exiſtente in Archivio Epiſcopatus Parentini, ex prima ejus charta de verbo ad verbum fideliter extractum.

Copia hiſtoriæ Alexandri III. qui latitavit Venetijs, & poſteà tranſivit Urſariam Parentinæ diœceſis, ubi dimiſit Indulgentiam plenariam. VI.

Reperitur in canonica Domini Alexandri III. Pontificis maximi, ubi memorat, qualiter repertus fuit in monaſterio ſanctæ Mariæ de Charitate Venetiis, & fuit cognitus in celebratione per quemdam Spoletanum in civitate Veneta, ubi ipſe Pontifex accepit fugam de Spoleto propter inſidias atque perſecutiones domini Friderici Imperatoris ſcilicèt, perſequentis Eccleſiam Romanam, atque dominum Papam, & ſuos Cardinales. Deinde memorat promiſſiones factas per dominum Sebaſtianum Zani Ducem Venetum domino Alexandro Papæ; & de victoria habita per Venetos cum triginta galeis contra ſexaginta galeas dicti Imperatoris, in quibus erat Capitaneus filius dicti Imperatoris, atq; fuit ibi perſonaliter captus cum toto ſuo exercitu, & ductus ad civitatem Venetam, & præſentatus domino Papæ. Et locus, ubi fuit iſta victoria habita, vocatur, La ponta de ſalvore, in partibus Iſtriæ, & eſt ibi una Eccleſia ſancti Joannis, in qua dominus Alexander Papa in tali die, ſicut fuit victoria in feſto omnium Sanctorum, conceſſit plenariam Indulgentiam ad perpetuam rei memoriam.

Deinde memorat de pace tractanda per filium Imperatoris inter dominum Alexãdrum, & Eccleſiam, & dictum patrem ſuum Imperatorem: & narrat, quomodò Imperator venit ad civitatem Venetiarum ad pedes domini Papæ. Inſuper facit men- VII.

A tionem, quomodo domini Anconitani venerunt cum tribus galeis armatis & ſolemniter præparatis ad civitatem Venetam ad pedes domini Papæ, pro obedientia domini Papæ, & Eccleſiæ Romanæ, pro qua civitas Anconitana longo tempore fuerat aſſediata, & devaſtata per prædictum Fridericum Imperatorem. Cùm dominus Papa & Imperator, unà cum Duce Venetiarum in feſto ſancti Matthiæ receſſerunt de Venetiis cum novem galeis, & dominus Papa Alexander aſcendit ſuper una galeam de Ancona, quæ erat ſolemniter præparata pro perſona ſua, & in ſequentem noctem

B venerunt ad portum Urſariæ penes Parentium, ad unum Prioratum ſanctæ Mariæ, & ibi conceſſit maximas Indulgentias, & maximè in feſto Annuntiationis Virginis Mariæ. Poſt diem ſecundum receſſerunt de illo loco, & in ſequenti die venerunt Anconam hora xxiij. unà & ſimul cum Imperatore & Duce Venetiarum, cui dominus Alexander dedit umbellam, cathedram, vexillum, & multas gratias, ſicut narratur, & habetur in canonica. Hoc geſtum fuit in civitate Ancona, in Eccleſia majori ſancti Laurentii, in illa die, in qua applicuerunt. Similiter conceſſit dominis

C Anconitanis pro ſua fidelitate habita ſibi & Eccleſiæ, multa beneficia ſpiritualia, & temporalia, & dedit eis plenariam libertatem, & gratias & exemptiones in recompenſationem ſuæ fidelitatis. Hoc fuit factum prima die Quadrageſimæ. De donis ſpiritualibus conceſſit ad perpetuam rei memoriam, omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, viſitantibus duodecim Eccleſias primò, deinde venientibus ad Eccleſiam prædictam Cathedralem quotidiè per totam Quadrageſimam cum continua perſeveratione jejuno ſtomacho, uſque ad diem Reſurrectionis Domini, ut habeant

D illam Indulgentiam, & tantam, ac ſi viſitarent civitatem ſanctam Jeruſalem, & alia loca ſancta. De Comitatu verò per tres dies ante feſtum Reſurrectionis. Similiter facit mentionem, qualiter conceſſit primis Dominicalibus menſium tantam Indulgentiam, quantam arenam capere potuit cum ambabus manibus. Hoc donum Indulgentiæ fuit conceſſum tempore domini Thomæ Epiſcopi Anconitani de anno * 127. anno ſui Pontificatus duodecimo, Indictione quinta. * 1177.

VIII. Et ego Petrus Matthæus Joannes de Ancona Sacriſta ſancti Quiricii de Ancona

E præſens privilegium extraxi, & copiavi de quodam privilegio exiſtenti in Eccleſia prædicta, ad petitionem Zani Valentis de Grado, nil addendo neque minuendo ut ponitur, virgulam, vel comma, ſed fideliter auſcultavi, unà cùm domino Jo. Paulutii de Ancona publico Notario, & utrumque concordare inveni.

Et ego Jo. Paulutii de Ancona Notarius, & nunc Prior Capituli præſens privilegium auſcultavi, unaque cum domino ſupradicto Petro Matthæo Sacriſta dictæ Eccleſiæ utrumque concordare * invenimus, & * inveni,

ad fidem hujuſmodi ſigillum meum appoſui, & etiam ſigillum noſtri Capituli * pendentem, in quo quidem ſigillo ſunt ſculptæ imagines ſanctorum Laurentii & Quiricii, & ſuprà ipſis eſt imago Virginis Mariæ cum filio. * pendens,

Mathurius presbyter Turovienſis hanc ſcripturam perlegit, ſubſcripſit, milleſimo quingenteſimo decimoquinto, die verò decimanona Decembris.

Præſens tranſumptum ex originali ſupraſcripto aliena manu fideliter exemplatum, quia ego Joannes Teuterinus coadjutor Curiæ Epiſcopalis Parentini cum ipſo originali concordare inveni de verbo ad verbum, nil addito, diminuto, ſeu mutato, in fidem me ſubſcripſi die vigeſima menſis Septembris. M DC. V.

Joannes Lipomanus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Parentinus, Urſariæque Comes &c. univerſis & ſingulis has præſentes viſuris & lecturis atteſtamur, ſupraſcriptum Joannem Teuterinum eſſe Curiæ noſtræ Epiſcopalis coadjutorem, cujus ſcripturis & exemplis ubique locorum fides adhiberi poteſt. In quorum fidem &c. Dat. Venetiis die vigeſimaſeptima Septembris. M. DC. V. *quo minus ſit ad nos*.

Joannes Epiſcopus Parentin.

Fabricus Beatianus Notarius Venet. mandato ſubſcripſi.

D. Scipio Lugo Baſſianen.

D. Carolus Gluti Advocatus pauperum.]

IX. Hæc ſunt quæ favent poſteriori ſententiæ recitatæ. Cui inhærendum ne nobis ſit, an priori conſentiendum; nos tamquàm in bivio conſtituti, quamnam viam ingrediendam ſuſcipiamus, illud divinæ (a) Scripturæ inprimis mente verſamur, ita monente Deo: State ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea.] Et illi utique interrogandi, qui viam triverint ambulando, non autem inexperti, qui tantùm audita retulerint, eademque fucata coloribus pictura monſtraſſe, ſatis eſſe ad probationem exiſtimant, non conſiderantes, quòd (b)

a Jerem. 6.

——— *pictoribus atque Poetis*
Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.]

b Horat. in Poetic.

Benè probatum auctoris inſtitutum.

Quamobrem nos non aliundè quàm ab auctoribus ejus temporis, & iiſdem planè ipſis, qui rebus tunc geſtis interfuerunt, videruntque, atque præſentes manibus contrectarunt, cuncta deſcripturi ſumus. Addemus inſuper ad confirmationem eorum, quæ ex dictis auctoribus narraturi ſumus, complures ipſius Alexandri Papæ tunc ad diverſos Venetiis ſcriptas epiſtolas de iis, quæ ibidem in eadem cauſa fieri contigerunt: adeò ut nulla de his vel levis dubitatio reliqua eſſe poſſit, trahique neceſſe ſit ſumma potentia veritatis in ejus conſenſum non dubitantes tantùm; ſed ipſos, ſi quos eſſe contigerit obſtinatos & refractarios, qui ei quam ſemel imbiberunt opinio-

opinionem, inhærent immobiles, perſiſtunt ſtabiles firmique, nec pati poſſunt ab eadem quavis ratione divelli.

X. Accidit namque in ijs (quod vitari poſſe perdifficilè eſſe didicimus experimento) ut quò præclarior de rebus præclariſſimè geſtis ſit hiſtoria conſcribenda, ſæpè irrepat in auctorem, quod ſine auctore vulgatum fertur quidpiam fabuloſum; quod ipſe Scriptor prætermittere expaveſcat, ne contradicentium grandine denſa pulſetur; ſicque fiat, ut falſa admixta veris, eodem decore, tituloque gloriæ fulgeant, atq; mendacium veritatis, ut gemmæ vitium, nomen obtineat, & pari pretio æſtimetur, atque cupientibus diſtrahatur, & quo nomine ſemel acceptum, eodem ad poſteros, tamquàm paterna hæreditas tranſmittatur, tenaciùs poſſeſſum non libenter admittat, quod face veritatis admota, veritati contrarium deforme eſſe mendacium arguatur. Quorum occaſione, ut delectu habito (quod muneris noſtri eſt) ſegregaremus pretioſum à vili, falſum à vero immenſi ſunt nobis parti labores; ſed feliciter actum, niſi ex more pareret odium veritas, ut ſecundùm diuinum oraculum (a) dicant videntibus: Nolite videre. Et aſpicientibus: Nolite aſpicere nobis ea quæ ſunt recta: loquimini nobis placentia, videte nobis errores.] At in his modò verſamur, quibus majorem potiùs gratiam quàm invidiam nobis conciliaturos non dubitemus, cùm nullius ſint momenti quæ reiiciuntur, ſummi verò ponderis, quæ retinentur, confirmantur, & illuſtrantur.

a *Iſai.* 30.

XI. Auctoris commendatur officium. Longè namque abeſt, ut iſta ſcribendo obſcurare velimus ſereniſſimæ Venetæ Reipublicæ gloriam, quam non neceſſario; ſed potiùs voluntario (quod majoris eſt laudis) hoſpitio Romani Pontificis, tot tantiſque exhibitis erga eum officiis, impenſis dignis obſequiis effuſa munificentia Chriſti Vicario, dignè promeruit; quin potiùs ad majorem lucem faces addimus, illuſtraturi eam magis magiſq; fulgorib. veritatis, tot admotis ſplẽdoribus, quot è latebris vendicata Scriptorum monimenta nondum viſa ad ea confirmanda conferemus. Tenebras verò propellimus eas, quibus tanta gloria quadam obtenſa caligine obfuſcatur, dum hiſtoria nobiliſſima anilis fabulæ admiſtione viloſcit. Nos igitur apertiſſima veritate monſtrabimus, Alexandrum ipſum Romanum Pontificem nequaquàm neceſſitate compulſum, fuga lapſum è manibus Friderici, habitu mutato Pontificio in coquinarium indumentum (quod fertur) Venetiis delituiſſe in monaſterio Charitatis; ſed potiùs Pontificia auctoritate, libera facultate; conſilio tamen Siciliæ Regis delegiſſe liberam civitatem, eamdemque ſecuram, ad quam invitaret pariter Imperatorem, qui cum eo, quæ ſunt pacis, unà tractaret: contuliſſe verò ſe in eam claſſe honorifica ſibi parata ab eodem Vuillelmo Rege Siciliæ, comiteſque ejus nauigationis habuiſſe S. R. E. Cardinales, necnon inter alios proceres Legatos Siciliæ Regis.

(Veritas) Præſentẽ Hiſtoriam Baronii reprobat Luſcus to. s. pa. 325. Item anno 1200. p. 20 Sicut etiã eam reprobãt omnes Hiſt. Veneti & præcipuè lege Pallatium in Monarchia Rom. Pontif. in Vita Alexandri III.

A Sed quòd ab illis, qui ponunt latebras Alexandri, prætexitur timor, qui ad fugam eum impulerit ob perſecutionem Friderici, ex victoria nuper parta minantis, & inſequentis: neceſſarium eſt corruat tota vana moles, quam omni penitùs fundamento carere patebit, ſi ad res geſtas anni ſuperioris, eaſdemque fuſiùs enarratas memoriam reuocauerint: cùm invenerint Fridericum non victorem, ſed victum & profligatum bello fuiſſe à Mediolanenſibus Dei ope victoribus; cùm & non Alexandro Papæ, eiſdem confœderato, ſed miſero Friderico vix fuga ipſo fuerint captandæ latebræ, & humilis mutatione habitus aſpectus fallendus ineuntium. Cùm & ſanioris uſus conſilio, pro pace legationem honorificentiſſimam Anagniam miſit ad ipſum Alexandrum, cujus occaſione iſta meditari de mutuo congreſſu ad pacem decernendam idem Pontifex inchoauit, quod hoc anno perfecit. Repetant igitur quæ narrata ſunt anno ſuperiori, & planè videbunt, omnem de ineunda fuga, latebriſque captandis ceſſaſſe penitùs occaſionem, ut vel ex iis manifeſtam detegant impoſturam. His verò ita detectis, jam quod polliciti ſumus, ab auctore, qui aderat, cunctaque ſcribebat de Alexandri ipſius vitæ Actis ſuperiùs ſæpè citatis, quæ Bibliotheca Vaticana antiquitùs ſeripta cuſtodit, narrationem aggrediamur. Hæc enim ait [illegible]

XII. Commentum fuga, & lateb. Alex. Papæ.

B

C Potrò Alexander Papa, ut indubitanter ad colloquium Imperatoris poſſet accedere, ordinato in Urbe Vicario, verſus mare Hadriaticum iter cum fratribus ſuis Cardinalibus arripuit. Et veniens Beneventum, inde Trojam, atq; Sipontum, & montē Garganum tranſivit, & devenit in civitatem Lieianam in maris litore ſitam: Ibi enim devotus beati Petri filius Rex Siciliæ ad ejus obſequium præparauerat ſeptem galeas, victualibus, & armis, prout tempus poſtulabat, munitas. Duos quoque de magnatibus terræ ſuæ, videlicèt Romualdum Salernitanum Archiepiſcopum, & Rogertũ Hadrienſem maximum Comitem, ut honorificentiùs cum eis incederet, illùc ad ejuſdem Patris & domini præſentiam deſtinavit. Ut autem Imperatorem, & Longobardos de ſuo Pontifex adventu redderet certiores; ſex de fratribus ſuis Cardinalibus Siponto uſque Bononiam cum ſuis, & aliorum fratrum equitaturis præmiſerat.] Et poſt enarratas res geſtas inter Imperatorem Conſtantinopolitanum, & Soldanum, de quibus nos, ne adeò diverſa miſceantur, poſteà dicturi ſumus; hæc ſubiicit:

XIII. Alex. profecturus Venetias diſponit res urbanas.

D

E Intereà Viterbienſis ille ridiculus Antipapa de malo ſemper in pejus deficiens, ubi pacem; & concordiam inter Alexandrum Papam & Imperatorem ſine ſe familiariter tractari percepit; ubi & ſecuritatem firmam cum ſis viatoribus datam indubitanter cognovit: cum proceribus ſuis ita vehementer indoluit, ac ſi cor ejus medium crepuiſſet.] Hæc de ſtatu tunc temporis Antipapæ Viterbii degentis; ſeipſum mœrore

Quid Antipapa ex pace paſſus in animo.

rore vorantis. Subdit de præmiſſa legatione ab Alexandro, antequàm è Campania ad Hadriaticum mare perrexit, quàm omiſerat, dicens:

XIV. Legatio à Pontifice ad Imp.

Antequàm Anagnia Pontifex Alexander exiret, Humbaldum Oſtienſem Epiſcopum, & Rainerium diaconum Cardinalem ſancti Georgii ad Imperatoris præſentiam ea occaſione præmiſit, ut ſecuritatem, quam Magdeburgenſis Archiepiſcopus cum ſociis ſuis promiſerat, ab eodem Imperatore per exhibitionem juramenti maniſeſtè reciperent. Cuncti autem per partes Tuſciæ in Lombardorum intraverunt terram, & circa Mutinam eumdem Imperatorem ſatis pacificum invenerunt, qui eos hilari vultu & reverentia ſuſcepit, & honorificentia plurima honoravit. Præſentibus itaque multis Epiſcopis & Principibus, coram ipſis Legatis Fridericus Imperator C. filium Marchionis Montisferrati ſuper ſancta Evangelia jurare fecit in anima ſua, eamdem ſecuritatem, quam Legati apud Anagniam indubitanter præſtiterant, conſervare. Inſuper ad majorem bonæ voluntatis, quam gerebat de pace oſtenſionem, omnes Principes Alemannos, qui ſecum aderant, eamdem ſecuritatem fecit nihilominùs per jusjurandum corroborare. In diebus illis Cremona reſpiciens retrò, abſque gravamine de jurando, à confœderatione aliarum civitatum impudenter receſſit, & ad Imperatorem non ſine magna ignominia ſe convertit. Unde indignationem Eccleſiæ, & aliorum Lombardorum odium & inimicitiam juſtè incurrit. Terdona quoque non poſt multum temporis idem reprehenſibiliter fecit, & eadem ſe infamia contumelioſa involvit.

XV. Audiens autem iſta apud Vaſtum in mari Hadriatico vadum, ubi tempus opportunum navigationi expectabat, ſummus Pontifex, valdè eſt miratus; ſed de aliarum civitatum ſtabilitate dubitare non potuit. Cæterùm cùm valida maris tempeſtas ipſum jam per triginta dies contra propoſitum ſuum ibi detinuiſſet invitum: ecce inſuper Auſter diu deſideratus advenit, & ſtatim nautæ ad transfretandum eumdem Pontificem alacriter invitarunt. Qui conſurgens circa medium noctis inſtantis Quadrageſimæ, valdè mane poſt Miſſam, & receptos cineres, pelagi vaſtitatem lætus intravit cum undecim galeis, & aliis duabus oneratis victualium copiis, & albis caballis; abſque aliis navigiis. Has Rex Siciliæ auxit numerum galearum ad decorem Pontificis. Erat autem delectabile ad videndum, navalem exercitum ſulcantem dorſum pelagi velis protenſis proſpero vento. Sed circa meridiem ſuperveniente hora ſexta, eſt prorsùs extinctus Auſter, & illicò facta eſt in mari turbatio maxima. Timuerant igitur omnes, Pontifex autem non fuit omninò ſecurus. Tunc decem galeæ cum ipſo Pontifice & fratribus ſuis Cardinalibus verſus anteriores inſulas in remigando non ſegniter laboraverunt.

Navigatio Papæ Venetias aucta claſſe à Rege Siciliæ.

Tandem ſuffragantibus beatorum Petri & Pauli meritis, eadem die circa noctem, ad inſulam quæ dicitur Polacroſa, proſpero, Deo gratias, curſu applicuerunt. Pontifex autem fatigatus ex nimia procelloſi maris turbatione, in terram libenter deſcendit, & appoſita copioſa menſa hilariter convivavit.

XVI. Poſt modicum verò temporis, cùm jam quieſcerent omnia: ex inſperato deſideratus nautis Auſter arriſit, & eos ad iter agendum non mediocriter animavit. Exultantibus igitur cunctis, cum gaudio vela univerſa in altum citiſſimè ſunt elata, & unuſquiſque ad exercendum commiſſum ſibi negotium in ipſa noctis obſcuritate vigilans permanſit. Præcedente itaque cum magno luminari galea ſummi Pontificis, aliæ ipſam ſequentes, per totam noctem omnes alacriter navigarunt. Et altera die circa meridiem in inſulam, quæ vocatur Alexa, venerunt. Et poſt celebratam ibidem Miſſam, cum magno gaudio & lætitia ad mare convenerunt. Et exinde cæteras Dalmatiæ inſulas tranſcendentes, in proxima Dominica, priuſquàm Sol illuceſceret, ad civitatem Jaderæ, quæ ſita eſt in capite Hungariæ regni, eumdem Pontificem cum ſuis fratribus, Manfredo videlicèt Præneſtino Epiſcopo, Joanne tituli ſanctæ Anaſtaſiæ, Boſone tituli ſanctæ Prudentianæ presbyteris Cardinalibus; Cynthio tituli ſancti Hadriani, & Hugone ſancti Euſtachii diaconis Cardinalibus: Romualdo quoque Salernitano Archiepiſcopo, & Rogerio illuſtri Comite per merita beatorum Apoſtolorum ſanum & alacrem portaverunt. Et quoniam nondum quiſquam Romanus Pontifex civitatem ipſam intraverat: de novo ipſius Papæ adventu facta eſt in Clero & populo illius loci communis lætitia, & ineffabilis exultatio collaudantium & benedicentium Dominum, qui modernis temporibus, per famulum ſuum Alexandrum ſucceſſorem beati Petri, Jadertinam civitatem dignatus eſt viſitare. Itaque præparato ſibi de Romano more albo caballo, proceſſionaliter duxerunt eum per mediam civitatem ad beatæ Anaſtaſiæ majorem Eccleſiam, in qua ipſa virgo & martyr honorificè tumulata quieſcit, immenſis laudibus & canticis altiſſimè reſonantibus in eorum Sclavica lingua. Poſt quartam verò diem exivit Jadera, & per Sclavorum inſulas, & maritimas Iſtriæ Civitates felici curſu tranſitum faciens, ad monaſterium ſancti Nicolai ſitum in faucibus Rivalti alacriter, Domino auxiliante, pervenit.

Alex. Papæ Appulſus Jaderam.

XVII. Anno igitur ſui Pontificatus decimooctavo, * x. Kalend. Aprilis, Indictione decima, beatus Pontifex Alexander cum ingenti honorificentia Venetias primùm intravit, occurrente ſibi Duce cum Patriarcha & Epiſcopis & nobilibus, cum Clero in navium copioſa multitudine. Eo autem in palatium Patriarchæ ſuper Rivoalto deducto, prædictus Magdeburgenſis Epiſcopus

* al. xj.

Alex. Papa appulſus Venetias.

pus cum Electo Vvormatienſi, Protonotarioque acceſſerunt ad eum, dicentes: Dominus noſter Imperator cuncta, quæ inter vos, & eum de pace, nobis mediantibus tractata ſunt & conſcripta, paratus eſt adimplere Sed in civitare Bononienſi, quam ejus Principes nimis habent ſuſpectam, convenire nullatenùs poteſt: Unde clementiam ipſam veſtram ſupplieiter exoramus, quatenùs alium locum ipſi & vobis congruum, Ravennam videlicèt, vel Venetias eligere ſatagatis. Quibus beatus Pontifex conſtanter ſine mora reſpondit: Diu eſt, quòd mediantibus fratribus noſtris Humbaldo Oſtienſi Epiſcopo, & B Rainerio diacono Cardinali, cùm Lombardis Imperator convenit, ut ipſe in Imola, & nos in Bononia debeamus pariter convenire, Ideò nos abſque Lombardis, & conſilio fratrum noſtrorum, qui circa partes Bononiæ noſtrum præſtolantur adventum, locum ipſum mutare non poſſumus, nec debemus. Si ergò minimè diſplicet, quod priùs ſibi ſponté conſenſit; ſibi debet non nobis, talem conditionem ſæpè poſitam imputare. Verumtamen, ut inceptum bonum pacis ad deſideratam conſummationem celeriùs valeat, operante Domino, pervenire; nos uſque Ferrariam C ſine mora venire ſtudebimus, quatenùs ibi cum fratribus noſtris & rectoribus Lombardiæ deliberare, & eligere plenariè poſſimus, quod pro utraque parte congruentiùs fuerit faciendum. Quod verbum, quia Legatis benè complacuit: per litteras Apoſtolicas univerſis Epiſcopis & rectoribus civitatum Lombardiæ mandavit, ut in Dominica die Paſſionis ad ejus præſentiam in ipſa civitate, Deo favente, convenisent.

XVIII. Interim verò cùm turbæ multæ irruerent in eum, & ex civitatibus circumpoſitis multitudo nobilium properaret ad ejus D præſentiam, ut viderent illum, & audirent tamquàm Angelum à Deo miſſum: dignum duxit in proxima Dominica, Lætare Jeruſalem, ad Eccleſiam beati Marci ſolemnia Miſſarum celebraturus accedere. Indutus ergò ſacris veſtibus, & de conſuetudine auream ferens roſam, cum Epiſcopis & Cardinalibus ad altare majus proceſſit. Poſt Evangelicam lectionem populo Dei ex diverſis partibus congregato paſtoraliter prædicavit. Et completis Miſſarum officiis, Roſam quam detulerat, Duci Venatiarum in ſignum gratię Sedis Apoſtolicæ contulit.]

Alex. Papa præcedit cum Roſa aurea.

Datur Roſa Duci.

E Hic ſiſte gradum paululùm, Lector, & quod obiter audire contigit de ſacro Eccleſiæ ritu, quo ſummus Pontifex in Dominica, Lætare, roſam auream benedicit & fert ad altare, donatque cui vult: habes de hoc eodem ſacro ritu ejuſdem temporis ſcriptorem notiſſimum Petrum Bleſenſem, qui ſermone decimoquinto ejuſdem antiquæ conſuetudinis meminit, & tantæ rei myſterium pandit, quòd Dominica illa, Lætare, ſeptima numeretur à Dominica Septuageſimæ. Sed hæc curſim; in his enim

A immorari non licet, quòd nec Pontifex remoretur, ſed concito curſu Ferrariam properet. Pergit enim auctor:

XIX. In eadem quoque ſeptimana cum glorioſo galearum exercitu (quod erat delectabile viſu) exivit Venetiis, & per fauces Padi aſcendens cum gloria & honore venit in ſuam civitatem Ferrariam. In ſequenti verò die principales perſonæ, quæ inferiùs annotantur, ab utraque parte ad præſentiam Pontificis convenerunt. Ex parte Lombardorum Aquilejenſis Patriarcha, Ravennatenſis & Mediolanenſis Archiepiſcopi, & eorum comprovinciales Epiſcopi, rectores civitatum cum Marchionibus & Comitibus, Salernitanus quoque Archiepiſcopus cum Rogerio Hadrienſi Comite: ſed ex Imperatoris parte, Moguntinus, Colonienſis, Trevirenſis, Biſuntinus, cum aliquibus Suffraganeis Epiſcopis, Electoque Vvormacienſi, & Protonotario. Quibus ad invicem congregatis, de loco ubi Papa securè poſſet cum Imperatore præſentialiter convenire, cùm non modica inter partes altercatio exiſteret, Lombardis petentibus Bononiam, vel Placentiam, aut Ferrariam, ſive Paduam; Imperatoris autem Principibus Papiam, aut Ravennam, aut Venetias eligentibus: Pontifex cum Nuntiis Regis Siciliæ Venetias in hunc modum elegit. Ut ſi Dux cum populo Veneto juratoriam cautionem præſtaret, quòd antequàm pax firmiter confirmata eſſet, ſine conſenſu Papæ Imperatorem intrare Venetiis nullatenùs permitterent, & venientes illùc, ſive redeuntes nullo modo impedirent; tunc pars utraque ad locum ipſum accederet. Quod ad verbum Pontificis factum eſt.

Alex. Pap. venit Ferrariam.

XX. Exivit ergò Alexander Papa Ferraria cum Epiſcopis & Cardinalibus, ſeptimo Idus Maii, & ſine mora Venetias remeavit, cujus veſtigia partes utræque celeriter ſunt ſubſecutæ. Conſtitutis itaque Principibus & Lombardis in conſpectu Principis de reconciliatione pacis inter alterutros tractare cœperunt. Sed quia de feudis maxima inter eos controverſia vertebatur, & pax Eccleſiæ abſque illorum pace, quia cum Eccleſia contra Imperium firmiter fieri non debebat, tractatus ipſe, multis intervenientibus induciis, uſque ad Apoſtolorum Petri & Pauli octavas proceſſit.

Venetiæ ad cōgreſſum electę.

Ea igitur die pax Eccleſiæ in ea forma, quæ de conſenſu * patrum ordinata fuerat, & ſcripto firmata de conſenſu Principum, qui præſentes aderant, Imperatoria aſſenſu eſt roborata. Pax quoque Siciliæ Regi proximis Kalendis Auguſti uſque ad quindecim annos eodem modo approbata eſt. Super quibus chartæ hinc indè concorditer factæ, & à ſingulis partibus in bona voluntate receptæ ſunt. Quibus ita peractis, ad inſtantiam Principum Imperatori licentiam dedit Pontifex veniendi uſque Chiogiam, quatenùs in loco ipſo à Pontifice parùm diſtante, conſtitutis in ejus præſētia Cardinalibus illis & Principibus, qui curſum pacis & treguarum ferè jam conſumma-

* *partium*.

De univerſali pace tractatus.

Digitized by Google

A ſummaverant, cum ipſa Imperiali auctoritate, Domino cooperante, plenum ſortiretur effectum, & immutabile firmamentum. Venit ergò illùc Imperator, & ad ejus præſentiam Cardinales & Principes pariter convenerunt, omnia, quæ de pacis bono ejus conſenſu fuerant ibi concorditer tranſacta, oſtendentes. Auditis itaque omnibus quæ geſta fuerant, & plenariè intellectis, licèt ab his, qui pacem oderant, valdè turbatus fuerit & commotus, quatenùs Principes in facie ipſi reſtiterint: omnia tandem, ſicut in præſentia Pontificis geſta fuerant & conſcripta, rata habuit, & ea confirmare ſponté promiſit. B Tunc factum eſt, quòd & in audientia eorumdem Cardinalium & Principum, Diedoni Comiti filio C. Marchionis præcepit, ut in anima ſua coram domino Papa, Nuntiis Regis Siciliæ, & Lombardis publicè juraret in hunc qui ſequitur modum.

XXI. Ego Comes Diedo juro, quòd dominus Imperator mandavit mihi, ut in anima ſua jurarem juramentum, quod nunc facturus ſum. Et poſtquàm mandavit, non revocavit mandatum. Et ego ex eodem Imperatoris mandato juro in anima ſua, quòd ex quo venerit Venetias, omni quæſtione & C contradictione ſemota, faciet jurare in anima ſua, quòd pacem Eccleſiæ, ſicut diſpoſita eſt per mediatores ex ſcripto, & pacem Regis Siciliæ uſque ad quindecim annos, ſicut ſcriptum eſt, & treguam Lombardorum, ſicuti eſt per mediatores utriuſque partis diſpoſitum in ſcripto, quod & apud eoſdem mediatores continetur, bona fide ſervabit, & Principes ſuos hoc ipſum jurare faciet. Simili modo præcepit Sigilboth Camerario ſuo in hunc modum jurare.

Ego Sigilboth juro, quòd ex quo dominus Imperator venerit Venetias, juramentum ipſum pacis Eccleſiæ, & Regis Si- D ciliæ, & treguæ Lombardorum faciet præſtari in anima ſua, & Principes ſuos similiter jurare faciet.] Hæc Acta.

Ne quid autem prætereat ejuſdem Alexandri Pontificis rerum tunc geſtarum Venetiis, quæ ſibi fidem vendicent ex publicis monimentis: authenticum extat diploma ejuſdem Pontificis datum Venetiis poſt quatuor dies ab octavis Apoſtolorum, nempè ſexto Idus Julii, quo ipſe conceſſit monaſterio ſanctæ Mariæ in Organo, Ordinis ſancti Benedicti cum privilegio exemptionis alias pleraſque immunitates. Da- E tum ipſum habetur ad ejus Abbatem nomine Opizonem. Cui & ſubſcripti leguntur poſt Pontificem omnes qui cum eo erant Venetiis Cardinales. Quinam ii fuerint, ut ſciatur, hic eorumdem nomina deſcribemus, ſimulque quod ſequitur, tempus ejuſdem dati diplomatis in fine ejuſdem exaratum:

Ego Alexander Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Ego Hubaldus Oſtienſis Epiſcopus.

Ego Gualterius Albanenſis Epiſcopus.

A Ego Conradus Moguntinenſis Archiepiſcopus, & Sabinenſis Epiſcopus.

Ego Vvillelmus Portuenſis & ſanctæ Rufinæ Epiſcopus.

Ego Manfredus Præneſtinus Epiſcopus.

Ego Hildebrandus baſilicæ duodecim Apoſtolorum presbyter Cardinalis.

Ego Joannes presbyter Cardinalis tituli ſanctæ Anaſtaſiæ.

Ego Boſo presbyter Cardinalis tituli ſanctæ Pudentianæ, tituli Paſtoris.

Ego Theodinus presbyter Cardinalis tituli ſancti Vitalis, tituli Veſtinæ.

B Ego Petrus presbyter Cardinalis tituli ſanctæ Suſannæ.

Ego Hyacinthus diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Coſmedin.

Ego Arditio diaconus Cardinalis ſancti Theodori.

Ego Cynthius diaconus Cardinalis ſancti Hadriani.

Ego Hugo diaconus Cardinalis ſancti Euſtachii juxta templum Agrippæ.

Ego Rainerius diaconus Cardinalis ſancti Georgii ad Velum aureum.

Datum Venetiæ in Rivoalto per manum Gratiani ſanctæ Romanæ Eccleſiæ C ſubdiaconi & Notarii, ſexto Idus Julii, Indictione decima, Incarnationis Dominicæ anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimoſeptimo, Pontificatus verò domini Alexandri Papæ Tertii anno decimooctavo.]

Deſunt autem aliqui Cardinales, recenſiti à Rogerio hujus temporis accurato ſatis ſcriptore, quos diverſæ occaſiones fecerunt abſentes. Sunt hi:

Albertus presbyter Cardinalis.

Vivianus presbyter Cardinalis.

Laborans diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Porticu.] Cujus etiam ejuſmo- D di extat mentio in dedicatione Eccleſiæ ſancta Veronæ per Patriarcham Aquilejenſem poſt aliquot annos, cui idem Laborans interfuit, his verbis conſcripta:

Anno Domini M.C LXXXV. Indictione tertia, die ſabbathi, viij. intrante Novembr. dominus Patriarcha Gotifredus Aquilejenſis dedicavit Eccleſiam ſanctæ Mariæ Antiquæ, ubi fuerunt dominus Laborana, & dominus Adelardus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, & dominus Pepo Epiſcopus de Padua, & dominus Opizo Organenſis Abbas &c.] Extat in eadem Eccleſia.

E Sed à quibus digreſſi ſumus, recurramus ad Acta, quæ pergunt: His ita hoc modo completis, Pontifex Ducem & populum Venetum à juramento, quo tenebantur, abſolvit, & ut dominum Imperatorem honorificè Venetias ducerent, eis præcepit. Quod Dux deſideranter implere feſtinans, in præparatis ſex galeis eumdem Imperatorem uſque ad monaſterium ſancti Nicolai, quod eſt ſitum in capite Rivialti, cum gloria & honore conducere fecit.

XXII. Imp. Venetias venit.

Altera die, in vigilia ſancti Jacobi, ſummo ma-

mo mane Pontifex miſit ad Imperatoris præſentiam Humbaldum Oſtienſem, & Vvillelmum Portuenſem Epiſcopos, & Joannem tituli ſanctæ Anaſtaſiæ, & Theodinum tituli ſancti Vitalis, & Petrum tituli ſanctæ Suſannæ presbyteros Cardinales, & Hyacinthum diaconum Cardinalem ſanctæ Mariæ in Coſmedin. Qui ad eum venientes, poſtquàm Imperator renuntiavit ſchiſma Octaviani, Guidonis Cremenſis, & Joannis de Struma, poſt promiſſam quoque obedientiam venerabili Patri domino Alexandro tamquàm Catholico Pontifici, ejuſque ſucceſſoribus canonicè intrantibus: ipſum à ſententia excommunicationis pariter abſolverunt, & Catholicæ unitati aggregarunt. Idemque factum eſt de majoribus ipſius Principibus, qui eodem vinculo tenebantur, juxta priſcum Eccleſiæ morem.

Abſolvitur Imper. ab excommunicatione.

XXIII. Imp. introducitur in Eccleſiam.

Exinde Imperator tamquàm Catholicus Princeps acceſſit ad præſentiam ipſius Pontificis, qui ante fores Eccleſiæ S. Marci cum fratribus ſuis Cardinalibus reſidebat, in communi unionem pacis expectantibus: & depoſita chlamyde, proſtravit ſe in terram, & deoſculatis Pontificis tamquàm Principis Apoſtolorum pedibus, veræ pacis oſculum ipſi devotiſſimè dedit. Tunc repleti ſunt omnes gaudio magno, & præ nimia lætitia vox clamantium, TE DEUM LAUDAMUS, inſonuit uſque ad ſidera; ſtatimque Auguſtus apprehenſa Pontificia dextera, cum canticis & laudibus uſque ad chorum Eccleſiæ ipſum deduxit, & inclinato capite benedictionem ipſius reverenter ſuſcepit.

In ſequenti verò die, qua celebratur feſtum ſancti Jacobi Apoſtoli, idem Alexander Papa rediit, & celebraturus ſolemnia Miſſarum, cum feſtiva proceſſione Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, presbyterorum, diaconorum Cardinalium, & aliorum miniſtrorum, juxta ſacrum ordinem proceſſit. Imperatore igitur in choro ſtante, Clerus Teutonicus Miſſæ introitum altiſonis vocibus pſallere cœpit, & totum decantando officium cum omni jubilatione peregit. Poſt Evangelium autem & ſermonem factum ad populum, Imperator denuò ad veſtigia ejuſdem Pontificis cum Principibus ſuis devotiſſimè proceſſit, & apertis theſauris ſuis, aurum poſt pedum oſcula obtulit. Decantata itaque Miſſa, idem dexteram Pontificis apprehendit, & extra Eccleſiam uſque ad album caballum conduxit ipſum, & ſtreguam, *ſtapham ſcilicèt*, fortiter tenuit. Cùm autem frænum acciperet, & ſtratoris officium vellet adimplere; Pontifex, quia iter ad mare nimis videbatur prolixum, pro facto habuit, quod affectuosè voluit adimplere.

Oblatio Imp. in Miſſa & obſequis.

Dum in his eſſet idem Alexander Papa, fidelem amicum Petrum Caſſinenſem Abbatem, & Archiepiſcopum Capuanum de his quæ haſtenùs geſta eſſent cum Imperatore, reddidit his litteris certiores:

A

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum &c. dilectis in Chriſto filiis Petro Caſſinenſi Abbati, & Capuano Archiepiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

XXIV. Alex Papæ Epiſt. de rebus geſtis Venetiis.

Exigunt gratiſſimæ devotionis obſequia, quæ nobis & Eccleſiæ tàm devotè, quàm fideliter exhibuiſſe noſcimini, ut felices ſucceſſus ipſius Eccleſiæ, vobis ſcilicèt devotis & * ſpiritualibus filiis, ſpiritualibus litteris deſcribamus; cùm dignum ſit, conveniens, & honeſtum, ut quos ita habuimus in noſtra devotione firmos & ſtabiles: de proſperitate noſtra, & ipſius Eccleſiæ reddamus hilares & gaudentes. Agite itaque unà nobiſcum gratias omnipotenti Deo, qui habitat in altiſſimis, & humilia reſpicit de ſupernis, de cujus munere venit, ut navicula Petri diu & graviter procelloſis fluctibus & validiſſima tempeſtate quaſſata, nunc tandem portum ſalutis attigerit, & pacatis ſævientis maris procellis, debita & deſiderata pace lætetur. Sane xij. inſtantis Kalen. menſis Auguſti de mandato hujuſmodi filii noſtri in Chriſto illuſtris Romanorum Imperatoris, filius Marchionis Alberti vir nobilis magnus & potens, & Camerarius ipſius Imperatoris, præſentibus Principibus Eccleſiaſticis & ſæcularibus Teutonici regni, publicè in anima ejus in præſentia noſtra coram innumeroſa hominum multitudine præſtiterunt, tactis ſacroſanctis Evangeliis, juramentum, quod poſtquàm idem Imperator veniret Venetias, omni contentione & contradictione * ſepoſita, pacem Eccleſiæ, ſicut per fratres noſtros & Principes ſuos diſpoſita eſt & tractata, & pacem hujuſmodi filii noſtri in Chriſto Vvillelmi illuſtris Siciliæ Regis, uſque ad decimumquintum annum, & treguam Lombardorum uſque ad ſeptem annos in anima ſua, & à Principibus ſuis faceret, ſicut in ſcripto pacis & treguæ continetur, juramento firmari: nono verò Kal. Auguſti, præfatus Imperator, ſicut tractatum fuerat, & diſpoſitum, venit ad Eccleſiam beati Nicolai, quæ per unum milliare à Venetiis diſtat, & tàm ipſe, quàm Archiepiſcopi, Epiſcopi, & alii Principes Teutonici regni abrenuntiantes ſchiſmati, per fratres noſtros Epiſcopos & Cardinales de mandato noſtro, præſentibus quibuſdam aliis, abſolutionis beneficium meruerunt, & deinde venerunt Venetias, & ibi ante Eccleſiam beati Marci prædictus Imperator, innumera multitudine virorum & mulierum præſente, & alta voce reddente laudes & gratias Altiſſimo, nobis ſummo Pontifici obedientiam & reverentiam humiliter & reverenter exhibuit, & recepto à nobis pacis oſculo, dextravit nos devotè, & cum reverentia qua decuit & devotione, uſque ad altare in Eccleſiam introduxit.

B

C

* al. *ſpecialibus*

* al. *ſopita.*

D

E

Sequenti verò die, in feſto beati Jacobi ab eodem Imperatore rogati, ad prædictam Eccleſiam ſancti Marci ſolemnia celebraturi Miſſarum acceſſimus, & nobis illic venientibus, præfatus Imperator extra Eccleſiam obviam venit, & dextro latere no-

ſtro

Digitized by Google

ſtro devotè ſuſcepto, nos in Eccleſiam introduxit, & peractis Miſſarum ſolemniis, nos uſque ad ipſius Eccleſię portam deatravit. Et cùm aſcenderemus palafredum noſtrum ibi paratum, ſtapham tenuit, & honorem omnimodum & reverentiam nobis exhibuit, quam prædeceſſores ejus noſtris conſueverunt prædeceſſoribus exhibere. Erit itaque ſollicitudinis veſtræ, nobis & Eccleſiæ in proſperis congaudere, & effectum pacis aliis devotis Eccleſiæ filiis aperire, ut ii quos zelus domus Domini tangit, de pacis nomine divinitùs dato, in domino gaudeant & exultent. Datum Venetiis in Rivoalto ſexto Kalendas Auguſti.] Hactenùs Alexander Papa. Quam quidem epiſtolam repertam unà cum aliis in parvo codice baſilicæ Vaticanæ hìc tibi deſcribendam curavimus, ut intelligas, vel ex his veritatem Actorum vitæ Alexandri, cum quibus eadem Alexandri epiſtola miram habeat continuationem atque conſenſionem, ut non dubites eamdem eſſe germanam. His quidem ſimiles, ejuſdemque argumenti itidem tunc Venetiis ab eodem Alexandro Papa datas litteras in Angliam recitat Rogerius in Annalibus iſtis verbis:

XXV. *Ad Cantuar. Archiep. & ei ſubditos.*

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus Richardo Cantuarienſi Epiſcopo, & Suffraganeis ejus dilectis filiis Abbatibus ſpecialiter ad Romanam Eccleſiam pertinentibus in Archiepiſcopatu Cantuarienſi conſtitutis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Immenſas laudes & gratias agimus omnipotenti Deo, qui licèt navem Petri diu permiſiſſet procelloſa maris tempeſtate quaſſari: nunc tandem imperavit ventis, & mari, & facta eſt tranquillitas magna, ita ut pacatis maris ſævientis fluctibus, prædicta navis ad portum quietis reducta ſit & ſalutis. Sanè chariſſimus in Chriſto filius noſter Fridericus illuſtris Romanorum Imperator, proximo præterito die Dominica ante feſtum beati Jacobi, cum Principibus Eccleſiaſticis & ſæcularibus Teutonici regni cum multa devotione venit Venetiam ad præſentiam noſtram; & ibi coram innumera multitudine virorum ac mulierum altis vocibus reſonantium laudes Altiſſimo, nobis ſicut ſummo Pontifici omnem reverentiam & honorem exhibuit, & in feſto beati Jacobi nobis ad preces ejus beati Marci Eccleſiam adeuntibus pro celebrandis Miſſarum ſolemniis obviam venit; & finita Miſſa, quamà nobis licèt indignis reverenter audivit: nobis omnem honorem exhibuit, quem prædeceſſores ejus noſtris conſueverunt anteceſſoribus exhibere. In Kalendis verò inſtantis menſis Auguſti præfatus Imperator, ubi erat numeroſa hominum multitudo, in anima ſua jurare fecit. Et principes ſui, quos præſentes habebat, tàm Eccleſiaſtici quàm ſæculares, præſtito juramento firmaverunt, quòd pacem Eccleſiæ perpetuò, & pacem chariſſimi in Chriſto filii noſtri Vvillelmi illuſtris Siciliæ Regis, uſque ad quindecim annos, & treguam Longobardorum à prædictis Kalend. Auguſti uſque ad * ſex annos, ſicut pax & tregua ipſa diſpoſita eſt, & tractata, & in ſcriptis redacta, illæſam debeat & illibatam ſervare. Sicut autem idem Imperator nos in Catholicum Papam, & ſpiritualem Patrem recepit: ita nos eum in Catholicum Imperatorem, & uxorem ejus in Catholicam Imperatricem, & filium ipſorum in Catholicum Regem recepimus. Agite itaque gratias Creatori noſtro, qui Sponſam ſuam ſacroſanctam Eccleſiam ſua miſeratione reſpexit, & ei poſt multas perſecutiones, quibus graviter preſſa eſt & attrita, per ſuam gratiam plenam pacem reddidit & quietem. Data Venetiæ in Rivoalto octavo Idus Auguſti.] Ac has, quæ ſequuntur, dedit ad Eboracenſem Archiepiſcopum & Dunelmenſem Epiſcopum, conformes illis, quas datas vidimus ad Abbatem Caſſinenſem.

* vij. Cod. Vat.

XXVI.

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus Rogerio Eboracenſi Archiepiſcopo Apoſtolicæ Sedis Legato, & Hugoni Dunelmenſi Epiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Exigunt gratiſſimæ devotionis obſequia, quæ nobis & Eccleſiæ tàm devotè, quàm laudabiliter exhibuiſſe noſcimini, ut felices ſucceſſus Eccleſiæ vobis, ſicut ſpecialibus & devotis Eccleſiæ filiis ſpiritualibus deſcribamus, cùm dignum ſit, & conveniens, & honeſtum, ut quos ita habuimus in noſtra devotione firmos & ſtabiles: de proſperitate noſtra, & ipſius Eccleſiæ reddamus hilares & gaudentes. Agite itaque unà nobiſcum gratias omnipotenti Deo, qui habitat in altiſſimis, & humilia reſpicit de ſupernis, de cujus munere venit, ut Sponſa ſua ſacroſancta Eccleſia diu & graviter procelloſis fluctibus, & validiſſima tempeſtate quaſſata, nunc tandem portum ſalutis attigerit, & pacatis ſævientibus procellis, debita & deſiderata tranquillitate lætetur. Sanè, duodecimo Kalend inſtantis menſis Auguſti, de mandato chariſſimi in Chriſto filii noſtri Friderici illuſtris Romanorum Imperatoris, filius Marchionis Alberti vir nobilis magnus & potens, & Camerarius ipſius Imperatoris, præſentibus Principibus Eccleſiaſticis, & etiam ſæcularibus Teutonici regni, publicè in anima ejus in præſentia noſtra coram innumeroſa hominum multitudine præſtiterunt, tactis ſacroſanctis Evangeliis, juramentum, quòd poſtquàm idem Imperator veniret Venetias, omni quæſtione, & contradictione ſopita, pacem Eccleſiæ, ſicut per fratres noſtros & Principes ſuos diſpoſita eſt, & tractata, & pacem chariſſimi in Chriſto filii noſtri Vvillelmi illuſtris Siciliæ Regis, uſque ad quindecim annos, & treguam Longobardorum uſque ad ſex annos in anima ſua, & etiam à Principibus ſuis faceret, ſicut in ſcripto pacis & treguæ continetur, juramento

mento firmari, & Principes Teutonici regni, ſcilicèt venerabiles fratres noſtri Magdeburgenſis, Colonienſis, & Chriſtianus dictus Moguntinus Archiepiſcopi, & quidam alii in anima ſua pro ſe jurare fecerunt. Nono verò Kalend. Auguſti, præfatus Imperator, ſicut tractatum fuerit & diſpoſitum, venit ad Eccleſiam beati Nicolai, quæ per unum milliare diſtat à Venetiis; & ibi tàm ipſe quàm Archiepiſcopi, Epiſcopi, & alii Principes Teutonici regni abrenuntiantes ſchiſmati, per fratres noſtros Epiſcopos & Cardinales de mandato noſtro, præſentibus quibuſdam aliis, abſolutionis beneficium meruerunt. Deinde venerunt Venetias, & ibi ante Eccleſiam beati Marci prædictus Imperator, innumera multitudine virorum & mulierum præſente, alta voce reddente gratias & laudes Altiſſimo, nobis ſicut ſummo Pontifici obedientiam & reverentiam humiliter & reverenter exhibuit; & recepto à nobis pacis oſculo, nos devotè dextravit, & cum reverentia qua decuit & devotione, uſque ad altare in Eccleſiam introduxit. Sequenti verò die, in feſto beati Jacobi, ab eodem Imperatore rogati, ad prædictam Eccleſiam ſancti Marci ſolemnia celebraturi Miſſarum acceſſimus; & nobis illùc venientibus præfatus Imperator extra Eccleſiam obviam venit, & dextro latere noſtro devotè ſuſcepto, nos in Eccleſiam introduxit; & peractis Miſſarum ſolemniis, nos uſque ad ipſius Eccleſiæ portam dextravit; & cùm aſcenderemus paleſredum noſtrum ibi paratum, ſtapham tenuit, & omnem honorem & reverentiam nobis exhibuit, quam prædeceſſores ejus noſtris conſueverunt anteceſſoribus exhibere. Erit itaque ſollicitudinis veſtræ, nobis & Eccleſiæ in proſperis ſucceſſibus congaudere, & effectum pacis aliis devotis Eccleſiæ filiis aperire: ut hi, quos zelus domus Domini tangit, de pacis munere divinitùs dato, in Domino gaudeant & exultent. Data Venetiis in Rivoalto, ſeptimo Kalend. Auguſti.] Hactenùs Alexandri epiſtolæ ex Rogerio in Annalibus Anglicanis. At non has tantùm ſuperiùs recitatas Epiſtolas ab Alexandro Papa tunc eodem argumento eſſe conſcriptas par eſt credere, ſed alias ad diverſos Eccleſiarum Antiſtites, eoſque potiſſimùm, qui diuturni ſchiſmatis tempeſtate, fluctuante Petri navicula, laboraſſent in remigando: ut quos mœror de Eccleſiæ ſchiſmate dejeciſſet, de ejuſdem unitate novum jucundum, ſed inexpectatum erigeret.

XXVII. Imper. convenit Pontificem.

Sed quod ad eaſdem res geſtas pertinet: jungamus his reliqua Alexandri Papæ Acta ſuperioribus cohærentia; ſic enim ſe habent: In craſtino autem circa nonam horam Imperator cum pacis Pontificem filiali affectu viſitavit, & uſque ad ejus cameram, ubi cum Epiſcopis & Cardinalibus familiariter reſidebat, alacriter ſe perduxit. Congratulati ſunt ergò omnes ad invicem, & poſt affectuoſa colloquia, & mixtos ſeriis ſine detrimento dignitatis jocos, Auguſtus petita & impetrata licentia hilaris, ad hoſpitium remeavit.

Kalendis verò menſis Auguſti, convocatis Notariis, & univerſis Lombardorum rectoribus, Pontifex, & Imperator in Conſiſtorium pariter intraverunt. Tunc Imperator coram Pontifice cum omni adjutorio, præcepit Comiti Henrico de Res.... qualiter in anima ſua ipſius Imperatoris juraret, quòd pacem Eccleſiæ & Imperii, & pacem Regis Siciliæ uſque ad quindecim annos, ſicut etiam per mediatores utriuſque partis diſpoſitum & deſcriptum fuerat, bona fide ſervabit. Præſentibus quoque Principibus nihilominùs juſſit ad eamdem pacem & treguam ut pariter jurarent, quod bona fide ſervarent. Comes.... mos & ipſe juravit ſuper ſancta Dei Evangelia. Juraverunt & ſequentes Principes hoc modo, videlicèt. — Pax jurata.

Ego Chriſtianus Moguntinus	Archiepiſcopi.
Ego Philippus Colonienſis	
Ego V. Magdeburgenſis	
Ego B. Trevirenſis	
Ego P. Pictavienſis	

Ego C. Electus Vvormatienſis.

Ego R. Imperiali auctoritate Protonotarius.

Ego C. Mantuanus Epiſcopus.

Ego C. Cancellarius.

Ego G. Comes juramus in manibus veſtris ſuper hæc ſancta Dei Evangelia, quòd pacem Eccleſiæ & Imperii, & pacem Regis Siciliæ uſque ad quindecim annos, & treguam Lombardorum uſque ad * ſex annos, ſicut ſtatutum eſt & ſcriptum per mediatores utrinſque partis, bona fide ſervabimus & abſque fraude. Sic Deus nos adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.

* al. vii.

Ex parte verò Siciliæ Regis eodem modo juravit Romualdus Salernitanus Archiepiſcopus, & Rogerius Comes Andrienſis.

Ex parte verò Lombardorum jurarunt qui præſentes erant, ſcilicèt, de Mediolano Gerardus Piſcis

Rogerius & Marcellinus Conſules.

De Placentia Vvillelmus Lctatorius.

De Brixia Albertus de Gambara.

De Bergamo Alberatus.

De Verona Cæcius Conſul.

De Parma Veculus.

De Regio Antemanus.

De Bononia Picamontes Poteſtas eorum.

De Novaria Vvillelmus Gueliri.

De Alexandria Hubertus de Foro.

De Padua Teſſulanus Poteſtas.

De Venetia Gozelinus

XXVIII. Abſolvuntur Schiſmatici.

Abſoluto autem Imperatore, ſequaces quoque ejus intruſi, & ſchiſmatici ad ſinum matris Eccleſiæ catervatim confluentes, abſolvi humiliter poſtulantes, refutarunt & anathematixarunt, abjurantes ſuper ſancta Evangelia omnem hæreſim extollen-

tollentem ſe adverſùs ſacroſanctam Romanam Eccleſiam, & præcipuè ſchiſma, hæreſim, & factionem Octaviani, & Guidonis Cremenſis, & Joannis de Struma; eorumque ordinationes irritas eſſe pronuntiantes, fidelitatem quoque & obedientiam domino ſuo Papæ Alexandro, ejuſque ſucceſſoribus Catholicis promittentes, reconciliati ſunt, & unitati Eccleſiæ aggregati. De quorum numero famoſiores duximus nominandos, Chriſtianum Moguntinũ, Philippum Colonienſem, V. Magdeburgenſem, Trevirenſẽ, Potavienſem, Vvormatiẽſem Electum, Auguſtanum, Maſſilienſem, Argentinum, Halberſtadenſem, Papienſem, Placentinum, Brixienſem, Novatienſem, Aquenſem, Mantuanum, Balneoregienſem, Piſaurenſem, Faventinenſem, Guidonem Cremenſem promotum in Levitam, V. quondam Cluniacenſem Abbatem, & intruſum ſancti Georgii in Velo aureo, atque vicinum ejus ſancti Salvatoris intruſum. Aliorum verò reſipiſcentium ſchiſmaticorum multitudinem penitùs ignoramus.

XXIX. Synodus Venetiis celebrata.

Eodem tempore, decimoſexto Kalendas Septembris, in Eccleſia ſancti Marci Venetiis Alexander Papa cum Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis Italis & Alemannis Synodum celebravit, in qua juxta eum Imperator reſedit: ubi pacem inter Eccleſiam & Imperium, & pacem Imperatoris cum Siciliæ Rege, & treguas Lombardorum, ſicut ſuperiùs eſt ordinatum, communi aſſenſione roborata fuit, atque firmata. Sed ad majorem ipſius ſoliditatem, Pontifex in hunc modum excommunicationis ſententiam protulit: Ut quicumque pacem ipſam, vel treguas infringeret, niſi requiſitus infra quadraginta dies, & commonitus ſatisfaceret; eamdem excommunicationem incurreret. In ſchiſmaticos verò, qui nondum reſipuerant, quouſque ſatisfecerint, anathematis ſententiam innovavit.

Bertinorũ Caſtrum redditum Rom. Eccl.

In diebus illis cùm hæc agerentur, C. Comes Bertinori abſque liberis decedens Venetiis, pro remiſſione delictorum ſuorum, parentumque ipſius, caſtrum ipſum Bertinorum, quod alio nomine dicitur Suſulianum, & totam terram ſuam (licèt ab antiquo juris beati Petri fuerit) ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ in propriam hæreditatem donavit, & ad majorem donationis ipſius firmitatem, domino Alexandro Papæ, ejuſque ſucceſſoribus publicum exinde inſtrumentum fieri fecit. Quamobrem pro recipiendis inveſtituris ipſius caſtri, quod eſt caput Comitatus totius, Pontifex abſque mora illùc miſit Rainerium diaconum Cardinalem, & R. ſubdiaconum, & P. Sarracenum dapiferum ſuum, per quos inveſtituram & poſſeſſionem illius Comitatus in poteſtatem & dominium Sedis Apoſtolicæ recepit & detinuit.

XXX.

Deinde poſt Synodum celebratam, decimoquinto Kalendas Octobris pro confirmatione pacis Imperator has litteras ſcripſit.

Reverendo in Chriſto Patri domino Papæ Alexandro ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſummo & univerſali Pontifici Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus debitam obedientiam, & filialis devotionis affectum.

Imper. cõfirmatio ſcriptis prodita.

Cùm Imperatoria ac regia majeſtas ad hoc in terris ordinata ſit, ut per ejus operam totus Orbis pacis gaudeat incremento: nos, quos Deus in ſolio Imperii Romani conſtituit, eam diligenter amplecti, & ferventiùs conſervare debemus ac volumus. Inde eſt, quòd pacem Eccleſiæ & Imperii, ſecundùm quod à Principibus noſtris & Cardinalibus Romanæ Eccleſiæ diſpoſita eſt, & ordinata, & in ſcripto Principum noſtrorum ſigillis ſignata continetur, ſicut per interpoſitam perſonam jurare fecimus, ſic præſenti ſcripto nos obſervare promittimus, & confirmamus, & ratum in poſterum permanere volumus, & ſic deinceps firmiter obſervabimus, & faciemus, quatenùs in nobis fuerit, Deo propitio, obſervari. Datum apud Venetias in palatio Ducis, decimoquinto Kalendas Octobris, indictione decima.] Litteræ autem Principum ſic ſe habent:

XXXI. Principum Imp. ſcripta confirmatio.

Domino ſuo ac Patri venerando Alexandro Dei gratia ſanctæ Romanæ Sedis & Catholicæ Eccleſiæ ſummo Pontifici atque univerſali Papæ Chriſtianus Moguntinus Archiepiſcopus, Philippus Colonienſis Archiepiſcopus, Vvetemundus Magdeburgenſis Archiepiſcopus, Arnoldus Trevirenſis Archiepiſcopus, Conradus Vvormatienſis Electus, Gaufredus Cancellarius, Vvermundus Protonotarius, F. Comes Holandiæ, F. Marchio de Lucis, & frater ejus, Diedo Comes de Dierſa, & R. Comes de Diuna, filialis devotionis obſequium cum debita obedientia & devotione.

Quot commoda, quæ ex confirmata pace Eccleſiæ & Imperii utilia toti mundo provenerint: ipſa innumerabilia mala, quæ exinde acciderunt, manifeſtè oſtendunt. Sicut enim ab utriuſque concordia provinciæ Orbis terrarum ad ſalutem & tranquillitatem reguntur: ita ſub eorum diviſione à propria ſtatus rectitudine diſtrahebantur. Gaudeat itaque tellus tàm deſiderabilis roris viſitatione reſperſa, tàm gratioſæ pluviæ inundatione fœcunda, per quam fideles populi ariditatis ſitim depellant, & omnia jurgiorum ſcandala, & ſcandalorum incendia ſuffocentur. Nos ergò, Pater ſanctiſſime, de tanto concordiæ fructu lętantes, ipſam ſacratiſſimæ Eccleſiæ & Imperii pacem, ſicut ab utriuſque partis mediatoribus eſt diſpoſita, & in commune ſcriptum redacta, & illuſtris Regis Siciliæ uſque ad quindecim annos, & treguam Lombardorum à proximè præteritis Kalendis Auguſti uſque ad * ſex annos, ſicut à mediatoribus eſt ordinata, & noſtris juramentis firmata, & in ſcriptum commune redacta, noſtri conſenſus ſtudio & vigore confirmamus, & ratam atque inconcuſſam tenemus; & ut ſic obſervetur, operam dabimus.

* al. vij.

Et

Et ſit hæc noſtræ confirmationis pagina ſubſecuturis temporibus firma atque illibata permaneat: cam propriis ſubſcriptionibus communiri, & ſigillorum noſtrorum fecimus appenſione inſigniri.

Ego Chriſtianus Archiepiſcopus Moguntinus. ✠ *locus ſigilli*.

Ego Philippus Colonienſis Archiepiſcopus & Italiæ Archicancellarius. ✠ *ſic & alii*.

XXXII. Ut autem quæque ſuis reddamus temporibus, hìc divertendum ad ea, ad quæ oblata occaſione divertit pariter Alexander, qui eodem menſe, circa finem ipſius, Venetiis cùm adhùc eſſet, dedit epiſtolam ad Indorum Regem, quem vulgò nominant, Pretejannum, in Æthiopia longè latèque regnantem. Porrò ejus ſcribendæ epiſtolæ ea occaſio interceſſit, quòd quidam magiſter Philippus ad partes illas peregrinatus, explorans eorum quam ſectarentur Fidem Chriſtianam, cùm non in omnibus conſentientem cum Romana profeſſione noviſſet: deſiderium iniecit ipſorum Principi vera diſcendi. Quod ipſe unà cũ aliis evidè expoſcere à ſummo Pontifice, per eumdem ſignificavit: per quem remeantem idem Alexander Papa hanc ſcripſit ad ipſum epiſtolam prope finem menſis Septembris, quam recitat ejuſdem temporis ſcriptor Rogerius in Annalibus Anglicanis. Sic enim ſe habet, titulum præfigens conſuetum ab omnibus impendi ſolitum:

XXXIII. Alex. Papæ ad Regem Indorum Epiſtola.

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei chariſſimo in Chriſto filio illuſtri & magnifico Indorum Regi, ſacerdotum ſanctiſſimo, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Apoſtolica Sedes, cui licèt immeriti præſidemus, omnium in Chriſto credentium caput eſt & magiſtra, Domino atteſtante, qui ait beato Petro, cui licèt indigni ſucceſſimus: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Hanc ſiquidem petram Chriſtus eſſe voluit in Eccleſiæ fundamentum, quam præconat nullis ventorum turbinibus, nulliſque tempeſtatibus quatiendam. Et ideò non immeritò beatus Petrus ſuper quem fundavit Eccleſiam, ligandi atque ſolvendi ſpecialiter & præcipuè inter Apoſtolos alios meruit accipere poteſtatem. Cui dictum eſt à Domino: Tibi dabo claves regni cœlorum, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Et quodcumque ligàveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. Audiveramus utique jam pridem, referentibus multis, & in fama communi, quomodò cùm ſis Chriſtianum nomen profeſſus, piis velis operibus indeſinenter intendere, & circa ea tuum animum geras, quæ Deo grata ſunt, & accepta. Sed & dilectus filius magiſter Philippus medicus & familiaris noſter, qui de intentione pia, & propoſito tuo cum magnis & honorabilibus viris regni tui ſe in partibus illis verbum habuiſſe proponit, ſicut vir providus & diſcretus, circum-

A ſpectus, & prudens, & conſtanter nobis & ſollicitè retulit, ſe manifeſtiùs ab his audiſſe, quod tuæ voluntatis ſit & propoſiti, erudiri Catholica & Apoſtolica diſciplina; & ad hoc ferventer intendas, ut tu & terrâ tuæ ſublimitati commiſſa nihil umquam videamini in fide veſtra tenere, quod à doctrina Sedis Apoſtolicæ diſſentiat modo quolibet, vel diſcordet. Super quo ſanè tibi ſicut chariſſimo filio plurimùm congaudemus, & ei, à quo omne donum procedit, immenſas gratiarum exolvimus actiones: vota votis, & preces precibus adjungentes, ut qui dedit nomen B Chriſtianitatis ſuſcipere, menti tuæ per ſuam ineffabilem pietatem inſpiret, quod omninò velis ſapere, quæ ſuper omnibus articulis Fidei tenere debet religio Chriſtiana. Non enim verè poteſt de Chriſtiana profeſſione ſperare ſalutem, qui eidem profeſſioni verbo & opere non concordat: quia non ſufficit cuilibet nomine Chriſtiano cenſeri, qui de ſe ſentit * aliud, quàm Catholica & Apoſtolica habeat diſciplina, juxta illud, quod Dominus in Evangelio dicit (a): Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt. C

* adde. & facit

a *Matth.* 7.

XXXIV. Peritio Regis Æthiopum.

Illud autem nihilominùs ad commendationẽ tuæ virtutis accedit, quod ſicut prudens magiſter Philippus ſe à tuis aſſerit audiſſe, ferventi deſiderio cuperes in Urbe habere Eccleſiam, & Hieroſolymitanum altare aliquod, ubi viri prudentes de regno tuo manere poſſent, & Apoſtolica pleniùs inſtrui diſciplina, per quos poſtmodum tu, & homines regni tui doctrinam ipſam reciperent, & tenerent. Nos autem, qui licèt inſufficientibus meritis in beati Petri Cathedra poſiti, juxta Apoſtolum, (b) ſapientibus & inſipientibus, divitibus & D pauperibus nos recognoſcimus debitores: de ſalute tua & tuorum omnimodam ſollicitudinem gerimus; & vos ab his articulis, in quibus erratis à Chriſtiana & Catholica Fide, prompto animo, prout tenemur ex ſuſcepti miniſterio regiminis, volumus revocare. Cùm ipſe Dominus beato Petro, quem omnium Apoſtolorum principem fecit, dixit: (c) Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos. Licèt autem grave nimis videatur & laborioſum exiſtere, ad præſentiam tuam inter tot labores, & varia itineris locorum diſcrimina, & inter longas & ignotas oras quemlibet à E noſtro latere deſtinare: conſiderato tamen officii noſtri debito, & tuo propoſito & intentione penſata, præfatum Philippum medicum & familiarem noſtrum, virum utiq; diſcretum, circumſpectum & providum ad tuam magnitudinem mittimus, de JESU Chriſti miſericordia confidentes, quòd ſi volueris in eo propoſito, & intentione perſiſtere, quam te, inſpirante Domino, intelligimus concepiſſe: de articulis Chriſtianæ Fidei, in quibus tu, & tui à nobis diſcordare videmini, in proximo per Dei miſeridordiam eruditus, nihil prorſus

b *Rom.* 1.

c *Luc.* 22.

Philippi Legatio

Digitized by Google

A ùs timere poteris; quod de errore tuam vel tuorum ſalutem præpediat, vel in vobis nomen Chriſtianitatis offuſcet.

XXXV. Commendat Legatum.

Rogamus itaque excellentiam regiam, monemus & hortamur in Domino, quatenùs eumdem Philippum pro reverentia beati Petri & noſtra, ſicut virum honeſtum diſcretum & providum, & à noſtro latere deſtinatum, debita benignitate recipias, & reverenter, & devotè pertractes. Et ſi tuæ voluntatis eſt & propoſiti, ſicut omninò decet eſſe, ut erudiaris Apoſtolica diſciplina ſuper his, quæ idem Philippus ex noſtra tibi parte proponet: ipſum diligenter audias, & exaudias; & perſonas B honeſtas, & litteras tuo ſigillo ſigillatas, quibus propoſitum, & voluntatem tuum poſſimus plenè cognoſcere, ad nos cum ipſo tranſmittas. Quia quantò ſublimior, & major haberis, & minus de divitiis, & potentia tua videris inflatus, tantò libentiùs tàm de conceſſione Eccleſiæ in Urbe, quàm etiam de conferendis altaribus in Eccleſia beati Petri & Pauli, & Hieroſolymis in Eccleſia Sepulchri Domini, & in aliis quæ juſtè quæſieris, tuas curabimus petitiones admittere, & efficaciùs exaudire, utpotè, qui deſiderium tuum ſuper hoc, quod multa commendatione dignum extiC tit, modis omnibus, quibus ſecundùm Deum poſſumus, volumus promovere, & tuam & tuorum animas deſideramus Domino lucrifacere. Data Venetiæ in Rivoalto quinto Kalendas Octobris.] Hucuſque litteræ Alexandri Papæ datæ ad Indorum Regem per magiſtrum Philippum internuntium. Quæ autem ſecuta ſint iſta, nos latet, niſi quod ſive ab ipſo Alexandro Papa, ſive ab aliis ejuſdem Sedis Apoſtolicæ Pontificibus conſtat Æthiopibus iſtis regni Pretejanni, Abyſſinis dictis, datam Eccleſiam ſancti Stephani protomartyris unà cum ejus habitationibus, ſitam D poſt abſidem baſilicæ ſancti Petri, quam in hanc uſque poſſident diem.

XXXVI.

Sed ad intermiſſa jam Acta revocemus orationem, pergunt ipſa de Imperatore Venetiis diſcedere parato enarrare hæc quę ſequuntur: Rebus itaque ſic ſe habentibus Imperator Venetiis receſſurus, ut à ſummo Pontifice licentiam acciperet, acceſſit ad eum in palatium Patriarchæ. Sed omninò excluſis cæteris, cum ſolis Epiſcopis & Cardinalibus ac ſuis Principibus de his, quæ ad pacis complementum reſtabant, cum eodem Papa colloquium habuit. Tunc Pontifex ab Imperatore petivit, ut E regalia ſancti Petri, & poſſeſſiones S. R. E. ſicut per mediatores Cardinales & Principes apud Anagniam conſtitutum fuerat & firmatum, ſibi reſtitui faceret. Cui reſpondens Imperator, dixit: Regalia ſancti Petri, & poſſeſſiones alias Romanæ Eccleſiæ præter terram Comitiſſæ Mathildis, & Bertinorum liberè ad præſens reſtituam. Sed quia iſta mihi videntur ad Imperii jus pertinere: vos eligite de veſtris Cardinalibus tres, & nos de noſtris Principibus totidem eligemus ad iſta tractan-

Ultimus congreſſus Imperatoris cũ Papa.

A da, quorum judicio pars utraque irrefragabiliter ſtare debeat. Quod licèt Pontifici grave nimis & durum fuerit, quoniam & in forma pacis de reſtituenda terra Comitiſſæ Mathildis expreſſum fuerat & juratum, & tunc ipſe caſtrum Bertinorum, ſicut ſuperiùs dictum eſt, poſſidebat: ne tamen occaſione iſta Eccleſiæ pax turbaretur, voluntati ejus tandem aſſenſum præbuit. Statimque Chriſtianum Moguntinum Archiepiſcopum, & Vvormatienſem Electum, & A. Protonotarium, qui præſentes aderant, ad id faciendum delegit Imperator, & Alexander Papa ſuos, videlicet O- B ſtienſem & Portuenſem Epiſcopos, & Cynthium diaconum Cardinalem elegit. Pro reſtituendis verò prædictis regalibus, & ceteris Eccleſiæ poſſeſſionibus, illicò eumdem Moguntinum aſſignavit Pontifici, præcipiens ei ſub obtentu gratiæ ſuæ, ut reſtitutionem ipſam infra tres menſes cum integritate perficeret.

XXXVII. Reditus Alex. Papę in Apuliá.

His itaque concorditer ordinatis atque diſpoſitis, ipſe Auguſtus coram Pontifice genua flexit, & deoſculatis pedibus ejus, receptus ab eo & univerſis Cardinalibus, verſus Ravennam, & Cæſenam receſſit. Poſt cujus diſceſſum, circa medium menC ſis Octobris Pontifex quatuor impetratis galeis à Duce Venetiarum, majori parte fratrum ſuorum per Pentapolim ſecus mare præmiſſa, denuò pelagi vaſtitatem Domino auctore penetravit, & ea qua venerat via regreſſus, Sipontum quarto Kalendas Novembris, ſuffragantibus beatorum Petri & Pauli meritis, cum proſperitate pervenit, deinde Trojam. Ubi cùm eſſet, accepit commentarium adversùs Græcos pro Latinis de proceſſione Spiritus ſancti, miſſum ab Hugone Etheriano Conſtantinopoli, quo cuncta argumenta, quæ à Græcis tàm antiquioribus quàm recentioribus eſſent adversùs Latinos elicita, ad ſugillanD dos eos hæreſeos, egregiè confutavit. Agebat Hugo natione Etruſcus Conſtantinopoli, favore Imperatoris Emmanuelis ſecurè degens & differens adversùs ſchiſmaticos Græcos, cujus germanus, Leo nomine, apud eumdem Imperatorem interpretis munere fungebatur.

XXXVIII. Hugo libros pro latinis adversùs gręcos mittit ad Alex. Papam.

Porrò hoc præſtitit vir doctiſſimus (ut ipſe præfatur in nuncupatoria ad eumdem Alexandrum Pontificem) tùm quod id gratum eſſe ipſi Imperatori noviſſet; tùm etiam, quòd majoris eſſet ponderis Cardinalium Apoſtolicæ Sedis impulſio, quos fuiſſe nominat Humbaldum Oſtienſem E Epiſcopum, Vvillelmum Epiſcopum Portuenſem, atque Joannem Sanctorum Joannis & Pauli presbyterum Cardinalem. Extat totum egregium opus, mendosè licèt, tomo nono bibliotecæ ſanctorum Patrum, ubi primo loco legitur reddita ad eum ipſius Alexandri Papæ perbrevis epiſtola iſtis verbis:

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio magiſtro Hugoni ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Cognoſcentes laborem plurimum, quem

ſuſti-

Digitized by Google

ſuſtinuiſti in componendo librum, quem nobis perdilectum filium noſtrum magiſtrum Caeciaredum miſiſti; attendentes quoque fructum, quem es indè ſperamus Eccleſiæ Dei proventurum: librum ipſum grata & læta manurecepimus, & devotæ ſollicitudini & liberalitati tuæ uberrimas propter hoc gratiarum reſerimus actiones, deſiderium, & voluntatem habentes, te quem hactenùs relatione noſtrorum, qui à partibus Conſtantinopolis revertebantur, charum habebamus, de cetero ferventiùs diligendi, & multò chariorem habendi, & ſinceriùs amplexandi. Rogamus autem prudentiam tuam, ſollicitèque monemus, ut ſicut pro Deo, & pro devotione Eccleſiæ præſcriptum librum compoſuiſti: ita quoque chariſſimum in Chriſto filium noſtrum illuſtrem & glorioſum Conſtantinopolitanum Imperatorem, ad devotionem & reverentiam ſacroſanctæ Romanæ Eccleſię exhibendam, & ad unitatem ipſius diligentius provoces, monitis & exhortationes inducas, ut ſicut eſſe debet, unum fiat ovile, & paſtor unus. Data Trojæ Idibus Novembris.] His datis litteris, Troja recedens, quomodò, undè exierat, Anagniam ſit reverſus ipſe Pontifex, eadem Acta ita narrare [...]unt:

XXXIX.
Reditus Pontificis Anagniam

Per Trojam, & Benaventum, & ſanctum Germanum cum gloria & honore tranſitum faciens, ad civitatem Anagniam, decimonono Kalendas Januarias ſanus (Deo gratias) & incolumis remeavit. Facta eſt igitur de ejus pacifico, & deſiderato regreſſu tàm in Urbe, quàm in toto Orbe Romano maxima exultatio, & communia lætitia benedicentium & collaudantium Dominum, qui per aſſiduam Clavigeri ſui beati Petri precem, & laborem ipſius Pontificis dignatus eſſet pacem & concordiam inter Eccleſiam & Imperium mirabiliter reformare. Inde utique accidit, ut magna ſchiſmaticorum turba & quidam intruſi ad obedientiam domini Alexandri Papæ ſint ſpõtè reverſi; quidam verò Catholici, qui Eccleſias relinquentes, apud conſanguineos confugium cum ignominia, & confuſione fecerant propter metum Imperatoris, honorificè ad priſtinum ſtatum reſtituti ſint. Archimagus, *Antipapa videlicèt*, cognito, quòd Imperator ad pedes Alexandri Papæ oſculandos acceſſerat: exhorruit, & conturbata ſunt viſcera ejus, atque ſuæ deſolationis cum confuſione tantus eum timor, & tremor invaſit, ut occultè Viterbio exiens tamquàm profugus, ad montem Albanum ſub frivola defenſione Joannis domini ipſius caſtri confugium inaniter fecerit. Audiens hæc Imperator, nimiùm dolere ſe oſtandit; & ad ſuam excuſationem eumdem hæreticum & defenſores ejus, niſi ad obedientiam Alexandri Papæ feſtinarent, diffidavit, & Imperiali banno ſubiecit.] Hactenùs anni hujus Alexandri Papæ cum Imperatore Friderico rerum geſtarum periodus, omni ſinceritate, ut intelligere potuiſti, decurſa, ac fabulis & commentis quæ irrepſerant, vendicata.]

XL.
Aliis probationibus aſſerta firmantur.

Atne ſatis adhùc? Equidem quantumlibet res geſtæ anni hujus Alexandri Papæ plus ſatis relictæ videantur omni fide teſtatæ, multiplici ſcriptorum genere comprobatæ: tamen quòd nobilem hiſtoriam iſtam de his, quæ ſunt actitata Venetiis ab eodem Alexandro Romano Pontifice, pluribus conſtat obſcuratam eſſe commentis, & his aſſuetos homines, haud facilè poſſe divelli: neceſſitate violenta velut aſtringimur, ut poſt omnia, quæ ſive ex Alexandri Actis ab auctore ejus temporis ſcriptis, ſive quæ ex epiſtolis ejuſdem Alexandri Papæ ad diverſos datis nuper ſunt recitata, hìc adiicere debeamus relationē Romualdi ipſius Archiepiſcopi Salernitani, quem audiſti unum ex Legatis fuiſſe Vvillelmi Regis Siciliæ, ad hoc ipſum miſſum Venetias pro pace ineunda per Alexādrum Papam cum Friderico Imperatore: qui ea quæ tunc geſta ſunt per eumdem Pontificem in ea cauſa à ſe viſa (nam præſens aderat) cuncta quàm exactiſſimè ſcripſit in fine Chronicorum, ab ipſo conſcriptorum ab Orbe condito ad præſentem uſque annum, ubi ea, quæ tunc præſens inſpexit, certa fide teſtata reliquit. Quæ nos ex duobus codicibus, Salernitano videlicèt, & baſilicæ Vaticanæ antiquitùs ſcriptis ſimul collatis, hìc voluimus deſcripſiſſe. Patere mecum, Lector (ſicut accidere ſolet in forenſibus controverſiis, novos poſt alios audiri teſtes, quibus ipſa poſſit controverſia definiri) attentè adhùc audire ab exordio rei geſtæ narrationem, ab ipſo Legato poſteris commendatam. Cujus diligentia non facta tantùm, sed & verba ipſa etiam ſunt ſumma diligentia exarata. Ipſe verò dum per ſingulos annos res geſtas digerit, ſic exorditur ſub hoc anno:

XLI.
Romualdi Archiepiſ. Salernitani rel[atio]

Papa autem Alexander in Lombardiam iturus, ante feſtum Nativitatis Humbaldum Oſtienſem Epiſcopum, & Rainerium Cardinalem in Lombardiam præmiſit, ut Lombardorum conſilio ſecuritatem ab Imperatore reciperent, ut ipſe cum omnibus ſuis, & quicumque ad eum ire vellent, ſecurè & ſine damno aliquo pergere poſſent. Venientes autem ad Imperatorem, ab eo honorificè ſunt recepti, & præſentibus eis & * laborantibus, treguæ & ſæcuritates hincindè ſunt præſtitæ: & ut colloquium tractandæ pacis apud Bononiam fieret, utriuſque partis aſſenſu ordinatum eſt & diſpoſitum. Cremonenſes autem & Terdonenſes, audito quòd Papa venturus eſſet in Lombardiam, ut inter Imperatorem & Lombardos pacem componeret, credentes anticipare alios, & ob hoc majorem Imperatoris gratiam impetrare, obliti promiſſionis & juramenti, quod aliis civitatibus fecerant, eis nolentibus & contradicentibus, cum Imperatore ſunt concordati. Unde poſtmodum à Papa, & ab omnibus, qui hoc audierunt, viles & proditores ſunt habiti. Papa verò antequàm iter arriperet, Nuntios ſuos ad Regē Vvillelmum in Siciliam miſit, ut aliquos de magnatibus ſuis à latere ſuo ad eū tranſmitte-

* al. rante [...] Cardinali.

A ret, qui cum illo, & pro parte ejus, tractandæ pacis colloquio intereſſent. Papa enim firmiter in ſuo habebat propoſito, nequaquàm cum Imperatore ſine Rege Vvillelmo pacem facere; ut qui adjutor Eccleſiæ & defenſor in tribulatione fuerat, in compoſitione pacis Eccleſiaſticæ ſocius & particeps fieret.

XLII. Alex. Papa diſcedens Anagnia Venetias pergit.

Rex autem Vvillelmus Romualdo ſecundo Salernitano Archiepiſcopo (*eſt hic auctor hujus relationis*) & Rogerio Comiti Andriæ magno Coneſtabulo, & magno Juſtitiario totius Apuliæ & terræ Laboris, per litteras ſuas dedit in mandatis, ut honorificè præparati ſimul cum Papa in B Lombardiam pergerent, & pro parte regia componendæ pacis cũ Imperatore tractatui intereſſent. Alexander igitur Papa ab Anagnia ſe movens, & per terram Laboris Beneventum veniens, à feſto Nativitatis uſque in Epiphaniam ibidem eſt demoratus. Dehinc per Trojam & Sipontum Vaſtam venit, & Vvillelmum Portuenſem Epiſcopum, & Hyacinthum Cardinalem S. Mariæ de ſchola Græca, & quoſdam alios Cardinales per terram præmiſit; quia mare propter ejus inundationes & procellas intrare metuebant. Quos exeuntes de terra Aprutii & de finibus regni Chriſtianus C Cancellarius per Marchiam ſatis honeſtè ad Imperatorem Ravennam uſque deduxit. Imperator autem eos officiosè recepit, & ſicut decuit, multum honoris & reverentiæ illis exhibuit. Alexander autem Papa ſimul cum Manfredo Præneſtino Epiſcopo, & Joanne Neapolitano, & Hugone de Bononia, & Boſone, & Cencio Capello Cardinalibus, & prænominatis Regis Nuntiis, impediente tempeſtate apud * Veſtam uſque in quartam feriam, quando jejunium inchoabatur, nono ſcilicèt die intrante menſis Martii demoratus, cum undecim galeis mare Hadriaticum eſt ingreſſus, D & Dominico die primo venturo Jaderam applicuit. Ubi ab Archiepiſcopo, & Epiſcopis regionis illius, & Comite & populo civitatis ſatis honorificè eſt receptus. Dehine per inſulas Dalmatiæ navigans, * aiij. die reſiduo ſtante menſis Martii, ad portum Venetiæ sura ſtante ſecunda pervenit. Et ibidem cum omnibus ſuis de galea deſcendens, in monaſterio S. Nicolai, quod dicitur, Ad litus, ipſo die quievit. Altera autem die, Dux Venetiæ cum magna navium & populi multitudine, & Patriarcha Venetiæ, ſimul cum Patriarcha E Aquilejæ & omnibus ſuis Suffraganeis ad pedes Aleſandri Papæ humiliter accedentes, ipſum proceſſionaliter cum ſummo honore & gloria uſque ad ſancti Marci Eccleſiam deduxerunt: in qua, facta oratione, populum benedixit. Dehinc navem Ducis cum ipſo ſimul ingreſſus, uſq; ad palatium Patriarchæ veniens, in ipſo hoſpitio ſe recepit. Epiſcopi autem & Abbates vicinarum partium adventu Papæ cognito, omnes cum ſuis clericis ad ejus veſtigia devotè & humiliter acceſſerunt.

* Vaſtum, habent Acta Alex. Papæ.

* al. xxiii. Mart.

A Venetis excipitur Alex. Papa ſummo honore.

In feſto autem Annuntiationis Virgi- A nis Papa à Duce Venetiæ, & magnatibus ejus affectuosè rogatus, ad Eccleſiam ſancti Marci cum Cardinalibus ſuis acceſſit, & in ea Miſſam publicè decantavit.

† Fridericus autem Imperator, qui apud Cæſenas morabatur, cùm adventum Papæ in Venetias cognoviſſet, Magdeburgenſem Archiepiſcopum, & Electum Vvormatienſem, & Protonotarium ſuum ad eum tranſmiſit, affectuosè poſtulans, ut ſi ei placeret, locum futuri colloquii à Bononia tranſmutaret. Non enim ſibi tutum fore arbitrabatur, Chriſtianum Cancellarium ſuum cum aliis Nuntiis illùc dirigere, eò B quòd ejuſdem loci civibus odioſus eſſet pariter & offenſus, quia eos in bello devicerat, & injurias plurimas & damna intulerat. Quibus Papa reſpondit: Imperator Legatorum noſtrorum, & Lombardorum conſilio communi pariter & aſſenſu tractatum pacis apud Bononiam habere diſpoſuit: quod ergò de eorum communi voluntate eſt diſpoſitum, non debet ſine communi conſilio immutari. Qua de cauſa Alexander Papa Cardinalibus, qui erant Ravennæ, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Abbatibus, Poteſtatibus, Conſulibus, & Rectoribus Lombardiæ mandavit, ut ei Fer- C rariam occurrerent, quatenùs communicato conſilio, Imperatori de loco, in quo habendum eſſet pacis colloquium, & de aliis ſuis petitionibus reſponderet. Ipſe verò cùm Venetiis diebus eſſet * xv. demoratus, per mare Lauretum venit: dehinc per Padum Ferrariam cum galeis undecim in Dominica Paſſionis aſcendit. Ubi ab Epiſcopis multis, & ejuſdem urbis civibus, & magna populi multitudine, quæ illùc propter feriam, quæ illic celebratur, convenerat, ſatis eſt magnificè & honeſtè ſuſceptus. Proxima verò ſeptimana Ravennas Archiepiſcopus cum ſuis Suffraga- D neis, Mediolanenſis Archiepiſcopus cum Epiſcopis & Abbatibus Lombardiæ, Poteſtates, Rectores, Conſules, & multi prudentes de civitatibus Lombardiæ Ferrariam ad Alexandrum Papam feſtino greſſu lætabundi venerunt: quos Papa paterno affectu, prout decuit, benignè ſatis, & jucundè ſuſcepit.

† Uſque ad hoc caput legitur in codice baſilicæ S. Petri. Quæ verò ſequuntur in præſenti volumine, incipiendo ab illis verbis in hoc capitulo: Fridericus Imper. &c. ſcilicèt Magdeburg. Archiepiſcopum, & Electum Vvormat. uſque ad illa verba, eclipſationis Solis, ſcilicèt Sol in ſigno Virginis habent in codice Longobardo Salernitano, ubi deſinit imperfectè, ſicut etiam idem S. Petri codex eſt imperfectus.

* al. xxv.

XLIV. Alex. Papa qua occaſione Ferrariã proficiſcatur.

Altera verò die cùm eis in majori Eccleſia ſancti Georgii, congregata populi multitudine magna, convenit: quos facto ſilentio, tamquàm filios taliter eſt allocutus. Novit veſtra diſcretio, filii dilectiſſimi, quòd peccatis noſtris exigentibus, E navis Eccleſiæ, quæ in portu placido & tranquillo deberet conſiſtere, adeò perſecutionis validæ procellas ſuſtinuit, adeò iniquorum hominum turbines, & fluctus incurrit; quòd penè eſt in profundo pelagi cũ ſuo gubernatore demerſa. Imperator enim Romanus, qui Eccleſiam tamquàm illius Advocatus gubernare & defenſare debuit, impugnavit: & ſuæ voluntatis, non rationis ſequens arbitrium, eam à ſua unitate diviſit, altare contra altare extulit, & inconſutilem Chriſti Dei tunicam, quantũ in eo fuit, dividere non expavit. Unde Eccleſia-

Sermo Alexan. Pap. ad Lomb. in Eccl. S. Georgii.

cleſiaſtica virtute diviſa, & pacis vinculo diſſoluto, Romanæ Eccleſiæ dignitas penè deperiit; & quæ domina gentium, & princeps provinciarum fuerat, facta eſt ſub tributo. Et quia imminente validæ perſecutionis articulo, Romanæ Eccleſiæ quodammodò eſt debilitata auctoritas, cùm non eſſet qui delinquentium errores, & peccata corrigeret, ſanctorum Patrum ſtatuta, & canones de ſuo ordine ſunt & jure mutata; ſicque factum eſt, quòd occaſione hujus ſchiſmatis & diſcordiæ multæ Eccleſiæ & monaſteria ſunt deſtructa, honeſtas ex parte perdita, & religio violata, adulteria plurima, fornicationes, furta, & homicidia ſine vindice perpetrata, caſtella & vrbes ſunt dirutæ, & incendio concrematæ, res viduarum & pauperum prædæ ſunt & direptioni expoſitæ. Sed licèt juſtus Judex, & patiens retributor, culpa humani generis exigente, jam per decem, & octo annos virgam peccatorum ſuper ſortem juſtorum juſto judicio, ſed occulto reliquerit, & Eccleſiam ſuam perſecutione valida paſſus ſit vehementer affligi; tandem motus ad veniam, pio compaſſionis oculo afflictionem ſui populi miſeratus aſpexit, & navem Eccleſiæ ſuæ cum Petri Vicario & ſuis fratribus perſecutionis unda penè demerſam, noctis medio viſitavit; & de ſalute propria & futura tranquillitate penitùs deſperantes, voce ſalutifera confortavit, dicens: Confidite, ego ſum, nolite timere. Ad cujus vocis imperium ventus tribulationis ſiluit, & unda perſecutionis quievit. Operante enim illo, qui voluntates Principum pro ſuo beneplacito dirigit, & corda Regum ſicut vult, ordinat, & diſponit, Imperator Romanus, qui verbum pacis audire non poterat, mutatus in virum alterum, pacē modò requirit, & Eccleſiæ concordiam, quam deſpexerat, nunc affectuosè depoſcit.

XLV. Benedicta ſit gloria Domini de loco ſancto ſuo. Ecce enim lapis, quem ædificantes reprobaverant, factus eſt in caput anguli, & in ſummitate Eccleſiæ collocatus. Non ab homine, ſed à Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris, quòd ſenex presbyter, & inermis furori Teutonico potuit * propugnare, & ſine bello Imperatoris potentiam potuit debellare. Quod ex manifeſto Dei judicio credimus proveniſſe; ut humana ſuperbia manifeſtè reculat, & totus mundus evidenter agnoſcat, quòd pugnare contra Deum ſit impoſſibile, & nemo illius potentiæ audeat contraire: (a) Solus enim Altiſſimus dominatur in regno hominum, & cui voluerit, dabit illud. Et licèt Imperator nos de pace Eccleſiæ, & dilecti in Chriſto filii & illuſtris Regis Siciliæ apud Anagniam per ſuos Nuntios requiſierit, & eam vobis abſentibus patrare voluerit: nos tamen ardorem veſtræ fidei & devotionis firmiter recolentes, conſiderantes etiam, qualiter vos murum pro domo * Jeruſalem opponere ſtuduiſtis, & qualiter pro ſtatu Eccleſiæ & libertate Italiæ viriliter decertaſtis: oblatam nobis Imperatoris pacem recipere ſine vobis nolumus, ut ſicut fuiſtis ſocii tribulationis, participes ſitis & gaudii. Inde eſt, quòd non attendentes honoris proprii dignitatem, nec cauſati corporis fatiſcentis ætatem, nec maris veriti tempeſtatem, nos & fratres noſtros labori & periculo exponere non timuimus, ſed ad vos per ignem & aquam indubitanter acceſſimus, ut veſtro communicato conſilio, oblatam Imperatoris pacem, ſi Eccleſiæ, & illuſtri Regi Siciliæ, & vobis conveniens fuerit & idonea, ſuſcipere debeamus.]

*repugnare,

a Dan. 5.

*Iſrael

XLVI. Poſtquàm Alexander Papa ſuo ſermoni finem impoſuit. Lombardi in utraque militia diligenter inſtructi (ſunt enim in bello ſtrenui, & ad concionandum populo mirabiliter eruditi) per ſapientes ſuos taliter Apoſtolico reſponderunt:

Reſponſio Lombard. ad Alex. Pap.

Venerande Pater & domine, univerſa Italia pedibus ſe veſtræ dominationis inclinat, & ſuæ devotionis obſequia cum gratiarum actione multiplici veſtræ beatitudini repræſentat. Lætatur autem plurimùm & exultat, quòd pater ad filios, prælatus ad ſubditos, dominus ad ſubjectos eſt dignatus accedere, ut errantes oves à luporum morſibus potenter eripere, & ad caulas Eccleſiæ prudenter valeat revocare. Perſecutionem, quam vobis & Eccleſiæ Imperator intulit, magis opere, quàm ſermone cognoſcimus; & perſecutionis ejus moleſtias, quas mundus auditu didicit, nos in noſtris tribulationibus experimento ſentimus. Primò enim nos ejus impetum ſuſtinuimus, primò nos illius furori objecimus: & ne ad deſtruendam Italiam, & libertatem Eccleſiæ opprimendam propiùs poſſet accedere, noſtrorum corporum, & armorum obice prohibuimus. Nos pro honore & libertate Italiæ, & Romanæ Eccleſiæ dignitate ſervanda, Imperatorem cum ſuis ſchiſmaticis nec recipere, nec audire voluimus. Et ob hoc expenſas non modicas, labores plurimos & anguſtias, damna rerum, pericula mortis & corporum ſubire non refutavimus. Et inde, reverende Pater, ſatis eſt conveniens, & rationi plurimùm conſentaneum, ut oblatam vobis Imperatoris pacem non ſolùm ſine nobis non recipere, ſed nec etiam audire debeatis. Ipſe namque ſæpè nobis pacem ſine Eccleſia obtulit, nec recepimus: concordiam nobiſcum ſine vobis facere voluit, nec admiſimus. Magis enim volumus guerram illius cum Eccleſiæ unitate incurrere, quàm pacem ejus cum Eccleſiæ diviſione ſervare.

XLVII. Quòd autem perſonam veſtram & fratrum veſtrorum expoſuiſtis periculo & labori; paternitati veſtræ ſuper hoc de abundanti reſpondemus. Nam pro paucis laboribus multos rependimus, pro paucis periculis majora recepimus; dum pro honoris & Eccleſiæ gloria noſtra indifferenter expendimus, & pro liberanda Eccleſia nos & noſtros filios morti exponere non renuimus. Sciat autem veſtra Sanctitas, & Im-

Digitized by Google

Imperialis potentia evidenter agnoſcat, quòd nos gratanter Imperatoris pacem (ſalvo Italiæ honoræ) recipimus, & ejus gratiam, libertate noſtra integra remanente, præoptamus. Quod ei de antiquo debet Italia, libenter exoluimus; & veteres illi juſtitias non negamus: libertatem autem noſtram, quam à patribus noſtris, avis, & proavis hereditario jure contraximus, nequaquàm relinquemus, quam amittere niſi cum vita timemus: magis enim volumus glorioſam mortem cum libertate incurrere, quàm vitam miſeram cum ſervitute ſervare. Quòd autem illuſtrem Regem Siciliæ ad conſortium noſtræ pacis adſciſcitis: gratum nobis reſidet plurimùm, & acceptum; quia eum amatorem pacis & cultorem juſtitiæ recognoſcimus. Ipſe namque præ ceteris mundi Principibus, ſuis & extraneis pacem tribuit, & ſecuritatem impendit, quod viatores noſtri per opera ſentiunt, & peregrini experimento teſtantur, qui in viis & campis ſine cuſtode dormiunt, & in nemoribus abſque ſuarum rerum amiſſione quieſcunt. Et ut brevi concludamus, in ſumma, major pax & ſecuritas in regni ejus nemoribus, quàm in aliorum regnorum urbibus invenitur. Et ideò talem ac tantum Principem, & noſtræ pacis ſocium, & noſtræ ſocietatis eſſe volumus dominum & amicum.] Hucuſque ipſi: pergunt Acta.

XLVIII. Poſtquàm Lombardi finem fecere dicendi, Papa eos de more benedixit, & ad hoſpitia ſingulos abire permiſit.

Verba nuntiorũ Imperatoris in Cõſiſtorio Ferrariæ.

Poſt diem autem tertium Chriſtianus Cancellarius, Colonienſis, Magdeburgenſis, & Trevirenſis Archiepiſcopi, Vormatienſis Electus, Gotifridus alius Cancellarius, & Protonotarius ex parte Imperatoris Ferrariam ad Papam venientes, reſidentibus eum eo Regis Nuntiis, & Lombardis, in Conſiſtorio publicè proteſtati ſunt, & dixerunt:

Venerande Pater & domine, ſicut Imp. Romanus vobis per ſuos Nuntios apud Anagniam repromiſit, paratus eſt vobiſcum & cum Eccleſia, cum illuſtri Rege Siciliæ, & cum Lombardis per nos pacem facere & ſervare. Et ideò nobis ſeptem faciendæ pacis auctoritatem contulit. Et quidquid de bono pacis coram veſtra præſentia ſtatuerimus, hoc totum Imperialis dignitas ratihabitione firmabit.

Cardinales VII. mediatores pacis.

Hoc autem verbum Papæ admodùm placuit, & habito conſilio, alios ſeptem, Humbaldum videlicèt Oſtienſem, Vvillelmum Portuenſem, & Manfredum Præneſtinum Epiſcopos, Ioannem Neapolitanum, Theodinum de Arrone, & Petrum de Bona presbyteros Cardinales, & Hyacinthum diaconum Cardinalem pro parte Eccleſiæ pacis arbitros, & mediatores inſtituit; Lombardi autem totidem perſonas, Taurinenſem videlicèt, Bergamenſem, & Comanum Epiſcopos, & Aſtenſem Electum, Girardum de * Peſta Mediolanenſem, & Gozo Veronenſem judices, & Albertum de Gambara Brixienſem civem, ad ſuæ

* alibi Piſcis.

A pacis compoſitionem unanimiter ſtatuerunt. Præcepit etiam Papa Nuntios Regis Siciliæ huic pacis tractatui intereſſe. Prius autem quàm pacis capitula hinc & inde eſſent in medium producta, de loco colloquii non modica inter eos eſt oborta contentio. Lombardi enim volebant hunc pacis tractatum apud Bononiam fieri, ſicut per Imperatorem, atque Oſtienſem Epiſcopum, & eos fuerat ordinatum. E contrariò autem Imperatoris Nuntii reclamabant, ſe nequaquàm pro tali cauſa Bononiam profecturos, eò quòd Chriſtianus Cancellarius Bononienſibus odioſus eſſet

B plurimùm & infeſtus; ſed cùm illis pro hoc negotio libenter Venetiis convenirent, ubi utræque partes poſſent ſine timore pergere, & cum ſecuritate manere. Lombardi autem è diverſo ſuſpectos habebant Venetos, aſſerentes, illos pacis cum eis initæ fœdera violaſſe, & ſæpè Imperatoris Nuntios contra hoc, quod ſtatutum inter eos fuerat, recepiſſe. Cumque hæc contentio aliquantis diebus de loco colloquij perduraſſet: tandem ſuadentibus Regis Nuntiis, voluntati domini Papæ præbuere conſenſum, & ſe ituros Venetias, præſtitis tamen priùs ſecuritatibus, promiſerunt.

C Qua de cauſa Papa Hugonem Bononienſem, & Raimerium Cardinales cum quibuſdam Lombardis Venetias miſit, ut à Duce & populo Venetiæ ſecuritatem reciperent, quod ipſe cum iis qui eſſent ad colloquium profecturi, ſecurè poſſent intrare Venetias, & exire, & in eis cum rebus ſuis ſalvi, & ſine timore perſiſtere. Et quòd Imperatorem ſine mandato Papæ intrare fines Venetiarum ullatenus non permitterent.

Alex. Papa celebravit Paſcha in civitate Ferrariæ.

Iis autem abeuntibus, Chriſtianus Cancellarius, qui Ferrarienſes, quos in bello offenderat, plurimùm metuebat; quinta feria majoris hebdomadæ à Ferraria movens, Venetias feſtinus advenit. Papa autem Alexander cum magno conventu Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Abbatum Paſchalē feſtivitatem, quæ xxiv. die menſis Aprilis eo tempore occurrebat, atq; octavas (ut moris eſt) Ferrariæ ſolemniter celebravit.]

XLIX. Pridiè autem antequàm Ferraria recederet, nempè octavo Idus Maii (ſeptimo enim diſceſſit) rogatus Alexander Papa conſecravit altare primarium Eccleſiæ SS. Georgii & Maurelii: cujus conſecrationis diploma tunc ſcriptum etſi non vidimus: ex eo tamen deſcriptum ſummarium hoc præmiſſo titulo inde accepimus, quod ſic ſe habet.

Hoc eſt exemplum cujuſdam Indulgentiæ, ſumptum de libro antiquo & memoriali eccleſiæ Ferrarienſis.

Dedicatur à Papa altare primariũ eccl. primariæ.

Milleſimo centeſimo ſeptuageſimoſeptimo, Indictione decima, octavo Idus Maii, ſanctiſſimus in Chriſto Pater & dominus, dominus noſter dominus Alexander Papa Tertius conſecravit in majori Eccleſia Ferrarienſi majus altarē ad honorem omnipotentis Dei, & intemeratæ & glorioſæ Virginis Mariæ, & beatorum martyrum

Geor-

Digitized by Google

Georgii & Maurelii, & ſanctorum Leonis & Valentini, & ſanctæ Felicitatis, cùm reverendiſſimis in Chriſto Patribus & dominis, dominis Humbaldo Oſtienſi Epiſcopo, & Vvillelmo Portuenſi Epiſcopo, & Manfredo Præneſtinenſi Epiſcopo, & Conrado Saltzburgenſi Epiſcopo & Cardinalibus, & cum aliis Cardinalibus multis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis Lombardiæ, Franciæ, Hiſpaniæ, Boemiæ, Alemanniæ, Angliæ, & cum Romualdo Salernitano Archiepiſcopo, & Patriarcha Aquilejenſi, & Comite Rogerio de Apulia. Et quibuslibet verè pœnitentibus & confeſſis in feſtivitate dedicationis ipſius altaris, hoc majus altare viſitantibus præfatus ſummus Pontifex annum unum de criminalibus, & ſeptimam partem venialium relaxavit.] Hæc ex antiquis ejus Eccleſiæ monimentis. Quibus videas uſum ejus temporis concedendi per Romanos Pontifices Indulgentias, quæ unius anni terminum non excederent, præterquàm in expeditione Terræ ſanctæ, ut conſtat ex aliis aliorum etiam Pontificum diplomatibus. Quibus redarguuntur ſcripta, quibus proditur conceſſum ab eodem Pontifice primis diebus Dominicis ſingulorum menſium Anconitanis tantum Indulgentiarum, quantum arenæ poſſent capere ambæ manus ſimul junctæ. Quæ digna riſu quamvis nullo penitùs veritatis teſtimonio fulciantur, pluribus tamen contradictionibus locorum, temporum, rerumque geſtarum facillimè convelluntur, ut Lector, ea videns, & iſtis quæ dicta ſunt atque dicenda, conferens, perfacilè recognoſcet. Sed jam eumdem Alexandrum Pontificem Venetias redeuntem proſequamur. Pergit enim Romualdus Salernitanus Archiepiſcopus: Cumque à Cardinalibus, quos Venetias miſerat, de ſecuritate à Duce & populo præſtita reſponſum idoneum accepiſſet; nono die intrante menſis Maii cum Regia Nuntiis galeas ingreſſus, ſequentibus eum Cardinalibus & Lombardis, eo die per Padum, Lauretum deſcendit, *locum ita dictum, ibi poſitum, longè diverſum à Laureto Deiparæ Lauretanæ.*

L. Alex Papa excipitur iterùm Venetiis ſūmo honore.

Altera verò die per mare ad ſanctum Nicolaum, qui dicitur, Ad litus, applicuit. Tertia autem die, à Duce & populo Venetiæ, à Patriarcha & univerſo Clero, primò ad ſanctum Marcum, dehinc ad Patriarchæ palatium cum magna gloria eſt & honore deductus. Poſtquàm autem Cardinales & Lombardi, qui Papam fuerant ſubſecuti, Venetias applicuerunt: Papa mediatoribus pacis injunxit, ut in capella, quæ erat in palatio Patriarchæ, convenientes, primò de pace Lombardorum, quæ prolixiori indigebat tractatu, haberent colloquium, de pace Regis & Eccleſiæ, & quæ quaſi una eſt, poſtmodùm tractaturi.

Verba Chriſtiani Archiep. cancellarii Imp.

Cùm autem hoc factum eſſet, & rationes multiplices fuiſſent hincindè prolatæ: tandem Chriſtianus Cancellarius pro parte Imperatoris disjunctivam triplicem propoſuit, dicens: Petit à vobis Imperator & poſtulat, ut aut de regalibus, & his quæ ad eum pertinent, quæ vos detinetis, illi juſtitiam faciatis; aut ſententiam à judicibus Bononiæ apud Roncaliam contra vos pronuntiatam executioni mandetis; vel ea quæ anteceſſores veſtri ſeniori Henrico reddere conſueverunt, illi faciatis. Quo audito Gerardus Piſcis Mediolanenſis judex pro parte Lombardorum reſpondit.

LI. Reſponſio Lombard.

Nos quidem Imperatori, undecumque nos appellaverit, parati ſumus, ſicut domino, juſtitiam facere; ſed quia hæc juſtitia non eſt unius hominis, ſed multorum, non unius civitatis, ſed plurium; ſecundùm cauſarum merita inducias poſtulamus: ut deliberantes pleniùs ſuper his quæ nobis objecta fuerint, competenti loco & termino apud communem judicem reſponſuri veniamus. Quod autem dixiſti apud Roncaliam à Bononienſibus judicibus contra nos ſententiam fuiſſe prolatam: planè inficiamur, eam fuiſſe ſententiam, ſed Imperatoriam juſſionem. Etenim cùm plures ex nobis, nec per contumaciam fuiſſemus abſentes, quidquid tunc contra nos dictum fuit, nobis nocere non debet, nec pro ſententia reputari. Secundùm leges enim, in abſentes prolata ſententia nullius eſt roboris, vel valoris. Quod verò poſtulaſti, ut ea Imperatori reddere deberemus, quæ ſeniori Henrico à noſtris anteceſſoribus ſunt ſoluta: reſpondemus, quòd prænominati Imperatoris diſpoſitiones pariter & ſtatuta, propter antiquitatem temporis jam penè perdidere memoriam, nec vivit aliquis noſtrum vel veſtrum, qui benè poſſet illius temporis dicta vel facta recolere. Item Imperator Henricus (ſalva auctoritate Imperii) non debet dominus, ſed tyrannus vocari. Cùm enim miſiſſet manum in Sanctum Domini, & Paſchalem Papam ſuper altare cepiſſet, & cùm multas Eccleſias deſtruxiſſet, & Epiſcopos excæcaſſet: ejus facta velut crudelia & tyrannica non ſunt trahenda ad conſequentiam, vel ad memoriam revocanda. Sed ſi Imperatori placuerit, ea quæ anteceſſores noſtri juniori Henrico, Conrado, & Lothario, & ei uſque ad hæc tempora reddiderunt, recipere: parati ſumus in pace perſolvere. Quod ſi hoc Imperatori grave reſidet, & videtur, pacem, quæ inter nos & eum per Cremonenſes tractata fuit, & in ſcriptis redacta, volumus firmiter obſervare. Quæ eo tempore completa fuiſſet, niſi quia Imperator volebat nos ab Eccleſiæ unitate recedere, & Alexandri Papæ Pontificium denegare. Provideat ergò ſuper hoc veſtra diſcretio; ſi, quia ſchiſmati conſentire noluimus, debeamus noſtræ pacis conditionem deteriorem efficere.

LII. Contentio inter Legatos Lõbar. & Imp.

Cùm autem ſcriptura de tractatu pacis habita, & per Cremonenſes Lombardis aliis delegata producta fuiſſet in medium: cœperunt Teutonici quibuſdam ſcripturæ capitulis diligenter opponere, & eorum ſenſum ad ſuæ partis commodum retorquere; quæ-

re; quæ-

Digitized by Google

re; quædam verò capitula denegare. E A contrà Lombardi cœperunt illorum reſponſiones ſuis reſponſionibus confutare, & his quæ objecta fuerant, ſatis ſtudioſè reſiſtere. Ad comprobanda verò capitula quæ ipſi negaverant, cœperunt Cremonenſium (licèt eſſent inimici) teſtimonium invocare. Cumque ſuper his capitulis diebus eſſet plurimis diſputatum, & nihil penitus definitum: ea utriuſque partis conſcientia, quæcumque hinc & indè dicta fuerant, ad Papæ audientiam ſunt relata.

LIII. Alex. Papa ſequeſter. pacis.

Aleſander autem Papa, utpotè vir eruditus & ſapiens, conſiderans Imperatoris B & Lombardorum pacem multis eſſe controverſiis & quæſtionibus involutam, nec eam poſſe brevi ſpacio temporis conſummari: tractatu pacis poſtpoſito, cœpit cum eis de treguis * ſex annorum agere: ſperans per treguas ad conſummationem pacis faciliùs poſſe perveniri. Tunc etiam Teutonicis de pace Regis Siciliæ verbum propoſuit, affectuoſè poſtulans, ut Imperator cum eo aut pacem perpetuam, aut temporalem ad minus uſque ad annos quindecim faceret, in veritate ſciturus, quòd nullatenùs pacem ejus, & Eccleſiæ poſſet habere, Rege Siciliæ in diſcordia re- C manente. Chriſtianus autem Cancellarius cum ſociis ſuis conſilio communicato reſpondit. Novit veſtra diſcretio, venerande Pater & domine, quòd nos ab Imperatore accepimus in mandatis, ut vobiſcum de pace Eccleſiæ, Regis Siciliæ, & Lombardorum haberemus colloquium & tractatum: ſed quia vos tractatu pacis omiſſo, novum verbum nobis de treguis faciendis proponitis, non poſſumus ſanctitati veſtræ ſuper hoc certum dare reſponſum, quoaduſque verbum iſtud, quod de novo audivimus, ad Imperatoris audientiam referamus.

* al. vij.

LIV.

D Accepta itaque à Papa licentia, ad Imperatorem, qui apud Pompoſam venerat, gradu concito perrexerunt. Eſt autem Pompoſa locus quidam delectabilis & nemoroſus inter * Ravennam & Venetiam collocatus. Cumque Imperatori petitionem Papæ de componenda pace cum Rege Siciliæ uſque ad annos quindecim, & de faciendis treguis cum Lombardis uſque ad annos * ſex per ordinem expoſuiſſent, adversùs eos vehementer indignatus infremuit: aſſerens illos in hoc tractatu pacis magis Alexandri Papæ honori & commodo, quàm dignitati Imperii providiſſe. E Quare præcepit eis, ut ad Papam redeuntes firmiter ei ex ſua parte proponerent; quòd ipſe cum eo & Eccleſia pacem libenter faceret, at Regis Siciliæ & Lombardorum treguas denegaret. Qui venientes, totum Papæ per ordinem retulerunt, ſicut illis fuerat ab Imperatore mandatum. Poſt quorum diſceſſum Imperator Gotifridum minorem Cancellarium cum Epiſcopo Clarimontis, & Abbate de Bonavalle Venetias delegavit, injungens eis, quòd Chriſtiano Cancellario & ſociis ſuis ignorantibus, cautè & privatim Papæ ex ſua A parte ſignificarent, quòd ipſe amoris ejus intuitu pacem Regis Siciliæ uſque ad annos quindecim, & uſque ad * ſex annos Lombardorum treguas concederet, ſi Papa eidem ſuæ petitioni præberet aſſenſum. Quam tamen petitionem ei volebat penitùs eſſe incognitam; ſed duobus Cardinalibus, quos ipſe legiſſet, volebat illam diligenter exponi: ea tamen conditione, quòd ſi Cardinales electi petitione cognita, de ea complenda conſilium Papæ tribuerent, ipſe eam ſine dilatione perficeret.

* al. Ferrariam.

* al. vij.

Imp. de pace firmanda conditio incognita.

* al. vij.

LV. Petitioni incognitæ reſtitit Alex.

B Ex mandato itaque Papæ Humbaldus Oſtienſis Epiſcopus, & Theodinus Cardinalis ad hoc negotium ſunt electi: quibus Imperatoris petitio ab ejus Nuntiis privatim eſt & ſtudioſè expoſita. Cumque Cardinales petitione cognita Papæ ſuggererent, quòd petitioni Imperatoriæ præberet aſſenſum: Aleſander Papa, utpotè homo providus & diſcretus, cœpit quænam eſſet occulta illa petitio, animo æſtuanti revolvere, & Teutonicorum dolos & verſutias ſuſpectas habere. Quare mutavit cum voluntate conſilium, aſſerens: non decere auctoritatem Apoſtolicam petitioni C incognitæ præbere conſenſum, nec de re dubia & incerta aliquid reſpondere: ſed ſi petitionem illam vellent ei fideliter aperire, & talis eſſet illa petitio, quæ contra honorem Dei & damnum Eccleſiæ non ſpectaret; libenter eam effectui manciparet. Quo audito Gotifredus minor Cancellarius indignatus ad Imperatorem rediit. Epiſcopus autem Clarimontis cum Abbate de Bonavalle, qui remanſerant, videntes, quòd nullum à Papa poſſent habere reſponſum (licèt inviti) petitionem Imperatoris Papæ expoſuerunt.

Petitio Imperatoris.

* Mathildis.

D Erat autem hæc petitio. Imperator Papæ per Nuntios ſuos promiſerat, quòd ſi pacem cum eo faceret, terram Comitiſſæ * Maltendis, quam ipſe tenebat, in manu ejus, & Eccleſiæ poteſtate remitteret. Petebat ergò, ut liceret ei uſque ad quindecim annos, videlicèt, quouſque pax Regis Siciliæ perduraret, ejuſdem terræ redditus ſine contradictione recipere: completis verò quindecim annis, volebat, poſſeſſione penes eum remanente, ſtatim de eadem terra cum Eccleſia placitare, aſſerens illam ad jus ſui Imperii pertinere. Papa autem intuitu Regis Siciliæ, quem plurimùm diligebat, uſque ad condictum terminum Imperatori prænominatæ terræ E fructus habere conceſſit, hac tamen conditione, quòd completis quindecim annis, ad poteſtatem & poſſeſſionem Romanæ Eccleſiæ terra illa rediret. Et tunc Eccleſia in poſſeſſione poſita, ſi Imperator vellet de proprietate terræ illius agere, libenter ei Eccleſia juſtitiam faceret.

LVI. Chriſtianus cancellarius alloquitur Alex. Papă.

Poſtquàm autem hic modus petitionis implendæ per Epiſcopum Clarimontis, & Abbatem de Bonavalle fuit Imperatori propoſitus, plurimùm illi diſplicuit, & ſic concordia per illos tractata remanſit. Chriſtianus

ſtianus autem Cancellarius, & reliqui, qui cum eo mediatores pacis fuerant conſtituti, cognito quòd Imperator per alios pacem Eccleſiæ tractare voluiſſet, nimirùm doluerunt, & venieotes ad Papam Alexandrum, dixerunt: Sanctitati veſtræ, domine, eſſe volumus non incognitum, quòd noſtri odio & invidia pax Eccleſiæ præpeditur; quidam enim noſtri æmuli falſa de nobis Imperatori ſuggerunt, & volunt in hac parte nos ei odioſos reddere pariter & ſuſpectos. Et ideò veremur plurimùm, ne dum nos abſentes ſumus, qui pacem diligimus, & Nuntii in eundo & redeundo ſine fructu tempora longa conſumunt, Imperator prolixitate temporis affectus tædio, deſideratam pacem abhorreat, & ſuggeſtione pravorum hominum, infecta pace recedat. Conſulimus ergò diſcretioni veſtræ, ut ſi vobis placuerit, propriùs Imperator accedat, ut veſtris & ſuis Nuntiis citò ire & redire valentibus, inchoata pax, volente Domino, citò valeat conſummari: Papa autem habito cum Nuntiis Regis Siciliæ & Lombardis conſilio, reſpondit.

LVII.

Nobis quidem placet admodùm, ut Imperator Clozam, quæ à Venetiis quindecim diſtat millibus, cum paucis veniat, ea tamen conditione, quòd vos in anima veſtra jurare faciatis, ut poſtquàm illùc venerit, abſque noſtro mandato & licentia ulteriùs non procedat. Juramento itaque in hunc modum præſtito, Colonienſis Archiepiſcopus cum quibuſdam aliis Cæſenam ad Imperatorem venit, & eum cum ſuis Clozam uſque deduxit. Quidam autem populares Veneti, cognito Imperatoris adventu, ad eum accedentes cœperunt illi ſtudioſè ſuggerere, ut abſque mandato Papæ & licentia Venetias ſecurus intraret, firmiter promittentes, quòd eorum conſilio & auxilio pacem poſſet cum Eccleſia & Lombardis pro ſua voluntate componere.

Imp. Clozam venit.

Quorum verbis Imperator aliquantulùm acquieſcens, præcepit eis, ut dicta operibus conſummarent, dantes operam, ut totum populum ad perfectionem hujus negotii cautè & ſapienter inducerent. Alexander autem Papa audiens, quòd Clozam Imperator veniſſet: Vvillelmum de Papia Portuenſem Epiſcopum, & Joannem Neapolitanum, & Theodinum, & Petrum de Bona presbyteros Cardinales, & Hyacinthum diaconum Cardinalem cum Chriſtiano Cancellario & aliis Teutonicis, qui pacis mediatores erant, ad eum direxit, mandans, ut ſi de beneplacito illius eſſet, ipſe Nuntios Regis Siciliæ, & quoſdam de Lombardis Clozam tranſmitteret, ut illis præſentibus, Imperator in anima ſua per Principes ſuos jurare faceret, quòd pacem Eccleſiæ, & pacem Regis Siciliæ uſque ad annos quindecim, & treguas Lombardorum uſque ad annos ſex firmiter obſervaret. Quo facto, Venetias poſſet ſecurus accedere, ejus proculdubiò benedictionem & gratiam habiturus. Imperator verò, quia aures ſuas verbis Venetorum quodammodò inclinaverat, & eorum reſponſa diebus ſingulis expectabat: cœpit Cardinalibus de verbo pacis, quaſi novum eſſet & ſibi incognitum, reſpondere, & longis conſultationibus de die in diem ſua reſponſa differre. Quo cognito, Cardinales turbati ſunt plurimùm, & mirati; & quid nam deberent facere, neſciebant.

Alex. Papa Legatos pro pace mittit.

LVIII. Populus contra Ducem commotus.

Intereà populares Veneti à Cloza Venetias redeuntes, in ſancti Marci Eccleſia congregati, totius penè populi ſeditionem & tumultum contra Ducem ſuum excitaverunt, dicentes: Domine Dux, non benè honori & commodo commiſſi vobis populi providetis. Ecce enim Imperator Romanus apud Clozam jam diebus aliquantis eſt demoratus, ubi caloris diſtemperantias, & moſcarum & culicum plures moleſtias ſuſtinet; nec ei licet Venetias intrare. Quod ipſe multùm graviter recipit, & vindicandum in poſterum alta mente reponit. Et ideò veremur, ne tàm gravis offenſa quandoque univerſo populo periculoſa poſſit eſſe pariter & damnoſa. Quare de noſtra voluntate eſt, ut ſi veſtræ reſidet celſitudini, Imperator Venetias à vobis & à populo invitatus accedat. Quibus Dux benignè reſpondit: Benè poteſtis firmiter recolere, domini, quòd ad petitionem Papæ per duodecim prudentes viros in anima omnium noſtrorum jurare fecimus, quòd abſque mandato ejus & licentia Imperatorem intra fines Venetiæ nullatenus recipere deberemus. Provideat ergò veſtra diſcretio, ſi contra tenorem juramenti noſtri, Papa inconſulto, Imperatorem debeamus hùc advocare. Cui illi protinùs reſponderunt; Poſtquàm ex mandato Papæ Clozam, quæ intra fines eſt Venetiæ, Imperator intravit: planè à noſtri juramenti ſumus vinculis abſoluti. Cumque ſuper hoc à Duce & populo eſſet diutiùs diſceptatum: tandem de communi conſenſu quidam Veneti ſunt ad Papam directi. Qui venientes, ſicut viri improbi & ſuperbi, dormientem Papam excitare non timuerunt, proponentes ei ex parte Ducis & populi, quòd de eorum erat voluntate & beneplacito, quòd Venetias Imperator intraret. Quod verbum admodùm Papæ diſplicuit, & multùm grave reſedit, dicenti eis:

Reſponſio Ducis.

LIX. Papa Venetos cōpeſcit.

Vos nobis ex juramento tenemini, ut Imperator Venetias non debeat ſine noſtra licentia & mandato venire. Volumus ergò, ut Cardinales noſtros, qui ad Imperatorem iverunt, cum ejus Nuntiis uſque in diem craſtinum expectetis. Et eis venientibus, quid nobis faciendum ſit, vobis reſpondere curabimus. Quod verbum licèt Venetis diſplicuiſſet: plurimùm tamen precibus Papæ devicti, petitioni ejus (quamvis inviti) præbentes aſſenſum, ad propria redierunt. Intereà per totam * regionem rumor inſonuit, quòd Veneti contra voluntatem Papæ vellent Imperatorem Venetias intromittere. Quo audito Lombardi,

* al. urbem.

bardi,

bardi, qui cum Papa pro facienda pace Venetias venerant, metuentes ſubitum Imperatoris adventum, & fidem Venetorum & conſtantiam ſuſpectam habentes: intrantes naves, ad partes Tarviſiæ ſe tranſtulerunt. Papa autem cum paucis Cardinalibus, qui ſecum remanſerant, cœpit contriſtari & mœſtus eſſe. Metuebat enim, ſi Imperator contra voluntatem ſuam, juramento non præſtito, Venetias introiret, magnum ex hoc damnum & periculum poſſet Dei Eccleſiæ provenire.

LX. Nuntii Regis Siciliæ quid cum Papa & Venetis.

Audientes autem hoc Nuntii Regis Siciliæ, venientes ad Papam cœperunt eum viriliter animare, dicentes: Domine, non oportet vos dubitare in aliquo vel metuere: ecce enim quatuor galeas domini Regis Siciliæ ad veſtrum obſequium præparatas habemus, quas cùm vobis intrare placuerit, ſecurè vos de hoc loco & abſque periculo, invitis etiam Venetis & contradicentibus, educemus. Quibus verbis Papa plurimùm animatus, reſpondit: Quod de ſuo erat propoſito, ut Cardinales, qui ad Imperatorem iverant, uſque in diem craſtinum expectaret: ne ſi eis inconſultis recederet, poſſet meritò levitatis argui, & de violata fraternitate culpari. Quo audito, Regis Nuntii ad palatium Ducis, ubi cum multis Venetis Dux de more convenerat, accedentes, eos taliter ſunt allocuti: A veſtra memoria excidiſſe non credimus, quanta beneficia dominus Rex huic civitati contulerit, & quod hodiè Princeps aliquis ſub cœlo non vivit, cujus amicitia tantum ſit vobis idonea, cujus gratia adeò ſit veſtris utilitatibus opportuna. Et vos ei ex juramento tenemini, ſui regni gloriam & honorem diligere, & pro ejus commodo plurimùm laborare. Inde eſt, quòd nos hac conſideratione inducti, & de vobis tamquàm de amicis domini Regis & fidelibus multam ſpem & fiduciam obtinentes, Papam & Lombardos invitos pariter & renitentes Venetias venire coegerimus: juramento tamen prius à vobis præſtito, quòd ſine Papæ licentia non deberetis Imperatorem intra Venetiæ fines recipere. Sed ecce, ut audivimus, veſtri juramenti & promiſſionis obliti, pace nondum diſpoſita & firmata, Imperatorem non juratum ad civitatem iſtam, Papa contradicente, vocatis; & ſic pax Eccleſiæ, & domini noſtri Regis, vobis facientibus, impeditur. Sed in veritate ſciatis, quòd nos in civitate iſta non præſtolabimur Imperatoris adventum, ſed die craſtina ad propria redeuntes, domino Regi ſignificare curabimus, qualiter pro tot & tantis beneficiis vobis à regia liberalitate collatis, mala & damna plurima rependere ſtudeatis.

LXI. Reſponſio Ducis.

Quibus auditis, Dux ſatis placidè & benignè reſpondit: Quòd vos indignatos aſpicimus, & contra nos commotos eſſe cognoſcimus, ægrè multùm patimur, & moleſtiſſimè ſuſtinemus. Nos enim, qui dominum Regem toto corde diligimus, & pro honore ejus & commodo nos & noſtra exponere non dubitamus, nolumus non ſolùm vos, qui magni eſtis de regno ejus & ſummi Principes, ſed nec ſuorum minimum ad iracundiam provocare. Et quia inter eum, & Imperatorem pacem eſſe diſpoſitam credebamus; voluimus, ut in civitate noſtra pacis domini Regis tamquàm amiciſſimi noſtri fieret conſummatio. Et ideò recedendi vobis licentiam non tribuimus, ſed prudentiam veſtram affectuosè rogamus, ut tamquàm in domibus veſtris, ſecuri, & ſine timore aliquo Imperatoris expectetis adventum. Non autem idcircò taliter Dux reſpondit, quia ei & aliis ſapientibus taliter Imperatoris diſpliceret adventus, ſed quia timebat plebem, & popularem tumultum plurimùm formidabat.

LXII. Nuntiorũ Regis Siciliæ minę.

Nuntii autem Regis hoc audientes, ſurgentes cum indignatione dixerunt. Nos huc cum licentia veſtra non venimus, nec cum veſtra licentia recedemus: ſed craſtina die iter arripientes, domini Regis injuriam non verbis, ſed operibus vindicare curabimus. Qui ad domos ſuas redeuntes, ſtatim juſſerunt galeas parari, tubas canere, arma & totam ſupellectilem in galeas induci. Quod factum poſtquàm fuit per Venetias divulgatum: timor maximus Venetos occupavit. Timebant enim, ne ſi Regis Nuntii indignati recederent, hac occaſione Rex Venetos, qui in terra ſua erant, capi faceret, & in cuſtodia detineri. Qua de cauſa magna multitudo virorum ac mulierum, quorum parentes in Apuliam iverant, ad Ducem properans proclamavit: Veſtram & totius Venetiæ prudentiam, illuſtris Dux, latere non credimus, quanta beneficia magnificus Rex Siciliæ noſtræ regioni ſua liberalitate præſtiterit, & qualiter noſtræ famis inediam ſuæ terræ victualibus reparaverit. Ad quæ tranſportanda multi noſtrorum civium in Apuliam tranſierunt, & ſecum non modicam pecuniam, & multas mercimonias detulerunt. Si ergò Rex audierit, Nuntios ſuos à nobis indignatos recedere, in cives noſtros & res eorum meritò poterit vindicare.

LXIII.

Prævideat igitur veſtra diſcretio, ſi occaſione Imperatoris, à quo nihil umquam boni habuimus, amicitiam tanti Principis, à quo omne bonum recipimus, amittere debeamus. Et ideò magnificentiam veſtram humiliter imploramus, ut noſtrorum civium tàm gravi damno & futuro periculo providentes, Nuntios Regis Siciliæ ab incepto itinere revocetis: nec contra voluntatem Papæ, & illorum Imperatorem Venetias intrare ſinatis. Si qui enim ſunt, qui contra hoc aliquid dicere, vel attentare præſumpſerint: parati ſumus cum noſtris parentibus & amicis eos morti tradere, & proximos noſtros, qui in regno Regis ſunt, à futuro periculo liberare. Dux autem eorum querimonia diligenter & gratanter audita, reſpondit: Quòd Nuntii Regis Siciliæ volunt indignati recedere, non meæ imprudentiæ, ſed quorumdam popularium ſeditioni eſt & malitiæ adſcribendum: qui mea & prudentium virorum

Digitized by Google

rorum zelo & invidia provocati, non civitatis honori & gloriæ, ſed ſuis utilitatibus providentes, die ac nocte dant ſtudium & operam diligentem, nt Imperatorem, nobis contradicentibus, Venetiaa introducant; & ob hoc perjurii crimen, & infamiam, & Papæ, & Regis Siciliæ grave & perpetuum odium debeamus incurrere. Cumque illi iterùm proclamaſſent, ut eorum, qni auctores erant ſeditionis, nomina Dux evidenter exprimeret: metuens ſi noti fierent, ne ob hoc pugna in civitate maxima & ſeditio invaleſceret, ſaniori uſus conſilio, nobiliores & prudentiores quos habere potnit, ad Papam direxit, pro parte totius populi veniam humiliter poſtulans, & affectuosè depoſcens; ut quod illi in eum ſtultè & ſuperbè peccaverant, ipſe eia ex innata humilitate & gratia relaxaret, & Nnntios Regis Siciliæ à propoſito ſui itineris revocares.

LXIV. *
Verba Alea. Papæ quibus Venetis dat veniã.

Quibns Alexander Papa more ſolito ſatis beuignè reſpondit: Ego quidem, cui * ſanctitas & officium ignoſcendi gloriam reliquit: injuriam meam ad mentem non revoco, offenſam meam pro Dei amore dimitto; ſed Nuntios Regis Siciliæ tamquàm viros nobiles & potentes, rogare quidem valeo, ſed invitos detinere non potero. Tandem Venetis multùm rogantibus & petentibus, ut ad hoc ſaciendnm partes ſuas in erponere dignaretur: motus Papa eorum petitionibus, per Rogerium de Piſa ſubdiaconum & Seneſcaleum ſuum ſimul cum Venetis, Nuntiis Regis Siciliæ preces affectuosè porrexit, nt divini & ſui amoris intuitu indignationem compeſcerent, & inceptam iracundiam temperarent, atque propoſitum ſnum ab incepto itinere revocarent: quibus illi reſponderunt: Dominus quidem Papa, ſicut vir perfectus & ſanctus, de ſui meriti anctoritate confiſus, mori non metuit, & Venetorum dolos & inſidias non paveſeit. Nos autem, qui adhùc imperfectiores ſnmus, mori nolumus, & noſtro Regi inferre injuria moriendo vitamus.

Querũtur de Venetis Nuntii Regis Siciliæ.

Veneti ingratitndinis filii, & regiæ liberalitatis obliti, volunt domino noſtro mala pro bonis rependere, & ad perſurbationem pacis ejus, contra voluntatem domini Papæ & noſtram, inimicum ipſius Venetias introducere. Dominus autem noſter tantæ eſt potentiæ & virtutis, quòd pro his exceſſibus, quos contra amicitiam ſuam ſaciunt, illis, ſicut decet, reſpondere curabit. Sed quia nos preces domini Papæ pro mandato accipimus, iter noſtrum nſque in diem craſtinum differemus. Et dehinc communicato cum eo conſilio, quid nobia ſaciendum ſit, diſponemus. Quibus auditis, Veneti ad Dncem ſuum redeuntes, ea, quæ à Papa & Nuntiis Regis audierant, illi per ordinem retulerunt.

LXV.
Veneti mutãt Cõſilium de adventu Imp. Venetias.
* Foſſam Clodiam.

Altera antem die Dux ſano uſus conſilio, apud Rivumaltum ſub voce præconis fecit publicè declamare, ut nullus de adventu Imperatoris auderet verbum facere, niſi cùm Alexander Papa præcepiſſet. Cùm A autem ea, quæ apud Venetias dicta & facta fuerant, ad Imperatoris ad * Clozam demorantis, audientiam perveniſſent: ſua ſpe, & intentione fruſtratus, cœpit de ſuo rigore molleſcere, & Cardinalibus, qui ibi erant, de verbo pacis benigniùs reſpondere. Cancellarius verò & alii Eccleſiaſtici Principes, qui pacis conſummationem plurimùm affectabant, ſpiritu libertatis aſſumpto, Imperatori viva voce dixerunt: Benè debet Imperialis majeſtas recolere, quòd quidam è noſtris ex mandato veſtro Anagnia accedentes, cum Alexandro Papa de pace Eccleſiæ & Imperii, de pace Regis Siciliæ, & Lombardorum tractatum B habuimus. Et ipſe, ntpotè vir ſanctus, pacis cupidus & amator, noſtro conſilio & hortatu Campaniam deſerens, Venetias jam intravit, paratus ea, quæ de bono pacis promiſerat, firmiter conſummare. Vos autem (ut credimus) ſuggeſtione pravorum hominum à conſilio noſtro vultis recedere, & à pacis propoſito declinare.

LXVI.
Proteſtatio Principũ Germaniæ.

Nos verò ex jure debiti, quo Imperio tenemur aſtricti, parati ſumus vobis, nt domino, in temporalibus obedire, & pro regalibus, quæ tenemus, conſuetum vo- C bis ſervitium facere. Sed qnia noſtrorum eſt corporum, non animarum dominus: nolumns pro vobis animas noſtras perdere, & terrena cœleſtibus anteferre. Quare noſcat Imperialis diſcretio, quòd nos de cætero Alexandrum in Catholicum Papam recipimus; & ei, ut patri, in ſpiritualibus obedimus. Idolum verò quod erexiſtis in Tuſcia, nullatenùs adoramus. Quibus auditis Imperator, operante eo qui corda Principum ſicut vult, & quando vult, humiliter inclinat: leonina ferocitate depoſita, ovinam manſuetudinem induit, & eis humiliter & benignè reſpondit, dicens: D Noſcat veſtra fidelitas, dilectiſſimi, quòd non eſt meæ voluntatis, conſilium veſtrum deſerere, & pacis per vos tractatæ propoſitum evitare; quin potiùs volumus ea, quæ veſtro ſunt ordinata conſilio, firmiter obſervare. Ut autem à veſtris cordibus omnis ſuper hoc dubitationis ſcrupulus excludatur: Comiti Henrico de Dieſſa, qui eſt in præſentiarum, præcipimus, nt vobiſcum & cum Cardinalibus Venetias abiens, coram Papa in anima mea juret, quòd ex quo Venetias intravero, in anima mea jurare ſaciam, quòd pacem Eccleſiæ & Imperii, Regis Siciliæ & Lom- E bardorum, ſicut diſpoſita eſt & tractata, firmiter obſervabo: & de ea obſervanda, præcepto noſtro duodecim Principes noſtri ſimile juramentum præſtabunt.

Cancellarius autem & reliqui mediatores pacis cum Cardinalibus hæc audientes multùm læti effecti, feſtino greſſu Venetias redeuntes, ea quæ ab Imperatore dicta & ordinata fuerant, Papæ per ordinem retulerunt. Qui protinùs per Nuntios ſuos rectores Lombardiæ, qui in partes Tarviſiæ ſeceſſerant, Venetias revocavit.

Altero

LXVII.

A Altero autem die, coram Papa & Cardinalibus, Nuntiis quoque Regis, & Lombardis, & magna populi multitudine, Comes Henricus de Dieſſa, ſicut ei ab Imperatore mandatum fuerat, in anima ejus de præſtando juramento pacis obſervandæ juravit. Capellanus autem Colonienſis Archiepiſcopi in anima Principum, qui ibi aderant, ſimile juramentum præſtitit. Hoc autem facto, ex mandato Papæ, Veneti cum ſex galeis Cloxam iverunt, & Imperatorem cum ſuis in galeis recipientes, eum uſque ad ſanctum Nicolaum, qui dicitur, Ad litus, ſabbatho in ſerò honorificè adduxerunt.

Imperator Venetias verſus ducitur.

B Sequenti verò die Dominica, * octava ſcilicèt die reſidua ſtante menſis Julii, in vigiliis beati Jacobi, Papa cognito Imperatoris adventu galeas, ingreſſus cum Nuntiis Regis & magna Lombardorum ac populi multitudine, ad Eccleſiam ſancti Marci ſummo manè devotus acceſſit, & Humbaldum Oſtienſem, & Vvillelmum Portuenſem, & Manfredum Præneſtinum Epiſcopos, & quoſdam de Cardinalibus ad Imperatorem tranſmiſit. Qui venientes, ipſum & ſuos ab excommunicationis vinculo abſolverunt. C Chriſtianus autem Cancellarius procedens in publicum, tactis ſacroſanctis Evangeliis, ait: Ut omnes evidenter agnoſcant, me eſſe nomine & opere Chriſtianum: Octavianum, Cremenſem, & Joannem de Struma cum ſuis complicibus prorsùs abjuro, & Alexandrum & ſucceſſores ejus in Catholicum Papam recipio. Et alii Prælati Eccleſiarum ſimiliter juraverunt.

* xxiv. Julii,

Abjuratio ſchiſmatis.

LXVIII.

Imp. abſolutus introducitur Venetias.

Dux autem Venetiæ, cognito quòd Imperator ab excommunicationis eſſet nexibus abſolutus, cum Patriarcha & magna Cleri ac populi & navium multitudine uſ- D que ad Eccleſiam ſancti Nicolai illi obviam venit: quem in navi ſua recipiens, uſque ad litus ſancti Marci ſatis honorificè & pomposè deduxit. Imperator autem de navi deſcendens, ſimul cum Duce, Patriarcha, & Epiſcopis ſuis, & Clero, & populo Venetiæ ipſum cum vexillis & crucibus proceſſionaliter præcedente, uſque ad Eccleſiam ſancti Marci, ante cujus atrium Alexander Papa cum Epiſcopis ſuis & Cardinalibus, cum Patriarcha Aquilejæ, Archiepiſcopis, & Epiſcopis Lombardiæ, Eccleſiaſtico more ornatis honorificè reſi- E debat, pedes acceſſit.

Frid. ad pedes Alex. Papæ procidit.

Cùmque ad Papam appropiaſſet, tactus divino Spiritu, Deum in Alexandro venerans, Imperiali dignitate poſtpoſita, rejecto pallio, ad pedes Papæ totum ſe extenſo corpore inclinavit. Quem Alexander Papa cum lacrymis benignè elevans, recepit in oſculo & benedixit, moxque à Teutonicis, Te Deum laudamas eſt excelſa voce cantatum. Imperator autem, apprehenſa Papæ dextera; ipſum in Eccleſiam introduxit, & accepta ab illo benedictione ad palatium Ducis eum ſuis rediit. Papa verò cum Cardinalibus & Nuntiis Regis iterùm galeas ingreſſus ad ſuum hoſpitium rediit. In veſperis autem Imperator per Nuntios ſuos Papam ſatis affectuosè rogavit, ut ſi ei placeret, ſequenti die, in feſto ſcilicèt beati Jacobi, in Eccleſia ſancti Marci Miſſarum ſolemnia celebraret. Deſiderabat enim ab ore ejus divina officia ſupplex & devotus audire. Cujus petitioni Papa aſſenſum benignus accommodans, ſummo mane cum Cardinalibus ad ſancti Marci Eccleſiam venit. Cujus veſtiarum ingreſſus cum Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & Cardinalibus, honorificè ſatis & Eccleſiaſticè ſe induit, & ad celebranda divina B Miſſarum ſolemnia præparavit.

LXIX.

Humilima obſequia Imperatoria.

Imperator autem, ut humilitatem, quam corde conceperat, opere demonſtraret: ſumpto ſtratoris officio, pallium depoſuit, manu virgam accepit, laicos de choro expulit, & Papæ ad altare ſolemniter & proceſſionaliter venienti viam tamquàm Oſtiarius præparavit. Dehinc in choro cum Archiepiſcopis, Epiſcopis, & clericis Alemanniæ remanens (quibus eo die cantandi injunctum erat officium) Miſſam domini Papæ devotè ſatis & humiliter audiebat.

Papa prædicat dicto Evangelio.

Cùmque dicto Evangelio Papa aſcendiſ- C ſet pulpitum, ut alloqueretur populum: Imperator accedens propiùs, cœpit verba ejus attentiùs auſcultare. Cujus devotionem Papa diligenter attendens, verba quæ ipſe * litteratè proferebat, fecit per Patriarcham Aquilejæ in lingua Teutonica evidenter exponi. Finito autem ſermone, & Credo in unum Deum, ſolemniter decantato, Imperator cum ſuis Principibus ad pedes Papæ devotus acceſſit, & obtulit. Finita autem Miſſa, cùm Papa ad ſuum palatium vellet redire; Imperator dexteram ejus accipiens, eum uſque ad portas Eccle- D ſiæ ſatis honeſtè deduxit. Cumque equum ſuum album de more vellet aſcendere, Imperator ex alia parte accedens, ſtrevam ejus tenuit, & poſtquàm equum aſcendit, ipſum aliquantulùm ſtratoris more per fræni lora deduxit: quem Papa benedicens, ad hoſpitium redire permiſit. Ipſe verò, Clero & populo illum præcedense, uſque ad mare deſcendit. Dehinc galeas ingreſſus, ad palatium ſnum cum gloria eſt & honore reverſus.

* al. Latinè

LXX.

Imp. Papam rursù convenit.

Venientibus autem proximis Kalend. Auguſti, Imperator cum Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & reliquis Principibus ſuis, E & magna populi multitudine, ad Patriarchæ palatium, in quo Papa erat hoſpitatus, acceſſit In cujus palatii aula longa ſatis & ſpacioſa Papa in eminentiori loco poſitus in ſaldiſtorio ſuo reſedit, & Epiſcopis ſuis & Cardinalibus hincindè circumſtantibus, Imperatorem quidem in ſua deſtera ſupra Epiſcopos & presbyteros Cardinales, Romualdum verò Salernitanum Archiepiſcopum in ſiniſtra ſupra diaconos Cardinales reſidere præcepit. Finito itaque ſilentio, ſic eſt Papa Alexander exorſus.

Hæc eſt, inqnit, dies, (a) fratres charissimi, quam fecit Dominus, exultemus & læte-

a Pſ. 117.

Digitized by Google

Sermo Alex. Papæ. a *Luc.* 15.

A & lætemur in ea, quis hic filius (a) noſter Romanorum Imperator illuſtris mortuus fuerat, & revixit; perierat, & inventus eſt. Nam poſtquàm cordi ejus ſupernæ radius claritatis illuxit: totius falſitatis depulſa caligine, de errore ad veritatem rediit, de tenebris ad lumen tranſiit, de ſchiſmate ad unitatem acceſſit, & ad caulas matris Eccleſiæ tamquàm ovis erratica repedavit. Exultet igitur Fidelium votiva religio, quia hodiè pater juniorem recepit filium, Catholicum Principem, Romanum recuperavit Imperium. Mater Eccleſia ſuum evaginatum in vaginam convertit gladium, navis Piſcatoris egregii, quæ culpis exigentibus, adverſitatum turbine penè demerſa jam fuerat, nunc procellis ceſſantibus, ad litus ſolidum & veræ quietis portum illæſa pervenit. Eccleſiæ ſuæ preces pro bono pacis frequenter effuſas Dei Filius clementer audivit, & eam cum ſuo Principe in pace & concordia collocavit. Inde eſt, quòd deſtructis adverſitatibus & erroribus univerſis, ſecura jam pace fruitur, & jucunda ſecuritate lætatur. Ceſſet igitur antiqua diſcordia, finem accipiat inveterata malitia, una Fides, unus Dominus, una ſit & Eccleſia. Schiſma in unitatem tranſeat, & diviſio ad charitatem accedat. Omnis jam ad pacem Eccleſiæ redeat; & ad matris ſuæ gremium filiorum numeroſitas gratioſa recurrat. Sit Deo gloria in altiſſimis, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et quia nos Imperatoris noſtri pium animum, & benignam agnoſcimus voluntatem: eum intra noſtræ manſuetudinis brachia tamquàm chariſſimum filium benigniùs amplectimur, & tàm ipſum, quàm uxorem, & ejus filium in Catholicos Principes paterno affectu recipimus, & ipſis honorem debitum impendere procuramus; Deum & Apoſtolos noſtros affectuosè rogantes, ut ipſos Eccleſiæ ſuæ ſervent incolumes, & per longa tempora cuſtodiant defenſores.

LXXI. Imp. reſpōſio ad Alex. III. Pap.

Poſtquàm Papa loqui deſiit, Imperator depoſito pallio, de faldiſtorio ſurgens, cœpit in lingua Teutonica concionari, Chriſtiano Cancellario verba ſua vulgariter exponente; ait ergo: Majeſtati noſtræ ſatis gratum reſidet & acceptum, quòd Deus omnipotens, cujus manu Principum corda tractantur, cujus arbitrio eorum voluntates & conſilia diriguntur, noſtræ conſcientiæ puritatem attendens, ex diverſis mundi partibus viros providos & diſcretos huic Curiæ voluit intereſſe, ut ipſi errorem noſtrum, & converſionem nobis referentibus manifeſtè cognoſcerent; dehinc ad propria redeuntes, devotionem noſtram, quam erga Dei Eccleſiam gerimus, publicè prædicarent. Totus igitur mundus evidenter agnoſcat, quòd licèt nos Romani Imperii dignitate & gloria fulgeamus; tamen à nobis humanæ conditionis proprium dignitas Romana non abſtulit, nec ignorantiæ vitium majeſtas Imperialis excluſit. Nam ſuggeſtione pravorum hominum ignorantiæ fuimus tenebris involuti; & per viam veritatis credentes incedere, extra juſtitiæ ſemitas nos invenimus. Ecce enim Dei Eccleſiam, quam credebamus defendere, impugnavimus, & quam ſperabamus extollere, penè deſtruximus. Occaſione noſtra Domini noſtri JESU Chriſti tunica inconſutilis eſt diviſa: & quantum in nobis fuit, per hæreſes & ſchiſmata violata. Decepit nos cauſæ meritum, & color negotii perturbavit: quia dum in facto Eccleſiæ potiùs virtutem potentiæ, quàm

B rationem juſtitiæ voluimus exercere: conſtat nos in errorem meritò deveniſſe. Juſtitia enim * fortitudinem reſpuit, æquitas violentiam non admittit. Sicque factum eſt, quòd ille, qui humilia reſpicit, & alta à longe cognoſcit, potentiam noſtram, & adverſæ partis humilitatem conſiderans, more ſuo potentes de ſede depoſuit, & humiles exaltavit. Sed quia divina clementia nos ad correctionem noſtram ad tempus errare voluit, ſed deviare in perpetuum non permiſit: univerſa hæc Fidelium turba cognoſcat, quòd nos de cætero, errore totius falſitatis abjecto, ad veri-

* al. tyrannidem

C tatem convertimur, de ſchiſmate ad unitatem redimus, & ad gremium matris noſtræ ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ gratanter accedimus; domnum Alexandrum, qui eſt in præſentiarum, & ſucceſſores ejus in Catholicum Papam recipimus, & ipſi tamquàm patri, debitam reverentiam exhibere proponimus. Pacem noſtram Eccleſiæ, illuſtri Regi Siciliæ, & Lombardis, ſicut inter nos ordinatum eſt & diſpoſitum, reddimus.

LXXII. Pax jurata.

Imperator verba finierat; cumque in laudem ejus, qui aderant, acclamaſſent, iterùm facto ſilentio, ſancta Dei Evangelia

D cum Sanctorum reliquiis & Cruce de ligno Domini ſunt producta in medium. Mandante itaque Imperatore, Comes Henricus de Dieſſa in anima Imperatoris juravit, quod ipſe pacem Eccleſiæ & Imperii, pacem Regis Siciliæ uſque ad annos quindecim, & treguas Lombardorum uſque ad annos * ſex, ſicut per mediatores hinc inde tractatum & ſcriptum fuerat, bona fide, ſine fraude, & malo ingenio firmiter obſervaret, & Henricum Regem filium ſuum idipſum jurare faceret, & ſervare. Dehinc duodecim Principes Imperii tàm Eccleſiaſtici, quàm ſæculares, tactis ſa-

* al. vij.

E croſanctis Evangeliis, modo ſimili juraverunt. Protinùs Romualdus Salernitanus Archiepiſcopus ſurgens, per eadem Evangelia juravit, quòd poſtquàm Imperator Nuntios ſuos propter hoc ad Regem in Siciliam miſerit, Rex infrà duorum menſium ſpacium per aliquem Principum ſuorum de obſervanda Imperatori pace uſque ad annos quindecim, in anima ſua jurare faciet, & per decem Principes ſuos juramentum ei ſimile faciet exhibere. Comes etiam Rogerius, ſicut Archiepiſcopus fecerat, idipſum manu ſua juravit. Dehinc rectores Lombardiæ, qui ibi ade-

aderant, juraverunt, quòd uſque ad ſex annos bona fide, & ſine fraude treguas Imperatori obſervarent, ſicut inter eos tractatum & diſpoſitum erat; & quòd per ſingulas civitates, Conſules & nobiles civitatum id ipſum jurare facerent. Quo facto, illius diei Curia eſt ſoluta, & tàm Imperator, quàm reliqui cum gaudio & lætitiâ ad ſua hoſpitia ſunt reverſi.

LXXIII. Querela Conradi Card. Sabinenſis.

Intereà Chriſtianus Cancellarius, qui pro conſummatione pacis plurimùm laboraverat, nacta opportunitate temporis, cœpit per Imperatorem & Principes ſuos dare ſtudium & operam diligentem, ut Papa Alexander Moguntinum illi Archiepiſcopatû auctoritate Apoſtolica cōfirmaret. Quod præſentiens Conradus, qui in Moguntina Eccleſia priùs electus & conſecratus fuerat, ad Papam accedens ait: Novit veſtra ſanctitas, venerande Pater, novit univerſa hæc Romana Eccleſia, quòd ego veſtræ perſonæ intuitu, Moguntinam Eccleſiam, in qua canonicè electus fueram, inſcio Imperatore, reliqui, & honorem meum, parentes, & patriam pro Dei amore deſerui, & ad vos in Franciam feſtinus acceſſi, exilium patriæ prepoſui, & in labores & anguſtias quietem meam & otium commutavi. Benè poteſtis recolere, quantum Catholicæ Eccleſiæ meus adventus contulerit, & qualiter partem veſtram adhùc nutantem & debilem plurimùm roboraverit. Vos autem veſtri gratia mihi vicem congruam pro tempore rependiſtis: nam primò me in presbyterum Cardinalem, dehinc in Sabinenſem Epiſcopum, poſtremò in Moguntinum Archiepiſcopum conſecraſtis: Nunc autem (ut audio) vultis Chriſtiano Cancellario, qui Moguntinam Eccleſiam per violentiam invaſerat, eamdem converſo religionis ordine confirmare. Quod multùm ab æquitate diſcrepat, & à ratione diſcordat, ut ſchiſmaticus Catholico, & intruſus canonicè electo debeat anteponi. Rogò igitur & humiliter poſtulo, ut poſtquam Deus pacem Eccleſiæ ſuæ reddidit, mihi quoque de jure mea reddatur Eccleſia: ut ſicut fui ſocius tribulationis, ita ſim particeps conſolationis & gaudii.

LXXIV. Reſponſio Alex. III. ad Conradum.

Cui Papa ſatis benignè reſpondit: Devotionem tuam, fili chariſſime, quam erga Romanam Eccleſiam & perſonam noſtram habuiſſe dignoſceris, manifeſtè recolimus; & ardorem fidei tuæ publicè proteſtamur: multùm noſtræ parti veſter adventus contulit, multùm noſtra Eccleſia de veſtra ſocietate profecit. Et nos quidem, Deo teſte, pro utilitate veſtra ſumus valdè ſolliciti, & facere quæ vobis expediant, tenemur obnoxii. Nolumus honorem veſtrum minuere, ſed augere; nolumus vobis inferre injuriam, ſed gloriam miniſtrare. Non debet autem à veſtra memoria excidiſſe, quod ſæpè nobis & Nuntiis & litteris ſignificaſtis, quòd ſi inter Eccleſiam & Imperium pax non poſſet aliter fieri, niſi Moguntino Archiepiſcopatu à vobis dimiſſo (licèt hoc vobis grave reſideret plurimum & moleſtum) tamen pro bono pacis hanc jacturam æquanimiter pateremini; volentes honorem Eccleſiæ honori veſtro, & illius commodum veſtris utilitatibus anteponere. Et ecce Imperator cum magna inſtantia aſſeverat, quod nullatenus in pace Eccleſiæ remanebit, ſi Chriſtianus Cancellarius à Moguntinæ ſedis fuerit prælatione dejectus. Nos autem abſque veſtra notitia nullum ſuæ petitioni adhùc volumus dare conſenſum, nec vobis ignorantibus, aliquod præbere reſponſum. Tunc Conradus benignam Apoſtolici reſponſionem conſiderans, & voluntatem ejus rationi conſentaneam eſſe cognoſcens; conſultandi ſuper hoc cum amicis ſuis à Papa inducias petiit, & accepit. Habito itaque conſilio, ad Papam rediit, & humili voce reſpondit.

LXXV. Conradus Arch. Mogun. ſpontè ſe pro bono pacis abdicat.

Licèt, reverende Pater, mihi injurioſum ſit pariter & moleſtum, ut Eccleſiam meam debeam ſine culpa dimittere, & locum mei regiminis, nulla offenſa interveniente, mutare; tamen quia ad meum ſpectat officium, non quæ mea, ſed quæ JESU Chriſti ſunt, quærere: nolo, ut occaſione mei pax inter vos & Imperatorem facta remaneat, & diſcordia ſepulta reſurgat. Pro pace Eccleſiæ conſervanda, pro qua Chriſtus vitam ſuam perdidit, libenter volo meum honorem perdere, & cum meo damno, utilitati Eccleſiæ providere. Et ideircò, ut omnis materia diſcordiæ & ſcandali auferatur è medio: Moguntinum Archiepiſcopatum in poteſtate veſtra ſpontè relinquo, & me liberalitati veſtræ & patrocinio recommendo. Quo audito, Papa lætus effectus, habito cum Imperatore conſilio, prænominatum Conradum, Cardinalatus illi & Sabinenſis Epiſcopatus dignitate ſervata, in Saltzburgenſi Eccleſia honorificè fecit eligi. Nam filius Regis Boemiæ, qui eidem Eccleſiæ præerat, pro eo quòd de ſimonia, & quibuſdam aliis criminibus coram Papa fuiſſet accuſatus, de merito ſuæ cauſæ diffidens, commiſſam ſibi Eccleſiam in manu Papæ ſpontanea voluntate remiſit, ſicque factum eſt, quòd Alexander Papa, ſicut vir providus & diſcretus, pro conſervanda pace Eccleſiæ utens diſpenſatione canonica, Conradum quondam Moguntinum Archiepiſcopum in Saltzburgenſem Eccleſiam ſublimavit. Chriſtiano autem Cancellario Moguntinam Eccleſiam auctoritate Apoſtolica confirmavit, & tàm ei, quàm Philippo Colonienſi Archiepiſcopo, qui à ſuis Suffraganeis, & Catholicis fuerant conſecrati, recepto ab utroque juramento obedientiæ; pallia de more conceſſit.

LXXVI. Privilegiū crucis Alex. Papa conceſſit Romualdo.

Alexander autem Papa prudentiam & litteraturam Romualdi Salernitani Archiepiſcopi diligenter attendens, & devotionem, quam erga Romanam Eccleſiam ſemper habuerat, recolens: ad petitionem ipſius Archiepiſcopi, communicato fratrum ſuorum conſilio, ipſi & ſucceſſoribus ejus uſum & dignitatē portandæ Crucis per civitatem, & totam ſuam parochiā

Apoſto-

Apoſtolica auctoritate conceſſit, & donum, quod exinde Salernitanæ Eccleſiæ in perpetuum fecerat, ſui privilegii munimine roboravit.

Schiſmatici reverſi.

Hoc etiam ſilentio prætereundum non eſt, quòd ſchiſmatici, qui in diverſis Eccleſiis Tuſciæ & Lombardiæ auctoritate Imperiali intruſi fuerant, & quidam dicti Cardinales, qui Joanni de Struma adhæſerant, audito, quòd Imperator cum Eccleſia & Papa Alexandro pacem feciſſet: pœnitentia ducti, Venetias feſtino greſſu venientes, primò ſchiſma, quod defenderant, abjurabant; dehinc per ſancta Dei Evangelia promittebant, quòd de exceſſu quem fecerant, domini Papæ Alexandri mandato ſtarent; & eum & ſucceſſores ejus in Catholicum Papam reciperent. Et ſic ab excommunicationis vinculis abſoluti ad ejus pedes accedebant.

LXXVII. Romualdus Archiepiſcopus Salernitanus alloquitur Imp.

Pace igitur, ut prædiximus, inter Imperatorem & Regem Siciliæ facta pariter & jurata, Nuntii Regis ad Imperatoris palatium, ipſum ex parte regia ſalutaturi iverunt. Quo cognito, Imperator de camera ſua egreſſus, eos, multis aſtantibus, ſatis honorificè & benignè ſuſcepit. Cumque Romualdus Salernitanus Archiepiſcopus de faldiſtorio ſuo ſurgens, ſtans loqui voluiſſet: Imperator eum ſedentem loqui præcepit. Facto itaque ſilentio Archiepiſcopus ſic eſt exorſus: Dominus noſter glorioſus Rex Siciliæ dominum Imperatorem, qui eſt in præſentiarum, ſicut chariſſimum amicum, & fratrem ſuum devotè pariter & affectuosè ſalutat, & per nos magnificentiæ Imperiali ſignificat, quòd, cùm hoc anno Nuntii ſui ad dominum Papam pro bono pacis Anagniam advenissent, ſcripſit dominus Papa domino noſtro glorioſo Regi, ut aliquos de latere ſuo ad eum mitteret, qui cum eo tractandæ pacis colloquio intereſſent. Dominus autem Rex devotiſſimus filius ejus ad petitionem illius Comitem Rogerium, virum utique providum & diſcretum, & de ſanguine regio ortum, & me cum eo ad ejus præſentiam deſtinavit, ut in perficienda pace adjutores eſſemus pariter & præſentes: non quòd dominus noſter Rex pacificus cum domino Imperatore aliquam credat habere diſcordiam. Ipſe enim ſicut Catholicus Princeps & pacis filius omnes Chriſtianos Principes diligit, & quantum in eo eſt, cum illis pacem & concordiam habere credit. Solos inimicos Crucis Chriſti crudeli odio mari & terra perſequitur. Inde eſt quòd non parcit pecuniæ, non indulget expenſis; ſed ſingulis annis biremes ſuas præparat, & cum eis armatam militiam deſtinat, ut hoſtes Chriſtianæ Fidei devincat pariter & confundat: & euntibus ad Sepulchrum Domini ſecurum iter præparet & expediat. Alii mundi Principes, ſubditos ſuos vehementer impugnant, & cum inimicis Fidei pacem facere non formidant. De Sepulchro Domini, quod à Sarracenis impugnatur, non multùm cogitant; & eum, qui ſolus ipſum defendere nititur, impedire feſtinant. Alii quæ ſua ſunt quærunt: ſolus Rex noſter, quæ JESU Chriſti ſunt, devotus inquirit. Cùm ergo ipſe in Dei ſervitio tàm ſanctam & puram devotionem habeat: vos, domine Imperator, qui Eccleſiæ Dei ſpecialis eſtis filius & defenſor, ſingulari amoris privilegio præ cæteris mundi Principibus dominum Regem & venerari debetis pariter & amplecti: qui Dei Eccleſiam ſemper intendit extollere, & inimicos ejus non deſinit impugnare. Nulla & inter vos & dominum Regem diſſidii cauſa vel odii ſeminarium intervenit. Dominus enim Rex à magnificentia veſtra ſe numquam offenſum meminit, vel vos in aliquo offendiſſe cognoſcit; ſed certum apud eum & firmum exiſtit, quòd ſi Imperialis majeſtas cum regia magnificentia perfectæ pacis vinculo fuerit counita, Eccleſiæ Dei & toti Orbi magnum poterit commodum provenire. Archiepiſcopus verba finierat. Protinùs Imperator per Gotifridum Cancellarium ſuum ad ejus verba reſpondit, dicens:

LXXVIII. Per Cancel. quid reſpondeat Imp.

Salutes ex parte illuſtris Regis Siciliæ per vos magnificentiæ noſtræ tranſmiſſas ea qua decet reverentia & honore ſuſcipimus, & eidem loco & tempore opportuno rependere multiplices procurabimus. Quòd autem tàm idoneas & elegantes perſonas ad pacis noſtræ colloquium deſtinavit, noſtræ excellentiæ ſatis gratum reſidet & acceptum: quia ex Legatorum ſuorum ſcientia, probitate ſimul & * facetia, delegantis domini auctoritatem perpendimus, & à nobis meritò in numero ſummorum Principum reputatur, qui talibus & tantis perſonis præeſſe dignoſcitur. Quod verò ſignificaſtis; eum erga ſerenitatem noſtram amicam gerere voluntatem: hoc verum eſſe, rerum experientia comprobavimus. Nam licèt popularis opinio nos ad invicem eſſe crederet inimicos; tamen inter nos haberi pacem & concordiam operis exhibitio demonſtravit, quia eum & terram ejus numquam offendimus, & nos ab eo in nullo offenſos veraciter profitemur. Et quia ipſe præ univerſis mundi Principibus inimicos Crucis Chriſti mari & terra perſequitur, & cum hoſtibus Chriſtianæ Fidei guerram ſemper & diſcordiam habere dignoſcitur: nos illi tamquàm Catholico Principi & pacis filio, pacem noſtram gratanter offerimus, & eum ſinceræ charitatis brachiis amplexamur. Nam in veritate cognoſcimus, quòd ex hoc mutuæ dilectionis affectu Eccleſiis Dei proveniet non parva utilitas; Chriſtianis omnibus, & præcipuè ad Domini Sepulchrum euntibus magna ſecuritas; Infidelibus autem terror, confuſio pariter & egeſtas. Quo audito, Regis Nuntii Imperatori de bona voluntate, quam erga Regem ſe habere dicebat, gratias referentes: accepta ab eo licentia, ad ſua hoſpitia alacres ſunt reverſi.

* ſapientia,

LXXIX.

Ipſi autem, ſicut viri ſapientes & providi, metuentes, ne pacis factæ memoriam

etunt nũ-ii ſcribi acis di-loma.

longævitas temporis aboleret: dederunt ſtudinm & operam diligentem, nt ſorma pacis, quæ ioter Imperatorem & Regem facta fuerat, Imperiali juſſione redigeretur in ſcripturis: ut eam de cœtero noo poſſet temporis vetuſtas deſtruere, quam Imperialis privilegii ſcriptura ſervaret. Ad petitionem igitur eorum pacis inter Imperatorem & Regem initæ ſcriptum eſt privilegium, & ſigilli aurei impreſſione munitum. Ut autem præoominati privilegii notitiam ſemper habere poſſit ſecutura poſteritas: ejuſdem privilegii exemplar huic noſtro operi dignum duximus annotare.

B In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Amen &c.

Diploma pacis inter Imp. & Regem Vvillelmum.

Nos Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus, & Henricus Rex filius noſter interventu venerabilis Patris noſtri Alexandri Dei gratia ſummi Pontificis & fratrum ſuorum Cardioalium, pro parte ooſtra & heredum noſtrorum paciſcimur vobiſcum, domine **Vvillelme, eadem gratia illuſtris Rex Siciliæ, quòd amodò uſque ad quindecim annos obſervabimus vobis & hæredibus veſtris, & univerſo regno veſtro, & toti terræ dominationis veſtræ veram & fir-** C mam pacem. Et quòd per nos, vel per quoslibet alios mari vel terra vos prædictum illuſtrem Regem & hæredes veſtros, aut regnum veſtrum, & terram dominationis veſtræ, ſicut præſcriptum & determinatum eſt, uſque ad quindecim annos noo invademus, nec invadi faciemus, nec vobis, ant regno veſtro, & jam dictæ terræ dominationis veſtræ guerram aliquo modo faciemus. Et ut hæc omnia ſupraſcripta firmiter & illibata à nobis ſupradicto Friderico Dei gratia Romanorum Imperatore & ſemper Auguſto, & Henrico D filio noſtro Rege, & hæredibus noſtris, tàm vobis ſupradicto illuſtri Regi Vvillelmo, quàm hæredibus veſtris, & regno veſtro, & toti terræ dominationis veſtræ attendantur, & obſerventur: nos prædictus Imperator bona fide, ſine fraude & malo ingenio, in præſentia beatiſſimi Patris noſtri Papæ Alexandri & Cardinalium, & Legatorum veſtrorum Romualdi venerabilis Salernitani Archiepiſcopi, & Rogerii egregii Comitis Andriæ, & Principum ac fidelium noſtrorum, à Comite Henrico de Dieſſa in anima noſtra, ſuper ſancta Dei Evangelia, & Sanctorum reliquias jurare E fecimus, & Henricum filium noſtrum per interpoſitam dignam perſonam in anima ſua idipſum jurare faciemus uſque ad medium futurum Septembrem Indictionis undecimæ. Et Principes noſtros idem jurare fecimus, videlicet Moguntinum Archiepiſcopum, * Arnoldum Trevirenſem Archiepiſcopum, Conradum Vvormatienſem electum, Gotifridum Imperialis aulæ Cancellarium, Guoruvinum Protonotarium, Marchionem Theodoricum de Suſia, Florentium Comitem Holandiæ, Comitem Diedonem de Groyz, Comitem

* al. Bertoldum

A Henricum de Dieſſa, Comitem Robertum de Diuna. Ad hujus autem pacti promiſſionis & juramenti noſtri & Principum noſtrorum memoriam, & inviolabile firmamentum, præſens privilegium noſtrum per manus * Vvortuvini Protonotarii noſtri ſcribi fecimus, & Imperiali ſigillo noſtro aureo ſigillatum, & prædictorum Principum juramento communitum, vobis ſupraſcripto illuſtri Regi Vvillelmo fecimus aſſignari. Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo ſeptuageſimoſeptimo, menſe Auguſti, decima Indictinne.

* Guoruvinus

B Poſtquàm verò Imperator præſcriptum privilegium Nuntiis Regis tradidit, & quòd miſſurus eſſet Chriſtianum Cancellarium in Siciliam pro recipiendis juramentis ei ſimilibus repromiſit; prænominati Nuntii non contenti Imperiali privilegio, ad majorem certitudinem pacis initæ robur & firmamentum, aliud privilegium à Papa & Cardinalibus Romano fecerunt more conſcribi, in qno Imperiale declaratum eſt privilegium, & auctoritate Sedis Apoſtolicæ roboratum. Quo facto Huziao Cardinalis ex mandato Papæ & Imperatoris cum Imperialibus litteris, & C cum Notario Salernitani Archiepiſcopi, & Capellano Comitis Rogerii ad caſtellum Gayvæ, ubi Imperatrix cum Henrico Rege filio ſuo morabatur, advenit. Præſentibus itaque Imperatrice, Rege Henrico filio ejus, C. Marchione de monte Ferrato, & quibuſdam de rectoribus Lombardiæ, & Notario Archiepiſcopi, & Capellano Comitis, & multis aliis probis & idoneis viris, Verdenſis Epiſcopus ſtola collo impoſita, ex mandato Imperatoris & Regis Henrici, in anima ejus ſuper ſancta Dei Evangelia & reliquias juravit, quòd ipſe Rex Henricus pacem Eccleſiæ & D Imperii, ſicut à patre ſuo jurata fuerat, & pacem Regis Siciliæ uſque ad annos quindecim, & treguas Lombardorum uſque ad ſex annos, bona fide, ſine fraude & malo ingenio firmiter obſervaret.

LXXX. Aliæ ad confirmationem pacis procurata.

Advenientibus autem vigiliis Aſſumptionis beatæ Virginis, quæ eo tempore in die Dominico advenerunt, Alexander Papa cum Epiſcopis ſuis & Cardinalibus, cum Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Abbatibus Alemanniæ, Lombardiæ, & Tuſciæ, cum Imperatore, & Duce Venetiæ, cum Nuntiis Regis Siciliæ, & magna populi multitudine in Eccleſia E beati Marci conveniens, ſolemne ibidem Concilium celebravit.] Hæc Acta.

Cõcilium Venetiis celebratũ generale.

LXXXI.

De quibus ne quid dubites, habes inferiùs recitata anno Redemptoris milleſimo centeſimo octogeſimoquinto Acta Veronenſia, de congreſſu Lucii Papæ Tertii cum Imperatore, ab auctore ejus temporis ſcripta, in quibus ab eodem Lucio Papa citantur Acta ejuſdem Concilii Venetiis ab Alexandro celebrati, quod & ob præſentiam ſummi Pontificis, conſenſumque frequentem Epiſcoporum nominat idem Lucius Concilium generale, à cujus ſan-

citis

Digitized by Google

citis decretis nec latum unguem ſibi recedendum fore, ibidem coram Imperatore conteſtatus eſt. Sed proſequamur reliqua ad ipſum ſpectantis. Pergit enim Romualdus:

Excommunicatio in turbatores pacis.

Dictis itaque orationibus & Litaniis, & aliis, quæ de more in Concilio ſunt dicenda, & longo ſermone de pace habito: Alexander Papa candelas accenſas Imperatori, & clericis, & laicis, qui ibi aderant, dari præcepit. Et ipſe excommunicationis formam hoc modo propoſuit: Nos ex parte Dei omnipotentis, & beatæ Mariæ ſemper Virginis, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & omnium Sanctorum excommunicamus, & à gremio matris Eccleſiæ ſeparamus omnes perſonas tàm Eccleſiaſticas, quàm ſæculares, quæcumque pacem, quæ inter Eccleſiam & Imperium modò facta eſt, & pacem Regis Siciliæ uſque ad annos quindecim, & treguas Lombardorum uſque ad annos ſex, aliquo modo diſturbare, vel impedire præſumpſerint. Et ſicut hæ candelæ extinguuntur; ſic eorum animæ æternæ viſionis lumine & claritate priventur. Cumque candelæ projectæ eſſent de manibus, & extinctæ: Imperator alta voce cum aliis, Fiat, Fiat, pariter acclamavit. Sicque Concilium celebratum eſt, & ſolutum.] Hucuſque Romualdus de Concilio quàm breviſſimè, alia multa præteriens, quod alio tenderet ſua oratione: ſunt alia pleraque de eodem Concilio enarrata à Rogerio, qui eodem vixit tempore: nam in Annalibus Anglicanis hæc habet:

LXXXII. In hoc Concilio Joannes Abbas de Struma, qui vocatus fuerat Papa Calliſtus, qui etiam tertius & ultimus ſchiſmatis hujus Antipapa extiterat, degradatus eſt, & ab ipſo Imperatore, & ab omnibus Principibus Eccleſiaſticis & ſæcularibus dejectus eſt & reprobatus. Similiter omnes Archiepiſcopi, & Epiſcopi, & Abbates Teutonici regni, qui ab eo, vel ab aliis Antipapis prædeceſſoribus ſuis, videlicèt ab Octaviano, qui Papa Victor vocabatur, vel à Guidone de Crema, qui Papa Paſchalis vocabatur, ordinati fuerant, degradati ſunt: & altaria, quæ ab ipſis, ſive ab ordinatis ſuis dedicata erant, demolita ſunt.

In hoc autem Concilio Conradus frater conſobrinus prædicti Imperatoris recepit à manu Alexandri Papæ Archiepiſcopatum * Sanceburge, & legatiam totius Teutonici regni in vita ſua habendam.

* al. Salisburgenſem.

De Conrado Archiepiſc. Moguntino.

Iſte verò Conradus cùm electus eſſet tempore ſchiſmatis ad Archiepiſcopatum Moguntinum, noluit ab Octaviano Antipapa conſecrari, ſed malens inter Catholicos pro nomine Chriſti pauper vivere, quàm inter ſchiſmaticos divitiis & tranſitoriis abundare, venit uſque Senonem civitatem ad Alexandrum Papam: à quo benignè ſuſceptus factus eſt Epiſcopus Cardinalis de Epiſcopatu * Savinæ. Et Chriſtianus Imperatoris Cancellarius ſucceſſit ei in Archiepiſcopatu Moguntino, & pallium ſuſcepit à Guidone de Crema. Quòd quia ab eo receperat, propriis manibus ſuis combuſſit Venetiæ in Rivoalto, in palatio Patriarchæ, coram Alexandro Papa & Cardinalibus univerſis, & à domino Papa abſolutus eſt: & remanſit Archiepiſcopus Moguntinus, & pallium ab Alexandro recepit.] Hucuſque Rogerius. Pergit verò Romualdus:

* al. Sabinæ

LXXXIII. Reditus Legatorũ Regis in Siciliam.

Eo autem die Nuntii Regis Siciliæ, accepta à Papa & Imperatore licentia, cum galeis ſuis ad monaſterium S. Nicolai, quod, Ad litus, dicitur, pervenerunt: celebrato ibidem feſto Virginis, altero die Hadriaticum mare intrantes, aura flante ſecunda, nono die ſtante, *ideſt remanente* menſis Auguſti, ſani & incolumes cum omnibus ſuis Barolum deſcenderunt. Archiepiſcopus itaque & Comes Rogerius communicato conſilio, Nuntium ſuum cum litteris in Siciliam direxerunt, modum & ordinem geſtæ pacis Regi plenariè ſignificantes. Et hoc facto, Comes Andriam rediit, Archiepiſcopus autem Salernum venit. Rex verò eo tenore litterarum pacem factam & juratam eſſe cognoſcens, lætatus eſt valdè, & per litteras ſuas Archiepiſcopo & Cometi dedit in mandatis, ut ad eum feſtino greſſu in Siciliam properarent. Sicque factum eſt, quòd Archiepiſcopus & Comes, ſexto die intrante menſis Novembris, Panormum ingreſſi, à dominis & familiaribus Curiæ, & reliquis magnatibus honorificè ſunt ſuſcepti. Altera verò die coram magnificentia regia venientes, ei à principio uſque ad finem totius negotii modum & ſeriem pleniſſimè retulerunt: & privilegium Papæ Alexandri & Imperatoris de pace factum & roboratum eidem (ſuis familiaribus præſentibus) aſſignarunt. Res igitur ex tenore privilegiorum præter ſpem & opinionem ſuam, pacem ad honorem ſuum & commodum factam eſſe conſiderans, Archiepiſcopi & Comitis ſuper hoc fidem & prudentiam plurimùm commendavit, dans illis in mandatis, ut Imperatoris Nuntios, qui in Siciliam erant venturi pro recipiendis juramentis, æquanimiter expectarent.

LXXXIV. Romualdi Archiepiſ. auctoris peroratio.

Hæc autem omnia, quæ prædiximus, ita geſta fuiſſe, nulli dubitationis, vel incredulitatis ſcrupulum moveant, quia Romualdus ſecundus Salernitanus Archiepiſcopus, qui vidit, & interfuit, ſcripſit hæc: & ſciatis, quia verum eſt teſtimonium ejus. Intereà, dum Imperator per totum menſem Auguſti, & aliquam partem Septembris eſſet Venetiis demoratus, accepta à Papa licentia, tertiodecimo die ejuſdem menſis à Venetiis recedens, Ravennam venit, per vallem Spoletinam in Tuſciam deſcenſurus.

Reditus Alex. Papæ Anagniam.

Domnus autem Papa omnibus, quæ in partibus illis facienda erant, ritè diſpoſitis, in menſe Octobris cum quibuſdam de Cardinalibus à Venetiis movens, cum quatuor galeis Venetorum, ſecundo die ſtan-

te, *id eſt remanente*, ejuſdem menſis, Sipontum applicuit, & inde per Trojam, & Beneventum, Anagniam feſtinus advenit. Quidam verò de Cardinalibus eum per terram ſunt proſecuti. Magiſter autem Rainerius Cardinalis, & Græcus ſubdiaconus cum Chriſtiano Cancellario in Romaniam deſcenderunt, pro reſtauratione regalium, quæ Imperator invaſerat, recipienda. Dum autem Papa à Siponto Anagniam veniret, Eccleſiæ peccatis exigentibus, Hugo de Bononia Cardinalis Beneventi eſt mortuus, Vvillelmus de Papia Portuenſis Epiſcopus apud Averſam obiit, Manfredus Prænеſtinus Epiſcopus apud Anagniam diem clauſit extremum.] Huc uſque de his codex Salernitanus, Longobardo charactere conſcriptus, à nobis indè petitus, collatuſque cum codice ſancti Petri in Vaticano, haud integro, ſed fine carente. Eadem planè, ſed breviùs narrat Rogerius in Anglicanis Annalibus, qui etſi non fortaſsè, ut recitati nuper auctores, ea vidit quæ ſcripſit; tamen, ut qui eadem vixit ætate, ea quæ ſunt ejus temporis, accuratè deſcripſit. Quibus his omnibus ſumma fide conſcriptis, atque candida ſinceritate decurſis cùm aſtipulentur recitata ſuperiùs Acta ipſius Alexandri Papæ; cuncta quæ ab his diſcrepant, mendacia eſſe penitùs convincuntur, atque potiſſimè refelluntur aſſerta in Chronico Beſſarionis poſteriori loco. Sui enim & obliqui eſt menſura rectum.

LXXXV. His igitur tamquàm ad Lydium lapidem admotis, cuncta eodem argumento conſcripta, vel picturis expreſſa, vel cujuſvis generis monimentis ſignata, quæ noveris ab iis diſcrepare, redargue. Quòd autem partis poſterioris auctorum nemo ſit, qui rebus geſtis interfuerit, & quæ viderit, ea ſcripſerit, ſed quæ tantùm audierit, nullo pacto ſunt conferendi cum recitatis à nobis Scriptoribus. Sed & quòd illis adverſantes inter ſe ipſos magnoperè in pluribus diſcrepent, errent verò omnes in iis quæ ſunt temporis, dum non hoc uno anno iſta geſta eſſe recenſent, ſed & ſuperiori, atque ſequenti; quodque litteræ Friderici ad hæc probanda adductæ nulla temporis conſenſione jungantur, cùm datæ ponantur anno vigeſimoſexto Imperii, qui eſt annus ſalutis milleſimus centeſimus octogeſimus, & ſignentur Indictione undecima, qui eſt annus Chriſti milleſimus centeſimus ſeptuageſimusoctavus; & inconvenientia temporis contrarium firment; ab eiſdem prorsùs recedere; & ſuperioribus inhærere non ſolùm ſuadeant, ſed planè cogant: ſtet aſſerta primæ ſententiæ veritas omni contradictore ſuperior, nec labefactetur ulla aſſertione mendaciorum.

LXXXVI. Mendaciſſima de Alex. faſtu aſſerta cōvincuntur. Quorum illud cæteris magis indecorum, quo aſſeritur factum illud arrogans, & penitùs inſuetum, quòd humiliatum ad pedes Pontificis caput Imperatoris pede ipſe preſſerit, atque inſultaverit, verbis illis ex Pſalmo petitis: (a) Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.] Et quòd læſus Imperator in ipſum illud intorſerit: Non tibi, ſed Petro.] Cui retorſerit Alexander arrogantiùs dictum hujuſmodi: Et mihi, & Petro.] Adhortens eſt quidem à tanti Chriſti Vicarii manſuetudine turgens faſtu facinus, penitùſque alienum ab ipſius moribus tot actionibus probè notis. Quantæ enim fuerit animi demiſſionis & moderationis, benignitatis, lenitatis, paternæque charitatis ad alliciendos ad pœnitentiam peccatores, ad curandos ipſos pœnitentes omni genere obſequii & indulgentiæ, cùm facile ſit ex ſcriptis & factis ipſius ſuperiùs recitatis elicere, aſſerere, & confirmare; notiùs planè & evidentiùs fiet ex his, quæ ex eodem auctore anno ſequenti dicentur, cùm Calliſtum pſeudopapam, peſtem Eccleſiæ, ad ſe venientem pœnitentem recepit.

a Pſ. 90.

Lxxxvii. Si quid enim hujuſmodi per Alexandrum Papam fieri contigiſſet: quomodò referre prætermiſiſſent Scriptores illi, qui minima quæque proſequuti ſunt, quippè qui præſentes cùm eſſent, ea cuncta ſingulaque totidem verbis, ut prolata ſunt, ſumma diligentia ſcriptis prodidere, ut vidiſti feciſſe Legatum Regis inter alios Romualdum? Quomodò rem tantam ſui magnitudine mirandam, novitate ſingularem, indecentia monſtruoſam, etſi non ab aliis, certè æmulorum adverſariorum tubis perſtrepentibus pervulgandam, reliquiſſe potuere ſilentio penitùs obvolutam, ut quaſi ex condicto, nullus eorum Scriptorum, reliqua cuncta ſcribentium, de his verbulum fecerit? Tu verò, prudens Lector, qui ſatis vidiſti, quanto cum labore, induſtria, arte, patientia cum prudentia, tot annis in hoc ipſum laboraverit Alexander, ut vel aliquod ſaltem leve pœnitentiæ ſignum extorqueret ab obſtinatiſſimo perſecutore: quomodò in animum induces, ut credas, jam ipſum ad hoc tanto labore inductum Imperatorem atque ſuaſum, eo modo exaſperatum factis, & dictis inurbanis, inuſitatis, duris, aſperis per Pontificem exacerbatum, ut (quantum *in ipſo fuit*) eum à pœnitentiæ remedio procul abigeret, quem jam (ut vidiſti) abſolutum recepiſſet in Eccleſia pœnitentem? Stet igitur ipſa hiſtoria candore ſuo nitens, atque ſinceritate & veritate ex teſtificatione eorum, qui interfuerunt, conſtans & firma in omnibus comprobata. Sed ex iis jam diſputationibus emergentes, enarrata opera Dei conſideremus.

Lxxxviii. Dei immenſa opera prædicantur in Eccleſia protegenda. Quis hæc tanta non deficiat admirando, cujus & præ gaudio ob exceſſum animus exultando non jubilet, & manus coronas nectat, lingua verò victorialem occinat hymnum Chriſto Victori, cui & erigat ſimul de ſuperatis inſuperabilibus inimicis trophæa perpetuò permanſura? Sed & quis exultando non inſultet ſimul in hoſtes Eccleſiæ, & exprobret in omnes ejus

perſe-

a *Iſai. 8.* perſecutores illud propheticum Iſaiæ: (*a*) Congregamini populi & vincimioi, & audite univerſæ procul terræ: Confortamini & vincimini: Accingite vos, & vincimini: Inite conſilium, & diſſipabitur: Loquimini verbum, & non fiet, quia nobiſcum Deus?] Quot conciliabula in perditionem Eccleſiæ collegit impietas? Quot movit, & extincta ſæpè adversùs Dei Eccleſiam renovavit bella Alemannicus furor, pollens imperantis auctoritate; quę cuncta ad nihilum dedus it fortior, cunctis divina potentia? Tu ipſe ſcripta perlegens, vidiſti Lector, & conſideraſti puto, admiranda opera Dei, cujus finis eſt, diſ- B pergere ſuperbos, & omnem arrogantem humiliare, atque confundere. Nonnè hic ille, qni ab initio ſui naſcentis Imperii adversùs Romanam Eccleſiam quibus potuit viribus inſurrexit? quiqne tyrrannicè ſibi vendicans Sedem Petri, cui voluit, tertiò jam proſtituit? ut & ipſi jure illud aptari potuerit ſacrum elogium: Omne ſublime videt, ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ.] De quo & dictum: b *Job. 4.* (*b*) Numquid faciet tecum pactum, & accipies eum ſervum ſempiternum?] Quòd non alicujus ſit creaturæ taota iſta C perficere, ſed tantummodò illius, qui c *Apoc. 19.* eſt Rex (*c*) Regum, & Domious dominantinm. Qui cocgerit eminentiſſimā majeſtatem ad pedes procumbere ſervi ſervorum ejus, ipſoſque exoſculari, geſtare ipſnm dextera, atque ſtratoris muoere eidem fecerit inſervire. Quique mutaverit fremitum rugientis leonis, magno planè miraculo, in balatum errantis atq; opem quærentis oviculæ. Ita planè: nam d *Job. 41.* ſicut (*d*) rugitus leonis, ita & terror Regis,] qui tot feralibus editis, repetitis, & proclamatis edictis, eorum tonitru cooenſſit terrarum Orbem. Qui in- D e *Prov. 10.* ſuper perſtrepentem ſpiritum (*e*) grandem & fortem, ſubvertentem montes, & conterentem petras, in ſibilum converterit anræ tenuis; in ſpumam gracilem redegerit mare tumeſcens; atque in cineres frigidos reſolverit fornacem, uoiverſum Orbem Catholicum inflammantem. Exolta pro his, & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui ſanctus Iſrael.] Epinicia hæc à Fidelibus canenda proponimus, illud Davidicum intonantes: Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me, dextera Domini fecit virtutem:] Idem inquam E ipſe, qui ſuper firmam petram fundavit Eccleſiam, ut oec portæ inferi prævaleant adversùs eam.

LXXXIX. Fridericus relabitur in tyrannum. At licèt victa ſæpè reſurgit impietas, cedere neſcia, cùm cedere tamen ipſi veritati omninò quantumlibet refractaria cogatur etiam iovita. Ita quidem poſt hæc Fridericus. Nulla enim juramenti habita ratione, divinis & humanis legibus violatis, ſimnlac eſt ingreſſus Æmiliam, collectis militibus, ſtatim Bertinorum caſtrum mnnitiſſimum eſt aggreſſus: quod oppidum multiplici jure ad Ec- A cleſiam pertinebat, eoque potitus eſt. Cujus rei geſtæ ſeries ita in Actis vitæ Alexandri Papæ deſcribitur: Illud autem ſilentio prætereundum non dnximus, qnod Imperator, ea qoo Cæſenam pervenit, utens conſilio malignantium, acceſſit juxta Bertinorum, & accerſitis ad ſe prædictis Papæ Nuntiis, videlicèt R. diacono ſancti Georgii, & R ſubdiacono Apoſtolicæ Sedis Cardinalibus, & P. Dapiſero ejnſdem Pontificis, inſtanter poſtulavit ab eis poſſeſſionem illius caſtri cum omnibus pertinentiis ſuis. Auibns benignè reſpondeotibus & manſuetè, quòd ſine B licentia & mandato domini ſui Romani Pontificis hoc facere noo poſſent, nec deberent: Imperator confeſtim eos diſſidavit, & exercitu circumquaqne collecto, ipſos de caſtro jecit, & ſine conflictu ac pugna inespugnabile caſtrum illnd cepit, & ſibi ac filio ſuo Regi ab omnibus ipſius loci jurare fecit obedieatiam. Nec mirum, cùm inter Bulgaros & Maioardos, qui erant fortiores ipſius loci milites, jam emerſerant æmulationes, & altera eorum pars Imperatori favorem præſtabat.

XC. De Friderici perfidia invincibili. Quod factum poſtquàm ad aures ipſius C Pontificis pervenit: per majores Eccleſiæ perſonas eumdem Imperatorem paternè commonnit, & ut poſſeſſionem ipſius caſtri ſibi & matri ſuæ Romanæ Eccleſiæ in pacem reſtitueret, poſtolabat inſtantiùs. Ipſe verò in voluntatis ſnæ duritia perſeverans, reſtitutionem facere penitùs recuſavit. Quæ cauſa licèt Pontifici & Eccleſiæ univerſæ valde fuerit graais: ne tamen occaſione ejus iniuriæ recens pax utiliſſima Eccleſiæ, & Imperii concordia diſſolveretur: potiùs hoc ad tempus pati & diſſimulare diguum duxit: qnàm contrariis eidem Imperatori contraria reſponde- D re, quonſque Dominus cor illius emolliat, & ſuæ Eccleſiæ jura ſpontè reſtituat.] Hæc ibi. At planè accidit illi, quod divinum oraculum deprompſit io Job: (*f*) f *Job. 38.* In ſimilitudinem lapidis aquæ durantur, & ſuperficies abyſſi conſtringitur:] quod videlicèt, nullo Solis juſtitiæ radio cor ejus reſperſum, perfidiæ & obſtinationis frigore iovaleſcente, condenſatum permanſit in ſilicem, qnod humanitatis natura fluidum, & ad bonum derivari poſſe, aliquando dederit experimentum. At licèt aliquando viſus ſit bonum ſequi: non amore virtutis, Deiqne reſpectu, ſed ſui E ipſius gratia, quod ſibi prodeſſe putaret, illud effecit: ut non mireris, ſi citò aruit quod ſeminatum eſt ſuper ſaxa, quæ non haberent humorem. At quæ dicentur inferiùs, iſta magis oſtendent.

XCI. Hoc eodem anno, quo Fridericus Imperator ſnbiecit ſe Alexandro Pontifici, contigit (ut tradit Saxo (*g*) Grammaticus, qui tunc temporis iſta ſcribebat) g *Saxo Gram. lib. 14. in fine.* ut idem Alexander Papa legatione miſſa in Daniam, Abſalonem Roſchildenſem Epiſcopum, virum pace, belloqne ſpectatum, deque ſancta Eccleſia vbique &

ſemper

Legatio ab Alex. Papa ad cōferendum invito pallium. ſemper optimè meritum, renuentem licèt ac penitùs repugnantem auxerit Archiepiſcopatu Lundenſis Eccleſiæ. Sed præſtat audire Saxonem ipſum: Ea tempeſtate, inquit, Romani ſchiſmatia controverſia, aſſtipulante Cæſare Friderico pertinaciſſimo Germanorum errore, compluribus annorum curriculis alita, veri Pontificia Alexandri pedibus proculcata ſuccubuit, dividuumque Eccleſiæ ſtatum Catholicæ concordiæ vinculum colligavit. Quo in tempore Regis *Danorum*, Lundenſiumq;, nec non Abſalonis *Epiſcopi Roſchildenſis* Legati Roma regreſſi, læto patriam nuntio compleverunt. Qui tametſi diverſas atque contrarias res petitione complexi viderentur; ea tamen Romani Pontificia induſtria ſunt excepti, ut pars utraque ſibi pro votis conſultum gauderet. Nam & Abſaloni Lundenſem pontificatum aſſumere juſſum, & Roſchildenſem adminiſtrare permiſſum. Ita geminum Eccleſiæ regimen in ejus jus ditionemque conceſſit, alterum præcepto, alterum indulgentia ſortientis. O novam & inauditam Curiæ munificentiam Recuſanti pallium ingeſtum eſt; inſigneque, quod petentibus ægrè præſtari ſolet, repugnanti violenter imprimitur. Dignoa humeroa, quibua tàm præclarum onus imponeretur. Veniens ſiquidem Romanorum Legatus Galandus, Lundenſi Clero Roſchildiam evocato, præſentem Abſalonem non ſolùm litterarum recitatione, quæ eum electioni parere jubebant; ſed etiam anathematia comminatione, quo ſe adverſùa eum, ſi repugnare perſeveraſſet, uſurum dicebat, electoribus aſſentiri, ſidemque obeditionis ſolemniter ab iiſdem recipere coegit. Quem poſtmodùm Lundenſi in templo, pallio quod attulerat muneratus, die poſtero Ripenſium electum Homerum religioſo ejus miniſterio pontificem conſecrari conſpexit. Itaque legatione ſinceriſſimè atq; integerrimè geſta, hibernis exactis, Romam revertit.] Hæc Saxo, quibua & decimumquartum ſuæ hiſtoriæ librum claudit.

XCII. Hic primum tentatum, ut duo uni coactione Pontificis (ut audiſti) darentur Epiſcopatus. Quod tamen ſemel ex cauſa præſumptum, malè apud plures tranſiit in exemplum. Ut autem ejus gerendæ rei Alexandro Papæ cauſam ingeſtam cognoſcas, ex eodem auctore, ſed noſtris verbis, compendioſè hic totius rei geſtæ ſeries breviter eſt petenda.

Eſchillus venerandus ſenex Lundenſis Eccleſiæ metropolitanæ diu perſunctus munere Archiepiſcopi, & Apoſtolicæ legationis faſcibus oneratus, ut quieſceret, illud ab eodem Alexandro Pontifice importunus extorſit, ut litteras ſcriberet, quibus ſignificaret, concedi ſibi à pontificatu miſſionem, atque depoſitionem legationis ampliſſimæ dignitatis, quam cui vellet, conferre poſſet; ipſum verò monaſticum poſſe habitum obſervantia Ordinis Ciſtercienſis ſuſcipere: ut ſic A poſt labores ſibi vacans, diem paratus expectaret vocationis ad Deum. Poſtquàm verò is penes ſuos non niſi auctoritate Apoſtolicæ Sedis, locum promotionis nulatenùs invenire potuiſſet: cùm de ſubrogando ſucceſſore ſuffragia peterentur, in eam ſententiam pedibus itum, ut in Abſalonem Roſchildenſem Epiſcopum omnium laudatiſſimum geminæ præfecturæ refunderetur onus. At ille nunquam penitùs ſe ſuæ Eccleſiæ, quam tot laboribus excoluiſſet à juventute, carere velle regimine cujuſvis prætextu amplioris dignitatis, palàm ſæpè pluribus con- B teſtatus eſt verbis. Adeò ut nec rogatione Regis, neque precibus collegarum, aut amicorum ſuaſionibus ad capeſcendam ſedem præcipuam potuerit inclinari, quamvis & Eſchillus id enixis precibua efflagitaret. Verùm cum importunitas exigentium, & cogentium vis magis ac magis urgeret; ad appellationis remedium Abſalon ipſe confugit; provocans ad Apoſtolicam Sedem, ad quam oportuit, qui ſuam coram Pontifice cauſam ageret, Legatum mittere; ornatis ab altera parte legationibus ad Papam adverſus eum, tàm à Rege Vvalde- C maro, quàm ab ipſa Lundenſi Eccleſia metropolitana. Quibus auditis Alexandro Romano Pontifici, ſic tranſigere viſum eſt, ut ſuperiùs eſt recitatum. Et ne eidem Abſaloni ulteriùs reſiſtendi facultas, ac refragandi locus reliquus eſſet: anathematis vinculis colligandum niſi acquieſceret, oportuit comminari. Iſta præceſſit novi faciendi decreti nova atq; ſuaſibilis cauſa.

Abſalon ſuam pro majori dimittere Eccleſiam non acquievit.

XCIII. Hoc eodem anno decernitur legatio ab Alexandro Papa in Northmanniam. Cauſa autem hujus mittendæ legationis ita narratur à Rogerio in Annalibus Anglo- D rum: Eodem anno Petrus tituli ſancti Chryſogoni presbyter Cardinalis Apoſtolicæ Sedis Legatus, quondam Meldenſis Eccleſiæ electus, venit in Franciam, & ab Alexandro Papa in mandatis recepit, quòd tota Northmannia, & omnes terræ Regis Angliæ ciſmarinæ & tranſmarinæ ſub interdicto ponerentur, niſi Rex Angliæ ipſe permiſerit Richardum filium ſuum Comitem Pictaviæ ducere uxorem Aleſiam filiam Ludovici Regis Franciæ, quam ipſe Rex Angliæ jam diu & ultrà quàm inter eos convenerat, in ſua cuſtodia retinuerat. Quod cùm E Regi Angliæ conſtaret: appellavit ad præſentiam domini Papæ pro ſeipſo, & pro terris ſuis. Et mox tranſfretavit de Anglia in Northmanniam, & habito colloquio inter ipſum, & Regem Franciæ apud Iveri, undecimo Kalendas Octobris, coram prædicto Cardinali & magnatibus utriuſque regni Rex Angliæ pater per ſuos fidem dedit, & in animam ſuam jurare fecit, quòd Richardus filius ejus Comes Pictaviæ prædictam Aleſiam in uxorem duceret, ſi Rex Franciæ pater puellæ dederit præfato Richardo Comiti Pictaviæ

Legatio Petri Cardinal. in Northm.

[A] viæ civitatem Bituricenſem cum pertinentiis ſuis in maritagium cum filia ſua, ſicut conventio inter illos indè facta exigit &c.] Sic rebus compoſitis, ſed non ſequuta dotis exhibitione, nec traslatio ſponſæ facta fuit: pax tamen per eumdem Legatum inter utrumque Regem compoſita tunc fuit, cujus idem litteras ſcriptas recitat conventionis.

XCIV. Obitus S. Galdini Arch. Mediolan.

Hoc eodem anno ſanctus Galdinus Archiepiſcopus Mediolanenſis, ubì impleſſet annos decem in ſacra muneris functione (ut ejus vitæ Acta teſtantur) ex hac vita migravit, quem Deus miraculorum frequentia, ab eo poſt obitum editorum, [B] declaravit inter Sanctos in Paradiſum eſſe receptum. Extant quæ citavimus vitæ ipſius Acta, à Mombritio tomo priori Vitarum Sanctorum recitata. Claudat tandem longiorem hujus anni periodum elegans hiſtoriola, diplomatibus Pontificiis comprobata de admiranda pontis Avenionenſis ſtructura pernecessaria ſuper Rhodanum, non agros tantùm alveo proximos corrodentem, ſed homines plurimos abſorbentem. Cùm Deus miſeratus humanum genus, pontis conſtruendi parat magno miraculo per puerulum adhùc impuberem fundamentum, atque [C] conſummat grande opus. Cujus rei geſtæ ſynopſim ex vita ejuſdem multiplici auctoritate probata ſic accipe:

XCV. Avenion. pōtis ſtructura.

Anno Chriſti milleſimo centeſimo ſeptuageſimoſeptimo, paſtoritius puer nomine Benedictus, vulgò BENEZET, dum paſceret maternum gregem, tergemina JESU Chriſti compellatione admonitus eſt pontem facere in Rhodano. Puer expaveſcens, primùm negavit ſe poſſe ovium cuſtodiam deſerere, vel tantæ provinciæ, cùm inops eſſet, ſatisfacere. Cui eùm Chriſtus curam gregis, omniaque neceſſaria ad opus pollitus eſſet, [D] Benedictus ſe accingit itineri, ac in Angelum ejuſdem habitus incidens, ab eo uſq; ad Rhodanum perductus eſt, ac ab eodem [A] ob aſpectum fluminis à re ſuſcepta deterritus, iterùm confortatus eſt. Angelo recedente puer tranſmittens fluvium, ac Avenionem ingreſſus, in media Epiſcopi concione intervenit: Audite me, inquit, atque intelligite: mittor à Chriſto ea de cauſa, ut faciam vobis pontem in Rhodano. Qua voce populus in riſum converſus coram Præpoſito, eum ſiſtere ab Antiſtite decernitur, quem monet Benedictus in ſtructuram pontis aliquid largiri. En tibi ſaxum ingens, inquit, in meo atrio, ſuſtolle in humeros, habebis fortaſsè unde tui pontis queas aliqua fundamenta ponere: [B] tùm te id poſſe intelligam. Puer, feram, inquit, ſaxum, & acceerſito Epiſcopo ac civibus, cui ferendo non ſorent triginta homines, expeditè humeris portabat, fundamentum futurum tantæ molis. Eoque prodigio civitas univerſa ſtupefacta, Præpoſitus venia erroris impetrata, primus trecentos ſolidos pro ponte largitur, ac ejus exemplo alii in limine ad quinque millia nummorum contulerunt, unde cœpit pons ædificari. Perfectum eſt opus mirandum, dignum præconiis Pontificum Romanorum celebrari. Extat diploma Innocentii Papæ Quarti in Concilio œcu[C]menico datum apud Paradinum in hiſtoria Lugdunenſi, quo additur, Benedictum fuiſſe puerum duodecim annos natum, natione Almilatenſem, quod oppidum eſt in antiqua Burgundia: cumque tridui itineris ſpacium tribus horis emenſum eſſe. Saxumque illud tredecim pedum longitudinē, latitudinem ſeptem habuiſſe. Abſoluto autem ponte, ipſum Romam petiiſſe, redeuntem verò Lugdunum adiiſſe, ibidemq; pontem cum xenodochio ædificaſſe, ac miraculis claruiſſe, & ſancto demùm fine quieviſſe. Porrò tantæ rei veritati non ſolùm Innocentii Quarti, ſed & Clemen[D]tis IV., & V. Bonifacii Octavi etiam, atque Joannia Vigeſimiſecundi diplomata aſtipulantur, præter alia plura publica monimenta omni fide munita.

JESU CHRISTI ANNUS 1178. ALEXANDRI PAP. III. ANNUS 19. FRIDERICI IMP. 24. MANUELIS IMP. 36.

I. Alex. Papa Romã vocatur a Romanis.

CHRISTI annus milleſimus centeſimus ſeptuageſimusoctavus ſequitur, Indictione undecima, quo Alexander Papa vocatus à Romanis ſe contulit Romam. Quomodò autem exceptus fuerit, [E] ita ejus vitæ Acta tradunt: Intereà univerſus Romanæ Eccleſiæ Clerus ac populus videns, Imperatorem Fridericum ad veſtigia Papæ Alexandri eſſe proſtratum, & ſchiſmatis malum per divinam potentiam eſſe extinctum; attendens etiam de abſentia ipſius Pontificis tàm in temporalibus, quàm in ſpiritualibus per longa tempora graviſſimam incurriſſe jacturam: communi conſilio de revocando ad Sedem beati Petri eodem Pontifice juraverunt. Miſerunt ergò ad eum uſque Anagniam ex melioribus Romanorum civium ſeptem viros cum litteris Cleri, Senatus, ac populi, ſuppliciter exorantes, quatenùs ad Urbem ſuam propriam, populumque ſpecialiter ſibi commiſſum jam dignaretur reverti, & curam illius habere. Pontifex autem, licèt humilis, & devota eorum mutatio ſibi, & cunctis fratribus plurimùm placeret; ad memoriam tamen revocans præteritam ejuſdem Cleri & populi de ultramontanis partibus revocationem, qualiter poſt modicum multas ſibi & ejus fratribus iniurias, & contumelias intulerant: non immeritò dubitavit eorum blandis promiſſionibus credere, & ad civitatem ipſam, quæ multos diſturbatores pacis habere di-

gnoſci-

Digitized by Google

gnoſcitur, abſque certa, & firma ſecu-
ritate redire recuſavit.

II. *Quæ conſtituta inter Romanos & Papam.*

Propterea de voluntate utriuſque par-
tis H. Oſtienſis Epiſcopus, F. ſanctorum
Joannis & Pauli presbyter Cardinalis, &
V. diaconus ſancti Angeli Cardinalis unà
cum ſeptem illis bonis hominibus redie-
runt in Urbem, diſpoſituri cum ſacerdo-
tibus & populo formam ſecuritatis & pa-
cis, quæ domino Papæ, ſuiſque fratri-
bus complacere deberet. Unde licèt ſu-
per hoc diù collaboratum fuerit: vix tan-
dem ſuffragantibus beatorum Petri &
Pauli Apoſtolorum meritis, totius popu-
li Romani conſilio & deliberatione ſta-
tutum eſt, ut Senatores, qui fieri ſolent,
fidelitatem & homagium domino Papæ fa-
cerent, quòd beati Petri Eccleſiam, atq;
regalia, quæ ab eis fuerant occupata, li-
berè in manibus & poteſtate ipſius Ponti-
ficis reſtituerent. Quòd pacem quoque
& ſecuritatem ipſi Papæ, & ejus fratri-
bus, & rebus eorum, & cunctis ad eum
venientibus & redeuntibus nihilominùs
inviolabiliter obſervarent.

III. *Alex. Papæ regreſſus in urbem.*

Quo facto, venerunt Senatores cum
iiſdem Cardinalibus, & cum aliis homi-
nibus ad præſentiam ſummi Pontificis.
Quibus ad oſculum pedum benignè ſu-
ſceptis (ut moris eſt) cuncta quæ à po-
pulo conſtituta fuerant, publicè coram
ipſo, tactis ſacroſanctis Evangeliis, ju-
raverunt. His igitur, Domino coope-
rante, ritè peractis, gaudio magno ga-
viſi ſunt omnes. Et ex tunc dominus Pa-
pa, & fratres ejus ad reditum in Urbem
feſtinanter ſe accinxerunt. In proprio au-
tem feſto Gregorii Papæ ante Domini-
cam, Lætare Hieruſalem, poſt Miſſam
exivit de Tuſculano, proficiſcens in Ur-
bem non ſine multa gloria, & honore.
Exierunt enim ipſi obviam in longum ſpa-
cium Clerus Romanus cum vexillis &
crucibus, quod nulli Romanorum Pon-
tificum recolitur factum: Senatores &
populi magiſtratus cum tubis concrepan-
tibus: nobiles cum militia in apparatu
decoro, pedeſtres populi cum olivarum
ramis laudes Pontifici conſuetas decan-
tantes. Tunc vidiſſes oculos omnium
multùm ejus vultum intuentes, tamquàm
vultum JESU Chriſti, cujus vices in
terris gerit. Præ nimia verò multitudi-
ne ipſius veſtigia deoſculantium, albus
palafrenus ambulare vix poterat; & ſe-
nioris dextera in dandis benedictionibus
nimiùm laborabat. Cum tanta igitur &
tàm ſolemni exultatione paulatim, prout
exhibebat neceſſitas, proficiſcens, circa
horam nonam ad portam Lateranenſem
non mediocriter fatigatus pervenit. Un-
de ad patriarchium Lateranenſis Eccleſiæ,
uſque ad ſacroſanctum Salvatoris altare,
tamquàm verus & bonus paſtor, & bea-
ti Petri orthodoxus ſucceſſor cum inenar-
rabili gloria, multiplicatis laudibus, glo-
rioſè deductus eſt atque receptus; dolen-
tibus verò in eo cunctis, quòd ipſorum
culpa tanto tempore, tanto bono caruiſ-

A ſent. Poſt benedictionem verò ad popu-
lum datam conſcendit palatium, ubi re-
cedentibus ad Eccleſias ſuas cunctis Car-
dinalibus, in lecto, fatigatus ex itinere,
ante cibum modicum requievit.

Altera verò die ad Conſiſtorium exiens, IV.
infinitam clericorum & laicorum multitu-
dinem ad pedum oſcula de more excepit.
Ex tunc ad conſuetas ſtationes Urbis pro
ſui officii debito, & ea Dominica, Læ-
tare Hieruſalem, ad ſanctam Crucem in
proceſſione nihilominùs perrexit, & in
Paſcha regnum ſolemniter induit.] Hu-
cuſque Vaticanus codex, reliqua deſunt.
B Romualdus autem Salernitanus Archiepi-
ſcopus hæc his addit:

Caliſti Pſeudopapæ pœnitentia.

Anno Dominicæ Incarnationis mille-
ſimo centeſimo ſeptuageſimooctavo, men-
ſe Auguſti, undecima Indictione, tertia
die ante finem menſis ejuſdem, videlicèt
in feſto Decollationis ſancti Joannis Ba-
ptiſtæ, Joannes de Struma, qui & à ſuis
Calliſtus appellatus eſt, reatum ſuum
agnoſcens, montem Albanum deſeruit,
& apud Tuſculanum ad pedes Papæ Ale-
xandri cum quibuſdam ſuis clericis hu-
milis & devotus acceſſit, & in conſpe-
ctu Cardinalium & multorum ſe peccaſſe
C publicè confeſſus eſt, dicens: Domine
venerande Papa, peccatum meum ma-
nifeſtè confiteor, & me auctoritate Im-
periali contra Deum, ſanctam Eccleſiam,
& vos egiſſe cognoſco. Sed nunc reverſus
ad cor, delictum meum recolo, & veniam
à veſtra pietate depoſco; omnem hære-
ſim & ſchiſma abiuro, & vos in domi-
num & univerſalem Patrem totius Ec-
cleſiæ devotè recipio.

Alex. Papa benignè ſuſcepit antipapam pœnitentem.

Quem Alexander Papa, ut erat pius
& humilis, non obiurgavit, vel repre-
hendit, ſed ſecundùm ſibi innatam man-
ſuetudinem benignè recepit, dicens:
D Frater, gaudium eſt Angelis ſuper uno
peccatore pœnitentiam agente. Quòd
ſuggeſtione diabolica unitatem Eccleſiæ
ſcindere voluiſti, multùm doluimus. Et
quòd inſpirante Domino, ad ejus unita-
tem redire voluiſti, plurimùm gaude-
mus. Romana Eccleſia, quæ juxta JE-
SU Chriſti magiſterium inimicos dilige-
re conſuevit, te hodiè pœnitentem in
filium recipit; & pro malis bona tibi re-
tribuere procurabit.] Hæc Alexander
ad eum. Subdit his hæc auctor: De cæ-
tero Alexander Papa eum & in Curia, &
in menſa ſua honorificè habuit.] Hacte-
E nùs Romualdus, hiſque finem ſuæ im-
ponit hiſtoriæ. Porrò ita conſummata
omnino victoria, Petrus Bleſenſis con-
gaviſus Romanæ Eccleſiæ de pace abſolu-
tiſſima divinitùs ipſi conceſſa, has litte-
ras dedit ad Vvillelmum Cardinalem Pa-
pienſem, quo utebatur familiariſſimè,
dignas tanto viro, qui in his conflicta-
tionibus ſemper ſteterat pro legitimo Pa-
pa Alexandro adversùs ſchiſmaticos, à
quibus haud levia paſſus fuit. Sed ipſum
audi:

Reverendo patri ac domino Vvillelmo V.
Pa-

Papienſi, ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ
a Petr. Bleſ. epiſt. 48. presbytero Cardinali, (a) Petrus Ble-
ſenſis devotiſſimus ejus filius ſalutem, &
Petri Bleſ. ſinceræ dilectionis affectus.

adCardin. Papienſem epiſtola. Benedictus Deus & Pater Domini no-
ſtri JESU Chriſti, qui tandem reſpiciens
in faciem teſtamenti ſui vos elegit, &
prælegit, ut per gratiam prudentiæ &
facundiæ vobis divinitùs datam, ſciſſura
ſchiſmatis conſueretur ad unitatem, &
Eccleſia Dei de variis laboribus reſpiraret
ad pacem. Petri quippè navicula diutiſſi-
mè tempeſtuoſis fluctibus æſtuavit: cùm-
que mirabiles eſſent elationes maris, mi-
rabilior in altis Dominus ſtatuit procel-
lam in auram. Effuſa enim contentione
ſuper Principes, cùm errarent in invio,
& non in via, ille qui imperat ventis &
mari, imperavit Imperatori: qui cùm
nuper in Eccleſiam Dei efferata rabie de-
ſæviret, hodiè per gratiam Redempto-
ris, qui vos ad hoc ſpecialiter fecerat
gratioſum in verbis, perſecutor Eccleſiæ
factus eſt filius, de lupo factus eſt agnus,
de hoſte amicus, de ſuperbo devotus;
humiliavit eum, qui eſt ante ſæcula,
qui humiliat omnem altitudinem extol-
lentem ſe adversùs ſcientiam Dei. Ni-
mis oppreſſerant, & in conculcatio-
nem dederant Chriſti Eccleſiam ſæcula-
res: ſed hodiè erecta eſt in ſuperbiam
ſæculorum, & amodò ſuperborum & ſu-
blimium colla calcabit, ſicut dicit Do-
b Iſai. 60. minus per Prophetam: (b) Ponam te in
ſuperbiam ſæculorum: non vocaberis ul-
trà Derelicta, ſed Civitas ſancta. Octa-
vianus ille auctor ſchiſmatis, toto tem-
pore vitæ ſuæ congregaverat opes & divi-
tias, ut quietem Eccleſiæ perturbaret.
Suis igitur largitionibus ita infaſcinave-
rat ſapientes hujus ſæculi, quòd magna-
tum ſibi conciliaverat favorem & gratiam,
magnamque partem Curiæ ſecum traxerat
in errorem. Sed juxta verbum Jeremiæ
c Jerem. 17 prophetæ: (c) Perdix fovit quæ non pe-
perit, fecit divitias, & non in judicio,
in noviſſimo tempore derelinquent eum,
& in fine ſuo apparebit ſtultus. Erectus
fuerat Octavianus in contumeliam Ec-
cleſiæ Chriſti, & cecidit. Satanas enim
ſatanam expulit, & abſtulit eum primo-
d Job. 18. genita mors, ſicut dicit Job: (d) Su-
perbia namque primitiva mortis genera-
tio eſt.

VI. Poſt hunc exaltatus eſt Guido Crema-
nus, & corruit. Poſt ipſum elevatus eſt
Joannes Struma, & dejectus atque con-
fractus evanuit. Ecce idolum Dagon,
quod juxta Arcam Domini fuerat eleva-
tum, priùs cecidit proſtratum; erectum
ſecundò corruit, ex magna parte confra-
ctum. Elevatum verò tertiò, tandem
totum confractum inventum eſt, & toto
corpore diſſipatum. Sic Octavianus in ſu-
perbia & abuſione ſibi ſummum uſurpa-
verat ſacerdotium, & propter hoc vehe-
menti ſchiſmate turbaverat urbes, & re-
gna concuſſerat, ſortem habiturus cum
e Num. 26 Core, (e) Dathan, & Abiron, quorum
A ſe imitatorem fecerat. Ecce, quod de
ipſo & conſimilibus prædixerat Iſaias:
(f) Numquid non eſt iſte vir, qui tur- f Iſai. 14.
bavit terram, qui concuſſit regna, qui
poſuit Orbem terræ deſolatum, & urbes
ejus deſtruxit? Detrahetur ad inferos ſu-
perbia ejus, concidit cadaver ejus, ſub-
ter eum ſternetur tinea, & operimentum
ejus vermis. Adhùc recolo, quàm glo-
rioſus erat in oculis ſuis, quàm pompoſus
in verbis. Fui præſens, ubi ſe faciebat Quæ paſ-
tamquàm ſtatuam adorari. Nam & ego ſus Petrus
cum aliis in via ad Romanam Curiam à Bleſ.
carnificibus ejus captus, & ſpoliatus, &
B cæſus ſum. Cùmque ſocii mei conjecti in
vincula in compedibus remanſiſſent, ego,
præveniente Chriſti miſericordia, nec
flexi genua mea ante Baal, nec in compe-
dibus pedem fixi, ſed relicta ſindone, &
omnibus perditis, per murum in ſporta
dimiſſus ſum, & ſic effugi manus ſuas.
Scit Deus, quia non mentior. Et ab ea
die ſemper exoravi Altiſſimum, ut ejus
ſuperbiam dejiceret, qui ſuperbos humi-
liat. Et tandem completum eſt in eo ver-
bum Job, dicentis de Rege ſuperbiæ: (g) g Job. 20.
Si aſcenderit in cœlum ſuperbia ejus, &
nubes caput ejus tetigerit, quaſi ſterqui-
C linium in fine perdetur, & qui eum vi-
derint, dicent: Ubi eſt? Velut ſomnium
avolans non invenietur, tranſiet ſicut vi-
ſio nocturna, ejus & omnium complicum
ſuorum memoria damnata eſt in æter-
num. Iſti ſunt Allophyli, qui cùm in Ar-
cam Domini irruere, & eam capere præ-
ſumpſiſſent: percuſſit eos Dominus in po-
ſteriora, opprobium ſempiternum dedit
illis.

Nonnè iſti in poſteriora percuſſi ſunt, VII.
quorum finis interitus, quorum poſteri-
tas damnata eſt, ut ſucceſſor eorum in Ec-
cleſia Dei de cetero non reſurgat? ſemper
D redibit in memoriam iniquitas patrum,
& peccatum Octaviani non delebitur in
æternum. Ipſe enim erat, qui crudeliùs
cæteris clericos affligebat, perſecutus ho-
mines inopes & mendicos, & compunctos
corde mortificare. O quàm cæcus & tur-
bidus eſt invidiæ oculus! Ubi quæſo erant
Cardinalium corda, quando filium ſuper-
biæ, & idolum abominationis in Apoſto-
latus apicem erigebant? Ut de vobis ta-
ceam, ne videar adulari: quomodò clau-
ſis oculis tranſierunt dominum Bernardū
Portuenſem, Henricum Piſanum, domi-
num Hyacinthum, dominum Humbal-
E dum Epiſcopum Oſtienſem? Reſpuerunt
homines pacis, & hominem diſſenſionis
& ſcandali erexerunt. Sanè notare hic
poſſumus problema (h) Jotham de filiis h Judic. 9.
Gedeonis, de quibus ſibi ducem eligere
filii Iſrael volentes, contemptis filiis le-
gitimis, Abimelech ſpurium & crudelem
judicem elegerunt: juxta cujus verbum,
ligna ſilvarum, non olivam, non ficum,
non vitem, ſed rhamnum elegerunt ſibi in
Regem: & egreſſus eſt ignis de rhamno, &
devoravit cedros Libani. Egreſſa eſt ab
Octaviano malitia, quæ totum Orbem
tumul-

A tumultuoſè concuſſit, ſed tandem manus Domini per miniſterium linguæ veſtræ præter ſpem & ſuper vota omnium, omnia virtute ineffabili tranquillavit. Veſter ſum, & utinam ſe offerat opportunitas, ut me probetis per experientiam veſtrum eſſe. Adhùc memoriter teneo, quàm piè, quàm miſericorditer me ab exilio revertentem vagum & profugum apud vos exceperitis, nudum cooperuiſtis, paviſtis famelicum, & ut multa paucis includam, in me totum miſericordiæ ſenarium complevistis. Ille pro me vobis retribuat, qui bonorum retributor eſt operum, & pauperum fidejuſſor.] Hucuſque Petrus, recolens beneficia, quibus contigit affici à Cardinali Papienſi, tempore flagrantis ſchiſmatis.

VIII. Indicitur ab Alex. Pap. Conc. generale in annum ſequentem

Hoc eodem anno Alexander Papa, univerſa Catholica Eccleſia pace gaudente, ad expurganda mala, quæ ſive per ſchiſmaticos, ſive per alios irrepſiſſent, Concilium generale Romæ anno ſequenti, menſe Martii celebrandum, indicit. Vocavit etiam Orientales Romanæ Eccleſiæ communione conjunctos ex Syria & Palæſtina Latinos conſtitutos Epiſcopos. Teſtatur id qui venit inter alios & interfuit Vvillelmus Archiepiſcopus Tyri, cujus C & teſtificatione, utpotè ejus qui interfuit, & Acta deſcripſit, & ſecum tulit, eos omnes erroris redarguas, qui non anno ſequenti, ſed poſt ſequentem, nempè anno Redemptoris milleſimo centeſimo octuageſimo, idem Concilium celebratum affirmant. Ipſe, inquam, qui præſens fuit, affirmat, idem Concilium celebratum anno Chriſti milleſimo centeſimo ſeptuageſimo nono, Alexandri Papæ anno vigeſimo, Indictione duodecima, die quinta menſis Martii. Dedit autem pro ejus indictione, hoc anno ipſe Pontifex litteras ad omnes ſub Catholico Orbe in di- D verſis provinciis conſtitutos Epiſcopos, ut ad Urbem dicta die ſe conferrent Synodi cauſa. Porrò ipſæ indictionis litteræ miſſæ ad Epiſcopos Tuſciæ, cujus exempli & reliquas ad alias provincias miſſas fuiſſe putamus, ſic ſe habent: (a)

a Bibl. Abbat. Flor. plut. 1. ad lævum.

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus Piſano Archiepiſcopo, & univerſis Epiſcopis; & dilectis filiis Abbatibus per Tuſciam conſtitutis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

IX. Litteræ Apoſt. de ind. Conc.

Quoniam in agro Domini, qui eſt Eccleſia, tamquàm ſpinæ & tribuli, naE ſcuntur quotidiè & pullulant germina vitiorum, cùm videlicèt, quia proni ſunt ſenſus hominis ad malum ab adoleſcentia ſua, tùm quia inimicus homo de malitia ſua zizania ſuperſeminare non ceſſat, & germen bonum nititur ſuffocare: neceſſe eſt, diligentiam adeſſe cultorum, & nunc evellere & amputare jam nata, nunc etiam naſcituris nocivis * graminibus proficiendi aditum obſerare; ſubſequenter autem & inſerere fructiferum germen, & ſeminare ſemen bonum, quod triceſi-

* al. germinibus

A mum, ſexageſimum, & centeſimum fructum, fœcundante Deo, poſſit afferre. Nam & hæc verba illa dominica ſonare videntur, quibus Jeremiam prophetam, & in eo Evangelicum ſacerdotem inſtruxit, dicens: (b) Dedi verba mea in ore tuo. Ecce conſtitui te ſuper gentes & regna, ut evellas & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes.

b Jerem. 1.

X. Rom Pontificis munus in Eccleſia.

Id autem licèt univerſis Eccleſiarum rectoribus incumbat; multò tamen fortiùs imminet Romanæ Urbis Antiſtiti, qui à Domino JESU Chriſto, ut caput B eſſet Eccleſiæ, in beato Petro (c) accepit & de paſcendis dominicis ovibus, & fratribus confirmandis expreſſum & ſpeciale noſcitur habuiſſe mandatum. Inde ſiquidem eſt, quòd nos licèt inſufficientes meritis ad providentiam Apoſtolicæ Sedis & miniſterium univerſalis Eccleſiæ à Deo, quo (ut ipſi placuit) diſponente vocati; quia in Eccleſia Dei correctione videmus quamplurima indigere, tàm ad emendanda quæ digna emendatione videntur, quàm ad promulganda, quæ ſaluti Fidelium viſa fuerint expedire: de diverſis partibus, perſonas Eccleſiaſticas decrevimus evocandas, quarum præſenC tia & conſilio, quæ fuerint ſalubria, ſtatuantur; & quod bonum, ſecundùm conſuetudinē antiquorum Patrum provideatur & firmetur à multis. Quod ſi particulariter fieret, non facilè poſſet plenum robur habere. Quocircà per Apoſtolica vobis ſcripta mandamus, qualiter huic noſtræ diſpoſitioni plenis deſideriis cooperari curetis, & prima Dominica advenientis Quadrageſimæ, ad Urbem Romam, ducente Domino, veniatis, ut cooperante ſancti Spiritus gratia, tùm in corrigendis enormitatibus, tùm in ſtatuendis, quæ Deo grata fuerint, communi D ſtudio, quod fuerit agendum, agatur; & uno humero ſublevemus Arcam Domini, atque uno ore honorificemus Deum & Patrem Domini noſtri JESU Chriſti. Datum Tuſculani undecimo Kalendas Octobris.

c Joan. 21. Luc. 12.

XI. Epiſcopi Orientales latini proficiſcuntur ad ſynodū Romanā.

Porrò ad eos, qui longiùs poſiti erant Epiſcopos Alexander ſcripſit anno ſuperiori, ut tempeſtivè audito nuntio, ſe ad iter accingerent. Quod teſtatur Vvillelmus Archiepiſcopus Tyri, qui unà cum aliis Palæſtinæ Eccleſiæ Epiſcopis vocatus ad Synodum anno ſuperiori, hoc anno cum iiſdem in Italiam navigavit, ut E ſtatuta die, ſequenti anno Synodo intereſſent. Sed ipſum audi ita profitentem: (d) Anno ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo ſeptuageſimo octavo, qui erat regni domini Balduini Quarti annus quintus, menſe Octobri, cùm anno præcedente indicta eſſet per univerſum Latinorum Orbem Synodus generalis, ad eamdem Synodum vocati, profecti ſunt de noſtro Oriente, ego Vvillelmus Tyrenſis Archiepiſcopus, Albertus Bethlehemita Epiſcopus, Heraclius Cæſarienſis

d Vvillelm. de bello ſacro lib. 21. c. 26.

ſis Archiepiſcopus, Radulphus Sebaſtenus Epiſcopus, Jotius Acconenſis Epiſcopus, Romanus Tripolitanus Epiſcopus, Petrus Prior Eccleſiæ Dominici Sepulchri, Rainaldus Abbas Eccleſiæ Montis Sion.] Hæc Tyrius Archiepiſcopus, qui, ut audiſti, tempus celebratæ Synodi anno ſequenti, triplici reliquit conſignatum chronographia, nempè anno Chriſti, itemq; anno Alexandri Pontificatus, & indictione.

XII. Epiſcopi ex Hibernia Scotia & Anglia pergunt Romam ad Conciliū.

De hac præterea convocatione Concilii Robertus hujus temporis auctor hæc habet: Aleſander Papa miſit Octavianum ſubdiacoonum ad Rothomagenſem provinciam, ut convocaret Archiepiſcopum, & Suffraganeos ejus, & Abbates illius provinciæ, & miſit ſimiliter alios ſubdiaconos ad Orientem, & Occidentem, & Meridiem, & Septemtrionem, ut convenirent ad Concilium generale.] His adde, quod vocati ſunt etiam Britanni, atque etiam Hiberni. De quibus hæc Rogerius hujus temporis ſcriptor in Annalibus ſub hoc anno: Poſt Natale Domini venerunt de Hibernia in Angliam, Laurentius Dublinenſis, & Catholicus Tuamenſis Archiepiſcopi, & quinque vel ſex Epiſcopi, Romam ad Concilium ituri. Similiter de regno Scotiæ tranſierunt per Angliam Epiſcopi, & Abbates quamplures. Et illi omnes tàm de Hibernia, quàm de Scotia, & aliis inſulis per Angliam tranſeuntes, pro licentia tranſeundi juraverunt, quòd neque Regi, neque regno ejus damnum quærerent. De Anglis autem quatuor Epiſcopi tantùm Romam profecti ſunt, videlicèt Hugo Dunelmenſis Epiſcopus, & Joannes Norvicenſis Epiſcopus, & Robertus Herefordenſis Epiſcopus, & Reginaldus Bathonienſis Epiſcopus, & Abbates quamplures. Epiſcopi autem Angliæ conſtanter aſſeruerunt, quòd ad generale Concilium Domini Papæ quatuor Epiſcopi de Anglia tantùm Romam mittendi ſunt.] Hæc Rogerius in Annalibus.

At ad hanc ipſam generalem Synodum non ſolùm Orientales Catholici, ſed & ſchiſmatici vocati ſunt Græci: cùm Emmanuel Imperator miſit Romam Georgium Metropolitam Corcyræ, cui & in mandatis dedit, ut etiam conveniret Fridericum Imperatorem. Venit ipſe uſque Brunduſium, ubi occupatus infirmitate, ulteriùs progredi non valuit. Explevit autem munus ejus Nectarius Abbas, de quo ſuo loco dicendum. Proſequamur modò ipſum Georgium in itinere iſta ſcribentē ad eumdem Fridericum Imperatorem:

XIII. A Deo coronato Imperatorum Imperatori, victori perpetuò Auguſto, & domino meo domino Friderico, Georgius Metropolita Coryphorum ſervus, & orator Imperii tui.

Litteræ Metropolitæ Corcyræ ad Frid. Imp.

Maxime metuende Imperator, & ſatis erat hoc quidem tantùm dixiſſe: metuendus etenim grex ille dicitur eſſe, cui leo præeſt, & quem præcedit leonis catulus. At non oportet metuendum te ſolum dicere, ſed multò magis humaniſſimum pariter & tranquilliſſimum; quin potiùs ipſum tranquillitatis pelagus. Quemadmodùm enim omnibus, qui tibi reſiſtunt, & ſe tibi obiiciunt, inſtar leonis, ſolo rugitu metum incutis quamprimùm & mortem (quod quidem leonibus proprium & inſitum eſſe novimus, qui feras omnes rugitus tremore interficiunt) ita è contrà erga illos, qui tuo libenter ſe Imperio ſubiiciunt, & jugum ſervitutis tuæ non reſpuunt, ſuaviorem melle te præbes, te ipſis tractabilem reddens, qualis eſt olei tranquilliſſimi effuſio, & contrectatio. Sed ò diviniſſime Imperator, & perpetue Auguſte, intende, proſperè procede, & regna, accinctus gladio tuo ſuper femur tuum (ut ex cithara (a) Davidis, tuorum morum æmuli; quæ divinis canticis decantandis erat aptata, aliquid ſuave & harmonium reſonans etiam ipſe eadem.) Sed quiſnam ego ſum, & unde venio, & quomodò auſim Imperium tuum à Deo coronatum litteris provocare, & tecum agere: breviter rem exponam. Sum equidem minimus Epiſcopus Coryphorum Eccleſiæ, à cognato & filio Imperii tui domino Emmanuele feliciſſimo Comneno ad te miſſus, ut divinam venerer potentiam tuam, & hoc quidem primum erit & præcipuum. Si vero vires mihi ſuppetierint, ad ſanctiſſimum Orbis Patrem, & Apoſtolis comparandum dominum Papam iter dirigere eſt etiam animus. Quandoquidem cùm ex parva mea Eccleſia ſolvimus, & Brunduſium venimus, magnam ventorum adverſorum vim & contrarietatem paſſi ſumus, ut cùm etiam vix parùm à portu abeſſemus in ſexcentas calamitates & naufragia inciderimus. Vix igitur promontorio Hydrunti adepto, nec ad illud appellere abſq; periculo potuimus. Et tandem noverit potens Imperium tuum, ad regionem Hydruntis decimaquinta Octob die me projectum, adverſa uti valetudine, has tantùm Deo fundere preces, & hoc habere in votis & conſolatione frequenti, ut dignus efficiar aliquando, tuum divinum conſpectum Imperii tui adorare. Si enim advenientis hiemis magna vis fuerit mihi impedimento, quò minùs valeam legationem à domino meo cognato & filio maximi Imperii tui Comneno mihi commiſſam adimplere, Comneno inquam Ducâ domino Emmanuele: ſaltem cùm primùm ver apparuerit, me ipſum impellam & nitar, ut adorem Imperium tuum, ut tuus orator & ſervus.] Hæc ad Imperatorem Fridericum Georgius Metropolita Corcyræ, qui dum illic detineretur infirmus, accepit litteras à Simone Patriarcha Græcorum Antiochiæ de nonnullis, quibus premeretur anguſtiis: ad quem iſta reſcripſit:

a Pſal. 44.

XIV. Ad Patriarchā Antiochen. Grçcorum epiſt.

Sanctiſſimo Patriarchæ Theopoleos, id eſt magnæ Antiochiæ, domino Simeoni Georgius &c.

Ut frigida ſitientibus aqua eſt ſuaviſſima; ita nuntium à longè veniens; præſertim ſi nō de quovis vulgari ſit homine vel ex

ex humili loco, vel qui in carne & ſanguine verſatur, ex quibus omnes conſtamus; ſed de viro quaſi carnis experte, & ſanguinis, & qui cum materiali quidem dualitate ad Angelorum immaterialitatem, quoad fieri poteſt, revertitur. Si verò quærat aliquis prætereà locum à dignitate, à viro ſcilicèt altiore altia ipſis, & patriis ſacerdotibus præpoſito; talem te nobis ii qui te viderunt, & noverunt magnum Simeonem, & maximæ Antiochiæ principem paſtorū effingunt, & delineant, vel potiùs apertè nobis declarant & manifeſtant. Et ſupra alios omnes venerabiliſſimus iſte monachus Chriſtophorus noſtris obviam factus; dum in quadam Italiæ civitate commoraremur, & ad inclytam Urbem Romam proficiſci cogitaremus, non tamen id perficere valeremus, tùm propter infirmam valetudinem, quæ nos multos affligit dies; tùm etiam propter hiemis magnam rigiditatem & temporis frigiditatem, quæ etiam ſanis eſt ſatis moleſta & adverſa. Sed hieme, & valetudine impeditus ego, viſus ſum nihilominùs quodammodò exultare & repueraſcere, auditis jucundis nuntiis de tua ſanctitate; licèt verſa vice corde fuerim afflictus, dum audirem, quantum & qualem malorum turbinem malus contra te concitaverit dæmon, & quòd atra tempeſtas eorum, qui contraria ſentiunt & ſectantur dogmata, tenebras quotidiè conatur offundere tibi jucundiſſimo lumini, & ſoli virtutis, nondum videlicèt in propriæ Eccleſiæ fundamentis firmato. Quæ cùm ego audirem, genas lacrymis plenas habui, & ſuſpiriorum fumum è pectore edidi medio, ejus quam intra ſentiebam flammæ argumenta perſpicaciſſima. Et aliud equidem plus feciſſem, ſi plura licuiſſent; ſed voluntati adeò promptæ nullo pacto potuiſſe opem ferre adverſabatur. Intereà tamen eas preces effundere Deo non deſtiti, quas ex animo potui, ut ipſe, qui moleſta in meliora ſolet convertere, & tempeſtates ad mitem & ſuavem auram commutare, per aquam & ignem in locum refrigerii eos traducens, qui pro ipſo & aquarum inundationem, & ignis ardorem æquo ferunt animo: idem ipſe ſanctitati tuæ diviniſſimæ omnia reddat pacatiora quæ ſunt aſpera & difficilia, te videlicèt Orbis lumen in proprio conſtituens candelabro, ut nihil obſcurum remaneat circa locum, qui tibi ſorte datus eſt, & pro tua magna portione, neque filii tenebrarum uſque in finem ſe obiiciant lumini vultus tui, quod erit proculdubiò in mutuo conſpectu ſubditi populi tui, qui nunc (ut arbitror)
a Pſ. 79. Davidicam illam emittit vocem: (a) Oſtende faciem tuam, & ſalvus ero. Illi quidem populo videlicèt tuo utinam ita luceas, mihi verò orationis & benedictionis ſplendorem aliquem à terminis terræ hos uſque terminos immittas. Obſcuratus enim, & obtenebratus ſum tenebris peccati perpetuo tempore immerſus & occupatus.] Iſta Georgius Metropolita Cor-

A cyræ, dum Hydrunti moraretur ægrotus, ubi detentus eſt uſque ad ſex menſes, quibus præterfluxit tempus indicti Romæ Concilii. Quamobrem abſque ut eò proficiſceretur, revocatur ab Emmanuele Imperatore in ſuam Eccleſiam. Teſtatur id ipſe in epiſtola, quam profecturus ſcripſit ad ſuum hoſpitem Joannem Notarium Imperatoris. Porrò omnes epiſtolas iſtas unà cum aliis ejuſdem auctoris ex Græco codice deſcripſit & tranſtulit (ut dictum eſt) Federicus Metius Epiſcopus Thermularum, & ad nos Romam miſit, quas, ne pereant, hic curavimus deſcribendas: diù
B enim eſt, quòd non contigit in ſcena hac hominem audire Græcum, exulante jam magna ex parte Græcorum Eccleſia à Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ communione. Audi igitur ejuſdem Georgii poſtremas has hoc tempore datas litteras ad Notarium Imperatoris. Sic ſe habent:

Dilectiſſimo filio meo ſpirituali & ſapientiſſimo Imperiali Notario domino Joanni Hydruntino Georgius Corcyræ Metropolita.

XV. De infecta Georgius revocatus hæc ſcribit.

Tu quidem numquam ſatis exactè ſcire poſſes, quem fructum ego fuerim lucratus eo temporis ſpacio, ſex videlicèt menſium,
C quo in tua civitate Hydrunte moratus ſum. Ego verò, qui tibi credidi, hoc ſatis apertè novi, & mœrore afficior, quòd nihil de rebus tuis adhùc noverim, ex quo ad Occidentales deſcendiſti regiones, & magnifice aſtitiſti Imperatori; nec mihi res tuas narraveris, quas in ea, qua functus es legatione, peregeris, & multorum hominum mores, & urbes videris, Orientalium inquam, & Occidentalium. Sed liceat mihi parumper immorari circa tuam hoſpitalitatem jucundioribus verbis. Cùm enim decimaſeptima Novembris die domum tuam deducti eſſemus, in illa benignè
D & honorificè ſuſcepti ſumus, & quievimus, majorem temporis partem morbo laborantes, & domeſticos tuos affecimus moleſtia, præ anguſtia domus, & pro tanto tuo ſilentio, ex quo profectus es, ſemper exterritos, & amaras fundentes lacrymas; ut nos etiam ſimul affligeremur corde, cùm illam ſpectaremus tragœdiam; nec poſſemus aliquo modo progredi propter temporis incommodi vehementiam & rigorem. Cùm verò jam totus eſſem, ut propoſitum mihi iter peragerem Romam verſus, inclytam ſcilicèt Urbem, & nihil
E eſſet, quod noſtram alacritatem & ſociorum, qui mecum erant, impediret: tunc litteræ è mari ad me veniunt à domino meo, qui me miſerat, ut recto tramite reverterer, & ad ſortem meam, Eccleſiam videlicèt declinarem, & facerem, quod mihi ejus potentia innueret: quinimmo noluit nos in priorem navim conſcendere, nec eamdem navigare navigationem cū ea, qua par erat cautela & ſecuritate. Quapropter hoc etiam iniecit mihi dolorem, magno plenū timore, ut ne poſſem quidem cogitare, quid noſtro reditui eſſet ſalutare. Quid igitur putas? & quo modò credis me fuiſſe

anxium

Digitized by Google

anxium animo, in tanto periculo conſtitutum? Interroga, quæſo te, & diſces ab iis, qui hæc norunt, & nobis proculdubiò compatieris: necnon animo fortaſse turbaberis tuo, quod mihi conſuluiſti, ut in Hydrunte manerem, poſt quam manſionem inglorius revertor & inutilis, multis expenſis pecuniis, & nihil fecerim eorum, quę opus erant. Sed horum dolore non angor; adeò, novit Deus veritatis perſcrutator, at meam mordet mentem triſtis quædam commemoratio, quòd exciderim à ſpe videndi Imperatorem à Deo coronatum, & magnipotentem.

XVI. Fama enim ejus ſapientiæ, cujus non eſt numerus, multò magis alas mihi addidit ad eum diligendum amore quodam vehementiori, quàm Regina (a) illa celebris Auſtri, quæ ad Salomonis ſapientiam conſpiciendam contineri minùs potuit, aſpectu deinde ipſo multò magis confirmata quàm fama: ita ego à jucundiſſimis ſpectaculis cùm exciderim, plorans & mœſtus revertor ad propria. Tu verò, ò dilecte, ſi quid habes; quo me reverà conſulari valeas, conſolare, & tuam in hoſpitiis exercitationem nobis manifeſta, in modica charta multa cohibens. Illud tamen dicere non gravabor, quòd tranſiens ego à tua hoſpitali domo, orationibus & benedictionibus illam oneravi, & unam petii à Domino gratiam, ut te cum tuis ab omni malo immunem uſque in finem cuſtodiat, & à jaculis omnibus invidiæ ſervet incolumem, & ſuperiorem.] Porrò viſus eſt idem Georgius revocatus eſse, ut celebri cuidam Synodo, indictæ à Patriarcha Conſtantinopolitano, intereſse poſset, de qua inferiùs ſuo loco dicetur.

a 3. Reg. 10.

Romam verò ex parte Græcorum profectus eſt Nectarius Abbas magni nominis apud eos; defenſor enim fuit obſtinatiſſimus Græcorum errorum: de quo dicturi ſumus anno ſequenti.

XVII. Tolosanorum hæreticorum tentata converſio iterum.

Eodem anno duo Reges pietate inſignes, Francorum ſcilicet atque Anglorum, adversùs Toloſanos hæreticos ſæpè fugatos, & penè extinctos itidem reviviſcentes, ſibi dant dexteram, ut junctis viribus, illùc ſe conferant cum militibus ad eoſdem radicitùs extirpandos. Sed mutato conſilio, conſultiùs viſum, ut per Eccleſiæ miniſtros, verbi prædicatione rem agerent. Sicque per legationem Apoſtolicæ Sedis, & viros doctrina atque ſanctitate inſignes experiri, & ipſorum converſionem curare ſtuduerunt. Quid autem actum fuerit, Rogerius in Annalibus Anglorum ſcriptor accuratiſſimus ita deſcribit:

Interim Arriana hęreſis (ita vulgò dicta, quæ dicenda erat potiùs Manichæa) quæ, ut ſuprà dictum eſt, damnata erat in provincia Toloſana, jam revixerat. Quod cùm ad aures Regis Franciæ, & Regis Angliæ perveniret: zelo Chriſtianæ Fidei accenſi ſtatuerunt, quòd illùc irent in propriis perſonis, ut prædictos hæreticos

A prorsùs à finibus illis eliminarent. Elapſo deinde aliquantulo temporis ſpacio, videbatur eis plus poſse proficere, ſi viros ſapiẽtes illùc miſiſsent, qui hæreticos illos prędicatione & doctrina ad Fidem Chriſtianam converterent, quàm ſi ipſi in propriis perſonis illùc ire properaſsent. Dictum enim eis erat, Vindictam mandaſse ſat eſt: plus nominis horror, Quam tuus enſis aget, minuit præſentia famam.

XVIII. Legatio Petri presbit. Card.

Miſerunt ergò illuc Petrum tituli ſancti Chryſogoni presbyterum Cardinalem Apoſtolicæ Sedis Legatum, & Bituricenſem, & Narbonenſem Archiepiſcopos;

B & Reginaldum Bathonienſem, & Joannem Pictavienſem Epiſcopos, & Henricum Abbatem Claræ vallenſem, & alios multos viros Eccleſiaſticos, ut prædicatione ſua hæreticos illos ad Fidem Chriſtianam converterent, vel rationibus probabilibus illos eſse hæreticos manifeſtarent, & à liminibus ſanctæ Eccleſiæ, & Fidelium conſortio ſequeſtrarent. Qui cùm veniſsent, oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum ſanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat. Prætereà prædicti Reges elegerunt Raymundum Comitem Toloſanum, & Vicecomitem de Turena,

C & Raymundum de Caſtro novo, & alios viros potentes; & præceperunt, quòd ipſi prædicto Cardinali, & ſociis ſuis in Fide Chriſti aſſiſterent, & hæreticos illos à finibus illis virtute potenti expellerent.

XIX. Quæ adversùs hæreticos Legatus egerit.

Cùm igitur prædictus Cardinalis, & cęteri viri Catholici Toloſam eſsent ingreſſi, invenerunt ibi quendam divitẽ duo caſtella habentem, unum infra civitatem, & aliud extra muros civitatis: qui ante illorum adventum ſe hæreticæ pravitatis ſectatorem confitebatur; ſed jam præ timore exterritus, ſectam illam execrabi-

D lem velare cupiens, Chriſtianiſſimum ſe eſſe ſimulabat. Quod cùm Cardinali innotuit, præcepit prædictum divitem ſibi pręſentari. Qui cùm veniſſet, ut fidem ſuam confiteretur, in omnibus articulis inventus eſt Fidei Chriſtianæ contrarius. Et ideò à prędicto Cardinali & Epiſcopis, qui cum eo erant, manifeſtus hæreticus judicatus eſt & condemnatus; & ab illis præcęptum eſt, ut res illius confiſcarentur, & turres ejus, quas proceras & pulcherrimas habuit, demolirentur. Videns ergò ſe damnatum, & res ſuas confiſcari: venit ad Cardinalem & ſocios ſuos Epiſcopos, &

E ad eorum pedes proſtratus veniam poſtulavit, & injuncta ſibi pœnitentia, nudus ducitur, & flagellatur per plateas & vicos civitatis. Deinde juravit ſe Hieroſolymam iturum, & ibidem in Dei ſervitio per triẽnium moram facturum; & ſi poſt triennium domum rediret, poſſeſſiones ſuæ redderentur ei: ita tamen quòd turres ſuæ caderent in teſtimonium hæreticæ pravitatis, & ipſe daret domino ſuo Comiti Toloſano quingentas libras argenti. His ita geſtis, multi hæretici timentes, ne ſimili modo tractarẽtur; venerunt ad Cardina-

lem, & ad ſocios ſuos, & ſecretò confeſſi errorem ſuum, & veniam poſtulantes, miſericordiam conſecuti ſunt.

XX.
Cum aliis hæreticis quid actũ,

Inter hæc pervenit ad aures illorum, quòd quidsm ſalſi fratres, Raymundus videlicèt, & Bernardus Raymundi, & quidsm alii hæreſiarchæ transfigurantes ſe in Angelos lucis, cùm ſint ſstanæ, & Chriſtianæ Fidei contraria prædicantes, multorum animas ſalſa prædicatione ſua decipiebant, & ſecum traxerant ad inferos. Qui cùm invitati ſuiſsent, ut ad præſentiam Cardinalis, ſociorumque ejus venirent, ut fidem ſuam confiterentur: reſponderunt, ſe ad illorum prçſentiam venturos, ſi eundi & redeundi haberent ſecuritatem. Data itaque eis ſecuritate eundi & redeundi, venerunt coram prædicto Cardinali, & Epiſcopis, & Comitibus, & Baronibus, & Clero, & popolo, qui aderant, & in medio protulerunt quandsm chartam, in qua fidei ſuæ articulos conſcripſerant. Quam cùm prolixiùs perlegiſſent; quædam verba videbantur in ea ſuſpecta exiſtere, & niſi pleniùs exponerentur, hæreſim quam prædicaverant, poſſent velare. Cumque unus illorum articulos illos conſcriptos exponere, & Latinè loqui vellet, vix duo verba coniungere potuit, utpotè, qui linguam Latinam penitùs ignoravit. Tunc neceſſe fuit Cardinalem illum & Epiſcopos illis condeſcendere, & propter illorum imperitiam vulgarem habere ſermonem.

Manichæi errores.

Itaque de articulis Fidei Chriſtianæ examinati, reſponderunt ſuper omnibus articulis Fidei ita ſanè & circumſpectè, ac ſi Chriſtianiſſimi eſſent. Quod cùm Comes Toloſæ, & cęteri, qui priùs audierant ipſos Chriſtianæ Fidei contraria prædicaſse, audiſsent, vehementi admiratione commoti, Chriſtianæ Fidei zelo ſuccenſi ſurrexerunt, & eos planè in caput ſuum mentitos fuiſſe, maniſeſtiùs convicerunt; dicentes, ſe audiſſe à quibuſdam illorum, quòd duo dii exiſterent, alter bonus, & alter malus: bonus, qui inviſibilia tantùm, & ea quæ mutari, aut corrumpi non poſſunt, feciſſet; malus, qui cœlum, terram, hominem, & alia viſibilia condidiſſet. Alii autem affirmaverunt, ſe in illorum prædicatione audiſſe, corpus Chriſti non confici per miniſterium ſacerdotis indigni, aut aliquibus criminibus irretiti. Alii autem dicebant, ſe audiſſe ab eis in prædicatione ſua, virum cum uxore non poſſe ſalvari, ſi alter alteri debitum reddat. Alii autem dicebant, ſe ab eis audiſſe, baptiſmum parvulis non prodeſſe: & alias quamplures contra Deum, & ſanctam Eccleſiam, atque Catholicam Fidem blaſphemias protuliſſe, quas pro abominabili earum enormitate tacere utilius eſt quàm referre.

XXI.
Fraudulẽta profeſſio fidei catholicæ.

Hæretici autem illi ad hæc contradicebant, & dicebant, illos falſum dixiſſe, adversùs eos teſtimonium. Dicebant enim publicè coram prædicto Cardinali & Epiſcopis, & univerſis aſtantibus, & confitebantur, & firmiter aſſeruerunt, quòd unus Deus altiſſimus omnia viſibilia & inviſibilia condidiſſet: & penitùs denegabant duo eſſe principia. Confeſſi ſunt etiam, quòd ſacerdos ſive bonus, ſive malus, juſtus, vel iniuſtus, & talis etiam, quem adulterũ, aut alias criminoſum indubitanter eſſe ſcirent, corpus & ſanguinem Chriſti poſſet conficere, & per miniſterium hujuſmodi ſacerdotis, & virtutem divinorum verborum, quæ à Domino prolata ſunt, panis & vinum in corpus & ſanguinem Chriſti verè tranſubſtantiabatur. Aſſeruerunt, quòd parvuli, vel adulti noſtro baptiſmate baptizati ſalvantur, & nullus ſine eodem baptiſmo poteſt ſalvari: omninò inficiantes, ſe aliud baptiſma, aut manus impoſitionem, ſicut eis imponebatur, habere. Affirmaverunt nihilominùs, quòd vir & mulier matrimonio copulati, ſi aliud peccatum non impediat, licèt carnaliter alter alteri debitum reddat, propter bonum matrimonii excuſati ſalvantur, & propter hoc numquam damnantur. Archiepiſcopos præterea, & Epiſcopos, presbyteros, monachos, Canonicos, eremitas, Templarios, & Hoſpitalarios, affirmaverunt eſſe ſalvandos. Dignum quoque & juſtum eſse dicebant, ut Eccleſias in honorem Dei & Sanctorum fundatas cum ſumma devotione viſitantes adirent, & ſacerdotibus, & aliis earum miniſtris honorem & reverentiam exhibentes, primitias & decimas eis deberẽt ſolvere, & de omnibus parochialibus devotè & fideliter reſpondere. Eleemoſynas etiam tàm Eccleſiis, quàm pauperibus, necnon & omni petenti eſse tribuendas, inter cętera laudabiliter aſserebant. Hæc omnia licèt priùs dicerentur negaſſe, juxta ſanum intellectum ſe intelligere aſserentes, prædictus Cardinalis & Epiſcopi præceperunt, quòd ipſi juraſsent, ſe ita corde credere, ſicut ore confitebantur.

XXII.
Jurare hæretici recuſant.

Ipſi verò, ſicut homines tortæ mentis, & intentionis obliquæ, tandem hæreſim noluerunt relinquere, ubi craſſum & ſopitum intellectum eorum alicujus auctoritatis ſuperficies videbatur juvare, occaſione verbi illius, quod Dominus in Evangelio dixiſse legitur: (*a*) Nolite omninò jurare, & ſit ſermo veſter, eſt, eſt, non, non, dicentes ſe non debere jurare, cùm ipſe Dominus ſæpè juraſse legatur, ſicut ſcriptum eſt: (*b*) Juravit Dominus, & non pœnitebit eum. Et alibi: Per memet ipſum juravi, dicit Dominus: & Apoſtolus: (*c*) Omnis controverſię finis eſt juramentum. Cęterùm ipſi tamquàm viri idiotæ, non intelligentes Scripturas, in laqueum, quem abſconderant, ceciderunt: quia cùm priùs juramentum tamquàm rem execrabilem & à Domino prohibitam abhorrerent, in ipſa confeſſionis ſuæ charta juraſse convicti ſunt, cùm dixerint: In veritate, quæ Deus eſt, ita credimus, & dicimus, quòd hęc eſt fides noſtra: neſcientes, quòd veritatem & verbum Dei in teſtimonium verę aſsertionis adducere, proculdubiò ſit jurare: ſicut de Apoſtolo legimus cùm dixerit: (*d*) Hæc enim vobis dicimus in verbo Dei. Et alibi:

a *Matt.* 5.
b *Pſ.* 109.
c *Hebr.* 6.
d 1. *Theſ.* 4.

Digitized by Google

a *Rom.* 1. alibi: (*a*) Teſtis eſt mihi Deus: & alia ſimilia comprobant, quæ ab illis, qui divinas Scripturas intelligunt, & legerunt, poſſunt faciliùs inveniri. Cùm igitur à multis, & ſufficientibus teſtibus fuiſſent convicti, & adhùc multi ſe ad ferendum contra eos teſtimonium præpararent: quia Eccleſia conſuevit redeuntibus miſericordiæ gremium non negare, eos diligentiùs monuerũt, ut omni hæretica pravitate depoſita, ad Fidei veritatem redirent. Et quia à domino Papa, & à prædicto Cardinali, & Bituricenſi, & Narbonenſi Archiepiſcopis, & à Toloſano Epiſcopo propter perverſam prædicationem & ſectam excommunicati fuerant: ut ad Fidem Catholicam juxta formam Eccleſiæ reconciliandi venirent, monuerunt.

XXIII. Excommunicantur hæretici. Quod cùm illi, in arcum pravum converſi, & mente perdita indurati, facere recuſarent: prædictus Cardinalis, & prænominati Epiſcopi in conſpectu totius populi eos iterùm accenſis candelis, unà cum præfato Pictavienſi Epiſcopo, & aliis religioſis viris, qui cum illis in omnibus aſtiterunt, excommunicatos denunciaverunt, & ipſos cum ſuo auctore diabolo condemnaverunt, & univerſis Chriſti fidelibus præceperunt, quatenùs prædictos Raymundum, & Bernardum, & eorum complices tamquàm excommunicatos, & ſatanæ traditos cautiùs evitarent; & ſi quando aliud, quàm in audientia illorum ſunt confeſſi, eis de cętero prædicaverint: prædicationem illorum tamquàm falſam, & Catholicæ atq; Apoſtolicæ Fidei contrariam reſpuerent, & ipſos tamquàm hæreticos, & Antichriſti præambulos à finibus eorum longiùs expellerent. Comes autem Toloſanus, & cęteri illius provinciæ potentiores, coram omni populo præſtito ſacramento, firmaverunt, quòd amodò nec prece, nec pretio faverent hæreticis. Unde prædictus Cardinalis univerſis ſanctæ matris Eccleſiæ filiis in hac forma ſcripſit:

Petrus Dei gratia tituli ſancti Chryſogoni præsbyter Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis Legatus, univerſis ſanctæ matris Eccleſiæ filiis Catholicam atque Apoſtolicam Fidem ſervantibus in Domino ſalutem.

b *Epheſ.* 4. Litterę legati Apoſtol. adverſùs Hæret. toloſates. Teſtante Apoſtolo, (*b*) ſicut unus Deus, ita & una Fides eſſe dignoſcitur, à cujus integritate nullus poteſt ſine periculo deviare. Cujus fundamentum, præter quod nullus aliud poteſt ponere, Apoſtoli, & Apoſtolici viri ſucceſſores eorum, inſpirante & docente Spiritu ſancto, ſanis doctrinis tamquàm vivis ex lapidibus ita firmiter, & circumſpectè jecerunt; quòd nec ſonantis impetus Aquilonis, nec impiorum machinæ, licèt crebris aſſultibus impugnetur, illud poterunt à ſua firmitate movere. Unde quamvis diebus iſtis quidam falſi fratres, Raymundus videlicèt de Baimiaco, Bernardus Raymundi, & quidam alii hæreſiarchæ transfigurantes ſe in Angelos lucis, cùm ſint ſatanæ, priùs Chriſtianæ & Apoſtolicæ Fidei contraria prædicantes, multorum animas venenata prædicatione deceperunt, & ſecum traxerunt ad ruinam: noviſſimè tamen ille, qui revelat myſteria, & ad conſ[t]andos ſeniores Iſrael dedit ſpiritum Danieli, (*c*) ad animas diabolica fraude deceptas reſpiciens, noluit ulteriùs perfidiam illorum velari, nec Chriſtianæ Fidei ſinceritatem illorum prædicatione corrumpi; ſed ſua admirabili poteſtate, audientibus & videntibus multis, quod priùs latuerat, venenum perfidiæ detexit, in augmentum & gloriam Fidei Chriſtianæ. c *Dan.* 13.

XXIV. Rerum geſtarum narratio. Cùm itaque prædicti Raymundus, & Bernardus, atque alii venerabili fratri noſtro Reginaldo Bathonienſi Epiſcopo, & nobilibus viris, Vicecomiti de Turena, & Raymundo de Caſtro novo, qui de conſilio noſtro in terram Rogeri de Beders pro liberatione venerabilis fratris noſtri* Albanenſis Epiſcopi venerant, occurriſſent, & ſe confiterentur à nobili viro Comite Toloſano, & aliis Baronibus, qui eos in perpetuum abjuraverant, injuſtè tractari: cùm pro defenſione fidei ſuæ ad præſentiam noſtram ſe venturos proponerent, ſi veniendi, & redeundi ſecuritatem haberent; memorati Epiſcopus & Vicecomes, ne corda ſimplicium, qui illorum ſęce erant imbuti, ſcandalum paterentur, & diffidentiæ noſtræ adſcriberent, ſi eis audientia negaretur: ex parte noſtra & prædicti Comitis indulſerunt, ut cum omni ſecuritate ſe conſpectui noſtro præſentarent, quatenùs ſub noſtro & venerabilis fratris noſtri Pictavienſis Epiſcopi Apoſtolicę Sedis Legati, & aliorum diſcretorum virorũ, & totius populi examine audirentur, & ſi rectè & ſanè crederent, probarentur: & poſtquàm à nobis examinati fuiſſent, nihilominùs ad propria remearent ſecuri, ne metu vel violentia qualibet viderentur inducti ad confeſſionem veræ Fidei: ita tamen, quòd poſt elapſos octo dies juxta edictum, quod exierat, niſi ad Fidem noſtram redirent, de terris Principum, qui eos abjuraverant, deberent expelli. * *Albienſis*

XXV. Nos itaque indulgentiam eis ab Epiſcopo & Vicecomite factam, quamvis à pręfato Comite Toloſano, & aliis nobilibus viris (ſicut diximus) jam exierat edictum, ut de terris eorum deberent expelli, ratam habentes: eodem Pictavienſi Epiſcopo, & prædicto Comite Toloſano, & aliis clericis & laicis quaſi trecentis in Eccleſia beati Stephani nobiſcum pariter congregatis, illis injunximus, ut fidem ſuam nobis exponerent, & ad Catholicæ Fidei veritatem redeuntes, infamiam, quam & tota terra, & ipſi per damnabilem prædicationem incurrerant, per ſalutiferam confeſſionem veræ Fidei removerent. Ipſi verò inter alia verba, quæ hincindè proceſſerunt, chartam quamdam; in qua fidei ſuę articulos conſcripſerant, in medium protulerunt, & eam, ſicut proliaiùs ſcripta fuerat, perlegerunt. In qua cùm verba quædam deprehendiſſemus quæ & ſuſpecta videbantur exiſtere, & niſi pleniùs expo-

Digitized by Google

nerentur, hæreſim quam prædicaverant, poſſent velare; quæſivimus, ut Latinis verbis reſpondentes, ſuam fidem deſenderent: tùm quia lingua eorum non erat nobis ſatis nota; tùm quia Evangelia & Epiſtolæ, quibus tantummodò fidem ſuam confirmare volebant, Latino eloquio noſcuntur eſſe ſcripta. Cùmque id facere non auderent, utpotè qui linguam Latinam penitùs ignorabant, ſicut in verbis unius illorum apparuit, qui cum Latinè vellet loqui, vix duo verba jungere potuit, & omninò defecit; neceſſe fuit, nos illis condeſcendere, & de Eccleſiaſticis ſacramentis propter imperitiam illorum, quamvis ſatis eſſet abſurdum, vulgarem habere ſermonem.

XXVI. Profeſſio catholica ſubdola.

Illi ergò duo eſſe principia denegantes, publicè coram nobis & prædictis viris cõfeſſi ſunt, & firmiter aſſeruerunt, quòd unus Deus altiſſimus omnia viſibilia & inviſibilia condidiſſet: quòd etiam ſcripturis, ſicut verum eſt, Evangelicis atq; Apoſtolicis comprobabant. Confeſſi ſunt etiam, quòd ſacerdos noſter, bonus, ſive malus; juſtus, vel injuſtus, & talis etiam, quem adulterum, vel alias criminoſum indubitanter eſſe ſcirent, corpus & ſanguinem Chriſti poſſet conficere, & per miniſterium hujuſmodi ſacerdotis, & virtutem divinorum verborum, quæ à Domino prolata ſunt, panis & vinum in corpus & ſanguinem Chriſti verè tranſubſtantiantur. Aſſeruerunt quoque, quòd parvuli, vel adulti noſtro baptiſmate baptizati ſalvantur, & nullus ſine eodem baptiſmo poteſt ſalvari; omninò inficiantes, ſe aliud baptiſma, aut manus impoſitionem, ſicut eis imponebatur, habere. Affirmaverunt nihilominùs, quòd & vir & mulier matrimonio copulati, ſi aliud peccatum non impediat, licèt carnaliter alter alteri debitum reddat, propter bonum matrimonii excuſati ſalvantur, & propter hoc numquam damnantur. Archiepiſcopos prætereà, & Epiſcopos, presbyteros, monachos, Canonicos, & Eremitas, Templarios, & Hoſpitalarios affirmaverunt eſſe ſalvandos. Dignum quoque & juſtum eſſe dicebant, ut Eccleſias in honore Dei atque Sanctorum fundatas cum ſumma devotione viſitantes adirent, & ſacerdotibus, & aliis earum miniſtris honorem & reverentiam exhibentes, primitias & decimas eis deberent ſolvere, & de omnibus parochialibus devotè & fideliter reſpondere. Eleemoſynas etiam tàm Eccleſiis, quàm pauperibus, nec non & omni petenti eſſe tribuendas inter cętera laudabiliter aſſerebãt. Hæc omnia licèt priùs dicerentur negaſſe, juxta noſtrum ſanum intellectum ſe intelligere aſſerebant.

XXVII. Poſtquàm autem ita à nobis examinati fuerunt, & ea quæ diximus, ſpontanea voluntate confeſſi: Eccleſiam beati Jacobi intravimus. Ubi nobiſcum innumera populi multitudo, quæ ſe quaſi ad ſpectandum præparabat, convenit, & confeſſionem fidei eorum, quæ in prædicta chartula conſcripta fuerat, vulgari ſermone audivit. Porrò cùm à nobis & omni populo, qui ibidem convenerat, in omni patientia, & ſine tumultu aliquo ſuiſſent auditi, & ipſi ſponte finem dicendi feciſſent: quia expoſitio ſuæ fidei ſatis laudabilis, & Catholica videbatur; iterùm ab eis, audiente univerſo populo, quæſivimus, ſi corde crederent, quod ore fuerant confeſſi; & ſi aliquando in contrarium, ſicut eis ſæpiùs impoſitum fuerat, prædicaſſent. Illis verò reſpondentibus, ſe ita credere, & nihilominùs negantibus, ſe umquam aliter prædicaſſe: nobilis vir Comes Toloſanus, & multi alii clerici & laici, qui eos audierant aliter prædicantes, vehementi admiratione commoti, & Chriſtianæ Fidei zelo ſuccenſi ſurrexerunt, & eos planè in caput ſuum mentitos fuiſſe manifeſtiùs cõvicerunt. Quidam enim conſtanter propoſuerunt, ſe à quibuſdam illorum audiſſe, quòd duo dii exiſterent, alter bonus, & alter malus: bonus, qui inviſibilia tantùm, & ea quæ mutari aut corrumpi non poſſunt, feciſſet; malus, qui cœlum, terram, hominem, & alia viſibilia condidiſſet. Alii affirmaverunt, ſe in illorum prædicatione audiſſe, corpus Chriſti non confici per miniſterium ſacerdotis indigni, aut aliquibus criminibus irretiti. Multi ſimiliter teſtati ſunt, eos prorsùs negantes audiſſe, virum cum uxore ſalvari, ſi alter alteri debitum reddat. Alii in faciem illis firmiter opponebant, quòd ab ipſis audiſſent, baptiſmum parvulis non prodeſſe, & alias quamplures contra Deum, & ſanctam Eccleſiam, & Catholicam Fidem blaſphemias protuliſſe, quas pro abominabili earum enormitate tacere maluimus, quàm referre. Quidquid autem illi in ſua ſuperiori confeſſione, quæ ſatis videbatur ſufficere ad ſalutem, ſi ita corde crederent ad juſtitiam, & in corde & corde dixerint, ſicut homines tortæ mentis, & intentionis obliquæ: tandem hæreſim noluerunt relinquere, ubi craſſum, & ſopitum intellectum eorum alicujus auctoritatis ſuperficies videbatur juvare, occaſione verbi illius, quod Dominus in Evangelio dixiſſe legitur: (a) Nolite omninò jurare, & ſit ſermo veſter, eſt, eſt, non, non, dicentes ſe non debere jurare, cùm ipſe Dominus ſæpè juraſſe legatur, ſicut ſcriptum eſt: (b) Juravit Dominus &c. Et alibi: Per memet ipſum juravi, dicit Dominus, & Apoſtolus: (c) Omnis controverſiæ finis eſt juramentum. Et multa in hunc modum in divinis Scripturis legentibus ſeſe offerunt, & occurrunt, quibus propter illorum infirmitatem quibus aliquid ſuademus, jurare permittimur. Cæterùm ipſi tamquàm viri idiotæ non intelligentes Scripturas, in laqueum, quem abſconderant, ceciderunt. Quia cùm priùs juramentum tamquàm rem execrabilem, & à Domino prohibitam abhorrerent; in ipſa confeſſionis ſuæ charta juraſſe convicti

Convincuntur teſtibus fraudulenti heret.

a Matt. 5.

b Pſal 109.

c Hebr. 6.

ſunt,

A ſunt, cùm dixerint. In veritate quæ Deus eſt, ita credimus, & dicimus, quòd hæc eſt fides noſtra: neſcientea, quòd veritatem & verbum Dei in teſtimonium veræ aſſertionis adducere, proculdubiò ſit jurare. Sicut de Apoſtolo legimus cùm dixit: (a) Hoc enim vobia dicimus in verbo Dei. Et alibi: (b) Teſtis eſt mihi Deus, & alia ſimilia comprobant, quæ ab illis, qui divinas Scripturas intelligunt & legerunt, poſſunt faciliùs inveniri.

a 1 *Theſ*. 4.
b *Rom*. 1.

XXVIII. Hæretici excommunicati vitandi.

Cùm autem à multis & ſufficientibus teſtibus fuiſſent convicti, & adhùc multi B ſe ad ferendum contra eos teſtimonium præpararent: quia Eccleſia conſuevit redeuntibus miſericordiæ gremium non negare, eos diligentiùs monuimus, ut omni hæretica pravitate depoſita, ad Fidei unitatem redirent, & quia à domino Papa, & venerabilibus fratribus noſtris Bituricenſi & Narbonenſi Archiepiſcopis, & à Toloſano Epiſcopo, & à nobia ipſis propter perverſam prædicationem, & ſectam excommunicati fuerant; ad nos juxta formam Eccleſiæ reconciliandi venirent. Quod cùm illi, in arcum pravum converſi, & mente perdita indurati facere recuſarent; C nos in conſpectu totius populi, qui jugiter acclamabat, & in eos multa immunitate fremebat, eos iterùm accenſis candelis, unà cum prædicto Pictavienſi Epiſcopo, & aliis religioſis viris, qui nobis in omnibus aſtiterunt, excommunicatos annuntiavimus, & ipſos cum ſuo auctore diabolo condemnavimus. Ea propter univerſitatem vaſtram monemus & exhortamur in Domino, atque in remiſſionem peccatorum injungimus, quatenùs prædictos Raymundum, & Bernardum, & complices eorum tamquàm excommunicatos, & ſatanæ traditos cautiùs evitetis, & ſi quando aliud quàm in D audientia noſtra, ſicut præſcripſimus, ſunt confeſſi, vobis de cætero præſumpſerint prædicare: prædicationem eorum tamquàm falſam, & Catholicæ atque Apoſtolicæ Fidei contrariam reſpuatis, & ipſos tamquàm hæreticos & Antichriſti præambulos à ſinceritatis veſtræ conſortio, & veſtris finibus longiùs expellatis.] Hucuſque Apoſtolici Legati litteræ, quibus ab eodem auctore ſubiicitur declamatio Henrici Abbatis Claravallenſis, his verbis ad univerſos Chriſti fideles conſcripta de iiſdem hæreticis:

XXIX. Henrici Abb. Clarav. deploratio infelicitatis hæret.

E Audite cœli, quod plangimus: ſciat terra gemitum cordis noſtri: doleant vices Chriſti Catholici Chriſtiani, & ad detrimenta Fidei fidelis populus ingemiſcat. Quique terrigenæ & filii hominum humanæ ſalutis damna deplorent, & generalis vitæ noſtræ ſubverſio ab omnibus viventibus generaliter lugeatur. Stat contra phalangas Iſrael novus noſtri temporis Philiſtæus, hæreticorum ordo; exercitus perverſorum, qui agminibus Dei viventis irreverenter exprobrat, & Deum

A majeſtatis in prima præſumptione blaſphemat. Quid dubitas ò David? quid trepidas vir fidelis? ſume tibi ſundam & lapidem: percutiatur protinùs in fronte blaſphemus, & caput nequam, quod impudenter erigitur, ſuo tuis manibus mucrone tollatur. Si enim in hoc certamine pars Chriſti vincitur; ſi vel ad modicum, & in puncto mater Eccleſia conculcatur: ſcimus pro certo cauſæ non deeſſe meritum, ſed patronum: ſcimus, quòd non negabitur agoniſtæ noſtro triumphus, ſi amore Fidei militat pugnaturus. Verùm quia juxta Veritatis verbum (c) meſſis B multa eſt, & operarii pauci; ſi introjecerint audacter tuorum, bone JESU, depopulatores agrorum, parati ſicut operarii ſubdoli, acerba magis eradicare, quàm matura demetere, quaſi tuæ meſſionis diem ſuis direptionibus putant prævenire: ubi ſunt ergò agricolæ tui conſtituti ſuper agrum fertilem & jucundum, tuo cruore floridum, & aſperſione pii ſanguinis irrigatum? Surgant & opitulentur nobis, & in neceſſitate nos protegant, ſeque ad cruentas beſtias murum nobis defenſionis opponant. Surgite, inquam, fortiſſime viri Patres, duces gentium, principes popu- C lorum, abigite feras peſſimas, quas vidimus, quas monſtramus; vel ſaltem vulpes parvulas effugate. Sed capere quidem eſt melius: ſed ad hoc quis idoneus? Non habent certos aditus; ſemitas ambulant circulares, & in quodam fraudum ſuarum labyrintho monſtra ſæviſſima reconduntur. Tamquàm damula de manu diffugiunt, & inſtar colubri tortuoſi, quò eos plùs aſtrinxeris, faciliùs elabuntur. Deo autem gratias, quòd etſi capi nequeunt, fugari poſſunt, ut cùm perdiderint, quod demoliebantur in nobis, confundantur & pereant in ſemetipſis. D Hoc autem, quod ſi facilè, per ea, quæ vidimus, & tractavimus, approbavimus: ut jam amodò ſi factum non fuerit, non tàm illorum nequitiam, quàm defectus noſtros, noſtrorumque negligentiam deploremus.

c *Matt*. 9.

Contigit enim nuper ad imperium domini Papæ, & hortatu piiſſimorum Principum Ludovici Francorum, & Henrici Anglorum Regum, dominum Petrum Apoſtolicæ Sedis Legatum, viroſque venerabiles Pictavienſem & Bathonienſem Epiſcopos, noſque in comitatu eorum urbem adire Toloſam, quæ ſicut erat civitas ma- E ximæ multitudinis, ita etiam dicebatur eſſe mater hæreſis, & caput erroris. Pereximus ergò ad illam, ut ſciremus, ſi juxta clamorem, qui aſcendit, eſſet dolor ejus. Et ecce inventa eſt plaga ejus magna nimis, ita ut à planta pedis uſque ad verticem capitis vix eſſet in ea ſanitas. Verè enim tertia pars nobis nuntiata non fuerat de omnibus abominationis ſuis malis, quas civitas illa nobis in incredulitatis ſuæ gremio confovebat. Locum in ea ſibi abominatio deſolationis invenerat, & propheticorum ſimilitudo reptilium in latibulis

XXX. Quæ ſint geſta recolit.

Digitized by Google

A bulis ejus domicilium obtinebat. Ibi hæretici principabantur in populo, dominabantur in Clero, eò quòd ut populus, ſic ſacerdos, & in interitum gregis ipſa configurabatur vita paſtoris. Loquebantur hæretici, & omnes admirabantur: loquebatur Catholicus & dicebant: Quis eſt hic? in ſtuporem & miraculum deducentes, ſi eſſet aliquis inter eos, qui de verbo Fidei auderet aliquid vel muttire. In tantum prævaluerat peſtis in terra, quòd illi ſibi non ſolùm ſacerdotes & pontifices fecerant, ſed etiam Evangeliſtas habebant, qui corrupta & cancellata Evangelica veritate, nova illis Evangelia cuderent, & de corde ſuo nequam recentia dogmata ſeducto populo prædicarent.

XXXI. Inſania Manichæorum Principis.

B Memini, ſi non erat inter eos homo quidam ætate grandævus, rebus locuples, ornatus fratribus & amicis, & magnus omninò inter maximos civitatis, quem ita, peccatis exigentibus, diabolus excæcaverat, ut ſeipſum Joannem Evangeliſtam diceret, & Verbum, quod erat in principio apud Deum, ab alio quodam rerum principio, tamquàm à Deo altero ſegregaret. Hic erat in urbe illa pereuntium caput, & princeps hæreticorum. Qui licèt tamquàm laicus & idiota nil ſaperet; inter eos tamen, velut quidam diabolicæ ſapientiæ fons, perditionis & mortis felleos latices emanabat. C Conveniebant ad eum noctibus noctuæ tenebroſæ; & ille indumento quodam ad inſtar tunicæ dalmaticæ veſtitus, cùm ſederet inter eos, tamquàm Rex circumſtante exercitu erat, & inerat deſipientium prædicator. Totam penitùs urbem diſcipulis ſuis & diſciplina repleverat: quippè cui aliquis de urbe præ fortitudine ſua reſiſtere non audebat. In ipſo quoque introitu noſtro tanta erat hæreticis ubique licentia, ut nos quoque per vicos & plateas recto itinere procedentes ſubſannarent verbo, digito demonſtrarent, nos apoſtatas, nos hypocritas, nos hæreticos conclamantes. D Verùm procedente tempore, & data nobis requie diebus paucis, injunctum eſt uni de nobis verbum exhortationis aſſumere, & de regula veræ Fidei coram infideli multitudine diſputare. Habito autem ſermone orthodoxæ prædicationis ad plebem, conterriti ſunt in Sion peccatores, poſſedit tremor hypocritas; ita ut qui priùs obſtruebant ora loquentium, jam apparere coram loquentibus non auderent. E Audiens illicò, vel videns vulpes transfiguratas in talpas, ut quæ priùs impunè in publico diſcurrebant, jam terrarum latebris, jam ſeſe cellulis immergerent cavernoſis, & plantaria ſacra, quæ jam non audebant in aperto commandere, intra terræ viſcera corroderent & necarent: ne autem pardus ille diſcolor pellis ſuæ varietate ſe proderet, ſermonem ſibi nequam callidis adinventionibus firmaverunt, ut ad noſtræ confirmationis ſimilitudinem ſimulandam tracti ad diſcuſſionis * examen, quidquid nos credimus, ſe credere mentirentur.

* gramen.

XXXII.

Ea illa ergò die dominus Legatus, & nos alii, qui eum feris beſtiis in aperto congredi putabamus: ad perſcrutandos eos, quos timor & confuſio tamquàm ignobiles in ima terræ detruſerat, ſtudium totum convertimus & laborem, ut vel coacti prodirent in publicum, & abiicerent in luce opera tenebrarum. Factum eſt exindè, præcipiente Legato, ut juraret Epiſcopus, & quidam de Clero, & Conſules civitatis, aliique civitatis verè Fideles, quos nondum in aliquo perfidiæ fama reſperſerat, quod quoſcumque vel hactenùs noverant, vel noſſe eos contingeret in futuro, qui eſſent hujus hæreſis vel complices, vel auctores eorum; nobis nomina ſcripto depromerent, nulli penitùs vel amore, vel pretio, vel cujuſpiam neceſſitudinis ratione parcentes. Cumque per ſingulos dies innumera multitudo in catalogum illius conſcriptionis incideret; nominatus eſt inter alios magnus ille Petrus Moranus, quem Joannem Evangeliſtam, ut ſuprà diximus, nominabant. Super quo nos omnes, communicato conſilio, decrevimus ab illo inchoare judicium, ut turba in reliquis perfida contremiſceret, cùm falſi Evangeliſtæ verſutiam veri Evangelii ſimplicitas condemnaſſet.

Petrus Moranus adducitur in judicium.

Miſſis ergò apparitoribus præcepit eum Comes ſancti Ægidii, qui fideliter nobis aderat, accerſiri. Sed ille in multitudine divitiarum ſuarum & parentum numeroſitate confidens, primæ citationis edictum faſtuoſæ dilationis colludio declinavit. Altera ergò die prædictus Comes blanditiis magis quàm terroribus enitens, eumdem Petrum per amicos & notos leniter advocavit, & eum nobis tandem; poſt difficultates plurimas veniendi, mixtis eum terrore blanditiis præſentavit. Tunc unus, qui loquebatur è nobis, taliter eum exorſus eſt commonere. Eja nunc, Petre, tui te concives accuſant, quòd ſanæ Fidei regulis confutatis, in Arrianæ hæreſis deveneris pravitatem; immò per multiplicium errorum devia & ducis ipſe alios, & ab aliis deducaris. Ad hæc ille de profundo ſuſpirans, & tactus dolore cordis intrinſecùs, ſe non eſſe hujuſmodi, eſt prima fronte mentitus, & requiſitus, an hoc juramento probaret? ſimplici aſſertioni ſuæ tamquàm fidelis viri & illuſtris credi oportere contendit.

XXXIII. Exigitur juramentum à Petro Morano.

Cæterum cùm in exigendo juramento univerſi pariter inſtaremus: promiſit ſe continuò juraturum, ne in hoc ipſo deprehenderetur hæreticus, ſi juxta quod conſuetudo illius erroris obtinuit, vitandi juramenti exiſteret obſtinatus. Mox igitur Sanctorum reliquiæ honorabiliter afferuntur, cum tàm ſolemni reverentia & devotione ſuſceptæ, ut & fidelis populus compungeretur ad lacrymas, & hæreticos, qui convenerant, latebræ potiùs, quàm talia ſpectacula delectarent. Ipſum verò Petrum in cantu, quem ad invocandam Spiritus ſancti præſentiam profuſis lacrymis cantabamus, tremor evidens & pallor operuit;

operuit: ita ut ab eo & color vultus aufugeret, & vigor animi deperiret. Quomodò enim adveniente Spiritu ſancto in adverſario ejus ſpiritus remaneret? Cernere erat hominem, quaſi morbo paralytico diſſolutum, nec loquelam retinuiſſe, nec ſenſum; quamviſtantæ facundiæ fuiſſe diceretur ab omnibus, quòd omnes in dicendo ſit ſolitus ſuperare. Quid plura? Jurat infelix, aſtantibus univerſis, quòd de omnibus articulis Fidei, quos requireremus ab eo, ſuæ credulitatis exprimeret veritatem. Res mira, & in tali ſpectaculo pia jucunditate gratiſſima. Apertus eſt liber, in quo juraverat, & uno de circumſtantibus religioſo quodam joco occurrentis litteræ prænoſticum perquirente illius ſcripturæ, textus occurrit:

a Matt. 8. (a) Quid tibi & nobis JESU Fili Dei? Veniſti ante tempus torquere nos? Verè Domine JESU nihil tibi & illis, quos Pater tuus cœleſtis à te vite vera tamquàm infructuoſos palmites amputarat, & foras miſerat, ut areſcant. At nobis in tuo nomine congregatis lætitiæ multiplicatur augmentum, & in gratiarum actione & voce laudis virtutis tuæ gloria reſonabat.

XXXIV. Petrus Moranus arguitur ſacramentarius.

Demùm Petrus in virtute ſacramenti ſimpliciter requiſitus, ut de ſacramento altaris ſuam nobis fidem ſine fraude aliqua fateretur: ſed quod corde non credidit ad juſtitiam, nec ore confeſſus eſt ad ſalutem, ſed contrà id quod de omnibus mentiri decreverat, falſitatis ſuæ prodidit veritatem; & panem ſanctum vitæ æternæ, ſacerdotis miniſterio in verbo Domini conſecratum, non eſſe corpus Domini novo dogmate contendebat aſſerere. Tunc ſurrexerunt omnes, cum quodammodò lacrymis obruentes, quas & ſacramentorum Chriſti contemptus elicuit, & habita erga miſerum compaſſio Chriſtiana produxit. Nec plura. Dant Comiti reſponſo; Reus & hæreticus judicatus eſt; ſtatimque ſub diligenti pollicitatione parentum cuſtodiæ publicæ mancipatur. Volat facti rumor per vicos & plateas ampliſſimæ civitatis. Aperiuntur ora Fidelium, & Catholicæ plebis labia in tua, Chriſte, præconia reſolvuntur: velut tunc primùm in eadem urbe Fidei ſplendor erumperet, & in ſpem ſalutis æternæ deſperata dudum civitas reſpiraret. Ex tunc ergò & deinceps verbum Dei creſcebat, & multiplicabatur in dies: itaut univerſa urbis facies lætior videretur, per quæ in candorem lucidæ veritatis de tenebris evadebat erroris.

XXXV. Petri Morani converſio.

Intereà Petrus ad ſe reverſus, & Domino reſpiciente, compunctus, cùm ſe dignum penitùs tàm præſenti morte cerneret, quàm futura; miſſis mediatoribus multis ſatisfactionis quærit aditum, & converſionis pollicetur effectum, ut poſſet in frugem melioris vitæ ab imminentis mortis interitu liberari. Venit, recipitur, & in conſpectu ſiſtitur populi * contriſtantis, nudo quidem corpore veteris perfidiæ exuens pravitatem. Ibi ſe coram omnibus hæreticum recognovit; ibi dedit manus Fidei; ibi renuntiavit errori, præſtito coram omnibus manu dextera juramento, & datis fidejuſſoribus tàm Comiti ipſi, quàm militibus, & præcipuis concivibus ſuis, quòd ad omne mandatum domini Legati ſe ſubderet, & juſſionem ejus in omnibus adimpleret. Tunc indictum eſt populo, ut omnes pariter ad Eccleſiam ſancti Saturnini die altera convenirent, audituri & viſuri ſolemniter, quam pœnitentiæ formam Petrus ille ſuſciperet obſervandam.

* circumſtantis.

Publica pœnitentia Petri hær.

Omnes igitur, ſequenti die, ut fuerant prænominati, convenerunt, tanta utique multitudo, tàm frequens, ut vix remaneret ſecus ipſa altaris cornua locus vacuus, qui domino Legato Miſſæ ſolemnia celebranti ſine compreſſione nimia præberetur. Et ecce coram illa multitudine multa nimis Petrus ille jam noſter per ipſas Eccleſiæ valuas nudus & diſcalceatus adducitur, cædentibus hincindè eum Epiſcopo Toloſano, & Abbate ſancti Saturnini, donec ad pedes Legati in ipſis altaris gradibus poneretur. Et ibi in facie Eccleſiæ Eccleſiaſticis reconciliatus eſt ſacramentis, abjurata omni hæreſi, & hæreticis anathematizatis ab eo. Mox autem poſſeſſionibus ejus publicatis univerſaliter & proſcriptis, pœnitentia illi talis injungitur: ut infrà quadraginta dies à patria ſua exulaturus abſcederet, in ſervitio pauperum. Hieroſolymis triennio moraturus. Interim verò ſingulis diebus Dominicis Eccleſias Toloſanæ urbis nudus & diſcalceatus cum diſciplinalibus virgis juſſus eſt circuire, Eccleſiarum bona, quæ abſtulerat, reddere, uſuras omnes, quas acceperat, reſtituere, damna pauperum, quos afflixerat, reſarcire, & caſtrum quoddam ſuum, quod hæreticorum conventiculis profanarat, ab ipſis fundamentis evertere. Deus bone! quot ibi lacrymas lætitia ſancta profudit? quas gratiarum actiones & laudes populus jubilans & devotus cœleſtibus choris ingeſſit, cùm de cavernis perfidiæ talpa talis educitur, & in Iſraelitica ovem lupus rapaciſſimus reformatur?

XXXVI. Quid actũ cũ Albienſibus obſtinatiſſimis hæreticis.

Poſt hæc illo dimiſſo dominus Legatus ad alios manus miſit, excommunicaturus utique illos, quos in magno numero vel ſuſpicio publica, vel accuſatio privata notaverat. Nos autem vix tandem cum lacrymis exorta lætitia revertendi, pro eo quòd inſtantia Capituli noſtros jam reditus exigebat: petita licentia, ſub ea nobis eſt exceptione conceſſa, ut Albienſem diœceſim intraremus, commonituri Principem terræ, Rogerum videlicèt de Beders, ut & Albienſem Epiſcopum, quem ſub cuſtodia hæreticorum in vinculis tenebat, abſolveret, & univerſam terram ſuam juxtà præceptum domini Legati, eliminatis hæreticis, emendaret. Ingredientibus ergò nobis unà cum ſupradicto Bathonienſi Epiſcopo illam perditiſſimam regionem,

Digitized by Google

gionem, quæ velut totius ſentins malitiæ totam in ſe colluvionem hæreſis illùc defluentis excepit: prædictus Rugerius in ultimos & inacceſſibiles terræ ſuæ fines abſceſſit, tàm mala conſcientia profugus, quàm cauſæ ſuæ merito deſperatus. Oderat enim lucem veritatis auctor malitiæ, nec ſuſtinete poterat noſtræ collocutionis acceſſum, qui totus receſſerat in opera tenebrarum. Pervenimus tamen ad quoddam munitiſſimum caſtrum ejus, quod propriè se ſingulariter Caſtri nomine incolæ nuncupabant. Ibi habitabat uxot illius cum militia magna, & ſamilia multa nimis. Omnes ferè habitatores ejuſdem caſtri, vel hæretici, vel hæreticorum complices erant, licèt ſola Domini virtute repreſſi, nihil contra Fidem, quam prædicabamus, præſumerent vel mutire. Quamvis enim eſſemus in manus eorum poſiti, & velut in eorum quaſdam potentiæ ſuæ compedes hætetica undique multitudine circumventi: verbum tamen Domini non erat alligatum, quin eos continuis invectionibus, & increpationibus feriremus.

XXXVII. In Rogeriũ hæret. ſententia.

Cùmque videremus, quòd nihil omninò præſumerent reſpondere: judicavimus prædictum Rogerum proditorem, hæreticum, & de violata Epiſcopi ſecuritate perjurium, eum tamquàm publica excommunicatione damnatum ex parte domini Papæ, & prædictorum Regum, in præſentia conjugis, militumque ſuorum in nomine Chriſti confidenter diffidantes. Ecce amodò ſatis apparet, quàm grande & evidens oſtium patet Principibus Chriſtianis, ut Chriſti ulciſcantur injurias, ponantque deſertum quaſi hortum Domini, & ſolitudinem ejus in delicias Paradiſi. Ne autem vel parum, vel nihil fieri contra illos poſſe cauſentur: ſciant omnes, generalem fuiſſe in urbe Toloſana ſententiam, quòd ſi iſta viſitatio fuiſſet adhùc triennio retardata, vix inveniretur in ea, qui nomen Chriſti ampliùs invocaret. Super hæc autem omnia prædictus Comes S. Ægidii coram populo civitatis præſtito juramento firmavit, quòd amodò nec prece, ne precio ſavebit hæreticis.] Hucuſque Henrici Abbatis litteræ, patentes ipſæ quidem, toto Catholico Orbe vulgatæ. At in Toloſanos & Albienſes hæreticos fuit diutiùs laborandum a de quibus inferiùs ſuis locis ſæpè dicendum erit. Henricus autem ipſe anno ſequenti ab Alexandro Papa auctus eſt ampliſſima Cardinalatus dignitate in ipſo Romano Concilio trecentorum Epiſcoporum, quod ſuo loco dicetur.

I. ANnus ſequitur Redemptoris milleſimus centeſimus ſeptuageſimusnonus, Indictione duodecima, quo Romæ in baſilica Lateranenſi die quinta menſis Martii, cœpta eſt agitari Synodus generalis, cui interfuerunt Epiſcopi trecenti numero. Ita qui interfuit, & ſcripſit, Actaque ipſa redegit in volumen unum (a) Vvillelmus Archiepiſcopus Tyri. Quod quidem ipſe teſtatur his ipſis verbis: Per idem tempus (nempè anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimonono, ut ex ſignato ſuperiùs numero patet) Romæ celebrata eſt Synodus in baſilica Conſtantiniana, quæ dicitur Lateranum, trecentorum Epiſcoporum, Pontificatus domini Alexandri vigeſimo *anno ſcilicèt*, menſe Martio, Indictionis duodecimæ, quinta die menſis. Cujus ſi quis ſtatuta, & Epiſcoporum nomina, numerum, & titulos ſcire deſiderat; relegat ſcriptum, quod nos ad preces ſanctorum Patrum, qui eidem Synodo interfuerunt, confecimus diligenter, quod in Archivio ſanctæ Tyrenſis Eccleſiæ, inter cæteros quos eidem contulimus Eccleſiæ libros, cui jam ſex annos præfuimus, juſſimus collocari.] Hæc de his ipſe. Quibus erroris redarguas titulum præfixum Synodo Romanæ ſub Alexandro, ubi aſſeritur celebrata anno ſequenti, cui & interfuerint tantùm ducenti & octoginta Epiſcopi.

a *Vvillel. de bello ſacro lib. 21. c. 26. in fin.*

Conciliũ generale Lateran. ſub Alex. Papa.

II. Inſuper ſentiet Lector, & mendaciſſimum eſſe titulum inditum Concilii Romani nomine collectioni canonum incerti auctoris, qui primò poſuit ejuſdem Alexandri Papæ decreta, ſancita in eodem Lateranenſi Concilio, numero vigintiſeptem: reliquæ enim ejuſdem voluminis ſectiones quæ ſequuntur (continet enim eas numero quinquaginta) ex diverſorum Pontificum decretis collectæ noſcuntur, & etiam nonnullorum, qui poſt Alexandrum Papam vixerunt. Sed & Rogerius hujus temporis ſcriptor, dum de hoc agit Romano Concilio, affirmat, hoc anno, tertio Nonas Martii cœptum eſſe, tribuſque diſtinctis diebus abſolutum, atque in eo vigintiſex decreta ſancita, quæ recitat.

Decreta in Concil. Lateran.

Ex quibus planè intelligitur, ſumma diligentia eumdem Pontificem Alexandrũ invigilaſſe, ut deperderet de civitate Domini omnes operantes iniquitatem, ſimulque omnes, quæ in diſciplinam Eccleſiaſticam irrepſiſſent, corruptelas, inſurrexiſſent pravæ conſuetudines, irrupiſſent ex tyrannorum violentia ſervitutes; & oppreſſiones Eccleſiaſticæ libertatis è medio tolleret, obortaſque recèns hæreſes, ſive veteres malè curatas, latiùs propagatas excideret, cohiberet faſtum & avaritiam Eccleſiaſticorum in ſibi ſubditos dominantium, & alia id genus, quæ dictis vigintiſeptem capitibus continentur.

In quibus primum obtinet locum, quod ad avertenda, quæ in poſterum poſſent

otiri

a *Extr. de elect. c. licet de vitanda.*

oriel ſchiſmata, ſtatutum (a) eſt, non haberetur Romanus Pontifex, qui non à tertia parte Cardinalium eſſet electus. Secundo verò loco damnavit ordinationes omnes, à ſchiſmaticis Pontificibus, Octaviano, Guidone, & Joanne habitas. Poſt alia verò ſancita decreta (ut jungamus ultima primis) ad hiſtoricam pertinent rationem, quæ decreto XXI. recenſita leguntur ſtatuta adversùs hæreticos, tunc in Eccleſiam debacchantes, quæ ſic ſe habent:

III. De hujus temporis hæreticis.

Sicut ait beatus Leo, licèt Eccleſiaſtica diſciplina, ſacerdotali contenta judicio cruentas non efficiat ultiones: Catholicorum tamen Principum conſtitutionibus adjuvatur, ut ſæpè quærant homines ſalutare remedium, dum corporale ſuper ſe metuunt evenire ſupplicium. Ea propter, quia in Guaſcona * Allegatio, & partibus Toloſanis hæreticorũ, quos alii Catharos, alii * Patrinos, alii Publicanos, alii aliis nominibus vocant, invaluit damnata perverſitas, ut jam non in occulto ſicut aliqui, nequitiam ſuam exerceant, ſed ſuum errorem publicè manifeſtent, & ad ſuum conſenſum ſimplices attrahant & infirmos: eos, & defenſores eorum, & receptatores anathemati decernimus ſubjacere; & ſub anathemate prohibemus, ne quis eos in domibus, vel in terra ſua tenere, vel fovere, vel negotiationem cum eis exercere præſumat. Si autem in hoc peccato deceſſerint, non ſub noſtrorum privilegiorum cuilibet indultorum obtentu, nec ſub alia cauſa & occaſione, aut oblatio fiat pro eis, aut inter Chriſtianos recipiant ſepulturam.] Subiicit his de graſſatoribus, qui inſtar Circumcellionum, quorum frequens eſt mentio apud S. Auguſtinũ, debacchabantur in alios Chriſtianos, diverſis nominibus ex diverſis locis puto denominatis: contra quos pugnandum admonet, iſta ſubiiciens:

* Albigeſio

* Patarinos

IV. De hæreticis graſſatoribus.

* Arragonenſibus, Rog. legit.

De Brebantionibus, & * Arrogenum Navarriis, Baſculis, Coterellis, & Triaverdinis, qui tantam in Chriſtianos inhumanitatem exercent, ut nec Eccleſiis, nec monaſteriis deferant, non viduis & puellis, non ſenibus & pueris, nec cuilibet parcant ætati, aut ſexui, ſed more Paganorum omnia perdant & vaſtent, ſimiliter conſtituimus, ut qui eos conduxerint, vel tenuerint, vel foverint per regiones, in quibus taliter debacchantur: in Dominicis & aliis ſolemnibus diebus per Eccleſias publicè denuntientur, & eadem omninò ſententia & pœna cum prædictis hæreticis habeantur aſtricti, nec ad communionem recipiantur Eccleſiæ, niſi ſocietate illa peſtifera, & hæreſi abjuratis. Relaxatos autem ſe noverint à debito fidelitatis & hominii, ac totius obſequii, donec in tanta iniquitate permanſerint, quicumque illis aliquo peccato tenentur annexi.

Indulgentia perſecutoribus hæret. datur.

Ipſis autem, cunctiſque Fidelibus in remiſſionem peccatorum injungimus, ut tantis cladibus ſe viriliter opponant, & contra eos armis populum Chriſtianum tueantur: confiſcenturque eorum bona,

A & liberum ſit Principibus hujuſmodi homines ſubiicere ſervituti. Qui autem in vera pœnitentia ibi deceſſerint; & peccatorum indulgentiam, & fructum mercedis æternæ ſe non dubitent percepturos. Nos etiam de miſericordia Dei, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli auctoritate confiſi, fideles Chriſtianos, qui contra eos arma ſuſceperint, & ad Epiſcoporum, ſeu aliorum Prælatorum conſilium ad eos * decertando, expugnandos: biennium de pœnitentia injuncta relaxamus. Aut ſi longiorem ibi moram habuerint, Epiſcoporum diſcretioni, quibus hujus rei cauſa fuerit B injuncta, committimus, ut ad eorum arbitrium, ſecundùm modum laboris, major eis indulgentia tribuatur. Illos autem, qui admonitioni Epiſcoporum in hujuſmodi parte parere contempſerint, à perceptione corporis & ſanguinis Domini jubemus fieri alienos. Interim verò eos, qui ardore ad eos expugnandos laborem juſtum aſſumpſerint, ſicut eos, qui Sepulchrum Dominicum viſitant, ſub Eccleſiæ defenſione recipimus, & ab univerſis inquietationibus, tàm in rebus, quàm in perſonis ſtatuimus manere ſecuros. Si verò quiſpiam veſtrum præſumpſerit eos moleſtare, C per Epiſcopum loci excommunicationis ſententia feriatur; & tamdiù ſententia ſervetur ab omnibus, donec ablata reddantur, & de illatis damnis congruè iterum ſatisfaciat. Epiſcopi verò, ſive presbyteri, qui talibus fortiter non reſtiterint, officii ſui privatione mulctentur, donec miſericordiam Apoſtolicæ Sedis obtineant.] Hactenùs Alexandri Papæ decretum.

* decertaverint Roger. legit.

V. In graſſatores hæreticos concitantur templarii etiã.

Porrò ejuſmodi factioſorum turbæ haud ſub Alexandro cœptæ, ſed longè antè. Eſt namque de ejuſmodi hominum graſſatorum genere, turbantium pacem publicam, mentio in epiſtolis Petri Cluniacen- D ſis ad Eberardum magiſtrum Templariorum, ubi rogat eum, ut ſinat ejuſmodi genus hominum per Templarios exagitari; eùm & inter alia ad tertiam objectionem iſta reſpondet: (b) Sed fortè dicitis: Contra Paganos, non contra Chriſtianos arma ſumpſimus. Sed quis magis à vobis vel à veſtris impugnandus eſt, Deum neſciens Paganus; aut ipſum verbis confitens, & factis contra eum dimicans Chriſtianus? Quis magis perſequendus eſt, ignorans, & blaſphemans; an agnoſcens & impugnans? An non Deum impugnant, an non perſequuntur, qui Eccleſiam ejus, qui populum E emptum ſanguine ejus abſque ulla, ubi poſſunt, vel audent, perſonarum, graduum, dignitatũ exceptione deprædantur, cædunt, verberant, quandoque etiam (quod ſæpè contingit) perimunt? Non eſt, non eſt verè minùs defendendus conſiliis, immò gladiis veſtris Chriſtianus vim injuſtè patiens à Chriſtiano, quàm eſſet defendendus eamdem vim patiens à Pagano, &c.] De iiſdem etiam agit, ſcribens ad Eugenium (c) Papam, cujus extat adversùs eos conſtitutio. (d) Sed ad res geſtas in Synodo redeamus.

b *Pet. Clun. l. 6. ep. 27.*

c *Id. ibid. ep. 28.*

d *Sub tit. Conc. Lateranenſ. ſub Alex. par. 34. c. 1.*

In hoc

Digitized by Google

VI. Germaniæ Epiſcop. abjurant ſchiſma.

a *Albert. Staden. in Chron. & apud Crant. Eccleſiaſt. hiſtor. Sax. l. 7. c. 3.*

In hoc eodem Concilio Lateranenſi Epiſcopi illi Germaniæ, & alii, qui contra Alexandrum ſecuti fuerant Imperatorem ſchiſmaticum, ſchiſma abdicantes, veniam ſupplices poſtularunt, hac forma præſcripta. (*a*) Ego N. anathematizo, & recuſo omnem hæreſim extollentem ſe adversùs ſanctam Romanam Eccleſiam Catholicam, præcipuè verò ſchiſma Octaviani, Guidonis, & Joannis, & ordinationes eorum irritas judico, & eis contradico; & modò & in anteà me obediturum juro; & promitto fidelitatem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & domino meo Alexandro, & ſucceſſoribus ejus juſtè intrantibus; ipſique ſerviam abſque omni malo ingenio contra omnem hominem ſecundùm ordinem meũ. Conſilia ejus, quæ mihi ſcripto certo mandaverit, vel ipſe commiſerit, nulli hominum prodam, nec etiam pro periculo corporis, atque membrorum. Legatum Eccleſiæ Romanæ honorabo, & ducam, & reducam, & juvabo expenſis; ſic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Evangelia. His verò verbis dabantur pallia ipſis: in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, & in honorem Dei Genitricis, & in honorem Apoſtolorum Petri & Pauli, & ſanctæ Eccleſiæ Romanæ, & domini Alexandri Papæ tradimus tibi pallium, ſumptum de beatiſſimo corpore Petri Apoſtoli, ut eo utaris in confectione ſacramentorum, & corporis & ſanguinis Domini, & conſecratione Eccleſiarum, & Chriſmatis, & ordinatione clericorum, & celebratione Synodorum ſecundùm Eccleſiæ tuæ conſuetudinem.] Quæ præterea in eodem Concilio tranſacta ſunt cum Germanis, Helmoldus ſic narrat hujus temporis auctor: (*b*)

b *Helmol. Chron. l. 2. c. 28.*

VII. Pergebant illùc multi ordinati à ſchiſmaticis, ſperantes ſe gratiam Apoſtolici invenire, & mitras exequendi officii ab eo conſequi. Præcipuè autem de Eccleſia Halberſtadenſi, quæ per Geronem nimis demembrata erat, tàm monachi, quàm clerici clementiam Apoſtolicæ Sedis adierunt. In qua profectione præcipuè erat Abbas Theodoricus de * Hilſeneburg, quia ferè omnis congregatio monachorum ſuorum in ſalicibus organa ſua ſuſpenderant, exceptis paucis ſenioribus, qui ante ſchiſma ordinati fuerant. Cùmque omni inſtantia inſtarent, pulſantes Apoſtolicam pietatem: tamdem de ordinatis Geronis diſpenſatum eſt, ut quia idem Gero non à ſchiſmatico, ſed à Catholico, Hartuvico videlicet Bremenſi Archiepiſcopo ordinatus fuerat: ordinati ejus per gratiam Apoſtolicam in ordinibus ſuis perſiſterent, & ad majores per benedictionem aſcenderent. Ipſe etiam Gero hanc obtinuit gratiam, ut officium pontificale in omni loco liberè exequeretur, ut in Epiſcopatu Halberſtadenſi. Venit etiam illùc dominus Bertoldus Bremenſis electus, in promotione officii ſui ſuſcepturus Apoſtolicam benedictionem. Quem dominus Papa benignè ſuſcipiens, de promotione ipſius inſtantiſſi-

* Iſemburg

Qui pœnitentes recepti.

A mè tractare cœpit. Ipſi etiam omnem honorem deferebat, ità ut in Concilio Prælatorum cathedram ſuam inter ſummos pontifices collocaret, & eum infulatum coram ſe reſidere faceret. Cùmque in proximo ſabbatho promovendus eſſet in ſacerdotem; & ſequenti Dominica in Epiſcopum: feria ſexta ad veſperam venit Nuntius Ducis Heinrici, Otto Præpoſitus, qui erat acerrimus perorator: & quia idem notus erat ſummo ſacerdoti, ſtatim intravit ad ipſum. Manè autem facto, cùm ſe Bremenſis electus ad ſuſcipiendos ordines

B præpararet, & ei Humbaldus Cardinalis, qui poſt Alexandrum factus eſt Lucius, in quo ſumma conſilii Romanæ Eccleſiæ pendebat, præparaturam ſuam, eo quod inhoneſtior non eſſet, deputaſſet; dictum eſt à Cubiculariis domini Papæ: Veniant Bremenſes. Venit igitur dominus Electus cum ſuis, & dominus Apoſtolicus egreſſus de cubiculo ſuo, dixit ad eum: Frater, quia infra ſacros ordines ad honorem pontificatus electus es: caſſamus electionem tuam. Cùmque quidam aſtantium dicerent: Domine, meminerit pietas veſtra, quòd electionem ipſius approbaverit;

C Apoſtolicus in cubiculum, undè egreſſus fuerat, reverſus eſt: Bertoldus autem non ſine rubore diſceſſit.] Sed petamus Acta ipſa narrata diffuſiùs apud Albertum Abbatem Stadenſem, ſed malè anno ſequenti, à quo & ſumpſere alii recentiores, his verbis: (*c*)

c *Crant. l. 7. c. 2.*

VIII. Bremenſis Eccleſia tùm quoque innovabat pontificem. Nam anno Chriſti ſeptuageſimo octavo poſt milleſimum centeſimum Balduinus exceſſit humanis rebus, cùm ipſa die eſſet ſuæ depoſitionis litteras à Romano Pontifice accepturus. Et quidam Bertoldus vir inſignis litteraturæ eligitur, ut præveniatur Henrici Ducis

D molitio. Solus Otto Præpoſitus ab hac electione appellabat, prætendens Sifridum Marchionis Alberti filium Epiſcopum jam dudùm Brandeburgenſem in eam ſedem ſuſtolli. Quod etiam poſt multa provenit. Aſcenderat Bertoldus electus ad Conciliũ Lateranenſe, quod Romæ audierat congregari, petivitque conſecrationem, certiſſimus ſpei, quòd omnia ex voto conſequeretur. Sed pridiè ſederat in Concilio inter Epiſcopos infulatus, cùm tamen non eſſet presbyter, unde magnam contraxit invidiam. Aderat illi quidam magiſter Ge-

E rardus, qui pro illo allegabat in Concilio his verbis: Domine Pater, ecce Bremenſis Eccleſia concordi & unanimi voto offert tibi ſponſum ſuum magiſtrum Bertoldum, virum utique dignum & moribus approbatum, ſcientia decoratum, liberalibus artibus inſtructum, utriuſque Teſtamenti pagina eruditum, decretorum & legum induſtria peritum, virum (ut apparet) perſonatum canonicè, & ſine contradictione electum. Petitque à te hodiè accipere gradum ſacerdotii, & cras Epiſcopalem benedictionem.

IX. Papa breviter ad hæc: Credimus tibi

dicen-

a *Matt.* 5.

dicenti, magiſter, ſed ſcriptum eſt (*a*) Manum nemini citò impoſueris. Loquamur cum fratribus noſtris, audiamus formam electionis. Examinantur Bremenſes per duos Cardinales, Rainerium Papienſem, & Joannem Neapolitanum, & inventi ſunt diſcordare. Papa in Conſiſtorio ſuo ſententiam dixit: Fratres, vidimus Electum veſtrum. Placet perſona, placet ſcientia, placet eloquentia: placent etiam (quantum novimus) mores. Verùm modus electionis diſplicet, præſertim quia eſt infrà ſacros ordines, non dico ſubdiaconatum, ſed acolythatum electus, quo gradu ſecundùm rigorem juris licet contrahere matrimoniũ, quod canonicis obviat inſtitutis. Appellationem quoque ſuper hoc factam audivimus, quam coactus eſt reſignare appellator. Inſuper ſe denuò fecit eligi, & ſecunda electio caſſavit primam. Præterea Electus veſter ante ſacros ordines accepit regalia de manu Imperatoris. Hæc non admittunt diſpenſationem de facili, & alia quæ præterimus. Inde eſt, quòd electionem veſtram infirmam & irritam pronuntiamus. Data ſententia, volenti loqui depoſito non eſt data audientia. Sed oſtiarii clamabant: Levate, andate: Andate, andate.] Hactenùs Acta Concilii in cauſa Bremenſis electi.

Nectarius Græcus refractarius auditus in Conc.

Spectant ad ejuſdem Romani Concilii Acta, quòd Græcorum ſchiſmaticorum Legatus Nectarius Abbas, eadem qua venit animi obdurata nequitia atque perverſitate, inflexus & obſtinatus, poſt prolixas diſputationes eſt reverſus ad ſuos, à quibus tamquàm in Olympiacis victor eſt receptus. Significant iſta litteræ, quas ad ipſum tunc temporis dedit Georgius Corcyræ Epiſcopus, & ipſe eadem fuligine tinctus, & morbo affectus, his verbis:

X.

Sapientiſſimo Præpoſito ſancti monaſterii Caſulorum & meo dilecto fratri in ſpiritu domino Nectario Georgius Corcyræ Metropolita, & tuarum precum egens.

Georgii Epiſcopi Corc. Epiſtola de rebus geſtis per Nectarium Romæ.

Quærunt multi, cur tu, optime Nectari, & ego tanto tempore taceamus, qui priores illas frequentes noſtras mutuas litteras noverunt, ac illas tribuunt amori illi, qui ex mutua aliqua neceſſitate oriri ſolet. Et hac de cauſa intermiſſas litteras autumant, quaſi amicitiæ noſtræ vincula ſint diſrupta. Ego verò iis, qui à me hæc ſciſcitantur, illud reſpondere ſoleo: An non habemus facultatem uterque noſtrum tacendi, & loquendi? Vel utrum ad ſcientiæ oſtentationem id facere oportet, inſtar garrularum avium? Aut quemadmodùm in Dodone quondam æs illud perpetuo tempore tinniebat: ita & nobis etiam faciendum? Vel utrum ſolus ego & Nectarius debemus loquendi ſtudio navare operam? cùm præſertim Sapientem nobis præcipientem audiamus, quòd ſapientium labia obſtringuntur ſilentio, & ſuo tempore clauduntur opportunè, & aperiuntur. Et quòd vir prudens ſilentium voveat, & linguæ frænum imponit, ne hùc illuc deferatur. Sunt enim hæc tempora vallè periculoſa, & præcipitiorum plena. Hæc equidem reſpondere ſo-

A leo illis, qui ſilentii noſtri impatientes, cauſas ſcire contendunt.

XI.

Ipſi verò non abſtinent propterea, quin potiùs inſtantiùs nos urgeant, hujuſmodi verbis: Dic nobis, domine, utrum ferendum & tolerabile tibi videtur, ſapientiſſimi Nectarii ſilentium ulteriùs progredi? Utrum tibi videtur honeſtum, ut nos nihil audiamus de illius profectione ad Urbem magnæ gloriæ Romam? vel de ejus impetuoſo quodam motu à Deo concitato? dum fama per noſtras diſcurrit aures, quòd ipſe Nectarius ita ingenuè & intrepidè ſe geſſerit ibi cum adverſariis, ut B omninò non quaſi judicandus, ſed judicaturus potiùs & damnaturus acceſſerit privos hæreticorum errores. Gladius enim factus eſt, veritatem ſegregans à mendacio, & ignis accenſus eſt, qualem venit ut (*b*) poneret ſuper terram Chriſtus Dominus, qui depravantes dogmata foret combuſturus, & eos, qui veritati accederent, illuminaturus, nec non refrigeraturus: ut utrique parti admirabilis apparuerit; alteri quidem, quòd tale à Deo firmamentum obtinuerit; alteri verò, quòd quaſi eſſet libra quædam, & gnomon exquiſitus, eorum cogitationes obliquas C optimè correxerit. Cùm igitur inde fuerit reverſus, & quaſi alter Olympionices multis ornatus venerit coronis & præmiis: oporteret, ut ipſe nobis non invideret, & ſuarum jucundiſſimarum narrationum nos participes faceret, quandoquidem ab ejus aſpectu, & loco ſuorum certaminum ita longè abſuimus. Ita quidem alius hinc, alius aliundè magna cum inſtantia mecum contendunt. Ego verò cùm non valeam quidquam reſpondere adeò validis objectionibus, eò devenio, ut omninò obmuteſcam, nec poſſim aufugere captiones eorum, qui nec ceſſabunt, niſi tu ipſe nectaria D tua aperueris labia, & narraveris ea, quæ coram vertice illo Apoſtolis comparando, ſummo videlicèt Pontifice, & cum reliquo corpore illius, quæ ibi eſt Eccleſiæ, optimè diſſerueris, & certaveris propoſitum tibi certamen, curſum conſummaveris, & fidem ſervaveris, ut repoſita corona juſtitiæ tibi ſit meritò expectanda, quam tibi reddet pulcherrimam in extremis temporibus, juſtus judex Dominus, & qui certamina proponit, & præmia ſervis ſuis, ut par eſt. Me verò, qui jam de ſalute corporis deſperavi mei præ gravitate dolorum, qui me nimis angunt; vel ab his E doloribus liberet Deus tandem, vel me doceat æquo illos animo ferre, ſi ſua ſumma providentia, ut hæc patiar, conducibilius mihi fore decrevit. Saluta meo nomine dominum Joannem.] Hæc ex codice Metiano, ex quo ad eumdem Nectarium quæ ejuſdem Georgii Epiſcopi Corcyræ brevior extat, epiſtolam deſcribamus. Delectat quippè audire Græcum antiquitatis Atticæ quidpiam redolentem, utinam & pietatis:

b *Luc.* 12.

XII.

Sapientiſſimo domino & dilecto fratri Præpoſito ſanctiſſimi monaſterii Caſulo-

A rum domino Neſtario minimus Metropolita Georgius.

Felicitatem hanc judico quovis lucro majorem, quòd tuæ ſim vicinus ſanctitati; & permaneam in extrema hujus maris ora, & aliud mare, virtutis ſcilicèt, & ſapientiæ, & doctrinæ, venerandum caput tuum repererim. Si enim ſegregatus ego à ſancto illo Athenarum Præſule, multis rerum viciſſitudinibus hinc indè jactatus ſum: habeo ſaltem te portum multiplicis conſolationis & refrigerii. Et licèt nos ab invicem ſegregent maria, & oppoſiti ſinus, & portus; litteris tamen quaſi quibuſdam naviculis vehemur. Et ego jam
B incipio, ut ad te per mare tranſvehar, hoc pacto. Impono autem epiſtolæ ſcypho præter unum, quod ferri poſſit (corpus autem tala portatile intelligo) omnia quæcumque mihi ſunt, ſincerum videlicèt amorem, veritatem puram, orationes & preces pro tua ſalute ferventes, & ſine intermiſſione. Num tibi videntur parva hæc, & nullius momenti? vel potiùs magni pretii & felices merces? Num tales portare potuit

a 2. Paral. 9 Salomoni (a) Regi navis illa ad Tarſenſes miſſa, & inde tertio quoquo anno

b Matt. 12. revertens onuſta? ſed pluſquàm (b) Salomon hic (ut aliquid ex verbis Domini
C ipſe mutuer) tùm propter maximum eorum pretium, quos diximus habituum: ſiquidem habitus ſunt virtutes, præcipuè verò propter mentis altitudinem tuæ, inſtar Salomonis, & propter cordis tui effuſionem, & mentis latitudinem. Dicta hæc mihi ſint pro temporis conditione, & quia ſyllabarum harum portitores feſtinare me cogebant, & urgebant. Si verò Deus diem tranquilliorem nobis largietur, prolixiùs, & ut ſcientiæ ratio poſtulat, agemus cum tua ſanctitate. Cupio enim ſummoperè tuam audire linguam, & ſermonem, & exactiorem opto congreſſum. De-
D guſtavi ſiquidem aliquando, præcipuè Byzantii, cùm domnus Pelagius te ſecum trahebat, & ego legatione fungebar pro Athenarum Epiſcopo, Orbis ſcilicèt lumine, ejus vices ſuſtinens. Sed parce, ſapientium virorum præſtantiſſime, & cum fraterna dilectione mutuas orationes & preces pro nobis mitte, quæ Deum nobis propitium reddant.] Hactenùs de his quæ ſpectant ad Nectarium, qui contra Latinos in Synodo pro Græcorum erroribus ſtetit obſtinatiſſimè. Sed reliqua ejuſdem Synodi percurramus.

XIII. Delata fuit accuſatio in eodem Conci-
E lio à quibuſdam Alexandro Papæ adverſùs ſcriptum Petri Lombardi Epiſcopi Pariſienſis, quòd malè ſenſiſſet de Chriſti humanitate, & in aliis Fidei articulis ab Eccleſia Catholica deviaſſet. Tunc Alexander Papa has dedit litteras ad Vvillelmum Archiep. Senonenſem his verbis: (c)

c Recitat eas Matth. Paris in hiſt. Angl. hoc anno.

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Vvillelmo Senonenſi Archiepiſcopo ſalutem.

Cùm in noſtra olim aſſes præſentia conſtitutus: tibi viva voce injunximus, ut
A Suffraganeis tuis Pariſiis tibi adſcitis, ad abrogationem pravæ doctrinæ Petri quondam Pariſienſis Epiſcopi, qua dicitur: Quod Chriſtus, ſecundùm quod eſt homo, non eſt aliquid: omninò intenderes, & efficacem operam adhiberes. Inde ſiquidem eſt, quòd fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenùs quod tibi, cùm præſens eſſes, præcepimus: Suffraganeos tuos Pariſios convoces, & unà cum illis & aliis viris religioſis & prudentibus præſcriptam doctrinam ſtudeas penitùs abrogare; & à magiſtris ſcholaribus ibidem in Theologia ſtudentibus Chriſtum
B ſicut perfectum Deum, ſic & perfectum hominem, ac verum hominem ex anima & corpore conſiſtentem, præcipias edoceri; univerſis firmiter & diſtrictè injungens, quòd doctrinam illam de cætero nequaquàm docere præſumant, ſed ipſam penitùs deteſtentur.] Hæc tunc Alexander Papa, quæ naviter per eumdem Senonenſem Archiepiſcopum impleta fuiſſe liquet.

Prætereà in hoc eodem Romano Concilio creatos fuiſſe aliquot Cardinales, teſtatur Rogerius in Annalibus, dicens: In quo Concilio Vvillelmus Rhemenſis Archiepiſcopus factus eſt presbyter Cardina-
C lis ad titulum ſanctæ Sabinæ, & Henricus Abbas Claravallenſis factus eſt Epiſcopus Cardinalis Albanenſis. Et dominus Papa tertium diem Concilii ſui celebravit ſecunda feria ante Dominicam in ramis Palmarum, quæ quartodecimo Kalendarum Aprilis evenit.]

Cardinales creati in Concilio.

Inſuper tunc Alexander Papa S. Laurentium Archiepiſcopum Dublinenſem in Hibernia, creavit Legatum Apoſtolicum in illis partibus; de cujus functione hæc in vita ipſius: (d) Legatus totius Hiberniæ à domino Papa conſtituitur. Reverſus inde proſperè in Hiberniam, commiſſæ ſibi
D legationis officium cum magna totius Eccleſiæ libertate & æquitate ſatagebat.] Et paulò pòſt: In tantum autem miniſtrorum Eccleſiæ execrabatur immunditiam caſtitatis & honeſtatis zelator, tàmque eos ad continentiam provocabat, ut omnes tàm ſubdiaconos, quàm diaconos, vel presbyteros, ſi incontinentiæ convicti eſſent, licèt tamquàm Archiepiſcopus poſſet, tamen nollet abſolvere, ſed ad Romanam Eccleſiam à ſummo Pontifice abſolvendos deſtinaret; ita ut quodam tempore (quod dictu mirum eſt) centum & quadraginta presbyteros incontinentiæ convictos Ro-
E mam miſeric abſolvendos, &c.] Hactenùs de Romano Concilio

XIV. Legatio credita S. Laurentio.

d Apud Sur. tom. 6. die 14. Novemb. c. 24.

Eodem anno recentem martyrem ſanctum Thomam Deus viſitatione magnorum Principum magnoperè illuſtravit; cùm videlicèt gratus adhùc poſt obitum idem Sanctus de acceptis beneficiis à Rege Francorum: per viſum apparens ſeſe obtulit, qui ab imminenti morbo liberaret filium ejus. Deſcribit iſta Rogerius his verbis: Philippus filius Ludovici Regis Francorum, & prædictæ Alæ Reginæ, ægrotavit uſque ad mortem. Unde pater ſuus plurimùm

Peregrinatio Regis Franc. ad S. Thom. mart.

mùm

mum condoluit, & divina revelatione in ſomnis admonitus eſt, ut devota peregrinatione adiret beatum Thomam Cantuarienſem martyrem, ſi vellet filium ſuum priſtinæ ſanitati reſtitui. Unde factum eſt, quòd Ludovicus Rex Francorum, miſſis Legatis ad Henricum Regem Angliæ patrem, quæſivit licentiam & ſecuritatem veniendi in Angliam, & ſine impedimento redire: quæſivit & obtinuit. Rex igitur Francorum fiduciam habens in Domino, contra multorum conſilium iter arripuit verſus Angliam. Et aſſumens ſecum Philippum Comitem Flandriæ, & Baldewinum Comitem de Ginnes, & Henricum Ducem de Luvain, & Comitem Vvillelmum de Mandevile, & Advocatum Betuniæ, & alios Barones de regno Franciæ, pervenit uſque Vuitſand, & inde transfretavit in Angliam, & applicavit apud Dovere undecimo Kalendas Septembris feria quarta. Cui Rex Angliæ pater in litore maris occurrens, ſuſcepit cum magno gaudio & honore, ſicut chariſſimum dominum & amicum ſuum, & omnia neceſſaria ſibi & hominibus ſuis honorificè miniſtravit. Et in craſtino, videlicèt vigilia beati Bartholomæi Apoſtoli, duxit eum Cantuariam uſque ad tumbam ſancti Thomæ martyris. Quò cùm veniſſent, Ludovicus Rex Francorum obtulit ſuper tumbam beati Thomæ martyris unam cuppam de auro valdè magnam & pretioſam, & ad uſus monachorum ibidem Deo ſervientium centum modios vini in perpetuum, ſingulis annis recipiendos apud Peiſſi in Francia, ad omnimodam impenſam Regis Franciæ.

XV. Præterea conceſſit eis, quòd quæcumque de cœtero emerentur in regno Franciæ ad proprios uſus illorum, quieta ſint de telonio, & omnibus aliis conſuetudinibus, & exigentiis. Et hæc omnia fecit eis confirmari charta ſua, quam ipſi receperunt de manu Hugonis de Puteaco Cancellarii Regis Franciæ, filii Hugonis Dunelmenſis Epiſcopi. Tertio autem die ſequente, Rex Franciæ, & ſui, qui cum eo venerant, Rege Anglorum eos reducente, reverſi ſunt ad Dovere: & in craſtino, videlicèt, ſeptimo Kalendas Septembris, die Dominica, Rex Franciæ cum ſuis transfretavit de Anglia in Flandriam, & applicuit apud Vvitſand. Interim Philippus filius ejus, meritis, & precibus B. Thomæ martyris priſtinam adeptus eſt ſanitatem. Quo audito Rex Franciæ, in magno fluctuans gaudio, publico præcepit edicto, ut omnes Principes regni ſui, Eccleſiaſtici & ſæculares convenirent Rhemis in capite Kalendarum Novembrium ad coronationem Philippi filii ſui. Quibus congregatis, Vvillelmus Rhemenſis Archiepiſcopus præfatum Philippum filium Alæ ſororis ſuæ, jam quintumdecimum annum ætatis ſuæ agentem coronavit, & in Regem unxit Rhemis in Eccleſia ſedis pontificalis, die ſolemnitatis omnium Sanctorum, miniſtrantibus ei in illo of-

Senatus Regis filius & coronatus.

A ficio Vvillelmo Turonenſi, & Bituricenſi, & Senonenſi Archiepiſcopis, & ferè omnibus Epiſcopis regni. Henricus autem Rex Angliæ filius, in progreſſione à thalamo uſque in Eccleſiam, ipſo die coronationis, ibat ante illum geſtans coronam auream de jure Ducatus Northmanniæ, quâ prædictus Philippus coronandus erat: & Philippus Comes Flandriæ præibat, ferens ante illum gladium regni. Alii verò Duces, Comites, & Barones præibant, & ſequebantur diverſi diverſis deputati obſequiis, prout * Rex exigebat. Sed Ludovicus Rex pater ejus, ſenio, & morbo laborans paralytico, coronationi illius intereſſe non potuit. Nam cùm ab Anglia rediret, & ad beatum Dionyſium iter arriperet, ſubitò percuſſus frigore, incidit in paralyſim, & uſum dexteræ partis corporis ſui amiſit.] Iſta Rogerius.

* res

XVI. Hoc eodem anno Alphonſus primus Dux Portugalliæ ab Alexandro Papa titulum Regis accepit ob res adverſus Arabes præclarè geſtas: quæ cuncta accepta ferens divinæ gratiæ, gratus Deo ipſe obtulit regnum illud S.R.E. ſub cujus jugiter protectione conſiſteret, perſoluturus annis ſingulis loco cenſus duas auri marchas. Extat de his diploma ejuſdem Alexandri Papæ in turri de Tombo dicta, in qua aſſervantur monimenta Regum, idemque datum hoc Redemptoris anno, & Pontificis ipſius vigeſimo. Eſt de his mentio in Epiſtolis Innocentii Papæ Tertii, quas hic tibi ex ſcripto codice Vaticano deſcribendas curavimus: ſic enim ſe habent:

Regis titulo auctus Dux Portugal. ab Alex. Papa.

Innocentius, &c. Sancio illuſtri Regi Portugalliæ.

Serenitatem regiam volumus non latere, nos in Regeſtis bonæ mem. Lucii Secundi Romani Pontificis reperiſſe, quòd recolendæ memoriæ Alphonſus pater tuus quatuor auri uncias annuatim Romanæ Eccleſiæ conſtituit cenſuales, ad quarum ſolutionem ſe & heredes ſuos in poſterum obligavit. Cœterùm cùm idem pater tuus uſque ad tempora felicis mem. Alexandri Papæ prædeceſſoris noſtri Ducis eſſet nomine appellatus: ab eodem meruit obtinere, ut tàm ipſe, quàm ejus hæredes regio nomine vocarentur. Ut autem idem pater tuus ſacroſanctam R. E. matrem ſuam honore debito præveniret, & ut devotionem, quam circà ipſam habebat, oſtenderet in effectu, centum bizantios annuatim Romanæ Eccleſiæ conſtituit cenſuales: quos poſt ſuſceptionem regii nominis nec ipſe ſolvit, nec tu poſtmodùm ſolvere curaſti. Cumque id felicis recordationis Clementi Papæ prædeceſſori noſtro relatum fuiſſet, magiſtro Michaeli tunc Eccleſiæ Romanæ Notario, quem ad partes Hiſpaniæ deſtinaverat, per ſuas dedit litteras in mandatis, ut te ad ſolvendum centum marabutinos monere diligentiùs, & inducere procuraret, & ſi opus eſſet, auctoritate fretus Apoſtolica compellere non differret. Tu autem eidem, prout tibi placuit, reſpondiſti, quòd diſtus

pater tuus præfato Alexandro anteceſſori noſtro pro annuali cenſu decem annorum mille aureos miſerat: & cùm nondum illi decem anni eſſent expleti, ipſos centum aureos iterùm ſolvere minimè tenebaris, licèt illos eidem prædeceſſori noſtro non pro cenſu, ſed ex devotione, quam ad eum habebat, liberaliter donaviſſet. Rogamus igitur regiam ſerenitatem, monemus, conſulimus, & hortamur, per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenùs prædictum cenſum dilecto filio fratri Rainerio perſolvere non poſtponas: alioquin noveris, nos eidem dediſſe firmiter in mandatis, ut te ad ſolutionem illius diligenter moneat, & inducat, & ſicut expedire viderit, appellatione remota compellat. Dat. Romæ apud S. Petrum viij. Kal. Maii. Pontificatus noſtri anno primo.] Extant & aliæ itidem Innocentii Papæ Tertii ejuſdem argumenti datæ epiſtolæ in ejuſdem Pontificis cuſo epiſtolarum (a) codice. Nec prætereà poſtremo loco data in ſcripto codice extat, quam hîc ponendam dignam duximus. Sic ſe habet:

a Innoc. l. 11. ep. 144. 151. l. 12.

Innocentius &c. A. illuſtri Regi Portugallen. & hæredibus ejus in perpetuum.

XVII. Manifeſtis probatum eſt argumentis, quòd inclytæ recordationis Alphonſus avus tuus per ſudores bellicos & certamina militaria inimicorum Chriſtiani nominis intrepidus extirpator, & propagator diligens Fidei orthodoxæ, ſicut devotus filius & Princeps Catholicus multimoda obſequia impendit ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ matri ſuæ, dignum nomen, & exemplum imitabile poſteris derelinquens. Æquum eſt autem, ut quos ad populi regimen & ſalutem diſpenſatio cæleſtis elegit, Apoſtolica Sedes ſincero proſequatur affectu, & in juſtis poſtulationibus ſtudeat efficaciter exaudire. Proinde nos attendentes tuam perſonam, ornatam prudentia, juſtitia præditam, atque ad regni gubernationem idoneam, eam ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & regnum Portugallenſe cum integritate honoris regni, & dignitate, quæ ad Reges pertinet, nec non & alia loca, quæ cum auxilio cæleſtis gratiæ de Sarracenorum manibus eripueris, in quibus jus ſibi non poſſunt Chriſtiani Principes circumpoſiti vendicare, ad exemplar felicis memoriæ Alexandri Papæ prædeceſſoris noſtri, qui hoc præfato avo tuo per privilegii paginam noſcitur conceſſiſſe dignoſcimur, tuæ ſublimitati concedimus, & auctoritate Apoſtolica confirmamus. Ut autem ad devotionem & obſequium beati Petri Apoſtolorum principis, & ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ vehementiùs accendaris, hæc ipſa hæredibus tuis duximus concedenda, eoſque ſuper iis, quæ conceſſa ſunt, Deo propitio, pro injuncto nobis Apoſtolatus officio defendemus. Tua itaque intereſt, fili chariſſime, ita circa honorem & obſequium matris tuæ ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ humilem & devotum exiſtere, & ſic te ipſum in ejus opportunitatibus, & dilatandis Chriſtianæ Fidei finibus exercere, ut de tam devoto & glorioſo filio Sedes Apoſtolica gratuletur, & in ejus amore quieſcat.

XVIII. Ad indicium autem, quòd præſcriptum regnum beati Petri juris exiſtat, pro amplioris reverentiæ argumento progenitorum tuorum veſtigiis inhærendo, ſtatuiſti duas marchas auri annis ſingulis nobis noſtriſque ſucceſſoribus perſolvendas; quem utique cenſum ad utilitatem noſtram & ſucceſſorum noſtrorum Bracarenſi Archiepiſcopo, qui pro tempore fuerit, tu & ſucceſſores tui curabitis aſſignare. Decernimus ergò, ut nulli omnino hominum liceat perſonam tuam, aut hæredum tuorum, vel etiam præfatum regnum temerè perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare. Si quis igitur &c. uſque, diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem regno, & Regi ſua jura ſervantibus &c. quouſque præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Laterani per manum Joannis ſanctæ Mariæ in Coſmedin diaconi Cardinalis, S. R. E. Cancellarii, xvj. Kal. Maii, Indictione decimaquinta, Incarnationis Dominicæ M. CC. XII. Pontificatus verò domini Innocentii Papæ Tertii anno quintodecimo.] Aliud inſuper extat ejuſdem generis, & totidem fermè verbis, paucis additis vel mutatis diploma Honorii Papæ Tertii ad Alphonſum itidem dictum Portugalliæ Regem, quod, ne nimio afficiamus Lectorem tædio, hic deſcribere prætermiſimus; aſſervatur in Vaticanis monimentis. Sed ad res Orientis tandem orationem convertamus.

His fermè diebus poſt redditam Eccleſiæ pacem Emmanuel, ſive Manuel, Græcorum Imperator, de Sultano ſuperato mendaces litteras Imperatori Occidentis ſic fertur ſcripſiſſe: (b)

XIX. De litteris Emman. Imp. ad Frid. Imp.

b Crant. hiſt. Saxon. lib. 6. c. 37.

Emmanuel in Chriſto fidelis Imperator Porphyrogenitus, divinitùs coronatus, regnator potens, excelſus, & ſemper Auguſtus, moderator Romanorum magnificus, nobiliſſimo & glorioſiſſimo Regi Alemanniæ & Imperatori, ac dilecto fratri Imperii noſtri, ſalutem, & fraterni amoris affectum. Et in fine ſic concluſit:

Sultanus Imperio noſtro ſe dedidit, & miſſis Legatis miſericordiam poſtulavit; fecitque Imperio noſtro hominium & juramenta, pollicitus eſt ſervire nobis adverſùs omnem hominem cum exercitu; ita ſit amicorum noſtrorum amicus, & hoſtis inimicorū. Hanc epiſtolam Imperator Fridericus ſuſcepit ſcriptam aureis litteris. Sed priùs legationē Sultani accepit, contraria omnia nunciantē: nam & exitus monſtravit prævaluiſſe Sultanū. Venerunt quoq; Imperatori cum his litteris munera pretioſa, inter quæ fuit cantharus ſmaragdineus, capiens ſextarium balſami piſtici, & plurimæ gemmæ pretioſæ. Imperator noſter non benè ſtus Conſtantinopolitano, & ægrè ferens nomen ejus in litteris ſuo prępoſitum, maximè cùm moliretur contra Impe-

rium

perium Rumanum, & plures es Romanis corruptos in ſusm traxiſſet ille ſententiam; nec ferre poterat, quòd ſe Romanorum ſcriberet moderatorem, reſeripſit hac forma.

Frid. Imp. ad Emman. Imp. reciprocæ litteræ.

Fridericus divina favente clementia inclytus triumphator, Romanorum Imperator, à Deo coronatus, ſublimis, in Chriſto fidelis, magnus, pacificus, glorioſus Cæſar, Græcorum moderator, & ſemper Auguſtus, nobili & illuſtri Regi Græcorum & Imperaturi Emmanueli, dilecto fratri noſtro, ſalutem, & fraterni amoris affectum. Et inter cætera ſic:

Sicut ille Rex Regum, à quu omnis poteſtas, Romanorum Imperium caput totius Orbis cunſtituit; ita etiam Sedem Romanæ Eccleſiæ umnium Eccleſiarum unicam matrem dominam magiſtramque ordinavit: quod utique duorum numero gladiorum ſignavit, quus dixit Orbi ſufficere ipſe auctor Fidei Chriſtianæ. Quapropter tuam prudentiam commonemus, quatenùs nobis & Romanu Imperio honorem debitum recognoſcas, & ſummo Pontifici, quem nomine, Sanctum, appellas, debitam exhibeas obedientiam & honorem. Remiſit autem Imperator Nuntios multis muneribus honoratus.] Hæc apud Crantium.

Hoc anno Indictione duodecima data reperitur conſtitutio Theodoſii Patriarchę Conſtantinopolitani de gradibus affinitatis, ſcripta à Theodoru Balſamone tunc Chartulariu ejus Eccleſiæ, ut ipſe teſtatur in fine ipſius. Extat in codice Juris Orientalis libro ſeptimo. Ex quibus diſcas etiã, quo tempore ipſe Theodoſius ſederit; quãdo autem deſierit, dicturi ſumus ſuo loco inferiùs. Quàm verò malè affectus in Latinos tunc Balſamon eſſet, ipſe ſua, quam ſcribebat tunc Meditationem, oſtendit. XX.

I. *Prophetiſſa Romę innotuit.*

Milleſimus centeſimus octuageſimus Chriſti annus ſequitur, Indictione decimatertia, quo innotuit quiddam mirandum de propheteſſa, quæ ex Galliis Romam ſe contulit, ut per Alexandrum Romanum Pontificem ſpiritus probaretur, an ex Deo eſſet. Qui iſta ſcripſit Robertus, vivebat his diebus, teſtis fidelis, ejuſque cauſsm veniendi Romam enarrat, licèt, ſicut in plurimis anni unius errore, vitiu ſcriptoris illapſo, quod hoc anno factum contigit, ſequentis numeru notatur; quod & accidit in nota numeri celebrati Romæ Concilii univerſalis. Nam hoc anno ponitur celebratum, quod superiori ſtatutum eſſe, quæ ſuo loco ſunt dicta, ſignificant; ait enim: Erat quidam prædives Burgenſis in loco qui dicitur, Rocca Amatoris, à quo monachi Eccleſiæ S. Mariæ, & S. Amatoris mutuò acceperant pecuniam, tradentes illi in loco pignoris cortinas illius Eccleſiæ. Imminente autẽ feſto Genitricis Dei & Virginis Mariæ, rogaverunt prædicti monachi Burgenſes, ut quas habebat apud ſe cortinas, ad ornandam Eccleſiam, tantæ ſolemnitatis completu tripudio ei reſtituendas, eis accomodaret. Ille verò autem curdis habens

a 1.Reg.25. obturatam, *ut alter* (a) *Nabal Carmelus, dives, iniquus, & ſtultus*, nulla quidem prece flexus eſt, ſed reſpondit eis cum tumore animi, dicens, quòd eſſent cortinæ illæ circa lectum conjugis ſuæ, quæ nuper ei puerum pepererat, nec aliquatenùs indè poſſent amoveri. Quid multa? Tranſiit feſtivus dies, & Eccleſia præfata ornatum ſuum feſtivalem nun habuit. Sequenti verò nocte beata Maria mater Domini noſtri apparuit in ſomnis uxori prædicti Burgenſis, & dixit ei: Vir tuus peccatum grande commiſit, nec poterit impietatis exceſſus derelinqui impunitus. Tertia enim die infans tuus ſpiritum exhalabit, & vir tuus debitum morti ſolvens, in die octava mutabit hanc temporalem felicitatem ſuppliciis æternis.

Tu autem proficiſceris ad Eccleſiam meam, quæ eſt in Bethlehem, & circumſpectis ibi tribus ſepulchris, quorum quidem duo extrema vacua non ſunt, medium tibi eliges in ſepulchrum. Interim omni feria quarta circa horam nonam deficiet in te ſpiritus tuus, & decurret ab ore tuo & naribus ſanguis multus, & uſque ad horam nonam ſabbathi veluti mortua permanebis. Sabbatho hora nona ſpiritu redeunte, duces utraſque manus tuas ſuper faciem tuam, & continuò priſtinus color & fortitudo in te remeabunt.] Ut ſic in mentis exceſſu divinas acciperet revelationes. Pergit de rerum eventu. II.

Hæc locuta eſt beata Maria & abſceſſit. Mulier verò præ timore turbata evigilavit, & ruminans ſomnium ſuum cum magna ſollicitudine, illud memoriæ commendavit. Craſtina autem illuceſcente die cœpit ſomnium ſuum coniugi ſuo per ordinem narrare. Miſer ſermonibus ejus non adhibuit fidem; nec etiam cùm videret ſpiritum deficere in puero, de agenda pœnitentia cogitatum habuit; ſed murte præventus in die octava, juxta præoſtenſam viſionem, in ſupplicium lapſus eſt gehennale. Perturbabatur mulier in alterutrius nece, & omnia, ſicut per ſomnium monſtrata fuerant, in ſe nihilominùs intelligens accidiſſe: Romam ſub feſtinatiune proficiſcitur, & rem ſummu revelat Pontifici. Præterea conſtanter aſſeruit, quòd in ſequenti anno ab illo maxima fames ingrueret, & quòd ex corruptione aeris innumerabilis hominũ multitudo moritura eſſet, & quòd Clerum Romanũ gravis animadverſio feriret, niſi ab exercitio

Propheticæ veritatis impletæ.

doli reſipiſcerent, ſub quo à multis retrò temporibus uſque in hodiernam diem laboraverunt.

III. Alex. Papa probat Spiritum ſi ex Deo

At dominus Papa volens manifeſtiùs ſcire, ſi ſermones mulieris veritati inniterentur; commendat eam duodecim nobilibus matronis, dans illis præceptum, ut cùm illa in mortem obdormiret per extaſim, plantis tuis calentes ſubulas infigerent, & de ſanguine ab illius ore manante veſtes ſuas inficerent. O rem mirabilem! quarta feria, ſicut prædixerat, hora nona, mulier expalluit, & mortua eſt, ita ut nullus in ea vitalis remaneret ſpiritus, & ab ejus naribus cœpit deſfluere ſanguis copioſus. Sed matronæ præceptorum domini Papæ non immemores, pedibus mulieris calentes ſubulas infigunt, nec ob id illa movetur. Inſuper de ſanguine ejus veſtimenta ſua tingunt; ſed omnis infrctio facta per ſanguinem, in ſabbatho numquam comparuit, cùm ſpiritus vitæ in mulierem remearet.] Hucuſque Robertus, quæ ſicut certa, ita veritati inventa ſunt conſentientia. Fuit ſemper in Eccleſia prophetia, juxta illud Joelis:

a Joel. 2. (a) Prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ.] Et prophetias non eſſe ſpernendas,

b 1. Theſ. 5. (b) Apoſtolus monuit. Et cùm quod prænuntiaverit, evenerit; illum non eſſe falſum, ſed à Deo miſſum Prophetam; docuit nos examinare, atque probare divi-

c Deut. 18. na (c) Scriptura.

Eodem pariter anno Alexander Papa dedit Epiſcopum novæ civitati Alexandriæ in Gallia Ciſalpina, non quem ipſius civitatis cives elegerant, ſed Aquenſis civitatis Epiſcopum, quem tranſtulit Alexandriam. Extant de his litteræ tunc datæ ab Algiſio Archiepiſcopo Mediolanenſi, qui hoc in mandatis acceperat ab ipſo Alexandro Pontifice, quas inferiùs recitabimus. Extant & binæ tunc ad Alexandrinos datæ litteræ ab Aleſandro Papa, quarum priores ſic ſe habent:

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis clericis Alexandrinæ Eccleſiæ ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

De novitate & neceſſitate proceſſit, quòd præſente Nuntio Mediolanenſis Eccleſiæ, nulla præcedente electione, auctoritate noſtra vobis & Eccleſiæ veſtræ Electum providimus. Et ideò, ne poſſit ex hoc vobis, vel ſucceſſoribus veſtris præjudicium fieri, auctoritate vobis Apoſtolica duximus providendum. Ea propter dilecti in Domino filii præſenti ſcripto ſtatuimus, ut ex hoc vobis non præjudicetur in poſterum, quò minus, obeunte Electo qui nunc eſt, & ſuorum quolibet ſucceſſorum, vos, & ſucceſſores veſtri de Epiſcopis veſtris electionem liberam habeatis, ſicut Canonici Eccleſiarum Cathedralium, quæ Mediolanenſi Eccleſiæ ſubjacent, habere noſcuntur. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis infringere, vel ei aliquatenùs contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Anagniæ, iij. Kalen. Februarii.

Ego Otto Notarius ſacri palatii authenticum hujus Inſtrumenti vidi, & ut in illo reperi, ita in hoc ſcripſi, nihil addens, aut minuens, præter punctum, litteram, & ſyllabam, &c.

Ego Petrus, qui dicor Ferrarius Notarius ſacri palatii, authenticum Inſtrumenti vidi, & legi, & ſubſcripſi, &c.] Poſterior autem Alexandri Papæ epiſtola ad Alexandrinos ſic ſe habet:

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis O. Electo, & Canonicis Alexandrinæ Eccleſiæ ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Congruam officii noſtri actionem * exequen. cùm ea quæ ad ornatum, & decorem domus Domini laudabili providentia ſtatuuntur, per nos incrementum accipiunt, & Apoſtolicæ tuitionis præſidio in ſua firmitatis robore convaleſcunt. Ea propter dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus benigniùs annuentes, Canonicam, quam ſibi * Electe in Eccleſia S. Petri de aſſenſu Cleri, & populi ſtatuiſti, protectionis noſtræ munimine roborantes; & electionem, quam de perſonis idoneis ad dignitates Eccleſiæ tenendas feciſti, dilectis filiis noſtris magiſtro Ugoni Præpoſituram, magiſtro Cataldo Archipresbyteratum, magiſtro P. Cantoriam provida deliberatione concedentes ratam habemus. Etiam ſingulis prædictas dignitates auctoritate Apoſtolica confirmamus. Præterea Eccleſias uſibus veſtris filii Canonici deputatas, ſcilicèt S. Mariæ de Gamundio, ſancti Dalmatii de Maringo, ſancti Michaelis de Soletiis, ſancti Stephani de Bergolio, ſanctæ Trinitatis de Vvilia, S. Andreæ de Rovereto, & ſancti Auguſtini de Foro, vobis nihilominùs duximus præſentibus litteris confirmandas, ſtatuentes, ut nulli omnino homini liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Tuſculani xv. Kalend. Auguſti.

* exequimur.

Ego Otto Notarius ſacri palatii authenticum hujus Bullæ domini Alexandri Papæ bullatum vidi, & legi, & ſicut in illo reperi, ita in hoc ſcripſi, nihil addens, vel minuens, aut mutans, præter punctum, litteram, & ſyllabam.

Ego Vermus Notarius ſacri palatii authenticum hujus Bullæ vidi, & legi, & ſubſcripſi, &c.] Hactenùs de litteris Alexandri Papæ, ſcriptis ad Alexandrinos. Quas autem diximus primo loco datas ab Algiſio Archiepiſcopo Mediolanenſi ad eoſdem Alexandrinos de tranſlatione Aquenſis Epiſcopi in Eccleſiam Alexandrinam, ſic ſe habent:

Algi-

Algiſius Dei gratia ſanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, univerſo Clero & populo Alexandrino ſalutem & omne bonum.

Licèt quidam ex vobis, * utpotè in hujuſmodi ſolet accidere negotiis, nos quodammodò ſuſpectos habuerint, quod honori, & exaltationi civitatis veſtræ in aliquo derogare vellemus; pura tamen conſcientia nobis reſpondet, & ſequens rerum probabit effectus, propoſiti & voluntatis noſtræ ſemper fuiſſe, ut civitas * noſtra pontificali Sede gaudeat, & proprium habeat Epiſcopum, qui veſtrarum curam gerat animarum, & vobis & civitati veſtræ, Domino auctore, præeſſe debeat & prodeſſe. Sanè cùm ante hos dies à domino Papa acceperimus in mandatis, ut ſaniori habito conſilio, venerabilem fratrem noſtrum Aquenſem Epiſcopum unà cum ſede ſua in civitatem veſtram transferremus; id opportunitate accepta, curavimus effectui mancipare. Quocircà attendentes, quàm pura & ſincera charitate dominus Papa vos & civitatem veſtram ampleactur, quanta etiam cura, & ſollicitudine paci, & quieti veſtræ intendat: mandatum, & voluntatem ipſius exequentes, & ejus pleniſſima freti auctoritate, prædictum fratrem noſtrum Epiſcopum unà cum ſede ſua, in civitatem veſtram Apoſtolica tranſferimus auctoritate, ac de cætero Epiſcopalia ibidem miniſtrans Alexandrinus vocetur Epiſcopus. Jura tamen, poteſtatemve Aquenſis Eccleſiæ, in qua priùs ſedit, nec ſibi ſubtrahimus, nec ulla minuimus ratione, quò minùs in ea, & aliis Eccleſiis ſuis plenum jus & poteſtatem, ceu quondam, habeat. Sic itaque ipſum Cardinalem veſtræ civitatis conſtituimus ſacerdotem: ut omnia jura, & honores, quos in Aquenſi habet Epiſcopatu, ſibi reſervemus. Sic enim ipſum & civitatem veſtram exaltare & honorare voluimus, ut nihil eidem Epiſcopo videatur derogatum, ſed potiùs tantò majori prærogativa gaudeat, & ſpeciali privilegio, quantò ex hoc majori fungitur honore, & officio, quod in veſtram civitatem translatus, jus & poteſtatem, quam in priſtinam habuit Eccleſiam, non amittat. Quia ergò in hujuſmodi negotiis ſemper aliqui eſſe ſolent, qui verba pervertentes, cauteriatam habent conſcientiam, & commune bonum ſtudio malignitatis impedire nituntur: prudentiam & diſcretionem veſtram rogamus attentiùs, ac monemus, & Apoſtolica vobis, ac noſtræ præcipimus auctoritate, ut paci & tranquillitati civitatis veſtrę ſollicitè providentes, Deo gratias in omnibus agatis, qui proprium & ſpecialem in vobis contulit Epiſcopum, qui veſtræ civitatis & Epiſcopatus curam & regimen debeat habere. Credentes itaque hoc à Domino, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum eſt, proceſſiſſe: veſtram attentiùs charitatem monemus, rogamus, & præcipimus, ut eumdem Epiſcopum

* veſtra.

A veſtrum ſincera devotione, ac digna reverentia ſuſcipientes, tantò majori honore ipſum prævenire ſtudeatis, quantò majori affectu, & puriori dilectione hoc à domino Papa factum & à nobis proſecutum eſſe noveritis: ſcientes pro certo, & indubitanter credentes, quòd per eum, Domino auctore, civitas veſtra exaltabitur. Et ut dominus Papa devotionem, & obedientiam veſtram in hoc cognoſcens, tantò propenſiori amore, & attentiori affectu vos honorare, & fovere curabit, quantò ampliùs vos filios obedientiæ, & pacis amatores inveniet; ſic & nos, & Eccleſia B noſtra tantò propenſiùs commodo & exaltationi veſtræ intendemus; quantò ampliorem manſuetudinem & devotionem circa vos in hac ſumpſimus parte. Ne quid igitur in hac parte deeſſe videatur, vos omnes tàm clericos, quàm laicos à debito juramenti, & obedientiæ, quam O. quondam Electo veſtro præſtiteratis, auctoritate Apoſtolica, ac noſtra abſolvimus: mandantes, & firmiter præcipientes, ut vos ei de cętero, ſicut præfato Epiſcopo veſtro fidelitatem & obedientiam, omnemque devotionem exhibeatis, ipſumque tamquam ſpecialem & proprium paſto- C rem & dominum revereri & honorare curetis. Datum Mediolani anno Domini M. CLXXX.

Ego Petrus qui dicor Ferrarius ſacri palatii, authenticum hujus Inſtrumenti vidi, & legi, & ut in illo inveni, in hoc ita ſcripſi, nihil addens, vel mutans præter punctum, ſyllabam, & litteram, &c.

Ego Otto Notarius ſacri palatii authenticum hujus Inſtrumenti vidi, & legi, & ſubſcripſi, &c.

Ego Vermus Notarius ſacri palatii authenticum hujus inſtrumenti vidi, & le- D gi, & ſubſcripſi, &c.] Extant de hac ipſa translatione etiam Innocentii Papæ Tertii litteræ Apoſtolicæ datæ, cùm Papienſes contra eamdem unionem conqueſti eſſent apud eumdem Innocentium Papam, qui appoſitis quibuſdam conditionibus controverſiam obortam ſedavit.

Hoc eodem anno Alexander Papa audiens Eccleſiam in Scotia ſciſſam inter ſe occaſione electionis Metropolitani, nempè Epiſcopi S. Andreæ; ad componendas res Legatum miſit in Scotiam. Porrò de E hujuſmodi controverſia pleniſſimè agit Rogerius ſcriptor Annalium, & qui rebus præſens aderat, à quo iſta ſic accipe:

Alex. Pap. Legationem in Scotiam miſit.

Eodem anno *milleſimo centeſimo octuageſimo*, Richardus Epiſcopus ſancti Andreæ in Scotia obiit. Quo defuncto, ſtatim fit ſchiſma de electione pontificis. Canonici enim de Eccleſia S. Andreæ elegerunt, ſibi in Epiſcopum magiſtrum Joannem cognomento Scotum; & Vvillelmus Rex Scotorum elegit Hugonem Capellanum ſuum, & conſecrari fecit ab Epiſcopis regni ſui contra appellationem,

nem, à prædicto Joanne electo ad dominum Papam factam.

VI. Schiſma in Eccl. Scotorum.

Unde factum eſt, quòd Alexander ſummus Pontifex miſit Alexium Romanæ Eccleſiæ ſubdiaconum in Scotiam, ad cognoſcendam controverſiam, quæ erat inter Joannem electum, & Hugonem conſecratum, & ad illam determinandam. Qui cùm in Scotiam veniſſet, & coram Clero, & populo regni diu tractaſſet de electione Joannis & Hugonis, & de conſecratione ipſius Hugonis: & cognoviſſet, quòd præfatus Joannes canonicè fuiſſet electus, & quòd Hugo poſt appellationem ad Romanum Pontificem factam in Epiſcopatum [B] S. Andreæ per Regem violenter eſſet intruſus: eum ſine dilatione de Epiſcopatu S. Andreæ depoſuit, & perpetuum ei ſilentium ſuctoritste qua fungebatur, impoſuit; & electionem, quæ de Joanne facta fuit, confirmavit. Et eum ab Epiſcopis Scotiæ, Rege non prohibente, nec contradicente, immò per conſilium Epiſcoporum regni permittente, in Epiſcopum S. Andreæ conſecrari fecit. Sed Rex ſtatim poſt conſecrationem ſuam prohibuit ei, ne ipſe in regno ſuo moram faceret. Hugo verò non minùs gerebat ſe Epiſcopum quàm anteà.] Quo factum eſt, ut [C] idem Legatua Apoſtolicæ Sedis Epiſcopatum ipſum S. Andreæ ſubjecerit interdicto: cujus ſententiam Alexander Papa ratam habens, has litteras dedit ad Epiſcopos Scotiæ:

VII. Ad Scotos epiſt. Alex. Papæ.

Alexander Epiſcopus ſervus ſetvorum Dei venerabilibus fratribus univerſis Epiſcopis, & dilectis filiis, Abbatibus, & aliis Eccleſiarum Prælatis per Scotiam conſtitutis, Priori, Canonicis, Clero, & populo S. Andreæ, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Comperto nobis, quòd jam pridem venerabilis [D] frater noſter Joannes, nunc Epiſcopus S Andreæ, canonicè fuiſſet electua; & poſt electionem ſuam Hugo (appellatione interpoſita) in Eccleſia illa per potentiam laicalem intruſus conſecrari auſu temerario præſumpſiſſet: electionem ipſiua Apoſtolica auctoritate caſſantes, dilectum filium noſtrum Alexium ſubdiaconum noſtrum Sedis Apoſtolicæ Legatum, de electione præſati Ioannis cogniturum, ad partes veſtras direximus. Qui cùm maturè ſatis, ſicut per multorum teſtimonia nobis innotuit, & canonicè proceſſiſſet, electionem ipſius canonicam comperiens, [E] poſt multiplices inducias, in quibus regiæ magnitudini detulit, auctoritate Apoſtolica confirmavit, præcipiens omnibua, qui ad Eccleſiam S. Andreæ pertinerent, ex parte noſtra, ut ipſi Joanni ſicut electo, obedientiam, & reverentiam exhiberent. Unde, cùm nullus propter metum regium in manifeſto obedire auderet: idem Legatua non regnum, ſicut de jure poterat, ſed Epiſcopatum interdicto ſubiecit.

VIII.

Cùm igitur tàm Eccleſiaſtici, quàm ſæculares Principes à charíſſimo in Chriſto [A] filio noſtro Vvillelmo illuſtri Scotorum Rege diſtrictiùs adjurati fuiſſent de recto conſilio dando, firmiter promittente ipſo Rege, quòd eorum conſilio ſtaret: reſponderunt omnes tamquàm unus, ut præfati Joannis conſecrationem, coram Legato noſtro, & quatuor Epiſcopis (quinto ægrotante, ſed ſcripto conſentiente) celebratam ulteriùs non turbaret, ſed permitteret eum in pace in ſua ſede conſecrari. Inde eſt, quòd univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, atque ſub officii, & beneficii pœna præcipimus, quatenùs ſpiritum fortitudinis induentes, ipſum [B] Epiſcopum infra octo dies poſt harum ſuſceptionem litterarum honorificè, appellatione poſtpoſita, ad ſedem ſuam reducatis, & pro ſervanda Eccleſiaſtica juſtitia prudenter & viriliter laboretis, & ad placandum motum regium adhibeatis operam diligentem; atque præfato Epiſcopo omnem exhibeatis reverentiam, & honorem, quem ipſius prædeceſſoribus impendiſtis. Quòd ſi Rex aliud voluerit, aut etiam conſilio pravorum inclinatus fuerit: Deo & S. R. E magis oportet obedire, quàm hominibus. Alioquin ſententiam, quam venerabilis frater noſter Hugo Dunel[C]menſia Epiſcopus in contumaces & rebelles tulerit, nos auctore Deo ratam habebimus, & præcipiemus firmiter obſervari.] Iſta audiena Hugo intruſus, prævidens ſibi diſcedendum fore ab Eccleſia quam malè occupaverat: inde recedens aſportavit ſecum capellæ ornamenta, item anulum, & baculum, & alia. Cumque ea, à Legato conventus, reddere noluiſſet: ab eodem ſententia excommunicationis damnatus eſt, quam Alexander Papa confirmans, ita tunc ſcripſit ad Scotiæ Præſules:

IX. Epiſt. Alexand. Papæ contra Hugonem intruſum.

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum [D] Dei venerabilibus fratribus & dilectis filiis Eccleſiarum Prælatis per Scotiam conſtitutis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Relatum eſt nobis, quòd cùm Hugo, qui Eccleſiam S. Andreæ de Scotia invaſerat, capellam Epiſcopalem, baculum, & anulum, & cætera, quæ irrationabiliter aſportaverat, illicitè detineret: eum frequentiùs admonitum reſipiſcere contemnentem dilectus filius noſter Alexius ſubdiaconus noſter Apoſtolicæ Sedis Legatus, coram vobis, & Clero multo, & populo, niſi infra quindecim dies ablata, vel aſpor[E]tata redderet, vel congruè ſatisfaceret, vinculo excommunicationis, Apoſtolica auctoritate fretus, aſtrinxit. Ipſe tamen in arrogantiæ malo perdurans, in nullo præfati Legati monitis acquievit. Nos itaque ſententiam de auctoritate noſtra prolatam ratam habentes, univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus atque præcipimus: quatenùs præfatum Hugonem, Dei gratia freti, & omni timore poſtpoſito, publicè, nullius appellatione obſtante, vinculo denuntietis excommunicationis aſtrictum, & ſicut ex-

com-

Digitized by Google

communicatum attentius evitet ita, donec quæ de ſupradictis rebus abſtulit, vel æſtimationem fratri noſtro Joanni Epiſcopo S. Andreæ, & Eccleſiæ ſuæ reſtituat, & de aliis quæ deſtruxit, ſatisfactionem exhibeat congruentem.] Subjicit autem iſta Rogerius in iiſdem Annalibus:

X.

Præterea dominus Papa conceſſit Rogero Eboracenſi Archiepiſcopo legatiam in Scotia, & præcepit ei, quòd ipſo ſententiam excommunicationis, unà cum Hugone Dunelmenſi Epiſcopo, proferret in Regem Scotorum, & regnum illius interdiceret, niſi ipſe permiſiſſet præfatum Joannem tenere Epiſcopatum ſuum in pace, & niſi dediſſet ei ſecuritatem pacis ſervandæ illi. Et idem Papa diſtrictè & in vi obedientiæ inhibuit Joanni Epiſcopo S. Andreæ, ne alicujus amore aut timore, vel ſuggeſtione aliqua ſeu voluntate, Eccleſiam S. Andreæ, ad quam conſecratus eſt, & auctoritate Apoſtolica confirmatus, auſu temerario præſumeret derelinquere, vel aliam recipere: adjungens, quod ſi attentaverit, ſine exceptione aliqua auferret ei utramque: unde ſummus Pontifex in hac forma ſcripſit:

XI. Epiſt. Alexand. Papæ ad Vvillel. Reg. Scotorum.

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Vvilielmo illuſtri Scotorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Pro pace tua & libertate ſollicitè nos meminimus laboraſſe, ſperantes, quòd ex hoc in devotione Sedis Apoſtolicæ meliùs firmareris, & creſceres, & libentiùs ſervares Eccleſiaſticam libertatem. Cæterùm attendentes circa factum venerabilis fratris noſtri Joannis Epiſcopi S. Andreæ de Scotia, quòd nolueris uſque modò inclinari; contrarium ſpei, quam de fervore devotionis regiæ habebamus, cogimur æſtimare. Volentes tamen experiri adhuc, ſi patientia noſtra ad pœnitentiam regium motum adducat; magnitudinem tuam per Apoſtolica ſcripta monemus attentiùs, & mandamus, quatenùs memorato Epiſcopo infrà viginti dies poſt harum ſuſceptionem litterarum pacem & ſecuritatem largiaris, ita quòd non oporteat eum de indignatione regia dubitare. Alioquin noveris, nos venerabili fratri noſtro Rogero Eboracenſi Archiepiſcopo Apoſtolicæ Sedis Legato in Scotia mandaſſe, ut regnum tuum, nullius appellatione obſtante, ſubjiciat interdicto, excommunicationis ſententiam in perſonam tuam, ſi deſiſtere nolueris, prolaturus. Pro certo quoque teneas, quòd ſi in tua duxeris violentia perdurandum; ſicut laboravimus, ut regnum tuum libertatem haberet; ſic dabimus ſtudium, ut in priſtinam ſubjectionem revertatur.] Hæc Alexander Papa. Subdit autem hæc Rogerius: Sed Rex Scotiæ in nullo volens obedire mandatis Apoſtolicis, expulit præfatum Joannem Epiſcopum ſancti Andreæ, & Matthæum Epiſcopum de Aberden avunculum ejus à regno ſuo. Unde Rogerus Eboracenſis Archiepiſcopus, & Hugo Dunelmenſis Epiſcopus, & Alexius Apoſtolicæ Sedis Legatus mandatum ſummi Pontificis proſequentes, ſententiam excommunicationis dederunt in perſonam Regis Scotiæ, & ſententiam interdicti in regnum ejus.] Quæ autem iſta ſecuta ſint, anno ſequenti ſic Rogerius enarrat: Miſit Rex Scotiæ ad Alexandrum Papam Nuntios ſuos, poſtulans, ut ipſe pro bono pacis conceſſiſſet hanc fieri ſedium commutationem, *nempe ut Joannes S. Andreæ Episcopatum dimitteret, acciperet verò alium quem vellet in Scotia*: ſed dominus Papa hoc concedere noluit.] Iſta vivente Alexandro ipſo ſunt geſta: quæ autem iſta ſecuta ſint ſub ejus ſucceſſore Lucio Papa, ſuo loco dicetur.

XII.

Hoc eodem anno ſingulari exemplo Caſimirus Rex Poloniæ, quem Ducem vocant, cùm conſtitutiones quaſdam pro benè diſponendo Principatu ſanciturus eſſet; eas prius Romano Pontifici confirmandas per Nuntios miſit. De his enim hæc habet Longinus hoc anno:

XIII. Rex Polonorum ſua ſtatuta mandat confirmari per Alex. Pap.

Ut autem tàm ſaluberrimæ conſtitutiones in futuras generationes majus haberent durementum: ſolerti Ducis Caſimiri ordinatione Nuntii ex utroque ſtatu Romam ad ſummum Pontificem Alexandrum Tertium mittendi deliguntur, confirmationem Papalem, quæ conſtitutiones ipſas, & in ſcriptum redactas, & Ducis Caſimiri, pontificumque, Principum, & Baronum ſigillis munitas, firmitate Apoſtolica perennet, & corpus, oſſaque alicujus Sancti, quo Cracovienſis inſigniretur Eccleſia, obtenturi. Et Nuncii quidem Polonorum apud Tuſculanum Alexandro Papæ oſtenſo, benignè habiti & auditi ſunt: gratiæque, præſente Cardinalium cœtu, ab Alexandro Poloniis actæ, quòd peſtifero durante ſchiſmate, nationibus & regnis vicinis aut claudicantibus, aut obedientiam Antipaparum profitentibus, ipſi conſtanti perſeverantia, ab ejus obedientia non diſceſſiſſent. Conſtitutionem deinde Polonorum, velut juſtam, & religione plenam & commendat, & confirmat. De dandoque ſacro corpore benè Legatos Polonorum ſperare, & ſe Romam ſubſequi jubet. Confirmationis autem ſuæ pro reſcindendo dubietatis ſcrupulo, exemplar ſubjecimus, cujus à nobis originale, in Eccleſia Cracovienſi conditum, ſæpè & attrectatum & viſum eſt.

Reſcriptum confirmationis Papæ ſtatutorum regni Poloniæ.

XIV. Confirmatio Pontificis.

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio nobili viro Caſimiro Duci Poloniæ ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Ex parte tuæ magnitudinis relatum eſt nobis, quòd de conſilio Archiepiſcopi & Epiſcoporum Poloniæ, & Principum terræ, quaſdam abuſiones, & ſolitas injurias ab Eccleſiis & perſonis Eccleſiaſticis amputaſti, conſtituens, ne bona decedentium Epiſcoporum ampliùs confiſcarentur. Conſtitutum eſt etiam, ut ſi quiſpiam in res defuncti Epiſcopi manus conjecerit, vinculo anathematis teneatur. Nec præſu-

Digitized by Google

præſumat ullus raptorum defuncto Epiſcopo ſuccedere, donec abſolutionis beneficium aſſequatur, ablatis reſtitutis, vel ablatorum congrua æſtimatione præmiſſa. Conſuetudinem autem, quæ à Principibus terræ ſervabatur, videlicet, ut quocumque pergerent pompaticè, invadentes horrea pauperum evacuarent, & ſi inter abſentes aliquid negotioli quandoque contingeret, impii ſatellites diſcurrentes, raptos quoſcumque caballos vel enervarent in curſu, vel omninò deſtruerent; de Eccleſiaſticorum & ſæcularium virorum conſilio emendaſti. Unde quoniam conſtitutionem tuam juſtam pariter & honeſtam auctoritate noſtra poſtulas confirmari: nos juſtis poſtulationibus annuentes, conſtitutionem præſcriptam, ſicut in ſcripto authentico ſuper hoc facto habetur, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſub interminatione anathematis prohibentes, ne quis eam violare aliqua ratione præſumat. Nulli ergò omninò homini liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ſe noverit incurſurum. Datum Tuſculani quinto Kalendas Aprilis.]

XV. Expeditio in terram ſanctam.

Hoc eodem anno, cùm perlatum eſſet nuntium è Terra ſancta de Saladini tremenda expeditione adverſus Hieroſolymitanam civitatem: Alexander Papa mox intonat bellicum tuba ſacerdotali, ſcribens ad Chriſtianos Principes litteras, itemque ad univerſos Catholicæ communionis Antiſtites. Extant ex eis aliquæ, & in primis quas ſcripſit ad Principes, deſcriptæ verò à Rogerio in Annalibus:

Ad Principes Alex. Pap litteræ pro ſubſidio terræ ſanctæ.

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis nobilibus viris Ducibus & Principibus, Comitibus, Baronibus, & univerſis Dei Fidelibus, ad quos litteræ iſtæ pervenerint, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

XVI. Cor noſtrum & omnium ſtatuum noſtrorum ſiniſtri rumores, qui de Hieroſolymitanis partibus ad nos communi tranſeuntium relatione pervenerunt, nimio dolore conturbant; cùm vix umquam aliquis, qui Chriſtiano nomine cenſeatur, ſine lacrymis & ſuſpiriis audire valeat, quæ de ſtatu illius terræ miſerabili recitantur. Eſt ſiquidem Infidelium (quod dolentes dicimus) incurſione contrita, & uſque adeò fortium virorum potentia, & proborum virorum conſilio viduata, quòd niſi à Chriſtianis Regibus & Principibus Orbis celerem, & potentem ſuccurſum habuerit, deſolationem ejus (quod abſit) in ignominiam Dei, & in contemptum Fidei Chriſtianæ de proximo formidamus. Non eſt enim Rex, qui terram illam regere poſſit, cùm ille, videlicet Balduinus, qui regni gubernacula poſſidet, ita ſit graviter (ſicut noſſe vos credimus) juſto Dei judicio flagellatus, ut vix ad tolerandos ſufficiat continuos ſui corporis cruciatus. Quàm gravem ſiquidem jacturam, & quàm miſerabilem caſum in perſonis, & rebus illa terra (pro qua patres & genitores noſtri ſanguinem proprium effuderunt in conflictu, quem olim cum Gentibus habuit) peccatis exigentibus ſit perpeſſa; nec nos ſine multa cordis commotione recolimus, nec aliqui zelantes legem Domini, poſſunt tantam ſtragem Fidelium patienti animo tolerare: præſertim cùm illa gens peſſima Paganorum, ex incommodis & periculis, quæ genti Chriſtianorum intulerunt, tantam audaciam ſumpſiſſe dicantur, ut ſe jactent impudenter, terram illam (quod avertat Dominus) invaſuros.

XVII. Moveat itaque vos zelus Domini, nec religio Chriſtiana ſuper tanta, quæ illi terræ imminet, contritione dormitet; ſed univerſa loca illa, quæ Salvator & Redemptor noſter corporali præſentia dedicavit, viriliter tueamini, & contemnite gentes, quæ abjiciunt Dominum, & Chriſtianum nomen de terris abolere nituntur. Non eſt utique Chriſtianus, qui præſcriptæ terræ calamitatibus non movetur, nec accingitur ad ipſam ab Infidelium incurſibus defendendam, quam occupare laborant, & ſuis (quod abſit) ſpurcitiis profanare. Hi autem, qui ex vobis fortes ſunt, & bellis exercendis idonei, non minùs ſcuto Fidei, & lorica juſtitiæ, quàm materialibus armis induti, tàm pium, quàm neceſſarium opus, ac laborem hujus peregrinationis aſſumant, & loca illa, in quibus Redemptor humani generis pro nobis naſci voluit, & mortem ſubiit temporalem, potenti virtute defendant, ne temporibus noſtris ſuſtineat in illis partibus Chriſtianitas detrimentum. Cùm enim Chriſtus pro ſalute noſtra opprobria multa, & demùm Crucis patibulum ſuſtinuerit, ut nos offerret Deo mortificatos quidem carne, * juſtificatos autem ſpiritu; expedit admodùm ſaluti Fidelium, ut pro ipſo corpora noſtra periculis, & laboribus exponamus, ne pretium ſanguinis, quem pro nobis effudit, videamur obliti. Animadvertite igitur dilecti in Chriſto filii, & videte, quàm probroſum, & quàm mœrore dignum exiſteret Chriſtianis, ſi adversùs habitatores terræ illius inimici Crucis Chriſti demùm prævalerent, ſicut eos prævalituros non modicùm formidamus, niſi de diverſis partibus Chriſtianorum auxilium habitatoribus ipſis cum feſtinatione ſuccurrat.

* vivificatos.

XVIII. Ne igitur Chriſtianitas Gentilitati ſuccumbat; totis niſibus prævidete: quia melius eſt ſuperventuro malo ante tempus occurrere, quàm remedium poſt cauſam quærere vulneratam. Illis autem, qui pro Chriſto hujus viæ laborem aſſumpſerint, illam indulgentiam peccatorum, quam Patres & prædeceſſores noſtri Urbanus, & Eugenius Romani Pontifices ſtatue-

ſtatuerunt, Apoſtolica auctoritate concedimus & confirmamus. Uaores quoque, & filios eorum, & bona, & poſſeſſiones ſuas ſub B. Petri & noſtra, necnoo & Archiepiſcoporum, & Epiſc., & aliorum Prælatorum Eccleſiæ decernimus protectione manere; prohibentes attentiùs, ne adverſùs eos de his, quæ pacificè poſſident, aliqua poſt ſuſceptam crucem quæſtio moveatur, donec redeant, vel de ipſorum obitu certiſſimè cognoſcatur. Liceat autem eis terras, ſeo poſſeſſiones alias, poſtquàm propioqui, aut etiam domini ſui (ad quorum feudum pertinent) pecuniam ipſis mutuare aut noluerint, aut non potuerint, Eccleſiia, vel Eccleſiaſticis viris, aut aliia Fidelibus liberè, & ſine ulla reclamatione pro expenſis hujus itineris titulo pignoris obligare. Præterea, quicumque de vitis bellicoſis, & ad illius terræ defenſionem idoneis, illa ſancta loca fervore devotionis adierint, & ibi duobus annis contra Sarracenos pro Chriſtiani nominis defenſione pugnaverint; de JESU Chriſti pietate, & de beatorum Petri & Paoli Apoſtolorum auctoritate confiſi, eis omoium ſuorum, de quibus corde contrito & humiliato confeſſionem ſuſceperint, abſolutionem facimus delictorum, niſi fortè alieoa bona rapuerint, vel uſuras extorſerint, aut commiſerint furta, quæ omnia debent in integrum emendari. Si verò non eſt in facultatibus delinquentium, unde valeant emendari: nihilominùs conſequentur veniam, prout diximus, de commiſſis. Hi autem, qui illic per annum, ſicut diximus, moram habuerint, de medietate ſibi injunctæ pœnitentiæ indulgentiam & remiſſionem ſuorum obtineant peccatorum. Omnibus autem Sepulchrum Domini pro inſtanti neceſſitate viſitare volentibus, ſive in itinere moriantur, ſive ad iſtum locum perveniant, laborem itineris ad pœnitentiam, & obedientism, & remiſſionem omnium peccatorum iniungimus, ut de vitæ præſentis ergaſtulo ad illam beatitudinem, Domioo largiente, perveniant, quam nec oculus vidit, oec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quam repromiſit Dominus diligentibus ſe. Datom Tuſculani decimoſeptimo Kalend. Februarii.] Scripſit etiam (*pergit Rogerius*) idem Papa Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis ſuper eodem negotio in hac forma:

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & dilectis filiis Abbatibus, & aliis Eccleſiarum Prælatis, ad quos litteræ iſtæ pervenerint, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

XIX. Ad præſulea ejuſdē argumenti litteræ Alexand.

Cùm Orientalis terra per impreſſiones Infidelium & incurſus, fortium virorum potentia ſit & proborum virorum conſilio deſtituta, multo timore percutitur; & ad implorandam ſubventionem Fidelium dilectos filios noſtros, milites Templi,

A latores præſentium, viros utique religioſos, & Deum timentes, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & alii Principes terræ ad partes veſtras mittere decreverunt. Nos autem, quos illius terræ calamitas gravi dolore conturbat, exemplo Patrum & prædeceſſorum noſtrorum de ipſius conſervatione ſolliciti, Chriſtianos Reges, & Principes Orbis ad defenſionem locorum illorum, in quibus ſteterunt pedes Domini, ſalubribus monitis exhortamur, & ſicut Patres & prædeceſſores noſtri Urbanus & Eugenius Pontificea Romani

B ſtatuerunt, ita & nos remiſſionem, & Indulgentiam peccatorum ſtatuimua univerſis, qui pro Chriſto laborem Hieroſolymitanum aſſumpſerint, & cootra Sarracenos fideli curaverint devotione certare. Monemus itaque univerſitatem veſtram attentiùs, & mandamus, quatenùs fratres, qui ad hoc miſſi ſunt, benigno recipiatis affectu, & per eos Orientalis terræ ſtatu & neceſſitate comperta, Principes, Comites, & alioa fideles Chriſti parochianos veſtros crebris, & ſollicitis exhortationibus laboretis inducere, ut terram illam, pro cujus liberatione pa-

C tres & genitores eorum ſanguinem proprium effuderunt, adeant feſtinanter, & contra ioimicos Crucis Chriſti potentia & virtute decertent. Litteras autem, quas propter hoc generaliter mittimus, univerſis faciatis Eccleſiis publicè legi, & exponatis earum tenorem, & remiſſionem peccatorum, quam facimus illis, qui tàm pium & neceſſarium opua aſſumpſerint, nuncietis, & ita omnes ad exequendum quod ſuggerimus, moneatis, quo per ſollicitudinem & exhortationem veſtram terra illa feſtinanter Fidelium ſentiat au-

D xilium & juvamen; & vòs propter hoc ab omnipotenti Deo mercedem poſſitis conſequi ſempiternam. Datum Tuſculani decimoſexto Ianuarii.] Hactenùs litteræ Alexandri Papæ pro ſubſidio Terræ ſanctæ. Pergit Rogerius.

Quibus auditis, Philippus Rex Franciæ, & Henricus Rex Angliæ plurimùm condolentes de adverſitate & deſolatione terræ Hieroſolymitanæ: promiſerunt ſe, Domino auxiliante, celerem ſuccurſum facturos terræ illi, & in his finitum eſt colloquium.] Hactenùa de his ipſe. XX.

E Porrò hoc eodem anno ipſe Henricus Anglorum Rex leges pias valdè Eccleſiæ rebus faventes condidit, quas recitat in ſuis Annalibus Rogerius, quibus abſterſit, quas contraxit maculas impugnando Eccleſiaſticam libertatem temporibus ſancti Thomæ martyris. Rex Angl. favet Eccleſiæ.

Ubi autem iſta innotuere de Occidentalium apparatu, & fama majora veris ad Orientales afferret: Emmanuel Imperator de Latinorum tanta expeditione ſollicitus, ſibi timens, ne in tranſitu aliquid in Imperium Franci molirentur: ſcripſit litteras ad Romanum Pontificem Alexandrum, de procurando rebus ſuis ſecuri- XXI.

tatem,

A tatem, mittendoq; cum Francorum exercitu aliquem S. R. E. Cardinalem Legatu, cujus reverentia illi compeſcerentur. Extat ejuſmodi Manuelis epiſtola in collectione antiquorum diplomatum, facta per Benedictum Papam Duodecimum, quam apud nos habemus. Sic itaque Emmanuelis litteræ ſe habent:

Ad Alexandrum Tertium Emmanuel Comnenus Imperator.

XXII. Emman. Imp. Alex. Papam litteris monet.

Sanctiſſime Papa. Cùm didiciſſet Imperium meum per miſſam ad me ſcriptam epiſtolam ſanctitatis veſtræ, quia proto- B nobiliſſimus Rex Franciæ moturus eſt exercitum cùm aliis quoque Principibus, & Comitibus, & reliquis magnatibus in ultionem S. Sepulchri contra inimicos Dei: valdè hoc gratum habui, ſicut anteà quoque ſcripſi tuæ ſanctitati, & paratum eſt Imperium meum ſecundùm ſcriptam epiſtolam tuæ ſanctitatis, præparare his tranſitus in Orientem, & meatus in omnem Occidentem. Quia verò, ſi præbenda ſunt eis neceſſaria, ſine vexatione debent permanere terræ Imperii mei; neceſſe eſt certificari Imperium meum à declarato protonobiliſſimo Rege, & cum C eo venientibus, ne lædatur terra Imperii mei quomodolibet in tranſitu eorum. Quia & Imperium, & tranſitus paratus eſt iis, & meatus in Occidentem, & contra Turcas tranſitus in Orientem. Et ipſi quidquid receperint civitatum à Turcis, quod intra confinem Romaniæ perſtiterit (quarum catalogus miſſus eſt cum Apocriſariis Imperii mei) tradant hoc Imperio meo. Vult ergo meum Imperium excitari ad hujuſmodi cauſam tuam ſanctitatem, & cooperari ad hæc, & ſcribere protonobiliſſimo Regi Franciæ, & his qui cum eo venturi ſunt magnatibus, D quòd certificationem de hoc faciant Imperio meo per præſentes Apocriſarios.

XXIII. Quia verò tua ſanctitas in hujuſmodi Deo placito ſervitio curatrix facta eſt, ut per ſcripturam ſuam cognitum eſt: hoc Imperium meum vult, ut Cardinalem mittat tua ſanctitas in tranſitu horum, & aliquod ſignum certius ab omnibus Francis clarè cognitum, clare miſſum Imperio meo. Quòd ſi fortè quidam ſtulti inquietum quid tentaverint contra terram Imperii mei: per eum ab hujuſmodi cœpto refrænentur. Nam quòd in tanta multitudine non ſint quidam etiam ſtulti, om- E ninò impoſſibile eſt. Imperium verò meum mirabatur, quomodò nunc uſque non miſit ſanctitas tua ad ipſum noſtrum Imperium Nuntios, & redocuit ipſum per litteras de ſoſpitatibus tuæ ſanctitatis, quomodò Deus eam adjuvet. Non eſt enim inconveniens, ut Imperium meum crebrò diſcat de ſalute tuæ ſanctitatis, ſi à tua ſanctitate eodem modo quod à Deo adjuvetur Imperium meum. Si verò plus etiam quid vult inter nos fieri tua ſanctitas, ad unionem noſtri, & concordiam majorem t gratum hoc & acceptum Imperium meum arbitrabitur, vel in utilitatem provincia-

A rum Chriſtianorum. Præſens verò Nuntius Imperii mei . . . . . . viriliſſimus ac nobilis eſt fidelis Imperii. Miſſa menſe Martii, Indictione decimatertia, cuſtodita civitate.

✠ MANUEL IN CHRISTO DEO FIDELIS REX Porphyrogenitus, ſublimis, celſus, fortis, Auguſtus & Imperator Romanorum Comnenus.

XXIV. Manuelis Imp. obitus Alexand. Comn. filius ſuccedit.

At ipſe Manuel Imperator hoc anno, pridie Nonas Octobris ex hac vita migravit, ut tradit Vvillelmus Tyrius. Cujus, inquit, eleemoſynas & beneficia lar- B giſſima enarrabit omnis Eccleſia Sanctorum.] Subrogatus eſt ejus filius Alexius Comnenus Porphyrogenitus. Hoc namque anno decimatertia indictione obiiſſe Manuelem, etiam Nicetas habet ſecundùm in margine poſitam lectionem, atque monaſticum ſumpſiſſe habitum in obitu, ſicque publicè pœnitentem ex hac vita migraſſe.

XXV. Conc. Conſtantinop. celebrandum indictum.

Idem verò affirmat auctor, paulò ante obitum ab eodem Imperatore Emmanuele curatum celebrari Concilium. Collectos enim fuiſſe undique viros doctiſſimos ad differendas in cauſa Fidei quaſdam, C quæ emerſerant, quæſtiones, teſtatur pluribus. Quando inter alios etiam longè poſitos vocatus fuit Georgius Epiſcopus Corcyræ inſulæ litteris Patriarchæ Conſtantinopolitani. Cùm idem ad ipſum litteras reddidit, quas inter alias conſervat Metianus codex, eaſdemque ab ipſo Federico Metio Epiſcopo Thermularum in Latinum converſas ad nos miſſas, hic, ne pereant, curavimus deſcribendas, ut ſeſe mutuò videas ſcalpere ſchiſmaticos, cùm mutuis ſe colant officiis, & laudibus ornent. Georgium enim hunc ipſum Græcorum ſchiſma foviſſe, ejus litteræ de obi- D tu Nectarii infrà reddendæ ſatis oſtendunt. Ipſa autem epiſtola ſic ſe habet hac inſcriptione notata:

Epiſtola Georgii Metropolitæ Corcyræ ad ſanctiſſimum Oecumenicum Patriarcham, nomine Prælatorum, quando acceperunt mandatum ab eo, ut ad Synodum convenirent.

XXVI.

Nos, qui in hac Occidentali regione pontificalem ſuſcepimus curam, & qui populus tuus, & oves paſcuæ tuæ eſſe, & dici non erubeſcimus, ò ſuperlucens ſol Patriarcharum lucidorum Orbis, noſtri Principis mandatum paulò ante congrega- E vit feliciſſimi Ducæ Domini Emmanuelis, qui pietatem armis ornavit, & arma pietate illuſtravit. Sed mandatum ipſum, & congregatio ipſa nihil eſt, cùm litteræ ſanctitatis tuæ, ad ejus altitudinem & celſitudinem miſſæ, ad univerſale auditorium, & Synodum nullo pacto nos efficaciùs convocarent. Convenimus itaque in unum, alius aliundè, & omnes ad ſacri cœtus complementum, excepto uno aut altero, vel fortaſsè tertio, qui rationabili detenti ſunt cauſa. Quoniam verò quaſi principio quodam & ſigno dato, dicto Principis mandato, noſtra Prælatorum

Nihil mãdatum Imperat. ſine Epiſcopali auctoritate.

caterva

caterva recto tramite ſe ad iter accinxit, & quicumque & dignitate, & armis, & dicendi peritia præſtabat; quinimmò quicumque virilem ætatem ſunt adepti. Et quis nunc dicere poſſet divinas illas & cœleſtes emiſſas voces, & Orbi Orbem jungentes? Orientali ſcilicèt & ſuperiori Orbi Occidentalem hunc & inferiorem, deſcendentem parumper à priore illa aſcenſione, & elatione ſua? Oportet enim quæ antiquiora ſunt, honorabiliora etiam omninò remanere, & ſolidiora minus ſolidis, quemadmodùm ſimpliciora compoſitis, & cor, cæteris corporis partibus, & truncos ipſos ramorum & foliorum ſoliditate: Priora enim continent ea, quæ ex iis ſequuntur: & nullo pacto eſt ferenda ſegregatio ab invicem. Siquidem rectè conjiceret aliquis huc tendere ſolutionem (a) Danielis, viri ſcilicet deſideriorum, quæ declarabat Babylonii Regis inſomnia, quibus imaginis & ſtatuæ partibus, aliud per auri puritatem myſticè ſignificatur, aliud per argentum denotatur, aliud per æs, & aliud per ferrum, & aliud per tegulas ipſas: quorum incongruentiam, quam inter ſe habent, penitùs damnat. Teſta enim, & ferrum natura ſua inter ſe non benè conveniunt, & coeunt. Sed per aurum & argentum Principatus omni pietatis genere ornati ſignificantur, auro ſcilicèt is, qui circa Orientem viget Principatus; argento is, qui hic in Occidente quaſi argentum relucet, Principatus demonſtratur. Sed noſtra convertatur oratio, undè digreſſa eſt.

a *Dan.* 2.

XXVII. Acceſſerũt litteræ Patriarchæ.

Cùm primùm nobis Patriarchales lectæ fuerunt litteræ, & omnia in eis contenta à principio uſque ad finem, toto, ut par erat, accepimus corde: quænam lingua muta remanſit? Quodnam os ad hymnos gratiarum plenos non erupit? Et Deus magnificatus eſt per te domine, ejus participatione deificatum ſimul & deificantem eos, qui doctrinæ tuæ facilè obediunt. Ambroſiæ namque quaſi guttæ quædam viſæ ſunt, quæ deſtillaverunt à feliciſſimo domino noſtro epiſtolæ ſcriptæ, non ſolùm gravitate conſiliorum, & monitionum, ſed proprietate etiam ſententiarum ſanctorum Patrum conditæ, quaſi melle quodam, quinimmò auditores omnes, quaſi è naribus trahebant omnia, ut nihil ampliùs cogitarent, quàm quod par erat; neque ſcilicèt priores terminos proſiliendos, neque leges irritandas, quæ à Patribus nobis traditæ ſunt. Hac de causâ nos omnes, qui magnitudinis tuæ ſuppoſitores ſumus; virgam tuam & baculum tuum, iſtam quidem ut diſciplinam, illum verò ut conſolationem agnoſcimus, & tuis veſtigiis inhærere ſtudemus, & pro virili te primum paſtorem noſtrum imitari, & ad te unum feſtinare contendimus, & animas gregum noſtrorum attentè agnoſcere, nec inſtar mercenariorum quorum non ſunt oves propriæ, illas luporum dimittere inſidiis, nos ipſos pro viribus accendimus & hortamur. Beatos enim illos divina

A oſtendit Scriptura, (b) quorum dimiſſæ ſunt iniquitates; necnon tecta ſunt eorum peccata, largitum eſt ipſis. b *Pſal.* 31.

XXVIII.

Hanc verò beatitatem unde nos adipiſcemur? & unde hanc metemus meſſem, niſi per te bonæ pœnitentiæ ſeminatorem, & præconem? Inſeria enim eam cordibus peccatorum, tùm verbis, tùm operibus. Et ecce meſſis eorum, quorum arcates non ſunt petrarum copioſæ, neque pertinaces, & abruptæ, & præcipitiorum plenæ: reddunt in tempore opportuno copioſam & maturam meſſem, & fruges. Non enim metes, ubi non ſeminaſti: juxta (c) eum, c *Matt.* 25.
B qui ſervis ſuis talenta diſtribuit, ut in parabola Evangelica: Si enim non ſeminaveris: unde ſperas te collecturum fructum juſtitiæ, & vitam æternã? Satiſne hæc ſunt pro animis, quæ per ſe alios conſolatur, & quæ viſcera habet miſericordiæ? quæ ſtis videlicèt tua. Vel addamus aliquid aliud, quo te precemur & obſecremus, ſumentes ex magnis illius Haiæ vocibus: (d) d *Iſai.* 60.
Tolle, ô diviniſſime domine, circumcirca oculos tuos; & vide omnes filios tuos. Ecce congregati ſunt, & venerunt ad te, id eſt, ad tui obedientiam & obſequium ſacrum videlicèt & legitimum.
C Si enim nondum (ut ſupra dictum eſt) in aliquo particulari loco eſt congregata pontificalis Synodus. Nonnulli enim, & hi quidem perpauci defuerunt; ſumus tamen omnes concordes, & quaſi membrorum connexio quædam, & catena, & communis & publici commodi nobis eſt cura, ut ſimul omnes tegere, & quod in eadem habetur potentia, omnes nos eadem ſtola induere valeas, & ſponſæ ornamento ornare, & dicere in corde tuo: Quis genuit mihi iſtos? & quàm velox & prompta obedientia, & animi promptitudo? & Patrum terminos immobiles, quaſi lapides
D iſtos, quibus facilè utimur ad conſtruendas domos, ſub te ſtatuunt, donec videlicèt ſapientiæ ſeptem columnis firmata & ornata (& valeat invidia, procul abſit omnis calumnia) ut pulchra Dei ædificetur domus, & augeatur. Hoc ſit initium noſtrarum reſponſionum; hæc prima conſtitutio: hæ ſint noſtri cœtus ſcalæ primò poſitæ & fundatæ, quarum extremitas ad te, ſanctitatis videlicèt & puritatis cœlum, extenditur. Habent autem greſſum ſuum inter nos, qui ſerpimus humi, ut ſit nobis propterea confidendum, futuras aſcenſiones & deſcenſiones Angelorum, evange-
E lizantium pacem; & omnia alia bona. Intelliget verò quiſpiam Angelos, vel ſermones tuæ ſapientiæ, quæ Deo propinqua eſt, vel eos, quos mittis quotidiè tabellionea litterarum, tùm à feliciſſimo domino noſtro magno Imperatore, qui gratiæ donum adeptus eſt; & à magna ſanctitate tua, quæ Chriſtum Dominum in omnibus imitatur. Quapropter humilem adorationem tibi mittimus, & exhibemus, ut tui oratores indeſinentes & totam, quæ magnæ ſanctitati tuæ aſſidet & inhæret, ſacram & à Deo cuſtoditam Synodum rogamus

A mus ſimul omnes, ut nobis fraternas dilectiones, & orationes & benedictiones largiatur] Hæc ad Patriarcham Georgius. Sed quod ad Concilium ſpectat, intercepit illud obitus Imperatoris.

XXIX. De Nectarii Abbatis obitu laudatio Georgii.

Quod autem contigit inter hæc ex humanis ſurripi Nectarium Abbatem monaſterii Caſulorum, in Magna Græcia conſtituti, qui videbatur cæteros ejuſdem ſchiſmaticæ factionis excellere doctrina & animoſitate dicendi: ſcripſit de eo monodiam idem Georgius Metropolita Corcyræ. Extat ſiquidem in dicto codice Metiano, ab eodem Federico Metio Epiſcopo donata Latinitate, quæ ſic ſe habet epiſtolæ titulo: B

Prudentiſſimo Judici Hydruntis, & noſtro dilecto ſpirituali filio domino Nicolao, Georgius Corcyræ Metropolita.

XXX.

Quid dixiſti, ò bone vir, & quale verbum ex ore lapſum eſt tuo? vel potiùs adversùs nos es jaculatus? utrúſque ad oſſa & medullas nobis quaſi ſagitta cuſpidem tranſuexerit ſuam, & dies moleſtos, & moleſtiores noctes nobis trahendas reliquerit? Quid dixiſti, prudens caput? quid ſcripſiſti? Nectarius mortuus? ſub lapide conditus eſt Nectarius? ſub humo defoſſus eſt? Et quiſnam renuntiabit hanc vocem C adeò amarum ferentem nuntium iis, qui cognoverunt virum illum; & iis, qui vel modicum guſtaverunt ejus ſapientiam, & virtutem in omnibus ſingularem? Hei mihi, quomodò me invaſit timor, quem timebam; & quod verebar, contigit mihi? Timebam enim, quòd ſegregatus ego à Nectario propter hoc, quod intercedit mare, & mundanarum rerum converſationibus, & viciſſitudinibus agitatus, non valerem extremos dare amplexus, nec extremum Vale dicere ſacræ illi & beatæ animæ, orthodoxiæ ſcilicet firmamento, & Italorum gloriæ, & inclytæ Romæ nobiliſſimo ornamento. Ita certe. Honoravit D enim tandem etiam glorioſiſſimorum Apoſtolorum Principem, cùm ſatis illuſtre & inſigne eſſet ibi locutus, & periclitanti civitati pro virili ſua eſt auxiliatus. Stetit enim quaſi altera nubis columna, ſuis quidem umbra, & mite, & ſuave propugnaculum fidei factus, adverſariis verò quaſi ignis comburens, apparens. Mihi autem opinari in mentem venit, quòd ea, quæ tunc habita fuit diſputatio, mirabilem illum manifeſtavit coram illo præſidentium cœtu, & ſupercilium attollente circumcirca; & conante myſterium noſtræ perfectionis E conculcare: ſed mirabiliorem puto illum factum ipſis angelicis choris, è cœlo fortaſsè obſervantibus, & verba excipientibus robuſti illius ſenis, cujus robur & vigorem longa ætas non debilitavit, ſed vigebat animo & robore, & eos qui ſermonis velocitate & facundia præſtabant, quaſi juxta Lydium currum currentes, tardos & ſegnes demonſtrabat. O cor, è quo ſcatebat fons ſapientiæ! vel potiùs venter Evangelicus, de quo (ut Evangeliſta ait) fluvii pietatis emanabant, & ſcaturiebant!

A O lingua nihil unquam non opportunè loquuta, ſed ingenue proferens, & opportunè, quæ oportebat, auditorem ſua facilitate, & dicendi copia trahebat. Novi enſem utrimque ſecantem, & romphæam bis acutam, quibus ſi Nectarii linguam comparavero, invenio illam longè acutiorem, adverſùs eos, qui Spiritui ſancto bellum inferunt, terribilem factam; illis verò, qui Moſem ſequuntur, & propter pravam eorum mentem, quam à patribus acceperunt, ſcapham ſemper ſcapham dicunt, eorum capita quamprimum abſcindentem, & ut neque adverſis oculis intueri B valerent eum, ipſos arguentem invincibili quadam virtute. Et quemadmodùm diviniſſimo illi Stephano protomartyri, myriades illorum conveniſſent, & inſano quodam furore lapides in eum jacerent.

XXXI.

Hunc ergò ſunt inſecuti Nectarium talibus inſignem virtutibus, & profana & ſacra ſapientiâ præſtantem, & magnum rationalibus & ſpeculativis ſcientiis, ſed longè majorem ea vita, quàm ſecundùm Chriſtum duxit, ut alterum alteri miſtum & compoſitum optimam faceret compoſitionem, & ad ſui admirationem & ſtuporem eos traheret, qui cum ipſo agebant, C dum viveret in terra Nectarius beatæ memoriæ: quis igitur dignè nunc laudaret eum vita defunctum? & quis eum lacrymis honorabit, ſicuti decet? ego verò & mutus remaneo præ magnitudine doloris, quaſi fulmine quodam tactus. Oculorum enim meorum concava abundant indeficientibus lacrymis; hebetantur vocis inſtrumenta, præ doloris vehementia contracta remanent; & fateor vinci dolore, hac victus calamitate & infortunio; memoria tantùm præteritorum quaſi reſolvi periclitans in ea, ex quibus conſto. Qui infirmum confirmabat, & quod labebatur D ſuſcipiebat: qui ex ignavia nos excitabat, & antiquorum Dei operum revocabat & inſtaurabat memoriam, ut idem eſſet, ac ſi igni accederet aliquis, qui jam cryſtalli inſtar fuiſſet congelatus, dum ad lumen epiſtolarum ejus mentis oculum dirigeret, & indè foveretur, & illuſtraretur. Quando ejus ſcripta præ manibus habeo, utroque idiomate exarata, Græcè inquam & Latinè; tunc cùm Spiritu ſancto eſſe mihi videor, & Spiritus ſancti proceſſionem à Patre, quæcumque illa ſit, edoceor, & novi modum ſubſiſtendi incommutabilem, & perſonarum Trinitatem non confundo, E & adverſariorum partes damno, qui novam inveſtigant & quærunt viam, obliquam videlicèt, & juxta illud, obtortam & ſiniſtram. Cùm verò & memoriam revoco, quæ ipſe ab Hebraico vertit idiomate, & rectè explicavit ſermone: meum JESUM Dominum animo concipio, in medio doctorum in ſynagoga ſedentem, & eorum ora obſtruentem, cùm nullus auderet ipſum ampliùs interrogare, & jam confuſi & muti circumſtarent propter eorum malam, & Deo adverſam doctrinam & mentem.

Græciſmus ſchiſmaticorū.

Ita

XXXII. Ita equidem defuncti Nectarii virtutibus captus ſum, & quaſi avicula ex pennis detineor & contineor. Miraberis itaque fortaſsè, ſi ex lacrymis in lacrymas iterùm ſolvor, & conſolari minus valeo? Tu verò ejus alumnus, qui à puero cum illo es commoratus, & ejus virtutibus frui potuiſti; utrum cum tempore dolorem commenſurabis? & quaſi tabula, quæ facilè deleri poteſt, abjeciſti doloris colores? vel potiùs profundo illum ſervabis animo, & pectore? quod equidem magis credo. Cujus enim (inquit tragicus Poeta) memoria labitur beneficiorum, non eſt ille nobilis vir. Adeſdum igitur, & ſimul ploremus commune noſtrum ornamentum & decus. Adeſdum, ſimul ſuſpiremus pro ſacro illo Nectarii capite, quod terra cooperit. Utamur enim paulisper poeticis verbis, & cohors Pneumatomachorum, multorum quidem capitum, gaudebit quàm maximè, cùm non ſit ampliùs magnificus ille noſter Hercules, qui, cùm multi eſſent ſtrenui & præſtantes adverſarii in diſputando, eorum tamen omnium genua ſolvit, & erat etiam ſoluturus, ſi in hac ſupereſſet vita.

XXXIII. Quoniam verò æterna impleri oportebat tabernacula, & cœleſtium torcular Nectareo indigebat muſto: translatus eſt à nobis florens illa ſermonis ſuavitas; & vinea cognitionis ferens racemos evellitur. Deo itaque & cœleſtibus choris jucunda hinc erit ſuavitas; nos verò duram patiemur famem, & ſitim tolerabimus ardentem, audiendi ſcilicèt ſermonem viri illius, qui ſermone præſtabat & ſapientia univerſa Unum tamen & maximum in

A ſpe nos habere gloriabimur, ſupplices ejus ad Deum pro nobis preces, ut & nos in eadem moriamur pietate, nihil eorum, quæ à patribus nobis tradita ſunt, vel remittentes, vel ab eorum integritate minuentes. Hoc enim eſt unicuique eſſe pium, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram declinare; ſed potiùs in viam regiam dirigi, & ambulare.] Hactenùs Georgius de ſuo Nectario deflendo uberiori quidem lacrymarum imbre; ea ex parte, qua putat eſſe laudandum, quod ut vixerat adverſarius Eccleſiæ Catholicæ, mortuus ſit in ſchiſmate: lugendus & ipſe, dum eadem
B ſe peſte oſtendit infirmum.

XXXIV. Ludovicus Rex Franc. moritur, Philippus regnat. Quòd autem in funeribus ſumus: addamus quòd hoc eodem anno Ludovicus Francorum Rex decimoquarto Kalendas Octobris moritur; Philippus verò ejus filius jam anteà coronatus liberas ſolus regni habenas moderari cœpit, cùm & Petrus S.R.E. Cardinalis tituli S. Chryſogoni Legatus Apoſtolicæ Sedis ipſum cum Rege Anglorum ſtrinxit perpetuo pacis fœdere. Cujus & litteras Rogerius in Annalibus recitat.

XXXV. Quo pariter anno (addit Vvillelmus de bello ſacro) pridie Nonas Octobris Amalricus Patriarcha Hieroſolymorum
C anno vigeſimoſecundo ſuæ ſedis ex hac vita migravit, cui ſubrogatus eſt Heraclius Cæſarienſis Archiepiſcopus. Ita ſucceſſio Latinorum Patriarcharum, non autem Græcorum, qui ſuum ſchiſmaticum Patriarcham habebant, quem iidem Græci colebant. Erat autem hoc tempore Græcorum Patriarcha Hieroſolymorum Athanaſius.

JESU CHRISTI ANNUS 1181. | ALEXANDRI PAP. III. ANNUS 22. | FRIDERICI IMP. 27. ALEXII COMN. IMP. 1.

I. Alex. Papa Gaufredũ filiũ Reg. perſtringit. Sequitur annus Redemptoris milleſimus centeſimus octuageſimus primus, Indictione decimaquarta, quo Alexandro Papæ agendum fuit adverſùs Gaufredum ſecundogenitum Regis Angliæ, eò quòd electus cùm fuiſſet ad Epiſcopatum Lincolnienſem, ipſe tamen mente procul aliena, non quæ eſſent curæ Epiſcopalis cogitaret, ſed quæ potiùs ad militarem exercitationem pertinerent, non ſine ſcandalo, atque ejus Eccleſiæ graviſſimo detrimento. Quamobrem peremptorias ad eum litteras dedit, Eccleſiaſtica cenſura graves, quibus moneret eum, vel ſuſcipere ſacros ordines, & initiari ſacerdotio, & ſic in Epiſcopum ordinari; vel electioni penitùs renuntiare, ut alius deligi poſſet Epiſcopus. Quod & fecit. Iſta autem omnia Rogerius in Annalibus ita deſcribit.

II. Eodem anno dominus Papa diſtrictiùs in mandatis dederat Richardo Cantuarienſi Archiepiſcopo, ut omni occaſione & excuſatione poſtpoſita, Gaufredum Lincolnienſis Eccleſiæ Electum, domini Regis Angliæ filium, Eccleſiaſtica cenſura
D compelleret electioni ſuæ renuntiare, vel ſine dilatione ordinem ſacerdotis, & pontificalis officii dignitatem recipere. Gaufredus igitur in arcto poſitus, & imperfectum ſuum ſentiens, conſiderans que ſe tantæ adminiſtrationi minimè poſſe ſufficere: maluit ab Epiſcopalibus abſtinere, quàm onus importabile ſibi imponere. Unde in hac forma ſcripſit Richardo Cantuarienſi Archiepiſcopo.

III. Venerabili patri & domino Richardo Dei gratia Cantuarienſi Archiepiſcopo, Apoſtolicæ Sedis Legato, Gaufredus domini Regis Angliæ filius, & Cancellarius, ſalutem, & reverentiam debitam ac devotam.
E

Gaufredus ſuæ renũtiat electioni. Placuit majeſtati Apoſtolicæ, veſtræ injungere ſanctitati, ut me certo tempore vocaretis ad ſuſcipiendum ordinem ſacerdotis, & pontificalis officii dignitatem. Ego verò conſiderans, quamplures Epiſcopos maturiores ac provectiores prudentia & ætate vix tantæ adminiſtrationi ſufficere, nec ſine periculo animarum ſui officium pontificatus ad perfectum explere.

veritus ſum onus, importabile ſenioribus, mihi imponere juniori, faciens hoc non ex aliqua levitate animi, ſed ob reverentiam ſacramenti. Habito itaque tractatu ſuper hoc cum domino Rege patre meo, dominiſque fratribus meis Rege, & Pictaviæ, & Britanniorum Comitibus, Epiſcopis etiam, Henrico Bajocenſi, Frogerio Sagienſi, Reginaldo Bathonienſi, Sigefrido Ciceſtrenſi, qui præſentes aderant, aliter de vita & ſtatu meo diſpoſui, volens patris mei obſequiis militare ad tempus, & ab Epiſcopalibus abſtinere. Omne itaque jus electionis meæ, & Lincolnienſem Epiſcopatum ſpontaneè, liberè, B & integrè in manu veſtra (pater ſancte) reſigno, tàm electionis, quàm Epiſcopatus abſolutionem poſtulans à vobis, tamquàm à Metropolitano meo, & ad hoc ab Apoſtolica Sede ſpecialiter delegato. Benè vale.] Similiter ſub eadem forma idem Electus ſcripſit Canonicis ipſius Eccleſiæ Lincolnienſis, poſtulans ab eis electionis in Epiſcopum abſolutionem. Dominus autem Rex, cujus conſilio Gaufredus filius ejus, electionem ſuam in manu Cantuarienſis Archiepiſcopi reſignaverat, dedit ei Cancellariam ſuam, & quingentarum marcharum redditus in Anglia, & to- C tidem in Northmannia.]

IV. Excommunicatur Rex Scotiæ.

Eodem anno qui in Scotia fungebantur Apoſtolicæ Sedis legatione, inſtituti ab Alexandro Papa, tulerunt ſententiam excommunicationis in Regem ipſum Scotiæ Vvillelmum, & ejus regnum interdicto ſubjecerunt. Quænam autem cauſa præceſſerit, ita Rogerius ſignificat in Annalibus: Hoc ipſo anno Rogerus Eboracenſis Archiepiſcopus Legatus in Scotia, & Hugo Dunelmenſis Epiſcopus ex auctoritate domini Papæ mandaverunt Priori ſancti Andreæ, & perſonis Eccleſiaſticis per Epiſcopatum ſancti Andreæ conſtitutis, D ut venirent ad Joannem Epiſcopum ſuum, & illi debitæ ſubjectionis reverentiam facerent; ſin minus, in contumaces & rebelles ſententiam ſuſpenſionis inferrent. Cùm autem quidam virorum Eccleſiaſticorum de Epiſcopatu ſancti Andreæ metu ſuſpenſionis venirent ad præfatum Joannem Epiſcopum: Vvillelmus Rex Scotiæ illos à regno ſuo ejecit cum filiis & cognatis, & etiam illis, qui adhùc pendentes ab uberibus matrum vagiebant in cunis. Quorum miſerandam proſcriptionem & exilium Rogerus Eboracenſis Archiepiſcopus, & Hugo Dunelmenſis Epi- E ſcopus videntes, proceſſerunt in mandatum domini Papæ. Rogerus Eboracenſis Archiepiſcopus excommunicavit Vvillelmum Regem Scotiæ, & ipſe & Hugo Dunelmenſis Epiſcopus tulerunt ſententiam interdicti in totam terram Regis Scotiæ, mandantes Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, & cæteris viris Eccleſiaſticis ſententiam illam interdicti firmiter & inconcuſsè obſervare, & ipſum Regem ſicut excommunicatum cautiùs evitare.] Hæc omnia ſub Alexandro Papa. Sub Lucio

A autem ſucceſſore legatio Romam ad ipſum miſſa eſt anno ſequenti, de qua ſuo loco dicetur. De reliquis autem hoc anno rebus geſtis ita pergit idem qui ſuprà Rogerius recenſere.

V. Alex. Papæ Obitus.

Hoc eodem anno Alexander Papa poſt Pontificatus ſui digniſſimam functionem ex hac vita migravit duodecimo Kalendas Octobris, ſive ut alii, ſexto Kalendas Septembris, cùm ſediſſet annos vigintiduos minus diebus ſeptem. Antequàm autem ad ſucceſſorem tranſeamus, de ejus ſcriptis agendum. Extabant totidem libri epiſtolarum ejus, quot numerati ſunt B anni Pontificatus ejus; citatos enim à collectoribus decretorum invenimus ex ipſis libros undecimum, decimumtertium, & decimumquartum epiſtolarum ejus, quos omnes periiſſe dolemus, licèt ſive in collectionibus decretorum, ſive in aliis voluminibus diverſorum auctorum multa ſint reperire ejuſdem Pontificis monimenta. Teſtatur & Henricus de Gandavo libro de Viris illuſtribus, quòd ipſe Alexander collegit ſeorſum in volumen unum ſuas à ſe datas epiſtolas decretales, quod CONSULTA ALEXANDRI voluit nominari: ſed nec ipſum invenitur. Cùm C enim tot ac tanta ejus ſcriptorum monimenta perierint: nobis major acceſſit labor, ejus epiſtolas hinc inde venandi, è quibus ad hiſtoriam pertinentibus ejus rerum geſtarum contexeremus Annales.

Quod autem extat inter alia in Decretalium collectione Gregorii Noni de Reliquiis, & veneratione Sanctorum, ejuſdem Alexandri Papæ ejuſmodi fragmentum (a) Epiſtolæ, penes omnes canonum doctores vulgatiſſimum: de ejus ſcribendi occaſione dicendum. Sic enim ſe habet:

a Cap. 1. Audivimus, de reliquiis & vener. Sanct.

VI. Alex. Pap. reſcriptū de veneratione Sanctorū.

Audivimus quòd quidam inter vos dia- D bolica fraude decepti, hominem quemdam in potatione & ebrietate occiſum, quaſi ſanctum (more Infidelium) venerantur, cùm vix pro talibus in ebrietate peremptis Eccleſia permittat orare. Dicit enim Apoſtolus: (b) Ebrioſi regnum Dei non poſſidebunt. Illum ergò non præſumatis de cætero colere; cùm ſi per eum miracula fierent, non liceret ipſum pro Sancto, abſque auctoritate Romanæ Eccleſiæ venerari.] Hæc Alexander. In quibus quòd ſcimus magnoperè laborare interpretes, ad ipſorum elucidationem aliqua hiſtoricè afferemus, quæ magnoperè con- E ducant ad ipſius verborum germanum ſenſum. Atque illud in primis, quòd dum ait, etiam præviis miraculis non licere aliquem coli pro Sancto abſque auctoritate Romanæ Eccleſiæ, utique non privatum, ſed excludere voluit illum publicum cultum, quem conſuevit Eccleſia Sanctis probatis deferre. Siquidem privatum exhibitum vidimus ejuſdem tempore Alexandri Papæ ſancto Thomæ Archiepiſcopo Cantuarienſi, quem legimus privato cultu omnium accedentium ante canonizationem frequentatum, quippè

b Epheſ. 5.

qui

A qui coleretur ab accedentium frequenti
cœtu Fidelium, hoc non prohibente ipſo,
qui ſciret, Romano Pontifice Aleſandro,
immò gaudente ipſo, & gratias Deo utiq;
agente. Cujus poſteà miniſterio ſolemni
ritu ſancitus eſt publicus ille Eccleſiæ cul-
tus, qui Sanctis non niſi poſt canoniſatio-
nem conſuevit impendi. Sic igitur nequa-
quàm prohibitum intellexiſſe potuit priva-
tum Fidelium cultum, quem exhibitum
fuiſſe ſancto Thomæ, idem Pontifex ga-
viſus eſt, ſed illum, qui receptis Sanctis
tribui ab Eccleſia conſuevit.

VII. Quod rursùs ad præſentem cauſam ſpe-
B ctat: nec privatum quidem cultum impen-
di debuiſſe illi in ebrietate occiſo, puto,
voluit intellexiſſe, etiam (ut ait) ſi per
eum miracula fierent, hoc eſt facta dice-
rentur. Quod autem magnoperè condu-
cit ad legitimum verborum ſenſum, ſi ipſa
facti ſpecies ob oculos præſentetur: age
modò aperiamus, quiſnam fuerit ille,
qui in ebrietate occiſus fuiſſe dicitur. Ex-
tat de his epiſtola data ab Arnulpho Lexo-
vienſi Epiſcopo ad eumdem Aleſandrum
Pontificem, quam hic reddendam duxi-
mus, ut rei geſtæ hiſtoria plenius cogno-
ſcatur. Sic enim ſe habet ipſa jam cuſa cum
C aliis ejuſdem auctoris epiſtolis:

Ad Papam Alexandrum Tertium Ar-
nulphi Epiſcopi Lexovienſis.

Conſultatio Epiſc. Lexovien. ad Alexan. Papam. Eſt in Epiſcopatu, cui Deo permitten-
te deſervio, monaſterium quoddam nomi-
ne Griſtanum, quod aliquando ſuavitatis
odorem circumquaque diffudit. Sed in
diebus Abbatis iſtius merita diu laboravit
infamia. Sic & præſentes vidiſſe conſtat,
& remotos audiſſe. Nec enim intra dome-
ſticos parietes contineri ſcandala potue-
runt, quæ procedente temeritatis auda-
cia, publicis offerebantur aſpectibus, &
per ora publica perſonabant. Quoniam
D Fratres loci illius ab operibus ejuſmodi
nec timor Dei, nec hominum reverentia
cohibebat. Quorum quantò major imma-
nitas extitit, tantò latiùs celeriùſque fa-
ma diſcurrente, vulgata ſunt, majoremq;
apud omnes contraxit offenſam, quòd pa-
làm tanta à ſanctuario procedere malitia
videretur. Siquidem nulla, vel modica
erat intrinſecùs regularis obſervantia di-
ſciplinæ; minor extrinſecùs exhibitio cha-
ritatis: quia nec hoſpites agnoſcere con-
ſueverant, neque quidquam pauperibus
impartire, ſed ipſas etiam communis
menſæ reliquias ad impendendum priva-
E tis affectibus diſſolutionis impudentia re-
ſervabat. Parva ſunt hæc, ſed ad ſangui-
nem prorupit inſania, ut à nulla ſpecie
criminis manus eorum ſervarentur immu-
nes. Conſtat eos in clauſtro ſtrictis invi-
cem concurriſſe cultellis, ſicut cicatrices
vix obductæ, & recentia quoque vulnera
proteſtantur, ac niſi de cultellis eorum
pugionem provida ſuſtuliſſet antiquitas,
ſæpiùs uſque ad alternas etiam mortes in-
temperantia deſæviſſet.

VIII. In monaſterio ipſo immerſam aquæ fri-
gidiori mulierem vis algoris extinxit. Ut

A enim miracula facere crederentur, & qui-
buslibet commentis ſæcularium perſona-
rum frequentes invitarent acceſſus, ſani-
tatis remedia promittebant ei, quæ ſe in-
cantatæ ab eis neſcio quibus carminibus
aquæ ſepties ſuſtineret immergi: ægra ita-
que mulier aquæ glaciali frequenter im-
merſa, inter manus comprimentium mo-
nachorum congelata deceſſit, dum vim al-
goris ægritudo non ſuſtinet, & profana re-
ligio naturam potius irritat ad perniciem,
quàm Dei miſericordiam ad ſalutem. Mi-
niſtrum coquinę, cùm debitum pronus exe-
quereturofficium, quidam è monachis in-
B terfecit, quia dicebatur aliquando de ni-
mia illius circa uxorem ſuam frequentia
murmuraſſe. Cervicem itaque ipſius ad-
acto totis viribus piſtillo grandiore con-
fregit, & innoxio ſanguine pulmenta,
quæ tàm ipſi, quàm cęteris Fratribus pa-
rabantur, aſperſit. Super quibus cùm ego
ſæpiùs Abbatem charitate debita commo-
nerem (nec enim ſeveriùs cogere permit- * ſ. diſtri-
tebar) diſſimulandum potiùs, quàm * ctione,
diſtinctione monaſtica cenſuit occurren-
dum. Dedit itaque diſſimulatio remiſſa
fiduciam; quia ſibi nihil non licere cre-
debant, quos nec ratio propria, nec alie-
C na correptio refrænabat. Porrò nulla Ab-
bati diſciplinæ reſtabat auctoritas: quia
etiam à reprobis eorum diſciplina conte-
mnitur, in quibus benè compoſitæ mentis
opera non videntur. Augebat audaciam,
quòd eis in clauſtro neceſſaria non daban-
tur; ſed ad recompenſationem ſubtractæ
neceſſitatis liberior eis evagandi licentia
laxabatur. Solent enim hujuſmodi perſo-
næ patientiùs inopiam portare, quàm Re-
gulam, & à Prælatis ſuis peccandi liber-
tatem quamlibet egeſtate mercantur. Ad
hæc ut nulla eis effluendi deeſſet occaſio:
Abbas ſæpiùs, quaſi ad diſponenda bona
D monaſterii, navigabat in Angliam, ubi
ſine conſorte degens, & judice, gulæ
& lateri (ſicut dicebatur) indulgens, pa-
rum aliquid præter vagos diſcurſus, & li-
tes ſupervacuas exercebat.

Ubi noviſſimè per continuum ferè bien- XI.
nium demoratus, Epiſcopalis edicti neceſ-
ſitate reductus eſt, ſtatumque monaſterii
deteriorem ſatis quàm reliquerat, rever-
ſus invenit. Cumque ſtatim cœpiſſet mo-
nachorum contentionibus infeſtari, feſti-
nantem redire prohibui, niſi ordinato
monaſterio, priùs mihi perſonas idoneas,
quæ curam gererent vicariæ ſollicitudinis,
E aſſignaſſet. Ipſe verò Epiſcopali, qua et
præmineo, auctoritate neglecta, & de-
bito obedientiæ, de cujus exhibitione
vinculo juratæ profeſſionis tenetur aſtri-
ctus: ſine conſcientia mea reverſus eſt,
nemine domi relicto, qui ſciret vel curam
Ordinis gerere, vel temporalia diſpenſa-
re. Quod ſtatim miſerabiliter ipſe rerum
declaravit eventus. Quia is, quem Pro- Ebrius
curatorem reliquerat, ebrius in refectorio procurator
ſuper cœnam duos de Fratribus cultello occiſus.
percuſſit, atque ab eis incontinenti per-
tica, quam caſus obtulit, interfectus.

 Quo

Quo facto veterum criminum renovata memoria ; ab omnibus omnia quaſi ſub unum reducebantur aſpectum, omneſq; publicæ exiſtimationis & famæ judicio condemnati ſunt, quia nullus erat, quem nocentem non feciſſet operatio, vel conſenſus. Itaque eiiciendos omnes plerique dixerunt, & perſonas novi Ordinis penitùs inducendas, ut & in iſtos vindicaret ejectio, & Ordinis obſervantiam novorum inſtitutio reſtauraret. Porrò ego ejectis interſectoribus, quia ſic tàm ratio, quàm metus potentiæ ſæcularis exegit: ad momentum quæ mihi viſa ſunt diſponenda diſpoſui: nec enim quidquam perpetuum conſtitui poterat, cùm de nullo eorum ſatis benè vel fama, vel conſcientia reſponderet. Feci tamen quod potui, donec fortiore conſilio poſſit omnis plantatio, quam Pater cœleſtis non plantavit, avelli.

X. Perdifficilis reformatio diſſolutorū.

Veſtris hoc reſervatur manibus; veſtris erit viribus adimplendum, quia ei, quòd radices altiùs egit, manus non prævalent imbecilles. Super quo, ſi ad communis totius ferè regionis vota reſpicitis, ii, quos ad perpetuam diſſolutionem par convictus, alternique conſenſus gratis ſœderavit, ſegregandi ſunt, & ſigillatim per regularia monaſteria diſpergendi, ut occaſionem peccandi, quam de pravæ familiaritatis conſortio quæſierunt: apud ignotos de diviſione & diverſitate converſationis amittant. Commune votum eſt, ipſique etiam Principi complaceret, in regulares Canonicos monaſterium transformari, ut ipſa ſpecies Ordinis innovata, pleniùs omnem poſſit tollere vetuſtatem, & cetera exempli ſeveritate monaſteria terreantur. Sunt enim aliqua, quorum in tantam diſſolutio prorupit audaciam, ut confuſionem ſuam deprehenſa etiam non agnoſcat iniquitas, ſed induratis frontibus ſemper obſtinatio convaleſcit. Sic autem locus ille in ſtatum dignioris Ordinis exurgeret, & ubique ſemper quaſi præſens eſſe Apoſtolica ſeveritas crederetur. Prætereà provinciam noſtram frequentibus monaſteriis, ipſiſque nobilibus certum eſt abundare, Canonicas regulares paucas habet, ipſaſque pauperrimas, adeò ut ad quærendum Ordinem illum plerumq; noſtrates oporteat ad regiones extraneas demigrare. Bonum itaque pleriſque videretur, ſi paucitas monachorum diſſoluta in multitudinem regularium excreſceret clericorum, & * collocatis utiliter eis, qui ab inſtitutione materna deſciviſſe noſcuntur, ceteri materno poſſent gremio contineri, ne tamquàm ablactati, ad ignotarum matrum ſeveriores depellantur amplexus. Siquidem hoc facto, in nocentes utilis vindicta procedet, quæ, ſublata corporibus peccandi licentia, totum ad ſalutem conferet animarum, & ad conſecranda novellæ plantationis auſpicia, proniora favoris publici vota concurrent.] Hactenùs ad Alexandrum Arnulphus Epiſcopus Lexovienſis eruditione clarus. Quidnam autem ad hæc reſcripſerit Alexander, non invenitur. Illud tantùm ſatis exploratum habetur, quòd Abbatis ille Vicarius Procurator in ebrietate necatus, cùm admodùm impudenter Martyris titulo coleretur à loci illius habitatoribus, miracula (ut ſuperiùs vidimus) affectantibus malis artibus: delatis his ad eumdem Pontificem, ne id fieret, litteris Apoſtolicis omninò prohibuit, ex quibus decretum illud Gregorius Nonus intexuit ſuo Decretalium libro.

* Elocatis

XI. Arnulphus Epiſc. Lexov. Extorris.

At verò ipſe Arnulphus Lexovienſis Epiſcopus hoc ipſo anno (ut Rogerius ſui temporis res ſcribens teſtatur) relinquens Epiſcopatum ſuum ob odium Regis Angliæ, quod incurrerat, Pariſios ſe contulit, ubi apud ſancti Victoris Eccleſiam privatam uſque ad obitum vitam degit. Ita planè, qui adversùs ſanctum Thomam cum aliis ipſi adverſantibus Epiſcopis conſpiraverat, privatus ſui ipſius judicio Epiſcopatu, apud externos vixit inglorius; immò & mortuum hoc anno, Robertus affirmat in Appendice ad Sigebertum. Quòd autem idem Arnulphus anceps adhuc & rerum dubius, an dimitteret Epiſcopatum, conſuluerit Petrum Bleſenſem, quem virum prudentiſſimum colerent ferme omnes ſæculi hujus Antiſtites: ipſe pondere gravem ſcripſit epiſtolam, quam dignam Annalibus hic tibi deſcribendam curavimus; ſic enim ſe habet: (a)

a *Apud Petr. Bleſ. epiſt. 44.*

Reverendo patri ac domino Arnulpho Dei gratia Lexovienſi Epiſcopo Petrus Bleſenſis ſalutem, ſpiritumque conſilii & fortitudinis.

Petr. Bleſ. ad Arnul. de non dimittendo Epiſ. Epiſ.

Cùm ſitis vir alti conſilii, & prudentiæ approbatæ, miror quòd à me, & ceteris minoribus in re periculoſa & ardua conſilium poſtulatis: niſi quia & hoc ipſum prudentia eſt, in arduis rebus minorum explorare conſilium. Frequenter enim minori revelat Dominus, quæ à majoribus abſconduntur. Habetis in deſideriis Epiſcopali adminiſtratione cedere, & ad ſanctum otium vos transferre, ſi ſuper hoc amicorum veſtrorum habeatis conſilium, & aſſenſum. Temerarium eſſet mihi, in re tàm periculoſa & ardua præcipitare ſententiam, niſi priùs omnes veſtri ſtatus circumſtantias cognoviſſem. Scio quia jam declinatis in ſenectam, & ſenium, corpuſq; confractum laboribus & ætate, ſuum prænuntiat imperfectum. Habet equidem ſanctorum Patrum inſtitutio, ut Epiſcopis infirmis & ſenibus coadiutor addatur. (b) Nam & Valerio Hipponenſi Epiſcopo adiunctus eſt Auguſtinus. Quòd ſi Principis indignationem, aut Capituli veſtri vexationes, aut alias hujus vitæ moleſtias formidatis, & ideò pacem eligitis & quietem: hominem degeneris & dejecti animi decet hæc facere, non vos, quem conſtat præ ceteris cor magnificum & munificum habuiſſe. Sanè in hac requie non inveniretis requiem, & ecce in pace veſtra eſſet amaritudo amariſſima, dum recoleretis cum anguſtia ſpiritus gementes, vos ibi deſeciſſe, ubi fortiùs erat ſtandum; abiecto-

b *Poſſid. in vita Aug. cap. 8.*

abiectoque ſpiritu conſilii, & fortitudinis, videretis vos à puſillanimitate ſpiritus, & modica tempeſtate ſubverſum. Ad reſignationem Epiſcopatus nulla, ſi mihi creditis, vexatio vos inducet. Nam hæc omnia fortaſſe operatur Dominus, ut det vobis vexatio intellectum. Trituratur granum, ut reponatur in horreo: quadratur lapis, ut ſine ſonitu mallei in templi ædificio collocetur: movetur turbo, ut Elias (a) rapiatur in cœlum. Si verò veſtri Principis gratiam affectatis, eam poteſtis obtinere leviſſimè, dummodò vos habeatis circa eum humiliter & devotè. Ipſe homo eſt, qui rebellionem & contumaciam in Epiſcopis ſuper omnia deteſtatur. Ipſe eſt, qui ſola humilitate vincit & vincitur.

a 4. Reg. 2.

XII. Qui debeant renuntiare Epiſc.

Porrò aliundè ſubeſſe poteſt legitima reſignationis occaſio. Cùm enim ſcriptum ſit (b) quia proni ſunt ſenſus hominis ab adoleſcentia in malum: dicitur, quòd ab adoleſcentia cœpiſtis Eccleſiaſticos honores olfacere, & ad hunc honorem, qui nunc oneroſus eſt vobis, obſequiis, atque interceſſionibus, & aliis ambitionis humanæ ſuffragiis aſpirare. Currite ergò ad conſcientiæ veſtræ teſtimonium, & ſi inveneritis vos minus canonicũ habuiſſe ingreſſum, ſitis ſollicitus de egreſſu: nam hic reſignatio habet locum. Beato enim (c) Gregorio teſte, Qui in ovile ovium, non per oſtium, ſed aliundè aſcendit, ad æternæ ſalutis bravium in vanum ſe fatigat, niſi honorem, in quo deliquit, penitùs derelinquat. Sancta ergò & ſalubris eſt cogitatio facta de Epiſcopatus ceſſione, privatam eligere vitam, ſi recolitis conſcientiam veſtram jam dictæ promotionis obtentu fuiſſe vel in modico vulneratam. Si meæ parvitatis acceptatis conſilium, nihil omninò retinebitis penes vos, quod acquiſieritis per peccatum. Jam adveſperaſcit vobis, & vitæ veſtræ inclinati ſunt dies: obſervat etiam inimicus calcaneum veſtrum, & ad luctam vos expectat extremam: (d) Diſſolvite colligationes iniquas, & jugum exactoris abiicite; deponite ſarcinas ambitioſæ ſupellectilis, ne vos luctator occultus inveniat oneratum. Nudus athleta fortiùs dimicat; natator exuitur, ut flumen tranſeat; viator exoneratur à ſarcinis, ut expeditiùs currat. In hac vita torrentem mortis nataturus eſtis in proximo, pugnaturus cum eo, cũ quo ſemper eſt anceps congreſſus, periculoſus caſus, difficilis reparatio, rara & numquam ſecura victoria. Nihil quæſo in vobis reperiat ſuum: ſed qui vos in annis fortioribus, quandoq; devicit, ipſe vos victorem inveniat, licèt decrepitum, & infirmum. Vale.] Hactenus ad Arnulphum Petrus. Hic idem ipſius ſucceſſorem Radulphum avariſſimum fœneratorem, data ad eum (e) epiſtola, vehementiſſima invectiva perſtrinxit.

b Geneſ. 8.

c Greg. l. 9. ep. 40.

d Iſai. 58.

e Petr. Bleſ. epiſt. 91.

XIII. Ordo Carmelitanorum.

Antequàm ab Alexandro ad ejus ſucceſſorem convertamus orationem, conſtantior illa videtur aſſertio, quòd Ordo religioſorum Carmelitanorum, qui in Palæſtina in ipſo Carmelo monte fixere ſedes, ſub eodem Alexandro Romano Pontifice ſumpſis originem, quoto autem anno ejus Pontificatus, habetur incertum. Horum autem promotor, propagator, & cuſtos fuit ille, qui fungebatur in Oriente legatione Apoſtolicæ Sedis Haimericus Patriarcha Antiochenus, qui conſiderans, complures ex Occidente, qui venerant vitam Eremiticam acturi in Terra ſancta, hinc indè diſperſos, expoſitos barbarorum incurſibus: collegit eos in unum, duxitque in montem Carmelum, Eliæ habitatione egregiè olim nobilitatum. Fuere iſta principia, ex quib., ut ex parva ſcaturigine flumen, immenſus eſt auctus cœtus religioſorum virorum. Quas autem, & à quo Regulas, ipſamque vivendi formam acceperint, dicturi ſumus inferiùs ſuo loco.

XIV. S. Laurentii Epiſc. Dublin. Obitus.

Eodem anno ſanctus Laurentius Dublinenſis Epiſcopus (ut in Annalibus Rogerius teſtatur) ex hac vita migravit ad Dominum decimo octavo Kalendas Decembris, cui venerando funeri interfuit Alexius S. R. E. Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis Legatus. Retulit autem eum in Sanctorũ numerum (f) Honorius Papa Reate, anno ſui Pontificatus decimo. Extant res ab eo præclarè geſtæ ſcriptis mandatæ ab Augienſis collegii monacho. Sed & hoc anno exceſſit ex hac vita adverſarius peſſimus ille ſancti Thomæ Rogerus Eboracenſis, ut ait (g) Neubrigenſis, qui conſignatas reliquit ejus turpitudines ſtylo ſuo, & inter alia, deteſtabiles puerorum amores, quos ſolos, rejectis viris gravioribus, in Eccleſiaſtici honoris titulos allegabat. Sed ipſum conſule. Nunc ad res Romanæ Eccleſiæ redeamus.

f Apud Surd. die 4. Novembr.

g Neubr. lib. 3. c. 5.

XV. Lucius Papa III. Creatus.

Poſt obitum Alexandri, Lucius Tertius natione Etruſcus, Humbaldus nomine anteà dictus, Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis, vir grandævus admodùm (inquit Vvillelmus Tyrius) & modicè litteratus, Patria Lucenſis, quarto Kalendas Septembris creatus eſt Romanus Pontifex, idemq; poſtridiè coronatus. Ad quem mox accedens Joannes Epiſcopus Pictavienſis, electus ad Archiepiſcopatum Narbonenſem, ſtudio ejuſdem Pontificis, vacante ſede primaria Lugdunenſe, à Clero electus, ab eodem Pontifice benedictionem eſt conſecutus, conſecratus Lugdunenſis Archiepiſcopus. Hæc Robertus in Auctario ad Sigebertum.

Perſecutio Antiochena.

Eodem tempore Eccleſia Orientalis, nempè Patriarcha Antiochenus, atq; Hieroſolymitanus, unà eum Suffraganeis ſuis ex Latinis laboraverunt adversùs Antiochenum Principem Boamundum Juniorem cenſuris eum exagitantes, eò quòd relicta uxore legitima Theodora, nepte Imperatoris Conſtantinopolitani, aliam in matrimonium ſibi jungere præſumpſiſſet: cùm ille ſpretis Epiſcoporum correctionibus, diram adversùs eos perſecutionem excitavit, de qua pluribus Vvillelmus Tyrius. (h)

h Vvil. Tyr. lib. 22. c. 6. & 7.

Moritur item hoc anno (i) Joannes Sa-

i Rob. de Monte in App. ad Sigebert. hoc anno.

reſberg

Joan. Sareſh. Epiſ. Carn. moritur.

reſberienſis, Epiſcopus Carnotenſis, clarus inter celebriores ſæculi hujus Scriptores, illuſtrior autem ex ſancti Thomæ martyris, cui erat à ſecretis, familiaritate, de quo ſæpè ſuperiùs mentio facta eſt. Scripſit autem vitam ipſius S. Thomæ Archiepiſcopi Cantuarienſis. Teſtatur id namque (ut ſuperiùs dictum eſt) Petrus Bleſenſis ad ipſum ſcribens, cùm hæc inter alia: (a) Illud autem noveritis, quòd de mandato domini Archiepiſcopi ſcribere triumphum B. Thomæ martyris attentaſſem, niſi aliud mihi ſcriptum fortuitus obtuliſſet eventus, in quo elegantia ſtyli ingenium magiſtri Joannis Sareſberienſis exprimebat & linguā. Admirans ergò gratiam, quæ diffuſa eſt in labiis veſtris, &c.]

a *Pet. Bleſ. epiſt.* 114.

Hoc eodem anno, qui ultimus eſt numeratus Alexandri Papæ Tertii Pontificatus, Conradus Archiepiſcopus Saliſburgenſis, Cardinalis Epiſcopus Sabinenſis, Legatus Apoſtolicæ Sedis in Germania, acerrimus olim vindex Catholicæ unitatis adversùs ſchiſmaticum Imperatorem, de quo ſumma cum laude ſæpè ſuperiùs mentio facta eſt, venerandum corpus S. Virgilii ejuſdem Eccleſiæ Archiepiſcopi, & aliorum trium ſanctorum Antiſtitum caſu reperit, ex quibus quatuor mox uberrima miraculorum erupere flumina, de quibus ſingulis illud Davidicum meritò dici potuerit: (b) Fluminis impetus lætificat civitatem Dei.] Quibus & univerſa Germania irrigata eſt, exuberante gratiarum profluvio omnium corda incolarum exhilarante. Res geſtæ antiquitùs ſcriptæ, ſed recèns in lucem erutæ labore Caniſii, (c) ex S. Eberardo ſunt editæ. Sic enim ſe habent exordia:

b *Pſal.* 45.

c *Henr. Caniſius to.* 2. *Antiq. lect. in Epiſcop. Saliſburg. pag* 264.

XVII.

Anno verò Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo octuageſimoprimo, decimaquarta Indict. xiv. Kal. Martii ſub Alexandro Papa III. Apoſtolatus ipſius* xxi. & ultimo, regnante ſereniſſimo Principe Friderico Romanorum Imperatore Auguſto, anno regni ejus trigeſimotertio, & conregnante ſibi filio ejus Henrico Romanorum Rege glorioſiſſimo, Otto de Mittelinſpach inclyto Duce Bavariæ Ducatum tenente, ſupra memorati fabrica monaſterii, quæ ſchiſmatis perſecutione conflagrante ante aliquos annos diruta, & diruenda deperierat, ſumptibus & juſſu paſtoris Conradi præclariſſimi Saltzburgenſis tunc Archiepiſcopi, Apoſtolicæ Sedis tunc in Alemannia Legati, Cardinalis presbyteri S. Marcelli Sabinenſis Epiſcopi, modò autem Moguntinenſis Archipræſulis, dum à fundamentis cœpere ædificari, ſancti Spiritus cooperante gratia, & divinæ majeſtatis ſuffragante clementia, corpus B. Virgilii * quidem ob immenſi temporis antiquitatem ab omnibus ignorabatur, contigit revelari. Quadam die factum eſt, ut lapides è muro elapſi aliquantulùm intrò ſpectandi aditum tranſeuntibus præbuiſſent; diligentiùs aliquibus licèt ipſum conſiderantibus, concavitatis patuerunt indicia, & picturæ vetuſtiori deaurata illic viſa ſunt ſtemmata. Porrò Canonicis hujus rei * noviter perquirentibus, & latiùs ejuſdem muri aperturas patefacientibus, inventa B. Virgilii octavi poſt S. Rudbertum, Saltzburgenſis Epiſcopi tumba, & depicta imago, ejuſdemque imaginis hujuſcemodi epigramma:

* xxii.

* ſ. quod

* ſ. novitatem

Virgilius templum conſtruxit ſchemate pulchro.]

Et de anno obitus ejus: Tempus etiam, quo dictus pontifex obierat, anno Incarnationis Domini ſeptingenteſimo, in eiſdem Annalibus invenimus.] Pergit poſt hæc auctor recenſere multiplicia, & quidem ingentia, quæ ſunt inventionem Sancti conſecuta miracula, adeò ut de Germania ob ſchiſmata in ſqualentem converſa deſertum, illud Iſaiæ dici potuerit: (d) Quæ erat arida, erit in ſtagna, & ſitiens in fontes aquarum. Ut planè apparuerit, nobiliſſimæ Eccleſiæ, quæ ſola inter Germanos fœdari ſchiſmate non conſenſit, ea divinitùs fuiſſe conceſſa in fine vitæ curſus ſanctiſſimi Romani Pontificis, quo ſignificaretur, cœlites ipſos piis Fidelibus communione conjungi, & Catholicis eſſe præſidio militantibus, qui cum Deo regnant in Eccleſia triumphante.

d *Iſai.* 35.

XVIII.

At non è S. Virgilii tantùm venerandis reliquiis ejuſmodi, quæ ſunt dicta, miraculorum fluenta manarunt, ſed Paradiſus velut (e) Saltzburgenſis Eccleſia tunc quatuor eſt irrigata fluminibus virtutum cœleſtium in oſtenſione ſignorum, nempè à ſancti Virgilii corpore inprimis, de quo diximus, nec non à tribus aliis ejuſdem Eccleſiæ pontificibus, è quorum hoc eodem anno itidem adinventis ſacris corporibus totidem ſcaturigines miraculorum è cœlo potiùs, quàm è terra divinitùs erupere. Conſignata ſunt iſta quadruplicibus Chronicis, in quibus (f) hæc ſummatim: Anno Domini milleſimo centeſimo octogeſimoprimo Alexander Papa obiit, Lucius ſucceſſit: Vitalis, Virgilius, Hartuvicus, Eberardus Epiſcopi Saltzburgenſes ſignis claruerunt.] Porrò ſicut Virgilii, ita & (g) Vitalis in codice Antiquæ lectionis ſingula, eademque multiplicia miracula ex antiquioribus ejuſdem Eccleſiæ monimentis jam edita habentur, ejuſdem Caniſii Noviomagenſis induſtria: reliquorum verò deſiderantur.

e *Geneſ.* 2.

f *Extant to.* 6. *Antiq. lect. pagin.* 1049.

g *Eodem tom. pagin.* 1043. *uſque* 1105.

JESU CHRISTI ANNUS 1182. LUCII PAP. III. ANNUS 1. FRIDERICI IMP. 28. ALEXII COMN. IMP. 2.

I. ANNUS ſequitur Redemptoris milleſimus centeſimus octuageſimus ſecundus, Indictione decimaquinta, quo contigit, ut Vvillelmus Rex Scotiæ excom-

Digitized by Google

Legatio Regis Scotiæ ad Lucium Pap. excommunicatus à Rogero Archiepiſcopo Eboracenſi, eo defuncto, legationem miſerit ad Lucium Papam pro abſolutione ab excommunicatione. Quæ autem hæc ſecuta ſint, ita narrat Rogerius in Annalibus Anglorum: Eodem anno ad inſtantiam Nuntiorum Regis Scotiæ, videlicèt Jocelini Glaſcuenſis Epiſcopi, & Arnaldi Abbatis de Melros, & Oſberti Abbatis de Kerlon, & Vvalteri Prioris ſanctæ Columbæ de Inſula, Lucius Papa Tertius abſolvit Vvillelmum Regem Scotiæ à ſententia excommunicationis, & regnum ſuum ab interdicto, Romæ in Lateranenſi palatio, coram Cardinalibus ſuis, ſcilicèt Petro de Pavia Epiſcopo Tuſculanenſi,& Epiſcopo Præneſte, & Alberto Cancellario, & Hyacintho, & Hugezuo, & Petro de Bova, & magiſtro Viviano, & Rainerio Magno, & Chinchecapel, & Rainerio parvo, & Hardeſrun, & Ardcuvino, & Matthæo Andegavenſi. Et poſteà tradidit litteras abſolutionis ſuæ præfatis Nuntiis Regis Scotiæ in hac forma.

Lucius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus Epiſcopis, Abbatibus, Clero & populo per Scotiam conſtituto ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

II. Lucii Papæ epiſtola ad Epiſc. Scotiæ. Cùm Regibus tamquàm præcellentibus Apoſtolus ſtatuerit deferendum, dignum eſt, & conſonum rationi, ut eos tamquàm filios chariſſimos propenſiùs honoremus, & in devotione beati Petri, & ſacroſanctæ R. E. annuendo juſtis illorum deſideriis, attendamus. Accepimus autem, quòd cùm chariſſimus in Chriſto filius noſter Vvillelmus illuſtris Rex Scotorum electioni & conſecrationi venerabilis fratris noſtri Joannis Epiſcopi inexorabiliter obviaret obtentu litterarum ſanctæ recordationis Alexandri Papæ prædeceſſoris noſtri, bonæ memoriæ Rogerius Eboracenſis Archiepiſcopus & jam Epiſcopus dictus in eum, & regnum, & quoſdam de regno ſententiam excommunicationis promulgarunt. Cæterùm venerabilis frater noſter Jocelinus Glaſcuenſis Epiſcopus, & dilecti filii Arnaldus de Melros, & Oſbertus * Kalkoenſis Abbates, & Vvalterus Prior S. Columbæ de Inſula, propter hoc ad Sedem Apoſtolicam accedentes, ſua nobis aſſertione monſtrarunt, quòd Archiepiſcopus excommunicationis in Regem, & interdicti in regnum, & Epiſcopos jam dictus in quoſdam de regno excommunicationis ſententiam protulerunt, quam ex multiplici ratione retractandam fore, rationabiliter coram nobis, & fratribus oſtenderunt. Inde utique fuit, quòd præfato Regi tamquàm chariſſimo in Chriſto filio deferentes, omnem ſententiam jam dicti Epiſcopi pro præfata cauſa in eum, vel ſuos, vel regnum prolatam, de communi conſilio fratrum auctoritate Apoſtolica relaxavimus, & ſtatuimus illum, & ſuos excommunicatione, & regnum interdicto ex præſcripta ſententia noſtra non teneri. Quocirca univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenùs ei tamquàm Regi Catholico, & habenti communionem Apoſtolicæ Sedis participare minimè dubitetis, ſed in omnibus honorem congruum impendatis. Quantò enim certiores ſumus de ſinceritate devotionis illius Eccleſiæ, & perſonis Eccleſiaſticis regni ſui; tantò ampliùs eum volumus in omnibus, in quibus ſecundùm Deum poſſumus, honorari. Datum Velletræ decimoſexto Kal. Aprilis.] Porrò non fuit iſta abſolutio ejuſmodi, ut cauſæ præjudicaret, ad quam cognoſcendam idē Lucius Papa legationem in Scotiam miſit, de qua iſta Rogerius hoc anno habet:

*alibi Kalrenſis

III. Legatio à Lucio Papa in Scotiam miſſa. Eodem anno Rolandus Electus Dolenſis, Romanæ Eccleſiæ ſubdiaconus venit in Angliam ex parte Papæ Lucii, ad pacem faciendam inter Regem Scotiæ,& Joannem Epiſcopum S. Andreæ, & perrexit ad Regem Scotorum unà cum Selvano Abbate Rievallenſi collega ſuo: & diutiſſimè tractaverunt cum illo de pace facienda inter illum, & Joannem Epiſcopum S. Andreæ, ad quorum inſtantiam convenit in hunc modum inter Regem, & prædictum Epiſcopum, quòd Hugo abjuraret Epiſcopatum S. Andreæ, & Joannes Epiſcopus eundem Epiſcopatum quietum clamaret à calumnia ipſius, & loco illius haberet Epiſcopatum de Dunkelden, & omnes redditus, quos ipſe ante electionem ſuam habebat, & Cancellariam Regis, & quadraginta marcatas redditus de Epiſcopatu S. Andreæ in vita ſua. Hugo tamen, cum requiſitus eſſet à domino ſuo Rege Scotiæ, quòd abjuraſſet Epiſcopatum S. Andreæ: reſpondit ſe malle ſuſcipere judicium in Romana Curia, quàm ſic abjurare Epiſcopatum, ad quem ipſe fuerat conſecratus. Et ſtatim litteras, quas Joannes Epiſcopus contra eum à Romano Pontifice impetraverat, arguit falſitatis, & appellavit ad Romanum Pontificem, &c.] Subjicit idem litteras Legatorum ad Lucium Papam eo argumento datas. Sed ad res Orientis.

IV. a Vvill. Tyr. l. 22. c. 8. Contigit hoc eodem tempore (ut qui aderat (a) Vvillelmus Tyrius docet) Maronitarum hæreticorum ad Catholicam Fidem acceſſio, de quibus hæc ipſe.

Maronitæ ad Eccleſiam reverſi. Intereà dum regnum pace à *Saladini bello*, ut prædiximus, gauderet temporali, natio quædam Syrorum in Phœnice provincia circa juga Libani juxta urbem Biblienſium habitans, plurimam circa ſui ſtatum paſſa eſt mutationem. Nam cùm per annos penè quingentos cujuſdam Maronis hæreſiarchæ errorem ſuiſſent ſecuti, ita ut ab eo dicerentur Maronitæ, & ab Eccleſia Fidelium ſequeſtrati, ſeorſum ſacramenta conficerent ſua: divina inſpiratione ad cor redeuntes, languore depoſito, ad Patriarcham Antiochenum Haimericum, qui tertius Latinorum nunc eidem præeſt Eccleſiæ, acceſſerunt, & abjurato errore, quo diu periculosè nimis detenti fuerant, ad unitatem Eccleſiæ Catholicæ reverſi ſunt, Fidem orthodoxam ſuſcipientes, parati Romanæ Eccleſiæ traditiones cum omni

omni veneratione ampleсti, & obſervare. Erat autem hujus populi turba non modica, ſed quadraginta millium dicebatur excedere quantitatem, qui per Biblienſem, Botrienſem, & Tripolitanum Epiſcopatus juga Libani, & montis devexa (ut prædiximus) inhabitabant: erantque viri fortes, & in armis ſtrenui, noſtris in majoribus negotiis, quæ cum hoſtibus habebant frequentiſſima, valdè utiles. Unde & de eorum converſione ad Fidei ſinceritatem maxima noſtris acceſſit lætitia. Maronis autem error, & ſequacium ejus eſt, & fuit (ſicut ex Sexta Synodo legitur, quæ contra eos lata eſſe dignoſcitur, & in qua **B** damnationis ſententiam pertulerunt) quòd in Domino noſtro JESU Chriſto una tantùm ſit & fuerit ab initio, & voluntas & operatio. Cui articulo ab Orthodoxorum Eccleſia reprobato multa alia pernicioſa nimis, poſtquàm à cœtu Fidelium ſegregati ſunt, adiecerunt. Super quibus omnibus ducti pœnitudine (ut prædiximus) ad Eccleſiam redierunt Catholicam unà cum Patriarcha ſuo, & Epiſcopis nonnullis, qui eos ſicut priùs in impietate præceſſerant, ita ad veritatem redeuntibus pium ducatum præſtiterunt.] Hactenùs Tyrius Archiepiſcopus. **C**

Maronitarum ſtabilita fides Catholica.

Porrò hi ſe à vico Syriæ, Maronia, Maronitas, ſive à S. Marone Abbate ante cognitum Maronem Monothelitam contendunt eſſe denominatos; ex hocque fieri, ut nomen hoc ſuum, ipſorum deteſtantes errorem, retinere mordicus perſeverent. Poſt hæc autem eorum Patriarcha ſub Innocentio Papa Tertio venit ad Lateranenſe Concilium, ubi pleniſſimè res ſpectantes ad Fidem Catholicam, rituſque ſacros edoctus, ſuos eoſdem ſequi voluit; ſicque perſtiterunt immobiles in ſancta Fide Catholica, licèt ſemper agitati Infidelium preſſuris, ut litteræ illorum ad Leonem Decimum redditæ, quæ extant, apertè teſtantur. **D**

V. Laborantis S. R. E. Cardinal. ſcripta.

Hoc eodem anno ſuam elaboratiſſimam canonum collectionem edidit Laborans (ita enim proprio nomine dictus) S.R.E. Cardinalis presbyter tituli ſanctæ Mariæ trans **A** Tiberim, priùs autem diaconus Cardinalis S. Mariæ in Porticu: nam in fine iſta leguntur: Opus explicit Laborantis ad Præſulem Pampilonæ.] Et paulò pòſt: Annus hoc opus dedit integer ab illius inceptione vigeſimus, Chriſti verò milleſimus centeſimus octogeſimus ſecundus, & ultimus dies Aprilis.] Fuit iſte (ut apparet ex aliis ejus lucubrationibus) litteris philoſophicis, atque theologicis apprimè excultus. Extat enim ejus opus ad Majonem magnum Siciliæ Ammiratum de juſti, juſtitiæque rationibus, id ipſo ab eo expoſcente, opus quadripartitum. Item opus de **B** vera libertate, ad Hugonem Panormitanum Archiepiſcopum, idemque tripartitum. Inſuper epiſtola ad Hugonem (puto eumdem) contra Sabellianos rursùm reviviſcentes. Aliam quoque reperitur ſcripſiſſe epiſtolam ad Vivianum S. R. E. Cardinalem presbyterum tituli S. Stephani in monte Cælio, de Appellationibus. Puto hunc illum eſſe Vivianum, qui in cauſa ſancti Martyris Thomæ functus eſt legatione ab Alexandro Romano Pontifice. At diſerta illa epiſtola haud integra legitur, ſed interciſa. Continet has omnes Laborantis lucubrationes codex membranaceus baſilicæ ſancti Petri in Urbe. **C**

VI. Nativitas S. Franciſci.

Hoc item anno naſcitur Aſſiſii in Umbria S. Franciſcus. Teſtatur id ex antiquioribus Albertus Abbas Stadenſis auctor his temporibus proximus, qui in ſuo Chronico habet iſta: Anno Domini milleſimo centeſimo octogeſimo ſecundo puer Franciſcus natus eſt in civitate Aſſiſii, patre Petro de Bernardone.] Hæc ipſe. Affirmant idipſum præter veteres, etiam recentiores. Ita plane Deus Eccleſiam ſuam in deterius declinantem, ac collabente jam depravata morum diſciplina, ad erigendam eam, in conflatorio divini Spiritus Apoſtolicum **D** hunc formavit hominem, qui mundi contemptum ac paupertatem non affectu tantùm (quod ad ſanctorum Patrum imitationem ſufficere potuiſſet) ſed effectu etiam proſecutus eſt. At de eo inferiùs ſequenti Tomo dicendum.

JESU CHRISTI ANNUS 1183. LUCII PAP. III. ANNUS 2. FRIDERICI IMP. 29. ANDRON. COMN. IMP. 1.

I. Cauſa Epiſco. Scotiæ iterùm audita à Lucio Pap.

Annus Redemptoris milleſimus centeſimus octuageſimus tertius ſequitur, Indictione prima, quo contigit ut Lucius Papa Velitris cùm eſſet, die quinta menſis Februarii, expoſcente Wuillelmo juniore Siciliæ Rege, nobiliſſimam ab eo erectam Eccleſiam S. Mariæ Montis Regalis dictam, auxerit in metropolim, ſubjeceritque ei Catanenſem Epiſcopatum, cui & poſteà additus Epiſcopatus Syracuſanus. Extat adhùc de his ejuſdem Lucii Papæ diploma, ſubſcriptione munitum decem & ſeptem Cardinalium, ubi & de impartito pallio ab Apoſtolica Sede fit mentio, & **E** aliis ad hæc ſpectantibus, de quibus omnibus eſt locuples ſcripta hiſtoria, de qua ſuperiùs in Alexandro Papa mentio facta eſt. Hoc eodem anno Lucius Papa diſſenſiones inter Scotiæ Epiſcopos componere laboravit: quibus autem conditionibus, Rogerius in Annalibus ita deſcribit: [Eodem anno Joannes & Hugo Epiſcopi, de quibus mentionem feceramus *Velletrem venerunt ad audientiam Papæ Lucii, & uterque illorum propoſuit coram domino Papa, & univerſis Cardinalibus ſuis jus, quod petebat in Epiſcopatu S. Andreæ. Quo audito, dominus Papa de communi fratrum conſi-

* Velitras

Digitized by Google

conſilio abjudicavit Epiſcopatum illum utrique, & ipſi in manu ſummi Pontificis reſignaverunt præfatum Epiſcopatum S. Andreæ liberè & abſolutè, & ſic à Curia receſſerunt, expectantes ſummi Pontificis miſericordiam. Et poſt paucos dies, & per conſilium univerſorum Cardinalium ſummus Pontifex reddidit Hugoni Epiſcopo Epiſcopatum S. Andreæ, & confirmavit, & conceſſit Joanni Epiſcopo Epiſcopatum de DunKelden cum univerſis ſupradictis, quæ ei ex parte Regis Scotiæ oblata fuerant, & confirmavit. Hugo autem domum rediit, & recepit Epiſcopatum ſancti Andreæ. Joannes verò Epiſcopus recepit Epiſcopatum de DunKelden. Sed quia Rex Scotiæ noluit ei ablata reſtituere, ipſe iterùm movit quæſtionem contra Hugonem Epiſcopum de Epiſcopatu ſancti Andreæ, ſicut inferiùs notatum eſt.

II. Diſcordia inter Romanos, & Papam.

Eodem anno ortum eſt grave diſſidium inter Romanos, & Papam Lucium, ſuper conſuetudinibus quibuſdam, quas prædeceſſores ſui facere ſolebant, quas prædictus Papa juravit ſe numquam facturum. Unde Romani indignati ſunt, & frequenter rapinas, & iniquas combuſtiones fecerunt in terra domint Papæ. Dominus verò Papa de loco in locum fugiens, caſtella ſua, & civitates munitas adiit. Ad cujus defenſionem Chriſtianus Moguntinus Archiepiſcopus domini Friderici Romanorum Imperatoris Cancellarius magno congregato exercitu advenit. Cui Romani reſiſtere non valentes, Romam redierunt. Quos prædictus Cancellarius perſequens, omnia ad Romanos pertinentia devaſtavit, & eos uſque ad portas civitatis Romæ ſecutus eſt, omnia ſuburbana incendio tradens. Romani verò videntes ſe perditioni traditos, machinabantur, qualiter prædictum Cancellarium dolo interficerent. Et cùm alter aditus eis defeciſſet: ſtatuerunt eum veneno interficere, & ita fecerunt. Nam cùm Cancellarius ille, & exercitus ejus ferè per decem milliaria ab Urbe remoti eſſent, Romani direxerunt in paupere cultu Legatos, qui ſtatum Curiæ addiſcerent. Qui cùm totum eſſe didiciſſent: inter cetera comperierunt unum, quòd perditioni illius præelegerunt.

III. Fons veneno infectus.

Erat namq; prope locum illum fons nitidiſſimæ aquæ, quam ſolitus erat Cancellarius, & exercitus ejus vino mixtam potare. Fontem itaque aggreſſi ſunt nefandi proditores illi, & ipſum undique affecerunt veneno, ita ut manans aqua corrumperetur. Ut igitur potavit ex ea Cancellarius, feſtinæ morti ſuccubuit. Occubuerunt & poſt illum pluſquàm mille homines, qui ex prædicto fonte potaverunt. Cùm autem obitus Cancellarii divulgaretur, exercitus ejus diſſipatus eſt, & in fugam converſus: & Romani acriùs inſurrexerunt in dominum Papam. Idem verò Papa non valens reſiſtere Romanis, miſit Legatos ſuos ad Reges, & Principes terrarum tàm ſæculares, quàm Eccleſiaſticos, pro auxilio habendo ad defenſionem B. Petri contra Romanos. Venerunt ergò Nuntii ſui ad Henricum Regem Angliæ, poſtulantes ab eo, & à clericatu Angliæ auxilium. Conſuluit itaque Rex Epiſcopos ſuos, & Clerum Angliæ de petitione ſummi Pontificis. Cui Epiſcopi, & Clerus conſuluerunt, ut ipſe ſecundùm voluntatem ſuam, & honorem faceret auxilium domino Papæ, tàm pro ſe ipſo, quàm pro illis; quia tolerabilius eſſet, & plus placeret eis, quod dominus Rex ſi vellet, accepiſſet ab eis recompenſationem auxilii illius, quàm ſi permiſiſſet Nuntios domini Papæ in Angliam venire ad capiendum de iis auxilium. Quia ſi aliter fieret, poſſet verti in conſuetudinem ad detrimentum regni. Acquievit Rex conſilio eorum, & fecit auxilium magnum domino Papæ in auro, & argento. Dominus autem Papa per pecuniam illam, & per pecuniam aliorum Principum ſibi undique allatam, pacem fecit cum Romanis, ſibi, & Eccleſiæ Romanæ neceſſariam.] Huc uſque Rogerius.

IV.

Contigit hoc eodem anno obitus Regis Angliæ Henrici junioris, filii Henrici ipſius Secundi, quem pater in contumeliam S. Thomæ per Archiepiſcopum Eboracenſem coronari fecerat; qui poſt reconciliationes alias ſæpè factas rurſùs ad ſciſſuras, & diſcordias leviter revocatus, tandem uloiſcente unmine, dedit pœnas, ſed miſerante Deo, veræ pœnitentiæ poſt immenſa peccata memorandum reliquit exemplum. Deſcribit iſta idem qui ſuprà Rogerius.

Henrici Regi Angl Filii in obitu pœnitentia.

Rex filius, deficiente ſibi pecunia, perrexit ad ſanctam Mariam de Rupe Adamatoris, & decorticavit feretrum ſancti Adamatoris, & theſauros Eccleſiæ aſportavit. Paucis poſt elapſis diebus idem Rex filius, cùm vidiſſet ſe non poſſe multùm nocere patri ſuo, ex indignatione & animi rancore in gravem incidit infirmitatem in villa, quæ dicitur Martel, non longè à civitate Lemovicenſi. Primò enim arripuit eum febris, deinde fluxus ventris, & contrivit eum uſque ad mortem. Qui cùm ſenſiſſet mortem ſibi imminere, miſit pro domino Rege patre ſuo, qui ad eum venire noluit: timuit enim inſidias illius. Rex igitur filius convocatis coram ſe Epiſcopis, & viris religioſis, qui aderant, primùm ſecretò, deinde coram omnibus ſua confeſſus peccata, pœnitentiam, & ſuorum recepit abſolutionem peccatorum; & tradidit Vuillelmo Mareſcallo familiari ſuo crucem ſuam Hieroſolymam deferendam. Deinde depoſitis mollioribus indumentis cilicium induit, & ligato fune in collo ſuo, dixit Epiſcopis, & cæteris viris religioſis circumſtantibus: Trado me peccatorem indignum, & culpabilem, & obnoxium per funem iſtum vobis miniſtris Dei, poſtulans, ut Dominus noſter JESUS Chriſtus, qui latroni confitenti in cruce peccata dimiſit, per preces veſtras, & per ſuam ineffabilem

miſeri-

A misericordiâ misereatur infelicissimæ animæ meæ. Et responderunt omnes, Amen. Et ipſe ait illis. Trahite me à lecto isto per hunc funem, & imponite lecto illi cinereo, quem ſibi præparaverat. Et fecerunt ſicut ipſe præcepit illis, & appoſuerunt capiti, & pedibus ſuis duos lapides magnos quadratos: & omnibus ritè peractis, ipſe præcepit corpus ſuum deferri in Northmanniam uſque Rothomagum, & ibidem ſepeliri. Et his dictis, ipſe ſacroſancti corporis, & ſanguinis Domini viatico munitus, in timore Domini emiſit ſpiritum. Quod cùm domino Regi patri ſuo nuntiatum eſſet, lacrymatus corruit in terram, & vehementer planxit B filium.] Quem lugentem nimirum Petrus Bleſenſis intimus familiaris his litteris eſt conſolatus: (a)

a Petr. Bleſ. ep. 2.

V. Henrico Dei gratia illuſtri Anglorum Regi, Duci Northmanniæ & Aquitaniæ, Comiti Andegavenſi, ſuus Petrus Bleſenſis, Bathonienſis Archidiaconus, ſalutem, & ſpiritum fortitudinis in adverſis.

Petr. Bleſ. Epiſt. ad Reg. Henricum in obitu filii.

Audivi, & conturbatus eſt venter meus: à voce contremuerunt labia mea. Nam ex familiarium veſtrorum relatione cognovi, C quòd illa veſtra magnanimitas celebri hactenùs opinione conſpicua in morte filii veſtri mortificata eſt, & quadam mollitie muliebri degenerans, gemitibus indulget ac lacrymis, atque reverentia regiæ majeſtatis abiecta, ſupervacuis doloribus puerilitet intabeſcit. Doloris affectum in vobis non arguo, ſed dolendi exceſſum. Scio, quia pium eſt, flere mortuum: & hujuſmodi mœſtuoſos affectus lex naturæ indicit. Nam (b) & Job, audita filiorum ſuorum morte, veſtimentorum ſciſſione, & aſperſione pulveris vim doloris expreſſit. Abraham mortua Sara, D (c) venit ut fleret eam, & plangeret. (d) Jacob exiſtimans filium ſuum Joſeph devoratum à beſtia, multos dies continuavit in planctu. Joſeph (e) etiam cum fratribus ſuis, & cunctis ſenioribus domus Pharaonis patrem ſuum deferens mortuum, venit ad Aream Atad trans Jordanem, ubi ſeptem dies ſuper morte Jacob in fletu & gemitu compleverunt. Sed & Joſia (f) Rege mortuo, ſcriptum eſt, quia univerſus Juda & Hieruſalem luxerunt eum, & præ omnibus Rex Adadremmon: ita quòd in proverbium verſum eſt, & populariter dicebatur. Planctus E ejus, ſicut planctus Adadremmon. In (g) Eccleſiaſtico etiam legimus, quòd luctus mortui ſeptem diebus legitimè celebratur, & ibidem hæc verba leguntur: (h) Fili, in mortuum produc lacrymas. Chriſtus (i) lacrymas produxit in Lazarum. Ideoque non miror, ſi tàm deplorando funeri pietatis lacrymas exhibetis. Nec enim de numero illorum eſtis, de quibus Dominus dixit per Prophetam: (k) Percuſſit eos, & non doluerunt. Et ut verbis Job utar, (l) Nec fortitudo veſtra fortitudo lapidis eſt, nec caro veſtra ænea eſt.

b Job. 1.
c Geneſ. 23.
d Ibid. 37.
e Ibid. 50.
f 2. Par. 35.
g Eccl. 22.
h Ibid. 38.
i Joan. 11.
k Jerem. 5.
l Job. 6.

VI. A Sed ſit quæſo hic dolendi modus, ne vos dolor rapiat ultra modum. Temperantior debet eſſe apud vos erga defunctum filium dolendi occaſio, quia Chriſtianiſſimè abiit: ne dicam, obiit: & dolendo pœnitens dolores æternos evaſit. Nobis ſuper eum flentibus, jam ſecuriſſimè dicit: Nolite ſuper me flere, ſed ſuper voſmetipſos flete. Planxit (m) David filium parricidam: Abſalon, fili mi Abſalon. Planxit ſuper Saul & (n) Jonathan, finem eorum deplorans; quos dominium mortis involuerat ſine fine. B Verumtamen ſi circa filium veſtrum pium eſt flere, pium eſt & gaudere. Si enim Petrus Apoſtolus, ſi Magdalena ſuos defleverunt exceſſus, iſte licèt adoleſcens, & inter malitiæ incentores, & ut ita loquar, tamquàm filium inter ſpinas, in omnem ſe dejecit pœnitentiæ humilitatem, mundi gaudia convertens in planctum, & delicias in dolorem. Converſus eſt planctus ejus in gaudium: convertatur & veſter. Cedat vobis ad plenitudinem gaudiorum, talem filium de lumbis veſtris proceſſiſſe, in quem naturæ dotes univerſæ confluxerant: quem time- C bant remotiſſimæ nationes: quem veteri & diligere etiam inimicus & invidus tenebatur. Qui cùm præ univerſis mortalibus obtinuiſſet gloriam & ſupereminentiam militiæ ſæcularis; tandem in abiectione temporalium, & humilitate pœnitentiæ factus, & defunctus eſt Chriſti miles. Exemplum dedit vobis, ut & vos ſequamini veſtigia pœnitentis. Nemo enim fuit in confeſſione humilior, in ſui accuſatione contritior, in emendatione devotior, in propriæ carnis afflictione crudelior, in omni ſatisfactione ferven- D tior. Conſilio ſiquidem & ſuggeſtione proditoriæ factionis minus conſultè contra vos erexerat, & direxerat arcum ſuum: ſed Dominus adverſus eum tetendit arcum ſuum, & in eo paravit vaſa mortis, volens vobis & aliis dare in eo ſignificationem, ut fugiatis à facie arcus, & liberentur dilecti ejus. Cùm igitur de ſalute ejus ſpem certiſſimam habemus (beati enim, qui in Domino moriuntur) ut voce (o) Apoſtoli utar, nolite contriſtari de dormiente, ſicut & illi, qui ſpem non habent. Omne judicium jam evaſit: judicavit enim ſe ipſum E ne in poſterum judicetur. Utinam, amantiſſime Princeps, dum hoc ſæculum manet, immò potiùs, dum hoc ſæculum manat, judicemus noſmetipſos: fallax enim eſt hic mundus, vita brevis, finis dubius, exitus horribilis, Judex terribilis, pœna inſcibilis. Planctus itaque quos impenditis morte, in arma pœnitentiæ convertatis, ut ſicùt turbato fatalitatis ordine filius vos præceſſit ad mortem, ſic ordinato hujus mortalitatis excurſu, ceteros præcedatis ad vitam.] Hæc Petrus. Sanè quidem judicia Dei cognita ſunt ſtabilitata in ſemetipſa. Nam quem in odium viri ſanctiſſimi, & contemptum ejus Rex filium

m 3. Reg. 19.
n 2. Reg. 1.
o Theſ. 4.

A

filium coronavit per Eboracenſem: tamquàm ſi ſuper caput ejus omnia maledictionum vaſa iræ evacuaſſet, ex eo infelix pater uberrimum collegit maledictionum proventum uſque ad ejus obitum.

VII.
Fridericus Imp. firmat pacem cũ Longobardis.

Hoc eodem anno tandem poſt diutina bella, & diffutas ſæpè concordias Fridericus Imperator unà cum filio, & aliis Germaniæ Principibus celebrato Conſtantiæ conventu, de firma pace ſtabilienda in Italiæ parte illa, quæ dicitur Longobardia; cum ſuis egit. Sancivit ibi famoſam illam Conſtitutionem, à loco ita denominatam, De pace Conſtantiæ, quæ data habetur hoc anno, hacque Indictione, ſeptimo Kal. Julii. Extat ipſa illuſtrata gloſſematibus Baldi Peruſini Juris conſultiſſimi, in appendice ad Authenticorum collationes.

a *Ant. 3o. 2. tit. 17. §. 17.*
Coterelli Heretici nefandiſſimi necantur.

Non prætereat, quod (*a*) Antoninus habet hoc anno; ait enim: Anno Domini milleſimo centeſimo octogeſimotertio &c. in provincia Bituricenſi ſeptem millia Coterellorum *hæreticorum* & ampliùs interfecti ſunt ab illius terræ incolis, in unum contra inimicos Dei confœderatis. Iſti enim terram Regis vaſtando, prædas ducebant, homines captos ſecum viliſſimè trahebant: & cum uxoribus captorum, etiam (proh nefas!) ipſis videntibus, dormiebant, Eccleſias incendebant. Sacerdotes autem & viros religioſos captos ſecum ducentes, & in ipſis tormentis irriſoriè dicentes: Cantores cantate, cantate, confeſtim eis alapas dabant, & groſſis virgis eos cædebant. Ex quibus quidam ſic flagellati beatas animas Deo reddiderunt. Alii longa carceris cuſtodia ſemimortui, data pro redemptione pecunia, ad propria redierunt. Denique peccatis hominum exigentibus, iidem Coterelli Eccleſias ſpoliabant, & corpus Domini de vaſis aureis & argenteis, in quibus pro infirmorum neceſſitate reſervabatur, extrahentes, & (proh dolor!) in terram viliter proiicientes, pedibus conculcabant. De corporalibus verò concubinæ eorum pepla capitibus ſuis componebant. Calices verò ſecum irreverenter portabant, & malleis, & lapidibus confringentes diſtrahebant. Hæc videntes incolæ ipſius provinciæ, domino Regi ſuo Philippo per litteras intimaverunt; acceptoque ab eo exercitu, unanimiter inſultum in hoſtes fecerunt, & omnibus interfectis à minimo uſque ad maximum, de præda illorum ditati ſunt.] Hæc Antoninus.

VIII.
b *Vvillel. Neub. l. 3. c. 9.*
Legatio Viviani in Hibernia.

Sub hoc eodem anno Vvillelmus (*b*) Neubrigenſis ponit legationem Viviani presbyteri Cardinalis ad Hibernos, ubi tradit generale Concilium celebraſſe, ſed infelici exitu ob ingruentia bella civilia, quibus impeditus perficere non potuerit, quod intendit, coactus recedere, auro Hibernico (inquit ipſe Neubrigenſis) quod multum ſitierat, minus onuſtus.] Ita planè, nullum umquam bonum finem potuit ſortiiſſe legatio, quam infamis auri cupiditas infamavit.

Andron. Imp.

Quod ad res pertinet Orientis, Andronicus tyrannus, qui hactenùs viſus eſt pugnaſſe adversùs Imperii perduelles pro Alexio puero, ubi illis è medio ſublatis ceſſerunt ipſi omnia ex ſententia, ut ſolus ſibi adſciſceret ſummam totius Imperii, infelicem Imperatorem Alexium crudeliter è medio ſuſtulit, ſtrangulato ipſo nocte arcus nervo, abſolutione à juramento, quod viventi præſtiterat Imperatori, ab Epiſcopis pollicitatione redempta. Deſcribit omnia iſta pluribus Nicetas, atque hunc ipſum (*c*) indulgentem Andronico, fuiſſe Baſilium Camaterum Patriarcham, Theodoſio ſubrogatum. Habetur hujus Baſilii conſtitutio data anno Redemptoris milleſimo centeſimo octogeſimoſexto, cujus meminit Theodorus (*d*) Balſamon. Atque ante iſta in Latinos populos Conſtantinopoli commorantes ab eodem Andronico mota ſunt prœlia, atque publica vi in eos ſit facta graſſatio, & ſæviſſima perſecutio, Nicetas ſic rem paucis attingit.

B

c *Nicet. Chon. in Andronic. l. 2. in fin.*
Baſilius Camat. Patriarcha Conſtant.
d *Blaſ. tit. 3. de laicis c. 2.*

IX.
Impietas Andronici Tyranni.

Andronicus alacrior factus, victoria potitus, Protoſebaſto capto, miſſis triremibus, quæ magnum Ducem ſequebantur, & delectis ex ſuo exercitu cohortibus, bellum Latinis in urbe verſantibus infert. Cùm autem urbana quoque multitudo animos contra eos ſumpſiſſet, & invicem ad ſtrenuè pugnandum cohortati eſſent: terra marique ſimul pugnatum eſt: & Latini à duobus exercitibus circumventi, quia ſe defendere non poterant, ut quiſque potuit, ſalutem quæſiverunt; apertis ad diripiendum ædibus, quæ plenæ diviciarum omnis generis, eorumque bonorum fuerunt, quæ mortales appetere ſolent. Neque enim conſiſtere, neque Romanos invadere (ita Conſtantinopolitanos nominat) neque eorum impetum ſuſtinere audebant. Itaque alii, quò ſors tulit, in urbe ſunt diſperſi: alii in magnatum ædes evaſerunt: alii longis navibus ſuorum popularium conſcenſis, ferrum vix evaſerunt. Qui comprehenſi fuere, capitis ſunt damnati: omnes rei familiaris jacturam fecerunt. Triremes verò fugitivis plenæ ex portubus urbis in Helleſpontum provectæ, eo die ad inſulas Principis & Protam, cæteraſque urbi vicinas non in alto ſitas appulerunt. Poſtridie nonnullis earum monaſteriis incenſis, velis, remiſque diſceſſerunt. Nemine autem perſequente, ubi placuit, exſcenſu facto, Romanis quidquid potuere nocuerunt.] Hucuſque Nicetas, tantam tragœdiam inumbrans potiùs, quàm deſcribens, cùm plurima præteriit horrenda auditu, amore ſuorum. Nos verò veritatis amore ex ejuſdem temporis auctore rem geſtam hìc deſcribemus.

C

D

E

X.

Quomodò autem re vera iſta ſe habuerint, dicturi; primum omnium quod ad tempus ſpectat, locum depravatum apud (*e*) Vvillelmum Tyrium corrigere opus eſt, ubi iſta facta eſſe leguntur anno Redemptoris milleſimo centeſimo ſeptuageſimo-

e *Vvillelm. Tyr. l. 22. c. 13. in fine.*

Perſecutio Grçcorum in Latinos

A gesimonono. Nam errorem illapſum in numeri notam ex iis, quæ idem ſuperiùs narrat in obitu Manuelis Imperatoris, pateris Alexii ſatis evidenter apparet. Petenda igitur recta ratio temporis à Niceta Græco hiſtorico, qui rês geſtas certis ſignat Indictionibus, ex quibus hoc anno id geſtum colligitur. His accedit, quòd & ejuſdem temporis ſcriptor Robertus de Monte, in Appendice ad Sigebertum, hoc anno factum affirmat. Contigerunt hæc, ubi Alexius Protoſebaſtus Imperatoris Manuelis patruelis ſibi pueri Imperatoris regimen ſimul & Imperii vendicans, & tyrannide omnia miſcens, templa congreſſu militum profanans, ab Andronico B captus & excæcatus fuit. Quæ hæc eunctа exactè Nicetas deſcripſit. His ergò peractis, ſtatim bellum ab Andronico illatum Latinis Conſtantinopoli commorantibus, idèm narrat. Occaſio autem vexandi Latinos indè ſumpta narratur, quòd ſcilicèt faviſſent iſti Alexio Protoſebaſto Imperium affectanti. Sed audiamus de his Tyrium hujus temporis ſcriptorem fideliſſimum, à quo hæc accipe: (a) Noſtri *poſt proſtratum (ut audiſti) Protoſebaſtum*, plurimùm mente conſternati, timentes ne civium ſuper eos re-C pentina fieret irruptio: præmoniti à quibuſdam, qui conjurationis habebant conſcientiam, qui validiores erant, alii in galeis quadragintaquatuor, quas in portu repererant, Græcorum effugerunt molimina: alii in navibus, quarum in portu maxima erat copia, omnem domum imponentes, evaſerunt diſcrimen. Qui autem ſegniores erant, vel infirmi reperti ſunt, & ad fugam minus idonei, ii in domibus ſuis relicti, impietatis, quam alii effugerant, rabiem perpeſſi ſunt. Nam parato clàm navigio ſæpè dictus Andronicus, univerſas quas ſecum trahebat in D urbem introduxit copias, quæ vix ingreſſæ, unà cum civibus in eam urbis partem, quam noſtri incolebant irruentes, reſiduum populi, qui aliis abeuntibus, aut noluerant, aut non poterant exire, deſævientibus gladiis peremerunt: & licèt pauci eſſent, qui ad arma poſſent ſufficere, reſtiterunt tamen diu, & cruentam de ſe hoſtibus reliquerunt victoriam. Immemores igitur fœderis, & obſequiorum, quæ plurima Imperio noſtri contulerant: peremptis iis, qui reſiſtere poſſe videbantur, ignem eorum domiciliis ſubii-E ciunt, & univerſam eorum regionem ſubitò convertunt in favillam, mulieribus & parvulis, ſenibus & valetudinariis incendio conſumptis.

a Id. ibid. c. 12.

Horrenda Sacrilegia Grçcorum

XI. Nec ſufficiebat eorum impietati, in loca deſævire profana; verùm eccleſias, & loca quælibet venerabilia ſuccendentes, qui ad ea ſalutis cauſa confugerant, cum ipſis pariter ſacris ædibus concremabant. Nec erat differentia plebejorum, & Cleri, niſi quòd atrocius in eos deſæviebant, qui religionis & honeſtatis habitum prætendebant. Monachis enim, & ſacerdoti-A bus primas irrogabant injurias, & exquiſitis perimebant cruciatibus. Inter quos virum venerabilem Joannem nomine S. R. E. ſubdiaconum, quem pro negotiis Eccleſiæ dominus Papa illùc direxerat, comprehendentes, in contumeliam Eccleſiæ decollaverunt, caput ejus ad caudam canis immundæ religantes.]

XII. S. Joannis Legati Martyriū

Robertus autem & ipſe hujus temporis ſcriptor, hunc Joannem Cardinalem fuiſſe tradit, atque ita contigiſſe immane facinus narrat: Cùm autem Latini occiderentur per crudelitatem iſtius Andronici, quidam Cardinalis Romanæ Eccleſiæ, Jo-B annes nomine, quem Romanus Pontifex miſerat Conſtantinopolim ad petitionem Manuelis Imperatoris, qui erat vir religioſus, & volebat per prædicationem illius Cardinalis revocare Eccleſiam Græcorum ad inſtituta, & ſubjectionem Romanæ Eccleſiæ: hic, inquam Joannes, cùm Latini occiderentur, erat in hoſpitio ſuo: veneruntque ad eum quidam religioſi viri ſuadere ei, ut diſcederet, ne occideretur. Quod cùm audiret, dixit: Abſit hoc ne fiat. Ego hic ſto pro unitate Eccleſiæ, & præcepto Papæ Alexandri domini mei; qui miſerat eum illùc. Tunc irruentes in eum C Græci perfidi, occiderunt eum, & ligantes canem cum eo, ita quòd cauda canis eſſet in os ejus, traxerunt per vicos civitatis, & facta fovea ibi combuſſerunt eum, & poſtcà viri religioſi de fovea tulerunt corpus ejus, & optimè ſepelierunt illud, ubi fiunt crebrò miracula.] Hæc Robertus. Porrò hujus nominis Cardinalis ſub Alexandro Papa reperitur fuiſſe Joannes presbyter Cardinalis tituli ſanctæ Anaſtaſiæ. Pergit verò Vvillelmus:

XIII. Crudelitas Grçcorum in Latinos.

Sed nec mortuis, quibus omnis parcere conſuevit impietas, ut inter tàm deteſtabiles & pejores parricidis ſacrilegos, tu-D ta erat quies, quos de monumentis extractos per vicos & plateas, quaſi illatas ſentirent injurias, diſtrahebant. Accedentes prætereà ad xenodochium, quod dicebatur Sancti Joannis, quotquot in eo repererunt languidos, gladio peremerunt. Qui autem ex officio pietatis oppreſſorum meritò tenebantur afflictiones relevare, eorum ſacerdotes videlicèt, & monachi, dato pretio, graſſatores & ſicarios ad ſtragem invitabant, diſquirentes ſeceſſus, & domorum penetralia; ne qui in eis deliteſcerent, ut mortis diſcrimen declinare poſſens, inventoſque & violenter extractos E tradebant carnificibus: quibus etiam, ne gratis operam impenderent, pretium ſanguinis pro miſerorum interſectione porrigebant. Qui autem clementiùs cum eis videbantur operari, hi eos, qui ad ſe confugerant, & quibus ſpem dederant ſalutis, Turcis, & aliis infidelibus populis in perpetuam vendebant ſervitutem: ex quibus promiſcui ſexus, ætatis, & conditionis plus quàm quatuor millia barbaris nationibus, pretio interveniente, diſtracta eſſe dicuntur. Sic ergò impius Græcorum populus, & genimina viperarum, more ſerpentis

Digitized by Google

pentis in gremio, & muris in pera, nihil tale meritos, nihilque tale verentes, malè remuneraverunt hoſpites ſuos; quibus tamen filias ſuas, neptes quoque & ſorores, uxoreſq; dederant, & ex diutino convictu ſibi reddiderant familiares.

XIV. Quid Latini adverſus Græcos.

Verùm non omninò tantum & à ſæculis inauditum facinus impunè commiſiſſe dicuntur. Nam qui (ut præmiſimus) in galeis exierant, & qui poſtmodùm eos aliis navibus ſunt ſecuti, habentes ſecum multitudinem maximam, & claſſem non modicam circa urbem, ſatis in vicino ſe collegerant, rei expectantes exitum. Qui poſtquàm pleniùs cognoverunt, quòd ii, qui in B civitate tumultum excitaverant, eorum ſuccenderant regiones, uxores quoque & liberos, & omnem familiam partim gladio, partim conſumpſerant incendio: juſta indignatione commoti exarſerunt in iram. Et cupientes vehementi fervore ultum iri ſuorum ſanguinem: circumierunt utrumque Helleſpontum, ſitus ab oſtio maris Pontici, quod ab urbe Conſtantinopolitana diſtat triginta milliaribus, uſq; ad oſtium maris Mediterranei, quod ab eodem diſtat milliaribus ducentis urbes, & quælibet municipia in utroque ſita litore comprehendentes violenter; & eorum C habitatores ferro perimentes univerſos. Sed & monaſteria, quæ tàm in utroque ejuſdem maris litore, quàm in inſulis modicis, quæ per illud mare diſperſæ ſunt, ſita erant, pervadentes, pſeudomonachos, & ſacrilegos eorum ſacerdotes in ultionem fratrum ſanguinis gladio peremerunt, ipſa monaſteria cum iis, qui ad ea confugerant, ſuccendentes. Ex quibus locis infinitas, auri, argenti, gemmarum, & holoſericorum dicuntur extraxiſſe copias, unde damnum rerum amiſſarum, & diſpendia bonorum ſuorum in duplici fœnore ſibi poterant recompenſare. Nam D A præter monaſteriorum divitias innumeras, & theſauros infinitos, quæ à multis retrò congeſſerant temporibus cives Conſtantinopolitani, ingentia ibidem depoſuerant auri, & ceterarum gazarum pondera, quæ omnia ſecum deferentes, & maris illius deſcendentes anguſtias, inter Seſton & Abydon urbes antiquiſſimas, & maritimas, mare ingreſſi ſunt Mediterraneum, littora Theſſaliæ, & mari adjacentium provinciarum urbes & oppida perluſtrantes diligentiùs, & cuncta incendio, & rapinæ tradentes, ſtragem innumeram operati ſunt. Sed & galeas alias à prioribus B circa Chryſopolim, urbem Macedoniæ dicuntur reperiſſe decem, aliaſque in locis aliis quamplures. Unde ſibi claſſem maximam; & Græcis omninò formidabilem in eorum perniciem dicuntur ordinaſſe. Alii verò, qui ſtragem & rapinam abominabantur operari, cum uxoribus & liberis, & reſiduo ſubſtantiali ſuo navem ingreſſi, quorum illis multus occurrebat numerus, à prædicto declinantes exercitu, ad nos in Syriam deſcenderunt. Andronicus intereà urbem pro votis obtinens, & nullū habens contradictorem, Imperatorem cum futura uxore, Regis Francorum filia, in die C feſto Pentecoſtes ſolemniter fecit coronari, omnem ei exhibens reverentiam. Sororem quoque, & ſororis maritum, ſimul & matrem Imperatoris intra ſepta palatii adhùc tractans humaniùs, ipſe tamen tàm in urbe, quàm extra quælibet Imperii negotia pro ſuo libero diſponens arbitrio. Timetur tamen, ne hanc fraude palliatas perſonis exibeat humanitatem, quouſque Imperio paulatim occupato, & ſubjectis omnibus, liberiùs oſtendat, qualem circa eos gerat voluntatem.] Hæc de his Tyrius Archiepiſcopus. Quænam autem, ulciſcente numine, terribilis ultio Andronicum ſit ſecuta, ſuo loco dicendum erit. D

JESU CHRISTI ANNUS 1184. LUCII PAP. III. ANNUS 3. FRIDERICI IMP. 30. ANDRON. COMN. IMP. 2.

I. Milleſimus centeſimus octogeſimusquartus annus incipit, Indictione ſecunda, quo à Lucio Papa tempore Quadrageſimæ facta eſt promotio complurium ad Cardinalatus honorem: de qua electione habet iſta Robertus in Appendice ad Sigebertum hoc anno: Lucius Papa in capite Jejunii, id eſt feria quarta Cinerum ordinavit plures Cardinales, inter quos magiſtrum Meliorem presbyterum Cardinalem *creavit ſcilicèt*, quem etiam fecit Camerarium ſuum. *Creavit inſuper* E Electum Dolenſem diaconum, & magiſtrum Radulphum Nigellum chariſſimum amicum noſtrum, magnæ honeſtatis, & litteraturæ, & religionis virum.] Hæc Robertus hoc anno. Sequenti verò hæc de creatione Epiſcopi Oſtienſis: Theobaldus Abbas Cluniacenſis factus eſt Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, cui ſucceſſit in *Abbatia* filius Comitis de Claromonte. Hic *Theobaldus videlicèt* priùs fuit Abbas cujuſdam Abbatiæ Ordinis Ciſtercienſis: indè tranſlatus eſt ad Abbatiam Flaviacenſem; indè exortis quibuſdam cauſis, factus eſt Abbas ſancti Luciani martyris primi Epiſcopi Bellovacenſis civitatis. Exindè (ut diximus) factus eſt Abbas Cluniacenſis.] Hæc Robertus (ut dictum eſt) anno ſequenti. Scimus recentiorem auctorem ſeriem Cardinaliū diverſorum Pontificum texuiſſe unà cum ſignis familiarum diverſarum, ſed haud plauſum habet ab emunctas nares habentibus.

Hoc eodem anno Lucius Papa Veronam profectus eſt, ut congreſſum haberet cum Friderico Imperatore indictum in annum ſequentem, prout quæ dicenda erunt, manifeſtè declarant. Sed accipe quæ II.

A hoc ipſo anno Redemptoris habet Rogerius in Annalibus Angliæ:

Legatio ad Papam pro Duce Saxoniæ.

Eodem anno dominus Rex Angliæ ſollicitus de pace facienda inter Ducem Saxoniæ, & Imperatorem Fridericum, conſilio Archiepiſcopi Colonienſis miſit Nuntios ſuos, videlicèt Hugonem de Nunant Lexovienſem Archidiaconum, & quoſdam alios de clericis, & familiaribus ſuis ad Lucium ſummum Pontificem, ut auxilio ejus præfatus Imperator recepiſſet Ducem Saxoniæ in amorem. Venientes itaque Nuntii Regis ad Curiam domini Papæ, invenerunt eum in Italia apud Veronam: & dum ibi moram cum eo facerent, B. venit illùc Fridericus Romanorum Imperator ad loquendum cum domino Papa, ad cujus inſtantiam prædictus Imperator dedit Duci Saxoniæ licentiam redeundi in patriam ſuam, & relaxavit ei omne ſacramentum, quod ei fecerat de exilio exequendo, & dominus Papa abſolvit eum de ſacramento illo, quod ipſe Imperatori fecerat.] Ita Rogerius, qui & eodem hoc anno hæc admiranda de obitu Cantuarienſis Archiepiſcopi:

III. Richardi Archiep. Cantuar. obitus.

Eodem anno Richardus Cantuarienſis Archiepiſcopus obiit decimoquarto Kalendas Martii, cui, antequàm inciperet C ægrotare, apparuit Dominus in viſione, dicens: Tu diſſipaſti bona Eccleſiæ meæ, & ego extirpabo te à terra. Qua viſione plurimùm perterritus, ſtatim incepit ægrotare, & octava die ſequenti obiit.] Hæc Rogerius. Extat Petri (a) Bleſenſis ad hunc epiſtola, qua dum compellat amicè, ipſum ſummæ redarguit negligentiæ: quæ ſic ſe habet:

a Petr. Bleſen Epiſt. 5.

Reverendo patri & domino Richardo Dei gratia Cantuarienſi Archiepiſcopo, totius Angliæ Primati, & Apoſtolicæ Sedis Legato, Petrus Bleſenſis Archidiaconus ſalutem, & in melius expergiſci. D

Petrus Bleſ. Redarguit Rich. Arch. Cant.

Habebam in deſideriis ad vos cum feſtinatione reverti, ſed auctoritas regia non permittit. Millies poſtulavi licentiam receſſurus, ſed nec repulſam paſſus ſum, nec licentiam adeptus. Quoties cauſor moram quam facio, & allego veſtræ revocationis inſtantiam, unica & quotidiana eſt ejus reſponſio: cras recedes. In omnibus diebus anni, Cras iſtud invenire non potui. Dum quæritur, latet; & fortaſsè, quando non quæretur, occurret. In eo autem turbata eſt anima mea valdè, & ſicut araneam tabeſcere me feciſtis, quia E exprobraverunt, qui me tribulant inimici mei, mihi, dum dicunt mihi per ſingulos dies: Ubi eſt dominus tuus? ubi latitat? uſquequò piger dormit? exurgat qui dormit, & exurgat à mortuis. Et jam hora eſſet à ſomno ſurgere, & vigilare ſuper commiſſum ſibi gregem, & attendere, qualem habuit deceſſorem. Numquid Dei gratiam accepit in vacuum, ut & gratiam ſibi datam, & gloriam ſui deceſſoris evacuet? Jam evacuavit ex parte, nec videmus, quando reſtauret, quod amiſit, quando redimat, quod commiſit. Vobis igi-A tur imputant, quòd ab Allophylis Arca Domini capitur, quòd à laicis Eccleſia Dei conculcatur, quòd gladium Petri rubigo conſumit, quòd Chriſti ſacramenta vileſcant, quòd terribile nomen Dei in vanum aſſumitur, quòd ſub prætextu perjurii legitima conjugia diſſolvuntur. Vobis imputant, quòd Malchus in Chriſtum, quòd Phaſſur in Jeremiam, quòd Balthaſar in vaſa Domini manus extendit ſacrilegas. Quoties autem gratiam innocentiæ & humilitatis extollo in vobis: non ſufficit, inquiunt, tantæ prælationis homini, non facere malum, niſi adiiciat fa-B. cere bonum. Non ſolùm enim arbor, quæ fructus malos facit, ſed arbor, quæ fructus bonos non facit, excidetur, & in ignem mittetur.

IV. Quæ adversù Rich. Arch. diceretur.

Reperis, inquiunt, Archiepiſcopus tuus Eccleſiam in optimo ſtatu: ipſe verò eam deſtituit, & dejecit. Cantuarienſis Eccleſiæ dignitates, quas glorioſus Martyr rubricaverat ſanguine ſuo, & quaſi teſtamentum æternum morte & cerebri effuſione firmaverat, puſillanimitas ejus evacuat, eamque reduxit in antiquæ ſervitutis opprobrium, quæ ſe in gratiam plenæ libertatis erexerat. Ut quid, inquiunt, C terram occupat? quando morietur, & peribit nomen ejus? Cur ſaltem non expergiſcitur? Numquid qui dormit, non adiiciet ut reſurgat? In his omnibus verecundia mea tota die contrà me eſt, & confuſio cooperuit faciem meam à voce exprobrantis & obloquentis. Sunt itaque lacrymæ meæ panes die ac nocte, & ubi ſub umbra veſtri nominis magnificari & extolli ſperaveram, ibi improperium expectavit cor meum & miſeriam. Eſtis enim fabula in ore hominum, ſtudiumque omnium ferè commune eſt, linguas procaces laxare contra vos in deteſtandum ſuſur-D rium. Quòd ſi veſtram velim prædicare induſtriam circa ædificiorum meliorationem, circa prædiorum culturam, & circa hujuſmodi exteriorem adminiſtrationem, quæ inceſſanter exigit humana neceſſitas: ipſi univerſa depravant. Quæ gloria eſt, inquiunt, quòd vivaria conſtruit, quòd claudit feras indagine, ſi clerici impræcantur, ſi in omnem diſſolutionem religioſorum clauſtrorum oſtia relaxantur? Quæ utilitas, quòd fimo, & creta ager ſacionſtius impinguatur, ſi in Dominica meſſis culturæ nec ſpina evellitur, nec extirpatur tribulus, nec verbum Domini ſe-E minatur? Numquid Deo cura eſt de bobus & aſinis, ut circa boves & aſinos ita ſollicitus occupetur? Cur injunctæ ſibi legationis officium non exercet? ligatus eſt potiùs, quàm Legatus. Prophetæ; (b) inquiunt, cui Dominus legationem injunxerat præcepit; ut evellat, & deſtruat, ut diſſipet & perdat, ædificet & plantet. Dominus tuus officii ſpiritualis intelligentiam convertit in litteram, aut, ut dicatur veriùs, in figuram.

b Jerem. 1.

V.

Illud mihi ad cumulum doloris acceſſit, quòd dominus Rex, qui ex totò corde

vos

Regis Hérici ſtudiũ erga Religionem.

vos diligit, cujus erga vos dilectionem lego aſſiduè in libro experientiæ, qui turbatoribus veſtris in Romana Curia murum inexpugnabilem ſe opponit, ipſe frequenter incuriam, & deſidiam veſtram, ſecreta tamen & modeſta correctione redarguit: ipſe crebrò vos excitat ſcriptis, & nuntiis, graviſſimè ferens, quòd terræ ſuæ maleficos ad exceſſus enormes per impunitatis licentiam provocatis. Quàm amicabilia nuperrimè vobis ſcripſerit, & mandaverit, memoriæ, credo, tenaciter affixiſtis. Inter quæ ego, qui conſcius ſecretorum ſui, verbum illud confidenter in communem deduco notitiam: verbum enim memorabile eſt: Sciat, inquit, dominus Archiepiſcopus, quòd ſi filius meus electus, aut aliquis Epiſcopus terræ, vel Comes, vel aliqua perſona illuſtris ſuæ voluntati aut diſpoſitioni contraire præſumpſerit, aut impedierit, quò minus opus ſibi commiſſæ legationis adimpleat: inveniet me ſui contemptus perſecutorem, & vindicem, ac ſi in coronam meam proditoriè commiſiſſet. Scio quidem, pater, dominum Regem diu habuiſſe, & adhùc habere in votis, ut conſilio, & auxilio veſtro fiant increpationes in populis, ut arripiat manus veſtra judicium, & arguat pro manſuetis terræ.

VI. Excuſatio monentis.

Dura quidem retuli vobis, amantiſſime pater, & fortè hoc aliquis temeritati adſcribet, quòd non blandior, quòd non palpo, quòd reverendum populis caput peccatoris oleo non impinguo. Quidquid immundiſſimæ ſues grunniant: ego in Chriſti viſceribus, & jugi beneficiorum veſtrorum memoria vos moneo, & monebo, quatenùs cum ea diligentia impleatis Pontificium, ut non vituperetur miniſterium veſtrum. Legiſtis enim: (*a*) Maledictus homo, qui facit opus Domini fraudulenter. A clauſtrali & ſpirituali militia elegit vos Deus in ſacerdotem ſibi: videte ne, cùm ſpiritu cœperitis, carne conſummemini; & ne de vobis intelligatur illud: (*b*) Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt. Putatis, quòd de commiſſis vobis animabus vos in diſtricto examine non oporteat reddere rationem? Propter hoc irritavit impius Deum: (*c*) dixit enim in corde ſuo: Non requiret. Sed certè requiret exactiſſimè uſque ad noviſſimum quadrantem, & vereor, ne tempeſtiviùs, aut duriùs, quàm credere, aut timere velimus. Utinam velitis recolere comminationes Altiſſimi, quibus apertiſſima viſione nobis terribilem ſuæ indignationis ſententiam revelavit. (*d*) Horrendum eſt autem incidere te in manus Dei viventis. Ignis enim ſuccenſus eſt in furore ejus, quem quandoque ſpiritualiter vidiſtis, ipſum autem numquam ſenſibiliter ſenſiſtis.] Hæc Petrus, dominum ſuum fideliſſimè monens, licèt (*e*) defenderit eum & excuſaverit, cùm ſpiritu vehementiori idem Richardus redargueretur ab Alberto S. R. E. Cardinali Legato, qui poſteà fuit Gregorius Papa Octavus.

a *Jerem.* 48.
b *Geneſ.* 6.
c *Pſal.* 9.
d *Hebr.* 10.
e *Petr. epiſt.* 38.

VII.

A Sed cùm nec exemplo tanti prædeceſſoris profecerit, nec reprehenſionibus Legati Apoſtolicæ Sedis ſe correxerit, neque Petri familiaris & domeſtici ejus admonitiones ſive acres ſive blandas audierit: Chriſtum judicem, ad tribunal horrificum eum vocantem, cogentem, ſpiritum abripientem & extorquentem eſt paſſus infelix. Ipſe autem Petrus, qui ab aula regia ad munus Cancellariæ ipſius Richardi, cui ab epiſtolis fuit atque conſiliis, venerat, diverſis poſt hæc agitatus eſt fluctibus, ut ſuis ipſe epiſtolis queritur. Lege eam, quam ex ipſius ſcriptis Joannes Buſæus collegit B vitæ ipſius.

Tranſlatio Corporis S. Floriani.

Eodem anno Roma tranſlatum eſt in Poloniam corpus S. Floriani martyris, de quo iſta Longinus in Chronicis Polonorum: Lucius Papa Tertius, aſſiduis ſupplicationibus Caſimiri Ducis & Monarchæ Polonorum, apud prædeceſſorem etiam ſuum Alexandrum Tertium ad exauditionis gratiam admiſſis, volens ſe præſtare morigerum, corpus beati Floriani eximii martyris Duci præfato, & Cracovienſi Eccleſiæ donandum decernit, cujus donatio etiam miraculo divinitùs oſtenſo comprobata eſt. Summus ſiquidem Pontifex Lu- C cius (ut veterum etiam uſque in tempora noſtra derivata fert relatio) ſacrarium, quòd plura Martyrum corpora confovebat, ingreſſus, quis Sanctorum illic quieſcentium Poloniam migrare vellet, inquiſivit. Ad quam vocem, ſeriò ne, an joco, incertum eſt, à ſummo Pontifice prolatam, ex tumba, in qua corpus ſacrum B. Floriani conditum erat, manus protenſa, ſummo Pontifici vocitanti, deſignantis & indicantis ſe, apparuit, donarique Polonis, & Eccleſiæ Cracovienſi hujuſmodi manus protenſione corpus ſuum ſignavit. Quo quidem miraculo tunc ſibi oſtenſo Lucius D Papa commonitus, minus cunctanter corpus B. Floriani martyris Polonis, & Eccleſiæ Cracovienſi tribuit, & in ampliorem tàm Sancti, quàm Polonorum honorem, oſſa corporis ſancti per Ægidium Mutinenſem Epiſcopum Duci Polonorum Caſimiro, & Cracovienſi Eccleſiæ deſtinavit. Qui Cracovienſem urbem ſexto Kalendarum Novembrium cum ſacro onere perveniens, à Duce Caſimiro, & Gedeone Cracovienſi Epiſcopo, omnibuſque ſtatibus & ordinibus, obviam illi ad ſeptimum lapidem euntibus, ſummo honore, ſummaque jubilatione & gratulatione exceptus E eſt, ovantibus ſingulis, quòd Polonis novus ſuffragator & Patronus divina propitiatione acceſſit. Et quia Eccleſia Cracovienſis celeberrimi Martyris corpore & depoſito fuerit illuſtrata, decora, funiculoſque ſui ornamenti longè latèque & tetendit, & porrexit: in honorem Martyris beati baſilica illi pulchro ac ſumptuoſo opere, extra Cracovienſes muros, à Gedeone Cracovienſi Epiſcopo, in hanc diem divinitate propitia perſeverans, extructa eſt. Et Ægidius Epiſcopus Mutinenſis à Duce Caſimiro, & Gedeone Epiſcopo magni-

ficis onuſtus muneribus, Romam remiſſus. Ab eoque tempore in ſancti Floriani decus & memoriam cœperunt Poloni, tàm militares, quàm civiles, & agreſtes, filios
A ſuos in baptiſmate hujus nominis appellatione inſignire.] Agit poſt hæc de fundatione Eccleſiæ ejuſdem ſancti Floriani idē auctor. Sed hæc ad inſtitutum ſatis.

JESU CHRISTI ANNUS 1185. LUCII PAP. III. ANNUS 4. FRIDERICI IMP. 31. ANDRON. COMN. IMP. 3.

I. Conventus Veronæ.

Milleſimus centeſimus octogeſimus quintus annus Salutis agitur, Indictione tertia, quo Veronæ congreſſus eſt habitus Papæ & Imperatoris, Chriſtianæ Reipublicæ cauſa coeuntium. Errant qui putant tunc Epiſcoporum celebratum eſſe Concilium. Nam ex Actis, quæ adhùc extant, perſpicuè patet, nequaquàm tùm Veronæ habitum eſſe Concilium, ſed mutuũ dumtaxàt conventum. Habes ea recitata (a) in Sclavorum Chronicis tunc ſcriptis verbis iſtis: Sequenti anno, *nempè octogeſimoquinto poſt milleſimum atque centeſimum*, Imperator abiit in Italiam pro diſponendis negotiis Reipublicæ. Et occurrit ei dominus Papa Lucius apud Veronã, pro quibuſdam cauſis determinandis inter ipſos. Cumque honeſtiſſimè ſuſceptus eſſet à Veronenſibus, & à clericis, qui illùc convenerant de diverſis partibus terrarum, qui tempore Alexandri Papæ à ſchiſmaticis ordines ſuſceperant; cœpit Imperator omni inſtantia intercedere pro ipſis ad dominum Apoſtolicum, ut clementer circa ipſos diſpenſaret. Qui primò huic petitioni ſe benevolum exhibuit, & euſque annuerat, ut omnes petitiones ſuas ſcriberent, ut ſecundùm caſum ſingulorum diſpenſaretur circa ipſos.

a *Arnold. Lubec. l. 3. c. 10.*

II. Papa reſiliit à promiſſis.

Et ecce altera die dominus Papa mutat animum & propoſitum, dicens: Quoniam generali Concilio, quod Venetiis celebratum eſt, ubi ipſo Imperatore præſente diſpenſatum fuerat circa dominum Chriſtianum Moguntinum, & dominum Philippum Colonienſem, & dominum Mantuanum, & alios plures, qui cùm ordinatis ſuis perſiſterent, hi, *ſcilicèt ab eis ordinati*, ab ordinibus ſuis ſuſpenſi fuiſſent: nulla ratione mutandum id affirmabat, niſi denuò in Cardinalium & Epiſcoporum generali collegio. Promiſitque Apoſtolicus, apud Lugdunum ſuper eodem negotio ſe Concilium habiturum. De qua mutatione dominus Conradus Moguntinus, & dominus Vvormatienſis ſuſpecti habiti ſunt. Hi autem, quibus ſpes de officiis recuperandis data fuerat, contriſtati ſunt valdè. Et cùm priùs in ſuſceptione Imperatoris jucundiſſimè decantaſſent: Adveniſti deſiderabilis: in luctum converſi cantabant; Suſtinuimus pacem, & non venit, domine, quæſivimus bona, & ecce turbas, &c. Quod tamen Cardinalibus valdè diſplicuit, dicentibus: Ecce quanta eſt præſumptio Alemannorum, qui graviam minando quærunt.

Hoc taliter infecto negotio, tractabant inter ſe dominus Papa, & Imperator de patrimonio dominæ Mathildis matronæ nobiliſſimæ, quod Imperator in poſſeſſione habebat, dicens, ab eadem Imperio collatum: & è converſo dominus Papa Sedi
B Apoſtolicæ ab ea datum affirmabat. Cùmque in argumentum probandi teſtamenti, ex utraque parte privilegia porrigerentur, nullo fine cauſa terminata eſt.

III. De ſchiſmate Trevirenſi.

Aliud etiam habebant negotium, quod maximum & præcipuum erat de electione Trevirenſi. Siquidem metropolis Trevirenſis vacabat, in qua duo electi erant, Volemarus, & Rudolphus. Volemarus quidem prior à ſaniore parte electus eſt; Rudolphus verò poſterior à parte inferiore. Cùmque ſchiſma inter eos eſſet, Volemarus quaſi de canonica electione præſumens, ad Sedem Apoſtolicam appellavit;
C Rudolphus verò ad Imperatorem ſe tranſtulit. Imperator ergò audiens quod factum fuerat, propter diſſenſionem electionis inveſtituram dedit Rudolpho. Apoſtolicus itaq; affirmabat partem Volemari propter canonicam electionem. Et Imperator pro Rudolpho erat propter electionis diſſenſionem. Sicq; ab invicem diſceſſerunt, ut quivis ſuam partem diceret eſſe juſtiorem. Procedente ergò tempore, cùm Volcmarus ſequeretur Curiam Romanam, & pro ſuo negotio moleſtus eſſet Apoſtolico: Apoſtolicus miſſa epiſtola, peremptoriè citavit Rudolphum, qui tunc cum Im-
D peratore erat. Quod Imperator audiens, non parum ægrè ferebat. Ipſum tamen, ne contumax videretur, ad audientiam venire hortatus eſt, mittens ſecum duos Decretiſtas, & duos Legiſtas. Decretiſtas quidem, ut pro Rudolpho eſſent juſtitia canonum; Legiſtas verò, ut pro parte ſua ſtarent jure legum. Cùmque ad judicium ventum fuiſſet allegatum, nullo dato fine, Rudolphus ad Imperatorem revertitur; Volemaro cum Apoſtolico remanente. Sic ex utraque parte perturbatio non modica erat: quia cùm pro eadem cauſa inter Apoſtolicum, & Imperatorem quotidiè graviora
E emergerent, fideles, qui ſchiſmatis uſtionem experti fuerant, Eccleſiam denuò graviſſimè ſcandalizandam timebant.

IV. Diſcordia inter Papã & Imp.

Intereà Rex juvenis & ſuperbus zelatus pro Rudolpho, Decanum, & Canonicos quoſdam Confluentiæ, qui pro parte Volemari ſtare videbantur, calumniatoriè aggreſſus eſt, & ablatis ſtipendiis, domos, & poſſeſſiones eorum exterminari præcepit. Apoſtolicus verò exinde magis commotus, Volemarum ad pontificatus apicem promovere decrevit. Quod audiens Imperator, per ſuos ei mandat, dicens:

Quod

Digitized by Google

Quòd ſi Volcmarum contra ſuam voluntatem ad ſummum ſacerdotium promovere voluerit: omnem familiaritatem inter eos perpetuò expiraſſe, certiſſimè ſciat. Minas etiam quaſdam terribiles addidit, quæ tamen pro diſcretione eorum, qui internuntii erant, ad medium non devenerunt. Taliter ab invicem diſturbati Apoſtolicus, & Imperator, quidquid moliebantur, caſſum fuit, nec conſilium in perturbatione ſtare potuit: ſiquidem inter plurima negotia agebat Imperator cum Apoſtolico de filio ſuo Rege, ut coronam Imperii ſuper caput ejus poneret. Et quia eum placabilem non habebat, conſecrationem illius occaſionibus differebat, quam tamen non ſine ratione refellebat. Dicebat enim Apoſtolicus, non poſſe ſimul duos Imperatores regnare, nec filium Imperialibus inſigniri, niſi ea ipſe priùs depoſuiſſet.] Hæc Arnoldus, ſed malè anno octogeſimotertiò: depravatus putatur numeri nota, ut benè correxiſſe cognoſcitur (a) Crantius. Sed jam ad res Orientales convertamus orationem.

a *Crant. in Metrop. l. 6. c. 46. in fin. & 47.*

V. Decernuntur legationes in occidentē.

Inter hæc autem in deterius quotidiè prolabentibus rebus Chriſtianorum in Palæſtina, Saladino adversùs eos prævalente: coeuntibus unà Principibus ſimul cum Patriarcha Hieroſolymitano, & aliis, de mittenda legatione ad Chriſtianos Principes tranſmontanos, ut opem ferrent periclitantibus Hieroſolymis, inter eos decretum eſt, & firmiter ſtabilitum. Ita ſanè Vvillelmus Tyri Archiepiſcopus in ſuo de bello ſacro (b) ſcripto hiſtoriæ libro; qui cùm hic finem ſcribendi feciſſe reperiatur, illud in cauſa fuiſſe videtur, quòd ipſe unus ex Legatis ſuis miſſus ad Regem Francorum, ſicque ſcribendi intermiſiſſe viſus eſt inſtitutum, cùm præſertim rerum adverſarum dolore perculſus (ut ipſa præfatur in exordio libri noviſſimi) ſcribendi officium ſubiret invitus; adeò ut qualibet interdecente adverſa occaſione, munus omiſerit, quod nec reſumpſiſſe potuit, defunctus, dum eamdem legationem obiret. Porrò quàm operosè atque proficuè ſe geſſerit in ea functione trans montes, hoc ipſo anno, ſuo loco dicturi ſumus inferiùs. Primum autem omnium adornant primariam legationem ad univerſalem promotorem ejuſmodi expeditionum in Terram ſanctam, nempè ad ipſum Romanum Pontificem Lucium Papam, more majorum pulſantes primum omnium precibus Apoſtolicam Sedem, cujus nutu reliqui omnes Occidentales Principes moveri ſolerent, impartienda ab eadem remiſſione peccatorum, loco militaris ſtipendii, qua ſolerent quique Fideles magna frequentia ſacræ militiæ nomen dare.

b *Vvillelm. Tyr. l. 23. cap. 1.*

VI. Legatio ad Papam Hieroſolymis miſſa.

Venerunt ergò Legati Romam, ubi acceptis litteris à Lucio Papa ad Anglorum Regem, magna celeritate Angliam verſus, ut in mandatis acceperant, dirigunt iter. Quid autem per eos cum Anglorum Rege tranſactum fuerit, habet iſta A Rogerius hoc anno in Anglorum Annalibus: Eodem anno Balduinus leproſus Rex Hieruſalem, & Templares, & Hoſpitalares miſerunt ad Regem Angliæ, filium Mathildis Imperatricis, Heraclium ſanctæ Civitatis Jeruſalem Patriarcham, & ſummos Hoſpitalis, & Templi magiſtros, unà cum vexillo regio, & clavibus Sepulchi Domini, & Turris David, & Civitatis Jeruſalem; poſtulantes ab eo celerem ſuccurſum, ſicut ab hærede, & domino terræ Jeruſalem. Eſt enim ſciendum, quòd Fulco frater Gaufredi Comitis Andegaviæ, patris quoque iſtius B Henrici, fuit Rex Jeruſalem, ut ſuperiùs dictum eſt. Cùm autem prædictus Patriarcha, & magiſter Hoſpitalis venirent in Angliam, Rex Angliæ occurrit eis in villa de Redingea, & eos cum gaudio ſuſcepit. Qui ſtatim ad pedes Regis provoluti, cum fletu magno & ſingultu verba ſalutationis ex parte Regis, & Principum, & univerſæ plebis terræ Jeroſolymitanæ proferebant, & exponentes cauſam adventus eorum, tradiderunt ei vexillum regium, & claves Sepulchri Domini, & claves turris David, & Civitatis Jeruſalem ex parte Regis, & Principum terræ Jeroſo- C lymitanæ, & litteras ex parte Lucii Papæ in hac forma.

VII.

Lucius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Henrico illuſtri Anglorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Cùm * cuncti prædeceſſores tui præ ceteris terræ Principibus armorum gloria, & animi nobilitate longè retrò claruerunt, eoſque Fidelium populus habere in ſua dicerit adverſitate patronos: meritò ad te non tantùm regni, ſed paternarum virtutum hæredem, quadam ſecuritate præſumpta, recurritur, ubi populo Chriſtiano imminere periculum, immò extermi- D nium formidatur, ut per brachium regiæ magnitudinis membris ejus impendatur præſidium, qui te, ut ad tantæ gloriæ & prælationis apicem pervenires, ſua pietate conceſſit, & te contra ſui nominis impugnatores neſarios murum inexpugnabilem ordinavit. Primùm noverit ſerenitas tua, jam crebris & moleſtis ſuper hæc pulſata querelis, qualiter terra Jeroſolymitana, ſpecialis hæreditas Crucifixi, in qua noſtræ ſaluti ſunt prænuntiata myſteria, & ipſius rei exhibitione completa, quam ille, qui cuncta condidit, in ſuam ſortem peculiari privilegiò deputavit, per- E fidæ & ſpurciſſimæ gentis attrita & convallata preſſuris, niſi ei celeri remedio ſuccurratur, prona ſit ad ruinam; & inde (quod abſit) ſuſtineat irreparabilem Religio Chriſtiana jacturàm. Ille enim Saladinus, ſancti & tremendi nominis immaniſſimus perſequutor, ita ſpiritu furoſis incanduit, & totius nequitiæ ſuæ vires ad internecionem populi fidelis exercet; ut niſi immanitatis ejus vehemens impetus, quaſi objectis obicibus, reprimatur; certam ſpem, fiduciamque ſuſcipiat, quòd (c) Jordanis influat in os ejus, & terra aſper-

* inclyti. Lucii Pap. ad Reg. Angl. pro bello Hieroſol.

c *Job. 40.*

Digitized by Google

aſperſione vivifici ſanguinis conſecrata ſpurciſſimæ ſuperſtionis ipſius contagio polluatur ; & quam glorioſi, & nobiles prædeceſſores tui à domino gentis incredulæ multis laboribus & periculis exemerunt, rurſùs nefando tyranni nequiſſimi dominio ſubiugetur.

VIII. Ob hanc itaque neceſſitatis, & imminentis doloris inſtantiam, magnificentiam tuam Apoſtolicis litteris duximus exorandam ; immò dilatatis præcordiis ſumma acclamatione pulſandam, quatenùs ad honorem ipſius reſpiciens, qui te conſtituit in ſublimi, & juxta nomen magnorum, qui ſunt in terris, nomen tibi contulit glorioſum, ad deſolationem præfatæ terræ pietatis ſtudio te convertas, & ut ejus confuſio in hac parte tollatur, qui pro te in ipſa terra voluit haberi ludibrio, operam adhibeas efficacem, quatenùs prædeceſſorum tuorum veſtigia ſubſecutus, quam ipſi de principis tenebrarum faucibus eripuerunt, in cultu magni Dei per tuam diligentiam, auxiliante Domino, conſervetur. Eò autem curioſiùs celſitudinem tuā in tanta oppreſſionis anguſtia convenit laborare, quòd terram ipſam Regis intelligis præſidio deſtitutam, & totam ipſam defenſionis ſuæ ipſius proceres in tuæ magnitudinis duxerunt patrocinio collocandam. Quod inde clariùs tua ſerenitas poteſt agnoſcere, quòd ſummos terræ illius & magnificos defenſores, venerabilem fratrem noſtrum Heraclium Patriarcham, & dilectum filium noſtrum magiſtrum Hoſpitalis ad tuam excellentiam deſtinarunt, ut ex ipſorum præſentia conſiderata dignitate perpenderes, quanta fuerit neceſſitatis anguſtia, pro qua eorum ſuſtinent tàm diu carere præſidio, ut per ipſos faciliùs ad vota ſua tuam devotionem inclinent. Viros igitur præfatos, tamquàm ab ipſo Domino tibi deſtinatos benignè ſuſcipias, & debita charitate pertractes, eorumque poſtulationibus tantò faciliùs acquieſcas, quantò gravitatis, & honeſtatis intuitu favor eſt eis & gratia exhibēda. Sanè recolat prudentia tua, & ſollicita ſecum meditatione revolvat promiſſionem illam, qua de impendendo ſæpè dictæ terræ præſidio, tuam celſitudinem obligaſti, & ita in hac parte te cautum & ſtudioſum exhibeas, ut te in tremendo Judicio tua conſcientia non accuſet, & ejus, qui non fallitur, diſtricti Judicis interrogatio non condemnet.] Hucuſque Lucii epiſtola, quam & recitat (a) Neubrigenſis. Miſſum autem à Lucio Papa Legatum ad Regem Angliæ * Hiemarum Tuſculanum Epiſcopum S. R. E. Cardinalem ex monacho Cluniacenſi, referunt antiqua ejus monaſterii monimenta. In ſcripto enim Chronico de eo iſta leguntur :

a Neubrig. l. 3. c. 12.
* al. Ignarum

In iſtis etiam diebus floruit Ymarus Tuſculanenſis Epiſcopus. Hic apud ſanctum Martinum de Campis ſub domno Matthæo, tunc temporis Priore, poſteà verò venerabili Albanenſi Epiſcopo, in juvenili conſtitutus ætate habitum ſuſcepit monachalem, à quo Cluniacum ducitur, ubi à Pontio Abbate profeſſione, pariterque benedictione completa, monaſterialibus ſacramentis arctiùs implicatur. Inde verò, ſuffragantibus meritis, cuſtos Ordinis efficitur. Abbas poſtmodùm novi monaſterii Pictavienſis ordinatus, ubique ſtrenuus rector & præcipuus Ordinis cultor, ſuæ religionis & ſapientiæ clariſſima monimenta reliquit. Succedente autem tempore à domno Innocentio Papa in Patriarchio Lateranenſi Cardinalis pontifex conſecratur, & Coepiſcopus & coadiutor Romani Pontificis in partem ſollicitudinis advocatus, Lavicanenſis & Tuſculanenſis Eccleſiæ titulo decoratur. Sub domno quoque Lucio Papa legatione fungens in Angliam transfretavit, ubi vices agens Apoſtolicas, manus ſuas excutiens à turpi munere, ad ſubvertendum judicium nullis potuit pecuniis expugnari. Tandem, ſicut in voto ſemper habuerat, in ſepulchro videlicèt patrum ſuorum collocari, & ad ipſos apponi deſiderans, ad nos veniens, collegit quidquid habere potuit, & tam in ſtagno faciendo, quàm in reliquis beneficiis, quæ Conventui gratanter impendit, ampliùs quàm XLCIↃ. Solidos devotus expendit.] Hæc de Igmaro Legato, à Lucio miſſo ad Regem Anglorum : qui licèt ipſo exordio ſchiſmatis Octaviano ipſi faverit ; citò tamen reſiliit, & partes Alexandri ſectatus abſterſit maculam quam contraxerat. Pergit autem Rogerius.

IX. Convētus Lond. pro exped. in terrā ſanctam.

His auditis, dominus Rex reſpondit rem benè proceſſuram, Deo volente, & ſtatuit eis terminum ſuæ reſponſionis primam Dominicam Quadrageſimæ apud Lōdonias. Ad quam Dominicam dominus Rex, & Patriarcha, & Epiſcopi, & Abbates, & Comites, & Barones regni Angliæ, & Vvillelmus Rex Scotiæ, & David frater ejus cum Comitibus, & Baronibus terræ ſuæ convenerunt Londoniis, & habito inde cum deliberatione conſilio, placuit univerſis, quòd dominus Rex conſuleret inde dominum ſuum Philippū Regem Franciæ. Et ſic ſoluto conſilio, dominus Rex dedit univerſis hominibus ſuis, tàm clericis, quàm laicis licentiam capiendi crucem. Unde factum eſt, quòd Balduinus Cantuarienſis Archiepiſcopus (ſucceſſerat hic Richardo) & Ranulphus Juſtitiarius Angliæ, & Vvalterus Rothomagenſis Archiepiſcopus, & Hugo Dunelmenſis Epiſcopus, & alii quamplures Epiſcopi transmarini, & ciſmarini, & ferè omnes Comites, & Barones, & milites Angliæ, Northmanniæ, & Aquitaniæ, & Britanniæ, & Andegaviæ, & Cenomaniæ, & Turoniæ, crucem ceperunt.] Et inferiùs poſt enarrata prodigia quædam, quæ tunc contigerunt, hæc de reſponſis datis Legatis Hieroſolymitanis.

X. Deinde Philippus Rex Franciæ, & Henricus Rex Angliç habito colloquio de ſubventione facienda terræ Hieroſolymitanç,

pro-

promiſerunt ſe bonum auxilium illi facturos tàm in hominibus, quàm in pecunia. Sed hæc omnia præfatus Patriarcha parvi pendebat. Sperabat enim, quòd eſſet reducturus ſecum ad defenſionem Hieroſolymitanæ terræ præfatum Regem Angliæ, vel aliquem de filiis ſuis, vel aliquem alium virum magnæ auctoritatis. Sed quia hoc eſſe non potuit, repatriatus, dolens & confuſus à Curia receſſit.] Hæc de his Rogerius, qui ait Heraclium Hieroſolymorum Patriarcham menſe Aprilis navigaſſe in Angliam, & apud Regem mira celeritate negotium iſtiuſmodi pertractaſſe, cùm intereà Archiepiſcopus Tyri munus legationis obiret in Galliis.

XI. Lucii Pap. obitus.

Acceſſit autem ad commune damnum & impedimentum promovendæ expeditionis, quòd promotor ejus Lucius Papa, hoc ipſo anno, ſeptimo Kalendas Decembris ægrotans ex hac vita migravit, Veronæ dum eſſet, ubi & honorificè ſepultus, hoc epitaphio inſcripto ſepulchro: LVCA DEDIT LVCEM TIBI LVCI. PONTIFICATVM OSTIA. PAPATVM ROMA. VERONA MORI.] Addita verò reciproca hæc antitheſis: IMMO VERONA DEDIT VERVM TIBI VIVERE. ROMA EXILIVM. CVRAS OSTIA. LVCA MORI.] Recitat iſta Ptolomæus Lucenſis in ſua hiſtoria, quam antiquitùs ſcriptam habemus in Vaticano. Extat inter alia decreta Lucii hujus illud, quod ſtatuit adversùs hæreticos, à Gregorio Nono in libro (*a*) Decretalium collocatum. Incipit: Ad abolendum. Defuncto autem Lucio Papa, & tumulato, miro conſenſu omnium Cardinalium, qui aderant, ſtatim creatus eſt ejus ſucceſſor Urbanus Tertius, dictus anteà Lambertus, Archiepiſcopus Mediolanenſis, de quo dicturi ſumus anno ſequenti. Modò reliqua anni hujus proſequamur.

a Extr. de hæretic. c. ad abolendum.

Urbanus Pap. Tertius creatus.

XII. Siculi in Græcos.

Hoc namque anno, & Indictione tertia (ut Nicetas teſtatur) Vuillelmus Siciliæ Rex ingenti comparata claſſe, in ultionem Græcorum, qui ante biennium in Latinos Conſtantinopoli adeò immaniter debacchati fuerant, primò Dyrrachium, indè Theſſalonicam expugnavit; ſicque in Græcos omnes Latini milites adeò ſævierunt, ut etiam eorum quæque ſacra reddere profana, & veluti execranda, polluere, depravare, atque penitùs perdere laborarint. Scribit ſingula ſe planè nefanda idem ipſe (*b*) Nicetas, cujus rei gratia, ut idem ipſe teſtatur, adeò inter Græcos atque Latinos eſt charitas exulcerata, & odium implacabile excitatum, ut omnis ſpes reconciliationis exciderit; ait enim: Tanto diſcordiæ vallo invicem dirempti ſumus: nec ullo modo animi conjungentur, etſi corporibus conjuncti in iiſdem ædibus habitemus.] Hæc & alia plura id genus ipſe. Sed quid accidit? Inverſa alea rerum fuit, cùm hoc eodem anno inter iſta Andronico magna ignominia & ſævitia (ut dicetur) ſublato de medio, Imperium invadente Iſaacio Angelo, & adversùs Siculos confluente univerſo Græcorum Imperio, victi ſunt Siculi, paſſique duriora ab illis. Hæc ſingula leges apud eumdem Nicetam in Iſaacio Imperatore. At quaſnam pœnas ſive excogitatas, ſive furore populi improviſas dederit Andronicus pro ſua ipſius immanitate, quâ in necem inſontium ac præcipuè Latinorum, quos Conſtantinopoli publico indicto bello exagitavit, & (ut ſuperiùs dictum eſt) ſæviſſimè habuit, hic deſcribamus ex Niceta Choniata, qui aderat:

b Nicet. Choniat. in Andron.

Græcis in Siculos.

XIII. Divina Ultio in Andronicum.

Itaque in Anemæ caſtellum duabus gravibus catenis cum ferreis feris ſuperbo collo injectis; & compedibus oneratus, ut captivos tractari moris eſt, conjicitur: eoque habitu ad Iſaacium perducto contumelioſis verbis inſultatur, alapæ impinguntur, nates pulſantur, barba vellitur, dentes excutiuntur, capilli evelluntur: publicè omnium ludibriis expoſitus, etiam à mulieribus pugnis cæditur, iis præſertim, quarum maritos aut occiderat, aut excæcarat. Deinde præciſa dextera, in idem caſtellum reducitur, ſine cibo, ſine potu, ſine ullo cujuſquam officio. Poſt aliquos dies altero oculo effoſſo, ſcabioſo camelo impoſitus, per forum triumphi ſpecie traducitur, calva glabra inſtar aridæ quercus, & ovo nudiore, & brevi tunicula tectus, ſpectaculum miſerabile, quod rivos lacrymarum elicere queat ex oculis non inhumanis. Sed ſtolidiſſimi & petulantiſſimi urbis incolæ, præſertim fartores, coriarii, opifices, & circumforanea ſordidaque turba, muſcarum inſtar, verno tempore ad mulctras & pinguia cymbia convolantium, nulla ratione habita, quòd is nudiùs tertiùs Imperator, regio diademate ornatus, ab omnibus laudatus, celebratus, adoratus eſſet; quodque ſanctiſſimo jurejurando fidem & benevolentiam ſuam erga illum teſtati eſſent, efferatis animis ſine ulla ratione ruentes, nihil mali prætermiſerunt, quo Andronicum per nefas non afficerent. Alii clavas in caput ejus impegerunt, alii ſtercore nares ejus fœdarunt, alii ſpongias excrementis hominum & pecudum fœdatas in faciem ejus expreſſerunt, alii verbis obſcenis parentes ejus inſectati ſunt. Erant & qui verubus latera ejus pungerent. Impudentiores quidam lapidibus conjectis rabidum canem eum appellabant. Scortum quoddam impudens ollam ferventi aqua plenam, è culina raptam, in faciem ejus effudit. Nemo denique erat, quin malè faceret Andronico. Ita ignominioſè in theatram ridiculo triumpho perductum, ſe miſero illo camelo detractum; juxta duas columellas, quibus supernè lapis incumbit, propè æneam lupam, & hyænam, quæ inflexis cervicibus, quaſi altera in alteram impetum factura, concitatæ aſtant, pedibus ſuſpendunt fune alligatis. Tot mala perpeſſus, & alia ſexcenta, quæ prætermiſimus, tamen generoſo adhuc animo illata mala tolerabat, ac mente integra ad affluentem turbam, & jacientem conver-

verſus, nihil niſi, DOMINE MISERERE: &: QVID CALAMVM CONTRITVM INFRINGITIS?

XIV. Sævitum diriſſimè in Andron.

Cæterùm dementiſſima populi turba ne tùm quidem afflictiſſimo pepercit Andronico, poſtquàm pedibus ſuſpenſus fuit: ſed direpta tunicula, virilia ejus vexavit, & quidam homo nefarius longum enſem per fauces ejus uſque ad inteſtina adegit. Duo verò Latini generis, enſes ambabus annixi manibus in nates ejus adegerunt, ut periculum facerent, uter eſſet acutior, ictus dexteritate gloriati. Poſt tot ærumnas & clades ægrè vitam abrupit, dextera cum dolore ad os admota, ut multi putarent, eum calidum ex ea ſanguinem ob recentem plagam adhùc deſtillantem, exugere. Imperavit annos duos: unum verò rerum potitus eſt ſine purpura, & regio diademate.] Et inferiùs:

XV.

Poſt dies aliquot ex alto illo miſerabili detractus, & in theatri fornicem quemdam, ut beſtia projectus, jacuit, donec quidam humanitate adducti, nec iræ nimiùm indulgentes, cadaver ejus inde ſublatum juxta Ephori monaſterium, quod ad Zeuxippum eſt, in quodam infimo loco poſuerunt, idque compage nondum penitus diſſoluta adhùc ſpectare licet. Nam C Iſaacius Imperator criminis expers, & juſtus, ut putabat, non annuit, ut id ſublatum ſepeliretur, aut in SS. Quadraginta ædem transferretur, quam Andronicus ea de cauſa ſtudioſè condiderat, & exornarat.] Hæc Nicetas. Quibus ſignificatur, haud abſque ſpe indulgentiæ à Deo conſequendæ pœnitentem Andronicum eſſe defunctum, quem in aliquibus commendatione dignum oſtendit, ut illud in primis, quòd ſtudioſiſſimus eſſet ſancti Pauli Apoſtoli, cujus & Epiſtolas præ manibus habere ſoleret: Apoſtolum verò ipſum Andronicum non deſpexiſſe, ſed inter D ceſſionibus adjuviſſe, cladiſque ſuper eum venturæ prænuntium illi fuiſſe: nam de ejus Imagine iſta ſubiicit: Imago verò cœleſtis illius oratoris *Pauli*, antiquæ manus opus, quam auro exornatam in illa æde repoſuit, imminente ei exitio lacrymavit. Quo is audito explorari jubet, an verum ſit. Ad id miniſterium præter cæteros Hagiochriſtophorita Ste-

Andronicus pœnitens deceſſit.

A phanus delectus, per gradus aſcendit (nam in ſublimi pendebat imago) Paulique pupillas puriſſimo linteolo abſterſit: quo facto, lacrymæ magis etiam tamquàm ex fonte exuberarunt. Quod ubi cum admiratione retulit, Andronicus gravi dolore perculſus, & diu agitato capite, cum gemitu dixit, Paulum videri ſua cauſa lacrymaſſe; ac graviſſimam ſibi cladem impendere. Se enim ex animo amarè Paulum, & ejus dicta maximi facere, & à Paulo utique redamari.

XVI. Laudanda de Andronico.

Adde his etiam dignum Principibus de eo imitatione exemplum, quòd tenaciſ- B ſimus erat Catholicæ Fidei cuſtos, ut nec in diſputationem adduci modo aliquo pateretur, quod ipſi derogare poſſe videret: nam audi quid idem Nicetas de his referat: Tantum porrò abſuit, ut conſuetudinem, & tunc, & nunc receptam de divinis dogmatibus diſputandi probaret, aut de Deo novi aliquid vel dicere, vel audire vellet (idque, cùm noſtram doctrinam non ſummis tantum labris attigiſſet.) ut novarum Patrarum Epiſcopum Euthymium, virum eruditiſſimum, & Cinamum Joannem ad Lopadium de illo Chriſti dicto, Pater major eſt me, in ſuo tabernaculo diſſerentes objurgarit, C & in Rhyndacum amnem abiecturum minatus ſit, ni deſiſterent. Fuit autem illud argumento, non planè efferatum fuiſſe Andronicum, quòd eruditionis rationem habuit; & eruditos non procul à purpura, ſed propè ſolium ſuum collocatos, & muneribus frequentibus fovit, honores eis non minimos habendo, cœleſtem ſapientiam, divinarumque rerum doctores, diſertos, & juriſperitos, magnam rem & ſummi pretii ſe æſtimare declaravit.] Hæc & alia laude digna de Andronico Nicetas narrat. Suſcepit autem Imperium Iſaacius Angelus in ultionem Sicu- D lorum, ut declaravit eventus. Porrò, quod ad ipſum auctorem Nicetam pertinet: de ipſo ejus frater Michael Epiſcopus Athenarum teſtatur in Monodia ipſius, quòd ubi Conſtantinopoli invaluit tyrannis Andronici, indè aufugit, deligens potiùs exilium voluntarium degere in alieno ſolo, quàm ſub alea hominis ſæviſſimi periclitari.

I.

ANNO Redemptoris milleſimo centeſimo octogeſimoſexto, Indictione quarta, pridie Idus Januarii, Urbanus Papa recèns creatus, de ſui electione has ad univerſum populum Chriſtianum litteras dedit:

Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & cæteris Eccleſiarum Prælatis, ad E quos litteræ pervenerint, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Litteræ Urbani Papæ de ſua electione.

Cœleſtis altitudo conſilii firmam retinens in ſua diſpoſitione cenſuram, ſacroſanctam Romanam Eccleſiam, ad cujus regimen ſumus, licèt inſufficientes, aſſumpti, ſupra petram Fidei ſoliditate fundavit; illud ei tribuens in Apoſtolicæ confeſſionis fortitudine firmamentū, cui nec procella turbinis, nec prævalere poſſit ſpiri-

tus

Digitized by Google

tus tempeſtatis. Unde ipſa univerſalis A mater Eccleſia uſque ad conſummationem ſæculi manentem ſecum retinens Salvatorem, ita juxta Canticum (a) Salomonis: Quem dilexit, amplectitur, ut pro nulla rerum varietate, vel temporum, ab unitate ſuæ Fidei, vel pietatis propoſito ſeparetur. Licèt enim vel crebra decedentium mutatione paſtorum in varia diſcrimina frequenter inciderit; vel per mundanæ malignitatis incurſum perſecutiones innumeras pertulerit, & labores: numquam tamen eam gratia divina deſeruit, quò minus robur ejus in qualibet tentatione perficeret, & indè obtineret ſpei B ſuæ gaudium, undè ſuſceperat Fidei firmamentum. Sic igitur ante paucos hos dies faciente cum ea Domino ſignum in bonum, quamvis ipſam de tranſitu pii patris Lucii non modicus dolor triſtitiaque turbavit: ſtatum tamen ejus in unitate ſpiritus & vinculo pacis divina providentia conſervavit, ut poſt veſpertinos fletus lætitia matutina ſuccederet, & ipſa velut columba pulcherrima ſuis lætificata gemitibus, ſine ruga prorsùs & macula candoris ſui pulchritudinem retineret.

a Cant. 3.

II. Defuncto ſiquidem piæ recordationis Patres ac prædeceſſore noſtro domino Papa C Lucio, & reverendiſſimo ejus corpore honorificè tumulato: habitus eſt à fratribus de ſucceſſoris electione tractatus, in quo tanta fuit unitas omnium, tantaque ad invicem concordia ſingulorum, ut ille intelligatur operatus in eis, in cujus manu corda ſunt omnium, & per quem adunatur diverſitas animorum. Ceterùm cùm plures eſſent in Eccleſia Dei viri venerabiles & prudentes, in quos eorum vota concurrere conſultiùs, ut credimus, & digniùs potuiſſent, ad inſufficientiam noſtram oculos intenderunt: & factum eſt, D ſicut Domino placuit, ut nos, quibus ad dignitatis tantæ faſtigium nec vires, nec merita ſuffragantur, in patrem ſibi elegerint, & paſtorem. Nos autem licèt nobis conſcii propriæ infirmitatis eſſemus, ita ut crederemus eorum propoſito non immeritò reſiſtendum: ne tamen ex dilatione negotii, vel pertinacia reluctandi aliquod in Eccleſia periculum proveniret, conſenſimus licèt inviti injuncti oneris ſubire laborem, ab eo ſperantes dirigi greſſus noſtros, qui B. Petro in fluctibus naviganti, & fiduciam præſtitit, ut in mare deſcenderet, & potenter occurrit, ut dubitans non periret. Nunc igitur in E eo loco, & officio conſtituti, in quo valdè indigemus omnium Fidelium ſuffragiis adjuvari: ad vos tamquàm ad ſpeciales Eccleſiæ Romanæ filios cum fiducia, & ſecuritate recurrimus, voſque benedictionis Apoſtolicæ prævenientes alloquio, litteris familiaribus admonemus, rogamus attentiùs, & exhortamur in Domino, quatenùs tranſitum ſupradicti patris & Domini noſtri Lucii devotis orationũ ſuffragiis proſequentes, fidem & devotionem, quæ nobis pro reverentia Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, & Apoſtolicæ Sedis communiter debetur ab omnibus, vos ſpecialiter impendatis, ita quòd ex hoc, & à Deo præmium conſequi, & majorem ſemper gratiam valeatis in oculis noſtris, & totius Eccleſiæ promereri. Datum Veronæ ſecundo Idus Januarii.] Deſcriptæ leguntur litteræ iſtæ apud Rogerium in Annalibus Anglicanis.

Sed quæ mox poſt crestionem Urbani interceſſerunt cum Imperatore adhùc Veronæ agente contentiones, ex Arnoldo Abbate Lubecenſi ita deſcribimus: (b) Inter hæc autem defuncto Papa Lucio, dominus Urbanus in Sedem Apoſtolicam ſublimatus eſt. Cùmque inter ipſum, & dominum Imperatorem colloquia celebrarentur pro negotiis ſuprà memoratis, quæ adhùc minimè determinata fuerant: dominus Papa ut zelator juſtitiæ pro defenſione S. R. E. conſtanter agebat, nec terreni Imperii metuens Principatum, quæ ſui juris erant, intrepidus requirebat. Arguebat ſanè Imperatorem de patrimonio dominæ Mathildis, de quo ſuprà mentio facta eſt, quod ab ipſo injuſtè occupatum dicebat. Affirmabat etiam, quòd Epiſcoporum exuvias injuſtè acciperet, quæ dum ipſis mortuis de Eccleſiis rapiantur, Eccleſiæ quaſi corroſæ, & expoliatæ ab Epiſcopis ſubintrantibus inveniuntur, ita ut ex neceſſitate quadam raptores injuſti inveniantur, dum ablatis ſtipendiis, quæ confiſcata fuerant, de novo reſarcire cogantur. Tertium etiam contra eum proponebat articulum, quòd Abbatiſſarum congregationes plurimas in diſperſionem dediſſet, dum propter enormitatem ipſarum ſub emendationis occaſione uſurpatis ſibi ſtipendiis, perſonas quidem removiſſet, nec alias ad honorem Dei, vel Eccleſiæ augmentum ſub meliore profeſſione reſtituiſſet. Hæc autem Imperator, etſi non libenter, patienter tamen audiebat: quia de conſecratione filii inſtanter agebat. Ad quod opus dominus Apoſtolicus ſe omninò difficilem reddebat. Dicebat enim, ut à ſuo prædeceſſore inſtructus erat, quòd minimè Imperatoris filium Imperialibus inſigniret, niſi ea pater primùm depoſuiſſet.

III.
Obortæ cõtentiones inter Pap. & Imper.

b Chron. Slav. l. 3. c. 16. 17. 18

Inter hæc autem Volcmarus electus Trevirenſis, de quo ſuperiùs dictum eſt, contra voluntatem Imperatoris per manus domini Papæ ad ſummum ſacerdotium meruit promoveri. Imperator hoc audiens, iratus eſt nimis, & ex illa die manifeſtiſſimæ inimicitiæ inter ipſum & dominum Apoſtolicum exortæ ſunt: & facta eſt in Eccleſia Dei pertubatio non modica. Quia dum inter ſe diſcordarent cardines Orbis, facta eſt confuſio elementorum, Prælatorum videlicèt, hinc-indè placere volentium. Filius verò Imperatoris perturbationis hujus cauſa non parva extitit. Nam ſub ipſo tempore in Longobardia poſitus, Epiſcopum quemdam ad ſe accerſiri juſſit, cui etiam dixit:

IV.
Nova accidit cauſa contentionis.

xit: Dic clerice, à quo inveſtituram pontificalem ſuſcepiſti? Et ille: A domino Papa. Cùmque tertiò eiſdem verbis eum requiſiſſet, dixit Epiſcopus: Domine, nihil de regalibus poſſideo, nec miniſteriales, nec curtes regias habeo: idcircò de manibus domini Papæ parochiam, cui præſum, teneo. Tunc indignatus Rex præcepit ſervis ſuis, ut pugnis eum cæderent, & eum in luto platearum conculcarent. Quod factum omnibus diſplicuit, quia poſt Decium nihil tale auditum fuit de Regibus. Apoſtolicus tamen inſiſtens, Imperatorem de tribus ſuperioribus capitulis inſtanter arguebat, ideſt de patrimonio dominæ Mathildis, de Epiſcoporum exuviis, & de Abbatiſſarum ſtipendiis: ita ut manifeſtè eum citaret, & excommunicationis maledictum ei intentaret. Cui præcipuè favebat Philippus Archiepiſcopus Colonienſis, plurimùm dolens, quòd poſt mortem Epiſcoporum omnia mobilia in fiſcum redigerentur.

V. Epiſcopi eminétiores commoti contra Imperatorem.

Ad hæc acclamabat Conradus Moguntinus, Volcmarus Archiepiſcopus Trevirenſis, quibus conſentiebant Epiſcopi duodecim, inter quos præcipuus erat Bertoldus Metenſis, qui etiam Volcmarum poſt conſecrationem ab Apoſtolico venientem non ſolùm in ſua diœceſi, verùm etiam extra ſuos terminos ei occurſans, honeſtiſſimè ſuſcepit. Unde graviter animum Imperatoris exacerbavit, quòd recordatus non fuiſſet, quæ ſibi feciſſet bona. Denique dum idem Bertoldus ad ſedem Bremenſem electus, ab Alexandro Papa fuiſſet depoſitus, ut in priori libello invenitur, venit ad dominum Imperatorem pauper & exul. Quem Imperator miſeratus benignè ſuſcepit, ita ut venienti de ſede ſua occurſans per manum deduceret, & in latere ſuo collocaret, ſicque honeſtè & largè habitum à conſpectu ſecit numquam diſcedere, donec opportuno tempore certa eum & honeſta ſede locaret. Quod & factum eſt. Nam dum poſteà vacaret ſedes Metenſis, cum ſummo honore ipſum in ea ſublimavit. Cùm igitur videret eum Imperator tantorum beneficiorum ingratum, & ſubitò in adverſam partem mutatum: per ſuos eum de ſede ſua diſturbat. Qui fugiens, ad Philippum Colonienſem ſe contulit, qui ei præbendam Coloniæ ad ſanctos Apoſtolos deputavit. Sicque ſedes illa nec ipſo, nec alio præſidente, diebus multis vacavit. Similiter etiam metropolis Trevirenſis errore infinito turbata erat, quia Rudolphus, quem Imperator creaverat, per ipſum temporalibus uti videbatur. Volcmarus verò, quem Apoſtolicus propter canonicam electionem conſecraverat, nec in ſpiritualibus, nec in temporalibus prævalebat.

VI. Fridericus rursùm rebellat Pôtifici.

Igitur reverſus de Longobardia, & conſiderans obſtinatum erga ſe animum domini Papæ, clauſit omnes vias Alpium, & omnium circumquaque regionum, ut nemo pro quolibet negotio adire poſſet Sedem Apoſtolicam. Deinde convocans Philippum Colonienſem, cœpit ſecum conferre de importunitate domini Papæ, intelligens etiam ipſum fungi vice ipſius in cauſis decidendis: propterea magis ipſius animum explorare cupiebat, vel qualiter de eo ſibi ſentiendum eſſet, ſcire volébat. Apoſtolicus enim ipſi legationem Romanæ Eccleſiæ, ſive etiam primatum de ſuis Suffraganeis dederat, ut quia Imperator (ut dictum) vias Alpium concluſiſſet, ipſe vice Apoſtolici ſingulorum cauſas diſcuteret, ne propterea magis ab Eccleſia Dei juſtitia deficeret. Exponente ergò Imperatore importunitatem domini Apoſtolici, & quærente ab Archiepiſcopo, quam fiduciam de ipſo eſſet habiturus; ipſe reſpondit: Domine, non eſt neceſſe, ut aliquid de me dubitationis habeatis: me enim ſemper pro juſtitia ſtare velle ſciatis. Sæpiùs enim probaſtis cor mecum vobiſcum: unde etiam vobis conſtat, ſemper in me fiducialiter agendum. Verumtamen, ut omnium Epiſcoporum ore loquar, ſi paulò mitiùs nobiſcum agere velletis, & per libertatem Imperialem levigare onus nobis impoſitum, tantò devotiores, quantò expeditiores in omnibus ad omnia vobis eſſemus. Nunc autem videtur nobis, quòd quibuſdam penſis, etſi non injuſtè, indecenter tamen gravati ſimus. Unde etiam videtur domino Apoſtolico, quòd juſtam contra vos cauſam proponat, quòd mortuis Epiſcopis confiſcantur Eccleſiæ, ita ut ablatis omnibus mobilibus, & ſtipendiis præſentis anni, Epiſcopus ſubintrans omnia exinanita & evacuata inveniat. Si ergò juſtitiæ obtentu, & noſtri ſervitii intuitu, per Imperialem clementiam ſuper hoc nobis peperceritis, mediatores juſtitiæ inter vos & dominum Papam humiliter erimus: ſin autem, à veritatis via recedere nequaquàm poterimus.

Quæ ſuggerat Colon. Arch. Imperatori.

VII. Quæ Imp. in excuſationem ſui afferat.

Ad hæc Imperator ita reſpondit: In veritate compertum habemus, quòd prædeceſſores noſtri, antiqui Imperatores, hoc juris habuerunt, ut defunctis Epiſcopis inveſtituram pontificalem ſine alicujus præjudicio probatis perſonis liberrimè locaverint. Sed quia hoc ipſorum voluntate mutatum invenimus, ratum habemus. Hanc verò minimam ſcintillam juris noſtri, quam invenimus, nequaquàm mutari permittimus. Sufficiat vobis juſtitia veſtra quam inveniſtis, quod permittitur vobis electio Epiſcoporum, quam vos canonicè fieri dicitis. Sciatis tamen, quia dum pro voluntate Imperatoris iſta diſpenſarentur, plures juſti ſunt inventi ſacerdotes, quàm hoc tempore, dum per electionem inthronizantur. Ipſi enim ſecundùm vitę meritum ſacerdotes inveſtiebant; nunc autem per electionem non ſecundùm Deum, ſed ſecundùm favorem eliguntur. His dictis Imperator animum Archiepiſcopi cum Apoſtolico ſentire intellexit, cui dixit: Quandoquidem audio vos mecum non ſentire; nolo ut ad Curiam, quæ

in

Digitized by Google

in Geilenhuſen celebranda eſt, veniatis, ubi Epiſcoporum erit conventus. Cui Archiepiſcopus reſpondit: Fiat juxta placitum veſtrum.

VIII. Côventus collectus ab Imp. côtra Pont. conſtituta.

Exinde ergò Curiam generalem edixit in Geilenhuſen, ubi convenit multitudo Epiſcoporum & Principum. Et procedens in concionem, ſic omnibus locutus eſt: Rogamus vos ſummos ſacerdotes, & Epiſcopos, & Principes, quorum corda juſtitia poſſidet, ut animadvertatis; quæ dico. Compertum fortè habetis, quantis adverſitatibus impetar à domino Papa; in quo autem gratiam ipſius diminuerim, ignoro: Unum mihi conſtat, quòd nunquàm animum ejus exacerbare ſtudui, nec aliquando contra ejus præceptum vel voluntatem aliquid feci. Nihil etiam ab ipſo contra jus indecenter exegi. In quibus autem ipſe me arguere habuit, non iraſcendo, vel contradicendo, ſed obediendo, & rationem reddendo decenter ad omnia reſpondi. Et quoniam in omnibus his innocentia mea mecum eſt, idcircò non conturbor: ſed ſi placuerit domino Papæ, me filium habere dilectum & ſubjectum, ego eum pro honore & reverentia ſanctæ Apoſtolicæ Sedis patrem habeo dilectum & reverendum. Si autem ad dejectionem meam, non dico injuſtè, ſed ineptè aliqua moliens fuerit; ſpero, quòd divina favente clementia, veſtro ſimiliter etiam adjutus conſilio, & auxilio, intrepidus ei ad omnia reſpondeam. Hæc pro parte mea dixerim. Pro parte autem veſtra quid ſit faciendum, diligenter penſandum eſt.

IX. Impugnat. Imp. jura Pôtificia.

Dicit enim dominus Papa, injuſtum eſſe, aliquam laicam perſonam decimas poſſidere, quas manifeſtè Dominus his, qui altari deſerviunt, deputaverit, quod ſicut de Scripturis habet auctoritatem, ita eadem auctoritate evacuare contendit. Scimus autem decimas, & oblationes à Deo ſacerdotibus & Levitis primitùs deputatas: ſed cùm tempore Chriſtianitatis ab adverſariis infeſtarentur Eccleſiæ, eaſdem decimas præpotentes & nobiles viri ab Eccleſiis in beneficio ſtabili acceperunt, ut ipſi defenſores Eccleſiarum fierent, quæ per ſe obtinere non valerent. Affirmat etiam injuſtum eſſe, quòd aliquis in præſidiis, ſeu hominibus Eccleſiarum advocatiam ſibi uſurpet, aut ſicut Eccleſiæ de libera voluntate, ſive donatione Imperatorum, vel Principum fundatæ ſunt, ita res Eccleſiaſticæ à Prælatis tantùm liberè diſpenſentur. Et quamvis hæc pro Prælatis eſſe videantur, non tamen credo, quòd ita facilè mutari poſſint, quæ ex longa antiquitate uſus in conſuetudinem vertit, immò ipſa conſuetudo à progenie in progeniem deſcendens quaſi juſta traditione roboravit. Hæc de parte veſtra dicta ſufficiant. Quæro autem à vobis, rectores Eccleſiarum, quid inter iſta de vobis mihi ſentiendum ſit, quid timendum, quidve vel quantum de veſtra fidelitate præſumendum? Sed quia à Domino jubemur

A reddere quæ ſunt Dei, Deo, & quæ ſunt Cæſaris Cæſari: Sic rogo, domino Papæ in vice Chriſti debitam perſolvatis obedientiam, ut in parte altera à Deo conſtitutam non negligatis juſtitiam.

X. Conradus Archiepiſ. Megũ. perorat.

Ad hæc verba ſurgens dominus Moguntinus Conradus, accepta opportunitate, ſic locutus eſt: Domine, rogamus ſerenitatem veſtram, ut paululùm verba noſtra attendatis. Caſus ille, in quo laborare videmur, gravis eſt, nec noſtrum inter vos tantas componere lites. Quia ſicut paulò ſuperiùs dixiſtis, ex una parte tenemur reddere Deo, quæ Dei ſunt, ex altera B parte, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari. Domino enim Papæ, ut patri ſpirituali, qui ſuprà omnes eſt; juſtum eſt ad omnia promptiſſimè obedire: vobis autem, quem Deus Principem & Imperatorem Romani Orbis exaltavit, cui hominium fecimus, à quo temporalia poſſidemus: ad aſſequendas omnes juſtitias veſtras jure tenemur aſſiſtere. Nunc ergò ſine præjudicio melioris conſilii ſi placet, ſcribatur domino Papæ ex perſona Epiſcoporum, in quibus commoneatur, ut ea quæ ad pacem ſunt, vobiſcum ſentiat, & juſtitiam vobis in his, quæ juſtè ab eo exiguntur, faciat.

XI.

C Placuit Imperatori, & omnibus Epiſcopis, quod dixerat. Et ad voluntatem Imperatoris ſcripta eſt epiſtola, ſignata bullis Epiſcoporum omnium, & perlata ad dominum Papam. Qui cùm legiſſet epiſtolam, obſtupuit de immutatione Epiſcoporum: quia ipſe cauſam pro eis videbatur ſumpſiſſe, ipſi verò de cauſa cecidiſſe. Nec minus tamen in propoſito ſuo perſtitit; & veniens Veronam, Imperatorem legitimè citatum pro capitulis ſuprà ſcriptis excommunicare decrevit. Ad quem accedentes Veronenſes, dixerunt: Pater, ſervi & amici domini Imperatoris ſumus: D rogamus ſanctitatem veſtram, ut eum in civitate noſtra, nobis præſentibus, non excommunicetis; ſed hanc ſententiam reſpectu noſtri ſervitii differatis. Qui faciens juxta petitionem eorum, diſceſſit, & cùm in proximo eum excommunicare vellet, morte præventus, ſententiam diſtulit, ſicque Imperator maledictionis jaculum evaſit.] Iſta ſunt, quæ hoc anno inter Urbanum Papam, & Imperatorem tranſacta ſunt: jam reliqua proſequamur.

Papa parat excommunicatiõ ẽ in Imper.

XII.

Rurſùm ad Sedem Apoſtolicam Regni E Scotiæ Epiſcoporum controverſiæ ingeruntur, in quibus prædeceſſores Romanos Pontifices vidimus laboraſſe. Et cùm Urbanus Papa, conquerente Joanne Dunkeldenſi Epiſcopo, audiſſet querelas de cauſa, quæ vertebatur inter ipſum Joannem, & Hugonem Epiſcopum S. Andreæ, in hac forma ſcripſit Regi Scotiæ:

Litteræ Urbani Papæ ad Regem Scotiæ.

Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Vvillelmo illuſtri Scotorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Cũ ex injuncto nobis à Deo adminiſtrationis officio ad univerſas Eccleſias proximas nobis, & longè poſitas aciem noſtræ

A teneamur conſiderationis extendere, & ſi
qua in eis, vel miniſtris earum irrationa-
biliter attentata noverimus, ad ſtatum
congruum revocare: non debent ex eo ſæ-
culi Principes commoveri, ſi quando ad
correctionem eorum, quæ perperam fa-
cta fuerint, manus noſtras duxerimus ex-
tendendas: cùm & ipſi ſecundùm ſibi tra-
ditam poteſtatem auxilio nobis in his eſſe
debeant, & cùm neceſſe fuerit, aliquo-
rum pertinacia exigente, contumacium
nequitiæ fortiùs obviare. Regia ſiqui-
dem excellentia non ignorat, quàm gra-
vis inter venerabiles fratres noſtros Joan-
B nem Dunkeldenſem, & Hugonem S. An-
dreæ Epiſcopos fuerit exorta diſſenſio. Et
licèt magnos utraque pars labores ſubje-
rit & expenſas, & tempore felicis memo-
riæ Lucii Papæ prædeceſſoris noſtri apud
Sedem Apoſtolicam diutiùs litigaverit,
negotium tamen non potuit finem habere.
Unde cùm iidem Epiſcopi nuper ad no-
ſtram præſentiam acceſſiſſent, & conten-
diſſent ſuper hoc aliquamdiù in Audito-
rio noſtro: de conſilio fratrum noſtrorum
prædicto Dunkeldenſi Epiſcopo agendi
licentiam ſuper Epiſcopatum S. Andreæ
tribuimus contra illum, & eidem ſancti
C Andreæ Epiſcopo ad propria revertendi,
ad noſtram præſentiam ſufficienter inſtru-
cto, in conſtituto ſibi termino redituro,
ita quòd ſi tunc non venerint venerabilis
frater noſter Jocelinus Glaſcuenſis Epiſco-
pus, & dilecti filii de Melros, & de Neu-
botle, & de Dunfermelio Abbates, eum
ex tunc ab officio Epiſcopali ſuſpendant,
& ſi poſtmodùm contumax fuerit, vincu-
lo excommunicationis aſtringant, nec re-
laxent ſententiam, donec noſtro ſe con-
ſpectui repræſentet. Nolumus enim, ut
negotio ipſo diutiùs in ſuſpenſo manente
præſcripta S. Andreæ Eccleſia grave re-
D rum ſuarum detrimentum incurrat: ſed
potiùs cognita veritate, per nos finem
congruum auxiliante Domino ſortia-
tur.

XIII. Præcipimus etiam præfatis Glaſcuenſi,
& collegis ſuis, quòd dilectos filios no-
ſtros Ajulſum Decanum de Lodonejo, &
Odonem Seneſcallum, & Rogerum de Fe-
dic, & alios clericos, & amicos præfati
Dunkeldenſis Epiſcopi à qualibet mole-
ſtia, noſtra freti authoritate, defendant,
& poſſeſſiones, vel alia bona eorum, ſeu
redditus ipſius Epiſcopi non permittant à
quoquam invadi. Si qui verò contra ipſo-
E rum prohibitionem ſuper his venire præ-
ſumpſerint: cenſura eos canonica, nulla
appellatione obſtante compeſcant. Ut igi-
tur, quæ mandamus, valeant ſine difficul-
tate qualibet adimpleri, monemus regiam
excellentiam, & hortamur in domino,
atque in remiſſionem peccatorum injun-
gimus, quatenùs pro amore juſtitiæ, &
reverentia B. Petri, & noſtra, in negotio
illo juxta mandati noſtri tenorem procedi
permittas, & prædictos Decanum, Sene-
ſcallum, & Rogerum de Fedic, atque
alios conſanguineos & amicos prædicti

A Dunkeldenſis Epiſcopi, & Epiſcopatum,
& alios redditus ejus regia protectione
defendas, & nec tu ipſe illos in aliquo ag-
graves, nec ſinas ab aliis aggravari: ita
quòd cauſa ipſa valeat ſine impedimento
terminari, & regia magnificentia de ju-
ſtitiæ opere apud Deum præmium indefi-
ciens, & nomen bonum apud homines con-
ſequatur. Noveritis autem, memoratis
Epiſcopis in virtute obedientiæ nos injun-
xiſſe, ut nec ab Eccleſiis, nec à clericis
ſibi ſubditis accipiant aliquid expenſarum
intuitu, quas in proſecutione memorati
negotii ſunt facturi, ſed de propriis ſo-
B lummodò redditibus ſibi procurent neceſ-
ſaria providere. Nolumus enim, ut facto
ipſorum Eccleſiæ, vel perſonæ aliæ regni
tui debeant incurrere detrimentum. Re-
giam inſuper excellentiam volumus non
latere, quòd ſupradictus Dunkeldenſis ita
honeſtè ſuum eſt negotium proſecutus, &
honori regio detulit, quòd nihil omninò
propoſuit, quod in derogationem regii
nominis valeat redundare, vel quo tua
ſerenitas adversùs eum debeat commove-
ri. Unde ſi quid ab æmulis ejus in con-
trarium fuerit celſitudini tuæ ſuggeſtum,
talium verbis aurem regiam non apponas.
C Datum Veronæ ſecundo Kalendas Augu-
ſti.] Hucuſque Pontificiæ litteræ ad Re-
gem datæ, quas recitat Rogerius in An-
nalibus Anglicanis: quibus & alias ab eo-
dem Urbano Pontifice datas ſubiicit de
iiſdem, quas cauſa brevitatis omittimus:
tu conſule ſi vis ipſas. A Scotia autem re-
cedamus in Angliam.

Hoc eodem anno circa ſui initia Pon- XIV.
tificatus Urbanus Papa ad Balduinum Ad Urba-
Cantuarienſem Archiepiſcopum pallium num Pap.
miſit unà cum legatione (ut Paris teſtatur) Epiſt. Ar-
quibus ipſe acceptis, dignas tanto viro chiep. Cā-
qui miſit, & Petro Bleſenſi, qui ſcripſit, tuarien.
D has litteras dedit:

Sanctiſſimo Patri (a) Urbano Dei gra- a Apud Pe-
tia ſummo Pontifici Balduinus Cantua- tr. Bleſ. ep.
rienſis Eccleſiæ miniſter ſalutem & debi- 99.
tum devotionis obſequium.

Domus Dei, quæ in lapide adjutorii,
ſuper fundamentum Apoſtolorum & Pro-
phetarum ſtabilita eſt, à Petro & ſucceſſo-
ribus ejus formam ſemper eruditionis &
ſtatum incolumitatis accepit. Quod enim
ſtipiti rami, quod capiti membra, quod
radii ſoli, quod fonti rivuli: hoc Apo-
ſtolicæ Sedis eminentiæ debent Eccleſiæ
omnes, quas ubique terrarum religio
E Chriſtiana fundavit. Inde eſt, quòd beatæ
recordationis Lucio Tertio Papa viam
univerſæ carnis ingreſſo (mortis enim tri-
butarii omnes ſumus, mortiſq; reſponſum
habemus in nobis, & fœdus cum ea percuſ-
ſimus) erant, & lugebant filiæ apud nos ſi-
ne ſponſo. Cumque munus exequiale de-
functo & pios affectus impenderent: electio-
nis veſtræ nuntius ſupervenit, qui nubi-
lum publici mœroris auferens, corda om-
nium feſtiviore lætitia ſerenavit. Com-
munis enim fama eſt, quòd Dominus,
qui juxta verbum (b) Amos, ſuſcitat de b Amos 2.
filiis

A filiis Prophetas, & de juvenibus Nazaræos: ipſe in ſpecula celſitudinis Apoſtolicæ talem nunc de filiis ſuis per gratiam ſuam collocare dignatus eſt, qui prodeſſe velit, & præeſſe ſciat, qui prudentia & moribus præeminens, cathedram Sanctorum meritis implere ſufficiat. In commune itaque deſiderium cedit, verboque celebri, & votiva gratiarum actione publicè recenſetur, qualiter Dei ſapientia ſuaviter univerſa diſponens, vos de gradu in gradum, de virtute in virtutem, & de honore in honorem promoverit. Nec illud deeſſe permittit ad plenitudinem gaudiorum, quòd tanta fuit eligentium vos unanimitas; nullumque ſuſtinuit rete Petri B ſciſſionis aut rupturæ diſpendium: ſed juxta verbum Iſaiæ, (a) Quod dominus exercituum decreverat, quis poterit infirmare? nec variat caſualis eventus, quod conſilii cœleſtis altitudo diſpoſuit.

a Iſaia 14.

XV. Quia ergò ex hominibus aſſumpti eſtis à domino Pontifex, & pro hominibus conſtituti in his quæ ſunt ad Deum: ipſi, qui vos elegit, cum multa gratiarum actione preces affectuoſas offerimus, quatenùs is, qui ſegregavit, & vocavit vos ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus, ipſe in bonis C dies veſtros continuet, atque in faciem teſtamenti, vel Chriſti ſui reſpiciat, Eccleſiam ab omni errore purgatam ſub veſtra proviſione tranquillet. Ad hæc non quantas volo, ſed quantas valeo vobis gratiarum referens actiones, minorem me profiteor cunctis miſerationibus veſtrix; nam meorum exigentiam meritorum multipliciter veſtrorum beneficiorum magnitudine prævenistis. Non ſufficio tantæ gratiæ reſpondere ad meritum: ille pro me reſpondere dignetur, qui ſecundùm divitias bonitatis ſuæ ſuorum inſufficientiam ſupplet. Ego enim vir videns pau- D pertatem meam præ munificentia & magnificentia indultæ mihi gratiæ veſtræ, me vobis totum debere profiteor, quidquid debere ſervus domino, magiſtro diſcipulus, filius patri poteſt. Precor igitur, ut imperfectum meum videant oculi veſtri, & in ea plenitudine poteſtatis, quæ vobis cœlitus data eſt, meam inſufficientiam ſuſtentare velitis. Juvate me Pater, orationibus veſtris, ut quod poſſibilitas noſtra non obtinet in hac adminiſtratione, veſtræ orationis, & eruditionis ſuffragio ſuppleatur. Vale.] Hæc Balduinus. Paris autem de aliis ab eodem Urbano Papa eidem Balduino conceſſis addit iſta:

Gratias agit pro miſſo pallio.

E XVI. Eodem tempore Papa Urbanus Balduino Archiepiſcopo Cantuarienſi ſcripſit in hæc verba: Præſentium tibi auctoritate mandamus, ut liceat tibi Eccleſiam in honorem beatorum martyrum Stephani, & Thomæ conſtruere, & de idoneis eam ornare perſonis, quibus beneficia, quæ ad eorum ſuſtentationem conſtitueris, canonicè debeas aſſignare. Item fraternitati tuæ mandamus, ut quarta parte oblationum, quæ ad reliquias beati Thomæ martyris offeruntur, monachorum uſibus conceſſa,

Alia conceſſa Balduino Arch. Cant. ab Urbano Papa.

A quarta fabricis Eccleſiæ deputata, quarta pauperibus erogata, quartam portionem liceat tibi in alios uſus bonos, pro tuæ voluntatis arbitrio erogare.] Hucuſque Urbani litteræ.

De eodem Urbano hæc habet Rogerius in rebus Anglicis: Eodem anno Henricus Rex miſit Nuntios ſuos ad Urbanum Papam, & multa ab eo impetravit, quibus Papa Lucius fortiter reſiſtebat, quorum unum hoc fuit, quod ab eo impetravit: Quòd unus, quem vellet, de filiis ſuis coronaretur de regno Hiberniæ. Et hoc confirmavit dominus Papa bulla ſua: & in ar- B gumentum voluntatis & confirmationis ſuæ miſit ei coronam de penna pavonis auro contextam.] Hæc Rogerius. At quæ hujus anni ſunt reliqua proſequamur.

Regnum Hiberniæ à Papa cōfirmatum filio Reg. Angl.

XVII. Hoc eodem anno S. Hugo ex Priore Carthuſiano creatus eſt Epiſcopus Lincolnienſis in Anglia. Ita idem Rogerius in Annalibus. Porrò hic ipſe ſui Epiſcopatus exordio ſtetit infractus adversùs Regem, ejuſque miniſtros, labefactantes Eccleſiæ jura. Extant ejus res geſtæ conſcriptæ ab auctore ejus æquali, quiq; aliquamdiù cum ipſo vixit: qui de ipſius Epiſcopatus exordio hæc habet (b) digna memoria:

S. Hugo Lincolnië. Epiſcopus

b Apud Sur. die 17. Novembr. tom. 6.

C Suſcepto itaque præſulatu, prima cura & ſollicitudo ei fuit, ut viros ſapientia & ſcientia inſtructos, atque in timore Dei probatiſſimos ſuo lateri adhiberet. Horum conſilio & auxilio fretus, paſtorale munus perquàm ſtrenuè executus eſt. Homines quieti & pudici ſpiritus impenſiùs amabat, nec alios ſuo gregi ſciens & prudens præficere voluit, quantalibet induſtriæ aut litteraturæ prærogativa pollerent. Videns autem tyrannidem Foreſtariorum, ait: Rectè quidem Foreſtarii dicti ſunt iſti, quia foris ſtabunt extra regnum Dei. Uſque adeò certè illorum injuſta erat pote- D ſtas, ut nemo Rege inferior, eorum poſſet vim & importunitatem illæſus evadere. Contra hos primum ei bellum fuit. Nam cùm more ſolito contra Eccleſiæ libertatem in ſubditos ipſius debacchari cœpiſſent: mox ſummum Regis Foreſtarium excommunicavit. Quod ubi Rex comperit, magnam animo concepit indignationem.] Quinam iſti fuerint, & cur ſic dicti, diſces ex epiſtola (c) Petri Bleſenſis, quam adversùs hujuſmodi Foreſtarios ad eumdem Henricum Regem ſcripſit, quam tu conſulas. Redimus ad S. Hugonem, de quo mox iſta idem ejus vitæ auctor ſic E pergit:

c Petr. Bleſ. ep. 95.

XVIII. Contigit tunc in Eccleſia Lincolnienſi beneficium (ut vocant) ſive Præbendam vacare, pro qua ſtudiosè Rex, diſſimulata ira, precabatur, ut uni ex ſervis ejus illam conferret. Fuit hoc exquiſitum quorumdam aulicorum conſilium, qui obſequium in hoc ſe præſtare viro Dei putabant, cui dediſſent occaſionem, utcumque mitigandi adversùs ipſum commotam Regis indignationem. Lectis igitur litteris, vir ſanctus divino timori poſtponens humanum, ita ait: Non aulicis, ſed

In collatione beneficii S. Hugo non obſequitur Regi.

potiùs Eccleſiaſticis perſonis Eccleſiaſtica ſunt conferenda beneficia. Habet dominus Rex undè tribuat mercedem ſervientibus ſibi; nec debet ſummo Regi famulantes privare proventibus ſuis, ut indè ſervis ſuis provideri poſcat à nobis. Hæc dicens, & regios à ſe Nuntios inanes & vacuos remiſit, & Foreſtarium abſolvere noluit. Quibus Rex auditis, graviter in Epiſcopum commotus eſt, eò præcipuè, quòd nec per ſe, nec per alios, aut certè per litteras veniam peteret, vel factum revocaret.

XIX. Altercatio Regis cũ S. Epiſcopo.

Accerſito itaque ad ſe inter cætera dixit Rex: Domine Epiſcope, ubi ſunt gratiarum actiones, quas rependere debuiſti pro tantis beneficiis? Reſpondit Epiſcopus: Novi te, ut Epiſcopus ego efficerer, ſtudioſè laboraſſe. Ut igitur animam expeditam tuam, ubi illi periculum immineret, ſi quod mei eſſet officii, exequi non curarem: neceſſariò id mihi incubuit, ut oppreſſorem Eccleſiæ meæ, cui me conſulere oportet, per Eccleſiaſticam cenſuram coercerem, & indebitè Præbendam ſibi in ea ambientem, nulla ratione exaudirem. Excellentiæ autem tuæ præſentiam pro utrolibet adire negotio, non modò ſuperfluum, ſed etiam ineptum ſentiebam: cùm tuæ prudentiæ pronum ſit, quod ritè geritur, ſapienter advertere; & voluntati nihilominùs tuæ facile ſit; quod rectum eſſe cognoveris, clementer & benignè approbare. Hujuſmodi rationibus Rex, eùm, quod contradici poſſet, non reperiret, omninò placatus eſt; ore etiam ſereno jam ejus ſe orationibus commendâs, ultrà nec addere, nec demere quidquam dictis aut factis ejus attentavit. Foreſtarium denique dolentem valdè, & virgis cæſum, clementer abſolvit. Hunc poſteà omni reliquo vitæ ſuæ tempore, ſpeciali quadam benevolentia ſibi ſenſit addictum, & ſuorum negotiorum fidiſſimum curatorem. Sic in Rege, ſic in ſatellite veridicam eſſe ſententiam experitur, quæ dicitur: Qui corripit hominem, gratiam poſteà inveniet apud eum magis, quàm ille; qui per linguæ blandimenta decipit.] Hactenùs de rebus Hugonis hoc anno.

XX. In Livonia prima ſedes Epiſc. erecta.

Antequàm autem à borealibus partibus recedamus, quæ hoc anno accidit, propagationem Fidei in Livonia deſcribamus. Hoc namque anno contigit fundari in Livonia primam ſedem Epiſcopalem, populo ex gentilitia ſuperſtitione ad Chriſtum converſo, opera ſancti Meinardi Sigebergenſis Canonici. Quomodò autem iſta contigerint, ſic accipe ab auctore ejus temporis Arnoldo Abbate (a) Lubecenſi; ait enim;

a *Arnol. Chron. Slav. l. 7. c. 8. 9.*

Opportunum arbitror, memoriæ Fidelium commendare, nec ſilentio præterire devotionem & laborem multorum religioſorum, quo apud Gentiles, qui Livones dicuntur, deſudatum eſt, qui ibi Domini ſemina ſpargentes, ipſum populum ab idololatria ceſſare laboraverunt. Vidimus ſanè propter eorum inſtantiam multos cooperatores exiſtere, alios peregrinando, alios ſua conferendo, ut ſeges Chriſti fructuoſa conſurgeret, & multa meſſe diaboli zizania ſuffocarentur. Fuit autem primus hujus inſtitutionis auctor dominus Meinardus Sigebergenſis Canonicus, quem eloquium Domini inflammavit, ut eidem populo infideli pacem Domini nuntiaret, & ipſum paulatim calore Fidei ſcintillaret. Cumque vir bonus per aliquot annos cum negotiatoribus illùc iret, & ſuis negotiis devotus inſiſteret: ſenſit manum Domini non invalidam, & auditorum ſuorum devotionem plurimam. Accedens igitur ad Bremenſem Eccleſiam, quam tunc dominus Hartuicus Archiepiſcopus regebat: ſuam intentionem, ſuorumque auditorum devotionem ipſi Archiepiſcopo ſimiliter & Capitulo majori expoſuit, ut non ſine auctoritate vel conſilio eorum labori inſiſteret. Qui ſperantes ipſum plantando, & rigando, incrementum Domini percipere, ipſum ad prædicandum gentibus miſerunt, ſimul etiam pontificali honore ſublimantes majore auctoritate roboraverunt. Ipſe ergò humilis & devotus ſuis auditoribus verbi ſpargens ſemina, arguendo, increpando, magis tamen obſecrando duritiam Gentilium frangens, ipſorum corda non minùs muneribus, quàm exhortationibus paulatim ad quod volebat, Deo annuente, perducebat.

XXI.

Anno igitur Verbi Incarnati milleſimo centeſimo octogeſimoſexto fundata eſt ſedes Epiſcopalis in Livonia à venerabili viro Meinardo, intitulata patrocinio beatæ Dei Genitricis Mariæ, in loco, qui, Riga, dicitur. Et quia idem locus beneficio terræ multis bonis exuberat, numquam ibi defuerunt Chriſti cultores, & novellæ Eccleſiæ plantatores. Eſt enim eadem terra fertilis agris, abundans paſcuis, irrigua fluviis, ſatis etiam piſcoſa, & arboribus nemoroſa. Dominus quoque Bertoldus Abbas in Lubeca, relicta prælatione, & ipſe verbi ſemina Gentilibus ſpargere ſtudens, huic labori non impiger ſe ingerebat. Unde gratia Dei cooperante, non parùm Gentilibus quibuſdam acceptus erat. Conſiderabant ſanè in viro gratiam converſationis, temperantiam ſobrietatis, modeſtiam patientiæ, virtutemque abſtinentiæ, inſtantiam prædicationis, jucunditatem affabilitatis.] Hæc ipſe de Livoniæ Apoſtolo Meinardo: reliqua ſuo loco inferiùs.

XXII. Gotifridus hiſtoriam ſuam Urbano Papæ offert.

Eodem anno Gotifridus Viterbienſis (ut vulgò fertur) ſive Vitembergenſis, eam quam elaboravit hiſtoriam, proſa, metroque contextam (quam Pantheon appellavit ob rerum univerſalitatem) obtulit Urbano Papæ. Cùm autem fuerit ipſe ejuſdem Friderici Imperatoris, necnon & Henrici Regis ejus filii Notarius, quod ipſe iiſdem ſcriptis ſæpè teſtatur: minimè deſtitit, quin liberè ſæpè profeſſus ſit, Imperatores, & Reges debere ſubditos eſſe Papæ, ejuſque auſcultare mandatis. Quan-

tæ au-

Digitized by Google

tę autem apud eum vertex Pontificalis fuerit æſtimationis & pretii: intelligea ea præfatione, quam operi præfixit, nuncupans ipſam Urbano Pontifici, planè dignam hìc deſcribi, quæ hoc ipſo anno eidem ſanctiſſimo Papæ eſt oblata. Sic enim ſe habet:

Nuncupatoria Gotifridi ad Urban. Papam.

Summo & univerſali Papæ Urbano Tertio, domino & Patri ſuo reverendiſſimo, Gotifridus Viterbienſis ſacerdos indignus, ſe ipſum in omni obſe- A quio & obedientia ſubjectiſſimum.

Dum ſacroſanctæ matris noſtræ Romanæ Eccleſiæ culmen inſpicio, & ejus eminentiæ conſidero majeſtatem: illud ante omnia neceſſarium eſſe intueor, ut ſicut ipſa omnibus noſcitur præeſſe Principibus: ita omnes Reges, & Principes, & univerſæ Orbis Eccleſiæ, doctrina ejus, & regimine adornentur: & ab ea, tamquàm à fonte juſtitiæ, totius ſapientiæ regulis inſtruantur:

Quod Papa cognoſcit & probat hoc authenticum.

QVIA NVLLVM SCRIPTVRARVM ELOGIVM NOSCITVR ESSE AVTHENTICVM, NISI AB EIVS SAPIENTIÆ FLVMINIBVS, SITIENTIBVS PROPINETVR. QVARE SI QVOD HISTORIARVM OPVS NOVA PER ALIQVEM INSTITVTIONE CONFICITVR, RATIO SVGGERIT, VT ANTEQVAM IN PVBLICVM DEVENIAT, APOSTOLICO EXAMINI PRÆSENTETVR: QVATENVS, SI ACCEPTIONE DIGNVM ESSE PERPENDITVR, EIVS MANDATO ET IVDICIO APPROBETVR; ET AB EO VIRES, AVCTORITATEMQ; RECIPIAT, CVI TERRENA, ET COELESTIA DIVINITVS SVNT COMMISSA.

XXIII. Ea propter, reverendiſſime Pater, hoc opuſculum longo tempore ſimplicitatis meæ ſtudiis aggregatum, & de veteri, & novo Teſtamento, atque de omnibus ferè hiſtoriis in unum volumen ſub compendio redactum, ad honorem Dei, & emendationem, ſeu approbationem S.R.E. ante veſtrum examen perferre diſpoſui, veſtræque gratiæ præſentare curavi: ut ſi auctore Deo per vos fuerit approbatum, ad alias Eccleſias ulteriùs derivetur, & non ſolùm clerici, ſed etiam Reges, & Principes habeant hoc opus à veſtræ ſanctitatis auctoritate. Impoſſibile enim eſt perfecti regiminis, & regiæ poteſtatis excellentiam convenienter attingere his, qui mundi curſum, & originem, aut Scripturarum dogmata ignorant. Imperator verò, aut Rex, qui cęteris Principibus poteſtate præponitur, ſi fuerit philoſophiæ neſcius, errare ſæpiùs, quàm regnare videtur: quia dum in cauſis Reipublicæ ſapientia indiget, cogitur eam ab aliis frequenter emendicare, & ex hoc aliena ſæpiùs quàm ſua cernitur virtute regnare Omnes namque Reges debent rerum ſtatum, & juſtitiæ diſciplinam cognoſcere, quam ſola bruta animantia ignorant. Oportet etiam eos Creatori de his omnibus reddere rationem, quia ipſi, cùm legibus ſint abſoluti, non in legem, ſed in Deum potiùs videntur peccare: unde dicitur: (a) Tibi ſoli peccavi. Cùm ergò Reges, non in leges, ſed in Deum peccent, & Dei ſolius, veſtroque examini reſerventur: antiquorum Regum vitam, & geſta atque hiſtorias oportet eos cognoſcere, ut cauſa præcedentium fiant eis in poſterum cautio futurorum. Ipſi quoque Principes inter alia beneficia S.R.E. gaudeant ſe hunc hiſtoriarum libellum de fonte ſanctitatis veſtræ ſuſcipere: cujus inſtructi adminiculo, poterunt ſubjectos ſibi populos rationabiliùs gubernare.] Reliqua prætermittimus, quæ ſpectant ad ſuſceptum à ſe ſcribendæ hiſtoriæ inſtitutum.

Probanda auctoritate Roman. Pontif. quę edenda sūt ſcripta.

a *Pſ. 50.*

XXIV. Audiſti, Lector, quòd ex antiquo Eccleſiæ uſu Gotifridus, quamvis Notarius Imperatoris, & Regis, & inter primarios Regios miniſtros militans in Curia tantorum Principum, eorundemque (ut ſæpè vidiſti) adverſantium hoſtiliter Eccleſiæ juribus: hac tamen ſua præfatione confitetur & profitetur, Romanorum Pontificum, non Regum, vel Imperatorum eſſe, C ſcripta quorumvis cognoſcere, & approbare, ſed approbata à Pontificibus Romanæ Eccleſiæ legere: horum verò muneris eſſe ſcripta cognoſcere; cognita verò & comprobata ipſis Principibus legenda porrigere. Hæc autem antiquo Eccleſiæ uſu probata, & Catholicæ Fidei auctoritate recepta (ut ſuis locis (b) ſuperiùs eſt demonſtratum) idcircò hìc vehementiùs inculcamus, quod dictu nefas, horrendum factu, infeliciſſimis noſtris temporibus probata à Romano Pontifice ſcripta miniſtri regii redigere audeant ſub cenſuram, D ut ea à librariis vendi non ſinant, niſi ab ipſis impetrata licentia, quam etiam interdum pro arbitrio negent, atque prohibeant, ne vendantur, cùm videlicet ex illis arguantur iidem ipſi præter jus faſque aliquid perpetrare. At quidnam hoc eſt, niſi alteram clavium Petro à Chriſto collatarū, quæ ſcientiæ dicitur, è manibus ejus ſucceſſoris extortam (quod nefas eſt dictum) à manu laica, ac laicis uſurpare Principibus? Quod quidem eſſe potiùs arrogantię miniſtrorum, quàm Principum Chriſtianorum modeſtiæ, quis negaverit umquam? Quamvis ad excuſandas excuſationes in E peccatis, falſis coloribus probroſa iſta delinire ſoleant ipſi miniſtri Regum, præſtari nimirùm iſta ab ipſis, ne in regnum irrepant libri hæreticorum falſis titulis inſcriptorum, quibus Fides Catholica corrumpatur. Ad hoc præcipui muneris eſſe Epiſcoporum, jam Apoſtolorum ſententiis, Conciliorum canonibus, decretis ſummorum Pontificum, admonitionibus ſanctorum Patrum eſt cautum, quos ad iſta præſtanda quàm vigilantiſſimè interpellent laudabiliter iidem ipſi Regum miniſtri.

b *In epiſt. Nuncup. tom. 6. Annal. ad Clemen. Pap. VIII.*

Miniſtri regii male ſibi arrogant librorum cognitionem.

Hoc eodem anno (idem qui ſuprà inquit Gotifridus Viterbienſis) ab Incarnatio- XXV.

Digitized by Google

Henrici Regis German. nuptiæ cum Conſtant.

A ne Domini milleſimo centeſimo octogeſimoſexto, Indictione ſexta, ſexto Kalend. Februarii, Rex Henricus Sextus cum Regina Conſtantia filia Rugerii Regis Siciliæ nuptias glorinſas celebravit Mediolani apud ſanctum Ambroſium, anno ætatis ſuæ vigeſimoprimo, anno autem regni ſui decimoſeptimo.] Hæc ipſe. Quod autem ex recentioribus complures, immò ferè omnes aſſerant, Conſtantiam hanc, monialem fuiſſe: ſcias fabuloſum eſſe atq; commentum, fortaſsè inde excogitatum, quòd aſſervata fuerit ipſa in monaſterio, ut ſi

B defuiſſet Regibus maſcula proles, ſpes eſſe potuiſſet nubendi Regi cum dote regni, Scriptorum ſiquidem omnium temporis Friderici nullum planè reperies, qui aliquid narret de monachatu Conſtantiæ, quod tamen ob tantæ rei novitatem auditu ipſo horrendum, ut nuberet monialis, nullatenùs à quoquam ipſorum prætermittendum fuiſſet. Nam præter Gotifridum, neque Hugo Falcandus ſcriptor Siculus, qui his aderat, deque ipſius educatione in Apoſtrophe ad Siciliā agens quidquam de monachatu, ſed hæc tantùm: Sic & Cōſtantia primis à cunabulis in de-

C liciarum tuarum affluentia diutiùs educata, tuiſque inſtituta doctrinis, & moribus informata: tandem opibus ſuis barbaros ditatura diſceſſit.] Et de monachatu nihil, ubi ſi fuiſſet, neceſſaria mentio adhibenda erat. Nec inſuper Arnoldus (a) Abbas Lubecenſis, & ipſe ejuſdem ſæculi auctor, cùm de nuptiis celeberrimis tunc Mediolani celebratis agit, aliquid penitùs de Conſtantiæ monachatu: nec Romualdus Archiepiſcopus Salernitanus, nihil Neubrigenſis, nec Appendix ad Urſpergenſem, vel Rigordus, non Rogerius, ejuſdemmet ipſe temporis ſcriptor, qui & de iiſdē

a Arnol. Chron. l.3. c.14.

D nuptiis meminit; neque Innocentius Papa Tertius in ſuis epiſtolis; in quibus de Conſtantia frequens eſt mentio: neque alii ejuſdem temporis auctores, qui ejuſdem Conſtantiæ nuptiarum meminerunt. Accedit præterea, quòd ratio repugnat, & contradicit, ut, quod falsò aſſeritur à recentioribus, Romanus Pontifex ejuſmodi matrimonium diſpenſando probaret, quem conſtat ipſi adverſatum fuiſſe; vel faverit magis ipſe Papa Tancredo, ut fieret Siciliæ Rex: id namque teſtatur (b) Neubrigenſis, quod & dicetur inferiùs ſuo lo-

b Neubrig. l.3. c. vlt.

E co. Adeò ut fieri non potuerit, ut qui ſavebat Tancredo, diſpenſaverit cum Conſtantia, ut jungeretur Henrico Regi. Si enim diſpenſaſſet, ut execrata monialis Regi nuberet, quem certò ſciret ea ratione eam ducere in uxorem, ut unà cùm ipſa potiretur & regno: planè contra Tācredum, non autem pro ipſo, ut Rex eſſet, ſed ne Rex fieret, laboraſſe convinci poſſet. Sic igitur, quod nullius antiquorum penitùs teſtificatione fulcitur; neque ratione aliqua ſubſiſtere ullatenùs poſſe videtur. Quòd ſi nubes teſtium recentiorum id rumore quodam conclamaſſe potiùs, quàm auctoritate majorum, vel

A certa ratione aſſeruiſſe cognoſcitur, eadem planè qua effutitur levitate, rejicitur. Id genus planè ſunt ſicut ejuſdē fidei epitaphia recens inciſa, vel inſcripta in eorumdem Henrici Imperatoris, Conſtantiæque ſepulchris, quæ hìc tibi deſcribenda ſuſcepimus, ne errore labaris, ut putes tempore eorumdem mortis eſſe conſcripta: ſic enim ſe habent, de Henrico primùm.

Imperio adiecit Siculos Henricus utroſque
Sextus, Suevorum candida progenies. — Confutantur adſcititia epitaphia.
Qui monacham ſacris uxorem duxit ab aris,

B *Pontificis ſcriptis, hic tumulatus ineſt.*

Imperavit ann. VII. menſ. V. Obiit Meſſanæ MCLXXXXVIII.]

De Conſtantia ejus conjuge in hunc modum.

Cæſaris Henrici latet hic Conſtantia conjunx,
*Undeno luſtro hac * platea rugoſa ſacerdos*
Facta, dedit partu Fridericum Auguſta Secundum.
Pro meritis ſacrata tenet ſic oſſa Panormus.

Vixit ann. LXI. Obiit ann.

C MCCIV.

Sed ſicut recentia, ita ſunt & falſa.

XXVI. De his dicturi, primum omnium quod ad tempus ſpectat, procul abeſt, ut antiquitùs cùm iidem mortui ſunt & ſepulchris porphyreticis conditi, iidem fuerint in ſarcophago exarati verſus: quorum explorans ego diligenter antiquitatem, haud pridem (ut ſexaginta annorum terminum non excedant) eos ibi reperi eſſe poſitos à quodam Canonico Rugerio nomine, Paruta cognomine, ſive ab alio aliquo Canonicorum, ut aliorum eſt aſ-

D ſertio, licèt de tempore recentiori, quo ipſæ ſepulchris ſunt appoſitæ inſcriptiones, una eademque ſit omnium affirmatio. Quod cùm à viventibus nunc Siculis didiciſſem, ut crederem, magis magiſque Maurolicus perſuaſit, qui noviſſimè res Siculas diligentiſſimè hoc ſæculo pertractavit. Cumque Siciliæ Regum, quæ reperit epitaphia, inibi in unum collecta cudenda curaverit: nullus tamen horum aliquam habuit mentionem; adeò ut dicendum neceſſariò ſit, eadem epitaphia poſt editum ab eo commentarium illum in eorumdem Principum poſita eſſe ſepul-

E chris. Hæc, quod ad tempus pertinet verſuum affixionis, dicta ſunto.

XXVII. Redarguuntur errores manifeſti. Modò autem de iis, quæ in eis annotata ſpectant tempora, ſunt eadem epitaphia mendacii arguenda; atque in primis, quòd in fine poſt Henrici Imperatoris epitaphiū ipſius Imperii tempus apponitur, imperaſſe videlicèt annos ſeptem, & menſes quinque, & mortuum anno Chriſti milleſimo centeſimo nonageſimooctavo: planè mendacia patentiſſima convincuntur. Siquidem (ut inferiùs ſuis locis perſpicuè declarabitur, ut non ſit quod jure poſſit opponi) Henricus, qui coronatus eſt Imperator à Cæleſtino Papa Tertio, anno

Chri-

Digitized by Google

Chriſti milleſimo centeſimo nonageſimoprimo, die decimaquinta Aprilis, mortuus eſt anno Salutis milleſimo centeſimo nonageſimoſeptimo, vigeſimaoctava Septembris: ſicq; non niſi annos ſex & menſes quinque cum diebus tredecim imperaſſe, certiſſimum eſt: & quod & clariùs viſurus eris ſuis locis inferiùs.

XXVIII. Sed magis portentoſa mendacia in epitaphio ſcripta Conſtantiæ inveniuntur, atque primùm illud, quod de ætate ipſius, quando peperit Fridericum, verſibus illis aſſeritur:

*Undena luſtra hac * platea rugoſa ſacerdos*
Facta, dedit partu Fridericum Auguſta Secundum.]

Nempè quòd ſuæ ætatis anno quinquageſimoquinto peperit filiũ Fridericum. Nam cùm natus Fridericus dicatur anno milleſimo centeſimo nonageſimotertio, ut inferiùs anno ultimo Tomi hujus patebit: convincitur Conſtantia ſuæ ætatis anno triceſimonono, quæ tricenaris nupſerat, juxta Gotifridi ejus quoque temporis auctoris aſſertionem, Fridericum filium peperiſſe. Pari modo quòd poſt verſus ſic ſcribitur: Vixit annos ſexaginta & uno, obiit anno milleſimo ducenteſimo quarto:] duplex convincitur in iis eſſe mendacium. Primùm namque de ætate Conſtantiæ, quę deceſſiſſe ponitur anno ſuæ ætatis ſexageſimoprimo, cùm non niſi annos nata ad ſummum quadragintatres ex hac vita migravit, ut inferiùs luce clarius demonſtrabitur. Intexitur verò adhùc mendacio mendacium, dum defuncta ponitur anno Salutis milleſimo ducenteſimo quarto, quam teſtificatione Innocentii Papæ in ſuis litteris, datis anno primo ſui Pontificatus, certiſſimum ſit, deceſſiſſe ex hac vita anno Redemptoris milleſimo centeſimo nonageſimo octavo, die vigeſimaſeptima menſis Novembris.

XXIX. Redarguas ex eo quoq; mendacium de facta per Romanum Pontificem diſpenſatione, de abrogatione monachatus Conſtantiæ, quòd dicunt diſpenſatum fuiſſe per Alexandrum Papam Tertium, ut monialis Deo ſacrata nuberet; & quod ſubjungitur: non ſemel id ab eodem Pontifice uſurpatum, ſed iterùm cum Nicolao Juſtiniano Veneto tunc monacho, poſteà patre beati Laurentii Juſtiniani, de quo in vita ipſius Bernardus (a) Juſtinianus ejus nepos hæc habet: Impetrat ab Alexandro Tertio Pontifice maximo, ut liceat adoleſcenti monacho ſolvere vinculum Religionis, ad reparandam ſobolem gentis ſuæ.] *Et inferiùs*: Quod ne cui fortè mirum videatur: iiſdem temporibus idem Alexander Pontifex Conſtantiam Vuillelmi Siciliæ Regis filiam, & monacham plus quàm quadragenariam Henrico Imperatori Friderici Barbaroſſæ filio nuptui conceſſit ad ſobolem Vuillelmi patris, qui Siculis fuerat chariſſimus, ſuſcitandam.] Hæc Bernardus, qui lapſu fortaſsè memoriæ in his multipliciter erraſſe convincitur. Primò videlicèt, quòd tribuit Alexandro Tertio utramque diſpenſationem priorem de Conſtantia, atque poſteriorem de Nicolao. Nam cùm ante ex hac vita deceſſiſſe conſtet Alexandrum, quàm nuberet Conſtantia Henrico (quod hoc anno factum liquet teſtimonio ipſius, qui interfuit, ut jam dictum eſt) nihil planè eſt, ut tribui poſſit ea diſpenſatio Alexandro, multò verò minus, quæ conceſſa dicitur Nicolao. Errat & in eo adhùc, dũ Conſtantiam filiam fuiſſe Vuillelmi Regis aſſerit, quam manifeſtum eſt, natam fuiſſe ex Vuillelmi patre Rogerio. Sed deformior ille error eſt, quòd vult ab Alexandro Tertio conceſſam eſſe diſpenſationem Nicolao, cùm idem ipſe affirmet, ejus filium beatum Laurentium claruiſſe, inſignitum munere Epiſcopali ab Eugenio Papa IV.; cùm certum ſit, ab obitu Alexandri Tertii, qui contigit anno Salutis milleſimo centeſimo octogeſimo primo, uſque ad creationem Eugenii IV., quæ accidit anno milleſimo quadringenteſimo triceſimoprimo, intercedere annos ducentos quinquaginta.

a Apud Surd. die 8. Januar. in vit. ipſ. c. 1.

Errore tribui Alex. Pap. III. diſpenſationem de Conſtant. monachatu.

XXX. Ut autem, quod ad Conſtantiam pertinet, tandem cunctas diſſolvamus ambages: Gotifridus Viterbienſis, qui his præſens aderat, eam natam poſthumam tradit, fuiſſeque annorum triginta hoc anno, cùm nupſit, docet his verſibus, dum agit de pace inter Fridericum, & Longobardos compoſita, deque nuptiis ejus filii Henrici Regis cum ipſa Conſtantia:

Fit Regis Siculi filia ſponſa ſibi,
Sponſa fuit ſpecioſa nimis, Conſtantia dicta,
Poſthuma poſt patrem materno ventre relicta,
Jamq; tricennalis tempore virgo fuit.]

Ætas Cõſtantiæ Reginæ Siciliæ.

Verùm cùm conſtet, Rogerium Siciliæ ejus nominis primum Regẽ, patrem Conſtantiæ jam anno Salutis milleſimo cẽteſimo quinquageſimoquarto deceſſiſſe ex hac vita (ut tradit ejus temporis auctor Robertus, (b) necnon Fazellus (c) affirmat) planè dicendum, hoc anno Conſtantiam paulò ampliùs exceſſiſſe anno uno triceſimum ætatis ſuę. Cùmque etiam conſtet, eamdem Conſtantiam poſt ejus obitum natam poſthumam: planè eluditur fabula illa, quam idem Fazellus narrat de eadem ipſa Conſtantia, quòd perculſus pater Rex vaticinio Joachini Abbatis, quo aſſerebat, ſi nupſiſſet, funeſtam futuram Siciliæ facem: fecerit eam retrudi in monaſterium, atque religionem profiteri monaſticam; nam ſi vivo patre Rege ipſa non nata; quomodò potuit per eum monacha effici, atque profeſſa? Sic igitur vides, Lector, pudendum detectum errorem de falſa origine Conſtantiæ monachatus. Ex ipſiùs ergò Henrici Imperatoris tunc vivente Notario diſce numerare annos Conſtantiæ, ejuſdemque noſce natale tempus poſt mortem patris, & quando nupſit, ut diſcas pariter ſparſas in vulgus exufflare fabulas, atque ſolidæ inhæreſcere veritati.

b Rob. in Appen. ad Sigeber. eo. anno.
c Fazel. l. 6. c. 3. in fin.

Quod

XXXI. Quod ad res pertinet Orientalis Eccleſiæ, Nicetas (*a*) tradit, Iſaacium Imperatorem ſede expuliſſe Baſilium Camaterum Patriarcham Conſtantinopolitanum, hujuſmodi prætenſa cauſa: Principatum adeptus Iſaacius, Baſilio Camatero, quamquàm ejus ope maximè adjutus, Patriarchatu dejecto (cauſa prætexebatur, quod, quas nobiles matronas Andronicus in monaſteria invitas abſtruſiſſet, iis ipſe nigro veſtitu depoſito, reditum ad priſtinum habitum, & vitæ rationem conceſſiſſet) Nicetam Mundanum pro eo Patriarcham deſignavit Eccleſiæ maximę Sancellarium.] Quomodò autem & ipſe redactus ab eodem Imperatore in ordinem fuerit, ſuo loco dicendum. Sedit annos ſex & menſes ſex. Quod ſpectat ad res Hieroſolymitanas, de his Rogerius in rebus Anglicis hæc habet: Eodem anno paulò ante feſtum S. Petri ad Vincula, cùm prædictus Patriarcha Hieroſolymorum, qui pro ſubſidio Terræ ſanctæ ſuuctus fuerat anno ſuperiori legatione in Occidentem, rediiſſet, & nihil auxilii ad defenſionem terræ ſecum reportaſſet: timor magnus cecidit ſuper habitatores terræ Hieroſolymitanæ.] Subdit de proditione facta à Templario transfuga ad Soldanum, ſpondente daturum ei ſanctam civitatem Hieroſolymitanam: cùm idem Soldanus progrediens cum exercitu, à paucis qui intus erant, contra ipſum Cruce prævia procedentibus, victus ignominioſiſſimè fuit. Hæc ipſe pluribus, reliqua autem anno ſequenti.

a Nicet. in Iſaac. Ang. l. 2.

Nicetas Patriarchat. Conſtantinop.

Hieroſolyma defenſa à paucis.

JESU CHRISTI ANNUS 1187. URBANI PAP. III. ANNUS 2. FRIDERICI IMP. 33. ISAACII ANG. IMP. 2.

I. SEquitur annus Chriſti milleſimus centeſimus octogeſimusſeptimus, Indictione quinta, quo Urbanus Papa legationem miſit in Angliam: de qua ita Rogerius: Eodem anno poſt Natale Domini Urbanus Papa miſit in Angliam Octavianum S. R. E. * ſubdiaconum Cardinalem, & cum eo Hugonem de Nunant, quibus ipſe commiſit legatiam in Hiberniam ad coronandum ibi Joannem filium Regis. Sed dominus Rex coronationem illam diſtulit, & prædictos Legatos duxit ſecum in Northmanniam ad colloquium inter ipſum & Philippum Regem Franciæ.] Hæc de legatione Rogerius hoc anno. Ad hunc eumdem Octavianum legatione fungentem data extat Petri Bleſenſis epiſtola, querelis plena, non ſine ſtomacho ſcripta de his, quæ perperàm agerentur in Eccleſia Dei: quæ ſic ſe (*a*) habet:

*diaconum

Legatio Octaviani in Angl.

a Petr. Bleſ. ep. 23.

b Perſ. ſat. 1.

O curas hominum! (*b*) ò quantum eſt in rebus inane! ò inanis gloria! ò ambitio cæca! ò terreni honoris inexplebilis fames! ò tinea cordium, animarum ſubverſio, cupiditas dignitatum! Undè obrepſit hæc peſtis? undè invaluit hæc execranda præſumptio, ut indigni dignitates ambiant: & quantò minùs meruerunt aſcendere ad honores, tantò importuniùs honoribus ſe importent? Hodiè per fas & nefas, hodiè in animæ, corporiſq; diſcrimine currunt infelices ad cathedram paſtoralem, nec attendunt quod ſit eis (*c*) cathedra peſtilentiæ, dum ſibi & aliis ſunt cauſa ruinæ. In gregibus & armentis, teſte Hieronymo, (*d*) aries & taurus corpore & animoſitate præſtantior alios antecedit: homo verò beſtiis omnibus beſtialior, tantò indiſcretiùs & audaciùs melioribus anteeſſe præſumit, quantò minùs de virtutum titulis, aut conſcientiæ ſinceritate confidit. (*e*) Utinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent, nec populi iniquitates ſuis exceſſibus aggregarent.

c Pſal. 1.

d Hier. epiſt. ad Fabiolam, & in c. 34. Iſa. Senec. epiſt. 90.

e Deut. 32.

Verba ſunt Eccleſiaſtici: Noli (*f*) quærere ab homine ducatum, neque à Rege cathedram honoris. Noli quærere fieri judex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates populi: non te immittas in populum, nec alliges tibi peccata duplicia. Qui nihil didicit, aliorum doctor efficitur, & quaſi æs (*g*) ſonans, aut cymbalum tinniens uſurpat prædicantia officium, cùm ſit truncus inutilis, & idolum mutum. Apud veteres erat conditio ſapientium inæſtimabiliter venerabilis, hodieq; prudentia tamquàm vilis & abjecta calcatur: quadam verò abominabili mutatione ſtultitia ponitur in ſublimi. Hoc eſt, quod Eccleſiaſtes (*h*) deplorando conqueritur: Vidi, inquit, malum, quod ſub Sole eſt, ſtultum poſitum in dignitate ſublimi, & ſapientes ſedere deorſum. Sacræ Scripturæ prorsùs expertes onus importabile dignitatis uſurpant, de aliena potiùs, quàm de ſua ſcientia præſumentes. Alia erat Apoſtoli ſententia diſcipulum inſtruentis: Tibi, (*i*) inquit, commendo, fili Timothee, regere Eccleſiam Dei, ſecundùm quod novi te ſcientiam habere ſacrarum litterarum. Scientia ſiquidē ſpiritualis gladius eſt in manu potentis. Hæc eſt pera, in qua (*k*) David tres limpidiſſimos lapides poſuit, quibus Goliath proſtravit. Hæc eſt aſinæ mandibula, quæ Samſoni mille hoſtium ſtragem fecit. Hic eſt vomer ille aratorius, quo Samgar (*l*) ſexcentos Philiſtæos occidit. Epiſcopus illitteratus, præco eſt mutus. Prælati eſt erudire ſubjectos, reddere populum acceptabilem Deo, aperiendo myſteria Scripturarum. Petro (*m*) enim & ſucceſſoribus ejus præcipitur ducere in altum rete, id eſt, profundam ſacræ Scripturæ intelligentiam in capturam hominum aperire. Verumtamen hodiè ſicut populus, ſic ſacerdos: ſicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus. Erubeſce (*n*) Sidon, ait mare: erubeſcat, doleatque Prælatus præeſſe populo, nec prodeſſe: docentis aſſumpſiſſe officium,

& in

f Eccleſ. 7.

g 1. Cor. 13.

h Eccl. 10.

i 1. Tim. 1. 2. Tim. 5.

k 1. Reg. 17.

l Jud. 15. Jud. 3.

Epiſcopum debere eſſe doctum.

m Luc. 5.

n Iſai. 23.

Digitized by Google

& in doctrina populi mutum eſſe. Verbum
a *Jerem.* 50. lamentatoris (*a*) Propheta eſt: Grex perditus, factus eſt populus meus: paſtores
b *Iſai.* 56. eorum ſeduxerunt eos: (*b*) canes muti, non valentes latrare. Lupos à gregibus ſuis arcere debuerant, ſed ipſi lupi ſunt in ſuos; nec de ſua, ſuorumve ſalute curantes, ſe cum gregibus ſuis in foveam mortis æternæ præcipitant. Hodiè in Epiſcopi dignitatem adoleſcentuli promoventur, & mol-
c *Geneſ.* 39. les. Sic venditur Joſeph (*c*) Putiphari eunocho, dum Chriſti magiſterium, dum diſpenſationem ſacramentorũ Dei ſibi damnabiliter uſurpare præſumit infructuoſus & mollis Epiſcopus.

II. Porrò dum ad eruditionem populi mittit Dominus Jeremiam, quem ſanctificaverat ex utero matris ſuæ: Propheta ſuum conſiderans imperfectum, tamquàm adhùc elementarius & rudis informatione verbo-
d *Jerem.* 1. rum, reſpondit, (*d*) A, A, A, Domine
e *Exod.* 4. Deus, neſcio loqui. Moyſes (*e*) etiam dum à Domino deſtinatur ad liberationem populi Iſrael de Ægypto: Obſecro, inquit, Domine, mitte quem miſſurus es, ab heri & nudiùs tertiùs, ex quo locutus es ad ſervum tuum, impeditioris linguæ factus ſum. Et quis hodie à pontificali onere ſe excuſat? quis hodiè allegat inſufficientiã ſuam? quis hodiè invitus trahitur aut reclamat?
f *Pallad. hiſt. Lauſ.* c. 12. *Socr.* l. 4. c. 18. Ubi hodiè ſimilis Ammonio (*f*) invenitur? quem cùm Clerus & populus in Epiſcopũ elegiſſent, electioni nullatenùs conſentire volebat: prævalentibus illis & invitum trahentibus, aurem ſiniſtram cunctis videntibus ſibi radicitùs ſecuit, dicens: Lex divina nullum præciſa aure Epiſcopari permittit. Cumque Timotheus Patriarcha cenſeret hunc Epiſcopatu dignum, etiam ſi nare & auribus truncatus eſſet, dummodò ſcientia & virtutibus præemineret: illis rurſùm Ammonium rapientibus, & invitum trahentibus, Ammonius dixit: Linguam meam, propter quam vobis placeo, niſi me citiùs dimittatis, abſcindam. Dignitatis equidem appetitus natione cœleſtis eſt: in cœlo concepit, & peperit iniquitatem. Per hanc affectabat ſedere in lateribus Aquilonis, qui nondum laboraverat ut ſederet. Sed & iſti nondum laboraverunt ut ſedeant, ut eminentiam cathedræ paſtoralis aſcendant. Nondum propoſitum perfectionis agreſſi ſunt: nondum cum Petro

Epiſcopatua refugientibus.

g *Matth.* 4. (*g*) rete, cum Joanne (*h*) ſindonem, cum
h *Mar.* 5. Matthæo (*i*) teloonium, cum (*k*) Joſeph pal-
i *Matth.* 9. lium, cum homine Evangelico (*l*) ſepultu-
k *Geneſ.* 39. ram patris, cum muliere Samaritana (*m*)
l *Matth.* 8. hydriam, id eſt, cupiditatem ſæculi reli-
m *Joan.* 4. querunt. Peccato talium quaſi filiorum (*n*)
n 1. *Reg.* 3. Heli tranſlata eſt hodiè Arca, ſive gloria Domini de Iſrael in Azotum, ignem ſcilicèt concupiſcentiæ. Ignis autem iſte non inflammat, ſed infumat; non illuminat, ſed excæcat, ſicut ſcriptum eſt: Supercecidit ignis, & non viderunt Solem. De Azo-
o 1. *Reg.* 5. to (*o*) transfertur in templum Dagon, id eſt, triſtitiæ, vel deſolationis. Nonnè idolum triſtitiæ & mœroris eſt Prælatus illitteratus & fatuus? qui in ira Dei & populi deſolatione eligitur, & quaſi idolum (*p*) p *Iſai.* 57.
erigitur, ut veniat quod legitur in (*q*) Mat- q *Matt.* 24.
thæo: Cùm videritis abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto, id eſt, in Eccleſia Dei: tunc væ prægnantibus & nutrientibus: illi enim, qui ſpiritum ſalutis conceperant, exemplo talium ſuffocantur. Qui verò vitæ cœleſtis alimenta petebant, nullo verbi divini pabulo ſuſtentantur; Parvuli (*r*) (inquit Propheta) petierunt panem, r *Thren.* 4.
& non erat qui frangeret eis.

III. Tu igitur, amantiſſime pater, qui à latere ſummi Pontificis miſſus es, ut legatione fungaris pro Chriſto: ſurge in extirpationem execratiſſimæ peſtis hujus. Ecce conſtituit te Dominus ſuper gentes, & regna, ut evellas & deſtruas, ut diſperdas & diſſipes, & ædifices, & plantes. Accendatur, & igneſcat zelus tuæ auctoritatis adversùs ambitionis malum; diſſipa & evelle plantationes iniquas. Ædifica & (*s*) planta in s *Jerem.* 1.
Eccleſia Dei tales, quos humilitas, quos innocentia, quos vita probatior, & litteratura commendet, qui ſubiectos doceant, qui divites non palpent, pauperes non gravent, qui minas potentum non timeant, qui crimina corrigant, & marſupia non emungãt: quorum ſermo ſit doctrina, quorum converſatio ſit juſtitia, quorum auctoritas ſit non in habitu, non in faſtu, ſed in eruditione, & defenſione Fidei: quorum vita ſit publicè commendabilis: quorum memoria in benedictione. Ad tuum, & collegæ tui ingreſſum quæſo lætetur Eccleſia Chriſti, ut a ſimoniacis & ambitioſis oppreſſa, ſub veſtra conſolatione reſpiret. Congaudeant clerici, & exultent populi, ſe hodiè in vobis ſuſcepiſſe cives Apoſtolorum, & domeſticos Dei, portantes pacem, & illuminantes patriam, nobis & aliis vitæ æternæ poſcentes præmia, ut de labore, & ſollicitudine veſtræ legationis immarceſcibiles juſtitiæ manipulos reportetis. Iſta ad Legatum Apoſtolicæ Sedis exæſtuans zelo Petrus.

Deſcriptio boni Epiſcopi.

IV. Hoc eodem anno vos ab Oriente auditur lugentium, atque lamentantium interfectos populi Dei, & civitatem ſanctam Hieruſalem hoſtili pervaſione vaſtatam: & ut ſuo ordine res ipſas infeliciter geſtas ex ejuſdem temporis auctoribus enarremus, hoc, inquam, anno Kalendis Maji, & poſteà infra octavam Apoſtolorum iterùm malè pugnatum eſt à Chriſtianis adversùs Saladinum Babyloniæ Regem in Terra ſancta. Extant de his litteræ Magni Præceptoris Templariorum, qui tunc illis præerat, & rebus interfuit, quas recitat Rogerius in Annalibus iſtis verbis:

Chriſtiani à Saladino victi.

Frater Terricus paupertimæ domus Tẽpli dictus magnus Præceptor, omniſque Fratrum pauperrimus & ferè omninò annihilatus conventus univerſis Præceptoribus & Fratribus Templi, ad quos litteræ iſtæ pervenerint, ſalu em. & in illum ſuſpirare, in quo Sol & Luna mirantur.

Litteræ templariorum.

Quot quantiſque calamitatibus ira Dei, noſtris peccatis exigentibus, nos in præſenti flagellari permiſerit: nec litteris, nec flebili voce (proh dolor.) explicare valemus.

mus. Turci enim immenſam ſuarum gentium multitudinem congregantes, Chriſtianorum noſtrorum fines acriter invadere cœperunt; contra quos nos noſtrarum gentium phalanges coadunantes, infra octavas beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli in eos congredi, & verſus Tiberiadem (quam violenter, caſtro ſolo relicto, ceperant) iter arripere præſumpſimus. Cùm nos in ſcopulis peſſimis impuliſſent, nos ita acriter impugnaverunt, quòd ſancta Cruce, & Rege noſtro captis, & omni multitudine noſtra interfecta, & fratrum noſtrorum (ut in veritate credimus) eodem die ducentis & triceniа decollatis (exceptis illis ſaas gennis, qui prima die Maii interempti ſunt) via dominus Comes Tripolis, & dominus Reginaldus Sidonis, dominusque Ballovius, & non de illo miſerabili campo evadere potuimus. Deinde Pagani Chriſtianorum noſtrorum ſanguine debacchati verſus civitatem Aceon cum omni ſua multitudine venire non diſtulerunt, quam violenter capientes, totam terram ferè invaſerunt; Jeruſalem, & Aſcalon, & Tyro, & Berithon; nobis, & Chriſtianitati ſolis adhùc relictis. Iſtas etiam civitates, omnibus earum ferè civibus interfectis, niſi divinum, & veſtrum præſto ſit auxilium, nullo modo retinere poterimus. Civitatem etiam Tyrum in præſentiarum acriter obſidentes, die noctuque expugnare non ceſſant: & tanta eſt eorum copia, quòd totam terræ faciem à Tyro, uſque ad Jeruſalem & uſque ad Gazam velut formicæ cooperuerunt. Nobis ergò & Chriſtianitati Orientis, ad præſens omninò deperditæ quantocyus ſuccurrere dignemini, ut per Deum, & veſtræ fraternitatis eminentiam, reſiduas civitates veſtro fulti adminiculo ſalvare poſſimus. Valete.] Poſt hæc & Patriarcha Antiochiæ Haimericus ad Anglorum Regem Henricum eodem quoque argumento litteras dedit, petens enixè adjuvari ab eo periclitantem graviſſimè Terram ſanctam. Habet omnes has litteras perpetuæ memoriæ commendatas Rogerius in Anglorum Annalibus; datæ autem ab Antiocheno Patriarcha litteræ ſic ſe habent:

V. **Litteræ Patriarchæ Antiocheni ad Regē Anglor.**

Haimericus Dei gratia ſanctæ & Apoſtolicæ Sedis Antiochiæ Patriarcha Henrico per eamdem gratiam Anglorum illuſtriſſimo Regi, dilecto domino & amico, in illo regnare, per quem Reges regnant.

Condignum, & inæſtimabilem dolorem noſtrum pro inſperato, & terribili, quod nobis, immò toti Chriſtianitati nuper accidit, infortunio, cum lacrymis & ſingultibus excellentiæ veſtræ per hæc præſentia denuntiamus. Audiat vobiſcum omne ſæculum dolorem noſtrum, ut ſciat undè veniat, aut quò tendat noſter luctus & noſtra lamentatio. Quarto die menſis Julii, anno incarnati Verbi milleſimo centeſimo octogeſimoſeptimo, Saladinus collecta hoſtium peregrina multitudine prælium commiſit cum his qui erant in Terra Hieruſalem Chriſtianis, & fuſis eorum copiis, de ipſis pro velle ſuo triumphavit vivifica Cruce ludibrio Turcorum expoſita, capto Rege, & magiſtro Templi, Raymundo quoque Principe propriis manibus nefandi Saladini interfecto: & Epiſcopis, cum Templariis, & Hoſpitalariis, & cum omni ferè multitudine MCC. & peditum triginta millia in tuitione S. Crucis gladiis jugulatis, excepta multitudine copioſa, quæ poſteà in urbibus, quas cepit, eſt interempta, vel captivata. Satiatus denique ſanguine Chriſtianorum, Tiberiadem cepit, & munivit: deindè civitatem nobilem *Accaron, Cayphas, Cæſaream, Joppen, Nazaret, Sebaſteo, Neapolim, Lidden, Ramatham, Arſur, Hebron, Bethlehem, & tunc demùm ſanctam civitatem Hieruſalem, & Sepulchrum Domini obſedit: jurans quòd ipſum fruſtatim comminuet, & ejus minutias in profundum maris projiciet. Pro reſiduis formidoloſa nos detinet hæſitatio, ignorantes diem & horam, in qua ſubiiciantur ditioni ejus, & habitatores earum vel captiventur, vel occidantur, maximè cùm victualibus, & equitaturis, & armis bellicis, & defenſoribus conſtet eſſe ſpoliatos.

*Accon

VI. Pro hac tanta ira & indignatione Dei in nos effuſa deſuper, panem noſtrum cum lachrymis manducamus, & turbamur terrore horribili, ne Sepulchrum Dominicum exteris tradatur nationibus, ne pauci, qui remanſimus in terra Chriſtiana, ſi tardaverit ſuccurſus, urgentibus inimicis, noſtras cervices gladiis ferientium ſupponamus. Et quidem prudentia, & opinione, & divitiis cæteris Regibus Occidentalibus præeminetis; cujus auxilium ſemper expectavimus: precamur, ut Terræ ſanctæ potenti feſtinanter ſuccurratis auxilio. Et ſi tardaveritis, Sepulchrum Dominicum cum Antiochia nobili civitate, & terra ſibi adjacente in opprobrium ſempiternum exteris ſubjacebit nationibus. Mementote laudis, & nominis veſtri, ut Deus, qui vos ſublevavit * in regnum, per vos exaltetur. Et ſi huic tàm digno operi volueritis manum apponere, ut veniatis, vel optatum nobis mittatis ſuccurſum: totius Terræ ſanctæ liberatio vobis poſt Deū imputabitur, & nos ipſi, in quantum poſſumus, lugentes, & rea pectora noſtra percutientes ad Deum clamamus, ut ipſe donet vobis & velle & poſſe id ipſum ſic perficiendi ad laudem & gloriam ſui nominis; quatenùs in hoc mortis articulo Terræ ſanctæ & nobis clementer ſuccurratis. Alioquin nobis, qui variis ſubjacentes periculis diutino languori ſuccumbimus, jam neceſſe erit expirare, & fuſo ſanguine Chriſtianorum, Dominicum Sepulchrum, & Antiochiam nobilem civitatem cum terra ſibi adjacenti in opprobrium ſempiternum cæteris nationibus ſubjacere. Rogamus præterea, ut dilectos fratres Cabilonenſem, & Valenienſem Epiſcopos, quos pro hoc ipſo ad vos mandavimus, commendatos habeatis. Valete.]

*ſublimavit

VII. At ingruente cum copiis Saladino, capta eſt quoque ipſa ſancta civitas Hieroſolymyta-

Digitized by Google

mytana à Sarraçenis, quarto Kalendas Octobris. Cùm verò plures hujus temporis Scriptores eladem tantam ſtylo lugubri fuerint proſecuti: nos his omnibus epiſtolarem præſerentes hiſtoriam, opportunè ſubiieimus ejuſdem, qui ſuprà, Terrici magni Præceptoris Templariorum litteras, quibus cuncta, quæ hoc anno ſunt geſta, uſque ad extremam diem præſens quæ vidit, accuratè recenſet, ſic ſcribens ad eumdem Regem Anglorum:

Terrici ad Regẽ Angl. litteræ.

Chariſſimo Domino Henrico Dei gratia illuſtri Anglorum Regi, Duci Northmanniæ & Aquitaniæ, & Comiti Andegaviæ, Frater Terricus quondam magnus Præceptor domus Templi Hieruſalem, ſalutem in eo qui dat ſalutem Regibus.

Sciatis, quòd Hieruſalem cum arce David reddita eſt Saladino. Syrii autem habent cuſtodiam Sepulchri uſque ad quartum diem poſt Feſtum S. Michaelis: & ipſe Saladinus in domo Hoſpitalis permiſit remanere decẽ de Fratribus Hoſpitalis ad cuſtodiendum infirmos uſque in unum annũ. Fratres verò Hoſpitalis de Belliverio optimè reſiſtunt Sarracenis adhùc, & duas jam carvanas Sarracenorum eapugnaverunt, in quarum alterius captione, omnia arma, & utenſilia, & victuaria, quæ erant in caſtro Fabæ, quod Sarraceni deſtruserant, viriliter lucrati ſunt. Adhùc etiam reſiſtunt Saladino* Gragchus Montis regalis, & Mons regalis, & Saphet Templi, & Gragchus Hoſpitalis, & Margatum, & caſtellum Blancum, & terra Tripolia, & terra Antiochiæ. Capta autem Hieroſolyma, Saladinus Crucem de templo Domini deponi fecit, & eam per duos dies per civitatem in oſtentum fuſtigando portari fecit. Deinde fecit Templum Domini aqua roſata intùs & exteriùs, ſurſùm & deorſùm lavari, & legem ſuam deſuper illud per quatuor partes miro tumultu acclamari. A feſto verò S. Martini uſque ad Circumciſionem Domini obſedit Tyrum, tredecim petrariis die nocteque lapides in eã inceſſanter jactantibus. In vigilia S. Silveſtri dominus Conradus Marchio milites & pedites per murum civitatis diſpoſuit, & armatis ſeptemdecim galeis, & decem aliis naviculis, cum auxilio domus Hoſpitalis, & Fratrum Templi adversùs galeas Saladini dimicavit, eaſque eapugnans, undecim ex eis retinuit, & magnum Alexandriæ Admiraldum cum octo aliis Admiraldis cepit, Sarracenorum multitudine interſecta. Reliquæ verò galeæ Saladini Chriſtianorum manus evadentes, ad Saladini exercitum confugerunt, quibus præcepto illius ad terram extractis, ipſe Saladinus igne appoſito in cinerem & favillam fecit redigi; nimioque dolore commotus, equi ſui auriculas, & caudam amputans, equum illum per totum exercitum videntibus omnibus equitavit. Valete.]

* Gregens

His addimus litteras Conradi filii Marchionis de Monteferrato ad Archiepiſcopum Cantuarienſem, eodem argumento conſcriptas, deque fœdere Saladini cum

A Conſtantinopolitano Imperatore, bis verbis. VIII.

Cantuarienſi Archiepiſcopo Balduino Conradus filius Marchionis de Monteſerrato ſalutem.

Turbantur elementa, & Catholicæ Fidei derogatur, cùm ſedes Hieroſolymitana Apoſtolicæ Sedi ſubtrahitur. Periit enim Hieroſolyma, & inertia Chriſtianorum à Sarracenis viliſſimè pertractatur. Fœdant namque Dominicum Sepulchrum, deſtruunt Calvariæ locum, nativitatem Chriſti contemnunt, & Beatæ Virginis eradicant ſepulchrum. Sedes Conſtantinopolitana Romanæ Sedi nullam exhibet reverentiam; Antiochena quidem laborare dignoſcitur in extremis. Hæc autem omnia Chriſtianorum conſtat deſidia contigiſſe. Lugenda eſt civitas Hieruſalem atque lugubriter lamentanda, quæ ſuis cultoribus ſpoliata, qui Chriſto per horas diei ac noctis conſtituti, Deo cantando, & orando, famulabantur: nunc (proh dolor) Mahometh excelſa voce laudatur, ritibus polluta Sarracenicis. Veſtræ igitur celſitudini preces cum lachrymis porrigo commiſtas, quatenùs calamitatum Terræ ſanctæ miſereri dignemini, ut confortetis Reges, commoneatis Fideles, ut canibus expulſis à patrimonio JESU Chriſti, miſericorditer ſubveniant, vincula ſolvant, profanata mundent, ut terra ſanctis Chriſti pedibus calcata, de poteſtate Infidelium potenter liberetur.

Accedit etiam ad cumulum iniquitatis, ad opprobrium, & deſolationem Chriſtianitatis familiaritas, quæ viget inter Saladinum & Imperatorem Conſtantinopolitanum, cui idem Saladinus tradidit omnes Eccleſias terræ Promiſſionis, ut in eiſdem ſerviatur ſecundùm ritum Græcorum. Inſuper etiam & idem Saladinus miſit idolum ſuum Conſtantinopolim Imperatoris aſſenſu, ut ibi publicè coleretur: ſed per gratiam Dei captum eſt in mari à Januenſibus, & cum ipſa navi perductum eſt Tyrum. Nuper etiam exercitus conſtructus eſt copioſus ante urbem Antiochiæ, & dictus Imperator promiſit centum galeas. Saladinus quoque dedit ei totam terram Promiſſionis, ita ſcilicet, ut impediat viam Chriſtianorum, maximè autem Francorum, ad ſuccurſum Terræ ſanctæ properantium. Nec eſt aliquis apud Conſtantinopolim, qui crucem accipiat, quin ſtatim capiatur & incarceretur. Hoc autem nobis ſolatium eſt, quòd nuper frater Saladini, & filius ante Antiochiam capti ſunt, & ſub ſalva cuſtodia deputati.]

IX. Imp Conſtantinop. amicus Saladino.

Porrò iſta quidem adeò triſtia, & judicio humano flebilia Dei ſententia læta eſſe, atque in lucrum ſunt animarum converſa, ut oſtenſum eſt ſanctæ Chriſtinæ virgini magni nominis in Germania, de qua iſta Cantipratenſis: (a) Longè etiam antè prædixit Terram ſanctam & Hieroſolymam in impiorum Sarracenorum ditionem redactum iri. Quo autem die à Saladino Ægypti Sultano capta fuit Hieruſalem cũ

X.

a Thomas Cantipratenſis apud Sur. die 23. Junii c. ac.

Sc-

Sepulchro, & Cruce Chriſti, illa in caſtro Loenenſi tùm conſtituta, ſpiritu cognovit rem geſtam. Cumque multum exultaret, ab iis, qui aderant, rogata ut ejus lætitiæ cauſam exponeret: Jure, inquit, exulto: nam & Chriſtus Dominus cum Angelis ſuis exultans, occaſionem præbuit, qua magna poſſit hominum copia ſalva fieri. Illis rurſus ſciſcitantibus, quænam eſſet hæc occaſio, reſpondit: Noveritis Terram ſanctam hodiè veniſſe in manus hominum impiorum; atque hac re magnam ſalutis oblatam occaſionem. Chriſtus enim pro illata ipſi contumelia dignum cenſuit, ut terra illa hac ignominia afficiatur, quamvis ipſius paſſione ſanctificata, attamen in fine mundi cum ipſo mundo peritura: quando illius recuperandæ cauſa animæ ſemper victuræ, ejuſque ſanguine redemptæ, ab iniquitate ad juſtitiæ ſtudium convertentur, fundentque homines ſanguinem ſuum, & quamdam morti Salvatoris vicem cum multa devotione rependent. His dictis mirabantur omnes, & quidam annotarunt tempus.] Hæc ipſe.

XI. Hoc eodem anno Baſilio Camatero Patriarcha Conſtantinopolitano in ordinem redacto ab Imperatore, in locum ejus ſubrogatus Nicetas cognomento Mundanus, qui (ut Nicetas Choniata tradit) ſtatim ejectus eſt, Leontiuſque monachus ſuffectus; quo etiam ante annum abſolutum dejecto, propoſitus eſt Theodorus Balſamon, ſed rejectus; creatus verò eſt Doſithæus Hieroſolymitanus Patriarcha. Sed ad res noſtras Occidentales convertamus orationem, deque ſtatu Eccleſiæ Romanæ dicamus:

XII. Obitus Urbani Papæ Tertii & Gregorii Octavi ſubrogatio.

Eodem anno (inquit Rogerius) Urbanus Papa cùm audiſſet, quòd temporibus ſuis captus eſſet Rex Hieroſolymitanus, & Crux Dominica, & civitas ſancta Hieruſalem: doluit vehementer, & incidit in ægritudinem, & mortuus eſt decimotertio Kalendarum Novembris apud Ferrariam.] Neubrigenſis autem poſt Urbani obitum allatum dicit Romam nuntium de capta Hieroſolyma, nempè in die ſancti Lucæ Evangeliſtæ, Urbanum autem deceſſiſſe decimotertio Kalendas Novembris; ait enim: Rerum quippè infra octavas Apoſtolorum Petri & Pauli infeliciter geſtarùm nuntii circa feſtivitatem beati Lucæ Evangeliſtæ ad Apoſtolicam Sedem venerunt, Urbano paulò antè ex hac luce ſubtracto, & maturè ſubſtituto Gregorio. Qui venerabilis Pontifex triſti nuntio perculſus ingemuit, & vi doloris anxius tàm enormem Chriſtiani nominis jacturam inconſolabiliter deploravit.] Hæc ejus temporis ſcriptor nobilis Neubrigenſis. Mortuo namque Urbano, ſequenti die ſucceſſit in Papatum Albertus Cardinalis Cancellarius presbyter tituli S. Laurentii in Lucina, patria Beneventanus, dictuſque Gregorius Octavus ſucceſſor doloris, heres calamitatis: qui paucis diebus quibus ſedit, nempè menſe uno, & diebus vigintiſeptem, ſuæ pietatis digna monumenta reliquit, cùm inprimis pro ſubſidio Terræ ſanctæ ad univerſos Chriſtifideles has litteras dedit, quas Rogerius in Anglorum Annalibus deſcriptas perpetuitati ſacravit:

XIII. Gregorii Pap. Octavi litteræ ad Chriſtifideles.

Gregorius (a) Epiſcopus ſervus ſervorum Dei univerſis Chriſtifidelibus, ad quos litteræ iſtæ pervenerint, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

a Recitat eas etiam Neubrig. l.3.c.20.

Audita tremendi ſeveritate judicii, quod ſuper terram Hieruſalem divina manus exercuit: tanto ſumus nos & fratres noſtri horrore confuſi, tantiſque afflicti doloribus, ut non facilè nobis occurreret, quid agere, aut quid facere deberemus, niſi quod Pſalmiſta deplorat & dicit: Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam: coinquinaverunt templum ſanctum tuum: poſuerunt Hieruſalem in pomorum cuſtodiam: carnes Sanctorum tuorum beſtiis terræ, & eſcas volatilibus cœli, &c. Ex occaſione quippè diſſenſionis, quæ malitia hominum ex ſuggeſtione diaboli facta eſt nuper in terra, acceſſit Saladinus cum multitudine armatorum ad partes illas, & occurrentibus eis Rege, & Epiſcopis, & Templariis, & Hoſpitalariis, Baronibus, ac militibus cum populo terræ & Cruce Dominica (per quam ex memoria & fide paſſionis Chriſti, qui pependit, & genus humanum redemit, certum ſolebat eſſe tutamen, & contra Paganorum incurſus deſiderata defenſio) facta congreſſione inter eos, & ſuperata parte noſtrorum; capta eſt Crux Dominica, trucidati Epiſcopi, captus eſt Rex, & univerſi ferè aut occiſi gladio, aut hoſtilibus manibus deprehenſi, ità ut pauciſſimi per fugam dicantur elapſi. Ipſi quoque Templarii & Hoſpitalarii in ejus oculis decollati. Superato autem exercitu, qualiter ſubſequenter invaſerint, & rapuerint univerſa, ita ut non niſi pauca loca remanſiſſe dicantur, quæ in eorum non devenerint poteſtatem, non credimus noſtris litteris explicandum. Nos autem licèt cùm (b) Propheta dicere habeamus: Quis det capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo nocte, ac die interfectos populi mei? non tamen adeò deiicere nos debemus, ut in diffidentiam decidamus, & credamus Deum ita populo ſuo iratum, ut quod communium faciente multitudine peccatorum, fieri permiſit iratus; non citò per miſericordiam pœnitentia placatus alleviet, & poſt lachrymationem & fletum exultationem inducat.

b Jerem.9.

XIV. Quiſquis ſanè in tanta lugendi materia, ſi non corpore, ſaltem corde non luget, non tantùm Fidei Chriſtianæ (quæ cum omnibus dolentibus docet eſſe dolendum) ſed ipſius, & humanitatis noſtræ oblitus; cùm ex ipſa periculi magnitudine, ac feritate barbarica Chriſtianorum ſanguinem ſitiente, ac totam ſuam in hac apponente virtutem, ut profanare ſancta, & titulum Dei valeant auferre de terra, quod nos tacemus, diſcretus quiſque valeat æſtimare. Sanè cum Prophetæ toto prius ſtudio labo-

laboraverunt, poſtmodùm Apoſtoli, & A
ſequaces eorum, ut divinus cultus eſſet
in terra illa, & ad omnia climata mundi
ex ea deflueret, immò quod maximum &
ineffabile eſt, Deus, qui voluit incarnari,
per quem facta ſunt univerſa, per ineffa-
bilem ſapientiam, & incomprehenſibilem
miſericordiam ſuam, per infirmitatem car-
nis, eſuriem, ſitim, Crucem, & mortem, &
reſurrectionem ſalutem noſtram ibi voluit
a Pſ. 73. operari, juxta quod dicitur: (a) Qui ope-
ratus eſt ſalutem in medio terræ; per ſe-
ipſum ad hoc dignatus eſt laborare, nec
lingua dicere, nec ſenſus cogitare poteſt,
quantum nobis, & univerſo dolendum ſit B
populo Chriſtiano, quod id nunc perpeſ-
ſa eſt terra illa, quod ſub veteri populo le-
gitur pertuliſſe. Nos autem credere non
debemus, quòd ex injuſtitia judicis fe-
rientis, ſed ex iniquitate potiùs populi
delinquentis iſta provenerunt, cùm lega-
mus, quòd quando populus converteba-
b Deut. 32. tur ad Dominum; perſequebatur (b) unus
mille, & duo fugabant decem millia: im-
c 4. Reg. 19 mò ipſo populo quieſcente, exercitum (c)
Sennacherib angelica manu conſumptum.
Sed & terra illa devoravit habitatores
ſuos, & nec diù habere quietum ſtatum,
nec tranſgreſſores legis divinæ potuit re- C
tinere; doctrinam & exemplum tribuens
illis, qui ad cœleſtem Hieruſalem intende-
rent, quòd non poſſunt ad eam niſi per
exercitium boni operis, & per tentationes
plurimas pervenire. Potuerunt autem iſta
timeri jampridem, quando Arroaſia, &
alia terra in poteſtatem tranſiit Pagano-
rum, & fuiſſet benè proviſum, ſi populus
qui remanſit, ad pœnitentiam rediiſſet,
& Deum, quem prævaricatione offende-
rat, converſione placaſſet. Nec enim ſu-
bitò venit ira ejus, ſed & ultionem differt,
& tempus tribuit pœnitenti. Tandem
verò qui in miſericordia judicium non D
amittit, vindictam ſuam ad pœnam tran-
ſgredientium, & cautelam ſalvandorum
exercet.

XV. Porrò nos, qui in tanta terræ illius con-
tritione, non ſolùm peccatum habitato-
rum illius, ſed & noſtrum, & totius po-
puli Chriſtiani debemus attendere ac ve-
reri, ne quod reliquum eſt illius terræ de-
pereat, & in alias etiam poteſtas eorum de-
ſæviat regiones: cùm ex omnibus partibus
inter reges & principes, civitates & civi-
tates diſſenſiones audiamus, & ſcandala,
d Oſe. 4. & lugere cum Propheta, (d) & dicere va-
leamus: Non eſt veritas, non eſt ſcientia E
Dei in terra: mendacium, homicidium,
& adulterium inundaverunt, & ſanguis
ſanguinem tetigit. Unde hoc univerſis &
cogitandum imminet, & agendum, ut
peccata noſtra caſtigatione voluntaria e-
mendantes, per pœnitentiam & opera pie-
tatis convertamur ad Dominum Deum no-
ſtrum, & in nobis primò quod malè geſſi-
mus, emendemus; deinde feritatem, &
malitiam hoſtium attendamus, & quod
illi contra Deum tentare non timent; nos
pro Deo agere nullatenùs hæſitemus. Co-

A gitate itaque, filii, qualiter in hunc mun-
dum veniſtis, & qualiter exituri eſtis, &
qualiter tranſeant univerſa, & pariter trã-
ſeatis & vos, & pœnitendi, ac benè agen-
di tempus, quantum ſpectat ad vos, cum
gratiarum actione recipite, & date ve-
ſtra, date poſt vos ipſos, quia non eſtis
ex vobis, nec quidquam à vobis habetis,
qui nec culicem unum poteſtis facere ſu-
per terram. Nec dicimus, dimittite, ſed
præmittite in cœleſte horreum quæ habe-
tis, & deponite apud eum, apud quem æ-
rugo ea non demolitur, aut tinea, nec
fures effodiunt, & furantur, laborantes
B ad recuperationem terræ illius, in qua pro
ſalute noſtra Veritas de terra orta eſt, &
ſuſtinere pro nobis Crucis patibulum non
deſpexit: & nolite ad lucrum, vel gloriã
temporalem attendere, ſed voluntatem
Dei, qui pro fratribus animas in ſe ipſo
docuit eſſe ponendas, & ei veſtras com-
mendate divitias, quas ſive volentes, ſive
nolentes neſcitis, tandem quibus hæredi-
bus ſitis relicturi. Non eſt equidem no-
vum, quòd terra illa judicio divino per-
cutitur: ſed nec inſolitum, ut flagellata
& caſtigata miſericordiam conſequatur.
Poterit Dominus quidem ſola eam volun-
C tate ſervare: ſed non habemus ei dicere,
cur ita fecerit? voluit enim forſitan expe-
riri, & in notitiam ducere aliorum, ſi quis
ſit intelligens, aut requirens Deum, qui
oblatum ſibi pœnitentiæ tempus hilariter
amplectatur, & animam ponendo pro fra-
tribus, conſummetur in brevi, & com-
pleat tempora multa. Attendite qualiter
Machabæi zelo divinæ legis accenſi pro
fratribus liberandis extrema quæque pe-
ricula ſunt experti, & non ſolùm ſubſtan-
tias, ſed & perſonas pro fratrum docuerint
ſalute ponendas, & hortantes ſe ipſos, at-
que dicentes: (e) Accingimini & eſtote fi- e 1. Mach. 3
D lii potentes, quoniam melius eſt nobis mo-
ri in bello, quàm videre mala gentis no-
ſtræ & Sanctorum. Et quidem illi ſub una
conſtituti lege fuerunt, vos per incarna-
tionem Domini noſtri JESU CHRISTI
ad lucem veritatis adducti, & multis exẽ-
plis inſtructi Sanctorum, ſine trepidatio-
ne aliqua faciatis, & non timeatis dare
terrena, & pauca, & breviter duratura,
quibus illa bona promiſſa ſunt, & repo-
ſita, quæ nec oculus vidit, nec auris au-
divit, nec in cor hominis aſcenderunt,
& de quibus dicit (f) Apoſtolus, quòd f Rom. 8.
non ſunt condignæ paſſiones hujus tempo-
E ris ad futuram gloriam, quæ revelabitur
in nobis.

Eis autem, qui corde contrito & humi- XVI.
liato ſpiritu itineris hujus laborem aſſũ- Plenariam
pſerint, & in pœnitentia peccatorum & indulgen-
fide recta deceſſerint, plenam ſuorum tiam Papa
criminum indulgentiam, & vitam polli- largitur.
cemur æternam. Sive autem ſupervixe-
rint, ſive mortui fuerint, de omnibus pec-
catis ſuis, de quibus rectam confeſſionem
fecerint, impoſitæ ſatisfactionis relaxatio-
nem de omnipotẽtis Dei miſericordia, &
Apoſtolorum Petri & Pauli auctoritate, &

noſtra ſe noverint habituros. Bona quoque ipſorum, ex quo crucem acceperint, cum ſuis familiis ſub S. R. E. necnon & Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum Eccleſiæ Dei protectione conſiſtant, & nullam de his, quæ in ſuſceptione crucis quietè poſſederunt, donec de ipſorum reditu, vel obitu certiſſimè cognoſcatur, ſuſtineant quæſtionem, ſed bona eorum integra interim maneant, & quieta: ad dandas quoque uſuras, ſi tenentur alicui, non cogantur. Nec eant in veſtibus pretioſis, & cum canibus, ſive avibus, aut aliis, quæ oſtentationi potiùs, & laſciviæ, quàm neceſſariis videantur uſibus deſervire: ſed in modeſto apparatu, & habitu, in quo pœnitentiam potiùs agere, quàm inanem affectare gloriam videantur. Datum * Ferrariæ 4. Kalendas Novembris, Indictione ſexta,] inchoata videlicèt.

* apud Neubrigen. habetur Datum Ferentini.

His autem eadem die adjecit alias, quibus ad placandum offenſum numen indixit Jejunium quinquennale, certis hebdomadæ diebus, quæ ſic ſe habent:

XVII. Litteræ Greg. Pap. VIII. de jejunio ſervando.

Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei univerſis Chriſti fidelibus, ad quos litteræ iſtæ pervenerint, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Numquam melius superni Judicis ita pacatur, quàm cùm ex mandato ipſius carnalia in nobis deſideria extinguuntur. Proinde quia Hieroſolymitanæ terræ diſcrimen, quod irruentibus Sarracenis nuper evenit, ex peccato maximè habitatorum terræ, & totius populi Chriſtiani accidiſſe non dubitamus: nos de fratrum noſtrorum communi conſilio, multis Epiſcopis approbantibus ſtatuimus, ut omnes uſque ad quinquennium, ſaltem per omnes ſextas ferias, in cibo Quadrageſimali jejunent; & Miſſa, ubi cantanda fuerit, ad Nonam cantetur, quod ab Adventu Domini uſque ad Natale Domini ſtatuimus obſervandum: feria verò quarta, & ſabbatho omnes indifferenter, qui benè valent, à carnibus abſtineant. Nos autem & fratres noſtri in ſecunda quoque feria nobis, & familiis noſtris eſum carnis interdicimus, niſi fortè aut infirmitas, aut magna ſolemnitas, vel alia evidens cauſa viſa fuerit impedire: ſperantes, quòd ſic nobis ignoſcet Dominus, & relinquet poſt ſe benedictionem. Hoc igitur adeò ſtatuimus obſervandum, ut quicumque tranſgreſſor extiterit, quaſi prævaricator Quadrageſimalis Jejunii habeatur. Datum Ferrariæ quarto Kal. Novembris.] Hæc Gregorius. Qui eodem menſe adjecit alias, quibus ſtatuta litteris Urbani Papæ prædeceſſoris, etiam non obſtante ejus obitu, voluit ſuam habere firmitatem, & robur obtinere, quæ ab eodem Rogerio in Annalibus Anglicis deſcriptę ſic ſe habent:

Aſperior afflictio indicta Card.

XVIII. Aliæ Greg. Pap. litteræ ejuſdē argumenti.

Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus Prælatis Eccleſiarum, ad quos litteræ iſtæ pervenerint, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

A Quoniam ad Epiſcoporum maximè ſpectat officium, afflictis & laborantibus ſubvenire, unumque illorum, licèt deficientibus meritis noſtris, Deus eſſe nos voluit: proſpicere tenemur, & volumus, ne quis ex fortuitis caſibus per Romanæ viſitationem Eccleſiæ, laboris ſui, quem ad eam veniendo ſuſtinuit, debito fruſtraretur effectu. Inde ſiquidem fuit, quod nos multorum proſpicere volentes expenſis, & allevare labores, de conſueta Sedis Apoſtolicæ miſericordia duximus ſtatuendum, ut litteræ prædeceſſoris noſtri domini Urbani, à tribus menſibus ante B ipſius obitum deſtinatæ pro facienda juſtitia & litigiis dirimendis, quæ tamen manifeſtum alicujus præjudicium non contineant, aut calumniam æquitatis eumdem habeant tempore noſtræ adminiſtrationis effectum, quem habere, ſi adhùc viveret, debuiſſent. Ceſſante igitur exceptione de mandatoris morte, perficite, quod mandavit agendum, ut nemo ad nos pro excuſatione hujuſmodi accepta per illum juſtitiam obtinendi fiducia, cogatur vacuus laborare. Datum Ferrariæ * ſexto Kalendas Novembris.

* tertio

XIX. Quæ Cardinales ſibi indixeſint facienda.

Idem quoque ejuſdem temporis ſcri- C ptor Rogerius de prompto animo S. R. E. Cardinalium ejus temporis, ut ſuccurrerent Terræ Sanctæ, hæc habet admiratione digna: Cardinales verò de aſſenſu domini Papæ inter ſe firmiter promiſerunt, quòd abjectis omnibus divitiis, & deliciis, prædicarent Crucem Chriſti non ſolùm verbo, ſed opere, & exemplo; & euntes mendicando, acciperent crucem primi, & præcederent alios in terram Hieruſalem. Statuerunt etiam de aſſenſu domini Papæ firmiſſimam treguam inter omnes Principes Chriſtianitatis uſque ad ſeptennium; ita quòd quicumque guerram D contra Chriſtianum medio tempore moverint, maledictioni Dei & domini Papæ, atque excommunicationi omnium Prælatorum univerſalis Eccleſiæ ſubjacebunt. Firmiter etiam inter ſe promiſerunt, quòd de cętero nulla munera recipient ab aliquo, qui cauſam habeat in Curia, ſed ea tantùm recipere poterunt, quæ fuerint prò eorum neceſſitate, & ſuſtentatione donata, vel miſſa. Et non aſcendent in equum, quamdiù terra, in qua pedes Domini ſteterunt, fuerit ſub pedibus inimici.] Hæc S. R. E. Cardinales admiratione planè digna. Addit iſta: Et eſt ſciendū, E quòd à tempore illo, quo Hieroſolyma erepta fuit de manibus Paganorum per prędictos expugnatores, uſque ad tempus illud, quo Rex Guido eam perdidit, interlapſi fuerunt quater viginti & ſeptem anni.] Hæc Rogerius.

XX. Obitus Greg. Pap. VIII.

At illud inexpectatè & importunè ſatis hoc anno accidit equidem infauſtum, & Dei Eccleſiæ permoleſtum, quòd ipſe Gregorius Papa nondum duobus expletis menſibus in Pontificatu Piſis cùm eſſet, ex hac vita migravit, decimo ſeptimo Kalendas Januarii, qui tamquàm ſapientiſſi-

mus

A mus architectus magnæ molis conſtruen-
dæ jecerat fundamentum. Quod mors li-
cèt improba intercepetit: illud planè tam-
quàm exarmata & imbecillis, utpotè ca-
rens ſtimulo, quo ipſa peccatum armat,
nequivit efficere, ut cum ipſo extingue-
retur & gloria, ex virtute, morti cedere
neſcia, comparata, qua ſemper glorioſus
viveret in terris, & beatus cum Deo re-
gnaret in cœlis.

Sed quòd dies diei eructat Verbú, & nox
nocti indicat ſcientiam; exemplo Evange-
lici patrisfamilias, qui profert de theſau-
ro ſuo nova & vetera, agere nobis liceat.
B Quid miramur ſpacium duorum menſium
Gregorium non impleſſe? Ecce his die-
bus, quibus iſta cudenda revolvimus, Leo
ſanctæ memoriæ Papa Undecimus nec unú
quidem in Pontificatu menſem explevit.
O rerum humanarum inconſtantiam! Crea-
tus Pontifex Kalendis Aprilis, eſſe morte
deſiit vigeſimaſeptima ejuſdem; ſed qui
verè egregio ac ſingulari virtutis exemplo,
conſummatus licèt in brevi, explevit tem-
pora multa. Quippè quòd poſteris di-
gnum planè reliquerit imitandum exem-
plum, dum ægrótans ſuaſionibus pluri-
morum adduci non potuit, ut nepotem
C ſuum modeſtiſſimum adoleſcentem, quem
penes ſe educaverat, & unicè diligebat,
crearet S. R. E. Cardinalem, quique am-
pliſſimæ dignitatis jam candidatus, cæte-
rorum Cardinalium impenſis officiis jam
Cardinalis videri poterat deſignatus, per-
indeque ac ſi eadem etiam eſſet initiatus,
viſitabatur, ac tractabatur ab omnibus.
Vicit licèt infirmus corpore, robore ani-
mi id ſtudiosè petentium, importunè exi-
gentium, & extorquentium violenter quo-
rumdam Cardinalium, atque etiam re-
giorum Legatorum ſummam potentiam:
D ſuperavit, qui adhibitus fuit ad id perfi-
ciendum, Confeſſarium ſuum, hoc ipſum
ſuadere conantem religionis, qua ex mu-
nere ſacro fungebatur, auctoritate. Quem
iſta ingerentem longè longius rapulit, ex-
pulit, & ad ſe ampliùs accedere vetuit,
ut quem magis indulgere affectui conjun-
ctorum, quàm animæ ſuæ ſaluti conſu-
lere cognoviſſet: delecto poſt hæc ad ſa-
crum munus pœnitentiæ impendendum
viro digniſſimo Petro de Matre Dei à Roc-
ca Hiſpano Carmelitano reſtitutæ obſer-
vantiæ cuſtode & propagatore, ſacrique
Palatii à Clemente VIII. delecto Concio-
E natore, quo vix aliquis Romæ ſanctior
hoc tempore poſſe reperiri crederetur, ſub
cujus miniſterio animam feliciter Deo
reddidit victor & triumphator ampliſſi-
mus. Expugnavit enim pugnans fortiter,
& ſe ipſum ad pleniorem victoriam (quod
durioris certaminis fuit) coercens vincu-
A lis timoris Dei propenſiorem ſuum erga
nepotem affectum: ut quod plurimùm ca-
ptaſſet; id ipſum conſtantiſſimè denegaret,
atque vehementiùs facere recuſaret. Sic
igitur in triplici certamine triplici victo-
ria glorioſus, triplici palma triumphans,
eluſo mundo, confuſo ſatana, ſibi domi-
nans, migravit in cœlum. Sed hæc aliis
fuſiùs relinquimus pertractanda, quæ nos
curſim ſummatimque, & per digreſſionem
(jure ne an per uſurpatam importunè li-
centiam, quiſque quod velit, pro arbi-
trio judicet) tantùm; cùm occaſio tem-
poris, ſimilitudo caſus, & quod majus
B eſt, tàm egregium virtutis exemplum in
Eccleſia jugiter prædicandum, ſummo
nos imperio ad hæc modò poſteris traden-
da, præcoci inſinuatione traxere. Jam ve-
rò eò, undè digreſſi ſumus, redeamus.

Cùm adhùc Gregorius ſupereſſet, con- XXI.
tigit venire Romam Odonem conſangui- Odo Regũ
neum duorum Regum, nempè Anglorum, cõſangui-
& Francorum, eumdemque benigniſſimè neus Ro-
ab ipſo Gregorio Papa excipi. De ejus mam ve-
enim Romam adventu Petrus (*a*) Bleſen- nit.
ſis poſt celebratas à pueritia ejus laudes
hæc habet:

a Petr. Bleſ. epiſt. 126. & 127.

Cumque jam in ejus facie pubeſcentis
C adoleſcentiæ lanugo vernaret, Sedem Apo-
licam viſitavit, eo ſcilicèt tempore, quo
Gregorius Octavus ſucceſſit Urbano. E-
ram tunc in Curia, & vidi, nec invidi,
quòd honor ei à ſummo Pontifice, Patri-
buſque conſcriptis exhibitus non multùm
inferior Epiſcoporum reverentia videba-
tur.] Porrò ejus inſignes virtutes idem
Petrus ibi fuſiùs ſcripſit, & de ejus in
Pariſienſem Epiſcopatum electione, in quo
reſplenduit tamquàm lucerna ardens, lu-
cens in Eccleſia Gallicana. Extant (*b*)
ejuſdem Odonis Pariſienſis Epiſcopi Sy-
D nodales conſtitutiones de omnibus quæ
ſpectant ad ſacerdotes in adminiſtratione
ſacramentorum, & celebratione Miſſarum,
& Eccleſiaſticam diſciplinam.

b Habetur to. 6. Bibl. ſanct.

Quod autem pertinet ad res Orientalis XXII.
Imperii, hæc accipe. Exagitatus Iſaacius Iſaacius
bellis civilibus, Branæ tyranni opera Imp. per-
excitatis, ipſe Imperator ſpiritualibus in ſtringitur
primis rem agit auxiliis, tranſlata Dei à Tyran-
Genitricis veneranda imagine ex Hode- no.
gio monaſterio in mœnia urbis, ubi bel-
lum & aggreſſus hoſtium timeretur. In-
ſuper & monachos, quos credidit ſan-
ctiores, introduxit in Regiam ad preces,
E nudipedalia, humi cubationem, & alias
ſanctas exercitationes frequentandas. Nec
fraudatus eſt ſpe ſua, ſed liberatus ab im-
minenti exitio, ope Conradi Longobar-
di Ducis è Monteferrato occiſo Tyranno.
Rem geſtam pluribus deſcribit (*c*) Nice-
tas in Annalibus.

c Nicet. in Annal. in Iſaacio Ang. lib. 1.

I. Clemens Papa III. Creatur.

ANnus ſequitur Redemptoris milleſimus centeſimus octogeſimus octavus, Indictione ſexta, quo cùm vacaſſet Sedes Gregorii Octavi diebus viginti, Paulinus Cardinalis Epiſcopus Prænestinus natione Romanus ſubrogatus eſt octavo Idus Januarii, dictuſque Clemens Tertius. Qui ſtatim indictam à prædeceſſore expeditionem ad Terram ſanctam promovere, & ad perfectum ducere laboravit, & Indulgentiam confirmavit, ſtatuens, quòd quicumque ea de cauſa ſacram crucem ſuſceperit, de omnibus peccatis, de quibus pœnitens confeſſus fuerit, auctoritate Dei, & ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli eſſet liber & abſolutus.] Hæc Rogerius Anglus, qui & præſcriptam tunc ab eodem Pontifice per dies ſingulos precum formam recenſet, dicens:

II. Precum forma pro expeditione in terrá ſanctam.

Eodem anno à domino Papa, & Cardinalibus ſtatutum eſt, quòd ab univerſali Eccleſia fieret ſine intermiſſione oratio ad Dominum, pro pace, & liberatione Terræ Hieruſalem, & Chriſtianorum captivorum, qui in vinculis Sarracenorum detinebantur. Fiebat autem ſingulis diebus in Eccleſia B Pauli in hunc modum: Ad Miſſam, dicto à ſacerdote, Pax Domini ſit ſemper vobiſcum: & à Choro, Et cum ſpiritu tuo: antequàm Agnus Dei inciperetur, ſacerdos, vel præcentor incepit Antiphonam hanc: Tua eſt potentia, tuum regnum, Domine tu es ſuper omnes gentes: Da pacem Domine in diebus noſtris. In die Dominica cũ iſto Pſalmo: Quare fremuerunt gentes. Et in die Lunæ cum iſto Pſalmo: Deus in nomine tuo ſalvum me fac. Et in die Martis cũ iſto Pſalmo: Deus repuliſti nos, & deſtruxiſti nos. Et in die Mercurii cum iſto Pſalmo: Ut quid Deus repuliſti in finem? Et in die Jovis cum iſto Pſal.: Deus, venerunt gentes in hereditatem tuam. Et in die Veneris cum iſto Pſalmo: Deus, quis ſimilis erit tibi? Et in die Sabbathi cum iſto Pſalmo: Deus ultionem Dominus. Dictus itaque Pſalmo & Antiphona prædicta ſequitur: Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam. Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos. Domine non ſecundùm peccata noſtra facias nobis. Ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum. Adiuva nos Deus ſalutaris noſter. Salvum fac populum tuum Domine. Eſto eis Domine turris fortitudinis. Nihil proficiat inimicus in eis. Fiat pax in virtute tua. Domine Deus virtutum converte nos. Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiſcum. Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, in cujus manu ſunt omnium poteſtates & omnium jura regnorum, reſpice ad Chriſtianum benignus exercitum, ut gentes, quæ in ſua feritate confidunt, potentia tuæ dexteræ comprimantur.] Hæc de ritu precum.

III.

Porrò egit inſuper idem Pontifex litteris apud Chriſtianos Principes, ad quos & ab Oriente legationes tunc frequentatæ. Cùm & qui miſſus ad hoc opus fuerat Vuillelmus Tyri Archiepiſcopus, utpotè qui natione Gallus cùm eſſet, & magnæ vir exiſtimationis, præſtans eloquentia, facilè permovere poſſet Principum animos: operosè rem agens, effecit, ut convenirent ad ejus præſentiam ambo Reges, Franciæ & Angliæ, ad hæc tractanda. Quid autem inter ipſos geſtum ſit, Rogerius ita exactiſſimè narrat.

Cõgreſſus Regum Franc., & Angl. pro expeditione ad Terram Sanctam.

Accepto colloquio inter ipſum & Regem Franciæ, inter Giſortium, & Trie, duodecimo Kalen. Februarii, die ſanctæ Agnetis virginis & martyris convenerunt illùc cum Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & Comitibus, & Baronibus regnorum ſuorum. Cui colloquio interfuit Archiepiſcopus Tyri, qui repletus ſpiritu ſapientiæ & intellectus, miro modo prædicavit verbum Domini coram Regibus, & Principibus, & convertit corda eorum ad crucem capiendam, & qui priùs hoſtes erant, illo prædicante, & Deo cooperante, facti ſunt amici in illa die, & de manu ejus crucem receperunt, & in eadem hora apparuit ſupra eos ſignum Crucis in cœlo. Quo viſo miraculo, plures catervatim ruebant ad ſuſceptionem Crucis. Prædicti verò Reges in ſuſceptione Crucis, ad cognoſcendam gentem ſuam, ſignum evidens ſibi & ſuis providerunt. Rex namque Franciæ, & gens ſua ſuſceperunt cruces rubeas, & Rex Angliæ cum gente ſua ſuſcepit cruces albas, & Philippus Comes Flandriæ cum gente ſua ſuſcepit cruces virides: & ſic unuſquiſque ad providendum ſibi & itineri ſuo neceſſaria reverſus eſt in regionem ſuam.

IV. Decimæ indictę pro Expedit. Terræ ſanctæ.

Henricus igitur Rex Angliæ poſt crucis ſuſceptionem venit Cenomanum, ubi conſilio ſuorum ordinavit, quòd unuſquiſque decimam redditunm, & mobilium ſuorum in eleemoſynam dabit ad ſubventionem terræ Hieroſolymitanæ hoc anno, exceptis armis & equis, & veſtibus militum, & exceptis equis, & libris, & veſtibus, & veſtimentis, & omnimoda capella clericorum, & lapidibus pretioſis tàm clericorum, quàm laicorum, facta priùs excõmunicatione ab Archiepiſcopis, Epiſcopis, Archipresbyteris ſingulis in ſingulis parocchiis ſuper unumquemque, qui deci-

decimam prætaxatam legitimè non dederit ſub præſentia & conſcientia illorum, qui debent intereſse.

Modus exactionis indictus.

Colligatur autem pecunia iſta in ſingulis parochiis, præſente presbytero parochiæ, & Archipresbytero, & uno Templario, & uno Hoſpitalario, & ſerviente domini Regis & clerico Regis, & ſerviente Baronis & clerico ejus; & clerico Epiſcopi. Et ſi aliquis juxta conſcientiam illorum minus dederit quàm debuerit, eligentur de parochia quatuor vel ſex viri legitimi, qui jurati dicant quantitatem illam, quam ille debuiſſet dixiſſe, & tunc oportebit illum ſuperaddere, quod minus dedit. Clerici autem, & milites, qui crucem acceperint, nihil de decima iſta dabunt, ſed de proprio ſuo dominio, & quidquid homines eorum debuerint ad opus illorum, colligetur per ſupradictos, & eis totum reddetur. Epiſcopi autem per litteras ſuas in ſingulis parochiis Epiſcopatuum ſuorum facient nuntiari in die Natalis, & S. Stephani, & S. Joannis, ut unuſquiſque decimam prætaxatam infra Purificationem B. Virginis Mariæ penes ſe colligat; & ſequenti die deinceps illis præſentibus, qui dicti ſunt, ad locum, quo vocatus fuerit, unuſquiſque legitimè perſolvat.] Et inferiùs: Burgenſes verò & ruſtici, qui ſine licentia dominorum ſuorum crucem acceperint, nihilominùs decimas dabunt.

V.

Quæ de morũ correctione ſtatuta.

Diſpoſitum eſt etiam, quòd nullus enormiter juret, & quòd nullus ludat ad aleas, vel ad decios. Et quòd nullus poſt proximum Paſcha utatur *vario colore*, vel griſio, vel ſabellina, vel eſcarleta. Et quòd omnes contenti ſint duobus ferculis exempto. Et quòd nullus aliquam mulierem ſecum ducat in peregrinatione; niſi fortè aliquam lotricem peditem, de qua nulla habeatur ſuſpicio. Et quòd nullus habeat pannos deciſos, vel laceratos.

Diſpoſitum eſt etiam, quod quicumque clericus, vel laicus redditus ſuos ante ſuſceptionem crucis invadiaverit, exitus hujus anni integrè habeat, & tranſito anno creditor redditus rehabeat, ita quòd fructus, quos indè receperit, in ſolutione debiti computentur, & debitum poſt ſuſceptionem crucis, quamdiù debitor erit in peregrinatione, non uſuret. Statutum eſt etiam, quòd omnes clerici, & laici qui in hac peregrinatione proficiſcentur, poſſunt licitè invadiare redditus in ſuos, ſive Eccleſiaſticos, ſive laicos, ſive alios, à Paſcha, cùm iter arripuerint, uſque ad tres annos, ita quòd creditores, quidquid de creditoribus contingat, fructus omnes redditunm, quos in vadio habebunt, à prædicto Paſcha uſque ad tres annos integrè percipiant.

De redditibus diſtrahendis conceſſio.

Diſpoſitum eſt etiam, quòd quicumque in peregrinatione deceſſerit: pecuniam ſuam, quam ſecum in peregrinatione attulerit, ad ſuſtentationem ſervientium ſuorum, & ad auxilium Terræ Hieroſolymitanæ, & ad ſuſtentationem pauperum dividet juxta conſilium diſcretorum virorum, qui ad hoc conſtituentur. Hæc omnia ſupradicta ſtatuta ſunt, & diſpoſita ab Henrico Rege Angliæ in præſentia Richardi filii ejus Comitis Pictaviæ, & Vvillelmi Turonenſis Archiepiſcopi, & Balduini Cantuariæ Archiepiſcopi, & Vvalteri Rothomagenſis Archiepiſcopi, & in præſentia Joannis Ebroicenſis Epiſcopi, & Radulphi Andegavenſis Epiſcopi, & R. Cenomanenſis Epiſcopi, & M. Nanmetenſis Epiſcopi, & in præſentia Hugonis de Nunant Ceſtrenſis Electi, & Liſardi Sagienſis Electi, & in præſentia Baronum Andegaviæ, & Cenomaniæ, & Turonorum apud Cenomanum.

VI.

His igitur præordinatis, Rex Angliæ conſtituit ſervientes ſuos clericos, & laicos ad prædictas decimas colligendas per omnes terras ſuas traſmarinas; & poſteà transfretavit & applicuit in Anglia apud Vvinchislee Sabbatho, tertio Kalendarum Februarii. Interim Balduinus Cantuarienſis Archiepiſcopus in Angliam veniens ante Regem, conſecravit Hugonem de Nunant in Epiſcopum Conventrenſem.

Conc. Angl. in quo de Cruce capienda actum.

Dominus verò Rex, & ſtatim poſtquàm in Angliam applicuit, magnum congregavit Concilium Epiſcoporum, Abbatum, Comitum, & Baronum, & aliorum multorum tàm clericorum, quàm laicorum apud Gaintington: ubi in publica audientia recitari fecit omnia ſupradicta capitula, quæ conſtituerat de cruce capienda. Quibus recitatis, Balduinus Cantuarienſis Archiepiſcopus, & Gilbertus Roffenſis Epiſcopus vicarius ejus, mirificè prædicaverunt illo die coram Rege, & Principibus ſuis verbum Domini, & ſalutiferæ Crucis myſterium. Ad quorum prædicationem multi tàm clerici, quàm laici crucem receperunt.

VII. Decimarũ exactio per Regẽ facta.

Et tunc dominus Rex miſit ſervientes ſuos clericos, & laicos per ſingulos Comitatus Angliæ ad decimas colligendas ſecundùm prædictam præordinationem, in terris ſuis tranſmarinis conſtitutam, ſed de ſingulis urbibus totius Angliæ fecit eligi omnes ditiores, videlicèt de Londonia CC. & de Eboraco C. & de aliis urbibus ſecundùm quantitatem, & numerum eorum, & fecit omnes ſibi præſentari diebus & locis ſtatutis: de quibus cepit decimam mobilium ſuorum ſecundùm æſtimationem virorum fidelium, qui noverant redditus, & mobilia eorum. Si quos autem inveniſſet rebelles, ſtatim fecit eos incarcerari, & in vinculis teneri, donec ultimum quadrantem perſolverent. Similiter fecit de Judæis terræ ſuæ, unde inæſtimabilem ſibi acquiſivit pecuniam. Deinde miſit Hugonem Dunelmenſem Epiſcopum, & alios clericos, & laicos ad Vvillelmum Regem Scotorum, pro decimis colligendis in terra ſua. Quo audito, Rex Scotiæ occurrit eis inter Vvereh, & Brigeham in Loena; & non permittens eos terram ſuam pro decimis colligendis intrare, obtulit ſe daturum domino ſuo Regi Angliæ quinq; millia marcharum ar-

genti pro ſupradictis decimis, & pro eſ-ſtellis ſuis rehabendis: Sed Rex Angliæ facere noluit,

VIII. Decimæ Saladinæ in Francia indictæ.

Philippus autem Rex Francorum ſimili modo colligi fecit decimas redditumm & mobilium hominum ſuorum per omnea terras ſuas.] Reliqua verò ſuo loco inferiùs. Extat ejuſmodi decimarum indictionis decretum à Rege Philippo, aſſenſu & conſilio Gallicanorum Epiſcoporum ſancitum, apud Rigordum in vita ejuſdem Philippi Regis, eaſque Saladinas decimas dictas ob bellum adversùs Saladinum indictum, teſtatur. Quòd autem ejuſmodi penſitatione decimarum plurimùm gravarentur Eccleſiæ, atque pauperes anguſtiarentur, Petrus Bleſenſis ſcripſit epiſtolam ad Epiſcopum Aurelianenſem, hortans, ut ſe Regi talia præſumenti obiiceret. Eſt quidem digna epiſtola, quam legant illi, qui quovis prætextu favent Regibus adversùs pauperes & Eccleſias. Sic ſe habet, exhortationem præmittens: (a)

a Petr. Bleſ. ep. 112.

IX.

Reverendiſſimo patri & domino R. Dei gratia Aurelianenſi Epiſcopo M. Petrus Bleſenſis Bathonienſis Archidiaconus ſalutem & ſinceræ dilectionis affectum.

b Eccleſ. 3.

Petri Bleſ. ad Aurel. Epiſc. exhortatio.

Scriptum eſt: (b) tempus tacendi, tempus loquendi: diu tamen obmutui & ſilui à bonis, ſed jam nequeo Fidei Chriſtianæ injuriam diſſimulare ſilentio. Jam circa confinia terræ noſtræ barbaries efferata deſævit, & in exterminium Chriſtiani nominis gentium graſſatur immanitas. Quid ergò hic ſtatis tota die otioſi? Vibratur in cervices noſtras gladius hoſtilis, nec eſt, qui ex adverſo aſcendat, qui exprobrantibus nomini agminum Dei Iſrael zelo Fidei ſe opponat. Tu ergò, reverendiſſime pater, cùm inter cæteras Eccleſiæ columnas quodam ſtatu digniore præeminess, redde teſtimonium fidei tuæ, & in Chriſti negotio ulteriùs non lentaſcas: non ſit alligatum apud te verbum Domini; ſed ſicut magnificavit te Dominus in conſpectu Regum, ita officium magnificentiæ pontificalis exerceas. Clamat ad te Dominus per ſpiritus ſui organum Jeremiam: (c) Sta, inquit, in atrio domus Domini, & loquere ad omnes civitates Juda ſermones, quos locutus ſum tibi, & ſermones illos exprimendo ſubjungit: Vade, & clama: Revertere adverſatria Iſrael, dicit Dominus, & non avertam faciem meam à te. In eodem ſpiritu clamat (d) Ezechiel, dicens: Si ſpeculator viderit gladium venientem, & non inſonuerit buccina, veneritque hoſtis, & tulerit animam unam de populo: ſanguinem ejus de manu ſpeculatoris requiram. Noli ergò otiari in talento Domini, ſed Evangelicam Domini negotiationem exerceas, ut talentum tibi creditum Dominus cùm fœnoris acceſſione recipiat.

c Ierem. 26.

d Ezech. 33.

X.

Inſta ergò opportunè, importunè, opus fac Evangeliſtæ, miniſterium tuum imple. Noli æmulari in malignantibus, Epiſcopis dico, qui Regem tuum blandis adulationibus palpant; canes muti, non valentes latrare. Acceptiſſima quidem eſt in Epiſcopis apud Deum profeſſio veritatis. Animam pro veritate ponere non formides, ut videas dies bonos, quia ſanguinem percuſſi Dominus de manu muti ſacerdotis exquiret. Arca ſiquidem Dei capitur, & populus gladio ruit, dum ſacerdos in filiorum correctione torpeſcit. Nec motum, aut vultuoſitatem Regis extimeas, ſed in omni libertate eum ſalutaribus monitis aggredere: quia ubi ſpiritus Dei, ibi libertas. Maluit Joannes Baptiſta periclitari apud Regem, quàm diſſimulare legem Domini, qui ad Herodem, & Herodiadem, ſicut Elias ad Achab, & Jezabel Legati officio fungebatur. Vos ergò, qui reminiſcimini Deum, ne taceatis, & ne detis ſilentium ori veſtro. Joannes in Herodem, Phinees in Judæum & Madianitidem, Samuel in Agag Regem, Petrus in Ananiam & Sapphiram, Paulus in Elymam magum zeli gladium exercuit, atque correctionis exemplum eorum tibi vita præſcribit. Lex Dei, & Fides Chriſti omni ſuppellectili mundanæ ſuperæſtimanda eſt, honori etiam, & famæ, propriæque ſaluti. Rex (e) Achab cùm Regi Syriæ eum graviter opprimenti ſervos, & ancillas, filios, & filias, & uxorem, omnemque ſupellectilem obtuliſſet, poſtquam ventum eſt ad violandum legem Dei, licèt reprobus eſſet in aliis, tamen pro lege Dei pugnæ diſcrimen inire non timuit. Melius eſt incidere in manus hominis, quàm derelinquere legem Dei.

e 3. Reg. 20.

XI.

Si Regis Francorum faciem revereris, adhibe tibi de Coepiſcopis tuis, qui ſpiritu Dei aguntur, ut tanta verborum moderatione utaris, ut ſi fortis eſt ſermo, nihilominùs ſit ſuavis. Nam & ſapientia, quæ attingit à fine uſque ad finem fortiter, ſuaviter univerſa diſponit. Super omnia, quæſo, notam adulatoris, & officium palponis evites (f) Mel enim adulationis à ſacrificio Domini relegatur. Frequenter in palatiis converſantur, qui mollibus & delicatis auribus Principum etiam in turpibus blando lenocinantur applauſu, ponentes cervicalia ſub capite, & pulvinaria ſub omni cubitu manus. Vix invenitur in Curiis, qui non vendat oleum, qui caput peccatoris oleo non impinguet. Laudatur enim peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur. Sed timeat, quod per (g) Jeremiam dicitur Sedeciæ: O Sedecia, ſeduxerunt te viri tui pacifici. Cùm in exercitu Xerxis eſſet navium & curruum innumerabilis multitudo, eique ab aulicis adulatoribus diceretur, quia nec mare tantæ claſſi ſufficeret, nec aer tot populorum tela, nec terra tot currus ſua caperet vaſtitate: in tanto exercitu unus fuit Demaratus, qui in ſpiritu libertatis auderet dicere Xerxi: Victus eris à te ipſo, & te opprimet tui exercitus multitudo. Ab exhortatione, quæſo, non ceſſes, licèt ille ſuorum conſilio * aſſeſſorum ad tuam inſtantiam ſe obduret.

f Levit. 2.

g Ierem. 38.

* Aſſentatorum

a 2.*Tim*.3. duret. Scio enim, quòd adhùc (*a*) Joannes & Mambres apud Pharaonem Moyſi b 1.*Reg*.17. teſiſtunt, & ſucceſſores (*b*) Achitolphel juſtorum conſilia malitioſè pervertunt. Circa meretticantium linguarum malitiam patet campus orationis latiſſimus; ſed ad alia feſtinantes, hæc omnia ſub diſſimulatione tranſimus: quid expediat tuæ famæ, tu videris. Tu verò diligentiam adhibe ſtudioſam, ut conſanguineus tuus tamquàm primipilarius Eccleſiæ, vexillum Fidei ferat ante Reges, & Principes terræ, ut ſicut vigilantior fuit in bellicis actibus, modò non ſit in Chriſtianæ Fidei defenſione retrogradus.

XII. Côtra exigentes decimas ab Eccleſiis & pauperibus.

Si autem propoſuit iteratò iter hujus peregrinationis arripere, non de ſpoliis Eccleſiarum, non de ſudoribus pauperum viaticum ſibi & ſuis exhibeat, ſed de redditibus propriis, aut de præda hoſtili bella Chriſti conficiat. Non eſt enim abbreviata manus Domini, ut qui magna fecit in Iſrael, etiam in populo acquiſitionis brachium ſuæ magnificentiæ non exaltet. Cerc Exod. 12. tè in exitu Iſrael de Ægypto (*e*) Dominus de ſpoliis Ægyptiorum ditavit Hebræos. Ingreſſus autem populus terram Chanaan, de prædis hoſtilibus innumerabiles ſibi divitias aggregavit: immò bellorum lex publica eſt, ut munificentia principalis ſuis commilitonibus de caſtrenſi obventione ſtipendia largiatur. Quæ ratio eſt, ut qui pro Eccleſia pugnant, Eccleſiam ſpolient, quam inimicorum ſpoliis donis triumphalibus ampliare debuerant? Putantne inſipientes & miſeri, quòd Chriſtus, qui ſumma juſtitia eſt, velit ſibi de injuriis, & ſacrilegio exhiberi ſacrificium; aut ſuſtineat commiſſa ex his ſpolia proſperari? Si enim teſtimonio Veritatis in ignem æternum mittitur, qui ſua pauperibus non dedit: ubi, quæſo, mittendus eſt, qui bona pauperum, vel Eccleſiæ rapuit, aut ſtandavit? Pro his & conſimilibus filii Ephrem intendentes & mittentes arcum, converſi ſunt in die belli. NUMQUAM PAUPERUM, NUMQUAM ECCLESIÆ SPOLIA PROSPERUM HABUERUNT EVENTUS AUSPICIUM. Ideò in ultima peregrinatione effuſa eſt contentio ſuper Principes, & errare fecit eos Dominus in invio, & non in via. Fuerunt contritio & infelicitas in viis eorum, quia viam pacis non cognoverunt. Patrimonium Chriſti & Eccleſiæ ſuæ hodiè vertitur in occaſionem ſcandali, & materiam ſervitutis. d *Geneſ*.47. Certè ſub (*d*) Pharaone, cùm ex principali decreto omnes ad ſolutionem quintæ partis generaliter urgerentur, ſacerdotes tamen fuerunt ab obſervantia, & onere illius conſtitutionis immunes. In e *Num*.1. libro (*e*) etiam Numeri, ad figuram perpetuæ libertatis, præcipit Dominus, Leviticam Tribum ab omni publica functione liberam eſſe, ſummique pontificis dumtaxat arbitrio ſubjacere.

XIII. Non niſi preces exigant Principes ab Eccleſiis.

Quid aliud à pontificibus, vel à Clero poteſt vel debet Princeps exigere, quàm A ut inceſſanter fiat oratio ab Eccleſia ad Deum pro eo? Omnis pontifex ab hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in his quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro Rege & populo: & ſi iratus eſt in eis Dominus, ſacerdos medius intercedat, & in tempore iracundiæ fiat reconciliatio. Iratus Dominus populum Iſrael delere decreverat: ſtetitque (*f*) Moyſes in confractione in conſpectu ejus, motumque divinæ indignationis oratione placavit. f *Pſ*.105. Flamma divinæ animadverſionis ſæviebat in populum, & (*g*) Aaron arrepto thuribulo, medius g *Num*.16. B inter viventes & mortuos ſe flammæ objecit, ceſſavitque quaſſatio. Item contra (*h*) Amalec Iſrael prævalebat, Moyſe orante & erigente manus ſuas ad Dominum: h *Exod*.17. & poſteà temporibus (*i*) Joſue ſacerdotibus vociferantibus, muri Jericho corruerunt. i *Joſue* 6. Scio quòd ſi Rex tuus angariis, perangariis, exactionibus, capitationibus, cæteriſque ſordidis & extraordinariis muneribus Eccleſiam decreverit prægravare; quamplures Epiſcopos hujus rei fautores inveniet. Ipſi enim Evangelicæ libertatis obliti, quæ non ſolùm filios Dei, ſed amicos facit, in ignominiam C ſervitutis perpetuæ ſibi permittent autem (*k*) ſubula perforari. Sic olim Rege k *Exod*.21. (*l*) Antiocho jura templi & ſacerdotii l 1.*Mach*.1. pervertente, multi de Iſrael egreſſi ſunt, qui ſolius adulationis, aut vani timoris intuitu in conſenſum illius tyrannidis tranſierunt.

Tu verò, reverendiſſime pater, pro domo Iſrael ex adverſo aſcendas, & pro teſtamento Dei murum inexpugnabilem te opponas. Enorme namque famæ & animæ diſcrimen incurres, ſi hanc injuriam Chriſti ſilentio; aut neglectu diſſimules. Doctrina & exhortatione tua recolat domiD nus Rex, ſe non ad oppreſſionem pauperum, ſed ad tuitionem Eccleſiæ poteſtatem gladii ab Eccleſia ſuſcepiſſe. Et qui nunc vivens Eccleſiæ ſuffragia jugiter experitur, etiam poſt mortem ejuſdem beneficiis longè ampliùs indigebit. Morietur enim, & utinam incertos mortis eventus attenderet, ac noviſſima ſua memorans, per præſentes divitias futuram miſeriam compenſaret. Eccleſiaſticus dicit: (*m*) m *Eccli*.10. Rex hodiè eſt, & cras morietur: cùm autem fueris mortuus, hæreditabit ſerpentes, beſtias, & vermes. Spiritus pertranſibit in illo, & non ſubſiſtet, & non coE gnoſcet ampliùs locum ſuum. Agnoſcat itaque locum ſuum, & officium, in quo poſuit eum Dominus; nec de theſauris Eccleſiæ, qui ſolùm debentur pauperibus, ſed de fiſcali ærario bella Domini prœlietur, neque confidat in fortitudine aut multitudine armatorum, ſed in Domino, Quia teſtimonio (*n*) Salomonis, nomen n *Prov*.15. & 18. Domini plurima fortitudo. Dominus fortitudo plebis ſuæ eſt. Quod apertiſſimè liquet in prœliis antiquorum. Quomodò enim (*o*) perſequebatur unus mille, & o *Deut*.32. duo fugabant decem millia? nonnè ideò,

quia

quia Deus vendidit eos, & Dominus con-
cluſit illos? Nec enim in gladio ſuo poſ-
ſederunt terram, & brachium eorum non
ſalvavit eos, ſed dextera tua, & brachium
tuum Domine, & illuminatio vultus tui,
quoniam complacuiſti in eis. Sibi autem
complacebit Dominus in eis, qui fideles
fuerint in teſtamento ejus. Sine fide autem
impoſſibile eſt placere Altiſſimo. Hæc eſt
enim victoria, quæ vincit mundum, fi-
des noſtra.

XV. Et quia ferè univerſos regni magnates
video in via Domini quodam tædio labo-
ris, & puſillanimitate lenteſcere: vos,
quæſo, jugi prædicationis inſtantia manus
remiſſas, & genua debilia roborate. Pla-
nè, quia eis in præcedenti peregrinatio-
ne non ſucceſſit ad votum: credunt abbre-
viatam eſſe manum Domini, & inexhau-
ſtum fontem gratiæ cæleſtis aruiſſe. Porrò
tunc in ſuperbia, & in abuſione profecti
ſunt, nec ex defectu ſuæ fidei, ſed ab even-
tu dumtaxàt divinæ diſpenſationis judi-
cium metiuntur. Fides quidem eorum
ſemel probata eſt, & inventa eſt minus
habens. Adhùc experietur eam Dominus:
nam ex eorum fide & humilitate victoriæ
calculus pendet, ac de his ſpecialiter ex-
petendus, & expectandus prœliorum
a *Jud. 20.* triumphalis eventus. Peccaverat (*a*) Tri-
bus Beniamin in uxore Levitæ, & ſe re-
liquæ Tribus inultionem ſceleris accinxe-
runt. Erat cauſa eorum juſtior, & exerci-
tus longè numeroſior atque fortior. Et
cùm eis ducem prœlii Dominus aſſignaſ-
ſet, ipſuſque nutu in prœlium deſcen-
diſſent: terribilis in conſiliis ſuper filios
hominum Deus, juſtos ab impiis, plures
à paucioribus ſuperari permiſit: & ecci-
derunt ea die viginti duo millia de Iſrael.
Iterùm ad conflictum veniunt ex præcepto
Domini, & ſuccumbunt, decemque &
octo millia de Iſrael occiſi ſunt: nimirùm,
quia de ſua fortitudine & multitudine
præſumebant, primò & ſecundò victi &
humiliati ſunt, ut per humilitatem denuò
vincerent, qui per ſuperbiam victi erant.
Fides autem eorum ex prima & ſecunda
fruſtratione non torpuit, ſed ex geminato
diſcrimine creſcens, denuò ad conflictum,
quantò humiliùs, tantò fortiùs ſe accinxit.
Tertiò autem congreſſi ſunt, & tanta ſan-
guinis effuſione purgati, ferè totam Tri-
bum Beniamin deleverunt. Scias, quòd
ſecundùm populi fidem ſecundæ peregrina-
tionis metiemur eventus. Inſtrue ergò in
fide & timore Dei populum, & populi du-
cem; & ut multa paucis includam, reve-
rendiſſime & dilectiſſime pater mi, tuæ
diſcretioni committo religioſorum quie-
tem, pacem ſimplicium, cauſam Chri-
ſti, & Eccleſiæ libertatem.] Sed redea-
mus ad Anglorum Regem, qui cùm à
Patriarchis Antiocheno & Hieroſolymi-
tano anno ſuperiori litteras accepiſſet:
ad eos hoc anno has litteras reddidit.

XVI. Regis Ang. ad Patriar. chas orien. tal. Epiſt. Venerabilibus in Chriſto patribus &
amicis H. & E. Antiochiæ & Hieruſalem
Patriarchis & R. Principi Antiochiæ, &
A univerſo populo Chriſtiano Orientalis Ec-
cleſiæ, Henricus eadem gratia Rex An-
gliæ, & Dux Northmanniæ & Aquitaniæ,
& Comes Andegaviæ ſalutem & conſola-
tionem in Chriſto.

Quoniam peccatis noſtris exigentibus
viſitavit Dominus temporibus noſtris in
virga furoris ſui iniquitates noſtras, &
terram proprio redempta ſanguine, divi-
no permiſit judicio, manibus pollui perfi-
dorum: ideò dignum eſt, ut nos, & cun-
cti, qui Chriſtianæ religionis ſunt, &
ejuſdem nominis profeſſores, ad deſolatio-
nem præfatæ terræ ſtudio pietatis conver-
B tamur, & auxilium, ac conſilium ſtudea-
mus totis viribus impertiri. Cùm igitur
veniſſet ad nos A. Dei gratia venerabilis
Valeniēſis Epiſcopus, & dolores & calami-
tates, quibus Orientalis Eccleſia premi-
tur, profuſis lacrymis, & profundis ſu-
ſpiriis indicaſſet: quantò graviora vide-
mus inſtare pericula, tantò fortiùs ac ce-
leriùs ad maturum ſubſidium compaſſio
nos accingit. Habentes itaque in eo ſpem
& fiduciam, qui in ſe ſperantes nullate-
nùs derelinquit, viriliter agite, & confor-
tetur in Domino cor, veſtrum, quoniam
illud credimus Iſaiæ (*b*) vaticinium jam b *Iſaiæ 49.*
C completum: Hieruſalem, leva in circui-
tu oculos tuos, & vide: omnes iſti con-
gregati venerunt tibi. Tunc videbis &
afflues: & mirabitur, & dilatabitur cor
tuum, quando converſa fuerit ad te mul-
titudo maris, fortitudo gentium venerit
tibi. Nunc autem Dominus, qui reſpicit
ſuper filios hominum, ut videat ſi eſt in-
telligens, aut requirens Deum, ſic Chri-
ſtianorum hactenùs ſopitos ad ſervitium
ſuum excitavit affectus, ut unuſquiſque
qui Domini eſt, gladium jam poſuerit ſu-
per femur ſuum; & beatum ſe quiſque re-
putat & fidelem, qui patrem & matrem, &
omnia relinquit, ut poſſit Chriſto, & Ter-
D ræ ſanctæ illatas injurias vindicare. Con-
ſtantes igitur eſtote, & in promptu vide-
bitis auxilium Domini vobis præparatum.
Citius enim, quàm credatis, tanta vobis
per terram, & mare in auxilium fidelis
populi ſuperveniet multitudo, quantam
nec oculus vidit, nec auris audivit, nec
in cor hominis aſcendit; quam qui-
dem Dominus ad terræ veſtræ ſubſi-
dium præparavit. Inter cæteros autem
Principes ego & filius meus, rejecta hu-
jus mundi gloria, & ſpretis voluptati-
bus univerſis; omnibuſque quæ mundi
ſunt poſtpoſitis, in propriis perſonis,
E totis viribus vos citò, auctore Domi-
no, viſitabimus. Valete.] Iſta Rex
Angliæ. At quænam iſta retardarunt,
audi.

XVII. Hoc eodem anno, cùm ad diſponandam
expeditionem in Terram ſanctam pax fa-
cta eſſet inter Regem Francorum, & An-
glorum, miſſus eſt Henricus Cardinalis
Epiſcopus Legatus à Clemente Papa in
Gallias, qui excommunicationis ſententia
Richardum Comitem perculit, cujus oc-
caſione, quæ fuerat ſancita inter Reges
pax,

A pax, turbata eſt.] Hæc Rogerius in Annalibus Angliæ anno iſto; idemque inferiùs iſta addit.
Eodem anno Fridericus Romanorum Imperator accepta Cruce de manu Henrici Albanenſis Epiſcopi Cardinalis, ſicut prudentem & circumſpectum decebat, ſatis providè ſibi & itineri ſuo neceſſaria providebat. In primis enim reconciliavit ſe Deo & ſanctæ Eccleſiæ, & Clementi Romano Pontifici, & poſteà in hac forma ſcripſit Saladino.

Friderici ad Saladinum epiſtola.

Fridericus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, & hoſtium Imperii magni-
B ficus triumphator, Saladino præſidi Sarracenorum quondam illuſtri, exemplo Pharaonis fugere Iſraelem.
Devotionis tuæ litteras multis retrò temporibus ad nos deſtinatas ſuper arduis negotiis, tibi quidem, ſi fides verbis ſuffuiſſet, profuturis (prout majeſtatis noſtræ decuit magnificentiam) ſuſcepimus, & epiſtolarum noſtrarum alloquiis magnificentiæ tuæ conſulere dignum duximus: Nunc verò quia Terram ſanctam profanaſti, cui æterni Regis imperamus imperio: in tanti ſceleris præſumptuoſam & plectibilem ac auſibilem audaciam debita ani-
C madverſione decernere, Imperialis officii ſollicitudo nos admonet. Quamobrem, niſi occupatam terram Judææ, Samariæ, & Palæſtinorum anta omnia reſtituas, adjuncta ſatisfactione ſacris conſtitutionibus pro tàm nefariis exceſſibus taxata, ne minimè legitimum videamur quærere bellum, à capite Kalendarum Novembrium, anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo centeſimo octogeſimooctavo, revoluto anni ſpacio, terminum tibi præfigimus ad experiendam belli fortunam in campo Taneos in virtute vivificæ Crucis, & in nomine veri Joſeph. Vix enim credere poſ-
D ſumus hoc te latere, quod ex ſcriptis veterum, & hiſtoriis antiquis noſtri temporis factum redolet. Numquid ſcire diſſimulas ambas Æthiopias, Mauritaniam, Perſiam, Syriam, Parthiam, ubi Marci Craſſi noſtri Dictatoris fata ſunt præmaturata, Judæam, Samariam maritimam, Arabiam, Chaldæam, ipſamquoque Ægyptum, ubi, proh dolor, civis Romanus Antonius vir inſigni virtute præditus citra nitorem temperantiæ, & ſecus quàm decebat militem, à tanto culmine rerum emiſſum, minus ſobriis Cleopatræ inſerviebat amoribus? Numquid etiam ſcire diſſimulas, Arme-
E niam, & innumerabiles alias terras noſtræ ditioni ſubjectas?

XVIII. Norunt hæc Reges, quorum cruore gladii Romani ſunt crebriùs inebriati, & tu quidem in ipſa rerum experientia, Deo auctore, intelliges, quid noſtræ victrices aquilæ, quid cohortes diverſarum nationum, quid furor Teutonicus, etiam in pace arma capeſſens, quid caput indomitum regni, quid juventus, quæ numquam fugam novit, quid procerus Bavarius, quid Suanus aſtutus, quid Francia circumſpecta, quid Anglia provida & ingenioſa, quid
A Albania, quid Cimbria, quid in gladio ludens Saxonia, quid Turingia, quid Vveſtphalia, quid agilis Brabantia, quid neſcia pacis Lotharingia, quid inquieta Burgundia, quid Alpini * ſalices, quid Friſonia in armento prævolans, quid Reemia ultrò mori gaudens, quid Boemia ſuis feris ſerior, quid Auſtria, quid Friſia, quid Rutonia, quid partes Illyricæ, quid Lombardia, quid Tuſcia, quid * Ammonitana Narſia, quid Venetus pirata, quid Piſanus nauclerus: denique quid dextera noſtra, quam ſenio arguis effœtam, quam gladios vibrare didicit dies illa plena reverentiæ & ju-
B cunditatis triumpho Chriſti præfixa te docebit.] Hucuſque apud Rogerium litteræ Imperatoris ad Saladinum, mendis quidem obſitæ. Habet eaſdem, ſed alia verſione Matthæus Paris, qui & Saladini ad Fridericum Imperatorem reſponſionem ita conſcriptam recitat:

* Salaces

*ſ. Anconitana Marcha.

XIX. Saladini ad Imp. Frid. epiſt.

Illi Regi ſincero amico, magno, excelſo Friderico Regi Alemanniæ in nomine Dei miſerentis, per gratiam Dei unius potentis, exuperantis, victoris perennis, cujus non eſt finis.
Gratias ei agimus perennes, cujus gratia eſt ſuper omnem mundum; deprecamur
C eum, ut infundat orationem ſuam ſuper prophetas ſuos, & maximè ſuper inſtructorem noſtrum, nuntium ſuum Mahumet prophetam, quem miſit pro correctione rectæ legis, quam faciet apparere ſuper cunctas leges. Notum facimus Regi ſincero, potenti, magno, amico, amicabili Regi Alemanniæ, quòd homo quidam Henricus nomine, venit ad nos, dicens, ſe eſſe Nuntium veſtrum, & detulit nobis quamdam chartam, quam eſſe dixit veſtram. Nos legi fecimus chartam, & audivimus eum viva voce loquentem, & verbis, quæ ore dixit, verbis reſpondimus, & hoc eſt reſponſum
D chartæ. Quòd computatis qui vobiſcũ concordant, veniendi ſuper nos, & nominatis, & dicitis: Rex talis terræ: & Rex alterius terræ, & Comes talis, & talis: & tales Archiepiſcopi, & Marchiones, & milites: ſed ſi nos vellemus dinumerare eos, qui ſunt in noſtro ſervitio, & qui ſunt intendentes noſtro præcepto, & prompti noſtro ſermoni, & qui dimicarent coram noſtris manibus; non poſſent in ſcriptum redigi. Et ſi Chriſtianorum computati nomina, Sarracenorum ſunt plura & abundantiora, quàm Chriſtianorum: & ſi inter vos, & eos, quos nominaſtis Chriſtianos,
E mare eſt, inter Sarracenos, qui non poſſunt æſtimari, non eſt inter eos & nos mare, vel ullum impedimentum veniendi ad nos. Et nobiſcum habentur Bedeuvini, quos ſi opponeremus inimicis noſtris, ſufficerent. Habemus & Turkemannos, quos ſi effunderemus ſuper inimicos noſtros, deſtruerent eos. Habemus ruſticos, qui dimicarent ſtrenuè, ſi juberemus, contra gentes, quæ venturæ ſunt ſuper terram noſtram, & ditarentur de eis, & exterminarent eas. Habemus Soldanos bellicoſos, per quos terram apertam habemus, & acquiſitam, &

eſpu-

Digitized by Google

expugnatos Inimicos, & ii, & omnes Reges Paganiſſimi non tardabunt, cùm eos ſubmonuerimus, & vocaverimus. Et vos cùm fueritis coogregati, ſicut charta veſtra dicit, & ducetis multitudinem veſtram, ut narrat Nuntius veſter, obviabimus vobis per potentiam Dei, & obtinebimus terras fortitudine Dei. Nam ſi veneritis, cum toto poſſe veſtro venietis, & præſentes eritis cum omni gente veſtra. Et ſcimus, quòd nullus remanebic in terra veſtra, qui ſe defendere poſſit, vel terram tueri, & quando Deus victoriam nobis ſua fortitudine donaverit, nihil ampliùs erit, quàm ut terras veſtraa liberè capiamus fortitudine ſua, & voluntate. Adunatio enim legis Chriſtianorum bis venit ſuper nos in Babylone, una vice apud Damiatam, & altera apud Alexandriam; & noſtis, qualiter Chriſtiani utraque vice redierint, & ad qualem exitum venerint. Et Deus adunavit nobis regiones affluentiùs, & adunavit eos longè latèque ſub poteſtate noſtra, Babyloniam cum pertinentiis ſuis, terram Damaſci, & Maritimam, Hieruſalem, terram Gethſuræ, & caſtella ejus, terram Roaſiæ cum pertinentiis, regionem Indiæ cum pertinentiis. Et per gratiam Dei hoc totum eſt in manibus noſtris, & reſiduum Regum Sarracenorum noſtro eſt imperio ſubiectum. Nam ſi mandaremus excellentiſſimis Regibus Sarracenorum, non retraherent ſe à nobis. Et ſi ſubmoneremus Calypham de Baldac, quē Deus ſalvet, de ſede excelſi imperii ſui exurgeret, & veniret in auxilium excellentiæ noſtræ. Et nos per virtutem Dei obtinuimus Hieruſalem, & terras ejus; & remanent adhùc in manibus Chriſtianorum tres civitates, Tyrus, Tripolis, & Antiochia: & de his non eſt aliud, niſi ut capiantur. Attamen ſi bellum vultis, & ſi Deus voluerit, ut ſit per voluntatem ſuam, & quòd totam terram Chriſtianorum acquiramus, obviabimus, ſicut ſcriptum eſt in charta veſtra. Verùm ſi nos de bono pacis requiſiveritis, mandabitis procuratoribus iſtorum trium locorum prædictorum, ut ea nobis ſine contradictione reſignent, & vobis ſanctam Crucem reddemus, & liberabimus omnes captivos Chriſtianos, qui ſunt in tota terra noſtra, & permittemus vobis ad Sepulchrum unum ſacerdotem, & reddemus Abbatias, quæ ſolebant eſſe in tempore Paganiſmi, & bonum ejus faciemus, & permittemus venire peregrinos in tota vita noſtra, & habebimus vobiſcum pacem. Charta hæc ſcripta fuit anno adventus prophetæ noſtri Mahumet quingenteſimo octuageſimoquarto, gratia Dei ſolius.] Hæc barbarus tyrannus impius, virga furoris Domini, novus Aſſur. Quæ autem hæc ſecuta ſint, dicturi ſumus inferiùs.

XX. Res Scotiæ compoſitæ per Clementem Papam.

Sed redeamus ad Clementem Papam, functiones obeuntem Apoſtolicæ Sedis. Fatigatus ipſe ſub initio Pontificatus in Scotorum Eccleſiæ plurium annorum controverſiis agitatis: finem iiſdem impoſitu-

A rus, litteras ſcripſit ad Regem Scotorum, alias ejuſdem argumenti ad Regem Angliæ, ad Clerum Epiſcopatus S. Andreæ alias, alias verò generatim ad Epiſcopos Scotiæ, ſeorsùm verò alias privatas ad quoſdam Scotorum Epiſcopos: quæ omnes extant integræ, conſervatæ à Rogerio, atque deſcriptæ in Annalibus Anglicanis, quas, vitantes faſtidium quod poſſent afferre Lectori, hic deſcribere prætermittimus, qui ſi cupit, habet quem petat auctorem. Quem autem tandem conſecuta ſit controverſia finem, ſic narrat idem Rogerius.

Joannes ſuam recepit Eccleſiam.

B His auditis, præfatus Rex Scotorum tandem ſuorum conſilio & prece victus: ſupradictum Joannem Epiſcopum in gratiam ſuam recepit, & conceſſit ipſum pacificè poſſidere Epiſcopatum Dunkeldenſem; & omnes redditus, quos ipſe ante conſecrationem ſuam habuit: ea conditione, quòd ipſe Joannes quietum clamaret à calumnia ſua Epiſcopatum S. Andreæ. Qui licèt ſupradictis litteris domini Papæ eſſet præmunitus; tamen in omnibus obedivit voluntati Regis, & quietum clamavit Epiſcopatum S. Andreæ à calumnia ſua in Dei, & Regis miſericordia: ſciens C quòd melior eſt buccella panis cum gaudio, quàm domus plena victimis cum jurgio. Hugo verò quondam dictus Epiſcopus S. Andreæ degradatus, & anathematizatus Romam venit, qui data cautione ſtandi judicio Eccleſiæ à domino Papa clementer abſolutus eſt, ſed paucis ſupervixit diebus. Nam menſe Auguſti tanta extitit aeris corruptio Romæ, & in finibus ejus, quòd multi Cardinales, & ditiores Urbis cum innumera plebis multitudine interierint, & ipſe Hugo cum tota ferè familia ſua, & Henricus Dolenſis electus cum familia ſua ibidem obierint.]

Romæ Lues.

D Hæc Rogerius, quibus vides impleta quæ prædixerat propheti ſſa. Sed videamus privilegium ab eodem Clemente Papa conceſſum Regi, Scotorumque Eccleſiæ, de quo ſcripſit ipſe eorum Regi V.villelmo; quod his verbis idem Rogerius recitat.

XXI. Clem. Pap. privilegiū conceſſum Eccl. Scotorum & Regi.

Clemens Epiſcopus ſervus ſervorum Dei chariſſimo in Chriſto filio Vvillelmo illuſtri Scotorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Cùm univerſi Chriſti jugo ſubiecti, ad Sedem Apoſtolicam patrocinium invenire debeant & favorem: illos tamen ſpecialiùs E convenit munimine protectionis confoveri, quorum fidem, ac devotionem in pluribus eſt experta, ut ad ipſius electionis favorem tantò ampliùs provocetur, & ejus reverentiæ devotiori affectione ſubdantur, quantò benevolentiæ ipſius & gratiæ pignus ſe noverint certiùs aſſecutos. Ea propter (chariſſime in Chriſto fili) reverentiam, ac devotionem, quam ad Romanam te habuiſſe à longis retrò temporibus Eccleſiam novimus, attendentes, præſentis ſcripti pagina duximus ſtatuendum, ut Scoticana Eccleſia Apoſtolicæ Sedi, cujus filia ſpecialis exiſtit, nullo mediante debeat

Digitized by Google

beat ſub iacere. In qua hæ ſedes Epiſcopales eſſe noſcuntur: Eccleſiæ videlicèt ſancti Andreæ, Glaſcuenſis, Dunkeldenſis, Dublinenſis, Brehinenſis, Aberdonenſis, Moravienſis, Roſcenſenſis, Katinenſis, & nemini liceat niſi Romano Pontifici, vel Legato ab ipſius latere deſtinato, in regnum Scotiæ interdicti, vel excommunicationis ſententiam promulgare, & ſi promulgata fuerit, decernimus non valere. Adiicimus, ut nulli de cætero, qui de regno Scotiæ non fuerit, niſi quem Apoſtolica Sedes propter hoc de corpore ſuo ſpecialiter deſtinaverit, licitum ſit in eo legationis officium exercere. Prohibemus autem, ut controverſiæ, quæ fuerint in regno illo de poſſeſſionibus ejus exortæ, ad examen extra regnum poſitorũ judicium non trahantur, niſi ad Romanam Eccleſiam fuerit appellatum. Si qua verò ſcripta contra hujus libertatis ſtatuta apparuerint impetrata, vel in poſterum, iſtius conceſſionis mentione non habita, contigerit impetrari: nullum tibi, vel ipſi regno circa hujus prærogativæ conceſſionem præjudicium generetur. Præterea, libertates, & immunitates tibi, vel eidem regno, vel Eccleſiis in eo conſtitutis, à prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus indultas, & hactenùs obſervatas, ratas habemus, & illibatas futuris temporibus ſtatuimus permanere. Nulli ergò hominum liceat paginam noſtræ conſtitutionis & prohibitionis infringere, vel ei aliquatenùs contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit: indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Laterani tertio Idus Martii, Pontificatus noſtri anno primo.] Hactenùs privilegium conceſſum à Clemente Papa Scotorum Eccleſiæ, ipſique Regi. Quòd autem eaſdem litteras Romæ datas intellexiſti: ſcias pacem initam inter Clementem Papam atque Romanos. Quibus autem conditionibus tranſegerit cum ipſis, æſtuantibus odio in Tuſculanos: audi ejuſdem temporis auctorem Rogerium iſta ſcribentem.

XXII. Pax inter Papam & Romanos damno Tuſculanorũ.

Electo & conſecrato in ſummum Pontificem Clementem domino Præneſtino Epiſcopo, videlicèt, ut moris eſt, Piſis, ubi bonæ memoriæ Gregorius Octavus migravit ad Dominum ex hac luce, miſit idem dominus Clemens ſine ulla mora Legatos ſuos ad cives Romanos, ut inter ſe & illos pax deberet firmiſſima reformari. Diſcordia ſiquidem concepta eſt occaſione Tuſculanæ civitatis, ſcilicèt propriæ domini Papæ, per decem milliaria diſtantis ab Urbe, quam Romani guerra inſatiabili, ut eam ſibi ſubiicerent, impugnabant: & etiam occaſione conflictus, qui fuerat inter Romam, & Tuſculanum, per quem plus quàm quinque millia Romanorum eodem die gladio perierunt, à tempore Alexandri Papæ, uſque tempora prædicti Clementis inter Eccleſiam duraverat & Romanos. Legati autem cùm veniſſent ad Urbem, induxerunt Romanos, ut tamquàm filii benigni ad patrem ſuum ſpiritualem corda ſua converterent, ipſumque ut pium patrem redeuntem ad eos devotiſſimè curarent recipere, ac fierent de cætero unum ſicut condecebat, quibus reſponderunt in hæc verba Romani: Hoc quia ſanctum & dignum eſt, ardenti deſiderio, etiam pluſquàm dominus, & pater noſter, ſicut veri & humiles filii (omni mora ſublatà) fieri præoptamus, ita tamen, ſi damna nobis emendare, & injuriam ſimul, & verecundiam, quam occaſione guerræ Tuſculani ſuſtinuimus olim cum patribus noſtris, & adhùc ſuſtinemus, nobiſcum pariter voluerit vindicare, & ad impugnandum Tuſculanum ſi neceſſe fuerit, milites ſuos in expenſis propriis mittere, ſi pax ad honorem Urbis per ſubiectionem, & tributum annuum in ſcriptis redactum à Tuſculano ſolvendum Urbi, non poterit inter nos reformari. Si etiam Tuſculanum ad voluntatem noſtram faciendam tradere nobis promiſerit, ſi poſt refutationem ineundæ pacis ſecundùm antedictum tenorem inter nos, & Tuſculanum, aliquo dictum poterit Tuſculanum habere his itaque & quibuſdam aliis libertatibus tandem à ſupradicto Clemente Papa Romanis conceſſis, idem Clemens acceſſit ad Urbem, de qua extiterat oriundus, &c.] Extat diploma Senatus de concordia, quam tunc cum Clemente Papa iniit, quibuſdam conditionibus ſervandis appoſitis: quod hactenùs in Vaticana bibliotheca aſſervatur in volumine Cencii Cameralis: ſic enim ſe habet.

XXIII. Senatus Romanus cum Clement. Papa concordiā iniit.

Sanctiſſimo Patri & domino Clementi Dei gratia ſummo Pontifici, & univerſali Papæ Senatus populuſque Romanus ſalutem, & fidele cum ſubiectione ſervitium.

Dignitas Senatus populique Romani in optimum ſtatum roboratur, & Reipublicæ nimiùm confert, ſi pacis concordiam inter ſacroſanctam Eccleſiam, & inclytam Urbem firmiter ſtabilitam, & ad poſterorum memoriam ſolemni ſcripturarum exaratione reducamus, ne fortè per negligentiam, vel ſocordiam inæſtimabiliter pacis veritas temporis lapſu depereat, quæ ſuæ excellentiæ prærogativa ab omnibus eſt tàm colenda, quàm perpetuis temporibus obſervanda. Per abundantiam namque pacis, auxiliante Deo Patre, creſcit defenſio, & Romanæ Eccleſiæ atque Urbis egregiæ dignitas conſervatur illæſa. Hìc agrorum fertilitas procreatur, quæ in uſum humanæ vitæ multiplici commoditate porrigitur, per quam equidem nobis, & vobis, cæteriſque illam conſervantibus utilitates, & lucra generantur quamplurima, & hoſtibus noſtris, veſtriſque malè merentibus digna præparantur exitia. Proinde piiſſimè in Chriſto Pater & domine, tenores ejuſdem pacis ad perennem rei memoriam per præſentem Senatoriæ dignitatis paginam de certo ampliſſimi ordinis ſacri Senatus, & aliorum quamplurimorum, tàm ſapientum, quàm multorum

pru-

prudentium virorum conſulto duximus roborandam, & vobiſcum taliter componendam, videlicèt: Ad præſens reddimus vobis Senatum, & Urbem, & monetam; tamen de moneta habebimus tertiam partem, ſicut inſcriiis continetur. Item Eccleſiam beati Petri abſolutam reddimus, & Epiſcopatus, & alias Eccleſias obligatas pro guerra reddimus abſolutas, hoc modo quòd de illa tertia parte monetæ, quam Senatus habebit, ſingulis annis exoneretur, donec tota pecunia, pro qua obligata ſunt, ſolvatur, & ſicut ſors minuetur, ita minuantur uſuræ pro rata parte.

XXIV. Reddimus omnia regalia, tàm intra, quàm extrà Urbem, quæ tenemus, præter pontem Lucanum, quem tamen, non refutatis his quæ alii tenent, non faciemus vobis contrarium. De Capitaneis ſimiliter, ſalvo quod es eis infra ſcriptum eſt, defendemus omnes dignitates, & honores Urbis, ad opus, & utilitatem veſtram, & Romanæ Eccleſiæ; & tàm nos Senatores, quàm alii Senatores, qui erunt per tempora ſingulis annis, jurabimus fidelitatem & pacem vobis & ſucceſſoribus veſtris, ſicut conſuetum eſt, & faciemus, quòd omnes perdentes, ſuſceptis emendationibus, ſicut concordatum fuerit, faciant inde refutationem per publicum inſtrumentum vobis, ſucceſſoribuſque veſtris, & Romanæ Eccleſiæ. Et quocumque modo Tuſculanum dirui contigerit: nihilominùs omnes poſſeſſiones, & tenimenta ejus intus, & extra cùm omnibus bonis & rebus eorum ſint in jure & poteſtate Romanæ Eccleſiæ. Vos autem dabitis Senatoribus, qui erunt per tempora, beneficia, & presbyteria conſueta. Item Judicibus, Advocatis, & Scriniariis à Romano Pontifice ordinatis, & officialibus Senatus presbyteria conſueta dabitis. De perdentibus autem res eis ablatas per * maſnadam Romani Pontificis, & foriſfactores, & Tuſculanenſes per guerram, ſicut promiſſum eſt à vobis, per concordiam emendabitis, ſalvis exceptionibus à vobis factis, quibus dependentibus, obſervabitis conventiones à vobis factas, ſicut cum eis convenitis, & dependentes obſervabunt vobis conventiones ab ipſis factas ſicut vobiſcum convenerunt, & dabitis ſingulis annis pro reſtauratione murorum hujus excellentiſſimæ Urbis C. libras bonorum provenientium de Tuſculano. Sic fiet, quocumque modo ad manus noſtras devenerit, infra dimidium annum omnes muros & carbonaria civitatis, & Roccæ Tuſculani, & ſuburbiorum dabitis nobis ad diruendum, quos & quæ numquam reficietis, nec refici facietis in vita veſtra, retentis & ſalvis tàm vobis, quàm ſucceſſoribus veſtris, & Romanæ Eccleſiæ omnibus poſſeſſionibus, tenimentis, & pertinentiis ejuſdem Tuſculani intus & extra, cum hominibus, rebuſque eorum. Quòd ſi hinc uſque ad Kalendas Januarii dictum Tuſculanum ad manus noſtras non venerit, tunc excommunicabitis Tuſculanos, & per fideles veſtros de Campania, & de Romania cogetis eos perficere de Tuſculano, quod dictum eſt ſuprà, cum adjutorio noſtro.

Pacta conventa contra Tuſculanos.

Propter hoc autem nos Senatores pacem & ſecuritatem vobis, & Epiſcopis, & Cardinalibus, totique Curiæ veſtræ, & euntibus ad Curiam, & moram facientibus, & redeuntibus jurabimus, ſalvis juſtitiis Romanorum, quas petent bona fide, ſine malitia: & inſuper vos eligetis per ſingulas contradas univerſarum regionum Urbis decem viros ſine malitia, de quibus nos Senatores faciemus vobis jurare, veſtriſque hanc pacem cum beneficiis, quæ à Romana Curia habere conſueverunt. Et ſi plures hanc pacem jurare voluerint, nos Senatores permittemus. Si ad defenſionem patrimonii beati Petri Romanos vocaveritis; ipſi ibunt cum expenſis, quas prædeceſſores eorum à Romana Curia habere conſueverunt. De Capitaneis ſit ſalvum Urbi, & Populo Romano, quidquid ab eis conventum eſt, & permiſſum Romæ per ſcriptum, & juramenta, ac * plerarias, & * ſtararias, ac præcones, ſalva proprietate Romanæ Eccleſiæ, quam de Præneſtina civitate habet, & ſalvo hominio Capitaneorum, quod debent vobis & Romanæ Eccleſiæ. Tibur non recipietis ad detrimentum & damnum Urbis; ſed ſi Tiburtinos impugnare voluerimus, non facietis nobis contrarium. Monetam facietis fieri intra Urbem ubi vobis placuerit, de qua tertiam partem dabitis Senatoribus per tempora. Si nos præcepto veſtro guerram alicui fecerimus, & propter hoc nobis aliquis contrarium fecerit: juvabitis nos inde, atque defendetis, cum adjutorio noſtro. Omnia ſupradicta vos, & univerſi Epiſcopi, & Cardinales Romanæ Eccleſiæ pro vobis, & ſucceſſoribus veſtris promittetis obſervare Senatui, populoque Romano in perpetuum. Et nos Senatores, & univerſus populus Romanus promittemus pro nobis & ſucceſſoribus noſtris omnia iſta obſervare vobis & toti Curiæ; ſucceſſoribuſque veſtris in perpetuum. Hæc omnia bona fide, & ſine fraude ab utraque parte obſerventur.

XXVI. Ut autem compoſitio iſta perpetuis temporibus illibata conſiſtat, eam decreto Senatus confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Auctoritate itaque omnipotentis Dei, & magnificentiſſimi ordinis Senatus edicto firmiter præcipimus, ut nullus noſter concivis, amicus, vel fidelis, contra hæc, quæ per ſcripta firmiter ſtabilita ſunt, aliquo modo venire præſumat, ſi amorem, & bonam noſtram voluntatem habere deſiderat: alioquin iram ampliſſimi ſenatorii & metuendi populi Romani graviſſimè incurrat & odium. Actum XLIV. Anno Senatus, Indictione VI. Menſe Maii, die ultima.] Hæc pacta inita, quæ poſteà abrogata fuere. Quomodò autem ſecuta ſit de-

XXV.

ſit deſolatio Tuſculanæ civitatis, dicturi ſumus inferiùs ſuo loco.

XXVII. Hoc eodem tempore Gaufredus monachus ſnacti Bernardi rogatus ab Epiſcopo Cardinali Albanenſi, ut res geſtas in Gallia in cauſa Giliberti Porretani coram Eugenio Papa ſcriberet; copioſiſſimè ſatisfecit. Scriptam enim ab eo de his epiſtolam recitavimua ſuperiùs, nbi contigit de eadem controverſia haberi ſermonem. Poſt hæc idem Gaufredus eumdem Cardinalem reddidit certiorem de ventilata nuper in Galliis quæſtione, aſſerentibus aliis, in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio aquam vino mixtam mutari in Chriſti ſanguinem, aliis verò negantibus. Quod enim utriuſque partia increbreſcentibus ſtudiis, periculoſum eſſe poſset, ne (ut ſoleat accidere) in his obſtinatio pareret hæreſim: de his conſulendam Apoſtolicā Sedem more majorum Gaufredus exiſtimavit, hanc ad eumdem Cardinalem ſcribens epiſtolam.

Novæ Hereſi occurrit Gaufredus Monachus Ciſt.

XXVIII. Amantiſſimo domino & patri A. Dei gratia Albanenſi Epiſcopo & domini Papæ Vicario, Frater Gaufredus de Claravalle minimus, id quod eſt.

Conſulitur Apoſt. Sedes de orta controverſia.

Quia ſemel cœpi, loquar ad doninum meum ſuper verbo etiam altero, cùm vobis opportunum fuerit, veſtrum deſiderans obtinere reſponſum. Ad partes enim Galliæ, ſient noſtis, hoc anno cum veſtra benedictione reverſus, novam, & mihi hactenùs inauditam ventilari inter aliquos reperi quæſtionē de ſubſtantia aquæ, quæ vino mixta in calice ſimiliter offertur, & an & ipſa ſimiliter eum eodem vino in ſanguinem Domini convertatur. Nec mediocris eſt inter modernos Theologos ſuper eadem quæſtione diſſenſio, negantibus aliis, aliis affirmantibus, totius liquoris mixti, ſicut panis, qni ex ſimila & aqua ſimiliter conficitur, unam fieri tranſubſtantiationem. Et affirmantiſi quædam aſſertio eſt, nullatenùs eſſe credendum, quòd in calice Domini purum fuerit vinum, præſertim cùm in regione illa ſic habeatur in uſu commixtio aqnæ, ut de (a) Sapientia quoque legatur, qnia miſcuit vinum: nec niſi mixtum in illis maximè regionibus facilè ſoleat propinari. Ajunt etiam, quòd dum ſubſtantia aquæ, quæ ad conficiendum panem miſcetur ſimilæ, poſt conſecrationem aqua non maneat; incongruum fore videtur, ut mixta vino ſimiliter in conſecratione non mutetur. Poſtremò, cùm elementa quatuor, ignis, aeris, aquæ, & terræ ſupernua artifex ſic conjunxerit, ut non tàm elementa ſimplicia, quod ex eis elementara ſunt quæ videntur, ſi ab illa mutatione excipere ceperit alins ignem, alius aerem, alius terram, ſicut iſti aquam excipiunt: non mediocris inde confuſio conſequetur. Igitur circa hoc & hujuſmodi affirmantium converſionem totius mixti liqnoris, qui in calice continetur, in ſanguinem Domini, ratiocinatio ſtudioſa verſatur. Auctoritates etiam quaſdam protulere, quas præſentis ſcripturæ conſummationi duximns reſervandas. Nam qui eis ſuper hoc adverſantur, ex nullis antiquorum, ſive etiam modernorum ſcriptis tàm evidentia teſtimonia protulere ſuæ aſſertionis: cæterum innituntur potiſſimùm uni verbo, quod principales Sancti in duabus ſpeciebus panis, & vini, conſecrationem perfici perhibentes, nullam in verbo illo alicujus diverſæ ſpeciei, nullam aquæ fecerint mentionem. Ad quod reſpondetur eis, quòd non conſnevere homines mixturam vini & aquæ, nec ſi quantiras aquæ prævaleat, aquam nuncupare, ſed vinum. Præterea calicem Dominus legitur accepiſſe, non vinum, quamvis continens Evangeliſta poſuerit pro contento. Sacerdos quoque cùm Miſſam celebrat, quid dicere ſoleat attendendum: Similiter poſtquàm cœnatum eſt, accipiens & hunc ſacroſanctum calicem (in quo videlicèt continetur vinum mixtum aqna) benedixit, & dedit Diſcipulis ſuis, dicens: Accipite, & bibite ex hoc omnes: hic eſt ſanguis meus, &c.

a Prov. 9.

XXIX. Dicunt aliqui, qni ſub magiſtro Petro Lombardo, dnm adviveret, ſtuduere, quòd nnmqnam eos docuerit aqnæ mutationem: Sed qnod eam negaverit, neminem audio profitentem. Nam & in libro Sententiarum ejus ſuper eodem ſacramento auctoritates plurimæ continentur, quarum aliquas, ajunt illi, prò parte ſua: ſed nec ſoluta, nec ſaltem propoſita in ejus codice eadem quæſtio reperitur. Opponunt iidem auctoritates, in quibus nihil legitur de mutatione aquæ in ſanguinem, & huic verbo potiſſimùm inniiuntur, quoniam per Apoſtolos, ad ſignificandam plebem uniendam Chriſto, miſceri juſſa eſt aqua vino. Et reſpondetur eis, quòd auctores, qui non aſtruunt commutationem, non tamen negant, & proferunt teſtimonia de Scripturis, in quibus & iidem ipſi, ſive alibi reticent, ſive etiam alibi vini mixti mutstionem evidentiùs aſſeverant. Cyprianus (b) martyr: Calix Domini non eſt aqua ſolùm, vel vinum ſolùm, niſi utrumque miſceatur; ſicut nec corpus Domini poteſt eſſe farina ſola, vel aqua ſola, niſi utrumqne fuerit adunatum, & panis unius compage ſolidatum. Idem (c) Cyprianus: Si quis de anteceſſoribus noſtris, vel ignoranter, vel ſimpliciter non hoc ſervavit, qnod Dominus noſter facere exemplo & magiſterio docuit: poteſt ſimplicitati ejus, indulgentia Domini, venia concedi, non poteſt verò nobis ignoſci, qni non à domino inſtructi ſumus, ut calicem Domini cum vino mixtum, ſecundùm quod Dominns obtulit, offeramus. Hieronymus (d) in Marcum: Format ſanguinem ſuum in calice, vino & aqua mixtis, nt alio purgemur à vitiis, & à culpis alio redimamur & pœnis. Ambroſius (e) in libro de ſacramentis: Sermone Chriſti hoc conficitur ſacramentum, quia ſermo Chriſti creaturam mutat, & ſic ex pane fit corpus Chriſti, & vi-

Petrus Lombard. jam defunctus oſtenditur.

b Cypr. ep. 63.

c Ibid.

d Hieron. in Mar. c. 14

e Ambr. l. 4. de ſacr. c. 4 & 5.

Digitized by Google

& vinum cum aqua in calice mixtum fit ſanguis conſecratione verbi cœleſtis. Auguſtinus (*a*) de baptiſmo: Unde & aqua mittitur in calicem, fit ſanguis conſecratione verbi cœleſtis. Paſchaſius: (*b*) Aqua conſecratur, non quòd aqua permaneat, ſed vertitur in ſanguinem. Hildebertus (*c*) Cenomanenſis: Aqua in ſanguinem vertitur, ut populus, qui per aquam figuratur, in melius ſe mutatum intelligat. Algerus: (*d*) Sed licèt in menſa Domini tria conſtituantur munera, ſunt tamen duo; per quam ſacrificatur, eſt aqua mixta priùs vino; ſed quando ſacratur, non niſi ſanguis erit, quo anima intùs alatur. Cæterùm pars adverſa auctoritates priores utcumque permittit, dicens vinum, quod aqua mixtum eſt, ſed non proptereà aquam mutari. Teſtimonium verò Paſchaſij quod evidens eſt, eadem pars contemnit, licèt magnum ipſius beatus Papa Gregorius in libro (*e*) Dialogorum perhibeat teſtimonium ſanctitati. Sicut Hildebertum ajunt verſificatorem fuiſſe, non Eccleſiaſticorum dogmatum aſſertorem; de Algero dictum: Neſcimus hominem; ipſius tamen nullum adhùc comperi librum, & Sancti, vel cujuſcumque doctoris auctoritatem ſimiliter ſuffragari. Ac proinde placeat veſtræ dignationi, cum dominis noſtris fratribus veſtris ſuper hoc verbo, cùm opportunum tempus affuerit, diligenti collatione tractare; ut auctoritas S. R. E. definiat, quid ſuper hoc credi debeat, vel doceri.] Hæc Gaufredus. Quid autem reſcripſerit ad petitam conſultationem Cardinalis Epiſcopus Albanenſis, non invenimus: ſed aliud reſcribere non potuiſſe, certum eſt, quàm quod credidit, & cuſtodivit ſemper S. R. E. nimirùm, aquam ſimul & vinum tranſubſtantiari in ſanguinem Chriſti.

a Bibl. ſanct. to. 6.
b Paſchaſ. lib. de corp. & ſangu. Domini in Bibl. ſanct. Patr. to. 6.
c Hildeb.
d Algerus
e Greg. l. 4. dial. c. 40.

XXX. Athanaſio ſubrogatur Leontius in Sede Hieroſolymi.

Intereà Hieroſolymis vita fungitur qui nationis Græcorum illic præerat Patriarcha Athanaſius, & arbitrio Græcorum Imperatoris ſubrogatur Leontius. Reperimus autem Athanaſii hujus ſcriptorum monimentum, nempè litteras ad Georgium Corcyræ Epiſcopum redditas, cùm primùm has ad eum ipſe Georgius litteras dediſſet: quas ambas continet codex Morianus citatus ſæpè ſuperiùs.

Georgius Metropolita Corcyræ ad ſanctiſſimum Patriarcham dominum Athanaſium Hieroſolymorum.

Hieruſalem, Hieruſalem! numquam auſim equidem tibi dicere, quæ occidis Prophetas, & quæ lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt; hoc enim dicere, ſolius erat Dominicæ (*f*) illius vocis, & divina proferentis eloquia. Dicam igitur, quoties volui colligere meipſum, & omnium quæ hìc apud nos ſunt oblitus, recurrere ad ſanctiſſimum iſtum verticem tuum, & celſitudinem tuam, ut viderem & ſcrutarer ea, quæ in te ſunt mirabilia? cùm multa certè illa ſint, & terribilia; & ut convenirem Patriarcham tuum, virum videli-

f Matt. 23.

A cèt virtute inacceſſibilem, & incomparabilem, & qui immortalis memoriæ jam benè refert præmia. Sæpè id certè facere volui, & magno deſiderio flagravi, & quaſi ignis quidam divini amoris in corde accenſus eſt meo: repulſus ſum tamen ab operis exequutione: voluntas enim & impetus vehemens deſiderii mei ad alia longè converſus eſt. Ecce enim vincula quædam immobilitatis (ut ita dicam) pedes meos in cubili quaſi clavis quibuſdam confixerunt, nec valeo aliquo pacto morbi improbitatem & malitiam ſuperare, niſi tuarum precum & benedictionum vir-
B tus immenſa & inſuperabilis mihi opem ferat, ò vir diviniſſime, & ſolutis carnis meæ vinculis, rectum me ſtatuat. Et quemadmodùm Princeps Apoſtolorum claudum illum ad Specioſam portam; ita etiam tu Corcyræ Metropolitam tuum, capta ejus manu, tecum illum venire facias cum confeſſione laudis & exultationis in ſanctam Sion, quæ cœlum imitatur, & eſt ejus imago quædam. Hæc ſingulis diebus vitæ meæ Deum oro, & deprecor, quinimmò bona etiam teneor ſpe, me non omninò caſurum ab eo, quod animo cupio. Toto autem corde, & toto ore au-
C res audientium impleo gratiarum actionibus pro ſanctitate tua, quòd nos tuis adorandis litteris honoras, & quæſtiunculis quibuſdam perfectam nobis reddis conſolationem. Præcurrit autem mihi veritatem quam dico, ſuavis ille odor olei nardini, quod à te mihi miſſum eſt, licèt illud integrum non acceperim, ſed paucas quaſdam guttas, quæ ab eo, qui illud nobis attulit, ſervatæ ſunt. Litteræ verò tuæ (bone Deus) ut pulchræ, & jucundæ, ut benedictionibus plenæ? Sanctificant enim me, dum videam illas tantùm, dum tangam; & dum applicantur,
D gravem dolorem ſecti pedis mei minuunt. Vivat itaque celſitudo divinæ virtutis tuæ ad multos annos, humilibus quidem te humilians, & dolorem omnem auferens eorum, qui in hujus vitæ rerum vanitate affixi ſunt, & à vera lætitia procul abſunt. Vera autem lætitia illa eſt, ambulare ſcilicèt in via divinarum juſtificationum, & vivere juxta Evangelica præcepta: quorum tu optimus operarius, lucens in mundo inſtar luminaris, quod mundum univerſum illuminat ab extremis partibus uſque ad extremas.] Hactenùs ad Patriarcham Græcorum Athanaſium Georgius,
E ad quem ille iſta reſcripſit.

Reſponſio domini Athanaſij Patriarchę Hieroſolymorum ad Georgium Metropolitam Corcyræ.

XXXI. Athanaſ. Gręcorum Patriarch. Hieroſol. Epiſt.

Hieruſalem, Hieruſalem! utar etiam ego (diviniſſimum mihi caput) eodem proœmio, quo uſus es tu in pulcherrima epiſtola tua; licèt non eodem argumento. Hieruſalem igitur, Hieruſalem fuit quidem aliquando ædificata ut civitas, cujus participatio in id ipſum: nunc verò, juxta beatum Eſajam, (*g*) deſerta, & everſa à populis alienigenis, ut civitas jam depopulata,

g Iſai. 1.

pulata,

Digitized by Google

pulata, ut tabernaculum in vinea, ut pomorum cuſtodia, & in parvis reliquiis habitatorum, in ſalò ſita, & quotidiè undis agitata, & jactata tempeſtatibus frequentibus, agitationibus, & fluctibus malorum. O innumerabilia peccata mea! ò divinum, & juſtum judicium. A quo coſtitutus ſum ego indignus deplorator hujus throni, qui mihi ſorte datus eſt, ut initium faciam lamentationum erga te, dilectum mihi caput; nihilominùs venerandæ litteræ tuæ, reverendiſſime domine mi, in memoriam revocant miſerias quæ nos angunt, tùm ab impiis hominibus, tùm ab irreligioſis, dum utrique contendunt hanc infeliciſſimam Sion ſedem occupare, qualiſcumque ea ſit, non tamen propter ipſam Sion, ſed propter lucrum & proventus. At utinam pereat hujuſmodi avaritia & lucri cupiditas, & primus ejus inventor & auctor. Et hæc quidem dicta nobis ſint, quaſi memoriale quoddam compaſſionis, & commiſerationis, pro ea qua nos provocas commemoratione tuarum miſeriarum, quibus tua affligitur fraternitas. Tu verò, homo Dei, & meæ exiguitatis indefeſſus laudator, & multarum (ut ita dicam) artis laudandi

A ſcilicèt, legum transgreſſor, præ nimia & vehementi erga nos dilectione, certo ſcias, quòd pro ſola bona animi tui propenſione retributiones magnæ apud divinam benignitatem tibi ſunt repoſitæ. Confide itaque, venerandum mihi caput, quòd tibi, ac ſi veniſſes ad hæc noſtra ſancta loca, & orationes, & preces Domino fudiſſes in tabernaculis Domus Dei in medio Hieruſalem, ita computabitur ab eo, qui corda & renes ſcrutatur ſummè bonus Judex. Tantùm ferenda fer, & gratias agendo gratias age, & jam audi divinas voces, quæ tibi pollicentur, quæ dico
B in fide & charitate. Benedicat (*a*) tibi Deus, qui fecit cœlum, & terram. (*b*) Benediximus etiam vobis nos è domo Domini, è ſancto ſcilicet Sepulchro, quod Deum continuit, cujus divino lumine illuminamur omnes, & mente, & animo, & corde, miſerationibus, & gratia deitatis individuæ & inconfuſæ, licèt in tribus, conſtet luminibus. Saluto te, & amplector te, juxta divum (*c*) Paulum in oſculo ſancto. Et gratia Domini noſtri JESU Chriſti ſit ſemper tecum. Amen.] Hactenùs Athanaſii litteræ, poſtremæ
C Græcorum ejus ſedis lamentationes.

a *Pſ.* 133.
b *Pſ.* 117.
c *Rom.* 16.

JESU CHRISTI ANNUS 1189. | CLEMENTIS PAP.III. ANNUS 2. | FRIDERICI IMP. 35. ISAACII ANG. IMP. 4.

I. *Legatio à Clem. Pap. ad Conciliandos Reges.*

SEquitur annus milleſimus centeſimus octogeſimus nonus, Indictione ſeptima, quo Clemens Papam Joannem Anagninum Cardinalem miſit in Gallias, ad pacem conciliandam inter Regem Francorum & Regem Anglorum, ut ad expeditionem in Terram ſanctam utrumq; perurgeret: mutuo enim inter ſe ipſos tanti Reges in diſpendium totius Chriſtianæ
D religionis bella gerebant. Quid autem per eumdem Legatum à latere miſſum actum ſit, Rogerius hæc oculis ſpectans ſic narrat: Venit ergò Joannes Anagninus Cardinalis ad prædictos Reges ex parte domini Papæ, & illos nunc blandis, nunc aſperis ad pacem faciendam exhortatus eſt. Ad cujus inſtantiam præfati Reges, divina inſpirante gratia, cautionem dederunt ſtandi judicio illius, & Rhemenſis, & Bituricenſis, & Rothomagenſis, & Cantuarienſis Archiepiſcoporum; & ſtatuerunt ſibi diem colloquii juxta Feritatem Bernardi (*ita locus nominatus*) in
E octavis Pentecoſtes. Et prædictus Cardinalis, & prædicti quatuor Archiepiſcopi ſtatim protulerunt ſententiam excommunicationis in omnes tàm clericos, quàm laicos, per quos ſtaret, quò minùs pax fieret inter prædictos Reges, exceptis perſonis eorumdem Regum tantummodò.

II. *Colloquiū inter Reges.*

Adveniente igitur die colloquii, Rex Franciæ, & Rex Angliæ, & Comes Richardus, & Joannes Anagninus Cardinalis, & præfati quatuor Archiepiſcopi electi, & Comites, & Barones utriuſque regni convenerunt juxta Feritatē Bernardi ad colloquium. In quo colloquio Rex Franciæ petiit à Rege Angliæ Aleſiam ſororem ſuam donari in uxorem Richardo Comiti Pictaviæ, & ut fidelitates terrarum ſuarum eidem Richardo fierent, & ut Joannes frater ſuus accepta cruce Hieroſolymam iret. Cui Rex Angliæ reſpondit, hæc ſe numquam eſſe facturum: & obtulit Regi Franciæ, quòd ſi ipſe conſentire vellet, daret Joanni filio ſuo præfatam Aleſiam cum omnibus ſupradictis pleniùs & perfectiùs quàm petebat. Sed Rex Franciæ hoc concedere noluit, & ſic finito colloquio, diſcordes ab invicem receſſerunt.

Reſilit Rex Frāc. & legatum minantem urget.

Joannes verò Anagninus Cardinalis aſſerebat, quòd niſi Rex Franciæ ad plenum componeret cum Rege Angliæ, totam terram ſuam ſub interdicto poneret. Cui Rex Franciæ reſpondit, quod ſententiam ſuam non timeret, nec teneret, cùm nulla æquitate niteretur. Dicebat enim, quòd non pertinet ad Eccleſiam Romanam, in regnum Franciæ per ſententiam, vel alio modo animadvertere, ſi Rex Franciæ in homines ſuos demeritos, & regno rebelles, cauſa injurias ſuas, & coronæ dedecus ulciſcendi inſurgit. Adjecit etiam, quòd prænominatus Cardinalis jam ſterlingos Regis Angliæ olfecerat. Et ſic finito colloquio, Rex Franciæ indè recedens, cepit Feritatem Bernardi, deinde Montem fortem, &c.] Sed tandem armis Regis Francorum perſtrictus Anglorum Rex, invitus licèt, conditiones, quas

Digitized by Google

A præſcripſit illi Rex Francorum, accepit. Quænam fuerint illæ, Rogerius enumerat, ſed pax illa tenuit, vivente ipſo Henrico Angliæ Rega.

III.
Obitus Henrici II. & ſucceſſio Richardi Reg. Angl.

Paulò pòſt autem ipſe Henricus Anglorum Rex in octavis, (ut idem ait Rogerius) Apoſtolorum Petri, & Pauli ex hac vita deceſſit pœnitens, Chriſtiano more confeſſione peccatorum facta, & ſacratiſſima Euchariſtia accepta, ſepultuſque in monaſterio Fontis Ebrardi; in cujus locum major natu filius Richardus ſucceſſit, conſecratus tertio Nonas Septembris, qui adversùs Francorum Regem exercitum movit. Quæ autem memoria digna tunc B interceſſerint inter ipſum Richardum Regem, atque S. Hugonem Lincolnienſem Epiſcopum, his ejus regni primordiis, narratur in rebus geſtis (a) ejuſdem Epiſcopi, deſcripta ab ejuſdem temporis auctore; ſic enim ſe habent:

a Apud Surd. to. 6. die 17. Novembris.

Juſte digneque reſtitit novo Regi S. Hugo.

Cùm aliquando idem Rex contra Regē Franciæ extra fines regni ſui acriter dimicaret, & militi pecuniam multam erogaſſet; Archiepiſcopum in patriam remiſit cum mandato, ut Epiſcopis, & Prælatis in unum convocatis indicaret, ſe pecunia habere opus, cupereque ab illis adjuvari. C Sed vir ſanctus accuratiùs rem ipſam examinans, cùm repeririſſet paupereulam plebem hac ratione gravari, reſpondit: Etiam ſi omnes Regi conſenſeritis, at ego tamen nequaquàm illi conſentiam. Unus etiam ex Epiſcopis, auditis rationibus, quas beatus Hugo copiosè contra illam exactionem afferebat, ei adhæſit. Graviter hoc Archiepiſcopus accepit, & gradu concito ad Regem abiit, multa ei de ſancto Epiſcopo conqueſturus. Audiens Rex, ſolùm Lincolnienſem ſuum retardaſſe conatum, & alium etiam Epiſcopum in ſuam ſententiam pertranſiſſe; præ ira D inſaniens, cuidam amico ſuo dixit: Sicut tu meam diligis ſalutem, ita ego tibi præcipio, ut Hugonem cum adhærente ei Epiſcopo penitùs extirpare feſtines. Ejectus eſt ergò alter ille, & omnia quæ poſſidebat, Fiſco Regis addicta ſunt, ipſo per aliquot dies à ſede propria, & regno exulante. Et certè vix tandem amicorum adjutus auxilio, ad pedes Regis pervenit, clementiam cum lacrymis implorans, promittenſq; ſe deinceps Regi numquàm contradicturum.

IV.
b Prov. 28.

Sed juſtus (b) tamquàm leo confidens, E abſque terrore erit: utpotè qui in deſerto Carthuſianæ celſitudinis non viſus eſt mollibus veſtiri, nec quaſi arundo vento mundani terroris aut favoris agitari. Reverà non eſt inventus ſimilis illi, qui conſervaret legem Excelſi. Appropinquantes enim milites, ut Lincolnienſem Epiſcopum eadem ratione vexarent: non refugam mercenarium, ſed ſtrenuum paſtorem

S. Hugonem timēt milites Reg Angl.

repererunt. Nam antequàm manum ad prædandum extendiſſent, juſſit omnes in vicinis parochiis, pulſatis campanis, excommunicatos denuntiari. Videntes ergò illi, ſolita magnanimitate virum ſanctum ſtare pro ovibus ſuis; nutu divino territi diſceſſerunt inanes. Valdè enim timebant, ne in ſatanæ poteſtatem traderentur, morteque reproba à diabolo præfocati perirent, ſicut pluribus jam evenerat, quos ſanctus Epiſcopus percuſſerat anathemate.

Verùm perpendens vir Dei, iniquè delatum ſe eſſe apud Regem, metuenſque ne ea cauſa gregi ſuo pejora accidérent: animam ſuam poſuit in manibus ſuis, celeriterque adivit Regem in longinquis tùm conſtitutum. Cùm autem regiæ appropinquaſſet aulæ, quidam boni viri occurrerunt ei, rogantes, ut quamprimùm ſeſe ſubduceret, nec vultui Regis ſe præſentaret, verentes, ne ſicut in diebus ſancti Thomæ, ultio divina in totum regnum ſe effunderet, ſi tantus vir abſque cauſa trucidaretur. Sed penitùs non acquievit, quinimmò uni ex illis viro bono, ſingularique amico, qui ſe ſequeſtrum idoneum fore ſpopondit, ſi vel parùm expectare dignaretur, ſic fertur reſpondiſſe: Itane mihi paream, ut te, hæredeſque tuos in diſcrimen conjiciam? Et quid tàm gratum atque optatum æmulis noſtris eſſe poterit, quàm ut te quoque diſſentientem aſſerant, ſi pro me locutus fueris? Quo dicto, ſtatim in aulam ingreditur. Cùmque comperiſſet Regam in ſacello Miſſam audire, protinùs pergit illùc, rectaque ad Regem ſe conferens, propiùſque ad eum accedens, conſtanter ei dicit: Da mihi oſculum. Cui Rex: Non meruiſti, inquit. At ille: Immò verò merui, ait: nam via longa veni ad te. Oſculum mihi debes, & fortiter trahens eum per chlamydem, debitum extorſit. Subridens Rex inclinavit ſe & oſculo eum impartiit. Cùmque omnes Epiſcopi, cæterique circumſtantes Hugonem de Rege triumphantem cernerent, præ ſtupore non erat ultrà in eis ſpiritus. Videns denique Rex conſtantiam viri, & quòd ſpreto loco Epiſcopis aſſignato, juxta altare humiliter ſe ſubmiſiſſet, ut Immortalem Regem liberiùs adoraret; tùm etiam quòd minas, univerſaque pericula pro nihilo duceret; eum ex animo venerari cœpit. Pacis etiam ſymbolum ſibi oblatum, primùm Lincolnienſi Epiſcopo perferri juſſit. Propter hunc honorem ſancto viro delatum, Dominus ei inſignem victoriam paulò pòſt meritis ejus creditur contuliſſe.

V.

S Hugo extorquet pacem ab invito Rege.

E Finita verò Miſſa, Hugo retro altare duxit Regem, ut eum majore libertate reprehenderet. Cùmque ſederent pariter, his blandimentis eum aggreſſus eſt: Dic, quomodò ſe habeat conſcientia tua. Parochiæ noſtræ es, & tremendo Judici pro te rationem reddituri ſumus. Cui Rex: Satis aio, benè mihi conſcius ſum, niſi quòd invidia quotidiè torqueor contra hoſtes regni mei. At Hugo rurſùm eum objurgatione: Et quid eſt, inquit, quod audio: An non quotidiè pauperes opprimis, innocentes affligis, exactiones graves imponere non formidas? Inſuper & fidem

VI.
S. Hugo compellat Regem.

thori re

thori te violaſſe fama clamitat? Num
iſthæc parva tibi videntur? Ad hanc vo-
cem Epiſcopi, immò Spiritus Dei, qui
loquebatur in eo, territus eſt Rex in tan-
tum, ut nec ſemel mutire auſus fuerit con-
tra eum. Cùmque de his & aliis multis
prolixè objurgaſſet eum; de quibuſdam
humiliter ille ſe excuſavit: de aliis veniam
poſtulans, emendationem promiſit. Red-
dente etiam Epiſcopo legitimam ratio-
nem coram Rege, & omni frequentia, quòd
eùm paſtor eſſet, in gravamen ovium ſua-
rum conſentire nentiquam debuerit: Rex
libenter accepit, ſimul Deo gratias agens,
ſi ab ulteriori reprehenſione ceſſaret. Tan-
dem vir Dei Regi valedixit, & imper-
territus ad propria remeare cœpit. Eo
autem abeunte, Rea convertens ſe ad ſuos:
Si omnes, inquit, Epiſcopi tales eſſent;
nihil adverſùm eos poſſent ſive Reges, ſi-
ve Principes. Dictus eſt propterea vir
ſanctus, Regum Malleus, quòd perpetuò
de ipſis triumpharet.
VII. Fuit verò non minus zeloſus contra
quoslibet alios pauperum oppreſſores, Ec-
cleſiaſticæque libertatis violatores, quos
indiſcriminatim abſque ulla perſonarum
acceptione arguebat, admonebat; & ſi
contumaces perſiſterent, etiam excommu-
nicationis ſententia feriebat.] Hacte-
nùs res ſancti Hugonis Epiſcopi pro de-
bito Epiſcopalis officii, relinquentis po-
ſteris imitandum dignum virtutis exem-
plum.
Inter hæc autem ad pecuniam conge-
rendam Richardus ipſe (inquit Rogerius)
miſſis Nuntiis ſuis ad Clementem Papam,
obtinuit ab eo litteras patentes, ut quo-
ſcumque ipſe vellet dimittere ad terras
ſuas cuſtodiendas, eſſent quieti à captione
crucis, & ab itinere Hieroſolymitano, un-
de ipſe ſibi inæſtimabilem acquiſivit pe-
cuniam.] Hæc ipſe qui & profectionem
amborum Regum in Orientem, in annum
ſequentem dilatam affirmat.
VIII. Inter has autem Principum Chriſtiano-
De expeditione dilata nimis. rum prolixas moras, Petrus Bleſenſis pu-
blicam ſcripſit declamationem de Hiero-
ſolymitana peregrinatione acceleranda.
Quem non moveret urgens neceſſitas Ter-
ræ ſanctæ, & mille laqueis morarum præ-
pedita diu multumque expeditio diverſo-
rum Principum Chriſtianorum? Petrus
igitur, ut qui zelo exæſtuaret religionis
offenſæ, tuba Levitica perſtrepens, claſ-
ſicum intonat, & ad maturandam expe-
ctatam diu profectionem, ſcripto libel-
lo, eodemque vulgato, excitat omnes.
Extat adhùc ipſe quidem cuſus opera
Joannis Buſæi; eſt ejus exordium: Quis
a Jerem. 9. dabit (a) capiti meo aquam, & oculis
meis fontem lacrymarum, & plorabo in-
terfectos populi mei? &c.] Inter alia, quæ
lugenda proponit, ingerit illud, quod
aliis ſcriptis reprehenderat de collectis,
indictis Eccleſiis, dicens: Sperabam quòd
refloruiſſet Crux Chriſti, & quaſi ſangui-
ne ejus iterùm irrigata & vivificata fru-
ctum ſalutis & gratiæ faceret tempeſtivum.

A Nunc autem (quod flens dico) inimici
Crucis Chriſti, qui debuerant eſſe filii,
per avaritiam ſuam prætextu cujuſdam
collectæ damnabilis, primam voti ſui fi-
dem irritam faciunt, luxuriantes in Cru-
ce Domini, &c.] Votis namque obſtricti
tenebantur, ut aii, Imperator, & Rex Fran-
corum peregrinandi Hieroſolymam cum
exercitu. Adverſùs autem eaſdem collectas
idem Petrus ſicut anteà ſcripſerat ad Epi-
ſcopum Aurelianenſem, rurſùm eadem re-
fricans, damnat eaſdem, de his ſcribens
ad Decanum Ruthomagenſem, qui apud
B Regem Anglorum plurimùm poſſet. Cùm
itidem agit de accelerando Hieroſolymi-
tano itinere, urget eum, ut moneat Re-
gem, ne ab Eccleſiis, eorumque miniſtris
ejuſdem itineris nomine aliquid exigat.
Incipit epiſtola (b) ipſa: Cùm in contractu b Pet. Bleſ.
bonæ fidei.] Ubi inferiùs iſta de his habet. ep. 121.
In primis viriliter ſtare pro domo Do- IX.
mini, ne per veſtram incuriam humilietur
ſtatus Eccleſiaſticæ dignitatis. Eccleſia
quidem à diebus antiquis libera eſt, &
filii ejus, (c) qua libertate Chriſtus nos c Gal. 4.
liberavit, dicens in Evangelio, quia filii
(d) liberi ſunt. Si autem angariatur exa- d Matt. 17.
C ctionibus, & oppreſſionibus potentium
cogitur ancillari: jam ipſa eſt Agar, quæ
ſervit cum filiis ſuis. Sed quid (e) dicit e Gen. 21.
Scriptura: Ejice ancillam & filium ejus. De nō exigēdo quidpiam ab Eccleſiis.
Si Principes veſtri novæ peregrinationis
obtentu volunt Orbem deſcribere, & Ec-
cleſiæ Chriſti tributariis functionibus
characterem ſervitutis inurere; qui filius
Eccleſiæ eſt, ex adverſo aſcendat, mori po-
tiùs eligat, quàm ſervire. Arguuntur à
Seneca, Catilina, & Lucius Sylla, quia
pax eorum fuit bello deterior, ſubjectum-
que ſibi populum plùs exactionibus tyran-
D nicis, quam hoſtes prœliis afflixerunt. De
collectis igitur faciendis, & de ducendo
exercitu Princeps veſter non ſuum ſequa-
tur arbitrium, ſed ſemper animum ejus
præcedat, & omnia ejus geſta prærdinet
ſtudioſa deliberatio ſapientum. Panætius
in libro Tuſculanarum aſſerit, neque Du-
cem belli, neque Principem domi poſſe
ſalubriter magnas res agere, ſi eat poſt im-
petum cordis ſui, ſi non omnia ejus nego-
tia depingat ante rei adventum maturioris
causa conſilii. Unum rogo & conſulo, nè
opus Dei, ſicut alia vice, fruſtratoriis dila-
tionibus protrahatur. Scriptum (f) eſt: f Jer. 48.
E Maledictus qui facit opus Dei negligenter.
Cæſar audita rebellione Ponticæ regio-
nis illùc armatas acies ſine dilatione dire-
xit, fuitque tanta feſtinatio victoriæ, ut in
pompa triumphali tria hæc verba diceret:
Veni, Vidi, Vici. Aſſyriorum Regina Se-
miramis erat circa cultum capitis ſui oc-
cupata: & nuntiatum ei eſt Babyloniam
rebellare. Ipſa verò adhùc ſoluta una parte
crinium, ad bella cucurrit; nec priùs com-
poſuit incultam capitis partem, quàm ur-
bem, & cives illius in ſuam redigeret po-
teſtatem. Inducere poſſemus exempla mul-
torum, ſed ſufficiat pro exemplo bien-
nalis illa dilatio noviſſimæ peregrinatio-

Digitized by Google

nis, quæ toti Chriſtianitati verſa eſt in ſingultum: illud etiam, quòd viam ſuam ab exactionibus inceperunt, & viaticum ſibi de rapinis pauperum & Eccleſiarum ſpoliis confecerunt. Fuit propterea hæc via illorum ſcandalum ipſius. Verbum quidem (a) Salomonis eſt: Initium viæ bonæ facere juſta. Inter juſtorum autem, & impiorum vias ſententia divina diſtinguit: Quoniam novit (b) Dominus viam juſtorum, & iter impiorum peribit.] Hæc Petrus, atque de his omnibus haud falſus vates inventus.

a *Prov. 16.*
b *Pſal. 1.*

X. Inter hæc autem Fridericus Imperator, qui anno ſuperiori ab Henrico Cardinali Albanenſi Sedis Apoſtolicæ Legato crucem acceperat, hoc anno profectionem (c) inſtituit. Cujus exercitus pars altera terreſtri via, altera verò benè munita claſſe navium quinquagintaquinque è portu Orientem verſus ſolvit. Porrò Imperatoris itinerarium conſcripſit Arnoldus (d) Abbas, qui & numerum militum habito delectu fuiſſe centum quinquaginta millium armatorum affirmat. Cæterùm propter ingruentes afflictiones, & Græcorum Imperatoris inconſtantiam, nonniſi anno ſequenti in Thraciam pervenit exercitus. Quænam paſſus ſit ejuſdem Imperatoris Græcorum opera, ab eodem petas auctore; nobis hæc ſatis ad inſtitutum: Res etiam ſingulas, qui aderat, proſecutus eſt ſtylo (e) Nicetas, tùm Præfectus Imperatoris Græcorum in rebus adminiſtrandis bellicis: quem tu conſulas pro arbitrio.

c *Rober. in Append. ad Sigeb.*
Frideric. Imp. profectio in ſubſidium terræ ſanctæ.
d *Arnol. Chron. Slavor. li. 3. c. 29.*
e *Nicet. in Iſaacio Ang. lib. 2.*

XI. Quod ad Danicam pertinet expeditionem in Terram ſanctam, quam ſuis litteris procuraverat Clemens Papa: adverſis caſibus eſt impedita. Nam de his hæc habet Joannes (f) Magnus: Petrus Epiſcopus Upſalenſis Clementis Papæ Tertii epiſtolis urgebatur, ut Canutum Regem, totumque populum ejus monarchiæ ſubjectum hortaretur ad communia arma cum cæteris Chriſtianis Principibus & populis in Sarracenos Chriſtianæ Fidei hoſtes aſſumenda, aut ſumentibus, commeatu, auxiliiſque providendo. Quam piam paternamque ſummi Pontificis exhortationem optimus Rex maturo conſilio perpendens, decrevit omnibus modis tàm ſancto negotio ſuccurrendum eſſe, decreturnque ſuæ promiſſionis liberaliter executus fuiſſet, niſi præmatura fata ipſum celeriùs abſtuliſſent.] Hæc ipſe. Cæterùm, teſte Rogerio, unà cum navibus Teutonicorum quoque Danicæ convenerunt hoc ipſo anno in Palæſtina ad obſidionem munitionis hoſtilis.

f *Ioan. Magn. hiſtor. Got. l. 19. c. 10. in fin.*
Danica expeditio morte Regis impedita.

XII. Quod autem fuit maximo impedimento in Terram ſanctam expeditioni, perſpicuè demonſtrat Nicetas (g) in Iſaacio, nimirùm quòd impoſtor quidam Doſitheus monachus Studii, vatem ſe eſſe profeſſus, falſis vaticiniis perculit animum Iſaacii Imperatoris, quibus aſſereret, Fridericum Occidentis Imperatorem rem captiosè agere, fingere nimirùm ſe in Palæſtinam adversùs Sarracenos profecturum, cùm seriò aliud agens, potiri haberet in animo Conſtantinopolitana civitate. Deſcribit iſta quidem Nicetas, qui pſeudovatem accepiſſe ait in præmium redditæ revelationis, Patriarchatum Hieroſolymorum poſt Leontium; ſed eo privatum eſſe, cùm ad Patriarchatum Conſtantinopolitanum anhelaſſet. At quando id acciderit, ex eodem eris auditurus Niceta.

g *Nicet. in Iſaac. Ang. lib. 6.*
Doſitheus Monachus Pſeudo-Propheta.

XIII. Hoc eodem anno Clemens Papa retulit in Sanctorum numerum Ottonem Epiſcopum Bambergenſem, Pomeranorum Apoſtolum nominatum, de quo ſuperiùs plura ſunt dicta: de cujus canonizatione ejuſmodi extat epiſtola in Chronico Bambergenſi.

Clemens Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus Merſeburgenſi, & Eiſtetenſi Epiſcopis, & dilectis filiis S. Emmerami Ratisbonenſis, & Svvartzenſi Abbatibus, Decano, & Scholaſtico Vvirtzburgenſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

De canonizatione S. Ottonis Epiſcopi.

Ad audientiam noſtram & quarumdam ſerie litterarum, & relatione multorum pervenit, quòd divina potentia per merita & interventum beati Ottonis Bambergenſis multorum eſt operata ſalutem, præcipuè in gente Pomeranica, ad quam fuit ab Apoſtolica Sede tranſmiſſus; & in ea quampluribus miraculis donavit illū Dominus coruſcare. Quoniam igitur juxta divinæ (h) Scripturæ teſtimonium, lucerna non ſub modio, ſed ſupra candelabrum eſt ponenda: diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenùs de vita ipſius & miraculis diligentiùs inquiratis, quæ nobis fuerunt per multorum litteras indicata: & ſi non inveneritis aliquid quod obſiſtat, ipſum canoniſatum auctoritate freti Apoſtolica, ſolemniter & publicè annuntietis, anniverſarium diem ſui tranſitus facientes, & publicè annuntiantes, ad honorem Dei, & ipſius beati viri memoriam ſolemnem haberi. Datum Laterani tertio Kalendas Maii, Pontificatus noſtri anno ſecundo.] Ita juxta ſimpliciorem ritum ejus temporis.

h *Matth. 5.*

XIV. Moritur hoc anno Vvillelmus Rex (i) Siciliæ abſque liberis, Conſtantia nupta Henrico Regi (ut dictum eſt) regni hærede relicta. Sed Tancredus ejuſdem Vvillelmi conſanguineus vendicans ſibi regnum, bellum civile conflavit. Ad quem pellendum Henricus Rex exercitum in Italiam miſit. Cumque plurima damna rebellibus intuliſſet, re adhùc infecta, reverſus eſt in Germaniam. Hæc Rogerius hujus temporis ſcriptor in Annalibus ſuis. Romanum autem Pontificem faviſſe Tancredo, cui inveſtituram more majorum dederit, teſtatur Neubrigenſis. In quantas autem calamitates Siciliæ Regnum obitu Vvillelmi Regis conjectum fuerit, Hugo Falcandus, haud falſus vates, ſuæ ipſius hiſtoriæ exordio narrat; ait enim: Audita morte Regis Siciliæ, intelligens, ac mecum reputans, quantum hæc rerum muta-

i *Roger. in Annal. Angliæ hoc anno.*
Vvillelmi Reg. Siciliæ Obitus.

Digitized by Google

mutatio calamitatis afferret, quantum illius regni quietiſſimum ſtatum vel hoſtilis incurſus procella concuteret, vel gravis ſeditionum turba ſubverteret: repentè conſternatus animo cœpta deſerui; verſa in luctum cithara, malui flebiles modos, & lamentationum lugubre carmen ordiri.] Et lugens queritur de

A Conſtantia Regina, quæ nupta Henrico Regi ſpoliaverat recedens Siciliam divitiis, & poſtmodum rediens eum Henrico deprædatura eſſet eam. Intereà verò Tancredus, qui à Romano Pontifice acceperit inveſtituram, in Sicilia regnare cœpit. Ita & Arnoldus Abbas Lubecenſis.

JESU CHRISTI ANNUS 1190. CLEMENTIS PAP. III. ANNUS 3. FRIDERICI IMP. 36. ISAACII ANG. IMP. 5.

I. Profectio Regis Anglorũ Hieroſolymã.

Milleſimo centeſimo nonageſimo Salutis anno, Indictione octava, Richardus Anglorum Rea profecturus in Orientem, ad regni cuſtodiam relicturus Vvillelmum Elienſem Epiſcopum, eumdem firmare legatione Apoſtolica laboravit: cujus rei gratia Nuntios miſit ad Clementem Papam, quam & ab eodem obtinuit. Ita Rex, ne Gaufredus ejus frater Epiſcopus Eboracenſis, & Joannes item frater Regis ſibi aliquid, Rege abſente, ſuper regnum ipſum vendicarent auctoritatis: quos & juramento, ne quid innovarent, aſtrinxit. Hoc igitur anno, ſeptima Auguſti menſis die ſolvit Rex Anglorum Maſſilia Orientem verſus, cujus navigationem & ſtationes per dies fermè ſingulos relegit Rogerius quàm exactiſſimè in Annalibus, in quibus deſcribendis inter alia hæc habet de querelis ejuſdem adversùs Octavianum Cardinalem Oſtienſem, qui ei occurrit ad Oſtia Tiberina vigeſimaquarta die Auguſti: Rex venit ad portum.] *Et infrà*: Et poſteà intravit Tiberim. Ad cujus introitum eſt turris pulchra, ſed ſolitaria, & ſunt ibi ruinæ maaimæ antiquorum murorum, *nempè antiquitus illic conſtructi portus Trajani*. Et illùc venit ad eum Octavianus Oſtienſis Epiſcopus Cardinalis. Cui Rea turpia multa dixit, improperando Romanis ſimoniam, quòd ſeptingentas marchas debuerint habere pro conſecratione Epiſcopi Cenomanenſis, & mille & quingentas marchas pro legatione Elienſis Epiſcopi, & pecuniam magnam, ne deponeretur Burdegalenſis, qui à clericis ſuis accuſabatur in crimine.] Hæc de his. Quæ ſi vera ſunt: erit profectò, ut laudanda ſint tempora noſtra, quibus quidquid ſimoniacum ſuſpicione tantùm auditur, procul abiicitur; & aliæ exactiones, aliqua juſta cauſa prætenſæ, ſunt modeſtiores. Pergit verò idem auctor navigationem ita deſcribere.

II. Deinde venit ipſe ad Garilam, *Garlianum videlicèt*, & inde ad Caſtellum, quod dicitur, le Cape del Eſpurum. Hìc eſt diviſio terræ Romanorum, & terræ Regis Siciliæ in illa parte, quæ dicitur, Principatus Capuæ.] Quibus videas, Lector, quantum decreverint Eccleſiæ jura, cùm hodiè fines apud Tarracinam, publicis erectis monumentis, appareant. Addit verò inferiùs, ipſum cum ſuis in Siciliam perveniſſe die vigeſimatertia menſis Septembris, atque appuliſſe Meſſanam, cùm jam Philippus Rex Francorum illùc anteà deveniſſet, nempè decimaſexta ejuſdem menſis Septembris, qui tempeſtate maris repulſus, illic hiemare eſt coactus invitus. Detinuerunt autem Richardum ſororis ſuæ Joannæ uxoris Vvillelmi Regis defuncti negotia, ut ea cum Tancredo Rege illic regnante pro Vvillelmo componeret. Cùm intereà inter Meſſanates & Anglos graves ſint ortæ diſcordiæ, nec non multæ turbæ excitatæ inter Anglos & Francos, ſed concordatæ ſunt per Epiſcopos pacis ſequeſtres. Quæ hæc omnia ſigillatim ab eodem auctore proliaiùs deſcribuntur, ſimul & leges nauticæ ſancitæ, & pacta inter Reges conventa.

In Sicilia Reges Hiemant.

B, C (margin letters)

III. Quibus autem capitulis tranſactum ſit inter Regem Anglorum, atque Tancredum tunc in Sicilia regnantem, ex litteris ejuſdem Regis Angliæ tunc ad Romanum Pontificem datis ſic accipe.

Ad Clementem Pap Epiſt, Reg. Angliæ.

Reverendiſſimo domino ac beatiſſimo Patri Clementi Dei gratia ſanctæ Sedis Apoſtolicæ ſummo Pontifici, Richardus eadem gratia Rea Angliæ, & Dux Northmanniæ & Aquitaniæ, & Comes Andegaviæ, ſalutem & ſinceræ in Domino devotionis affectum.

D Juſtiorem exitum facta Principum ſortiuntur, cùm à Sede Apoſtolica robur & favorem accipiunt, & S.R.E. colloquio diriguntur. Proinde dignum duximus, ad notitiam beatitudinis veſtræ tranſmittere, quæ inter nos & dominum Tancredum illuſtrem Siciliæ Regem publico nuper & admodùm neceſſario ſunt celebrata contractu. Sanè dilectionem fraternam, & pacem perpetuam cum eo firmavimus, quam magnatum noſtrorum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & plurimorum virorum illuſtrium juramentis ei & ſuis, & regno ſuo, & toti terræ dominationis ſuæ, nos illibata fide promiſimus ſervaturos. E Cùm etiam jam pacis & amicitiæ fœdus arctiori adhùc vinculo aſtringentes, inter Arthurum egregium Ducem Britanniæ chariſſimum nepotem noſtrum & hæredem (ſi nos decedere ſine prole contigerit) & illuſtrem filiam ejus matrimonium, volente Domino, conduximus contrahendum: quod Domino largiente debitam conſummationem accipiet, cùm illuſtris puella nubiles annos attigerit; aut

præ-

Digitized by Google

Diſpenſtioné quęrit Rex Angl. à Rom. Pôt.

prædicto domino Tancredo Regi placuerit, ut infrà nubiles annos illa in uxorem nepoti noſtro deſponſanda tradatur: nos ipſum nepotem noſtrum hoc facturum conceſſimus, ſi Sancta Romana Eccleſia decreverit ſimiliter diſpenſare. Pecuniam verò, quam pro matrimonio ipſo, ad opus nepotis noſtri ab eodem domino Rege Tancredo recepimus, ſcilicèt viginti millia unciarum auri, ſi fortè (quod abſit) morte interveniente alterius, aut culpa noſtra, aut noſtri nepotis, aut parcis ipſius matrimonium non ſtaret: nos, aut hæredes noſtri ipſi domino Regi Trancredo, aut hæredibus ejus ex integro reſtituere, præſtitis ſuper hoc ſacramentis, ea parte noſtra tenemur. Ut igitur tenor pacis initæ, & initiati matrimonii fidea cum integritate debita ex parte noſtra, & nepotis noſtri ſervetur; ſicut ipſi domino Tancredo, interpoſita jurisjurandi religione, firmavimus, ſanctitatem veſtram, & S.R.E. obnixè rogamus, quatenùs & firmatæ pacis ſervandæ perpetuò, & matrimonii conſummandi; vel ſi ex prædictis cauſis matrimonium ipſum non fieret, reſtituendæ pecuniæ ſancta Sedes Apoſtolica fidejuſſionem pro nobis ſuſcipiat erga dominum noſtrum Regem Tancredum, & hæredes ipſius. Cujus fidejuſſionis onus ut confidenter vobiſcum Romana Eccleſia ſuſcipiat, præſentium litterarum teſtimonio vobis & S. R. E. liberam concedimus poteſtatem, nos, & hæredes noſtros, & terram noſtram diſtrictiùs coercere, ſi vel contra pacem præfatam venerimus, vel prædictis cauſis matrimonio non ſecuto, nos, aut hæredes noſtri ſolutionem pecuniæ negaremus. Ad honorem utriuſque noſtri veſtra novit beatitudo ſpectare, ſi mediante Romana Eccleſia, pacis pariter, & matrimonii bonum ad congruum finem deveniat, unde multiplex in futurum utilitas conſequatur. Teſtibus nobis ipſis undecima die Novembris, apud Meſſanam.]

IV. At quid ſumma admiratione dignum poſt hæc acciderit, cùm idem Richardus Rea Angliæ divino ſpiritu illuſtratus, eouſque deteſtatus eſt facinora ſua, ut illic eadem coram Epiſcopis palàm confiteri non erubuerit, ita idem Rogerins enarrat:

Richardi Reg publica coram Epiſcopis Pęnitẽtia.

Eodem anno Richardus Rex Angliæ, divina inſpirante gratia, recordatus fœditatis vitæ ſuæ, poſt contritionem cordis, convocatis in uoum in capella Reginaldi de Moyae univerſis Archiepiſcopis, & Epiſcopis ſuis, qui cum eo erant apud Meſſanam, nudus procidens ad pedes eorum, vitæ ſuæ fœditatem coram illis Deo confiteri non erubuit. Vepres enim libidinum exceſſerant caput illius, & non erat eradicantis manus: ſed Pater miſericordiarum Deus, qui non vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat, reſpexit eum oculis miſericordiæ ſuæ, & dedit ei cor pœnitens, & ad pœnitentiam vocavit. Ipſe enim à prædictis Epiſcopis pœ-

A nitentiam recepit, & ab illa hora deinceps factus eſt *vir timens Deum*, & recedens à malo, & faciens bonum.. O felicem illum, qui ſic cadit, ut fortior reſurgat! O felicem illum, qui poſt pœnitentiam non eſt relapſus in ruinam & culpam?] Pòſt hæc autem ſubiicit idem Rogerius congreſſum, quem idem Richardus habuit cum Abbate Joachino, qui propheta Dei circumferebatur eſſe in Sicilia monachus Ciſtercienſis, Abbas de Curacio.

Abbatis Joachim cũ Richardo Reg. Cõgreſſus.

V. Porrò mutuum tunc habitum inter eos colloquium idem Rogerius recitat, ex quo planè tàm ſuis ipſius vanis reſponſis, B quàm inanibus prophetiis, inventus eſt non Dei propheta, ſed pſeudopropheta eſſe. Nam prædixit pleraque ventura, quæ re vera caruerunt eventu. Quod quidem ſignum Deus dedit populo ſuo ad cognoſcendum prophetam verum à falſo: nam (a) ait. Quòd ſi tacita cogitatione reſponderis: Quomodò poſſum intelligere verbum, quod Dominus non eſt locutus? Hoc habebis ſignum: Quod in nomine meo propheta ille prædixerit, & non evenerit: hoc Dominus non eſt locutus, ſed per tumorem animi ſui propheta confinxit.] At accipe, quæ vana tùm coram C Rege homo vaniloquus eſt commentus mendacia, atque primum illud, cùm interpretatus Apocalypſim, unum ex ſeptem capitibus beſtiæ oſtenſæ in viſu Joanni, ſignificatum fuiſſe Saladinum, qui nuper ceperat Hieroſolymam, quam poſt ſeptem annos ab eo tempore, quo ab ipſo capta eſt, per Chriſtianos fore, eo devicto, recuperandam, falsè prædixit. Nam longe diversè rem accidiſſe declaravit eventus. Secundò verò, cùm eidem Regi prædixit ea peregrinatione Deum exaltaturum nomen ejus ſuper omnes Reges terræ; ſed planè ſecùs accidit: nam in re- D ditu captus ab æmulo Principe Imperatore, ab eo diu eſt detentus in vinculis, nec ſolutus, niſi ingenti auri ſumma redemptus à ſuis. Tertiò inſuper in eodem cum Rege ſermone dixit, Antichriſtum jam natum eſſe in civitate Romana, eumdemque in Sedem Apoſtolicam provehendum. Quæ omnia Epiſcopi qui aderant, dum iſta homo inanis fabularetur, redarguerunt falſitatis. Auctor autem ipſe, qui tunc iſta ſcribebat, veritatem ab eventu jure fore noſcendam aſſerens: ea eo planè longè diverſo ab ipſa prædictione convicit, E toto cœlo Joachim pſeudoprophetam fuiſſe. Quando autem ſententiam condemnationis acceperit ipſe & ejus ſcripta, ſub Innocentio Tertio, ſuo loco dicendum erit.

a *Deut.* 18.

Pſeudopropheta convictus Abbas Joachim.

VI. Hoc eodem anno, menſe Junii, die decima ejuſdem, Fridericus Imperator poſt immenſos ſuperatos labores in Terræ ſanctæ expeditione, poſt victum in prœlio Soldanum Iconii peragrans partes inferioris Armeniæ, in * Saleph flumine, dum lavaret ſe, ſive tranſiret illum, rapido curſu ejus undarum abſorptus interiit. Quo-

Friderici Imp. obitus.

* *al Caleph.*

nam

nam modo iſta adeò triſtia ſe habuerint, cùm alii dicant in ipſo fluminis tranſitu periiſſe, alii verò, cùm ſe aquis ablueret, natando abreptum undis eſſe demerſum: nos tutiùs ab eo qui interfuit, rem petemus, qui licèt incertus habeatur auctor; certum tamen, quòd is fuit unus ex illis, qui in ea erant expeditione, & caſui interfuit, ſcripſitque brevi compendio quæcumque toto illo itinere contigerunt, unaque cuncta perſtrinxit epiſtola, quæ abſque titulo reperta ita ſe habet:

a Extat in Append. ad Radevic.

Credentes (*a*) ſanctitatem veſtram eſſe cupidam circa notitiam rerum ab Imperatore geſtarum: ea quæ vidimus, & manibus tractavimus, ſine adulterinæ falſitatis admixtione ſuccincta brevitate vobis ſcribere curavimus.

Itinerarium Frid. Imp. in Orientem.

Cognoſcat itaque veſtræ ſanctitatis diſcretio, quòd ab amantiſſimo Rege Hungariæ Bela honorificè recepti, & benignè ab ipſo & humaniter tractati, ſtatim cùm regnum Græciæ intravimus, in manus furum & latronum incidimus, nulla in Græcis fide reperta. Nam contra communem non violandorum Legatorum legem, Epiſcopum Monaſterienſem, & Comitem Robertum ceperant. Unde cum magno labore per partes Bulgariæ procedentes, poſt longam viæ noſtræ moram (capta priùs civitate * Philipoli, & deſtructa, & famoſo caſtro Verm: deſtructo, & tota circumjacente regione gladio devaſtata; capta etiam nobili civitate Andrinopoli, & circumjacentibus civitatibus, captaque inexpugnabili civitate Timotico à Duce Sveviæ, & infinitis de habitatoribus villæ occiſis; deſtructo etiam quodam caſtro, nomine Maniceta, à militibus noſtris & paucis de exercitu, ubi circiter ſex millia Græcorum perierunt igne & gladio: captis quoque compluribus caſtris, & facta magna ſtrage Græcorum, cùm etiam fame perirent: acceptis etiam à Conſtantinopolitano Imperatore idoneis obſidibus, redditis etiam nobis Nuntiis Soldani, & filiis ejus, quos ad nos miſſos ante ceperant: in feſto Paſchæ cum omni proſperitate rerum & perſonarum Brachium S. Georgii tranſivimus. Sed poſtmodùm, quæ à prædicto Imperatore nobis jurata & promiſſa ſunt, nequaquàm ſunt obſervata.

* ſ. Philippopoli.

VII. Deinde procedentes per partes Philadelphiæ, uſque Laodiciam pervenimus in manu forti, omni die armata militia exercitus Chriſti. Inde proficiſcentes, feria ſexta ante diem Rogationum, propter graminis & aquæ defectum, & propter diætam ſolito longiorem, inæſtimabile damnum in equis paſſi, venimus, ubi fluvius Mandra oritur. Et cùm adhuc eſſent circa nos Nuntii Soldani & filii ejus, qui magna domino Imperatori munera attulerant, & ſub fidei certa pollicitatione pacem nobis firmiſſimam promiſiſſent: invenimus tamen ibi in magna copia Turcorum acies contra nos ordinatas, qui ad mortem noſtram miſſi fuerant. Sed Deo auctore & duce, ſub ſanctæ Crucis vexillo, diluculo feria ſecunda, quæ prima erat Rogationum dies, in ore gladii eos vicimus, magna eorum facta ſtrage, tranſeuntes eadem die fauces & anguſtiſſima montium verſus Suſopolim. In quibus partibus in anguſto quodam tranſitu in vigilia Aſcenſionis Domini noſtri, magnam Turcorum multitudinem occidimus. Et quia jam equorum defectum ſenſimus, qui vulnerati fuerant & occiſi, & propter frigiditatem ſegetem & herbam non invenimus, cùm jam fame arctari inciperemus, nec à Nuntiis Soldani aliquod inveniremus conſilium: à via regia, quam Imperator Emmanuel ire ſolebat, eò quòd eſſet deſerta & longiſſima verſus Iconium & tota montibus clauſa, neceſſitate coacti ad ſiniſtram declinavimus.

VIII. In die Aſcenſionis Domini ſummitates montium, per quos erat nobis tranſitus, occupantes, per montes aſperrimos, & viam anguſtiſſimam contra ſpem omnium hominum, cum ſumma difficultate, & magna rerum & perſonarum jactura, eadem die in planiciem Finimini deſcendimus. Turci enim ex omni parte quaſi corona totũ cinxerant & impugnabant exercitum: & Dux Sveviæ cum Duce de Mair, & Marchione de Badin, & aliis nobilibus & ſagittariis à tergo remanſerant, ad tuendum præcedentes. Qui cùm præmiſſis eorum equis, pedites deſcendere deberent: tanta fuit Turcorum inſtantia cum ſagittis, & fundis, & lapidibus, quòd noſtri ab invicem diviſi ſunt, poſiti in magno neceſſitatis articulo, & Dux Sveviæ vulneratus eſt, uno ſuperiora dente penitùs excuſſo, & medietate inferioris. Quamplures etiam milites ex noſtris vulnerati ſunt, unus ſolus occiſus eſt. Saumarii multi cum pecunia, veſtibus, vaſis perditi ſunt, ſed de Turcis plurimi occiſi ſunt. Turcorum verò vires ſuprà quàm dici poteſt quotidiè augebantur. Nam ſtatim Ducem Sveviæ cum ſuo exercitu, & Ducem de Finimini cum ſuo exercitu, Ducem de Ferma cum ſuo exercitu in occurſum habuimus, cum infinito aliorum numero. Quibus omnibus coadunatis, à mane uſque ad veſperam, per omnes ſequentes dies conflictum habuimus, & Deus ſemper poſuit victoriam in manibus noſtris, multis tamen vulneratis ex noſtris, & multis equis occiſis. Poſt diem verò Aſcenſionis, proxima Dominica, Fridericus de Hunlitra eos inſequendo, de equo cecidit, & fracta cervice obiit. Sequenti autem die apud Fiiminum caſtrametati ſumus: ubi cùm circa veſperam caſtra noſtra Turci aggrederentur, ita ut de quibuſdam hoſpitiis ſpolia jam raperent armatis: nos in fugam eos convertimus, & ex eis ceciderunt plus quàm ſex millia Turcorum, inter quos trecenti ſeptuagintaquatuor de melioribus totius Turciæ occiſi ſunt, & nullus de noſtris interiit; ſed & equi multi occiſi. Et reſonabant montes ex clamore plangẽtium, & nox diviſit nos ab invicem.

IX. Incepit autem inter nos fames valida regna-

A regnare. Vinum autem & farina ex toto defecerat, & ego cum aliis equinas carnes comedi. Defecerant autem equi fame, & nec annonam, nec ſegetem invenimus: & Turci die ac nocte cum tanto nos arctabant exercitu, quòd nulli extra caſtra licebat exire. Item feria quarta ante diem Pentecoſtes magnam eorum multitudinem occidimus. Poſt ſanctum verò diem Pentecoſtes invenimus Melich magni Soldani filium, & acies contra nos diſpoſitas, & Turcorum multitudinem, circa quadringenta millia equitum, qui totam, ut locuſtæ, repleverant terram: contra quos B victrices aquilas in nomine Chriſti à fronte erexImus, nec famem, nec vulneratorum defectum ſentientes. Et cùm vix sexcenti equites eſſemus, ſub ſigno vivificæ Crucis eos vicimus, & convertimus in fugam. Ubi Melich filius Soldani ab equo dejectus eſt, & quatuor nominatiſſimi Principis ejus occiſi ſunt, & alii quamplurimi. Ibi etiam quiddam accidit dignum memoria. Sanctus Georgius eadem die, ſicut & priùs, quaſdam acies noſtras à Ludovico de Helfenſtein præcedere viſus eſt, impendens auxilium exercitui noſtro. Ipſe enim Ludovicus ſub jurejurando publicè confeſſus eſt, & ſub religione C ſuæ peregrinationis, coram domino Imperatore, & exercitu. Sed & ipſi Turci poſtmodùm nobis retulerunt, ſe quaſdam acies vidiſſe candidis amictas veſtibus, & equis albis.

S. Georgius viſus præire in auxilium Chriſtianorum.

X. Eadem die ſequentes Melicum, qui fugerat verſus Iconium, poſt tantam victoriæ gloriam vix circa noctem venimus ad hoſpitium, nullumque reperimus. Fueruntque homines & pecora ſine cibo, & potu; & quodammodò incidimus in vitæ deſperationem. Nam equi, qui priùs remanſerant, fame, & ob viæ longitudinem ferè omnes mortui ſunt. Inde proficiſcentes ſummo diluculo, cùm jam eſſe- D mus propè Iconium ad milliare, acceſſimus viciniùs, & invenimus aquam, ubi manſimus tota feria quarta. Sequenti verò die recepimus nos juxta quemdam hortum amœniſſimum clauſum muris, apud ipſam civitatem Iconii: ubi etiam duo nobiliſſima palatia Soldani deſtruximus. Et quoniam ultimæ vitæ neceſſitas imminebat, eò quòd fames nos maxima invaſiſſet, & vix haberemus jam circa quingentos milites in equis, nullumque supereſſet procedendi, vel redeundi conſilium: ipſa cogente neceſſitate, & docente, militiam E noſtram in duas diviſimus partes, feria ſexta poſt Pentecoſten directa via procedentes ad capiendam civitatem: ubi (quod mirabile & incredibile dictu videtur) divino auxilio Dux Sveviæ cum ſibi adjunctis ſex, occupavit civitatem, in ore gladii habitatoribus ejus occiſis. Et dominus Imperator interim manens à tergo, contra alios Turcos in campo pugnavit. Et cùm eſſent circa CC. millia equitum, virtute Altiſſimi eos expugnans, fugæ reddidit. Nec indignum memoria. Civitas enim Iconium in magnitudine æquatur Coloniæ: A ubi capti a ſpoliis, manſimus à feria ſexta, uſque ad feriam quartam, donec Soldanus, qui ſe & ſuos in caſtra receperat, timore mortis arctatus, viginti obſides ad electionem noſtram dedit, quos adhùc captivos tenemus, quia fidem promiſſam non tenuit.

XI. Inde moventes caſtra proximo ſabbato, directa via verſus Jarandinum ivimus, ubi Kalendis Junii hoſpitati ſumus. Et intempeſtæ noctis ſilentio tantus factus eſt terræmotus, quòd putabamus ſuper nos Turcorum acies irruiſſe: quod credidimus B fuiſſe præſagium mutationis circa dominum Imperatorem. Nam cùm inde procederemus, ivimus * Saleph, ubi tantam aſperitatem & difficultatem viæ in tranſitu montium invenimus, quòd ſumma jactura rerum via pervenimus Saleph in Dominica die, quæ fuit vigilia Barnabæ Apoſtoli,] *nempè quarto Idus Junii*. Porrò barbaræ voces obſcura reddunt loca, in quibus iſta ſunt perpetrata; nam ſi conſtaret quinam fuerit locus dictus Jarandinus, Saleph quoque fluvius ſciretur quis fuerit. Pergit auctor.

* Caleph, alii Saphet Selephium alii.

C Eodem die cùm dominus Imperator per quoddam compendium tranſiret in convallibus montium quamdam rapidiſſimam aquam, * ſalvumque eum recepit in aliam partem. Facto autem ibi prandio, poſt infinitos & intolerabiles labores, quos per menſem jam erat paſſus, & vellet balneari in eadem aqua, & ita ſe refrigerare vellet natando: Dei judicio caſu lachrymabili, & inopinato ſubmerſus eſt. Cujus reliquias debita veneratione nobiſcum portamus: & uſque Turſoch famoſiſſimam civitatem pervenimus, verſus Antiochiam inde procedentes; maximamque rerum noſtrarum ſpoliationem paſſi ſumus, & continuè per D ſex hebdomadas laboravimus victualium penuria, eò quòd venalia non invenirentur. Hæc de multis periculis noſtris, licèt pauca, vobis ſcribere curavimus: de cætero expectantes ſolatium à miſericordia Dei.] Hactenùs quæ tunc ab itineris comite eſt ſcripta epiſtola. Extat & alia prolixior apud Caniſium tomo quinto Antiquæ lectionis. Arnoldus (a) ejuſdem temporis auctor, luctum apponit communem univerſi Chriſtiani Orbis: Nam non Occidentalium tantùm, ſed & Orientalium, & ipſorum quoque æmulorum Græ- E corum lamentatio fuit. Etenim Nicetas Choniata Græcorum doctiſſimus eamdem hiſtoriam proſecutus eſt ſtylo lugubri valdè, laudans eumdem Imperatorem. Extat & Petri (b) Bleſenſis acerbiſſima lamentatio de ejuſdem Friderici morte: Incipit: Rumor terribilis & horribilis, &c.] At ſicut dolor de ejus obitu pertigit univerſos: ita admiratio ingens invaſit omnes, cur Deus permiſerit in tàm calamitoſo ſtatu rerum Chriſtianorum morte repentina ſic abripi tantum præſidium, cujus vel ſolo nomine conſternati hoſtes videri poſſent. Porrò ex omnibus iſta ſcrutanti-

De obitu miſerando Friderici Imp. narratio.

* ſalvum ſe recepit.

a *Arnol. in Append. ad Helmol. l. 3. c. 33. 34.*

b *Pet. Bleſ. ep. 169.*

tantibus magis illorum conſilium laudem meretur, qui à profunditate & abyſſo judiciorum Dei traxere pedem, quòd nefas ſit mortalem ſedere arbitrum, & de libra-
a Iſai.40. to Dei judicio judicare. Quis (a) novit ſenſum Domini; aut quis conſiliarius ejus fuit? Satis ſuperque cuique, quòd judicia
b Pſal.18. (b) Dei recta ſint, & juſtificata in ſemet-
c Sap. 12. ipſa. Et ſecundùm illud (c) Sapientiæ: Quis enim dicet tibi: Quid feciſti? aut quis ſtabit contra judicium tuum? aut quis in conſpectu tuo veniet vindex iniquorum hominum? aut quis tibi imputabit ſi perierint nationes quas tu feciſti? Non eſt enim alius Deus quàm tu, cui cura eſt de omnibus, ut oſtendas, quoniam non injuſtè judicas judicium. Neque Rex, neque tyrannus in conſpectu tuo inquirent de his quos perdidiſti. Cùm ergò ſis juſtus, juſtè omnia diſponis, ipſum quoque qui non debet puniri condamnare, exterum æſtimas à tua virtute.]

XII. Quorum criminum luerit Fridericus pœnas. Qui igitur propter peccata norunt adverſa ſæpè contingere: ad illam revocant culpam interitum Imperatoris, quòd diuturno (ut vidimus) bello iniquiſſima inceſſerit Romanam Eccleſiam, & perſequutus fuerit implacabili perſecutione diù multùmque Romanos Pontifices. Nam
d Neubrig. l.4.c.13. (d) Neubrigenſis ejuſdem temporis auctor haud ignobilis hæc de his habet: O abyſſus multa judiciorum Dei! vir tantus, & qui divino quodam fervore, relictis deliciis, opibuſque Imperii, mille ſe expoſuerat propter Chriſtum periculis, tàm ſubito miſero caſu abſumitur. Peccatum tamen ejus tantum & tale elucet, quod fortè Imperialibus non potuerit deliciis expiari; atque ideò oportuerit, ne æternaliter plecteretur, pia divinitatis proviſione in hac vita ſeveriùs caſtigari. Siquidem nefarii ſchiſmatis ſub venerabili Papa Alexandro principalis fautor exſtiterat, & pacis Eccleſiaſticæ per Imperialem potentiam multo tempore perturbator. Tandem verò perſpicuè dans palmam veritati, minus tamen in deliciis palatii piaculare malum defleverat. Porrò, ne propter hoc gravia poſt mortem ſupplicia lueret, ſed potiùs tàm grande malum momentaneæ mortis caſus acerbus perfectè dilueret; illa inſigni devotione, qua propter Chriſtum relicto Imperio tantis ſe immerſit periculis, actum credo.] Hæc Vvillelmus Neubrigenſis, qui tantùm ea quæ Alexandri Papæ tempore Fridericus mala commiſerit, non quæ anteà, non quæ poſteà uſque ad Urbanum III. animo nimis acerbo patraeit, recenſuiſſe ſat judicavit ad ſupplicii cauſam inſinuandam. Quòd ſi ita, ut depinxit, divina ſententia juſta ſed miſericordi factum eſſe diximus; haud abſque exemplo divinæ Scripturæ tale ipſum præſumpſiſſe judicium, dici poteſt. Siquidem David, quantumlibet peccatum ſuum à Deo remiſſum audierit per Prophetam (e) Nathan: tamen ſoluta culpa di- e 2.Reg.12.
vinitùs, pœnam peccati haud condonatam fuiſſe, ſimul aſſeri poteſt, quæ nec jejuniis, neque humi cubatione valuit expiari, ſed morte filii, & aliorum immiſſione malorum abſtergi.

XIII. Sublato eo modo, quem diximus, Friderico, filius ejus Dux Sueviæ Conradus ſucceſſit, & quibus valuit viribus in unum collectis, in Terræ ſanctæ auxilium properavit, & in obſidione Acconitana diem & ipſe clauſit extremum. De Henrico autem Germaniæ Rege ejuſdem Imperatoris filio, quem reliquerat, habet
f Roger. in Annal. Angl. iſta (f) Rogerius: Eodem anno *milleſimo centeſimo nonageſimo* Henricus Rex Alemannorum, audita morte Friderici Romanorū Imp. patris ſui, reddidit Henrico Duci Saxoniæ univerſa, quæ pater ſuus ei abſtulerat, & in incrementum dedit ei decem caſtella optima. Similiter fecit cæteris omnibus, à quibuſcumque pater ſuus aliquid abſtulerat, reddens unicuique quod ſuum erat. Reconciliatis itaque ſibi omnibus hominibus ſuis, miſit Nuntios ſuos ad Clementem Papam, & ad Cardinales, & Senatores Urbis, petens Romanum Imperium, & promittens ſe in omnibus leges & dignitates Romanas ſervaturum illæſas. Clemens verò Papa habito cum Cardinalibus, & Senatoribus, & populo Romano ſuper petitionibus Regis Alemannorum cum deliberatione conſilio, conceſſit Regi Alemannorum quod petebat, ſalvis dignitatibus, & conſuetudinibus Romanorum. Et ſtatuerunt ei terminum veniendi Romam proximum Paſcha ſequens.] Hæc de his Rogerius. Atque finis hic præſentis anni.

I. Clementis Pap. III. obitus. Sequitur annus Salutis milleſimus centeſimus nonageſimuſprimus, Indictione nona, quo Clemens Papa obiit iv. Idus Aprilis, antequàm Henricum filium Friderici coronare potuiſſet Imperatorem:
g Arnold. Chron. Slavor. l.4.c.4. de quo audi Arnoldum (g) Abbatem Lubecenſem hujus temporis auctorem, ſcribentem iſta: His autem ita diſpoſitis, Rex cum manu valida Italiam intravit cum Philippo Colonienſi Archiepiſcopo, & Ottone Duce Boemiæ, & aliis multis. Cumque appropinquaret Romæ, ſuſcepturus Apoſtolicam benedictionem: dominus Apoſtolicus Clemens mortuus eſt. Pro quo dominus Cæleſtinus in Sede eſt ſublimatus:] De quo Rogerius: Menſe Aprilis, quarto Idus ejuſdem menſis, feria quarta, obiit Clemens Papa Tertius, cui ſucceſſit Hyacinthus diaconus Cardinalis S. Mariæ in Coſmedin, & in ipſa vigilia Paſchæ ordinatus

natus eſt in ſacerdotem, & in die Paſchæ, quæ in xviii. Kalend. Maji evenic, in Romanú Pontificem conſecratus eſt ab Octaviano Oſtienſi Epiſcopo, & vocatus eſt Cæleſtinua Papa Tertius.] Erat autem tunc Cæleſtinus ætatis planè decrepitæ, nempè octogintaquinqne circiter annorum, quippè qui ſexagintaquinque annis in ſunctione diaconatus Cardinalis permanſiſſet: de eo enim iſta Petrus (*a*) Bleſenſis habet in epiſtola ad Richardum Epiſcopum Londonienſem: Vidimus quamplurea in Eccleſia Romana in ordine diaconatus uſque ad decrepitam ætatem & exhalationem extremi ſpiritus miniſtraſſe. Certè dominua Cæleſtinus, qui hodiè ſedet, ſicut ex ipſius ore frequenter accepi, in officio Levitæ ſexagintaquinque annos expleverat, antequàm ipſum Dominus in ſummi Pontificatus apicem ſublimaſſet.] Hæc Petrus.

a *Pet. Bleſ. ep.*123.

Cæleſtini III. Papæ creatio.

II. Quod antem ſpectat ad ejuſdem Pontificia conſecrationem, Cencius Camerarius, qui adcrat, & iſta videbat, cærimonias illas ſcripſit, quibus tune temporis creati conſueverint & conſecrari Romani Pontifices: qnas hìc opportunè putavimus deſcribendaa. Sic ſe habent:

Cærimoniæ hujus temporis in creatione Roman. Pont.

Mortuo Romano Pontifice, & ſepulto, omnes Cardinales ad propria revertuntur ſecundùm antiquam conſuetudinem. Secunda verò die conveniunt in Eccleſia, & Miſſa mortuorum cantata, omnea ſimiliter ſecundùm conſuetudinem antiquam recedunt. Tertia autem die iterùm omnes in Eccleſia congregati, & Miſſa ſancti Spiritus ibidem primitùs celebrata, tractant de electione. Et perſcrutata omnium Cardinalium voluntate ab aliquibus de ipſis: in quem major & melior pars convenerit Cardinalium, prior diaconorum ipſum de pluviali rubeo ammantat, & eidem electo nomen imponit.; ipſumque deinde duo de majoribus Cardinalibus addextrant uſque ad altare. ubi proſtratus adorat, Primicerio cum ſchola cantorum & Cardinalium cantantibus, Te Deum laudamua. Quo ſacto, ab Epiſcopis Cardinalibus ad ſedem ducitur poſt altare, & in ea, ut dignum eſt, collocatur. In qua dum ſedet electus, recipit omnes Epiſcopoa Cardinales, & quos ſibi placuerit, ad pedes, poſtmodùm ad oſculum pacis.

III. De uſu Sedia Stercorariæ.

Surgenſque de ſede ducitur à Cardinalibus ad ſedem lapideam per porticum, quæ ſedca dicitur Stercoraria, quæ eſt ante porticum baſilicæ Salvatoria Patriarchatua Lateranenſis, & in ea eumdem electum ipſi Cardinales honorificè ponunt, ut verè dicatur: (*b*) Suſcitans de pulvere egenum, & de ſtercore erigens pauperem, ut ſedeat cum Principibus, & ſolium gloriæ teneat. Poſt aliquantulam moram ſtans juxta eamdem ſedem, electua accipit de gremio Camerarii tres pugillatas denariorum, & projicit, dicens: (*c*) Argentum & aurum non eſt mihi ad delectationem: quod autem habeo, tibi do. Tunc autem accipit ipſum electum Prior baſilicę Salvatoris Patriarchatus Lateranenſis cum uno de Cardinalibus vel uno de fratribus ſuis. Venientibus autem per eamdem porticum juxta ipſam baſilicam Salvatoris, acclamatur: Domnum Cæleſtinum S. Petrus elegit. Sicque ducitur ab illis uſque ad gradua portæ, quæ videlicèt porta eſt in introitu palatii venientibus de Eccleſia ad palatium ipſum, ibique Judices eumdem electum accipientea, ducunt eum per palatium uſque ad baſilicam ſancti Silveſtri.

b *Pſal.* 112.

c *Act.* 3.

IV. Ubì verò ventum eſt ante baſilicam ipſam (ſuper cujua arcum, qui ſuſtentatur de duabus columnis porphyreticis, eſt imago quædam Salvatoris, quæ à quodam Judæo percuſſa olim in fronte, ſanguinem emiſit, ſicut hodiè ceruitur) idem electus ſedet ad dexteram in ſede porphyretica, ubi Prior baſilicæ S. Laurentii de palatio dat ei ſerulam, quæ eſt ſignum regiminis & correctionis, & claves ipſius baſilicæ, & ſacri Lateranenſis palatii: quia ſpecialiter Petro principi Apoſtolorum data eſt poteſtas claudendi & aperiendi, & ligandi atque ſolvendi, & per ipſum Apoſtolum omnibus Romanis Pontificibus. Et cum ipſa ferula & clavibus accedit ad alteram ſedem ſimilem & ejuſdem lapidis, & tunc reddit eidem Priori tàm ferulam, quàm & ipſas claves. In qua dum aliquantula mora quievit, cingitur ab eodem Priore zona rubea de ſerico, in qua dependet burſa purpurea, in qua ſunt duodecim ſigilla pretioſorum lapidum, & muſcus. Qui quidem electus in illis duabua ſedibus ſic ſedere debeat, ac ſi videatur inter duos lectulos jacere, id eſt, ut accumbat inter Petri principis Apoſtolorum primatum, & Pauli Doctoris Gentium prædicationem. In zona notatur continentia caſtitatia: In burſa gazophylacium, quo pauperes Chriſti nutriantur, & viduæ: In duodecim ſigillia, duodecim Apoſtolorum poteſtaa deſignatur: Muſcus includitur ad percipiendum odorem, ut ait (*d*) Apoſtolus: Chriſti bonus odor ſumus Deo. In qua ſecunda ſede dum ſedet electus, recipit omnes officiales palatii ad pedes, & poſteà ad oſculum; & deinde ſedens ibidem recipit de manu Camerarii denarios argenteos valoris decem ſolidorum, & projicit eos ſuper populum. Hoc facit tertiò, dicendo: (*e*) Diſperſit, dedit pauperibus: juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi. Iſtis peractis ducitur per ipſam porticum, ſub iconas Apoſtolorum, quæ per mare Romam venerunt, nullo ductore, & intrat baſilicam ſancti Laurentii, in qua poſtquàm peregerit prolixam ante proprium & ſpeciale altare orationem; pergit ad Papalem cameram, ubi cum pro ſua voluntate pauſaverit, pergit ad mēſam.

Uſum clavium accipit.

d 2. *Cor.* 2.

e *Pſal.* 111.

V. Proceſſio ad S. Petri baſilicam.

Poſt hæc autem in proxima die Dominica electus cum omnibus ordinibus ſacri Palatii, & nobilibus Romanis vadit ad Eccleſiam B. Petri, & ante altare majus, prout in Ordine continetur, ab Epiſcopo Oſtienſi ſpecialiter, & aliis Epiſcopis de

Cu-

Curia conſecratur; hoc addito, quòd ſi Epiſcopus Oſtienſis præſens non fuerit, Archipresbyter Portuenſis, ſeu Velitrenſis intereſſe debet conſecrationi. Qua conſecratione finita, Prior S. Laurentii ſacri palatii ponit pallium ſuper altare, quod ipſe Prior propria manu debet parare, & ſtatim Archidiaconus cum ſecundo diacono dat in manu Pontificis, & ſolus Archidiaconus dicit Pontifici: Accipe pallium, plenitudinem ſcilicèt Pontificalis officii, ad honorem omnipotentis Dei, & glorioſiſſimæ Virginis ejus Genitricis, & beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & S. R. E. & nihil aliud: ſtatimque ipſe Archidiaconus cum Priore baſilicario aptat pallium prædictum ſuper Pontificem, intromiſſis ſpinulis aureis tribus antè, & retrò, & ſiniſtro latere, in capite quarum ſunt innixi tres hyacinthini lapides; & ſic ornatus accedit Pontifex ad altare, & ibi celebrat honorificè Miſſam. Et notandum, quòd laudes ab Archidiacono cum Cardinalibus, ſubdiaconis, & Scriniariis dicuntur, Epiſtola Latina cum Græca, & Evangelium Latinum cum Græco: & omnes aliæ ſolemnitates tunc fiunt, ſicut in ſecunda feria poſt Paſcha. Miſſa autem celebrata, revertitur ad palatium coronatus cum proceſſione & honore arcuũ, repræſentatione Legis à Judæis, & thuribulorum à clericis Romanis, & jactibus totidem, & tanta quantitate factis, ſicut in ſecunda feria poſt Paſcha. Sciendumque quòd Cardinales omnes, Græci, Primicerius cum ſchola cantorum, Præfectus, Senatores, Judices, & Advocati, Scriniarii, Præfecti navales, ſchola Crucium, & Capellani tale presbyterium, & taliter datum accipiunt, quale in die Paſchæ ſuperiùs nominatum recipiunt; ſubdiaconi autem ſinguli, ſingulos * meloquinos habent, quod tamen non fit in aliqua prædictarum ſolemnitatum: nam non dantur eis, ſicut ibidem ſcriptum pleniùs invenitur, etiam ſi xxx. vel ampliùs eſſent, niſi xii. meloquini. Univerſæ etiam ſcholæ palatii, clerici Romani pro thuribulo, Judæi pro repræſentatione Legis, ſtructura arcus, tale presbyterium recipiunt, & taliter, quale datur in coronationibus domini Papæ. Pincerna inſuper, & Mareſcalcus tàm de comeſtione, quàm aliis donariis remunerantur ſimiliter, excepto quòd capita porcorum aptata non habent, neque claretum: familia quoque, & Curiales presbyterium habent juxta Camerarii voluntatem.

VI. Quando electio fit in Eccl. S. Petri.

Si verò electio facta eſt in Eccleſia S. Petri, poſt nominationem ducitur electus à duobus Cardinalibus, cantando, Te Deum laudamus, ad altare, ubi proſtratus poſtquàm adoraverit, ponitur in ſede poſt altare, & ibi Epiſcopos, & Cardinales, & quos ſibi placuerit, recipit ad pedes, & poſtmodùm ad oſculum pacis. Et proxima die Dominica ſequenti conſecratus, ibidem cantata Miſſa, cum ſolemnitatibus ſuperiùs nominatis, & coronatus revertitur ad palatium, factis omnibus aliis, ſicut eſt ſuperiùs per ordinem enarratum. Antequàm autem intret in palatium, deſcendit ad ſedem Stercorariam, ibique ſedens, prout moris eſt, & faciens jactum ter replicatum, ſicut ſuperiùs dictum eſt, accipitur à Cardinalibus, & ducitur per porticum ipſam ad Eccleſiam baſilicæ Lateranenſis, & aſcendens ſedem poſt altare, recipit Canonicos ejuſdem Eccleſiæ ad pedes, & deinde ad oſculum pacis. Quo facto, pergit per palatium uſque ad ſedem ſancti Silveſtri, ibique ſedet, & facit omnia in eodem loco & in anteà, ſicut dictum eſt ſuperiùs ordinatum.

Si autem extra Urbem fuerit electus, & non conſecratus, omnia fiunt ordine ſupradicto, ſive fiat deſcenſus & conſecratio ejuſdem electi in Eccleſia S. Petri, ſeu in Eccleſia Lateranenſi idem electus deſcendat. VII.

Quòd ſi electus & conſecratus fuerit extra Urbem, & à parte Lateranenſi venerit ad Urbem, omnes clerici Romani occurrunt ei extra Urbem induti, cum crucibus, & thuribulis in proceſſione, & ſic intrat Eccleſiam Lateranenſem, & fiunt alia omnia ſicut ſuperiùs eſt narratum, hoc excepto, quòd cùm deſcenderit ad ſedem Stercorariam, & per porticum vadens, Eccleſiam Lateranenſem intraverit, non ſtatim aſcendit ad altare, ſeu ad ſedem; ſed veniens inferiùs in choro majori ante cruces, finito, Te Deum laudamus, dicit: Adjutorium noſtrum in nomine Domini, &c. Sit nomen Domini, &c. Hoc facto, ducitur ad altare, & proſtratus orat. Qui poſtquàm oraverit, ſedem majorem aſcendit, & ibi Canonicos ejuſdem Eccleſiæ ad pedes recipit, & ad oſculum pacis.

Si verò deſcenderit ad Eccleſiam S. Petri conſecratus, omnia fiunt ſicut in Eccleſia Lateranenſi, hoc excepto, quòd ibi non eſt ſedes Stercoraria, & proxima die ſequenti celebrata Miſſa, non coronatus revertitur ad palatium: antequàm intret Eccleſiam, deſcendat ad ſedem Stercorariam, ibique ſedens, prout moris eſt, & faciens jactum (ſicu ſuperiùs eſt enarratum) accipitur à Priore Lateranenſi, & cum uno Cardinali ducitur per porticum ad Eccleſiam, & omnia facit, ſicut ſuperiùs eſt denotatum. VIII.

Sciendum verò, quòd presbyterium ſcholarum non ita datur, ſicut ſi fuiſſet conſecratus in Urbe. De presbyterio enim eorum tunc medietas reſecatur, exceptis Judæis, & clericis Urbis, & addextratoribus. Prætereà Senatores Urbis dominum Papam debent addextrare, ſive venerit conſecratus à porta civitatis, uſque ad locum ubi fit deſcenſus, ſive deſcenderit ad Eccleſiam Lateranenſem, ſive ad Eccleſiam B. Petri. In remuneratione ejus ſervitii xl. ſolidos pro equo debent habere. Verumtamen ſchola addextratorum debet habere xx. ſolidos.] Hæc de ritibus. IX.

Quod verò attinet ad conſecrationem Imperatoris, Papa Cæleſtinus eam diſtulit.

* *Annal. Eccl. Tom. XII.*

a *Arnold. Chron. Slavor l. 4 c. 4*

A Cur autem, Arnoldus (*a*) Lubecenſis ſic narrat: Videns *Cæleſtinus* Regem cum multa jactantia veniſſe, ad protelandam ejus conſecrationem, ſuam diſtulit. Sed Romani exeuntes ad Regem, ſic ei locuti ſunt: Fac nobiſcum amicitias, & honora nos, & Urbem jure noſtro, quod exhibuerunt Reges, qui ante te fuerunt. Inſuper fac nobis juſtitiam de caſtellis tuis, quæ ſunt in Tuſculano, quia ſine intermiſſione nos inquietare non ceſſant: & erimus pro te ad dominum Papam, ut coronam Imperii ſuper caput tuum ponat. Qui in omnibus ad voluntatem Romanorum ſe promptum exhibuit.] Præſtiterunt Romani quod ſunt Imperatori polliciti, & obtinnerunt, quod petierunt à Cæleſtino.

X. Quæ autem tunc temporis tranſacta ſunt cum Imperatore, ex Rogerii Annalibus tunc ſcriptis relerte ſic pergimus: In craſtino autem conſecrationis ſuæ dominus Papa tranſtulit ſe à Laterano uſque ad Eccleſiam B. Petri, & venit ibi obviam ei Henricus Alemannorum Rex cum Conſtantia uxore ſua, & cum copioſa plebe armata. Romani verò clauſerunt portas **Urbis, & cuſtodierunt eas in manu forti & armata, non permittentes eos intrare.** C Dominus verò Papa ante oſtium Eccleſiæ beati Petri ſupra gradus recepit ſacramentum à prædicto Alemannorum Rege, quòd ipſe Eccleſiam Dei, & jura Eccleſiaſtica fideliter ſervaret illibata, & quòd rectam juſtitiam teneret, & quòd patrimonium beati Petri, ſi quid indè ablatum eſſet, in integrum reſtitueret, & quòd Tuſculanum ei redderet. Deinde introduxit eos dominus Papa in Eccleſiam, & unxit eum in Imperatorem, & uxorem ſuam in Imperatricem. Sedebat autem dominus Papa in cathedra Pontificali, tenens coronam auream Imperialem inter pedes ſuos, & Imperator inclinato capite recepit coronam, D & Imperatrix ſimiliter de pedibus domini Papæ. Dominus autem Papa ſtatim percuſſit cum pede ſuo coronam Imperatoris, & dejecit * eum in terram, ſignificans, quòd ipſe poteſtatem ejiciendi eum ab Imperio habet, ſi ille demeruerit. Sed Cardinales ſtatim arripientes coronam, impoſuerunt eam capiti Imperatoris.] Hæc Rogerius. Porrò factum hujuſcemodi Pontificis auſpicãdi Imperii ſcias ea ratione recèns adhibitũ, quòd ſucceſſor & filius illius eſſet, qui poſt tantum ab Eccleſia acceptum E beneficium in Imperii corona eidem impartita, de ipſa tamen adeò malè meruiſſet. Ut autem id fixum menti ejus hæreret, nempè, dare, cuſtodire, conſervare, & auferre, ſi cauſa exigeret, Imperium, eſſe in voluntate Romani Pontificis: ejuſmodi voluit commonuiſſe ipſum exemplo.

Coronatio Henrici & Cõſtantiæ conjugis.

* cam.

XI. Affuit conſecrationi Gotifridus Viterbienſis Notarius Imperatoris, qui togatus ab eo tunc carmine ſcripſit myſteria omnium inſignium Imperialium, præfatus iſta poemati:

A *Cæſar juſſit heri, quæ ſunt inſignia quæri,*
Quæ caput Imperii dignè perhibentur habere
Et cur ſigna gerit, quid rationis erit.
Ut ſcriptura ſonat, Crux, enſis, ſceptra, corona,
Lancea, palla, bona nobis inſignia donant.
Reſtat ut exponam, quid ſua ſigna ſonent, &c.]

De inſignibus Imperii Gotifr. agit.

Pergit de ſignis agere.

Quæ autem poſt hæc fuerint cum Romanis adverſantibus Imperatori tranſacta, ut deſtruerent civitatem Tuſculanam: ab eodem Rogerio item hoc anno B inferius iſta narrante ſic accipe: Romani, antequàm idem Rex acceſſiſſet ad Urbem, ſupplicaverunt domino Cæleſtino, ut antequàm prædictum Regem in Imperatorem ungeret, obtineret ab ipſo, ut civitatem Tuſculanenſium ſibi redderet, quæ in ipſius poſita erat poteſtate. Ad ipſum enim ſe converterant, & ipſius patrocinium invocarant, ex quo ſupranominatus Clemens expoſuit (ut dictum eſt) illos Romanis: eidem domino Cæleſtino inſtantiſſimè proponentes, quòd hæc erat via, qua Tuſculanum ad eorum manus rediret, C & quòd ad faciendum hoc tenebatur ex conventione prædicta. Quod ita conceſſum eſt illis. Euntes autem Nuntii Papæ ad Regem, firmiter propoſuerunt eadem, quòd de Tuſculano antedicto facta erat conventio inter ſummum Pontificem, & Romanos, & ideò ut Tuſculanum domino Papæ redderetur, neceſſitas exigebat. Quod cùm intellexiſſet Rex, & advertiſſet, quòd aliter coronationi ſuæ de facili poſset impedimentum præſtari, petitioni domini Papæ de Tuſculano reddendo liberaliter acquievit. Factumque eſt ita, quòd coronato Rege in Imperatorem, al- D tera die traditum eſt Tuſculanum ab eodẽ Imperatore domino Papæ; & à domino Papa ſequente die tertia Romanis: atque à Romanis deſtructum, ita quòd lapis ſuper lapidem non remanſit.] Sic igitur ulciſcente numine (etſi res atrox nimis videri poſset, ut civitas antiquiſſima exciderettur) tubis tamen ſacerdotalibus perſtrepentibus, cecidit Jericho, adverſatrix Romanæ Eccleſiæ; nam ejus Comites Apoſtolicam Sedem diu ſumma ſæpius ignominia affecerant. At vindicta iſta plurimis fuit admiſta miſericordia, cùm nonniſi in parietes fuerit vindicatum, liberis E juſſis exire civibus abſq; alicujus ex ipſis internecione. Qui ut colerent ſua rura, in locis proximis fixere ſedes, aliis caſtrum Molariæ incolentibus, aliis Roccam Papæ in Albanis montanis ſitam, aliis Roccam perjuram, quæ nunc Rocca Prioris honeſtiori vocabulo nuncupatur, in ſummo Algido collocatam, aliis habitantibus Caſtrũ S. Cæſarii, haud longè à Crypta Ferrata ſitum; reliquis verò ejuſdem Tuſculi Burgum, nempè ſuburbia civitatis, in quæ & ſedes Epiſcopalis eſt tranſlata, occupantibus, quod vulgo Fraſcatum dicitur, ex rei

Tuſculum penitus deſolatum.

eventu

eventu ita nominatum, cùm ad tegumenta tuguriorum arborum cæſi ſunt rami, & erectis ſtipitibus ſuperpoſiti: Hæc majori ex parte apud ſanctum, (a) Antoninum. Rogerius autem de ejus Pontificatus exordiis hæc habet:

a *Ant. par. 3. tit. 17. §. 24.*

XII. Nuptiæ vetitæ cõtractæ inter Reges Hiſpaniar.

Eodem anno fuit laborandum eidem Cæleſtino Papæ in diſſolutione matrimonii inter Reges Hiſpaniarum, cùm videlicèt Sancius Rex Portugallenſis dedit Tarſiam filiam ſuam Adelfonſo Regi Gallæciæ nepoti ſuo in uxorem, de qua genuit tres filios. Et licèt *poſt Clementem* Cæleſtinus Papa multùm laboraſſet, ut ſepararentur: tamen tenuit *ipſe* eam contra Deum & prohibitionem domini Papæ per quinque annos. & dominus Papa Cæleſtinus præfatum Regem de S. Jacobo *excommunicavit*, & totam terram ſuam ſub interdicto poſuit, & ita permanſit per quinque annos. Interim ſurrexit in prædictum Regem de S. Jacobo Adelfonſus Rex Caſtellæ, & coegit eum relinquere uxorem ſuam, filiam Regis Portugallenſis, & dedit ei propriam filiam ſuam in uxorem.] Hæc Rogerius in annalibus hoc anno.

XIII. Sed redeamus ad Henricum nuper creatum Imperatorem, de quò iſta habet hujus temporis auctor Arnoldus Lubecenſis Abbas:

b *Arnold. l. 4. c. 5.*

Henricus Imper. Regnum. Neapol. invadit.

Igitur (*b*) dominus Imperator percepta benedictione, profectus eſt in Apuliam, accepturus totam terram Vuillelmi Siculi, quæ eum cum Imperatrice uxore ſua contingebat. De qua tamen profectione animum domini Papæ non parùm offenderat: quia alius Rex, Tancredus nomine, à Sede Apoſtolica jam ibi ordinatus fuerat. Qui quidem rebellare parabat, ſed impetum Imperatoris ferre non valebat. Siquidem Imperatore adveniente, territi habitatores terræ illius, omnes civitates munitas, & caſtra firmiſſima in manu ejus tradiderunt. Veniens autem ad montem Caſſinum, ubi Benedictus requieſcit, cum ſumma benevolentia ibi ſuſceptus eſt. Ubi cùm eſſet, apud ſanctum Germanum in radice montis, filius Ducis Henrici eo non ſalutato, diſcedens Romam reverſus eſt. Ubi à quibuſdam Romanis acceptis navibus, per aquas evaſit. Imperator verò diſſimulata injuria abiit via, qua cœperat, & ita proſperè venit Neapolim, & invenit ibi manum validam, & obſtinatos animos eorum qui intus erant. Imperator verò devaſtans omnem terram, ſuccidenſque vineta eorum, & oliveta, obſidione maxima vallavit civitatem. Quod non multùm attendebant, qui intus erant, quia per maritima intrandi & exeundi copiam habebant. Ipſe verò de Piſa & aliis civitatibus cogitabat contrahere naves plurimas, & arctare civitatem terra, marique. Inter hæc autem appropinquabant dies caniculares, & morſus continuos in exercitu faciebant. Tunc temporis mortuus eſt illic Epiſcopus Colonienſis, cujus corpus Coloniam translatum eſt, & ibi cum honore condigno tumulatum.] Hæc (*c*) Arnoldus Abbas.

c *Idem l. 4. c. 5*

XIV. Anteà verò fuiſſe expugnatam ab eo civitatem Salernitanam, Rogerius in Annalibus addit; relictam autem ibi conjugem Conſtantiam, cùm ad obſidionem Neapolis ſe conferret, per Salernitanos proditione captam, miſſamque ad Tancredum regnantem in Siciliam. Cùm interim lue laborante exercitu, ipſe Imperator vix morbo liber, Mediolanum ſe conferens ſcripſit ad Cæleſtinum Papam, ut pro liberatione conjugis ageret. Quæ hæc ſecuta ſint, dicetur anno ſequenti. Porrò Chronicon Foſſæ novæ habet, relictos ab Imperatore in faucibus regni, nempè in caſtello Sorano, Sorella dicto, Conradum, & apud Arcem oppidum, Diopoldum, per quos totum infeſtaretur regnum poſitum intra Pharum. Poſt hæc autem idem qui ſuprà (*d*) narrat duo inſignia miracula, alterum de Baptiſmate, alterum de Euchariſtia, de quo nos ſuo loco, anno ſequenti. Jam verò ad res Orientales convertamus orationem.

d *Arnold. l. 4. c. 14.*

Rex Franc. & Rex Angliæ perveniunt in Palæſtinã.

Hoc eodem anno Rex Francorum Philippus, deinde Richardus Rex Anglorum ſolventes Meſſina perveniunt in Palæſtinam. Deſcribit ſingulorum navigationem Rogerius adeò diſtinctè, ut planè viſus ſit ipſe interfuiſſe rerum geſtarum inſpector, vel accepiſſe ab aliquo qui præſens inſpexit, ſingulaque ſcriptis mandavit. Tù ſi cupis iſta, ipſum conſulas. Hic verò breviter ſic habeto, inter utrumq; Regem tùm ob antiquam æmulationem, tùm ob recentes diebus fermè ſingulis emergentes occaſiones, fuiſſe oborta diſſidia, & interdum uſq; ad ſanguinis effuſionem. Quamobrem expugnata Arcone, olim Joppe dicta, Rex Francorum relictis nonnullis ex ſuis, diſceſſit à Palæſtina. Cujus navigationem per ſingulas ſtationes idem Rogerius deſcribit, ejuſque appulſum Hydruntum contigiſſe ait ſexto Idus Octob. De adventu autem Romam ſic ipſe: Cùm veniſſet Romam, mala multa locutus eſt de Rege Angliæ in conſpectu domini Papæ & omnium Cardinalium, dicens, quòd Rex Angliæ coegerit eum à terra Hieroſolymitana recedere, & appellavit eum de proditione ſua. Sed nec dominus Papa, nec Cardinales fidem habuerunt verbis ejus, ſcientes hoc magis ex invidia proceſſiſſe, quàm ex delicto Regis Angliæ. Dominus verò Papa cum omni honore & diligentia recepit eum, & per octo dies miniſtravit ei neceſſaria. Et pro amore Domini & ſuo novum fecit remedium peregrinis, ſcilicèt quòd eum, & omnes, qui cum eo venerant, vel poſt eum venerint, abſolvit à voto ſuo, & ab itinere profectionis Hieroſolymitanæ: & licèt votum non ſolviſſent, tamen palmas eis diſtribuit, & cruces collis eorum ſuſpendit, ſtatuens, quòd eſſent peregrini.] Hæc Rogerius, referens antiquos ritus de his qui votum Hieroſolymitanum impleſſent, quòd ſcilicet Romã redirent, palmãq;

acciperent à ſummo Pontifice, crucemque ſuſpenſam ad collum. Quem ſolemnem ritum impleri rogavit Rex Frācorum ſuis, licèt immeritis, quod haud perfectè votum impleſſent tàm cito redeuntes.

XVI. Dedicato Eccleſiarum. Interim verò (inquit idem Rogerius) ſextadecima Menſis Julij Alardus Veronenſis Epiſcopus Cardinalis, & Apoſtolicæ Sedis Legatus, & Turonenſis, & Piſanus, & Arienſis Archiepiſcopi, & Hubertus Saresberienſis, & Joannes Ebroicenſis, & Bernardu. Bajonienſis, & Tripolitanus, & Philippus Carnotenſis, & Bellovacenſis Epiſcopi, & ceteri Eccleſiarum Principes Eccleſias civitatis Accon dedicaverunt, quas Pagani polluerant. Et ædificaverunt altaria Domino, & in eis celebraverunt Miſſas.] Hæc Legatus Apoſtolicæ Sedis cum Epiſcopis.

Res geſtæ per Rich. Reg. Angl. Quod autem ad Regem Anglorum ſpectat, cùm Meſſana ſolviſſet feria quarta majoris hebdomadæ, tempeſtate maris delatus in Cyprum inſulam, adverſante illi Iſaacio tyranno, qui agebat Imperatorem, eodemque expugnato, & ducto captivo, potitus eſt Inſula. Inde verò appulit in Palæſtinam, perſtititque in expugnatione civitatis Acconis, & ſæpè pugnavit cùm Saladino, atque retulit ſuperiores. Quæ cuncta per dies ſingulos idem qui ſuprà Rogerius eſt proſecutus: quem, ſi cupis iſta, conſulas. Satis namque, ſi hìc non deerimus reddere litteras ab eodem Rege ad Abbatem Claravallenſem datas, ubi deſtitutus eſt Francorum Regis auxilio. Sic ſe habent ab eodem auctore petitæ:

XVII. Richardus Dei gratia Rex Angliæ, Dux Northmanniæ & Aquitaniæ, & Come Andegaviæ, viro venerabili, & amico in Chriſto chariſſimo Abbati de Claravalle ſalutem, & continuæ felicitatis ſucceſſum.

Rich. Reg. Angl. ad Abbatem Claraval. Epiſt. Poſt lacrymabilem, & in commune plorandam civitatis ſanctæ Hieruſalem deſtructionem, civitatem Dei viventis, ſuper quam invocatum eſt nomen ejus, commota eſt, & contremuit terra, quia Rex cœli perdidit terſam ſuam, terram, ubi ſteterunt pedes ejus. Sed à Sede Apoſtolica diffuſa Dei benedictione per universā terram, amici Crucis Chriſti ad ſuſcipiendū ſignum ſalutis in frontibus, & in humeris eorum, & ad ulciſcendas ſanctæ Crucis injurias, ſicut veſtram non latet ſanctitatem, certatim evolabant. Inter quos & nos ad ſerviendum Deo viventi, ſigno crucis accepto, ad, defendenda loca mortis ejus, pretioſo ſuo ſanguine dedicata, quæ inimici Crucis Chriſti hactenùs ignominioſè profanabant, tanti & tàm ſancti laboris onus in nos ſuſcepimus, & intra breve temporis ſpacium poſt adventum domini Regis Francorum ad Accon, ibidem Domino duce proſperè applicuimus. Ubi non multo temporis tractu elapſo, reddita eſt domino Regi Francorum, & nobis civitas Accon, ſalva vita Sarracenorum, qui ad eam defendendam & cuſtodiendam intùs miſſi fuerant. Pactione etiam ea parte Saladini pleniùs firmata, quòd nobis Crucem ſanctam, & mille & quingentos captivos vivos reſignaret, diemque ad hæc omnia perſolvenda nobis conſtituit. Sed eodem termino expirato, & pactione, quam pepigerat, penitùs infirmata, de Sarracenis, quos habuimus in cuſtodia, circa duo millia & ſexcentos, ſicut decuit, fecimus expirare; paucis tamen de nobilioribus retentis, pro quibus ſanctam Crucem, & quoſdam captivos Chriſtianos ſperabamus recuperaturos. Domino autem Rege Francorum ad propria remeato, & ruinis, & ſciſſuris murorum civitatis Accon reparatis, ipſaque civitate foſſatis & muro pleniùs firmata, ad promovendum Chriſtianitatis negotium, & proſequendum noſtri voti propoſitum, apud Joppen propoſuimus, & nobiſcum Dux Burgundiæ cum * Franciſcenis ſibi ſubditis, Comes Henricus cum ſuis, & multi alii Comites, & Barones, & populus innumerabilis ire. Cumque inter Accon & Joppen plurimum eſſet ſpacium, & tractus viarum prolixior, apud Cæſaream tandem cum multo ſudore, gravique jactura noſtrorum deſcendimus. Et ipſe Saladinus in eodem itinere de ſuis quamplurimos amiſit. Cumque populus Dei ibidem aliquantulùm reſpiraret, ad Joppen propoſitum iter ſumus proſecuti. Et noſtra anteriori cuſtodia procedente, & caſtra apud Aſurum metante: Saladinus cum vehementi Sarracenorum incurſu ſuper ultimam cuſtodiam noſtram impetum faciens, divinæ miſerationis favente gratia à quatuor ſolummodò turmis, quæ ei in fronte oppoſitæ fuerant, compulſus eſt in fugam: ipſumque fugientem per unam leucam turmæ Chriſtianorum plenæ ſunt proſequutæ, tantamque ſtragem de nobilioribus Sarracenis, quos Saladinus habebat, die illa, ſabbatho videlicèt, vigilia Nativitatis S. Mariæ Virginis, prope Aſſur fecerunt, quantam Saladinus quadraginta annis tranſactis anteà, una die non ſuſtinuit. Nos verò de noſtris gratia Dei nullum amiſimus die illa, niſi virum optimum, & ſuis meritis univerſo exercitui charum, Jacobum de Avennis, qui in exercitu Chriſtiano per plures ānos ad ſerviendum Deo viventi, quaſi columna exercitus in omni ſanctitate & ſinceritate Fidei promptus extitit & devotus. Deinde Joppen, Domino ducente, pervenimus, villamque illam foſsatis & muro firmavimus, in propoſito habentes, ubique Chriſtianitatis negotium pro poſſe noſtro efficaciter promovere.

* Francigenis.

XVIII. Poſt diem prædictum confuſionis Saladini, non eſt auſus Saladinus cum Chriſtianis congredi, ſed ad trucidandos amicos Crucis ſicut oves occiſionis, inſidiatur eminùs in abſcondito, quaſi leo in ſpelunca ſua. Audito itaque, quòd nos apud Aſcalon maturo congreſſu tenderemus, Aſcalon evertit, & ad terram proſtravit, totamque terram * Suriæ, quaſi totus conſiliorum & auxiliorū beneficio deſtitutus

* Syriæ.

jam

Digitized by Google

jam deſerit, & contemnit. Unde bonæ ſpei ſumimus argumentum, quòd in brevi, Domino dante, pleniùs recuperabitur hæreditas Domini. Et cùm hæreditas Domini jam in parte recuperata eſt, & ad eam recuperandam omne diei pondus ſuſtinuimus & æſtus, totamque pecuniam noſtram, & non ſolùm pecuniam, ſed & vires & corpus jam exhauſimus; fraternitati veſtræ notificamus, quòd ultra ſolemnitatem Paſchalem in partibus Syriæ nequaquàm potuimus commorari. Dux Burgundiæ cum Francigenis ſibi ſubditis, & Comes Henricus cum ſuis, & cæteri Comites, & Barones, & milites, qui in ſervitio Dei ſua jam expenderunt pro Deo, ad propria remeabunt, niſi per veſtræ prædicationis ſolertiam eis in populo; unde terra poſſet populari, & muniri, & in pecunia, quam in ſervitio Dei uberiùs expendant, circumſpectè provideatur.

XIX. Unde veſtræ ſanctitatis genibus provoluti, & profuſis lacrymis, preces affectuoſas porrigimus, rogantes attentiùs, quatenùs ſicut officio veſtro congruit, & honori, Principes, & viros nobiles per univerſum Chriſtianiſmum conſtitutos, aliumque populum Dei ad ſerviendum Deo viventi inducere, & ad hoc provocare fatagatis, ut poſt prædictam ſolemnitatem Paſchalem hæreditatem Domini, quam nos, Deo propitio, ad idem Paſcha pleniùs obtinebimus, tueantur & defendant. Tantumque faciat in hac parte veſtræ ſedulitatis diligentia, ne ex veſtro neglectu depereat, quod utilitas totius Chriſtianitatis expectat. Ideò ſanctitati veſtræ ſuper negotio Chriſtianitatis litteras noſtras tàm maturè dirigimus, ne fortè torporis arguamur & negligentiæ, ſi tantum & tàm ſanctum virum ſuper inſtantibus Chriſtianitatis negotiis aliquo modo prætermiſerimus præmunire. Vos igitur, ſicut nos, & alium populum Dei ad ſerviendum Deo, ad reſtituendam hæreditatem ſuam ſibi, ante itineris acceptionem animaſtis; ita & nunc plurimus inſtat articulus, ut populum Dei ad hoc idem faciendum fortiùs excitetis. Teſte nobiſmet ipſis apud Joppen primo die Octobris.] Eadem quoque die dedit alias breviores ad alium his verbis, perſtringens æmulum Francorum Regem:

XX. Richardus Dei gratia Rex Angliæ, & Dux Northmanniæ & Aquitaniæ, & Comes Andegaviæ N. dilecto & fideli ſuo ſalutem.

Aliæ ejuſdem Regis litteræ.

Scias, quòd poſt captionem Accon, & poſt receſſum Domini Regis Franciæ à nobis apud Accon, qui ita turpiter peregrinationis ſuæ propoſitum & votum contra voluntatem Dei dereliquit in opprobrium æternum ſui, & regni ipſius, iter arripuimus uſque Joppen. Et dum prope Aſſurum accederemus, Saladinus cum vehementi Sarracenorum incurſu obviam nobis occurrens, inſultum fecit contra nos. Sed Deo miſerante, nullum amiſimus die illo, niſi virum optimum, & ſuis

A meritis univerſo exercitui chariſſimum Jacobum de Avennis, qui in exercitu Chriſtiano per plures annos ad ſerviendum Deo, quaſi columna exercitus in omni ſanctitate & ſinceritate Fidei promptus extitit & devotus. Deinde Joppen, Deo volente, pervenimus. Eamdem villam foſſatis & muro firmavimus, in propoſito habentes, ubique Chriſtianitatis negotium pro poſſe noſtro promovere. Ipſo autem die ſecunda vigilia Nativitatis beatæ Mariæ, ipſe Saladinus infinitos de magnatibus viris ſuis amiſit, & in fugam converſus, quaſi conſiliorum & auxiliorum

B beneficio deſtitutus, totam terram Syriæ deſtruxit. Tertia autem die ante ipſius Saladini confuſionem, in ſiniſtro latere cum quodam pilo vulnerati fuimus; ſed gratia Dei jam ad ſanitatem pervenimus. Scias etiam, quòd per Dei gratiam intra viginti dies poſt Natale Domini ſperamus recuperare ſanctam civitatem Hieruſalem, & Sepulcrum Domini; & deinde ad partes noſtras revertemur. Teſte nobiſmetipſis apud Joppen prima die Octobris.]

Inter hæc autem abſente Rege perimebatur ſtatus Angliæ regni à fratribus Re- XXI. Cõtra Legatum Apoſtolicæ Sedis in Angl. motus.

C gis, ibi relictis, turbas cientibus; adverſùs quos interpellatur Apoſtolicæ Sedis auctoritas. Sic igitur iſta audientem contigit Cæleſtinum Pontificem laborare adverſùs ipſos impetentes regnum Angliæ fratres Regis, Joannem Comitem Moretonii, atque Gaufredum Eboracenſem electum. Hi relicti in Northmannia, contra jusjurandum Richardo Regi præſtitum, abſente Rege, redierant in Angliam: quibus cùm adverſaretur Vuillelmus Elienſis Epiſcopus, Regis Cancellarius atque Vicarius, Sediſque Apoſtolicæ Legatus, dira pati cogitur, atque tandem occultam

D fugam inire. Extat ejus inimici epiſtola, tamquàm famoſus libellus palàm vulgandus Hugonis Coventrenſis Epiſcopi, quam Rogerius hoc anno in Annalibus recitat iſtis verbis:

Epiſtola Hugonis Conventrenſis Epiſcopi de dejectione Vuillelmi Elienſis Epiſcopi Regis Cancellarii Romam miſſa.] Non ſpeciatim (ut opus erat) ad Romanum Pontificem, ſed generatim ad omnes, eademque patens affigenda, in triviis ac plateis, perſpicua omnibus exponenda in Legati Sedis Apoſtolicæ ignominiam; ſic enim ſe habet:

E Quæ litterarum apicibus annotantur, poſteritati profectò ſignantur, ut pagina paucorum teſtatione roborata, multorum conſulat ſaluti, vel proficiat indemnitati. Quod hic proponitur, ſit quaſi in exemplum. Multa enim ſcribuntur ad cautelam, ut fiant, & multa ne fieri debeant; ut Eccleſia Chriſti in utroque proficiat, & cùm appetenda inquirit, & cùm fugienda declinat. Caſum itaque Elienſis Epiſcopi ad notitiam omnium litteris * teſtantibus volumus * imperpetuum conſignari, ut in hoc exemplari ſemper inveniat

XXII. Contra Elienſem Epiſc. Famoſus libellus.

* extantibus.
* in perpetuum.

& humilitas quod proſperet, & ſuperbia A
quod formidet. Erat enim ille vir magnus
inter omnes Occidentales, utpotè qui re-
gni poteſtatem, & Sedis Apoſtolicæ au-
ctoritatem quaſi ambidexter habebat, &
Regis ſigillum ſuper omnem terram geſta-
bat, ut pro ſua voluntate poſſet imperare,
& de poteſtate valeret omnia effectui man-
cipare, ut pariter Rex, & Sacerdos ha-
beretur & eſſet; nec inveniri poſſet, qui
ſuæ auderet reſiſtere voluntati. Cùm ipſe
dixit & facta ſunt: mandavit, & inventa
ſunt univerſa. Hujus erant regiæ gazæ,
theſaurus totus, & fiſcus generaliter om-
nis, ut jam non Regis, ſed ſua diceretur B
res quælibet, quæ ſub climate noſtro na-
ſceret. Quia nec venatio in terris, nec pi-
ſcatio in aquis, nec volatus erat in aere,
qui ſuæ non cogeretur menſæ ſervire: ut
partitus videretur fuiſſe elementa cum
Domino, cœlum tantum cœli Domino
relinquens; cætera tria ſuis uſibus, im-
mò abuſibus & luſibus profutura reſer-
vans. Huic omnes filii nobilium ſervie-
bant vultu demiſſo, nec in cœlum aſpice-
re audebant, niſi fortè vocati ab eo; & ſi
aliter attentaſſent, aculeo pungebantur,
quem dominus præ manibus habebat, me-
mor piæ recordationis avi ſui, qui ſervi- C
lis conditionis in pago Bellovacenſi, &
aratrum ducere, & boves caſtigare con-
ſueverat. Qui tandem ad remedium liber-
tatis ad fines Northmannorum tranſvola-
vit. Hujus nepotes, & conſanguineas, ſi-
ve quaſcumque propinquas de paupere tu-
gurio procreatas, Comites, & Barones,
regnique magnates ſibi ſumma aviditate
in matrimonium copulare ardebant; glo-
rioſum reputantes, quocumque titulo fa-
miliaritatis ejus gratiam acquiſiſſent. Nec
erat ruſticus, qui agrum, nec civis, qui
fundum, nec miles, qui prædium, nec cle- D
ricus, qui Eccleſiam, nec monachus, qui
Abbatiam affectaret, quem in jus & pote-
ſtatem ejus tranſire non oporteret.

XXIII. Licèt igitur flexo genu tota Anglia ei
deſerviret, ad Francorum tamen liberta-
tem ſemper aſpirans, apud Oxonium mi-
lites, & ſervientes, omnemque ſuam fa-
miliam abſtrahebat, & ſpreta in omnibus
gente Anglorum, ſtipatus agmine Fran-
corum, & Flandrenſium, pompaticè ince-
debat, ſubſannationem in naribus, cachin-
num in ore, deriſum in oculis, ſupercilium
in fronte geſtans pro lamina ſacerdotis.
Hic ad augmentum, & famam ſui nominis E
emendicata carmina, & rhythmos adula-
torios comparabat, & de regno Franco-
rum cantores & joculatores muneribus al-
lexerat, ut de illo canerent in plateis: &
jam dicebatur ubique, quòd non erat talis
in Orbe. Et rè vera, ſi tempus Cæſaris
fuiſſet, ſe deum vivum cum Tiberio ap-
pellari feciſſet. Cùm autem Rex ei Comi-
tes addidiſſet, ut communi conſilio ſaltem
majora ordinaret: regni conſortem nequa-
quàm habere ſuſtinuit, quòd gloriæ ſuæ
plurimùm crederet dedecorari; ſi cujuſ-
quam mortalis indigeret conſilio. Solus

A ergò regnabat, & ſolus imperabat, & à
mari uſque ad mare timebatur ut Deus,
& ſi plus dicerem, non mentirer: quia
Deus longanimis eſt, & miſericors; ipſe
autem in impetu malè cuncta miniſtrans,
nec in faciendo juſtitiam habere, nec in
ſuſtinendo moram potuit expectare. Hinc
etiam domini ſui litteras omnes & man-
data ſpernebat, ne dominum habere vi-
deretur, nec cuiquam ſubeſſe crederetur,
qui omnes quaſi ſervos ſuæ effecerat vo-
luntatis. Cùm igitur Anglia ſub tàm gra-
vi onere & jugo importabili diutiùs labo-
raſſet, ingemiſcens tandem propter opera
B clamavit in fortitudine, & aſcendit cla-
mor ejus ad Dominum; & reſpexit eam
oriens ex alto, qui ſuperborum & ſubli-
mium colla propria virtute calcat, & hu-
miles exaltat in magnitudine brachii ſui.
Sol nempè juſtitiæ licèt bonis & malis lu-
ceat, tamen alta ſapientum oculos excæ-
cat, & mentes humilium ſui luminis illu-
ſtratione fœcundat.

Licèt igitur Cancellarius ille fortiter XXIV.
legiſſet, Summis ſtare diu negatum, & qui
ſtat, videat ne cadat, & qui ſe exaltat, hu-
miliabitur, & quòd antè ruinam cor exal-
tabitur: tamen humanæ conditionis, quæ
C numquam in eodem ſtatu permanet, &
oblitus volubilitatis rotæ, quæ infi-
mum erigit, & elevatum deprimere con-
ſuevit, numquam tamen voluit intellige-
re, ut benè ageret, ſed iniquitatem medi-
tans in cubili ſuo, ubi cum miniſtris ne-
quitiæ, & pueris ſuis dormiebat in concla-
vi: appoſuit iniquitatem ſuper iniquita-
tem, ut propter ſuperbiam, & abuſiones
ſuas digno Dei judicio ſe ipſum præcipi-
taret in potentias Domini, ut jam non eſ-
ſet locus miſericordiæ, ſed ſoli poteſtati;
nec eſſet tempus miſerandi ejus, nec par-
cendi. Ipſe enim dictavit ſententiam ad-
D versùm ſe, exaſperavit vindictam; qui
tantum facinus affectavit, in quo non ho-
minis tantùm, ſed Dei magis iracundiam
provocavit. Licèt enim Dominus omnia
poſſit, innocentem tamen condemnare non
poteſt, nec nocentem ſalvare, niſi parcat,
ſi fortè nocens fuerit obſtinatus. Menti
enim obſtinatæ, & fronti meretricis, du-
ricies opponitur veri adamantis, ut con-
terat. Quia nihil tàm forte eſt, quod for-
tiori non cedat.

Cùm igitur homo tantus ſuperari ab XXV.
homine non poſſet: Pater miſericordiarum
E & Deus totius conſolationis venit in ad-
jutorium populo Dei ſupplicanti, & in af-
fectum ejus manum miſericordiæ ſuppo-
nens, dejecit illum à poteſtate, & accuſa-
torem, immò deſtructorem in eum ſpiri-
tum vertiginis induxit, à quo reverti non
poſſet, vel reſurgere. Sed ita induravit
cor, excæcavit mentem, infatuavit conſi-
lium illius, quod Archiepiſcopum Ebo-
racenſem in Eccleſia priùs obſedit, poſt-
modùm cepit, captum violenter extraxit,
extractum fortiter vinxit, vinctum turpi-
ter traxit, tractum incarceravit. Et licèt
concurſus fieret populorum dicentium: Ju-

ſtus

A ſtus homo, & amicus Dei quid fecit, ducatur ut ad carcerem? innocens ſanguis ejus ſine causâ damnatur: tamen non potuit audiri pietas, ubi ſuperbia regnabat; nec auditus eſt Deus, ubi imperabat tyrannus. Veniebat enim à partibus Northmanniæ Archiepiſcopus ille præfatus cum baculo paſtorali, cum mitra, & annulo, & ſuperhumerali, quod novis temporibus pallium nuncupatur. Et cùm eſſet filius Regis Henrici bonæ recordationis, & frater Richardi Règis modò regnantis, frater quoque Comitis Joannis Moretonii; nihil tamen potuit ei prodeſſe regius ſanguis; cùmque eſſet noviter conſecratus, nihil eum potuit juvare novitas ſacramenti. Ergò per totam Inſulam à laicis publicè proclamatur: Pereat, qui perdere cuncta feſtinat: opprimatur, ne omnes opprimat. Quòd ſi in viridi hoc fecit, in arido quid faceret? Et ecce Spiritu ſancto ducente, ab Aquilone, & mari, & ex omni parte totius Inſulæ concurrunt & confluunt univerſi, ut Archiepiſcopus ille poſſet liberari. Verùm funiculis peccatorum ſuorum ipſum conſtringentibus Cancellarium, & conſcientia ſua eum vehementiùs accuſante, fugit lorjectus à facie hominum, & ſe abſcondit, & incluſit cum ſuis hominibus in turre Londoniarum. Nobis autem introeuntibus civitatem in ſero, plures de familia ejus armati cum gladiis exertis nos invaſerunt, & nobilem virum de noſtris militem interfecerunt, & plures vulneraverunt.

In Legatū conſpirant æmuli.

XXVI. Manè ergo habito conſilio cum omnibus ferè magnatibus regni, præſente domino Joanne fratre Regis, & Rothomagenſi & Eboracenſi Archiepiſcopis, Epiſcopis etiam præſentibus Dunelmenſi, Londonienſi, Vvintonienſi, Bathonienſi, Roffenſi, Norvicenſi, Lincolnienſi, Herefordenſi, Menevenſi, Conventrenſi. Factoque concilio coram omni populo totius civitatis, præſentibuſque Juſticiariis domini Regis, & approbantibus, de conſilio univerſorum ſtatuimus, ne talis de cætero in regno Angliæ dominetur, per quem Eccleſia Dei ad ignominiam, & populus ad inopiam erat redactus. Ut enim cætera omittam, ipſe & gancones ſui totum regnum exhauſerant, nec viro baltheus, nec fœminæ monile remanſit, nec annulus nobili, nec quodlibet pretioſum etiam alicui Judæo. Theſaurum quoque Regis exinaniverat prorsùs, ut in omnibus ſcriniis, vel ſaccellis nihil præter claves, de toto iſto biennio poſſet inveniri. Tertia autem die promiſit firmiter, & per quemdam de ſuis fidem dedit corporaliter, cunctis videntibus, quòd Inſulam non exiret, donec caſtella quædam, quæ in manu ſua habebat, & advenis, & ignotis perſonis, & obſcuris tradiderat, quæ ibi nominata fuerunt, libera penitùs reſignaſſet, & perſonis nominatis tradi feciſſet: ſuper quo & fratres ſuos, & Camerarium ſuum obſides dedit. Et Cantuariam properavit, ut ibi, ſicut decebat, crucem acciperet peregrinationis, & deponeret crucem legationis, quam per annum & dimidium anni, poſt mortem Papæ Clementis, in præjudicium Romanæ Eccleſiæ, & detrimentum Anglicanæ portaverat. Omnes enim Eccleſias Angliæ crux illa redimit, id eſt, ad redemptionem coegit: nec fuit aliquis immunis, qui crucis illius ſtigmata non ſentiret. Et ſi fortè alicujus Epiſcopi domum intravit, ab eo ſcire poteritis, quòd centum, vel ducentarum marcharum pretio ſua conſtiterit procuratio.

B XXVII. Cùm autem in caſtello Doroberniæ aliquot diebus commoratus fuiſſet, immemor ſuæ profeſſionis, & fidei obligationis, quam fecerat: oblitus etiam fratrum ſuorum, quos obſides datos morti turpiter exponebat, navigare propoſuit: & cùm hoc apertè non auderet, novum genus fraudis invenit, & ſeſe fœminam ſimulavit, cujus ſexum ſemper odit: veſtemque quoque ſacerdotis in habitum convertit meretricis. Proh dolor! vir factus eſt fœmina: Cancellarius Cancellaria; ſacerdos meretrix; Epiſcopus ſcurra. Ergò de caſtello ſuperiori, licèt claudus eſſet, pedibus prælegit properare ad litus, tunica fœminea

Pudenda in Legatū concinnantur.

C viridi & enormiter longa, pro tunica ſacerdotis hyacinthina indutus, cappam habens ejuſdem coloris deformiter manicatam, & pro planeta, peplum in capite pro mitra, pannum lineum in manu ſiniſtra, quaſi ad vendendum pro manipulo, virgam venditoris in dextera pro baculo paſtorali. Talibus ornatus Antiſtes deſcendit ad mare, & qui loricam militis ſæpiùs geſtare ſolebat (mirares) quòd tàm effœminati animi factus fœmineum animum prælegit. Cùm enim ſederet in litore ſupra petram, piſcator quidam, qui ſtatim reputans ſcortum, propriùs acceſſit, & qui

D quaſi nudus de mari deſcenderat, calefieri fortè cupiens, cucurrit ad monſtrum, & manu ſiniſtra collum complectens, dextera partes inferiores rimatur. Cùmque tunicam ſubitò ſublevaſſet, & nimis inverecundè ad partes verecundas manum extendiſſet audacter, femoralia ſenſit, & virum in fœmina certis indiciis agnovit, & vehementer admirans, & retrò proſiliens, totus attonitus, voce magna proclamat. Venite & videte omnes mirabilia, quòd virum in fœmina inveni. Protinùs ſervientes ejus, & noti qui ſtabant à longè, acceſſerunt, & modeſta quadam

E violentia eum repulerunt, & increpaverunt, ut taceret. Tacuit ergò piſcator, & clamor ille quievit, & ſedebat hermaphroditus expectans. Interim mulier quædam exiens de villa, videns pannum lineum, quem ille, vel illa geſtabat expoſitum venditioni, & procedens cœpit quærere quanti eſſet pretii, & pro quanto ulnam daret. Ille verò non reſpondebat, quia linguam Anglicanam prorsùs ignorabat, & illa magis inſtabat: & continuò ſupervenit alia mulier, illud idem inſtanter inquirens, & plurimùm inſtans, ut pretium venditionis ei aperiret. Cùmque

ille

ille nihil reſponderet, ſed magis ſubrideret, cœperunt inter ſe fabulari, & quærere quidnam eſſet. Et dolum arbitrantes, projecerunt manus ad peplum, quo facies tegebatur, & ſubmittentes à naſo uſque deorſum, viderunt faciem hominis nigram, & noviter raſam, & ſtupeſcere ultra modum cœperunt. Et corruentes ad terram, voces ad ſidera tollunt, dicentes: Venite, lapidemus hoc monſtrum, quod deformavit utrumque ſexum. Et facta eſt ſtatim multitudo virorum, ac mulierum extrahentium de capite peplum, & trahentium eum proſtratum in terram per manicas, & per capucium, per arenam ignominiosè; & per ſaxa non ſine læſione. Servientes autem bis aut ter impetum fecerunt in turbam, ut eum liberarent, ſed non potuerunt, quia populus totos eum inſatiabili corde perſequens, & verbis, alapis, & ſputis, pluribuſque modis turpiter tractavit per totam villam, & ſic tractatum, immò diſtractum in quodam cellario tenebroſo eum quaſi ſub carcerali cuſtodia incluſit. Tractus igitur eſt, qui traxerat, captus, qui ceperat, ligatus, qui ligaverat, incarceratus, qui incarceraverat: ut ſecundùm quantitatem culpæ, commenſurabilis videretur quantitas pœnæ. Factus eſt enim opprobrium vicinis ſuis valdè, & timor notis ſuis, & datus eſt in deriſum omni populo. Utinam ſe ſolum ſacerdotem, & non ipſum ſacerdotium inquinaſſet. Provideat igitur Romana Eccleſia, ut tantus exceſſus taliter puniatur, ne delictum unius contaminet omnes, & ſacerdotalis auctoritas ne vileſcat. Et Rex Angliæ nihilominùs proſpiciat, ut talem regno ſuo perſonam præficiat, per quem regalis dignitas honoris ſervetur, & juris ſui detrimenta non ſentiat; ſed de ejus regimine Clerus & populus meritò debeant gloriari.]

XXVIII. Defenſores Plures Elienſis Epiſcopi Legati.

Iſta quidem hoſtis, hoſtilique animo exaggerata in Urbem miſit, & pervulgavit per Orbem. At non defuerunt ejus temporis inter celebriores Scriptores veri amantes, ſuadente juſtitia, adversùs invaſores regni pro Elienſi Epiſcopo Legato ad defenſionem parato qui ſcriberent, condolentes ejuſmodi fieri adversùs virum prudentiſſimum ab improbis impreſſiones. Nam inter alios Petrus Bleſenſis Archidiaconus Bathonienſis, doctrina & probitate omnibus notus, pro eodem Elienſi plura ſcripſiſſe reperitur. Et inter alia audi epiſtolam conſolatoriam, in his turbis ad eumdem Legatum Epiſcopum ſcriptam, (*a*) qui audiſti adversùs eum adeò ignominioſam pervulgatam ſatyram.

a *Pet. Bleſ. ep.* 87.

Petri Bleſ. ad Elienſ. Epiſc. Epiſtol.

Reverendo patri & domino Vuillelmo Dei gratia Elienſi Epiſcopo, Regis Angliæ Cancellario, & Apoſtolicæ Sedis Legato, Petrus Bleſenſis Bathonienſis Archidiaconus ſalutem, & in adverſitate conſtantiam.

Super lectum doloris mei in infirmitate verſabar, cum doloribus dolores accumulans, intermeantium crebra relatio nunA tiavit, quàm proditoriè, & quàm malignè veſtram ſupplantarit innocentiam factioſa conjuratio invidorum. Ab ea die ſagittæ Domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum. Idcircò ego gemens, & oculus meus deducens aquam, nullam invenit requiem compatientis affectus. Nam ut verbo beati (*b*) Job utar: Si dormiero, dicam, quando reſurgam? & rursùs expectabo veſperam, replèborque doloribus uſque ad tenebras. Sanè antequàm cum domino Rege Angliam exiviſſem, preſens eram, vobiſque prædixeram, B qualiter æmuli veſtri jam contra vos arma iniquitatis jn invidiæ fornace conflabant. Invidia eſt, quæ Chriſtum in mortem tradidit? invidia Cain armavit in fratrem, Saul in David, Joab in Abner, & Amaſam. Per invidiam, dicit (*c*) Salomon, mors intravit in Orbem terrarum. Hæc eſt beſtia ſaivus, quæ devoravit exercitum Abſalon. De illa Sapiens dicit: (*d*) Ne ambules, & ne comedas cum homine invido. Comede & bibe, dicet tibi, & mens ejus non erit tecum. In oculis tuis, dicit Eccleſiaſticus, lacrymabitur, & quaſi adjuvans ſuffodiet plantas C tuas. Filius ille perditionis, qui numquam poſuit Deum adjutorem ſuum, ſed confiſus eſt in verbis mendacii, mel, & lac habebat in ore; caudam verò ſcorpionis abſcondebat in corde. Ipſe & complices ejus, quorum os amaritudine plenum erat, qui os ſuum ſemper docuerunt loqui mendacium, linguis ſuis doloſè agebant, Sirenæ uſque in exitium dulces; eorumque nequiſſimam ſimultatem prudentia veſtra deprehendere potuit, ſed inter amicum, & hoſtem proſperitas non diſtinguit. Vidi, vidi, reverendiſſime Præſul, quando D illi detractores Deo odibiles, illi venditores olei dicebant tibi, euge, euge, humiliantes ſe nequiter, & interitum exitiom excubantes. Eſt enim qui nequiter ſe humiliat, dicit (*e*) Eccleſiaſticus, & interiora ejus plena ſunt dolo. Eos quidem domeſticos & unanimes tibi fecerat linguæ meretricantis aſtutia; nunc autem eſt gladius in labiis eorum. Et in libro experientiæ legis, (*f*) quia inimici hominis domeſtici ſunt, ſicut ignis in ſinu, ſerpens in gremio, mus in pera, ſuos remunerant hoſpites. Quàm citò malignandi occaſio ſe obtulit, ut verbo (*g*) Iſaiæ E utar, ova aſpidum ruperunt, & quod confotum eſt in eis, erupit in regulum. Si inimicus tuus maledixiſſet tibi, ſuſtinuiſſem utique: nunc autem homo pacis tuæ, qui edebat panes tecum, magnificavit ſuper te ſupplantationem. Sic homo bonum vinum primùm ponit, cùm autem inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt. Quia ſupplantatores impii per vinum adulatoriæ lenitatis propinaverunt tibi vinum de ſuburbanis Gomorrhæ, venenum aſpidum inſanabile. Et te quidem pater, uſu & convictu noviſſe credideram illud ſemen Chanaan, genimen viperarum: generatio enim prava eſt, & exaſperans, & quæ num-

b *Job.* 7.

c *Sap.* 2.

d *Prov.* 13.

e *Eccli.* 19.

f *Matt.* 10.

g *Iſai.* 59.

Digitized by Google

numquam direxit cor ſuum , nec eſt cre- A
a *Jerem.* 13. ditus cum Deo ſpiritus ejus . Si poteſt (*a*)
Æthiops mutare pellem ſuam , aut pardus
varietates ſuas , & iſti , qui quaſi aquam
biberunt iniquitatem ab adoleſcentia ſua ,
poterunt oblivíſci malitiæ, quam à paren-
tibus contraxerunt .

XXIX. Verbum Salomonis (*b*) eſt : Si impium
b *Prov.* 27. contuderis in pila , quaſi ptiſanas ferien-
te deſuper pilo , non auferetur ab eo ini-
quitas ejus . Heu , heu , ubi eſt timor Dei ?
ubi memoria mortis ? ubi gehennæ terror ?
& horribilis illa expectatio tremendi judi-
cii ? Quomodò filium illum plorationis
æternæ non revocavit à tanto ſcelere vin- B
culum fidei , tot beneficiorum memoria ,
tanta fœderis promiſſio , & obligatio jura-
c *Jerem.* 3. menti ? Sanè juxta Jeremiæ (*c*) verbum : Frons
meretricis facta eſt ei , noluit erubeſcere ,
obduruit in malitia cor illius , & adhùc ma-
nus ejus extenta . Domine JESU Chriſte ,
qui es amator veritatis , aut potiùs amor
& veritas , quomodò diminutæ ſunt veri-
tates à filiis hominum ? Cornnerunt in pla-
d *Iſai.* 59. teis , dicit (*d*) Iſaias , veritas & juſtitia . Et
e *Oſe.* 4. Oſeæ : (*e*) Non eſt veritas , non eſt miſe-
ricodia in terra : maledictum & menda-
cium inundaverunt , & ſanguis ſanguinem
tetigit . Ideò maledictus qui confidit in C
homine . Pravum enim eſt cor hominis ,
& inſcrutabile , & quis cognoſcet illud ? So-
phiſticæ dilectionis faciem tibi prætende-
bat æmulus , & de cœnoſiſſimo lacu con-
ſcientiæ jam ſcatebant exhalationes infer-
ni , ventus urens , aer peſtilens , & aura
f *Job* 20. corrumpens . Porrò teſtimonio (*f*) Job ,
Si aſcenderit in cœlum iniqui ſuperbia ,
quaſi ſterquilinium in fine perdetur : tran-
ſibit enim ſicut viſio nocturna , & inve-
nient eum mala quæ fecit . Verbum Salo-
monis eſt : Semper jurgia quærit homo per-
verſus ; angelus autem malus contra eum
mittetur . Habe igitur pater ſuſtinentiam D
& in opus fortitudinis te accinge : Si enim
in ſpiritu manſuetudinis hæc ſuſtineres ,
propter manſuetudinem , & juſtitiam tuam
liberabit & exaltabit te , qui arguit pro
manſuetis terræ , & erigit manſuetos in
ſalutem . Qui afflictus & humiliatus eſt ,
g *Idem* 22. dicit (*g*) Job , erit in gloria . Et tu ,
h *Pſal.* 118. quæſo , frequentiùs pſallas : & dicas : (*h*)
Bonum mihi Domine , quia humiliaſti
me . Tamquàm aurum in fornace proba-
vit te Dominus . Non eſt enim Jacob ,
quem Eſau non perſequitur : nec eſt Abel ,
quem Cain malitia non exercet . Juſtus
ſepties cadit in die , fortiorque reſurgit . E
Multæ enim ſunt tribulationes juſtorum .
i *Job* 5. In ſex tribulationibus , dicit (*i*) Job , li-
berabit te Dominus , & in ſeptima non
tanget te malum . Non deſeras , quæſo ,
patientiam ; patientia enim juſtorum non
peribit in finem . Non te moveant oppro-
bria exprobrantium tibi , quia teſtimonio
k *Prov.* 16. (*k*) Scripturæ non contriſtabit juſtum ,
quidquid acciderit ei . Docent nos exem-
pla majorum , quia viri magnanimi forti-
tudo gravioribus injuriis laceſſita grande-
ſcit . Nihil arduum , nihil magnum eſt

A magno viro : nec timendum eſt ei quid-
quam eſſe difficile , cùm ſoleat diffi-
cultas ea ſolo timore procedere . Si rei fa-
miliaris diſpendia , jacturamque & preſ-
ſuram tuorum ægrè ſuſtines , recole ver-
bum Apoſtoli (*l*) ad Hebræos : Spectacu- l *Hebr.* 10.
lum , inquit , opprobriis & tribulationi-
bus facti , rapinam bonorum noſtrorum
recepimus cum gaudio , cognoſcentes nos
habere meliorem & manentem ſubſtan-
tiam .

Erit , erit , quando hæc meminiſſe ju- XXX.
vabit : erit , quando reſpondebis expro-
brantibus tibi verbum . Erit , quando cum
B gratiarum actione cantabis , & dices : (*m*) m *Pſal.* 70.
Oſtendiſti mihi Domine tribulationes
multas & malas , & converſus vivificaſti
nos . Secundùm multitudinem dolorum
meorum in corde meo conſolationes tuæ
lætificaverunt animam meam . Lampas
(ait (*n*) Job) contempta apud cogita- n *Job* 12.
tiones divitum , psrata eſt ad tempus ſta-
tutum . Hæc omnia peccator videbit , &
iraſcetur : te enim oportet creſcere , ipſum
autem minui . Princeps quidem quæ di-
gna ſunt Principe cogitabit , & ea tua re-
ſtitutione plenior & exuberantior gloria
ſubſequetur . Tunc videbis , & afflues ,
C quia tuis remetieris æmulis in menſura ,
qua menſi ſunt tibi . Tuli , (*o*) dicit Do- o *Iſai.* 51.
minus per Iſaiam , calicem indignationis
meæ de manu tua : non adiicies , ut bibas
illum ultrà : & ponam illum in manu illo-
rum qui te humiliaverunt . Deus enim ,
dicit (*p*) Job , non abiicit potentes , cùm p *Job* 36.
ipſe ſit potens , ſed cauſas intuebitur ſin-
gulorum . Scio quia faciet Dominus de
perſequentibus me judicium : repoſita eſt
hæc ſpes mea in ſinu meo . Expecto , ut
juguletur (*q*) Goliatb gladio , quem pa- q r. *Reg.* 16.
raverat in mortem David : & Aman (*r*) r *Heſter* 9.
puniatur in cruce , quam paraverat Mar-
D dochæo . Tua verò circumſpectio , pater ,
de cætero fidem diligentiùs examinet ſin-
gulorum , quos decreveris admittendos
in tuæ familiaritatis ſacrarium . Nam ſi-
cut in Eccleſiaſtico (*s*) legis : Amico fide- s *Eccl.* 6.
li nulla eſt æſtimatio , & non eſt ad com-
parationem illius ponderatio argenti &
auri . Cauſam tuam , dicit (*t*) Salomon , t *Prov.* 25.
tracta cum amico tuo , & conſilium tuum
extraneo ne reveles . Et Eccleſiaſticus : (*u*) u *Eccl.* 12.
Non credas inimico tuo in æternum , quia
ſicut æramentum ſemper æruginabit nequi-
tia illius . Benè & diu valeas benigniſſime
pater . Et pax Dei , quæ exuperat omnem
E ſenſum , cuſtodiat cor & intelligentiam
veſtram , ut ſerviatis in ſanctitate & ju-
ſtitia coram ipſo omnibus diebus tuis . Ego
autem ad dominam Reginam me contuli ,
donec videam ultionem de inimicis tuis ,
& in ſtatum priſtinum cum gloria & bo-
nore revertaris .] Hactenùs conſolatoria
Petri : cujus & aliæ extant litteræ quibus
ejuſdem Elienſis Epiſcopi laudes mirum
in modum prædicantur , quas brevitatis
cauſa hìc deſcribere prætermittimus , ad
ipſum itidem (*x*) datas . At parum iſta x *Pet. Bleſ.*
viſa ſibi , niſi acerrima invectiva perſtrin- *ep.* 118.
geret

Digitized by Google

geret ipſum malorum omnium concinnatorem Hugonem Epiſcopum Coventrenſem, cùm ad eum hanc ſcripſit epiſtolā: (a)

a *Apud Roger. in Annal. Angl.*

XXXI. Quondam domino & amico Hugoni Coventrenſi, & Ceſtrenſi dicto Epiſcopo, Petrus Bleſenſis Bathonienſis Archidiaconus, Dei memoriam cum timore.

Ejuſdem Petri Bleſ. ad Hug. Coventr. epiſt.

Livor quò tendat, invidia quò feratur, proditoriæ factionis hodiè patefecit immanitas. Dilectus Deo & hominibus Epiſcopus Elienſis, vir ſapiens, amabilis, generoſus, benignus, & mitis, & in omnes liberalitates effuſus, juxta divinæ diſpoſitionem gratiæ, & ſuorum exigentiam, morum & meritorum, Reipublicæ adminiſtrationem, & ſummam rerum fuerat aſſecutus. Vidiſti, & invidiſti: es tunc ira tua. Ibi invidia concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Ipſe autem ambulans ſimpliciter, te in ſuæ familiaritatis ſacrarium, atque unanimitatem, amicitiæ vinculum & fœderis accerſivit. Totus requieſcebat ſuper te ſpiritus ejus, & erant adversùs eum omnes cogitationes tuæ in malum. Væ, dicit (b) Eccleſiaſticus, duplici corde, atque labiis ſceleſtis, & peccatori ingredienti duas vias. Interioris conſcientiæ malum quodam prætextu amicitiæ facies hypocritæ palliabat, & tu exercebas occultè in hominem innocentem linguæ ſeditionariæ & procacis injurias. Maledictus, inquit (c) Salomon, ſuſurro, & bilinguis in populis: turbat enim pacificos. Omnem conſcientiam ſuam effundebat in ſinu tuo; te enim quaſi ſe alterum reputabat: tu verò eum in occaſionem præcipitii proditoriis adulationibus impingebas. O deteſtanda proditio! Judas oſculo tradidit, & tu verbo. Exhibebas exteriùs diligentis officium, & lingua tua concinnabat dolos. Sedens adversùs fratrem tuum loquebaris, & adversùs filium matris tuæ ponebas ſcandalum. Væ homini illi, per quem ſcandalum venit.

b *Eccl. 2.*

c *Eccl. 28.*

XXXII. Hoc equidem facinus interminabilem tibi maculam ſiniſtræ opinionis inuſſit, & ſi quid commendabile de beneficio naturæ perceperas, culpa hæc perenniter abolevit. Nimirum Joab (d) multa fortiter fecerat, ſed proditio in Amaſam, & Abner omnes in eo virtutum titulos denigravit. O labia detractoria! O lingua maledica, & doloſa! Quid apponetur, Domine, ad hanc linguam doloſam? Utinam apponantur ſagittæ, quæ eam transfodiant, & carbones deſolatorii hanc incendant. Utinam tu (Seraphin) qui cœleſti carbone (e) Prophetæ labia emundaſti, gehennali flamma totum os & linguam ejus emundando deſtrueres, ut poſſemus cantare, & dicere: (f) Deſtruxiſti eum ab emundatione. Labia Evangelio conſecrata numquam deſinunt effutire ventū in verba mendacii. Totum vanitati datur, quod erat debitum veritati. Porrò vir linguoſus non dirigetur in terra. Ergò qui ſtat, videat ne cadat; ante ruinam exaltatur cor.

d *2. Reg. 20.*

e *Iſai. 6.*

f *Pſal. 88.*

XXXIII. Exultas infelix & jactitas, quòd ſupplantaveris innocentem. Sed certè poſitus eſt in ruinam, reſurrectionemque multorum; in ſuam ſcilicèt, & ſuorum reſtitutionem, in tuam verò, tuorumque ruinam complicium: Faba hæc recudetur in caput tuum. Omnis enim fraus in ſe reverſa colliditur. De dolo non colliges, niſi fructum doloris; & orditus es telam, ut diploide veſtiaris. Verbum Iſaiæ eſt: (g) Qui ordimini telam, & in umbra Ægypti confiditis, diem amaritudinis expectate. Publicè gloriaris & jactitas, quòd hanc turbam moveris, quòd incautam deceperis & induxeris plebem, ut armis inermem, & inſidiis appeterent innocentem. Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? Quid prædicas malitiam tuam, quæ in pluribus provinciis tua diſcurrente infamia jam plebeſcit? ſed de te, conſimilibuſque tuis dici (h) poteſt: Lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis. Porrò verbum Sapientis (i) eſt: Qui lætatur in ruina alterius, punietur. Salomon: (k) Cùm ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, ne videat Deus, & in te iracundiam ſuam vertat. Sanè ſemper familiare & proprium tuæ proſapiæ fuit, diſſenſionum materiam ſeminare; ramuſque peſtilens malitiam ſuam de malæ arboris radice contraxit. O generatio prava! O domus exaſperans! O genimen viperarum! Quis te docuit fugere à ventura ira? putas, quòd non videat, & requirat hæc Dominus? Propter hoc irritavit impius Dominum, dixit enim in corde ſuo: Non requiret. Sed certè requiret Dominus, requiret etiam illic, de cujus nunc anguſtia gloriaris: quandoque dante Domino reſpirabit. Sapientia enim juſtum venditum non dereliŋquet, & in tempore erit reſpectus illius. Decebat tui ordinis gravitatem, pacem conciliare in populis, ſedare ſeditiones, maximè in Anglia, quæ te ſatis pauperem ſuſcipiens magnificis honoribus ampliavit. Jeremias loquens ad eos, qui in tranſmigratione Babylonica erant: (k) Quærite, inquit, pacem civitatis, ad quam migrare fecit vos Dominus: quia in pace illius erit pax veſtra. Vice alia tibi ſcripſi, & ut ceſſares à talibus, monitis ſalutaribus ſupplicavi. Verumtamen (l) cithara David numquam Saulis veſaniam ſedavit ad plenum, & adhùc manus ejus extenta eſt. Memento igitur homo, ſi tamen homo; memento, inquam, tuæ conditionis; memento hujus vitæ brevis, memor eſto diſtricti, & horrendi Judicis; memor eſto pœnæ terribilis, horribilis, interminabilis, & intolerabilis, quæ tibi in æternum parata eſt, ſi à tali maleficio non deſiſtas.] Hactenùs Petrus. At qualis fuerit Hugo iſte, ex ſua ipſius audi confeſſione, cùm in extremis laborans, coactus eſt, exigente conſcientia, dicere veritatem: nam de ipſo iſta Rogerius:

g *Iſai 30.*

h *Prov. 2.*

i *Ibid. 17.*

k *Ibid. 24.*

l *Jerem. 29.*

m *1. Reg. 18.*

XXXIV. Eodem anno Hugo de Nunant Coventrenſis, ſive Ceſtrenſis Epiſcopus Romam tendens, in Northmannia cœpit graviter infirmari. Cumque ingraveſcente ægritudine,

dine, mortem ſibi vicinam cognoviſſet, fecit accerſiri viros religioſos totius Northmanniæ, quos habere poterat, Abbates, & Priores, & audientibus cunctis voce clamoſa confeſſus eſt purè, & maxima cordis contritione, ac lachrymarum jugiter effuſione, omnia peccata, ſcelera, & enormitates omnes, quæ ſuæ memoriæ occurrebant. Tanta autem contritus erat & commotus pœnitentia, quòd omnes aſtantes, & ſe intuentes ad lachrymas & ſingultus commovit. Denique flens & ejulans, manibuſque conſertis, Prælatos omnes in virtute Dei adjurabat, quatenùs ſibi pœnitenti ſuper tot & tantis flagitiorum B excesſibus pœnam infligerent & ſatisfactionem condignam. Audientes autem viri religioſi, qui lecto aſtabant, in Epiſcopo vitam adeò flagitioſam, ſimul & admirabilem cordis contritionem, ad invicem ſeſe contuentes, obmutuerunt univerſi, neſcientes quid darent conſilii, vel quid tàm ſubitò reſponderent. Quod cernens Epiſcopus, dixit eis: Scio, ſcio, quòd tantis enormitatibus auditis, hæſitatis inter vos, quid mihi pro pœnitentia infligatis: ſed obſecro vos in nomine JESU Chriſti Domini noſtri, quatenùs in loco C pœnitentiæ & remiſſionem peccatorum meorum injungatis mihi, ut ſecundùm voluntatem Dei, ſim in pœnia Purgatorii uſque in diem Judicii, ut tunc per miſericordiam Redemptoris noſtri, qui ſemper miſericordiam exaltat ſuper judicium, ſalvus ſiam. Placuit hoc conſilium univerſis, ſalva ſemper ſibi clementia divina, quæ omnes ſervari deſiderat, & neminem vult perire. Tunc Epiſcopus, audientibus cunctis, cum ingenti mœrore recognovit, qualiter expulſis monachis Coventrenſibus, ad cumulum omnium malorum in loco eorum irreligioſos clericos introduxit. Ad cujus D flagitii ſatisfactionem aliud genus correctionis non invenit, niſi ut in eorum habitu vitam finiret, in quos, diabolico ſpiritu exagitatus dum potuit, perſecutionem excitavit, mendicare coegit, & quantum in ſe erat, odio mortali afflixit. Sicque cum magno ejulatu Abbatem Becci, qui inter cæteros aderat, deprecans adjuravit, quatenùs intuitu charitatis, ad diaboli confuſionem, habitum ſibi concederet monachalem, ut illos haberet patronos in ſæculo futuro, quos perſecutus fuerat in hoc mundo. Quod cùm impletum fuiſſet, E omnia quæ poſſidebat in auro & argento, in gemmis, & vaſis pretioſis, domibus religioſis, & pauperibus erogavit. Et ſic in ſpe bona omnium aſſiſtentium, & jugi lachrymarum effuſione, ſine inſperato quievit.] Hæc de fine Hugonis poſt aliquot annos accidere, ſed hìc recenſita, Elienſis cauſa id exigente, ut ex perſona detrahentis & calumniantis diſcas innocentiam patientium iſta

XXXV. Sed proſequamur ipſam cauſam. Ubi delata ſunt hæc ad Cæleſtinum Papã: mox ad Archiepiſcopos Angliæ iſta reſcripſit: (a)

a Extat apud Roger. in Annal. Angl.

Cæleſtinus Epiſcopus ſervus ſervorum A Dei venerabilibus fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis in regno Angliæ conſtitutis ſalutem & Apoſtolicã benedictionẽ.

Cùm dilectus in Chriſto filius noſter Richardus illuſtris Rex Anglorum, quando ſe ſuſcepto ſigno crucis ad ulciſcendam injuriam Redemptoris accinxit, tutelæ regni ſui curas, quod ſicut vir intelligens, & requirens Dominum, duxit obſequio poſtponendum, ſub Apoſtolica protectione dimiſerit: ſtatum regni ſui ac jura, & honorem ipſius, tanto majori ſtudio conſervare volumus, & debemus, quantò de noſtra protectione confiſus, majoribus peB riculis perſonam ſuam, & res pro exaltatione ſanctæ religionis expoſuit, & in obſequio Creatoris laudabiliùs, faciente Domino cum eo ſignum in bonum, atque ferventiùs, ſicut ex ſuis operibus eluceſcit, cognoſcitur ſe habere. Cùm igitur quædam tàm contra regnum ipſum, quàm contra venerabilem * patrem veſtrum Vuillelmum Elienſem Epiſcopum Apoſtolicæ Sedis Legatum, cui regnum tradidit gubernandum, per Joannem Comitem Moretonii, & per quoſdam alios accepimus attentata, quæ nonnulla in ſe ſuſpicionis continent argumenta, & ſi vera ſunt, non C in modicam noſcuntur Sedis Apoſtolicæ contumeliam redundare; eidem præſumptioni tantò maturiùs duximus occurrendum, quantò ex mora ipſa jam dicto Regi, & terræ Hieroſolymitanæ gravius detrimentum, ac nobis, & Eccleſiæ Romanæ major inde poſſet ignominia provenire.

Cæleſtinus Pap. ad Epiſcopos Angl. in cauſa Elienſis Epiſcopi.

* fratrem

Proinde univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, & in virtute obedientiæ præcipimus, quatenùs, ſi (prout nobis inſonuit) memoratus Comes, vel alius in jam dictum Epiſcopum manus violentas iniicere, vel eum capere, vel juraD mentum quodlibet ab eo per violentiam extorquere, ſeu eum in captione tenere, ſeu ſtatum regni à ſeveritate regia in receſſu ſuo diſpoſitum aliquatenùs immutare præſumpſerit: omni occaſione, vel ſimultate poſtpoſita, convenientes in unum, prædictum Comitem, & omnes antedictæ præſumptionis conſiliarios, auctores, complices, & fautores accenſis candelis, & pulſatis campanis, omni appellatione & excuſatione, necnon & perſonarum acceptione poſtpoſita, publicè nuntietis vinculo excommunicationis aſtrictos: & tàm diu faciatis ſic excommuE nicatos ab omnibus arctiùs evitari, nec non & in terris illorum, & in aliis, quas invaſerint, præter pœnitentias, & parvulorum baptiſmata, divina penitùs ſine appellationis obſtaculo prohibeatis celebrari officia: donec jam dicto Legato tàm à captione, quàm à juramento primitùs abſoluto, & regno ipſo in ſtatum à prænominato Rege in receſſu ſuo diſpoſitum reformato, cum teſtimonio litterarum ipſius Legati, & veſtrarum pariter ad Sedem veniant Apoſtolicam abſolvendi. Sciuri pro certo, quòd

XXXVI.

Excommunicatio in fratrẽ Regis.

A quòd ſi in hujus noſtri executione præcepti negligentes fueritis, aut remiſſi, non minorem in vos, præſtante Deo, duaimus ultionem, quàm ſi prædicta injuria perſonæ noſtræ, vel uni de fratribus noſtris eſſet irrogata. Datum Laterani, quarto Nonas Decembris, Pontificatus noſtri anno primo.] Hæc Cæleſtinus. Qui & has contra Eboracenſem Archiepiſcopum, fratrem itidem Regis litteras addidit, quas idem qui ſuprà Rogerius recitat iſtis verbis:

XXXVII. Quæ Cæleſtinus in Eborac. Archiep.

Cæleſtinus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus Lincolnienſi, B & Roffenſi Epiſcopis, & dilecto filio Abbati de Burgo, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Sicut ea, quæ à venerabilibus fratribus Coepiſcopis noſtris circumſpectione provida, & ratione prævia ſtatuuntur, debemus illibata ſervare: ita quæ minus quoque conſideratè aguntur, providentia pleniori corrigere, & in ſtatum debitum nobis imminet reformare. Cùm itaque venerabilis frater noſter Ganfredus Eboracenſis Archiepiſcopus in venerabilem fratrem noſtrum Hugonem Dunelmenſem Epiſcopum, & quoſdam alios excommu- C nicationis ſententiam promulgaſſet, & eorum Nuntiis ad noſtram præſentiam venientibus in Conſiſtorio noſtro, fuiſſet hincinde ſuper ea ſententia & quibuſdam aliis articulis plenariè diſceptatum: nos cognoſcentes tàm in ipſum, quàm in alios jaculatam ſententiam inconſultè prolatam, fuiſſe nullius cauſæ rationabilis munimine roboratam, eam de conſilio fratrum noſtrorum denuntiavimus publicè non tenere, irritantes eam, ne quid auctoritatis habeat inhibentes. Ut itaque, quod nos decrevimus, per partes veſtras publicè nuntietur, per Apoſtolica ſcripta D vobis mandamus, ut eamdem ſententiam per Eccleſias veſtras prædictis auctoritate Sedis Apoſtolicæ irritam: ut fidelium populus tàm ipſi Epiſcopo, quàm aliis unà cum Epiſcopo injuſtè ligatis, fraternæ communionis participium ſecurè impendat, & ab illorum nullatenùs propter hoc communione recedat. Datum Laterani.]

XXXVIII. Intereà temporis, cùm qui miſſus fuit è Sicilia à Richardo Rege Archiepiſcopus Rothomagenſis, in Angliam perveniſſet ad ſedandos tumultus, quibus illud regnum exagitabatur: partes adversùs Le- E gatum Apoſtolicæ Sedis Elienſis Epiſcopi Cancellarii tutari cœpit. Verùm quòd ille non Regis tantùm, ſed Apoſtolicæ Sedis auctoritate roboratus haud facilè privari poſſet, Nuntios ſuos Romam adverſùs eumdem Legatum Apoſtolicum miſit. Tunc & Elienſis Legatus Nuntios ſuos legavit ad Cæleſtinum Pontificem. Quid autem in ea cauſa actum ſit Romæ, loco ſuo, anno ſequenti dicturi ſumus.

XXXIX. Intereà temporis Richardus ipſe Rex Angliæ, novis obortis inter Principes Chriſtianos diſcordiis in Palæſtina, deplo- A ratis jam rebus, diſceſſionem cogitans, ut licuit, res componere laboravit. Atque primum omnium cum Saladino ad triennium fœdus ſtatuit, regnum Hieroſolymorum Henrico nepoti tradidit, Conrado competitore nece ſublato; Guidoni verò loco regni tradita ab eo eſt Inſula Cypri. His verò peractis, octavo Idus Octobris rediturus in Angliam, ſolvit Accone. Cujus progreſſus ſingulos per ſingulos fermè dies deſcripſit Rogerius in Anglorum Annalibus, & inter alia illud funeſtum, quòd ipſum contigerit in Hadriatico ſinu pati naufragium; ex quo vix ſalvus emergens B cum paucis, ubi compendioſiori via per Germaniam tranſire in Angliam conſtituiſſet; cùm Viennæ territorium attigit, quantumlibet incognitus iter faceret, cognitus tandem, per violentiam extorta confeſſione ſuorum, à Leopoldo Auſtriæ Duce capitur, & ad Henricum Imperatorem captivus mittitur. Cujus rei cauſa perturbatus & concuſſus eſt Orbis. Facta hæc ſunt in fine anni hujus. Cùm verò ad ſe miſſum Regem Anglorum Imperator accepiſſet: mox hæc ſcripſit ad Regem Francorum:

Rex Angliæ rediens capitur à Leopoldo Auſtriæ Duce.

XL. Imp. litteræ ad Reg. Franc. de Rege Angl. capto.

C Henricus Dei gratia Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus, dilecto & ſpeciali amico ſuo Philippo illuſtri Francorum Regi ſalutem, & ſinceræ dilectionis affectum.

Quoniam Imperatoria celſitudo non dubitat regalem magnificentiam tuam lætiorem effici de univerſis, quibus omnipotentia Creatoris nos ipſos, & Romanum Imperium honoraverit, & exaltaverit: nobilitati tuæ præſentium tenore declarare duximus, quòd inimicus Imperii noſtri, & turbator regni tui, Richardus Rex Angliæ, cùm eſſet in tranſeundo mare, ad partes ſuas reverſurus, accidit, ut ven- D tus, rupta navi ſua, in qua ipſe erat, duceret eam verſus partes Iſtriæ, ad locum, qui eſt inter Aquilejam, & Venetias, ubi ipſe Rex, Dei permiſſione, paſſus naufragium, cum paucis evaſit. Quidam itaque fidelis noſter Comes Mainardus de Gortze, & populus regionis illius, audito, quòd in terra erat, & conſiderato diligentius, qualem nominatus Rex in Terra promiſſionis proditionem, & traditionem, & perditionis ſuæ cumulum exercuerat, inſecuti ſunt, intendentes eum captivare. Ipſo autem Rege in fugam converſo, ceperunt de ſuis octo milites. Poſtmodùm E proceſſit Rex ad Burgum in Archiepiſcopatu Saltzeburgenſi, qui vocatur Friſorum, ubi Fridericus de Boteſovve, Rege cum tribus tantum verſus Auſtriam properante noctu, ſex milites de ſuis cepit. Dilectus autem conſanguineus noſter * Limpoldus Dux Auſtriæ, obſervata ſtrata, impoſitis ubique cuſtodibus, ſæpedictum Regem juxta Vvenam in villa viciniori in domo deſpecta captivavit. Cùm itaque in noſtra nunc habeatur poteſtate, & ipſe ſemper tuæ moleſtiæ, & turbationibus operam præſtiterit; ea, quæ præ-

* Leopoldus.

Digitized by Google

A præmiſimus, nobilitati tuæ inſinuare curavimus, ſcientes ea dilectioni tuæ beneplacita exiſtere, & animo tuo uberrimam importare lætitiam. Datum apud Rithienſem, quinto Kal. Jan.] Quòd autem (ut audiſti) excitatos ait milites Ducis ad capiendū eum, ob mala illa quæ feciſſet Rex Anglorum in Palæſtina: quænam fuerit iſta, quæ præceſſit inimicitiarum cauſa, ut Auſtriæ Dux adversùs ipſum tanta ſit auſus, jam enarremus. Recenſet iſta Matthæus Paris, proſecutus ſua hiſtoria res Anglorum, & quam præſertim hoſpitii cauſa tunc ab eo injuriam ſit paſſus in Palæſtina: ait enim:

XLI. Cauſa captivitatis Regis Richardi.

B Circa idem tempus venit Dux Auſtriæ, ut in Terra ſancta votum ſuæ peregrinationis perficiendo, in exercitu Chriſtiano Deo fideliter militaret, & Salvatoris veſtigia ibidem adoraret. Cùmque prævii ejus Mareſcalli ſibi hoſpitium accepiſſent, & neceſſaria præpararent, supervenit præcipitanter quidam miles de familia Regis Richardi, natione Neuſter, & more ſuæ gentis ebulliens ſtultitia cum jactantia, aſſerebat ſe majus jus in illo hoſpitio habere, quàm aliquis alius: cùm priùs illùc adveniens, ſibi, ſuiſque ſociis illud aſſignaſſet. Multiplicatis conviciis utrobique, C clamor ad aures Regis pervenit. Rex autem nimis cauſæ Northmanni favorabilis & credulus, in iram excanduit contra familiam Ducis, & non perpendens civiliter moderamen Dominicum, ſcilicèt:

a Geneſ. 18

(a) Deſcendam & videbo,] præcepit præcipitanter, & ſecùs quàm deceret, ut vexillum Ducis in eodem hoſpitio pro ſigno affixum in cloacam deiiceretur. Quod factum, cùm Dux hoſpitio privatus, & turpiter à Northmannis garrulia laceſſitus, cognoviſſet, Regem querulus adiit; ſed nihil niſi ſannas reportavit. Unde Dux à Rege ſpretus, ad Regem Regum ſe convertens, D Dominum Deum invocavit in ultionem cum lacrymis, ut quemque ſuperbum frangens, tantam paſſum injuriam conſolaretur, qui ait:

b Rom. 12.

(b) Mihi vindicta & ego retribuam.] Dux autem citò poſt reditum ad propria confuſus & verecundus maturavit. Hoc facto, Rex Richardus poſtcà non mediocriter exprobratus erubuit.] Hæc Paris.

XLII. Pretenſa juſtitia Imperatoris.

Qui igitur tanta affectus injuria ad propria reverſus, ſilentio devorabat quo deſcebatur ipſe, mœrorem: oblatam ſibi divinitùs vindictam exiſtimans, haud invitus arripuit eam. Ad quam exercendam conſortem adhibendum putavit Imperatorem, qui ab eodem Anglorum Rege E multipliciter ſe quereretur offenſum. Quænam fuerint illa, vera ne, ſive prætenſa: idem auctor recenſet inferiùs, cùm ea idem Imperator in conventu Epiſcoporum, ac Principum palàm expoſuit judicanda in ſuam excuſationem, ne videretur tyrannicè agere, ſi tantum Regem, militem Terræ ſanctæ, naufragum, omni ob id commiſeratione dignum, detineret tamen vinctum arcta cuſtodia, ut publicum inimicum. Ea verò qualiacumque fuerint, tu ab eodem auctore ſic accipe; ait enim:

XLIII. Concilium in cauſa Regis Ang.

Imperator autem iratum animum ac ferocem contra Regem diutiùs præferens, nullatenùs eum in præſentia ſua convocare, vel alloqui dignabatur: ſed ipſum in pluribus contra eum & ſuos graviter accuſans, calumnias multas eidem Regi prætendit. Tandem hincindè mediantibus amicis, & præcipuè H Cluniacenſi Abbate, & Vvillelmo Regis Cancellario, Imperator, convocatis Epiſcopis, Ducibus, & Comitibus ſuis, Regem in præſentia ſua acceſſiri juſſit, eumque in pluribus articulis coram omnibus accuſavit. In primis ſcilicèt quòd per ejus conſilium & auxilium, regnum Siciliæ & Apuliæ, quod ſibi jure hæreditario debebatur, defuncto Rege Vvillelmo, amiſerit. Pro quo adipiſcendo exercitum permaximum, data pecunia infinita, conduxerat: cùm idem Rex ſibi auxilium præſtiturum fideliter ſpopondiſſet, ut à Tancredo regnum illud obtineret. Deinde cauſabatur de Rege Cypri, qui ei affinitate conjunctus fuerat, quòd eum injuſtè ab imperio ejecerit, & carcerali cuſtodiæ deputaverit, & terram ejus cum theſauris violenter invaſerit, & Inſulam cuidam alieno vendiderit. Poſtmodùm verò accuſavit ipſum de morte Marchiſii de Monte Ferrato, hæredis ſui, quòd videlicèt per ejus proditionem & machinationem ab Arſacidis peremptus ſit. Quos & miſerat ad perimendum Regem Francorum dominum ſuum, cui nullam fidelitatem, ut debuerat, ſervavit in communi eorum peregrinatione, ſicut juramenti ſacramento inter utroſque fuerat confirmatum. Deinde conqueritur, quòd ſignum Ducis Auſtriæ conſanguinei ſui, ob ejus contemptum, apud Joppen in cloacam proiici juſſit, & Teutonicos ſuos in Terra ſancta verbis probroſis & factis ubique dehoneſtaverit.

XLIV. Rex Angl. tuetur cauſam ſuam.

Super his & hujuſmodi calumniis Rex Anglorum ab Imperatore conventus, protinùs in medio ſtans, contra ſingulas objectiones ita luculenter & argumentosè reſpondens peroravit, ut omnibus admirationi & venerationi haberetur, ita ut nulla ſuſpicio de his, in quibus accuſabatur, in cordibus audientium ulteriùs remaneret. Nam dictorum veritatem, & ordinem veridicia quibuſdam aſſertionibus & argumentatione probabili ita in lucem propalavit, ut omnes ſuſpiciones falſas, quibus impetebatur, omnimodis allegationibus caſſaret, & geſtorum veritatem non taceret. Proditionem quoque omnimodam, vel alicujus Principis necis machinationem conſtanter depellebat, aſſerens ſe ſemper fore paratū ad ſuam innocentiam purgãdam ſuper talibus objectionibus, prout Imperatoris Curia rationabiliter judicaret. Cùmque diutiùs coram Imperatore, & Principibus ejus diſertiſſimè, ut erat facundiſſimus, allegaſſet. Imperator admirans tantam Regis facundiam, ſurrexit, & acceſſito ad ſe Rege,

A ejus in oſcula ruit: ac deinceps blandè leniterque cum eo agebat. Ab illo denique die cœpit Imperator mitiùs agere, & Regem familiariter honorare.] At hæc (ut diximus) poſteà, nempè poſt annum acciderunt, hic recenſita ad cauſas ſimultatum obortas inſinuandas ipſo rerum geſtarum exordio. Cæterùm de his, quorum Rex Angliæ argueretur, nempè quòd fuerit auctor necis Marchionis de Monte Ferrato, & machinator mortis Regis Francorum: procuratæ ſunt litteræ excuſatoriæ à Sene de Monte, ipſo nempè Principe Aſſaſſinorum (hic namque titulus ille) quibus B immunis penitùs & innocentiſſimus idem Richardus Rex Angliæ redderetur. Extant adhùc ipſæ litteræ in nihilo labefactatæ, quas recitat (a) Neubrigenſis, quem conſule. Sed reliqua anno ſequenti.

a Neubrig. lib. 5. c. 14.

XLV. Hoc eodèm anno contigit (quod non putamus omittendum) illud memoria dignum facinus ſancti Hugonis Epiſcopi Lincolnienſis, de quo Rogerius in Annalibus iſta ſcribit: Eodem anno Hugo Lincolnienſis Epiſcopus faciens viſitationes ſuas per domos religioſorum in ſua diœceſi, venit ad Abbatiam ſanctimonialium C de Godeſtove, quæ eſt inter Oxoniam & Modeſtoc: & cùm intraſſet Eccleſiam, ut oraret, vidit tumbam in medio chori ante altare ſericis pannis velatam, & lampadibus & cereis circumdatam. Et quæſivit, cujus eſſet tumba. Et dictum eſt ei, illam eſſe tumbam Roſamundæ, quæ quondam extiterat amica Henrici Regis Angliæ, filii Mathildis Imperatricis, & quòd ipſe pro amore illius multa bona Eccleſiæ illi fecerat. Et reſpondit Epiſcopus: Tollite eam hinc, quia ſcortum fuit, & ſepelite eam extra Eccleſiam cum cæteris, ne Chriſtiana religio vileſcat, & ut exem- D plo illius cæteræ mulieres exterritæ caveant ſibi ab illicitis & adulterinis concubitibus. Et factum eſt ita.] Hactenùs auctor. Sed quid mirum, ſi hæc in mortuam Regis pellicem egerit, qui nec parceret viventi Regi, quem pro Eccleſiaſtica vendicanda libertate redarguere minimè prætermiſit? Nam audi quæ de rebus ab eo (b) præclarè geſtis omni fide ſcribuntur auditu digna:

S. Hugo Pellicem Regis extumulat ab Eccleſia.

b Extant apud Sur. tom. 6. die 17. Novembris.

XLVI. A ſingulis enim Romanis Pontificibus, qui ejus tempore Eccleſiæ præfuerunt, id humillimè petiit, *nempè ut ſolutus Epiſcopali cura viveret*, ſed non obtinuit: im- E mò verò tamquàm benè dignus coactus ab illis eſt ſuo munere perfungi. Nuntios etiam & fautores hujus rei durius illi objurgantes cum minis remiſerunt, vetaruntque, ne deinceps hujuſmodi litteras ad Apoſtolicam Sedem afferrent. Graviora quoque totius provinciæ negotia ei expedienda delegarunt. Singularem namque à Domino gratiam acceperat juſtum ab injuſto diſcernendi, ita ut peritiſſimi Jureconſulti cum admiratione dicerent numquam ſe talem virum reperiſſe in decidēdis etiam difficilibus ſubtiliſſimiſque cauſis,

S. Hugo nō impetrat miſſionē.

A quamvis ille hujuſmodi praxim nuſquam didicerat. Gaudebant omnes, qui cauſas juſtas ad ejus judicium afferebant, certi nimirùm, quòd nec ignavia ſeduci, nec muneribus, aut minis corrumpi, vel frangi poſſet.

XLVII. Spiritus quoque ſanctus, qui hoc ei contulerat donum, ſermonem illius, atque ſententias confirmabat ſequentibus ſignis. Nam cùm rebelles quoſdam & contumaces ſatanæ tradidiſſet in interitum carnis, ſubitò non comparuerunt. Miles quidam propter quoddam mendacium ab Epiſcopo ſancto reprehenſus, cùm admonitionem B ejus parvi penderet, nec ſe emēdare vellet, mox ab illo excōmunicatus eſt. Uſurpabat namque ſibi bona quædam, quæ incitante eum uxore, quòd prolem legitimam non haberet, à veris hæredibus per ſimulationem alienare conſenſerat. Tremenda res. Invaſit eum diabolus nocte ſequenti, extorquens ſubitò animam mendacem. Alius quidam in eodem ſcelere ei ſuccedens, cùm lætus & temulentus lecto exciperetur, ſopori mortem ſocians, etiam miſerè extinctus eſt. Foreſtarius quidam propter facinus plexus anathemate, viri Dei ſententiam non metuens, intra paucos dies C horribili morte deceſſit è vita. Quidam diaconus, livore impellente, militem quemdam nequiter accuſans de crimine regiæ proditionis, Hugonis ſententia ob ſpem emendationis percuſſus, cum peccatum ſuum non modò non vellet agnoſcere, ſed etiam ab Archiepiſcopo abſolutionem impetraret, rediensque ad virum ſanctum, purgationis, ut putabat, ſuæ chirographum ſecum afferret, rursùm non obſtante mandato, ab illo excommunicatus eſt. Ut autem Dominus oſtenderet, utrius ſententiam approbaſſet: diaconum horrendum in modum percuſſit, nec eum diutiùs vivere D paſſus eſt. Adoleſcentula quædam cùm impudenter ſpueret in faciem ſponſi ſui, præſente ſancto Epiſcopo, nec veniam petere vellet, à diabolo præfocata expiravit.

Excommunicati divinitùs puniuntur.

XLVIII. Clericus quidam propter tyrannidem quorumdam potentium jus ſuum, quod ei erat in quadam Eccleſia, obtinere non potuit. Pecuniis quoque, ac aliis rebus penè omnibus in Curia Romana conſumptis, jam ſumma egeſtate cœpit urgeri. Audiens verò ſanctum Hugonem oppreſſorum conſolatorem piiſſimum eſſe, ad illum tandem venit etiam longè extra fines diœ- E ceſis ſuæ, & cum lacrymis ejus auxilium imploravit. Motus ergò vir Dei, omnes excommunicavit, licèt ejus juriſdictione non tenerentur. Quid plura? Alii in amentiam verſi, alii repentina morte extincti ſunt: quorumdam oculi cum ingenti cruciatu exciderunt, donec legitimo poſſeſſori reſtituta eſt Eccleſia. Alios etiam viros ſeptem quandoque excommunicavit vir ſanctus, quòd furem à cœmeterio dolo abſtraxiſſent, & mox ſine dilatione ſuſpendiſſent. Timentes verò illi ne accideret ipſis, quod jam multis eve-

niſſe

A niſſe conſtabat, ad pedes Epiſcopi pariter venerunt. Sex ſatisfactione dura illa quidem, ſed brevi expurgati ſunt: ſeptimus, quia noluit ſatisfacere, abſolutionis gratiam non impetravit. Tam verò dura fuit ea ſatisfactio, ut etiam brumali tempore penè nudi furem à patibulo depoſitum, per longum iter humeris portare, atque in eo, quod diximus, cœmeterio, undè illum extraxerant, tumulare cumpulſi ſint. Res prorſus ſtupenda. Jam ſeptem annis tranſierant, & ecce redit miſerabilis ille, cum lacrymis petens abſolutionem: Domine, inquit, poſtquàm ſententia tua me perculit, B acciderunt mihi mala multa. Gratiam Regis continuò perdidi, exulare coactus, ad inopiam redactus ſum: corporis moleſtia contabui, plurimiſque adverſis caſibus ſubjacui. Sed ne pejora his ſuccedant, dignare, obſecro, vel ſerò pœnitentem relevare. Miſertus ergò vir piùs tantæ calamitatis, quod ex fortunato & divite ærumnoſus & morbidus factus eſſet, clementer eum abſoluit, & nè dolorem dolori adderet, mulctam ei mitiorem irrogavit.] At de his modò ſatis, ad rea Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ demùm convertamus orationem.

C XLIX. Georgius Xiphylinus Patriarcha Conſtant.

Hoc eodem anno Georgius Xiphylinus Conſtantinopolitanus Patriarcha ſedere cœpit, ſeditquè (ut Nicetas habet, & ſeries Græca Patriarcharum Conſtantinopolitanorum) annos ſeptem, quibus perveniſſe conſtat uſque ad primam Indictionem, annum ſcilicèt Redemptoris millesimum centeſimum nonageſimum octavum, ita teſtante ejus ſucceſſore Joanne Camatero in conſtitutione à ſe edita anno ſequenti, quæ extat in collectione legum Orientalium libro quarto. Quibus corrigas eos, qui anno milleſimo centeſimo nonageſimoqnarto eum ſedere D cœpiſſe ſcripſere.

Theodor. Balſamon qnando ſcribere cœpit.

Hnic autem Xiphylino Theodorus Balſamon obtulit commentarium à ſe ſcriptũ ſuper canones, imperatum ipſi opus (ut dictum eſt) ab Imperatore Emmanuele Comneno, & Michaele Anchialo Patriarcha: quod abſolutum hoc epigrammate ad fores inſcripto eidem Xiphylino nuncupavit ejuſmodi titulo.

L. Dedicatio Nomocanonis.

Theodori Patriarchæ Antiocheni ad ſanctiſſimum Patriarcham Georgium Xiphylinum carmen.

Perquàm pias traditiones canonum,
In vaſto ego mari tremens Atlantico
Pervaſi, ut Aſeraus Charybdin hoſpes trajicit,
Vel rubrum ut pelagus Iſraelites ſenex,
Tua manus dextra ſtabilitus gratia,
O Patriarcharum valdè pium decus:
Unde bacylli myſtici calamo levans
Illorum in acceſſum itiner bifariam,
Ipſe in duobus tradidi ſcripto libris,
Quæ canonicæ diſciplinæ ſunt opera.
Te rogo, qui bonis nites actionibus,
Et luce doctrinæ cunctos illuminas,
Hujus libri columna itineris ut ſies,

A *Aegyptiorum mores quidem exuſtulans,*
Verum in ſalutis via lucem porrigens.
Hæc tibi ſcribo Theodorus Balſamon,
Qui Patriarcha ſum religione inclytæ
Antiochiæ, atque adeò Orientis totius.]

Sed titulo tenus dicebatur Antiochenus Patriarcha, cùm illic conſiſtere non valeret, ſed Latinus ejuſdem Eccleſiæ Patriarcha ſedens rerum dominus, non ſineret Græcum Patriarcham illùc accedere. In reliquis autem locis ſinebantur reſidere Epiſcopi Græci ad curandos Græcos, qui illic habitarent. Teſtatur enim hoc idem ipſe Balſamon libro ſecundo, ſtatum Orientalis B Eccleſiæ his verbis deſcribens in canone decimoſexto Synodi Antiochenæ: Non ſinuntur pedem in eam immittere Græci à Latinis, Antiochiam ſcilicèt, vel Hieroſolymam, vel Tarſum. Hieroſolymæ enim ab impiis Sarracenis pollutæ ſunt, thronus Antiochenus à Patriarcha Latino detinetur, & Tarſus ab Armeniis. Reliquæ autem Hieroſolymorum, Antiochiæ, & quædam Orientales Conſtantinopolis Eccleſiæ non reputantur vacare, quia Sultanus, Latini, & reliqui Agareni permittunt Antiſtitibus ſuas Eccleſias Epiſcopaliter adminiſtrare, & Chriſtianorum, qui C illic ſunt, curam gerere.] Hæc Balſamon, qui Conſtantinopoli conſiſtit ad opus elaborandũ, munificentia Patriarchæ vivens.

Græci Epiſcopi inter Latinos, quomodo admiſſi.

LI. Quid de Nomocanone ſentiendum.

Quod ad opus ab ipſo elaboratum pertinet, plura dicenda ſunt, nec levis quidem momenti; permagni quippè intereſt, quo animo quiſquam ad ſcribendum ſe conferat: ſecundùm illud (a) Evangelicum: Si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tenebroſum erit. Theodorus verò peſſimè affectus in Latinos, à quibus ſua Eccleſia pelleretur: toto opere illo, ſumma animi amaritudine à ſe conſcripto, nihil magis elaboravit, quàm D ut infamaret Latinorum Eccleſiam principalem, Romanam Sedem, cujus auctoritate ab Antiochena Eccleſia ſe excludi cognoſceret. At quàm calumnioſè, aſtutè, vaſroque conſilio id egerit, videndum eſt: plurimi namque intereſt iſta noſſe, & ad propinata venena antidotum offerre paratum.

a *Matth. 6.*

In primis verò homo vaſerrimus conſueta arte Pelaſga apocrypha in ſua collectione miſcuit cum authenticis atque probatis, nempè canones, Apoſtolorum dictos, ab Eccleſia Catholica numquam receptos, & probatos; itemque rejectos alios, appoſitoſque mentitos canones ad Sextam Synodum, ex quibus tamquàm è pharetris ſagittas ſumit contra cælibatum Eccleſiæ Occidentalis, jejunium ſabbathi, & alia id genus. Itemque, quòd nemo alius Græcorum anteà fecerat, ex Actis Silveſtri Papæ, ſub Euſebii Cæſarienſis nomine falſo Græcè ſcriptis edidit edictum Conſtantini de donatione, non ut rem gratam faceret Romanæ Eccleſiæ, ſed ut Conſtantinopolitanum Patriarchatũ oſtenderet antiquiſſimum. Quod quidem quàm falſum ſit, oſtendimus in Annalibus ſuo loco.

LII. Acta Silveſtri duplicia.

Sed dicamus de his hæc obiter, antequàm quæ ſunt Theodori, reliqua proſequamur, duplicia reperiri Acta Silveſtri: Latina primùm, quæ & ad Græcos ſunt derivata, ut quæ habentur in pleriſque antiquis codicibus, & ex Latinis accepta. Recitat ipſa Metaphraſtes, necnon Zonaras, atque Cedrenus. Alia rursùs, quæ poſt hæc, nec ante ſæculum præcedens, nempè nō ante milleſimum Chriſti annum cognita ab aliquo fuiſſe noſcuntur, ab aliquo Græcorum commenta, proditaque ſub Euſebii nomine ex libro de Martyribus, quibus ſuperadditum eſt à Græcis Græcè ſcriptum ipſum recitatum à Theodoro Conſtantini edictum, idemque Latinitate donatum, atque receptum unà cum Actis, prout gloſſemata teſtantur appoſita apud Gratianum in dicto Conſtantini Imperatoris edicto, (a) in verbo, Utile. At (quod alibi diximus) Græci non Latinorum amore, ſed odio, ſuique utilitate feciſſe noſcuntur, in odium, inquam, Romanæ Eccleſiæ, ut quæ ipſa poſſidet, non diceretur à Chriſto eas accepiſſe (quod ſæpè ſæpiùs proteſtatos eſſe vidimus ſanctiſſimos Romanos Pontifices, Gelaſium, Nicolaum, & alios adversùs Græcos agentes) ſed à Cōſtantino Imperatore. In ſui verò utilitatem, eò quòd in eodem edicto affirmaretur, jam antiquitus ſub Conſtantino Eccleſiam Conſtantinopolitanam eſſe Patriarchatum: quod liquet, neque poſt plura ſæcula illi fuiſſe conceſſum, penitùs autem negatum à ſancto Leone Papa, Gelaſio, & aliis ſuperiùs locis recenſitis; ex quibus conceſſio iſta, quæ in edicto habetur, penitùs eſſe commenticia, prorſùsque falſa convincitur. Sic igitur, cùm idem Theodorus affectarit, ex privilegiis Imperatorum Conſtantinopolitanam Eccleſiam habere privilegia, quæ habet Romana Eccleſia: in ſui lucrum illud prodidit Imperatoris Conſtantini decretum, ut ex illo ea derivare poſſet in ſua: quod oſtēdit ipſe Balſamon in Nomocanone Photii, titulo ſecundo, & in Juſtiniani Novella, capite centeſimo vigeſimotertio. Sed & cùm agit de canonibus Synodi Antiochenæ, canone duodecimo de Appellationibus, eadem privilegia à Synodis œcumenicis in ea fluxiſſe mentitus eſt, dicens: Secunda univerſalis Synodus & Quarta dederunt Patriarchæ Conſtantinopolitano privilegia Papæ, & ſtatuerunt, ut is quemadmodùm & ille in omnibus honoretur: unde neceſſario in ejus ſententia appellatio non cadit.] Hæc ipſe, ſed in his omnibus mendaciſſimè; ſicut & falſiſſima noſcuntur eſſe, quæ à nobis ſuis locis ſunt ſuperiùs demonſtrata. En vides Balſamonis conſilium in edendo Conſtantini decreto, à nullo Græcorum hactenùs in lucem prodito, nempè, ut ageret, quod (b) agebat, ſcilicèt ut Patriarchatum Conſtantinopolitanum privilegiis parem oſtenderet eſſe Romanæ Eccleſiæ, à Chriſto tantùm in Petro fundatæ.

a Diſt. 96. cap. 14. ex palea.

b Theod. Balſ. gloſſemat. ſuper Synod. Antioch.

LIII. Conſt. edictum haud proficuum Romanæ Eccleſiæ.

Quòd autem inani ſtudio laborent Novatores improbare quod fertur edictum A ſeu decretum Conſtantini donationis, è Græco in Latinum tranſlatum: ſciant ipſi, ſe in his noſtram potiùs cauſam agere, quàm contra nos pugnare, qui profitemur cum Irenæo, Cypriano, & aliis ſanctis Patribus, iiſdemque Romanis Pontificibus, Romanæ Eccleſiæ privilegia non ab hominibus, ſed à Chriſto in Petro eſſe collata, & à Petro in ſucceſſores eſſe tranſfuſa, id ipſum ſentientibus cum Latinis etiam Græcis ſanctis Patribus, qui ab exordio naſcentis Eccleſiæ hactenùs floruerunt. Neque ob eam cauſam, quòd B nolint ſuffragari nobis ipſum Conſtantini decretum, mox jure excidit eadem Eccleſia temporalium rerū dominio, quod certum atque indubitatum in omnibus eſt, plurium Imperatorum diplomatibus poſſidere, quæ ſuis locis ſunt recitata ſuperiùs. Neque enim tot tantoſque Pontifices Romanæ Eccleſiæ, qui claruerunt à Conſtantini temporibus, quos contigit ſæpè adversùs Principes de juribus Romanæ Eccleſiæ diſputare, legimus ea voluiſſe defendere ejuſdem Conſtantini edicti auctoritate, ſed potiùs Evangelica, ut ſanctus Leo, Felix, Bonifacius, Gelaſius, C Hormiſda, ſanctus Gregorius, & reliqui ſucceſſores omnes innixi Petræ, ſuper quam Chriſtus teſtatus eſt ſe fundare Eccleſiam ſuam: quorum plures liquet non ignoraſſe Acta Silveſtri, cùm ipſorum contigit meminiſſe, neque tamen ejuſdem edicti feciſſe aliquam mentionem, utpotè quòd eo illa caruerint, & poſt longa tempora arte Græcorum illis acceſſerit, ex quibus in Occidentalem fuerit delapſum Eccleſiam, acceptum verò bona fide à nonnullis, quouſque mala fides Græcorum inexplorata latuerit, & à pluribus pugnatum pro illo in hanc uſque diem, putantibus D germanum Conſtantini privilegium omni fraude purum, omni ſtudio defendendum, & quidquid Romanæ Eccleſiæ juris eſt, non ſinere aliquo modo ſubverti. Qui primus ejuſdem edicti meminiſſe inter Romanos Pontifices reperitur, fuit Leo Papa Nonus in epiſtola ad Michaelem Conſtantinopolitanum & Leonem Acridanum Epiſcopos, anno Redemptoris milleſimo quinquageſimoquarto, ex quo haud modicum fidei incrementum accepit, unde poſteri abſque aliqua Græcorum impoſturæ ſuſpicione, & indagatione, bona fide ſicut ipſum legerint, ita receperint.

LIV. Ottonis III. diploma contra edictum Conſtant.

E Verùm emerſit in lucem tempore Benedicti Papæ Duodecimi Ottonis Tertii Imperatoris nomine diploma, quo idem edictum eſſe falſum argueretur, ſcriptumque ab impoſtore Joanne diacono. Quod quidem licèt mendis depravatum, atque ut ex ipſo apparet, nimia vetuſtate corruptum, corroſum blattis, tineiſque voratum, in lucem vendicandum tamen idem Pontifex cupidus veritatis à conſumentis omnia faucibus temporis procuravit, idque publicis monimentis omni fide munitis.

nitis. Quod rurſum cùm ad cuſtodiam ſervaretur, ſicut à legentium oculis, ita à memoria labi hominum contigit, ſed emerſit in lucem. Nam ejus duo exempla nactus ſum, alterum Pariſiis à Nicolao Fabro, unà cum aliis Romanorum Pontificum litteris Apoſtolicis uno volumine comprehenſis; alterum verò ex eadem continente codice epiſtolarum, ſeu diplomatum itidem Romanorum Pontificum atque Regum, opera & induſtria Benedicti Romani Pontificis collectarum, miſſo nobis Cremona ab honeſtiſſimo viro Eccleſiaſticarum antiquitatum ſtudioſo Petro Antonio Tolentino unà cum aliis ſumma diligentia per ipſum collectis & conſervatis ſcriptis, ad Romanam Eccleſiam pertinentibus. Quorum exemplorum habita collatione, quod in altero deeſſe videbatur, cùm licuit, ex altero ſuppletum eſt. Prodimus in lucem eò magis, quòd oppignoratam exhibuerimus fidem noſtram ſuperiùs, tertio Annalium Tomo, anno Redemptoris trecenteſimo vigeſimoquarto, ubi de Conſtantini Imperatoris donatione ſermonem habuimus, cùm per Ioannem diaconum è Græco derivatum fonte diximus, nec de ipſo aliquid, quiſnam ipſe fuerit, vel quando ſcripſerit, propalavimus, redituri inferiùs ex litteris Apoſtolicis Benedicti Duodecimi, unde accepimus, rationem. Sed quòd occaſione Theodori Balſamonis de eodem edicto verba facere neceſſitas impulit: quid pariter de ejus auctore in Ottonis diplomate ſit expreſſum, hìc deſcribere rerum opportunitas perſuaſit, ab ejus titulo inchoando. Demùm verò ipſo Ottonis diplomate integrè reddito, quid ſit de ipſo ſentiendum, noſtrum qualecumque interponemus judicium, liberum cæteris relinquentes, in diplomate adeò vetuſto atque corrupto, pro arbitrio ſuum exercere judicium, & reddere cuncta conſona veritati. Hæc enim in nuper citato codice deſcripta leguntur.

Inſtrumentum, in quo eſt bulla Apoſtolica certæ commiſſionis, & litteræ Ottonis Imperatoris invectivæ in Pontifices dilapidatores bonorum, & expreſſivæ donationis litterarum aſſignatarum Romanæ Eccleſiæ.

LV. *Monimenta publica ſub Bened. Pap. XII.* In nomine Domini Amen. Noverint univerſi, hoc præſens inſtrumentum publicum inſpecturi, quòd nos Ioannes de Amelio Forojulienſis Archidiaconus, Cameræ domini Papæ clericus, delegatus ſpecialis commiſſarius ad infraſcripta ſpecialiter deputatus, dudùm in Romana Curia reſidentes perſonaliter recepimus cum debita reverentia quaſdam litteras ſanctiſſimi Patris & domini noſtri domini Benedicti divina providentia Papæ XII. ejus vera bulla plumbea cum filis canapis, more Romanæ Curiæ bullatas, non vitiatas, non cancellatas, non abolitas, non abraſas, nec in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed omni prorsùs vitio & ſuſpicione carentes, tenoris & continentiæ infraſcriptorum.

Benedictus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio magiſtro Ioanni de Amelio, Archidiacono Forojulienſi, clerico Cameræ noſtræ, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Litteræ Cõmiſſariæ Bene. Pap. XII. Cùm certis privilegiis, regiſtris, libris, & ſcripturis Eccleſiam Romanam tangentibus, quæ in theſauro ejuſdem Eccleſiæ, qui conſervatur in civitate Aſſiſinatenſi, exiſtunt, pro quibuſdam incumbentibus ad præſens Eccleſiæ memoratæ negotiis egeamus: nos de tuæ circumſpectionis induſtria plenam in Domino fiduciam obtinentes, te pro eiſdem privilegiis, regiſtris, libris, & ſcripturis perquirendis, eligendis, ac nobis mittendis, vel deferendis, ad civitatem eamdem providimus deſtinandum. Quocircà diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenùs illùc te perſonaliter conferre procurans, dilectis filiis magiſtro Raymundo de Pocoliis, Archidiacono Petragoricenſi rectore, & Ioanne Rigaldi Canonico Albienſi, theſaurario Ducatus Spoletani, vel eorum altero, vel pluribus tabellionibus auctoritate Apoſtolica publicis tecum adhibitis, viſis quoque ac recenſitis inventariis, aliàs de theſauro prædicto confectis, privilegia, regiſtra, libros, & ſcripturas hujuſmodi, de quibus tibi verbotenus diximus, & injunximus, perquirere, ac eligere ſolerti & fideli adhibita diligentia non poſtponas, illa ex eiſdem privilegiis litteris, & ſcripturis, de quibus juxta voluntatem & intentionem noſtram, quam tibi oraculo vivæ vocis expræſſimus, cognoveris expedire, de verbo ad verbum per dictos tabelliones tranſcribi, & eorum tranſcripta in formam publicam redigi faciendo, & nihilominùs decernendo auctoritate Apoſtolica, eiſdem tranſumptis in publicam formam, ut præfertur, redactis, & coram te ſolemniter publicatis, eſſe ubique perpetuo in judicio, & extra judicium fidem plenariam tamquàm originalibus adhibendam. Subſequenter verò privilegia, regiſtra, libros, & ſcripturas, quæ, quos, & quas elegeris, & de theſauro prædicto receperis, ſive ipſorum privilegiorum, litterarum, & ſcripturarum tranſumpta publicata (ut ſuperiùs eſt expreſſum) nobis mittere ſtudeas fideliter, vel deferre, te taliter ſuper his habiturus, quod tuam circumſpectam fidelitatem ac diligentiam in hac parte meritò commendare poſſimus. Datum Avenione ſecundo Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri anno quarto.

LVI. *Teſtificatio Comiſſarii Apoſt.* Auctoritate quarum, nos Ioannes delegatus & Commiſſarius ſupradictus, ad civitatem Aſſiſii, & locum Fratrum Minorum Beati Franciſci, videlicèt ad cameram juxta Sacriſtiam ſuperiorem, ubi præfatus theſaurus in Archivis Romanæ Eccleſię conſervatur, venerabili viro domino Ioanne Rigaldi legum Doctore, Canonico Albienſi, Spoletani Ducatus theſaurario, & magiſtris Bartolo Vrãnis de Spello, Bertrãdo Glauderis, & Geraldo de Car-

reria clericis Spoletanis, & Caturcenſis diœceſis, auctoritate Apoſtolica tabellionibus publicis nobiſcum adhibitis, nos perſonaliter conferentès, viſis, & recenſitis inventariis, aliàs de edicto theſauro factis, privilegia, regiſtra, & libros, ac ſcripturas alias, de quibus præfatus dominus noſter Papa nobis verbotenus dixit ſpecialiter, & injunxit, adhibita ſolerti diligentia, tenorem commiſſionis noſtræ ſervantes, & fideliter exequentes, perquiſivimus, inveſtigavimus, inſpeximus, ac nonnulla elegimus, es eiſdem, juxta voluntatem, & mandatum ejuſdem domini noſtri, quod nobis espreſſit oraculo vocis vivæ. Inter alia verò elegimus, ac vidimus, & diligenter inſpesimus quoddam privilegium cum quadam bulla plumbea parva in pendenti, ſive in fine dicti privilegii cum pergameno alligata. In qua qnidem bulla ab una parte in circũferentia ejuſdem ſcriptum erat, Otto Imperator Romanus, ab alia verò parte erat quoddam caput hominis cum pilis criſpis, & cum ſpatulis, ſcriptumque erat in circumferentia, Aurea Roma, ut prima facie apparebat. Quod quidem privileginm nos Joannes delegatus & Commiſſarius memoratus tranſcribi per Geraldum de Carreria, & ſubſcribi, & in formam publici inſtrumenti redigi fecimus per ſupradictos, inferiùsque ſubſcriptos tabelliones, volentes, & auctoritate Apoſtolica nobis in hac parte commiſſa ſpecialiter decernentes, ſedentes pro tribunali, quòd tranſumpto, ſeu tranſcripto hujuſmodi deinceps illa fides adhibeatur tàm in judicio, quàm extra jndicium, ſicut & originali prædicto, ipſumque tranſumptum, ſeu tranſcriptum ubique eamdem fidem faciat in agendis, quod faceret privilegium memoratum. Quibus omnibus & ſingulis noſtram auctoritatem interponimus & decretum. Tenor verò dicti privilegii ſequitur in hæc verba.

LVII. Litteræ Ottonis III. Imp.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Otto ſervus Apoſtolorum, & ſecundùm volnntatem Dei Salvatoris Romanorum Imperator Auguſtus.

Romam caput mundi profitemur, Romanam Eccleſiam matrem omninm Eccleſiarum eſſe teſtamur, ſed incuria & inſcientia Pontificum longè ſuæ claritatis titulos obſuſcaſſe. Nam non ſolùm quæ extra Urbem eſſe videbantur, vendiderunt, & quibuſdam colluviis * à lare ſancti Petri alienaverunt, ſed (quod abſque dolore non dicimus,) ſi quid in hac noſtra Urbe regia habuerunt, ut majori licentia evagarentur, omnibus cum vindicante pecunia in commune dederunt, & S. Petrum, & S. Paulum, ipſa quoque altaria ſpoliaverunt, & prore-parationc ſemper confuſionem duxerunt. Confuſis verò Papaticis legibus, & jam abiecta Eccleſia Romana, in tantum quidam Pontificum irruerunt, ut maximam partè Imperii noſtri Apoſtolatui ſuo conjungerent, jàm non quærentes, quæ & quanta ſuis culpis perdiderunt, non curantes quanta ex voluntaria vanitate effuderunt; ſed ſua propria, utpotè ab illis ipſis dilapidata, dimittentes, quaſi culpam ſuam in Imperium noſtrum retorquẽtea, ad aliena, id eſt, ad noſtra, & noſtri Imperii masimè migraverunt. Hæc ſunt enim commenta ab illis ipſis inventa, quibus Joannes diaconus cognomento, Digitorum * mutius, præceptum aureis litteris ſcripſit, ſub titulo magni Conſtantini longa mendacii tempora finsit. Hæc ſunt etiam commenta, quibus dicunt, quemdam Carolum S. Petro noſtra publica tribuiſſe. Sed ad hæc reſpondemus, ipſum Carolum nihil dare jure potuiſſe, utpotè jam à Carolo meliore fugatum, jam Imperio privatum, jam deſtitutum & annullatum. Ergò quod non habuit, dedit: ſic dedit, ſicut nimirum dare potuit, utpotè qui malè acquiſivit, & diu ſe poſſeſſurum non ſperavit. Spretis ergò commenticiis præceptis, & imaginariis ſcriptis, ex noſtra liberalitate ſancto Petro donamus quæ noſtra ſunt, non ſibi quæ ſua ſunt, veluti noſtra conſerimns. Sicut enim pro amore S. Petri dominum Silveſtrum magiſtrum noſtrum Papam elegimus, & Deo volente, ipſum ſereniſſimum ordinavimus & creavimus: ita pro amore ipſius domini Silveſtri Papæ ſancto Petro de pnblico noſtro dona conſerimus, ut habeat magiſter, quod Principi noſtro Petro à patre ſui diſcipuli offerat. Octo igitur Comitatus pro amore magiſtri noſtri domini Silveſtri Papæ ſancto Petro offerimus & donamus, ut ad honorem Dei & ſancti Petri cum ſua & noſtra ſalute habeat & teneat, & ad incrementa ſui Apoſtolatus, noſtrique Imperii ordines. Hos autem ſibi ad ordinandum concedimus, Piſaurum, Fanum, Senogalliam, Anconam, Foſſabrunum, Callium, Eſium, & Auſimum, ut nullus umquam ei & ſancto Petro audeat aliquam inquietationem facere, aut eum aliquo ingenio fatigare. Quicumque verò præſumpſerit: omnia quæ habuerit, amittat, & ſanctus Petrus, quæ ſunt ſua, recipiat. Ut hoc autem in æternum ab omnibus conſervetur: hoc præceptum manu noſtra diu, Domino adjutore, victura confirmavimus, & noſtro ſigillo præcepimus inſigniri, ut ſibi, ſuiſque ſucceſſoribus valeat.

✠ Signum domini Ottonis invictiſſimi Romanorum Imperatoris Auguſti.

In cujus rei teſtimonium præſens tranſcriptum in formam publicam redactum ſigilli proprii, quo utimur, juſſimus appenſione muniri. Datum & actum Aſſiſii in loco Fratrum Minorum, in palatio domini Papæ, Anno Nativitatis Domini MCCCXXXIX. Indictione ſeptima, tempore prædicti domini noſtri Benedicti divina providentia Papæ XII. Pontificatus ſui anno V. die ss. menſis Martii, præſentibus venerabilibus viris dominis Joanne theſaurario prædicto, & cæteris ibi ſcriptis & ſubſcriptis]Hactenùs ex ſcripto codice eſt recitatum diploma. Quod ne improba impoſtura in rebus Eccleſiaſticis

* al. altare.

* f. mutilus.

ſticis

ſticis partem aliquam ſibi vendicet; ſanctiſſimus Pontifex Benedictus curavit fide integra deſcribendum, atque memoria perpetua conſervandum. Non enim mala fide ſcindi voluit, tradique igni abolitione perenni, eò quòd videretur adverſari edicto vulgato Conſtantinianæ donationis. Sed nec tamen, quis deſcribi curavit, ne periret, ipſum probaſſe dici poteſt, ſed diſquirentium doctorum virorum reliquit diſputationi.

LVIII. Quid de Ottonis diplomate ſentiendū.

Porrò de illo dicturi, id in primis examinandum, an re vera affirmari poſſit, diploma ipſum, Ottonis Imperatoris eſſe, vel ejus nomine ſcriptum. B Felices enim omnes forent impoſtores, ſi ex falſo tantùm ſuperpoſito titulo, quod cuperent, probatum haberent, & non plura intercederent, quibus luce perſpicua convincerentur eſſe falſarii. Sunt quidem complura, quæ in eodem diplomate ſcripta reperiuntur, quæ veritati adverſari noſcuntur; inſuper alia deſiderantur, quorum omiſſio perſpicuè poſſet redarguere falſitatem, & eſſe commenticium demonſtrare. Sed omittimus leviora, nempè conjecturas, quibus idem diploma in ſuſpicionem ſaltem induci poſſit, non eſſe ipſius Ottonis Imperatoris, veluti titulum inſuetum C apponi cæteris ejuſdem Imperatoris diplomatibus, & alias formulas diſformes ab uſu; ea tantùm proſecuti, quæ repugnare penitùs veritati noſcuntur, quibus redargui poſſit diploma ipſum Ottonis Tertii eſſe omninò falſum & commenticium. Ut illud in primis, quòd in eo illa leguntur, quibus dicitur: Hæc ſunt etiam commenta, quibus dicunt, quemdam Carolum S. Petro noſtra publica tribuiſſe. Sed ad hæc reſpondemus, ipſum Carolum nihil jure dare potuiſſe, utpotè jam à Carolo meliore fugatum, jam Imperio privatum, jam deſtitutum & annullatum. D Ergò quod non habuit, dedit: ſic dedit, ſicut nimirùm dare potuit, utpotè qui malè acquiſivit, & diu ſe poſſeſſurum non ſperavit.] Hæc ibi.

LIX.

Quæ quidem nulla penitùs hiſtorica veritate ſubſiſtere poſſunt, vel ſaltem veriſimilia fingi. Siquidem ea Carolo Magno aptari non poſſunt, qui donavit. Etenim de ipſo illud dici nullatenùs poteſt, à Carolo meliore fugatum, atque Imperio privatum. Succeſſorem quippè habuit Ludovicum Pium, qui eamdem donationem comprobavit, & firmiter ſtabilivit. E Neque tribui poſſunt Secundo ejus nominis Carolo Imperatori, cognomento Calvo, qui tamdem (ut ſuo loco dictum eſt ſuperiùs) ſuorum prædeceſſorum factam Romanæ Eccleſiæ confirmavit donationem, ſed nullum habuit Carolum ſucceſſorem, à quo fuerit Imperio privatus, ſed Ludovicum Balbum, ejus nominis Tertium, heredem Imperii. Porrò primi tantùm Caroli fit mentio in diplomate Ottonis Primi Imperatoris, & ante eum de facta à Pipino donatione de illis omnibus Eccleſiæ Romanæ, quamvis Secundum Carolum

Manifeſtæ falſitatis arguitur diploma.

A eamdem donationem certum ſit confirmaſſe. At verò horum neutro Carolo ea, quæ ſunt reddita, aptari poſſunt; multò minùs Carolo Craſſo noviſſimo Francorum ejus tunc nominis Imperatori; qui non Carolum aliquem, ſed neminem habuit in Imperio ſucceſſorem. Iſta igitur adeò incongrua, & falſa prorsùs inventa redarguunt ipſum Tertii Ottonis Imperatoris diploma apertiſſimæ falſitatis. Sed ſi Ottonis Tertii aſſeritur eſſe diploma; cur damnatur ab eo Carolus donator, qui citatur, & laudatur ab Ottone avo pietatis nomine in donatione ab B eodem Ottone facta eidem Romanæ Eccleſiæ? Vel ſi jure putavit idem Otto Tertius Carolum eſſe damnandum; cur non itidem damnavit Ottonem avum, qui ampliſſimo diplomate ſcripto, quod extat ſuperius recitatùm, pariter eadem quæ Carolus, Eccleſiæ Romanæ donavit, & ejus filius Otto Secundus, pater verò ipſius Tertii Ottonis ſcripto firmavit? ambo planè cum Carolo damnandi fuiſſent. His accedit, quòd in diplomate donationis Henricus Primus ejus (a) nominis Imperator, ubi mentio certa habetur de Imperatoribus ſingulis, qui am- C plam illam provinciarum plurium donationem ſcripto diplomate Romanæ Eccleſiæ contulerunt, vel confirmarunt, Ottones tantùm recenſet patrem & filium nominatim, non autem Ottonem hunc de quo agimus, ordine Tertium ejus nominis, eumdemque nepotem prioris Ottonis. Eamdemque cùm factam dicit Papæ Joanni, planè ſignificat donationem illam à Primo Ottone Joanni Papæ Duodecimo collatam, ſuperiùs ſuo loco recitatam, eamdemque confirmatam ab ejus filio Ottone Secundo Imperatore: de cujus filio Ottone Tertio, cujus memoria D erat longè recentior, cùm nulla ibi ſit mentio, ab eo quidquam eſſe Romanæ donatum Eccleſiæ: arguitur planè ea, quæ hic ejus aſſeritur donatio, commenticia. Vides igitur, Lector, quomodò duabus his contrariis objectionibus, tamquàm diſflatæ vento caligines, evaneſcat diploma illud, quod Ottonis Tertii nomen, ut ex nube ſolet formata pro arbitrio concipi imago quælibet, præſeferret.

a Tom. xi. Ann. anno Chriſti 1014.

LX. De Joann. Diac. citato auctore.

Modò videndum, num aliquid eidem addere poſſit auctoritatis, quòd certus in eodem diplomate aſſeritur auctor, qui de Conſtantini donatione edictum vulgatum E eſſinxerit Joannes diaconus, cognomento Digitorum mutius, nempè digitis amputatus: vox enim illa, mutius, non à Latinitate aliqua, ſed ex recenti voce Italica, vulgò concepta, qua dicitur, mozzo, quod Latinè, præciſum, nominamus, derivatur, niſi fortè pro mutilus, mutius, librarius malè ſcripſerit. Quiſnam autem fuerit Joannes iſte diaconus digitis amputatus, & cur, vel à quo ita malè affectus, eſt pervestigandum, ſeu potiùs ex ſuperiùs enarratis in memoriam revocandum. Ex Luitprando Ticinenſi

ſupe-

Digitized by Google

ſuperiùs, anno Redemptoris nongenteſimo ſexageſimoquarto enarratum eſt, ab Octaviano illo Romæ potentiſſimo, Joanne XII. Papa nominato, ab Ottone Imperatore, expulſo, reverſo demùm, inter alias cædes, ſævitum adversùs Joannem S. R. E. diaconum Cardinalem, quem abſciſſis duobus digitis, ac naribus, atque lingua deformavit: cujus ſummi Pontificis uti gravioris exceſſus meminit, & exprobrat Gerbertus Tomo ſuperiori, anno Chriſti nongenteſimo nonageſimo ſecundo. Erat Joannes iſte jam decretus à Papa Legatus Conſtantinopolim, ſed Capuæ interceptus, fuerat revocatus in Urbem: factuſque erga Ottonem Imperatorem propenſior, ab eodem Joanne Papa reſiliens, ejuſdem Papæ Joannis in ſe odium concitavit, ut recitata ſuperiùs Joannis Acta teſtantur. Alium ab iſto non invenimus Joannem diaconum digitis amputatum, cui tribuatur edicti Conſtantiniani commentum, quod aſſeritur in recitato nuper Tertii Ottonis diplomate. Sed cùm ejus fides in multis (ut vidimus) periclitetur, immò ea penitùs deſeratur: nec quod ibi aſſeritur de Joanne diacono digitis amputato, quòd auctor fuerit ipſius edicti Conſtantiniani, conſtans eſſe poteſt aſſertio. Abhorret verò magis ab omni veriſimili conjectura, ut à Romano Pontifice paſſus ipſe ſit digitorum abſciſſionem, qui ea ſcribendo, viſus ſit de Romana Eccleſia ſtuduiſſe contra Imperii jura benè mereri, quique eo nomine dignus magis præmio, quàm ſupplicio exiſtimari potuiſſet. Sive igitur iſte, ſive alius Joannes diaconus auctor edicti donationis aſſertus fuerit: illud conſtat, ipſum nuſquam ab aliquo auctore citatum reperiri ante ejuſdem Ottonis tempora.

LXI. Quamquàm enim pleriq; Romanorum Pontificum, ut S. Gregorius, & Hadrianus, necnon etiam Nicolaus, vel alii meminerint beneficentiæ ergà S. Romanam Eccleſiam Conſtantini, cujus tàm Acta Silveſtri, quàm Damaſi Papæ certam amplamque fidem faciunt: nullus tamen ante Leonem IX. ut dictum eſt, ejuſdem donationis edicti aliquo modo mentione feciſſe reperitur, quò etiam tempore fit mentio ejuſdem edicti in diſputatione, quæ aſſeritur Petri Damiani cum Advocato Regio. Poſteà verò de ipſo aliquamdiù altum ſilentium, cùm tamen in iiſdem cum Principibus controverſiis ejus occupati fuerint ſucceſſores, præſertim verò Gregorius Septimus, atque Alexander Tertius: ut appareat friguiſſe apud eos ejuſdem edicti auctoritatem, à cujus citatione abſtinendum putarint, quòd illo non indigerent, cùm firmiorem haberent propheticum ſermonem, & firmiſſimum Evangelicum teſtimonium, & conteſtes omnes ſanctiſſimos Patres de tranſmiſſa Chriſti in Petrum Apoſtolum auctoritate, & transfuſa in ejus pariter ſucceſſores. Sed nec Imperatores ejuſdem edicti meminiſſe, certum eſt, quantumlibet Ottones pater & filius antecessorum Principum, qui donarunt Eccleſiæ Romanæ, Pipini & Caroli videlicèt, mentionem habuiſſe inveniantur, & Henricus Imperator eorumdem, & prædeceſſorum Ottonum. Sed nec qui diplomata ab ipſis acceperunt Romani Pontifices, de prætermiſſa mentione edicti Conſtantini, queſti inveniuntur; cùm nec damnum aliquod ex ejus omiſſione ſentirent: quandoquidem quidquid Conſtantinianæ donationis contineretur expreſſum, jam certiori titulo Romana poſſideret Eccleſia, exiſtentibus integris ipſis Pipini, & Caroli, ac ſucceſſorum Imperii diplomatibus in his, quæ ſpectant ad diverſarum civitatum atq; provinciarum donationem. In his autem, quæ continentur in eodem aſſerto Conſtantini edicto de Pontificiis ornamentis, nec minimum quidem diſpendium Romana Eccleſia pati poteſt, ſi integritas corruat ipſius edicti: quandoquidem ea cuncta, antequàm in eodem ſcriberentur edicto, jam poſſidebantur ab ejuſdem Romanæ Eccleſiæ Pontificibus, ut de corona, ſive lamina aurea, purpurea, & aliis inſignibus ſæpè ſuperiùs eſt demonſtratum. Hæc dixiſſe, & aperuiſſe voluimus adversùs eos etiam, qui tanti ponderis exiſtimant ipſum donationis Conſtantini edictum, ut ſtultè timeant, ſi labefactetur, univerſam cum ipſo Eccleſiam corruere poſſe, reclamantibus ex adverſo ſanctis Patribus, & antiquioribus Romanæ Eccleſiæ Pontificibus, non Regum privilegiis, ſed Chriſti verbis in Petro perſtare ſuffultam, ſuperque petram firmam ædificatam, quamvis poſteà certiora ab Imperatoribus acceperit privilegia.

LXII. Quòd à ſuis Balſamon redarguatur erroris.

Sed redeamus ad Theodorum Balſamonem, cujus occaſione fuit ad Conſtantini edictum, quod deſcripſit dolo malo in Nomocanone, divertendum: quo opere quæ non in Occidentalem Eccleſiam quâvis occaſione conjecit opprobria?

Sed parva viſa ſibi ſunt ea omnia, quæ adversùs Latinos in duobus libris iſtis evomuit Nomocanonis: longè execrabiliora ſunt, quæ habet idem in Meditatis, ſive Reſponſis de Patriarcharum privilegiis, in codice Juris Orientalis tomo primo intexta libro ſeptimo, (a) ſive quæ habet in Reſponſione ad Marcum Patriarcham Alexandrinum, quæ eodem codice (b) continentur libro quinto, in quibus omnibus aſſeritur Romanus Pontifex jure apud Græcos eſſe penitùs execrabilis, nullaque commemoratione eorum in ſacris dignus. Scribebat iſta (ut teſtatur ejus exordio) anno milleſimo ducenteſimo ſecundo, cùm poſt duos annos capta eſt Conſtantinopolis à Latinis, & Eccleſiæ illi datus eſt Patriarcha Latinus, qui coleret, & obediret Romano Pontifici: ita Deo ulciſcente immaniſſimum ſacrilegium. Cæterùm ſcias, ipſos ſuos, Græcos inquam, adverſatos eſſe Reſponſioni Theodori Balſamonis ad Marcum Patriarcham de non communicando cum Latinis, quos ipſe execrandos affirmat velut hæreticos,

a *pag. 44.*
b *pag. 362.*

Qui

Qui iſta tradit contra Balſamonem, eſt A Demetrius Chomaterus Archiepiſcopus Bulgariæ, in Reſponſionibus ad Conſtantinum Cabaſilam Archiepiſcopum Dyrrachii, ubi recitatis verbis Balſamonis, iſta ſubjicit: Huic autem Reſponſo Balſamonis præclari multi viri tunc non ſunt ſuffragati, ut quod multum duritiei & acermon à ſuis hitatis haberet, nec convenientis reprehenſionis Latinicarum formarum, & morum, & quod inquiunt, hæc ſynodaliter decreta non ſint, neque ipſi, ut hæretici, publicè rejecti fuerint, ſed & ſimul nobiſcum cibum ſumant, & precentur, &c.] Theophylactum etiam Archiepiſcopum Bulgariæ magni nominis in Oriente Præſulem ejuſdem quoque fuiſſe ſententiæ, in fine ponit, cùm probat adverſantem Balſamoni ſententiam, adversùs quem judicatam eſſe cauſam affirmat. Extat Reſponſio iſta Demetrii in eodem tomo Juris Orientalis, libro (a) quinto. Quibus planè apparet (quod magnoperè notandum eſt) Latinos à Græcis numquam uti hæreticos fuiſſe damnatos, publicèque rejectos. Undè ergò Theodoro Balſamoni tot declamationes in Romanũ Pontificem, quòd execrabilis ſit, & excommunicatus à quatuor Patriarchis O- C

Reprehenſus Balſamon à ſuis Græcis.

a Pag. 322. & 323.

rientalibus? quod affirmat toties & exaggerat in Reſponſionibus, ac Meditatis ſuis.

LXIII. Addit prætereà idem Demetrius in eadem Reſponſione, id uſu probatum, quòd ſcilicèt numquam intercepta, vetitaque fuerit communicatio his temporibus inter Græcos, atque Latinos, ut Græci ceſſaverint Latinorum adire Eccleſias, & cum Latinis orare, & ſacrificiis intereſſe; ait enim poſt alia multa: Repletur autem & Italia divinorum Apoſtolorum & Martyrum templis, inter quæ ſummum obtinet locum Romæ inclytum Petri Apoſto- B lorum coryphæi templum. In quæ noſtrares ingredientes, tàm Eccleſiaſtici ordinis, quàm laici vota faciunt ad Deum, & Sanctis, qui in eis coluntur, debitam venerationem & honorem exhibent, nec præjudicium ullum ſuſtinent, quòd videlicèt in Latinorum ſunt templis.] Sic igitur, cùm à ſuis ipſis erroris redarguatur atque perfidiæ Balſamon: opus non eſt, ut à nobis ampliùs corrigatur, omni ipſe execratione dignus, utpotè quòd de ejus Meditatis jure illud (b) Davidicum dici poſſit: Meditatus eſt iniquitatem in cubili ſuo: aſtitit omni viæ non bonæ; malitiam autem non odivit.

Græcorũ cum Latinis continuata cõmunio.

b Pſ. 35.

JESU CHRISTI ANNUS 1192. | CÆLESTINI PAP. III. ANNUS 2. | HENRICI V. IMP. 2. ISAACII ANG. IMP. 7.

I. Milleſimus centeſimus nonageſimus ſecundus ſequitur annus, Indictione decima, quo Cæleſtinus Papa quarto Nonas Martii retulit in Sanctorum numerum ſanctum Ubaldum Epiſcopum Eugubinum. Extat de his diploma ejuſdem Pontificis his verbis.

Cæleſtinus Epiſcopus ſervus ſervorum D Dei venerabili fratri B. Epiſcopo, & dilectis filiis B. Priori, Clero & populo Eugubino ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Canonizatio S. Ubaldi Epiſc. Eugubini.

Benedictus Deus in donis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis, qui ſecundùm multitudinem miſerationum ſuarum illis, qui natura fuerant filii iræ, ſpiritum adoptionis, in quo clamamus Abba pater, indulget, & homines ex lutea materia conſtitutos in conſortium Angelorum & gloriam ſua pietate aſſumit. Sicut factum eſt temporibus noſtris de ſanctæ recordationis Ubaldo pontifice veſtro, qui E cùm pius & juſtus, dùm in carne viveret, haberetur, poſt tranſitum à vicinis & longè poſitis propter miracula, quæ per merita ejus operatus eſt Deus, Sanctus meruit æſtimari. Impletum eſt in ipſo, quod Propheta dixit in Pſalmo: Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii, conſtitues eos Principes ſuper omnem terram: memores erunt nominis tui Domine. Tu autem frater Epiſcope, apud Sedem Apoſtolicam conſtitutus, opportunè & importunè in humilitate qua decuit inſtitiſti, ut memo-

ciam prædicti pontificis canonizare, & ipſum adſcribere Sanctorum catalogo auctoritate Apoſtolica deberemus, conſideratione habita ad religioſam vitam ipſius, & ad multa miracula, quæ per eum, poſtquàm migravit à ſæculo, Omnipotens dignatus eſt operari. Nos verò opua iſtud intuentes ſenſum, & intelligentias noſtras excedere, quia potiùs eſt divini judicii, quàm humani, cùm ipſe ſolus plenè noverit, qui ſunt ejus: ſuſpendimus deſiderium tuum aliquandiù, ut nobis & fratribus noſtris, quid potiùs agendum eſſet, Spiritus ſancti gratia revelaret. Tua igitur tandem pia ſupplicatione inducti, & multorum Epiſcoporum, & aliorum teſtimoniis inclinati, non de propriis meritis, ſed de miſericordia Creatoris potiſſimùm confidentes, de communi fratrum conſilio acquievimus votis veſtris, & canonizantes prædictum Sanctum auctoritate beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, qua fungimur, licèt immeriti, decrevimus, ut feſtum tranſitus ipſius ſicuti beatiſſimi Confeſſoris apud vos perpetuò habeatur. Quapropter univerſitatem veſtrã monemus & exhortamur in Domino, quatenùs non in vacuum gratiam iſtam recipiatis, ſed exemplo beati viri renovemini ſpiritu mentis veſtræ, & in reverentia Dei & prædicti Sancti, & omnium aliorum, ferventiores ſolito exiſtatis, & feſtum ejus ſeptimodecimo Kalendas Junii hilariter annis ſingulis celebrantes ſolli-

citè operemini, quod veſtra circa divinum cultum devotio profeciſſe meritò videatur, & alii de facto veſtro exemplum profectus aſſumant, & ipſe veſtris motus precibus, pro totius Eccleſiæ ſtatu apud omnipotentem Dominum intercedat. Datum Laterani, quarto Nonas Martii, Pontificatus noſtri anno primo.] Hactenùs Cæleſtini diploma, ex Archivo Eugubino depromptum. Ex quo Surius corrigatur, qui S. Ubaldum floruiſſe ait uſque ad annum milleſimum duceteſimum decimum.

II. **Legatio Regis Scotiæ ad Cæleſt. Pap.**

Hoc eodem anno ad eumdem Cæleſtinum Papam venit legatio à Rege Scotorum, petente ab eo, quod etiam ipſi conceſſum fuerat à prædeceſſoribus, privilegium immunitatis pro Eccleſia regni ſui, ne ſubeſſent Metropoli Anglicanæ. Conceſſit Pontifex. Tractat iſta Rogerius in Annalibus Anglorum, atque ait: Eodem anno Vvillelmus Rex Scotorum miſit Nūtios ſuos ad Cæleſtinum ſummum Pontificem pro libertatibus Eccleſiarum regni ſui confirmandis: & invenit gratiam in oculis domini Papæ, ita quòd dominus Papa in hac forma ſcripſit illi.

Cæleſtinus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei chariſſimo in Chriſto filio Vvillelmo illuſtri Scotorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Privilegia cōceſſa Eccleſiæ Scotiæ.

Cùm univerſi Chriſti jugo ſubiecti apud Sedem Apoſtolicam patrocinium invenire debeant & favorem; illos tamen ſpecialiùs convenit promotionis munimine confoveri, quorum fidem & devotionem in pluribus eſt experta: ut ad ipſius dilectionis favorem tantò ampliùs provocentur, & ejus reverentiæ devotiori affectione ſubdantur, quantò benevolentiæ ipſius, & gratiæ pignus ſe noverint certiùs aſſecutos. Ea propter, chariſſime in Chriſto fili, reverentiam ac devotionem, quam ad Romanam te habuiſſe à longis retrò temporibus Eccleſiam novimus, attendentes, præſentis ſcripti pagina duximus ſtatuendum, ut Scoticana Eccleſia Apoſtolicæ Sedi, cujus filia ſpecialiùs exiſtit, nullo mediante, debeat ſubjacere. In qua hæ ſedes Epiſcopales eſſe noſcuntur: Eccleſiæ, videlicet, ſancti Andreæ, Glaſcuenſis, Dunkeldenſis, Dublinenſis, Brechinnenſis, Aberdonenſis, Moravienſis, Roſænenſis, Cathinenſis. Et nemini liceat, niſi Romano Pontifici, vel Legato ab ipſius latere deſtinato, in regnum Scotiæ interdicti, vel excommunicationis ſententiam promulgare, & ſi promulgata fuerit, decernimus non valere. Adiicimus, ut nulli de cætero, qui de regno Scotiæ non fuerit, niſi quem Apoſtolica Sedes propter hoc de corpore ſuo ſpecialiter deſtinaverit, licitum ſit in eo legationis officium exercere. Prohibemus autem, ut controverſiæ, quæ fuerint in regno illo de poſſeſſionibus ejus exortæ, ad examen extrà regnum poſitorum judicum non trahantur, niſi ad Romanam Eccleſiam fuerit appellatum. Si qua verò ſcripta contra hoc libertatis ſtatutum apparuerint impetrata, vel in poſterum, iſtius conceſſionis mentione non habita, contigerit impetrari: nullum tibi, vel ipſi regno circa hujus prærogativæ conceſſionem præjudicium generetur. Præterea libertates & immunitates, tibi, vel ei regno, vel Eccleſiis in eo conſtitutis, à prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus indultas, & hactenùs obſervatas ratas habemus, & illibatas futuris temporibus ſtatuimus permanere. Nulli ergò hominum liceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis & prohibitiunis infringrre, vel ei aliquatenùs contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli ſe noverit incurſurum. Datum Laterani tertio Idus Martii, Pontificatus noſtri anno primo,] nondùm abſoluta.

III.

Eodem anno cùm perveniſsent Nuntii miſſi ab Archiepiſcopo Rothomagenſi ad Cæleſtinum Papam adversùs Elienſem Epiſcopum Lrgatum Apoſtolicum in Anglia, itemque Nuntii ipſius pariter advenissent in Urbem. Quid in turbulentiſſimo negotio fuerit actitatum, ex relatione Nuntiorum Rothomagenſis Archiepiſcopi ad ipſum miſſa cognoſces. Sic enim ſe habet, à Rogerio intexta Annalibus Anglicanis.

Relatio de rebus geſtis in cauſa Elienſis Epiſcopi Legati ad Sed. Apoſtol.

Vvaltero Dei gratia Rothomagenſi Archiepiſcopo, chariſſimo domino & patri clerici ſui ſalutem.

Omittimus pericula & labores, quos in via ſæpiùs nos oportuit ſuſtinere, & quòd frequenter inſidiis declinatis, tandem incidimus in latrones, boniſque omnibus ſpoliati præter quoſdam equos, & litteras, ſine omni viatico venimus in Urbem ſumptuoſam, tertio Idus Februarii, apud B. Petri Eccleſiam Curia commorante; Ibique invenimus Cancellarii clericos plurima jactantes, & multa (ut videbatur) proſperitate gaudentes. Nam plenæ lagationis officio impetrato, jam ſæpè dominus Papa, & Cardinalium quidam Elienſi Epiſcopo, cum ſubſcriptione Legati, ſuas epiſtolas dirigebant, & principalibus legationis bullatis litteris inde nondum traditis, ſeſe receſſui imminenti prædicti Nuntii præcingebant. Etenim dominum Papam ex toto pronum invenimus, ut partes Cancellarii tueretur, & qui domino Papæ familiariùs aſſident, & adhærent, ipſius negotia tamquàm propria promovebant. Verùm per Dei gratiam ad adventus noſtri inſtantiam litteræ ſunt retentæ, quibuſdam, qui devotiùs negotia noſtra reſpiciunt, ſæpè & multùm dicentibus, non fuiſſe hactenùs adeò neceſſariam veſtrorum præſentiam Nuntiorum. * Verùm quando potuimus, audiendi copia impetrata, coram domino Papa & Cardinalib. univerſis litteras propoſuimus, à vobis, & Epiſcopis, & Prælatis & Juſtitiariis Angliæ deſtinatas, cum diligentia digna cetera annectentes, quæ intentioni veſtræ credidimus expedire.

*** Porro.**

Et

Digitized by Google

IV. *Cæleſtinus Papa favet Elienſi Ep. Legato.*

A Et cùm Nuntii Elienſes attentaſſent obiicere tàm reſponſionibus, quàm obiectis: dominus Papa in veſtri depreſſione negotii plurima indignanter & cum amaritudine proponebat, multiplicatis inculcans ſermonibus, & affirmans: Scimus, quòd illuſtris Rex Anglorum domino Elienſi regni ſui totius adminiſtrationem reliquit, nec aliquem ei parem, vel maiorem adhibuit. Litteras domini Regis ſuper eo vidimus: revocatorias, aut contrarias non vidimus, nec videmus, nec earum tranſcriptum ſigillis ſuppoſitis & authenticis conſignatum. B Sed multæ venerabiles perſonæ ſcribunt contra dominum Cancellarium, & nos pro domino Cancellario multarum recepimus venerabilium litteras perſonarum. Sed & litteræ, quas vos portatis, eorum ſunt, qui dominum Cancellarium expulerunt: nec miramur admodùm, ſi pro ſe ſcribere videantur. Scimus, quia dominus Rex nulli umquam mortalium tantam dilectionem exhibuit, vel honorem impendit, quantum domino Elienſi. Ipſum fecit non modò Epiſcopum venerandæ ſedis & ditiſſimæ Elienſis, ſed & Cancellarium C ſuum; ſed & regnum Angliæ univerſum ejus ſolius cuſtodiæ commendavit. Sed nec omnibus iſtis contentus eſſe potuit dominus Rex; ſed & pro legationis officio domino Cancellario committendo, & bonæ recordationis domino Clementi, & nobis etiam ſupplicavit. Vide quàm tenerè amabat eum: quem umquam hominum tantum diligit, vel dilexit? Ad preces domini Regis & inſtantiam multam, præſentem legationem indulſimus domino Elienſi. Ab homine, quem dilexerat, Regem tàm ſubito tantam gratiam revocaſſe vix poſſumus credere, niſi litteras ejus, D & ſigillum regium videremus. Et quod domino Regi dedimus (puta legationem domini Elienſis) ſine falſitatis nota nec ſuſpendere poſſumus, nec auferre. Sed & omnes Anglicani Epiſcopi pro legationis officio confirmando nobis proprias litteras tranſmiſerunt: & nobis unanimiter ſupplicantes, pro ipſo Cancellario commendationem plurimam porrexerunt. Et modo quod contrarium poſtulatur ab iis, ſuæ potiùs levitati imputandum videtur. Sed & dominus veſter Rothomagenſis Archiepiſcopus nobis pro domino Elienſi plenas devotionis litteras deſtinavit, E cùm pro ipſo ſcripſiſſet, dum proſperis uteretur: contra ipſum exilii calamitate oppreſſum eos grave eſt exaudiri, cùm contra eos ſcriptum ſit:

Dum fueris felix, multos numerabis amicos:
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

V. Porrò cùm priſtina felicitate gauderet, & legationis vice apud vos fungeretur, quæ umquam Eccleſia, quod monaſterium, quæ perſona, quis vulgaris, aut nobilis, ſuper erogationibus domini Elienſis: vel Eccleſiarum gravamine, verbum miſerat ad nos, aut querelam? omnes applaudebant felici, omnes murmurant in oppreſſum. Amici fortunæ fuerunt, eum fortunæ gratia recedentes.

Hæc quidem & multa alia à domino Papa oppoſita, non eſſe non poterant magni ponderis & momenti, ut ab eo propoſita, qui ſuperiorem non habet, & à Pontifice ſummo & iudice, & cuius voluntati nemo eſt qui reſiſtat. Sed & multum contra nos quibuſdam facere videbatur, quòd dominus Rex Angliæ in reverſione veſtra ſupplicavit pro vobis, ut in Northmanniæ partibus, & cæteris tranſmarinis vobis legatio transferretur. Verùm prima facie nemini videbatur, quod regiæ eſſet voluntatis, vos in Angliæ partibus adminiſtrationem habere, & legationis officium in Northmannia exercere: cùm & Angliæ tutelam gerere, & legationis officium in Northmannis exercere, uni & eidem homini nec facile, nec promptum eſſe videbatur. Sed & forma regiæ voluntatis, quæ pro vobis fuerat à Rege Cancellario deſtinata, Seneſcallo Northmanniæ à Rege dicebatur tranſmiſſa, ut & ipſe in Northmanniæ partibus veſtro conſilio fungeretur. Ad quæ & ſimilia cùm reſponſiones idoneas haberemus, tamen domini Papæ favor & adjutorium in partem contrariam nitebantur. Verumtamen tandem dubitare coactus, tùm ad inſtantiam noſtram, tùm Cardinalium aliquorum, quos in noſtræ partis gratiam traxeramus: Cardinalibus omnibus congregatis in unũ, ſingulorum conſilia requiſivit, noſtroque negotio diu ſuſpenſis deliberationibus agitato, ſuam dominus Papa ſedens pro tribunali dedit ſententiam ſub hac forma: * Puta (ut breviter & ſummatim procedamus) & Cancellarium à veſtra & domini Rothomagenſis Decani denuntiatione abſolvit, & vice mutata, ſententiam Elienſis Epiſcopi, quam occaſione quarumdam litterarum probabilium in vos tulerat, & Decanum, & alios quoſdam Cancellario odioſos, nullam fuiſſe publicè iudicavit. Porrò dominus Papa in ſua procedens ſententia, ſuper injuria Archiepiſcopo Eboracenſi illata, ſine forma præſcripta, Cancellario purgationem indixit: legationem autem, nec ejus executionem ademit, cùm jam ipſam ad precum regiarum inſtantiam contuliſſet, & vobis etiam ſupplicantibus cum pontificibus Angliæ univerſis: eam tamen legationem protulit exequendam ſub hac exceptione adiecta; quòd ipſe * interdum vel ſuſpenſionis, vel excommunicationis ſententiam proferendi in vos, vel in Decanum Rothomagenſem, vel Epiſcopos Angliæ, vel Juſtitiarios, vel magnates nullam habeat poteſtatem. Cujus interpretationem ſententiæ nos habituros confidimus utiliorem, verborum faciem vobis in proximo, in ipſius Papæ litteris tranſmiſſuros.

* *f.* interim

VI. Sententiæ verò prænominatæ adiecit, quòd Concilio Cardinalium convocato, noſtroque adhibito, & Nuntiorum domini Elienſis, perſonas venerabiles in veſtris

par-

Digitized by Google

A partibus providebit, qnibus mediantibus
inter vos & dominum Cancellariom poſ-
ſet pax & coocordia reformari, ſaltem
quantum ad mutuum rancorem animi re-
mittendum. In hujus autem deliberationis
tractatu, & prædictæ forma ſententiæ, eas
pro certo credimus ex toto litteras revo-
candas; quæ cùm eſſent Epiſcopis totius
Angliæ deſtinatæ, tamen occaſione ipſa-
rum, idem Cancellarius vos cũ multis aliis
excommunicationis vinculo denuntiavit
aſtrictos. Super quam tamen denuntiatio-
nem cùm nos domino Papæ ad mandatum
domini Rothomagenſis Decani propoſui-
B mus querelam palam in Conſiſtorio, corã
Cardinalibus univerſis, & populo, lectis
eiſdem litteris & inſpectis; quantum pro-
teſtatus eſt, voce coram omnibus exalta-
ta, quòd numquam prædictæ litteræ à
conſcientia ejus originem habuerunt, cœ-
tu Cardinalium de ſe idem eum admira-
tione plurima proclamante. Et cùm Nuo-
tii Elienſis Epiſcopi Papæ inſtantiſſimè re-
clamareot, nemini aurem propitiam vel
fautricem impendit. Vale.

VII. Querelæ nũtiorum Cancellarii.

Quæ autem poſt hæc ſunt ſecuta, ſic
pergit narrare Rogerius: In nocte ſe-
quenti venerunt Nuntii Elienſis Epiſcopi
C ad dominum Papam, & increpantes eum,
quòd ita in conſpectu univerſorum Cardi-
nalium proteſtabatur, quòd confirmatio
ſenteotiæ, qnam Cancellarius dederat in
Archiepiſcopum Rothomagenſem, & com-
plices ſuos, qui in dejectione illius una-
nimes extiterunt, non manaſſet à con-
ſcientia ſua; & quæſierunt, ut pro amo-
re Dei, & honore Romanæ Eccleſiæ re-
duceret ad memoriam ſervitia, quæ Can-
cellarius ei & Romanæ Eccleſiæ devotè
exhibuit: & ut ipſe per teſtimonium ve-
ritatis, opprobrium Cancellarii, & ſuo-
rum tolleret, ne inimici illorum de in-
D juſta condemnatione ſua gratularentur.
His & aliis hujuſmodi exhortationibus
dominus Papa exhortatus, in craſtino ſe-
dens pro tribunali, coram Cardinalibus
& omni populo confeſſus eſt, quòd litteræ
illæ, quas die præcedenti devoverat, præ-
cepto illius ſactæ fuerant, & in Aogliam
miſſæ ad confirmandam ſententiam excom-
municationis, qnam Cancellarius dede-
rat in Archiepiſcopum Rothomagenſem,
& complices ſuos, qui eum à regno de-
jecerant.] Et inferiùs: Quæſivit Rex,
ut dominus Papa caſſaret omnes donatio-
nes reddituum Eccleſiaſticorum, quas
E Cancellarius poſt receſſum Regis fecerat:
ſed dominus Papa noluit ita abſolutè illas
donationes caſſare, ſed communiter caſſa-
vit omnes donationes reddituum Eccle-
ſiaſticorum ad Regem pertinentium, à
quocumque factæ fuerunt; & ſuper hoc
conſtituit dominus Papa Lincolnienſem,
& Londonienſem Epiſcopos judices. Con-
ceſſis autem litteris, clerici domini Ro-
thomagenſis Archiepiſcopi acceſſerunt ad
dominum Papam, & dixerunt ei de Can-
cellario: Ecce quomodò amabat eum.]
Pergit auctor:

VIII. Legatio Apoſt. in Northm.

A Eodem anno dominus Papa miſit à la-
tere ſuo duos Cardinales, ſcilicèt, Octa-
vianum Oſtienſem Epiſcopum; & Jorda-
num de Foſſa nova, ad dirimendam litem,
quæ erat inter Cancellarium, & Rotho-
magenſem Archiepiſcopum. Qui cùm ve-
niſſent in Northmanniam uſque ad Gi-
ſortium, clauſa eſt iis janua, & intrare
non potuerunt. Et cùm cognoviſſent hoc
factum fuiſſe per Vvillelmum filium Ra-
dulphi, Seneſcallum Northmanniæ, il-
lum excommunicaverunt, & omnes com-
plices ſuos, & fautores, & conſiliarios,
& auctores prædictæ præſumptionis: &
B totam Northmanniam ſub interdicto po-
ſuerunt. Quod cùm nuntiatum eſſet in
Anglia, Regina Alienor, & Rothoma-
genſis Archiepiſcopus miſerunt ad eos
Hugonem Dunelmenſem Epiſcopum, ut
relaxarent ſententiam, quam dederant in
Seneſcallum Northmanniæ, & in ipſam
Northmanniam. Primò verò invenit
eos Dunelmenſis Epiſcopus apud Pari-
ſios, deinde ſecutus eſt eos uſque Vize-
liacum; ſed nullo modo relaxare ſenten-
tiam ſuam voluerunt, niſi recepti fuiſſent
in Northmannia. Sed dominus Papa in-
terdictum Northmanniæ relaxavit, &
C relaxari fecit à Legatis, nec tamen in-
traverunt Northmanniam.] Hactenùs
Rogerius.

At quod magis Cæleſtini Pontificis
animum ſauciabat, illud erat de Terra
ſancta, deſtituta à duobus Regibus, in
tanto diſcrimine conſtituta: cujus rei
cauſa in emendationem præteritarum cul-
parum, & correctionem morum, has lit-
teras Apoſtolicas dedit, ut putamus en-
cyclicas, licèt ex inſcriptione pateat, ad
Eccleſiam Anglicanam miſſas eſſe, quæ
ſic ſe habeot, ab eodem Rogerio ſuis An-
nalibus intextæ:

IX. a Apud Rog. in Annal. Angl. hoc anno. Cæleſtini Pap. Querelæ de terra Sancta.

D Cæleſtinus Epiſcopus (a) ſervus ſer-
vorum Dei venerabilibus fratribus Ar-
chiepiſcopis, & Epiſcopis per Angliam
conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam bene-
dictionem.

Cùm ad propulſandam injuriam populi
Chriſtiani, & communis notam Fidei abo-
lendam, quam ei Paganorum ſpurcitia in
captione ſanctæ Terræ, quæ Domini eſt
hæreditas nuncupata, perniciosè, ac
violenter impreſſit, & ad emundandam
etiam civitatem ſanctam, & Sepulchrum
Dominicum ab Sarracenorum, & aliorum
inſuper occupantium immunditiis, ac
E auferendam illam per auxilium ſupernæ
clementiæ à poteſtate illorum, Sedes A-
poſtolica ſuum debitum recognoſcens, per
diverſas mundi partes Nuntios ſæpè à
ſuo latere, ac commonitorias litteras de-
ſtinaverit, & in divina confiſa clementia
magnas illùc tendentibus impenderit in-
dulgentias: licèt, ut fraternitas veſtra
poteſt perpendere, ad hæc agenda per ex-
hortationes illius viriliter ac devotè plu-
rimi ſe accinxerint, & tot in tranſmarinis
partibus Chriſtifideles propter hæc ſæpè
fuerint congregati, ut multitudo eorum
oppu-

Digitized by Google

A oppugnantium numerum non medicum videretur eſcedere, & * auxiliis, ac viribus etiam prævalere: non multùm tamen proficere potuit, vel his qui ex adverſo contendebant obeſſe, pro eo (ſicut ex effectu datur intelligi) quod niſus & actiones eorum, qui fuerant ad partes illas profecti, Domino pro parte magna diſplicebant. Unde merito aliorum peccaminum, quia non in Deo, ſed viribus propriis confidebant, & non erat ante ipſorum oculos timor Dei, ex præconcepta ſuperbia cor eorum permiſſum eſt obſcurari, ut alia inſuper agerent, quæ minimè convenirent, divinum contra ſe ſuis perverſitatibus judicium provocantes. B Verùm quia multæ ſunt miſericordiæ Domini, qui etſi ad malorum pervicaciam retundendam, & ſubdenda cervicoſorum hominum colla, diſciplinæ munus quandoque ſuas medicinaliter aggravat; & ut elevet, opprimit & prrcutit, aut flagellat ut ſanet: ſi ad eum cum debita fuerimus humilitate reverſi, & de peccatis caſtigati, ac de obſervandis Creatoris de cetero ſtudio ferventiore mandatis, firmum propoſitum aſſumpſerimus; abſque ulla poterimus hæſitatione ſperare, quòd affluentiùs C gratiuſque nobis aſſiſtet, & de inimicis nominis Chriſti plenam indulgebit de cęlo victoriam, ita quòd univerſa, quæ incurrimus hucuſque gravamina, oblivioni tradantur, omnibus converſis retrorſum, & merita confeſſione ruentibus, qui oderunt Sion, & gentilibus præſumpſerunt contaminationibus maculare.

* animis.

X. Attendentibus autem, ac ſtudio diligenti ſcrutantibus, quales minas populo Iſraeli, cùm ex promiſſione memoratam ſupra Terram intraret, divina poteſtas tulerit: non erit dubitationis ſcrupulus, qui hujuſmodi inquiſitioni opponat, quare noD ſtrum pro Deo inceptum conamen ſperatos non ſit conſecutum effectus. Dictum eſt enim illis, ut ab habitatorum illius terræ contagiis & ſpurcitiis abſtinerent, & illorum vitia imitatione digna non ducerent, quæ ipſis poſſint accidere in ruinam; ſed legem Domini firmo propoſito, & omni animi & intentionis niſu ſervarent. Quibus itaque monitis ſi devotè, ac humiliter obedirent, (*a*) unus eorum mille vinceret, ac decem ex illis decem millia. Quæ certiori poſtmodùm experimento noverunt, cùm pauci de ipſis magnā ex illis, & infinitam quaſi multitudinem E trucidarent; & dum devotè divinis intenderent mandatis, non fuit civitas, vel munitio, quæ ipſorum poſſet evitare congreſſus, vel ipſorum ſubtrahi conamine aliquo vel conſilio poteſtati. Quia tamen, cùm eorum filii, qui Dominum, ut ibi dicitur, (*b*) non noverunt, ab illorum, quæ fuerant ſibi legali promulgatione injuncta, temerè cœpiſſent obſervatione deficere, inimici eorum adversùs eos cuneos obſtruentes, ſuæ illos potentiæ ſæpiùs ſubjugaverunt: quns denuò per divinum ſibi auxilium ſubegerunt, cùm de commiſſis A exceſſibus pœnitentes, ac reatum ſuum cognoſcentes humiliter pia ſunt ad Deum devotione converſi. Satis autem indubitanter poteſtis agnoſcere, quòd cùm ex ſubortis diſcordiis proventus ſperatæ victoriæ Chriſtianæ militiæ auferretur, cauſa erat ſimultatum & odiorum * frequentia in exercitu pullulantium, quia carnem ſuis (*c*) poſuerant brachium ſuum, & à Domino receſſerant corda eorum.

a Deut. 32. b Jud. 2. * frequen- c Jerem. 17.

XI. Si ergò volumus ſine magno labore in adverſariorum perniciem glorioſum per omnia obtinere triumphum, propter huc B uſque perpeſſa gravamina non deficiamus animo; ſed requirentes cum humilitate, ac cordis contritione miſericordiam Creatoris, in confuſionem eorum perpetuam inſuperabilem poterimus victoriam ex cōſueta ſupernæ dignationis meritò benignitate ſperare. Hac itaque conſideratione inducti, univerſis Orbis Principibus in remiſſionem injunximus peccatorum, ut divini amoris, & propriæ ſalutis intuitu, ſi quis adversùs aliquem concepit qualibet occaſione rancorem, & ſi deſpexerit, homini, Creatori dimittat, ne ulteriùs diſſentiendi ad invicem occaſio præbeatur, quæ hactenùs, & victoriæ nobis C (ut noſtis) proventus abſtulit, & maximæ multitudinis parti abſque ullo commodo periculum mortis induxit: & toto animi ſtudio id inter ſe conſilii reperire procurent, quo & interim valeat illud tantillum terræ Domini portionis, quæ adhùc ſub Chriſtianorum poteſtate tenetur, ne à perverſorum manibus occupetur, inconcuſsè ſervari, & contra impiorum impetus, ſine aliquo pavore defendi, & accingatur denuò multitudo Fidelium; quæ illùc ſub debita & devota humilitate itura totam poſſit terram, & Sepulchrum Dominicum, D devicto & conculcato penitùs occupantium furore, liberare.

XII. Ad hæc etiam, quia ex hoc nobis & univerſo populo Chriſtiano nimiùm exuperat cauſa fletus, & triſtari debemus omnibus modis, non lætari, dum videlicèt terra, ubi ſteterunt pedes Domini, & ſalutis noſtræ ſunt ſacramenta patrata, Gentilium occupationibus detinetur: torneamenta, quæ cauſa lætitiæ inventa fuerunt, & tyronum exercendæ virtutis, penitùs inhibemus, ut qui ſe voluerit exercere, ad terram illam accedat, ubi & corporis & animæ virtus viriliter poterit ac ſalu E briter demonſtrari: taliter etiam unitati, & pacis concordiæ ad invicem procurent & intendere, ut nullus ſit, qui adversùs alium guerram intendat, vel armis injuriā audeat propulſare; ſed communiter potiùs ſtudeant, quæ diſſidentium animos ſtudio ac labore diligenti reforment.

Si quis verò (quod non credimus) Dei timore poſtpoſito, & reverentia noſtra & Fidei Chriſtianæ contempta, contra hoc agere aliqua temeritate præſumpſerit: noverit nos vobis, & aliis Archiepiſcopis, & Epiſcopis diſtrictiùs injunxiſſe, ut eorum terras, qui contumaciter in-

A cepto hujuſmodi duxerint ioſiſtendum, ioterdicto Eccleſiaſtico ſupponatis, & perſonas etiam, ſi opus fuerit, excommunicationis vinculo aſtringatis, & faciatis utramque ſententiam inviolabiliter obſervari. Vobis ergò per Apoſtolica ſcripta diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenùs ad ea, quæ prædiximus, celeriter adimplenda, omni tarditate & contradictione poſtpoſitis, vos accingatis, & ſtudeatis per veſtras diœceſes, dilatione & appellatione ceſſante, id executioni mandare. Datum Romæ apud S. Petrum tertio Idus Januarii, Pontificatus noſtri anno ſecundo,] nondum abſoluto.

XIII. B Inter hæc autem ubique terrarum innotuit captivitas Regis Anglorum, quam in fine anni ſuperioris vidimus contigiſſe. Qui autem primus io Angliam de his litteras miſit, fuiſſe reperitur Archiepiſcopus Rothomagenſis, cujus de ea re extant adhùc litteræ ad Hugonem Dunelmenſem his verbis:

a Apud Roger. in Annal. Angl.

Venerabili in Chriſto fratri (a) & amico chariſſimo, Hugoni Dei gratia Dunelmenſi Epiſcopo, Vualterus eadem gratia Rothomagenſis Archiepiſcopus ſalutem in vero ſalutari.

De captivitate Regis litteræ Archiep. Rothomagen.

C Super adventu regio rumoribus variis ventilatis, tandem, quia veritas latere non potuit, nobis omnia ſunt aperta. Verùm io adverſis & proſperis eſſe æquanimes nos oportet: Dei enim non poſſumus avertere voluntatem, & cùm ejus judicia ſint occulta, eventus rerum fortuitos ejus miſericordiæ & providentiæ commendamus. In mœrore animi noſtri cogimur profiteri, de domino noſtro Rege aliter accidiſſe, quàm ejus regno, & univerſis ſuis fidelibus expediret, & ſi ejus merita pleniùs intuemur, is caſus ejus operibus nullatenùs deberetur. Qui enim ad Dei gratiam patrimonium univerſum exhauſit, D & bellorum fortunæ ſuorum, & ſuum ſanguinem indifferenter commiſit, in omnibus viis ſuis protectionem Dei merebatur. Verùm adverſitas, quæ bonis votis obiicitur, probatio virtutis eſt, non indicium reprobationis. Et quid plura loqui compellimur, quod nollemus? Imperatoris Alemannorum litterarum tranſcriptum vobis ducimus tranſmittendum, quas de domini noſtri Regis Angliæ captione ad Regem Francorum deſtinavit, præſenti pagina noſtra involutum. Vobis autem non eſt opus lacrymis, ſed virtute; quoniam fortunæ aggreſſibus non eſt planctibus occurrendum, E ſed diſſimulato dolore, probitatis experientiæ intendendum. Forſitan ad veſperum demorabitur fletus, & nos ad matutinum lætitia viſitabit.

XIV. Et quoniam ſpei noſtræ maxima pars poſt Dei miſericordiam in ſinu veſtro reponitur; lacrymantibus intimis & toto corde poſcimus ſupplices & devoti, & quaſi chariſſimi poſtulantes, quatenùs in negotio, quod domino noſtro Regi ſupra opinionem arduum incumbit, veſtræ diligentiæ A partes & induſtriæ totis conatibus impendatis, & conſilium veſtrum, quod totis viſceribus exoptamus, nullius recordatione anguſtiæ, nullius adverſitatis proſpectu, nulla occaſione, nulla temporalium, aut felicitatis cautela nobis & domino noſtro, immò vobis potiùs denegetis. Et quoniam præſenti animus, quàm abſenti pleniùs intimatur, & in perſonarum præſentia conſilium præſentis articuli copioſiùs eluceſcet, & ſalubriorem dominus indè ſortietur effectum: idcircò nos à vobis affectione prætacta lacrymabiliter poſtulamus, ut omnis difficultatis exceptione poſtpoſita, die Dominica, B ante Lætare Hieruſalem, apud Oſenford nobis & aliis domini Regis fidelibus occurratis. Præſens enim negotium inſtantiam eam deſiderat, ut omnis excuſatio deliteſcat: & omnem dilectionem domino Regi debitam, in caſu quem loquimur, probationem credimus habituram. Dominum autem Bathonienſem noveritis de domino noſtro Rege quantocyus liberando cum domino Imperatore jam habuiſſe tractatum. Omnem enim impendit laborem & operam, ut ei præſtet obſequium, & regiæ debitum reverentiæ, & C honori gratum, & utile ad præſens, ſicut & aliàs plenum exhibeat famulatum: ſicut ab eis recepimus, qui interfuerunt colloquio, quod de noſtro domino liberando cum domino Principe dominus Bathonienſis habebat. Et quoniam univerſis eventibus divinum eſt à Deo auxilium implorandum: rogamus, quatenùs in univerſa veſtra diœceſi pro ipſo preces apud Altiſſimum faciatis effundi. Plurimùm (b) enim valet deprecatio juſti aſſidua; & importuna mulier in (c) Evangelio meruit exaudiri, & ſicut ibi dicitur, Chriſtus filium ſuſcitavit, quia multæ pro eo lacrymæ fundebantur, Valete.] Pergit D auctor:

b Jacob. 5

c Luc. 7.

Audita itaque Regis captione, Vualterus Rothomagenſis Archiepiſcopus, & cæteri domini Regis Juſtitiarii miſerunt Abbatem de Boxeleja, & Abbatem de Ponte Roberti in Alemanniam, ad quærendum Regem Angliæ. Qui cùm totam Alemanniam peragraſſent, & Regem non inveniſſent, Bavariam ingreſſi ſunt, & obviaverunt Regi in villa, quæ dicitur Oxeſer, ubi ducebatur ad Imperatorem, habiturus cum eo colloquium in die Palmarum. Et comperto, quòd prædicti Abbates veniſſent E de Anglia, Rex præbuit ſe illis hilarem & affabilem, quærens de ſtatu regni ſui, & de fidelitate hominum ſuorum, & de ſalute & proſperitate Regis Scotiæ, in cujus fide fiducialiùs innitebatur. Ipſi verò quæ audierant & viderant teſtificati ſunt. Conferentibus itaque illis ad invicem, conqueſtus eſt Rex ſuper proditione Joannis fratris ſui Comitis Moretonii, cui tot beneficia, & honores contulerat immenſos, qui ſe Regi Franciæ contra eum dederat, & rupto fraternitatis fœdere, fœdus cù morte inierat, & pa-

De conſtantia Regis Angl. dum detineretur captivus.

Digitized by Google

A & pactum cum inferno. Super hoc itaque Rex valdè contriſtatus, ſubitò in vocem conſolationis erupit, dicens: Joannes frater meus non eſt homo, qui ſibi vi terram ſubjiciat, ſi fuerit, qui vim ejus vi ſaltem tenui repellat. In itinere autem per tres dies, uſque dum ad Imperatorem perveniſſet, quomodò ſe habuerit ſtrenuè, eleganter, prudenter, admirati ſunt univerſi, judicantes illum dignum Imperatoris celſitudine, qui ita novit animo imperare, & fortunæ biformes eventus uniformi conſtantia ſuperare.

XVI. Die verò conſtituto habito colloquio per internuntios cùm Imperatore, non potuerunt illo die confœderari, eò quòd Imperator multa petierat: quibus nec etiam pro mortis periculo Rex conſentiendum judicavit. B In craſtino autem, omnibus deſperantibus, cum ſucceſſu læto ſucceſſit læta conſolatio. Nam Imperatore Regem impetente in multis, & obiiciente quamplurima, tùm de proditione terræ Suliæ, tùm de Morte Marchionis, tùm de quibuſdam conventionibus ad invicem habitis & non obſervatis; Rex liberè & conſtanter, & ita intrepidè reſpondit, quòd non ſolùm eum Imperator gratia vel venia dignum, ſed etiam laude judicavit. C Nam inclinantem ſe Regem erexit, & ſuſcepit in oſculo pacis, & confœderavit eum ſibi, & ampliando honoribus & auxiliis (circumſtante populo, & in lacrymas ruête præ gaudio) promiſit aſſerens, quòd confœderaret Regem Angliæ Regi Franciæ. Et tunc quaſi pro mercede Rex Angliæ centum millia marcharum, mediante Duce Auſtriæ, pro ſua liberatione promiſit Imperatori. Promiſitque Imperator, quòd ſi per operam ejus Rex Angliæ, & Rex Franciæ non poſſent confœderari: ipſe Regem Angliæ ad propria remitteret ſine pecunia.] Hæc ipſe. Sed D accipe tantum facinus ſumma cum execratione à Petro Bleſenſi tunc ita decantatum verſibus elegis: (a)

a Petr. Bl. ep. 57.

Quis aquam tuo capiti,
Quis dabit tibi lacrymas?
Ut laudes Regis inclyti,
Fraudeſque Ducis exprimas?
In regiones ultimas
Planctu diſcurrat anxio
Proditio, noſtrique Regis captio,
Quæ tot affligit animas.
Fœda rubigo mentium,
Te peſtis avaritia
Dux duxit in flagitium
Damnabilis memoria,
Hoſtis Herodes impie,
Invaſor Chriſti gloriæ.
Nam regiæ non noces innocentiæ,
Sed Chriſto, ſed Eccleſiæ.
Flos Regum, Ducum, Procerum
Iter, quod erat liberum,
Senſit inextricabile,
Dum incidit in Cerberum,
Qui facilè detexit cor ignobile,
Vas Deo deteſtabile, vas ſcelerum,
Dum crucifigit iterùm
Chriſtum in Chriſti pugile.
Judas Chriſtum diſtraxerat,
Dux Regem vendit Angliæ,
Sed crimen hoc exaggerat
Idololatra pecuniæ.
Nam impiè pacem cum Rege fixerat,
Dum ei Rex improperat, quod fugerat
Relicta Crucis acie,
Cedens in partem Syriæ.
Chriſti miles in hoſtiles irruebat cuneos,
Dux cum pravis & ignavis
Fabricabat laqueos
In Regis captionem;
Sic ſævit in leonem
Vulpeculæ verſutia;
B *Bibe nunc avaritia,*
Dum puteos argenteos
Larga diffundit Anglia,
Tua tecum pecunia
Sit in perditionem.
Infidelis & crudelis
Triumphalem titulum
Crucis Chriſti polluiſti,
Vendidiſti populum
Terræ promiſſionis,
Fili perditionis.
Rex reveſtendi ſtudio
Firmaverat triennio
Diſcordiam in gratiam,
C *Sed tua machinatio*
Confirmat in David ſolio
Tyrannum Babylonis.] &c.

Inſuper & ſcribens epiſtolam ad (b) Conradum Archiepiſcopum Moguntinum, acerbiſſima invectiva eumdem Leopoldum eſt inſectatus. At cùm Petrus adeò factum exaggerat; præteriit enim fortaſsè, quæ ad iſta perpetranda cauſa Ducem Leopoldum impulerat, ſuperiùs recitata: quam ſi noviſſet, ſtylum putò continuiſſet, cùm in ultionem peccati Deum id voluiſſe, videri potuiſſet. Tunc autem ad Cæleſtinum Roman. Pon- D tificem his verbis (c) ſcripſere Epiſcopi Northmanniæ pro eodem Anglorum Rege:

b Petr. Bl. ep. 143.

c Idem ep. 64.

XVII. Reverendo Patri ac domino Cæleſtino Dei gratia ſummo Pontifici Vvalterus ejuſdem permiſſione Rothomagenſis Eccleſiæ humilis miniſter, ipſiuſque Suffraganei, Bajocenſis, Ebroicenſis, Sagienſis, & Ebrincenſis Epiſcopi ſalutem, & devotiſſimæ ſervitutis affectum.

Ad Cæleſt. Pap. litteræ Epiſcoporum de Rege captivo.

Vulgariter dicitur, quia nova & inſolita morborum genera nova indigent medicina. Ab uſu ſiquidem noſtrorum temporum prorsùs credimus alienum, E quòd capiatur, aut ad redemptionem aliquatenùs compellatur, vel in eundo, vel in reditu, quicumque Hieroſolymitanæ peregrinationis proſecutor exiſtit. Recolimus, quòd illius viæ, ſanctique ſignaculi profeſſores Eccleſia Romana in ſua cuſtodia & tuitione ſuſcepit. Nec dubium eſt, redundare in totius Eccleſiæ caput, quidquid contra ejuſdem Eccleſiæ auctoritatem in ejus filios attentatur. Chriſtianiſſimus Princeps, Rex Angliæ, illuſtriſſimus dominus noſter, & devotiſſimus Eccleſiæ Romanæ filius, quem ſpe-

cialiter in ſua protectione ſuſceperat, in ſua peregrinatione poſt ſudores & pericula, poſt anguſtias, & diſcrimina vitæ, quæ pro amore, & honore Dei diu ſuſtinuerat, revertendo captus eſt, & injuſtè detentus. Plangimus dolores & anguſtias noſtras, quas utinam nobiſcum co mmunicare velletis paterno compaſſionis affectu, & oſtenderetis per experientiam in noſtris anguſtiis, quantum vobis teneri debeat affectio filialis. Docet publicus experientiæ liber uberiorem eſſe charitatis affectum parentibus ad filios, quàm filiis ad parentes: ideòque penſata devotione, quam hactenùs habuerunt Reges Angliæ erga Romanam Eccleſiam, ſperamus in eo, qui ſpes noſtra eſt, quòd non deficiet in hac anguſtia noſtra illa exuberans, & inexhauſta gratiæ plenitudo, quæ ſe impartitur afflictis, lapſos erigit, læſos reparat; & ut quod multum eſt, claudatur in modico, ſe communicat univerſis. Qui & univerſorum & ſingulorum totus eſt, qui ſe ſervum ſuorum publicè profitetur; quid faciat pro tanto filio, pro tanto Principe, cujus injuſtiſſimam captionem provinciæ lamentantur, dolent populi, plorant Eccleſiæ, & omnia jura tàm moderna, quàm vetera deteſtantur? Exerat beati Petri gladium manus veſtra, clementiſſime Pater, quid & quantum tanto filio debeatis, exhibeatis in opere; ut experientia mediante addiſcant minores, & inferiores filii, quantum à vobis auxilium in ſuis neceſſitatibus debeant expectare. Valete.]

XVIII. Aleonora Regina interpellat Pontificem

Pulſavit etiam tunc fores importuniùs Romanæ Eccleſiæ Aleonora Anglorum Regina, ſperans auctoritate Romani Pontificis poſſe fieri, ut ipſe Rex captivus conjunx ejus vinculis ſolveretur. Sed cùm adhùc minimè audiretur, amariores ad eũ litteras frequentare cogebat doloris acerbitas, quarum cùm priores exciderint, tres ultimo loco datæ extant inter Petri Bleſenſis epiſtolas, ejuſdem auctoris ſtylum redolentes, quas reddemus anno ſequenti, quo datæ intelliguntur. Modò anni hujus reliqua proſequamur.

Hic eſt annus, quo Cencius Camerarius conſulturus rebus temporalibus Romanæ Eccleſiæ; aggreſſus eſt opus utile valdè, ut cenſus, qui tunc Romanæ Eccleſiæ à diverſis perſolverentur, ſcriptis mandaret: cui volumini in ejus argumentum iſta præfatus eſt:

XIX. De Cencio Camerario

Incipit liber cenſuum Romanæ Eccleſiæ, à Cencio Camerario compoſitus ſecundùm antiquorum Patrum Regeſta, & memorialia diverſa, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo centeſimo nonageſimoſecundo, Pontificatus Cæleſtini Papæ Tertii anno ſecundo.

Eccleſiæ Romanæ cenſuum opus jam retroacto tempore à quibuſdam aliis ordinatum, cur reordinare opus fuerit, & neceſſe: ego Cencius, quondam felicis recordationis Clementis Papæ Tertii, nunc verò domini Cæleſtini Papæ Tertii Ca-

A merarius, S. Mariæ Majoris Canonicus, breviter & apertè reſpondeo. Quòd cùm felicis memoriæ Eugenius Primus, & Hadrianus Papa ſucceſſor ipſius, & quidam alii deinde, quædam memorialia ſemiplena tantùm, nec authenticè ſcripta, ſeu ordinata, in ſcriptis de cenſibus redegiſſent, & poſteri, ſive ſucceſſores eorum per memorialia ipſa, quæ Eccleſiæ, vel monaſteria, hoſpitalia, ſeu domus eleemoſynariæ (quod fermè idem eſſe dignoſcitur) quæ etiam civitates, caſtella, villæ, vel domus ſpeciales, ſeu quæ Reges, aut Principes in jus admiſſi & proprieta-

De cenſibus Apoſtolicæ Sedis.

B tem beati Petri & S. R. E. perſiſtentes, cenſuales eſſe, vel quantum deberent perſolvere, inſtrui plenariè non valerent, eadem Romana Eccleſia detrimentum incurrebat non modicum, & jacturam. Quod utique comperiens & videns me de facili poſſe remedium huic damno præſtare; recognoſcens etiam perſonam meam à S. R. E. primis à cunabulis educatam, promotam in omnibus & creatam, vigilanti atque vehementi meditatione motus, cenſus ipſos, ſicut in tomis chartitiois, & voluminibus Regeſtorum antiquorum Pontificum Romanæ Eccleſiæ, & moder-

C norum, & aliorum librorum quorumdam, ſeu memorialium veracium inveni, etſi non omnes producens in medium, certis regnis, provinciis, Epiſcopatibus, atque locis à præmiſſis tantùm Patribus ſanctis primitus conſtitutos, inquantum facultas permiſit, ut inferiùs annotabitur, inſignivi. Novos cenſus, qui meo tempore in Romana fuerunt Eccleſia conſtituti, vel amodò ſtatuentur, in hoc volumine ſtudioſè depingendos oſtendi, ex hoc ſucceſſoribus meis præſtans materiam univerſis, qualiter de cætero, uſque ad exitum mundi & cenſus illos deſcribant,

D qui ſuis de novo temporibus ſtatuentur.] Hæc Cencius Camerarius;

XX. Conſtãtia ope Pont. liberata, & reſtituta Imper.

Præter hæc autem, quid hoc anno Cæleſtinus Papa operatus fuerit pro redimenda Conſtantia Auguſta è manu Tancredi Siciliæ Regis, atque ea reſtituenda Imperatori, in Chronico Foſſæ novæ iſta breviter.

Hoc anno dominus Cæleſtinus Papa miſit dominum Ægidium diaconum Cardinalem Aragoniæ Panormum, & retulit Imperatricem Conſtantiam, quam Salernitani dediderant Regi Tancredo, & honorificè duxit eam Romam. Et domi-

E nus Papa ſuis expenſis eamdem honorificè remiſit in Alemanniam ad Imperatorem.] Hæc ibi. Cùm intereà Henricus Imperator tantam illatam ſibi à Salernitanis ulturus injuriam, tàm in ipſos, quàm in Regem Tancredum, & alios Imperii perduelles, ingentem in ſequentem annum parat exercitum, claſſemque maritimam. Quæ autem egerit, ſuo loco dicetur anno ſequenti, quo fieri contigerunt, nempè cùm adhùc Richardus Rex Angliæ teneretur ab Imperatore captivus, ut apparet ex litteris Aleonoræ Reginæ ad Cæleſtinum

num

Digitized by Google

num ultimo loco datis. Inter hæc verò Rogerius Tancredi filius primogenitus coronatus in Regem migrat ex hac vita, & haud diu poſt Tancredus pater pariter obiit, ſuperſtite matre Regina cum puero, atque puellis duabus. Sed quæ admiranda in Slavorum hiſtoria ab auctore hujus ſæculi Helmoldo Abbate hoc tempore accidiſſe narrantur fide digniſſima accipe.

XXI. De Euchariſtia ingens miraculum.

His fermè diebus puella quædam in partibus Thuringiæ prope civitatem Erpisfurdiam ægrotabat. Quam dum ſacerdus ex more viſitaret, dans ei viaticum, ablutionem digitorum fecit in biccario mundo, ipſam aquam ad bibendum ei tradens, ſicque diſceſſit. Illa verò benè ſuæ mentis compos dixit his, qui circa ipſam erant: diligentiſſimè ipſam aquã operite; quia de digitis ſacerdotis vidi portiunculam Euchariſtiæ in eam decidere. Quo facto cùm ipſa aqua ei poſteà ad bibendum fuiſſet allata, & tota mutata fuiſſet in ſanguinem, ipſa quoque portiuncula, licèt minimi furmam acceperat digituli, verſa in cruentam carnem. His viſis terrentur omnes, fit clamor muliercularum accurrentium, clamantium, mirantium, ſtupentium, & de re tàm inaudita ſic & ſic loquentium. Mittitur, ſacerdos vocatur, qui magis ſtupebat, qui ſuam in his negligentiam metuebat. Qui etiam timens officii ſuſpenſationem, celare cem voluit, hortans tanti ſacramenti exuſtionem. Sed celari non potuit, quod Deus miraculosè manifeſtari voluit. Communicatur res pluribus, fit conventus ſacerdotum: qui in perturbatione non habentes conſilium, adierunt Archidiaconum. Qui ſuper his timens aliquid diſpenſare, quæ geſta erant, per epiſtolam ſignificavit domino Moguntino. Intereà ipſum biccarium cum vivifico corpore, & ſanguine opertum corporali, ſuper altari ponitur, & videntibus cunctis qui aderant, columba venit ſuper labium biccarii, & diu ſedit non ſine admiratione cunctorum, quòd corporis ſui pondere ipſum vaſculum non everterit. In partibus enim illis biccaria quaſi ductilia in inferioribus ſunt anguſta, in ſuperioribus verò ampliora. Unde, qui viderant, non corporalem, ſed ſpiritualem columbam arbitrati ſunt.

XXII. Proceſſio ordinata.

Cùm ergò hæc circa feſtum B. Vincentii Martyris facta fuiſſent, in feſto Annuntiationis venit dominus Archiepiſcopus in partes illas. Ipſam enim diem præfixerat omnibus Prælatis ſuis, cum omni Clero, ſimiliter & univerſo populo, ut omnibus in unum poſitis, quid ſuper eodem negotio ageret, omnium conſilio uteretur. Omnibus igitur convenientibus ad villam, ubi ipſum ſacramentum repoſitum erat, ordinata proceſſione, Prælatis portantibus ſanguinem Domini cum ſupplicatione Litaniæ, & populi devotiſſima prece, omnes diſcalceatis pedibus ad civitatem ſupradictam veniunt, & primam in monte B. Cyriaci ſtationem faciunt.

A Quibus cum nimia humilitate occurſant Sanctimoniales ejuſdem loci, cum genuflexione intima cantantes devotiſſimè: Jeſu noſtra redemptio, &c. Ubi cùm Miſſarum ſolemnia pro inſtanti articulo celebrata fuiſſent, procedunt ad montem B. Petri, ubi magnus * religioſus ab antiquo inſtitutus monachorum eſt Conventus: ubi ſimiliter cùm devotiſſimè Miſſarum ſolemnia celebrata fuiſſent, ventum eſt ad Eccleſiam beatæ Dei genitricis ſemperque Virginis Mariæ. Ubi dominus Archiepiſcopus pontificalibus indutus, inter divina populum ad lacrymas & orationes eſt adhortatus, ut divina clementia, B ſemper humano generi amica, quæ ad evacuandum errorem Infidelium, ſive ad corroborandam fidem ſuorum Fidelium, ſacramentum, quod ſub ſpecie panis & vini benedicitur, ſanctificatur, ſumitur; verè ſuam carnem & ſanguinem evidentiſſimis indiciis demonſtraſſet ad laudem & gloriam nominis ſui, ſimiliter etiam ad jucunditatem & exaltationem Eccleſiæ ſuę ſanctæ, ut confiteamur nomini ſuo ſancto, & gloriemur in laude tua: rurſùs in priorem ſubſtantiam panis & vini transformare dignetur. Ut ſicut ipſe verè eſt C panis vitæ & vinum, quod ſpiritualiter lætificat cor hominis; ita verè ſacramentum, quod Eccleſiæ ſub ſpecie panis & vini uſurpandum dederat, in formam notam verteretur.

* al. religioſorum.

XXIII.

Cumque diu oratum fuiſſet, & ſanguis, & caro in formam priorem non rediiſſet: pontifex de novis lapidibus novum altare conſtrui præcepit, ut in eo idem ſanguis cum carne Dominica reverentèr conderetur. Verùm cùm inter ipſas rationes & exhortationes ſæpiùs miſiſſet, & transformatio facta non fuiſſet: venit ſubitò qui diceret, Dominum preces & gemitus fi- D liorum Iſrael audiſſe, & priorem illam ſubſtantiam pleniſſimè rediiſſe. His auditis, Dominus Archiepiſcopus multis ſuffuſus lacrymis, omnes ad gratiarum actiones hortari cœpit; ipſe verò cum ſermone exhortationis in laudes Domini noſtri JESU Chriſti prorumpens, ſic omnibus locutus eſt.

XXIV. Perorat Archiep.

A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. O Redemptor, quis umquam mortalium facta pietatis tuæ dignis efferat laudum præconiis? qui ſemper cogitas cogitationes pacis, & non afflictionis. Et quia proprium eſt tibi ſemper miſereri & parcere, cujus natura bonitas, voluntas potentia, opus miſericordia, tu facis quod tuum eſt, nos autem quod noſtrum eſt. Tu, antequàm invocemus, paratus es miſereri; nos proni ad malum ſumus à diebus adoleſcẽtiæ noſtræ. Nos ingrati ſumus tantæ pietatis munificentiæ, tu verò nec ingratis beneficia ſubtrahis, qui Solem tuum oriri facis ſuper bonos & malos, & pluis ſuper juſtos & injuſtos. Sed qui de terra eſt, de terra loquitur: tù quoque qui de cœlis deſcendiſti, ſuper omnes es: quia tu ſolus ſcis,

undè venias, aut quò vadas: qui ad firmandam plebis tuæ fidem, ſacramentum hoc vertiſti in cruentam carnem, qui verè te panem vivum, qui de cœlo deſcendit, homini, ne deficiat in via hujus peregrinationis, comedendum dediſti, quem ſine faſtidio continuè manducat Angelus in cœlo. Quem tamen ille manducat deliciosum, iſte interim manducat ad remedium: uterque verè, ſed non uterque plenè. Apoſtolus enim dicit: (a) Probet ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat. Aliud quippè eſt, ſumere ſacramentum, aliud rem ſacramenti. Unum eſt viſibilis forma, aliud inviſibilis gratia. In his duobus duo comedendi ſunt modi, unus ſacramentalis, alius ſpiritualis. Secundùm unum comedunt univerſi, ſecundùm alium tantùm boni. Ibi multi vocati, hìc pauci electi. Ideò dixi, Uterque verè, ſed non uterque plenè: quia alius tantùm ſumit ſacramentum, alius autem & ſacramentum, & rem ſacramenti. Alius enim devotus & dignus cum ſacramento viſibili inviſibilem percipit & gratiam: alius autem indignus ſumens ſacramentum, reus efficitur corporis & ſanguinis Domini, quia judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.

a 1 *Cor.* 11.

Gratiarũ actio:

Nunc igitur, ut condignas perſolvamus gratiarum actiones Domino noſtro JESU Chriſto, qui in hoc facto nos, & terreri & conſolari voluit, hoc ſuademus, præcipimus, ſtatuimus omnibus ſub noſtra juriſdictione conſiſtentibus, ut omnes à minimo uſque ad maximum, à juvene uſque ad ſenem, & pueri & puellæ, incurvati adorent, laudent, magnificent Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, cui omne genuflectitur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & honoremus almiflua ejus ſacramenta, ut non ſolùm ſacramentum, ſed & rem ſacramenti fideliter percipiamus per gratiam ipſius, qui ſecundùm ordinem Melchiſedec ſacerdos eſt, & ſacrificium, quo nos ſibi faciat populum peculiarem, ſectatorem bonorum operum. Cumque omnes reſpondiſſent, Amen, Dominus Archiepiſcopus ipſam aquam tranſubſtantiatam in vaſculo pretioſo ad poſteritatis memoriam in ipſa Eccleſia honorificè repoſuit; bicarium verò ſecum Moguntiam detulit, ubi uſque hodiè honore maximo veneratur. Omnes autem, qui in omni diœceſi ſua conſtituti erant, ita devotè ad laudem Chriſti, incurvati ſunt, ut etiam infantuli, qui in cunabulis jacebant, incurvati gratias agerent, juxta illud: (b) Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem.] Hæc de tranſubſtantiatione aquæ in ſanguinem Chriſti, per commiſtionem Chriſti corporis divinitùs facta. Quod ſemper fieri in vino, cùm commiſtio intercederet, antiquitas exiſtimavit. Unde illud (c) Romani Ordinis: Vinum etiam non conſecratum; ſed ſanguini Domini commixtum, ſanctificatur per omnem modum.] Sed hæc prolixiorem exigunt diſputationem. Confutavit idem miraculum hæreſim hoc ſæculo obortam, negantium aquam vino mixtam mutari in ſanguinem.

b *Pſal.* 8.

c *Ord. Rom. de offic. Miſ. in fin. & Microl. c.* 19

JESU CHRISTI ANNUS 1193. CÆLESTINI PAP. III. ANNUS 3. HENRICI V. IMP. 3. ISAACII ANG. IMP. 8.

I. Crudelia facta Henrici Imp.

SEquitur annus Redemptoris milleſimus centeſimus nonageſimus tertius, Indictione undecima, quo Henricus Imperator audita morte Tancredi, ejuſq; filij in Sicilia regnantium, exercitu, claſſeque parata in Campaniam venit, Salernum expugnat, diramque vindictam ſumit de civibus, qui captam Conſtantiam Auguſtam miſerant ad Tancredum, receptiſque Appulia, atque Calabris in fidem, Meſſanam ſe contulit, ubi promiſſionibus allectis Siculis, eoſdem in deditionem accepit, pactiſque conventis Reginam matrem cum puero, atque puellis redegit in ſuam poteſtatem, quos perjurus idem Imperator Henricus vinculis alligavit, puerumque excæcavit, puellas verò duas ſorores cuſtodiri mandavit unà cum matre. Hæc omnia ex Chronicis Foſſæ novæ, ubi & aſſeritur adventus Henrici Imperatoris in Siciliam contigiſſe hoc anno, Menſe Decembris, ſicque cladem illam illatam Siculis hoc anno cœptam, in ſequentem propagatã fuiſſe. Addit his Rogerius in Annalibus, eumdem Henricum Imperatorem juſſiſſe effodi corpora Tancredi, & filii ejus Rogerii, regiſque nudari coronis, quas accepiſſe illegitimè, aſſerebat.

II.

Intereà verò hoc eodem anno Regina Anglorum pro liberatione filii ſui Richardi Regis denuò & importuniùs pulſat fores Apoſtolicæ Sedis, iſta ſcribens ad Romanum Pontificem Cæleſtinum (d) per Petrum Bleſenſem, qui Regi patri fuerat à ſecretis.

d *Petr. Bl. ep.* 144.

Reg. Angl. litteræ ad Cæleſtin. Papam primæ.

Reverendo Patri & domino Cæleſtino Dei gratia ſummo Pontifici, Aleonora in ira Dei Regina Anglorum, Duciſſa Northmanniæ, Comitiſſa Andegavenſis miſeræ matri exhibere ſe Patrem.

Silere decreveram, ne inſolentiæ & præſumptionis arguerer, ſi fortè adversùs Principem ſacerdotum verbum aliquod minus cautum abundantia cordis, & vehementia doloris eliceret. Sanè non multùm ab inſania differt dolor; dum in impetu ſuæ accenſionis eſt, dominum non agnoſcit, ſocium non veretur, nec defert, nec parcit alicui, ſed nec tibi. Nemo ergò miretur, ſi verborum modeſtiam vis doloris exaſperet, jacturam enim plango publicam: ſed & familiaris dolor in ſpiritus mei præcordiis inconſolabiliter radicavit.

Sagit-

Sagittæ enim Domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum. Gentes divulſæ, populi lacerati, provinciæ deſolatæ, & generaliter tota Occidentalis Eccleſia confecta lamentis in ſpiritu contrito & humiliato ſupplicant vobis; quem conſtituit Deus ſuper gentes & regna in omni plenitudine poteſtatis. Aſflictorum, quæſo, clamor introeat in aures veſtras: calamitates enim noſtræ multiplicatæ ſunt ſuper numerum. Nec iſta diſſimulare poteſtis citra criminis, & infamiæ notam, cùm ſitis Vicàrius Crucifixi, ſucceſſor Petri, ſacerdos Chriſti, chriſtus Domini, Deus etiam Pharaonis. De vultu tuo, Pater, judicium prodeat, oculi tui videant æquitatem. De arbitrio veſtro, & de elementia veſtræ Sedis pendent vota populi, & niſi maturiùs arripiat manus veſtra judicium, tota redundabit in vos tragœdia hujus mali: cùm ſitis pater orphanorum, & judex viduarum mœrentiũ, & dolentium conſolator, & omnibus civitas refugii. In tanto cumulo miſeriarum unicum & commune omnibus expectatur de veſtræ poteſtatis auctoritate ſolatium. Filii Iſrael Moyſen, cujus agitis vices, conſultabant in duris, & ad tabernaculum fœderis confugiebant in anguſtiis ſuis. Rex noſter in arcto eſt, & undique anguſtiæ premunt eum.

III. Videte ſtatum, aut potiùs caſum regni, malitiam temporis, Tyranni ſævitiam, qui de fornace avaritiæ arma iniquitatis inceſſanter fabricat contra Regẽ, quem in ſancta peregrinatione, in protectione Dei cœli, & tuitione Romanæ Eccleſiæ captum, & vinculis carceralibus coarctatum tenet, occiditque terrendo. Contemnit enim Deum, & terribilia judicia ejus; prædæ incubat, & non eſt qui de manu ejus poſſit eruere. Si Eccleſia Romana complosis manibus ad tantas injurias Chriſti ſilet: exurgat Deus, & judicet cauſam noſtram, reſpiciat in faciem Chriſti ſui. Ubi eſt zelus Eliæ in Achab? zelus Joannis in Herodem? zelus Ambroſii in Valentem? zelus Alexandri Tertii, qui ſicut audivimus, & vidimus, patrem iſtius Principis Fridericum plena auctoritate Apoſtolicæ Sedis ſolemniter & terribiliter à Fidelium communione præcidit? Porrò Tyrannus Apoſtolicas claves habet ludibrio, nec niſi verba reputat legem Dei. Sed tantò conſtantiùs deberetis arripere gladium Spiritus, quod eſt verbum Dei: ſcriptum eſt enim: (a) Qui vos ſpernit, me ſpernit. Ideò ſi veſtram non vultis, aut Eccleſiæ Romanæ injuriam perſequi; vobis tamen diſſimulare non licet Petri opprobrium, & injuriam Chriſti. Non ſit ergò alligatum in ore veſtro verbum Domini, nec in vobis timor humanus obruat ſpiritum libertatis. Tolerabilius eſt incidere in manus hominum, quàm derelinquere legem Dei. Confidunt in virtute ſua, & in multitudine divitiarum ſuarum gloriantur inimici Crucis Chriſti, quorum finis interitus, &

a Luc. 10.

A gloria eorum in confuſione. Quidquid Eccleſiarum & pauperum neceſſitati ſubtrahitur, inſatiabilis avaritiæ devorat ingluvies. Sed propè eſt, ut in eos manus Domini tempeſtivam exerceat ultionem, & eveniet, quod beatus (b) Job de prædone impio proteſtatur: Divitias, quas devoravit, evomet, & de ventre ejus extrahet eas Deus. Luet quæ fecit omnia, nec tamen conſumetur. Quòd ſi ad tempus humanum evadunt judicium, divinum terribilius eſt, quod imminet eis: quorum gaudium præſens inſtar puncti; B interminabilis verò pœna ignis & vermis. Quis enim umquam perſecutor innocentiæ ultricem illius manum, qui aufert ſpiritum Principum, potentesque potenter punit, legitur evaſiſſe? Ut de pœna taceam gehennali, ſæpè legimus, quomodò digitus Dei pro arbitrio ſuo regna & Imperia transfert: quas etiam, ſicut vult erigit, & ſicut vult, deiicit poteſtates. Non deterreat, quæſo, vos ſæcularis elatio. Superbus eſt (c) Moab, & major eſt ſuperbia ejus, quàm fortitudo ipſius: è contrario autem nomen Domini plurima fortitudo.

b Job. 20.

c Iſai. 16.

C Illud verò publicè contriſtat Eccleſiam, populiſque murmur excitat, nec mediocriter militat in diſpendium veſtræ opinionis, quòd in tanto diſcrimine, in tot lacrymis, in tot provinciarum ſupplicationibus, nec unum Nuntium ad Principes illos à veſtro latere deſtinaſtis. Sæpè pro cauſis mediocribus veſtri Cardinales in magna poteſtate etiam ad partes barbaras legatione funguntur: in cauſa verò tàm ardua, tàm lamentabili, tàm communi, nec unum ad hæc Subdiaconum, aut Acoluthum deſtinaſtis. Legatos enim hodiè D facit quæſtus, non reſpectus Chriſti, non honor Eccleſiæ, non regnorum pax, aut populi ſalus. Quis quæſtus vobis, aut proventus glorioſior poſſet eſſe, quàm in hac liberatione Regis ſummi Pontificis apicem, ſive ſacerdotium Aaron, & Phinees exaltare? Sanè non multùm humiliaſſes Sedis Apoſtolicæ dignitatem, ſi in propria perſona ad tanti liberationem Principis in Germaniam deſcendiſſes. Quem enim tàm officiosè colebat in proſperis, tàm deſidiosè deſerere non debuit in adverſis. Quare non appenditis in libra juſtitiæ beneficia, quæ bonæ memoriæ Hen- E ricus, pater iſtius Regis vobis, ſicut vidimus, in articulo ſummæ neceſſitatis exhibuit, ut è diverſo tyrannidem Friderici, quam in vos & Eccleſiæ Romanæ poſſeſſiones, & in omnes qui vobis fideliter adhærebant, exercuit? Cùm enim prænominatus Fridericus fautor ſchiſmaticæ diſſenſionis & auctor contra Alexandrum Tertium, canonicè, ſicut ſcitis, electum, in partem apoſtatæ Octaviani conjuraſſet, atque ſub illa ſchiſmatis concuſſione generaliter ubique terrarum Eccleſia laboraret: Reges Franciæ & Angliæ variis ex utraque parte legationibus tentabantur. Cumq; ſententia Regis Francorum conſi-

IV. Juſtæ Querelę Reginæ.

Henrici Reg. digna merita.

liorum

liorum varietate, cui faveret parti, fluctuans dubia vacillaret; Rex Henricus dolens Chriſti tunicam diutiùs ſcindi, primus Alexandro Papæ conſenſit, multaque cautela trahens Regem Francorum pariter ad conſenſum, Apoſtolicum ſuis munivit conſiliis, & firmavit auxiliis; & ſic navem Petri ſub certo diſcrimine naufragantem in ſecura litoris ſtatione locavit. Hæc apud Caſtrum Radulphi vidimus, ubi etiam Romanorum votis (ſicut ipſi pro miraculo publicè prædicabant) plenioribus xeniis auri & argenti regia munificentia ſatisfecit.

V. Notabiliter igitur dehoneſtat gloriam Sedis Apoſtolicæ, quòd aliqua umquam ingratitudo tanti beneficii memoriam potuit abolere. Quandoque poterit ex causa conſimili (quod Deus avertat) ſchiſmatis pullulare fermentum, veſtræq; præſentis deſidiæ & defectus recordatio poterit tunc aliquibus cedere in ſingultum. Licèt enim liberationem Regis ille veteratus ſerpens, ille coluber tortuoſus machinationibus præſtigioſis impediat: confidimus tamen in Domino, quòd tempeſtivè reſpiciet in faciem Chriſti, & dabit imperium Regi ſuo. Expectatio ſiquidem noſtra in ſpe certa, & fide firma convaluit. Fit enim inceſſanter oratio ab Eccleſia ad Deum pro eo. Deus autem, qui in tempore accepto exaudit, & adjuvat in die ſalutis: reſpiciet in orationes humilium, & non ſpernet preces eorum. (a) Multùm enim valet deprecatio juſti aſſidua. Sol ad (b) preces Ioſue ſtetit, & Luna contra vallem Ajalon non eſt mota, quia juſti precibus obtinetur, ùt à corde peccatoris Sol juſtitiæ non recedat, & mens hominis, quamvis in defectum prona ſit, virtutum tamen ſtabilitate firmatur. Non enim tantùm remittitur oratione peccatum, ſed & pœna peccati declinatur beneficio precum. Ideò bonum eſt Regi preſtolari cum ſilentio ſalutare Domini. Nam ſi nunc in fornace tribulationis purgatur à Deo, qui circa eum adverſa & proſpera ſaluberrima moderatione diſponit; vexatio tranſibit in gloriam, atque pro confuſione duplici & rubore in terra duplicia poſſidebit. Beatus itaque vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus. Sanè ſicut nunc ei publici gemitus, & generales impenduntur lacrymæ: ſic deſideratus gentibus tempeſtivè communibus excipietur votis in exultatione univerſæ terræ. Domine in virtute tua exaltabitur Rex, & Eccleſia Romana, quæ nunc nimis culpabiliter in ejus liberatione lenteſcit, non ſine lacrymis erubeſcet, quòd in tantis anguſtiis tantum filium non agnovit.] Hactenùs litteræ Reginæ matris: ſed non quievit, nec expectavit patienter quid decerneret Apoſtolica Sedes.

a *Jacob. 5.*

b *Joſue 10.*

VI. Rurſùm verò materna viſcera importuna ipſum exagitant Cæleſtinum Papam; aliis urgent litteris adverſùs filii detentores, iiſdemque amarioribus: quò enim magis ſpe fruſtrari viſus ſibi, eò graviori

A dolore exulceratus eſt animus ejus. Audi ea, ut non mireris, ſi Cæleſtinus Papa demùm rem egerit cenſuris Eccleſiaſticis.

Sanctiſſimo (c) Patri ac domino Cæleſtino Dei gratia ſummo Pontifici, Aleonora eadem gratia Regina Angliæ, Duciſſa Northmanniæ, & Comitiſſa Andegaviæ, ſalutem, & miſericordiæ viſceribus abundare.

c *Apud Petr. Bleſ. epiſt.* 145. Aleonoræ ſecundæ litteræ ad Cæleſtin.

Tædet animam meam vitæ meæ: quidquid enim verebar, accidit, & adhùc expectatio durioris eventus omnem gratiam conſolationis abſcidit. Quando ego non
B timui graviora pericula veris? Laborem itaque & dolorem meum conſiderans, à puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate ſubvertor. Ego verò jam delibor, & doloribus feſtinata ſenectus paucitatem dierum meorum nunciat mihi. Multoties vobis ſcripſi, atque ſacrificium cordis in ſpiritu contrito & humiliato frequenter obtuli. Quia tamen ſemel cœpi, loquar adhùc ad dominum meum, cùm ſim pulvis & cinis. Dimitte me dominè, ut plangam paululùm dolorem meum. Neſcio enim, quo pacto impetus anxietatis, ex ipſo planctu, & lacrymarum profuſione lenteſcit.
C Diu expectavi ego perdita, ſi eſſet, qui leniret dolorem matris, qui diceret, Joſeph filius tuus vivit, & eductus eſt de ciſterna, nec eum fera peſſima devoravit. O fera peſſima, tigribus & lamiis, omnique fera crudelior, qui filium meum, militem Chriſti, Chriſtum Domini, peregrinum Crucifixi, vinculis alligatum Imperatori vendidit & tradidit! Sic ei durior adverſarius conſtitutus eſt, atque de ergaſtulo in labyrinthum, & de Scylla tranſlatus eſt in Charybdim. A diebus Judæ Iſchariotis non eſt inventus ſimilis illi, qui ſic violaret legem Excelſi; qui ita malitioſè
D traderet juſtum. Et hæc in occulto, & in tenebris facta ſunt: erant enim opera tenebrarum.

VII. Memoriam abundantiæ ſuavitatis tuæ, Pater miſericordiæ, precor, ut de ore leonis, & de manu beſtiæ liberes innocentem. Et quæ tibi utilitas in ſanguine ejus, qui de manu tua exactiſſimè requiretur? Quia credebamus aliquando, quod diſpoſuiſſet Dominus per vos filio facere miſericordiã, facti ſumus lætantes: nunc autem res in contrarium verſa eſt. Triumphat enim longè latèque diabolus, ſapientiam vincit malitia, & audita in gentibus filii mei
E captione, perſonat in triviis Geth, & in compitis Aſcalonis incircumciſorum ſolemnis applauſus. Heu, heu, percuſſit nos Dominus plaga gravi & caſtigatione crudeli! A me viſcera mea tyrannus avulſit, & Eccleſias ſpolians, in Terra Sanctorum iniqua geſſit, plebes innumeras amaritudine & mœrore confecit. In his omnibus non eſt averſus furor ejus, ſed adhùc manus ejus extenta: non parcit monachis, non recluſis, non eremitis, non monialibus, non leproſis: perierunt enim jus & fas, timor Dei, fides, religio, & honeſtas.

Exur-

Esurge, quare obdormis, domine, exurge, & ne repellas in finem. Moveat te, ſumme Pontifex, etſi non hujus peccatricis infeliciſſimæ dolor; ſaltem clamor pauperum, compeditorum gemitus, interfectorum ſanguis, Eccleſiarum ſpoliatio, & generalis denique preſſura Sanctorum. Vide, quanta malignatus eſt inimicus in ſancto, invaluerunt hoſtes Eccleſiæ, prolongaverunt iniquitatem ſuam, confortati ſunt, addentes prævaricationem, iniquitatem apponunt iniquitati, ut ſanguis ſanguinem tangat, ut ſuperbia eorum aſcendat ſemper, & impietas modernorum menſuram patrum ſuorum non ſolùm impleat, B ſed tranſcendat. Certè horrendo anathemate feriendi erant, aut potiùs fulminandi. Exurgat igitur orbis Epiſcopus, & arripiat quaſi fulgur judicium manus tua. Sicut Petrus uno ictu Ananiam & Saphiram, & uno ictu Simonem Magum potuit delere de medio; ſic ſpiritu labiorum tuorum interficias impios. Alioquin videberis declinare in obligationem malitiæ per conſenſum. Declinantes autem in obligationem adducet Dominus cum operantibus iniquitatem. Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime: gladio ſcilicèt ſpiritus, quod eſt verbum Dei. C Arripiat judicium manus tua, & in poteſtate collata tibi cælitùs tolle virgam peccatorum deſuper ſortem juſti: ſcuto bonæ voluntatis tuæ protege filium meum, & filius iniquitatis non apponat nocere ulteriùs innocenti.

VIII. Cùm innocentia Regis filii mei teſtimonium habeat ab his, qui propè ſunt, & ab iis qui longè; non habetis excuſationem de peccato. Quæ enim excuſatio poſſit veſtram deſidiam, & injuriam palliare, cùm omnibus liqueat, quòd liberandi filium meum habetis poteſtatem, & ſubtrahitis voluntatem? D Nonnè Petro Apoſtolo, & in eo vobis à Deo omne regnum, omniſque poteſtas regenda committitur? Benedictus autem Dominus, qui talem poteſtatem dedit hominibus. Non Rex, non Imperator, aut Dux à jugo veſtræ juriſdictionis eximitur. Ubi eſt ergò zelus Phinees? ubi eſt auctoritas Petri? ubi eſt qui dicat: Zelus domus tuæ comedit me? Appareat, quòd non in vanum dati ſunt vobis, & Coepiſcopis veſtris gladii ancipites in manibus veſtris. Dicite iniquis, nolite iniquè agere, & delinquentibus, nolite exaltare cornu. E Non degeneret in hærede Petri dignitatis Apoſtolicæ reverenda ſucceſſio. Veſtrum agnoſcite principatum, probate zelum, accingimini ad opus fortitudinis, & honorate miniſterium veſtrum, gloria veſtra derivetur ad poſteros, & cognoſcat generatio altera, quàm inaniter tyrannus ille præſumpſerit, & quàm potenter præſumptionem ejus Sedes Romana punierit. Vobis equidem convertetur in diſcrimen & crimen, ſi remiſſas habeatis manus, & addat impunitas cornua peccatori. Si enim in viridi hæc facta ſunt, in arido quid fiet? Reco-

De poteſtate Rom Pont.

A lat, quæſo, veſtra paternitas, quantus amicus vir meus Rex, pater iſtius Regis, & quàm fidelis vobis fuerit: attendite, quàm benignus iſte ſucceſſor paternæ devotionis extiterit: Nec à corde veſtro excidat, quanta ego ſollicitudine per ipſum veſtrorum negotia Legatorum immò veſtra promoverim. Si etiam in veſtris neceſſitatibus mea unquam circa vos affectio torpuit: decidam meritò ab inimicis meis inanis.

IX. Ego autem nunc experior veſtrorum promiſſa Cardinalium verba eſſe & folia; arbores autem non à foliis, aut floribus, B ſed à fructibus cognoſcuntur. Et nos quidem a fructibus eorum cognovimus eos, Dicere pudet, quod utinam eos feciſſe puderet, tyrannus eos habuit malitiæ fautores, cujus ſe debuerant exhibuiſſe ultores. Diligi vos, non lingua & verbo, ſed opere & veritate numquid redditur pro bono malum, & odium pro dilectione? Ut ſalva pace domini mei unum loquar: Dico ei, quòd quandoque (a) Joab exprobaſſe legitur David Regi: Diligis eos, qui te oderunt, & eos odio habes, qui te diligunt. Heu quomodò exarmatur zelus juſtitiæ! quàm miſerabiliter claves C Eccleſiæ ſuum perdiderunt officium! Et ubi glorioſus Petri principatus eminere debuerat, ibi contumelioſiùs opprimitur, & vileſcit Pontificalis auctoritas. Lupus irruit in ovile, leo in Eccleſiam Dei, & ſingularis ferus depaſcitur eam, nec eſt, qui pro domo Domini ex adverſo aſcendat: quodque familiariùs, & intolerabiliùs doleo, filium meum tyrannus cruciat. Diſſimulat hoc ſummus Pontifex: nec eſt qui redimat, neque qui ſalvum faciat. Si qua ergò conſolatio in vobis, ſi qua virtus charitatis in Chriſto, ſi qua miſeratio, ſi qua compaſſionis viſcera, ſi quid deni- D que quod affectum patris, & Pontificalem ſapiat unctionem: audiat omnis populus ſapientiam eſſe in vobis ad faciendum judicium.

a 2. Reg. 19.

X. Sed quid talibus immoror? curro in incertum, & aera verbero, atque in ventos noſtri gemitus evaneſcunt. Obſtinatio tyranni durior adamante eſt, & ſcio quem Deus negligit, nemo poterit corrigere. Sermo meus in terram cecidit, & revertitur ad me vacuus, nec in his, ad quæ miſſus eſt, proſperatur. Me igitur tribulationum tempeſtas horrenda demergit, me profundum abſorbet abyſſi terribilis, E & urget ſuper me puteus deſperationis os ſuum. Populi noſtri omnes dant manus ſuas morti, atque cum inferno percutiunt fœdus, tabeſcentes, & areſcentes præ timore, & expectatione, quæ ſuperveniunt univerſo Orbi Occidentali. Tu autem Domine Deus Sabaoth, qui judicas juſtè, vide, quia vim patior, judica cauſam meam. Et quia in terris judicem non invenio ego miſera, & nulli miſerabilis: terrarum judicem ad tuum terribile tribunal appello. Infelix ego, quare doloris mei vehementis impetum ſequor, & os

meum

A meum in cœlum pono? Sed æquanimiter, quæſo Pater, ſuſtineat benignitas veſtra, quod ex dolore, non ex deliberatione proceſſit. Peccavi ego, & ut verbo beati

a Job. 39. (a) Job utar: Quæ dixi, utinam non dixiſſem. Ideò non addam ultrà, & ſupponam digitum ori meo. Vale.] Annè ſatis iſta? minimè gentium, ſed quietis impatiens mater, quouſque videat filium liberum, non ceſſat importunioribus litteris laceſſere eumdem Pontificem Cæleſtinum, & interpellare ipſum querelis, atque lamentis urgere in adverſariorum ultionem, iſta eodem argumento conſcribens.

XI. B

b Apud Pe. Bleſ. epiſt. 146.

Reverendo (b) Patri & domino Cæleſtino Dei gratia ſummo Pontifici, Aleonora miſera, & utinam miſerabilis Anglorum Regina, Duciſſa Northmanniæ, Comitiſſa Andegaviæ, miſeræ matri exhibere ſe miſericordiæ Patrem.

Poſtremæ litteræ Aleonoræ Reg. ad Cæleſt. Pap.

Invidente locorum diſtantia prohibeor, beatiſſime Papa, vobis præſentialiter loqui: neceſſe tamen eſt, ut plangam pauluſum dolorem meum. Et quis mihi tribuat, ut ſcribantur ſermones mei? Tota interius & exterius anxior; unde & verba mea dolore ſunt plena. Foris ſunt timores, intùs pugnæ: nec ad momentum mihi reſpirare C liberum eſt à tribulatione malorum & dolore, à tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis: tota dolore contabui, pellique meæ, conſumptis carnibus, adhæſit os meum. Defecerunt anni mei in gemitibus, & utinam omninò deficiant. Utinam totus ſanguis corporis mei jam emortui, cerebrū capitis, oſſiumque medullæ ita diſſolvantur in lacrymas, ut in fletus tota perefſluam. Avulſa ſunt à me viſcera mea: baculum ſenectutis meæ, & lumen oculorum meorum perdidi. Meiſque votis accederet, ſi Deus infelices oculos meos, ne mala gentis D meæ ulteriùs videant, perpetua cæcitate damnaret. Quis det mihi, ut pro te moriar, fili mi? Matrem tantæ miſeriæ reſpice miſericordiæ Mater; aut ſi filius tuus, fons miſericordiæ inexhauſtus, peccata matris requirit à filio, ab ea quæ ſola deliquit, totum exigat, puniat impiam, & de pœnis innocentis non rideat. Qui cœpit, ipſe me conterat, tollat manum ſuam, & ſuccidat me, & hæc ſit conſolatio mea, ut affligens me dolore, non parcat.

XII.

Ego miſera, & nulli miſerabilis, cur in hujus deteſtandæ ſenectutis ignominiam veni? duorum regnorum domina, duorum- E que Regum mater extiteram. Avulſa ſunt à me viſcera mea. generatio mea ablata eſt, & convoluta eſt à me. Rex junior, & Comes Britanniæ in pulvere dormiunt, & eorum mater infeliciſſima vivere cogitur, ut irremediabiliter de mortuorum memoria torqueatur. Duo filii mihi ſupererant ad ſolatium, qui hodiè mihi miſeræ & damnatæ ſuperſunt ad ſupplicium. Rex Richardus tenetur in vinculis, Joannes frater ipſius regnum captivi depopulatur ferro, & vaſtat incendiis. In omnibus verſus eſt mihi Dominus in crudelem, & adverſatur mihi in duritia manus ſuæ. Verè

A pugnat ira ejus contra me. Ideò & filii mei pugnant inter ſe. Si tamen pugna eſt, ubi unus vinculis arctatus affligitur; alius addens dolorem ſuper dolorem ipſius, crudeli tyrannide ſibi regnum exulis uſurpare molitur. Bone JESU, quis mihi tribuat, ut in inferno proteges me, & abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus, donec ceſſent ſagittæ, quæ in me ſunt, quarum indignatione ſpiritus meus totus ebibitur? Mora in voto mihi eſt, & vita in tædio; & cùm ſic moriar inceſſanter, in deſideriis tamen habeo mori pleniùs. Vi- B vere compellor invita, ut vita mihi ſit pabulum mortis, & materia cruciatus. O felices, qui inexperti ludibria vitæ hujus, & inopinatos eventus conditionis incertæ beato prævenerunt aborſu!

Quid facio? cur ſubſiſto? quare moror miſera, & non vado, ut videam, quem diligit anima mea, vinctum in mendicitate & ferro? ut quid enim tanto tempore mater potuit oblivisci filii uteri ſui? XIII.

Tigres erga fœtus ſuos, & lamias etiam ſæviores emollit affectio. Fluctuo tamen in dubio. Si enim abiero, deſerens filii mei regnum, quod undique gravi hoſti- C litate vaſtatur; erit in abſentia mea communi conſilio & ſolatio deſtitutum. Si autem ſubſtitero, deſideratiſſimam mihi faciem filii mei non videbo. Non erit qui liberationem filii mei ſtudioſè procuret, & quod magis vereor, ad impoſſibilem pecuniæ quantitatem delicatiſſimus adoleſcens tormentis urgebitur, tantæque afflictionis impatiens, facilè in mortem ſuppliciis adigetur. O impie, crudelis, & dire tyranne, qui non es veritus manus ſacrilegas immittere in Chriſtum Domini! nec te regalis unctio, nec ſanctæ vitæ D reverentia, nec Dei timor à tanta inhumanitate cohibuit!

XIV. De poteſtate Rom. Pontif.

Porrò Princeps Apoſtolorum adhùc in Apoſtolica Sede regnat & imperat, & in medio conſtitutus eſt judiciarius rigor: illudque reſtat, ut exaratis in maleficos, Pater, gladium Petri, quem ad hoc conſtituit ſuper gentes & regna. Chriſti Crux antecellit Cæſaris aquilas, gladius Petri gladio Conſtantini, & Apoſtolica Sedes præjudicat Imperatoriæ poteſtati. Veſtra poteſtas à Deo eſt, an ab hominibus? Nonnè Deus deorum locutus eſt vobis in Petro Apoſtolo, dicens: (c) Quodcum- c Mat. 16.

E que ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis? Quare ergò tanto tempore tàm negligenter, immò tàm crudeliter filium meum ſolvere differtis, aut potiùs non audetis? ſed dicetis, hanc poteſtatem vobis in animabus, non in corporibus fuiſſe commiſſam. Eſto certè, ſufficit nobis, ſi eorum ligaveritis animas, qui filium meum ligatum in carcere tenent. Filium meum ſolvere, vobis in expedito eſt, dummodò humanum timorem Dei timor evacuet. Redde igitur mihi filium meum, vir Dei, ſi tamen vir Dei es, & non potiùs vir ſanguinum,

A nnm, ſi in filii mei liberatione torpeas, ut ſauguinem ejus de manu ſua requirat Altiſſimus. Heu, heu, ſi ſummus Paſtor in mercenarium pervertatur, ſi à facie lupi fugiat, ſi commiſſam ſibi oviculam, immò arietem, electum ducem Dominici gregis in faucibus cruentæ beſtiæ derelinquat! Bonus paſtor alios paſtores inſtruit & informat, non ut fugiant, ſi viderint lupum venientem, ſed animas ſuas pro ovibus ſuis ponant. Anima tua tibi, quæſo, ſalva ſit, dummodò non dicam ovis tuæ, ſed filii tui liberationem crebris legationibus, ſalutaribus monitis, comminationum tonitruis, generalibus interdictis, ſententiis
B terribilibus ſtudeas procurare. Sanè ſerò veſtram pro eo animam poneretis, qui pro eodem adhùc unum verbum dicere, aut ſcribere noluiſtis. Dei Filius teſtimonio Prophetæ (a) de cœlo deſcendit, ut educeret vinctos de lacu, in quo non erat aqua.
(a) Zach. 9.
Numquid quod decuit Deum, dedecet Dei ſervum? Filius meus torquetur in vinculis, nec ad eum deſcendis, nec mittis, nec moveris ſuper contritione Joſeph. Chriſtus hoc videt & ſilet: ſed opus Dei negligenter agentibus abundanter in ſumma diſtrictione retribuet.

XV.
C Legati nobis jam tertiò promiſſi ſunt, nec ſunt miſſi, ut verum fatear, ligati potiùs, quàm Legati. Si filius meus in proſperis ageret, ad ſimplicem ejus vocationem feſtinantiùs acceſſiſſent, quia de magnifica ejus munificentia, & de publico regni quæſtu ſuæ legationis uberes manipulos expectarent. Et quis quæſtus eis glorioſior eſſe poſſet, quàm Regem liberare captivum, reddere pacem populis, Religioſis quietem, & gaudium univerſis? Nunc autem filii Ephrem intendentes & mittentes arcum, in die belli converſi ſunt: & in tempore anguſtiæ, dum lupus prædæ incubat, canes muti latrare aut
D non poſſunt, aut nolunt. Hæccinè promiſſio illa eſt, quam nobis apud caſtrum Radulphi, cum tanta dilectionis & fidei proteſtatione feciſtis? Quid profuit vobis ſimplicibus dare verba, & illudere vota innocentium inani fiducia? Sic olim Rex (b) Achab fœdus amicitiæ contraxiſſe cum Benadad perhibetur, illorumq. mutuam dilectionem eventus habuiſſe infauſtos audivimus.
(b) 3. Reg. 20.
Pugnas Judæ, Joannis, Simonis, Machabæorum fratrum cœleſtis diſpenſatio felicibus proſperabat auſpiciis: miſſa verò legatione ſibi firmantes
E amicitiam Romanorum, Dei perdiderunt auxilium, nec eis ſemel, ſed ſæpiùs venalis eorum familiaritas verſa eſt in ſingultum. Solus deſperare me cogitis, qui ſolus poſt Deum ſpes mea, populiq. noſtri fiducia fueratis. (c) Maledictus qui confidit in homine.
(c) Jer. 17.
Ubi eſt ergò nunc præſtolatio mea? Tu es Domine Deus meus. Ad te Domine, qui laborem conſideras, ſunt oculi ancillæ tuæ. Tu Rex Regum & Dominus dominantium, reſpice in faciem Chriſti tui; da imperium puero tuo, & ſalvum fac filium ancillæ

A tuæ, nec in eo punias delicta ſui patris, aut malitiam matris ſuæ.

XVI.
Quæ Imp. in Roman. Eccleſiam de occupata Sicilia ab Imp.
Ex certa & publica relatione cognovimus, quòd Imperator poſt Legienſis Epiſcopi mortem, quem funeſto gladio, longa tamen manu dicitur occidiſſe, Oſtuenſem Epiſcopum, & quatuor Epiſcopos comprovinciales ejus, Salernitanum etiam, & Tranenſem Archiepiſcopos coarctat miſeria carcerali; & quod auctoritas Apoſtolica nullatenùs diſſimulare debuerat, Siciliam, quam à temporibus Conſtantini conſtat eſſe patrimonium ſancti Petri, poſt legationes, poſt ſupplica-
B tiones, poſt comminationes Apoſtolicæ Sedis, in perpetuum Romanæ Eccleſiæ præjudicium, uſurpatione tyrannica occupavit. In omnibus his non eſt averſus furor ejus, ſed adhùc manus ejus extenta. Gravia quidem intulit, ſed certiſſimè poteſtis expectare in proximo graviora. Hi enim, qui debuerant eſſe columnæ Eccleſiæ, in omnes ventos arundinea levitate moventur. Utinam recolerent, quòd propter negligentiam (d) Heli ſacerdotis miniſtrantis in Silo, gloria Domini de Iſraël translata eſt: nec jam parabola temporis præteriti eſt, ſed preſentis: quia re-
(d) 1. Reg. 4.
C pulit Dominus tabernaculum Silo, tabernaculum ſuum, ubi habitavit in hominibus, & tradidit in captivitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici. Imputatur eorum puſillanimitati, quòd Eccleſia conculcatur, periclitatur Fides, opprimitur libertas, dolus patientia, & iniquitas impunitate nutritur.

XVII.
Ubi eſt, quod Dominus Eccleſiæ ſuæ quandoque promiſit: (e) Suges lac gentium, & mammilla Regum lactaberis? (f) Ponam te in ſuperbiam ſæculorum, gaudium in generatione & generationem.
(e) Iſ. 60.
(f) Ibid.
Quomodò à priſtina gloria Eccleſia exciderit.
D Eccleſia olim ſuperborum & ſublimium colla propria virtute calcabat, legeſque Imperatorum ſacros canones ſequebantur. Nunc autem ordine turbato, non dicam canones, ſed canonum conditores pravis legibus & conſuetudinibus arctantur. Deteſtanda potentum flagitia tolerantur; nec eſt, qui mutire audeat, & in pauperum peccata dumtaxàt rigor canonicus exercetur. Ideò non immeritò Anacharſis Philoſophus telis aranearum leges & canones comparabat, quæ animalia debiliora retinent, fortia autem tranſmittunt. Aſtiterunt Reges terræ, & Prin-
E cipes convenerunt in unum adverſus Chriſtum Domini filium meum. Unus eum torquet in vinculis, alter terras illius crudeli hoſtilitate devaſtat. Et ut verbo vulgari utar, unus tondet, alter capillat; unus pedem tenet, alter excoriat. Hæc videt ſummus Pontifex, & gladium Petri ſupprimit in vagina repoſitum. Sic addit cornua peccatori; ipſa taciturnitas ejus præſumitur ad conſenſum. Videtur enim conſentire, qui cùm poſſit & deberet, non corripit; & diſſimulatrix patientia ſocietatis occultæ ſcrupulo non carebit.

Digitized by Google

a 2. *Theſ.* 2.
rebit. Imminet, ſicut prædixit (*a*) Apo-
ſtolus, tempus diſſenſionis, ut perditio-
nis filius reveletur, inſtantq. tempora pe-
riculoſa, ut ſcindatur tunica Christi in-
conſutilis, ut rumpatur rete Petri; & Ca-
tholicæ unitatis ſoliditas diſſolvatur. Ini-
tia malorum ſunt hæc. Sentimus gravia,
graviora timemus. Nec propheti*ſ*ſa, nec fi-
lia ſum Prophetæ; plura tamen de futuris
turbationibus dolor dicere ſuggerebat, ſed
ipſa verba, quæ ſuggerit, ſurripit, ſpiri-
tum enim ſingultus intercipit, & animæ
vites mœror abſorbens, vocales meatus
anxietate præcludit. Vale.] Hactenùs po-
ſtremæ litteræ Reginæ Angliæ, quas da-
tas eſſe oportuit extremo anni hujus tem-
pore, poſt ſubjugatam ab Imperatore Sici-
liam, vel ſequentis exordio, ante libe-
rationem Richardi Regis.

XVIII. Cæleſtin. Pap. ſubjicit Anath. Duc. Auſtriacũ & Imp.
His omnibus flexus & excitatus Cæle-
ſtinus Papa, prævijs legitimis denuntia-
tionibus, ſententia excommunicationis
perculit Leopoldum Auſtriæ Ducem, nec
quidem fruſtrà. Quæ enim ipſam ſecuta
ſint damna, dicetur ſuo loco anno ſequen-
ti. Sed & comminatus eſt Imperatori &
univerſo Imperio anathema & interdict.,
itidemq. & Regi, regnoq. Francorum. De
quibus iſta Rogerius in Annalibus: Do-
minus verò Papa Cæleſtinus ſimiliter pro
ipſo Rege *Anglorum* ſcripſit univerſis vi-
ris Eccleſiaſticis regni Angliæ, ut Impera-
tor, & totum ipſius regnum ſubjicerren-
tur anathemati, niſi Rex Angliæ celeriùs
liberaretur à captione illius. Similiter præ-
cepit, ut Rex Franciæ, & regnum ejus a-
nathemati ſubjacerent, niſi ipſe deſiſteret
à perſecutione Regis Angliæ.] Inter hęc
autem pacta redemptionis pecunia, quam
Imperatori perſolvere deberet ipſe Rex An-
gliæ, ab eod. humaniùs tractari cœpit ac
coli, permiſſuſq. ad ſuos ſcribere pro pa-
cta colligenda pecunia, ad illos ſub titulo
etiam matris ſuæ has litteras dedit.

XIX. b *Apud Roger. in Ann. Ang. hoc anno.*
Richardus (*b*) Dei gratia Rex Angliæ,
Dux Northmanniæ & Aquitaniæ, & Co-
mes Andegaviæ, Alienor eadem gratia Re-
ginæ Angliæ chariſſimæ matri ſuæ, & Ju-
ſtitiariis ſuis, & omnibus fidelibus ſuis
per Angliam conſtitutis ſalutem.

Richard. ad ſuos ſcribit.
Notum ſit univerſitati veſtræ, quòd po-
ſtquàm receſſerunt à nobis dilecti noſtri,
Hubertus venerabilis Epiſcopus Saresbe-
rienſis, & Vvillemus de ſanctæ Mariæ Ec-
cleſia Protonotarius noſter, venit ad nos
chariſſimus Cancellarius noſter Vvillel-
mus Elienſis Epiſcopus: & eo inter domi-
num Imperatorem & nos fideliter interlo-
quente, euſque res pervenit, quòd de ca-
ſtello de Trivellis, in quo detinebamur,
obviam venimus Imperatori apud Hage-
nou, ubi honorificè ab ipſo Imperatore,
& tota Curia recepti fuimus. Ibiq. domi-
nus Imperator, & domina Imperatrix nos
magnis & variis muneribus honorave-
runt; & quod præcipuum eſt, mutuum fœ-
dus amoris & indiſſolubile inter domi-
num Imperatorem contractum eſt & nos,
ita quòd uterque noſtrum alterum contra
A omnes viventes in jure ſuo obtinendo, &
retinendo juvare debet. Honeſtè autem
circa ipſum Imperatorem moram facimus,
donec ipſius & noſtra negotia perfician-
tur: donec ei ſeptuaginta millia marcha-
rum argenti ſolverimus.

Quare vos rogamus, & in fide, qua no- XX.
bis tenemini, adjuramus, quatenùs in
hac pecunia perquirenda ſollieiti ſitis, &
vos Juſtitiarii noſtri, qui aliis in regno
noſtro præeſtis, exemplum aliis præbea-
tis, ut ita honorificè & magnificè de pro-
prio nobis ſubveniatis, & etiam de his,
quæ de aliis mutuo accipere poteritis, ut
B aliis fidelibus noſtris exemplum detis ſimi-
lia faciendi. Univerſum autem aurum, &
argentum Eccleſiarum diligenti obſerva-
tione, & ſcripti teſtimonio ab ipſarum
Eccleſiarum Prælatis accipiatis; eiſquæ
per ſacramentum veſtrum & aliorum Ba-
ronum noſtrorum, quos volueritis, affir-
metis, quòd eis plenariè reſtituentur.
Univerſorum etiam Baronum noſtrorum
obſides recipiatis, ut cùm fideliſſimus
Cancellarius noſter, quàm citò peractis
in Alemannia negotiis noſtris, in Angliam
venerit, eoſdem obſides penes chariſſi-
mam matrem noſtram Reginam reperiat,
C ut eos, de quibus inter nos & dominum
Imperatorem convenit, expeditè poſſit ad
nos tranſmittere: ne liberatio noſtra per
abſentiam obſidum, & negligentiam ve-
ſtram moram patiatur. Pecunia autem
collecta ſimiliter matri meæ, & illis, qui-
bus ipſa voluerit, tradatur. Quem autem
in neceſſitate noſtra promptum invenie-
mus, in ſuis neceſſitatibus amicum nos
reperiet & remuneratorem; gratiuſquæ
nobis erit, ſi quis in abſentia noſtra in
aliquo nobis ſubveniat, quàm ſi in præ-
ſentia noſtra in duplo quis nobis ſubveni-
ret. Volumus autem, ut ſingulorum ma-
D gnatum nomina, & ſubventiones, quæ præ-
ſentialiter fient, per ſigillum matris noſtrę
nobis ſignificentur, ut ſciamus, quantum
unicuique in gratiarum actionibus tenea-
mur. Sciatis pro certo, quòd ſi in Anglia
in libera poteſtate noſtra eſſemus conſtitu-
ti, tantam vel majorem pecuniam domino
Imperatori daremus, quam modò damus
pro pactionibus conſequendis, quas per
Dei gratiam conſecuti ſumus: & ſi etiam
pecuniam non præ manibus haberemus,
proprium corpus noſtrum Imperatori trade-
remus, donec pecunia ſolveretur; ante-
quàm quod factum eſt, relinqueretur im-
E perfectum. In bulla autem domini Impe-
ratoris aurea fert vobis Cancellarius no-
ſter prædictam teſtificationem. Teſtibus
nobis ipſis apud Hagenou decimotertio
Kalendas Maii.] Accepiſti, Lector, ex iis
illud etiam, Elienſem Epiſcopum jam an-
teà ejectum, reſtitutum fuiſſe in priſtinum
miniſterium Regis.

Eadem quoque die datæ extant ad An-
glos litteræ Henrici Imperatoris his ver- XXI.
bis conſcriptæ: c *Apud*

Henricus (*c*) Dei gratia Romanorum *Rog. in An-*
Imperator & ſemper Auguſtus, dilectis *nal. Angl.*
ſibi *hoc anno.*

ſibi Archiepiſcopis, Epiſcopis, Comitibus, Baronibus, nobilibus, & omnibus, ad quos præſens pagina pervenerit, in Anglia conſtitutis, ſalutem & bonam voluntatem.

Henr. Imp. litteræ ad Anglos de concordia inita cum eorũ Rege.

Dignum judicavimus, & noſtræ celſitudini glorioſum, ſi univerſitatem veſtram ſollicitiùs inducamus ad ea modis omnibus, quibus poteſtis, agenda, quæ ad honorem chariſſimi noſtri illuſtris Regis Richardi domini veſtri debeantur, ut devotionis veſtræ conſtantia, & meritum fidei circa ipſius commoda appareat mortuum, ſed in ſuis, & in regni ſui obſequiis vivere videatur. Sanè omnibus, quorum devotio prædicto Regi abſenti ſincera extiterit & pura, uberes referemus gratiarum actiones: ad univerſitatis veſtræ notitiam devenire volentes, quòd Imperatoria ſublimitas cum regia ipſius nobilitate in concordia, & bona pace conſiſtit. Unde quæcumque ipſi irrogata fuerint contraria, pariter cum eo nobis parient moleſtiam & gravamen. Quare ad devotorum ſuorum, & fidelium honorem & profectum, & turbatorum ſuorum damnationem & exterminium operam præſtabimus ſemper efficacem, & quia corde & animo uniti ſumus, facta Regis veſtri, ſpecialiter noſtra, & Imperii noſtri penitùs reputabimus, & gravamina ejus nobis & coronæ Imperiali illata cenſebimus, nec ea (Deo concedente) ſine ultione, & eorum qui ea intulerint, gravi damno & deſtructione tranſibimus. Datum apud Hagenou decimotertio Kalendas Maii.] Junctum his pariter fuit ſcriptum diploma de conventione inter eumdem Anglorum Regem & Imperatorem hoc titulo:

XXII.

a *Idem in Ann. Ang. hoc anno.*

Forma compoſitionis inter Henricum Imperatorem, & Richardum Regem Angliæ.

Forma cõcordiæ initæ inter Imperat. & Ang. Reg.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Hæc eſt forma compoſitionis inter dominum Imperatorem ſemper Auguſtum, & dominum Richardum illuſtrem Regem Angliæ. Dominus Imperator mittet Nuntios ſuos cum Nuntiis domini Regis, qui Londonias ibunt, & ibi recipient centum millia marcharum puri argenti ad pondus Coloniæ. Quæ pecunia à Nuntiis Imperatoris accepta, & ponderata ſigillabitur in præſentia Nuntiorum ipſius, & in conductu Regis per regni ſui terminos ducetur: ita ut ſi eam in regno ſuo perdi contigerit, periculo Regis perdatur. Poſtquàm verò ad terminos Imperii venerit dicta pecunia, per Nuntios Regis Nuntiis domini Imperatoris præſentabitur, qui eam illicò ibi recipient; & ſi fortè in partibus Imperii eam perdi contigerit, periculo Imperatoris perdetur, & Rex in ea non tenebitur, nec obſides ſui. Alia quoque quinquaginta millia marcharum argenti dabit Rex Imperatori, & Duci Auſtriæ, & pro illis ponet obſides: ſcilicèt domino Imperatori pro triginta millibus marcharum ſexaginta obſides: Duci verò Auſtriæ ſeptem obſides pro viginti marcharum millibus. Solutis ergò centum millibus marcharum, & datis obſidibus Rex liberè recedet. Si autem dominus Rex ſolverit promiſſionem, quam domino Imperatori de Henrico quondam duce Saxoniæ fecerat, Imperator de quinquaginta millibus marcharum Regem liberum dimittens & abſolutum, pro ipſo Rege ſolvet Duci Auſtriæ viginti millia marcharum, & Rex non tenebitur dare Duci Auſtriæ ſeptem obſides, nec Imperatori ſexaginta.

Cùm igitur Rex prædictam promiſſionem de Henrico quondam Duce Saxoniæ impleverit, & centum millia marcharum ſolverit, liberè recedet. Præterea Rex fecit jurare in animam ſuam, quòd neptem ſuam filiam Comitis Britanniæ tradet nuptui filio Ducis Auſtriæ infra ſeptem menſes, poſtquàm liberatus fuerit, & in terram ſuam redierit, & eam traſmittet uſque ad introitum Imperii, ſi eam recipere voluerint; & ſi noluerint, erit abſolutus. Item ſi promiſſio de Henrico quondam Duce Saxoniæ completa non fuerit, quinquaginta millia marcharum, quæ reſidua ſunt, ſolventur infra ſeptem menſes, poſtquàm dominus Rex in terram ſuam redierit. Cùm autem Rex liberatus fuerit, & redire voluerit, Imperator dabit ei conductum per terram ſuam uſque ad fines Imperii ſui, & in portu illo, ubi mare intrabit, quàm diù ibi ſtabit, donec proſpero vento recedat. Præterea ea omnia, quæ tàm in his, quàm in aliis familiaribus litteris, ſigillatis ſigillis Imperatoris, & Regis, ſuper contractibus, qui inter eos ordinati ſunt, uterque pro parte ſua rata & firma habebit, & bona fide obſervabit:] Hæc de forma conventionis. Attamen non niſi anno ſequenti, pridie Nonas Februarii, contigit liberari Regem: nam anno uno, hebdomadis ſex, & diebus tribus detentum fuiſſe ſub cuſtodia, Rogerius in Annalibus anno ſequenti teſtatur. XXIII.

Eodem anno Philippus Rex Francorum duxit uxorem Botildam filiam Regis Daniæ, eamdemque cognitam dimiſit ob ſanguinis propinquitatem, annuentibus Epiſcopis. Hæc pluribus hoc anno Rogerius. Egit autem pater ejus Rex Daniæ apud Cæleſtinum Pontificem, ut quam dimiſerat, in conjugem reciperet. Scripſit de his Papa ad Regem, ſed nihil potuit obtinere: unde ejus ſucceſſori Innocentio fuit in his plurimùm laborandum, ut ejuſdem litteræ (*b*) docent datæ ad Epiſcopum Pariſienſem. Agit de iiſdem (*c*) Neubrigenſis, & de commiſſa tunc cauſa à Cæleſtino Epiſcopis Bellovacenſi & Carnotenſi.

XXIV. Nuptiæ atque divortium Reg. Franciæ.

b *Innoc. lib. 1. epiſt. 4.*

c *Neubrig. lib. 4. c. 24. & lib. 5. c. 14.*

Quod ſpectat ad res Orientalis Eccleſiæ, hoc anno Iſaacius Angelus Imperator loco amovet Nicetam Mundanum Patriarcham Conſtantinopolitanum, cùm annos ſex, atque ſex ſediſſet menſes: de quo hæc Nicetas Choniata: Sed hunc quidem hominem natu maximum in ſacra

Nicetas Mundanus Patriarcha Conſtanti. abrogatur.

Digitized by Google

ſede expirare non paſſus, invitum expulit, ſenium, & delirium, & levitatem cauſatus. Cùm autem diligentiùs de gubernatore Eccleſiæ cogitaret, Leontium Monachum quemdam, magnum paſtorem deſignat; in populi frequentia pro tribunali jurejurando teſtatus, eum virum priùs ignotum, ſibi à Deo Genitrice noctu eſſe demonſtratum, non forma & virtute ejus dumtaxàt deſcripta, ſed loco etiam oſtenſo, in quo habitaret. Verùm eo quoque Dei homine, priusquàm annus elaberetur, repudiato, nihil verecundatus, quòd coram tàm multis eum ut divinum hominem laudibus extuliſſet, mutationem inſtituit, Hieroſolymitanum Doſitheum ad oecumenicum Patriarchatum evecturus. Quod cùm canones non permittere ſciret, Theodorum Balſamonem, magnæ Antiochiæ Epiſcopum, virum ea ætate juriſconſultiſſimum aſtu circumvenit, & in privato colloquio indignationem ſimulat, quòd Eccleſia piis & doctis viris ita deſtituitur, & monaſtica virtus ita obſoleverit, atque evanuerit, ut nemo ſit, qui univerſalem ſedem, non ſecus ac Solis irrequietus circuitus Orbem terrarum, illuſtret, cœtumque Fidelium quàm optimè gubernet. Hæc & id genus alia non ſine dolore præfatus, ſubjunxit, olim fuiſſe ſibi in animo, illum ex Antiochena ſede in oecumenicam, ut illuſtrem legalis puritatis lucernam transferre; ſed ab ea mutatione veterum canonum & Eccleſiaſticarum ſanctionum interdicto deterreri. Si verò ipſe, ut legum & canonum peritiſſimus, traslationem, ut olim, ita nunc quoque habere locum, demonſtrare, ac vulgo perſuadere poſſit; ſe omninò id in lucro deputaturum, eumque (modò liceat) incunctanter deſignaturum. Hoc modo tractus Theodorus, omnia rata fore affirmavit. Poſtridie concilio pontificum in æde ſacra indicto, & quæſtione illa agitata: translatio ſtatim conceſſa, & litteris Imperatoriis confirmata eſt: ac Antiochenus, ut antè fuerat, ita manſit Antiochenus.

Theodorus Balſ. qualis cognitus.

XXVI. Doſitheus transfertur Conſtantinop.

Doſitheus verò a ſede Hieroſolymitana Conſtantinopolim eſt translatus cum tàm frequenti & ſplendido comitatu, ut haud dubiè regium triumphum æquaret. A At primarii ſacerdotes, cæterique facundia inſignes, qui ſe canonibus temerè violatis deceptos videbant, obſtupefacti; cùm riſum diutiùs perferre non poſſent, extraordinaria conciliabula & plebis conventicula inſtituunt. Alienæ Eccleſiæ occupator audit Doſitheus: ſecundo honore abrogato, è ſede educitur. Imperator verò ignominiam illam non ferens, omnibus modis adverſatur; ac nihil non facit, ut approbata illa translatio valeat. Nec multò pòſt, abrogatione ſublata, Doſitheumque denuò confirmatum, per bipenniferos ſatellites, & palatinos proceres B in ſacram ædem deducit, populi motum veritus. Erat enim Doſitheus ob ambitionem, & Imperatoris intempeſtivam pertinaciam, & parum laudatum ſui ſtudium omnibus inviſus. Cæterùm rurſùs ſede eiicitur, eodemque modo, quo canis Aeſopicus, & pontificatum, quem tenuerat, amittit (nam alius Hieroſolymis electus erat) & majori ſede excidit, magno vaſorum cuſtode Xiphylino Georgio Patriarcha deſignato.] Huc uſque Nicetas Choniata.

XXVII. a Nic. lib. 6 in Iſaacio. Pſeudo Alexius Tyrannus dat pœnas.

Idem quoque (a) auctor ſequenti libro narrans de novo tyranno quodam pſeudo Alexio, Impetium nova arte in- C vadente, eum citò pœnas dediſſe tradit, occiſum dormientem à ſacerdote quodam: de quo hæc ipſe, cauſas recenſens divinæ ultionis in eum: At is quidem, inquit, ſuorum ſcelerum has pœnas dedit, tùm quòd Perſas contra Romanos incitavit, & ex iis ipſis quotquot ad eum confluxerant, popularium ſuorum ſanguine contaminavit, tùm quòd homo deteſtandus Chonis meis celebre templum Michaelis Archiducis cœleſtium copiarum violavit, Perſis in ſanctiſſimum tabernaculum introductis. Nec ſpectare dubitavit perniciès humani generis, Chriſti, & Sanctorum imagines calculis varii coloris expreſſas aboleri, ſacros poſtes ſecuribus, & celtibus revelli, & ſacroſanctam menſam pro- D fanari & humi abiici.] Reliqua de Iſaacii Imperatoris pavore, ne pelleretur, & crudelitate exhibita adverſùs multos, quos poſſet habere ſuſpectos de aſſumenda tyrannide, idem auctor pluribus narrat.

JESU CHRISTI ANNUS 1194. | CÆLESTINI PAP. III. ANNUS 4. | HENRICI V. IMP. 4. ISAACII ANG. IMP. 9.

I. Liberatio Rich. Regis Angl.

Milleſimus centeſimus nonageſimus quartus annus Salutis, Indictione duodecima ordine ſequitur, quo Richardus Rex Angliæ liberatur ea, qua tenebatur captivitate, traditus juſſu Imperatoris Aleonoræ matri à duobus Archiepiſcopis, Moguntino & Colonienſi, pridie Nonas Februarii. Ita Rogerius in Annalibus Angliæ hoc anno, qui (ut dictum ſuperiùs) idem tempus captivitatis ejus numerat annum unum, hebdomadas ſex, & dies tres, E additque iſta: Cùm Coloniam perveniſſet, ab Archiepiſcopo Colonienſi dignè exceptus eſt, qui præ gaudio Miſſam illam de vinculis Petri celebrari juſſit, cujus eſt introitus ille: Nunc ſcio verè, quia miſit Dominus Angelum ſuum, & liberavit me de manu Herodis, &c.] Sed audi miranda, quæ auctorem vinculorum Regis, & malorum omnium improbum fuiſſe dæmonem oſtendunt; atque Vuillelmus (b) Neubrigenſis ſcriptor hujus b Neubr. li. 5. c. 7.

tempo-

temporis narrat, agens de quadam apparitione, quam peregrinus perterritus, retulit Epiſcopo Cenomanenſi; eamq; geſtam certis ſignificationibus, quibus licuit, teſtatam reliquit, & ipſe ſcripſit veri amantiſſimus auctor his verbis. A

II. Aliud quoq; ipſo tempore in pago Cenomanenſi accidiſſe fertur, quòd eumdem Regem *Richardum* non fruſtrà territum, ſuæ propenſiùs ſalutis admonuit. Res pluribus nota eſt, quam noſtræ ſimpliciter narrationi inſerimus, prout nobis viri venerabiles & fide digni tradidere, à Cenomanenſi Epiſcopo ad ipſum ſe accepiſſe proteſtantes. B Vir quidam ex ejuſdem Epiſcopi clientela piæ devotionis inſtinctu profectus in Hiſpanias ad memoriam beati Jacobi Apoſtoli, cum ſoſpitate ad propria remearat; qui poſt modicum calore fidei & devotionis fortiùs igneſcens, longè laborioſiori peregrinatione Sepulchrū inviſere Dominicum voluit. Valedicens ergo ſuis, iter opportunè accipuit, & cùm fortè ſolus graderetur; repentè in iſta via obſtitit ei quidam enormi corpore, & vultu terribili. Paveſactus homo, elevata manu, Chriſtianam ſumpſit armaturam, *nempè ſignum Crucis*. Ille verò tamquàm non reputans ſalutare ſigna- C culum: nequaquàm, inquit, hoc modo tueri te poteris, quin meus ſis. Porrò ſi procidens adoraveris me, faciam te locupletem & inclytum valdè. Ad hæc homo pavorem fiducia ſuperans, cum libertate reſpondit: Liquet te eſſe partis ſiniſtræ, ſint tua tibi: nam mihi ſufficit omnipotentis Dei largitio, quem ſolum adoro. Et ille, oportet, inquit, te vel invitum aliquid habere de meo: & proferens tamquàm pallium ſubtilis materiæ, jactavit ſuper caput hominis, quod mox afflatu igneo capillis exuſtis, cutem quoque capitis de- D nigravit. Proſiliensq; hoſtis hominem periculo anxium per brachium apprehendit. Homo verò, cùm tantà perurgeret neceſſitas, ſanctum Jacobum ex recentis obſequii conſcientia fortiter inclamavit. Qui beatus Apoſtolus in ſpecie reverenda manifeſtè mox affuit, & potenti verbo invaſorem improbum increpavit. Ut autem homo de manu inimici furentis ereptus, tuto jam auditu perciperet, quorum, ut creditur, audiendorum gratia per voluntatem Dei articulum illum inciderat; Apoſtolus ad nequam illum, dic, inquit, quis ſis, vel quid negotii habes? Qui E conſtrictus imperio, dæmon, inquit, ſum generi humano infeſtus, & mille nocendi artibus inſtructus. Ego enim grande illud ſcandalum, & Chriſtianæ poſſeſſionis jacturam in Oriente patravi; ego inter Reges Chriſtianos in Terra promiſſionis, ut nil ab eis ageretur, nec proſperaretur opus Dei in manibus eorum, deteſtabilem diſcordiam ſeminavi; Regem Anglorum à Syria digreſſum per miniſtrum nequitiæ meæ, Ducem ſcilicèt Auſtriæ, captivavi, multimodam exinde malorum occaſionem regnis Chriſtianis concinnans:

A eumdem quoque Regem de captivitate propria revertentem comitatus, in partibus iſtis nunc conſiſto, cubili Regis tamquàm familiaris miniſter frequenter aſſiſto, & circa theſauros ejus apud Chinonem repoſitos pervigili cautela obſervo. His dictis, malignus diſparuit. Apoſtolus etiam confortato homine, in ſuæ felicitatis ſecretum recepit. Homo verò ad urbem Cenomanenſem maturè reverſus, Epiſcopo, nobiſque prudentibus cuncta per ordinem replicavit, & in argumentum fidei caput depilàtum, & brachium manus peſtiferæ contactu uſtulatum B indicavit. Quibus actis, poſt dies aliquot propoſitum iter repetiit, nec latuit hoc Regem Richardum. Qui nimirùm ejus, qui tangit montes, & fumigant, timore compunctus, ſalubrioris inſtinctu conſilii cubiculum ſuum, ut accepimus, de cætero caſtius eſſe voluit, & de theſauris ſuis largiores indigentibus eleemoſynas erogare.] Hæc Neubrigenſis.

III. In excommunicatū Ducē Divina ultio.

Sed ad ea, quæ adversùs Leopoldum eo tempore excommunicationis Cæleſtini Pontificis provenerunt, convertamus orationem, de quibus iſta Rogerius in Annalibus Angliæ: Eodem anno cùm Leo- C poldus Dux Auſtriæ adhuc permaneret in ſententia excommunicationis, quam dominus Papa in eum tulerat propter captionem Richardi Regis Angliæ, nec pœniteret: flagellavit Dominus terram ſuam in hunc modum. In primis quidem incenſæ ſunt omnes civitates terræ ſuæ, nec alicui nota fuit cauſa incendii. Secundò ex inundatione Danubii fluvii ſubmerſa eſt quædam terra adjacens, in qua decem millia hominum, vel eò ampliùs perierunt. Tertiò, cùm in media æſtate ſoleat, & debeat omnis terra virere, tota terra ejus tunc temporis contra ſolitum & D debitum curſum exaruit. Quartò, cùm ſemina frugum deberent in herbam proceſſiſſe, in vermes converſa ſunt. Quintò nobiliores terræ ſuæ mortalitate percuſſi ſunt. Et quamvis tot & tantis flagellaſſet Dominus terram ſuam plagis: noluit tamen pœnitere, ſed induratum eſt cor ejus adeò quòd ipſe juravit, quòd omnes obſides Regis Angliæ, quos ipſe habebat, capitalem ſubirent ſententiam, niſi in proximo perficerentur ei à Rege Angliæ omnes conventiones, quas cum illo fecerat. Unde factum eſt, quòd Balduinus de Betun, qui unus erat ex illis, qui dati fue- E rant Duci Auſtriæ pro redemptione Regis Angliæ obſides, ex communi obſidum conſilio miſſus eſt ad Regem Angliæ, ad indicandum ei Ducis propoſitum. Qui cùm veniſſet, miſertus illorum Rex, tradidit ei Rex ſororem Arthuri Ducis Britanniæ, & filiam Imperatoris Cypri, ad ducendum eas uſque ad Ducem Auſtriæ, ſororem ſcilicèt Arthuri ad maritandam filio Ducis Auſtriæ, & filiam Imperatoris de Cypro tradendam in manu Ducis Auſtriæ quietam.] Sed quæ hæc ſecuta ſint, ſuo loco dicetur anno ſequenti. Tractans

a *Neubrig. lib. 5. c. 6.*

A hæc etiam (*a*) Neubrigenſis, ait, Du-
cem deriſiſſe ſummi Pontificis anathema:
quod divina ultio eſt conſecuta tanta po-
tentia, ut Catholico innotuerit Orbi, &
in memoriam manaverit poſterorum, quā-
ta ſit vis Petri gladii ferientis, ſi juſta cau-
ſa à poteſtatem habente vibretur. Sed jam
reliquas Cęleſtini Papæ anni hujus res ge-
ſtas proſequamur.

IV. Cæleſtin. Pap. Delegat cauſā Eboracen. Archiep.

Cùm enim ad Sedem Apoſtolicam mul-
tiplices accuſationes deferrentur adverſùs
fratrem Regis Angliæ Gaufredum Ar-
chiepiſcopum Eboracenſem: Cæleſtinus
B Papa juſtitiæ amantiſſimus, judici incor-
ruptiſſimo cauſam in Anglia cognoſcen-
dam delegavit, ſancto ſcilicèt Hugoni
probatæ virtutis Lincolnienſi Epiſcopo,
de quo plura ſuperiùs: addidit collegas
ſanctæ converſationis viros, de quibus
omnibus habet iſta Rogerius in Annali-
bus anno iſto his verbis.

Eodem anno menſe Januarii, die Do-
minica proxima poſt octavas Epiphaniæ
venerunt Eboracum Hugo Lincolnienſis
Epiſcopus, & magiſter Vvinemerus Ar-
chidiaconus de Northamptun, & Hugo
Prior de Ponte ſacro: quibus dominus
C Papa Cæleſtinus commiſerat inquiſitio-
nem faciendam de exceſſibus Gaufredi E-
boracenſis Archiepiſcopi, in quibus ac-
cuſabatur à Canonicis ſuis Eboracenſibus
coram domino Papa & Cardinalibus; &
proceſſerunt ſecundùm domini Papæ man-
datum, quod ipſi ſuſceperunt in hac for-
ma.

V. Litteræ Apoſtolicæ in cauſa Eboracen. Archiep.

Cæleſtinus Epiſcopus ſervus ſervorum
Dei venerabili fratri Lincolnienſi Epiſco-
po, & dilectis filiis Archidiaconis de
Northamptun, & Priori de Ponte ſacro
ſalutem.

Mediator Dei & hominum Dominus
D JESUS Chriſtus, cujus providentia in
ſui diſpoſitione non fallitur, totius Ec-
cleſiæ diſciplinæ caput & magiſterium ſa-
croſanctæ Romanæ Eccleſiæ voluit reſer-
vari, & omnes alias ipſius ordinationi &
correctioni ſubeſſe: ita quòd conceſſa ei
ſpecialiter plenitudine poteſtatis, ejus
etiam * ſit ceterarum exceſſus corrigere,
& quod laudabiliter agitur, auctoritate
Apoſtolici culminis approbare. Unde
nos (quia ad ejus regimen divina ſumus
diſpoſitione aſſumpti) ea volumus fra-
tres & Coepiſcopos noſtros cautela & di-
ſcretione diligere, ne videamur affectum
E & familiaritatem eorum vocationis no-
ſtræ officio anteferre; præſertim cùm ha-
beat ſuos fines dilectio, qua quiſque te-
netur ad hominem, non ad hominis er-
rorem diligendum.

* Propriū

VI. Accuſationes in Archiepiſ. Eboracen.

Sanè ad audientiam noſtram ex perſo-
narum, & Capituli Eboracenſis Eccleſiæ
inſinuatione pervenit, & id ipſum dile-
ctorum filiorum noſtrorum Roberti Ebo-
racenſis, & Rogeri de Selebi, & aliorum
undecim Abbatum Præmonſtratenſis Or-
dinis teſtimonia manifeſtè declarare vi-
dentur, quòd venerabilis frater noſter
Gaufredus Eboracenſis Archiepiſcopus ſa-
A cramenta injuncti ſibi officii vilipendens,
venatione, aucupio, & aliis militaribus
curis inutiliter occupatus, ordinationi
clericorum, Eccleſiarum dedicationibus,
aut Synodis celebrandis, nec manum, nec
operam poſt ſui promotionem adhibuit;
nec Abbatem aliquem benedixit, licèt
tàm contra clericos, quàm Abbates ad
maledicendum & excommunicandum lin-
guam conſuevit juxta motum proprium
indiſcretè relaxare: libertates Eccleſiæ
ſuæ, ac conſuetudines approbatas evacuat
& ſubvertit; appellationes, quæ ſolent
B eſſe ad remedium oppreſſorum, ad Roma-
næ Sedis injuriam reduxit in contemptum;
plures pro eo, quòd ad nos appellationes
emiſerant, vinculis fecit carceralibus ve-
hementer aſtringi; perſonas Eccleſiæ ſuæ
poſt appellationem ad nos factam, hono-
ribus & beneficiis ſpoliavit; quoſdam Ca-
nonicorum, appellatione contempta,
excommunicationi ſubiecit, privilegia
Romanorum Pontificum in ejus præſen-
tia omninò auctoritate fruſtrantur: & qui
forte aliàs tutus eſſet in oſtenſione privi-
legii noſtri, optati coram eo beneficium
præſidii demeretur. Cùm contingit ali-
C quem ad ſubtractam ſibi Eccleſiam, ut
poſſeſſionem, per judices delegatos au-
ctoritate noſtra reſtitui: eum, per quem
debuerat judicium executioni mandari,
ſtatim ſentiet inimicum. Plures enim ta-
liter reſtitutos deſtituit, & Eccleſias per
miniſtros ſuos violenter aggrediens, fo-
res Eccleſiarum fregiſſe, & eos proponi-
tur per violentiam expuliſſe. Quamplu-
res etiam reatum perjurii fecit perniciosè
incurrere, ipſos ab obedientia, quam
Archidiaconis ſuis canonicè ſervandam
juramento promiſerant, quadam neceſ-
ſitatis violentia retrahendo. Præterea
D majorem Eccleſiam cum multitudine ar-
matorum aggrediens, fores Capituli per
violentiam confringi, & aſportari fecit,
& bona Canonicorum, & aliorum plu-
rium, qui res ſuas tàm in Eccleſia, quàm
in theſauraria depoſuerant, fecit per vio-
lentiam detineri. Pro quibus omnibus E-
boracenſe Capitulum ad noſtram audien-
tiam appellavit.

VII.

Comperimus etiam ex teſtimonio præ-
dictorum, quòd Eccleſiis quandoque va-
cantibus, præſentatas ſibi ab his, ad quos
præſentatio pertinet, perſonas idoneas
non admittit; ſed eas aut pueris, aut mi-
E nùs honeſtis perſonis aſſignat, uſus pari-
ter præſentantis & inſtituentis officio: aut
facit eas ex ſola voluntate vacare, ut ea-
rum fructus ipſius uſibus applicentur, &
quod ſuſtentationi alicujus clerici hone-
ſti debebatur, ſibi non metuit retinere.
Adiecerunt etiam, quòd cùm ſpiritualia
dona gratis debeant, & ſine pravitate di-
ſtribui, frequenter cùm donat Eccleſiam,
aut eam ſcindit per partes cōtra ſtatuta Ec-
cleſiæ canonica, aut in ea novam & indebi-
tā retinet penſionem; & quam plures excō-
municatos, vel ſuſpenſos non niſi pecunia
intervenięte abſolvit. Religioſi verò viri &
honeſti

Digitized by Google

honeſti in conſpectu ejus deſpecti & contemptibiles fiunt; viles & ſuſpectæ perſonæ de facili familiaritatem ejus & gratiam aſſequuntur. Vnde ſi ſic vivitur, & in talibus fuerit converſatio ſua, timendum eſt, ne gregi ſibi commiſſo potiùs ſit lapis offenſionis, & ſcandali petra, quàm eruditionis exemplum, vel contra ſpirituales nequitias ſolatium, aut tutela. A

VIII. Delegatio cauſæ Eborac. Archiepiſcopi.

Quia igitur, quæ præmiſſa ſunt, ſollicitudinem inquiſitionis expoſcunt, diſcretioni veſtræ, de qua plenè confidimus, inquiſitionem horum duximus committendam, per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandantes, B quatenùs ad Eboracenſem Eccleſiam accedatis, & convocatis Abbatibus, & Prioribus, & aliis Eccleſiaſticis perſonis Eboracenſis diœceſis, diligentiùs inquiratis, utrum Eboracenſem Eccleſiam & provinciam tàm inutiliter & perniciosè tractavit; & ſi ſuper præmiſſis legitimi accuſatores apparuerint, audiatis, quæ contrà præfatum Archiepiſcopum duxerint proponenda; & eis diligenter auditis & cognitis, atteſtationes ſub ſigillis veſtris incluſas nobis tranſmittere procuretis, aſſignantes partibus terminum competentem, quo ſufficienter instructæ C ad Apoſtolicam Sedem accedant, quod canonicum eſt, ibi dante Domino, recepturæ. Si verò accuſatores defecerint, & fama publica fuerit contra ipſum: ei purgationem cum tribus Epiſcopis, & totidem Abbatibus auctoritate noſtra, ſublato appellationis obſtaculo, indicatis. In qua ſi fortè defecerit, ipſum ab Archiepiſcopali officio & adminiſtratione ſuſpenſum Apoſtolico conſpectui faciatis præſentari, ut auctore Domino, ibi pleniùs doceatur, qualiter eum, & ſibi conſimiles in domo Dei oporteat miniſtrare. Si verò idem Archiepiſcopus aliquid contra eos duxerit D proponendum, illud nihilominùs audiatis, & ad nos ſub ſigillis veſtris tranſmittatis incluſum; ut ſuper his, quod canonicum fuerit, ſtatuatur. Sanè ſi dictus Archiepiſcopus in eluſionem mandati noſtri, antequàm citatio veſtra ad eum perveniat, appellationem interpoſuerit, vel iter arripuerit ad Sedem Apoſtolicam veniendi: vos ei terminum trium menſium ſtatuatis, infra quem ſe debeat in propria perſona noſtro conſpectui præſentare. Quod ſi non fecerit, vos eum ex tunc ab omni pontificali officio & Archiepiſcopatus adminiſtratione denuntietis auctoritate noſtra, remota appellatione, ſuſpenſum. Quòd ſi omnes his exequendis intereſſe nequiveritis, duo veſtrum nihilominùs ea exequantur. Datùm Romæ apud S. Petrum ſexto Idus Junii, Pontificatus noſtri anno quarto,] cœpto anno ſuperiori, quo & datæ ſunt litteræ.

IX. Poſt hæc autem ad minuendas & infirmandas vires Eboracenſis Archiepiſcopi, ſuſcitavit & exaltavit contra eum Cæleſtinus Papa æmulum ejus Archiepiſcopum Cantuarienſem, creans eum Legatum in Anglia, cui & has litteras dedit.

Celeſtinus Pap. conſtituit Legatum Archiepiſ. Cantu.

Cæleſtinus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Huberto Cantuarienſi Archiepiſcopo, Apoſtolicæ ſedis Legato, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Sinceritas devotionis & fidei conſuetæ, quam Anglicana ſemper Eccleſia circa ſacroſanctam Romanam Eccleſiam conſervavit, in tua (ſicut benè confidimus) providentia & virtute refloruit, & placidi ſervoris accepit acceptabile * incrementum. Talis enim ad Romanam Eccleſiam tuæ fraternitatis emanavit opinio, quæ in tuæ honeſtatis odore nos recreat, & conſtantiæ, quam habes, vigore confortat: ita ut confidentiam, quam de tua probitate concepimus, in noſtro jam apertiùs opere declaremus. Supplicante itaque chariſſimo in Chriſto filio noſtro Richardo illuſtri Rege Anglorum, & univerſis Suffraganeis Cantuarienſis Eccleſiæ, ut Anglicana Eccleſia Legatum Apoſtolicæ Sedis pro ſuis & regni profectibus obtineret: tùm pro devotione, quam ad Cantuarienſem Eccleſiam pro meritis illius glorioſi Martyris habemus; tùm pro tuæ probitatis & honeſtatis intuitu, eorum precibus aſſenſum præſtitimus, & favorem, maximè, quia multum credimus Eccleſiæ, & regni utilitatibus expedire, ſi talem in miniſterio ſupradicto regio illa recipiat, qualem prædicti Regis, & eorum inſtantia de converſationis merito, & fidei devotione commendat. Ideòque nos ad honorem Dei, & Cantuarienſis Eccleſiæ ſalutem & pacem, per totum regnum Angliæ (non obſtante exceptione, vel privilegio, venerabili fratri noſtro Gaufredo Eboracenſi Archiepiſcopo, aut Eccleſiæ ſuæ, vel alii facto) officium tibi legationis concedimus, per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenùs illam cum fraternæ obedientiæ humilitate ſuſcipias, & ſecundùm datam tibi cœlitùs facultatem ad emendandum ea, quæ neceſſe eſt emendari, & ad ſtatuenda quæ fuerint ſtatuenda, debitæ diligentiæ manum auctoritate ipſius legationis apponas; ita nimirùm in omnibus reverentiam matris tuæ Romanæ Eccleſiæ prompta devotione cuſtodiens, ut eam de profectu miniſterii, quod tibi læta committit, tuis etiam facias operibus lætiorem. Datum Laterani decimoquinto Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri anno quarto.]

* ſacramentum.

Pergit Rogerius: Præterea Cæleſtinus Papa prædictus ſcripſit in hac forma Gaufredo Eboracenſi Archiepiſcopo, & univerſis Epiſcopis, & Abbatibus, & Prioribus, & aliis Eccleſiarum Prælatis per regnum Angliæ conſtitutis:

X. De eadem Legat. Papæ litteræ ad Archiepiſcopos Angl.

Cæleſtinus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus in Chriſto, Eboracenſi Archiepiſcopo, & univerſis Epiſcopis, & dilectis filiis Abbatibus, & Prioribus, & aliis Eccleſiarum Prælatis per

A per regnum Angliæ conſtitutis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Divinæ ſapientiæ inſcrutabilis altitudo ſacroſanctam Eccleſiam in hujus mundi latitudine ſtabilivit, & ita regimen & gubernationem in ipſius inimitabili proviſione eſſe voluit, ut ad eam ſalubriter gubernandam plures aſſumerentur in partem ſollicitudinis, quamvis pro unitatis Eccleſiaſticæ firmamento Romana Eccleſia acceperit plenitudinem poteſtatis. Voluit enim, ut, ſecundùm quod Eccleſiam alloquitur in Propheta, (a) pro patribus

a Pſ. 44.

B ejus filii naſcerentur, qui ſuper omnem terram Principes conſtituti, virtutum meritis, & verbo doctrinæ rudes ad Fidem provectos ad juſtitiam erudirent. Vnde ſacroſancta Romana Eccleſia, cui Dominus ſuper cæteras contulit Eccleſiæ magiſtratum, pium ad alias materna proviſione reſpectum providit ab initio, & laudabili hactenùs conſuetudine cuſtodivit, ut de diverſis mundi partibus ad earum miniſterium implendum viros prudentes aſſumeret, quorum auctoritas & doctrina ſub Romani Pontificis moderamine conſtituta, quod ipſe non poterat, procul diſtantibus Eccleſiis miniſtraret. C Vnde nos, qui licèt inſufficientibus meritis in ſublimi ſumus ejuſdem ſpecula conſtituti, Patrum noſtrorum veſtigiis inhærentes, ita intendimus cum Dei adjutorio injunctum nobis miniſterium circa proximas Eccleſias gerere, ut his, à quibus etiam poſitione diſtamus, opportuna debeat providentia non deeſſe. Specialiter autem ad præſens Anglicanam Eccleſiam paternæ conſiderationis acie intuentes, ad ſalutem ipſius, & ſpecialis in Chriſto profectus, communi conſilio fratrum noſtrorum decernimus, ut venerabilis frater noſter Hubertus Cantuarienſis Archiepiſcopus, D de cujus meritis & virtute, ſapientia pariter & doctrina Eccleſia univerſalis congaudet miniſterio legationis accepto, vices noſtras ad honorem Eccleſiæ, & totius regni ſalutem & pacem, per totum regnum Angliæ (non obſtante exceptione, vel privilegio tibi, aut Eccleſiæ tuæ, frater Archiepiſcope, vel alii facto) liberè exequatur. Præſentium itaque auctoritate univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenùs eidem tamquàm Apoſtolicæ Sedis Legato reverentiam exhibeatis debitam, & honorem, atque ejus E ſalubria monita & mandata recipiatis humiliter, & ſervetis, quæ auctoritate legagationis qua fungitur, ſecundùm Dominum duxerit ſtatuenda firmiter obſervantes. Datum Laterani decimoquinto Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri anno quarto.] Pergit Rogerius:

XI. Harum igitur auctoritate litterarum prædictus Cantuarienſis Archiepiſcopus Apoſtolicæ Sedis Legatus miſit Eboracum Petrum Priorem de Bineham in Nortfolc, & magiſtrum Gervaſium cum litteris domini Papæ & ſuis ad Canonicos Eboraci, & ad officiales Eboracenſis Archiepiſcopi,

A mandans eis, ſe illùc ex auctoritate legationis ſuæ in proximo venturum, ad emendandum ea, quæ * ſunt emendanda, & * eſſent ad ſtatuendum ea, quæ ſecundùm Dominum forent ſtatuenda: & præcepit eis, ut ipſi convocato Clero exhiberent ei tamquàm Apoſtolicæ Sedis Legato reverentiam debitam, & honorem: adjungens, ſe jam ſententiam excommunicationis dediſſe in omnes, qui in hac parte mandato Domini Papæ cotradicerent. Et ſuper hoc miſit litteras ſuas patentes Simoni Eboracenſi Decano, ut ſi quos ipſe inveniret B huic domini Papæ mandato rebelles, denuntiaret excommunicatos. Vnde factum eſt, quòd tam Canonici, quàm officiales Archiepiſcopi Eboracenſis reſponderunt Nuntiis Legati, quòd eum reciperent tamquàm Apoſtolicæ Sedis Legatum, ſed non tamquàm Archiepiſcopum Cantuarienſem, nec tamquàm Primatem. Venit igitur Legatus ille Eboracum die Dominica, feſto ſancti Barnabæ Apoſtoli, & cum ſolemni proceſſione ſuſceptus eſt à Clero, & introductus in Eccleſiam ſedis Cathedralis. Sequenti die Lunæ fecit ipſe teneri aſſiſas de omnibus placitis coronæ C Regis, & de nova diſſaiſina, & de morte anteceſſorum per miniſtros ſuos: ipſe verò, & officiales ſui tenuerunt placita Chriſtianitatis. In ſequenti die feria tertia perrexit Legatus ille ad Abbatiam ſanctæ Mariæ Eboraci, & ibi receptus eſt ab ejuſdem Eccleſiæ monachis cum ſolemni proceſſione. Deinde intravit Capitulum monachorum, & conquerentibus monachis, quòd Robertus Abbas eorum propter debilitatem, & corporis ſui ægritudinem domi ſuæ prodeſſe non potuit, depoſuit eum à curâ paſtorali, & ab ad miniſtratione domus reclamantem, & ad ſum- D mum Pontificem appellantem.] Sed qui per Concilium tunc ab eo collectum conſtituti ſunt canones duodecim, idem auctor ita recenſet:

Cùm inter cætera Eccleſiæ ſacramenta hoſtia ſalutaris præemineat, tantò impenſior circa eam debet exiſtere devotio ſacerdotum, ut cum humilitate conficiatur, cum timore ſumatur, cum reverentia diſpenſetur; & miniſter altaris ſit certus, quòd panis, & vinum, & aqua in ſacrificio ponantur, nec ſine miniſtro litterato celebretur. Provideatur etiam, ut in pyxide munda & honeſta hoſtia reſervetur, E ſingulisque Dominicis diebus renovetur. Quoties autem communio exhibenda eſt infirmis, ſacerdos in propria perſona hoſtiam in habitu clericali tanto ſacramento convenienti deferat, lumine præcedente, niſi aeris intemperies, vel viarum difficultas, vel alia ratio præpediat.

XII. Conc. Eboracen Canones.

Quia ſecretum Miſſæ frequenter invenitur aut ſcriptorum falſitate, aut librorum vetuſtate corruptum, ita ut legi diſtinctè non poſſit: Archidiaconorum ſollicitudo provideat, ut in ſingulis Eccleſiis ad verum & probatum exemplar canon Miſſæ cum omni diligentia corrigatur.

Pro-

Digitized by Google

Prohibemus etiam, ne ſacerdos laico ad pœnitentiam venienti obtentu cupiditatis injungat, ut Miſſas faciat celebrari. Et illud etiam decrevimus prohibendum, ne ſacerdos aliquis pro celebratione Miſſarum pretio conſtituto pactum ineat; ſed hoc dumtaxat, quod offeretur in Miſſa, recipiat.

XIII. Statuimus, ne in baptiſmate plures, quàm tres ſuſcipiant puerum de ſacro fonte; maſculum duo mares & una mulier, fœminam duæ fœminæ, & unus mas. Vbi autem puer, cujus baptiſma ignoratur, reperitur expoſitus, ſive cum ſale, ſive ſine ſale reperiatur, baptizetur, cùm non intelligatur iteratum, quod neſcitur fuiſſe collatum. Decrevimus etiam, ut non niſi ſumma & gravi urgente neceſſitate, diaconus baptizet, vel corpus Chriſti cuiquam eroget, vel pœnitentiam confitenti imponat, ut juxta paternorum tenorem canonum huic ordini ſacerdotali propriè convenire decernit antiquitas. Sub eodem tenore conſtitutionis adiicimus, ut quoties ſacerdos ad puerum baptizandum, vel infirmum communicandum invitatur, moras innectere non præſumat.

Cùm in domo orationis quæ domus Dei nuncupatur, nihil debeat eſſe indecens, nihil inordinatum: præcipimus, ut perſonæ, & Vicarii Eccleſiarum ſtudeant providere ſecundùm competentes eis penſiones, prout ratio dictitat, & conſuetudo approbata poſtulat, quatenùs Eccleſiæ, quæ reparatione indigent, reparentur. Item cum ornamentis miniſterio congruis miniſtretur. Item cum calice argenteo, ubi facultas ſuppetit, ſacramentum Euchariſtiæ conficiatur. Huic ordinationi terminum præfiximus ab initio noſtræ legationis in annum. Quòd ſi hæc medio tempore executioni mandata non fuerint, decrevimus, ut ante elapſum terminum de Eccleſiarum redditibus diſpoſitio noſtra plenum ſortiatur effectum.

XIV. Statuimus etiam, ut clerici, qui ab Epiſcopo coronam ſuſceperunt, tonſuram habeant & coronam: quam ſi habere contempſerint, ad hoc beneficiorum, ſi quæ habeant, privatione cogantur; qui verò beneficia non habent, per Archidiaconum vel Decanos tondeantur inviti. Præcipimus etiam, ut ſacerdotes non in cappis manicatis incedant, ſed in veſtibus ſuo ordini congruis; ut ſicut cæteris dignitate præeminent, ſic pleniùs & formam, & exemplum exhibeant honeſtatis.

Cùm (a) Scriptura beatum eſſe eum teſtetur, qui manus ſuas excutit ab omni munere: diligenti ſtudio providendum eſt, ut gratis exhibeatur juſtitia, nec pro ea in cauſis Eccleſiaſticis facienda, vel adimenda, ſive acceleranda, vel differenda, quidquam pretii præſumat accipere, ut ei fructum juſtitiæ ſuæ tempore opportuno retribuat juſtus Iudex.

Cùm decimæ ſint tributa egentium animarum, & ex præcepto Domini dari debeant: non eſt reddentis eas diminuere. Statuimus itaque, ut de his, quæ renovantur per annum cum omni integritate decimæ debitæ & conſuetæ conferantur: ita ut in primis decimæ abſque ulla diminutione Eccleſiæ dentur: poſtmodùm de novem partibus mercedes meſſorum, & aliorum ſervientium pro arbitrio * ſolvendis tribuantur.

XV. Exigit profeſſio religioſæ ſanctitatis, ut monachi, & Canonici regulares, & monialea religioſè & regulariter conſerventur. Vt ergò eis adimatur opportunitas evagandi: prohibemus, ne redditus, quos obedientias vocant, ad firmam teneant, nec iter peregrinationis arripiant, nec extra monaſteria ſine certa & rationabili cauſa, nec abſque ſocietate, cujus certa ſit honeſtas & indubitata, proficiſcantur. De monialibus autem id ſpecialiter adiicimus, ut abſque ſocietate Abbatiſſæ, vel Prioriſſæ ambitum monaſterii non egrediantur.

Adiicimus etiam prohibentes, ne laicus aliquis Eccleſiam, vel decimas ad firmam recipiat, ſive ſolus, ſive clerico ſociatus, ut calumniatorum improbitas, & temerè jurantium malitia timore cœleſtis Judicii retundatur.

Præcipimus, ut quilibet ſacerdos de cætero ter in anno ſolemniter accenſis candelis, pulſatiſque campanis eos excommunicet, qui in recognitionibus, aliiſve teſtimoniis ſcienter & ſpontè pejerabunt; & eos qui malitioſè alios facient pejerare; eoſque ſingulis Dominicis diebus excommunicatos denuntiet, ut crebra maledictionis iteratio eos à ſua iniquitate retrahat, quos accuſatio propriæ conſcientiæ non deterret. Si verò de perjurio pœniteant: ad Archiepiſcopum, vel Epiſcopum, vel generalem diœceſis confeſſorem, abſente Archiepiſcopo, vel Epiſcopo, tranſmittantur, ab eo pœnitentiam ſuſcepturi: in extremis verò laborantibus inſinuanda, non eſt imponenda pœnitentia; eiſque firmiter injungatur, ut ſi vixerint, Archiepiſcopum, vel Epiſcopum, vel generalem diœceſis confeſſorem, abſente Archiepiſcopo, vel Epiſcopo, adeant, ut eis pœnitentia competens imponatur.

XVI. Quia ſermo Domini (b) eſt: Sacerdos meus ſi deliquerit, delinquere faciet populum meum, & (c) Ruina populi ſacerdos nequam eſt: exigit tanti ordinis excellentia, ut à publicis potationibus, & tabernis ſacerdotes abſtineant, & qui voto continentiæ ſunt aſtricti, nequaquàm ad actus turpitudinis ſe relaxent. Prohibemus igitur, ne ſocarias habeant in domibus ſuis, nec ad ejectas in noſtræ conſtitutionis fraudem acceſſum in domibus alienis. Si verò in turpitudine ſua perſtiterint, & hoc Decani diſſimulantes ad notitiam Prælatorum ſuorum non detulerint, ab officio ſuſpendantur. Qui verò zelo Dei accenſi Prælatis nuntiaverint exceſſus eorum, divinæ benedictionis gratiam

a Pſal. 33.

* ſ. ſolventis

b Levit. 4.

c Oſe. 9.

tiam conſequantur. Pœns autem eorum, qui publicè focariss tenent, hæc erit, ut tamquàm infames, ab aliorum accuſatione, & à teſtimonio repellantur. Si verò nec hujus pœnæ metu reſipuerint, ab officio & beneficio ſe noverint ſuſpendendos. Suſpectus de crimine per famam communem, vel veriſimilia indicia, per Decanum loci admoneatur familiariter ſemel, ſecundò, & tertiò, ut ſe corrigat. Quod ſi non fecerit, Decanus adjunctis ſibi duobus, vel tribus, penes quos ejus fama laborat, eum corripiat. Si nec ſic videatur corrigi, dicatur Eccleſiæ; ſcilicèt, arguatur in Capitulo, ut convictus, vel confeſſus canonicè puniatur: inficianti, ſi convinci non poterit, canonica purgatio indicatur: ita quòd numerum duodenarium non excedat. Infra numerum plures, pauciorefve poterunt recipi ſecundùm ſtatum perſonæ, & quantitatem, ſive qualitatem infamiæ, pro arbitrio judicantis. Et ſtatim primo die, quo paratus eſt is, qui infamia laborat, ſe purgare, purgatio admittatur, ne metu vexationis ex dilationibus contingentis, pecunia extorqueatur. Hoc & ſupradicta ſtatuimus, ſalva in omnibus ſacroſanctæ Romanæ Sedis auctoritate & dignitate.] Hactenùs canones duodecim Eboracenſis Concilii.

XVII. Hoc eodem anno à (a) Cæleſtino Romano Pontifice relatus eſt inter Sanctos cultu publico celebrandus in Eccleſia Catholica ſanctus Bernvardus Hildenshemenſis Epiſcopus, translatumque corpus eſt ipſius in Eccleſiam ſanctæ Mariæ ſolemni ritu. Deſcripta ſunt cuncta, quæ tunc fieri contigerunt, ab auctore ejus ſæculi, qui & in fine ejuſmodi chronographia multiplici ratione deducta, ita reliquit ejus tempus optimè conſignatum: Facta autem eſt hæc translatio non ſine virtute ſignorum à domino Bernone Epiſcopo, anno Præſulatus ejus ſeptimo, anno Verbi incarnati MCXCIIII. Romæ præſidente domino Papa Cæleſtino, Pontificatus ipſius anno quarto: Henrico verò imperante, regni ejuſdem à morte patris, qui in peregrinatione Hieroſolymitana glorioſè obierat, anno ſeptimo, Imperii verò quarto: ab anno quoque à depoſitione Sancti memorati ſeptimo, ab anno Salutis, quo obiit, MCLXXXVII. & laudatur & glorificatur nomen Domini noſtri JESU Chriſti à populis omnium nationum, qui ita in ſuis Sanctis noſtris in temporibus magnificari voluit. Cujus regnum & imperium ſine fine permanet in ſæcula ſæculorum.] Extant ejus res geſtæ typis (b) excuſæ.

a *Arnol. Lubec. lib. 4. c. 23.*

XVIII. Sed convertamus ad poſtremum oculos ad Siculorum clades. Hoc enim (ut tunc ſcriptum habet Chronicon Foſſæ novæ) deceptos promiſſionibus, Imperatoris Henrici juramento firmatis, præſidiis & munitionibus ſpoliatos, boniſque privatos, diverſis cruciatibus exagitatos, idem Henricus in Alemanniam ſecum duxit, ſimulque Regem puerum, Reginam, puellas, Comites, alioſque diverſi generis Principes, & inferioris ordinis homines, de quibus extat epiſtola Innocentii Papæ Tertii, cùm poſt mortem Henrici Imperatoris per eumdem cenſuris Eccleſiaſticis ſunt revocati, hìc (ut quo anno facta eſſe noſcuntur, iſta ſciantur) recitanda. Sic ſe habet: (c)

b *Apud Sur. to. 6. die 20. Novem. & in vita S. Gothardi tom 3. die 4. Maii.*

Clades Siciliæ per Henric. Imp.

Inter cætera, quæ Dominus in nobis mirabiliter & miſericorditer operatur, magnæ reputandum eſt miſerationis indicium, cùm eis pœnam accelerat temporalem, quibus ultio debebatur æterna: ſicut in regno Siciliæ diebus noſtris intelligimus accidiſſe. Cùm enim Siciliæ populus, & ceteri de eodem regno effœminati, otio & pace nimia diſſoluti, de ſuis divitiis gloriantes ſeſe in voluptatibus corporis laſcivius exercerent; aſcendit in altum fœtor eorum, & traditi ſunt ob multitudinem peccatorum ſuorum in manibus perſequentium. Uſque adeò autem in eos (quod dolentes dicimus) furor exarſit hoſtilis, ut quidam eorum turpi morte damnati, in tribulatione cordis & corporis animas exhalarent; quidam membrorum mutilatione deformes, fierent abjectio plebis & ludibrium populorum: majores verò ipſorum compedibus, & nobiles manicis ferreis alligati, captivi, & exules in Teutonia macerarentur: reliquis hæreditates ſuas in extraneis transferri videntibus, & domos ſuas ſubrici alienis.

c *Innoc. lib. 1. epiſt. 26.*

XIX. Sollicitudo Pontificia pro Siculis.

Verùm ne compaſſionis noſtræ ſolatium, qui patientibus ex ſuſceptæ adminiſtrationis debito compati volumus, & tenemur, penitùs ſubtrahatur, quibus ipſe Dominus jam videtur ex parte placatus: venerabilibus fratribus noſtris univerſis, Archiepiſcopis, & dilectis filiis nobilibus viris, Marchionibus, Ducibus, Baronibus, & aliis Alemanniæ Principibus dedimus in mandatis, ut dilectam in Chriſto filiam noſtram nobilem mulierem Sibiliam, filium, ac filias ejus, & cæteros de regno Siciliæ, qui in Teutonia detinentur, à detentionis ſuæ vinculis abſolutos ad nos liberos, excuſatione & dilatione ceſſante, remittant. Inde eſt, quòd diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenùs ſi mandatum noſtrum fortè non fuerit adimpletum: vos in detentores eorum excommunicationis ſententiam profera tis, & terras eorum, immò totam diœceſim, in qua nobiles ipſi tenentur, vel ad quam fuerint fortè tranſlati, interdicto ſubdatis, neutram relaxaturi ſententiam, donec ipſi liberati fuerint priſtinæ reſtituti. Dilectis etiam filiis Capitulo Maguntinenſi per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, ut ſententiam, quam vos propter hoc contigerit promulgare, ratam habeant, & faciant inviolabiliter obſervari.] Ita quidem de his, qui ſub Cæleſtino ducti captivi in Alemanniam, uſque ad Innocentii ejus ſucceſſoris tempora illic ſunt infelici conditione detenti.

XX. Hic in memoriam revoco, quomodò

Hugo

Hugo Falcandus in ſua ad Petrum præfatione olim ſcripta tempore obitus Vvillelmi Boni Siciliæ Regis, iſthæc omnia, quę per Imperatorem erant inferenda, Siciliæ præſagivit; nam de his multa prælocutus, hæc ſubiicit: intueri mihi jam videor turbulentas barbarorum acies, eo quo feruntur impetu irruentes, civitates opulentas, & loca diuturna pace florentia metu concutere, cæde vaſtare, rapinis atterere, & fœdare luxuria. Ingerit ſe mihi, & lacrymas à nolente futuræ ſpecies calamitatis extorquet. Occurrunt hinc cives, aut reſiſtendo gladiis intercepti, aut ſe dedendo miſera ſervitute depreſſi; illinc virgines, in ipſis parentum conſpectibus conſtupratæ: matronæ poſt varia & pretioſa capitis, colli, ac pectoris ornamenta direpta, ludibrio habitæ, & defixis in terram oculis inconſolabiliter deplorantes, venerabile fœdus conjugii fœdiſſimæ gentis libidine violari: Nec enim aut rationis ordine regi, aut miſeratione deflecti, aut religione terreri Teutonica novit inſania: quam & innatus furor exagitat, & rapacitas ſtimulat, & libido præcipitat.] Et inferiùs, quòd malorum omnium Conſtantia ipſa Sicula Regina cauſa præceſſit, Siciliam ipſam compellans, hæc ait:

Sic & Conſtantia primis à cunabulis in delitiarum tuarum affluentia diutius educata, tuiſque inſtituta doctrinis, & moribus informata, tandem opibus tuis barbaras ditatura diſceſſit: cùm ſcilicèt externo nupta Regi, eum eſt ſecuta. Et nunc cum ingentibus copiis vicem improbam tibi repenſura revertitur, ut pulcherrimæ nutricis ornatus violenter diripiat, & munditiam tuam, qua regnis omnibus antecellis, barbarica fœditate contaminet, &c.] Sic prævidit, ceu Propheta, ventura, vel ut vir ſagaciſſimus, conjectura. Porrò alii hujus temporis auctores eamdem Imperatoris ſævitiam ſcriptorum monimentis poſteris teſtatam reliquere, & inter alia hæc tùm ſcriptum Chronicon Foſſæ novæ.

XXI. Hoc anno Imperator Henricus per ſacramenta decepit Regem, & omnes Comites, & poſuit eos in vinculis & in ergaſtulis, & omne aurum & argentum, quod de regno ad manus habere potuit, congregavit, & per terras, & per mare in Alemanniam miſit, & ipſe per terram reverſus eſt in Alemanniam, deducens ſecum ligatos Regem, & Comites, & quamplurimos alios.] Nec non Epiſcopos, & Archiepiſcopos, ut patet ex epiſtolis (a) Innocentii Papæ. Inter alios enim nobiles captivos in Germaniam per Imperatorem Henricum tranſlatos fuiſſe Archiepiſcopum Salernitanum conſtat, quem quantumlibet Cæleſtinus Papa indefeſſo ſtudio laboraverit, ut ad ſuam reſtitueret Eccleſiam: id impetrare nequaquàm potuit, adeò ut ad ipſum Innocentium iidem fuerint refuſi labores, ut ſuo loco, ſequenti Tomo dicemus. Porrò non defuerunt, qui abſentis Archiepiſcopi Eccleſiam invaſerint, & laica manu vacantia pro libitu beneficia conferrent: quorum conceſſiones nullius eſſe momenti, idem (b) Innocentius ſtatuit.

a Innoc. l. 1 ep. 14. 25.

b Idem ibidem ep. 65.

XXII. Audiſti tranſlatos viros nobiles Siculos cum Rege puero, atque Regina, & Archiepiſcopis in Germaniam: accipe modò tranſlationem factam divitiarum, quæ ab (c) Arnoldo Abbate Lubecenſi ita deſcribitur: Tancredi defuncti Regis aulam ingreſſus Henricus Imperator, lectos, & ſedilia, menſas ex argento, vaſa etiam ex auro invenit puriſſimo. Reperit etiam theſauros abſconditos, & omnem lapidum pretioſorum, & gemmarum gloriam, ita ut oneratis centum quinquaginta Sommariis auro, & argento, lapidibus pretioſis, & veſtibus ſericis, glorioſè ad terram ſuam redierit. Cùm autem terras Teutoniæ attigiſſet, inſecutus eſt eum celeri curſu Imperatoris Nuntius, qui in Apulis remanſerat, nuntians inventos eſſe omnes theſauros Rogerii Regis. Vetula enim quædam apud Imperatricem erat, quæ de obſequio Rogerii fuerat; hæc gazophylacium Regis de pauciſſimis noverat, quod in muro antiquiſſimo conſervatum, diligentiſſimè delinito pariete, & ſuperinducta pictura, omnibus indagabile videbatur. Cùm igitur per ipſam proditum, Imperatori manifeſtatum fuiſſet, Imperatrici mandavit, dicens: De ipſis theſauris quod tibi videtur facito: me autem ſcias hoc tempore Apuliam non repetere, &c.] Subiicit de liberalitate Imperatoris in erogandis pecuniis in milites, atque pauperes. Atque de his ſatis.

c Arnold. Chron. Sl. l. 4 c. 20.

Divitiæ Regum Siculorum translatæ in Germaniam.

JESU CHRISTI ANNUS 1195.	CÆLESTINI PAP. III. ANNUS 5.	HENRICI V. IMP. 5. ALEXII ANG. IMP. 1.

I. REDEMPTORIS annus milleſimus centeſimus nonageſimusquintus incipit, Indictione decimatertia, quo Cæleſtinus Papa adversùs Leopoldum Auſtriæ Ducem pro dimittendis obſidibus à Richardo Anglorum Rege interpellatur, his querelis expoſitis per Nuntios ad hoc miſſos, quas Matthæus Paris hoc anno ſic recitat: Pater ſancte, ſalutat excellentiam veſtram dominus noſter Rex Anglorum Richardus, & poſtulat ſibi juſtitiam exhiberi de Duce Auſtriæ, qui ipſum de peregrinatione ſua tàm laborioſa revertentem cepit, & aliter quàm tantum Principem decuit, afflixit, Imperatori, ac ſi bos eſſet, vel aſinus, vendidit: qui poſtmodùm ambo regnum ejus intolerabili redemptionis debito contriverunt.

Nuntii Regis Anglorum interpellant Cæleſtin. Pap.

Inſuper à Chriſtianę Fidei legibus nô alieni, in tali caſu Regi detento graviora exercuerunt judicia, quàm ipſe Saladinua faceret, ſi in manibus ipſius perſimile inſortunium incidiſset: contra quem ipſe Rex à finibus terræ, relicto regno nuper adepto, relicta patria, parentibus, & amicis dimicaturus aſcendit. Sciret forſitan, Regis generoſitati ſimul & probitati ſive majeſtati nimirùm deferre: cui illa gens barbara & cervicoſa deferre neſcivit. Sed fortaſsè hoc fecerunt, ut ſibi tanti Regis captio pro laudabili victoria (B) imputaretur: cùm numquam ipſum bello appetere preſumpſiſſent, ſi bellicoſo ſuo exercitu vallatus fuiſſet. Nec ſibi Regis dejectionem exiſtiment imputari, ſed divinæ potiùs diſpenſationi, ad cujus nutum tota etiam fortuna hunc humiliat, & hunc exaltat, hunc deiicit, & hunc attollit. Movet præterea non mediocriter dominum noſtrum Regem, quòd ſub pace & protectione veſtra, omnibus peregrinis uſque ad triennium conceſſa, & in pœnam excōmunicationis inflicta, & firmata, ipſum à peregrinatione venientem, & iterùm redire diſponentem, ceperunt, atque ſub cuſto- (C) dia carcerali detrudentes, ad graviſſimam redemptionis ſummam coegerunt. Jubeat ergò excellentia veſtra, ut obſides domini noſtri Regis, qui adhùc pro parte redemptionis, quæ ſolvenda reſtat, detinentur in vinculis, liberos exire Dux ille permittat; & pecuniam illam, quam à domino noſtro excommunicatus recepit, ex integro reſtituat, nec non ſibi, ſuiſque illatam injuriam digna ſatisfactione emendet.

II. *Dux Auſtr. rurſùm excommunicatur.*

Cùmque hæc & alia multa coram ſummo Pontifice regii Nuntii allegaſſent: dominus Papa illicò poſt trinam admoni- (D) tionem, quam Dux exaudire recuſavit, ſurgens cum ſuis Cardinalibus, ipſum Ducem nominatim excommunicavit, & in genere omnes, qui in Regem, & ſuos manus injecerant violentas. Terramque Ducis totam Eccleſiaſtico ſupponens interdicto, * Veronenſi Epiſcopo dedit in mandatis, quatenùs hanc interdicti, & excommunicationis ſententiam, ſingulis diebus Dominicis, & feſtivis, per totum Auſtriæ Ducatum faceret publicari. Quòd ſi idem Dux mandatis noſtris, *inquit Cæleſtinus*, parere decreverit; in virtute Dei eidem (E) præcipias, ut obſides Regis Anglorum univerſos abſolvat, pactiones omnes relaxet, & ablata ſibi per eum, & ſuos, & quæ de ipſius Regis iniqua redemptione percepit, univerſa reſtituens, eoſdem obſides faciat cum ſecuritate ad propria remeare: & amodo talia non attentans, nihilominùs etiam de injuria & damnis congruè ſatisfaciat irrogatis. His omnibus præfato Duci ab Epiſcopo * Veronenſi ritè denuntiatis, dum idem Dux mandati Apoſtolici aſpernator exiſteret, percuſſa eſt terra illius ſterilitate inaudita, fame nihilominùs, &c.] Sed hæc anno ſuperiori (ut vidimus). Quæ autem hoc anno con- (A) tigerint, ſic narrare pergit:

* *f.* Vienneñſi

* ſi ſic legendum, Legatus hic erat.

III. *Ultio divina Leopoldū punit.*

Sed cùm in his omnibus non ſit averſus furor Ducis, immò in deterius aggravatus: ipſe divino judicio terribiliter percuſſus eſt. Die ſiquidem ſancti Stephani cùm equitando luſum pergeret, ſociis comitantibus, equus, cui Dux inſidebat, violenter pedem offendens, tibiam ſedentis cum pede inſanabiliter contrivit. Nam tibia cum pede protinùs conjuncta nigredine quadam intumeſcens, nullo medicorum potuit cataplaſmate ſedari, quin igni, quem infernalem vocant, tumori admixto, (B) intolerabiliter cruciaretur. Quem Dux cruciatum ferre non valens, pedem à crure fecit detruncari; ipſo interim dolabrum tenente, cæteris omnibus præ nimio horrore hoc facere renuentibus. Sed non ſic doloris cruciatus evaſit: nam illicò femur cum corpore reliquo igne illo execrabiliter depaſcebatur.

IV.

Tandem verò culpam recognoſcens iniquam, quam in Regem, & ſuos malitioſè exercuerat, ſuadentibus Epiſcopis, qui aderant, obſides abſolvit, & reſiduum pecuniæ de redemptione Regis, & quod receperat, ſe redditurum ſpopondit, at- (C) que Eccleſiaſticæ cenſuræ ſe deinceps pariturum promiſit. Tunc Epiſcopi, qui aderant, videntes eum in tanta miſeria & calamitate conſtitutum, à ſententia excommunicationis abſolventes, ad communionem Fidelium admiſerunt; & ſic eum intolerabili cruciatu ſpiritum exhalavit. Cujus corpus diutiùs jacuit inhumatum, donec horribilibus ſcateret vermibus: eò quòd filius ejus mandatum exequi nollet: ſed tandem ab amicis compulſus, obſides abſolvit, & repatriandi licentiam conceſſit.] Deſcri- (D) bit eadem ſigillatim Rogerius hoc ipſo anno in Annalibus, ſingulaque recenſet quàm exactiſſimè, quæ tunc miſerrimè eidem Duci infeliciſſimo contigere; agitque prolixiùs de reſtitutione obſidum, & remiſſione promiſſæ ab Anglorum Rege pecuniæ; quæ præcedente ſatisfactione, abſolvi meruit ante obitum. Conſtat inſuper eumdem Ducem Auſtriæ etiam teſtamento caviſſe, ut pecunia reſtitueretur per ſuos heredes Richardo Regi Anglorum; quod conſtat ex epiſtolis (*a*) Innocentii Papæ Tertii.

Obitus miſerādus Leopoldi.

a Innoc. l. 1. epiſt. 230. 236. 242.

V. *Excōmunicat Henricū Imp. Cæleſtin. Pap.*

At Cæleſtinus Papa, qui iterùm excom- (E) municatione percellit Auſtrię Ducem, nequaquàm abſtinuit ab excommunicatione Henrici Imperatoris, quem inſtante eodem Rege Anglorum Richardo commonuit, ut quod malè exegiſſet ab eodem Rege Anglorum, eidem reſtitueret, & quod exigendum remaneret, omninò dimitteret. Sed cùm neutrum præſtaret, eumdem anathematis ſententia condemnavit, in qua miſer ad obitum uſque permanſit. Quid verò tunc actum ſit, ſuo loco dicetur. Fuit laborandum in his Cæleſtino defuncto, Innocentio ſucceſſori, qui eamdem perſecutus eſt cauſam, ut malè acceptā pecuniam redderent ſucceſſores, ut docent,

quæ

Digitized by Google

a *Innoc. l.* 1. *epiſt.* 230. 236. 242.

quæ eſtant de his plures ejuſdem Pontifi- A cis datæ ad diverſos ejuſdem argumenti (*a*) litteræ Apoſtolicæ.

VI. Eodem anno, quod ſemel cœperat, pergit Cæleſtinus Papa urgere Francorum Regem, ut dimiſſam uxorem reciperet, acceptamque præter jus, faſque, dimitteret. Cujus rei cauſa eodem (*b*) quoque anno idem Papa Cæleſtinus Senonenſi Archiepiſcopo inter cætera ſcripſit hæc verba: Nos itaque, qui ipſum Regem Francorum ſpecialiter in viſceribus noſtris charitatis diligimus, per dilectum filium noſtrum C. ſubdiaconum Apoſtolicæ Sedis Legatum, ad hoc ſpecialiter miſſum, ro- B gavimus eumdem, ut Reginam ſuam, quam à ſe conſilio iniquo amoverat, affectu maritali tractaret: nec illis aures accommodaret, qui pro lucro reputant, ſi poſſunt inter aliquos odium, & diſcordiam ſeminare. Inde eſt, quòd illam divortii ſententiam, contra juris ordinem prolatam, de fratrum noſtrorum conſilio penitùs irritantes, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus firmiter, & præcipimus, quatenùs, ſi prædictus Rex, iſta vivente, aliam ſuperducere voluerit, vos auctoritate Apoſtolica id eidem inhibere curetis.] Sed & (*c*) Innocentius C Papa in epiſtola de his agens, affirmat, quòd Cæleſtinus Papa in ſacro Conſiſtorio Cardinalium penitùs irritavit ſententiam Francorum Epiſcoporum de faciendo hujuſmodi divortio. Pergit verò Matthæus Paris.

b *Matth. Paris hoc anno in hiſtor. Angl.*

Agit Cæleſtin. pro ejecta uxore legitima Regis Franc.

c *Innoc. ep.* 186.

Circa dies iſtos Papa Cæleſtinus Huberto Cantuarienſi Archiepiſcopo, ejuſque Suffraganeis pro negotio Terræ ſanctæ ſcripſit inter cætera in hunc modum:

VII. Vos autem, fratres Archiepiſcopi, & Epiſcopi, quibus cura animarum & ſollicitudo commiſſa eſt, precibus inſtantes ad Dominum inceſſanter, ſubditos vobis D populos inducatis, ut aſſumpto crucis ſignaculo, ad confutandos Fidei Chriſtianæ perſecutores accingantur. Speramus ſiquidem, & vos ſperare debetis, quòd Dominus in verbo prædicationis, & orationis veſtræ rete laxabit in capturam, & tales ad defenſionem Orientalis provinciæ propitius excitabit, quorum potiùs exigentia meritorum, quàm armorum fiducia exurget Deus, & inimici ejus diſſipabuntur, & fugient à facie ejus, qui oderunt eum. Nos autem illis, qui pro divinitatis amore hujus peregrinationis laborem aſſumere, & quantum in ſe fuerit, E implere ſtuduerint: de indulto nobis à Domino auctoritatis officio illam remiſſionem impoſitæ pœnitentiæ per ſacerdotale miniſterium facimus, quam prædeceſſores noſtri ſuis noſcuntur temporibus ſtatuiſſe: ut videlicet, qui corde contrito, & humiliato ſpiritu laborem hujus peregrinationis aſſumpſerint, & in pœnitentiam peccatorum hoc iter expedierint, ſi in fide deceſſerint, plenam ſuorum criminum indulgentiam, & vitam conſequentur æternam. Bona quoq; ipſo-

Cæleſtinus agit pro exped. in terrâ ſanctam.

A rum, ex quo crucem acceperint, cum familiis ſuis ſub Romanæ Eccleſiæ, nec non & Archiepiſcoporum aliorumque Eccleſiæ Prælatorum protectione conſiſtant, & nullam de his, quæ in ſuſceptione crucis quietè poſſederunt, (donec de ipſorum reditu, vel obitu certiſſimè cognoſcatur) jacturam, vel perturbationem ſuſtineant, vel quæſtionem: ſed bona ipſorum integra remaneant interim, & quieta.

Illi autem, qui in ſubſidium Terræ illius de bonis ſuis illùc tranſmiſerint, de peccatis ſuis veniam conſequentur, juxta B ſua moderamina Prælatorum. Hunc tibi frater Archiepiſcope oneris hujus laborem duximus injungendum, mandantes, ut apud chariſſimum in Chriſto filium noſtrum illuſtrem Anglorum Regem, qui Terram ſanctam ſub trium ſtatuit treguis annorum, ut ad defenſionem illius Terræ milites, & pedites benè inſtructos tranſmittat, aſſiduis exhortationibus elabores; provinciam circumiens Anglicanam, opportunis & importunis prædicationibus inſtes, ut pro defenſione Chriſtianitatis aſſumpto crucis ſignaculo, terram viſitent tranſmarinam. VIII.

C Cùm hæc autem ad Regis notitiam perveniſſent, ipſe prompta devotione animatus alios ſtrenuos ad opus crucis, maximè quos multipliciter exaltaverat, alacriter animabat, perſuadens, ut tàm pro ipſius Regis ſalute, quàm Eccleſiæ promotione, & propriarum animarum ſalute ad laborem prædictum accingi non pigritarent. Et ut quoſdam huic ſalubri admonitioni rebelles civilius reprehenderet, prædicatoris formam induens, hanc frequenter parabolam circumſedentibus replicavit.] Hucuſque Matthæus Paris. IX.

Eodem anno idem Romanus Pontifex D Cæleſtinus rursùm laborat adversùs exceſſus Eboracenſis Archiepiſcopi, plus juſto, eò quòd frater Regis Anglorum eſſet, ſibi ſumentis, de quibus Rogerius in Annalibus hoc anno quinto Cæleſtini Pontificatus his verbis agit, de ſuſpenſione ipſius Eboracenſis Archiepiſcopi, facta per Cæleſtinum ſic pergens:

Cæleſtin. laborat adverſus Eboracenſ. Archiep.

Eodem anno Cæleſtinus Papa ad inſtantiam Nuntiorum Decani, & Canonicorum Eboraci, in hac forma ſcripſit prædicto Simoni Eboracenſis Eccleſiæ Decano: X.

Cæleſtinus Epiſcopus ſervus ſervo- E rum Dei dilecto filio Simoni Decano Eboracenſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Cùm univerſalis Eccleſiæ regimen nobis, licèt inſufficientibus, divina favente gratia, ſit commiſſum, & ſingulatum ex ei caſibus præcavere teneamur, & utilitatibus providere: illud nobis eſt ſummo opere præcavendum, ne inde Eccleſiæ in temporalibus, vel ſpiritualibus [illegible] mentum incurrant, unde ipſarum honorem & commodum credimus procurare. Cùm enim penſatis perſonarum [illegible], & di-

& diligenter inſpectis, aliquis juxta ſuorum exigentiam meritorum per nos fuerit ſuæ dignitatis poteſtate ſuſpenſus, & ab Eccleſiarum prælatione ad tempus amotus, ne ſubditis paſtoris cura privatis malignandi materia tribuatur, & occaſio litigandi; eis in tali debemus providere perſona, quæ & litigantium dirimere quæſtiones, & ſubditorum exceſſus corrigere noverit, & quantum ſui officii debitum patitur, & diligat, & affectet. Inde eſt, quòd cùm Eboracenſis Archiepiſcopus, ejus actibus exigentibus, & contumacia faciente, qui abuſus patientia noſtra, neque à ſuis iniquitatibus deſtitit, nec noſtro ſe conſpectui, indulto ſibi miſericorditer termino, preſentavit, ab uſu pallii, & Epiſcopalis officii executione, à miniſtratione quoque tàm ſpiritualium, quàm temporalium, & beneficiorum perceptione noſtra ſit auctoritate ſuſpenſus: diſcretioni tuæ auctoritate preſentium duximus indulgendum, ut cum conſilio Canonicorum in Eboracenſi Eccleſia reſidentium clericorum Eboracenſis diœceſis exceſſus corrigere valeas, & querelantium tàm clericorum, quàm laicorum Eboracenſis diœceſis controverſias, quæ judicio exigunt Eccleſiaſtico terminari, canonicè definire, canonica ſeveritate, appellatione remota, percellens eum, qui ſuper hoc contumaciter duxerit reſiſtendum, donec eidem Eccleſiæ aliter fuerit ſollicitudine noſtra proviſum. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Laterani decimo Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri anno quinto.] Ac rursùm in eadem cauſa:

Suſpenſio Eboracẽſis Archiep.

XI. Cœleſtinus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Archidiaconis, Decanis, & aliis clericis, Comitibus, & Baronibus, & aliis in Eboracenſi provincia conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Quàm miſericorditer Romana Eccleſia ſuper facto Eboracenſis Archiepiſcopi proceſſerit, videre licet, ſi litterarum noſtrarum tenorem, quas utraque partium à Sede Apoſtolica diverſis temporibus impetravit, diligenter attendatis. Cùm enim ſignificantibus dilectis filiis Decano, & Capitulo Eboracenſi, & non paucis Abbatibus, Prioribus, & aliis Eccleſiæ Prælatis in regno Angliæ conſtitutis, ad Apoſtolatus noſtri audientiam perveniſſet, dictum Archiepiſcopum, paſtoralis officii debito prætermiſſo, ſæcularibus negotiis implicari, & non divinis obſequiis, non clericis ordinandis, non Eccleſiis dedicandis, non Synodis celebrandis, non benedicendis Abbatibus, ſed venationibus, & aucupio totius animi ſui ſtudium applicare, & exercere ſlis, quæ commiſſo ſibi officio pontificali, & honori non modicùm derogant: non ſtatim formavimus judicium contra eum, ſed inquiſitionem famæ ipſius venerabili fratri noſtro Lincolnienſi Epiſcopo, & dilectis filiis Archidiacono de Northamptum, & Priori de Ponte * fracto duximus committendam: cupientes ipſum Archiepiſcopum per interminationem ſuſpenſionis, ſi de his, quæ nobis fuerant ſignificata, conſtaret, vel ſi ea legitimè comprobari non poſſent, per exhibitionem canonicæ purgationis, quam ei cum tribus Epiſcopis, & totidem Abbatibus feceramus indici, à ſuis exceſſibus deterrere, & ad veritatis tramitem revocare. Verùm quoniam idem Archiepiſcopus, antequàm citatio eorumdem judicum perveniſſet, ad Sedem appellavit Apoſtolicam, dicti judices juxta litterarum noſtrarum tenorem, ſpacio ei trium menſium indulto, Kal. Junii, quo appellationem interpoſitam proſequi non differret, ipſi procuraverunt pro termino aſſignare. Deinde verò cùm Archiepiſcopus ipſe iter arripuiſſet ad Sedem Apoſtolicam veniendi, timens ne propter inclementiam aeris aliquod perſonæ ipſius periculum eveniret: à nobis litteris, & Nuntiis poſtulavit, ut ſtatutum ſibi terminum deberemus miſericorditer prorogare. Nos verò precibus ipſius annuentes, & credentes, quòd eò citius de ſuis exceſſibus pœniteret, quo nos ad audiendas petitiones ſuas magis propitios & faciles inveniret; terminum uſque ad octavas beati Martini proximo præteritas proſequendæ appellationis ad ipſum purgandum ſtatuimus, memoratis judicibus dantes nihilominùs in mandatis, ut ſi tunc inde Archiepiſcopus noſtro aſpectui neglexerit ſe præſentare, exinde juxta priorum litterarum tenorem in cauſa procederent, & quæ ipſis per eaſdem litteras mandata fuerant, exequi procurarent. Ceterùm memorato termino jam tranſacto, cùm ad Romanam Eccleſiam nec acceſſerit, nec aliquem miſerit reſponſalem, qui abſentiam ſuam quolibet modo excuſaret: ipſius inobedientiam & contumaciam attendentes, ipſum ab uſu pallii, & pontificalis officii executione, adminiſtratione etiam tàm temporalium, quàm ſpiritualium, ac perceptione beneficiorum duximus ſuſpendendum; memoratis judicibus per Apoſtolica ſcripta mãdantes, ut eum per totam Eboracenſem diœceſim & provinciam ſuſpenſum à nobis publicè ſtatuant nuntiare. Ideòq; univerſitati veſtrę per Apoſtolica ſcripta mãdamus quatenùs eidẽ Archiepiſcopo, vel officialibus ejus, nec in ſpiritualibus, nec temporalibus præſumatis aliquatenus reſpondere. Sed ſi quas inter aliquos veſtrum in Eboracenſi diœceſi poſitorum quæſtiones oriri contingat, quæ judicio Eccleſiaſtico debeant terminari, ad audientiam dilecti filii noſtri Simonis Eboracenſis Decani eaſdem controverſias deferatis, ipſius judicium recepturi humiliter, & firmiter ſervaturi: ſcientes nos eidem Decano de ſolita

* ſacro

A ſolita Sedis Apoſtolicæ miſericordia indulſiſſe, ut cum conſilio Canonicorum ſuorum in Eboracenſi Eccleſia reſidentium exceſſus corrigat clericorum, & eorum, ac laicorum, qui Eccleſiaſticam audientiam exigunt, in Eboracenſi diœceſi definiat quæſtiones. Datum Laterani decimo Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri anno quinto.] Inſuper de iiſdem ad delegatos Judices:

XII. Cæleſtinus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Lincolnienſi Epiſcopo, & dilectis filiis Archidiacono de Northamptun, & Priori de Ponte * fracto (* ſacro) ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

B Cùm ſacroſancta Romana Eccleſia ſuper immobile fundamentum, lapidem ſcilicèt angularem & verum, perpetua ſtabilitate fundata, de ſe ipſa Veritate dicente: Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, per beati Petri merita Eccleſiarum omnium magiſterium cepit, & primatum, ad Principem Apoſtolorum Domino proteſtante: Si diligis me, paſce oves meas, & non ſolùm corporum, ſed etiam animarum judiciariam accepit poteſtatem; eodem Apoſtolorum Principe audiente à Domino: Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: C nos, quos non propria merita, ſed ſola divina miſeratio ad ſummi Pontificatus apicem evocavit, ſi judicia noſtra recta volumus & provida deliberatione formare, & poteſtate nobis tradita non abuti, illius debemus, quantum humana permittat fragilitas, exempla ſectari, in quo Sedes Apoſtolica fundata conſiſtit & à quo cæterarum Eccleſiarum curam ſuſcepit, & ligandi, atque ſolvendi plenitudinem poteſtatis. Mirabilis enim ſuper omnia Deus, & inſcrutabilis divini conſilii altitudo, licèt incomprehenſibilia ſint judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ipſius, D aliquid tamen ex his, quæ in inferioribus operatur, ſi rectè conſpicimus, nobis, & aliis Eccleſiarum Prælatis in forma judicii innuit imitandum. Qui cùm ſterilem arborem de vinea ſua, juxta illud (a) Evangelii, præceperit ſuccidendam, ne terram fertilem occuparet, præmiſit, dicens: Ecce tres anni ſunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio. Succide ergò illam.

a Luc. 13

XIII. Hoc ſiquidem nos, licèt minimi, & humanæ fragilitatis ſubjacentes defectibus, intra nos ipſos aſſidua meditatione penſantes, auditis exceſſibus Eboracenſis Archiepiſcopi, & de inhoneſta vita, & de E inutili converſatione ejus rumoribus in noſtra, & fratrum noſtrorum audientia recitatis, non ſtatim formavimus judicium contra eum, ſed exemplo illius, cujus miſerationes ſuper cætera opera ejus, ut ſterilis arbor pullularet in fructus, & vigorem reciperet jam amiſſum, non modico temporis ſpacio ad correctionem ipſius multiplicatis litteris & mandatis non deſtitimus laborare, nunc eum ad viam ſalutis noſtris monitis revocantes, nunc per interminationem ſuſpenſionis officii, & beneficii deterrentes ab iniquitatis ſuæ ſemitis, & erroris, ſicut vobis qui totam rei ſeriem, & proceſſum negotii, quoad ordinem, agnoviſtis, credimus manifeſtum. Sanè ad audientiam noſtram ex perſonarum, & Capituli Eboracenſis Eccleſiæ inſinuatione pervenit, & id ipſum dilectorum noſtrorum Roberti de Eboraco, & Rogeri de Selebi, & aliorum Abbatum * Præmonaſterii Ordinis teſtimonia manifeſtè declarare videntur, quòd Gaufredus Eboracenſis Archiepiſcopus ſacramenta injuncti ſibi officii vilipendens, venatione, aucupio, & aliis militaribus curis inutiliter occupatus, ordinationi clericorum, Eccleſiarum dedicationibus, aut Synodis celebrandis nec manum, nec operam poſt ſui promotionem adhibuit, nec Abbatem aliquem benedixit, licèt tam contra clericos, quàm Abbates ad maledicendum, & excommunicandum linguam conſueverit juxta motum proprium indiſcretè laxare. Libertates Eccleſiæ ſuæ, ac conſuetudines approbatas evacuat, ac ſubvertit; appellationes, quæ ſolent eſſe ad remedium oppreſſorum, ad Romanæ Sedis injuriam reduxit in contemptum; & plures pro eo, quòd ad nos appellationem emiſerant, vinculis fecit carceralibus vehementer aſtringi.

* Premonſtratenſis.

XIII. Perſonas Eccleſiæ ſuæ poſt appellationem ad nos factam, honoribus & beneficiis ſpoliavit, quoſdam Canonicorum appellatione contempta excommunicationi ſubjecit: privilegia Romanorum Pontificum in ejus præſentia ſua omninò auctoritate fruſtrantur; & qui fortè alias tutus eſſet, in oſtenſione privilegii noſtri optati coram eo præſidii beneficium demeretur. Cùm contingit aliquem ad ſubtractam ſibi Eccleſiam, vel poſſeſſionem per judices delegatos auctoritate noſtra reſtitui: eum, per quem judicium debuerat executioni mandari, ſtatim ſentiet inimicum. Plures enim taliter reſtituros deſtituit, & Eccleſias ſuas per miniſtros ſuos violenter aggrediens, fores earum fregiſſe, & eos proponuntur per violentiam expuliſſe: quamplures reatum perjurii fecit perniciosè incurrere: ipſos ab obedientia, quam Archidiaconis ſuis canonicè ſervandam juramento promiſerant, quaſdã neceſſitatis violentia retrahendo: præterea majorem Eccleſiam cum multitudine armatorum aggrediens, fores Capituli per violentiam confringi, & aſportari fecit: & bona Canonicorum, & clericorum plurium, qui res ſuas tàm in Eccleſia, quàm in theſauraria ibi depoſuerant, fecit per potentiam detineri. Pro quibus omnibus Eboracenſe Capitulum ad noſtram præſentiam appellavit. Comperimus etiam ex teſtimonio prædictorum, quòd Eccleſiis quandoque vacantibus, præſentatas ſibi ab his, ad quos præſentatio pertinet, perſonas idoneas non admittit: ſed eas

aut pueris, & minus honeſtis perſonis aſ-
ſignat, nſus pariter, & præſentantis, &
inſtituentis officio; aut facit eas de ſola
voluntate vacare, ut earum fructus uſibus
ipſius applicentur, & quod ſuſtentationi
alicujus honeſti clerici debebatur, ſibi non
metuit retinere.

XIV. Adiecerunt etiam, quòd cùm ſpiritua-
lia dona gratìs debeant, & ſine pravita-
te diſtribui, frequenter cùm donat eccle-
ſiam, aut eam ſcindit per partes contra
ſtatuta canonica, vel in ea ſibi novam &
indebitam retinet* poſſeſſionem, & quam-
plures excommunicatos, vel ſuſpenſos,
non niſi pecunia interveniente abſolvit.
Religioſi verò & honeſti viri in conſpectu
ejus deſpecti, & contemptibiles fiunt:
viles & ſuſpectæ perſonæ de facili fami-
liaritatem ejus & gratiàm aſſequuntur.
Nos verò de rumoribus tàm profanis au-
ditis non ſemel, ſed ſæpiùs, & tàm præ-
dictorum, quàm aliorum Prælatorum in
regno Angliæ, & in Eboracenſi provin-
cia poſitorum litteris, noſtris auribus
frequentiùs inculcatis, volentes eum à
ſuis exceſſibus deterrere, & ad exequen-
dum paſtoralis officii debitum revocare,
inquiſitionem famæ ipſius vobis duximus
committendam, ut convocatis Abbatibus,
& Prioribus, & aliis Eccleſiaſticis perſo-
nis Eboracenſis diœceſis, inquireretis de
præmiſſis diligentiùs veritatem, & ſi ac-
cuſatores legitimi procederent contra
eum, auditis quæ proponerentur hinc &
indè, & depoſitionibus teſtium redactis
in ſcriptis, eas ſigillorum veſtrorum ſi-
gnatas munimine ad Sedem Apoſtolicam
tranſmittere deberetis; aſſignato partibus
termino competenti, quo ad audiendam
ſententiam noſtro ſe conſpectui præſenta-
rent. Hoc etiam iiſdem litteris memini-
mus fuiſſe inſertum, ut deficientibus ac-
cuſatoribus, ſi fama publica faceret con-
tra eum, purgationem ipſius cum tribus
Epiſcopis, & totidem Abbatibus, ſubla-
to appellationis obſtaculo, indicere cure-
tis. In qua ſi fortè deficeret, ipſum ab
Archiepiſcopali officio & adminiſtratio-
ne ſuſpenſum noſtro faceretis conſpectui
præſentari: ſi verò Archiepiſcopus memo-
ratus, antequàm citatio veſtra perveniret
ad ipſum, ad Sedem Apoſtolicam appel-
laret, induciis ei trium menſium indul-
tis, ſi infra eos interpoſitam appellatio-
nem proſequi negligeret, vel differret,
ipſum ab omni pontificali officio, & Ar-
chiepiſcopatus adminiſtratione noſtra
nuntiaretis auctoritate ſuſpenſum. Quia
verò idem Archiepiſcopus, antequàm per
vos citaretur ad cauſam, ſicut nobis ſuis
litteris & Nuntiis intimavit, Sedem cu-
ravit Apoſtolicam appellare, & vos ei ad
proſequendam appellationem Kalendas
Januarii pro termino aſſignaſtis: ipſius
laboribus, & expenſis parcere diſponen-
tes, ac timentes, ſi æſtivo tempore ad
Urbem accederet, aliquod perſonæ ipſius
ex actis inclementia periculum proveni-

* penſionem

A ret, cùm ſicut nobis intimatum fuerat,
iter arripuiſſet ad Sedem Apoſtolicam ve-
niendi, & paratus exiſteret de objectis ſibi
criminibus reſpondere, de ſolita Sedis
Apoſtolicæ benignitate proſequendæ ap-
pellationis ab ipſo uſque ad octavas Beati
Martini proximo præteritas terminum
duximus prorogandum; omnia, quæ fue-
runt contra eum impetrata, uſque ad eum-
dem terminum ſuſpendentes, & revocan-
tes in ſtatum priſtinum, quidquid contra
eum poſt appellationem ad nos interpoſi-
tam priorum litterarum obtentu fuiſſet à
nobis, vel aliis immutatum. Vobis etiam
B per Apoſtolica ſcripta diſtinctè mandavi-
mus, ut niſi in octavis S. Martini noſtro
conſpectui ſe præſentaret, juxta formam
primæ commiſſionis, ſublato cujuslibet
contradictionis & appellationis obſtaculo,
procedere nullatenùs differretis.

XV. Verùm, quoniam memoratus Archie-
piſcopus abuſus patientia noſtra, nec ad
Romanam Eccleſiam acceſſit, nec reſpon-
ſalem aliquem deſtinavit, qui vel ejus
abſentiam excuſaret, cùm eum non mo-
dicùm ultra præfixum ſibi terminum mi-
ſericorditer curaverimus expectare, li-
cèt eo ipſo videatur confeſſus de crimine,
C quòd noſtro ſe conſpectui præſentare ne-
glexit; ipſum ab uſu pallii, & omnis
Epiſcopalis officii executione, à mini-
ſtratione quoque tàm ſpiritualium, quàm
temporalium, & beneficiorum perceptio-
ne ipſius Eboracenſis Eccleſiæ & provin-
ciæ duximus ſuſpendendum; ut ſic ſal-
tem à ſuæ iniquitatis pertinacia reſipi-
ſcens, canonicæ ſeveritatis cenſuram in
ſe non exigat fortiùs exerceri. Idcòque
diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta
mandamus, atque præcipimus, quate-
nùs eum per omnes Eccleſias Eboracenſis
diœceſis & provinciæ ſuſpenſum à nobis
D publicè nuntietis: omnibus clericis, & lai-
cis ejuſdem provinciæ ex parte noſtra fir-
miùs injungentes, ne ipſi Archiepiſcopo,
vel officialibus ejus in temporalibus, vel
ſpiritualibus reſpondere præſumant, do-
nec de ipſo Archiepiſcopo aliud duxeri-
mus ſtatuendum. Mandamus autem, &
per vos volumus in Eboracenſi diœceſi
nuntiari, ut ſi forſitan inter aliquos quæ-
ſtiones moveri contingat, quas Eccleſia-
ſtico judicio conveniat terminari, ad au-
dientiam dilecti filii noſtri Simonis Ebo-
racenſis Decani, cui cum conſilio Canoni-
E corum in eadem Eccleſia reſidentium, &
clericorum exceſſus committimus corri-
gendos, & litigantium, tàm clericorum,
quàm laicorum controverſias decidendas
referant, ipſius judicium ſuſcepturi hu-
militer, & firmiter ſervaturi.

De ſuſpenſione Sententia.

XVI. Ad hæc omnia, quæ auctoritate litte-
rarum noſtrarum, antequàm ad vos ſecun-
darum notitia perveniſſet, ſuper negotiis
eumdem Archiepiſcopum contingentibus
tàm reſtitutionibus ablatarum, quàm de
aliis providè & rationabiliter ſtatuiſtis,
rata decrevimus permanere, mandantes,
ut au-

Digitized by Google

A ut auctoritate noſtra ſuffulti, ad Eborac. Eccleſiam accedantes juxta priorum litterarum tenorem, tàm in inquiſitione famæ, quàm reſtitutione ablatorum Canonicis facienda, nihilominus procedatis, non impediente appellatione, vel abſentia Archiepiſcopi memorati, nec obſtantibus litteris in primarum litterarum præjudicium hactenùs impetratis. Ad hæc præſentium vobis auctoritate injungimus, quatenùs ſententiam excommunicationis in quoſdam Canonicos, Vicarios, clericos, & ſervientes Canonicorum Eboracenſis Eccleſiæ, ab eodem Archiepiſcopo poſt appellationem ad nos interpoſitam B promulgatam, irritam judicetis penitùs, & inanem; ita tamen, ut dictos Canonicos, & alios in eadem ſententia nominatos ad majorem cautelam auctoritate Apoſtolicæ Sedis abſolvatis. Omnes autem illos, qui in Benedictum electum ſupradicti Decani, Walterum preſbyterum, Richardum de Semare, & quinque de Cavel clericos, & alios clericos Eboracenſis Eccleſiæ manus temerarias injecerunt, vel qui ais violentiam præceperunt inferri, tàm diu nuntietis, appellatione remota, excommunicationis vinculo detineri, donec paſſis injuriam con- C gruè ſatisfecerint, & cum veſtrarum teſtimonio litterarum ad Sedem veniant Apoſtolicam abſolvendi. Quòd ſi omnes his exequendis nequiveritis intereſſe, duo veſtrum ea nihilominùs exequantur. Datum Laterani decimo Kal. Januarii, Pontificatus noſtri anno quinto. Harum igitur auctoritate litterarum, officiales Archiepiſcopi Eboracenſis depoſiti ſunt: licèt Hubertus Cantuarienſis Archiepiſcopus Apoſtolicæ Sedis Legatus eis licentiâ exercendi officium ſuum retribuerat, qui eos priùs ſuſpenderat, quia noluerunt eum hoſpitari apud Eboracum tamquàm Legatum. D Tradita eſt ergò omnis poteſtas Simoni Decano Eboraci ſecundùm Apoſtolici formam mandati, & Regis miniſtri omnes res & poſſeſſiones præfati Archiepiſcopi regiis incluſerunt marſupiis.] At quid demùm? Coactus tandem idem Archiepiſcopus Romam ſe contulit, ut apparet ex recitanda inferiùs inſcriptione, benignèque exceptus eſt à Pontifice, qui non tàm judicata, quàm concordata eum cum adverſariis laboravit. Cùm autem inter hæc promoveretur expeditio in Terram ſanctam, E de qua & Cantuarienſis Archiepiſcopus conſuluiſſet Cæleſtinum Papam; quod ab eo reſponſum acceperit, ſuis ſignificat litteris, quibus intexuit ad ſe datas à Cæleſtino litteras Apoſtolicas, in hac forma ſcribens officialibus Archiepiſcopatus Eboraci:

XVII. Hubertus Dei gratia Cantuarienſis Archiepiſcopus, totius Angliæ Primas, & Apoſtolicæ Sedis Legatus, dilectis in Chriſto filiis officialibus Archiepiſcopatus Eboraci, ſalutem in Domino. Litteras domini Papæ in hæc verba ſuſcepimus:

A Cæleſtinus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Huberto Cantuarienſi Archiepiſcopo, & Apoſtolicæ Sedis Legato, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem:

Ex parte tua in audientia fuit noſtra propoſitum, quòd multi ſunt in Anglia, qui, ut Sepulchrum Domini viſitarent, & illi Terræ ſanctæ, in qua ſteterunt pedes Domini, ſubſidium opportunum conferrent, Crucem Dominicam aſſumpſerunt, & licèt votum poſſint perficere, tamen ab executione ejuſdem ſe ſubtrahunt in ſuarum periculum animarum. Sunt B etiam quidam, qui licèt crucem ſuſceperint, pro paupertate tamen & corporis debilitate, vel alia juſta cauſa emiſſum votum non poſſunt, ſicut convenit, adimplere. Verùm quia, quid ſuper his agendum ſit circa eos, nos duxit fraternitas tua conſulendos: auctoritate tibi præſentium reſpondemus, per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenùs omnes illos, qui votum tale emiſerunt, ſicut dictum eſt, & ad illud explendum propriæ ſuppetunt facultates, niſi ex juſta cauſa omittendum, eos ad exequendum, quod gratis voviſſe dicuntur, per cenſuram Eccleſia- C ſticam appellatione remota compellas. Ceterùm de his, qui paupertate, & corporis debilitate, vel alio juſto impedimento, votum quod emiſiſſe noſcuntur, non poſſunt (ſicut convenit) adimplere: volumus, ut cùm ſuper his veritas tibi fuerit declarata, pœnitentia congrua eis injuncta, licentiam eis tribuas remanendi, eiſdem firmiter injungens, ut quàm citò exequendi votum ſuum libera eis fuerit attributa facultas, id exequi ſine dilatione aliqua non poſtponant. His verò, quos pro infirmitate corporis tibi conſtiterit nullatenùs poſſe in propria perſona vo- D tum ſuum proſequi; unam perſonam idoneam, vel plures, ſecundùm quod facultates eorum ſuppetierint, ultra mare tranſmittant in ſuis expenſis per annum, vel ampliùs, juxta tuum arbitrium, ibidem in JESU CHRISTI obſequio moraturas. Datum Laterani ſecundo Idus Januarii, Pontificatus noſtri anno quinto.] Hactenùs Cæleſtinus. Pergit verò Cantuarienſis Archiepiſcopus:

Quoniam igitur vovere, & non reddere periculoſum eſt, cùm ex votis, quæ ſolemniter emiſſa fuerint, non impletis, conſequens ſit, & Dominum E offendi, & nihilominùs in domo ejus ſcandala ſuboriri: litterarum, quas tranſcribimus, auctoritate vobis præcipiendo mandamus, quatenùs per ſingulas parochiales Eccleſias Archiepiſcopatus Eboraci, de his, qui pro viſitando Sepulchro Domini crucem aſſumentes, vota ſua Domino non ſolverint, diligenter & ſollicitè inquiratis, ſub interminatione anathematis generaliter inhibentes, ne in præjudicium ſcrutinii hujus, veſana cujuſquam taciturnitate veritas ſuppri-

Margin: De his quæ ſpectât ad negotium terræ ſanctæ. XVIII. XX

ſupprimatur. Cumque nomina ſingulorum, vel eorum confeſſio, vel certa veſtrorum inquiſitio deſignabit, ipſa diſtinctè notata infra Dominicam, qua cantatur, Lætare Hieruſalem, per fidum Nuntium nobis innoteſcant. Ad hoc diſcretioni veſtræ mandantes injungimus, quatenùs cauſam Crucifixi conſtanti patrocinio proſequentes, univerſos tales in diœceſi Eboracenſi charitativa veſtris cohortatione, & conventione ſedula prævenire; ſub ſpecie conſilii proponentes, ut fideliter impleant, quæ liberaliter promiſerunt: ut quod Domino voverunt in conſpectu omnis populi ejus, cum Propheta in atriis domus Domini in medio Hieruſalem exequantur. Sicq; voluntariis eorum ſacrificiis placetur Altiſſimus, & factis ſolutionibus evacuetur importunitas ſcandalorum.

XIX. Moneatis etiam prædictos omnes, & ſingulos, quatenùs in veræ devotionis ſignum infra diem paſſionis Dominicæ proximo futuram, crucem depoſitam reaſſumant, & eam cum reverentia, & veneratione geſtantes, ſuam obnoxitatem, qua interiùs aſtringuntur, exteriore ſignaculo proteſtentur, & in quibus fructum habituri ſunt plenum & abundantiam, nequaquàm ex puſillanimitate ſpiritus erubeſcant. Cæterùm ſi vel commonitiones hujuſmodi, quaſi vanas contemnant, vel ad eas, quaſi duras pertinaciter aures ſuas obturent: ne impunitis licentia injiciatur, certa generali faciatis aſſertione proponi, cunctos, qui citra voti ſolutionem crucem abjectam infra terminum nominatum non receperint, in ſequenti Paſcha Domini proculdubiò à perceptione corporis Chriſti, & communione Fidelium excludendos. Sed ne verba commonitionis hujus credantur vel ceſſura in irritum, vel effectu debito caritura: pœnam ſupradictam in omni forma, & ea plenitudine, qua præmittitur, die prædicta contumacibus univerſis volumus, & auctoritate Apoſtolica mandamus infligi. Sic enim ex tempeſtivo rigoris ſeminario fructus ille pullulabit in poſterum, ut veriore trutina ponderetur cum ſeveritate canonica Prælatorum auctoritas, & qui faciles erant ruituri in contemptum, ſecuram indemnitatem minus audacter expectent. Valete.] Hactenùs de his Cantuarienſis Archiepiſcopus.

XX. Porrò cauſa iſta abſolvi non valuit ſub Cæleſtino, ſed dilata eſt uſque ad tempora Innocentii Papæ Tertii ejus ſucceſſoris, ut ex Rogerio in Annalibus patet. Cujus pariter aſſertione & illud conſtat, Rudolphum clericum Archiepiſcopi Eboracenſis anno ſequenti Romæ ad mortem ægrotantem, publicè confeſſum univerſæ Romanæ Curiæ, ſe cauſam agentem illic Archiepiſcopi Eboracenſis, multa falſa ſcripta omnino Romanæ Eccleſiæ in Angliam miſiſſe. Unde Cæleſtinus Papa litteras dedit ad Cantuarienſem Archiepiſcopum, qui diligenter ejuſmodi litteras falſas inquireret. Increbuit his quidem temporibus Cæleſtini uſque ad Innocentii Papæ primordia falſariorum ingens numerus, qui nomine Sedis Apoſtolicæ, quas vellent litteras, ſcriberent. Eſt de his gravis querela ejuſdem Innocentii (a) ſcribentis ad Rhemenſem Archiepiſcopum S. R. E. Cardinalem tituli ſanctæ Sabinæ. Sed de his ſuo loco agendum.

a *Innoc. l. 1. ep. 235.*

XXI. Cæleſtinus Papa urget expeditionē in terram ſanctam.

Porrò ferventi ſtudio Cæleſtinus Papa promovere ſatagens negotia Terræ ſanctæ, non in Angliam tantùm, ſed & in Germaniam per Legatos litteras miſit. Ut enim in his inſiſteret, novarum rerum motus effecit. Siquidem ſecuta eſt mors Saladini, quæ audita ante biennium per litteras, quas recitat Rogerius, Ducis Venetiarum, quibus etiam ſignificabatur, inter ejus filios & regni heredes magnam conflatam eſſe diſcordiam: in ſpem venit Pontifex ex eo tempore, ut nova rurſùs ex cruce ſignatis expeditio ornaretur ad Terræ ſanctæ liberationem, quæ poſſidebatur à Sarracenis. Cujus rei cauſa miſit (ut dictum eſt) idem Pontifex per Chriſtianum Orbem Legatos, & inter alios in Germaniæ provincias Gregorium Cardinalem. Quid per eum actum ſit, Arnoldus (b) ejus temporis ſcriptor & ejuſdem pariter regionis hæc habet, dum & ipſe ſic hortatur ad eamdem peregrinationem Fideles:

b *Arnold. Chron. Sla. l. 5. c. 1.*

XXII. Legatio Gregorii Card. pro exped. in terram Sāctam in Germ.

Nunc ergò quique terrigenæ & filii hominum, ſimiliter in unum dives & pauper, placate Dominum, ſumite armaturam Dei, ſignum videlicèt victorioſiſſimæ Crucis, ad expugnandos ipſius hoſtes, tàm viſibiles, quàm inviſibiles. Audite Pſalmographum (c) exhortantem: Hodiè ſi vocem Domini audiveritis, nolite obdurare corda veſtra. Hanc vocem, ut ſperamus, audivit pius Imperator Henricus. Qui licèt publicè cruce ſignatus non fuerit, per viſcera miſericordiæ ſpiritualiter tamen fuiſſe ſignatum non ambigimus. Nam ſicut pater ejus priorem, ita ipſe ſecundam devotiùs ordinavit peregrinationem. Qui apud Argetinam in curiali colloquio acceptis epiſtolis domini Papæ Cæleſtini à venerabili Cardinale Gregorio, omni devotione ſe huic peregrinationi obſecuturum affirmavit. Ordinavit etiam Legatos honoratos in Apuliam, ad dominum Conradum Cancellarium, qui tunc ibi erat negotiis imperialibus detentus, mandans omni ſtudio impenſas præparari peregrinationi, quæ ſequenti anno futura erat, in auro, frumento, vino, & navibus plurimis. Cujus zelo plurimi accenſi, tàm magnates, quàm militares, ſignum Dominicæ paſſionis in remiſſionem peccatorum ſuorum tunc temporis ſuſceperunt, Henricus, videlicèt Palatinus de Rheno, & Otto Marchio de Brandeburg, qui tamen ipſam peregrinationem non peregit, ſed per dominum Papam

c *Pſ. 94.*

Papam diſpenſatione accepta eam dimiſit; Henricus Dux Brabantiæ, Hermannus Landgtavius de Thuringia, Vvalraven Comes de Limburg, Adolphus Comes de Schavvenburg, Dux de Oſterreich, Hartuicus quoque Archiepiſcopus Bremenſis, & Rudolphus Verdenſis, & alii quamplures.

XXIII. Multi etiam acceptis litteris exhortatoriis domini Papæ à Cardinale memorato, in civitates & parochias plurimas eaa detulerunt. Quibus perſpectis, nonnulli cœlitus inflammati pro defenſione Terræ ſanctæ, triumphale ſignum Dominicæ paſſionis & ipſi ſuſceperunt. Inter quos in civitate Lubeca de valentioribus circa quadringentos viros ſignati ſunt. Fervente itaque zelo Chriſtianæ devotionis, omnes in unum, dives & pauper, ad peregrinationem futuræ æſtatis ſe præparabant. Ipſe quoque Imperator in propria perſona eamdem peregrinationem ordinaturus in Apuliam properavit, tantò devotior, quantò adventantibus peregrinis eſſet paratior. Sed perplexitate teſticulorum (a) Leviatan hoc impedire conante, intolerabilis guerra ibidem exorta eſt. Nam uxore Imperatoris ab ipſo diſſidente, grandis conſpiratio à primoribus terræ, à conſanguineis etiam ipſius Imperatoris, contra eum exorta eſt.] Huc uſque Arnoldus, qui inferiùs narrat de progreſſu ejuſdem expeditionis facto anno ſequenti.

a *Job.* 40.

XXIV. Sed quod ad hæc ſpectat, de Henrico Imperatore habet iſta (b) Neubrigenſis: Porrò idem Imperator, ut quaſi expiaret, quod in Chriſtianum Principem ab Oriente revertentem tàm fœdæ avaritiæ inſtinctu commiſerat, & pecunias, quibus Angliam nudaverat, piis uſibus applicaret: Orientalis Eccleſiæ miſerandis reliquiis ſubvenire decrevit. Conſiderabat etiam per ſe actum, quòd duo illi magni Reges, relictis, quæ Chriſti ſunt, ſua tantùm quærerent, & ferialibus in alterutrum odiis debacchando, vires more tyrannico frangerent Chriſtianas. Cupiens ergò hanc jacturam religioſa opera compenſare, anno à partu ſacræ Virginis milleſimo centeſimo nonageſimoquinto, circa ſolemnitatem beati Andreæ Apoſtoli, convocatis apud Vvormatiam primis Imperii, Eccleſiaſticis pariter, laiciſque perſonis, & devotione propria cunctis declarata, ad æmulandum pro Chriſto, ſublimi exemplo provocavit plurimos.

b *Neubrig. l.* 5. *c.* 20.

XXV. Denique ſedente eo ſolemniter in Cathedrali Eccleſia continuis octo diebus, & conſidente, qui ad hoc ipſum venerat Apoſtolicæ Sedis Legato cum omni frequētia inclytorum, his qui ſapientia, dignitate, & facundia præcellebant, per dies ſingulos in auribus Chriſtianæ multitudinis potenti eloquio declamantibus: tantus fidei & devotionis in animis audientium fervor incanduit, ut fas eſſet dicere: (c) Digitus Dei eſt hoc. Magnis Præſulibus, & præclaris Ducibus cum multitudine virorum fortium characterem per dies ſingulos certatim ſumentibus, ipſe quoque Imperator paratus fuit eodem ſigno cum ceteris inſigniri. Verùm hoc ab omnibus altiori conſilio diſſuaſum eſt, allegantibus, Chriſtianæ expeditioni conducere, ut in Imperio manens, de victualibus progreſſo exercitui pro tempore tranſmittendis propenſiori cura ſatageret, & cùm res poſceret, laborantibus ſupplementa militiæ mitteret. Itaque ſecunda in Syriam Germanicarum, atque Italicarum gentium expeditio totis viribus parabatur cùm Reges noſtri nihil ſanum, aut ſobriū meditantes, proprio tantùm in multorum diſcrimen indulgebant furori.] Hæc Neubrigenſis.

Imp. agit cum Legato pro expedit. in terram Sāctam.

c *Exod.* 8.

Quod ſpectat ad res Orientalis Imperii, fluctuavit hoc anno mirum in modum, ſupplantato Iſaacio Imperatore ab Alexio Angelo, eodemque in ordinem redacto, atque detruſo in carcerem, cùm imperaſſet annos novem, & menſes octo, ætatis ſuæ annos quinquaginta natus. Cujus mores varios, ſive laudabiles, ſive probroſos recitat pluribus Nicetas Choniata, quem conſulas.

Imperat Alexius Angel.

JESU CHRISTI ANNUS 1196. | CÆLESTINI PAP. III. ANNUS 6. | HENRICI IMP. 6. ALEXII ANG. IMP. 2.

I. SEquitur annus Salutis milleſimus centeſimus nonageſimus ſextus, Indictione decimaquarta, quo Cæleſtinus Papa litteris Bellovacenſis Epiſcopi, atque ejus Eccleſiæ Capituli rogatus, apud Anglorum Regem pro ejus liberatione agit.

De Bellovac. Epiſc. in Bello capto.

Etenim cùm bellum vigeret inter Anglos, & Francos, progrederenturque ulteriùs Angli: idem Epiſcopus cum ſuis, præter fas juſque Eccleſiaſticum armatus haſta, & clypeo, adversùs hoſtes ingruentes progreſſus, victoria penes Anglos inclinante, ipſe cum aliis pluribus captus eſt. Agit de his pluribus Rogerius in Annalibus; litteraſque Epiſcopi, & Romani Pontificis recitat, aitque.

Interim Philippus Bellovacenſis Epiſcopus, miſſo Aurelianenſi Epiſcopo fratre ſuo Romam, dum adhùc eſſet in captione Regis Angliæ, in hac forma ſcripſit Cæleſtinō ſummo Pontifici.

Venerabili domino & Patri Cæleſtino ſummo Pontifici, Philippus Bellovacenſis Epiſcopus ſalutem, & obedientiæ canonicæ devotionem.

Preces Bellovacenſis Epiſc. ad Cæleſtinū.

Supernæ dignitatis favor felicitatem veſtram, & multiplices ſucceſſus evexit in altum, ad memoriam reducens illud legale, Inſontes iuvitat ad culpam, qui ſontes præterit impunitos. Univerſis Eccleſiis jam quaſi notorium habetur, quàm irreverenter, quàmque inhumaniter in dominum ſuum Regem Francorum Rex Angliæ jam pridem inſurrexerit, ſimilis homini, qui montem magnum fune circumligatum tentat deiicere. Afferens igitur ſecum ignem & gladium, ſubnixus etiam apoſtaticis Braibancenorum cohortibus, patriam noſtram irruebat circumquaque depopulando: Quod cùm audiſſem, illius legalis non immemor; Vim vi repellere licet, & illius: Pugna pro patria: militum, & civium cuneis, & aciei procerum immixtus, hoſtibus irruentibus obviam exivi. Sed humanis noverca fortuna conſiliis propoſitum rei ſiniſtro mancipavit effectui. Captus quidem ibi ſum, & vinculis gravibus & catenis addictus; nec ordinis dignitas, nec Dei reverentia remedii aliquid, vel mitigationis mihi contulerunt. Taliter ergò Rex Angliæ in Chriſtum Dominum more lupino ſævire non formidavit; nec veſtris auribus incognitum exiſtimamus.

II. Inſtat magis Bellovacenſis.

Quid ergò diſſimulatis? Quis pater videret filium errare, & taceret? Quis virga filium non percuteret, ut gladium non incurreret? Deſperat pater de filio, cùm comminatione non corripit, vel flagello. Luce quidem clarius eluceſcit, quòd Rex Angliæ, ceterique complices ſui, qui violenter manus in nos injecerunt, dictæ ſententiæ canonem inciderunt. Injurias nobis, & moleſtias enormiter illatas veſtræ paternitati lacrymabiliter inſinuans, lacrymis noſtris, & petitioni clementer condeſcendatis. Indignum eſt ſiquidem, ſubjectorum petitionem ad vos directam vacuam reverti & inanem, quæ & humilitatem redolet, & rationis ſubnixa eſt præſidio. Nec immunis eſt à culpa, qui cùm poteſt corrigere, diſſimulat emendare; nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obviare. Licèt igitur verba doloris toties multiplicaverim, Pater ſancte, ne miremini. Neſcit, immò nequit pectoris clauſtro dolor aſſiduus ſepeliri. Valeat paternitas veſtra.] Ad hæc verò Cæleſtinus Papa iſta dignè reſcripſit:

III. Cæleſtin. Pap. redarguit Bellovacenſ. Epiſc.

Cæleſtinus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto fratri Philippo Bellovacenſi Epiſcopo ſalutem, & ab exorbitatione reditum maturare.

Siniſtrè licèt tibi evenerit, nec mirum. Cunctorum enim meretur odium, qui omnium ſe in commune approbat inimicum, Præſulem namque pacificum exuens, militem bellicoſum induiſti; clypeum pro infula, gladium pro ſtola, loricam pro alba, galeam pro mitra, lanceam pro baculo paſtorali, ordinem rerum, & ſeriem pervertens, temerarius bajulaſti; non vim (ſicut allegas) ſed virtutem vi repellere volens, non pro patria, ſed contra patriam pugnans. De Gallia namque veſtra jam publicè declamare poſſumus: Væ terræ, cujus Rex puer eſt. Rex namque veſter Regi Anglorum ſacramento corporaliter præſtito tenebatur aſtrictus, ſuper indemnitate tàm oppidorum, quàm terrarum ſuarum ſibi fideliter obſervanda, ſaltem uſque ad reditum ab itinere peregrinationis ſuæ. Sed contra fidem & ſacramentum impudenter veniens, oppida prædicti Regis violenter occupavit: terram ſuam hoſtili manu crudeliter vaſtavit. Ab ergaſtulo tandem rediens, Regi veſtro Rex ille viriliter occurrit, non de multitudine, ſed in Domino Deo ſpem ponens. Non enim virorum, vel virium, ſed virtutum copia bella vincuntur. Pro Rege quidem Angliæ contra ſuperbiam humilitas, contra injuriam jus & æquitas, contra arrogantiam & intemperantiam modus & modeſtia hucuſque dimicaverunt. Numeroſis enim virtutibus, non viribus immunes viri victoriam conſequuntur. Injuriam armis irrogatam armorum propulſare remedio leges, & jura permittunt.

IV. Rex Angl. pro juſtitia dimicãs vicit.

Nunc verò tandem, licèt ſerò, Rex Angliæ ſe, ſuamque manifeſtavit animoſitatem, quoniam vix eſt, ut virtus clauſa celari, ut animoſitatis ardor extingui, ut probitatis ſcintilla comprimi valeat, & concludi. Virtus enim claudi neſcit, & ignis oppreſſus in flammam erumpit. Effrænem ſiquidem domini tui veſaniæ non ſolùm conſiliarium, ſed & complicem te tàm inſipientem, quàm inſolentem exhibuiſti; quæſiſti, & inveniſti; pulſaſti, & pulſatus procubuiſti; in foveam, quam feciſti, meritò incidiſti; ubi autem inventus, ibi judicatus. Sicut igitur ex litterarum tuarum nobis directarum tenore perpendimus, exceſſus patrios nobis imputans, culpam tuam in nos retorquere laboras, nos tepidos aſſerens, & diſſimulatores. Quid ergò, ſi ovis in paſtorem, in patrem filius inſurgat? nec paſtor, quem non paviſſe, nec pater erit, quem non pœniteat educaſſe. Nocens ergò in homine telum eſt, ſimplicitatis imagine malignam aſtutiam palliare. Regi tamen Anglorum pro te litteras dirigimus ſupplicatorias. Qualitate namque captionis tuæ medullitùs inſpecta, in tali caſu non poſſumus, nec debemus imperare, ſed tantùm ſupplicare. Victor ergò ſapienter vincendus eſt, quia ſic legitur: (a) Sapientia vincit malitiam. Nos autem pro te ſupplicamus non importunè, ſed opportunè. Argumentum enim diffidentiæ eſt, importuna precum inſtantia. Debitum quoque faciliùs exequitur patiens expectatio, quam extorquet importuna petitio. Interim verò vinculis, & lamentis mancipatus, vincula tua, & lamenta leniter patienterque ſuſtineas, juxta illud Poetæ.

a Eccleſ. 7.

Leni-

A *Leniter ex merito quidquid patiare ferendum eſt.*
Quæ venis indignè pœna dolenda venit.
Et illud meritò lamentis expiandum eſt, quod cum pudoris diſpendio venter acquirit. Datum, &c.] Hucuſque Rogerius. At de Epiſcopi liberatione per Cæleſtinum ſollicitè procurata, hæc narrat hoc anno Matthæus Paris: Dominus autem Papa, cui propoſita fuit ſuper hæc per Capitulum Bellovacenſe gravis querimonia: amicabiliter ſcripſit Regi Richardo pro Epiſcopi liberatione, quem in epi-
B ſtola ſua chariſſimum vocavit fratrem, & filium ſuum, & Eccleſiæ, ut ſic protinùs flecteret Regem ad parendum. Præcepit igitur Rex ob reverentiam Papæ, ut loricæ Epiſcopi exuta ipſi Papæ præſentaretur,
a Geneſ. 37. & diceretur: (a) Vide an tunica filii tui ſit, an non? Cui Papa: Non filius meus eſt, vel Eccleſiæ. Ad regis autem voluntatē redimatur, quia potiùs Martis, quàm Chriſti miles judicatur.] Hæc ipſe, atque de his hactenùs.

V. Henricus Imp. redit in Italiam ad Lanienam. Hoc eodem anno Henricus Imperator ſub velato prætextu expeditionis Terræ
C ſanctæ veniens in Italiam, perditurus Northmannos, diram vindictam exercuit adversùs omnes, quos ſciret ex Northmannorum gente deſcendere, & eos in primis, qui alium in Regem erexiſſent. De tempore autem ejus adventus, in Chronico Foſſæ novæ aſſeritur, hoc anno pridie Kalend. Decembris veniſſe Ferentinum civitatem, apud Latium poſitam prope Hernicos, ibique pacificè permanſiſſe diebus ſeptem: Poſteà verò, inquit, ivit Capuam, & invento ibi Comite Richardo de Cerra in ergaſtulis, fecit eum judicare, & per pedes ad caudam equi ligare, & per lutum omnium platearum Capuæ fecit deducere, & juſſit eum poſt hæc per pedes appendi, & tàm diu in patibulo mortuus manſit appenſus, quouſque Imperator mortuus eſt. Poſt Nativitatem Domini idem Henricus Imperator egreſſus Capua, ivit in Siciliam xvii. Kal. Februarii] Quænam autem ibi per eum adversùs Northmannos geſta fuerint, dicturi ſumus anno ſequenti, quo fieri contigerunt.

VI. Dedicatio Eccleſ. S. Laurentii in Lucina. Hoc eodem anno Cæleſtinus Romæ dedicavit magna ſolemnitate Eccleſiam S. Laurentii in Lucina iterùm reſtitutam. De his hæc inſcriptio ibi:

ANNO DOMINICÆ INCARNATIONIS MCXCVI. PONTIFICATVS D. CÆLESTINI III. PAP. ANNO EIVS VI. INDICT. XIV. MENSE MARTII, DIE XXVI. DEDICATA FVIT HÆC ECCLESIA PER MANVS EIVSDEM CÆLESTINI. CVM QVO INTERFVERVNT ARCHIEPISCOPI EBORACENSIS. * ACCERNTINVS. SIPONTINVS. EPISCOPI ALBANENSIS. OTTO OSTIENSIS. PETRVS PORTVENSIS. IOANNES BITERBIENSIS. NICOLAVS SINFORONIENSIS. PAVLVS ORTANVS. SABARISCIVS BATHONIENSIS. N. CAPVTAQVENSIS. A. REATINVS. B. NARNIENSIS. IACOBVS AMELIENSIS. ET TOTA CVRIA CARDINALIVM. PRÆSIDENTE HVIC ECCLESIÆ CYNTHIO CARDINALI. FACTA EST AVTEM HÆC DEDICATIO AD HONOREM DEI ET BEATI LAVRENTII MARTYRIS, CVM DEVOTIONE TOTIVS POPVLI ROMANI ET ADIACENTIVM POPVLORVM. CVM TANTA SOLEMNITATE ET GLORIA, QVANTA HACTENVS NEC RECOGNITA NEC VISA FVIT.

* Acherōtinus.

I. Noviſſimus advētus Henrici Imp. in Ciciliam. Annus Chriſti milleſimus centeſimus nonageſimus ſeptimus, Indictione decimaquinta, ordine ſequitur, quo Henricus Imperator (ut vidimus anno ſuperiori ex Chronicis Foſſæ novæ tunc ſcriptis) ex Campania venit in Siciliam ad xvii. Kal. Februarias, ut in Northmannos, qui faviſſent Tancredo Regi, carnificinam diriſſimam exerceret. Hac namque de cauſa paraſſe exercitum, & ex Germania in Italiam deſcendiſſe teſtatur
b Arnold. l. 5. c. 2. Arnoldus Lubecenſis (b) his verbis: Imperator ſanè ad ultionem inimicorum ſuorum infinitum contraxerat exercitum de Svevia, Bavaria, Franconia, & aliis nationibus uſque ad ſexaginta millia.] Sed quàm de illis expetierit ultionem, eumdem audi, dum ait: Contigit autem, ut ipſos adverſarios ſuos comprehenderet, & dignam de eis ultionem caperet. Et illi quidem, quem contra ſe Regem creaverant diademate impoſito, clavis acutiſſi-
E mis cum ipſo diademate caput tranſfixit; filios autem aut ſuſpendio, aut incendio, aut aliis damnavit ſuppliciis.] Hæc ipſe. Sed iſta non potuerunt facta eſſe Tancredo, quem jam ante annum ſuperiorem defunctum fuiſſe liquet: fortaſsè inverſo textu potiùs intelligenda de illis, qui Tancredo coronam impoſuere. Porrò ſævitia Henrici adversùs Northmannos eò progreſſa eſt, ut Conſtantia Auguſta ipſius uxor, propago Northmannorum Regum, indignè ferens, gentem ſuam demetteudam penitùs traditam, & extinguendam: adversùs virum ſuum Imperatorem rebel-

lans, armaret exercitum. Quò tandem progreſſa ſint iſta, ſic accipe à Rogerio in Annalibus.

II. Henrici Imp. Res Geſtæ in Sicilia.

Eodem anno Henricus Romanorum Imperator cepit magnates Siciliæ; ex quibus quoſdam incarceravit, quoſdam diverſis pœnis afflictos morti tradidit. Margaritum etiam Ammiratum, cui ipſe dederat Ducatum de Duraz, & Principatum de Tarento, & Principatum maris, evulſis oculis, & abſciſſis teſticulis, excæcari, & ementulari fecit. Conſtantia verò imperatrix videns mala; quæ Imperator geſſerat, cum gente ſua fœdus iniit contra Imperatorem maritum ſuum, & Panormum pergens, cepit theſauros Imperatoris, quos Reges Siciliæ à multo tempore theſaurizaverant; unde Principes regni animoſiores effecti, injecerunt manus in Alemannos Imperatoris, & interfecerunt eos. Imperator verò fugiens, clauſit ſe in munitione forti, volens, ſi poſſet, repatriare. Sed adverſarii ejus ita vias ei præcluſerant; quòd nuſquam ſecurus illi patebat egreſſus.] Sic igitur Imperator in regno Siciliæ conjugi tandem deferendum putavit, & quas ipſa vellet conditiones accepit, ut conjugalis fugata concordia poſtliminio rediret ad propria. Quod enim meditaretur Imperator ipſe majora: ne præpediretur bello domeſtico, pacem quæſivit, petiit, & obtinuit. Qui igitur claſſe potens in Siciliam perveniſſet; haud mediocrem timoré incuſſit Conſtantinopolitano Imperatori Alexio Angelo, cùm ad eum miſit legationem acerbiſſimam, qua ab ipſo peteret quidquid terrarum olim occupaſſet in Oriente Vvilelmus Siciliæ Rex, ab Epidauro uſque ad Theſſalonicam civitatem, vel ut pro his tributum ingens penderet impetatum.

III. Qua quidem legatione adeò concuſſum eſt Imperium Conſtantinopolitanum, ut qui moderaretur illud ipſe Alexius Angelus, tributi licèt importabilis duram conditionem minimè reiiciendam eſſe putarit, quin ad colligendum aurum ſagaciſſimos miniſtros elegerit. Quorum opera expilatas tradit Nicetas Choniata fuiſſe Eccleſias, monaſteria, Imperatorum etiam refoſſa ſepulchra, ut aurum Imperatum colligere poſſent. Erat ejus ſumma talentorum ſexdecim auri puriſſimi, quod tunc ab eis, qui ſolvebant, Alemannicum tributum eſt appellatum. Quod tamen malè collectum videre non meruit qui illud indicendum juſſerat Henricus Imperator, tunc ex humanis exemptus. Cujus interitu reſpiravit, qui conſternatus animo erat Alexius Imperator, hæc ſummatim, quæ prolixiori tractatu Nicetas eſt proſecutus.

IV. Eodem quoque anno, ipſis Kalendis Septembris (ut Arnoldus, qui tunc vivebat, teſtatur) claſſis Imperatoria ſolvit Meſſana Orientem verſus, & feliciſſima uſa navigatione pervenit in Paleſtinam, ad portum Accon, vigeſimaſecunda ejuſdem menſis, ipſa die, qua in Eccleſia, ut ait, celebratur dies natalis ſanctorum martyrum Mauritii, & ſociorum. Præfectus eſt claſſi Cancellarius Imperatoris Conradus Hildeſemenſis electus, tunc verò conſecratus Epiſcopus, cui olim ab Imperatore abſente cura regni Siciliæ fuerat demandata. Sed quomodò tunc Henricus Imperator ægrotare incipiens, mortuus eſt eodem menſe Septembris, die vigeſimaoctava ejuſdem; in vigilia ſancti Michaelis Archangeli, in eo, quod ad annum obitus ſpectat, hæc habet Chronicon Foſſæ novæ.

Imperii Romæ ſexto deceſſit ab anno;
Mille decem centum bis, tempus tribus ab iſtis
Transierant annis, periit cum peſſimus anguis.] &c.

Plura enim ibi coacervantur in deteſtationem ejuſdem Imperatoris. De die autem obitus Rogerium audi, qui ſubjicit totidem verbis iſta.

V. Obitus Henrici Imper. cui vetita Sacra Sepultura.

Eodem anno Henricus Romanorum Imperator, facta reconciliatione cum uxore ſua & magnatibus Siciliæ, incepit ægrotare, & miſit * Savaricum Bathonienſem Epiſcopum conſanguineum, & Cancellarium ſuum de Burgundia ad Richardum Regem Angliæ, & obtulit ei recompenſationem pecuniæ, quam de eo ceperat pro redemptione ſua, ſive in auro & argento, ſive in terris. Dum autem prædictus Savaricus iret in iſta legatione, prædictus Romanorum Imperator obiit in Sicilia apud Meſſanam, in vigilia S. Michaelis, excommunicatus à Cæleſtino Papa propter captionem, & redemptionem Richardi Regis Angliæ: & ideò prohibuit idem Papa, ne corpus illius ſepeliretur, licèt Archiepiſcopus Meſſanæ pro eo multum oraſſet. Venit itaque præfatus Archiepiſcopus ad Cæleſtinum Papam tribus de cauſis. Prima, ut corpus Imperatoris ſepeliretur. Secunda, ut Marcovvaldus ſummus Imperatoris Juſtitiarius liberaretur ab obſidione Romanorum, qui eum obſederant in Marchia Guarneri, non permittentes eum inde exire. Tertia, ut Fridericus præfati Imperatoris filius coronaretur de regno Siciliæ.

* Suvanũ.

VI. Quæ reſponderit Pap. Arch. Meſſaneo.

Ad primam verò petitionem reſpondit dominus Cæleſtinus Papa, quòd non permitteret corpus Imperatoris ſepeliri, niſi de conſenſu Regis Angliæ, & niſi pecunia, quam ipſe de Rege Angliæ ceperat, redderetur. Ad ſecundam petitionem reſpondit Papa, quòd prædictus Marcovvaldus per ipſum liberari non poterat, niſi de voluntate Romanorum. Ad tertiam petitionem reſpondit dominus Papa, quòd conſentiret, ſi fratribus ſuis Cardinalibus placeret, ut Fridericus præfati Imperatoris filius coronaretur de regno Siciliæ. Et factum eſt ita, datis domino Papæ mille marchis argenti ad opus ipſius, & mille marchis argenti ad opus

Car-

Digitized by Google

Cardinalium. Juravit etiam Imperatrix tactis ſacroſanctis Evangeliis; quòd prædictus Fridericus natus fuit de legitimo matrimonio prædicti Henrici Imperatoris, & ipſius *Conſtantia*.]

VII. De Natalibus Friderici II.

Antequàm autem reliqua de his, quæ ſpectant Henrici Imperatoris teſtamentum, enarremus, dicendum primò de ejus filii, nempè Friderici Secundi, natalibus; inde verò de ipſius ætate, quoto Redemptoris anno ſit natus & baptizatus, atque à quo fuerit pariter educatus. Quod ad natalia ſpectat, jure viſus eſt Pontifex exegiſſe à matre Conſtantia Auguſta juramentum, quòd ipſa conceperit eum ex Henrico Auguſto conjuge; eò quòd ſuſpiciones increbuiſſent, ipſum Fridericum partum fuiſſe ſuppoſitum. Quod & Marcovvaldus ſucceſſori Cæleſtini Papæ Innocentio ſcribens, cùm bellum adversùs eum in Sicilia ageret, palàm, certaque fide ſe probaturum pollicitus fuit. Habent iſta ejuſdem Innocentii Papæ Acta, ſuo loco, Tomo ſequenti recitanda. At ipſe Pontifex, quam juramento purgatam ſuſpicionem putavit, eamdem in judicium noluit revocari. Sed quod jam ſemel ſparſum eſſet in vulgus, tantum abeſt ut per juramentum Conſtantiæ abolitum fuerit, ut ex fabuloſis colorum pigmentis, ſcriptis proditis acceperit augmentum. Recitat fabulam (a) Crantzius, à quo, ſi libes, petere potes. Quæ quidem fidem ſibi hactenùs conciliavit ex portentoſo illo à nobis ſuperiùs recitato & confutato mendacio, quo aſſerebatur, ipſam tunc Conſtantiam, cùm filium peperit, annorum fuiſſe quinquagintaquinque, vel etiam ſecundùm alios ſexaginta, eò quòd tali ætate ut plurimùm natura eſſet impotens, quæ potuiſſet filium generare; cùm tamen teſtificatione ipſius, qui nuptiis ejus interfuis, & carmine eas cecinit Gotifridus Notarius ejuſdem Imperatoris Henrici, teſtatum reliquerit, triginta tantùm annorum ætatis tunc fuiſſe Conſtantiam, cùm nupſit, ita ut cùm peperit maſculam prolem anno Redemptoris milleſimo centeſimo nonageſimotertio (ut modò probaturi ſumus) fuerit ætatis annorum tantummodò trigintaſeptem, vel ad ſummum octo; qua fœminis filios poſſe parere, naturam non negare, quotidiana docent exempla. Et Phyſici (b) confirmant, in aliquibus accidere, ut etiam uſque ad ſexageſimum annum concipiendi prolem tempus extendatur, unà cum menſtruorum fluxu. His dictis de natalibus Friderici, reliquum modò eſt, ut de ipſius agamus ætate.

a *Crant. in Metropol. Saxon. lib. 7. c. 38.*

b *Paul. Ægyn. lib. 3. c. 60. Ætius ſerm. 16. c. 4.*

VIII. De Friderici II. ætate.

Quod pertinet ad annum, quo natus eſt Fridericus, inconſtans eſt antiquorum ſententia. Albertus ſiquidem Stadenſis Abbas eum natum affirmat anno milleſimo centeſimo nonageſimoquinto; Rogerius autem in Anglorum Annalibus reducere videtur, (niſi mendum ſit in codice, quod timeo) ad annum milleſimum centeſimum nonageſimum, dum anno Chriſti milleſimo centeſimo nonageſimoſeptimo, agens de ejuſdem Friderici baptiſmate, hæc ait: Eodem anno filius Henrici Romanorum Imperatoris, quem pepererat ei Conſtantia Imperatrix, filia Rogerii quondam Regis Siciliæ, puer VII. annorum baptizatus eſt, & vocatum eſt nomen ejus Fridericus.] Sic ipſe. Sed puto errore librarii ſcribentis 7. pro 3. illapſum eſſe mendum. Siquidem (quod conſtans eſt apud omnes) cùm idem Fridericus mortuus ſit anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo, ſuæ verò ætatis anno quinquageſimoſeptimo; dicendum eſt, ipſum eſſe natum anno Redemptoris milleſimo centeſimo nonageſimotertio, ita ut quadrimus hoc anno fuerit, ſequenti autem quinquennis. Quæ probè conveniunt his, quæ (c) Innocentius Papa Tertius ad ipſum poſt mortem matris Conſtantiæ (quæ contigit anno ſequenti vigeſimoſeptimo menſis Novemb.) ſcribens ait: (d) Utrumque flere didicit, quam clementia plenè alterum nominare.] Qui ſcilicet eſſet adhùc in infantia conſtitutus, quæ uſque ad ſeptennium propagatur. Baptizatus eſt autem Aſſiſii in valle Spoletana ſita civitate, & quidem ritu ſolemni: nam de his iſta idem Albertus Stadenſis: Nocte, inquit, quæ præcedit dormitionem Joannis Evangeliſtæ, *natus eſt ſcilicet*. Et quindecim Epiſcopis, & Cardinalibus præſentibus, baptizatus, dictus eſt Fridericus.] Hæc Stadenſis Abbas. Sed quænam fuerit cauſa, ut baptizaretur Aſſiſii, didicimus ex Actis vitæ ipſius Innocentii Papæ Tertii, quam antiquitùs ſcriptam repertam in Archivo Avenionenſi, ab Illuſtriſſimo Cardinali Carolo de Comitibus ibi legatione fungente nuper accepimus, nempè quòd ab eodem Henrico Imperatore Conradus natione Svevus educator infantis, jam anteà creatus fuerat Dux Spoleti, atque Comes Aſſiſii, cui utpotè fidiſſimo ſibi ſubdito, & amico, gentili ſuo, atque Duciſſæ ejus conjugi, Imperator nutriendum dedit ipſum Fridericum infantem, quem Conſtantia mater recepit poſteà, cùm eſt reverſa in Siciliam. Qui igitur Comes erat Aſſiſii Conradus Svevus, ibidem infantem jam quadrimum ſolemni baptiſmate baptizandum curavit. His igitur de Friderici primordiis non prætereundis enarratis, redeamus ad patrem ejus Henricum Imperatorem, hoc anno (ut audiſti) ex humanis exemptum.

c *Innoc. l. 1. ep. 575.*

d *Idem ib. ep. 576.*

Educatio Friderici infantis.

IX. Teſtamenti Henrici Imp. Fragmentum.

Qui condidit teſtamentum, & quidem pium valdè, ut quem pœnituiſſet in primis perſecutionis, quam Romanæ Eccleſiæ intuliſſet: & quod aliter non potuit, eo ſaltem teſtamento ſatisfaciendum curavit. Recitatur ejus fragmentum in iiſdem Actis Innocentii Papæ Tertii, citatis ſuperiùs his verbis: In hac fuga perdidit Marcovvaldus univerſam ſupellectilem ſuam, & inventum eſt in quodam ſcrinio teſtamentum Imperatoris Henrici, aurea bulla ſigna-

ſignatum. In quo inter cętera hæc de verbo continebantur ad verbum: Imperatrix conſors noſtra, & filius noſter Fridericus domino Papæ, & Eccleſiæ Romanæ exhibeant omnia jura, quæ à Regibus Siciliæ conſueverunt habere, & domino Papæ ſecuritatem faciant, ſicuti Reges Siciliæ ſummo Pontifici, & Romanæ Eccleſiæ facere conſueverunt. Si verò prædicta conſors noſtra præmoriatur: filius noſter ſecundùm ordinationem noſtram remaneat, & ſi filius noſter ſine hærede deceſſerit: regnum Siciliæ ad Romanam Eccleſiam deveniat. Si verò filius noſter præmoriatur: dilecta conſors noſtra regnum in vita ſua retineat; & poſt mortem ſuâ regnum Siciliæ ad Romanam Eccleſiam deveniat. De Imperio ordinamus, quòd dominus Papa, & Eccleſia Romana illud filio noſtro confirmet. Et pro hac confirmatione Imperii & regni volumus, quòd tota terra Comitiſſæ Mathildis reſtituatur domino Papæ, & Romanæ Eccleſiæ, præter Mediſinam, & Argelatam cum eorum pertinentiis. Et inſuper ordinamus, & volumus, ut tota terra de Ponte payle, cum Monteſortino liberè dimittatur domino Papæ uſque ad Ceperanum; & quòd Eccleſia Romana habeat Montem Flaſconem cum omnibus pertinentiis ſuis. Inſuper præcipimus Marcovvaldo Seneſcallo noſtro, ut Ducatum Ravennatem, terram * Brictinori, Marchiam Anconæ recipiat à domino Papa, & Romana Eccleſia, & recognoſcat etiam ab eis Mediſinam, & Argelatam cum eorum pertinentiis. De quibus omnibus bonis ſecuritatem ei juret, & fidelitatem faciat, ſicut domino ſuo. In morte verò, ſi ſine hærede deceſſerit, Ducatus Ravennæ, & terra Brictinorii, & Marchia Anconæ, Medeſina, Argelata, cum earum pertinentiis in dominio Eccleſiæ remaneant.] Hucuſque ibi de Regis Henrici teſtamento. Meminit & Innocentius Papa in epiſtola ad Regem Anglorum ejuſdem teſtamenti Henrici Imperatoris, aitque: (a) In ultima voluntate pœnitentia ductus per eumdem filium ſuum tibi, nempè ipſi Richardo Anglorum Regi reſtituendum mandavit, quod ſcilicèt ab eo cùm captivus eſſet, extorſerat; & niſi faceret filius heres, per Sedem Apoſtolicam cogeretur. Quod poſteà per ipſum Innocentium Papam præſtandum fuit, ut ſequenti Tomo, ſuo loco dicetur.

* Fulgo Bertinore.

a Innoc. l. 1. ep. 230.

X. Reddita Romanæ Eccl. quæ ablata fuerât ab Imper.

Quænam autem poſt mortem ejus reſtituta fuerint Romanæ Eccleſiæ, Rogerius ſic pergit narrare: Defuncto itaque Henrico Romanorum Imperatore, magna pars Tuſciæ, quam idem Imperator & prædeceſſores ſui abſtulerant Romanis Pontificibus, reddita eſt domino Cæleſtino ſummo Pontifici, videlicèt Aquapendente, & S. Chriſpina, & * Mons Faliſcorum, & Radicoſanum, & S. Quiricus cum omnibus pertinentiis eorum, redditæque ſunt ei Sicilia, Calabria, Apulia, & omnes terræ, quæ fuerunt Regis Siciliæ, ſicut proprium patrimonium S. Petri, de quibus ipſe (ut ſuprà dictum eſt) conſtituit Fridericum Henrici Romanorum Imperatoris filium Regem.] Addit ad iſta Matthæus Paris: Henricus Imperator legavit Capitulo Ciſtercienſium tria millia marcharum argenti de redemptione Regis Richardi, ad thuribula per totum Ordinem facienda argentea; Sed Abbates tàm ipſum Imperatorem, quàm donum ejus deteſtantes, renuerunt de turpi quæſtu acquiſitum donum ejus recipere. Quod cùm Rex Richardus audiviſſet, dictum & factum Abbatum, quod ſolita caruit avaritia, commendavit.] Hæc ipſe:

* Gallicè legit iſta Rogerius.

XI.

Quænam autem inter hæc geſta fuerint per Henrici Imperatòris exercitum in Terra ſancta ſub Legato Conrado, ſingula exactiſſimè enarrantur per (b) Arnoldum Lubecenſem, quem conſulas. Finis hic fuit, quòd audito adventu filii Saladini adverſùs eos in Palæſtinam, ſimulque accepto nuntio de obitu Henrici Imperatoris, omnes Duces exercitus arripuere fugam, & quidem ignominioſam, cùm præſertim milites eſſent parati ad prœlium. Remanſere Archiepiſcopus Moguntinus, & Verdenſis ſancti propoſiti tenaciores. Quorum Moguntinus miſſus fuit ad coronandum Regem Armeniæ, de quo iſta idem (c) Arnoldus Lubecenſis habet: Ipſe enim Rex omnimodis hoc affectans, audita fama virtutis populi Dei, & quia Dominus ad introitum omnes inimicos eorum terruiſſet, & quia glorioſè multa loca munita obtinuiſſent: miſſis Nuntiis honoratis cum muneribus non paucis, ipſos Principes devotè ſalutavit, & quanto deſiderio ipſorum adventum expectaverit, per ſcripta ſimul & verba ampliſſima intimavit: paratiſſimum ſe dicens Romano ſubdi Imperio, ſi coronam diu deſideratam ab * ipſius mereretur ſuſcipere Nuntio. Gloriatur Eccleſia Romana, quæ non ſolùm in ſpiritualibus, ſed etiam favente Chriſto, dilatatur in temporalibus, ut etiam Reges Tranſmarini hoc titulo affectent inſignia. Viderint tamen illi, qui hac dignitate neglecta, plus diminutionem, quàm * Romani Orbis attendunt dilatationem. Moguntinus igitur (ut diximus) glorioſè expleto negotio, ipſum Regem Armeniæ, & Principem Antiochiæ ad pacis concordiam reformavit, quorum diſſenſione non modicùm Eccleſia Dei in partibus illis turbata fuerat. Quòd autem Arnoldi labefactatus ſit textus, expunctumque in eo nomen Romani Pontificis: à quo præcipuè ea ſunt actitata, intelliges, nempè ab epiſtola Gregorii Armeniæ Patriarchæ, data ad Cæleſtini ſucceſſorem Innocentium Tertium Romanum Pontificem, primo anno ejus Pontificatus, quæ ſic ſe habet, poſita in primo libro ejuſdem Innocentii.

b Arnold. Chron. Sl. lib. 5. c. 2, 3. 4. 5.

c Arnold. Abb. Lub. l 6. c. ult.

Mogunt. Archiepiſ. coronat regẽ Armen.

* Romani Pontificis deeſſe videtur, ut apparet ex ſequẽti illatione, & ex epiſtolis Innoc. Papæ III.

* Romanæ Eccleſ. ita reſtituendum, ut reſpondeat præcedentibus, corrupto textu ab aliquo Novatore.

Litte-

Digitized by Google

XII. Litteræ fideliter (*a*) interpretatæ de A Armenico in Latinum, quas Catholicus Armeniorum domino Papæ Innocentio deſtinavit.

a Apud Innoc. lib. 2. ep. 206.

Ad Rom. Pont. Patriarchæ Armeniæ litteræ.

Vobis, qui eſtis caput poſt Chriſtum, conſecrati ab eo, & caput Catholicæ Eccleſiæ Romanæ matris omnium Eccleſiarum, adeò prudentes & ſancti, quod debetis eſſe in loco Apoſtolorum ſublimis Papa, & vobis ſanctis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Cardinalibus, presbyteris, clericis, & omnibus, qui ſunt de veſtra ſancta Eccleſia, ſalutem, & fraternitatem. Pax Dei ſit inter vos. Gregorius homo JESU Chriſti per gratiam Dei B Catholicus totius Eccleſiæ Armeniorum, filius veſtræ ſanctæ Eccleſiæ, quæ eſt fundamentum legis totius Chriſtianitatis.

XIII. Sciatis, quòd nos Archiepiſcopi, Epiſcopi, prebyteri, & clerici oramus JESUM Chriſtum, qui eſt caput omnium noſtrum, ut ſervet vos, & veſtros ab omnibus malis; quia cùm vos, qui eſtis caput, eſtis incolumes, nos qui ſumus corpus, benè valebimus per veſtram benedictionem. Noveritis domine, quòd ad nos venit nobilis, ſapiens, & ſublimis Archiepiſcopus Maguntinus, qui nobis attulit ex parte C Dei, & ex parte ſublimitatis Eccleſiæ Romanæ, & ex parte magni Imperatoris Romanorum ſublimem coronam, & coronavit Regem noſtrum Leonem, & nobis reddidit coronam, quam nos perdidimus à longo tempore. Unde nos fuimus elongati à vobis, & nos cepimus eam libenter, & cum magno gaudio; & inclinamus, & regratiamus Deo, & S. R. E. & alto Imperatori Romanorum. Sciatis, domine, quòd ipſe nobis monſtravit veſtra præcepta, & nos ea multum libenter audivimus, & libenter volumus legem & fraternitatem ſublimis Eccleſiæ D Romanæ, quæ eſt mater omnium Eccleſiarum: & nos ſolebamus eam habere, & nunc eam habemus, & libenter volumus eſſe ad veſtrum mandatum. Et firmiter ſunt ad mandatum veſtrum omnes Archiepiſcopi, Epiſcopi, & omnis Clerus noſtræ Eccleſiæ, qui ſunt in noſtris terris, & ſunt multi per Dei gratiam. Et nos rogamus vos, ut oretis Deum pro nobis: quia nos ſumus in ore draconis, & in medio inimicorum Crucis, & inter eos, qui ſunt naturaliter inimici noſtri. Et nos vos rogamus per Deum, quatenùs nobis E mittatis tale adjutorium, & tale conſilium, quòd nos poſſimus conſervare honorem Dei, & Chriſtianitatis, & veſtrum. Quia poſtquàm nos ſumus veſtri, & vos eſtis memores noſtri, efficiatis tantum erga nos, quòd nos gratias referamus Deo, qui nos redemit ſanguine ſuo, & quòd gratiam agamus ſanctæ Cruci Domini noſtri, qui fecit totum mundum. JESUS Chriſtus defendat vos, & omnes veſtros ab omni malo, & nobis det veſtram benedictionem.] Extant ibidem aliæ litte-

A ræ (*b*) Regis Armeniæ ad eumdem Pontificem, & aliæ redditæ ab Innocentio tàm ad Patriarcham, quàm ad Regem litteræ, quas tu conſulas. Porrò, quod ſpectat ad ipſum Moguntinum Archiepiſcopum, idem erat S. R. E. Cardinalis Epiſcopus Sabinenſis, ut patet ex ejuſdem Innocentii Papæ litteris (*c*) hic notatis in margine.

b Idem ib. epiſt. 207. 208. 209.

c Idem ib. lib. 1. epiſt. 205. 207.

XIV. Eodem anno Cæleſtinus Papa pulſatus Anglicanorum monachorum querelis, cognita cauſa, ſententiam reſcidit Papæ Clementis ſui prædeceſſoris ſurreptitiè extortam. Extant ipſæ de his litteræ Cæleſtini, B quibus, & purgatur calumnia ſucceſſoris Innocentii Papæ Tertii: quæ ſic ſe habent.

Cæleſtinus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis, Archiepiſcopo Cantuarienſi, Epiſcopo Lincolnienſi, & Abbati ſancti Edmundi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

XV. Redditi Monachi ſuæ Eccl.

Sicut ea, quæ à prædeceſſoribus noſtris provida fuerint deliberatione ſtatuta, nullatenùs irritari volumus, vel infringi; ſic quæ per ſurreptionem ab eis obtenta ſunt in honeſtatis Eccleſiaſticæ detrimentum, corrigi volumus, & in ſtatum redigi meliorem. Cùm enim, ſicut accepimus, im- C mò ſicut benè novimus, in Conventrenſi Eccleſia ferè à prima Fidei Chriſtianæ fundatione in Anglia ordo fuerit monaſticus inſtitutus, & in tantum in ea obſervantia ſervierint regulari, ut ab Apoſtolica Sede privilegiari, & ab inclytæ recordationis Regibus Angliæ dotari meruerint, & ditari: dolemus plurimum, quòd venerabilis frater noſter Ceſtrenſis Epiſcopus occaſione quarumdam litterarum, quas à bonæ memoriæ Papa Clemente prædeceſſore noſtro, ad falſam ſuggeſtionem ſine conſcientia noſtra, & fratrum noſtrorum, ſicut dicitur, & (quod vix credere D poſſumus) impetravit, dilectos filios Priorem, & Conventum de eodem monaſterio violenter ejecit, & Canonicos in eo inſtituit ſæculares.

Cùm igitur id in monaſticæ religionis, & totius Eccleſiaſticæ diſciplinæ redundet opprobrium; nec noſtræ intentionis ſit, quòd prædictus prædeceſſor noſter tantæ irregularitati, niſi circumventus, auctoritatem præſtiterit, aut favorem: fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, & in virtute obedientiæ diſtrictè præcipimus, quatenùs prædictis litteris, vel aliis privilegiis confirmationis, E vel indulgentiæ nequaquàm obſtantibus, amotis ab eodem monaſterio ſæcularibus clericis, qui in eo fuerunt per ſupradictum Epiſcopum inſtituti, ſine alicujus quæſtionis impedimẽto monaſticum ibidem ordinem reformetis, monachos erectos eundè redeuntes in illud, & tales in eo inſtituentes perſonas, quæ B. Benedicti Regulam obſervare debeant, & deſiderent. Memoratum verò Epiſcopum, & univerſos detentores bonorum ejuſdem Eccleſiæ ad eorũ reſtitutionem per cenſuram Eccleſiaſticam,

* *f.* poſt-poſita.

A cam , appellatione * propoſita compellatis.

XVI. Volumus etiam nihilominùs , & mandamus , ut donationes ejuſdem Epiſcopi, infeudationes , locationes , & alienationes , poſſeſſiones ejuſdem Eccleſiæ ab eo tempore factas, noſtra freti auctoritate caſſetis , eos, qui contravenire præſumpſerunt, ſublato appellationis obſtaculo, cenſura canonica percellentes ; illos, qui manus violentas in prædictos monachos injecerunt , denuntietis excommunicatos: & cum litterarum veſtrarum teſtimonio veniant ad Sedem Apoſtolicam abſolvendi. B Datum, &c.] Impletum eſt autem mandatum Cæleſtini Papæ per Archiepiſcopum Cantuarienſem, ut idem teſtatur Rogerius, qui ait: Deinde venit idem Archiepiſcopus ad Coventre , & per mandatum Cæleſtini ſummi Pontificis introduxit monachos in Eccleſiam ejuſdem villæ cathedralem , quos Hugo de Nunant ejuſdem loci Epiſcopus ab eadem Eccleſia vi & armata manu expulerat, & loco illorum inea Canonicos ſæculares inſtituerat , & eos de bonis Eccleſiæ , quæ ad ſuſtentationem monachorum ibidem Deo inſervientium collata fuerant , præbendaverat . Sed Canonicis indè expulſis , bona Eccleſiæ C redierunt in uſus monachorum .] Hæc omnia Rogerius ejus temporis accuratiſſimus ſcriptor, ex quibus atque in primis ex Cæleſtini recitato diplomate mendacii redarguas Matthæum Paris , qui carpendi tantùm cauſa Romanos Pontifices ſcribendi hiſtoriam viſus eſt ſuſcepiſſe provinciam more ſuo Innocentium Papam Cæleſtini ſucceſſorem , ſuo ipſius Pontificatus exordio perſtringens, quòd primò negaverit ejuſmodi monachorum reſtitutionem, deinde metu prænuntiatæ mortis , coactus tandem indulſerit. Sed audi tu fabulam.

XVII. De Innoc. Papa calumnia Paris.

D Morabatur ea tempeſtate in Curia Romana monachus quidam Coventrenſis cœnobii , Thomas nomine , qui ab Epiſcopo præfato cum cęteris Fratribus expulſus (ut ſuperiùs relatum eſt) monachos circumquaque diſperſos ſimul cum cœnobio auctoritate ſummi Pontificis in ſtatum priſtinum ſtuduit reformare . Quidam autem Fratrum ejus obierant , quidam tædio & paupertate affecti , à Curia receſſerant, ipſo ſolo in negotio perſeverante , ac paupertate nimia compellente , panem ſuum multoties mendicante . Sed cùm nuper de morte Epiſcopi Coventrenſis nuntios deE ſideratos accepiſſet , exaltatum eſt cor ejus in Domino , qui dat in ſe ſperantibus , & perſeveranter agentibus bonitatem . Quadam verò die cùm Innocentius Papa nuper creatus cum Cardinalibus ſuis in Conſiſtorio ſederet, monachus memoratus audacter prorupit in medium , & petitionem ſui negotii indicatione Papæ porrexit . Quam cùm ille perlegiſſet: in continenti monacho reſpondit : Frater , nonnè iſta petitio à prædeceſſoribus noſtris Clemente, & Cæleſtino ſæpiùs repulſa eſt, A me audiente & vidente ? Et tu , qui illos non potuiſti , me quoque delirum vis circumvenire ? Et iratus adjunxit : Recede Frater , recede, certè inaniter hic expectas, Monachus autem hæc audiens , cum lacrymis amariſſimis reſpondens ait : Pater ſancte , petitio mea juſta , & omninò honeſta , & ideò inaniter non expecto. Expecto enim mortem veſtram , ſicut feci mortem anteceſſorum veſtrorum. Succedet enim vobis , qui petitionem meam exaudiet cum effectu . Papa verò hæc audiens , & ſupra quàm dici poteſt admirans , aſſidentibus ſibi Cardinalibus dixit : Non-B nè audiſtis , quid diabolus iſte dixit? Expecto , inquit, mortem veſtram , ſicut feci mortem anteceſſorum veſtrorum. Et converſus ad monachum ait : Frater, per S. Petrum , mortem meam non hìc expectabis , exaudita eſt enim petitio tua. Et continuò , antequàm cibum ſumeret Papa , Huberto Cantuarienſi Archiepiſcopo dedit in mandatis , ut continuò viſis litteris ad Eccleſiam Coventrenſem perſonaliter accederet , & expulſis clericis monachos inveſtiret . Sicque Archiepiſcopus memoratus , amotis clericis præfatis , ſummi Pontificis aucto-C ritate roboratus, decimoquinto Kalend. Februarii monachos introduxit.] Vidiſti, Lector , cùm legiſti , Paris ingenium, animique malè compoſiti malam ſententiam , res fingere , verbaque formare indigna Romano Pontifice ; ut ab hoc uno tàm patenti mendatio cętera diſcas , & caveas, videaſque qua tunc ſit homo fide dignus , cùm totus eſt in carpendis Romanæ Eccleſiæ Pontificibus.

XVIII. Legatio à Cæleſtino Papa in Poloniã miſſa.

Hoc eodem anno legatur in Poloniam à Cæleſtino Papa Petrus diaconus Cardinalis : de qua legatione hæc apud Joannem Dlughoſch , aliter Longinum di-D ctum , hoc anno :

Petrus tituli ſanctæ Mariæ in Via lata diaconus Cardinalis , Capuanus vulgariter nuncupatus , à ſummo Pontifice Cæleſtino Tertio Legatus de latere ad reformandam Eccleſiam Polonicam deſtinatus, venit in Poloniam. Qui Cracovienſem civitatem ingreſſurus , à Fulcone Cracovienſi Epiſcopo, & omnium Eccleſiarum proceſſione , magno honore ſuſceptus eſt. Primamque congregationem Cracoviæ, alteram in Lupeza agens , deinde in Gneſnenſem , Vvratislavienſem , Poſnanienſem , Plocenſem, Vvladislavienſem, Chel-E menſem, & Lubecenſem diœceſes ſe transferens, id præcipuum in Eccleſia reformãda ſibi curæ aſſumpſerat , quatenùs presbyteri à mulieribus & concubinis abſtinẽdo, continentem & caſtam, & quæ laicos ædificare poſſet , ducerent vitam , cùm plures ea tempeſtate ſacerdotes uxoribus , velut jure legitimo uterentur. Cujus uſus corruptelam Cardinalis ipſe ſummo ſtudio à Polonica eliminavit , abrogavitque Eccleſia , & presbyteris uxores accipere & tenere ſub graviſſimis pœnis interdixit:

laicis

Digitized by Google

laicis verò quacumque excellentia pollentibus, connubia in facie Eccleſiæ contrahere inſtituit. Et hæc quidem ſalubria præfati Petri Cardinalis conſtitutio facilè à Polonorum Clero, & ab univerſa Polonica Eccleſia accepta, & accurata diligentia cuſtodita ſervataque eſt.

XIX. Boemi Clerici reſtiterunt Legato.

A Boemis tamen, Cleroque Boemico, apud quos Cardinalis ipſe etiam legationis officio fungebatur, non ſolùm repudiata, ſed parum abfuit, quin Cardinalis ipſe, conſtitutionem ipſam, ordines in ſabbatho, Sitientes, celebraturus, promulgans, & presbyteros ad caſtitatis votum compellens, violaretur. In cujus occiſionem Boemici ſacerdotes graſſari Pragæ cœperant, niſi illorum improbos conatus Epiſcopus Pragenſis Henricus, Ducalem tunc in Boemia obtinens poteſtatem, oppreſſiſſet. Non ſolùm autem in his, ſed in pluribus aliis Cardinalis prædictus Polonicam Eccleſiam, pontificibus & Clero benevolis ſe præbentibus ad ſingula, reformavit.] Hactenùs ipſe.

Cõtroverſ. inter Rothom. Archiepiſ. & Angl. Reg.

Hoc eodem anno coram Cæleſtino Pontifice delata & abſoluta eſt controverſia, quæ diutiùs periculosè valdè agitata fuerat inter Archiepiſcopum Rothomagenſem, & Regem Angliæ, eò quòd ipſe Rex, invito & contradicente Archiepiſcopo muniſſet locum ejus Eccleſiæ adversùs invaſiones Regis Francorum; ipſe verò Archiepiſcopus cenſuris percuſiſſet miniſtros Regis, & provinciam interdicto diutiùs ſubjeciſſet. Utraque parte vocata Romam, illis auditis, Cæleſtinus ſequeſtrem potiùs agens, quàm judicem, eoſdem in priſtinam concordiam revocavit. Quomodò autem, ſic accipe à Rogerio iſta ſcribente.

XX.

Convenientibus igitur in præſentia domini Papæ Cæleſtini præfato Rothomagenſi Archiepiſcopo, & Epiſcopo Lexovienſi, & Electo Dunelmenſi, Archiepiſcopus Rothomagenſis proteſtatus eſt jus ſuum, quod habebat in Andeli, & injuriam, quam Richardus Rex Angliæ ei fecerat, firmando caſtellum in patrimonio Eccleſiæ Rothomagenſis injuſtè, contra voluntatem, & aſſenſum illius. Ad quod ſupradicti Regis Nuntii reſponderunt, quòd dominus Rex ſæpè & multùm obtulerat ei per internuntios ſuos, videlicèt viros venerabiles & diſcretos, Epiſcopos, & Abbates, Comites, & Barones, ſe in omnibus ſatisfacturum illi ad æſtimationem proborum virorum. Aſſerebant enim ex parte Regis, quòd ipſe inſulam illam de Andeli, in qua caſtellum firmaverat, nullo modo dimittere poſſet, quia Rex Franciæ & ſui perinde tranſitum faciebant in Northmanniam, & ſæpiùs eam devaſtabant: & idcircò Rex Angliæ locum illum munierat ad defenſionem terræ ſuæ contra Regem Franciæ. Et ſuper his prædictus Rothomagenſis Archiepiſcopus, & præfati Regis Nuntii compromiſerunt ſe examini domini Papæ, & Romanæ Eccleſiæ. Unde factum eſt, quòd dominus Papa, & Cardinales poſt diuturnam deliberationem attendentes damna, & inopportunitates, quæ acciderent Northmanniæ, niſi locus ille de Andeli firmaretur, conſuluerunt præfato Rothomagenſi Archiepiſcopo, quòd cum domino ſuo Rege amicabiliter poneret, & ab eo ſufficienter recompenſationem ablatorum reciperet, ſecundùm proborum & ſapientium virorum æſtimationem: dicentes benè licere Regi, & cuilibet potenti, infirma loca terræ ſuæ munire, ne perinde damnum ſibi & ſuis contingat.] Hactenùs ipſe. Agit de eadem controverſia & (a) Neubrigenſis.

a *Neubrig. lib. 5. c. 21. & 24.*

S. Homob. obitus.

Hoc anno S. Homobonus patria Cremonenſis ex hac vita migravit die decimatertia Novembris, quem ob præclara virtutum merita ſucceſſor Cæleſtini Innocentius Tertius ſolemniter retulit inter Sanctos. Ejus verò res geſtæ deſcriptæ (b) leguntur.

b *Apud Surd. to. 6. die 13. Novemb.*

JESU CHRISTI ANNUS 1198. | CÆLESTINI PAP. III. ANNUS 8. | VACAT IMP. OCCID. 1. ALEXII ANG. IMP. 4.

I. De obitu Cæleſtini Pap. III.

Milleſimus centeſimus nonageſimus octavus Redemptoris cum Indictione prima incipit annus, cujus exordio, nempè ſexto Idus Januarii, Cæleſtinus Papa ex hac vita migravit, cùm nondum ſui Pontificatus annos ſeptem impleſſet, ſed ſediſſet annos ſex, menſes novem, minus diebus duobus. Quæ autem ejus præceſſerint obitum, ſic accipe ab hujus temporis ſcriptore Rogerio.

Deinde dominus Papa Cæleſtinus ante Natale Domini paulatim cœpit ægrotare, & convocatis coram ſe Cardinalibus univerſis, præcepit, ut tractarent de ſucceſſore eligendo.] Ipſe autem nitebatur modis omnibus, ut dominus Joannes de ſancto Paulo presbyter Cardinalis tituli ſanctæ Priſcæ virginis ei ſuccederet in Papatu, de cujus ſapientia, ſanctitate, & juſtitia plurimùm confidebat. Adeò enim ipſum præ cæteris diligebat, quòd illum loco ſui conſtituerat ad omne officium ſuum exequendum, niſi in conſecratione epiſcoporum, quod pertinebat ad officium Epiſcopi Oſtienſis Cardinalis. Prætereà præfatus Papa obtulit, quòd ipſe ſeipſum deponeret a Papatu, ſi Cardinales conſentirent in electione præfati Joannis de ſancto Paulo.

Cæleſtin. Pap. de Põt. futuro eligendo.

Digitized by Google

Paulo. Sed omnes Cardinales una voce reſponderunt, quòd illum conditionaliter non eligerent, dicentes, quòd inauditum erat, quòd ſummus Pontifex ſe deponeret. Et ſic erat ſchiſma inter illos. Dominus enim Oſtienſis Epiſcopus Cardinalis nitebatur, ut ipſemet Papa fieret. Similiter dominus Portuenſis Epiſcopus Cardinalis, ſimiliter dominus Jordanus de Foſſa nova, ſimiliter dominus Gratianus, & ceteri omnes nitebantur, unuſquiſque pro poſſe ſuo, ut ipſe fieret ſummus Pontifex.] Et inferiùs: Eodem anno milleſimo centeſimo nonageſimo octavo, Cæleſtinus Papa ſenio & gravi morbo laborans, obiit Romæ menſe, Januarii, ſexto Idus ejuſdem menſis, feria ſexta, ſeptimo anno Papatus ſui, & Laterani ſepultus eſt.] Hæc de obitu Cæleſtini.

II. Ordo Teutonicorum.

Fuere ejuſdem Cæleſtini digna alia factorum monimenta, quæ certis ejus Pontificatus annis non ſunt aſſixa, & inter alia confirmatio religioſæ militiæ Ordinis Teutonicorum: rogatus enim ab Henrico Imperatore, donavit eoſdem Pontifex veſte alba, & cruce nigra, ſubiecit verò Regulæ S. Auguſtini. Cenſiti autem ſub eo Ordine non niſi nobiles, idemque Germani, qui magnitudine animi digna ipſorum generoſitate edidere facinora, quæ aliorum ſunt ſcriptorum memoriæ perpetuæ commendata. Ita quidem, ne boreales regiones tanto germine exiſterent infœcundæ, quibus jam aliæ Chriſtiani Orbis provinciæ fertiles eſſent, æmulatio ſancta Teutonicos pertigit. Florebant ſiquidem his temporibus, & Hiſpaniæ ſacris ordinibus militaribus ſancti Jacobi, & Calatravæ. Porrò Teutonici, de quibus agitur, aucti ſunt Livonienſibus, qui illis ſeſe junxere.

III.

Romæ autem idem Cæleſtinus Papa propenſiori ſtudio, quo tenebatur erga cultum venerandæ imaginis Dei genitricis Mariæ, quæ fuerat Gallæ Placidiæ, collocatæ in antiquo foro Romano in Eccleſia, dicta S. Mariæ in Porticu, ædificavit juxta ipſam hoſpitalem domum infirmorum, quam & reddiribus locupletavit. De ipſa autem veneranda imagine vetus iſta inſcriptio hactenùs perſeverat. Hæc eſt illa piæ genitricis imago MARIÆ, Quæ diſcumbenti Gallæ patuit metuenti.] Accepit cultor Deiparæ Cæleſtinus cœleſtem ejus precibus gloriam, quam diutiùs concupivit. Nos verò ejus obitu claudimus ſimul præſentem duodecimum Tomum, tertium verò decimum incepturi, ubi hic deſinit, ab eodem anno, menſe Januarii, dieque ipſa, qua ceſſante Cæleſtino Tertio, Tertius Innocentius legitimè electus adminiſtrationem Catholicæ Eccleſiæ ſuſcepit, Deo nobis propitio noſtra cuncta ad ſui nominis gloriam feliciter promovente.

Quando abſolutus eſt præſens Tomus.

ABſolutus eſt autem præſens Tomus, cùm poſt menſem Pontifex Romanus creatus eſt Paulus; cui ipſe dicandus, pro tanto munere Deo immortali perennes gratiarum continere actiones, quæ & acceſſionem accipiant tamquàm ex inundante torrente majorem, quòd in his à Deo ingentia valdè ſim beneficia conſecutus, ereptus è ſummis periculis imminentibus. Nam è profundo maris abyſſo, horribili tempeſtate jactati, cùm jam incidiſſemus in (a) dithalaſſum, ipſa adhuc naufraga ſpe: Dei ope ad optatum litus, unà cum Paulo, in ſalutem Urbis & Orbis evecto, ſalvi tandem emerſimus. Quamobrem partus hic ipſe noſter præſens Annalium Tomus, qui ob multiplices parientis ærumnas pene interitu pereuntis, (b) Benoni, filius doloris mei, fuerat nuncupandus: ſubita rerum mutatione in contrarium facta, mutato quoque nomine ſicut & rebus, erit Beniamin dexteræ filius nominandus, Paulo noſtro jam in dextera collocato. Quis (c) loquetur potentias Domini? auditas faciet omnes laudes ejus? (d) Mirabiles vidimus elationes maris; mirabilis & apparuit in altis Dominus. Qualis tunc rerum facies? quàm tetra, horrida, & formidabilis? Cùm & præter immenſos fluctus illos, adhùc ex improviſo tàm vehementi eſt concuſſa Eccleſia terræmotu, atque terrifico ſimul tonitru excuſſo fulmine, perturbatæ, & interceptæ, atque inverſæ ſunt mentes hominum, ac pariter actiones? Qui tunc æſtus mei, cùm adeò violentis licèt amicis flatibus abreptus, ferrer in Syrtes, è quibus haud facilis eſſet emergendi facultas? (e) Laboravi clamans, raucæ reipſa tunc factæ ſunt fauces meæ, exclamans ad Omnipotentem Davidicum (f) illud: Mitte manum tuam de alto, libera me de aquis multis. Quærebam anxius, ſi quomodò (g) ut Jonas dedens me fluctibus, honeſta jactura mei ſolius poſſem cæteris periclitantibus eſſe ſalvus. Sed judicio ſapientum fratrum qui aderant, damnoſum exiſtimatum eſt hujuſmodi conſilium, eò quòd non ego, ſicut ille, fugerim à facie Domini, ſed potiùs pro Domino ſtarem, atque perſiſterem pro domo (h) Iſrael (utcumque debiles vires ferrent) murus oppoſitus: firmiter iiſdem aſſeverantibus, loco non cedendum, ſed firmiſſimè ad finem uſque perſtandum infractum; immobilem atque conſtantem. Sic igitur fratrum ſententia interclusus, cunctiſque evadendi remediis deſtitutus, tædio vitæ gravatus ſupra modum, ultra vires, in illa ærumnoſa cum Jeremia (i) erupi ſæpè lamenta: Væ mihi mater mea, quare me genuiſti virum rixæ,

virum

a Act. 27.
b Gen. 35.
c Pſ. 105.
d Pſ. 92.
e Pſ. 68.
f Pſ. 143.
g Jon. 1.
h Ezech. 13.
i Jerem. 15.

virum diſcordiæ in univerſa terra? Cum verò bis teneret vallatus anguſtiis, & à Deo tantum, qui eſt ſolus omnipotens, præſtolarer auxilium: ecce ſtatim ex inſperata cataſtrophe facta eſt rerum repentina, ſicut & admiranda mutatio. Excitatus namque tanquàm dormiens Dominus clamore ſuorum, qui laborantes erant in remigando, feſtinus exurgens, imperaA vit (a) vento & mari, & facta eſt tranquillitas magna: atque dicto citius, miro conſenſu omnium ecce provehitur PAULUS, tanquam è maris ereptus tempeſtate ſalvus, in Cathedram Petri. Cui unà cum univerſa Eccleſia Catholica feliciter acclamamus: PAULO PAPÆ QVINTO A DEO ELECTO SALUS ET VITA. a Matt. 8.

